JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

PRÆLECTIONES

IN

LIBRUM PROPHETIARUM

JEREMIÆ,

ET

LAMENTATIONES;

NEC NON IN

EZECHIELIS PROPHETÆ

VIGINTI CAPITA PRIORA:

Joannis Budæi & Caroli Jonuillæi labore & industria exceptæ.

Cum duobus INDICIBUS utrobique, priore quidem rerum ac sententiarum maxime insignium: posteriore vero locorum qui ex Veteri & Novo Testamento citantur, & explicantur.

Editio ut posterior ita prioribus multo emendatior.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

Generosissimo Domino, & pietate cæterisque Christianis virtutibus Illustri,

D. GASPARI à COLIGNIO,

Magno Galliarum Amiralio,

THEODORUS BEZA,

Genevensis Ecclesiæ Minister,

Gratiam ac pacem à Domino.

Etsi confido fore, generosissime Domine, ut quem fructum consuevisti ex cæteris magni illius & vere excellentis servi Dei Joannis Calvini scriptis capere, eum ex isto quoque veluti Cygneo ipsius cantu percipias: tamen non dubito quin id ipsum tibi hæc legenti quod mihi scribenti usuveniat, nempe ut ad tanti viri nomen, recens adhuc ille dolor, quem ex ejus obitu maximum sensimus, gravissimo cum sensu recrudescat. Et certe justior atque adeo magis necessarius est hic dolor, quam ut tam cito tolli vel possit, vel debeat: quo fit ut ei etiam indulgere fas esse putem. Quas tempestates paucis annis Ecclesia Dei sustinuerit, nemo est qui possit ignorare, quum totum orbem terrarum concusserint, adeo quidem ut vere nunc illud possimus jactare,

Quæ regio in terris nostri non plena laboris?

Sed quibus propugnatoribus defensa fuerit religio, id vero multi non satis animadvertunt. Excitavit Dominus vos Gedeonas & Samsonas non in Germania tantum, sed & in Anglia & Scotia, atque adeo nuper (illustrimi Principis Condensis Ducis auspiciis) in Gallia nostra, qui, objecto quibusvis periculis vestro etiam capite, quorundam gladios à piorum cervicibus depelleretis. Sed profecto præcipui Ecclesiæ hostes non sunt caro & sanguis, ut qui corpus tantum possint offendere. Itaque quamvis illud quoque singulare sit Dei munus, & vestra laus coram ipsis Dei Angelis sit longe maxima, quod opportunissimo tempore tanta illa vis sit vestra fortitudine repulsa: tamen & cum hostibus longe aliis, & aliis etiam armis bellum eodem tempore gerendum fuit, & nunc quoque geritur; quod etsi non est ita in speciem formidabile, tamen longe magis est periculosum, quum integram domus Dei ruinam secum trahat. Spirituales nequitias dico, quibus & doctrinam ipsam inficere conatur Satan, & mores corrumpere: quibus amissis, Ecclesiam necesse fuerit non tantum periclitari, sed etiam penitus interire. Hujus autem belli gerendi duces sunt procul dubio, quos Dominus pastores, doctores, & presbyteros Ecclesiæ suæ ob hoc ipsum constituit, ut & docendo, & redarguendo, & precando (hæc sunt enim arma quibus hostiles illæ copiæ profligantur) regnum filii Dei administrent. Frequentissimum hominum genus si inania nomina, rarissimum si rem ipsam spectes. Habuit tamen ejusmodi satis multos nostrum hoc seculum, quorum & constantiæ & laborum nos ipsi fructus & messis sumus: sed quibus indignum mundum fuisse vel illud declarat, quod intra triennium, tempore minime opportuno, optimos & fortissimos quosque amisimus, adeo quidem ut ex magnis illis Heroibus, qui nostra memoria tam fortiter, tamque feliciter Antichristum e suo gradu dejecerunt, vix pauculos aliquot, veluti Henricum Bullingerum Dei beneficio nuper nobis ex peste servatum, Gulielmum Farellum invicti roboris Senem, & Petrum Viretum etiamnum hodie in Lugdunensi Ecclesia velut in prima acie feliciter certantem superstites conspiciamus. Initium autem postremæ hujus cladis à Philippo Melanchthone factum est, cui non diu supervixit Petrus ille Martyr quum è Possiaceno illo conventu Tigurum ad suam stationem rediisset. Mox illum sequutus est Wolfgangus Musculus, & hunc rursus Andreas Hyperius, veluti percutientis Dei manu alternatim à Septentrione ad Meridiem sese convertente. Siquidem Philippus in Saxonia, Hyperius in Hassia, reliqui duo apud Helvetios sunt mortui, quales eheu, & quanti pretii homines? Leniebat tamen omnes istas calamitates superstes Joannes Calvinus, ille vere magnus, & [illegible], quo salvo damna illa quamvis maxima, tamen multo sane fiebant leviora. Et ecce, illum quoque nobis peccata nostra anno superiore eripuerunt, in quo quantam jacturam fecerit Ecclesia nemo possit æstimare, nisi qui illius laborum testes præsentes fuerunt. Quid enim vir ille non effecit? Quis in concionibus, in prælectionibus, in scriptionibus cum illo comparandus? Quis illo in docendo brevior, simul & solidior, in expediendis nodis felicior, in reprehendendo vehementior, in consolando suavior, in confutandis erroribus certior? Quod dico scio fore ut partim rideant nonnulli Epicurei (quidni enim rideant servum, quibus Dominus ipse est ludibrio?) partim etiam stupidi illi & stolidi homines contemnant, quibus nihil sapere summa est sapientia. Hoc tamen scio, nullum esse inter ipsos Dei hostes callidiores, qui non idem atque ego tacitus apud se existimet. Habet & laudat apud Antichristianos suum patronum unaquæque factio, idque non sine aliorum dedecore. Absit à nobis ista non tantum stulta, sed etiam profana ambitio. Nec Cepham, nec Paulum, nec Apollo jactamus. Una nobis nota est lingua Canaan, unus est Dominus per quem juramus. Sed quum diversæ sint ejusdem corporis membrorum functiones, manibus & pedibus

præ-

præferimus oculos; & quum plures sint tanti corporis oculi, alios alus perspicaciores esse sentimus: Deum autem in singulis hujus corporis partibus laudamus & adoramus. Sit igitur hæc laus in solidum Domini & Dei nostri, cui sane propria quadam ratione deberi Calvinum qui non sentit, nihil sentit. Sed quorsum hæc? Nempe hæc est horum cælestium bonorum suavitas, ut vel sola sui recordatione vehementissime tum prosint, tum etiam oblectent. Hinc illa exemplorum in utramque partem virtus: nec alius est historiæ præsertim sacræ finis ac scopus, quam ut dum illam legimus, non aliter afficiamur, quam si res ipsas præsentes intueremur. Itaque in isto dolore, quo ex tanti viri obitu affici necesse est tum omnes vere pios ac bonos, tum vero maxime quotcunque quotidianos fructus pene incredibiles ex ejus præsentia, singulari doctrina, & vere admirabili prudentia percipiebant, duæ res potissimum nos solari debent: una, quod recentibus & quidem pulcherrimis ipsius tum dictorum tum factorum exemplis non mediocriter adjuvemur, donec & ipsi confecto nostræ navigationis cursu in eundem portum provehamur; altera quod nemo unus nostra memoria extitit, cui datum sit tam multa tamque exacta relinquere doctrinæ suæ monumenta. Quod si ad unum adhuc & alterum annum nobis tantæ lucis fructum Dominus concessisset, ego quidem non video; quid ad utriusque Fœderis libros perfecte intelligendos potuerit requiri. Supersunt autem libri, quos Historicos vocant, excepto Josua, itemque Jobus, & duo Solomonis libelli, quos suis commentariis non illustravit: quanquam hanc jacturam aliqua ex parte supplebunt Gallicæ ipsius in Jobum, in Samuelem, & primum librum Regum conciones, ita ut sunt ex ipsius ore exceptæ. Nam hoc quoque maximus ille vir erat à Domino consecutus, ut non multo aliter loqueretur quam scriberet. Ex Prophetis, Jesaiam justis commentariis illustravit: in reliquos extant ejus prælectiones, summa diligentia ac fide à duobus & pietate & doctrina eximia præditis Joanne Budæo, magni illius Budæi filio, & Carolo Jonvillæo exceptæ. Sed quominus Ezechielem absolveret præpropera mors obstitit, eo majore Ecclesiæ damno, quod hunc, in extremo præsertim, omnium Prophetarum obscurissimum esse constat; & haud scio quando tandem sit exorturus qui hanc tabellam à tanto Apelle inchoatam absolvat. Cur autem imperfectum hoc opus nihilominus edendum putaverimus, rationem nobis reddendam minime putamus. Cur vero tibi potius quam alii cuipiam consecraverimus, si quis fortasse roget: ingenue dico me hujus quidem consilii authorem illum ipsum habere, cui de rebus suis licuit prout libuit decernere; sed idem quoque quod ille voluit, ultro fuisse maximas & justissimas ob causas facturum. Quas enim ille in te absente tum animi tum corporis summas dotes mirabatur ac plane suspiciebat, earum ego quum & in pace, & in bello totis viginti mensibus fuerim oculatus testis, cur tandem illius judicio non assentirer? Ajebat autem ille se in his librorum suorum præfationibus insistere Pauli vestigiis, qui non alio præcipue consilio in suis Epistolis nominatim aliquos salutaret, quam ut Ecclesiis certos & delectos homines veluti spectandos cæteris proponeret, quorum videlicet exemplis ad veram pietatem & reliquas virtutes inflammarentur. Quam verum autem fuerit illius de te judicium, si vel tui esset pudoris in os laudari, vel fas esset quærere ut in rebus dubiis fieri solet, quam multa & quam certa testimonia proferri possent? Sed alius erit, & spero, de his rebus commodior dicendi locus. Aliud nunc agere malo, & quidem tibi quamvis maximo, minime tamen omnium ambitioso viro jucundius. Malo te quantumvis currentem hortari, generosissime Domine, ut quod agis hoc ipsum agas, id est ut te totum sicut felicissime cœpisti, non tantum ad hæc sacra tum assidue legenda, audienda & meditanda, tum etiam reipsa usurpanda, sed etiam ad Ecclesias justis omnibus rationibus tuæ isti tum dignitati tum animi fortitudini convenientibus, tuendas & conservandas applices. Te unum præcipue ab iis peti qui salva religione se consistere non posse putant, ne ipsi quidem tui & piorum omnium capitales inimici dissimulant. Sed aut ego te non novi, aut ista potius tuas virtutes acuunt quam retendunt. Quæ sit Deo de suis defendendis cura tu ipse optime sensisti, ac etiam animadvertisti. Ipsa te innocentia & integritas adversus omnes criminationes satis defendit. Habes si quisquam tui ordinis alius, intus & in pectore invictum illud præsidium, quod ipsi profani homines murum aheneum vocarunt; bonam conscientiam dico, qua vel una fretus, omnes adversarios facile, mihi crede, superabis. In istis porro certaminibus nihil æque te confirmabit atque diligens Propheticorum scriptorum cum historiis comparatio. Ibi enim demum non, uti homines solent ex aliqua præteritarum rerum observatione, futurarum exitus fallaciter conjiciuntur, non consilia dubia capiuntur, non ex ancipiti illo causarum secundarum concursu exitus impediuntur, sed quasi Dei ipsius consiliis intersis, veras conversionum causas, initia, progressus, exitus intuebere, & eas quidem planas ac perspicue declaratas. Etsi enim habent Prophetæ sua ænigmata, tamen sedulo omnia inter se comparantibus, & idiomatos Prophetarum gnaris, atque adeo cum ipsis prædictionibus conferentibus rerum eventus, omnia sic plana fient, ut velut è cælis humana omnia despicere tibi mox videaris: præsertim fido isto duce fretus, qui te per invia & inaccessa quævis, certo tramite deducat. Neque vero ulla causa est cur ista vel ut vulgaria despiciantur, vel ut rerum jam olim obsoletarum narrationes contemnantur, sicut argutulis hodie quibusdam videtur. Neque enim ut nonnulli putant rerum istarum imperiti, de rebus parvis ac plebejis agunt Prophetæ: sed de maximis illis Monarchiis, quarum hodie nullas similes habemus, de summorum Regum ac Principum statu, de maximarum civitatum & in pace & in bello salute & interitu, sedente pro tribunali magno illo exercituum Deo, in his libris disceptatur ac decernitur. Nec enim eorum temporum Reges quantumvis profani & impii idem factitabant

quod

quod hodie nonnulli, quos adeo pudet os Domini per servos suos loquentis interrogare, ut nihil magis caveant; & fidos Dei servos munere suo fungentes audeant ambitionis accusare. Imo nulla tum gens erat, sicut omnes & sacræ & profanæ historiæ testantur, quæ de rebus gravioribus, inconsultis suis Prophetis, decerneret. Neque quum hæc dico, Verbi ministros in Regum aut Principum, aut ullorum Magistratuum solio colloco, vel quorundam ambitioni faveo: sed dico quod res est, quodque adeo experientia ipsa sero jam probat, ut teipsum, generosissime Domine, in tempore animadvertisse, atque adeo prædixisse memini. Deinde ut de temporibus etiam aliquid dicam, est sane, fateor, mutata eorum ratio: sed idem est Dominus, eadem est ejus providentia, eadem erga suos misericordia, eadem in impios indignatio. Sunt autem ista perpetua & invariabilia, atque adeo firmiora [illegible] principia, quam vel in ipsis Mathematicis inveniantur, quoniam si qua est in rebus, quæcunque tandem illæ sint, firmitas ac constantia, tota à Dei ipsius natura ac voluntate pendet. Harum porro declarationem non tantum universalem, ut in Lege, sed etiam particularem in scriptis Propheticis luculentissimam inveniemus, si modo cum nostris temporibus, & iis de quibus quotidie quæritur, præterita illa comparemus. Exemplum requiris? Annus jam agitur quartus quum indicto illo Possiaceno conventu summam sibi pacem & tranquillitatem Gallicæ Ecclesiæ pollicebantur, ipsique adeo illarum adversarii quo sese verterent non habebant. At noster iste homo Dei, eo ipso tempore suas in Danielem prælectiones iisdem Ecclesiis consecrans, in hæc etiam verba erupit. *Quod si diutius adhuc dimicandum erit (ut vobis denuntio restare duriores quam putatis pugnas) quocunque impetu ebulliat impiorum rabies: atque ut totos inferos concitent: memineritis finitum vobis esse stadium à cælesti agonotheta, cujus legibus eo alacrius parendum est, quia suis vires ad finem usque suppeditat.* Hæc tum ille quam vere spiritu Prophetico, plerisque sibi contraria omnia pollicentibus, denuntiarit; mox consecutæ infinitæ illæ calamitates ostendunt, quarum ne nunc quidem finis apparet. Unde vero ista prædictio, inquies? minime certe ex falsissima illa & profanissima divinatrice Astrologia, quam ex Dei verbo damnabat ille si quisquam alius, sed ex illis ipsis Prophetarum libris, quos tum interpretabatur. Quum enim eadem illa mala in Gallus videret regnare, propter quæ Dominus populum suum durissime castigare, hostes autem suos justis pœnis ulcisci consuevit, quidni eadem impœnitentibus impendere pronuntiaret? Simili ratione Lutherus proximas Germaniæ clades ob verbi Dei contemptum & prospexit, & prædixit, quarum tamen præcipuas causas utinam melius cognovisset. Sic etiam hoc ipso tempore non est difficile animadvertere, quum in Gallis ac præcipue à quibus minime oportuit, non tantum defendantur plus satis omnibus notæ superstitiones, & manifestæ Idolomaniæ, sed etiam apertus Epicureismus, & horrendæ ac omnibus ante seculis inauditæ blasphemiæ impune, audientibus & ridentibus omnibus, tolerentur, quum denique justitiæ & æquitati (frustra positis edictis & legibus) nullus sit relictus locus: quis ita cæcus est, ut non prospiciat horrendas quasdam pœnas illorum scelerum authoribus ac defensoribus, ac fortassis etiam (qua in re utinam sim falsus vates!) toti illi regno imminere? Transibit enim certe potius cælum & terra, quam Dominus hæc inulta (quæ vel ipsi Turcæ exhorrescerent) manere patiatur: & quo diutius hæc pœna differtur, eo gravior suo tempore apparebit. Scio fore ut hæc alii derediant, sicut & Noah ipse derisus est: alii etiam graviter accusent, sicut & Jeremias habitus est vir rixæ. Sed sua nihilominus Deo veritas constabit. Rogo autem illum, generosissime Domine, primum ut & Regiam ipsam majestatem inprimis, sanctis omnibus virtutibus induat, quod etiam aliqua jam ex parte factum, & deinceps futurum omnes sperant & optant. Deinde ut multos tui (quod sine adulatione dictum sit) & paucorum quorundam similes, sancta videlicet illa Spiritus prudentia, & zelo pietatis & justitiæ (quod est R. M. symbolum) ornatos Consiliarios ei attribuat, quorum consilius vitia tam multa serio corrigi, & sancta ac justa gubernatio ex sacro Dei verbo & R. M. authoritate feliciter institui possit. Postremo ut te cum illa tua vere Christiana conjuge, & liberis, generosissimisque tuis fratribus, & sanctis eorum familiis, omnes denique piorum cœtus, secundum Deum & Regiam majestatem, in illustrissimum Principem Condensem, de quo alius (ut spero) nobis dabitur dicendi locus, & in te reliquamque piam ac religiosam nobilitatem respicientes, feliciter stabiliat ac conservet. Genevæ 15. Calend. Februar. M. D. LXV.

CAROLUS JONVILLÆUS

Omnibus vere

CHRISTIANIS LECTORIBUS,

S.

QUanquam ornatissimus ac fidissimus Pastor noster Theoderus Beza, pro singulari qua pollet dexteritate, & felici ingenio nihil omisisse videtur, edita in has prælectiones ad Generosissimum virum & miranda pietate insignem Galliæ Amiralium Præfatione: tamen quæ nunc obiter à me referentur supervacanea non esse judicabunt quicunque paulo attentius, æquisque animis ea legent ac penitus dispicient: quin potius grata & cognitu non inutilia piis omnibus fore confido. Ac primum quidem nullis verbis potest satis explicari quantam fecerit jacturam Ecclesia Dei, quum præstantissimus ille vir & plane divinus Joannes Calvinus parens noster optimus, ex hac vita in æternam quietem receptus est, sive perpetuam vitæ ejus integritatem, sive raram doctrinam eximiæ pietati conjunctam spectes. Ecquis enim morum sanctimonia, incredibili comitate, infracta animi magnitudine, tolerantia singulari, denique summis quibusque virtutibus hominem illum superavit? eruditionem vero admirabilem infinita propemodum ejus scripta palam testantur, quæ partim jam in publicum prodierunt, partim etiam, Deo favente, in lucem maximo piorum omnium commodo, brevi emittentur. Nam permulta adhuc supersunt, quæ vel eo concionante fuerunt excepta, vel ab amicis conservata, cujusmodi sunt epistolæ cum Gallicæ tum Latinæ ad plurimos omnium ordinum homines missæ, ex quibus tandem perspicuum fiet quam acuto & felici ingenio vir ille fuerit præditus, & quam acri sanoque judicio valuerit. Sed hac de re plura hic non dicam, ne extra locum à me commemorari videantur. Satis enim fuerit pauca tantum attingere, quæ ad has prælectiones magis pertinent. Quum 13. Calend. Februar. anni 1563. Ezechielem interpretari in Schola publica cœpisset, quamvis assidue variis, gravioribusque morbis affictaretur, ut sæpe in auditorium, vel sella lignea deferretur, vel conscendere equum cogeretur; ita corpusculi languentis vires conciderant; neque annum integrum violentiæ tot morborum cessisset, quin concionandi ac legendi munere defungeretur: tandem circiter Calend. Febr. anni sequentis, ubi ad finem cap 20. (exceptis quatuor tantum versibus) pervenisset, tum domi manere, & fere semper in lecto decumbere coactus est. Interea dum ægre animam traheret, aliquid tamen perpetuo meditabatur, aut dictabat, atque etiam sæpe scribebat: ut quo tempore domo egredi non licuit per adversam valetudinem, vix credibile sit quam multa confecerit. Inter alia, bonam harum prælectionum partem quam diligentissime emendavit, sicuti constat ex illo manu ejus notato exemplari, quod sedulo à me cum reliquis servatur. Verum nobis omnibus vehementer dolendum est, quod totum Ezechielem morte præreptus explicare non potuerit vir ille in doctrina Prophetarum exercitatissimus. Nam quæ sequuntur Prophetæ hujus vaticinia, Ecclesiæ Dei valde necessaria esse nemo pius ignorat. Quid igitur si ab eo homine fuissent illustrata? Ut autem damnum hoc sarciri quodammodo possit, & quum nonnulli magnæ authoritatis & doctrinæ viri censuerint multo satius esse has prælectiones in lucem edere, quam diutius eas supprimere, ut quæ maximo usui piis omnibus futuræ sint: ego & Joannes Budæus frater omnium mihi charissimus, illorum judicio freti, libenter certe curavimus, nec ullis sumptibus vel impensis nec labori pepercimus, ut primo quoque tempore in publicum prodirent: ac brevi quoque, si Dominus voluerit, curabimus ut à nobis in Gallicum sermonem conversas Galli nostri intelligant: sicuti & prælectiones nostræ in Jeremiam Gallicæ jam ante novem menses factæ typis nunc demum excuduntur: unde nostris illis, qui saltem lingua Latinæ sunt imperiti, magnum adjumentum, ni fallor, adferetur. Ac ne quid omnino in hac editione Latina desideraretur, etiam dedimus operam, ut ex manuscripto exemplari quæ exciderant diligenter sub finem reponerentur. Et quoniam hoc libro ingens quidam rerum thesaurus includitur, à viro doctissimo confectus est copiosissimus Index, cujus velut ductu incredibiles divitias nullo negotio promptum sit inde haurire. Additus est & alter locorum, qui ex Scripturis citantur & explicantur. Cæterum in his prælectionibus postremis excipiendis non alia quidem certe industria, fide & diligentia usi sumus, quam in aliis, quæ jam publice extant. Neque vero opus est hic fusius repetere, quæ alibi satis perspicue exposita sunt de tota quam tenuimus ratione, dum exciperemus quæ D. Calvinus ex tempore pronuntiabat. Superest igitur, optimi lectores, ut tanti viri laboribus nunc fruamini, & quem inde percipietis fructum Deo Opt. Max. acceptum feratis, eique gratias immortales ex animo agatis. Quantus autem fructus ad vos sit ex lectione rediturus, vos ipsi melius ac certius judicabitis, quam multis verbis à me possit explicari. Bene ergo valete, ac vestra omnia studia non alio quam ad Dei gloriam referre sit vobis semper constitutum. Genevæ 15. Cal. Feb. 1565.

Precatio qua D. Joannes Calvinus initio Prælectionum suarum uti perpetuo solebat.

DEt nobis Dominus in cælestis suæ sapientiæ mysteriis cum vero pietatis profectu versari in gloriam suam & ædificationem nostram, Amen.

JOANNES CALVINUS

Piis omnibus Dei cultoribus, qui regnum Christi in Gallia recte constitui cupiunt, S.

ETsi patria vobiscum mihi communi, cujus amœnitas multos ad se exteros ex remotissimis plagis allicit, jam totos viginti sex annos non ægre carui; quod in ea terra habitare minime jucundum esset vel optabile, à qua exulabat Dei veritas, pura religio & æternæ salutis doctrina, à qua etiam profligatum erat Christi regnum, nec me ejus desiderium hodie sollicitat: gentis tamen ex qua oriundus sum oblivisci, & curam abjicere, neque humanum, neque fas esset. Ac me quidem illustribus documentis testatum esse arbitror, quam serio & ardenter cuperem nostratibus prodesse: quibus etiam utilis forte fuit mea absentia, quo uberiores ex meo studio fructus perciperent. Cujus boni æstimatio non omnem solum molestiam mihi abstersit, sed suave reddidit lætumque exilium. Quum itaque continuo illo temporis progressu conatus fuerim publice Gallis opitulari, nec destiterim privatim quoque torpentes excitare, tardos stimulare, trepidantes animare, dubios vel flexibiles hortari ad perseverantiam: danda nunc fuit opera, ne in hoc tam necessario temporis articulo, officium erga eos meum cessaret; cujus præstandi divinitus optima data fuit opportunitas. Nam quum in lucem exirent meæ Prælectiones quibus Danielis Prophetias interpretatus sum, nihil accidere commodius potuit, quam si in hoc speculo vobis demonstrarem, Fratres ex animo dilecti, quum hac ætate variis certaminibus probare vellet Deus suorum fidem, pro admirabili sua sapientia, veteribus exemplis fulciendos curasse eorum animos, ne gravissimis quoque procellis aut tempestatibus concussi unquam labascant: vel saltem, si quando nutare contigerit, ne deficiant ad extremum. Quamvis enim stadium servis Dei propositum sit multis obstaculis impeditum, quisquis librum hunc diligenter evolverit, quicquid voluntario nec ignavo cursori à carceribus ad metam usque dirigendo, aptum est, in eo comprehensum reperiet: boni etiam ac strenui athletæ experimento agnoscent se ad luctam satis esse instructos. Primum occurret historia tristis quidem, sed valde fructuosa, Danielem ejusque sodales, stante adhuc regno & sacerdotio, in exilium fuisse tractos: acsi Deus per ignominiam & probrum extremæ calamitati addiceret præcipuum electi populi florem. Quid enim primo intuitu magis indignum, quam pueros angelicis fere virtutibus præditos, superbo victori tanquam mancipia in prædam cedere, quum domi incolumes manerent sceleratissimi quique & perditi Dei contemptores? Hæccine pietatis & innoxiæ vitæ merces, impiis suaviter ob impunitatem sibi blandientibus, quam illi meriti erant pœnam, Sanctos luere? Verum hic quasi in viva imagine cernimus, Deum ubi pessimis quibusque ad tempus parcit, atque etiam indulget, servos suos instar auri & argenti examinare, ne durum nobis sit, dum placida quiete fruuntur profani homines, in fornacem probationis conjici. Accedet secundo loco exemplum plusquam virilis prudentiæ, & continentiæ singularis, cum animi magnitudine plane heroica, dum aulicis illecebris tentari pii adolescentes in tenera illa ætate, non modo temperantia superant oblatas sibi delitias, sed quia videbant astute se captari, ut paulatim à sincero Dei cultu desciscerent: ut se à Diaboli laqueis extricent, honorem veneno illitum non absque præsenti mortis periculo fortiter libereque aspernantur. Sequetur pugna sævior & magis formidabilis, cum memorabili constantiæ incredibilis exemplo, dum neque atrocibus minis flectuntur Danielis socii, ut statuæ adoratione se polluant, ac tandem non suo tantum sanguine, sed horribili cruciatu, qui oculis erat propositus, parati sunt sincerum Dei cultum vindicare. Quæ vero in hujus tragœdiæ exitu relucet Dei bonitas, ad nos invicta fiducia armandos non parum valebit. Addetur non absimilis Danielis ipsius pugna & victoria eadem, dum leonum truculentiæ objici maluit, quam triduo ab ingenua fidei professione absistere, ne perfida simulatione sacrum Dei nomen prostitueret impiorum ludibriis, & mirabiliter e fovea non secus ac è sepulchro erutus, de Satana ejusque factione triumphavit. Hic non prodeunt in medium Philosophi, qui subtiliter in umbra & otio disserant de virtutibus: sed infatigabilis sanctorum virorum in studio pietatis constantia nos ad eorum imitationem clara voce invitat. Ergo, nisi prorsus simus indociles, ab his Magistris discere convenit, sive blanditiarum laqueos tendat Satan, prudenter ne irretiamur, cavendum esse: sive nos violenter aggrediatur, intrepido mortis & malorum omnium contemptu frangendos esse ejus insultus. Si quis excipiat, rara esse quæ retulimus utriusque liberationis exempla: fateor certe Deum non eodem semper modo ad suos servandos manum è cælis exerere, sed quod nobis satis esse debet, testatum fecit fidum se fore vitæ nostræ custodem, quoties in aliquo discrimine versabitur: nec impiorum libidini nos esse expositos, quin eorum furorem & turbulentos conatus, si ita visum fuerit, compescat. Nec vero eventus tantum spectandus est; sed quam animose sancti viri pro asserenda Dei gloria se morti devoverint: nec quia Dei beneficio erepti sunt, ideo minus laudis meretur prompta eorum voluntas, quum se victimas obtulerint. Jam inter quot agitationes jactatus fuerit Propheta annis septuaginta, quos in exilio transegit, reputare operæ pretium est. A nullo Rege æque humaniter tractatus est atque à Nebuchadnezar; quem tamen expertus est feram bestiam: Aliorum major crudelitas; donec subito interitu Balsazar, & urbis expugnatione, ad novos dominos Persas & Medos traductus est; quorum hostilis irruptio cum omnibus pavorem incuteret, minime dubium est quin perculerit ejus animum. Etsi autem clementer à Dario fuit exceptus, ut servitus illa quodammodo esset tolerabilis: Procerum tamen invidia, scelestaque conspiratione, tunc maxime periclitatus est.

Verum ut de communi Ecclesiæ salute magis erat solicitus, quam privatæ quieti studebat: in quanto mœrore eum jacuisse probabile est; & quanta anxietate fuisse constrictum, cum tam duræ & miseræ populi oppressioni nullum finem ostenderet rerum status? Acquiescebat quidem in Jeremiæ vaticinio: sed ejus spem tamdiu suspensam non languescere, incomparabilis tolerantiæ fuit; imo inter tempestuosos fluctus varie distractam non submergi. Nunc ad Prophetias venio: quarum priores destinatæ fuerunt Babyloniis, partim quia Deus servum suum certis insignibus ornare voluit, quæ gentem superbissimam & victricem, ipsum revereri cogerent; partim quia oportuit nomen ejus apud profanos veneratione dignum censeri, ut authoritate præditus, apud suos munus propheticum liberius exerceret. Postquam vero celebre apud Chaldæos fuit ejus nomen, prophetias majoris momenti Deus apud ipsum deposuit, quæ peculiares essent electo populo. Porro sic eas Deus accommodavit in usum veteris populi, quæ & dolorem lenirent opportunis remediis, & vacillantes animos ad Christi usque adventum sustentarent: ut nostræ quoque ætatis non minorem habuerit rationem. Nam quod de fluxo & evanido Monarchiarum splendore & perpetuo regni Christi statu prædictum est, hodie non minus est utile cognitu, quam olim. Ostendit enim Deus omnem terrenam potentiam, quæ in Christo fundata non est, caducam esse: regnis vero omnibus, quæ se nimium efferendo, Christi gloriam obscurant, brevem interitum minatus est. Qui nunc longe lateque dominantur Reges, nisi ultro se Christi imperio subjiciant, tristi experientia tandem sentient ad se quoque pertinere horribile illud judicium. Et quid minus tolerabile, quam eum fraudare jure suo, cujus præsidio salva manet eorum dignitas? Atqui videmus quam pauci ex eorum numero, Dei Filium admittant: imo ut omnes moveant lapides, atque extrema quæque potius tentent, quam sinant in suos fines penetrare. multi etiam Consiliarii totam suam industriam & studia ad claudendos omnes aditus sedulo conferunt. Quod vero interea & nomen Christianum obtendunt, & se fidei Catholicæ optimos defensores jactant, nullo negotio refellitur tam frivola vanitas, si tenetur vera & genuina regni Christi definitio. Non enim aliud est ejus vel solium, vel sceptrum, quam Euangelii doctrina, nec alibi refulget ejus majestas, nec aliter imperium suum obtinet, quam ubi omnes à summis ad infimos placida docilitate instar ovium vocem ejus audiunt, & quocunque vocet, sequuntur. Doctrinam hanc, qua continetur certa religio atque legitimus Dei cultus, in qua æterna hominum salus & vera felicitas consistit, non modo passim repudiant: sed minis, terroribus, ferro, flammaque procul abigunt; nec quicquam omittunt violentiæ ad eam exterminandam. Quænam vero cæcitas, & quam prodigiosa, ut quos ad se comiter invitat unigenitus Dei Filius, non sustineant ipsum osculari? Sed multi pro sua superbia, scilicet, existimant se in ordinem cogi, si summo Regi fasces submittant: alii suas libidines frænari nolunt. atque ut omnium sensus occupat hypocrisis, tenebras appetunt, & in lucem protrahi formidant. Nulla tamen pestis deterior, quam Herodis metus: quasi terrena imperia raperet Monarchis, qui minimis quibusque & contemptissimis ex plebe hominibus cæleste offert. Adde quod dum alii alios respiciunt, mutua colligatio exitiali nexu omnes devinctos retinet sub impietatis jugo. Nam si serio in animum inducerent quid verum sit ac rectum sciscitari, imo si tantum aperirent oculos, non obscura esset cognitio. Sed quia usu fere compertum est, ubi emergit cum Euangelio suo Christus, simul graves motus oriri, honesto prætextu rejiciunt cælestem doctrinam, ut publicæ tranquillitati consulant. Merito, fateor, odiosa censeri potest quæ turbas gignit mutatio: sed gravis Deo fit injuria, nisi hoc saltem defertur ejus virtuti, ut qualescunque ferveant tumultus, illis sedatis, regnum Filii sui stabiliat. Quamvis cælum terræ misceri contingat, pretiosior est Dei cultus quam ut ulla mercede pensetur minima ejus diminutio. Sed falsâ invidia gravant Euangelium, qui perturbationum materiam esse fingunt. Verum quidem est, Deum illic oris sui vehementia tonare, quæ concutiat cælum & terram: sed dum hoc elogio gratiam illius prædicationi conciliat Propheta, felix & optanda est illa concussio. Et certe, si non eminet in suo gradu Dei gloria, donec humilietur universa caro, superbiam hominum, quæ se contra attollit, nec unquam cedit nisi invita, forti & valida Dei ipsius manu prosterni necesse est. Quod si ad Legis promulgationem contremuit terra, *Exod.* 19: 18. nihil mirum si vis & efficacia Euangelii splendidior appareat. Quare eo suavius decebat amplexari doctrinam, quæ dum mortuos ab inferis excitat, & indignis quos terra sustineat, cælum aperit, insolitam virtutem exerit: acsi elementa omnia saluti nostræ subscriberent. Ecce autem ex alio fonte manant procellæ & tempestates: quia nunc Proceres & qui in mundo excellunt, non libenter subeunt Christi jugum; nunc imperitum vulgus, antequam gustum capiat, quicquid salutare est, respuit; pars etiam in sordibus, porcorum instar, se oblectat; alii tanquam à Furiis perciti, per cædes grassantur. Præcipuo autem furore ad omnia turbanda Diabolus instigat quos habet sibi prorsus mancipatos. Hinc clangor tubarum. hinc conflictus & prælia, dum Heliogabalus Romanus Sacerdos cum rubra sua & sanguinaria cohorte & cornutis bestiis præcipiti impetu contra Christum insanit, & undique accersit suppetias ex fœtidi Cleri sui colluvie, quæ tota, & si non paribus lautitiis, offas tamen quibus pascatur, ex eadem olla profectas sorbet: multi quoque famelici ad conducendas operas advolant. magna pars Judicum, quæ dudum Saliaribus epulis ventrem farcire consuevit, pro culina & foco pugnat: præsertim vero rabulas ex claustris Monachalibus & Sorbonicis lustris emittit; qui tanquam flabella ignem accendant. Omitto clandestinas artes & nefandas conspirationes, quarum mihi testes optimi esse possent qui infestissimi sunt pietatis hostes. neminem nomino: satis est digito monstrasse qui satis superque vobis noti sunt. In hac confusa tot bestiarum irruptione si perplexi hæreant qui pendent à multiplici rerum eventu, nihil mirum est: sed diffidentiæ suæ culpam injuste & perperam rejiciunt in sacrum Christi Euangelium. Demus totum Acheronta cum suis Furiis jam ad prælium descendere:

dere: an Deus in cælis otiosus sedebit, ut causam suam deserat & prodat? atque ubi se opposuerit: an ejus victoriam impedient quamlibet versutæ hominum astutiæ, vel impetuosi conatus? Papa, inquiunt, longam factionem secum trahet: justa incredulitatis merces, trepidare ad strepitum folii cadentis. Quid vos autem male providi Consiliarii? Facessat Christus, ne quid turbet novitas. Paulo post ergo sentietis quanto satius fuisset Deum habere propitium, & spretis nihili terroribus in ejus præsidio conquiescere, quam eum aperto bello lacessere, ne malos & sinistros genios ad iram provocetis. Certe ubi omnia discussa fuerint, Papæ defensoribus, superstitio quæ hactenus regnavit, nihil aliud est quam malum bene positum: quod movendum esse non censent, quia sine jactura non posse fieri videtur. Quibus vero cordi est Dei gloria, & qui sincera pietate sunt prædíti, longe aliud propositum esse debet: nempe ita suam operam Deo impendere, ut eventus omnes ejus providentiæ commendent. qui si nihil nobis esset pollicitus, forte justa esset timendi & assidue vacillandi causa: sed cum toties sit testatus nunquam auxilium suum in asserendo Christi sui regno defore, in hac fiducia recumbere, unicum est recte agendi compendium. Porro vestrum est, optimi fratres, quantum feret cujusque facultas, & vocatio postulabit, cordate satagere ut vera religio integrum statum recuperet. Quantopere hactenus conatus sim omnes tumultuandi ansas præcidere, referre necesse non est: modo coram summo Judice, Angelos & vos omnes habeam testes, per me non stetisse, quo minus sedatos absque ulla noxa progressus ageret Christi regnum. Et aliquid mea sedulitate profectum esse arbitror, ne suas metas transilirent privati homines. Nunc etsi admirabili virtute longius Ecclesiæ suæ restitutionem provexit Deus quam ausus fuissem sperare, memoria tamen repetere convenit quid suis præcipiat Christus, *Luc.* 21: 19. nempe ut animas suas in tolerantia possideant. Quo etiam pertinet quæ à Daniele exposita fuit visio: Lapidem, à quo contrita sunt quæcunque Deo bellum intulerant regna, non fuisse hominum manu formatum; & quamvis rudis esset ac impolitus, crevisse tamen in magnum montem. Cujus rei vos monendôs esse duxi, ut inter minarum tonitrua placide expectetis, dum inanes nebulæ cælesti virtute discussæ evanescant. Nec vero me latet, ut de innumeris triginta annorum ignibus taceam, quantas indignitates his postremis sex mensibus pertuleritis: quoties pluribus in locis à tumultuosa plebe facta in vos fuerit irruptio; quoties fueritis impetiti nunc lapidibus, nunc gladiis: ut insidiati fuerint hostes, quo pacatos vestros conventus subita vi & inopinata opprimerent, ut occisi fuerint alii in ædibus suis, alii in compitis, tracta per ludibrium mortuorum corpora, raptatæ mulieres, plurimi vulnerati, gravida etiam mulier cum suo foetu transfossa fuerit, ædes effractæ ac dirutæ. Verum quamvis atrociora adhuc instarent, ut vos probetis Christi discipulos, probeque in ejus schola formatos, danda opera est, ne ulla impiorum rabies, dum ita intemperanter feruntur, moderationem qua sola hactenus victi fractique fuerunt, excutiat. Quod si tædium vobis afferat diuturnitas, subinde in mentem redeat celebre illud vaticinium, in quo ad vivum Ecclesiæ conditio depicta est. Ostendit quidem tunc Prophetæ suo Deus quæ certamina, anxietates, molestiæ, discrimina Judæos manerent à fine exilii lætoque in patriam reditu usque ad Christi adventum: sed facit temporum similitudo, ut nobis eadem conveniant, ac proinde aptanda sint in usum nostrum. Miseræ Ecclesiæ, quæ diu profundo malorum diluvio submersa fuerat, gratulabatur Daniel, quum ex annorum supputatione colligeret, instare liberationis diem à Jeremia prædictum. *Jerem.* 25: 12. & 29: 10. Atqui responsum accipit, acerbiorem fore populi sortem ex quo reddita fuerit libertas, ut à continua ingentium malorum serie vix respiret. Non sine summa doloris amaritudine & multis fastidiis spem suam protexerat annis septuaginta: nunc Deus tempus septuplicando, lethale quodammodo vulnus cordi ejus penitus infligit. Nec vero tantum pronuntiat populum, ubi postliminio reversus vires collegerit, urbemque & templum extruxerit, novis postea molestiis fore obnoxium: sed inter ipsa lætitiæ primordia, vix dum gustata gratiæ suavitate, anxietati eum addicit. Jam calamitates quæ paulo post sequutæ sunt, quarum multiplex illic texitur catalogus, quum ad solum auditum nunc expavescamus, quam putamus rudi populo lugubres fuisse & acerbas? Templum videre profanatum sacrilegi tyranni audacia, sacra probrose mixta foedis inquinamentis, libros omnes Legis in ignem conjici, ut tota religio aboleretur, quam horribile spectaculum? Ad idem incendium raptari quicunque ingenue constanterque profitebantur se perstare in Dei cultu, qui poterant teneri & debiles sine ingenti consternatione aspicere? Et hoc erat consilium tyranni, ut immanitas ad defectionem minus cordatos adigeret. Sub Machabæis quædam visa est relaxatio offerri, sed quæ mox sævissimis cladibus deformata, nunquam luctu & moerore caruit. Nam cum hostis & copiis & omni bellico apparatu longe præcelleret, nihil potius fuit omnibus qui pro defensione Ecclesiæ, arma sumpserant, quam se abdere in ferarum lustra, aut vagari per sylvas in summa egestate, rerumque omnium inopia. Accessit aliud genus tentationis, quod se improbi & perfidi, fallaci zeli jactantia, ut dicit Daniel, Judæ & ejus fratribus adjunxerunt: quo artificio Satan infamia aspersit manum à Juda collectam, acsi latrunculorum esset turba. Sed bonis nihil magis luctuosum, quam dum Sacerdotes ipsi, prout quemque rapiebat sua ambitio, nefariis pactis templum & Dei cultum prodiderunt. Nec modo venalis fuit sacra illa dignitas: sed empta mutuis cædibus, atque etiam parricidiis. Hinc factum, ut omnium ordinum homines, quamvis Circumcisio & sacrificia in usu suo manerent, corruptelis ita passim & impune grassantibus, tandem profanescerent: ut rarum fuerit miraculum, quo tempore apparuit Christus regnum Dei expectare. Paucissimi enim hac laude insigniuntur. Si in illa indigna Ecclesiæ deformitate, in multis dissipationibus, inter diros terrores, agrorum vastationem, ædium direptiones, mortis pericula, pios animos sustinuit Danielis vaticinium, quum adhuc obscuris umbris implicita esset religio & doctrina fere extincta, & Sacerdotes ipsi, ut erant degeneres, sacra omnia pessundarunt: quam

pudenda

pudenda erit nostra mollities, nisi hæc Evangelii claritas, in qua Deus paternam faciem nobis ostendit, sursum nos supra omnia obstacula attollat, constantiaque infatigabili fulciat? Sicuti enim dubium non est quin tunc servi Dei, quæ de exilio Babylonico à Prophetis dicta erant ad suam ætatem accommodarint leniendo præsentium malorum dolori: ita nostrum est oculos habere defixos in Patrum miserias ac refugiamus ad eam Ecclesiam aggregari, cui dictum est, *Jesa.* 54: 11. Paupercula, tempestate obruta, & solatio privata, ecce ego te suscipio; & quæ alibi, *Psal.* 129. cap. 1.2.3 4. postquam conquesta est dorsum suum fuisse laceratum ab impiis, non secus atque ager sub fulci tractu proscinditur, gloriatur tamen continuo post incisos fuisse illorum funes à Deo justo, ut non prævaluerit. Nec vero illorum modo temporum exemplis ad spem & patientiam nos animavit Propheta: sed exhortationem à Spiritu dictatam, quæ ad totum Christi regnum extenditur, nobisque propria est, adjunxit. Quare nobis durum non sit in eorum numero comprehendi, quos igni probatum iri denuntiat ut dealbentur, cum omnes crucis molestias satis superque compenset inæstimabilis felicitas, & gloria, quæ inde nascitur. Ac quanquam hæc plurimis sunt insipida, ne eorum socordia & stupor nos segniores reddat, probe cordibus infixum sit quod mox denuntiat Propheta, impios impie quidem acturos, quia nihil intelligent: filios tamen Dei intelligentia fore præditos, ut rectum divinæ vocationis cursum teneant. Fontem quoque brutæ illius cæcitatis, quæ vulgo cernitur, tenere operæ pretium est, ut nobis cælestis doctrina sapiat. Neque enim aliunde fit ut Christum cum suo Evangelio major pars vilipendat, nisi quod secure sibi indulgendo, neque timore ullo, nec malorum suorum sensu, nec iræ Dei horrore expergiscuntur ad serio ardenterque appetendam, quæ sola nos ab æterni interitus abysso eripit, redemptionem. Interea vero delitiis, voluptatibus, & aliis illecebris capti, vel potius fascinati, nulla tanguntur beatæ æternitatis cura. Etsi autem multiplices sunt eorum sectæ, à quibus Evangelii doctrina contemptim despicitur, ac in aliis magis eminet superbia, in aliis mollities, in aliis quædam mentis ebrietas, in aliis somnolentus torpor: reperiemus tamen, ex profana securitate manare contemptum, quia nemo in seipsum descendit ad excutiendas suas miserias, ut illis remedium quærat. Prodigiosa quidem dementia est, ubi nobis incumbit Dei maledictio, justaque ejus vindicta nos urget, excussa omni solicitudine nobis adhuc placere, acsi nihil esset metuendum. Atqui vitium plus quam commune est, ut qui millies rei sunt, dignique mille æternis mortibus, frivolis ceremoniis erga Deum leviter defuncti, soporem, vel potius veternum, sibi obducant. Porro cum denuntiet Paulus, 2 *Cor.* 2: 16. mortiferum esse Evangelii odorem omnibus quorum mentes Satan fascinavit: ut saporem ejus in vitam gustemus, necesse est ad Dei tribunal nos sistere, & illuc subinde citare nostras conscientias, quibus serio terrore vulneratis, reconciliatio, quam pretioso suo sanguine nobis Christus peperit, pro sua dignitate & pretio à nobis æstimetur. Itaque Angelus, ut Christi doctrinæ reverentiam & authoritatem conciliet, concionatur de æterna justitia, quam mortis suæ sacrificio obsignavit: modum & rationem simul exprimens, quia deleta fuerit ac expiata iniquitas. Nos ergo, cum mundus in suis lasciviis bacchatur, damnationis quam meriti sumus cognitio expavefactos coram Deo humiliet: ac dum se profani homines terrenis delitiis ingurgitant, cupide amplexemur hunc incomparabilem thesaurum, in quo recondita est solida beatitudo. Garriant hostes nostri ut libuerit, sibi quoque curæ esse ut Deum habeant propitium: cum non nisi dubitanter invocandum esse sentiant, quod erat salutis fundamentum ab illis everti constat. Fidem nostram qua volent petulantia insectentur, modo nobis liquido constet, neminem nisi ejus beneficio hanc prærogativam consequi, ut libere pacataque fiducia Christi patrocinio fretus Deum patrem invocet. Verum nunquam vigebit ut par est, in nobis pietatis studium, donec mentes nostras, quæ alioqui in terram nimis propensæ sunt, sursum attollere discamus, easque in continua cælestis vitæ meditatione exercere. Qua in parte se prodit mira humani generis vanitas, quod cum omnes de hujus vitæ brevitate quasi Philosophi præclare loquantur, nemo tamen ad illam perpetuam aspirat. Itaque non abs re Paulus Colossensium fidem & charitatem commendans, eos per spem animari dicit: quæ in cælis reposita est. *Col.* 1: 5. Alibi vero *Tit.* 2: 12. 13. de fine gratiæ disserens, quæ nobis in Christo patefacta est, dicit nos inde erudiri, ut abnegata omni impietate, mundanisque desideriis, sobrie, juste & pie vivamus in hoc mundo, expectantes beatam spem & adventum gloriæ magni Dei, & Salvatoris nostri Jesu Christi. Hæc igitur expectatio impedimentis omnibus solutos ad se nos rapiat: & quo magis Epicurea tabe refertus est orbis, ne ad nos usque serpat contagio, eo acrius eniti nos decet, donec ad metam pertigerimus. Porro etsi dolendum est, tantam turbam ultro perire, quod tamen in suum exitium quasi devoti ruunt, ne nos conturbet vesanus eorum furor, succurrat altera Danielis admonitio, salutem certam omnibus repositam esse qui inventi fuerint scripti in libro. Quamvis autem in arcano Dei consilio, quæ prima est salutis nostræ causa, electio abscondita sit, quando tamen omnium qui in Christi corpus fide Evangelii inserti sunt minime dubia est adoptio, hoc testimonio contenti strenue in cursu feliciter incepto pergite. Quod si diutius adhuc dimicandum erit (ut vobis denuntio restare duriores quam putatis pugnas) quocunque impetu ebulliat impiorum rabies, atque ut totos inferos concitent, memineritis finitum vobis esse stadium à cælesti agonotheta, cujus legibus eo alacrius parendum est, quia suis vires ad finem usque suppeditat. Quando autem mihi fas non est stationem in qua me Deus manere voluit, deserere: hic meus labor vobis dicatus, mei ad vos adjuvandos studii pignus sit, donec completa mea peregrinatione, cælestis Pater pro immensa sua misericordia in æternam hæreditatem simul vobiscum me colligat.

Dominus vos gubernet Spiritu suo, fratres ex animo mihi charissimi, tueatur suo præsidio contra omnes hostium machinas, invictaque virtute sustineat. Genevæ, 14. Calend. Septemb. M.D. LXI.

JOAN.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN JEREMIAM.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

POstquam expositis duodecim Prophetis minoribus, pervenimus tandem ad finem Danielis, jam suscepi librum Jeremiæ explicandum, modo tamen vita suppetat, & detur otium. Quod si per Dei gratiam otium dabitur, restabit unus ex Prophetis Ezechiel, cui utinam contingat magis idoneus interpres, ut spero. Quantum ad Jeremiam pertinet, hoc primo observatu dignum est, cœpisse fungi Prophetæ officio, regnante Josia, & quidem anno decimo tertio regni ejus. Nam etsi Rex ille sincerus erat Dei cultor, tamen res tunc valde confusæ erant. Perierat enim liber Legis. Ita poterat quisque pro sua libidine fingere multos impios errores. In tanta licentia minime dubium est, quin multi homines turbulenti conati fuerint pervertere Dei cultum, & puram doctrinam: & quisque sibi fabricatus sit multas nugas. Nam si vellent Sacerdotes recte docere, tota eorum scientia pendebat ex Lege. Etsi autem probabile est, non protsus fuisse abolitam ejus memoriam, tamen restabant duntaxat quædam fragmenta, ut certo colligere non possent, qualis ratio Ecclesiæ gubernandæ
2 Chr. 34. divinitus fuisset tradita. Nam refertur in sacra histo-
vers. 15. ria, librum fuisse repertum anno decimo octavo Josiæ. itaque à toto quadriennio jam docere cœperat Jeremias, imo quinquennio. Hoc autem exemplum satis demonstret quanta sit hominum incuria & se-
Deut. 17. gnities in studio pietatis. Jusserat Deus per Mosen
vers. 18. non tantum sancte & diligenter servari in Templo, Legis exemplar, sed etiam apud ipsos Reges:
Deut. 31. deinde additum fuerat præceptum, ut festis solenni-
vers. 11. bus recitaretur tota Lex populo. Sed postquam Reges cœperunt desciscere à vero Dei cultu, nullum apud eos extitit Legis exemplar. Tandem etiam Lex ipsa prorsus intercidit. Nec dubium est, quin hoc acciderit per tyrannidem Regis Manasse, qui crudeliter sævIit tam in Sacerdotes, quam in reliquos Dei servos. Ubicunque enim micabat tantum aliqua scintilla pietatis, erat intentus ad cædes, ita ut flueret sanguis per totam Jerosolymam, quemadmo-
2 Reg. 21. dum testatur sacra historia. Non mirum igitur est,
vers. 16. si ex Templo ipso rapuerit quæcunque palam extabant Legis exemplaria, ut omnem veræ doctrinæ memoriam extingueret. Tamen repertus fuit liber qui latuerat à Sacerdote Helkia, ut etiam illic refertur. Hoc primo notandum fuit de temporis exordio. Quum enim religio sic esset corrupta, & cuique pro arbitrio liceret fabricare varios errores, difficile & arduum munus sustinuit Jeremias. Deinde finis etiam spectandus est. Dicit se à tempore illo prosequutum esse munus prophetandi usque ad transmigrationem. Ergo perrexit annis quadraginta in suo cursu. Jam quam dura certamina obeunda illi fuerint videmus in progressu. Sed etiam si populus magis fuisset docilis, non potuit tamen exequi quod Deus injunxerat sine maximo dolore, & simili etiam tædio. Videbimus enim paulo post qualis fuerit doctrinæ summa, quam perferre jussus est. Ergo quum per continuos quadraginta annos assiduus fuerit in hoc labore, hinc perspicimus quam heroico spiritu fuerit præditus. Cæterum, si expendimus quantæ tempestates excitatæ fuerint, quæ eum dejicerent è gradu, imo abstraherent prorsus à recta via, hinc clarius fulgebit invicta constantia animi & zeli ipsius, quod tamen non destitit prosequi officium illud sibi injunctum. Simul etiam notandum est, postquam excisa fuit urbs, & incolæ Jerusalem traducti fuerunt in exilium Babylonicum, non tamen tunc cessasse Jeremiam. Tractus enim fuit in Ægyptum, ut colligere promptum est ex fine libri, præsertim ex cap. 44. imo ipse per vim illuc abreptus fuit, quum tamen maledixisset omnibus Judæis, qui latebras sibi in Ægypto quærebant. dum coactus est ipse quoque illuc proficisci, poterat hoc multum diminuere ex ejus auctoritate, quemadmodum scimus impios undecunque arripere ansam maledicendi; erat aliquis speciosus color, Hic scilicet maledixit omnibus qui in Ægyptum proficiscebantur: atqui nunc ubi habitat? in Ægypto cum aliis transfugis. nec dubium est, quin his ludibriis concussa fuerit fides sancti viri, quia seculis omnibus proterva fuit impietas. Illic ergo, etiam post urbem excisam, Jeremias peregit cursum suum. Et fieri potest, ut ultra annos quinquaginta incubuerit in munus ac laborem docendi. Dicunt fuisse lapidibus obrutum: & hoc verisimile est, quia non minus acriter tunc invectus fuit in Judæos qui transfugerant in Ægyptum, quam adhuc salva urbe. atqui tunc desperatio ipsos stimulabat in rabiem. Hinc factum est ergo, ut sanctum Prophetam occiderent: & putabant hoc sibi fas esse, quoniam insultabat eorum miseriis. sed studebat pervicaciam corrigere, quæ erat indomabilis: hoc ipsi non reputabant. Jam venio ad summam libri. Quoniam Jesaias, & reliqui ejusdem ætatis operam magna ex parte luserant, Jeremiæ nihil fuit residuum, nisi ut breviter hanc sententiam proferret, Jam nullum esse veniæ locum, sed instare tempus ultimæ vindictæ, quoniam nimis diu abusi fuerant Dei tolerantia, qui eos sustinuerat, qui comiter, imo blande eos hortatus fuerat ad pœnitentiam, & testatus fuerat se fore exorabilem & propitium, modo se in viam reciperent. Quoniam ergo Dei clementia contemptui apud ipsos fuerat, oportuit Jeremiam quasi fulminare adversus tam perditos, & tam deploratæ pervicaciæ homines. Hoc igitur fuit præcipuum in doctrina ejus, Actum esse de regno & sacerdotio, quoniam Judæi toties, & tam diversis modis, & tam longo tempore provocaverant iram Dei, & respuerant sanctas admonitiones servorum ejus. Minatus est etiam Jesaias suo tempore: sed videmus semper mitigandis terroribus aliquam spem veniæ fuisse additam, quoties asperius loquutus erat. at

quum abductæ essent in exilium decem tribus, quum afflictum esset regnum illud, & tamen non resipiscerent Judæi, sed magis ac magis obdurescerent adversus Dei ferulas, necesse fuit, quemadmodum jam dixi, ipsum magis præcise cum illis agere. Deus litigaverat per Jesaiam, & alios Prophetas: per Jeremiam & Ezechielem reos peregit Judæos, & protulit sententiam damnationis. Hoc discrimen notandum est inter formam doctrinæ, quæ habetur apud Jesaiam & apud hunc Prophetam nostrum. Interea tamen, ne mutila esset doctrina, voluit Deus Jeremiam esse præconem gratiæ suæ, & promissæ in Christo salutis. Tamen hæc exceptio tenenda est, quod nullam misericordiæ spem obtulerit, nisi postquam pœnas luissent suorum scelerum. Tenemus igitur nunc quid præcipue docuerit Jeremias. Sed omnia melius & magis distincte cognoscere poterunt Lectores ex continuo tenore. Ego etiam nunc non tracto in genere quid quærendum sit in Prophetis. nam hoc argumentum alibi videor expedisse. Dico igitur simpliciter Jeremiam fuisse à Deo missum, ut populo ultimam cladem prædiceret: deinde ut concionaretur de futura redemptione: sic tamen, ut interponeret semper exilium septuaginta annorum. Nunc venio ad ipsa verba.

CAPUT PRIMUM.

Verba Jeremiæ filii Helkiæ, ex Sacerdotibus qui erant in Anathoth, in terra Benjamin.
2. Nempe (אשר *explicative hic ponitur*) fuit sermo Jehovæ ad ipsum in diebus Josiæ filii Amon Regis Jehudah, decimo tertio anno regni ejus.
3. Et fuit (*hoc est, perrexit in cursu vocationis suæ*) diebus Joakim filii Regis Jehudah usque ad complementum undecimi anni Zedechiæ filii Josiæ Regis Jehudah ad transmigrationem Jerusalem, mense quinto.

Dixi non frustra hic præfigi tempus quo cœpit Jeremias fungi Prophetæ officio in Ecclesia Dei, nempe quia status populi valde corruptus erat, tota religio vitiata ob perditum librum *Legis*. Neque enim alibi petenda erat regula colendi Dei, neque aliunde etiam poterat sumi recta intelligentia quam ex illo fonte. Quum ergo jam longa consuetudine impietas regnum occupasset apud Judæos, tunc repente emersit Jeremias. Ergo onus gravissimum impositum fuit ejus humeris: quia fieri non poterat, quin surgerent ex adverso multi hostes, quum vellet populum reducere ad puram Legis doctrinam, quam tunc major pars pedibus superbe calcabat. Vocat *se filium Helkiæ*. Existimant Judæi hunc
2 Chr. 34. vers. 15. esse Helkiam Sacerdotem, à quo repertus fuit liber Mosis, quinquennio post. Sed mihi non est verisimile. Suspicio etiam Hieronymi valde frivola est, quia ex voce נער, quam paulo post subjiciet Propheta, colligit fuisse puerum, quum cœpit prophetare: quasi vero non se puerum metaphorice appellet. Quoto ætatis suæ anno vocatus fuerit ad munus Propheticum, nescitur: tamen credibile est, tunc fuisse stata vel media ætate, quoniam opus fuit auctoritate non vulgari: deinde si fuisset puer, certe non tacuisset de tanto ac tam insigni miraculo, quod scilicet fuisset creatus Propheta ante justam & maturam ætatem. Quantum ad patrem spectat, non mirum est si Judæi transferunt hoc nomen ad summum Sacerdotem. Scimus enim ut semper rapiantur ad suas inanes jactantias. Quum igitur ambitio sensus eorum occupet, hinc factum est ut dixerint Jeremiam esse filium summi Sacerdotis, nempe quo splendidior esset ejus conditio. Sed quid ipse Propheta? Testatur quidem se fuisse filium Helkiæ, sed non dicit illum fuisse summum Sacerdotem: imo adjicit, *Ex Sacerdotibus qui erant in Anathoth, in terra Benjamin.* Scimus autem fuisse nobilem viculum, non procul ab Jerosolyma: & exprimit etiam Jeremias *fuisse in tribu Benjamin situm.* Propinquitas Jerosolymæ colligitur ex Jesaiæ verbis,
Jesa. 10. vers. 30. quum dicit pauperculam Anathoth fuisse territam. Minatur Jerosolymæ, quoniam scilicet immineat hostis: & dicit, Qualis est vestra securitas? nam potestis audire hostium clamorem, & gemitus fratrum vestrorum ex portis vestris. Anathoth enim non procul à vobis distat, nempe tribus milliaribus duntaxat. Quum ergo Jeremias simpliciter dicat se oriundum fuisse ex oppido Anathoth, cur fingemus ipsum fuisse filium summi Sacerdotis? Et nugatorium est quod Chaldæus paraphrastes etiam addit, nempe possessiones Helkiæ fuisse in oppido Anathoth. Quasi vero Sacerdotibus permissum fuerit agros possidere: tantum quod sufficeret alendis ipsorum pecudibus Deus concessit. Hoc igitur sumamus quod certum est & caret omni controversia, deinde quod elicitur ex Prophetæ verbis, nempe fuisse oriundum ex vico Anathoth. Interea affirmat se fuisse *ex genere Sacerdotali*. Ergo potuit munus Propheticum in ipsum competere rectius, quam in multos alios Prophetas, sicuti in Amos, vel in Jesaiam. Jesaiam Deus extraxit ab aula. Erat enim ex sanguine regio, & illum constituit Prophetam. Idem diversa ratione factum est in Amos. Ex caulis enim fuit eductus, quum esset homo pecuarius. Quum Deus tales Prophetas Ecclesiæ suæ præfecit, haud dubie exprobrare voluit Sacerdotibus suam ignaviam. Etsi enim non omnes Sacerdotes erant Prophetæ, tamen debebant hinc sumi: & ordo Sacerdotalis fuit quasi seminarium Prophetarum. Quum autem crassa esset in illis inscitia & ruditas, Deus aliunde sibi Prophetas elegit, & ita detexit ac traduxit illorum ignominiam. Debebant enim esse Angeli Dei exercituum, custodia Legis in labiis eorum, ut ipsam exquireret populus ex eorum ore, sicuti apud Malachiam dicitur. Quum ergo essent muti Malach. 2. vers. 7.
canes, Deus transtulit honorem Prophetici muneris ad alios. Sed quemadmodum jam dixi, Jeremias qui erat Sacerdos, simul etiam fuit Propheta. Secundo versu incipit de sua vocatione disserere. Hoc enim fuisset nimis jejunum, si tantum præfatus esset se prodire in medium, & afferre aliquid. sed melius explicat secundo verso, se nihil afferre, nisi quod traditum fuerit à Deo: quasi diceret se fideliter per manus deferre quod Deus præcepit. Nam scimus, in solidum totam auctoritatem esse ac residere penes unum Deum, ubi de doctrina pietatis agitur: neque enim est in arbitrio hominum, hoc vel illud comminisci, ut fideles sibi subjiciant. quum ergo Deus sit unicus Ecclesiæ suæ doctor, quisquis audiri postulat, necesse est ut probet se esse ministrum Dei. Hoc ergo nunc sedulo facit Jeremias quum dicit *sermonem Jehovæ sibi fuisse datum*. Prius dixerat, Verba, vel sermones *Jeremiæ filii Helkiæ*. poterat quispiam excipere, imo unusquilibet è populo, Quorsum teipsum ingeris? quasi vero audiendus sit quispiam mortalium. atqui Deus hoc sibi uni vendicat. Ergo hic Jeremias quasi per modum correctionis subjicit suos esse sermones, non quorum ipse sit auctor, sed minister duntaxat. Dicit igitur se tantum exequi quod Deus mandavit, quia fuerit discipulus ipsius Dei,

Dei, antequam doctoris partes sibi sumeret. Quantum attinet ad initium & finem temporis, causa breviter ostensa fuit cur dicat se fuisse electum Prophetam *anno 13. Josiæ, & se perfunctum fuisse hoc officio usque ad undecimum annum Zedechiæ.* Quod autem vocatur *Josias filius Amon*, dubium est an vere & proprie fuerit filius Amon Josias. Anno enim vicesimo secundo regnare cœpit Amon: duobus tantum annis regnavit. Josias successit in ejus locum natus annos octo. Si numeremus præcise annos, & genitus fuerit Josias anno 16., hoc videbitur esse absurdum, quod scilicet Amon fuerit pater ante annum decimum sextum. Nam oportuit genitum esse anno decimo quinto. Neque enim nasci potuit, nisi post menses novem. Ergo decimo quinto genitus fuisset Josias. Hinc colligitur probabiliter, filium fuisse lege, non autem natura: quemadmodum postea vocatur Zedechias filius Josiæ, quia fuit ejus successor, quum nepos esset ex fratre, ut multi existimant. Sed hoc passim satis tritum est, vocari Regum filios, qui successerunt in eorum locum, & qui erant filii ipsa lege, non autem (quemadmodum dixi) natura. Nunc sequitur,

4. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,
5. Antequam formarem te in utero novi te, & antequam egressus esses è vulva sanctificavi te, Prophetam in gentibus constitui te.

Hic fusius prosequitur Jeremias quod nuper attigerat, nempe se vocatum fuisse divinitus: quia aliter temere se ingessisset. Neque enim quisquam usurpat sibi honorem, ut dicit Apostolus: sed sola Dei vocatio Prophetas & Doctores in sublime erigit. ut ergo sibi attentionem conciliet Jeremias, pronunciat se vocatum fuisse ad munus Propheticum, idque clara voce Dei. Hoc consilio dicit *sermonem fuisse datum, Antequam formarem te in utero novi te.* Inducit Deum loquentem, ut sermo sit magis emphaticus, hoc est, ut plus habeat ponderis ac vehementiæ. Nam si simpliciter narraret in sua persona se fuisse Dei voce creatum Prophetam, hoc non ita afficeret animos auditorum: sed ubi producit loquentem Deum, necesse est in hac loquendi forma plus esse gravitatis & vehementiæ. Hic præterea quod posset copiose tractari, nempe vocationem requiri, ut quis audiatur in populo Dei: quia nemo proprio & privato jure hoc sibi arrogare potest, ut loquatur, quemadmodum jam dixi: quandoquidem hoc Deus sibi uni vendicat. Sed alibi satis fuse de vocatione Prophetica disserui: ideo satis est quasi digito res ipsas, imo summas rerum monstrare. Et loci communes aliunde petendi sunt, quia si vellem insistere in singulis capitibus, nullus esset finis. ego autem statui meo more percurrere hunc Prophetam. In hunc igitur finem refert Jeremias *se à Deo fuisse vocatum*, ut audientiam suo jure impetret à populo. Nunc quod ad verba spectat, Deus pronunciat *se novisse Jeremiam antequam formaret ipsum in utero.* Hoc specialiter non dicitur de Propheta, quasi alii homines Deo sint incogniti: sed restringitur ad munus ipsum: quasi diceret, Prinsquam te formarem in utero, destinavi te in hunc usum, nempe ut subires docendi onus in populo meo. *Malach. 2. vers. 7.* Et repetitio est in secunda parte, ubi dicit, *Prinsquam egressus esses è vulva sanctificavi te.* Idem igitur valet sanctificatio atque notitia Dei. Et ita perspicimus notitiam non vocari meram præscientiam, sed prædestinationem, qua Deus pro suo arbitrio singulos homines eligit, & simul etiam ordinat, deinde sanctificat. Nemo enim suapte natura esset idoneus, quemadmodum Paulus exclamar. *2 Cor. 2. vers. 16.* Quum igitur facultas hæc pendeat ex gratuito Dei dono, non mirum est, si Deus affirmet *se Jeremiam sanctificasse:* quasi diceret, Ego te formavi hominem in utero, sed simul destinavi in usum singularem: & quoniam non poteras tecum afferre tantum excellentiæ, ut obires munus Propheticum, ego etiam te formavi Prophetam & non hominem duntaxat. Hæc est summa. Cæterum nimis sunt arguti, qui existimant sanctificatum fuisse Prophetam reipsa ex utero, quemadmodum de Joanne Baptista dicitur. *Luc. 1. vers. 15.* Nihil enim tale verba sonant. sed tantum de se Jeremias testatur, quod Paulus etiam de se affirmat primo capite ad Galatas, se fuisse à Deo cognitum antequam esset natus. *Galat. 1. vers. 15.* Fuit ergo non effectu sanctificatus Jeremias in utero, sed in Dei prædestinatione, & arcano consilio: quia scilicet tunc Deus ipsum elegit Prophetam. Quæritur nunc, annon ante mundi creationem electus esset? Facilis est solutio, fuisse quidem à Deo præcognitum mundo nondum creato: sed Scriptura ad modulum ingenii nostri se accommodat, ubi de cujusque generatione loquitur. Perinde igitur est acsi Deus de Jeremia diceret, Fuisse hac lege creatum hominem, ut suo tempore manifestaretur Propheta. Et minime dubium est, quin exegetice addiderit clausulam, quæ postea sequitur, *Prophetam in gentibus constitui te.* Hæc igitur est sanctificatio non realis, ut dixi, sed tantum quia ordinatus fuit Propheta Jeremias antequam natus esset. Videtur tamen esse absurdum quod dicit *se datum fuisse Prophetam gentibus*: Deus enim voluit ipsum esse Ecclesiæ suæ ministrum. nec profectus est ad Ninivitas, ut de Jona legitur: *Jona 3. vers. 3.* neque peragravit alias terras: sed tantum impendit operam suam tribui Jehudah. Cur ergo dicit *se gentibus datum fuisse Prophetam?* Respondeo, quamvis specialiter Deus ipsum Ecclesiæ suæ præfecerit, tamen pertinuisse ejus doctrinam ad alias gentes: quemadmodum iterum videbitur, & ex progressu etiam melius patebit. vaticinatus enim est contra Babylonios, contra Ægyptios, & contra Moabitas: denique complexus est omnes populos, qui vicini erant ac noti Judæis. fuit quidem hoc accidentale: sed quum esset specialiter Propheta popularibus suis datus, viguit tamen ejus auctoritas etiam apud profanas gentes. Nec dubium est, quin honorifice loquutus sit de gentibus in numero plurali, ut amplior constaret doctrinæ ejus vis & dignitas. Sequitur,

6. Et dixi, Ahah Domine Jehovah, ecce non novi loqui, quia puer ego.
7. Et dixit Jehovah ad me, Ne dicas, Puer ego, (*id est, Sum puer*) quia ad quæcunque te misero, ibis, & quæcunque tibi præcepero, loqueris.

Postquam de sua vocatione disseruit Propheta, simul adjungit se munus initio detrectasse: idque facit ob duas causas. Primum, ut se purget ab omni suspicione temeritatis. Scimus enim quantopere grassetur hæc cupiditas inter homines: quemadmodum dicit etiam Jacobus, *Jacob. 3. vers. 1.* multos appetere sibi magisterium. ac fere nemo est, qui non libenter cupiat audiri. Quum igitur plerique nimium cupide prosiliant ad docendi munus, multi etiam sibi rapiant, ideo Jeremias ne temeritatis suspectus sit, pronunciat se coactum fuisse effugere hanc necessitatem. Deinde eadem etiam ratione sibi plus reverentiæ conciliat, & reddit suos discipulos magis attentos. Cur enim recusat parere Deo, ubi vocatur ad munus

nus Propheticum? Nempe qoia terret ipſum difficultas. Atqui hæc eadem cauſa debet ſtimulare lectores ad majorem attentionem, ſicut debuit tunc expergefacere auditores quum loquebatur Jeremias. Si quis roget an licite detrectaverit Jeremias quod jubebat Deus, in promptu eſt reſponſio, Deum veniam dediſſe ſervo ſuo quoniam non fuerat ei propoſitum reſpuere ſuam vocationem, vel ſe eximere ab obſequio, vel jugum excutere, ut otio ſuo conſuleret, vel famæ, vel aliis ſuis commodis. nihil tale ſpectavit Jeremias: ſed quum ſeipſum reſpiceret, ſtatuit ſe minime parem fore tam arduo muneri obeundo. Ergo excuſatio modeſtiæ cauſa tantum additur. Hinc factum eſt ut Deus ignoſceret ejus timiditati, quoniam manabat, quemadmodum jam diximus, ex recto affectu. & ſcimus ex bonis principiis ſæpe aliqua vitia oriri: ſed tamen in Jeremia hoc fuit laudabile, quod putavit ſibi noo ſuppetere vires ad obeundum Propheticum munus: & optavit veniam ſibi dari, & alium eligi, qui ampliore ſpiritu, & uberioribus donis eſſet præditus. Cras proſequar reliqua.

Da omnipotens Deus, quum non modo conſulueris veteri tuæ Eccleſiæ, ubi elegiſti ſervum tuum Jeremiam: ſed etiam volueris noſtra hac ætate fructum laboris ejus: da, inquam, ne tibi ſimus ingrati, ſed tanta beneficio ſic fruamur, ut fructus in nobis appareat in gloriam nominis tui: nempe ut diſcamus nos totos tibi addicere in obſequium, & quiſque ita impendat tibi ſuam operam in vocatione ſua, ut interea conjunctis animis ſtudeamus promovere nominis toi amplitudinem, & regnum etiam Filii tui unigenui, donec perfuncti noſtra militia, tandem perveniamus in cæleſtem quietem, quæ nobis parta fuit ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN JEREMIAM.

Heri dictum fuit cur initio detrectaverit Jeremias provinciam docendi, nempe quia noo putabat ſe fore parem: & hac ratione vocabat ſe puerum, non ætate, ſed qoia rerum erat imperitus. Metaphorice igitur accipitur hoc nomen, quooiam fatetur Propheta ſe neque ſcientia, neque uſu ſatit eſſe ioſtructum. Nam inepte hoc ad ætatem, ſicuti dixi, trahuot quidam. Quamvis ergo adultæ eſſet ætatis, tamen propter imperitiam, & quia non pollebat neceſſariis dotibus ad tam præclarum munus, ideo puerum ſe nominat. Nunc ſequitur reſponſio, *Ne dicas, Puer ſum: quia ibis*, &c. Hic Deus non tantum prædicit quid facturus ſit Propheta, ſed denunciat quid velit ipſum facere, & quid exigat ab ipſo: quaſi diceret, Tuum eſt mihi parere, quoniam penes me eſt poteſtas jubendi. Ergo neceſſe eſt ut pergas quocunque te miſero: deinde ut proferas quæcunque præcepero tibi. His autem verbis admonet Deus ſervum ſuum, non eſſo cur ipſum terreat cognitio propriæ imbecillitatis, quia ſufficere debeat ſimpliciter obſequi ipſius imperio. Et hæc doctrina cognitu apprime utilis eſt. Nam ſicuti nihil aggredi oportet antequam probe expenderimus quid vires noſtræ ferant, ita ubi Deus aliquid injungit, quaſi clauſis oculis ſtatim mos gerendus eſt ejus verbo. Merito laudatur prudentia in ſcriptoribus: & hoc etiam poteſt extendi ad alios omnes generaliter, nempe quid ferre recuſent, quid valeant humeri. unde enim tanta in pleriſque audacia & temeritas, oiſi quoniam fiducia inflati ſeſo projiciunt? Ergo in actionibus hoc eſt quaſi legitimum principium, ut quiſqoe expendat vires ſuas, & conſilium petat ex ſua menſura. Ita fiet, ut nemo ſtulte ſe ingerat, & ſibi arroget pluſquam oportet. Cæterum, ubi Deus nos vocat, etiam ſi omnia nos deficiant, tamen obſequendum eſt. & colligitur hæc doctrina ex Dei verbis, ubi dicit, *Ne dicas, Puer ſum*: hoc eſt, etiamſi ſentias te facultate deſtitui, ſis tibi conſcius propriæ infirmitatis, *tamen ibis*, hoc eſt, *neceſſe te ire quocunque te miſero*. Exigit enim Deus ſimpliciter ſibi hunc honorem deferri, ut homines etiam ſi facultas agendi non ſuppetat, obtemperent tamen ejus mandatis. Poſtea ſequitur,

8. Ne timeas à facie ipſorum, quia tecum ego, *(id eſt, ego ſum tecum)* ad eripiendum te, dicit Jehovah.

Poſſumus ex hoc verſu colligere, Jeremiam, quum videret ſe vocari ad graves & duros conflictus, fuiſſe turbatum, quia non erat tantum in ipſo roboris, ut conſtanter atque intrepide laceſſeret tot hoſtes, & tam violentos. Videbat enim ſibi negotium fore cum populo degenere. nam omnes fere deſciverant à Lege Dei: & quum excuſſo jugo jam à multis annis ita proterve exultaſſent, difficile erat ipſos revocare ad obſequium & moderationem. Apparet igitur, Prophetam hac difficultate fuiſſe cohibitum, ne auderet ſuſcipere Propheticum munus. Certum enim eſt, Deum adhibuiſſe opportunum remedium ejus timori. Quid autem dicit? *Ne timeas à facie ipſorum.* Ergo quum dicebat Jeremias ſe eſſe puerum, reſpiciebat (quemadmodum jam attigi) ad illam difficultatem, quod ſcilicet vix poſſet ſubire tam aſpera certamina, quæ inſtabant, cum popolo illo rebelli, & jam obdurato in ſua malitia. Videmus ergo ut oblique detrectaverit onus ſibi impoſitum, quia non audebat palam, & ingenue, & apertis verbis fateri quod res erat. Sed Deus qui penetrat in corda hominum, & cognoſcit omnes ſenſus occultos, medetur ejus timiditati, quum dicit, *Ne timeas à facie ipſorum.* Cæterum oſtendit hic locus tunc ita invaluiſſe corruptelas in electo populo, ut nemo ex ſervis Dei poſſet tranquille exequi munus ſuum. Si negotium eſſet Prophetis & Doctoribus cum aliquo populo docili, non eſſet præliandum: ſed ubi nullus eſt Dei timor, nec reverentia, imo ubi feruntur homines poſt ſuarum cupiditatum impetus, nemo pius Doctor officium ſuum poteſt exercere, quin armatus ſit ad prælium. Hoc igitur ſignificat Deus, quum Prophetam ſuum jubet eſſe bono animo, quia videbat totidem fore illi hoſtes, quotquot profitebantur ſe eſſe filios Abrahæ. Et notanda eſt ratio fiduciæ & ſecuritatis, quæ additur: *Quoniam ego*, inquit, *ſum tecum, ut te eripiam.* his enim verbis admonet Deus ſatis fore præſidii in ſua manu & virtute, ne Propheta furorem gentis ſuæ metuat. Erat quidem initio hoc formidabile, quum videret Jeremias ſuſcipiendum ſibi eſſe bellum non tantum cum paucis hominibus, ſed cum univerſo popolo: Deus autem ſe unum opponit cunctis mortalibus, & dicit,

Ego

Ego sum tecum, ergo ne metuas. Videmus igitur tunc justum honorem deferri Deo, ubi ejus tutela contenti, despicimus rabiem omnium hominum, nec dubitamus confligere cum omnibus impiis, etiam si ingenti multitudine contra nos surgant: atque etiam si validissimæ sint eorum opes & copiæ, statuimus tamen sufficere unicum Dei præsidium ad nos tuendos. Hæc igitur summa est. nunc sequitur,

9. Et extendit Jehovah manum suam, & tetigit os meum: & dixit Jehovah ad me; Ecce posui verba mea in ore tuo.

10. Vide, constitui te (*vel præfeci*) hodie super gentes, & super regna ad evellendum, & ad destruendum, & ad eruendum, ad perdendum, ad ædificandum & plantandum.

Hic rursus differit Jeremias de sua vocatione, ne contemptui sit ejus doctrina, acsi profecta esset ab homine privato. Testatur igitur rursum se non venire proprio motu, sed divinitus esse missum, & instructum auctoritate Prophetica. Dicit in hunc finem posita fuisse verba Dei in ore suo. Hic locus diligenter notandus est, quoniam breviter definit Jeremias unde judicium fieri debeat de certa vocatione, ubi quis Doctoris munus suscipit in Ecclesia, nempe si nihil afferat proprium: quemadmodum
1 Pet. 4. etiam dicit Petrus priore sua canonica, Qui loqui-
vers. 11. tur, loquatur tanquam sermones Dei: hoc est, non loquatur dubitanter, acsi ingereret sua commenta, sed possit secure, & absque ulla dubitatione obtendere Dei nomen. Sic etiam Jeremias hoc loco, ubi audiri postulat, asserit *sermones Dei positos fuisse in ore suo.* Sciamus ergo quicquid ex hominis ingenio prodit, posse contemni, quia Deus vult sibi uni deferri hunc honorem, ut audiatur in Ecclesia sua, quemadmodum heri dictum fuit. Unde sequitur nullos debere agnosci pro Dei servis, nullos debere censeri justos & fidos Prophetas, vel Doctores, nisi per quos loquitur Deus: ut nihil ex seipsis confingant, non doceant pro suo arbitrio, sed fideliter tantum perferant quæ Deus mandavit. Visibile symbolum adjunctum fuit, quo major confirmatio accederet. non est quidem hoc trahendum ad generalem regulam: quasi necesse sit contingi omnium Doctorum linguas, Dei manu: sed hic duo ponuntur, nempe res ipsa, & externum signum. Quantum ad rem spectat, lex præscribitur omnibus Dei servis, ne sua commenta afferant, sed simpliciter tradant quasi de manu in manum quod acceperint à Deo. Speciale autem hoc fuit in Jeremia, *quod Deus manu extenta tetigit os ejus*, nempe ut palam ostenderet os illud dicatum sibi esse. Sufficit igitur quantum ad verbi ministros spectat, linguas ipsorum consecratas esse Deo, ne sua figmenta admisceant puræ ejus doctrinæ. Sed Deus in persona Jeremiæ voluit etiam addere visibile signum hujus rei, nempe quum manum suam extendit, ut os ejus tangeret. Postquam vero testatus est Deus, *linguam Jeremiæ sibi esse sacram*, & separatam à vulgari & profano usu, nunc instruit ipsum potestate: & *Vide*, inquit, *præfeci te hodie super gentes, & regna.* Deus his verbis ostendit, quam reverenter velit excipi suum sermonem, etiam ubi per homines mortales defertur. Nemo est qui non jactet se Deo velle obsequi: sed interea vix centesimus quisque amplectitur ejus sermonem. Nam simulatque loquutus est, omnes fere obstrepunt: vel si non audent furiose & hostiliter se opponere, tamen videmus ut alii tergiversando, alii autem tacendo resistant. Notanda igitur hæc est nobis auctoritas, quam Deus verbo suo ascribit: *Ecce*, inquit, *constitui te super gentes, & regna.* Porro quum dicit, *Vide, constitui te*, hortatur Prophetam ad magnitudinem animi, ut scilicet meminerit suæ vocationis, neque timide aut serviliter aduletur hominibus, vel morem ipsorum cupiditatibus gerat. *Vide*, inquit. Hac voce intelligamus, non posse Doctores strenue exequi munus suum, nisi ante oculos illis versetur Dei majestas, ut scilicet præ ejus comperatione, despiciant quicquid est splendoris, & potentiæ, & pomparum in hominibus. Nam experientia docet, conspectum hominum, simulatque vel minimum aliquem honorem afferunt, valere ad terrorem. Quorsum mittuntur Prophetæ & Doctores? nempe ut cogant totum mundum in ordinem: non parcant suis auditoribus, sed libere ipsos castigent, quoties opus est: minentur etiam, ubi vident esse obduratos. Si qua species dignitatis in ipsis hominibus, Doctor ipse non audebit offendere quos videt instructos esse vel potentia, vel divitiis, vel existimatione aliqua prudentiæ, vel præditos esse honoribus. Nullum igitur aliud est remedium, nisi ut Doctores statuant Deum sibi ante oculos, & statuant etiam illum sibi esse auctorem loquendi: ita fiet, ut magno & excelso animo contemnant quicquid est altitudinis vel excellentiæ in cunctis mortalibus. Huc igitur spectat verbum quo utitur Deus: *Vide*, inquit, *ecce constitui te super gentes, & regna.* Hic testatur Deus tantum esse auctoritatis in verbo suo, ut sibi subjiciat quicquid altum est ac sublime
in terra, ne Regibus quidem exceptis. sed quæ Deus Mat. 19.
conjunxit, homo ne separet. Extollit quidem hic vers. 6.
Deus Prophetas suos supra totum mundum, atque Marc. 10.
adeo supra ipsos Reges: at simul paulo ante dixerat, vers. 9.
Ecce posui sermones meos in ore tuo. ut ergo quispiam sibi tantam potentiam vendicet, necesse est ut proferat sermonem Dei, & reipsa demonstret se esse Prophetam, quia non ingerat propria commenta. Et hinc perspicitur quam fatua sit Papæ, & putidi illius Cleri jactantia, dum improbe audent ad se trahere quod hic dicitur. Nos superiores sumus & Regibus & populis, inquiunt. Quo jure? Deus ita loquutus est per Prophetam suum Jeremiam. Sed hæc conjunctim legenda sunt, *Posui in ore tuo sermones meos, & constitui te super gentes, & regna.* Nunc ostendat Papa se instructum esse Dei sermone, nihil sibi privatim vel seorsum arroget, denique sua commenta non ingerat, & libenter fatebimur ipsum excellere supra totum mundum. Deus enim non est separandus à verbo suo: sicut Dei majestas eminet supra totum mundum, imo supra cælestes Angelos, talis etiam in verbo ejus residet dignitas. Sed quum porci illi & canes vacui sint omni doctrina & pietate, quænam impudentia est, imo stoliditas, jactare illud summum imperium supra Reges & populos? Denique videmus ex contextu, hic non extolli ipsos homines, etiam si veri sint cælestis doctrinæ ministri: sed potius ipsam doctrinam. Deus ergo hic vendicat summum imperium sermoni suo, quamvis ejus ministri homines sint ignobiles, & contempti, & pauperculi, & qui nihil in se habeant splendoris. Quorsum autem hoc dicatur, jam exposui: nempe ut magnitudinem animi concipiant veri Prophetæ & Doctores: atque ita audacter opponant se Regibus & populis, quum armati sunt potentia cælestis doctrinæ. Postea adjungit, *Ad eradicandum, ad destruendum, ad diruendum, ad perdendum.* Hic videtur Deus odiosum quasi data opera reddere & sermonem suum, & ministerium Prophetæ. Neque enim amabilis potuit esse Dei sermo in ore Jeremiæ nisi agnoscerent Judæi esse in salutem suam. atqui Deus hic de ruina, & destructione, & excidio, & interitu loquitur. Sed postea adjungit, *Ad ædificandum, & plantandum.* Duplicem igitur usum Deus attribuit sermoni suo, nempe ut ab una parte *destruat, evel-*

lat, perdat, exscindat: ab altera autem parte *plantet atque ædificet*. Sed tamen merito quæri potest, cur Deus de ruina & exterminatione priore loco differat: fuisset enim alter ordo melior, si dixisset, *Constituo te ad ædificandum & plantandum*: sic enim Paulus
2 Cor. 10. vers. 5, 6. loquitur. dicit paratam sibi esse vindictam, & aliis doctoribus contra omnes contemptores, & contra totam mundi altitudinem: ubi impleta fuerit, inquit, vestra obedientia. Paulus ergo illic significat Euangelii doctrinam proprie & priore loco destinatam esse in hunc usum, ut homines vocet in obsequium Dei. Hic autem Jeremias ruinam & excidium ponit ante verba ædificandi & plantandi: videtur, quemadmodum dixi, hoc facere præpostere. Sed semper memoria tenendum est, qualis fuerit tunc populi status. Sic enim jam longo usu prævaluerat impietas, contumacia, & obstinata pravitas, ut necesse esset initium facere à ruina & eradicatione & similibus. Non potuit igitur plantare Jeremias, neque erigere templum Dei, quin prius *destrueret, evelleret, perderet, exscinderet*. Quare? Nam diabolus illic erexerat sibi palatium. Quum enim religio fuisset contempta à multis annis, tunc diabolus quasi esset locatus in summo tribunali, sine controversia regnabat & Hierosolymæ & in tota Judæa. Quomodo igitur potuit illic erigi Deo templum, in quo pure coleretur, nisi ruinæ præcederent? Ita diabolus corruperat totam terram. Scelera enim scimus tunc passim grassata fuisse, acsi terre plena esset spinis & sentibus. Non potuit igitur plantare Jeremias, vel seminare doctrinam cælestem, donec purgata esset terra tot vitiis & inquinamentis. Hæc certe ratio est, cur priore loco *de excidio, & ruina, & exterminatione, & eradicatione* differat, postea subjiciat *plantationem & ædificium*. Congeries etiam verborum ostendit quam alte radices suas fixisset impietas, & contemptus Dei. Poterat simpliciter ita loqui Deus, *Constitui te, ut evellas, & perdas*, vel diruas: poterat contentus esse duobus verbis in duplici metaphora, quemadmodum subjicit postea plantationem & ædificium. Sed quoniam obstinati erant Judæi in sua malitia: quoniam tanta erat pervicacia ipsorum, ut non statim, neque primo die, nec levi opere possent corrigi: ideo plura verba Deus accumulat, & hoc modo animat Prophetam suum, ut infatigabili studio pergat in purgandis illis sordibus quæ vitiaverant totam terram. Nunc ergo tenemus & summam rei, & sensum verborum. Loquitur autem iterum de Regibus & populis: quia utcunque datus proprie ac dicatus fuerit genti suæ Jeremias, tamen per accidens, ut loquuntur, etiam profanis gentibus datus fuit Propheta, ut postea videbimus. Et videtur consulto Deus hic posuisse Reges & gentes, ut dejiceret supercilium stulti illius populi, qui volebat immunis esse ab omni objurgatione. Dicit igitur se dedisse auctoritatem servo suo, non modo in Judæa, sed etiam per totum orbem: quasi diceret, Vos estis tantum exigua portio hominum, vultisne hic cornua erigere contra servum meum? atqui sic profecto hoc estis facturi. Dominabitur enim non tantum Judææ, sed etiam cunctis gentibus & populis, atque adeo Regibus ipsis: hoc est, doctrina quam apud ipsum deposui, tantæ est potentiæ & virtutis, ut emineat supra omnes mortales, nedum supra unam gentem. Interea videmus, quamvis hominum improbitas cogat Deum severitate uti, tamen nunquam ipsum oblivisci suæ naturæ, quin clementer invitet eos qui non sunt prorsus desperati, ad resipiscentiam, ac spem veniæ & salutis illis proponat. Et hoc semper retinet cælestis doctrina. Quamvis enim sit odor mortis in mortem 2 Cor. 2. v. 15, 16.
omnibus qui pereunt: ast tamen odor vitæ in vitam electis Dei. Sæpe quidem contingit, ut major turba convertat in suam perniciem salutiferam doctrinam: sed Deus tamen nunquam sinet omnes perire. Faciet igitur, ut doctrina ipsa sit incorruptibile semen in vitam suis electis: deinde, ut ipsos ædificet in templa. hoc tenendum est. Atque ita non est cur odiosa sit nobis doctrina Dei, quamvis multis cedat in exitium: quoniam electis semper afferet salutem, quoniam ipsos plantabit, ut radices agant in spem beatæ immortalitatis: deinde ipsos etiam eriget in sacra templa Deo. Nunc sequitur,

11. Et (*hoc est, postea*) factus est sermo Jehovæ ad me, (*datus est mihi: fuit, ad verbum*) dicendo, Quid tu vides, Jeremia? Et dixi, Baculum vigilis (*aut amygdali*) ego video.

12. Et dixit Jehovah ad me, Bene fecisti ad videndum, (*hoc est, recte vidisti*) quia vigilo (*aut festino: vigilans ego, ad verbum*) super sermonem meum, ut ipsum faciam. (*hoc est, ut compleam.*)

Confirmat hoc loco Deus quod prius dixerat de potestate verbi sui. Exegetice ergo sumendi sunt hi duo versus, quia nihil novum hic docetur, sed tantum confirmatur superior sententia: quod scilicet non frustra loquentur Prophetæ, neque futiliter, quoniam instructi sunt cælesti potentia, *ut plantent, ædificent*: & ab adversa parte *diruant, &*
2 Cor. 10. vers. 5, 6. *evellant*. quemadmodum citavimus ex Paulo, veros doctores esse armatos tali potentia. In promptu, inquit, nobis vindicta est contra omnes incredulos, quantumvis superbiant: etiamsi ipsorum altitudo terreat totum mundum, tamen in manu nobis est gladius qui ipsos conficiat, quia sermo Dei satis in se habet efficaciæ ad perdendos rebelles. Prosequitur ergo hanc sententiam Deus, quum dicit, *Quid tu vides, Jeremia?* Proposuerat baculum, aut virgam amygdali, ut quidam vertunt. & שקד significat amygdalum: sed quia deducitur à verbo שקד, quod est vigilare, aut festinare, non possumus apte vertere amygdalum hoc loco. Neque tamen repugno, quin vox Hebraica hoc significet. Nam hic scribitur per Chames participium שקד, quod paulo post subjicitur per Holem. Sed videmus quam affines sint inter se duæ istæ voces, שקד, deinde שקד. שקד amygdalus, quemadmodum dixi, sumit originem à verbo illo שקד, quod est vigilare: & existimant sic vocatam fuisse illam arborem, quoniam fructum suum maturius profert quam omnes reliquæ arbores. florent enim amygdali, ut satis notum est, etiam hyeme, & inter maxima frigora. Nunc si Latine dicamus, Video virgam, aut baculum amygdali, & respondeat Deus, Bene vidisti, quia ego vigilo: nulla erit allusio in vocibus, atque ita oratio perdet gratiam, & sensus frigebit. Necesse est igitur ita vertere, nisi velimus corrumpere hunc locum, & tenebris involvere Prophetæ sensum, *Video virgam*, aut baculum, *vigilis*. Fingamus notari hic amygdalum: sed tamen vocatur arbor vigil proprie, si respicimus etymologiam: & res ita postulat, quemadmodum omnes nunc vident. Proposuit igitur Deus hanc speciem servo suo, ut videret baculum vigilis. Quorsum? *Recte vidisti*, inquit, *baculum vigilis, quia ego vigilo super sermonem meum, ut ipsum exequar*, vel compleam. Videntur interpretes perperam restringere hoc ad pœnas, de quibus postea videbimus. Sic enim exponunt, non circuitu ras suo effectu minas, quibus utetur deinde Propheta: quoniam paratus sit Deus infligere quicquid denunciabit. Sed illud est nimis restrictum, meo judicio. Neque enim dubito, quin generaliter hic

Deus

Deus extollat sermonem suom, & commendet eb effectu: quasi diceret se oon loqui per servos suos, ut evanescat quicquid dixerint, vel in terram cadat, sed simul conjunctam esse efficaciam: quemadmodum
Jesa. 55. vers. 11. apud Jesaiam dicitur, Non redibit sermo meus ad me vacuus, sed prosperabitur in omnibus: hoc est, faciam ut parata sit exequutio doctrinæ Propheticæ, quo scilicet intelligat totus mundus me non frustra loqui, & non esse inanem sonitum in verbo meo, sed solidam efficaciam, quæ tempore suo extabit. Ideo dixi bos versus contexi debere cum proximo membro, ubi dicebat Deus se mittere Prophetam ad eradicaodom, ad plantandum, ad demoliendum, & ad ædificandum. Aliis ergo verbis hoc probat, nempe quooiam ipse *vigilet super suo sermone, quo exequatur quicquid protulerit per servos suos.* quasi diceret, Prophetis quidem mando has partes, ut loquantur: sed quia loqountur ex ore meo, ego adsum præsto, inquit, ut compleam quicquid ipsis injungo. Denique significat Deus, virtutem & potentiam manus suæ conjunctam esse cum sermone, cujus Prophetæ sunt ministri apud bomines. Ita generalis est doctrina, quæ pertinet non tantum ad pœnas, sed etiam ad promissiones. *Recte* igitur *vidisti*, inquit, *quoniam vigilo ego.* Hic Deus non resignat munus suum Jeremiæ, quamvis ejus opera utatur ad docendum: sed ostendit penes se manere virtutem ad implendum quicquid loquutus fuerit Propheta. Et notandum est etiam quod
2 Cor. 2. v. 15,16. addit, *Super sermonem meum ad complendum ipsum.* Neque enim Deus hic quicquam proprium, vel separatum Jeremiæ attribuit, sed commendat tantum efficaciam sermonis sui: quasi diceret, Modo sis mihi fidelis minister, ego spem tuam non frustrabor, neque eorum qui tibi eruor obedientes. Nam complebo quicquid tu speraveris, & ipsi: deinde non evadent impune quicuoque tibi restiterint. Ego enim pœnas de ipsis suo tempore exigam. Et ideo usurpat verbum *vigilandi*, aut festinandi, ut ostendat se stare paratum, ut proferat effectum sermonis sui tempore opportuoo. Hoc quidem oon semper nobis apparet: ideo dicitur apud Abacue, Si moram fecerit propheta, expecte illam, quia non tardabit, sed veniens veniet. *Abac. 2. vers. 3.* Jubet ergo Deus quietis animis expectare effectum verbi sui: sed postea addit per modum correctionis, Veniens veniet, hoc est, efficiam & præstabo reipsa quicquid Prophetæ mei ex mandato meo loquuti fuerint: ita nulla erit mora, quia scilicet opportunitas ex arbitrio Dei pendet, & oon ex hominum judicio. Postea sequitur. sed quia sonat horologium, non possem ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando dignaris comiter nos ad te invitare, & sermonem tuum in salutem nostram consecras, ut tibi libenter & ex animo pareamus, & ita simus morigeri, ne cedat nobis in interitum quod in salutem nostram destinaveras: sed semen illud incorruptibile, quo nos regeneras in spem vitæ cælestis, ita agat in cordibus nostris radices, & fructum suum proferat, ut nomen tuom glorificetur: sic plantati simus in atriis domus tuæ, ut floreamus, & fructus appareat toto vitæ nostræ cursu, donec tandem fruamur beata illa vita, quæ nobis in cælo reposita est, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA
IN
JEREMIAM.

13. Et fuit sermo Jehovæ ad me secundo, dicendo, Quid tu vides? Et dixi, Ollam ferventem ego video, facies ejus à facie Aquilonis.

14. Et dixit Jehovah ad me, Ab Aquilone aperietur (*alii vertunt pandetur, alii solvetur: erumpet proprie*) malum super cunctos habitatores terræ.

JAm incipit Jeremias sermooem dirigere ad populum, cui datus erat Propheta. Hactenus enim de sua vocatione disseruit, ut constaret auctoritas doctrinæ ejus: & ita in genere loquutus est. nonc autem specialiter accommodat suam doctrinam ad populum. Dicit igitur oblatam sibi esse *visionem ollæ ferventis, cujus facies erat versus Aquilonem.* Quod autem Deus interrogat, & respondet ipse Propheta, in eo confirmat suum vaticinium: quia si narrasset simpliciter se vidisse *ollam ferventem*, & exposuisset quorsum oblata esset hæc figura, oon fuisset tantum ponderis in verbis. Sed ubi Deus ipse adest, & pronunciat qoid significet olla bulliens, illic confirmatur vaticinium. Et minime dubium est quin Propheta hanc loquendi formam usurpaverit, acsi Deus ipse, quasi positus in medio, probaret se esse auctorem hujus vaticinii. Hæc autem summa est, venturos esse Chaldæos, qui urbem Jerosolymam evertaot, qui tollant & aboleant omnem dignitatem regni & sacerdotii. Hoc prius denunciatum fuerat tam ab Jesaia, quam ab aliis Prophetis: sed contemptæ fuerant omnes minæ. Nam vivo Jesaia, rex Babylonis ambiverat amicitiam regis Ezechiæ: & putabant Judæi sibi opportune fuisse oblatum illud præsidium contra Assyrios. Sed non expendebant Dei mano regi corda hominum, & flecti in omnes partes: neque etiam reputabant se jam à multis annis provocasse Dei vindictam, & illum sibi esse hostem. Quum ergo ita contemptæ, & quasi ludibrio habitæ fuissent omnes minæ, nunc Jeremias prodit in medium, & dicit venturos esse Septentrionales populos, nempe tam Assyrios, quam Chaldæos. Nam scimus Monarchiam unam fuisse ebsorptam ab altera. Chaldæi enim dominati sunt Assyriis, atque ita factum est ut totum fere Imperium Orientale, exceptis Persis & Medis, ad ipsos transierit. Respectu autem Judææ erant Aquilonares. Ideo Propheta dicit se vidisse *ollam ferventem.* Multi per Ollam intelligunt Regem Babylonium. Sed videntur male accipere quod Propheta dicit: & possem refellere eorum ioterpretationem, oisi contentus essem simplici veritate, quæ deinde in progressu melius patebit. Ergo *olla fervens* est populus ipse Judaicus, quemadmodum suo loco clarius videbitur. Neque enim volo nunc in unum acervum omnia colligere. Sed dicitur populus esse *similis ollæ ferventi*, quia Dominus coxit ipsos, donec redacti fere essent io oihilum. Dicitur autem *pars ollæ spectare versus Septentrionem*, quoniam illinc, sicuti continuo post exposuit Jeremias, accensus erat igois. Et apte convenit similitudo. Nam ubi apponitur olla ad ignem, fervet ab ea parte quæ igni proxima est, & bullæ omnes transeunt in diversam partem. Dicit ergo *ollam ebullisse*, sed ita *ut os ejus esset à parte Septentrionali*, nempe quoniam illic erat ignis, & illic erant flabella. Denique Deus Prophetæ suo voluit ostendere populum similem esse carni, quæ conjecta in

ollam coquitur, & postea exuritur, vel redigitur longo tempore in nihilum. Vidit Propheta, os ollæ fervantis, vel faciem, nempe à qua parte ebulliebat, spectare versus Septentrionem: ideo respondet Deus interpres hujus visionis, quem obtulerat servo suo, *Ab Aquilone erumpet malum super cunctos habitatores terræ*, nempe Judææ. Pronunciat his verbis Deus se jam accendisse ignem apud Chaldæos & Assyrios, quo populum suum instar carnis excoquat, & tandem consumat prorsus: quemadmodum fieri solet, ubi caro manet in sua olla, & ignis subinde accenditur, & adsunt etiam flabella, necesse est carnem prorsus in nihilum redigi, postquam cocta est vel elixa. Sic etiam testatur Deus jam ignem esse accensum in Chaldæa & Assyria, qui Judæos non tantum coquat, sed etiam redigat in nihilum. Cæterum aliis verbis idem exprimit, nempe *malum venturum esse à Septentrione super cunctos Judæos*. Ex contextu postea videbimus hic proponi breviter summam doctrinæ, quæ Jeremiæ mandata fuit. Est quidem hæc dimidia pars, ut diximus. Nam voluit etiam Deus consulere electis suis: & ita eos terruit ut tantum domaret, & subjiceret sibi, non autem conjiceret in desperationem. Interea tamen dimidia pars Propheticæ hæc fuit: jam non sperandam esse veniam, quia Judæi sua obstinatione nimis provocaverant iram Dei, & ita abusi fuerant ejus patientia, ut eorum impietas non esset amplius tolerabilis. Ergo quod alii Prophetæ denunciaverant, nunc Jeremias apertius iterum confirmat, & rem quasi digito ostendit. Postea sequitur,

15. Quoniam ecce ego voco omnes familias regnorum Aquilonis, dicit Jehovah, & venient: ponent quisque solium suum in ostio portarum Jerosolymæ, & super omnes muros ejus in circuitu, & super omnes urbes Jehudah.

Hic versus continet explicationem proximi. Deus enim clarius & magis specialiter exprimit quod prius attigerat, nempe malum venturum esse ab Aquilone. Dicit se fore auctorem hujus mali: sed de calamitate loquitur. *Ecce ego*, inquit, *clamo ad omnes familias regnorum Aquilonis*. Non adeo efficax fuisset vaticinium, nisi diserte fuisset addita hæc denunciatio, nempe Dei auspiciis venturos esse Chaldæos. Solent enim homines semper transferre in fortunam
Lament. 3. v. 37, 38. quicquid accidit. & postea videbimus in Lamentationibus ita fuisse stupidos Judæos, ut casus fortuitos objicerent in cladibus suis, & in Templi & ipsius urbis excidio, & interitu regni. Ideo severe cum illis Deus expostulat, quod ita cæcutiant in re clara, neque judicia sua agnoscant. Propheta igitur postquam testatus est venturum esse malum à Septentrione, jam addit hoc malum minime fortuitum fore, sed ejus belli quod Chaldæi inferent, Deum fore summum ducem, qui colliget undique milites, & conficiet sibi exercitum ad perdendos Judæos. Clamandi verbo utitur Propheta: *Ecce clamo*, inquit, *ad omnes cognationes*, vel familias. Variis loquendi formis utitur Deus, quum docere vult ita sub manu sua & arbitrio esse cunctas gentes, ut moveat bella
Jes. 5: 26. quoties ita visum est. Dicit, Ecce sibilabo ad Ægyptios: & comparat interdum ipsos apibus. Deinde
Jes. 7: 18. alibi, Ecce clangam buccina, & convenient Assyrii. Sed huc spectant omnes loqutiones: dum tumultuantur homines, & totum orbem perturbant, Deum tamen omnia dirigere pro summo imperio, nec quicquam geri nisi ejus auspiciis & ductu. Videmus ergo jam non historice Prophetam loqui, neque etiam simpliciter vaticinari quid futurum sit, sed simul adjungere doctrinam. Hoc fuisset nudum & simplex vaticinium, Malum erumpet ab Aquilone: sed nunc, quemadmodum jam dixi, fungitur Doctoris officio, ut vaticinium utile sit, ubi affirmat Deum fore summum ducem in hoc bello. *Ecce* ergo *clamabo ad omnes familias regnorum Aquilonis*. Tunc quidem unica erat Monarchia: sed quoniam tanta erat securitas in Judæis, atque etiam inde socordia, ut sibi non metuerent ab ulla clade: quo eos expergefaciat Deus, & corrigat illum stuporem, dicit se facturum ut conveniant omnes familiæ regnorum. Et certe tunc multa erant regna, quæ Deus quasi uno impetu projecit contra Judæos. Et videtur etiam spectasse ad inanem illam fiduciam, qua Judæi se fallebant quum putarent Ægyptios semper fore præsto ad ferendas suppetias. Quoniam ergo solebant instar clypei, imo instar montis opponere Ægyptios, Deus hic perstringit eorum stultitiam, quod Ægyptiis confisi putarent se probe munitos esse contra vim & arma totius Monarchiæ Chaldaicæ. Hac igitur ratione primum familias, deinde etiam regna Aquilonis ponit. Sequitur, *Et venient, & ponent quisque* (vir, ad verbum) hoc est, singuli ponent, *sua solia ad ostium portarum*. Hic Propheta significat tantum fore potentiæ in Chaldæis, ut audeant figere sua tentoria ante ipsas portas: neque id modo, sed etiam ut claudant minores portas. Dicit enim, *ostia portarum*. Et quum loquitur de singulis, magis & acrius pungit ipsos Judæos. Nam freti Ægypti auxilio, putabant se pares fore ad resistendum, quum tamen Chaldæi, devictis Assyriis, essent insuperabiles. Dicit igitur, Non tantum exercitus ipse castra metabitur ante portas, sed singuli statuent illic atque erigent sua solia, quasi in loco tranquillo. In summa, significat Deus, Chaldæos & Assyrios fore victores, ut dominentur, & considant tanquam domi suæ, in ipso agro, & ante portas urbis Jerosolymæ. Hæc postea clarius dicentur, & addentur multæ etiam circumstantiæ. Sed Dominus ab initio voluit proferre hanc sententiam contra Judæos, ut sentiant actum esse de suo statu. Dicit, *Et super muros ejus in circuitu, & super omnes urbes Jehudah*. Denique hic denunciat Propheta vastationem totius regionis: acsi diceret, Judæos frustra confidere propriis viribus, & alienis auxiliis, quoniam Deus pugnabit contra ipsos: & quia armati erunt Chaldæi & Assyrii ab ipso, fore victores, quicquid opponant ex adversa parte Judæi. Sequitur,

16. Et loquar (*vel proferam*) judicia mea cum ipsis super omni malitia eorum: quia (*nam* אשר *hic ponitur vice* כי: *valet causalem particulam, quia*) dereliquerunt me, & suffitum fecerunt diis alienis, & prostrati fuerunt (*vel se prostraverunt*) coram operibus manuum suarum.

Deus nunc causam assignat, cur tam severe statuerit agere cum Judæis. Utrumque enim oportuit tradi, nempe Chaldæos non irrupturos sua sponte, sed quia locabunt operam suam Deo, qui ipsos colliget atque armabit. hoc est unum. Verum necesse fuit etiam alterum adjungere, nempe Deum non esse crudelem, neque etiam oblitum esse fœderis sui, quum tam rigidus vindex esse voluit: sed ita sævire quoniam nimia erat pravitas in Judæis, ut necesse esset ipsos ita prorsus conteri & affligi: quoniam castigationes modicæ nihil ipsis profuerant. Deus ergo postquam testatus est se fore ducem in illo bello, simul etiam explicat se justas habere causas cur castiget Judæos,

neque

neque hoc posse imputari sævitiæ, quoniam ipsum provocaverant suis impiis superstitionibus. Dicit ergo, *Loquar judicia mea cum ipsis.* Hoc multi interpretes referunt ad Chaldæos & Assyrios, quasi Deus illis præscribat, quemadmodum solent summi judices suis ministris mandare quod ab ipsis decretum est. Sed illa expositio nimis est coacta. Deinde etiam Propheta satis eam refutat, quia hæc simul contexit, *Loquar cum ipsis judicia mea super malitia ipsorum.* Quid ergo est proferre judicia? Nempe quum Deus ad tribunal suum citat sceleratos, & exercet officium judicis. Et hic loquendi modus passim tritus est in
cap. 52. vers. 9. Scriptura: sicuti in fine libri legitur, *Loquutus est rex Babylonis judicia cum rege Zedechia*, hoc est, egit cum eo judicialiter, ut solemus vulgo loqui. Sic ergo nunc pronunciat Deus se fore judicem populi: quasi diceret, hactenus se quievisse, non quod incognita essent populi scelera, sed quia sustinuerit miseros illos, ut tentaret an aliqua spes esset resipiscentiæ. Nunc vero dicit *se fore judicem*, quoniam expertus est longo tempore ipsos esse desperatos. Subest igitur antithesis inter tolerantiam Dei, qua diu fuerat usus quum jure suo non ageret adversus populum, sed differret ultionem: & inter hoc tempus vindictæ, quod jam instabat. *Loquar* igitur *judicia mea cum Judæis*: hoc est, Jamjam conscendam tribunal. hactenus abstinui jure meo, & expectavi an ad me vellent redire. quoniam nulla est conversio, & video homines esse perditos, & ingenia ipsorum tam prava esse ut semper addant mala malis, incipiam nunc obire munus meum, hoc est, facere officium judicis. Sed quemadmodum dixi, tenendum est Dei consilium: vult enim à se rejicere omne crimen, & omnes calumnias, quoniam solent etiam pessimi quique obstrepere ejus judiciis, dum ipsos castigat. Ergo proponit in medium sua judicia: quasi diceret, Non poterunt mihi objicere sævitiam, aut crudelitatem, quia ero justus judex quantumvis severus. ideo addit, *super omni malitia ipsorum.* Postea adjungit speciem: nempe, *Quia suffitum fecerunt diis alienis*, inquit. Multis quidem modis provocaverant Judæi in se illius vindictam: sed hic apponitur species una, quoniam erat ille primus fons malorum, quod desciverant à Lege, & puro Dei cultu. in genere tamen ponit *omnem malitiam.* Neque hic pondere caret particula universalis, quum dicit, *super omni malitia.* Significat enim non una tantum in parte fuisse improbos, sed cumulasse varia scelera. Et simul adjungit, *Quia dereliquerunt me.* Ponit hic Deus defectionem: nam fieri poterat, quemadmodum quotidie videmus accidere, ut unus delinquat aliqua in parte, alter autem habeat sua vitia; & quisque ob diversas causas obnoxius sit Dei judicio. Sed Deus hic ostendit, Judæos sic fuisse depravatos, ut nihil esset in ipsis purum vel sincerum. Ideo ponit *cunctam malitiam*: deinde adjungit defectionem, *Dereliquerunt me*, inquit. quasi diceret, Abnegaverunt me prorsus: non dicam unum ex ipsis furem, alterum scortatorem, alium ebriosum: sed omnes sunt apostatæ, omnes sunt perjuri & fœdifragi. Ego igitur ab ipsis relictus sum, & ipsi alienati sunt omni ex parte à me. Videmus ergo ut atrociter amplificet Propheta scelera gentis suæ. Sed postea species illa adjungitur exempli causa, *quod fecerant suffitum diis alienis*, hoc est, quod defecerant à vero Deo ad idololatriam. & simul etiam hoc ponit, *quod sese inclinaverint coram operibus manuum suarum.* Excusationem Judæis tollit Propheta, & magis atque apertius detegit probrum & fœditatem ipsorum, *quod sese prostraverint coram operibus manuum suarum.* Quoties hac voce utitur Scriptura, significat nimiam esse dementiam in hominibus, qui loco Dei non tantum solem & lunam, vel alias creaturas adorant, sed idola quæ sibi ipsi fabricarunt. Unde enim fit ut colant idola sua impii, nisi quod finxerunt illis & nasum, & manus, & aures? Truncum ligni nemo adorat: massam æris vel argenti etiam omnes contemnunt: lapidem nemo existimat Deum esse. sed ubi accessit ea malleo sculptura, & artificium ea manu hominis, statim se projiciunt miseri & cæci idololatræ coram statuis & picturis. unde hoc? quia finxerunt illis & nares, & oculos, & aures. ergo deos ipsi fecerunt. Videmus ergo quorsum spectet Propheta, ubi dicit *Judæos se inclinasse coram operibus manuum suarum.* Sed ego leviter hæc prætereo, quoniam debetis satis esse exercitati in hoc genere doctrinæ. Nunc sequitur,

17. Et tu accinge lumbos tuos, & surge, & loquere ad ipsos quæcunque (*omnia quæ*) ego mandavero tibi: ne timeas à facie ipsorum, ne te conteram (*vel timere faciam*) à facie ipsorum. (*est enim verbum sumptum ex eadem radice.*)

Primo jubet Deus Prophetam suum præconem esse tristis illius judicii, de quo jam vidimus. Neque enim voluit in angulo & occulte loqui tantum cum Jeremia, sed apud ipsum deposuit quæ volebat ejus voce perferri ad totum populum. Ideo sequitur, *Et tu.* Videmus ergo Prophetam fuisse edoctum à Domino, ut posset certo & intrepide proferre quæ postea videbimus. Conjunctim ergo hæc legenda sunt, nempe quod Deus velit conscendere tribunal, ut quam distulit ultionem exequatur: deinde quod velit Jeremiam præconem esse vindictæ ad quam ipse paratus est. *Tu ergo.* Illative hoc additur: copula enim ita debet resolvi. *Tu ergo*, hoc est, Quia audisti me jam fore ultorem scelerum populi, & instare tempus vindictæ: deinde quia scis hoc tibi fuisse dictum, ut ipsos admoneas, quo magis reddantur inexcusabiles: *tu* igitur *nunc accinge lumbos tuos.* Videmus quorsum Deus privatim alloquutus sit servum suum Jeremiam, nempe ut publice deinde exequeretur munus Doctoris. Et hinc colligimus etiam, quicunque vocati sunt ad regendam Dei Ecclesiam non posse eximi à culpa, nisi ingenue & audacter proferant quic-
Actor. 20. quid sibi mandatum est. Ideo dicit Paulus se esse
v. 26, 27. mundum à sanguine, quia per domos singulas & publice annunciaverat quæcunque acceperat à Domi-
1 Cor. 9. no, Actor. 20. cap. Et alibi dicit, Væ mihi nisi
vers. 16. evangelizem: munus enim mihi est injunctum. Quod jubet Deus *Prophetam accingere lumbos suos*, hoc referri debet ad vestitum qui tunc in usu fuit Orientalibus, sicuti adhuc manet. Nam utuntur longis vestibus: quoties autem volebant aggredi opus aliquod, vel quoties suscipiebant aliquam profectionem, solebant se accingere. Dicit igitur, *Accinge lumbos tuos*, hoc est, suscipias hanc expeditionem, quam tibi injungo. interea strenuitatem ab eo exigit ut expeditus ad opus pergat. *Surge*, inquit, *& loquere ad ipsos quæcunque tibi præcepero.* Denique his verbis significat nolle se ad extremum descendere, donec adhuc tentaverit an aliqua spes resipiscentiæ sit in illo populo. Sciebat quidem prorsus esse desperatos: sed voluit eorum contumaciam magis detegere, quum ultimo loco Jeremiæ præcepit, ut proferret hanc ultimam sententiam damnationis. Iterum repetit quod ante dixerat, *Ne timeas à facie ipsorum.* Et hæc exhortatio valde fuit necessaria, quum Jeremias subiret provinciam non parum odiosam. Proinde enim est acsi esset fæcialis, qui bellum indiceret nomine Dei. Quum ergo Jeremias præcise ostenderet actum esse de populo, quoniam tanta fuerat ejus pervicacia, ut Deus negaret se posthac fore exorabilem, fuit hoc valde asperum auditu: præsertim si reputamus quanta fuerit superbia in Judæis. Gloriabantur enim sancto suo genere: deinde, ut postea videbimus, Templum erat illis quasi inexpugnabilis munitio adversus Deum. Quum ergo præfractis essent ingeniis, necesse fuit Prophetam non semel confirmari à Deo, ut munus suum obiret intrepide.

Ideo

Ideo repetitur hæc exhortatio, *Ne timeas coram ipsis.* Postea addit, *Ne timere te faciam*, vel conteram. חת significat interdum timere, significat conterere. Hieronymus corrupit Prophetæ sensum quum dixit, Nunquam faciam te timere. Est quidem pia bæc doctrina, Deum Prophetæ suo daturum fortitudinem, ut perstet invictus contra omnes bostes. Et certe frustra nos bortaretur, nisi etiam Spiritu suo nos ad fortitudinem instrueret. hoc quidem est verum: sed particula מפ non patitur hunc locum ita exponi. Quid ergo sibi vult Deus? Sive vertamus conterere, sive timere te faciam, ut sit verbum transitivum אחתך, optime sensus conveniet. Deus enim, postquam Prophetam suum jussit esse alto & invicto animo, jam adjungit, Cave tibi. nam si timidus sis, ego faciam te serio timere, vel reipsa conteram te à facie ipsorum. Significat ergo bis verbis, Prophetam satis fore munitum, si ipse agnoscat se missum esse à Deo, & ita agat tanquam pro summa potestate, neque sibi metuat ab ullo homine mortali. Cæterum subest hic comminatio, Vide, si strenue te geras, adero tibi: & quantumvis primo intuitu sint formidabiles qui se tibi opponent, nibil tamen proficient. Quod si timidus sis & pusillanimis, ego te reddam probrosum: hoc est, non tantum eris animo timidus, sed etiam faciam ut sis apud omnes despicabilis, vel ut conspuant omnes tibi in faciem: quia non eris dignus, pro quo ego pugnem, & cui suppeditem fortitudinem & virtutem ad hostes tuos profligandos. Ergo videmus quorsum hoc spectet, *Ne timeas, ne timere te faciam*: hoc est, Sis forti & alacri animo, ne sis merito probrosus, & non usque adeo metuas ipsos, ut merito etiam metuas, neque id modo sed ut ipsi te conterant, & pedibus audeant calcare, quia indignus eris cui suppeditem fortitudinem Spiritus mei. Locus hic continet utilem doctrinam, ex qua discimus nunquam deesse virtutem servis Dei, ubi concipiunt animi magnitudinem, quia agnoscunt se Deum auctorem habere suæ vocationis. ubi ergo ita sunt magnanimi, Deus suppeditat illis invictum robur & fortitudinem, ut sint formidabiles toti mundo. Si autem restricti sunt ac timidi, & huc & illuc flectuntur, ac moventur terrore hominum, Deus reddit illos probrosos, & facit ut ad minimam quamque auram trepident, & penitus conterantur. Quare? indigni enim sunt quos Deus efferat, & quibus porrigat manum, & quos muniat armis suis, & quibus, quemadmodum jam dictum est, suppeditet fortitudinem animi, qua possint terrere & diabolum & totum mundum.

Da omnipotens Deus, quando semel dignatus es servum tuum Jeremiam ita munire invicta virtute Spiritus tui, ut ejus doctrina hodie nos humiliet, ac discamus nos ultro tibi subjicere, & ita suscipere atque etiam amplecti quod nobis per servum tuum proponis ut nos attollas manu tua: & ita virtute tua & præsidio freti pugnemus contra mundum & contra Satanam. interea quisque nostrum pro sua vocatione sic in virtutem tuam recumbat ut non dubitemus vitam nostram periculis objicere quoties opus fuerit: & pugnemus viriliter, perstemus etiam usque ad finem in hac militia, donec perfuncti cursu nostro tandem perveniamus ad beatam illam quietem quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
JEREMIAM.

18. Et ego, ecce posui te hodie in urbem munitionis, (*vel munitam*) in columnam (*vel fulturam*) ferream, & in murum æneum super totam terram contra Reges Jehudah, contra Principes ejus, contra Sacerdotes ejus, contra populum terræ ipsius.

Hic Deus instruit fiducia servum suum, quia necesse fuit addi animos in illa trepidatione, de qua vidimus. Jeremias enim non putabat se idoneum qui subiret tam onerosam provinciam: deinde erat illi negotium ac certamen cum hominibus præfractis, neque paucis, quoniam totus populus jam se confirmaverat impia & scelesta obstinatione ad contemptum Dei. Quum ergo nulla esset amplius pietatis cura, nulla etiam reverentia cælestis doctrinæ in populo illo: Jeremias quum sibi diffideret, non potuit suscipere grave illud onus, nisi suffultus fuisset præsidio Dei. Hac igitur ratione nunc pronunciat Deus illum *fore instar munitæ urbis & columnæ ferreæ.* Quanquam proprie quadrabit nomen fulturæ. Nam עמוד descendit à radice עמד. ideo hoc sensu intelligit Propheta se columnam fore, non modo quæ erecta erit in vacuo loco, sed quæ sustineat vel ædificium, vel murum. In sensu nulla est ambiguitas. Intelligit enim Deus servum suum fore inexpugnabilem: quicquid machinentur in ipsum hostes, tamen non prævalituros, sicuti dicet proximo versu. Quanquam autem hoc semel dictum fuit Jeremiæ, possunt tamen optimo jure ad se transferre omnes pii doctores, qui sibi probe conscii sunt divinæ vocationis, & certo persuasi sunt nihil se temere aggredi, sed parere jubenti Deo. Quicunque igitur ita sunt in legitima Dei vocatione, possunt accommodare in usum suum hanc promissionem, quod scilicet invicti perstabunt contra omnes impios. & circumstantiæ notandæ sunt. Videri posset hoc sufficere, quod Deus servum suum appellat *urbem munitam.* Comparat etiam *fulturæ ferreæ, & muro æneo.* Hæc enim repetitio confirmat quod uno verbo exposuimus, scilicet Jeremiam fore victorem: & quamvis multos impetus contra eum moveat Satan, tamen exitum fore lætum & prosperum, quia pugnat sub auspiciis Dei. Sed simul etiam adjungitur, *super totam terram.* Loquitur haud dubie Deus non de toto orbe, sed de terra Jehudah. nam hac lege electus fuit Jeremias, ut operam suam electo populo impenderet. Dicitur ergo *fore victor totius Judææ.* Postea sequitur, *Contra Reges Jehudah.* Scimus unum duntaxat fuisse Regem in Judæa: sed Deus Prophetam suum hortatur ad perseverantiam: quasi diceret fore illi longum militiæ cursum, ne tædio ob longam moram deficiat. Sensus igitur est, Prophetam non militaturum contra unum Regem, sed mortuo uno, adhuc nova certamina instare: ut scilicet apud se statuat, nullam fore spem quietis, donec peregerit totum illud tempus, quod Deus apud se destinaverat. Scimus enim etiam qui probe animati sunt ad parendum, tamen expetere sibi præfigi aliquod tempus, ut postea tanquam milites emeriti vacationem obtineant. Deus autem hic Prophetæ suo denunciat, ubi ad mortem unius Regis strenue certaverit, nihilo tamen

meliorem

meliorem fore ejus conditionem, quoniam succedent alii, quibuscum necesse erit etiam confligere, quoniam eadem manebit & pravitas & obstinatio. Regibus adjungit *Principes, & Sacerdotes*, postremo etiam *totum populum*. Si Rex quispiam oblitus officii, tyrannice imperet, sæpe tamen continget ut adsint aliqui moderatores, qui temperent ejus libidines, si non possint in totum corrigere. Videmus enim crudelissimos tyrannos sæpe placari à bonis consiliariis. Sed Deus hic Prophetam suum admonet, res ita desperatas esse in Judæa, ut si Reges improbi sint ac scelerati, etiam consiliarios habeant perversos, & eodem præditos ingenio. Quod de Sacerdotibus sequitur, posset videri magis prodigiosum, nisi quia passim testatur Scriptura, Sacerdotes Leviticos fuisse omnes fere degeneres & apostatas, ita ut vix centesimus quisque ostenderet minimum pietatis signum. Quum ergo ordo ille sic esset corruptus, non est quod miremur denunciari Jeremiæ bellum cum Sacerdotibus. & postea in progressu videbimus hoc fuisse completum. Quia autem poterat videri excusabile vulgus, sicuti major est illic simplicitas quam in proceribus (nam qui eminent, vel superbia, vel crudelitate delinquunt, vel permittunt sibi nimium licentiæ, confisi sua præstantia: in plebe autem, quemadmodum dixi, sæpe apparet in speciem plus modestiæ) sed Deus hic pronunciat tantam impietatem grassari in Judæa, ut à minimo usque ad maximum omnes sint perversi. fuit igitur armatus Propheta, quemadmodum nuper dixi. Quid enim poterat reputare, si non fuisset in tempore admonitus, & postea expertus fuisset tantam petulantiam, imo tantam rabiem in summis & infimis, ut hostiliter bellandum esset cum electo Dei populo, non secus atque cum diabolis? Postea sequitur,

19. Pugnabunt autem tecum, (*vel præliabuntur contra te*) sed non prævalebunt tibi: quia tecum ego, (*quia sum tecum*) dicit Jehovah, ad te liberandum.

Hoc versu breviter admonet Deus servum suum, quamvis inexpugnabili virtute sit instructus, tamen instare multas molestias, ut non peragat munus suum ludendo, quemadmodum vulgo dicunt. Ostendit igitur quorsum futurus sit similis *urbi invictæ, & columnæ ferreæ, & muro æneo*, nempe ut viriliter pugnet, non autem ut procul à se abigat omnia discrimina, omnes pugnas, & quicquid durum & grave erit secundum carnem. In summa, videmus usum promissionis huc spectare, ut Jeremias fretus Dei auxilio non dubitet sese opponere universis Judæis: & qualiscunque sit eorum rabies, ut tamen non frangatur animo. Jam hinc colligi potest utilis doctrina: nempe quoties Deus promittit servis suis victoriam contra hostes, non debere ipsos hoc trahere ad fovendum torporem vel ignaviam: sed potius ad colligendos animos, ut scilicet forti & infatigato studio pergant in cursu vocationis suæ. Denique promittit Deus se fore illis liberatorem: sed simul etiam illos hortatur ad sustinendos omnes impetus hostium. Dicit igitur, *Pugnabunt ipsi, sed non prævalebunt: quia tecum ego, ut te liberem.* Ex quibus verbis discimus ita armatum fuisse Jeremiam, ut non debuerit expavescere quum videret proposita sibi esse discrimina. Neque enim Deus hic pronunciat se fore illi instar muri, ne quos insultus sustineat: sed dicit, *Ut te liberem.* quasi diceret, Compara te ad tolerantiam, quia nisi tibi essem liberator, actum esset de tua vita, ac centies perires: sed inter mille mortes, non est quod quicquam periculi exhorreas, ubi ego tibi præsto sum liberator. Sequitur,

CAP. II.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Vade, & clama ad aures Jerusalem, dicendo, Sic dicit Jehovah, Recordatus sum tui propter misericordiam adolescentiæ tuæ, & dilectionem desponsationis tuæ, quum me sequuta es (*quum venisti post me, profecta es post me*) in deserto, in terra non seminata.

Hic jam mandata injungit Deus servo suo, quæ ad Regem & Sacerdotes, & totum vulgus perferat. Nam per *aures Jerosolymæ* intelligit omnes incolas. Tacite autem hic *significat* Deus, indignos esse Judæos quorum amplius gerat curam, sed alia causa se adduci, ne ipsos in totum rejiciat, donec expertus fuerit deploratam eorum malitiam. Sic ergo præfatur, *Recordatus sum tui propter misericordiam adolescentiæ tuæ, & amorem desponsationis tuæ.* His verbis docet se non spectare quid meriti sint Judæi, neque etiam agnoscere ullam in ipsis dignitatem, cur sollicitus sit de eorum salute, & eos in viam reducere studeat Prophetæ sui opera: sed hoc dare prioribus suis beneficiis. Vertunt quidam, Recordatus sum pietatis, vel misericordiæ adolescentiæ tuæ. & Lak ita posset resolvi, sicuti quibusdam aliis locis. Alii autem omittunt particulam Lak: alii vero subaudiunt copulam, Recordatus sum tui, & misericordiæ. Nullus autem, meo judicio, assequutus est Prophetæ mentem, quum tamen nulla sit obscuritas in verbis, si subaudiatur particula, quod scilicet Deus recordetur populi sui, propter misericordiam qua ipsum complexus est, propter amorem quo persequutus est eum ab initio. Hunc ergo genuinum Prophetæ sensum esse arbitror, quod scilicet Deus hic tollat omnem materiam superbiæ & gloriationis Judæis: quasi diceret, ipsos esse dignos quorum nulla sit ratio, sed se adhuc illis esse patrem, quoniam nolit perire sua beneficia, quæ in ipsos pridem contulerat. Denique hic est causæ redditio, cur Deus mittat Jeremiam post alios Prophetas: quasi diceret, Hoc vobis testimonium erit paternæ curæ qua vos prosequor, dum mitto Prophetam, qui spem veniæ vobis faciat, si in viam redieritis, & sitis mihi reconciliati. Unde autem fit ut ego adhuc de vobis cogitem, quum tamen sitis mei obliti, & abjeceritis omnem curam meæ Legis? nempe quia volo continuare mea erga vos beneficia. Vocat *misericordiam adolescentiæ*, passive. nam his verbis non intelligit misericordes fuisse Judæos olim, sed expertos fuisse Dei misericordiam. Notanda autem est similitudo qua utitur. nam hic Deus sponso adolescenti se comparat, qui uxorem duxit teneram, & in flore ætatis, & summa pulchritudine. Et hic loquendi modus passim occurrit apud Prophetas. Ego non immoror in explicatione, quoniam alibi fusius de ea re tractandum erit. Quum ergo Deus sibi desponsaverit Israeliticum populum, ubi eum redemit, & eduxit ex Ægypto, dicit *se nunc recordari populi propter illam misericordiam, & propter amorem.* Præponit amori misericordiam, vel beneficentiam. Nam חסד proprie est gratuitus favor, vel humanitas quæ miseris præstatur, vel beneficentia. Amoris voce pluribus aliis locis Deus intelligit etiam gratuitam electionem, qua complexus fuerat

totum

totum illum populum. Sed clarior est expressio, ubi statuitur in priore gradu misericordia, vel gratuitus favor: deinde etiam amor adjnogitur. Nibil quidem additur novi, sed expressius declarat Propheta, populum illum fuisse dilectum à Deo non alio respectu, nisi misericordiæ. Est autem bic insignis locus: quia ostendit Deus, fœdus suum quamvis à Judæis perfide violatum fuerit, tamen esse firmum & stabile. Nam quamvis non omnes qui genus ducunt ab Abraham secundum carnem, sint veri & legitimi Israëlitæ: tamen Deus semper verax manet, & vocatio ejus caret Rom. 11. vers. 29. pœnitentia, quemadmodum docet Paulus. Hoc igitur discamus ex Prophetæ verbis, Deum non contentum fuisse uno Propheta, sed continuasse gratiam illam, quoniam nolebat fœdus suum esse irritum. Judæi quidem impie à fœdere ipsi desciverant, & multitudo ut digna erat, periit, & prorsus fuit abdicata: Deus tamen reipsa testatum esse voluit non pendere gratiam suam ab hominum inconstantia, ne Rom. 3. vers. 4. subinde labascat: quemadmodum etiam alibi dicit Paulus, etiam si omnes homines sint mendaces & perfidi, Deum tamen manere veracem, & perstare in suo proposito. Hoc colligimus ex Prophetæ verbis, ubi præfatur Deus *se recordatum esse populi propter misericordiam adolescentiæ ipsius*. Jam quod adolescentiam & desponsationem ponit, ex eo etiam discamus, præventum fuisse populum illum Dei beneficentia. Neque enim alio jure familiaris fuit Deo, nisi quod electus fuit. Nam desponsatio non incepit à populo, nisi antevertisset Deus. Qualis erat Abraham? & quales omnes ejus postari? Nunc ergo ostendit Deus, initium omnium bonorum hoc esse, & quasi fontem, quod populum illum sibi eligere dignatus est. Et hoc idem confirmat aliis verbis: *Quum me sequuta es*, inquit, *in deserto, in terra non seminata*. Scimus populum non obtemperasse Deo, ut par erat, etiam quum redemptus fuit. ergo non tam commendat hoc loco Deus ulla populi merita, quam confirmat (quemadmodum dixi) illam sententiam, quod scilicet oon possit abjicere curam ejus populi quem semel sibi adoptavit, & quem traxit in desertum, ut separatus esset à toto fere mundo. per modum tamen concessionis, pro sua indulgentia, in laude ponit obsequium illud, quod per vias asperas populus Deum comitatus sit: acsi puella delicata ob sponsi amorem duros & molestos labores non refugeret. Postea addit,

3. Sanctitas Israël Jehovæ, primitiæ frugum ejus: quicunque comederint, contrahent noxam, (*alii vertunt, peccabunt: sed ego potius ad pœnam refero*) malum veniet super eos, (*exegetice additur hoc membrum*) dicit Jehovah.

Hic clarius exprobrat Deus populo ingratitudinem: & primum sua beneficia commemorat, quibus populum sibi devinxerat in perpetuum: deinde ostendit quam maligne responderit populus ipse tot beneficiis acceptis. Quum ergo dicit *Israëlem fuisse sanctum*, hoc noo ponitur honoris causa. Est quidem per se præclarum hoc elogium, quod Deus sibi hunc populum consecravit, quod voluerit esse quasi primitias frugum suarum: sed tenenda est obliqua antithesis inter ingentem hanc & incomparabilem Dei gratiam, & pravitatem populi, qui à Deo tam liberali & benefico postea defecit. Hoc igitur sensu dicit Jeremias *Israëlem esse sanctitatem Deo*, hoc est, esse segregatum ab aliis omnibus populis, ut illic refulgeat Dei gloria. Postea adjungit *esse primitias frugum*. Nam quamvis fruges quæcunque in terra nascuntur, merito consecratæ sint Deo, cujus virtute nascuntur: tamen scimus delectas fuisse primitias, quæ altari impositæ essent quasi sacer cibus. Quum ergo Deus jussisset sibi in Lege offerri primitias, & eas postea dedisset Sacerdotibus, hic ex consueto ritu dicit *populum Israëliticum esse primitias frugum suarum*. Nam gentes, quæ tunc ubique habitabant, non erant extra imperium Dei. (est enim omnium creator: deinde omnibus semper exhibuit se patrem ac nutricium) sed præteritis aliis gentibus, solum genus Abrahæ sibi elegit, & quidem hac lege, ut illud protegeret sua virtute & auxilio. Quum ergo Deus ita unam gentem sibi devinxerit, quanta, & quam arcta & sancta esse debuit obligatio illius populi? Eo igitur fœdior, & magis detestabilis fuit perfidia, quum populus ita sprevit singulares illas gratias, quas Deus in ipsum contulerat. Nuoc ergo videmus quorsum Propheta dicat *Israëlem fuisse Deo sanctum, & primitias frugum ejus*. Interea tacite subindicat venturum esse tempus, quo Deus sibi etiam alios populos colligat. Nam in primitiis populus dicabat & offerebat Deo totum anni proventum. Sic ergo Israël fuit similis primitiis, quia postea Deus sibi etiam assumpsit extraneas gentes, quæ multis seculis habitæ fuerant quasi profanæ. Sed tamen hoc præcipue spectavit, gravissimam esse populi culpam qui non agnosceret quæ & quanta beneficia in ipsum contulisset Deus. Jam addit, *Quicunque comederint ipsum, contrahent noxam*. Dixi mihi magis placere hunc sensum, quia sequitur continuo post explicatio, *malum veniet super eos*. Non intelligit ergo Deus simpliciter reos esse criminis, qui comederint primitias illas: sed hoc potius ad pœnam refert: quasi diceret, Non impune comedent profani has primitias, quæ mihi dicatæ sunt. Si quis enim ad se rapuisset primitias, Deus sumpsisset de illo vindictam sacrilegio dignam. Si quis tamen malit aliter exponere, quod scilicet nefas sit lædere Israëlem, aut inferre ullam injuriam, quia sit sub tutela Dei, non admodum repugno. Veruntamen phrasis linguæ potius in diversam partem nos ducit, nempe non tantum noxios fore qui Israëlem læserint, sed etiam non posse effugere vindictam Dei. Quare? *Malum enim veniet super eos, inquit Jehovah*. Postea clarius explicat usum hujus doctrinæ.

4. Audite sermonem Jehovæ domus Jacob, & omnes cognationes (*vel familiæ*) domus Israël.

5. Sic dicit Jehovah, Quid invenerunt patres vestri in me iniquitatis, quia alienati sunt à me, & ambulaverunt (*vel profecti sunt*) post vanitatem, & facti sunt evanidi? (*vel evanuerunt.*)

Hic explicat Deus quorsum protulerit in medium quod vidimus, nempe se Israëlem sibi dicasse in populum peculiarem, & velut in primitias. Sæpe Deus beneficia sua erga nos prædicat, ut hortetur nos ad bene sperandum: ut certo simus persuasi, quicquid acciderit, semper nos fore salvos, quoniam sumus sub ejus fide, ex quo nos elegit. Sed hoc loco & aliis compluribus recenset Deus quantum sibi debeant Israëlitæ, ut inde melius pateat crimen ingratitudinis. Dicit igitur, *Audite sermonem Jehovæ*. Hac præfatione sibi attentionem conciliat. Nam significat se verba noo facturum de re aliqua vulgari. *Audite* ergo *domus Jacob, audite omnes familiæ domus Israël*, inquit. Quasi diceret Jeremias, Ego hic secura prodeo in

medium Dei nomine, quia non vereor ne ulla possit afferri à vobis defensio, quæ refellat Dei objurgationem: & secure expecto quid sitis dicturi: quia scio vos fore mutos. Ego igitur libenter instar buccinæ clamabo sonora voce, me venire ad vos damnandos: si quid est quod respondeatis, ego liberum vobis facio: sed coget ipsa veritas vos obmutescere, quia crimen vestrum nimis est execrabile, & nimis etiam convictum. Huc igitur spectat exhortatio, quum jubet *attente audire*. Jam sequitur ipsa accusatio, *Quid invenerunt criminis in me patres vestri, ut me relicto, ambulaverint post vanitatem, & evanidi facti sint?* Duo crimina hic objicit Jeremias populo: nempe quod à Deo vero desciverint, quem experti erant liberatorem: deinde *evanuerint in suis figmentis*, hoc est, quod fuerint apostatæ nulla de causa. Crimen enim exaggeratur, quod illis oblata non fuerit occasio, cur Deum relinquerent, & se ab ipso alienarent. Quum ergo Deus ipsos humaniter tractaverit, ipsi autem jugum excussissent, & non esset quem Deo conferrent, non poterant dicere, Fuimus decepti. Et quare? *Nam sequuti*, inquit, *estis vanitatem*: & sola vanitas in causa fuit, ut à me deficeretis. Ego longius prosequerer, sed mihi est aliud negotium quo vocatus sum etiam ante lectionem.

Da omnipotens Deus, quando hodie non cessas & mane & vesperi nos ad te vocare, & assidue nos hortaris ad resipiscentiam, te etiam exorabilem nobis fore testaris, si modo ad misericordiam confugiamus, ne obstructis auribus respuamus hanc tuam benignitatem, sed memores gratuitæ electionis tuæ, quæ principium tibi est omnium gratiarum quibus nos dignaris prosequi, studeamus ita nos tibi addicere, ut glorificetur nomen tuum tota vita nostra: & si contingat nos aliquando abs te declinare, ut tamen cito redeamus in viam, & morigeri simus sanctis tuis admonitionibus, ut ita appareat nos sic semel abs te electos esse & vocatos, ut cupiamus permanere in spe illius salutis, ad quam nos invitas, & quæ nobis parata est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA IN JEREMIAM.

HEri audivimus Dei querimoniam, qua expostulabat cum populo suo. Dicebat in summa, Si veniendum sit coram aliquo judice, sibi esse justas causas damnandæ eorum ingratitudinis: ipsos vero carere omni prætextu, quia profecti sint post vanitatem, & facti sint evanidi, hoc est, nulla occasione ipsum deseruerint, & tantum abrepti sint post sua figmenta. Nunc sequitur,

6. Et non dixerunt, *(hoc est, non cogitarunt apud se)* Ubi est Jehovah, qui eduxit nos è terra Ægypti, & proficisci fecit nos per desertum in terra solitaria *(vel vasta)* & squalida: in terra horribili, & umbræ mortis: in terra per quam vir non transiit, & in qua non habitavit homo?

7. Et introduxi vos in terram fertilem ad comedendos fructus ejus, *(vel ad comedendum fructum ejus, in singulari)* & ubertatem ejus: *(ad verbum est, ad bonum ejus)* & ingressi estis, & polluistis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem.

Prosequitur eandem sententiam Propheta. Deus enim hic populo suo non leve crimen objicit: quia venerint sua beneficia in oblivionem. Atqui redemptio tam admirabilis, digna erat quæ celebraretur omnibus seculis, non tantum in una gente, sed per omnes orbis plagas. Quum ergo Judæi ita sepelierint memoriam tam insignis & inæstimabilis gratiæ, in eo deprehenditur fœda eorum impietas. Si non experti fuissent Dei virtutem & beneficentiam, vel si tantum sensissent eam vulgaribus modis, poterat extenuari eorum culpa. Sed quum Deus è cælo manifestasset virtutem insolitam, & majestas ejus versata fuisset ante oculos populi: quanta fuit illa barbaries, quod postea obliti sunt Dei sui, qui palam ipsis, & quidem talibus documentis innotuerat? Tenemus ergo sensum Prophetæ quum dicit *ipsos non dixisse*. Nam hic Deus perstringit socordiam in Judæis, quod non reputaverint se in perpetuum esse obstrictos ejus beneficentiæ, quoniam ita mirabiliter eos liberasset è terra Ægypti. Quum dicit *non dixisse*, *Ubi est Jehovah?* significat se fuisse illis præsentem, vel propinquum: sed fuisse cæcos: & ideo nullum illis esse prætextum ignorantiæ, quoniam non procul quærendus fuerit, vel per longas ambages. Si ergo hoc tantum illis venisset in mentem, An non Deus semel nos redemit? non poterant deficere post suas vanitates. unde ergo tantus error vel potius tanta amentia, quod idola sequuti sunt? Nempe quia non placuit ipsis conferre studia sua, vel animos adjicere ad Deum quærendum vel respiciendum. Hic ergo Propheta occurrit hypocritis, qui poterant excipere se fuisse deceptos, & lapsos ignorantia: quemadmodum semper in promptu sunt tergiversationes, ubi in judicium vocantur qui peccarunt. Ergo ne quid tale obtenderent Judæi, Propheta hic ostendit non errore fuisse deceptos, sed malitia abreptos fuisse post mendacium: quia Deum ultro contempserint, neque voluerint inquirere de ipso, quum satis esset ipsis propinquus. Locus hic notatu dignus est, quia nihil est magis vulgare, quam ut impii, ubi convicti sunt, captent hanc latebram, nempe se bono animo fecisse, quum fuerunt superstitionibus suis addicti. Discutit ergo Propheta hunc fucum, & ostendit, ubi semel cognitus fuit Deus, non posse deleri ejus nomen & gloriam nisi hominum pravitate, quum scientes & volentes ab ipso desciscunt. Omnes igitur apostatæ hoc uno verbo damnantur ne audeant amplius tergiversari, quasi simplicitate decepti essent: quia ubi ventum fuerit in examen, deprehenditur ipsorum & malignitas & ingratitudo, quod non dignati sint inquirere *ubi esset Deus*. Et postea subjungit quæ ad sententiæ hujus explicationem faciunt. Dico enim hic damnari non quoslibet, sed Judæos, qui ex certa experientia cognoverant Deum sibi esse patrem. Quum ergo Deus multis testimoniis se illis patefecisset, non fuit ullus prætextus inscitiæ. Ergo dicit Propheta *ipsos non reputasse, ubi esset Deus qui eduxerat eos è terra Ægypti, & fecerat proficisci per desertum.* Hoc non potuit promiscue dici de cunctis gentibus: sed jam dictum est, sermonem hunc peculiariter dirigi ad Judæos, qui manifeste senserant Dei virtutem: ita non poterant nisi ultro peccare, nempe quum extinguerent sua malitia lucem, quæ objecta fuerat ipsorum oculis. Et hic simul amplificat Pro-

pheta crimen à circumstantiis. Neque enim simpliciter dicit fuisse eductos è terra Ægypti, sed fuisse Deum illis perpetuum ducem per annos 40. Tempus enim comprehenditur sub nomine deserti. Historia nota erat: ideo satis habuit eam breviter attingere. Et tamen magnifice illustrat Dei gloriam, quum de ipso deserto loquitur. Sed hoc primo loco notandum est, Judæos fuisse inexcusabiles, qui non reputaverint patres suos 40 annis fuisse mirabiliter servatos Dei manu, & quidem modo inusitato. Neque enim panis erat quo alerentur, neque etiam aqua. Deus è rupe illis aquam eduxit; deinde saturavit eos cælesti pane: & vestes eorum attritæ non fuerunt tam longo illo tempore. Videmus ergo exaggerari eorum crimen circumstantia temporis. Nunc sequuntur quæ dixi. Nam Propheta vocat desertum terram aridam vel vastam, *terram squalidam, terram horribilem, terram obscuritatis mortiferæ*: quasi diceret populum fuisse conservatum in media morte, imo inter multas mortes. Quia *vir non solebat transire per terram illam, nec quisquam in ea habitabat*, inquit Deus: unde igitur vobis salus est profecta? Ex quo fonte? nempe ex morte, inquit. Nam desertum quid aliud fuit, quam spectaculum horribile, in quo cernere licebat vos circumdari non ab una specie mortis, sed à centum? Quum igitur Deus virtute sua incredibili eduxerit vos ex Ægypto, & per annos 40 vos aluerit præter naturæ ordinem, quænam suppetet excusatio tantæ dementiæ, quod ab ipso nunc estis alienati? Docet autem hic locus, quo plura beneficia in nos Deus contulerit, eo atrocius esse crimen si ab ipso deficimus, & minus esse excusationis in malitia nostra & ingratitudine: præsertim si beneficentiam suam longo tempore, & variis modis erga nos prosequutus sit. Addit postea, Et *introduxi vos*, inquit. Hic loquentem inducit Deum ipsum Jeremias, quod scilicet Deus quasi porrecta manu miserit filios Abrahæ in possessionem terræ promissæ. Neque enim sicuti dicitur Psal. 44. manu sua aut gladio acquisierunt terram illam. Tametsi enim bellandum fuit cum multis hostibus, tamen Deus in omnibus præliis fuit victor. Potuit igitur vere dicere, non aliter ingressos esse in terram illam, quam duce ipso, quum iter aperuit & transitum, & subegit ipsorum hostes, ac profligavit, ut fruerentur hæreditate sibi promissa. *Induxi vos*, inquit, *in terram* הכרמל. Quidam proprium nomen esse putant: & certe mons ipse Carmel ideo sic vocatur, quod esset admodum fertilis. Quum ergo nomen fuerit monti impositum à fœcunditate, non mirum est, si Jeremias conferat terram Israël Carmelo. Alii subaudiunt notam similitudinis כ, Induxi vos in terram, quæ similis est Carmelo. Sed nihil opus est antie torquere Prophetæ verba. Ego igitur appellativum nomen esse existimo, quod deducti fuerint Israëlitæ manu Dei in terram fœcundam: sicuti ubertas ejus passim, & in Lege, & in Prophetis celebratur. *Ut comederetis fructum ejus, & ubertatem ejus*, hoc est, volui vos frui largo & pingui terræ proventu. His verbis significat Deus, debuisse Israëlitas talibus illecebris adduci, ut ipsum ex animo colerent, quum tam suaviter ipsos ad se inviraret, ac tam benigne tractaret eos. Quo igitur major fuit Dei liberalitas erga populum, eo major fuit indignitas defectionis, quum populus ipse sprevit tantam bonorum Dei copiam, & varietatem. Ideo subjicit, *Et polluistis terram meam, & hæreditatem meam posuistis in abominationem*, inquit: quasi diceret, Hæc fuit merces qua compensata fuit mea erga vos liberalitas. Ego enim vobis terram hanc dedi, sed certa lege, nempe ut in ea pure me coleretis: polluistis autem ipsam, inquit. Vocat *terram suam*: acsi diceret se ita dedisse terram Israëlitis, ut tamen maneret ejus dominus, quo ad proprietatem, licet usum ipsius & fructum concederet. Ostendit igitur eos impie abusos fuisse bonitate sua, quod terram illam polluerant, quæ tamen sacra erat ejus nomini. Eodem sensu *hæreditatem suam* vocat: quasi diceret, jure hæreditario ipsos adeptos fuisse terram illam, sic tamen ut hæreditas esset à Patre cælesti. Debebant igitur expendere se ideo ingressos fuisse terram illam, quoniam data esset Abrahæ, & filiis ejus in hæreditatem. A quo? Deus erat auctor hujus beneficentiæ. Ergo ingratitudo eorum magis hinc fuit detestabilis, *quod posuerint hæreditatem illam Dei in abominationem*. Sequitur,

8. Sacerdotes non dixerunt, Ubi Jehovah? & qui tenebant (*vel servabant*) Legem, (*ad verbum est, apprehendentes, vel tenentes Legem*) non cognoverunt me: & Pastores perfide egerunt mecum: & Prophetæ prophetarunt in Baal, (*hoc est, per Baal*) & post ea quæ non prosunt ambulaverunt. (*vel profecti sunt.*)

Hic specialiter Deus aggreditur ipsos doctores, & alios quibus commissum erat populi regimen. Sæpe enim continget vulgus ipsum dilabi: & tamen manebit aliqua sinceritas in præfectis. Sed Deus ostendit talem fuisse defectionem in populo, ut tam sacerdotes quam Prophetæ, & proceres ipsi omnes descivetint à vero cultu, & ab omni justitia. Quum autem stylum ita Jeremias stringit in doctores & sacerdotes, & reliquos, non excusat plebem, neque extenuat crimina, quæ tunc passim fuisse grassata videbimus ex contextu: quemadmodum multi putant se objicere Deo clypeum, ubi obtendunt se non pollere tanta doctrina, ut discernant inter lucem & tenebras, sed regi à suis præfectis. Propheta ergo hic non derivat culpam à populo in ipsos præfectos: sed potius amplificat atrocitatem impietatis: quoniam à minimo usque od maximum omnes Deum & Legem ejus abnegaverant. Tenemus ergo nunc consilium Prophetæ. Et discendum est ex hoc loco, stulte & inepte facere eos omnes, qui existimant levari se aliqua parte, dum excipiunt simpliciter se incedere, & aliena culpa trahi in errorem. Nam hinc apparet omnia esse perdita, ubi Deus conjicit sacerdotes & præfectos in sensum reprobum. Neque enim dubium est, quin totus populus Dei vindictam in se provocaverit, ubi ita corrumpitur omnis ordo tam politicus, quam spiritualis. Hanc ergo justam pœnam Deus rependit delictis totius populi, dum excæcat sacerdotes & Prophetas, & alios præfectos. Hoc consilio nunc dicit Jeremias *sacerdotes non reputasse ubi esset Jehovah*. Dicit, *Qui tenent Legem*. תפש significat tenere & comprehendere, significat etiam operire interdum. Ita poterit duplex esse sensus, quod sacerdotes tenuerint Legem, vel quod ipsam habuerint clausam velut sub custodia. Neque tamen quadraret, suppressam ab ipsis fuisse Legem: quia per concessionem hic honorifice loquitur de ipsis Deus. quanquam hinc ostendit magis esse sceleratos, quod nullam gesserint curam officii sui. Dicit ergo, *Qui Legis meæ erant custodes*: non quod reipsa custodirent Legem Dei, tanquam apud illos vigeret purus zelus, sed quia hoc profitebantur. Volebant enim censeri quasi nomophylaces, qui reconditum haberent thesaurum cælestis doctrinæ, quia interrogandi erant quasi Spiritus Dei organa. Quum ergo jactarent se tenere, & custodire Legem, ideo Propheta magis acerbe eos perstringit, quod non cognoverint Deum ipsum. Et videtur

Paulus

Rom. 2. vers. 20, 21, 22.

Paulus sumpsisse ex hoc loco quod dicit 2. ad Rom. cap. Tu qui tenes formam Legis, tu qui prædicas non scortandum esse, mœcharis: & qui damnas idola, ipse es sacrilegus. nam tu observas Legem, acquiescis in ipsa, gloriaris in Deo, penes te est cognitio & scientia. Paulus his verbis detegit hypocritarum flagitia, quod scil. magis sint detestabiles dum ita inflati sunt fallaci gloria: & interea profanant sacrum Dei nomen, dum obtendunt se esse ejus præcones, & quasi Prophetas. Jam videmus hoc secundum de Sacerdotibus dici, & ideo vocari custodes Legis, quia ad hoc creati erant, quemadmodum cognoscimus ex Malachia. Postea adjungit, *Pastores perfide egisse cum Deo.* Possumus hoc transferre tam ad consiliarios Regis, quam ad omnium urbium Præfectos. Nec dubito quin Propheta complecti voluerit eos omnes, qui præditi erant aliquo imperin, ut populum Dei regerent. Communiter enim tam reges & eorum consiliarii, quam Prophetæ vocantur Pastores. Dicit etiam *Prophetas prophetasse per Baal.* Nomen Propheticum per se sacrum est: cæterum καταχρηστικῶς hoc loco Jeremias, ut multis aliis, Prophetas nominat, qui tamen erant impostores. Deus enim abstulerat illis omnem lucem veræ doctrinæ. Sed quoniam illam existimationem adhuc tenebant in populo, acsi essent Prophetæ, ideo ab officio & vocatione elogium hoc illis concedit Propheta: quemadmodum hodie vocamus & Episcopos, & Prælatos, & Patres, qui in Papatu gloriantur se fungi munere Pastorali: & tamen scimus esse partim lupos, partim vero canes mutos. concedimus illis titulos quibus superbiunt, quoniam duplex condemnatio impendet eorum capitibus, dum ita usurpant impie ad se, & sacrilega audacia sacros titulos, & spoliant Deum justo suo honore. Sic ergo nunc Jeremias, quum de Prophetis loquitur, designat impostores, qui impie tunc populum fallebant. Dicit *ipsos prophetare in Baal*, hoc est, plus deferre auctoritatis idolis quam vero Deo. Scimus venisse tunc nomen Baal in communem usum. Sæpe plurali numero Prophetæ vocant Baalim, quælibet idola: sed quum Baal significet patronum, quum loquuntur Prophetæ vel de Baal in singulari numero, vel de Baalim in numero plurali, intelligunt omnes minores deos, qui tunc coacervati erant à Judæis: quasi Deus non esset contentus sola sua virtute, sed opus haberet sociis & auxiliaribus. quemadmodum hodie in Papatu fatentur quidem unicum esse summum Deum: sed interea nihilo plus illi deferunt quam suis idolis, quæ sibi fabricant pro libidine. Idem etiam vitium tunc regnavit apud Judæos, imo apud omnes Gentes. Fuit enim hæc simplex & ingenua omnium confessio, unum esse supremum Numen: sed interea erat innumera deorum turba: omnes illi erant Baalim. Ergo quum Propheta hic dicit Doctores fuisse ministros Baal, opponit hoc nomen vero & unico Deo: quasi diceret, fuisse doctrinam ab ipsis corruptam quia transilierint fines suos, neque acquieverint in pura Legis doctrina: sed admiscuerint corruptelas hinc inde, nempe ex turba illa deorum, quam sibi confinxerant profanæ gentes. Neque hic Propheta insistit in ipso nomine. fieri enim potest ut falsi illi doctores præ se tulerint nomen æterni Dei, sed falso: at Deus non est sophista. Non est igitur quod putent Papistæ hodie se esse dissimiles veteribus illis impostoribus, quia unius Dei nomen obtendant. Id enim semper factum est. neque hodie primum cœpit Satan se transfigurare in Angelum lucis: sed omnibus seculis semper doctores omnes isti in calice aureo propinarunt suum venenum, hoc est, omnes errores & fallacias. Tametsi igitur tunc Prophetæ jactarent se divinitus esse missos, & plenis buccis detonarent se esse servos Dei Abrahæ, hoc tamen totum inane fuit. Nam miscebant suas corruptelas, quas sibi accersiverant ex impiis gentium erroribus. Sequitur, *Et post eos qui non prosunt, profecti sunt.* Iterum obliqua comparatione exaggerat eorum crimen, quod scilicet spreverint ipsum, quem cognoverant tot documentis esse Patrem suum & salutis auctorem, cujus palpaverant quasi manibus immensam potentiam: deinde sequuti sunt sua figmenta, quia scilicet nihil erat in omnibus idolis, quod alliceret Israëlitas. Quum ergo inanes, & nullius utilitatis fallacias sequuti sint, hinc atrocius redditur eorum crimen. Postea sequitur,

9. Propterea adhuc contendam *(vel disceptabo)* vobiscum, dicit Jehovah, & cum filiis filiorum vestrorum disceptabo.

Non caret pondere particula עוד, quia subindicat Propheta, si Deus pœnas jam ante exegerit de perfidia & sceleribus populi, se adhuc retinere jus suum integrum: quasi diceret, Ne putetis vos esse defunctos pœnis omnibus, si hactenus severe ultus sum scelera patrum vestrorum & obstinationem. Nam quum pergatis in eodem cursu, & nullus sit apud vos peccandi modus neque finis, ego etiam non desistam à jure meo, sed persequar usque ad extremum & vos, & filios vestros, & alias etiam generationes. Nunc ergo intelligimus qoid velit Propheta: nam hoc solenne est hypocritis, crasse rejicere omnem metum, præsertim ubi semel castigati sunt à Domino. putant enim hoc ei sufficere, quod pœnam sumpserit de sceleribus. Atqui noo cogitant Deum mediocriter punire hominum peccata, ut alios ad pœnitentiam invitet, & sic esse asperum & severum ut tamen se retineat, quo sit locus spei: atque ita dum veniam expectant qui peccarunt, alacrius sese recipiant in viam. Hoc non cogitant hypocritæ: sed putant Deum exercere primo impetu omnem suum rigorem, ita promittunt sibi impunitatem in futurum tempus. Exempli gratia, Si Deus castiget urbem aliquam vel regionem bello, aut peste, aut fame, in mediis malis aliquis est terror & anxietas, gemunt & suspirant, atque etiam ululant plerique quos Deus ita affligit. Cæterum simulatque data est aliqua relaxatio, excutiunt jugum, & immemores scelerum suorum iterum ad vomitum redeunt tanquam canes. Sic igitur necesse est hypocritis denunciari quod videmus fieri nunc à Jeremia, nempe Deum sic ulcisci hominum peccata, ut tamen in futurum tempus non desinat jus suum persequi, ubi videt homines ipsos ita esse præfractos ut nihil proficiat suis ferulis. *Adhuc igitur*, inquit. Nec dubium est quin hæc comminatio exacerbaverit animos gentis. nam quum auderent Deo obstrepere, sicuti videmus multis locis, & dicerent spinosas esse ejus vias, non parcebant Prophetis: & hoc etiam videbimus suo loco. nam odiosum nomen imposuerant Prophetis, Quid? isti Prophetæ nihil aliud crepant quam Onera, Onera, quasi Deus semper fulminaret contra nos: satius esset habere clausas aures, quam assidue nos ita terreri ipsorum vocibus. Ergo certum est, fuisse hoc durum Judæis quum diceret Propheta, *Adhuc Deus vobiscum disceptabit.* sed oportuit ita fieri. Discamus igitur ex hoc loco, si Deus aliquando nos coarguit non tantum verbis, sed etiam re ipsa, & scelerum nostrorum nos admonet, non ideo defungi una culpa ut securi simus in posterum: sed donec ex animo resipiscamus, semper insonet auribus nostris hæc particula, *Adhuc Deus vobiscum disceptabit.* Disceptatio autem hæc realis intelligitur, quia non loquitur Jeremias de nuda doctrina, sed significat Judæos tractum iri ad Dei judicium, quoniam non desinant ejus iram provocâre: & idem etiam pronunciat de filiis ipsorum, & de tertia generatione. Postea sequitur,

10. Nempe (*vel Nam*) transite ad insulas Chitim, (*Græciæ, hoc est, ad omnes regiones transmarinas*) & videte, & in Kedar (*hoc est, in oppositam partem, nempe versus Arabiam*) mittite, & considerate diligenter, & videte an factum sit sicut hoc: (*id est, an factum sit aliquid simile*)

11. An mutaverit gens deos: & ipsi non sunt dii: & populus meus mutavit gloriam suam in id quod non prodest.

Hic comparatione amplificat gentis suæ malitiam & ingratitudinem, nempe quia superaverit levitate omnes profanas gentes. Dicit enim ita sibi constare omnes populos in una religione, ut quisque sequatur quod accepit à patribus. unde igitur fit ut Deus Israël ita respuatur & repudietur à populo suo? Si tanta est constantia in errore, cur veritas non obtinet fidem apud eos, qui edocti sunt ex ore ipsius Dei, acsi in cælum ipsum penetrassent? Hæc igitur summa est quum Propheta dicit, *Ite ad insulas Chitim, & mittite in Kedar.* Hic Græciam ab una parte designat, ab altera Orientem: sed per synecdochen. Nam Chitim, ut vidimus apud Danielem, vocant Hebræi Græcos: tametsi æxistimant quidam propriæ spectare hoc nomen ad Macedones. Sed non dubium est quin totam Græciam comprehendat sub hoc nomine, nec tantum insulas Mediterranei maris, sed etiam quicquid est in Europa. ita extenditur hoc nomen ad has partes, ad totam Galliam, & Hispaniam. Distinguitur quidem interdum hoc nomen: sed ubi generaliter ponitur, quemadmodum dixi, solent Hebræi ita loqui de Gallis, de Hispanis, de Germanis, ut de Græcia. Quod autem insulas vocant regiones quæ procul à mari dissitæ sunt, hoc ideo fit, quoniam non exercebant commercia cum remotis gentibus. Ergo quicquid erat ultra mare, putabant esse insulas: & ex vulgi consuetudine ita loquuntur Prophetæ. Jubet igitur ipsos *transire ad insulas*, vel ad partes tam Meridionales quam Septentrionales: deinde ex opposito etiam jubet ipsos mittere, qui explorent statum totius Orientis tam in Arabia, quam apud Indos & Persas, & in aliis regionibus. Nam sub nomine Kedar designat omnes Orientales populos: sed quia populus ille magis erat barbarus, ideo per ignominiam hic Kedar potius in medium profert quam vel Persas, vel Medos, vel alios qui magis erant celebres. *Ite* ergo, *vel mittite in omnes partes* mundi, *& videte, & diligenter considerate, videte etiam atque etiam:* quasi diceret tantum esse stuporem in Judæis, ut non possint expergefieri uno verbo, neque simplici admonitione. Hæc igitur ratio est cur jubeat eos sollicite inquirere, & tamen res erat in medio. Sed quemadmodum jam dixi, hæc sollicita inquisitio non refertur ad obscuritatem ipsius rei, sed ad damnandum stuporem illius gentis tam perversæ, quæ sibi tam crassæ impietatis conscia, adhuc tamen vitiis suis blandiebatur. Dicit ergo, *Certe transite ad insulas:* postea, *Videte an fit sicut hoc:* id est, nusquam reperietur tale & tam execrabile prodigium. Sequitur explicatio, quia scilicet *nulla gens mutavit deos, & tamen non sunt dii:* hoc est, religio apud omnes populos firma est ut subinde non mutent deos, sed colant qui traditi sunt per manus à patribus: *Et tamen ipsi non sunt dii*, inquit. Si tantum hoc fuisset dictum, Nulla gens mutavit deos, non ita graviter perstricta fuisset populi Israelitici impietas: sed Propheta sumit hoc pro confesso, gentes omnes mero errore trahi ad deos fictitios, & tamen constanter manere in errore. Non proponit autem hoc Deus instar virtutis, non intelligit illam obstinationem in gentibus esse dignam laude, quod non discedant à suis superstitionibus: sed respectu electi populi, hæc constantia potuit videri utcunque laudabilis. Nunc ergo videmus hoc complexim legendum esse quum dicit, Quamvis nulla ex gentibus colat verum Deum, tamen religio apud omnes firma perstat: vos autem me perfide deseruistis: & non deseruistis figmentum aliquod, sed *gloriam vestram.* Hic opponitur fallaciis vanorum deorum gratia Dei quum dicit, *Populus meus mutavit gloriam suam.* Sciebat enim populus, neque tantum edoctus erat per Legem, sed experimentis certis didicerat, Deum esse suam gloriam: & tamen ab ipso descivit. Ergo perinde est acsi diceret Jeremias, Israelitis omnes gentes die ultimo fore judices, quoniam pertinacia illa in errore ostendet Judæos eo magis esse sceleratos, quod apostatæ desciverint à vero Deo, & Deo qui virtutem suam illis manifesta demonstraverat. Jam si quærat quispiam, an non mutata fuerit apud multos populos religio: primum scimus hoc principium ubique valuisse, nempe ne quid novarent in religionis forma. Et Xenophon etiam hoc oraculum Apollinis magnifice extullit, qui respondit eos deus rite coli, qui traditi essent à majoribus. Diabolus ita fascinaverat omnes populos: nulla novitas placebit Deo, sed contenti estote usitata consuetudine, quæ à majoribus ad vos descendit. Hoc igitur principium apud Græcos, & Asiaticos, & in Europa etiam valuit. Ergo ut plurimum verum fuit quod nunc dicit Propheta. Scimus autem ubi comparatio aliqua additur, satis esse si explicetur quod fit ut plurimum, *ἐπὶ τὸ πολύ*, quemadmodum dicit Aristoteles, quod receptum est consuetudine, & continuo usu. Ergo videmus non absurde fuisse objectum levitatis crimen Judæis ab Jeremia, quum dicit, *nullam gentem mutasse fictitios deos:* Deum autem fuisse abnegatum à populo suo, *cujus fuerat gloria*, hoc est, cui dederat solidam gloriæ materiam.

Da omnipotens Deus, quando ita familiariter non tantum in Lege & Prophetis tuis, sed etiam in Filio unigenito te nobis patefecisti, ut debeat jam egisse in nobis altas radices veritatis tuæ cognitio: da, inquam, ut maneamus constanter in sancta tua vocatione, & magis ac magis in ea proficiamus, & semper ad metam properemus: & sic nos humilies sub forti tua manu, ut sciamus nos paterne abs te castigari: & proficiamus etiam in tua disciplina, donec tandem purgati omnibus vitiis perveniamus ad vitam immortalem, quæ nobis semel in Christo tuo manifestata fuit, & possimus pleno ore in te gloriari, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO SEXTA
IN
JEREMIAM.

12. Obstupescite cæli super hoc, & expavescite, desolamini (*vel arescite*) valde, dicit Jehovah.

Quoniam videbat Propheta negotium sibi esse cum stupidis hominibus, & qui fere omni sensu privati erant, ideo convertit sermonem ad cælos. Et hæc loquendi ratio satis trita est Prophetis, dum scilicet compellant cælum & terram, in quibus tamen nulla est intelligentia, interea homines ipsos mente præditos relinquunt. Hoc solent facere in rebus desperatis, ubi scilicet nulla est docilitas: & ideo nunc jubet Propheta *cælos obstupescere, & expavescere, & quasi in vastitatem redigi*, quasi diceret, hoc est portentum quod fere evertit totum naturæ ordinem, perinde ac si cælum terræ misceri videremus. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: nam hac figura ostendere vult, quam detestabilis sit populi impietas, quoniam cæli quamvis ratione præditi non sint, tamen merito debeant horrere tale portentum. Quantum ad verba spectat, quidam vertunt, Desolamini cæli, & iterum repetunt eandem significationem. Sed quum שמם significet stupere, melius quadrat præsenti loco quod reddidi: nempe, *Cæli sitis attoniti*: deinde, *expavescite super hoc, & arescite*. Nam חרב significat arescere, interdum in solitudinem & vastitatem redigi. Postea sequitur,

13. Certe (*vel quia*) duo mala fecit populus meus: me dereliquerunt fontem aquarum viventium, ut foderent sibi puteos, (*vel cisternas*) cisternas contritas, (*vel confractas*) quæ non continent aquas.

Si placet hic reddi causam cur cælos mirari & expavescere jusserit Propheta, vertendum erit, Quia duo mala fecit populus meus. Sed potius versum, quem nunc exposui, existimo pendere à superioribus sententiis. Dixerat Propheta, Ite in terras longinquas, videte an ulla gens mutaverit Deos suos: & tamen sunt mera figmenta. puto igitur hanc sententiam exclamatione finiri, quum nuper dixit Propheta, Cæli obstupescite. Jam sequitur, *Certe duo mala fecit populus meus*, nempe *quod me dereliquerit*, deinde *quod sibi asciverit falsos deos*. Si quis relicto veteri amico ad novum transeat, hoc est injustum & turpe: sed ubi nulla est compensatio, cum stultitia & levitate simul conjunctus est quidam furor. Si ego sperno quod sentio mihi esse utile, & amplector quod intelligo fore mihi noxium, nonne hæc optio prodit amentiam? Hoc ergo nunc significat Propheta, quum dicit, populum non in eo tantum peccasse quod desciverit à vero Deo, sed etiam quod absque compensatione transierit ad idola, quæ nihil conferre utilitatis poterant. Dicit *duo mala fecisse*. prius malum est, *quod Deum reliquerit*: alterum vero, *quod defecerit ad falsos deos & imaginarios*. sed quo gravius crimen amplificet, utitur similitudine, ac dicit *Deum esse fontem aquarum viventium*: idola autem comparat *cisternis perforatis & confractis, quæ aquam non continent*. Si quis relicto vivo fonte appeteret cisternam, esset magna stultitia. nam cisternæ aridæ sunt, nisi aliunde aqua proveniat: fons autem ex se habet suam scaturiginem: deinde ubi est vena quæ perpetuo fluit, & perennis aquarum cursus, aqua multo salubrior & melior est. Aquæ pluviæ dum cadunt in cisternas, nunquam ita sunt salubres, ut quæ fluunt ex propria & nativa vena. Quid autem ubi ne aquarum quidem sunt receptacula, sed rimis plenæ, intus sunt inanes? Hinc ergo Deus coarguit populi dementiam, *Quod ipse fuerit relictus, quum tamen esset fons, deinde fons aquarum viventium*: deinde, quod populus appetiverit res nihili quum amplexus est sua idola. quid enim reperietur in idolis? figura quædam. superstitiosi enim homines existimant se non ludere operam dum colunt falsos deos, & sperant inde aliquid mercedis. Sunt igitur aliquæ formæ in falsis religionibus: & ideo Propheta comparat falsos deos puteis, propter cavitatem: sed interea nulla est aquarum gutta. sunt enim cisternæ fractæ & dissipatæ. Jam intelligimus quid sibi velit Propheta, nempe non posse nos eximi à reatu ubi relinquimus verum & unicum Deum, quia in eo posita est nobis bonorum omnium plenitudo: inde haurire ad satietatem licet. Quum ergo spernimus Dei liberalitatem quæ nobis potest sufficere ad omnes felicitatis nostræ partes ac numeros, quanta est ista ingratitudo & pravitas? atqui Deus sui semper manet similis. Si ergo jure se vocavit fontem aquarum viventium, talem hodie experiemur nisi per nostram malitiam steterit. Cæterum adjungit Propheta secundum crimen. nam ubi deficimus à Deo, fallent nos omnes nostræ fiduciæ: & quamvis primo intuitu appareant nobis putei vel fontes, ubi tamen sitis nos urgebit, non reperiemus guttam aquæ, sed aridas tantum cavitates in omnibus nostris figmentis. Sequitur,

14. An servus Israël? an (*si*) genitus domi? (*hoc est, an verna? accipiunt enim puerum domi natum pro verna*) quare factus est in prædam?

15. Super eum rugient (*vel rugiunt*) leones. (*alii vertunt catulos leonum: & sæpe significat minores leones hoc nomen, sed ubi adjungitur reliquis: ubi autem solum ponitur, ego semper interpretor generaliter pro leonibus.*) miserunt vocem suam: posuerunt terram ejus in vastitatem, urbes ejus exustæ sunt, (*vel destructæ: nam ה tantundem valet atque* ו *hoc loco*) absque habitatore.

16. Etiam filii Noph (*hoc est, Mempheos: vocant enim Hebræi Noph urbem quæ fuit olim metropolis Ægypti*) & Thaphanes (*vel Thaphis, ut vertunt Græci*) frangent tibi verticem.

17. An non hoc fecit tibi, deserere tuum (*hoc est, quod deserueris*) Jehovam Deum tuum, quo tempore ducebat te per viam?

Conjun-

Conjunctim legendi sunt hi versus: quia initio docet Propheta Israëlem nun esse sua conditione tam miserum, sed hoc fieri nova causa: deinde causam ipsam assignat. Interrogat igitur primum, *an servus sit Israël, aut verna.* Deus adoptaverat sibi hunc populum, & pollicitus fuerat se ita fore erga eum liberalem, ut modis omnibus beatus esset, atque adeo exemplar quoddam felicitatis: In te benedicentur omnes gentes, dicebat. Videmus ergo qualis fuerit conditio Israëlis, nempe qua excelleret præ aliis omnibus gentibus, quia erat populus Deo peculiaris, erat ejus hæreditas, erat regale sacerdotium. Propheta igitur per admirationem quasi de re nova & absurda sciscitatur, *An servus est Israël?* atqui erat liber præ cunctis gentibus: erat enim filius primogenitus Dei. necesse est igitur quærere aliam causam, cur adeo miser sit. Nam dicit postea, *rugire contra eum leones, & vocem suam emittere*: dicit *urbes ejus comburi*, aut destrui: dicit *terram redigi in vastitatem.* Postea tandem adjungit, *An non hoc tibi fecit?* Iterum hoc interrogative. sed bis affirmat, quoniam eximit omnem dubitationem: Quid causæ esse dices, cur tantopere sis miser, ita ut omnes tibi sint infesti, & obnoxius sis omnium injuriis? unde hoc fieri dices, nisi propter malitiam tuam? Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum. Sed quo clarior sit doctrina, notandum est hic probrose in memoriam reduci beneficia, quæ contulerat Deus in populum illum. Quum ergo ornati essent filii Abrahæ tot singularibus donis, ita ut primatum tenerent in toto orbe, hæc dignitas in medium proponitur, sed contumeliose: quasi diceret, Deus non te fefellit quum pollicitus est se fore tibi beneficum: adoptio ejus non est fallax neque irrita. Tu igitur beatior esses cunctis gentibus, nisi tua malitia te miserum redderet. Videmus nunc in quem finem Propheta interroget *an servus sit Israël, aut verna.* Erant quidem pares aliis populis, quantum ad naturam spectat: sed quoniam electi fuerant divinitus, & Deus illos dignatus fuerat insigni illa prærogativa, ideo quærit Propheta *an servi sint*: quasi diceret, Quid obstat, quominus in vobis refulgeat illa beatitudo, quam Deus vobis promisit? neque enim Deus voluit vos frustrari. sequitur ergo vos esse miseros vestra culpa. Et quum dicit, *Cur factus est in prædam?* ostendit nisi nudatus esset Israël Dei præsidio, non ita futurum libidini hostium suorum obnoxium fuisse. non igitur factus est in prædam, nisi quoniam deseruit eum Deus: quemadmodum dicitur in cantico Mosis, Quomodo persequeretur unus mille, & decem fugarent totidem millia, nisi Deus nos captivos dedisset, nisi conclusi essemus ejus manu? Nam Moses illic etiam oblique admonet populum, quoties & quam mirabiliter victorias retulerit de hostibus suis: atque ita posteris qui affligendi erant considerandum relinquit unde hæc mutatio, quod unus persequitur mille: hoc est, quum sint in maximis copiis, tamen fugentur ab hostibus. unde hoc? neque enim soliti erant antehac terga dare, sed hostes suos fugare. sequitur tunc fuisse captivos ipsius Dei, & non hominum qui eos persequebantur. Sic etiam ostendit hoc loco Propheta non expositum fuisse Israëlem in prædam, nisi quoniam nudatus erat auxilio Dei. Postea addit, *Super eum rugiunt leones.* Videtur Propheta non simpliciter conferre hostes Israëlis leonibus ob truculentiam, sed per contemptum: quasi diceret Israëlem non tantum sentire homines sibi infestos, sed etiam ipsas belluas. Hoc autem magis est probrosum, ubi Deus nos permittit laniandos feris bestiis. Perinde igitur est ac si diceret, Israëlem ita misere tractari, ut non tantum juguletur manu hostium, sed etiam expositus sit feris bestiis. Et hic addit, *Miserunt vocem suam*: quasi diceret, nunc Israëlem, quem Deus solebat manu sua & virtute protegere, esse cibum ferarum: & leones quasi certatim rugire contra ipsum. Postea sine metaphora adjungit, *terram ejus positam in solitudinem, & urbes ejus exustas absque habitatore.* Neque enim hoc quadraret leonibus, aut aliis sævis bestiis: sed quod figurate dixerat, nunc simpliciter exponit, *terram vastatam fuisse, urbes vel excisas* vel exustas. hoc autem, quemadmodum diximus, fieri non potuit, nisi quoniam Israël defecerat à Deo suo, & vicissim etiam ejus auxilio privatus fuerat. Adjungit per amplificationem, *Etiam filii Noph & Thaphanes frangent tibi caput.* Postea videbimus Israëlitas solitos fuisse petere opem ab Ægyptiis. posset igitur particula גם ita exponi, Non solum qui hactenus tibi fuerunt professi hostes, sed etiam socii, quorum opibus fidebas, ipsi convertent in te vires suas, & tibi caput conterent, aut verticem. Quidam existimant hic augeri probrum, quoniam Ægyptii erant imbelles: & veteres historici tradunt illic viros exercuisse artes fœmineas. sed quoniam hoc non solet tradere Scriptura, neque in eum sensum loqui de Ægyptiis, malo sequi quod magis usitatum est, nempe Ægyptios qui tamen fœderati erant Israëlitis, fore illis adversos, imo jam fuisse. Per Verticem quidam intelligunt qui præcipui erant in populo Israëlitico: sed possumus etiam exponere, *Frangent tibi verticem, Ils te rompront la teste*, ut dicimus lingua nostra, vel *Ils te frotteront la teste.* & hic sensus, meo judicio, magis genuinus est. Jam sequitur causæ redditio. postquam ostendit Propheta Israëlem esse derelictum auxilio Dei, jam subjicit cur id factum sit: *An non hoc fecit tibi?* inquit. Alii vertunt, An non hoc fecisti tibi? in secunda persona; & idem fere manebit sensus. Videtur tamen aliorum sententia magis probabilis, *An non hoc tibi fecit quod dereliquisti Jehovam Deum tuum?* In summa, docet Jeremias defectionem populi esse malorum omnium causam: quasi diceret, Tu tibi traxisti hoc totum malum, ergo absorbeas, & scito non posse conjici culpam in Deum. fidem enim tibi præstaret quam dedit, nisi obstaret tua impietas. Neque enim frustra te elegit Deus, neque frustra te prætulit aliis populis: sed tu repulisti abs te ejus beneficentiam. Conditio igitur tua nunquam fuisset talis, nisi accersivisses tibi perniciem. & quomodo? *Quoniam*, inquit, *deseruisti à Deo tuo.* Et rursus crimen exaggerat quum dicit, *Quo tempore ducebat te per viam.* Ducere per viam, est recte & feliciter gubernare. Ostendit igitur Propheta carere omni excusatione perfidiam & defectionem populi, quod Dei sui cultum rejecerit. nam feliciter agebat eo tempore. Si tentatus fuisset variis modis, poterat obtendere aliquem prætextum: Ego putavi me fuisse deceptum quum sperarem in vero Deo. nam occultavit à me suam gratiam: ego igitur necessitate fui compulsus. saltem danda est levitati meæ venia: nihil enim aliud conjicere poteram, nisi Deum à me esse remotum. Propheta occurrit huic objectioni, quemadmodum secundo capite, Quid invenerunt in me iniquitatis patres vestri? Et alibi, Popule mi, quid feci tibi, aut in quo fui molestus? nam Deus illic paratus erat causam suam defendere, & purgare quicquid populus objiceret. Sic etiam hoc loco, Ego te duxi per viam, hoc est, feliciter agebas sub mea gubernatione: & interea ego te retinere mea bonitate non potui: quum te suaviter foverem, quum sentires nihil tibi esse melius quam degere sub meo præsidio, voluisti tamen transire ad idola. nunc quæ tibi excusatio, vel quisnam prætextus superest? Ergo videmus amplificari populi crimen, eo quod nulla tentatione impulsus fuerit, ut deficeret à Deo suo, sed mera perfidia se addixerit idolis. Et sequitur confirmatio illius sententiæ,

Genes. 12. vers. 3. & 22:18. & 26:4. & 28:14.

Deut. 32. vers. 30.

cap. 2:5. Mich. 6. vers. 3.

18. Et nunc quid tibi ad viam Ægypti, ut bibas aquas Nili? & quid tibi ad viam Assur, ut bibas aquam fluminis? (*nempe Euphratis.*)

Quemadmodum nunc attigi, confirmat Propheta quod dixi, nempe populum non posse conjicere causam malorum alio, quoniam sibi imputare debeat quicquid patitur. & tamen simul duplicatur crimen, quod scilicet populus circumspiciat huc atque illuc ad vana remedia, & ita accumulet sibi novas pernicies. nam debuerat agnoscere non aliud esse remedium malis, nisi ut placaret Deum. Si, exempli gratia, quispiam ægrotus agnoscat morbi sui causam, & postea loco remedii solatium aliquod inane sibi confingat adversum suæ sanitati, nonne dignus judicabitur qui pereat, quando remedia sponte aspernatur, & sese oblectat fallacibus solatiis? Idem nunc reprehendit Jeremias in populo Israëlitico: Si inquiras diligenter, inquit, unde tot tibi miseriæ, reperies non posse mihi adscribi, sed tuis peccatis. nunc ergo quid agendum tibi erat? quodnam remedium quærendum, nisi ut te mihi reconciliares? ut peteres à me veniam? ut operam dares corrigendæ tuæ malitiæ? sic protinus sanarem mala tua, & agnosceres me esse optimum medicum si ad me venires. quid autem nunc tu contra agis? discurris ad vana solatia, confugis nunc ad Ægyptum, nunc ad Assyriam: atqui tu nihil proficis his modis. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Postquam enim populum convicit impietatis, & ostendit non posse adscribi mala quæ patiebatur, vel Deo, vel fortunæ, vel aliis causis: nunc ostendit hoc fuisse unicum remedium, & optimam viam salutis, si cum Deo rediisset in gratiam. Hoc autem fuit signum desperatæ amentiæ, quum transcurrit nunc in Ægyptum, nunc in Assyriam. Hæc autem objurgatio pendet ex historia. nam populus nunc habebat Assyrios sibi infestos, nunc Ægyptios: fuerunt enim variæ mutationes: & Deus usus est etiam diversis flagellis, quo melius expergefaceret socordiam illius populi. nunc sibilavit Ægyptiis, (quemadmodum postea videbimus) nunc tuba cecinit in Assyria, ut scirent Israëlitæ nunquam se fore quietos, nisi tranquille agerent sub Dei imperio. atqui his omnibus posthabitis, tanta fuit populi cæcitas, ut quum impetebatur ab Assyriis, fugeret in Ægyptum, hoc est, peteret auxilium ab Ægyptiis, & fœdus cum illis percuteret: postea, siqua mutatio contingeret, expetebat fœdus cum Assyriis, & emebat etiam maxima mercede. Hanc igitur vesaniam nunc Propheta castigat quum dicit, *Quid tibi ad viam Ægypti?* hoc est, quid proficis? quanta est illa stultitia, dum sentis manifeste iram Dei, & te affligi tot malis? quoniam Deus tibi est adversus, & interea non cogitas de reconciliatione. hæc erat tua sanitas, ad Deum confugere, & habere illum propitium: tu autem quid agis? interea confugis ad Assyrios & Ægyptios. quam misera est ista conditio, & quanta est hæc stultitia, quod ita te fatigas, & sine profectu? Discamus autem ex hoc loco quoties Deus delicta nostra castigat, quærendum esse remedium, & non acquiescendum esse in vanis solatiis, quibus nos subinde inescat Satan: tales enim illecebræ inducent tandem nobis veternum, & morbi qui erant curabiles, mali accessione lethales reddentur. Quid ergo nobis agendum est? simulac sentimus ferulas Dei, quæramus cum ipso redire in gratiam: ita studium nostrum profectu non carebit. Si autem circumspiciamus in diversas partes, adeo non mitescent mala nostra, ut potius exasperentur. Bibere aquas Nili, & bibere aquas Euphratis, nihil aliud est quam petere hinc & inde suppetias. Alludit quidem ad legationes quæ missæ fuerant: quoniam in Ægyptum proficiscentes bibebant aquas Nili, alii vero Euphratis. Interea tamen allegorice loquitur: quasi diceret, Deus paratus erat tibi opitulari si ad ejus misericordiam te reciperes, quasi ad asylum: tu autem eo neglecto, putas magis tibi utile fore subsidium, quod afferent vel Ægyptii, vel Assyrii. tu igitur quæris potum in longinquis regionibus: atqui Deus dat tibi aquas. Et videtur respicere ad similitudinem, quam paulo ante posuit. Vocaverat Deum fontem aquarum viventium: quasi diceret, Deus est tibi fons irriguus, & perennis, & nunquam deesset tibi aquarum copia si eo acquiesceres: tu autem vis bibere aquas Nili, & aquam Euphratis. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. & proculdubio loquitur de aquis Nili & Euphratis, quoniam in speciem uterque populus pollebat & divitiis, & omni genere opulentiæ, & copia etiam hominum. Quum ergo populus Israël confideret talibus præsidiis, Propheta hic objurgat ejus ingratitudinem, quod non contentus sit Dei auxilio, tametsi non ita visibile & conspicuum est. Deus enim habet quantum nobis sufficit. & si uno ipso essemus contenti, certe suppeteret ad satietatem larga bonorum copia: & quia non fatigatur in sua beneficentia, suppeditaret nobis quicquid esset optabile. Sed quoniam non possumus conspicere oculis carnis ejus beneficentiam, ideo rapimur post mundi illecebras. Discamus itaque non esse appetendum nobis potum vel ex Nilo, vel ex Euphrate, hoc est, ex mundi illecebris, quæ præ se ferunt magnam pompam: sed potius bibendum esse ex arcano illo fonte, qui ideo nobis reconditus est, ut fide ipsum quæramus. Jam sequitur,

19. Castigabit te malitia tua, & aversiones tuæ (*vel defectiones tuæ*) pœnam de te exigent: & cognosces & scies, quod malum & amarum tuum derelinquere (*ad verbum: hoc est, quod reliqueris*) Jehovam Deum tuum, & quod timor meus super te non fuerit, dicit Dominus Jehovah exercituum.

cap. 2:5. Mich. 6. vers. 3.

Hic Propheta iterum confirmat quod prius dixi, nempe populum tandem, velit nolit, sensurum quid sit à Deo deficere. quasi diceret, Nisi hactenus satis edoctus fuisti tot experimentis, perfidiam tuam esse tibi malorum causam, Deus mala malis cumulabit, ut tandem vel invitus cognoscas te recipere justam mercedem tuæ malitiæ. Hæc igitur summa est. Sed primo dicit, *Castigabit te* malitia tua: quasi diceret, etiamsi Deus non conscenderet tribunal, neque manum suam exereret ad pœnas infligendas populo, tamen judicium palam fore in ipsis sceleribus. Et hoc vehementius est, ac plus habet efficaciæ, quam si Propheta simpliciter diceret Deum justas pœnas exigere de populo. *Malitia igitur tua castigabit te*, inquit: quemadmodum apud Jesaiam eadem fere est loquutio: Stabit, inquit, ex adverso malitia tua: quasi diceret Deus, Etiamsi ego quiescam, & non sumam mihi partes judicis, etiamsi non aliunde surgat accusator, etiamsi nullus tibi litem intendat: malitia tua stabit ex opposito, & incutiet tibi ruborem. Sic etiam hoc loco, *Malitia tua castigabit te.* Tenenda autem est ratio cur Propheta hoc dicat. Nam scimus tunc in ore multorum fuisse querimonias, acsi Deus nimium severus fuisset ac rigidus. Quum ergo ita subinde obstreperent Deo, Propheta repellit tales calumnias, ac dicit malitiam sufficere ut vindictam contra illos exerceat. Idem de aversionibus: sed quod generaliter dixerat, nunc melius

Jesa. 3. vers. 9. & 59. 12.

exprimit, quod scilicet populus sese subduxerit à cultu & obedieotia Dei. Ergo designat hic speciem malitiæ: quasi diceret non opus esse aut accusatore, aut testibus, aut judice: sed solas populi defectiones satis valituras ad pœnam sumendam. Postea adjungit, *Scies & videbis quam malum sit & amarum relinquere Deum tuum Jehovam.* Sunt loquutiones duræ: sed jam ante exposuimus quid hoc significet, derelictio tua, vel derelinquere, hoc est, defectio tua, quod scilicet dereliquisti Deum tuum: *& timor meus super te* (vel *in te*) *non fuit.* Hic rursus Propheta quasi digito scelera populi demonstrat. Loquutus est de aversionibus: sed nunc ponit defectionem, quod populus plane & aperte desciverit à vero Deo. Retinebat quidem semper aliquem cultum in Templo: sed quum tota religio vitiata esset multis superstitionibus, deinde quum oulla esset fides, nulla sinceritas: quum etiam miscerent vero Deo sua idola, hoc fuit plane à Deo ipso deficere, qui æmulus est sui honoris, quemadmodum dicitur in Lege, neque admittit ullos rivales. Tenemus ergo nuoc Prophetæ consilium. Jam dicit, *Cognosces quam malum sit & amarum.* Hoc ad pœnas referri debet: sed contiouat superiorem senteorism, oempe mala quæ tunc patiebatur populus, non fortuito contingere; & quum
Exod. 20. vers. 5. & 34:14. premeretur multis acerbis doloribus, oon procul quærendam esse causam, quia scilicet hæc amaritudo, & quicquid calamitatum erat, fluebat ex impietate. *Cognosces ergo* ipsa mercede, ipsa experientia te convinces quid sit deficere à Deo. & dicit, *A Jehovah Deo tuo*, vel derelinquere Jehovam Deum tuum. Nam si Deus non patefecisset suam gratiam Israelitis, non fuisset tam detestabilis eorum perversitas: sed quum sensissent Deum sibi esse patrem, & quum tam liberaliter ipsos tractasset, quum dignatus fuisset fœdus suum cum illis percutere, fuit inexcusabilis eorum malitia. Et postea persona mutatur, *Et non timorem meum super te fuisse*, subaudiendum est. Hic tandem Propheta significat populum caruisse omni sensu pietatis. Nam per timorem Dei notatur reverentia. Scimus sæpe labi homines errore, & circumveniri Satanæ astutia, ita ut miserabiles sint quum sunt miseri. Sed Propheta hic ostendit populum esse indignum omni venia. Quare? nullus enim fuit timor Dei in te, inquit: hoc est, non potes objicere te fuisse deceptum, vel prætexere aliquem colorem, quo tegas tuam malitiam: apparet te impudenter & improbe fecisse, quum reliquisti Deum tuum, quia nullus erat apud te timor Dei. & tandem subjicit, *Dicit Jehovah exercituum:* quibus verbis Propheta conciliat plus auctoritatis suæ doctrinæ. Erat enim hæc sententia valde acerba populo: & poterant multi capita concutere, ut solebant. Scimus enim quanta fuerit pervicacia in plurimis. Ideo Propheta hic palam affirmat se non esse auctorem hujus sententiæ, sed præconem duntaxat: & hanc sententiam esse profectam à Deo, & se nihil aliud loqui nisi quod Deus ipse injunxit.

Da omnipotens Deus, quando tot beneficiis antehac nos prosequutus es, ex quo semel dignatus es nos amplecti tuo favore, ne obliti tantæ tuæ bonitatis abripiamur post Satanæ blanditias, & figmenta nobis accersamus, quæ tandem cedent in exitium nostrum, sed defixi in te perstemus: & sic quotidie te invocemus, & bibamus ex plenitudine tuæ liberalitatis, ut interea etiam studeamus te ex animo colere, & glorificare nomen tuum, & ita testari nos totos tibi esse addictos, quemadmodum vere nos devinxisti, quum voluisti nos adoptare in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN JEREMIAM.

20. Quia à seculo confregi jugum tuum, disrupi vincula tua: & dixisti, Non serviam: (*vel non transgrediar: est enim duplex lectio*) quia super omnem collem excelsum, & super omnem arborem frondosam tu discurristi meretrix.

QUoniam apud Hebræos duplex est lectio, (quidam enim putant esse verbum אבר, alii אבד, ut est magna affinitas inter ר & ד) ideo etiam sensus elicitur diversus. Nam si legimus, Non transibo, vel non transgrediar, ut sit verbum abar, sensus erit, Quum ego disrupi jugum tuum, hoc est, liberâvi te à tyrannide Ægyptiaca, tunc mihi dedisti fidem. fuit enim tunc mutuus contractus inter Deum & Israëlitas: quia sicuti illos recepit Deus in fidem suam, ut esset eorum quasi patronus: ita vicissim polliciti sunt se fore sub ejus imperio. Si recipimus hanc lectionem, erit expostulatio, quasi Deus hic damnaret populum ingratitudinis & perfidiæ. Sed videtur Propheta aliud velle: & ideo mihi magis probatur altera lectio, Noo serviam. Sed interea repudio quod adducunt interpretes: nec dubito quin locus hic corruptus fuerit. quoniam invaluerat illa expositio, Noo serviam idolis, & videbant qui præditi erant aliquo judicio, non quadrare hunc sensum, sed esse coactum, vel procul petitum, ideo fieri potest (quod mihi est probabile) ut hac ratione corrupta fuerit litera, ut loquuntur. Nam sic omnes exponunt, Dixisti, Non serviam idolis. Atqui hoc est nimis coactum. Ego autem potius existimo, Deum hic conqueri, quod libertas quam populo suo dederat, conversa fuit in licentiam: & hoc optime convenit, quemadmodum patebit ex ipso contextu. *Quoniam à seculo confregi*, inquit, *jugum tuum, & disrupi vincula tua, ideo dixisti* (nam ו hic debet resolvi in particulam illativam, Ideo dixisti) *Non serviam*: hoc est, quum deberes te mihi addicere, qui eram redemptor tuus, putasti partam esse tibi licentiam. Et causæ etiam redditio optime convenit, *Quia super omnem collem excelsum, & subtus omnem arborem frondosam discurrebas meretrix.* Ostendit igitur Deus male collocatum fuisse beneficium redemptionis erga impios, qui abusi sunt sua conditione. Nam hinc factum est, ut se projecerint ad omoem lasciviam. Si cui magis placeat diversa lectio, ego non contendam: & tunc sensus erit, Ego pridem excussi jugum tuum, & disrupi vincula tua: tu vero dixisti, hoc est, mihi pollicita es. (nam de populo illo quasi de muliere loquitur, & ideo est fœmineum genus: & hoc ideo fit quia Deus sustinet personam mariti erga populum illum: & quoties accusat populum defectionis, perinde agit atque maritus cum muliere impudica, quæ sese prosternit adulteris.) *Tu ergo mihi dixeras*, hoc est, mihi pollicita fueras te non transituram: hoc est, tu promiseras te fore mihi fidelem, & dederas fidem mutuæ castitatis. Hoc modo particula כי, quæ causalis est apud Hebræos, ponetur loco adversativæ, ut aliis quibusdam locis: *Atqui super omnem collem excelsum, & subtus omnem arborem fron-*

frondosam discurristi quemadmodum solent scorta, quæ sibi quærunt conditiones. Sed quemadmodum jam dixi, mihi magis probatur, Deum hic expostulare cum populo, quod arripuerit gratiam libertatis in occasionem licentiæ & lasciviæ. Sic enim bene fluit contextus, & omnia membra inter se bene aptantur. Quod autem commemorat Deus *se rupisse vincula, & jugum fregisse*, hoc quidam restringunt ad unicam redemptionem. Sed mihi non displicet quod alii afferunt, nempe Prophetam loqui de multis liberationibus. Scimus enim non semel duntaxat populum eductum fuisse ex Ægypto, sed quum subinde oppressus fuit, porrectam illi fuisse manum. *Deus ergo à seculo*, sed multis vicibus, *jugum populi excusserat*, quemadmodum satis apparet ex libro Judicum. Quum ergo non esset liber populus nisi Dei beneficio, qui eum redemerat, nonne debuerat se adddicere in obsequium Redemptori? nam hac lege & fine redemptus fuerat populus à Deo, ut se totum illi consecraret. Deus ergo nunc ingratitudinem populi accusat, quod putaverit sic excussum sibi esse jugum, ut esset similis bestiæ indomitæ, quemadmodum postea videbimus. Quo mens Prophetæ familiatius nobis pateat, tenendum est quod docet Paulus sexto ad Romanos capite, nempe dum servimus peccato, nos esse quodammodo manumissos à justitia Dei. vagamur enim post nostras libidines, & nullo freno cohibemur. ubi autem Deus nos vere manumittit à misera illa servitute peccati, incipimus ejus servi esse, & justitiæ. Liberi ergo à peccato, servi sumus justitiæ. hic est finis nostræ redemptionis. Sed multi convertunt gratiam Dei in occasionem licentiæ, & se ita projiciunt, acsi nulla esset lex vel regula pie & honeste vivendi. Hoc Deus conqueritur factum esse in populo Israëlitico: *Tu autem dixisti, Non serviam*: hæc est fœda ingratitudo, quod non reputasti primo loco me esse tuum Redemptorem: deinde, hoc consilio me tam humaniter tecum egisse, ut meus esses. Nam qui redemptus est alterius beneficio, non est sui juris. Populum illum Deus redemerat. Ergo redemptio hanc secum obligationem trahebat, ut populus se ultro subjiceret imperio Dei. *Tu ergo dixisti, Non serviam*. Ita Deus conqueritur male locatam fuisse gratiam in populo illo, quod abusus fuerit ad lasciviam sua libertate. Et ratio quæ subjicitur melius sensum explicat: *Quia tu discurristi meretrix*, inquit, *super omnem collem excelsum, & subtus omnem arborem frondosam*. Scimus enim Israelitas, quoties deficere à cultu Dei contigit, habuisse loca illa sibi selecta, quasi major esset religio super colles, & sub arboribus, quam alibi. Et hodie etiam idem contigit Papistis. Nam devotio illa, hoc est, diabolicus furor quo rapiuntur ad loca illa, similis est, O hic locus erit devotior, in hoc erit major religio. Sic etiam Israelitæ. Nam putabant se propinquos esse cælo, ubi conscendebant super montes: putabant etiam se habere aliquod familiare colloquium cum Deo ubi latebant sub obscuris umbris. Et videmus etiam eadem stultitia fascinatos fuisse omnes profanos homines. Nam in collibus sibi fingebant Deum esse propiorem: & in fontibus, & sub umbris arborum putabant etiam aliquod esse secretum numen. Quoniam igitur illa superstitio diu grassata fuerat apud Israelitas, hic exprobrat illis Deus, *quod discurrerint*. Sed interea notanda est similitudo. Comparat enim eos scortis, quæ excusso pudore huc & illuc discurrunt, non tantum quia ardent insana libidine, sed etiam quoniam feruntur sua avaritia. Dicit igitur, *Tu scortum discurristi per omnes colles excelsos, & subtus arbores frondosas*: quasi diceret, Hoc profeci te reducendo, ut putares tibi concessam esse effrenem licentiam. Hinc ergo factum est, ut lascivires post improbas tuas concupiscentias. Sequitur,

21. Et ego plantavi te vineam electam, (*vineam nobilem, vel exquisitam: hoc enim significat nomen* שורק) totam fidele semen: (*hoc est, semen probum*) & quomodo conversa es mihi in degenerationes vitis alienæ?

Hic confirmat Deus proximam sententiam. Damnavit enim Israëlitas, quod proterve discurrerint post suas superstitiones, quum tamen in hunc finem essent redempti, ut regerentur Dei manu. Dicit igitur, *Ego te plantavi quasi vineam electam*, hoc est, quum te redemi ab hostibus, non permisi ut te ita prostitueres absque ulla temperantia, absque pudore. *Ego enim te plantavi quasi vineam electam*. Similitudo satis nota est, & frequenter occurrit. Deus enim sæpe confert Ecclesiam suam viti. Generaliter vocat suam hæreditatem, sive fundum: sed quoniam in prædiis excellunt vites (solent enim & pratis, & agris præferri) quoniam igitur pretiosissima hæreditas est vitis, ideo quo testetur Deus quanti æstimet Ecclesiam suam, potius nomen vitis elegit, quam nomen prati, vel agri, ubi de ipsa loquitur. Sic etiam hoc loco, Ego te non liberavi ex Ægypto, ut postea abjicerem tui curam, sed volui ut ageres radices, & esses tanquam hæreditas mihi pretiosa, tanquam vitis exquisita, & generosa. *Ego igitur te plantavi* שורק, hoc est, plantavi te vitem generosam, ut mihi afferres fructum. *Totam*, inquit, *semen fidele*: hoc est, te plantavi in hunc finem, ut mihi proferres gratos & amœnos fructus. Respicit hic Deus gratiam suam, non naturam populi. Neque enim populus unquam fuit semen verax, quemadmodum satis notum est: sed hic Deus ostendit quo consilio redemerit populum, nempe ut esset similis viti electæ. *Quomodo igitur?* Hic de corruptelis loquitur Deus per admirationem, quia talis erat indignitas, quæ posset quasi attonitos omnes reddere. *Quomodo igitur conversa es mihi in degenerationes?* סורים ego interpretor hoc modo. quanquam nomen apud Latinos non est in communi usu: sed mihi satis est, si teneamus Prophetæ mentem. Nomen hoc descendit à סור, quod est se avertere. Ergo proprie dicendum esset, in aversiones. Sed quoniam hoc esset obscurum, ubi de vite agitur, non dubitavi eligere aliud nomen. *Quomodo igitur conversa es mihi in degenerationes vitis alienæ?* Alii vertunt, in sarmenta inutilia. sed nescio unde sumpserint. Ego igitur retineo quod magis genuinum est, nempe vitem quæ generosa esse debebat, sic degenerasse, ut non proferat nisi labruscas, quemadmodum etiam alio loco videbimus. Et vocat aversiones vitis alienæ, quæ desiit scilicet esse שורק, & conversa est in vitem sylvestrem, quæ non producit fructus nisi acerbos vel amaros: & denique ubi nulla est utilitas, merito Deus vocat alienam vitem. Sequitur,

22. Etiam si laveris te nitro, (*ut vertunt*) & multiplicaveris tibi borith, (*alii exponunt herbam fullonum, alii saponem: quod ad rei summam spectat, nulla est ambiguitas, quoniam intelligit Deus nullo artificio, nullis herbis posse maculas populi purgari*) impressa est, *inquit, vel insculpta est, vel signata, ut alii vertunt*, iniquitas tua coram facie mea, dicit Dominus Jehovah.

Jam

Jam vidimus, & sæpius idem repetet Propheta, populum illum ita fuisse præfractum, ut non libenter cederet ullis objurgationibus. nam erant omnes fere perfrictæ frontis, & ita obduruerant in sua malitia, ut auderent procaciter excipere adversus Prophetas quoties severe cum illis agebant, Quid? An non sumus sacer Dei populus? An non elegit nos? An non sumus sanctum semen Abrahæ? Ideo necesse fuit Prophetis, opponere duro nodo durum cuneum, quemadmodum loquuntur. Quum ergo similes essent Israëlitæ ligno nodoso, oportuit duriter percuti illam pervicaciam. Hac ratione nunc dicit Jeremias, *Etiam si laveris te nitro, multiplicaveris tibi borith, tamen iniquitas tua coram me signata est*: hoc est, nihil proficitis quum obtenditis varios colores excusandæ impietatis vestræ causa. Lavate vos, *sed iniquitas vestra coram me signata manet*. Loquitur autem Propheta in persona Dei, quo plus habeat ponderis sententia, qua damnantur Israëlitæ, & qua omnes eorum blanditiæ in nihilum rediguntur, quemadmodum dictum fuit Nitro & borith purgabant maculas pannorum: & ideo fullonibus sæpe tribuitur borith. Sed non est anxie disputandum, fueritne herba, fueritne pulvis, vel aliquid simile. de re enim satis convenit. Sed Propheta metaphorice docet, nihil lucrifacere hypocritas, dum opponunt suos prætextus, ut subterfugiant, quoties ipsos arguit Deus. Dicit ergo omnes eorum conatus esse vanos & inutiles. Quare? *Quoniam iniquitas ipsorum manet signata*, hoc est, quoniam non poterunt eluere lavando quod impressum est. nam maculæ possunt quidem abstergi, aut purgari vel sapone, vel aliis herbis: sed ubi macula est interior, & intus signata, nihil proderit ablutio, quoniam notæ illæ ita impressæ sunt, ut opus sit alio remedio magis efficaci. Sic ergo Propheta dicit *signatas esse maculas*, & ideo non posse abstergi vel elui sapone, vel borith. Sed dicit *signatas esse maculas in conspectu Dei*, quoniam facile erat Israëlitis, à se depellere omnem culpam: imo tanta audacia præditi erant, ut palam insurgerent contra Prophetas, quasi fieret illis magna injuria: & Prophetas etiam vocabant convitiatores, & maledicos. ideo dicit, *Iniquitas tua signata est coram me*, hoc est, Utcunque te fallas tuis blanditiis, & abscondas etiam tua peccata coram mundo, tamen nihil proficis. *Nam in conspectu meo semper iniquitas tua signata manet*. Postea addit,

23. Quomodo dices, (*hoc est, quomodo dicis: nam futurum tempus sæpe accipitur apud Hebræos pro actu continuo: quomodo igitur dicis*) Non sum polluta, post Baalim non profecta sum? vide vias tuas in valle, cognosce quid feceris dromedaria velox corripiens vias suas. (*vel circumiens: nam deducitur vox ista à corrigia calceamenti.*)

Hic prosequitur Jeremias suam objurgationem, & discutit nebulas illas hypocritis, sub quibus putabant se bene latere. Nam hypocritæ, ubi obducunt suas fallacias, putant se jam & ab oculis Dei, & ab omnium judiciis esse absconditos. Propheta ergo hic acriter invehitur in illam supinam securitatem, ac dicit, *Quomodo audes jactare te non esse pollutam? quomodo audes dicere, Non ambulavi post Baalim?* hoc est, post deos alienos. Dixi enim de illa voce, quod essent dii minores. utcunque enim Judæi agnoscerent aliquem esse summum Deum, tamen quærebant sibi patronos: ita oriebatur magna deorum turba, ut fieri solet. Et nunquam eo impietatis vel amentiæ prolapsi sunt superstitiosi, quin semper confessi fuerint aliquod esse supremum Numen: sed simul miscebant deos minores: sic etiam Baalim apud illos erant, & patroni, ut Papistæ vocant suos divos, quia non audent suis figmentis tribuere nomina deorum. Talis igitur fuit cavillatio apud Judæos. Dicit, *Quomodo ergo excusas te non ambulasse post Baalim? vide*, inquit, *vias tuas, vide quid egeris in valle, & cognosce tandem quomodo te gesseris dromedaria velox*. Nam Propheta non potuit satis exprimere furiosos illos impetus qui regnabant tunc in popolo, nisi conferret dromedariis. Quoniam autem sub fœmineo genere alloquitur populum, ideo etiam ponit dromedariam fœminam. Vocari autem velocem non tantum propter celeritatem cursus interpretor, sed propter impetuosam libidinem, quemadmodum postea videbimus. Hic autem locus docet, ita obduruisse populum illum, ut impudenter repelleret omnes objurgationes Propheticas. Impietas palam nota erat: & tamen audebant semper objicere suos prætextus, quasi immerito ipsos Prophetæ damnarent. Nec mirum est tantam fuisse contumaciam in veteri illo populo, quum hodie Papistæ non minus pervicaciter resistant claræ veritati. Nam etsi apparet quam crassa sit & turpis eorum idololatria, tamen putant se elapsos esse uno verbulo, quum dicunt statuas & picturas non esse idola: populum quidem Israëliticum damnatum fuisse, quod sibi statuas fabricaverit, sed hoc ideo esse factum quod propensus esset ad superstitionem. Ita deinde clamitant contra nos, & dicunt nos impie calumniari cultus illos, qui apud ipsos recepti sunt. Videmus, & pueri etiam intelligunt, ut in Papatu nullum genus superstitionis non grassetur: & tamen volunt videri esse immunes & puri ab omni culpa. Idem etiam factum olim fuit. Et quoniam manebat Templum, & illic populus offerebat sacrificia, & manebat aliqua species pietatis: quoties Prophetæ coarguebant impias corruptelas, quæ permixtæ erant, & quæ vitiabant purum Dei cultum, & erant quasi adulteria, (quemadmodum passim loquuntur) Quid? An non colimus Deum? Hanc igitur contumaciam nunc Propheta refellit, ac subjicit, *Quomodo audes dicere, Non sum polluta, & non ambulavi post Baalim?* sicuti hodie Papistæ dicunt, An non credimus in unum Deum? An fingimus diversos deos? atqui spoliant Deum omni virtute, & lacerant eum in mille frusta. Et tamen meretricio suo ore, & fronte ferrea nobis objectant se unum Deum colere. Sic ergo etiam Judæi. Sed Propheta hic coarguit stolidam illam vanitatem: *Vide*, inquit, *vias tuas in valle, vide quid egeris tu dromedaria velox* quoniam rationibus vinci non poterant, (tanta erat illorum pervicacia) ideo comparat eos feris bestiis: Vos estis, inquit, quasi lascivæ dromedariæ, quas rapit sua libido, ut obliviscantur rerum omnium, ubi sequuntur vias suas. Sequitur,

24. Onager: *sed adhuc retinet fœmineum genus*. fœmina *igitur* onagri assueta deserto, in appetitu animæ suæ (*hoc est, pro desiderio vel cupidine animæ suæ*) colligens ventum occasionis suæ, (*vel occursus sui*) quis inde reducet eam? Quisquis persequitur eam non fatigabitur, in mense suo inveniet eam.

Sicuti vocavit Jeremias populum dromedariam, ita nunc vocat asinam sylvestrem: Tu, inquit, & dromedaria es, & asina sylvestris. nam si asina sylvestris collegerit *ventum pro desiderio animæ suæ*, hoc est, si pleno anhelitu appetiverit & collegerit ventum occasionis suæ, vel occursus sui fortuiti: (nam

voluit hac voce exprimere, nullam esse electionem, vel nullum judicium, vel modum in bestiis illis) *ubi ergo collegerit ventum quocunque tulit fortuitus eventus, nemo poterit eam revocare à violento impetu: & qui eam persequetur, frustra se fatigaret, donec reperiat eam in mense suo.* His verbis significat Propheta, indomitum esse populi furorem, nec posse ullis modis cohiberi: quemadmodum asina sylvestris non potest cicurari, neque exuere suam feritatem, præsertim ubi collegit ventum. Nam si esset inclusa, adhuc possent claustra aliquid valere, ut non ita impetuose rueret: verum si asina sylvestris habeat cursum suum liberum per montes & sylvas, ubi collegit ventum, & collegit pro desiderio animæ suæ, hoc est, ubi poterit vagari huc & illuc, & nullum est obstaculum, quin discurrat in omnes partes: ubi igitur tanta est libertas permissa feris bestiis, ut ventum colligant, & ventum occasionis. vocatur ventus occasionis fortuiti eventus: quasi diceret Propheta, nullam esse rationem in feris illis bestiis, neque etiam sibi statuere ullum modum. Si quis viam ingrediatur, inquiret quantum itineris possit conficere die uno, & fugiet lassitudinem, ac præveniet quantum poterit: deinde postquam præscripserit sibi mensuram itineris, quæret hospitium: tunc etiam de recta via sciscitabitur. Alius est impetus in feris bestiis. Nam ubi inceperunt currere, non eunt vel Lugdunum, vel Lausannam, sed projiciunt se cæco furore. Deinde etiamsi fatigatæ sint, non desinunt tamen pergere in cursu suo. libido enim eas rapit. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Jam subjicit, *Quis revocabit eam?* quasi diceret, populum non posse retineri, vel reduci ad aliquam mediocritatem, quia scil. occupat omnes ejus sensus illa feritas, imo potius amentia. Postea sequitur, *Non est quod quisquam se fatiget, reperietur tandem in mense suo.* Consentiunt omnes interpretes hic mensem accipi pro tempore partui vicino: quasi diceret, ubi gravidæ sunt asinæ sylvestres, & jam instat tempus pariendi, tunc onere suo cohiberi: ita deprehendi facile posse, quoniam non vigent celeritate, ut antea. gestant enim foetus suos in utero. Ergo nunc Propheta dicit populum esse similem asinis sylvestribus, quoniam non potest ulla doctrina ipsos remorari, neque frenare ipsorum intemperiem: sed expectandum esse tempus partus. Nunc videndum est quomodo hæc similitudo aptari ad populum debeat. Continet hic versus duas partes: prior ostendit, quemadmodum jam dixi, populum non posse flecti ullis sanctis monitionibus, neque parere ullis consiliis: sed ferri vesana sua libidine, quasi vento occasionis, vel fortuiti occursus. hæc est prior pars. Jam quoniam tanta erat contumacia in populo illo, Deus hic denunciat hypocritis, venturum esse tempus, quo ipsis remoram injiciat, & frangat ipsorum violentum furorem. Quomodo? Aderit tempus pariendi: hoc est, tandem ubi conceperitis multas iniquitates, pondus vestrum vobis obstabit. Significat autem tempus judicii sui: quasi diceret, Non est agendum vobiscum tanquam cum hominibus sani & moderati judicii. Estis enim feræ bestiæ, & quæ cicurari non possunt. Quid ergo restat? Quemadmodum asina sylvestris pondere suo gravatur dum tempus partus instat, ita ego efficiam (inquit) ut sentiatis tandem onus vestrarum iniquitatum, quod erit vobis intolerabile, & vos opprimet. Jam etiamsi pervicacia vestra sit indomabilis, manus mea sufficiet ad vos cohibendos. ego enim vos conteram, quia non estis flexibiles, neque obtemperatis doctrinæ. Nunc ergo tenemus & quorsum tendat similitudo, & quomodo accommodata fuerit ad populum illum, & quæ etiam utilitas hodie à nobis colligi debeat. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es, ubi nos eripuisti à Satanæ tyrannide, imponere jugum tuum cervicibus nostris, ut etiam regas nos Spiritu docilitatis, & obedientiæ, & mansuetudinis: atque ita nos tibi sponte subjiciamus tota vita, ut fructum ex nobis colligas gratiæ redemptionis tuæ: & ita renunciemus peccato, ut tibi tamen nos addicamus in obsequium, & servi simus justitiæ tuæ, donec tandem peracto militiæ nostræ cursu, colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN JEREMIAM.

25. Prohibe pedem tuum à discalceare, (*hoc est, ne discalceeris*) & guttur tuum à siti. (*quanquam alii existimant esse nomen substantivum* יחף, *& mihi placet: ita vertendum erit, Probibe pedem tuum à discalceatione, & guttur tuum à siti*) & dixisti, Actum est: non: quia dilexi alienos, & post illos ambulabo.

HÆc Prophetæ sententia quoniam concisa est, ob brevitatem posset videri obscura primo intuitu. Sed hoc simpliciter intelligit, non potuisse insanum illum populum ullis modis corrigi, quamvis tentaret Deus per suos Prophetas sedare illam intemperiem, qua rapiebatur post idola & superstitiones. Hic ergo priore membro refert Deus qualiter se gesserit cum populo illo. Huc enim tendebant omnes conciones Propheticæ, ut populus quiesceret sub præsidio Dei. Sed aliis verbis utitur: *Probibe*, inquit, *pedem tuum à discalceatione, & guttur tuum à siti.* Currebant enim quoties instabat aliquid periculi, nunc in Ægyptum, nunc in Assyriam, quemadmodum vidimus. Conqueritur Deus de illorum amentia, quod non obediverint sanis consiliis & salutaribus. Nam si jussisset Deus illos vel Orientem versus, vel Occasum discurrere, poterant excipere, iter illud sibi fore nimis molestum: sed simpliciter jubebat illos manere quietos & tranquillos. Qualis igitur fuit ista dementia, non posse expectare sedatis animis auxilium Dei, sed se fatigare, & quidem absque aliquo profectu? Idem fere, sed aliis verbis dicit Jesaias. oam expostulat cum illis, quod nullam lassitudinem refugerunt, quum tamen possent Dei manu protegi, & non ita satagere. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Nam primum ostendit Deus populum fuisse admonitum, & quidem in tempore: sed ita fuisse occupatum perversis suis consiliis, ut nullas Propheticas voces audire sustinuerit. Hæc fuit summa ingratitudo, quod non potuerit domi quiescere, sed maluerit suscipere summos & asperrimos labores absque ullo fructu: quemadmodum etiam alio loco dicit Jesaias, Hæc *Jesa. 30. vers. 15.*
vestra quies, & noluistis. Nemo est qui non appetat otium, & pacem: imo fatentur omnes hoc esse summum bonum, quod naturaliter omnes expetunt. Dicit nunc Propheta repudiatum fuisse à populo Israëlitico. sequitur ergo prorsus fuisse dementem, quia oblitus fuerit naturalis desiderii, quod ingenitum est cunctis mortalibus. Hic ergo non docet Propheta simpliciter, sed reducit in memoriam Judæis quod ante audierant ab Jesaia, à Michea etiam, & ab aliis omnibus Prophetis. Nam sæpe Deus hortatus fuerat, ut quieti manerent: nunc Propheta invehitur in illam ingratitudinem, quod intemperies illos abripuerit, atque ita respue-

respuerint oblatum sibi Dei beneficium, quod tamen erat singulare. Sciamus ergo Prophetam hic referre quod alii priores docuerant. *Prohibe*, inquit, *pedem tuum à discalceatione*. Alii vertunt, à nuditate: quod calceos suos longis itineribus determinerent. Sed potius existimo hoc debere referri ad communem usum. solebant enim iter facere discalceati. *Prohibe* ergo *pedem tuum à discalceatione, & guttur tuum à siti.* Scimus sitim esse molestissimam hominibus. Propheta igitur hic castigat populi dementiam, quod ardore impiæ cupiditatis sic abreptus fuerit, ut sitim sibi ultro accerseret, nempe longis itineribus. Quoniam ergo nihil aliud poscebat Deus à populo, nisi ut sibi consuleret, duplicatur crimen, quod noluerit tam salubri consilio obtemperare. Quemadmodum dixi, potuit in medium afferri probabilis excusatio, si Deus aliquid durius vel asperius exegisset à populo illo. sed quum blande & suaviter fovere paratus fuerit in optima quiete, nihil potuit esse residuum excusationis. Et ideo sequitur, *Dixisti, Desperatum est: non.* Hic ex altera parte ostendit Propheta quam fuerit contumax ille populus, qui proterve rejecit tam amicas & blandas admonitiones. Primo dicunt, Actum vel *desperatum est*. nam נואש significat desperare, inde passivum *desperatum est*. nisi placeat vertere, Fatigatio est; quod etiam non male conveniet, hoc sensu, Satis superque me temere vexavi, ut lassitudo ipsa quiescere suadeat. *Non.* Concise loquitur Propheta, quo melius exprimat præfractos mores illius populi. Quum dicit *esse desperatum*, perinde est ac si procul repelleret omnes exhortationes. Postea adjungit, *Non fiet.* Nullum verbum hic ponitur, sed elliptica oratio plus habet efficaciæ, quemadmodum dixi, ad exprimendam ferociam illius populi. Alio sensu expostu-
Jesa. 57. vers. 10. lat Jesaias cap. 57. quod non dixerint, Desperatum est. & videntur inter se pugnare Jesaias & Jeremias. Nam hic noster Propheta objurgat populum, quia dixerat, *Desperatum* est; Jesaias autem, quia non dixerit. Sed ubi præcise hoc [illegible] respondent Judæi, *desperatum esse*, intelligunt Prophetas ludere operam, quoniam ipsis decretum sit persequi ad extremum quod cœperunt. Ergo in hoc verbo *Desperatum est*, notatur ultima pertinacia populi, quoniam nullam spem resipiscentiæ superesse ostendit, quum palam, & sine ulla ambage dicit rem esse peractam. Jesaias autem populum objurgat, quoniam non dixerit esse desperatum, hoc est, quoniam non agnoverit longo usu se convictum esse stultitiæ. Nam quum in Ægyptum sæpe cursitassent, postea in Assyriam, Dominus reipsa docuerat, quam essent male consulti. debebant igitur ex re ipsa colligere, Dominum frustrari ipsos, ut resipiscerent. Merito itaque Jesaias dicit populum nimis stupidum esse, quod pergat semper cæca obstinatione, & non sentiat Deum quodammodo opponere multa obstacula, ut cogeret ipsos retrocedere, & abjicere vanas illas spes, quibus seipsos deceperant. Nunc videmus optimum esse consensum inter duos Prophetas, quamvis loquendi ratio sit diversa. Jeremias ergo hic populum inducit præcisis verbis loquentem, ut declaret suam pervicaciam. *Desperatum est*: hoc est, Vos Prophetæ non cessatis nobis aures obtundere, sed vanus est atque irritus labor vester. hoc enim nobis est semel decretum, neque poterimus unquam revocari. Quid autem Jesaias? invehitur in populi dementiam, quod toties deceptus tam ab Ægyptiis, quam ab Assyriis, non tamen sentiret se talibus experimentis quasi reduci in viam, & nimis pertinax esset in pravis suis consiliis. Quantum attinet ad locum præsentem, tenemus quid velit Propheta: nempe Deum blande hortatum fuisse Judæos, ut quiescerent freti suo auxilio: ipsos autem non tantum fuisse dura cervice & obstipa, sed etiam proterve respuisse beneficium illud sibi oblatum. Jam sequitur, *Nam dilexi alienos, & post illos proficiscar.* Hic populi crimen exaggerat, quod scilicet addixerit se diis extraneis. & retinet illam similitudinem, de qua prius dictum fuit. Sicuti enim Deus populum illum in fidem suam susceperat, ita mutua erat obligatio populi, ut erant quasi sacro vinculo utrimque conjuncti: quemadmodum ubi vir fidem dedit uxori, ipsa vicissim marito suo lege conjugii devincta est. Hic ergo prosequitur Jeremias illam similitudinem, ac dicit populum illum similem fuisse improbissimo scorto, quoniam mariti vocem non audierit, quum tamen sponte cuperet se reconciliare. Oportet autem prorsus esse desperatam mulierem, quæ maritum suum respuit, qui tamen paratus est cum ipsa redire in gratiam, & ignoscere quicquid peccavit. Ostendit ergo Propheta in hoc populo tantam fuisse & tam deploratam impietatem, ut clausas aures habuerit Deo amice hortanti ad pœnitentiam: deinde sine pudore jactaverit se velle colere idola & figmenta, rejecto vero & unico Deo. Sequitur,

26. Sicut pudor (*vel probrum*) furi, quum deprehensus est, ita pudefacti sunt domus Israël, Reges eorum, Principes eorum, & Sacerdotes eorum, & Prophetæ eorum.

Alii vertunt in tempore futuro, Ita pudefient domus Israël: & existimant Prophetam hic loqui de pœna, quæ adhuc impendebat populo. sed simpliciter interpretor verba ut sonant, nempe impietatem illius populi ita crassam esse, ut non opus sit subtiliter eam coargui, quoniam sit fere palpabilis. Comparat igitur Propheta Judæos furibus manifestis: quasi diceret hypocritas in populo illo nihil consequi suis cavillis & tergiversationibus, quoniam in medio posita sit ipsorum impietas: quemadmodum si fur deprehensus fuerit, non poterit negare, neque occultare scelus suum. Dicit igitur ipsos esse deprehensos ἐπ' αὐτοφώρῳ, quemadmodum dicunt: hoc est, ita esse conspicua ipsorum flagitia, ut quicquid objectent, non tamen possint sese purgare, quin turpitudo ipsorum nota sit omnibus. Tenemus ergo nunc consilium Prophetæ. Antea vidimus populum abusum fuisse multis excusationibus: sed hoc loco ostendit Jeremias ipsos nihil aliud consequi tergiversando, nisi quod magis ac magis detegunt suam impudentiam, quum eorum improbitas sit in omnium conspectu, hoc est, sit ita manifesta, ut nullis coloribus possint eam tegere. Nec tantum de vulgo ipso loquitur, sed *Reges, & Proceres, & Sacerdotes, & Prophetas* accusat: quasi diceret à minimo usque ad maximum omnes ita esse corruptos, ut abjecto omni pudore, præ se tulerint manifestum & crassum Dei contemptum, ubi scilicet sequuti sunt sua figmenta & superstitiones. & tamen dubium non est, quin multis exceptionibus conati fuerint Judæi se defendere: sed Deus hic discutit omnes illas fallacias, quibus putabant sua flagitia posse tegi: & dicit nihilominus esse fures manifestos. Cæterum quod Propheta ante dixerat, Judæos aliter loquutos esse, & nunc traducit eorum impudentiam: hæc inter se non discrepant, quoad sensum. Negabant Judæi se esse apostatas, vel perfidos, vel deseruisse cultum Dei: negabant verbis, sed ubi nunc Propheta producit in medium ipsorum impudentiam, non agit amplius de verbis. Habebant enim fallaces suos prætextus, quemadmodum ante dictum fuit: sed rem ipsam Propheta nunc sumit, & dicit eos improbe & pervicaciter Deo resistere, ita ut eorum desperata sit malitia & obstinatio. Nunc sequitur,

27. Di-

27. Dicentes ligno, Pater meus tu; (*hoc est, Tu es pater meus*) & lapidi, Tu genuisti me: (*si legamus per* ': *si autem per* ', *Tu genuisti nos*) quia verterunt mihi cervicem, (*dorsum alii vertunt, vel posteriora*) & non faciem: In tempore autem calamitatis suæ dicent; (*hoc est, dicunt,*) Surge, & serva nos.

28. Et ubi sunt dii tui, quos fecisti tibi? Surgant, an servent te tempore mali tui: (*hoc est, afflictionis tuæ, sicuti prius*) quia secundum numerum urbium tuarum fuerunt dii tui Jehudah.

Hic jam confirmat Propheta quod prius dixerat de nbstinata populi malitia. Ostendit igitur sa non frustra dixisse nimis crassa esse ipsorum scelera, nec posse ullis cavillis excusari. *Dicunt enim*, inquit, *ligno, Tu es pater meus; & lapidi, Tu genuisti me*. His verbis intelligit Propheta idololatriam ita fuisse grassatum in populo illo, ut palam transferrent veri Dei honorem ad statuas suas, sive ligneas, sive lapideas. Cæterum hic Propheta designat quod maxime detestabile est in idololatria, nempe ubi transfertur honor Dei ad statuas, non tantum quoad externam ceremoniam, ubi scilicet genua flectuntur coram statuis, sed ubi salus expetitur ab ipsis. Et hoc diligenter notandum est. nam Papistæ hodie etiamsi se prosternant coram suis picturis & statuis: tamen ubi premuntur, non agnoscunt hunc fontem idololatriæ. Dicunt se colere statuas non latria, quemadmodum loquuntur, sed tantum dulia: hoc est, servitute, non autem cultu. Putant hoc modn se esse elapsos. Sed interea ut demus quicquid afferunt, tamen non poterunt negare se vertere preces, & vota dirigere ad statuas. Quum ergo salutem postulant ab ipsis statuis, quicquid postea cavillentur, penitus nugatorium est. nam Prophetæ non damnant externum gestum, vel genuflexionem, vel alios ritus ceremoniales, quemadmodum loquuntur, ubi idololatras accusant. Quid igitur? nempe *quod dicunt statuis, Tu es pater meus*, hoc est, quod affigunt virtutem Dei statuis vel ligneis, vel lapideis. Certum quidem est, Judæos nunquam demersos fuisse in tanto stupore, ut disertis verbis profiterentur deus lapideos vel ligneos esse sibi patres: neque ita loquuti sunt. Nec tamen calumniatur eos Propheta, quum hunc mentem illis ascribit: sed quemadmodum ex aliis locis satis clare patet, Prophetæ potius expendunt affectum quam verba. nam Judæi, quum se prosternerent coram statuis, idem agebant quod hodie Papistas agere videmus. Dicebant se colere unum Deum, & ab ipso salutem petere; sed interea putabant virtutem Dei inclusam esse in illis statuis. ideo dicebant, *Tu es pater meus, tu me genuisti*. Ita etiam hodie Papistæ. Si quis se prosternat coram statua Catharinæ, vel Christophori, dicet Pater noster: si volet hoc excusare, dicet fieri in honorem unius Dei. sed ita absque judicio ad statuam unam, deinde ad alteram transcurris: tu interea demurmuras Pater noster. & minime dubium est quin hodie sit crassior superstitio in Papatu, quam tunc fuerit apud Judæos. Atque ut hoc sileatur de Papistis, quod scilicet demurmurant suum illud Pater noster coram statuis quibuslibet: tamen dum convertunt vota sua ad statuas, non dubium est quin affigant illic Dei virtutem. Hoc igitur nunc tenendum est, non tantum damnari Judæos, quoniam suffitum fecerint idolis, vel sacrificia obtulerint: sed quia transtulerint gloriam Dei ad statuas suas, quum scilicet peterent illinc salutem. Quanquam autem hoc non fiebat apertis verbis, Propheta hic producit in medium perversos eorum affectus, quod scilicet non erexerint mentes & sensus suos sursum ad Deum, sed ita conversi fuerint ad statuas. Postea sequitur: *Verterunt mihi cervicem, & non faciem*, inquit. Deus his verbis iterum confirmat quod prius dixit, nempe apostasiam illam vel defectionem fuisse magis apertam, quam ut posset fucari ullis coloribus. Postea addit, *Tamen* (nam copula ' hic debet resolvi in adversativam, Tamen) *in tempore afflictionis suæ dicent, Surge, & serva nos*. Deus hic conqueritur Judæos nimis perperam abuti sua facilitate, quod scilicet ad ipsum accurrant, ubi cogit eos gravior aliqua necessitas: Quid mihi vobiscum, inquit? vos addicti estis vestris idolis: vocatis illa patres vestros, & ascribitis illis salutis vestræ gloriam, nempe dum res vobis sunt pacatæ: ubi autem idola vestra in tempore non succurrunt, tunc ad me redit is, *Surge, & serva nos*. sed quamdiu idola vobis sunt patres, & inde salutem speratis, jam nihil mihi est negotii vobiscum: contenti estote vestris idolis, & me sinite, quoniam ego à vobis sum desertus. Et ideo subjicit: *Ubi dii vestri?* inquit. Hic Deus subsannat perversam illam fiduciam, qua se fallebant Judæi, *Ubi sunt dii vestri quos vobis fecistis? Surgant, videamus an vobis opitulentur in tempore afflictionis vestræ*. Nunc tenemus Prophetæ mentem. Ostendit enim populum nimis præpostere agere, ubi colit idola rebus securis, & postea vult Deum sibi habere obstrictum: atqui abnegat Deum verum, ubi deficit ad idola. Ostendit igitur nihil ipsis auxilii sperandum esse à vero Deo, quoniam spoliaverint ipsum propria virtute, ubi sibi idola fabricarunt. Nam semper retinendum est quod dixit, falsos deos habitos fuisse pro patribus & auctoribus salutis à populo illo. Idem hodie fieri certum est in Papatu: nam habent suos patronos. ubi autem sentiunt se nihil proficere stultis superstitionibus, postea vellent Deum sibi opitulari, & tamen nihil residuum illi faciunt: quoniam postquam rapuerunt illi omnes partes suæ gloriæ, & partiti sunt quasi spolia inter Sanctos mortuos, tunc tamen vellent Deum sibi esse auxiliatorem. Sed videmus quid respondeat Deus ipse, *Ubi dii tui?* Hic autem est hujus doctrinæ usus, non esse expectandum donec re ipsa & ultima desperatione cogamur agnoscere lusoriam fuisse nostram operam, ubi opem speravimus & precati sumus ab idolis; sed recta veniendum esse ad Deum ipsum, ut nobis opituletur in necessitate. Amplificat Deus illum sarcasmon, hoc est, illam derisionem, qua usus est, *Ubi sunt dii tui? Surgant nunc, ut opitulentur tibi*: hoc est, vires suas experiantur an poterunt te juvare. *Secundum numerum urbium tuarum fuerunt dii tui Jehudah*: hoc est, quoniam non fuit contentus populus uno Deo, unaquæque urbs sibi patronum elegit. Quum ergo innumera deorum turba apud vos invocetur, qui fit ut non succurrant vobis? Videmus ergo hic acerbe perstringi populi diffidentiam, quia non acquieverat in solo Deo, sed voluerat sibi accersere deos innumeros: quum multæ essent urbes in tribu Jehudah, totidem erant patroni. Unus Deus poterat in solidum illis sufficere, & poterat afferre plenam salutem, quoties opus esset. spreverunt unum Deum: & singulæ urbes fabricatæ sunt sibi varios deos. *Veniant*, inquit, quandoquidem in illa multitudine confisi estis: *Surgant nunc, ut vobis succurrant*. nam ego, quia unus sum, à vobis contemnor. Nunc ergo tenemus etiam in hac parte Prophetæ consilium. Pnstea sequitur,

29. Cur litigatis mecum omnes impie agentes in me? (*vel perfide*) dicit Jehovah.

Cancludit Jeremias superiorem doctrinam. Dicit enim Judæos nihil lucrari, dum excipiunt adversus Deum, se esse innoxios, & putant verbis posse effugere illius judicium: nec tantum id faciunt, sed etiam prosiliunt eo impudentiæ, ut Deum ipsum provocent, & velint reum facere. Uno autem verbo respondet Deus, ipsos esse perfidos. Summa igitur est, Judæos sibi male consulere, dum ita animos suos obdurant ad pertinaciam, quia convictos Deus tenebit impietatis, ut frustra hoc vel illud in medium afferant, excusationis causa. Est autem hic locus notatu dignus: scimus enim quam proclivra natura simus ad hypocrisin. ubi autem Deus nos ad tribunal suum citat, vix centesimus quisque est qui agnoscat suum reatum, & se humiliando deprecetur veniam: sed major pars obstrepit, imo fere omnes obmurmurant adversus Deum: postea colligunt etiam majores spiritus, & superbe audent provocare Deum, & lacessere. Quum ergo ira in nobis regnet hypocrisis, & penitus infixa sit omnium fere cordibus: deinde quum hypocrisis generet impudentiam & superbiam adversus Deum: teneamus quod hic dicit Propheta, nempe quicunque adversus ipsum disceptant, nihil consequi suis excusationibus, quoniam tandem deteget ipsorum defectionem & perfidiam. Sequitur postea,

30. Frustra (*in vanum*) castigavi filios tuos, correctionem non receperunt: voravit gladius vester Prophetas vestros quasi leo vastator.

Quidam ita exponont principium versus, qood Deus castigaverit Judæos propter vanitatem, quoniam assueti erant mendaciis. sed non respondet posterius membrum. Non dubium igitur est, quin Deus hic expostulet cum Judæis, quoniam ipsos conatus fuerit reducere in viam, & expertus fuerit esse prorsus indomitos. quemadmodum eadem fere
Jesa.1:6. expostulatio legitur apud Jesaiam primo capite: Frustra, inquit, castigavi vos: à planta pedis usque ad verticem capitis nulla est sanitas. Illic ostendit Deus se expertum esse omnia remedia: sed ut Judæi præfracto erant ingenio, incurabiles fuisse eorum morbos. Idem nunc argumentum tractat Jeremias. & hoc modo iterum exaggerat Deus malitiam populi, quum testatur non tantum verbis se tentasse an essent dociles, sed etiam ferulis & castigationibus; verum utrumqoe laborem fuisse vanum. Noper loquutus est de doctrina, Prohibe pedem tuum à discalceatione, & guttur tuum à siti. Hortati igitur fuerant Prophetæ Judæos mandato Dei, ut qoiescerent: doctrina fuerat ipsis inutilis & infructuosa. Jam adjungit Deus se etiam alio modo tentasse an possent revocari ad sanam mentem: sed hoc etiam fuisse inutile & irritum. *Frustra* ergo *vos castigavi*, inquit, *quoniam correctionem amplexi non estis.* Sed loquitur de filiis, ut osteodat totum populum fuisse indocilem. nam quamvis cupiditates magis ebulliant in ætate jovenili, non tamen tanta est pervicacia, quanta in senibus apparet. Nam qui tota vita obduruit ad contemptum Dei, vix poterit unquam sanari ac ullam correctionem admittere: senectus enim per se est morosa & difficilis, & senes etiam putant quodammodo sibi fieri injuriam, dum objurgantur. ubi autem tanta est petulantia & obstinatio in ipsis adolescentibus, ut respuant omnem correctionem, hoc est magis prodigiosum. Propheta igitur ostendit nihil sanum vel sincerum fuisse in populo illo, quum filii etiam respuerint disciplinam. Nunc ergo tenemus ejus consilium: nempe quoniam Deus Prophetas suos miserat, & nihil profuerat ipsorum labor, jam ostendit non tantum surdas fuisse aures populi ad sanam doctrinam, sed fuisse rigido collo & indomabili, quoniam studuerat illos ferulis corrigere, & tamen nihil etiam hoc modo profecit. Sequitur, *gladium ipsorum vorasse Prophetas.* Sed non possem nunc absolvere.

Da omnipotens Deus, quando quotidie nos paterna indulgentia ad te iovitas, ne obdurescamus ad sanctas tuas & salubres etiam admonitiones: deinde siquando etiam ferulis nos castigas, ne rigido collo contra te obdurescamus, sed discamus nos placide verbo tuo subjicere, ac recipiamus tuam disciplinam, & ita proficiamus utroque modo, ne subjiciamur extremo tuo judicio quod denuncias obstinatis: sed potius viam aperiamus paternæ tuæ clementiæ, quo scilicet nos humaniter tractes, usque dum nos recipias in beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO NONA IN JEREMIAM.

Postrema lectione conquestus est Deus se operam lusisse in castigandis filiis Israël, quia prorsus essent indomito & præfracto ingenio, nec capaces disciplinæ: Ego, inquit, frustra conatus sum pœnis eos revocare in viam. Nunc autem exaggerat crimen illud contumaciæ, quod non tantum respuerint sanam doctrinam, sed fuderint sanguinem innoxium, & persequuti sint Prophetas tanquam hostes, qui tamen missi erant divinitus, ut consulerent eorum saluti. Hic ergo Deus condemnat eos tam pervicaciæ, quam crudelitatis. Dicit enim se non fuisse adeptum quod volebat, nempe ut resipiscerent: deinde oon fuisse tantum præfractos & indomitos, sed etiam sæviisse in ipsos Prophetas. & scimus Jerosolymam fuisse carnificinam, ubi jugulati sunt multi Prophetæ. Hoc quidam exponunt de falsis doctoribus, quasi diceret Propheta, imputandum esse sceleribus populi, quod Prophetæ justas pœnas dederint, quoniam falsi erant ac mendaces: & insistunt in voce una, nempe quia vocantur ipsorum Prophetæ. ideo dicit Hieronymus Prophetas vestros, non meos: acsi Deus negaret mandatum ullum se illis dedisse. sed hoc nimis est coactum. Tenendum igitur est quod dixi, nempe quum vellet Deus mederi populi sui vitiis, Prophetas, qui salutis ministri erant, fuisse crudeliter à populo ipso occisos: & optime huic expositioni quadrat similitudo quæ sequitur, *Quasi leo vastator.* Dicit enim Deus perinde sævisse Judæos contra Prophetas, acsi ingressi essent in aliquam sylvam plenam leonibus. Nunc sequitur,

31. Gene-

31. Generatio, vos videte verbum Jehovæ, An desertum fuit Israël? an terra caliginis? Quare dixerunt populus meus, (*hoc est, dixit: sed plurali utitur, quia est nomen collectivum*) Dominati sumus, (*alii, recessimus*) non veniemus amplius ad te?

Non dubium est, quin personam admirantis suscipiat Propheta, quo magis detestabile reddat crimen populi. Nam quasi attonitus dicit, *Generatio.* Nomen דור, quemadmodum satis notum est, significat ætatem. Perinde igitur est acsi dixisset, Ad quod tempus recidimus? vel quo seculo, vel qua ætate nunc vivimus? Nunc ergo tenemus vim hujus vocis. Postea adjungit, *Vos videte sermonem Domini.* Videtur hoc esse improprie dictum. nam debuerat potius dicere, Attendite, vel auscultate, vel audite. Jubet ipsos videre. sed optime convenit hæc loquutio: neque enim hic requirit à populo audientiam, sed potius defert cognitionem: quasi diceret, Vos ipsi perspicite quale hoc sit quod Dominus pronunciat. & emphatice etiam ponitur particula אתם: *vos ipsi*, inquit. Nam merito poterant damnari Judæi à cunctis gentibus, si adducti fuissent in judicium. sed Propheta ostendit, quamlibet cæci sint, tamen posse oculis suis conspicere quod Dominus dicit. Non agitur hic de doctrina, sed de re ipsa: quasi diceret, Dominus per me vobiscum expostulat, etiamsi nulli adsint testes. nemo judex, vel arbiter, vos ipsi potestis cognoscere rem totam. Videmus ergo quam apte loquutus sit Propheta, quum juberet ipsos *videre sermonem Jehovæ*: nam postea subjicit, *An desertum fuit Israël?* ubi constituit Judæos ipsos hujus causæ arbitros ac judices, an non experti sint Dei beneficentiam, ac deseruerint ipsum, quemadmodum ante conquestus est, quum tamen esset fons aquæ vivæ, & foderint sibi cisternas perforatas. Itaque dicit, Unde factum est, ut à me discesseritis? an frustra vobis promisi me fore liberalem & beneficum? an vos frustratus sum, aut vestram expectationem, quamdiu me coluistis? quum igitur vobis non fuerim terra sterilis, aut caliginosa, nempe quæ non fruetur Solis calore: sed quum tanta ubertas bonorum semper in me reperta fuerit, qui factum est ut ita à me discesseritis? Postea adjungit aliud crimen, *Quare dixit populus meus, Dominamur?* Verbum רדנו varie exponunt interpretes: nam quidam deducunt à ירד, quod est descendere, & putant Jod primam literam absconditam esse sub puncto magno. sed ipsi quoque inter se variant: nam alii hoc referunt ad calamitates quibus afflicti erant Judæi: alii autem ad defectionem ipsam. Sic ergo priores exponunt, Descendimus, hoc est, oppressi sumus miseriis: quid ergo nunc proficiemus invocando Deo, quando res nostræ prorsus sunt perditæ? alii diversum sensum eliciunt, Recessimus, hoc est, Non est quod Prophetæ nobis jam aures obtundant suis clamoribus: hoc enim semel nobis decretum est, nunquam redire ad Deum: abnegavimus eum semel, valeat ipse, & facessat cum suis exhortationibus, quia non dabimus eis locum. Utrique sentiunt esse vocem desperationis. sed videmus in quo differant, nempe quoniam alii hoc descendere accipiunt de calamitatibus populi: alii autem accipiunt de ipsa perfidia, quod scilicet semel vale dixissent Deo, neque vellent quicquam amplius sibi cum ipso esse commune. alii autem propius accedunt ad rationem Grammaticæ: nam רדה & רוד significat dominari. Ego igitur potius eorum sententiam amplector, qui vertunt, *Nos dominamur.* Quod autem quidam volunt passivum esse verbum, nescio qua ratione adducti ita tradant. dilutum etiam aliorum commentum, Nobis sunt reges & consiliarii. sed potius ea istimo vocem esse superbiæ, & vanæ gloriationis, quod scilicet Judæi se reges esse existiment: quemadmodum etiam idem Paulus exprobrat Corinthiis, Vos divites estis, & sine nobis regnatis: & utinam regnetis. [1 Cor. 4. vers. 8.] nam Corinthii inflati pravo fastu propter urbis opulentiam, spernebant Euangelii simplicitatem: expetebant argutias, & addicti erant rebus novis. Paulus ergo dum videt contemni apud ipsos Dei gratiam, ironice exagitat quod jam divites & reges sine ipso esse velint, cui tamen omnia debebant. Idem nunc vitium reprehendit Jeremias in populo suo, *Nos dominamur, neque venimus ad te*: quasi diceret, Hactenus vestra felicitas à me profecta est. nam quicquid fuistis, & quicquid vobis datum est, debuit mihi ascribi, ac meæ beneficentiæ: Jam autem sine me (Deus enim ipse loquitur) vos estis reges: sed quo jure, vel titulo? & quid vobis est proprium? *Quare ergo dixit populus meus, Non veniemus amplius ad te?* Nunc tenemus genuinum Prophetæ sensum. Quantum ad rem ipsam, primo loco, sicuti jam dixi, quodammodo obstupescit ad populi malitiam, acsi esset aliquod portentum: ideo exclamat, *O generatio!* quasi diceret incredibile esse quod videt. Postea adjungit, *Videte ipsi sermonem Jehovæ.* Hoc longe fuit gravius, quam si eos citasset ad Dei tribunal. nam hoc modo ostendit nimis crassam esse eorum malitiam, quod sine causa, imo sine ullo prætextu, & absque pudore ita Deum abnegassent, qui tam liberalem erga ipsos se præstiterat. Interea oblique ipsos perstringit, quod jam nullus sit ipsos docendi locus. Jubet igitur ipsos rem ipsam oculis perspicere, quia surdi sint, vel quia aures habeant clausas & obturatas ad omnem doctrinam. nam ab ipso sermone ad rem ipsam revocat eos, quemadmodum diximus: & hoc interpretes non viderunt. Jam sequitur illa exprobratio, *Quod Deus non fuerit illis desertum*, sed, quemadmodum docuit ante Propheta, profluxerit ab ipso omnis bonorum copia ad satietatem usque. Quum ergo Deus ipsos locupletasset sua benedictione, hinc crimen magis augetur, quod ipsum deseruerint. Jam in postrema parte versus, Deus expostulat de ipsorum ingratitudine, quod putent se dominari. Nam regale quidem erant sacerdotium, sed Dei beneficio: non regnabant suo jure, non regnabant quod adepti essent imperium Marte suo, vel industria, aut propria virtute, aut etiam felicitate. unde igitur? precario duntaxat. Quum ergo reges essent, modo subjicerent se summo Regi, volebant separatim regnare, hoc est, pro sua libidine: & ita calcabant pedibus Dei gratiam. hanc igitur pravitatem in ipsis accusat Propheta. Et eodem etiam spectat clausula versus, *Non veniemus amplius ad te*: quasi non egerent auxilio Dei, quoniam putabant sibi suppetere quicquid ad statum suum fulciendum opus erat. Quum ergo ita turgerent pravo fastu, spernebant Dei gratiam, quasi non opus esset alieno subsidio. Sequitur,

32. An obliviscetur puella ornamenti sui? sponsa ligaminum suorum? (*ad verbum: alii vertunt murenulas, alii torques: sed nomen hoc deducitur à קשר, quod est ligare. apud nos possemus vertere tressures proprie*) populus autem meus (*nam Vau debet resolvi in adversativam particulam*) oblitus est mei diebus innumeris. *quibus non est numerus, ad verbum.*

Hic confirmat Deus proximam ſententiam, & pudorem vult incutere populo ſuo, quod minoris fuerit æſtimatus quam ſoleant puellæ æſtimare mundum ſuum muliebrem. Nam certe monilia virginum ſunt meræ nugæ: & tamen videmus ita rapi puellas ſtulta cupiditate, ut non minoris faciant ſua monilia, & nugas illas, quam propriam vitam. Quid ergo hoc ſibi vult, inquit Deus, *quod populus meus oblitus eſt mei?* an reperietur tale aliquod ornamentum? an inter margaritas, & pretioſiſſimos quoſque lapillos reperietur quod mecum poſſit conferri? Hac igitur ſimilitudine oſtendit Deus, quam perverſo ingenio fuerint Judæi, quum ita abjecerint bonum illud inæſtimabile, nempe habere Deum patrem, & florere ſub ejus regno. nihil enim ipſis ad beatam vitam defuerat, quamdiu ſe reddiderant capaces paterni favoris, quo Deus ipſos complexus fuerat, & volebat ad finem uſque proſequi. Quum ergo Deum experti eſſent tam beneficum, nonne oportuit eſſe pluſquam amentes, qui ita abjecerint ſponte ejus gratiam? quum tamen puellæ ſoleant mordicus affixos habere ſenſus omnes ſuis nugis, quæ nullius ſunt pretii. Sed Propheta conſulto hac ſimilitudine uſus eſt, ut ſibi faceret tranſitum ad proximam ſententiam. volebat enim Judæos conferre mulieribus adulteris, quæ dum feruntur effreni ſua libidine, rapiuntur poſt ſuos vagos amores. Ergo quum vellet objicere hoc crimen Judæis, ex profeſſo loquutus eſt de monilibus virginum; & ideo ſequitur,

33. Cur bonificas (*id eſt, paras, concinnas*) vias tuas ad quærendum amorem? itaque etiam pravitates docuiſti in viis tuis.

Varie exponitur hic verſus. ſed ſimpliciter intelligit Propheta Judæos ſimiles eſſe mulieribus laſcivis: quæ non tantum maritos ſuos domi contemnunt, ſed diſcurſant hoc atque illuc: deinde fucant facies ſuas, & accerſunt ſibi multas illecebras impudicitiæ. Dicit ergo Judæos ita feciſſe: & hoc vocat *bonificare vias ſuas.* nam hoc verbum apud Hebræos late patet: accipitur enim pro parare, pro conciliare gratiam. Sed hic tantundem valet acſi dixiſſet Propheta, Cur teipſam fucas ac pingis, quemadmodum ſolent meretrices, quæ ut alliciant ſtultos juvenes, & inflamment eorum libidinem, multis artificiis utuntur? cur ergo tantum ſumis laborem ad meretricium quæſtum? Videbimus quorſum hoc dicat in fine capitis: nam objiciet illis Aſſyrios & Ægyptios. Eſt autem hæc trita doctrina apud Prophetas, conferre ſcilicet amatoribus populos illos: quoniam Judæi quum deberent penitus affixi eſſe Deo, (quemadmodum mulier caſta non convertit oculos huc & illuc, neque vagatur, ſed reſpicit ſolum maritum) tamen nunc putabant ſibi ab Aſſyriis petendam ſalutem eſſe, nunc autem confugiebant ad Ægyptios. Hanc ergo pravitatem nunc in ipſis accuſat Propheta: & ideo metaphorice loquitur de ipſis tanquam de perſona mulieris adulteræ, quæ marito ſuo ſpreto, vagatur poſt quoslibet, & quærit ſibi adulteros & ſtultos adoleſcentes omnibus locis, & eſt expoſita omnium libidini. Nunc tenemus Prophetæ ſenſum. quantum ad verba ſpectat, dicit, *Cur ita concinnas vias tuas?* Sed ſtudia hic confert etiam corpori meretricio: quaſi diceret, Cur te ita paras? & cur undique tibi accerſis nitorem & venuſtas elegantias, ut ſcilicet facies tua decipiat oculos ſimplicium? nam poterant Judæi manere ſalvi & incolumes ſub Dei præſidio: & poterant hoc ſine moleſtia. Quemadmodum enim maritus contentus eſt forma ſuæ uxoris, neque appetit adventitias illas & exquiſitas venuſtates: ſic Deus nihil aliud exigebat à populo ſuo, niſi ut fidem ſervaret: quemadmodum maritus ab uxore exigit caſtitatem. Summa igitur eſt, quemadmodum mulier, ſi vere conjuncta ſit marito ſuo, non opus habet multo labore, quoniam ſcit formam ſuam genuinam placere: neque multum laborat ut ſibi conciliet animum mariti, quoniam optimum pignus eſt ipſa caſtitas: ita potuiſtis ſimpliciter me colendo, & ſervando Legem meam, vivere ſine aliqua moleſtia. nunc qualis eſt iſta caſtitas? eſtis quemadmodum mulieres libidinoſæ, quæ volunt attrahere animos ſuorum adulterorum: nam ſicuti ardent libidine, ita etiam nullus eſt finis vel modus in ornatu quærendo, & ſeipſas excruciant, tantum ut devinctos ſibi teneant adulteros. tales igitur (inquit Deus) eſtis: nam multum impenditis operæ & ſtudii in quærendis amoribus alienis. Poſtea adjungit, *Itaque etiam pravitates docuiſti.* Alludit ad verbum illud quo uſus fuerat, nempe Bonificaſti vias tuas. Poſtea, *Docuiſti etiam*, inquit, *malitias in viis tuis.* Dicit Judæos pejores eſſe & Aſſyriis, & Ægyptiis: quemadmodum mulier laſciva longe deterior eſt omnibus adulteris, quos capit ſuis decipulis. nam ſi adoleſcens non aliunde fallatur, nec diabolus admoveat facem, poterit caſtus & integer manere: ſi qua mulier procax & libidinoſa ipſum alliciat, actum eſt. Dicit igitur Propheta, Aſſyrios & Ægyptios reſpectu gentis ſuæ eſſe innoxios. quare? nam capti ſunt, inquit, veſtris blanditiis, quemadmodum pereunt adoleſcentes meretricum fallacibus illis ornamentis: perinde enim eſt acſi inciderent incauti in aliquas inſidias. ergo à vobis profectum eſt malum, & culpa in vobis reſidet. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Accuſat enim Judæos, quod ſcilicet præbuerint tam Aſſyriis quam Ægyptiis mali occaſionem, dum ipſorum favorem captabant ultro. Jam ſequitur,

34 Etiam in alis tuis repertus eſt ſanguis animarum pauperum innocentum. non in ſuffoſſione repertæ erant: ſed ſuper omnibus his. *alii vertunt, quia in omnibus illis: & particula eſt cauſalis: ſed tamen hic adverſative debet reſolvi, quemadmodum multis locis.*

Repetit, meo judicio, Propheta quod prius dixerat: nempe fuiſſe prorſus deſperatam gentis ſuæ malitiam, quoniam non reſipuerint moniti, ſed potius ſævierint tanquam feræ beſtiæ adverſus Prophetas, & ſanctos doctores. Falluntur interpretes dum putant hic generaliter damnari ſævitiam in Judæis: & hoc omnes faciunt. Sed Propheta haud dubie crimen illud exaggerat, quod Judæi non modo fuerint pertinaces in ſuis vitiis, ſed etiam furioſe adverſus Prophetas ſævierint. Iterum ergo oſtendit, Deum uſum fuiſſe omnibus remediis ad ſanandos Judæos, ſed ſine profectu. Quæ enim medicina potuit melior offerri, quam ut Prophetæ coarguerent populum, & oſtenderent quam impie à Deo ſuo deficerent? Deus ergo voluit hoc modo corrigere populi ſui vitia. adeo autem non profecit, ut Hieroſolymæ, & in tota Judæa Prophetæ jugulati fuerint, & tota terra fuerit repleta, & fœdata etiam ipſorum ſanguine. Dicit ergo, *Etiam in alis tuis repertus eſt ſanguis animarum pauperum innocentum.* Alas vocat oras veſtium: quaſi diceret cædes illas non fuiſſe occultas, quoniam Judæi

reſperſi

respersi fuerunt sanguine usque ad extremas partes vestium. quasi diceret, Non est cur hic vobiscum agam subtiliter: nam fœditas vestra nimis apparet. non enim tantum rebelles fuistis doctrinæ meæ, sed crudeliter etiam Prophetas meos occidistis. Si quæritis, Ubinam sunt illæ cædes? nempe *in alis vestris* & oris, inquit: hoc est, crimen vestrum plusquam notum est. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Ideo notandum est pondus hujus particulæ גם: Etiam, inquit. Nam deterior fuit, & magis scelerata illorum crudelitas, quod ita insurrexerint contra suos medicos. Prophetæ enim ministri erant salutis, quemadmodum dictum fuit. Quum ergo ita insanierint contra Dei gratiam, ut jugularent suos Prophetas, hinc clarius patet, fuisse prorsus desperatos. Postea adjungit quod ad confirmationem valet, *Non fuerunt reperti in suffossione.* Quidam aliter exponunt: sed recte sentiunt qui putent Prophetam alludere ad sententiam Mosis, Exod. 22. v. 2. Si fur repertus fuerit in suffossione, ipsum impune posse occidi. Nam similis est latroni propter audaciam, qui audet ita perfringere alienas domos: non tantum debet fur censeri, sed debet haberi pro homicida, & pro latrone. Dicit igitur Deus, Prophetas qui occisi fuerunt à Judæis, *non fuisse repertos in suffossione*, hoc est, non fuisse reos ullius criminis, vel furti, vel cædis. (ponit enim speciem pro genere:) *sed fuisse super omnibus his*; hoc est, quod libere ausi fuissent vos coarguere, quod acriter reprehendissent vestra scelera, quod patefecissent vestram turpitudinem, quod hostes fuissent perfidiæ vestræ, & omnium scelerum. quoniam igitur Prophetæ ita divino Spiritu bellum gesserant cum vestris peccatis, ideo fuerunt à vobis occisi. Videmus quam bene fluat contextus. modo hoc sumatur de solis Prophetis: quemadmodum etiam Jeremiæ consilium fuit, non tantum promiscuas cædes in Judæis reprehendere, sed ostendere ipsos fuisse hostes Prophetarum, quia adversi erant omnibus bonis & sanis consiliis; & nullius doctrinæ capaces. Aliorum error refellitur, quod in postremo membro neque cælum neque terram attingant. Sequitur,

35. Et dixisti, *(hoc est, Dixisti tamen: nam copula hic accipitur pro tamen. Dixisti tamen)* Certe *(nam* כי *causalis particula hic audaciam notat, vel illam jactantiam plenam impudentiæ, ut auderent asserere Judæi se esse innoxios: Certe)* ego sum munda, *(ego sum innocens)* tantum recedat furor ejus à me. Ecce ego judicabo te, *(vel contendam tecum in judicio)* quia dixisti, Non peccavi.

Hic Propheta Judæos ostendit fuisse ita perfrictæ frontis, ut non possent ad verecundiam adduci ullis monitionibus. Quum ergo essent similes mulieribus adulteris, & quum exercuissent meretricium quæstum cursitando in diversas partes: quum deinde jugulassent Prophetas, & sanctos Dei ministros, tamen quasi nullius mali sibi conscii essent, jactabant se innoxios. *Dixisti tamen*, hoc est, Quomodo audes prætendere ullam innocentiam, quum sis convicta tam manifestis & crassis non indiciis, sed probationibus? denique Propheta ostendit deploratum esse populi statum, quia non admittat ullam admonitionem, imo quum audeat quasi ferrea fronte, obstinate gloriari se esse innoxium. Dixisti (sed semper loquitur in genere fœmineo, quasi de muliere.) *Dixisti tamen, Certe ego sum munda.* Sic hypocritæ non tantum se excusant, & vanos adferunt prætextus, sed audent ipsi prodire in medium, & volitare quasi elati essent sua confidentia, supra nubes. Quis audebit quicquam mihi objicere? Ita hypocritæ lacessunt sponte & procaciter omnes Dei servos, & volunt hac superbia os obstruere omnibus. Nunc Propheta damnat talem proterviam in Judæis, quod scilicet ita manifeste convicti, tamen jactanter assererent se esse innoxios. *Modo* (אך hic accipio pro tantum) *recedat.* Hic alterum crimen Propheta exprobret Judæis: nempe quod dixerint sibi fieri à Deo injuriam, quod tam pœnis, quam objurgationibus ipsos ad sanam mentem vellet revocare. Deus enim jam multas pœnas Judæis inflixerat, quemadmodum satis notum est: deinde addebat serias objurgationes. Duobus his modis experiebatur an sanabiles essent nec ne. Quid autem illi? Ego sum innoxius: sed Deus mihi sine causa irascitur. *Amoveat iram suam à me*: hoc est, modo ne Deus imperiose nobiscum agat, neque utatur summo jure, poterimus probare nostram innocentiam. Sic impii dum urgentur severis monitionibus, evomunt suas blasphemias contra Deum: O quid faciam? ego scio me non esse parem ad resistendum: Deus pugnat cum umbra, dum me affligit. ferenda quidem mihi est ejus violentia quamvis me obruat: interea facit mihi injuriam. nam si vellet agere mecum jure, & æquis rationibus, ego probarem me indignum esse his malis. Sic ergo agebant Judæi, *Modo recedat furor ejus à nobis*, poterimus ostendere nos esse justos, vel saltem excusabiles. Nunc etiam in hac parte tenemus Prophetæ consilium, quod scilicet Judæi non tantum ausi fuissent improbe & fastuose sibi arrogare innocentiam, sed etiam litem intentare Deo non dubitaverant, quasi nimis imperiose ipsos urgeret, neque contenderet judicio, sed proferret crudelem sententiam ad ipsos obruendos. *Ecce*, inquit: *judicabo te, quia dixisti, Non peccavi.* Quidam vertunt, Judico te, vel damno. Sed non dubium est quin tacita sit antithesis inter furorem, & inter judicium Dei. Populus enim dicebat Deum nimis rigide sævire: hæc erat ira. Nunc opponit Deus suum judicium: Non est, inquit, quod hic prætextus in medium à vobis proferatur. evanescet enim, *Quia judicio contendam vobiscum*, hoc est, ostendam re ipsa me esse judicem, non tyrannum, me exercere justas pœnas, & debitas legibus, non autem esse similem homini iracundo, qui vindictam sumit de suis hostibus, & facit hoc præcipiti & cæco affectu: ego ostendam me esse judicem, inquit. Hinc colligere licet utilem doctrinam: ac primo loco notandum est, nihil magis Deum abominari, quam hanc pervicaciam, ubi scilicet volumus videri innoxii, quum tamen conscientia propria nos damnet. Deinde secundo loco notandum est, quicunque ita contumaciter insurgunt, & volunt improbe & impudenter tueri sua vitia, simul congredi cum ipso Deo. nam falsæ excusationes semper huc tendunt, ut Deus damnetur injustæ crudelitatis. Sed videmus quid tales proficiant. ostendit enim Deus tandem se esse judicem: & ita ostendit, ut palam retegat eorum crimina, qui putarunt subterfugiis & fallacibus cavillis se posse excusare. Qui ergo ita Deo contumaciter resistunt, tandem necesse est eos venire ad hunc finem, quemadmodum pronunciat Propheta, nempe ut agnoscere cogantur Deum non excanduisse nimis violento impetu contra eos, sed justas pœnas de ipsis exegisse.

Da omnipotens Deus, quum tot vitiis simus referti, & toties, imo quotidie, & quidem innumeris modis te lacessamus, ne saltem obdurescamus ad tuas sanctas admonitiones, sed flexibiles simus, ac morigeri, & in tempore resipiscamus, ne cogat te nostra protervia & durities manum tuam potentem contra nos exerere: sed potius sicuti antehac experti sumus paternam tuam erga nos beneficentiam, ita in posterum

rum

rum simus ejus capaces: atque ita magis ac magis assuescamus ad ferendum tuum jugum, donec tandem perfuncti nostra militia, perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis in cælo est reposita, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA
IN
JEREMIAM.

36. Quid discurris tantopere ad mutandum vias tuas? Etiam ab Ægypto pudefies; sicuti pudefacta es ab Assur.

PRosequitur eandem sententiam Propheta. prius enim dixit populum similem esse mulieri perfidæ, quæ relicto marito, discurrit post suas libidines. Hujus sententiæ rationem nunc reddit. Nam poterat videri asperius agere cum populo illo, nisi res ipsa digito monstrata esset. quod nunc facit. Dicit enim discurrere, nec vulgari modo: sed ut appareat turpis levitas, quemadmodum in scortis, quæ abjecto omni pudore, quærunt vel adulteros, vel scortatores. Cæterum, jam paucis ostendi quid hic velit Propheta. Judæi enim quum aliquid instabat periculi, quærebant auxilium nunc in Ægypto, nunc in Assyria. Atqui utrumque sciebant sibi esse vetitum: non quod per se malum aut vitiosum sit petere auxilium à vicinis, sed quia volebat Deus solidam laudem sibi manere, quod populus ille salvus & incolumis staret. Receperat enim illum in fidem suam. Ergo quum Judæi essent Dei clientes, debuerant acquiescere in ejus præsidio. Quum respectarent huc & illuc, signum fuit diffidentiæ: & quantum dabant vel Ægyptiis vel Assyriis, tantum detrahebant Deo suo, qui promiserat illorum salutem sibi fore curæ. Comparat igitur istas agitationes levitati meretriciæ, ubi scilicet scorta huc & illuc discurrunt. Oportet autem scortum esse fœtidum, ubi ita vulgo conditiones sibi quærit. Multæ enim meretrices expectant, dum veniat aliquis amator. sed quæ se ita passim prostituunt, merito sunt abominabiles. Hoc igitur nunc significat Propheta, Judæos cursitare, & quidem ita *ut mutent vias suas*. Nam in meretricibus sæpe tamen residet aliquis nativus amor. Sed hoc signum est brutæ, & pudendæ, & prodigiosæ etiam libidinis, ubi mulier, quemcunque conspexerit virum, appetit: vel ubi etiam vir aliquis, quum aliqua occurrit mulier, statim accenditur. ubi igitur talis est impudentia, sequitur jam nihil esse residuum pudoris, vel etiam naturæ: quoniam, sicuti jam dixi, merito prodigiosum hoc censeri debet, ubi mulier ita rapitur ad cujusque aspectum. Et tamen hoc flagitium exprobrat Propheta Judæis, quum dicit *cursitasse ad mutandas vias suas*, ita ut nusquam constiterit ipsorum amor, sed appetiverint obvios quosque, imo etiam huc & illuc profecti sint ad eos captandos. Hæc tractat Ezechiel & sæpius & fusius, & videbimus eandem similitudinem etiam aliis locis. Sed satis est quod breviter complector Prophetæ mentem. Jam adjungit, *Etiam pudefies ab Ægyptiis, sicuti pudefacta es ab Assyriis.* Nam ante tempus Ezechiæ fœdus percusserant Judæi cum Assyriis adversus Syrios & Israëlitas, quemadmodum satis notum est: deinde rursus contra Ægyptios. Quum enim bellum aliquanto post tempore exortum esset ab Ægyptiis, qui fuerant confœderati: mutato consilio, profecti sunt in Assyriam, & illic se reconciliarunt vetustis suis hostibus. atque hoc quoque secundum fœdus infeliciter successit. Dicit igitur Propheta eundem fore illis exitum, quem prius experti fuerant. Deus enim castigaverat ipsorum impiam defectionem, quum profecti essent in Assyriam. Jam dicit, Nihilo melius tibi succedet quum venient Ægyptii ad opem tibi ferendam, quam dum Assyrii prius venerunt. Nam scimus semper expositos fuisse prædæ Judæos, & plus jacturæ passos fuisse à sociis suis, quam à manifestis hostibus. Hæc fuit justa merces impietatis ipsorum, & defectionis. Deus igitur denunciat se fore vindicem secundæ defectionis, sicuti prioris ante fuerat. Sequitur,

37. Etiam ab hoc (*ab hac re, hoc est, propter hoc scelus*) egredieris, & manus tuæ super caput tuum: quia detestatur Jehovah confidentias tuas, & in illis non prospere tibi succedet.

Clarius exprimit quod dixerat de probro gentis suæ, nempe Judæos sibi accersere ultimum exitium, ubi putant sibi salutem esse repositam apud Ægyptios. Hoc quidem erat incredibile: nam quum Ægyptii essent vicini, tunc autem sibi tantum metuerent Judæi ab Assyriis & Chaldæis, qui longe remoti erant, putabant sibi optime esse prospectum: Qoid? hostes nostri absunt à nobis itinere viginti aut triginta dierum: qui autem parati sunt ad opem ferendam, præsto mox aderunt ubi fuerint admoniti. Putabant igitur Judæi, quemadmodum diximus, rem suam esse in tuto. Sed Propheta hic denunciat longe ipsos falli: *Quoniam propter hoc scelus*, hoc est, quoniam confisi impio illo & maledicto fœdere, sibi promittunt pacem ab hostibus, vel putant se nullo negotio hostibus fore superiores. *propter hoc*, inquit, *egredieris*. nihil autem minus credibile erat Judæis, quam quod tunc dicebat Propheta. Nam quum Ægyptii se opponerent Chaldæis instar muri, & essent quasi inexpugnabiles, quis non putasset tranquillos fore Judæos in patria sua? Egredieris, inquit, *& manus tuæ super caput tuum.* Hoc gestu significat ultimam desperationem. Mulieres enim vel plangunt ubi adest aliqua clades, vel extendunt brachia sua. quemadmodum hodie quoque videmus sæpe id fieri: nam si qua mulier parum modesta vel maritum perdiderit, vel expectet aliquod gravissimum malum, planget pectus suum, vel manus suas ita extollet. Hunc ergo gestum ponit Jeremias in signum extremæ desperationis: quasi diceret, adeo fœdus, quod Judæos inflabat stulta superbia, non fore illis utile, ut potius ultimam cladem afferat cum ignominia. Notanda autem præcipue ratio est quæ sequitur, *Quoniam abominatur Jehovah confidentias tuas.* ubi ostendit Propheta, cur tam acerbe loquutus sit. Poterat enim videri illud hyperbolicum, quod diceret populum similem esse meretrici perditæ, quæ discurreret per omnes vias. Sed hæc ratio satis valere debuit ad tollenda subterfugia, nempe quod perperam confiderent in illis fallacibus auxiliis, quæ sciebant à Deo esse maledicta. nam si

hoc

hoc fuisset divinitus permissum, non tam severe objurgati fuissent. Cæterum, quoniam Deus prohibuerat ne ad Ægyptios confugerent, hæc primo fuit detestabilis confidentia: deinde hinc factum est, ut spernerent Dei auxilium, & quasi abjicerent omnes ejus promissiones. Quum enim affixi essent eorum animi Ægyptiis, putabant illic salutem sibi esse certam: ita non tantum refrixit, sed prope extincta fuit Dei invocatio. Videmus ergo non excedere modum Prophetam, ubi tantopere excandescit contra Judæos, & tam ignominiose eos traducit: nempe quoniam transtulerant gloriam Dei ad Ægyptios, quum scilicet putarent eos sibi fore auctores salutis: & ita contempserant Dei promissiones, nec ullum vigebat studium precandi apud eos. *Abominatur ergo Jehovah confidentias tuas*, inquit. Postea, *Non prosperaberis in illis*. Hoc diligenter notandum est, ubi quod instituimus Deo non placet, non posse feliciter cedere, quia Dominus evertet omnes spes nostras. Sciamus igitur hic proponi pœnam omnibus incredulis, qui non contenti Dei præsidio, vagantur post vanas & fallaces suas fiducias, & malunt homines sibi habere propitios quam Deum ipsum. Nunc sequitur,

Cap. III.

Dicendo, Si dimiserit vir uxorem suam, & profecta ab eo fuerit viri alterius, (*hoc est, transierit ad alium virum*) an revertetur ad eam adhuc? Annon pollutione polluta est terra in hoc? Et tu scortata es cum sociis multis: Revertere tamen ad me, dicit Jehovah.

Putant multi hunc versum ex proximo pendere: & ita legunt uno contextu, Deum abominari pravas confidentias populi, quoniam dicat, &c. Sed non potest hoc (meo judicio) quadrare. Novam enim hic sententiam proponit Jeremias, nempe quod Deus sibi populum reconciliare studeat, quemadmodum si maritus vellet in gratiam redire cum uxore impudica, & vellet ignoscere prorsus, ac recipere justæ & pudicæ uxoris loco. Non potest igitur contexi hic versus cum illa exprobratione, quam nuper vidimus: sed לאמר tantundem valere puto, acsi dixisset, ut loquimur Gallice, *par maniere de dire*: vel quemadmodum etiam barbare quidam dicunt, *posito casu*. Neque enim Propheta hic Deum loquentem inducit, sed sententiam vulgarem ponit in medium: & ideo sic præfatur, לאמר, hoc est, Sit ita, ut vir quispiam fecerit divortium ab uxore, & illa transierit ad novum maritum, an poterit rursus ad priorem maritum redire? non solet fieri. Ego autem superabo quicquid est humanitatis in hominibus, quia paratus ero te amplecti, modo in posterum velis colere fidem conjugalem, & valedicere tuis adulteriis, & adulteris. Quod ad summam rei spectat, nulla est ambiguitas: hic enim Deus ostendit se fore placabilem Judæis, modo ne obstinate pergant in suis sceleribus. utitur autem comparatione ad clementiam suam melius exprimendam: quæ tamen paulo attentius consideranda est. Prius dixerat se tenere locum mariti, populum sibi esse instar uxoris: deinde conquestus est de fœda populi perfidia qui ab ipso defecerat, & dixit hoc perinde esse acsi mulier spreto marito, se prostitueret quibuslibet adulteris: jam addit, *Ecce, siquis vir dimiserit uxorem, & facta fuerit uxor alterius viri, nunquam recipiet eam*: Atque hoc erat Lege vetitum. ego autem paratus sum te recipere, quamvis non fecerim tecum vulgare pro mea libidine divortium, ut solent mariti repudiare suas uxores, dum aliquid vitii in illis displicet. Non est simplex comparatio, ut multi intelligunt (nescio an omnes. neque enim legi qui verum sensum attingeret): quia non simpliciter comparat se Deus cum marito, qui uxorem repudiaverit propter scortationes: sed quemadmodum jam dixi, duo sunt membra. Solebant enim tunc Judæi divortium facere cum uxoribus, etiam ob leves causas, & nihili. Deus autem apud Jesaiam sic
Jesa. 50. vers. 1. loquitur, Ostendite mihi libellum repudii matris vestræ: quasi diceret, Ego non repudiavi matrem vestram. Si quis enim tunc ab uxore sua discederet, Lex cogebat ipsum suscipere aliquam notam levitatis. Quid enim erat libellus repudii? Testimonium pudicitiæ. nam si qua mulier deprehendebatur in adulterio, nihil opus erat facere cum ea divortium: erat enim pœna capitalis. Ergo adulteræ non solebant repudiari: sed si qua mulier honeste se gesserat cum marito, quum volebat eam repudiare, Lex cogebat ipsum dare libellum repudii, Ego hanc uxorem repudio, non quod fefellerit aut violaverit fidem conjugii, sed quia mores non conveniunt, quia forma non placet. Sic ergo mariti tunc jussi sunt aliquam notam reprehensionis in se suscipere. Ideo dicit Dominus apud Jesaiam, Ostendite mihi libellum repudii matris vestræ: quasi diceret, Ipsa à me defecit, ipsa suis scortationibus abrupit sacrum conjugii vinculum. ego igitur non sum in culpa cur à vobis sim alienatus. Ergo hoc loco Deus non significat se divortium fecisse cum populo. fuisset enim illud vitiosum, & perversum: neque poterat competere in personam Dei. Sed quemadmodum jam dixi, duplex est comparatio. maritus quamvis fastidiose abjecerit uxorem, atque ita sua culpa ad novum conjugium appetendum impulerit, ubi tamen alienum thorum fuerit ingressa, acsi contemptus foret, vix unquam præ indignatione poterit reconciliari: vos autem non estis à me repudiati, sed estis similes mulieri perfidæ, & quæ turpissime se prostraverit coram obviis quibuslibet, & tamen ego sum paratus vos recipere, & scelerum omnium oblivisci. Nunc ergo tenemus summam verborum. Et in hoc secundo membro comparatio fit à minori ad majus. Esset enim facilior reditio in gratiam, si mulier à marito rejecta postea rursus ei placeret, quamvis facta esset alterius viri uxor. ubi autem adultera reperit maritum ita voluntarium, & propensum ad dandam veniam, hoc certè exemplum non reperietur inter cunctos mortales. videmus itaque ut à minori ad majus Dominus extollat clementiam suam erga populum, quo scilicet minus excusabiles sint Judæi, dum ita pervicaciter respuunt hunc favorem ultro sibi oblatum. Sed quæri posset, cur dicat Propheta *pollutione pollutam esse terram hanc*, vel in hoc. Primo dicam de verbis, postea rem ipsam expediam. Sic omnes fere vertunt, Annon pollutione polluta est terra illa? Sed non video quis sensus elici queat, si ita legamus: nisi forte conferat Deus mulierem repudiatam terræ, vel abrupto contextu ad terram transferat quod dixit de muliere repudiata, aut certe figuram qua usus fuit explicet. Si placeat hic sensus, copula quæ mox sequitur, Et tu, in causalem particulam resolvenda erit: quam adversative omnes vertunt, Tu autem, & recte. Ego igitur malo ita accipere, ut ההיא seorsum legatur. In hoc, nempe si quis uxorem rursus in thorum conjugalem admittat, ubi facta fuerit alterius viri. Lex enim hoc vetabat, quemadmodum diximus: & fieri non poterat, quin uxoris

Lev 20. vers. 10
Deut. 22. vers. 22.
Deut. 24. vers. 1.

maritus esset adulter, si ad se retraheret uxorem quam dimiserat. Nam repudio pariebatur mulieribus libertas: non quod liceret hoc divinitus, sed quoniam mulieres ipsæ ut innoxiæ erant sublevabantur. Deus enim culpam maritis imputabat. Nunc autem postquam mulier rejecta à priore marito nubebat alteri viro, legitimum erat secundum illud conjugium. Ergo si prior maritus vellet iterum habere uxorem cum qua divortium fecerat, corrumpebat fidem secundi connubii. Hac ratione, & hoc sensu dicit Propheta *terram fore pollutam in hoc*: quasi diceret non licere viris recipere uxores, etiam si valde propensi sint ad dandam veniam. Atqui ego nihil aliud expetem nisi ut ad me redeatis. Quod ad verba spectat, jam vidimus non frustra dicere Prophetam, *in hoc*, id est, si ita promiscue mulier una nunc sit unius viri, nunc alterius, & postea ad priorem virum redeat: quoniam hoc modo discerpitur societas humani generis, & laceratur: deinde abrumpitur sacra conjugii fides, quæ tamen est præcipuum vinculum in retinendo politico ordine. Quod addit, *Tu autem scortata es cum sociis multis*, confirmat quod ante vidimus, nempe non uno tantum genere adulterii peccasse populum, sed similem fuisse scortis vulgaribus, quæ sine ullo delectu se prostituunt, quemadmodum mox dicet. Vocat autem socios rivales, & dicit, *Revertere tamen ad me, inquit Jehovah*: hoc est, tibi parata est venia, modo resipiscas. Objicitur tamen hic quæstio, quomodo Deus se facturum pronunciet, quod Lege sua fieri vetuerat. Sed solutio est in promptu, nempe quantum attinet ad jus humanæ societatis, non potuisse aliud remedium dari, quum permissum esset viris uxores suas rejicere, nisi ut ne illis licentia daretur, quasi Deus foveret ipsorum levitatem & inconstantiam. Oportuit igitur mulctari viros nimium morosos & iniquos, ne scilicet postea jus ullum haberent repetendæ uxoris, quam dimiserant. Alioqui poterat quisque tertio die, vel mense, vel anno mutare affectum amoris, & ita reposcere uxorem. Deus ergo voluit ipse quoque interponere jus illud divortii, ne vir qui uxorem suam rejecerat, posset iterum ad se recipere. Atqui diversa est in Deo ratio. Non mirum est igitur cur hanc potestatem sibi vindicet, ut reconciliet se Judæis, modo resipiscant. Sequitur,

2. Tolle oculos tuos ad loca excelsa, (*hoc est, ad colles*) & vide ubi non scortata fueris: super vias (*vel juxta vias*) sedisti illis, (*hoc est, ad illos captandos*) quemadmodum Arabs in deserto: & polluisti terram in scortationibus tuis, & malitia tua.

Quoniam objecerat Propheta Judæis, ipsos fuisse vulgo & promiscue scortatos, quemadmodum solent libidinosæ mulieres, postquam excussus est omnis pudor: ne tergiversentur, & excipiant se non esse conscios tanti sceleris, constituit illos quodammodo judices: *Tolle*, inquit, *oculos tuos ad loca excelsa, & vide*, hoc est, profero tibi satis manifestos testes. Nullus enim est collis in terra, ubi non te miscueris cum idolis. Nam diximus, & videbimus frequenter apud hunc Prophetam, superstitiones censeri coram Deo adulteria. Atqui hoc Judæis erat in more solenni, ascendere in loca excelsa, quasi illic propiores essent Deo. Hæc ratio est cur Propheta jubeat illos respicere omnes colles: *Vide*, inquit, *an ullus sit collis purus à scortationibus tuis*. Quemadmodum enim scorta sibi latebras quærunt ad patrandam suam fœditatem, ita etiam colles erant Judæis quasi lupanaria, vel lustra. Et en etiam magis execrabilis erat eorum impietas, quod ita prodibant in lucem apertam: imo quod procul aspici vellent sua flagitia, quasi conscenderent aliquod theatrum. Scorta autem solent se occultare, ubi reperiunt adulteros, vel amatores. Hic ergo Propheta abscindit omnes ansas tergiversandi Judæis, quum jubet *oculos attollere in loca excelsa*. Nam quum se prosternerent coram idolis, tantundem hoc valebat, acsi scortum sese projiceret ad subeundam turpitudinem. Et addit, *sedisse super vias, quemadmodum solent Arabes in deserto*. Iterum repetit quod ante vidimus, nempe Judæos non fuisse adductos aliorum illecebris, ut ita violarent fidem conjugii, quam Deo dederant: sed potius sua lascivia fuisse impulsos, ut ultro appeterent fœdos & impudicos amores. Dixerat enim, Etiam tu corrupisti alios tua malitia. Idem ergo nunc confirmat: *Tu*, inquit, *sedisti juxta omnes vias*. Hoc etiam convenit impuris scortis, quæ, sicut dictum est, nullam habent pudoris rationem. Sed Propheta amplificat hoc crimen alia similitudine: *Quemadmodum*, inquit, *Arabes in deserto insidias tendunt viatoribus*, ut eos prædentur, & jugulent: *ita etiam tu sedisti super omnes vias*. Videmus ergo hic duplicem esse similitudinem: altera sumpta est à meretricibus, quæ dum quæstum pridem fecerunt, ubi vident se contemni, obsident omnes vias, & se procaciter ultro quibuslibet offerunt. hæc est una similitudo. Altera autem, quod fuerint quasi prædones, qui insidiabantur viatoribus: quasi diceret Chaldæos & Ægyptios excusabiles esse præ Judæis, quoniam attracti fuerint perversis ipsorum artibus ad illicita fœdera: quemadmodum si quis viator transeat, & incidat in latronem, ille paulatim ipsum corrumpet. Quid? Tu es miser, & si velles te conjungere mecum, & societatem inire, esset nobis parata spes optimi quæstus, & quotidie se nobis nova lucra offerrent. Latro ille veterator esset bis & ter sceleratus præ altero. Sic etiam Propheta dicit Judæos fuisse tanquam veteranos latrones, qui obduruerant ad insidias, ad rapinas, & ad quodvis genus scelerum, & attraxerant ad se tam Ægyptios, quam Assyrios. Postea sequitur,

3. Et prohibitæ sunt pluviæ, & serotina non fuit: & frons mulieris meretricis fuit tibi, recusasti erubescere.

Pergit Jeremias in severa illa objurgatione, quod scilicet Judæi perditæ fuerint malitiæ, quia sese ita projecerant ad superstitiones, deinde ad pacta illicita, & in utroque Deum contempserant. Nunc ostendit quanta fuerit & quam pervicax eorum obstinatio. *Prohibitæ*, inquit, *sunt pluviæ, non fuit serotina: tamen frons meretricis tibi fuit*: quasi diceret, ne pœnis quidem subactos fuisse Judæos. Hoc jam atrocissimum erat crimen, non præbere aurem sanctis monitionibus, quum clamarent assidue Prophetæ, & studerent illos revocare in viam. Quod ergo ita obtorpuerant ad voces Propheticas, hoc fuit signum summæ improbitatis. Sed Deus etiam conatus est illos ad se revocare, inflictis pœnis gravissimis. nam pœnas sumpsit de ipsis in terræ sterilitate. Nec vero dubium est quin fuerit hæc ariditas, de qua loquitur Propheta, sic extraordinaria, ut possent sentire Judæi, si qua fuisset gutta sanæ mentis, sibi fuisse cum Deo bellum. Nam sæpe continget nullam cadere guttam pluviæ è cælo: quemadmodum videmus multas æstates esse fervidas & aridas. Non dubium est quin Deus tunc nos admoneat de peccatis nostris, & hortetur ad pœnitentiam. Sed quoniam usus facit ut Dei judicia apud nos obsolescant, interdum (quam-

vis

vis farius) novo & insolita exempla etiam de nobis poenas exigit. Non dubito igitur Prophetam, quum dicit *prohibitas fuisse ab illis pluvias*, notare aliquod extraordinarium exemplum vindictæ Dei, unde perspicerent Judæi, saltem nisi fuissent nimium stupidi, Deum ipsis esse adversum & infestum. Summa est, Judæos non tantum vesano impetu discurrisse post suas libidines, sed non fuisse cohibitos manifestis poenis, quum Deus è cælo palam se vindicem ostenderet gloriæ suæ, & tanta esset siccitas, ut
Levit. 29. vers. 19. satis constaret impleri Legis maledictionem in ipsis, Dabo vobis cælum ferreum & terram æneam. Quod ad serotinam pluviam spectat, diximus aliis locis hoc nomine sæpe designari pluviam quæ cadit tempore messis. vocatur autem serotina, respectu messis. Nam quoniam magnus est æstus in illis Orientalibus plagis, opus habent ante messem pluvia: alioqui grana consumit nimius Solis ardor: ideo maxime exspectant pluviam serotinam, hoc est, quæ propior est messi. nam altera pluvia, nempe Septembris & Octobris, respectu sationis vocatur pluvia tempestiva, quæ scilicet madefacit semen ipsum, & humectat, ut possit agere radicem, & vigorem etiam colligere. Summa est, Deum è cælo palam ostendisse iræ suæ signa contra Judæos, & tamen sine profectu: quoniam frons illis esset meretricis, nec vellent erubescere, hoc est, nullis Dei judiciis moverentur, vel se corrigi non sustinerent.

Da omnipotens Deus, quando semel dignatus es nos non tantum in filios adoptare, sed etiam tibi conjungere vinculo conjugali, & dare nobis pignus sacræ hujus unitatis in Filio tuo unigenito, ut maneamus in fide Evangelii tui, & sincere ita fidem tibi datam colamus, ut vicissim etiam te, & maritum, & patrem nobis exhibeas, & usque ad finem experiamur eam in te beneficentiam, quæ nos retineat in sancto timore nominis tui, donec tandem fruamur illa societate in regno tuo cælesti, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA IN JEREMIAM.

4. An non posthac clamabis ad me; Pater mi, dux adolescentiæ meæ tu es?

Postquam Deus exposuit scelera populi sui, & eum severe, ut dignus erat, objurgavit, nunc tamen blande ad poenitentiam eum invitat: *An non*, inquit, *dices mihi posthac, Pater mi?* Quidam perperam vertunt, An dices mihi, Pater mi? quasi Deus vocem illam respueret. sensum igitur hunc eliciunt, Judæos nimis improbe facere quod ita adhuc glorientur nomine Dei, à quo longe remoti sunt. Sed diversus est Prophetæ sensus. Deus enim mitigat asperitatem objurgationis quam vidimus, & ostendit se fore placabilem, si populus resipiscat: imo non expectat resipiscentiam illam, sed ultro ipse occurrit, & blanditur perfidis illis apostatis. Quid? an non iterum inter nos erit conjunctio? inquit. Deus enim hic affectum dolentis suscipit, quoniam videret populum illum perire: vellet retinere si fieri posset. Hoc consilio quærit, an non iterum *invocabitur tanquam pater & dux adolescentiæ*. Hac autem periphrastica loqutione significat se maritum fuisse illius populi. nam tenerrimus est amor ille, quo in primo ætatis flore adolescens complectitur puellam. Hac ergo comparatione nunc Deus utitur, & dicit se adhuc memorem esse amoris illius, quo prosequutus est populum suum. denique hic paratam esse veniam ostendit, si populus reconciliationem quærat: & confirmat hanc sententiam, quum addit;

5. An observabit in seculum? an custodiet in perpetuum? Ecce loquuta es, & perpetrasti malitias, (*vel scelera*) & potuisti.

Ostendit Deus nonnisi per Judæos stare, quo minus illos recipiat in gratiam. Et hic argumentum sumit à sua natura. loquitur autem in tertia persona de se, & perinde est acsi Propheta interponeret hanc rationem. Deus non est inexorabilis: nam propensus est ad ignoscendum, sicuti est patiens. nunc ergo quid obstat, quominus iterum feliciter agatis sub ejus imperio? nam parcet vobis, modo seriam resipiscentiam inveniat. Videmus ergo quid sibi velit nunc Propheta. Nam quia Deus blande hortatus fuerat populum ad resipiscentiam, nunc Propheta ipse generaliter disserit de ipsius Dei natura, quod scilicet *non servet in perpetuum, neque custodiat in seculum*. Hæc verba ubi simpliciter ponuntur, significant vindictam fovere in animo: & lingua nostra imitamur phrasim illam Hebraicam, *Il luy garde*. Illud *garde* quum sine adjuncto ponitur, significat, quemadmodum jam dixi, vindictam in animo repositam fovere. atqui nihil est magis contrarium naturæ Dei: sequitur Judæis nullum majus esse obstaculum, nisi quod refugiunt Deum, & ut sunt addicti suæ malitiæ, ita nolunt amplecti veniam, quæ ipsis liberaliter offertur. Quod ad secundum membrum spectat, duobus modis potest exponi. Nam possumus subaudire particulam adversativam, Quamvis loquuta sis, & feceris: quasi diceret Deus se fore propitium Judæis, quantumvis atrociter peccaverint. Sed videtur alter sensus simplicior, quod scilicet hic Deus queratur nullam esse spem correctionis, quoniam obduruerint ad sua scelera. *Loquuta es*, inquit, *& fecisti, & potuisti*. Iterum etiam hic variant interpretes. nam copula resolvitur à quibusdam in particulam similitudinis: כאשר, secundum quod, vel quoad potuisti, tu perpetrasti scelera. alii autem simplicius & rectius, meo judicio, Tu fuisti prævalida, hoc est, toto impetu te projecisti, ita ut experta sis omnes tuas vires in maleficiis: quemadmodum Latine dicimus, Pro virili, hoc est, quantum ferebat tua facultas, fuisti addicta sceleribus. Sic igitur interpretor: Deus postquam induit partes dolentis, & comiter hortatus est populum ad resipiscentiam, & se ad veniam propensum fore testatus est, & simul ostendit in genere, se ideo illi fore placabilem, quia natura sit propensus ad misericordiam: postquam igitur hæc omnia exposuit, nunc subjicit se desperare de populo illo, quia scilicet gloriatus fuerit in sua malitia. Loqui enim & facere, tantundem valet, acsi dixisset populum fuisse tanta impudentia, ut jactaret se rebellem esse Deo, & auderet tenebras vocare lucem: quemadmodum scimus superstitiosos sine ullo pudore gloriari adversus Deum. Talis autem erat conditio illius populi: nam hoc præcipue Deus in illis damnabat per suos Prophetas, quod

corru-

corruperant purum Legis cultum: illi autem meretricia fronte audebant opponere suas devotiones, & bonas intentiones, quemadmodum vulgo loquuntur. Quum ergo ita temere sua flagitia defenderent: hic conqueritur Deus, non esse ullo modo sanabiles, & ideo relinquit pro deploratis. Hanc existimo genuinam esse Prophetæ mentem. & eodem etiam pertinet istud ותוכל: *Tu potuisti*, inquit, hoc est, nullus fuit tibi peccandi modus, sed potius effreni licentia te projecisti. Nunc sequitur,

6. Et dixit Jehovah ad me in diebus Josiæ regis, An vidisti quid fecerit aversatrix? (*alii vertunt rebellem*) Profecta est ipsa super omnem montem excelsum, & subtus omnem arborem frondosam, & scortata est illic.

7. Et dixi post facere ipsam, (*hoc est, postquam fecit omnia hæc*) Ad me revertere: (*alii in tertia persona reddunt, revertetur*) & non reversa est. & vidit perfida ejus soror Jehudah.

8. Et vidi, quod super his omnibus, (*hoc est, quod propter hæc: nempe* אודות *significat occasiones, vel causas*) quia scortata erat rebellis Israël, dimiserim ipsam, (*repudiaverim*) & dederim librum repudiorum ejus (*repudii ejus*) illi: & non timuit perfida Jehudah soror ejus, & profecta est, & scortata est etiam ipsa.

Hic ingreditur Propheta novum sermonem: refert enim quid sibi à Deo mandatum fuerit, sed tempus designat, nempe regnante Josia. Porro satis notum est, tunc purgatam fuisse terram à superstitionibus: pius enim ille rex conatus est restituere verum Dei cultum, & abolere sordes omnes & inquinamenta, quibus corruptum fuerat Templum, & tota religio. Strenue igitur in hanc rem incubuerat. nec dubium est quin tunc aliqua melior species pietatis in terra vigeret. Sed videbimus magnam partem populi refertam fuisse simulatione & fallaciis, quemadmodum fieri solet ubi Magistratus cupiunt cultum Dei integrum tueri, & purgare ab omni corruptela. semper enim multi sunt hypocritæ, qui ad tempus dissimulant: sed interea manet eadem obstinatio adversus Deum. Talis igitur fuit tunc populi status: & hoc diligenter notandum est, quia potuit videri Jeremias paulo durius & rigidius cum gente sua agere. Nam in ore omnibus erat reformatio: quemadmodum etiam hodie multi, qui relictis superstitionibus Papatus, visi sunt initio amplecti Euangelii doctrinam, volunt nunc omnes esse contentos qualicunque reformatione, quam jactant: interea excutiunt jugum Christi, nec sustinent se subjicere disciplinæ: cuperent denique eversum omnem ordinem: & tamen audent prætexere titulum reformationis, quoties coarguitur eorum impietas. Non dubium est quin hoc certamen sustinuerit Jeremias, quo hodie Dominus servos suos exercet. ideo exprimit sibi *hoc fuisse mandatum diebus Josiæ regis*: quum scilicet rex conatus esset erigere purum Dei cultum, & nemo auderet resistere, quemadmodum videmus publico consensu tunc Deum fuisse invocatum absque externis corruptelis. Quid autem continet hoc mandatum? *Vidistine*, inquit, *quid fecerit aversatrix Israël?* Comparat hic Deus decem tribus cum regno Jehudah, cui dimidia tribus Benjamin conjuncta erat, ut satis notum est. Comparat igitur Israëlem cum tribu Jehudah, ac dicit, *Nonne vides quid fecerit rebellis Israël?* Inducit autem sub persona mulierum tam regnum Israël, quam regnum Jehodah. nam Deus, quemadmodum ante visum est, sustinet mariti personam populi respectu. Dicit igitur duas sibi fuisse uxores, nempe Israëlem & Jehudah. Deus quidem desponderat sibi totum semen Abrahæ uno conjugio. sed per concessionem hic loquitur Jeremias. Tametsi enim desciverant Israëlitæ à Deo, tamen non prorsus eos rejecerat. fuit igitur adulterinum illud regnum Israel: sed Deus ad tempus toleravit vitium illud sic ut maneret fœdus aliqua ex parte. Hac ratione agnoscit pro uxoribus suis tam Israëlem, quam Jehudah. Dicit igitur, *Nonne vidisti quid fecerit* משבה? quoniam hoc משבה deducitur à verbo שוב, quod significat nunc redire, nunc abire, ideo ubique Hieronymus vertit aversatricem: alii autem rebellem. rectius Gallice diceremus *desbauchée*. *Nempe*, inquit, *profecta est super omnem collem excelsum, & subtus omnem arborem frondosam, & illic scortata est.* In summa, conqueritur Deus decem tribus violasse fidem conjugii sacri, quoniam sese prostituerint idolis, & quidem *super omnes colles excelsos, & subtus omnes arbores frondosas.* nam, ut jam diximus, solebant eligere loca illa, acsi quid esset sanctitatis vel in montibus, vel sub umbris arborum. Postea adjungit, *Dixi tamen.* Hic adjungit Deus se diu suspendisse judicium antequam pœnam exigeret de populo Israëlitico. hic igitur commendat patientiam suam, quod non statim pro summo jure egerit cum Israëlitis, sed toleraverit ipsos, & quieverit longo tempore, si forte essent sanabiles. Deus igitur *postquam fecerat omnia hæc*, inquit, *Ad me revertere.* Si legimus in tertia persona, sensus erit, Speravi tandem in viam redituros, quamvis ita prolapsi essent: imo impia defectione me abnegassent, & alienati essent à fide & pietate. sed ego in diversam sententiam magis inclino, nempe quod Deus hic commemoret se per servos suos Prophetas revocasse decem tribus, quamvis tot sceleribus provocassent iram suam. Hic ergo ostendit Deus, quam contumax fuerit ingenium Israëlitis, quod expertus fuerit an posset illos iterum ad se reducere, & tamen perdiderit suam operam. Hoc igitur *dicere* interpretor de doctrina Prophetica. Quamvis ergo diversi essent Israëlitæ in suis impietatibus, tamen non propterea destiti tentare an à me reduci possent. denique significat se fuisse dissimilem viris, qui non possunt reconciliari uxoribus, quoniam urit eos zelotypia, dum vident se tam gravi ignominia fuisse affectos. Deus ergo ostendit etiam ubi desciverant ab ipso Israëlitæ, tamen misisse suos Prophetas, & ultro quæsiisse viam reconciliationis: illos autem non fuisse reversos. Postea addit, *Et vidit, quod super his omnibus, quia scortata est rebellis Israël*, id est, hoc totum vidit regnum Jehudah. Videbimus postea quorsum tendat comparatio. nam amplificat scelus regni Jehudah, quod potuerit per otium inspicere quod jam retulit, & quasi etiam è specula procul videre, & ita adduci ad resipiscentiam: tamen viderit sine profectu. Vult igitur Deus ostendere quam obstinata fuerit durities in Judæis, qui viderant defectionem decem tribuum, viderant quam acriter fuissent objurgati à Prophetis. Postea addit, *Et vidi*, inquit. Quemadmodum dixerat regnum Jehudah vidisse quid fieret in Israële, ita nunc dicit se utrumque vidisse. *vidi igitur*. Quid autem se vidisse pronunciat? nempe Jehudah scortatam esse. nunc enim quasi de muliere loquor. Dicit igitur Deus hoc sibi non fuisse occultum, quod scilicet Jehudah non per inscitiam vel errorem, sed deliberata malitia superaverit scelera sororis suæ. *Vidi*, inquam, *quoniam*

super

super his, quum scortata est. Plutibus verbis explicat quod breviter paulo ante attigit. Dicebat tribum Jehudah vidisse: sed hoc poterat ob brevitatem esse ambiguum. fusius explicat, *Vidit Jehudah me dedisse libellum repudii sorori suæ, quoniam scortata fuerat: & tamen non timuit*, hoc est, non induxit in animum quum tale & tam insigne vindictæ meæ exemplum propositum esset ejus oculis, resipiscere. Sed hic quæritur, quomodo dicat datum fuisse libellum repudii
Jesa. 50. vers. 1. Israëlitis, quum neget per Jesaiam Prophetam se dedisse? Verum hic alio sensu loquitur Propheta. neque enim hic agit de tabulis repudii, quales solebant dari, ubi quis maritus uxorem repudiabat: quæ tamen casta erat: sed loquitur de legitimo divortio, quum scilicet mulier convicta adulterii subjiciebatur capitali pœnæ. Apud Jesaiam igitur negat Deus se dedisse libellum repudii: hic autem dicit se dedisse, nempe quia rejecerat mulierem adulteram. hoc quidem non erat tunc in usu apud Judæos, facere cum adultera divortium, quin simul ad judicium traheretur: sed vidimus initio capitis discrimen inter Deum & maritos. Quoniam ergo Deus non egit summo jure cum Israëlitis, neque sumpsit capitalem pœnam, quemadmodum merito poterat, & fieri etiam solebat: ideo dicit *se dedisse libellum repudii*, hoc est, se divortium fecisse cum populo illo. Cæterum per tabulas repudii intelligit exilium. nam quum decem tribus abductæ fuerunt, hoc perinde erat acsi Deus palam ostenderet sibi nihil esse conjunctionis cum populo illo. nam quantisper habitarunt in terra sancta, & promissa hæreditate, manebat adhuc conjugium aliquod: ubi autem dispersi sunt huc atque illuc, & cessavit apud eos omnis cultus, ubi denique excidit nomen regni Israëlitici, tunc Deus fecit divortium. *Vidit* ergo *soror ejus Jehudah*, inquit, *& non timuit*. Fuit autem hic magnus stupor, non sapere saltem alieno dispendio. & hæc querimonia passim occurrit apud Prophetas, quod scilicet non fuissent stimulati ad resipiscentiam Judæi, quum illis parceret Deus: interea tamen exempla objiceret eorum oculis, quæ merito terrere ipsos debuerant. Quid enim statuendum illis fuit, nisi Deum fore vindicem tot transgressionum quibus iram ejus provocaverant, quoniam non pepercerat eorum fratribus? videbant regnum illud Israël abolitum: atqui omnes simul ducebant originem ab uno patre Abraham. unde igitur factum est, ut tam secure contempserint judicium Dei, quod tamen versatum fuerat longo tempore ante ipsorum oculos? Ideo conqueritur *eos non timuisse*. Nunc sequitur,

9. Et factum est à velocitate (*vertunt tam Hieronymus quam alii interpretes, facilitatem. nomen deductum est à* קלל, *quod significat interdum, esse velocem: hic levitas notatur, vel petulantia. Factum est igitur à levitate, aut petulantia*) scortationum ejus, ut pollueret terram: (*vel contaminaret. alii vertunt, peccare faceret: sed Hieronymus ubique fere reddit hoc verbum per contaminare, neque male quadrat*) & scortata est cum lapide, & cum ligno.

Hic complet sententiam suam Propheta, tantum scilicet abfuisse, quin pœnæ illæ quas inflixerat Deus Israëlitis, tangerent tribum Jehudah, ut superaret sua levitate & petulantia sororis suæ scortationes. *Polluit*, inquit, *terram*, vel peccare fecit: hoc est, reddidit terram scelestam. Hoc autem crimen valde exaggerat, ubi dicitur terra fuisse obnoxia, vel contaminata. Scimus enim terram per se puram esse, neque contrahere ullas maculas ex sceleribus hominum: sed quo magis detestabilis reddatur hominum impietas, dicitur terra ab illis contaminari, dicitur etiam reddi obnoxia culpæ. Quare? Causam reddit cur terram contaminaverint, vel reddiderint scelestam, vel implicuerint suis vitiis, nempe *quia scortata est cum lapide, & cum ligno*. De metaphora scortandi jam dicere non opus est, quia ab initio exposuimus hanc similitudinem toties repeti, quoniam Deus conjunxerat populum illum sibi, ac devinxerat quasi sacro conjugio. Quoties ergo defecit à puro Dei cultu populus, merito dicitur scortatus esse, quoniam violaverat fidem datam. nam simplicitas fidei, est spiritualis castitas: ita etiam apostasia est impudicitia, & perfidia, qua mulier fallit maritum suum, dum sequitur adulteros. Postea sequitur,

10. Atque etiam in toto hoc (*vel in his omnibus*) non reversa est ad me perfida (*vel fraudulenta:* בגר *est fraudare*) soror ejus Jehudah in toto corde suo, sed in mendacio, inquit Jehovah.

Prosequitur eandem sententiam, quod scilicet Judæi non tacti fuerint aliquo sensu timoris, quum viderent horribilem vindictam de peccatis fratrum suorum sumptam esse. *Soror ejus*, inquit, *perfida non rediit ad me*, hoc est, post tot admonitiones Propheticas, atque etiam pœnarum exempla. Addit tamen correctionem, *Quod non redierit in toto corde, sed fallaciter, atque in mendacio*. anticipat enim hic Propheta exceptiones quas obtendere poterant Judæi, Quid? tu negas nos esse reversos? an non purgata est terra idololatriis? an non Deus nunc ex Legis suæ præscripto colitur? an ullum adhuc conspicitur altare vel sub umbris arborum, vel super colles? Quum ergo possent ita tergiversari pro suo more, occurrit Propheta, & dicit, quamvis in speciem dederint signa pœnitentiæ, tamen fecisse duntaxat fucum, & mentitos esse Deo, quoniam nulla fuerat integritas. Nunc clarius videmus quid ante tempus Josiæ notaverit, nempe quoniam fallaciter reversi tunc fuerant Judæi ad Deum, quum in Rege & paucis esset purus affectus, in aliis mera simulatio. ergo ostendit Deus in summa, se non morari illam reformationem quæ plena erat mendacio, sed quærere integrum cordis affectum: ideo concludit,

11. Et dixit Jehovah ad me, Justificavit animam suam aversatrix Israël præ fraudulenta Jehudah. *vel perfida: semper est* משבה.

Nunc clare perspicimus quorsum contulerit Jeremias decem tribus cum regno Jehudah: nempe ut ostenderet Judæos, qui tamen censeri volebant aliis longe sanctiores, esse magis perfidos, & dignos graviore pœna, quoniam tantum fraude agebant cum Deo. Quæritur jam cur deteriores pronunciet Judæos Israëlitis, quum tamen se semper continuerint in aliquo mediocri statu. Scimus regnum Jehudah fuisse ita profanatum, ut fere nihil pietatis esset illic residuum: semper autem stetit Templum & Sacerdotium Jerosolymæ. Sed alias ob causas Propheta condemnat Judæos præ Israëlitis,

nempe quoniam debuerint sapere alieno malo, quoniam debuerint confirmari, quum viderent fratres suos prolapsos esse à sincero Dei cultu: debuerant per otium hæc omnia secum expendere. Tam supina igitur securitas fecit, ut Deus illos diceret esse omnium deterrimos. adde quod superbia cumulus erat eorum damnationis, ubi se gloriabantur manere integros, decem vero tribus esse degeneres: & hæc ratio est cur dicat, *Israëlem, quamvis esset perfida mulier, tamen justiorem esse sorore sua Jehudah*. Impropria quidem est loquutio, ubi dicitur, *justificasse animam suam:* neque enim hic Deus excusat Israëlitas, neque etiam liberat vel absolvit à reatu: (sumpserat enim de illis graves pœnas) sed hæc ratio loquendi satis trita est Prophetis, quod scilicet justa sit
Eze. 16. Sodomæ per Jerusalem, quod Sidon & Tyrus justæ
v. 37,38. sint præ Judæis. *Justificavit ergo animam suam prævaricatrix* (vel aversatrix) *Israel præ perfida Jehudah*, nempe ob illas rationes quas retuli, quod scilicet major, & minus excusabilis fuerit obstinatio in Judæis. Exterior Dei cultus quem retinuerant, debebat instar freni esse ad eos regendos. Interea viderant quam severus fuisset judex Deus erga decem tribus, & tamen contempserant illa Dei judicia, neque quicquam in illis profecerant.

Da omnipotens Deus, quando nos dignatus es adoptare in populum, & te nobis conjungere in Filio tuo unigenito, ut maneamus puri & casti in obedientia Euangelii tui, neque unquam deflectamus ad eas corruptelas, quæ disjungant sacram illam conjunctionem, quæ inter nos sanguine ejusdem Filii tui sancita est: sed ita perseveremus in obsequio tuo, ut vita nostra testis sit, & omnes actiones, ejus sanctæ vocationis, in qua nobis reposita est spes salutis æternæ, donec tandem perveniamus ad hæreditatem illius regni quod nobis tanto pretio comparatum est, ac fructum illic percipiamus & fidei, & sinceritatis, & perseverantiæ nostræ in eodem Christo Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA IN JEREMIAM.

12. Vade, & clama (*hoc est, cum clamore intona*) sermones hos versus Aquilonem, & dic, Revertere rebellis Israël, dicit Jehovah: non, faciam incumbere (*cadere, ad verbum*) iram meam (*alii vertunt, faciem meam: sed metaphorice significat iram*) in vos: quia clemens ego, dicit Jehovah, non servabo in seculum.

Postquam docuit Propheta tribum Jehudah graviori pœna dignam esse quam decem tribus; & causam adjecit, quod viderant fratres suos tam duriter castigatos, neque tamen commoti fuerant: nunc convertit sermonem ad ipsos Israëlitas, vel decem tribus, & promittit Deum illis quoque fore exorabilem. Jam regnum Israel deletum fuerat, & populus abductus partim in Assyriam, partim in Persidem & Mediam. dispersi igitur erant, & nomen regni erat prorsus deletum: terra sæpius vastata fuerat. nam primo stetit pars aliqua regni: tantum enim quatuor tribus in exilium tractæ sunt: sed tandem nomen ipsum regni excisum fuit, & quemadmodum dixi, omnes in exilium tracti fuerunt. Ideo jubetur Propheta sermonem suum dirigere versus Aquilonem. nam quamvis major pars populi in Oriente tunc habitaret, quoniam tamen ab Assyriis fuerant profligati, ideo caput ipsum Monarchiæ respicit Deus, quum Prophetam jubet eos alloqui, quos hostes traduxerant versus Septentrionem. *Clama* igitur, nempe non tantum propter distantiam locorum, sed ut Judæi, qui obsurduerant, audirent hunc clamorem. neque enim tantum Israëlitarum causa jubetur Propheta loqui, sed ut eorum exemplo Judæis Dei misericordiam proponat, si modo redeant ad sanam mentem. Summa autem est, quamvis rebelles fuerint Israëlitæ, & aversi à Deo, tamen veniam illis paratam fore, si redeant. Quid autem significet Propheta per nomen Conversionis, jam attigimus, & alibi fusius tractandum erit. Exigit ergo ab illis resipiscentiam, & promittit Deum fore propitium, si ad ipsum reversi fuerint. Postea adjungit, *Non faciam cadere faciem meam super vos:* vel potius *iram meam*. nam sensus hic melius convenit. Jam tunc Deus severe ultus fuerat eorum peccata: quid enim illis tristius accidere potuit, quam ut patria carerent? deinde premerentur sæva tyrannide? quanquam atrocior pœna fuit, quod ablatus illis fuit cultus Legalis, quod rejecti fuerunt à Deo, quod perdiderunt gloriam illam, qua putabant se excellere supra omnes populos. Divinitus enim electi fuerant in populum peculiarem: hoc totum abolitum erat. Quo igitur sensu negat Deus se illis fore iratum? Hac loquutione simpliciter intelligit Propheta, Deum non fore inexorabilem: quasi diceret, Non insistet ira mea, vel non incumbet vobis: sed mitigabo pœnas quas inflixi. Ideo non displicet quod vertit Hieronymus, Non firmabo: quanquam ubi adjungit Faciem, quemadmodum jam dixi, non satis exprimit mentem Prophetæ. Sed hoc tolerabile est, Non firmabo iram meam super vos, hoc est, ira mea non insistet, vel non incumbet capitibus vestris, ut vos penitus opprimat. Jam ceciderat ira Dei super eos, sed ut esset spes aliqua salutis. Negat igitur Deus exitiales fore plagas, quibus castigaverat eorum peccata, quoniam manum suam retrahet, neque ad extremum usque ipsos persequetur. Summa est, Si populus ad Deum conversus fuerit, veniam impetraturum, quoniam Deus ultro ipsum invitet, ac promittat temporalem fore hanc pœnam, quam exegerat de eorum peccatis. Et iterum Deus confirmat hanc doctrinam à sua natura: *Quoniam clemens sum*, vel mansuetus, inquit, *& non servabo in perpetuum.* Promissio erat specialis de reditu populi: jam Deus adjungit confirmationis loco hanc doctrinam generalem, quod scilicet propensus sit ad misericordiam, & quod facile ignoscat pro sua clementia. quum igitur talis sit Deus, & seipsum abnegare non possit, non est cur peccator desperet, atque ita viam sibi præcludat, ne resipiscentia sua iterum imploret Dei misericordiam. Hinc autem colligitur utilis doctrina, quoties diffidentia mentes nostras sollicitat, nec possumus accommodare in usum nostrum promissiones Dei, ut semper hoc nobis in medium occurrat, ipsum esse clementem. quum igitur Deus ita sit mansuetus, *ut non servet usque in seculum*, hoc est, ut ira ejus non sit nisi temporalis, semper bene sperandum est. Quemadmodum
etiam in Psalmo dicitur, Momentum in ira ejus, vita Psal. 30.
autem in bonitate & clementia: quasi diceret, iram vers. 6.
Dei statim evanescere, modo resipiscamus: ipsum vero prosequi suam misericordiam pluribus seculis. nam hoc intelligitur Vitæ nomine. Postea prosequitur,

13. Tan-

13. Tantummodo (*vel atqui*) cognosce iniquitatem tuam, quia adversus Jehovam Deum tuum scelerate egisti, & dispersisti (*vel dissipasti, aut prostituisti vias tuas alienis*) sub omni arbore frondosa, & vocem meam non audivisti, inquit Jehovah.

Deus hic conditionem apponit, ne bonitate ejus freti hypocritæ, magis ac magis obdurescant, atque interea putent illum sibi esse obstrictum. Sic enim solent agere, Deus tanta facilitate nos ad se revocat, & ultro invitat etiam peccatores: ergo facile cum ipso transigemus. sic perversis imaginationibus se deludunt hypocritæ, dum existimant se posse Deo illudere, quoniam nihil aliud quærat, quam ad se reducere peccatores. semper igitur cum promissione gratiæ conjungi debet exhortatio ad pœnitentiam. Deus ergo hic admonet, longe falli Israëlitas, si puteot nullo negotio se posse pacisci de venia. ergo dicit, *Agnosce iniquitatem tuam*. Particula אך, potest accipi pro tantummodo, vel pro sed vel atqui. ego secundum sensum magis probo, quoniam hic exceptio additur, quemadmodum exposui, ne Israëlitæ indormiant suis vitiis, si persuadeant sibi Deum esse quasi in sua manu & arbitrio. Videmus ergo per modum correctionis Prophetam excipere: *Sed interea*, inquit, *agnosce iniquitatem tuam*: alioqui nulla pax tibi sperandа est cum Deo. Sequitur, *Quoniam scelerate egisti adversus Jehovam Deum tuum*. His verbu Propheta coarguit Israëlitas, ne tergiversando puteot se effugere posse iram Dei: nam scimus etiam qui apud se convicti sunt, non tamen libenter fateri sua peccata. & mirum est homines ita esse stupidos, ut semper velint cum Deo litigare. Hac de causa Prophetæ, dum hortantur populum ad pœnitentiam, simul in medium proferunt ejus peccata. Si ingenuus esset pudor in hominibus, ooo essent ita urgendi: sed quoniam vel impudenter negant sua peccata, vel sunt ita hebetes ut non tangantur ullo metu, ideo necesse est ipsos acrius pungere, imo graviter vulnerare. Hoc ounc agit Propheta: *Tu*, inquit, *scelerate egisti cum Deo tuo*. quasi diceret, Non frustra nunc te admoneo, ut peccata tua cognoscas: nam Deus ipsa te damnat. ne putes igitur subterfugiis tuis te posse quicquam consequi. Et speciem quoque adjungit, quo propius manum conserat: *Tu*, inquit, *vias tuas dissipasti, vel dispersisti alienis, subtus omnem arborem frondosam*. Comparat iterum Israëlitas meretricibus, quæ vulgo ita se prostituunt, ut ab uno loco ad alterum transcurrant, invitent ac provocent quoslibet obvios. Sic ergo Propheta dicit Israëlitas sese dispersisse. verecunde loquitur de re obscœna: sed ita significat non fuisse contentos uno genere superstitionis, vel uno idolo, sed permiscuisse quaslibet superstitiones, & hinc inde sumpsisse errores varios: quemadmodum vaga meretrix sese prostituit hominibus incognitis absque delectu. Et *alienos* vocat omnes fictitios deos, quoniam sicuti jam sæpius dixi, debebat tenere locum mariti: ergo quum Israëlitæ deflecterent ad alios deos, perinde erat ac si mulier, relicto marito, se projiciat, & prosternat quibuslibet adulteris. Est autem nimium vulgare, ut qui relinquunt purum Dei cultum, accersant sibi hinc inde diversos errores, ita ut intemperanter sese projiciant ad omne genus superstitionum. Tandem addit, *Et non audivisti vocem meam*. Hac circumstantia crimen eorum exaggerat Propheta, quod scilicet instituti fuerant in Legis doctrina, & tenebant rectam viam salutis. unde igitur factum est, ut sese ita corruperint multis superstitionibus? non potest hoc ascribi ignorantiæ: est igitur manifesta eorum pervicacia adversus Deum. Ostendit ergo Propheta fuisse immorigeros & intractabiles, & ideo prolapsos esse ad idololatriam & pravos errores, quia excusserint jugum Dei, neque passi fuerint se gubernari ejus verbo. Nunc ergo tenemus summam hujus sententiæ. Exigit primo loco Deus confessionem scelerum ab Israëlitis: & ita exprimit quid valeat conversio, cujus mentionem nuper fecerat. donec anims peccator sentiat mala sua, nunquam vere ad Deum redibit, neque ex animo. principium igitur resipiscentiæ est culpæ agnitio. Deinde coarguit eos, ut tergiversationem illis præscindat. tertio speciem ipsam demonstrat, ut eos teneat quasi constrictos, nempe quod sese polluerint superstitionibus: & adjungit non fuisse duntaxat similes mulieri adulteræ, quæ sequitur alienum virum, sed scortis fœtidis, quæ cursitant hucatque illuc, neque discernunt inter notos vel ignotos. Postremo ostendit hoc factum fuisse mera contumacia, quod scilicet abjecerint omnem Dei reverentiam, quoniam Lex illis fuerat data: deinde missi erant Prophetæ fidi interpretes. satis ergo tenebant quid placeret Deo, & quid rectum esset. unde igitur factum est, ut ita erraverint? nempe quia clauserunt aures verbo Dei, neque passi sunt se ab ipso regi, sed fuerunt prorsus indociles. Pergamus.

14. Revertimini filii rebelles, dicit Jehovah, quoniam ego maritus vester, (*vel dominatus sum in vobis, ut alii vertunt: alii, tædio affectus sum in vobis. dicemus postea de hoc verbo*) & assumam vos, unum è civitate, & duos è familia, (*vel cognatione, vel tribu*) & adducam vos in Sion.

Aliis verbis eandem sententiam repetit Jeremias. sed Deus hac verborum congerie clarius ostendit, quam sit futurus ad dandam veniam proclivis si Israëlitæ ex animo resipiscant. Satis fuerat semel atque uno verbo testari fore placabilem: sed Deus ubi videt illos esse tardos, atque etiam difficiles ad parendum, pergit in eadem exhortatione. Mira hæc est indulgentia, quum Deus suam gratiam videns negligi, & quasi respui hominum segnitie, tamen non desistit: sed iterum & tertio ipsos invitat. Quis hominum ita patienter ferret gratiæ suæ & favoris fastidium? sed videmus Deum non statim rejicere tardos & pigros, sed novos stimulos adhibere, ut ipsos tandem permoveat. idque plusquam necessarium est. Qualis enim esset torpor noster, nisi quotidie Deus instaret? quotusquisque aurem præberet ejus admonitionibus? non mirum igitur est, si ignoscens nostræ tarditati, secundo & tertio nos ad resipiscentiam invitat: quod etiam in Ecclesia semper experimur. Hæc ratio est igitur, cur idem nunc iteret Propheta: *Revertimini nunc*, inquit, *filii rebelles*. dixerat prius, Revertere Israël rebellis. Postea addit, *Quoniam ego maritus in vobis*. Quidam existimant בעל tantundem valere atque tædio affici, ubi in constructione ponitur, sicuti hic בעלתי בכם, in vobis. sed non quadraret hæc significatio præsenti loco: rectius igitur alii vertunt, Quoniam dominatus sum vobis. sed hoc dominium non debet promiscue sumi, quemadmodum apud Latinos: refertur enim proprie ad maritum, qui uxori suæ præest. nec dubium est quin Deus continuet sermonem suum, & persistat in illa similitudine conjugii, de qua jam sæpius dictum fuit. Accusat enim adulterii Israëlitas; quoniam ab ipso desciverant. Ideo adjungit, *Ego tamen sum maritus vester*. Dixerat prius, Si quis uxorem repudiaverit, quæ se addixerit postea alteri, nunquam volet cum ipsa reconciliari: ego autem ignosco vestræ perfidiæ, vestris libidinibus: tantum colite posthac castitatem mecum, ego vicissim caste vobiscum me geram. Ita hoc loco, *Ego sum maritus ve-*

ster, hoc est, etiamsi vos repudiaverim. Dixeret enim se dedisse libellum repudii: hoc est, quasi publicis tabulis se testatum fuisse, nihil amplius sibi esse conjunctionis cum populo illo. Nam exilium erat instar divortii. Jam dicit, *Ego sum maritus vester*. Nam etiamsi ego tam graviter læsus à vobis fuerim, quia fefellistis fidem mihi datam, tamen maneo in proposito, ut sim vobis maritus. Tenemus ergo nunc genuinum Prophetæ sensum. Quoniam poterat desperatio ita constringere Israelitas, ut horrerent accessum illum, ad quem hortatus ipsos fuerat Propheta: ne terror impediat, quo minus resipiscant, Deus hic pronunciat se illis fore maritum, & se nondum oblitum esse illius conjunctionis, qua ipsos semel dignatus fuerat. Summa est, Ego semel complexus sum vos amore conjugali: estis quidem à me alienati, sed redite tamen, ego paratus sum ad veniam: & perinde acsi mihi semper fidem præstitissetis, *iterum assumam vos*, inquit. Sed postea adjungit, *Unum ex urbe, duos ex familia*. Hic locus dignus est observatu, quia ostendit Deus non esse cur alii alios expectent: deinde etiamsi corpus ipsum populi putrescat in suis peccatis, tamen si pauci ad ipsum redeant, se illis etiam fore placabilem. Et fuit hoc caput valde necessarium. Fœdus enim Dei erat commune universo semini Abrahæ. Poterant igitur conjicere fœdus illud esse extinctum, nisi totum populum colligeret. Neque enim elegerat duos, aut tres, aut centum, aut mille: elegerat totum semen Abrahæ. Ergo quoniam hæc promissio sine exceptione omnibus erat communis, poterat quisque ita ratiocinari, Quid mihi cum Deo, nisi quatenus sum progenitus ex genere Abrahæ? atqui non sum solus: nam sumus omnes Abrahæ filii. video autem neminem converti ad Deum: ita pereundum mihi est cum toto populo. Ergo ne hæc cogitatio moretur pios, ideo nunc dicit, *Unum assumam ex urbe, & duos ex familia*: hoc est, etiamsi unus tantum ex urbe una ad me veniat, reperiet apertam januam: si duo tantum ex una tribu ad me veniant, etiam ipsos admittam. Tenemus consilium Prophetæ. Interpretes quidem dicunt unum ex urbe, quoniam Deus etiamsi multitudo pereat, non desinet ignoscere tribus, vel quatuor: sed non attingunt quod præcipue dignum erat notatu, nempe ideo sermonem ad duos & tres restringi, quoniam ut dictum est, poterat ipsos hæc cogitatio tenere perplexos, quod scilicet communiter omnes electi essent in sacrum populum. Hodie etiam utilitas hujus doctrinæ ad nos pertinet. Videmus enim multos hac stultitia vel excludi à spe salutis, vel sibi obstruere accessum, quoniam alii alios respiciunt, & multitudo tenet singulos implicitos. In Papatu qui fit ut tam multi pertinaciter Deo resistant? nempe quia putant se tuto latere in turba. Et apud nos etiam videmus, ut alii aliis sint obstaculo. veniat igitur semper nobis in mentem hæc doctrina, Deum ubi brachia sua extendit, velle amplecti non tantum omnes simul, si non consensu ad ipsum accurrant, sed duos, vel tres, si tantum ex una urbe ad eum veniant, vel ex toto populo. Adjungit, *Venire faciam vos in Sion*. Jam hoc semel dictum fuerat. Significat igitur Deus temporale fore exilium, & iterum compotes fore Israelitas suæ hæreditatis, si appareat in illis vera & seria conversio. Sequitur,

15. Et dabo vobis Pastores secundum cor meum, & pascent vos scientia, & intelligentia. *hoc est, scienter, & prudenter*.

Hic promittit Deus se ita prospecturum saluti populi, postquam ab exilio reductus fuerit, ne iterum pereat. Nam notanda est causa vindictæ Dei, quæ exprimitur ab Jesaia quinto capite: Propterea abductus est populus meus, inquit, quia scientia caruit: propterea sepulchrum dilatavit animam suam, aut guttur suum. Dicit igitur hanc fuisse causam interitus populi, quia interciderat apud ipsos doctrina, & Pastores vel fuerant canes muti, vel fuerant latrones. Hic ex opposito pronunciat Deus se daturum illis fidos Pastores, qui exerceant munus suum sicuti decet. Fateor quidem comprehendi sub hac voce probos & cordatos magistratus. sed Prophetas & Sacerdotes præcipue designat, quorum partes erant idololatriæ mederi. Unde colligimus, non posse diuturnum esse Ecclesiæ statum, nisi dum fidi Pastores præsunt, qui viam salutis ostendant. Ergo in hoc consistit Ecclesiæ salus, si Deus excitet veros & sinceros doctores, qui annuncient ejus doctrinam. ubi autem destituitur Ecclesia probis doctoribus, necesse est statim omnia pessum ire. Deus enim haud dubie hac promissione significat se non tantum fore liberatorem populi, ut eum ab exilio revocet, sed perpetuum custodem, ubi reversus fuerit populus ipse in patriam. Sequitur ergo, Ecclesiam Dei non tantum gigni opera sanctorum & piorum Pastorum, sed etiam foveri, & ali, & confirmari etiam ejus vitam usque ad extremum. Sicuti non satis est ordinem politicum semel erigi, nisi magistratus in officio perseverent: ita nihil magis exitiale Ecclesiæ, quam ubi Deus aufert bonos Pastores. Non potuit quidem fieri, ut populus ad Deum rediret, nisi missi ante fuissent Prophetæ: sed hic loquitur Deus de continuo cursu vel tenore doctrinæ suæ, & bene compositi regiminis: quasi diceret, Non tantum dabo vobis Prophetas, qui vos ab errore ad me, & in viam salutis reducant, sed subinde vobis etiam præficiam bonos & fidos doctores. Notandum vero est, non posse omnes eos qui præsunt, officio fungi nisi præditi sint prudentia. Deus vero paternum suum amorem sibi vindicat, ubi bonos Pastores dicit sibi charos fore. Postea sequitur,

16. Et erit, quum multiplicati fueritis, & fructificaveritis (*vel creveritis*) in terra diebus illis, dicit Jehovah, non dicent amplius, Arca fœderis Jehovæ, & non ascendet in cor, & non recordabuntur ejus, & non visitabunt, & non fiet amplius.

Versum hunc torquent Interpretes, quia nemo assequitur Prophetæ consilium. Judæi magna ex parte commentum frigidum & longe petitum afferunt, quod non deducent amplius Arcam fœderis ad sua prælia, quoniam nemo scilicet hostis ipsos invadet. Putant igitur promitti tranquillum statum populo, quia nulla vi hostili cogentur transferre huc atque illuc Arcam fœderis. Sed videmus verba nihil tale sonare. Est igitur illud prorsus alienum commentum. Alii autem dicunt hoc debere referri ad tempus Messiæ: & nemo etiam ex Judæis hoc negat, quoniam sequetur postea, redituros Israelitas cum tribu Jehudah. Hoc hactenus non fuit impletum: sequitur ergo Prophetam hic vaticinari de regno Christi. Sed Judæi quum hoc fatentur, nihil intelligunt de abrogandis ceremoniis Legalibus. Fere autem inter Christianos hoc receptum est, Prophetam hic docere, ubi exhibitus fuerit Christus, finem impositum iri Legalibus umbris, ita ut nulla amplius sit Arca fœderis, quoniam in Christo habitat Deitatis plenitudo. Hoc quidem non videtur carere aliquo colore: sed existimo aliud prorsus esse Prophetæ consilium. Hic enim notat divortium illud, vel dissidium, quod fuerat longo tempore inter regnum Jehudah, & regnum Israel. Nam quum regnum Israel & hominum numero, &

terræ

terræ amplitudine, & opibus floreret, atque felicius esset regno Jehudah: hoc residuum tamen manebat Judæis, quod apud ipsos erat Templum, Dei jussu extructum, quod locus ille fuerat electus à Deo, quod tenebant Arcam fœderis quæ erat symbolum præsentiæ Dei. Talis igitur fuit æmulatio inter regnum Jehudah, & decem tribus, quod quum inflati essent Israëlitæ & copia hominum, & divitiis, & aliis terrenis dotibus, Judæi gloriabantur de Templo, & Arca fœderis. Quid autem nunc Propheta? Pronunciat talem fore concordiam inter Israëlitas & Judæos, ut jam non dictori sint Judæi, Arca fœderis, & Templum Dei: quoniam Deus aderit similiter omnibus. Et melius confirmat deinde Propheta quod jam dixi. Ergo conjungere necesse est etiam sequentes duos versus. Dicit igitur,

17. **Tempore illo vocabunt Jerusalem solium Jehovæ, & congregabuntur ad eam omnes gentes ad nomen Jehovæ, Jerusalem dico: & non ambulabunt posthac (*vel amplius*) post duritiem (*alii vertunt, obstinationem: est etiam interdum cogitatio*, שרירות. *post duritiem*) cordis sui malam.**

Postea,

18. **In diebus illis venient domus Jehudah cum domo Israël, venient simul è terra Aquilonis ad terram quam dedi in hæreditatem patribus vestris.** *vel quam dedi possidendam jure hæreditario patribus vestris.*

Nunc clarius tenemus quod jam dixi: nempe Prophetam hic promittere futurum consensum inter decem tribus, & regnum Jehudah, ubi simul omnes reducti fuerint ab exilio: quasi diceret, statum magis optabilem fore, quam ante fuerat. quia scilicet erat laceratum semen Abrahæ, ex quo populus quem volebat Deus manere in sacra unitate, fuerat dissipatus fœdo modo. Scimus enim fuisse capitale odium inter Judæos & Israëlitas. quum ergo talis & tam fœda fuisset dissipatio ad tempus inter filios Abrahæ, nunc Propheta ostendit fructum exilii: quia scilicet ubi temporali pœna castigati fuerint à Domino, redibunt in patriam, non ut sit inter ipsos talis æmulatio, qualem experti fuerant, sed ut omnes uno ore simul Deum invocent: ut Judæi ipsi sint fratres Israëlitis, & Israëlitæ etiam mutuam concordiam cum tribu Jehudah colant.

Da omnipotens Deus, quando hodie nobis clementer parcis, quum tamen variis modis provocemus iram tuam, ne adversus castigationes obdurescamus, sed tolerantia tua nos ad pœnitentiam invitet; deinde etiam ferulæ nobis prosint, & ita vere convertamur, ut tota vita testemur nos mutatos esse animis, & sic etiam alii alios incitemus mutuo, ut simul consentiamus in obsequium verbi tui, & studeamus quisque pro se glorificare nomen tuum, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA

IN

JEREMIAM.

COEpimus heri exponere quo sensu dicat Propheta nullam fore amplius memoriam Arcæ fœderis, postquam reversi fuerint Israëlitæ in patriam, & illic creverint: nempe quia nullum erit dissidium, quale fuerat antequam in exilium essent abducti. Scimus enim decem tribus coluisse Deum suo more, quia defecerant à pura & simplici Legis doctrina. Intelligit ergo Propheta omnes fore veri & unius Dei cultores: & tantam fore unitatem fidei inter ipsos, ut non vocet Judæus Deum suum, & Israëlita etiam alium sibi Deum fingat. Ideo subjicit, *Non ascendet super cor*: hoc est, nulla talis cogitatio, inquit, amplius illis veniet in mentem: *Et non recordabuntur*: hoc est, nulla monumenta pristinæ dissensionis amplius inter eos extabunt: *Et non visitabunt*: hoc est, non venient amplius furtim Jerosolymam qui volent sacrificia offerre Deo: *Denique nihil tale fiet*, inquit. *Nam in tempore illo vocabitur Jerusalem solium Jehovæ.* Posset videri Propheta secum pugnare, quod tradat *Jerosolymam fore solium Dei*, & tamen Judæos non facturos mentionem Arcæ fœderis. Sed optime cohærent inter se hæc membra, quoniam intelligit Jerosolymam fore sedem ac domicilium æterni Dei absque controversia. Ante exilium jactabant Israëlitæ se retinere cultum veri Dei, & magnifica erat ostentatio, & multæ pompæ, sic ut Jerosolyma fere obscura esset, quantum ad illum externum splendorem. Propheta autem dicit nullum fore amplius discrimen, & non litigaturos Israëlitas cum Judæis, quia omnes concedent Jerosolymam esse Sanctuarium Dei: quasi diceret, Apud omnes sine exceptione vigebit pura religio. quod scilicet ante illud tempus usitatum non fuerat. Et hanc sententiam melius confirmat sequentibus verbis: *Congregabuntur*, inquit, *ad eam omnes gentes ad nomen Jehovæ*, vel propter nomen Jehovæ. ל est hic vice causalis particulæ. Propter nomen ergo Jehovæ congregabuntur omnes gentes Jerosolymæ. Videmus nihil esse ambiguum in his verbis, quia aperte exprimit Propheta cultum Dei qualem Lege sua instituerat, tantæ fore auctoritatis, ut gentes omnes paratæ sint amplecti quicquid edoctæ fuerint à Judæis. Cæterum, per Gentes omnes rectum est intelligi decem tribus, quemadmodum multis locis vocantur plures populi. Si quis longius malit extendere, fruatur suo sensu. & quemadmodum heri retuli, Judæi existimant hic describi tempus Messiæ, quoniam nunquam impletum fuit quod hic promittit Jeremias. Neque enim concursus ille gentium apparuit quum reversi sunt Judæi ab exilio in patriam: imo soli Judæi reversi sunt. Hinc igitur colligunt, non posse locum hunc aliter exponi, quam de regno Messiæ: quod verum esse fateor. Sed quia reditus ille, ac restitutio populi quoddam fuit regni Christi præludium, ideo semper incipere convenit à tempore illo, quoties vaticinantur Prophetæ de nova Ecclesia. Verum quidem est, reparationem totius mundi quærendam esse in Christi adventu: sed jam tunc cœpit Deus Ecclesiam suam restituere, quum Judæis manum porrexit, ut urbem extruerent, & Templum, donec prodiret Christus. Quantum ad præsentem locum spectat, sive per Gentes intelligere libeat decem tribus, vel utrumque regnum, sive promiscue omnes orbis populos, sensus Prophetæ perinde clarus esset: ampliorem scilicet fore Ecclesiam, ubi Deus populum reduxerit, quam prius fuisset: postea Deum facturum, ut floreat vere pietas, & quidem

absque æmulatione & litibus. Quod tamen sequitur confirmat diversam sententiam, nempe ut hoc exponatur de utroque regno: *Non ambulabunt*, inquit, *amplius post duritiem malam cordis sui.* Non solet hoc dici de profanis gentibus, quæ semper alienæ fuerunt à doctrina Legis. Quoniam ergo hoc specialiter competit in Judæos, & Israelitas: ideo videtur melius fluere illa expositio, *cunctas gentes* hic vocari vel decem tribus, vel totum populum. Postea sequitur eodem sensu, *In diebus illis venient domus Jehudah cum domo Israël.* Hinc apparet, Prophetam magis de posteris Abrahæ loquutum esse, quam de exteris gentibus. Nam expositive addit hunc versum. Poterat enim quæri, quid hoc sibi vellet, omnes gentes venturas: nempe, inquit, *quoniam domus Israel coalescet simul cum domo Jehudah*: hoc est, nulla erit amplius simultas inter duos populos, quoniam agnoscent se mutuo pro fratribus, & scient se ita ortos esse ab uno fonte, ut debeant manere unus populus. denique hic versus exponit quod jam dictum fuerat à Propheta. Et notandum est quod addit, *Venient simul è terra Aquilonis ad terram quam ego dedi possidendam patribus ipsorum.* Nondum Judæi in exilium migraverant: Propheta ipse alloquebatur eos, quum adhuc Jerosolymæ, & in reliqua terra quiescerent quasi in nido suo: neque unquam illis persuasit quod experti sunt magno suo damno, nempe instare illis simile exilium, quale tunc cernebant in fratribus suis Israëlitis. Perinde autem cum ipsis agit Propheta, acsi essent extorres, & habitarent in terra Aquilonari, sicuti Israëlitæ; *Venient simul*, inquit, *è terra Aquilonari.* Poterant excipere, Atqui adhuc potimur nostra hæreditate, neque hinc nos quispiam expellet, quoniam fieri non potest ut Deo eripiatur Templum suum: elegit sibi quietem perpetuam apud nos. Nec dubium est quin auditæ fuerint obstreperæ istæ voces. Sed Propheta hic refellit vanam eorum confidentiam: ac dicit spem salutis in eo duntaxat positam esse, si expectent restitutionem à Domino, postquam ad tempus exulaverint. Hic autem Propheta commendat illis fructum exilii, quo æquiore animo deinde perferant pœnam sibi inflictam. Poterant enim centies desperare, nisi spes hæc fuisset illis residua, nempe temporale fore illud exilium, quia iterum cum fratribus suis Israëlitis colligendi essent. Nunc sequitur,

19. Et ego dixi, Quomodo ponam te in filios, & dabo tibi terram desiderii, (*hoc est, desiderabilem*) hæreditatem cupiditatis (*hoc est, quæ concupiscitur*) exercitus gentium? Et dixi, Pater mi, clamabis ad me, & à me non recedes. *de post me, ad verbum*, מאחרי.

Non est mihi propositum narrare omnium expositiones: sed sufficiet ostendere quid velit Propheta. siquando attingo sententias quæ non mihi placent, cogor hoc facere, quoniam si quis color subest, possent lectores falli: sed ubi veritas ipsa per se satis est conspicua, nolo operam frustra consumere in refutandis aliorum opinionibus. Hoc ergo sonant Prophetæ verba, Interrogat hic Deus, quomodo fieri poterit, ut iterum propagetur genus Abrahæ postquam fuerit quasi emortuum: nempe, inquit, *si me voces patrem, & à me non deflectas.* Interrogatio huc spectat, ut pungantur Judæi, quasi prorsus deplorata esset ipsorum conditio. Et certe quum tanta & tam obstinata malitia provocassent Deum, poterant videri periisse. Deus ergo hic mirantis personam suscipit: quasi diceret, Vos quidem estis desperati, actum est de salute vestra: sed tamen quia mihi in animo est vos iterum restituere, volo nunc invenire rationem, qua iterum propagetur genus vestrum. Quomodo igitur hoc fiet? nempe ostendit hoc tantum se requirere, ut ipsum patrem invocent, non ore, sed vero cordis affectu. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Nam humiliat Israelitas, quum hic admirationem Deo tribuit: quasi res esset factu difficilis: sed interea erigit ipsos in bonam fiduciam, quia salus illis parata sit, modo Deum sincero corde invocent, & agnoscant patrem suum, idque perseveranter, ne ab ipso unquam deflectant. Denique significat Deus Israelitas similes esse mortuis, & salutem eorum non esse sperandam absque resurrectione. Interea hac lege promittit ipsis salutem, si ipsum invocent, & faciant hoc non corde duplici, neque etiam ardore subito, qui statim evanescebat. *Non deflectes* igitur *de post me*, inquit: hoc est, semper subditi mihi estote, & ostendam non frustra me vocari patrem à vobis. Sequitur,

20. Certe (*subaudienda est particula, sicut*) perfide agit mulier à socio suo, (*hoc est, perfide agit cum marito, ubi ab ipso discedit, vel se alienat*) sic perfide egistis in me domus Israël, inquit Jehovah.

Confirmat prius membrum proximi versus. Dixerat enim vix posse fieri, ut Judæi recuperarent quod perdiderant, & iterum crearentur in novum populum: rationem ostendit, quia similes erant mulieri adulteræ, quemadmodum ante loquutus est. Sed non vult tamen spem illis excutere: tantum in hoc insistit, ut serio agnoscant peccata sua, quo sibi displiceant, & confugiant ad misericordiam Dei. Neque tam ipsorum causa hoc facit, quam gentis suæ, apud quam manebat. Respicit enim (ut sæpe dictum est) præcipue Judæos, qui sic obduruerant in suis vitiis, ut non putarent ad se pertinere hoc exemplum: quo tamen Deus eos terrere voluerat, ut ad pœnitentiam flecteret dura eorum corda. Hac igitur ratione tam severe objurgat Israëlem, quia prius dixit Judæos illis esse deteriores. Postea adjungit,

21. Vox super excelsa audita est, fletus precationum filiorum Israël, quia perverterunt viam suam, obliti sunt Jehovæ Dei sui.

Hinc clarius patet quod nunc dicebam, nempe hic statui Israëlitas coram Judæis, ut agnoscant perversi illi quibus Deus pepercerat, sibi eandem pœnam impendere, nisi mature ad eum redirent. Narrat enim Propheta, Israëlitas esse in fletu & lachrymis, quod desciverint à Deo suo, & violaverint fidem ei datam. Quorsum hoc? nempe ut Judæi, qui sibi in deliciis suis placent, expergefiant, & statuant, nisi occurrant judicio Dei, paratas sibi esse similes lachrymas, & similem fletum. Nondum quidem sic gemebant Israëlitæ, ut ostenderent veræ pœnitentiæ signa: sed Propheta hic non laudat ipsorum affectum, vel pietatem, sed significat tam duriter affligi, quoniam Deum suum reliquerint. *Vox ergo audita est in excelsis*, inquit: hoc est, res hæc satis passim nota est, quam crudeliter afflicti fuerint Israëlitæ ab hostibus. Nunc ergo vociferantur, nunc se vocant omnium miserrimos. unde hæc lamentatio? nempe *quoniam perverterint vias suas*, inquit. Periode igitur est acsi diceret prodigiosam esse illam socordiam quæ erat in Judæis, quod non resipiscerent admoniti fratrum suorum pœna. Nam calamitas quæ accide-

acciderat Israëlitis, omnibus incusserat terrorem. Floruerat enim diu regnum illud: terra exinanita fuit incolis, & occupata à feris bestiis, donec missi sunt ex Perside & aliis partibus Orientalibus qui eam incolerent. Terra tam amoena & fertilis quomodo potuit similis esse deserto? nempe quia Deus
Levit. 26. ita prædixerat. Neglexistis, inquit, Sabbatha mea:
v. 34 35. atqui terra vestra quiescet, neque amplius fatigabitur à vobis. Erat spectaculum illud formidabile: & gentes procul remotæ poterant apud se expendere quanta fuisset populi illius impietas, de qua Deus tam atrocem vindictam sumpserat. Judæi qui habebant sub oculis illam solitudinem & vastitatem terræ, qui videbant fratres suos fuisse dispersos, nonne plusquam stupidi erant quum hoc totum negligerent? Ergo videmus quo tendat Propheta. *Vox*, inquit, *super excelsa audita est*: quemadmodum si in montium fastigiis clamarent Israëlitæ. *Fletus*, inquit, *precationum*. sed non intelligit preces, quæ fidem testentur: lamentationes simpliciter intelligit, quæ declarent miseriam & cladem. In causæ redditione non recitat Propheta quid confessi fuerint Israëlitæ, sed causam ostendit cur ita flebiliter deplorent suas ærumnas, quia scilicet *perverterint vias suas, & obliti fuerint Jehovæ Dei sui*. Postea adjungit,

22. Revertimini filii rebelles, sanabo transgressiones vestras. Ecce nos venimus ad te, quia tu Jehovah Deus noster.

23. Certe fallacia à collibus, multitudo montium: certe in Jehovah Deo nostro salus Israël.

Hic jam hortatur Deus Israëlitas ad pœnitentiam, ut eorum exemplo commoveat Judæos. Potuit quidem utilitas hujus doctrinæ etiam pervenire ad miseros captivos & exules: sed quoniam Jeremias peculiaris erat doctor gentis suæ, non dubium est quin huc maxime operam suam contulerit, quemadmodum etiam dictum est. Deus ergo hic declarat se fore placabilem Israëlitis, quamlibet graviter peccaverint. Postea inducit ipsos respondentes, *Ecce nos ad te reversi sumus*, vel veniemus. Nam hic potius disserit Propheta de futura decem tribuum conversione. Est igitur quidam dialogus inter Deum & Israëlitas. Deus ipse ultro invitat eos ad pœnitentiam: *Revertimini*, inquit, *filii rebelles*. deinde promittit se fore medicum ad sanandos omnes eorum morbos: *Sanabo*, inquit, *transgressiones tuas*, hoc est, delebo peccata vestra, & vos absolvam à reatu. Deus ergo sumit sibi has partes: nempe primo loco stimulat Israëlitas ad resipiscentiam, deinde adjungit spem veniæ: & dicit remedium fore illis in promptu, modo ne obdurescant. Jam Israëlitæ respondent ex opposito, *Ecce nos ad te venimus*. Hic perstringit Jeremias obstinationem gentis suæ, quum dicit Israëlitas, ubi ita Deus eos benigne ad se revocaverit, non fore obstinatos, sed potius flexibiles ad obsequium. Hoc quidem non fuit impletum, dum libertas redeundi data fuit populo, nisi quod pauci tacti sunt & prætulerunt gloriam Dei terrenis commodis. sed fuit ille exiguus numerus: neque mirum, quia etiam non frustra dixit antehac Deus, si unus venerit ex urbe, & duo ex tribu una, admissum tamen iri, quamvis alii defixi manerent in sua pervicacia. Quicquid *sit*, *Deus hic significat* Israëlitas non fore tam præfractos, quin suæ admonitioni obediant, quum illis proposuerit spem veniæ & salutis. Hoc autem facit, quo magis detestabilis sit illa obstinatio, qua laborabant Judæi. Alii autem putant hic exprobrari Israëlitis, quod simulate prætexerent se Deum semper quæsisse. Eliciunt igitur hunc sensum, Vos autem dicetis, *Ecce nos ad te reversi sumus; tu es Deus noster*: quasi eorum hypocrisin damnaret, quoniam mentiebantur se ipsum semper quæsiisse. Sed videtur mihi hoc prorsus esse alienum à Prophetæ sensu. Itaque non dubito quin hic, velut in pictura, Jeremias proponat Judæis quod ipsos movere debet, ne tam sint contumaciter addicti suis sceleribus: *Ecce*, inquit, Deus paratus est recipere in gratiam fratres vestros, qui tamen sunt perditi & desperati: illi autem ubi audiverint vocem Dei, qua tam comiter & humaniter illos ad se invitat, redibunt proculdubio. quid ergo cessatis? Et eodem sensu postea adjungit, *Certe fallacia à collibus, & multitudo montium* (vel à multitudine montium, ut repetatur litera D.) Hic pluribus verbis exprimit Propheta testimonium pœnitentiæ: quasi dicerent, Fuimus decepti à collibus, & multitudine montium: hoc est, putavimus fore plus præsidii in magno deorum numero, quam si unum Deum coleremus. hæc impostura igitur nos traxit ad interitum. Ergo nunc facessant omnia illa mendacia. contenti enim erimus te unico Deo. Denique his verbis fatentur Israëlitæ se fuisse pessimis erroribus tractos in perniciem, dum sibi asciscerent multos deos, neque acquiescerent in uno Deo. Addunt etiam, *Quoniam certe in Jehovah & Deo nostro est salus*. Hic opponunt unicum Deum omnibus idolis: quasi dicerent sibi hanc fuisse malorum omnium causam, quod se non continuerint in uno Deo, sed vagati fuerint post multitudinem deorum. videmus ergo hæc non posse simul conjungi, nempe ut verum Deum colamus, & asciscamus nobis varios deos, & fabricemus nobis spes vanas, quemadmodum faciunt quibus non sufficit unus Deus. Sequitur,

24. Et pudor (*vel probrum*) voravit laborem patrum nostrorum à pueritia nostra; oves eorum, & pecora eorum, filios eorum, & filias eorum.

Confirmat pluribus eandem querimoniam, quod scilicet Deus manifestis documentis ostenderit peccata gentis; quoniam consumpserat eorum laborem, hoc est, quicquid labore suo acquisierant. Adjungit enim *oves & pecora*, deinde *filios & filias*. Non tribuit quidem consumptionem hanc Deo: sed hæc loquutio magis emphatica est, quum dicit, *Pudor consumpsit laborem patrum nostrorum à pueritia nostra*. Nam per pudorem intelligit scelera, quorum ipsos pudere debebat. sensus igitur est, non posse alio transcribi quicquid perpessi fuerant malorum, quoniam totum hoc imputandum erat eorum sceleribus. Pudor ergo noster, hoc est, flagitia scelerum nostrorum consumpserunt patrum nostrorum laborem. Sequitur.

25. Jacuimus in pudore nostro, & operuit nos ignominia nostra, quoniam cum Jehovah Deo nostro scelerate egimus nos & patres nostri à pueritia nostra & ad hunc diem usque: & non audivimus vocem Jehovæ Dei nostri.

Quoniam nihil hic novum dicunt Israëlitæ, sed continuant eandem sententiam, ego volui totum hunc contextum breviter perstringere, ne abrumperem. Dicunt igitur *se jacuisse in suis miseriis*. quare?

quia scilicet *scelerate egerant cum Deo.* Videmus exponi quod ante confessi fuerant, nempe laborem patrum suorum fuisse consumptum ab eorum pudore, hoc est, ab eorum sceleribus. Tribuunt autem sibi quod poterat transferri in patres, quoniam sciebant se iniquitatis ipsorum fuisse hæredes. *Jacemus* ergo, inquiunt, *in pudore nostro.* Hic breviter fatentur se merito esse calamitosos, nec posse Deum accusari sævitiæ, quoniam atrociter ipsos affligat. Quare? *Quoniam* scilicet *jaceant in suo probro, & operiat eos propria ignominia*: quasi dicerent residere malorum omnium causam in suis peccatis, neque alibi quærendam esse. *Quoniam*, inquiunt, *scelerate egimus nos & patres nostri à pueritia nostra.* Hac voce significant se non uno tantum die, sed tam contumaciter, ut jam à primis annis imbiberint iniquitatem patrum, ut scilicet adderent mala malis. Dixerant prius consumptum fuisse patrum laborem à pueritia: quo verbo notabant diuturnum tenorem pœnarum. Deus enim non uno tantum die ipsos castigaverat, sed repetiverat sæpius easdem plagas: & tamen sine profectu. Nunc adjungunt, Sicuti *scelerate egimus à pueritia nostra cum Deo nostro*, ita etiam à pueritia nos admonuit, ut reverteremur ad ipsum: & per nos tantum stetit, quo minus ad eum reverteremur. Ipse enim nos vocabat. quoniam nos ita fuimus obstinati, sic etiam Deus prosequutus est merito vindictam suam erga nos. Postea dicunt, *Ad hunc usque diem*: quo confirmant quod jam dixi, nempe fuisse ita obstinatos, ut nunquam destiterint à suis vitiis. Et fontem omnium scelerum simul designant, *Quod non audierint vocem Jehovæ.* nam si errassent, & tacuisset Deus, poterat extenuari eorum culpa. sed quum Deus quotidie Prophetas submitteret, qui clamare eorum auribus non cessabant, & tamen surdi essent, inexcusabilis fuit eorum pertinacia in malis. Ergo videmus exaggerari crimen hac circumstantia, quod vocem Dei non audiverint: quasi dicerent, Deum suas partes egisse, ut illos revocaret ab interitu, sed tam fuisse obstinatos, ut negligerent gratiam illam: ideoque se merita dare pœnas non tantum impietatis suæ, sed etiam ingratitudinis, & simul obstinatæ malitiæ.

Da omnipotens Deus, quando tot beneficiis tuis provocati, non tamen cessamus te sceleribus nostris provocare, acsi ex professo tibi bellum indiceremus, ut tandem admoniti exemplis, quibus nos ad pœnitentiam invitas, corrigamus hanc nostram pravitatem, & mature resipiscamus, & ita nos tibi addicamus in obsequium, ut nomen tuum per nos glorificetur, & studeamus etiam eos nobiscum reducere in viam salutis, qui jam videntur perditi, ut misericordia tua sese in omnes partes extendat, atque ita salus per Christum unigenitum Filium tuum quæsita, effectum suum obtineat in cunctis gentibus, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA
IN
JEREMIAM.

CAP. IV.

SI revertaris Israël, dicit Jehovah, ad me revertere: (*vel apud me quiesce*) & si abstuleris abominationes tuas à facie mea, & non fueris vagus. *alii, & non migrabis.*

NOn dubium est, quin Propheta exigat hic à populo sinceram conversionem: quoniam simulabant se agnoscere peccata sua, & dabant multa signa resipiscentiæ: interea mentiebantur Deo. Quoniam igitur sæpius Deum & ejus Prophetas fefellerant, ideo Jeremias jubet eos absque fuco, aut bona fide reverti ad Deum. Quantum ad summam doctrinæ spectat, hic est Prophetæ sensus. sed in verbis est ambiguitas. quidam enim sic legunt, Si revertaris Israël ad me, dicit Jehovah: istud אלי conjungunt cum priore membro: postea separatim legunt תשוב, quiesces; & ita volunt esse repetitionem ejusdem sententiæ, ubi statim sequitur, Si abstuleris abominationes tuas à me, non migrabis, hoc est, ego te non ejiciam, sicuti minatus sum. alii verbum תשוב, quod bis repetitur, eodem sensu accipiunt, Israel si revertaris, revertere ad me. Non dubium est, quin Propheta jubeat Israëlitas bona fide & absque fuco converti ad Deum, non autem fallaciter agere, quemadmodum soliti erant. Retuli hactenus quid alii sentiant: sed hoc, meo judicio, optime convenit, *Israël si revertaris, quiesce apud me*: *Arreste toy*, sicuti Gallice dicimus. Quiesce igitur apud me: deinde additur definitio, *nempe si abstuleris admonitiones tuas* (copula enim debet resolvi in particulam vel expletivam, vel exegeticam) *à facie mea, & non fueris vagatus.* Quod autem alii, sicut nuper retuli, ita exponunt, Israël si ad me revertaris, quiesces: quia videtur esse coactum, prorsus repudio. sed liberum permitto ut ita legatur, Israël si conversus fueris, quiescas apud me: vel, Israël si conversus fueris, convertere ad me. neque enim magna est discrepantia: quoniam hic Propheta perstringit simulationem qua usi fuerant Israëlitæ, quum subinde profiterentur se paratos esse ad præstandum Deo obsequium, & tamen postea ostenderent se fallaciter ita fuisse loquutos. Quum ergo toties deprehensa fuisset in illis fallacia & vanitas, ideo hic Propheta Dei nomine & mandato requirit, ut simpliciter & bona fide ad Deum redeant. Si placeat hæc lectio, Israël revertere ad me: ratio erit, quoniam per circuitus hoc semper captabant, ne recto itinere se ad Deum converterent. hoc enim solenne est hypocritis, ut ostentent pœnitentiam, interea autem fugiant Deom. Hoc igitur vult Propheta, si hanc lectionem sequamur, Israël non est quod posthac existimes te quicquam proficere, dum pœnitentiam ore jactas: *revertere ad me*: hoc est, scias tibi negotium esse cum Deo, qui non fallitur, quemadmodum etiam non fallit. bona igitur fide redeas ad me, & sincera sit ac minime fallax tua conversio. Si autem secundo loco verbum תשוב aliter accipere placeat, tamen in sensu non erit magna diversitas: Israel, si revertaris, quiescas apud me, hoc est, Nequicquam posthac sit tibi negotii cum idolis, & tuis perversis cupiditatibus. Ita breviter docet Propheta modum conversionis non alium esse, nisi ut Israel acquiescat in solo Deo, neque amplius circumferatur vagis suis cupiditatibus, ut sæpe fecerat: & ita bene respondebit quod sequitur, *Nempe si abstuleris* (nam dixi copulam posse resolvi, ut sit posita vice expositionis) *abominationes tuas à facie mea*, ולא תנוד, *& non amplius vageris.* nam hoc præcipue vitium damnare voluit Jeremias, quod Israël quum præ se ferret

ret aliquam speciem pietatis, tamen vacillabat, neque poterat toto animo se Deo addicere, sed erat ambiguus coosilii. Hoc igitur vitium merito damnat Jeremias, & ideo hanc expositionem libenter amplector, *Israël, si reverteris, quiesce in me*, hoc est, maneas firmus apud me. Quomodo autem hoc fiet? *Nempe si abstuleris abominationes tuas, & si non vageris*, quemadmodum levitas tua & inconstantia hactenus plus satis cognita fuit. Quicquid sit, locus hic observatu dignus est contra hypocritas, qui non audent palam rejicere admonitiones Propheticas, sed dum ostentant aliqua signa pœnitentiæ, per ambages fugiunt conspectum Dei: testantur quidem ore se quærere Deum, sed interea effugia captant. & ideo dixi hunc locum insignem esse, ut sciamus non posse placari Deum fallacibus nugis, quas hypocritæ ingerunt, sed requirere cor sincerum, & abominari omnem simulationem. ideo etiam diserte exprimitur, *Si abstuleris abominationes tuas totam facie mea.* Hypocritæ enim semper spectant theatrum, & volunt probari hominibus, & contenti sunt eorum suffragiis. Deus autem ad se revocat. Interea notandum est, ipsum non posse falli: quia est cognitor cordium. Sequitur;

2. Et jurabis, Vivit Jehovah, in veritate, in judicio & justitia: & benedicent se in eo gentes, & in eo gloriabuntur.

Hic prosequitur eandem sententiam Propheta: refellit enim illas blanditias, quibus putabant Deum posse placari. nam quum in ore haberent ejus nomen, putabant hoc sufficere ad probandam suam causam. Quid? nonne invocamus Deum? nonne deferimus ei debitum honorem, quia juramus per ejus nomen? Est enim synecdoche in Prophetæ verbis, quin jusjurandum accipit pro toto Dei cultu. Quum ergo nomen Dei obtenderent Israëlitæ, putabant se omni reatu esse absolutos. ideo dicit Propheta: *Jurabis veraciter in nomine Dei*, inquit: hoc est, Vos quidem ideo securi estis, quia professio externa pietatis videtur vobis esse quædam expiatio, quoties vultis Deo litare: jactatis vos esse Abrahæ semen, & juratis denique per nomen Dei: atqui estis sacrilegi, dum ita falso obtenditis Dei nomen. *jurate* ergo *in veritate*, inquit. Nunc videmus quomodo inter se cohæreant Prophetæ verba. Dixerat Israëlem hactenus mentitum fuisse Deo, quoniam non præstiterat quod verbis pollicebatur: erat enim semper vagus. jam adjungit, non prodesse quod Israëlitæ palam Deum invocent, & externo cultu probent se esse ejus populum: hoc nihil est, inquit, *nisi in veritate, & in judicio, & justitia Deum colatis.* Veritas haud dubie hic accipitur pro integritate cordis, quemadmodum & 5. cap. videbimus. Quum ergo jubet eos per nomen Dei jurare in veritate, perinde est acsi diceret non rite coli Deum, nisi ubi animus omni fraude & mendacio purus est: denique significat nullum esse Dei cultum absque sincero cordis affectu. sed veritas, de qua Propheta loquitur, præcipue cognoscitur in judicio & justitia, ubi scilicet homines inter se fideliter agunt, & cuique redditur jus suum, neque alter alterius damno suum lucrum quærit. ubi ergo æquitas & rectitudo inter homines ita colitur, tunc impletur quod Propheta hic requirit: quoniam non colunt Deum fallaciter, neque inanibus verbis, sed re ipsa ostendunt se absque fuco Deum timere, & revereri. Quod sequitur etiam varie exponunt interpretes: sed non dubito, quin Propheta hic oblique perstringat Israëlitas, quoniam Dei nomen tunc expositum erat multis probris & ludibriis, quum profanæ gentes dicerent nihil esse potentiæ in Deo Israëlitis: populus autem ipse cum Deo expostulabat, acsi justam haberet litigandi causam. Quid? Deus pollicitus est nos fore exemplar benedictionis: atqui sumus expositi gentium contumeliis: quid hoc sibi vult? Quum ergo Israëlitæ sortem suam ita deflerent, & culpam conjicerent in Deum, respondet Propheta, *Benedicent se gentes in Deo, & gloriabuntur in eo.* quidam hoc ad Israëlem referunt, sed nimis coacte. Dictum quidem fuerat Abrahæ, In semine tuo *Gen. 12. vers. 3.*
benedicentur omnes gentes, vel se benedicent: sed hæc benedictio habebat suum principium, quod hic notatur à Propheta. spectanda enim erat causa ipsa benedictionis, vel fons. Quomodo poterant se benedicere gentes in semine vel filiis Abrahæ, nisi Deus auctor benedictionis gratiam suam proferret erga Abrahæ filios? Optime igitur hic Propheta, *Tunc*, inquit, *benedicent se in Deo omnes gentes, & in illo gloriabuntur*: hoc est, Vos estis in culpa, cur Dei maledictio vos urgeat, & reddat probrosos cunctis populis: deinde etiam, cur nomen Dei accipiant ad probra & contumelias profanæ gentes. nam cogit vestra impietas Deum vobiscum agere durius quam vellet: esset enim propensus ad paternam clementiam, sicuti solitus est. Quid ergo nunc obstat, quominus se benedicant in Deo omnes gentes, & in ipso glorientur: hoc est, quominus vigeat pura religio in toto orbe, & gentes vobis accedant, & subscribant in verum unius Dei cultum? nempe vestra improbitas & malitia obstaculo est, quominus glorificetur Deus, & vestra etiam felicitas passim apud omnes populos celebretur. Nunc tenemus Prophetæ sensum, quod scilicet Judæi perperam culpam Deo imputent quod ita essent multis miseriis oppressi, quoniam contraxerant sibi omnes illas calamitates, & simul etiam causam dederant profanis gentibus, ut Dei nomen suis blasphemiis ita polluerent. Sequitur,

3. Quoniam sic dicit Jehovah viro Jehudah (*hoc est, Judæis*) & Jerosolymæ, Novate vobis novale, & ne seminetis super spinas.

Adhuc prosequitur eandem doctrinam Propheta: reprehendit enim hypocrisin in Israëlitis, quoniam vellent defungi erga Deum externis duntaxat ceremoniis, quum tamen corda essent implicita & fraudibus & omni genere impietatis ac malitiæ. ideo dicit hoc Deum exigere à Judæis, *ut novent sibi novale, neque seminent sibi inter spinas.* Aptissima est similitudo: nam Scriptura solet nos conferre agro, ubi vocat hæreditatem Dei, & in hunc finem electi à Deo sumus in peculiarem populum, ut fructum aliquem à nobis referat: quemadmodum paterfamilias colligit proventum ex agris suis. Deo quidem nihil per nos accedit, sed fructus quem postulat, est, ut tota vita nostra referatur ad ejus gloriam. Quicquid sit, Deus non vult nos esse otiosos vel steriles, sed proferre aliquem fructum. jam quid agunt hypocritæ? seminant, hoc est, ostendunt aliquod studium. imo etiam simulant magnum ardorem, ubi Deus ipsos ad pœnitentiam hortatur, vel ubi eos invitat. Satagunt igitur, sed corrumpunt omnia suis mixturis, perinde acsi quis semen suum spargeret inter spinas. atqui nihil proderit semen ita projicere inter spinas, nisi bene exculta sit terra. Deus ergo hanc præposteram sedulitatem, qua se venditant hypocritæ, deridet, ac dicit eos sine profectu satagere, quoniam perinde est acsi quispiam agricola semen suum perderet: ubi enim terra plena est spinis & sentibus, non potest semen etiamsi ad segetem perveniat, fructum tamen proferre. Jubet hac causa Deus Israëlitas *novare sibi novale*: quasi diceret ipsos esse similes agro senticoso,

qui

qui plenus fuit spinis: ideo opus esse insolita & minime vulgari cultura. quemadmodum si ea creverint spinæ & sentes in aliquo agro, quid proderis illic multum semen projicere? imo solo aratro non potest ager bene excoli, ut frugem proferat: sed necesse est etiam plus laboris sumere; nempe quemadmodum in novalibus fieri solet. vocamus hoc *essarter* lingua nostra. Significat igitur Propheta obduruisse populum in suis sceleribus, nec tantum plenum esse multis vitiis, quemadmodum si ager per duos annos relictus fuerit incultus, sed esse magis recondita vitia, quæ non possint solo aratro bene purgari, nisi radicitus extrahantur: quemadmodum ubi spineta, & arbusta, & vepres creverunt in aliquo agro per multos annos. Videmus ergo notari à Propheta non tantum impietatem, & contemptum Dei, & alia scelera in populo Israelitico: sed obstinationem: quoniam per multos annos ita obduruerant in suis sceleribus, ut opus esset non aratro tantum, sed etiam aliis instrumentis ad evellendas spinas, & eradicanda illa vitia, quæ profundas radices traxerant. Sicuti ergo prius monuerat eos operam ludere, nisi sincero affectu redirent ad Deum, & in ipso acquiescerent: ita hic jubet penitus examinare vitam suam, ne projiciant semen suum: quemadmodum defunctorie hypocritæ agnoscunt sua mala. Jubet igitur penitus excutere vitia quæ latent, quemadmodum si evellerent spinas & sentes ex agro qui diu caruerit cultura & labore. Jam sequitur,

4. Circumcidimini Jehovæ, & auferte præputia cordis vestri, viri Jehudah, & incolæ Jerusalem: ne egrediatur tanquam ignis furor meus, & accendatur, & nemo extinguat, propter (*à facie, ad verbum*) malitiam actionum vestrarum.

Hic clarius exprimit Propheta quod nuper metaphorice, vel sub figura dixerat. jusserat enim ipsos eradicare vitia, quemadmodum fieri solet in novalibus: nunc remota figura clare illis ostendit quid sit agendum. quanquam non caret etiam figura hoc membrum. sed revocat eos ad Circumcisionem, quæ symbolum erat renovationis: quasi diceret, satis ipsos tenere, nisi prorsus essent indociles, quomodo agere debeant. Quorsum enim, inquit, vobis præcepta est Circumcisio? an non Deus hoc symbolo ostendit hominem si recte ad pietatem aspiret, debere hinc facere initium, ut exuat omnes carnis suæ affectus? seipsum abneget, & quasi moriatur tam sibi quam mundo? Circumcisio enim hoc secum trahebat. Ergo ostendit Propheta, Israëlitas nihil habere excusationis, nec labi errore, vel inscitia: sed perverse & fraudulenter agere cum Deo, quoniam Circumcisio, qua initiati erant in cultu Dei, satis ipsos docebat, non rite nec veraciter coli Deum, nisi ubi homines seipsos abnegant. Nunc ergo videmus quid his verbis Propheta intelligit, quum jubet eos circumcidi Deo, & auferre cordis sui præputia. Dicit, *Circumcidimini Deo*, quoniam Circumcisio tunc erat unica ipsorum gloria, sed nonnisi in hominum oculis: tantum enim apud ipsos regnabat ambitio & vanitas, quum plenis buccis superbirent, & jactatent se esse sacrum Dei peculium. Propheta igitur jubet ipsos omittere tales nugas, *& circumcidi Jehovæ*, ut scilicet desinant plausum captare coram mundo: sed expendant sibi esse negotium cum Deo. & ideo adjungit, *Auferte præputia cordis vestri*: quasi
Gen. 17. vers. 10, 11, 12. diceret, Quum Deus jussit circumcidi genus Abrahæ, non quæsivit sacrificium in pellicula illa, sed altius spectavit, nempe ut circumcisi essetis corde. In summa,
Rom. 2. vers. 29. hic Propheta docet quod Paulus clarius explicuit, nempe literam nullius esse momenti coram Deo, sed requiri Spiritum. Paulus enim his verbis intelligit, externum signum esse frivolum, nisi accedat interior veritas: nam literalis Circumcisio apud Paulum tantundem valet, atque externa illa ceremonia. quemadmodum literalis Baptismus apud nos vocari potest, ubi nulla est pœnitentia, vel fides: Spiritus autem, vel spiritualis Circumcisio est abnegatio sui, renovatio, denique vera ad Deum conversio, de qua hic Propheta concionatur. Neque Moses hoc tacuerat: nam decimo capite Deuteronomii ostendit Judæos longe decipi, si existiment Deo satisfactum esse, ubi in carne sunt circumcisi: Circumcidite, inquit, corda vestra Domino. Alibi quidem admonet, hoc prorsus esse Dei opus: sed quamvis Deus corda circumcidat, tamen non est supervacua hæc exhortatio, ut homines seipsos circumcidant spiritualiter. quemadmodum etiam de Baptismo potest dici: nam dum Paulus hortatur fideles ad Dei timorem, & vitæ sanctimoniam, ponit illic Baptismum. Interea certum est homines sibi non conferre quod Deus per signum Baptismi figurat. sed admonet petendam esse gratiam Spiritus à Deo, ne frustra insigniti sint externo Baptismo: interea careant ipsa veritate. Ergo quum Propheta jubet *Israëlitas auferre præputia cordis sui*, perinde est acsi diceret, ipsos quidem satis esse liberales in ceremoniis, & externo cultu, sed has esse inanes larvas, nisi præcedat interior cordis affectus. Et alloquitur Judæos atque incolas Jerusalem, quoniam putabant se excellere supra Israëlitas, de quibus jam gravem vindictam sumpserat Deus. Ostendit igitur tribum Jehudah, imo incolas ipsos, & cives Jerosolymæ non esse aliis meliores: neque eximi quasi privilegio, quin ipsi etiam ad reddendam rationem cogantur, nisi mature, & quidem ex animo resipiscant. Postea addit: *Ne egrediatur furor meus tanquam ignis*, inquit, *& accendatur.* Hic severe denuntiat Propheta non esse expectandum Judæis, donec Deus vindex prodeat: quoniam hæc erit sera pœnitentia, inquit. denique jubet ipsos tempestive occurrere Dei judicio, quoniam si semel egressus fuerit furor Dei, ardebit tanquam ignis, ut eos absumat. non erit igitur tunc tempus extinguendi incendii: sed si resipiscant, simul etiam proponit illis spem veniæ, quia nondum furor Dei egressus fuerat. Postea adjungit, *Propter malitiam actionum vestrarum*: & his verbis iterum Propheta eos durius coarguit, & ostendit eos nihil consequi suis tergiversationibus: quia ubi Deus tribunal suum conscenderit, & cœperit exequi suam vindictam, tunc cessabunt omnes illæ fallaces excusationes, quod nihil tale sint meriti, quod non tanta sit scelerum atrocitas: Deus, inquit, manu sua vos docebit, quam gravis sit scelerum vestrorum atrocitas, non aget verbis tunc vobiscum. Postea sequitur,

5. Nunciate (*vel promulgate*) in Jehudah, & Jerusalem facite audire: (*hoc est, publicate*) & dicite, Clangite tuba in terra, vocate, colligite, & dicite, Congregamini, & intremus civitates munitas.

6. Tollite signum (*vel vexillum*) in Sion: congregamini, (*vel confugite. alii vertunt, viriliter agite: deducunt enim hoc verbum ab* עוז: *sed plures sequuntur diversum sensum ab* עוז, *quod est fugere, vel se colligere metus causa*) ne stetis, (*vel non stabitis*) quoniam malum ego accerso (*venire facio*) ab Aquilone, & contritionem magnam.

Hic

Hic Jeremias asperius tractat suos populares, quoniam videbat esse præfracto ingenio, & ita obstinatos in suis sceleribus, ut non possent sanis consiliis reduci in viam salutis. ergo hic eos compellat tanquam homines desperatos, & apud quos inutilis est doctrina. Etsi autem more Prophetico classicum canit, terroris injiciendi causa: videtur tamen ironia subesse, quum jubet *eos promulgare in Jehudah & Jerosolymæ, & publicare*: quasi diceret, Ubi vos urgebit major necessitas, tunc poteritis quidem experientia sentire Deum vobis esse infensum, licet hodie non credatis meis monitionibus: sed ne tunc quidem violenta manu Deus vos ad se reducet, quoniam quæretis vobis subterfugia, clangetis, Adsunt hostes, & imminent nobis. ergo quisque se recipiat vel Jerosolymam, & urbem ingrediatur, & se conferat in Sion: hoc est, si non poterimus nobis consulere in urbe, saltem tuti erimus in illo propugnaculo Sionis. atqui Deus, inquit, *accersit vobis malum ab Aquilone*, & quicquid putabitis vobis prodesse ad salutem, hoc totum erit evanidum. Præcipue tamen expendere convenit Prophetam quasi Dei fecialem solenni præconio denunciare bellum: & quamvis insultet eorum pertinaciæ, describere tantum fore ubique terroris, ut salutem in fuga ponant. *Canite*, inquit, *in Jehudah, & publicate*, vel promulgate, *in Jerusalem* (השמיעו annunciate, ad verbum) *audire*
Joel. 2. v. 1, 15. *facite*. Hic non loquitur simpliciter, sicuti Joel quum jubet clangere tuba: nam hortatur illic populum ad pœnitentiam, sed Jeremias ironice, quemadmodum nuper attigi, hic populum perstringit propter obstinationem & contumaciam: quasi diceret, Video quid sitis facturi, quum vos premet Dei vindicta, ne tunc quidem resipiscetis: sed clangetis tuba in tota terra, Recipiant se omnes in Sionem: quasi illinc possitis hostes vestros repellere, & vitas vestras tueri. itaque non jubet clangere, sed potius ostendit quid facturi sint. Male quidam vertunt, Implete: sed recepta est sententia, Congregate vos. sed non videntur mihi Interpretes spectasse etymologiam: est enim hoc verbum ejusdem significationis apud Hebræos, cujus est, *Amassez-vous, Colligite vos, & dicite, Congregamini, & veniamus in urbes munitas*. Hoc quidem erit vobis propositum, quærere latebras, quæ vos protegant ab hostium impetu. si ita, *Tollite signum in Sion, & confugite*: sed Deus interea *accersit vobis malum ex Aquilone*. אל־תעמדו potest bifariam exponi, Ne stetis, hoc est, properate celeriter, quemadmodum fieri solet in maximo pavore: vel, Non stabitis, hoc est, etiamsi putetis firmam vobis fore stationem in monte Sionis, tamen ne illic quidem consistetis. Prior tamen expositio mihi magis probatur, quia ad contextum aptior.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus abs te quotidie alienari nostris peccatis, & tamen nos comiter hortaris ad resipiscentiam, & promittis etiam te fore nobis exorabilem ac propitium, ne obstinate pergamus in nostris sceleribus, & ingrati simus tantæ tuæ humanitati: sed sic ad te redeamus, ut vita nostra testetur non esse fictam nostram pœnitentiam, & ita in te solo acquiescamus, ne huc & illuc abstrahant nos pravæ carnis nostræ cupiditates: sed maneamus fixi & stabiles in recto proposito, & sic studeamus tibi obsequi toto vitæ nostræ cursu, ut tandem percipiamus fructum nostræ obedientiæ in regno tuo cælesti, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA

IN

JEREMIAM.

7. Ascendit leo ex densitate sua, (*hoc est, ex occulto loco*) & vastator gentium profectus est, egressus est è loco suo ad ponendum (*ut ponat*) terram tuam in vastitatem: urbes tuæ perdentur, ut non sit habitator.

Pluribus verbis declarat Propheta, quid sibi vellet illa comminatio, quam heri breviter attigimus: dicebat enim illic Deus, *Producam malum ex Aquilone*. quodnam sit genus mali nunc exprimit, & comparat regem Babylonium leoni, & postea sine figura vocat *perditorem gentium*. Per similitudinem leonis intelligit Israëlitas non fore pares ad resistendum: & quum addit *fore gentium vastatorem*, significat etiam perituros cum reliquis. nam si Nabuchadnezer potuit sufficere ad delendos multos populos, quomodo Judæi effugerent eandem calamitatem? *Veniet* igitur, inquit, *vastator gentium*. Sed præteritum tempus usurpat in omnibus verbis ad certitudinem vaticinii, deinde ut plus terroris incutiat hominibus securis, & qui torpebant in sua hypocrisi, quoniam pro nihilo alioqui duxissent minas omnes: quantisper enim illis parcit Deus, contemnunt ejus judicium, & sibi promittunt impunitatem in suis peccatis. Ergo Propheta ut eos expergefaciat, proponit rem in medium, quasi jam cum valido & instructo exercitu veniret Nabuchadnezer ad vastandam Judæam. Dicit autem, *Leonem ascendisse ex suis latebris*. sed nomen hoc proprie significat densitatem perplexam, sicuti quum arbores sunt inter se implicitæ, vel quum locus aliquis est obsitus multis spinetis. Optime autem quadrat similitudo, quoniam Judæi nunquam putassent regem Babylonium egressurum ex locis tam remotis, quoniam erat difficilis transitus, & valde molesta expeditio: dicit tamen Propheta, *Leonem venturum ex illis latibulis*, nec quicquam fore obstaculo quin perrumpat, ut prodeat in planitiem. Tandem concludit, *urbes deletum iri, ut non sit habitator*. Jam sequitur,

8. Super hoc accingite vos saccis, plangite, & ululate: quia non aversus est furor iræ Jehovæ à nobis.

Hic nondum videtur hortari Propheta suos gentiles ad pœnitentiam: statim sequetur clarior doctrina. sed hic simpliciter admonet adesse gravissimum luctum, quoniam videbat demersos esse hypocritas illos in suis deliciis, nec posse ullo metu percelli: ideo dicit illos longe errare, si existiment se fore in tuto, quamdiu infestus est illis Deus. *Induite vos saccis*, inquit, *plangite, & ululate*. nam sequitur ratio, *quod non sit aversus furor iræ Dei ab ipsis*: scimus enim ut soleant impii sibi Deum subjicere, acsi possent sua pertinacia avertere aut procul abigere ejus judicium, & quasi manum ejus prohibere ab actu: Quoniam ergo ita insolescunt hypocritæ adversus Deum, nominatim dicit Propheta *furorem*

iræ ejus non esse aversum: & hoc modo admonet, donec reconciliati sint Deo, fore omnibus modis miseros. Nunc tenemus consilium Prophetæ: confirmat enim proximam sententiam, ubi dixerat leonem esse egressum, & vastatorem jam adesse. confirmat, dico, illam sententiam, quia nihil illis sperandum sit, nisi Deo propitio: docet autem Deum esse iratum. Sequitur ergo, infeliciter illis omnia cessura.

9. Et erit die illo, dicit Jehovah, peribit cor Regis, & cor Procerum, & obstupescent Sacerdotes, & Prophetæ mirabuntur. *vel attoniti erunt.*

Quoniam adhuc stabat regia dignitas apud Judæos, quamvis opes valde essent diminutæ, Judæi regio nomine freti, sperabant se habere certum præsidium. hinc fiebat ut non moverentur ulla denunciatione: nam erat illis quasi clypei instar regnum, quod manebat non prorsus incolume, sed tamen in aliquo mediocri statu. deinde scimus quanto fastu aulici turgeant: nam sicuti magnifaciunt reges suos, ita etiam ostentant suam prudentiam & animositatem. Quum ergo & stulta illa imaginatio de Rege, & fallax jactantia Procerum deciperet Judæos, ideo dicit Propheta, *In illo die peribit cor Regis, & cor Procerum.* Non dubium est quin cordis nomine mentem intelligat, sicuti pluribus aliis locis videmus nomen hoc ita sumi: Non dedit tibi hactenus Deus cor
Deut. 29. vers. 4. ad intelligendum, inquit Moses, Deut. 29. cap. & Latini etiam vocarunt homines cordatos qui pollent intelligentia, & dexteritate ingenii. Sic ergo docet Propheta, quod populus expectet Regem sibi fore instar invicti propugnaculi, esse inane & fallax commentum: Quia *Rex*, inquit, *tunc intelligentia, & sensu privabitur*: Consiliarii qui ostentant suum ingenium, etiam tunc reperientur prorsus vani. non est igitur cur hæc fiducia vos decipiat. In summa, voluit Propheta excutere perversam illam fiduciam, qua inebriati erant Judæi, quum putarent sibi certam esse salutem in Regis & Procerum intelligentia. Idem etiam docet tam de Sacerdotibus, quam Prophetis. nam in ordine Sacerdotali multus erat splendor: neque enim tribus Levitica sumpserat sibi honorem, Deus ipse præfecerat Sacerdotes populo. Invaluerat igitur opinio illa, non posse destitui consilio & prudentia Sacerdotes. Quod ad Prophetas spectat, haud dubie Jeremias concedit nomen hoc impostoribus qui falso Dei nomen obtendebant: & hæc loquendi ratio passim trita est apud Prophetas. non ergo intelligit veros & fideles Dei ministros, qui partes suas exequerentur, sed eos qui tunc locum & titulum illum jactabant: dicit *omnes fore attonitos.* In summa, spoliat populum falsa illa persuasione, in qua obduruerat, ut non timeret Dei judicium. Sed locus hic notatu dignus est, quia ostendit non alligari Dei gratiam vel ordinibus, vel titulis. Propheticum nomen fuit semper in pretio: deinde munus Sacerdotale non debuit carere honore, quoniam fundatum erat in mandato Dei: sed pronunciat nihilominus Jeremias, in Sacerdotibus & Prophetis nihil fore intelligentiæ, quoniam stupidi erunt & attoniti. Quantum ad Regem spectat, scimus gestasse Christi figuram: pronunciat tamen idem de Rege ipso, & de Consiliariis, nempe excæcatum iri justa Dei vindicta, ita ut nihil cernant. Postea addit,

10. Et dixi, Ha ha Domine Jehovah, certe decipiendo decepisti populum hunc, & Jerosolymam, dicendo, Pax erit vobis: & pertigit gladius usque ad animam. *tamen pertigit: nam hic copula vice adversativæ ponitur.*

Hunc locum quidam ita accipiunt, acsi objiceret Propheta vulgi sermonem. solent enim etiam sceleratissimi quique, dum urgentur Dei manu, rejicere in illum culpam, & querimoniis suis contendere, & rixari cum eo. Existimant igitur Prophetam hic non ex sua persona, sed totius populi ita loqui, Domine, quid hoc sibi vult? tu certe nos decepisti. Alii paulo restrictius exponunt, quod Propheta hic oblique expostulet cum Deo, quia passus sit pseudoprophetas blandiri populo, ita ut quasi sopirent omnium mentes: sed mihi magis probatur diversus sensus. Existimo ergo Prophetam ironice hic perstringere illas perversas adulationes, quibus Prophetæ perdiderant miseros Judæos, quum illis promitterent veniam à Deo, & semper læta vaticinia proferrent. Non dubium est, quin Deus justam mercedem rependerit Judæis, quum ita passus est eos decipi per impostores. scimus enim mundum semper laborasse hoc morbo, ut appetiverit blanditias: quemadmodum
Mich. 2. vers. 11. exprobrat illis Deus per Micheam, Quæritis Prophetas, qui vobis promittant amplam messem, amplas vindemias, inquit. Quum ergo Judæi vellent parci suis sceleribus, & non tantum odio haberent veros & severos censores, sed etiam ipsos detestarentur: ideo sicuti promeriti erant, voluit Deus multos errones sibi assumere Propheticum nomen: ita factum est, ut Judæi putarent sibi fore perpetuam pacem. & hoc, quemadmodum dixi, solenne est hypocritis. Jam Propheta amarulento sermone hic perstringit fallacias illas, *Ha ha Jehovah*, inquit, *certe tu decepisti populum hunc.* Neque enim vel Propheta hic induit vulgi personam, vel conqueritur quod Deus tantum licentiæ permittat pseudoprophetis: sed insultat tam ipsis impostoribus, quam toti populo. Porro quoniam surdæ erant omnium aures, convertit ad Deum sermonem: quasi diceret, Ecce Domine, digni erant hoc præmio, qui appetiverunt blanditias, neque locum dederunt sanctis admonitionibus servorum tuorum: quum ergo omnis illis correctio intolerabilis fuit, jam incipiant discere se fuisse ab aliis quam à te deceptos. Videmus ergo Prophetam hic ridere stuporem illum, in quo diu obtorpuerant Judæi: & ita simplex sensus est, *Dixi*, hoc est, converti me ad Deum. *Dixi ergo, Domine Jehovah, certe tu decepisti populum hunc.* Certe, ironice ponitur, hoc est, Nunc apparet re ipsa fuisse deceptos: sed à quo? vellent quidem obstrepere tibi, sed convicti tenentur stultæ credulitatis, ut digni omnino erant quos fallerent pseudoprophetæ. *Dicendo*, inquit, *Pax erit vobis.* Nunquam hoc profectum erat ex ore Dei: nam Jeremias quotidie tonabat, & minitabatur instare perniciem: erat quasi præco cælestis, qui terrore omnia impleret, sed non audiebatur: interea plausum dabant Judæi pseudoprophetis, qui mulcebant eos variis promissionibus. Videmus ergo nunquam ita loquutum fuisse Deum, Judæos autem non tantum libenter, sed nimis cupide arripuisse istas pollicitationes, quum pseudoprophetæ illis gratificari vellent. Tribuit igitur Deo Jeremias, sed ironice, quod certum erat non competere nisi in illos impostores. Postea adjungit, *Et pertigit gladius usque ad animam*: hoc est, jam tamen configimur lethalibus plagis. Oblique autem opponit hic Propheta perversas illas adulationes, in quibus sibi placebant Judæi, & ostendit tandem re ipsa sensuros, quam fallaciter prætexuerint Dei nomen. Sequitur,

11. In

11. In tempore illo dicetur populo huic, (*hoc est, de populo hoc:* ל *enim hic accipitur pro* ב) & de Jerusalem, Ventus siccus (*alii transferunt vehementem*) in excelsis deserti, (*in deserto, ad verbum*) versus viam filiæ populi mei, non ad spargendum, neque ad purgandum.

12. Ventus plenior illis veniet mihi: nunc etiam ego loquar judicia cum illis. *hoc est, proferam judicia cum illis.*

Continuat suum vaticinium Jeremias quum dicit *ventum turbidum instare, qui non dispergat tantum vel purget*, sed dissipet atque evertat omnia. Exprimit ergo quanta & quam gravis futura sit clades, cujus ante meminit. Comparat eam vento sicco, vel arido. Nam צח accipitur pro liquido interdum, & interdum etiam pro arido, quoniam major est siccitas in locis sublimibus. Nec dubium est quin hic vantum intelligat, qui celeri impetu fertur, & conturbat totum aërem, ubi scilicet nullæ sunt nebulæ, ubi nullæ arbores impediunt cursum. Et ideo loquitur de excelsis locis, & desertis. Perinde est igitur acsi diceret, tam gravem fore impetum vindictæ Dei, & tanta violentia eam erupturam, acsi ventus transiret per loca excelsa, & per terram aridam, vel desertum aliquod. Dicit, *Ad viam filiæ populi mei:* quasi diceret talem fore venti cursum, ut recta impetat Judæam. Nam hæc loquutio satis nota est omnibus qui mediocriter versati sunt in Prophetis, Filiam populi poni pro ipso populo. *Tendet* igitur *ille ventus*, aut spectabit *versus Judæam*. Postea addit, *Non ad spargendum, neque ad purgandum*. Solent enim agricolæ ventilare triticum, quum sumitur ex area, ut volitent quisquiliæ purgatæ vento. Propheta autem dicit hunc ventum non fore ad purgandum, neque ad spargendum. *Erit enim*, inquit, *longe turbidior*. Denique significat Deum ita infestum fore Judæis, ut non amplius mediocriter ipsos castiget, vel adhibeat aliquam moderationem, sicuti ante fecerat. Deus enim jam sæpius pœnam exegerat de Judæis: sed adhuc agebat quasi medici partes. studebat enim sanare populi vitia. Quum ergo profectu caruissent illæ correctiones, jam Propheta dicit venturam Dei iram, quæ non purget, sicut antea, neque quisquilias spargat: sed quæ absumat quicquid est in populo. Ideo adjungit: (cohæreat enim isti duo versus simul) *Ventus plenior*, inquit, aut perfectior, *illis veniet*. Alii vertunt, Ab illis locis: ita accipiunt מ. sed potius comparative sumitur, quod scilicet ventus hic multo erit asperior, aut sævior aliis ventis, qui solent purgare terram, vel excutere quisquilias, & separare à tritico. *Ventus* ergo *erit multo turbulentior*. *Et veniet*, inquit, *mihi*. Non dubito quin Deus hic loquatur. Alii putant Prophetam hic repræsentare totum populi corpus, & exponunt venturum esse ventum, qui irruat contra ipsos. sed hoc nimis coactum esset. Deinde refellitur illud commentum ipso contextu. neque enim competeret in Prophetam quod sequitur, *Nunc proferam judicia contra ipsos*. Hic ergo Deus pro judicis officio, pronunciat ventum præsto sibi fore, quo dissipet atque evertat totam Judæam, non amplius purget. Atque ita docet, Chaldæos non sponte venturos, sed paratos fore ad exequenda sua jussa: quasi diceret, se fore auctorem malorum omnium quæ Judæis impendent. *Veniet* igitur *mihi ventus*: hoc est, præsto aderit, ut mandatis meis obtemperet. Tandem adjungit expositionis vice, *Tunc ego loquar judicia cum illis*. Loqui judicia est exercere partes judicis, vel in jus vocare, vel citare ad dicendam causam: quemadmodum etiam reges dicuntur loqui judicia, ubi reos cogunt ad dicendam causam. Significat in summa Deus, se usum fuisse hactenus longa tolerantia erga Judæos: quoniam autem videt suam indulgentiam nihil prodesse quin magis ac magis ferociant, pronunciat se jam fore judicem illorum, nempe qui scelera ulciscatur. Postea addit,

13. Ecce tanquam nubes ascendet, & tanquam turbo currus ejus: celeriores aquilis equi ejus: væ nobis, quia perditi sumus.

Hic Propheta claudit suum vaticinium quod ad gravitatem vindictæ exprimendam spectat. multas autem similitudines hic ponit, quæ excitent Judæos, & cogant ad timorem. Dicit *currus Dei venturos tanquam nubes, & tanquam turbinem:* deinde equos ejus velociores esse aquilis. Quantum ad nubes spectat, & turbinem, & aquilas etiam, (eadem enim est trium similitudinum ratio) non dubium est quin Propheta celeritatem vindictæ Dei designet: sed aliquid tamen est discriminis. Videmus ut nubes repente exoriantur, & occupent totum cælum. hoc autem fit, ubi turbo aërem permiscet. Ergo dum nubibus & turbini confert Dei currus, tantundem hoc valet, acsi diceret repentinum fore initium cladis: quia Deus ex inopinato consurget, quum visus fuerit diu dormire. Jam quum dicit *equos Dei celeriores fore aquilis*, significat nihil fore Deo negotii, ubi semel inceperit, quominus quasi uno momento, aut saltem exiguo tempore, totam Judæam perdat. nam scimus quanta sit pernicitas in volatu aquilæ. Dicit autem *equos Dei celeriores fore omnibus aquilis*. Nunc tenemus Prophetæ sensum. Nam quum Judæi illuderent minis Propheticis, jactabant hoc inter alia, O, nos saltem interea epulabimur læti & hilares: Prophetæ isti non concedunt nobis inducias unius horæ, atqui plures anni effluent antequam malum nos deprehendat: quemadmodum hodie videmus profanos homines ludere cum Deo. Nam etiamsi non possint in totum contemnere quod Deus illis minatur, tamen extrahunt tempus, & putant se aliquid facere lucri, dum suspendunt vindictæ tempus. Hæc igitur ratio est, cur Propheta dicat jam ascensuros esse currus Dei, *quemadmodum nubes consurgunt repente*, inquit: deinde quemadmodum turbo exoritur sereno aëre. postremo *celeriores etiam fore aquilis*, nempe in continuo ipso tractu. Tandem Propheta exclamat totius populi nomine, *Væ nobis, quia sumus perditi*. Hic concise loquitur, ut doceat, tam pseudoprophetas, quam populum ipsum in perniciem suam errare, dum ita indormiunt suis malis, & existimant impune sibi fore illam socordiam. exclamat igitur, quamvis omnes essent tunc stupidi, populum ipsum esse perditum. Tandem sequitur,

14. Munda à malitia cor tuum Jerusalem, ut salva sis: quousque manebunt in medio tui cogitationes vanitatis tuæ? *Alii vertunt, doloris tui: alii, concupiscentiæ tuæ: alii, iniquitatis, acsi esset* עונך.

His

Hic jam Propheta diserte & ex professo hortatur populum ad resipiscentiam. Quum autem jubet Jerusalem *lavare à malitia cor suum, ut salva sit*, ostendit nullum esse remedium, nisi reconcilientur Judæi Deo: hoc autem non posse fieri, nisi resipiscant à suis sceleribus. Dixerat prius, irato Deo fieri non posse, quin misere perirent: eandem sententiam nunc confirmat, *Ut salva sis, lava cor tuum à malitia*. quasi diceret, bellum esse Judæis cum Deo: minime autem sperandam esse salutem, quum armatus sit in illorum perniciem Deus, & vindicem se ostendat ad punienda eorum scelera: simul admonet qualis vera sit pœnitentiæ ratio, nempe *si lavet cor suum à malitia*. Hypocritæ enim semper volunt litare Deo per externos ritus, vel gestus: Propheta autem ostendit, non posse Deum placari, nisi ex animo ad ipsum redeant. Significat ergo initium veræ pœnitentiæ esse in affectu cordis. Teneamus Prophetæ consilium. Cæterum, inscite ratiocinantur qui volunt pœnitentiam esse causam salutis, quia dicitur, Ut salva sis, lava à malitia cor tuum. & Papistæ arripiunt tales locos, ut stabiliant liberum arbitrium, & ostendant satisfactionibus nostris aboleri peccata, & pœnam redimi. hoc est nimis frigidum & nugatorium. Neque enim Propheta disputat de causa salutis: sed hic, quemadmodum jam dixi, simpliciter docet, homines nimis socordes esse, dum sperant sibi quietum fore statum, ubi bellum gerunt cum Deo, & ille etiam armatus est ad se ulciscendum contra eos. Ergo hic non quærendum est, an sua pœnitentia redimat se peccator è manu Dei: sed tantum hoc unum vult Propheta, non posse, nisi placato Deo, nos esse quietos & securos. Et simul ostendit, Deum non fore nobis propitium, donec resipuerimus, idque ex animo, vel ex puro cordis affectu. Postea addit, *Quousque manebunt in medio tui cogitationes vanitatis tuæ?* Hic pungit hypocrisin gentis suæ, quum dicit, quicquid excusent, tamen convictos esse coram Deo, & tergiversationes eorum esse frivolas, quoniam Deus penetret usque ad intimos recessus cordium. Apposite autem loquitur, quia negotium erat cum hypocritis, qui putabant ceremonias suas placere Deo. Deinde quum objicerent sua cavilla, putabant se debere absolvi, quoniam non possent coram terrenis judicibus damnari. Propheta deridet has fallacias, *Quousque manebunt cogitationes vanitatis in medio tui?* hoc est, Etiamsi te absolvat totus orbis, quid tamen proficies? *Nam cogitationes manent in medio tui*, hoc est, in ipsis penetralibus: illas autem Deus cognoscit, quia nihil est ab eo absconditum. Non est igitur quod putetis quicquam vos consequi externa specie, vel vestris excusationibus. nam Deus cognitor est cordium. Ne igitur maneant in medio tui cogitationes. Vocat cogitationes vanitatis. און significat aliquando substantiam: sed significat etiam virtutem; interdum significat dolorem, & interdum vanitatem, vel molestiam. Hic non dubito, quin Propheta vel molestiam, vel vanitatem intelligat. Nam quod alii exponunt concupiscentiam, nescio an satis firmum sit. Sed non male quadrabit utraque illa expositio: quanquam secunda melius. *Quousque* ergo *manebunt in medio tui cogitationes vanitatis?* hoc est, quibus te frustraris. nam quum suspenderet Deus vindictam suam, putabant Judæi se esse elapsos ex ejus manu; simul tamen erant cogitationes molestiæ ab effectu. Quid enim tandem futurum erat, nisi ut sentirent eos sibi accersere gravius judicium, qui ita faciunt sibi illecebras ex Dei indulgentia, vel tolerantia? Quod alii exponunt active Cogitationes doloris, quoniam multas injurias, & vexationes iniquas intulerant suis vicinis Judæi, hoc etiam nimis coactum est. Ego igitur non dubito quin Propheta hic fallaces illas spes designet, quibus Judæi obstinatiores erant adversus Deum, ut sibi à nulla pœna metuerent.

Da omnipotens Deus, quando dignaris nos quotidie ad resipiscentiam invitare, & interea nobis conscientia nostra testis est, quam variis modis provocaverimus in nos vindictam tuam: ne maneamus obstinati in nostris sceleribus, & ne etiam animi nobis obdurescant perversis fallaciis: sed sinamus nos verbo tuo subigi, & ita nos tibi offeramus puro & sincero corde, ut vita nostra nihil aliud sit, quam studium ejus novitatis, quam à nobis postulas: ut scilicet tibi ita consecrati & animo & corpore, studeamus perpetuo glorificare sanctum tuum nomen, donec consortes simus gloriæ ejus, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA

IN

JEREMIAM.

15. Quia vox annuncians è Dan, & promulgans cladem (*vel pœnam*) è monte Ephraim. *alii vertunt iniquitatem* און.

Iterum repetit Propheta quod dixerat, nempe Judæos pro sua pertinacia addictos esse ultimo exitio, quoniam toties & tam longo tempore exacerbaverint Deum, neque locum dederint sanctis monitionibus, quum Deus per servos suos & Prophetas illis veniam offerret, si resipiscerent. Cæterum totus contextus quem nunc exponam, repræsentabit ad vivum cladem quæ tunc instabat: sicuti in hoc versu videmus esse hypotyposin. Nam subjicit Propheta ante oculos quod non poterat verbis satis exprimi. Dicit *vocem annunciare è Dan*. erat autem extremus limes versus Aquilonem. Dixerat prius, malum instare à plaga illa, hoc est, à Septentrione: quoniam Deus elegerat Chaldæos vindictæ suæ exequutores. Ideo dicit *vocem audiri è Dan*. non quod jam tunc exercitus paratus esset ad debellandos Judæos: sed Jeremias Prophetico spiritu hic loquitur, quasi adduceret Judæos in rem præsentem, qui putabant sibi non imminere tam grave malum. Diximus enim heri, ubi Deus hypocritis ad tempus indulget, eos magis obdurescere, & proterve contemptu illudere ejus Prophetis. Ergo quum videret Jeremias sibi negotium esse cum stipitibus, ideo necesse habuit ornare doctrinam suam figuris, quæ palam ostenderent non procul abesse judicium, quod Judæi imaginabantur non esse sibi metuendum. Dicit ergo *vocem audiri è Dan, & publicari* און, hoc est, molestiam, vel pœnam, vel cladem. nam alia versio quam retuli durior est. און proprie quidem iniquitatem significat, sed accipitur etiam pro pœna. Cæterum quoties usurpant hanc vocem Prophetæ, intelligunt non infligi clades à Deo, nisi justis de causis: & admonent materiam & fontem esse in sceleribus hominum. *Clades igitur à monte Ephraim*, qui propinquior erat tribui Jehudah & Jerosolymæ. Sed perinde est acsi diceret Je-

remias,

remias, Deum è cælo jam tonare, nec quicquam profuturum Judæis quod aures suas obstruerent: quoniam etiamsi essent surdi, tamen vindicta Dei paulo post in lucem proditure esset cum magno strepitu. Sequitur,

16. Memorate in gentibus, (*vel ad gentes*) Ecce promulgate super Jerusalem, obsessores veniunt è terra longinqua, & mittunt super urbes Jehudah vocem suam.

Initium hujus sententiæ varie exponunt interpretes. Quidam vertunt, Recordamini gentium: & putant hoc Prophetam dicere, quoniam ex gentibus multi essent præcones vindictæ Dei, quam Judæi spernebant, quia putabant esse meras fabulas quicquid denunciabant veri Dei præcones. Sic igitur accipiunt hunc locum, acsi Jeremias remitteret Judæos ad gentes, indignos esse significans, quibus Deus mitteret solitos doctores. Sed quoniam verbum est in conjugatione Hiphil, potius legendum est, *Memorate*. Alii autem sic exponunt, Memorate de gentibus: hoc est, annunciate Chaldæos properete, ut terram vastent, & diruant urbes Jehudah, & populum redigant in nihilum. Sed tertius sensus melius quadraret, meo judicio. Dicit ad verbum, *Memorate gentibus, ecce promulgate super Jerusalem.* nempe quoniam Propheta operam se perdere videbat apud socordem illum populum, & qui in sua pervicacia sic obstupuerat, ut nulla esset prorsus audientia, vel docilitas: convertit sermonem ad gentes, ac dicit, *Memorate gentibus.* quasi diceret, Ego pridem admonui hunc populum, Deus etiam habuit alios doctores: sed quid adepti sumus nostro labore, nisi quod populus subinde redditus est deterior? Quum ergo ita sit, *Jam nunciate gentibus*, inquit, *de Jerosolyma*: hoc est, Judæi nihil posthac audiant de clade sua, sed nota sit ac manifesta etiam profanis gentibus Dei ultio adversus eos. In hac expositione nihil est vel coactum vel obscurum: & optime quadrat stylo Prophetico. Non ergo amplius dignatur suos populares cælesti doctrina, quoniam hoc erat projicere sanctum canibus: sed dirigit ad gentes sermonem: quasi diceret, in cæcis & incredulis plus esse intelligentiæ, quam in electo Dei populo. Nec obstat, quod postea longo tempore in cursu vocationis suæ perrexit. Solent enim sæpe Prophetæ zelo Dei accensi, minari populo interitum: & tamen postea funguntur suo munere, & tentant adhuc an sanabiles sint de quibus visi sunt desperere. Dicit *obsessores venire è terra longinqua.* vertunt custodes נצרים. Alii putant Jeremiam alludere ad nomen Nebuchadnezer, quod scilicet ejus satellites venturi sint ad exscindendam Jerosolymam, & evertendas urbes Jehudah. Sed malo transferre *obsessores.* Quanquam נצר quidam putant interdum accipi pro perdare, aut vastare. sed melius congruit alter sensus, quemadmodum proximo versu liquebit. videtur mihi frigidum quod alii vertunt Custodes, & tamen communi fere consensu hoc est receptum. Sed accipio pro *obsessoribus. Venient* igitur *obsessores*, inquit: quia נצר non tantum significat custodire, sed etiam claudere angustiis, & quasi premere. *Venient* igitur *obsessores è terra longinqua.* Hoc epitheton exprimitur, ne populus sibi promittat impunitatem ex patientia Dei, quemadmodum prius dictum est. Quum enim differret ultionem suam Deus, putabant jam se esse solutos omni metu: ideo dicit, quamvis nondum hostem cernant oculis, quamvis nondum audiant strepitum venientis exercitus: tamen non frustra Deum minari, quoniam momento accerset è terra longinqua, qui exerceant suam vindictam. Quod sequitur, *Edent vocem suam super urbes Jehudah*, additum est, ut Judæi scirent nullis obstaculis se prohibituros quominus statim Deus celerrimo cursu adduceret Chaldæos, qui voce urbes expugnarent. Intelligit quidem clamorem quo se ad prælium incitant milites: sed quia id fieri solet cum victoriæ gratulatione, actum de Judæis esse pronunciat, acsi jam milites triumphales plausus ederent. Sequitur,

17. Sicuti custodes (*est aliud nomen quam prius*, שמרים) agri erunt super eam in circuitu: quia me exacerbavit, dicit Jehovah.

Hic significat nullum fore effugium Judæis, ubi Chaldæos adduxerit Deus, quoniam omnes aditus, omnes viæ clausæ erunt ne possint in alias terras migrare. Perinde est igitur acsi diceret talem instare cladem, quam effugere nequeant exilio. Est quidem hoc jam triste, ubi nudi profugiunt homines, quasi ex incendio, & quærunt locum apud gentes incognitas, ubi degant in miseria & egestate: sed Propheta hic concionatur, tantam fore gravitatem pœnæ quæ jam parata est Judæis, ut ne exilio quidem & fuga possint sibi consulere, quoniam Deus ab omni parte eos urgebit: quemadmodum si appositi essent custodes ad claudendos omnes aditus. Postea causam reddit, *Quoniam exacerbaverint Deum.* Iterum docet Propheta, non esse Deum crudelem erga Judæos, neque etiam fortuito illos affligi tot & tam atrocibus malis: sed dare justas pœnas, quod iram Dei in se provocaverint. Hoc enim parum proderat, Judæos sibi metuere à clade propinqua, nisi agnoscerent Deum exigere pœnas de eorum obstinatione. Huc igitur spectat causæ redditio, ut Judæi sentiant sibi infligi has calamitates à Dei manu: & in eandem sententiam subjicit,

18. Via tua, & actiones tuæ fecerunt hoc tibi: hæc malitia tua, quoniam amarum, quoniam pertigit ad cor tuum. *vel quamvis amarum sit, & quamvis pertigerit ad cor tuum.*

Quemadmodum nuper dixi, Propheta confirmat suam doctrinam, quod scilicet Judæi non laborent adversa fortuna, sicuti vulgo loquuntur: sed vocentur à Deo in judicium, nempe ut tacti Dei timore, resipiscant: vel saltem si pereundum sit secundum carnem, ut tamen humiliati veniam obtineant, & salvi fiant spiritu. Dicit igitur, *hoc illis fecisse suas actiones*: quasi diceret, Non est quod vertatis culpam in Deum, vel adversos casus, ut soletis, & faciunt etiam omnes profani: *Nam actiones vestræ vobis parient has clades.* Ita Deus fungetur quidem judicis officio: sed quicquid accidet, imputandum erit vestris sceleribus. Et eodem sensu etiam adjungit, *Hæc malitia tua.* Denique ostendit Propheta frustra Judæos causas suarum calamitatum transferre huc vel illuc, quoniam tota culpa penes ipsos resideat, & ipsi fabricaverint sibi interitum sua impietate, & suis sceleribus. In secunda parte versus, כי מר כי נגע, &c. significat Propheta, quantumvis illis acerbum sit & penetret usque ad cor intimum quicquid patientur, tamen hoc ipsis debere adscribi. Solent enim hypocritæ suis lamentis conflare Deo invidiam, vel saltem conqueri de fortuna. Propheta has tergiversationes refellit, docens quantumvis acerbum sit quicquid patiuntur Judæi, etiamsi Dominus ipsos penitus confodiat, & penetret usque ad viscera & corda ipsorum, tamen eos esse malorum omnium sibi auctores. Postea adjungit,

19. Viſcera mea, viſcera mea, doleo: parietes cordis mei, (*ad verbum: hoc eſt, præcordia mea*) cor meum tumultuatur mihi: (*hoc eſt, intra me*) non tacebo, quoniam vocem tubæ (*vel clangorem tubæ*) audivit (*vel audiviſti*) anima mea: & clamor belli auditus eſt. *vel clamorem belli audivit anima mea.*

Quod exiſtimant quidam interpretes Prophetam hic tangi dolore humanitus, hoc eſt, quoniam videbat populares ſuos paulo poſt perituros, neſcio an firmum ſit. verum quidem eſt, Prophetas ita fuiſſe ſeveros, quoties denunciabant vindictam Dei, ut tamen non exuerint humanitatis ſenſum. Ita ſæpe defleverunt clades, de quibus tamen vaticinabantur. & hoc clarius videbimus ſuo loco. Prophetis ergo fuit duplex ſenſus. nam quum erant præcones vindictæ Dei, neceſſe erat ipſos oblivisci omnium affectuum. Cæterum interea non obſtabat illa magnanimitas, quin deflecterent animos ſuos ad dolorem ex communi ſenſu: quoniam fieri non poterat, quin ſympathia illorum animos vulneraret, quum viderent fratres & carnem ſuam ita in exitium trahi. Sed hoc loco non tam videtur Propheta lugere cladem populi, quam figuris uti, ut expergefaciat illorum ſtuporem, quoniam videbat prorſus eſſe torpidos, nec Deum metuere, neque etiam affici pudore ullo. Quum ergo talis eſſet in populo pervicacia, neceſſe fuit & Jeremiæ & aliis Dei ſervis ornare ſuam orationem, ut non ſimpliciter docerent, ſed vehementia & impetu percellerent ſocordes illos animos. Hac ratione igitur dicit, *Viſcera mea, viſcera mea, doleo.* Nam videbimus aliis locis Prophetam ita lamentari, ubi agitur de Babylone, de Edom & aliis hoſtibus populi. & quorſum? Neque enim Propheta privato dolore affectus fuit quum audiret perituros Chaldæos: quum etiam idem illi teſtatus eſſet Deus de profanis gentibus, quæ hoſtiliter perſequutæ fuerant populum ſanctum: ſed quemadmodum jam dixi, quoniam prætereunt ſecure homines quicquid illis minatur Deus è cælo, neceſſe eſt adjungi tales impetus, qui excutiant illis torporem. Sic interpretor hunc locum, quod Propheta non privato dolore lugeat cladem populi ſui, ſed quod ſpiritu Prophetico exaggeret quæ ante docuit: quia ſcilicet videbat vel pro nihilo duci, vel non habere ſatis ponderis ad animos permovendos. *Viſcera mea*, inquit. Infixus quidem hærebat dolor in ejus viſceribus, quoniam erat membrum populi: ſed nunc tractamus de ejus conſilio, vel in quem finem ita loquutus ſit. Non eſt igitur hæc oratio privati luctus, ſed potius exaggeratio, ut ſcilicet doctrina quam vidimus, vulneret penitus eorum animos, qui ſecure ridebant Dei judicium. Poſtea adjungit, *tumultuatur*, vel ſonat. nam hoc verbum ſignificat reſonare: & inde etiam metaphorice accipitur pro tumultuari. Loquitur de palpitatione cordis, quæ accidere ſolet in pavoribus. Sed vocat ſonitum, vel tumultum: quaſi diceret ſe jam non eſſe compotem ſui, ut maneat ſedato & tranquillo animo, quoniam Deus cor ejus percellat horrenda formidine. Poſtea addit, *Non tacebo, quia vocem tubæ* (vel clangorem) *audivit* (vel audiviſti) *anima mea, & clamorem prælii.* nam מלחמה hic potius accipitur pro prælio. Dicit *ſe non taciturum, quoniam clamor in corde ejus perſonet.* Hinc colligimus etiam non lugere ex ſenſu humani doloris, ſed præſtare quod juſſus fuerat à Deo. Fuerat enim electus præco ejus vindictæ, quæ tameſi propinqua erat, tamen non metuebatur à Judæis. Quidam hic exiſtimant poni nomen animæ pro ſpiritu Prophetico, quia nondum clangebant tubæ, nondum clamor prælii audiebatur. Exiſtimant igitur ſubeſſe antitheſin, quod Jeremias clangorem auribus ſuis non perciperet, ſed corde, quoniam admonitus fuerat de judicio Dei occulto. ſed neſcio an hæc argutia conveniat Prophetæ verbis. Ego itaque non dubito, quin ſignificet Jeremias ſe loqui ſerio, quoniam non ſecus aſpiciat Dei vindictam, acſi jam pateret. Et hoc non parum valuit ad fidem doctrinæ conciliandam, ut ſcirent Judæi ipſum non referre, quemadmodum ſolent hiſtriones in theatro agere perſonam ſibi impoſitam; ut ſcirent ergo ipſum non referre quod Deus pronunciaverat: ſed ita eſſe Dei præconem, ut metu territus audiret in animo ſuo vel corde tumultum belli, & tubarum clangorem. Sequitur,

20. Afflictio ſuper afflictionem vocata eſt, quoniam perdita eſt omnis terra, ſubito perdita (*vel deſtructa: eſt idem verbum*) ſunt tabernacula mea, repente cortinæ meæ.

Proſequitur eandem ſententiam: ſed amplificat terrorem nova circumſtantia, quod ſcilicet Deus accumulet mala malis, ut fruſtra Judæi ſperent ſtatim finem adfore. Quum dicit, *Calamitas ſuper calamitatem*, ſignificat finem unius mali initium fore alterius. Nam hoc etiam plurimum nocet miſeris hominibus, quia putant non ſibi fore continuas calamitates infeſtas. Imaginantur enim Deum fore contentum aliqua ſubita clade, quemadmodum ſi tempeſtas aliqua, vel procella tranſeat: & quum aliqua levatio apparet, putant ſe defunctos eſſe: atque ita redeunt ad priſtinam ferociam, & derident Deum quaſi jam elapſi eſſent ex ejus manu. Hac ratione dicit Propheta calamitates longo tractu fore continuas, ita ut nullus finis ſperandus ſit, donec in totum Judæi perierint. Sed quum dicit vocari calamitates, breviter admonet Deum ſedere pro tribunali, & poſtquam levem pœnam ſumpſit de peccatis hominum, graviores plagas addere: poſtremo, ubi videt eſſe deſperatam malitiam, pergere ad extremum, ut ſcilicet deleat prorſus qui ſunt inſanabiles. *Vocata eſt* igitur *afflictio ſuper afflictionem.* Quomodo? *Nempe periit tota terra:* deinde, *tabernacula mea repente deſtructa ſunt, ſubito deſtructæ ſunt cortinæ meæ.* Exiſtimant Prophetam hic conferre tentoriis & cortinis urbes valde munitas, ut refutet ſtolidam confidentiam qua turgebant Judæi, quum putarent urbes illas eſſe firma obſtacula contra hoſtes. Ergo exiſtimant hic Prophetam illis eripere vanam fiduciam, quum vocat urbes illas tabernacula. Sunt etiam qui putent ipſum alludere ad urbem ſuam Anathoth, vel ad genus vivendi. & certe Jeremias paſtoraliter ſæpe loquitur: hoc eſt, utitur rudi ſtylo, & incompoſito. Hoc igitur non eſſet abſurdum, ſi dicamus ipſum induere paſtoris perſonam, quum loquitur de tabernaculis. Quanquam utrumque poteſt ſimul conjungi, nempe quod uſus fuerit ſermone paſtoribus uſitato: interea tamen oſtendere merum eſſe ludibrium, quod Judæi putabant ſe probe elapſos eſſe, quum multæ urbes munitæ eſſent in finibus, quæ hoſtium impetum arcerent. Sed non minus commode ita expones, Nullum angulum fore ſalvum, quia ad deſerta uſque penetrabunt hoſtes, & exiguas caſas vaſtabunt, quas videntur protegere ipſi locorum receſſus. Dicit *ſubito & repente*, ne ullas inducias ſibi promittant Judæi, atque ita procraſtinent, & putent ſibi fore ſatis temporis ad paciſcendum cum Deo. Sequitur,

21. Usquequo videbo vexillum? audiam vocem (*vel clangorem*) tubæ?

Claudit sermonem illum, quem diximus ornatum fuisse figuris ut vehementius afficeret tardos atque adeo torpidos animos. Sed confirmat quod dixit initio proximi versus, vel vigesimi, Afflictio super afflictionem vocata est. repetit ergo aliis verbis eandem sententiam: *Quousque audiam vocem tubæ, & videbo vexillum*, inquit? hoc est, Valde opinio vestra vos decipit, si putatis hostes, postquam exiguo tempore grassati fuerint in terra, redituros domum. Nam moles belli in longum tempus vobis incumbet, & Deus protrahet calamitates, ita ut continuus sit clangor tubarum, & vexillum subinde, vel singulis diebus proferatur. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Primo ostendit, etiamsi procul dissiti sunt hostes, tamen repente advolaturos: quemadmodum heri dicebat perniciores fore equos Dei omnibus aquilis. Et postea de continuo progressu belli disserit. nam hoc etiam operæpretium erat Judæis ostendere, sicuti pervicaciter Deum contempserant, ita vindictam ejus non fore momentaneam duntaxat, sed ita incubituram, ut nullus esset finis. Sciendum autem est, non minus hodie esse tarditatis in mundo, quam tunc fuit apud Judæos. Ergo non sufficit hodie, impios & sceleratos citari ad Dei judicium, nisi etiam adhibeantur tales figuræ, quæ terrorem incutiant, & cogant ipsos metuere, quamvis modis omnibus conentur obruere suam conscientiam, & se obstupefacere, ut Deum suaviter contemnant. Necesse igitur est etiam hodie vehementius instare servos Dei, ut hypocritas & obstinatos expergefaciant à suo torpore. Postea sequitur,

22. Quoniam stultus populus meus, me non cognovit: filii insipientes ipsi, & non intelligentes ipsi: (*sunt.* המה *demonstrativum pronomen ponitur vice verbi*) astuti ipsi (*vel sapientes*) ad malum, sed ad benefaciendum non intelligunt.

Iterum inculcat Propheta, causam malorum oriri ab ipso populo, & in ipso residere, ut scilicet non transferat alio culpam. dicit igitur, *Populus meus stultus*. Loquitur hic in Dei persona, quia continuo post sequitur, *me non cognoscit*: hoc non posset competere in ipsum Jeremiam. Deus ergo hic conqueritur de stultitia populi sui: quem ita nominat non honoris causa, sed potius ut probrum duplicetur. nihil enim turpius, quam populum electum à Deo ut peculiaris esset ejus hæreditas, ita esse dementem. Quorsum enim Deus adoptaverat sibi filios Abrahæ, nisi ut lucem salutis gestarent in mundo, quasi lucernæ? Quis populus, inquit Moses, tam nobilis in mundo, qui deos habeat sibi familiariter propinquos? hæc est tua intelligentia, & sapientia: & quæ sequuntur. Ergo Deus hic quasi portentum aliquod ostendit, quod omnes abominentur, ubi vocat *dementem populum suum*: quasi diceret, Fierine potest, ut populus, quem mihi elegi, & apud quem deposui fœdus æternæ salutis, quem dignatus sum erudire verbo meo: ut populus ille ita furenter se præcipitet? *Populus* ergo *stultus, quia me non cognovit*. Hic exprimitur qualis fuerit illa stultitia vel cæcitas populi, nempe *quia Deum non cognovit*: nam ejus cognitio, vera est sapientia. Deus autem hoc modo ostendit inexcusabilem esse populi dementiam. quare? patefecerat enim se tam familiariter, ut non deberent Israelitæ quærere, (quemadmodum dicit Moses) Quis ascendet in cælos? quis descendet in abyssos? nam sermo illis erat propositus coram facie. quum ergo Deus se humaniter manifestasset Judæis, merito conqueritur se non fuisse ab illis cognitum. Ergo hic duo notanda sunt: nempe speciem insaniæ notari, *quod populus Deum non cognoverit*. unde etiam colligimus, tunc demum nos sapere, ubi Deum reveremur; & semper esse vesanos & socordes, ubi in illud non respicimus. hoc est unum. Deinde sciendum est, tolli omnem excusationem inscitiæ, vel erroris, quia Deus se patefecerat illi populo. Idem etiam ad nos pertinet. & merito nobis exprobrabit Deus extremo die, nos fuisse fatuos & dementes, nisi ipsum cognoverimus: quia hoc est nostrum intelligere, quemadmodum dixi. Deinde non est cur prætexamus ullam excusationem erroris nostri: quum Deus non sit loquutus in abscondito. denique convincit his verbis Deus Judæos ingratitudinis, & deliberatæ malitiæ: quoniam ipsum *non cognoverint*. Hodie autem quum Deus per Euangelium nobis propius innotuerit, hæc est, quemadmodum jam dixi, gravior condemnatio, & ita duplicatur pœna, si Deum, qui nobis tam familiaris est, & tam comiter ad nos accedit, non cognoscimus. Postremo addit, *esse filios stultos, & non esse intelligentes*. Antitheses apud Hebræos plus habent ponderis quam apud Græcos & Latinos. hoc esset Latinis frigidum, & Græcis, Hic stultus est, & non sapiens: videtur enim secundum membrum aliquid minuere. sed Hebræi aliam rationem habent: significant enim hoc modo, adeo esse dementes, ut ne gutta quidem sanæ mentis in ipsis maneat. etiam qui stulti sunt, & vecordes, tamen retinent aliquid intelligentiæ, quantumvis sit exiguum: unde etiam dicunt, Stultos sæpe loqui opportuna. Sed Propheta aliud significat, nempe Judæos non tantum esse vecordes, & stupidos, sed etiam ita privatos omni sensu, ut similes sint lapidibus, vel brutis animalibus, & nihil in ipsis residuum sit vel sanæ mentis, vel humanæ intelligentiæ. Reliqua differemus.

Deut. 4. vers. 6, 7.

Deut. 30. vers. 12, 13, 14.

Da omnipotens Deus, quando non semel tantum accendisti cælestis doctrinæ lucem apud nos, sed etiam quotidie invitas nos ad salutem nobis semel propositam, ne oculos claudamus, vel obturemus aures, neve etiam obtorpescamus in nostris vitiis: sed quemadmodum sedulo nos ad te vocare non desinis, ita etiam alacriter studeamus properare, & continuare cursum sanctæ vocationis, ut magis ac magis ad scopum nostrum accedamus, donec tandem nos recipias in regnum illud cæleste, quod nobis acquisitum est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA

IN

JEREMIAM.

23. Vidi terram, & ecce vasta, & deformis: & cælos, & nulla lux eorum.
24. Vidi montes, & ecce contremiscentes: (*contremiscebant*) & omnes colles movebantur.

25. Vidi, & ecce nullus homo: & omnis avis cælorum evolarunt.

26. Vidi, & ecce regio fœcunda (*vel Carmelus*) desertum, & omnes urbes ejus destructæ à facie Jehovæ, & à facie excandescentiæ iræ ejus.

PRopheta hoc loco multis figuris amplificat terrorem vindictæ Dei, ut permoveat Judæos, qui stupidi erant ac socordes. neque enim supervacua est repetitio, quod quater dicit se vidisse. Poterat de terra, & cælo, & hominibus, & locis fertilibus simul loqui: sed perinde acsi oculos vertisset in quatuor diversas plagas, dicit quocunque respiceret, apparuisse horrenda signa iræ Dei, & quæ minitarentur Judæis ultimum interitum. Nec mirum est, Prophetam hac vehementia uti: scimus enim quam secure homines excipiant omnes minas, nisi violenter expergefiant. Et hæc ratio docendi nobis debet esse satis trita. nam quicunque mediocriter versati sunt in Prophetis, vident hac in parte eos plurimum insistere ut permoveant hypocritas, vel contemptores Dei, qui velut contracto collo secundum cordis sui duritiem, non punguntur ullo pœnæ sensu. Sed hic locus præ aliis insignis est; ideo expendere convenit quod inest pondus verbis Prophetæ. Dicit primo *se vidisse terram, fuisse* תהו
Gen. 1: 2. *&* בהו. Iisdem vocibus utitur, quas usurpat Moses in historia creationis. nam priusquam indita fuisset forma terræ, dicit eam fuisse תהו & בהו, hoc est, vastationem, vel chaos informe, & quod nulla pulchritudine posset allicere oculos videntium: perinde acsi diceret, ire Dei ordinem tam bene distinctum nunc evanuisse, ut ubique esset mera confusio. & hoc modo amplificat scelerum atrocitatem, perinde acsi diceret, homines eo prolapsos esse, ut perverterint totam mundi formam, & permiscuerint cælum terræ, ut jam nulla sit rerum distinctio. Quantum ad cælos spectat, dicit *nullam fuisse lucem eorum*, vel illis: sed ponit relativum, & significat extinctam fuisse quodammodo lucem Solis, & lunæ, & stellarum, quoniam indigni essent homines qui fruerentur tanto Dei beneficio: quasi solem & lunam puderet testes esse tot scelerum. Nunc ergo tenemus in summa quid velit Jeremias hoc primo versu. dicit *se vidisse terram, & in ea nihil apparuisse præter horribile chaos, & vastitatem*: nullam fuisse formam distinctionis: quia ordinem naturæ, & creationem Dei everterint Judæi suis peccatis. dicit *se vidisse cælos, nullam fuisse lucem in illis*, quia digni essent Judæi, quos spoliaret Deus gratia illa, quam indidit Soli & lunæ. est enim hoc singulare Dei beneficium, quod nobiles illæ creaturæ nobis serviunt. Denique significat Propheta in cælo & terra apparuisse signa iræ Dei, quæ formidinem incuterent, acsi totus mundus permixtus esset. Hæc ratio loquendi sæpe occurrit etiam apud alios Prophetas: præsertim insignis est
Joel.2: 2. locus 2. capite Joëlis. Sed quanquam hyperbolicæ sunt loquutiones, non tamen excedunt modum, si reputamus quanta socordia laborent homines. Nisi enim Deus cælum & terram armet, & ostendat se paratum esse ad tollenda omnia beneficia quibus prosequitur humanum genus, ridentur omnes ejus minæ, quemadmodum nuper dictum fuit. Descendit postea Jeremias à cælo ad montes, & dicit *contremuisse, & omnes colles fuisse commotos*, vel concussos. Alii vertunt destructos: sed nescio qua ratione. neque enim dubium est, quin Propheta eandem sententiam confirmet novo genere loquendi. sicuti autem dixerat montes tremefactos fuisse, ita etiam adjungit *colles concussos*: & etiam propria verbi significatio hoc requirit. Cur autem de montibus & collibus loquatur, in promptu est ratio; nam illic apparet major stabilitas quam in locis planis, quia ut plurimum lapidosi sunt montes, & habent firmissimas radices in rupibus: denique si totus orbis labascat, videntur tamen montes ita esse fundati, ut ad illos non perveniat ullus motus. sed Propheta dicit *fuisse contremefactos, & colles fuisse concussos*. In tertia visione ponit solitudinem: dicit enim *nullos fuisse homines, & omnes aves transvolasse*. Scimus præcipuum mundi ornatum esse in hominibus & animantibus. Quorsum enim terra fœcunditate prædita est, ut tot ac tam multiplices fructus gignat, nisi in hominum & animalium gratiam? quamvis ergo pulcherrima sit terræ species in arboribus, & herbis, & omni genere fructuum, tamen præcipue eam exornant homines & animalia. Per synecdochen sub avibus Propheta designat etiam animalia terrestria. dicit igitur *terram vacuam fuisse habitatoribus*. Quarta visio aliud continet, nempe *quod conversæ fuerint fœcundæ regiones in deserta*. quanquam mihi probatus Carmelum hic proprie accipi: scimus enim partem illam terræ sanctæ nomen sumpsisse à fœcunditate. Carmel significat quemlibet locum fœcundum & pinguem: sed quemadmodum jam dixi, hoc nomine vocata fuit illa regio, quod referta esset omni genere fructuum. nam erant uberrima pascua, deinde agri valde feraces, & omni ex parte terra illa multis amœnitate præstabat. libenter igitur accipio de Carmelo: & ratio etiam mihi constat, quoniam paulo post adjungit *omnes urbes ejus fuisse destructas*. hoc autem aptius prædicatur de Carmelo, quam competat generaliter in regiones omnes fœcundas. Quantum ad me spectat, existimo Prophetam de Carmelo loqui, sed tamen ut alludat ad etymologiam vocis. etiam in hoc versu synecdoche: quasi diceret Carmelum, qui magna fœcunditate præstabat, fuisse deserto similem. Jesaias quum de instauratione Ecclesiæ loquitur, di- Jesa. 32.
cit, Et erit desertum in Carmelum: quasi diceret tam vers. 15.
uberem fore Dei benedictionem in toto mundo, ut deserta non secus fructificent, ac Carmelus ipse, vel regiones quæ præ aliis opimæ erant. Hic autem Jeremias de maledictione disserens, dicit, *Carmelum fore similem deserto, & omnes urbes ejus dirutum iri*, nempe *à facie Jehovæ, à facie excandescentiæ iræ ejus*. vertunt furorem חרון: & hæc quoque loquutio pondere suo non caret. diximus enim homines, nisi Deus metum incutiat quasi fulminando, esse sopitos, nec agnoscere ejus judicium: ideoque inutiles esse apud eos omnes minas. Hæc igitur ratio est, cur Scriptura toties dicat furorem iræ Dei, vel excandescentiam iræ. Poterat quidem sufficere alterum: חרון significat furorem, vel excandescentiam: אף significat iram. Cur autem utrumque ponit? nempe ut jam dixi, quia necesse est quasi malleis conteri duritiem nostram: alioqui nunquam flecteret nos Deus ad timorem. Hæc igitur repetitio ad domandam ingenii nostri pervicaciam valere debet: non quod in Deum cadant ulli turbulenti affectus, quemadmodum satis notum est. sed quia non possemus aliter concipere quam formidabilis sit ipsius vindicta, necesse est eum nobis proponi iratum, & qui totus exardeat: quemadmodum etiam mors æterna sub figura ignis nobis describitur. Nunc quod ad summam pertinet, non dubium est quin tunc adhuc fruerentur Judæi & magna rerum copia, & suis deliciis: denique sibi placerent in præsenti statu. Sed Propheta hic denunciat procul se aspicere quod illi excæcati non cernunt, nempe instare propinquam Dei vindictam, quæ eos spoliet opulentia, qua turgebant, atque adeo redigat eos omnes in vastitatem, ut sursum & deorsum nulla residua sit species, sed deformis confusio, qualis fuerat ante ordinem naturæ, quum adhuc nondum distincta esset à cælo terra, & tantum massa illa confusa in se comprehenderet aerem & terras, idque sine ulla luce. Postea adjungit,

27. Quia

n

27. Quia sic dicit Jehovah, Desolata erit (*vasta, perdita erit*) tota terra, & finem (*vel consumptionem*) non faciam. *atque tunc copula resolvetur in adversativam, Non tamen consumptionem faciam.*

Hic breviter explicat Propheta quid intellexerit per illas quatuor visiones, de quibus dictum fuit. Pronunciat igitur quasi in persona Dei, fore in tota Judæa horrendam vastitatem: *Vasta*, inquit, *erit omnis terra*, aut In tota terra erit vastitas. Quod postea sequitur, ita exponunt quidam, acsi mitiget asperitatem. ergo secundum eos additur correctio, quæ spe aliqua misericordiæ sublevet fideles, ne prorsus despondeant animos. Et sane si præcise minetur, terrore poterit centum mundos absorbere. Ne igitur desperatio fideles ita obruat ut non audeant confugere ad Dei misericordiam, sæpe per modum correctionis additur Deum nolle totam terram consumere. Nomen כָּלָה significat interdum perfectionem: sed pluribus locis pro consumptione accipitur. nam verbum ipsum significat perficere, & consumere. & eadem est ratio. quanquam videntur hæc duo inter se pugnare, tamen quod consumitur dicitur esse perfectum, quia venitur semper ad finem. Nunc tenemus, si placeat hæc expositio, cur neget *se facturum consumptionem*, quantumvis severe ulciscatur peccata populi sui: nempe ut aliquid spei residuum maneat fidelibus, neque prorsus exanimentur: quod fieret, nisi Deus promitteret se fore exorabilem, ac memorem fœderis sui. nisi forte interrogative legere placeat, quo retundat impiorum superbiam, & excutiat jactantiam impunitatis: acsi diceret, Et adhuc negabitis me consumptionem facturum? Etsi autem prior expositio uberiorem continet doctrinam: mihi tamen magis probatur כלה pro fine accipi, acsi denunciaret, nullum sibi fore modum persequendæ vindictæ: ac similis proximo capite occurret loquutio. *Jesa. 32 vers. 15.* Genuinus ergo sensus erit, Deum absque fine vastando perrecturum. Varie quidem loquuutur Prophetæ, ubi de judiciis Dei agitur: interdum denunciant interitum, ubi nihil salvum apparet: interea tamen Deus semper occultum aliquod semen servat, quemadmodum dicitur & primo capite Jesaiæ, & 10. ubi etiam satis constat quid intelligant Prophetæ per consumptionem facere. nam illic minatur Deus, Ecce ego facio consumptionem. postea tamen addit, Consumptio illa aliquem fructum pariet: hoc est, quod reliquum erit ex consumptione. Alibi Prophetæ comparant *Jesa. 17. vers 6 & 24. 13.* Ecclesiam Dei oleis, vel ulivis, postquam excussæ sunt, vel etiam vitibus post vindemias. nam semper manent exiguæ aliquæ uvæ, quæ fallunt oculos vindemiantium: ita etiam quum oleæ excutiuntur, manent in supremis ramis aliquæ olivæ: sic etiam Deus consumptionem quam facit in Ecclesia sua, dicit similem fore vindemiis, vel excussioni olivarum, ut aliquid maneat reliquum, sed tamen quod fugiat oculos. Nos vero tenemus quid significet Propheta, nempe instare exitium toti populo, ita ut nullum sit ejus nomen, nulla forma: quod etiam accidit, quum abstracti sunt in exilium Babylonicum. tunc enim populus ipse, quoad corpus totum, intercidit: ita nullus fuit finis. Fateor quidem minas Dei non posse nobis in salutem prodesse, nisi adjuncta sit veniæ promissio, ut spe salutis erecti, confugiamus ad ipsum. nam quamdiu imaginamur Deum nobis esse inexorabilem, fugimus omnem accessum. ita desperatio adigit nos in furorem diabolicum. Hinc etiam reprobi non tantum fremunt adversus Deum, ac tumultuantur, sed libenter eum detraherent è suo solio. Ergo necesse est nobis proponi spem veniæ, ut tengamur resipiscentia. ac quoniam hæc perpetua est promissio: quicquid accidat, etiamsi putemus cælum terræ esse permixtum, & undique interitus nos ad formidionem impellat, tamen tenendum est aliquid semper fore reliquum, sicuti citavimus ex primo & 10. capite Jesaiæ. Verum quia nondum percipiendæ consolationi maturus erat populus, secundam hanc partem differt Propheta, & tantum pœnæ meminit. Postea adjungit,

28. Super hoc lugebit terra, & nigrescent (*vel caligine, aut nigredine obducti erunt*) cæli desursum: (*nescio tamen an posset verti, à transgressione: nam* מעל *significat etiam transgredi, & inquietare*) quia loquutus sum, cogitavi, & non pœnituit, & non convertar ab hoc.

Hic prosequitur Jeremias eandem sententiam, & semper Deum loquentem inducit, quo magis emphatica sit oratio. dicit, *Super hoc terra lugebit*. Luctum terræ hic accipit pro squalore, sed respicit ad superiorem doctrinam. Non loquitur de terræ incolis: nam qui ita exponunt, multum diminuunt ex sermonis vehementia. Propheta enim hic tribuit mutis elementis terrorem, & tristitiam, quod multo plus afficit, quam si diceret in luctu & mœrore fore cunctos mortales. Et idem etiam de cælis sentiendum est: imo posterius hoc membrum ostendit eum non loqui de terræ incolis, sed de ipsa terra, quæ licet sensu careat, videtur tamen expavescere ad vindictam Dei. & hoc modo Propheta exprobrat hominibus socordiam, quod ubi Deus vindex apparet è cælo, non tamen tangantur ullo timore. *Lugebit* ergo *terra, & cæli caligine obducti erunt*, inquit: hoc est, etiamsi homines stupidi maneant, tamen & cælum & terra sentient quam horribile sit Dei judicium. Postea addit, *Quoniam loquutus sum*. quidam subaudiunt relativum אשר inter hæc duo verba, Quoniam loquutus sum quod cogitavi, & non pœnituit: sed abrupta oratio non male quadrabit. Significat Deus primo, se protulisse sententiam, quæ manebit firma & stabilis: quasi diceret, Ego semel per servos meos denunciavi quid facturus essem. Scimus enim Prophetas fuisse vindictæ Dei præcones: & quoniam sæpe contempta fuit eorum doctrina, ut hodie quoque mundus contumaciter respuit atque sæpe deridet omnes minas: ita etiam tunc accidit. Sed hic Jeremias Deum ipsum loquentem inducit: quasi diceret, Spreti sunt à vobis servi mei, sed nihil loquuti sunt quod non mandaverim. ego igitur sum auctor ejus sententiæ, qua vos percelli decuit. Hoc sensu testatur Deus se fuisse loquutum. transfert enim ad se quod putabant Judæi profectum esse à Prophetis: & ideo putabant sibi liberum esse, pro nihilo reputare quicquid Prophetæ contra ipsos pronunciaverant: *Ego sum ipse*, inquit Deus. Im subest antithesis inter Deum & Prophetas: quasi diceret, frustra Judæos torpere in suis malis, quia putarent sibi esse negotium cum mortalibus: quando Deus auctor fuerat servis suis, ut denunciarent quod spernebatur exitium. Sed ne putent Deum sic loquutum esse, ut falso eos terreret: quemadmodum hypocritæ rursus blanditias sibi hoc prætextu faciunt, quia non putant Deum serio loqui: sed putant esse quasi terriculamenta, quæ solent incuti pueris: dicit *se cogitasse*. Dixerat se loquutum, nempe quum respiceret Prophetas: nunc per Cogitandi verbum intelligit deprompta esse vaticinia, quibus denunciaverat illis exitium, ex arcano suo consilio. Hoc, inquit, apud me decretum est. Postea adjungit, *Non pœnituit, & non convertar ab hoc.* denique ostendit

jam

jam addictos esse Judæos morti, ne existimant posse placari Deum quantisper prosequentur sua vitia, quoniam decretum sit Deo ipsos perdere: nec tantum palam hoc denunciaverit per Prophetas, sed etiam apud se statuerit. Per nomen Pœnitentiæ intelligitur mutatio. Deus enim non est obnoxius pœnitentiæ, quia nihil ipsum latet: sed loquitur humano more, ut nuper dixi. & secundo verbo tollitur omnis ambiguitas, quoniam dicit, *Non convertar ab eo:* hoc est, non retractabo hanc sententiam, Sequitur,

29. A voce equitis & jaculantis arcu fugiet omnis civitas: penetrabunt (*vel ingredientur*) in densitates, (*alii, in nubes.* עבים *significat densitates, ut sunt loca arboribus perplexa: significat etiam nubes. Potius hic existimo accipi pro nubibus, quia sequitur*) ascendent in rupes: (*postea*) omnis civitas relicta erit, & nullus vir habitator in illis.

Quum dicit *à voce* aut strepitu *equitum & sagittariorum fore omnium fugam*, significat hostes tanto impetu venturos, ut non audeant ipsorum præsentiam expectare Judæi, quia statim huc & illuc diffugient, antequam sint vulnerati. vox enim hic opponitur vulneribus haud dubie. Scimus quanta superbia turgerent. igitur Propheta deridet perversam confidentiam, qua erant inebriati, ut non metuerent Dei judicium. *Solus*, inquit, *hostium strepitus vos expavefaciet*, ita ut omnes urbes relictæ ab incolis sese ultro dedant. neque enim muri se defendent: imo erunt apertæ portæ. *Fugiet* igitur *omnis civitas*: hoc est, omnes civitates diffugient. Quod adjungit continuo post, *Ascendent in nubes*, vel in densitates, de hostibus posset exponi; adeo fore agiles & strenuos ut per nubes volitent, & rupes transcendant. uno tamen contextu legere malo, in fuga trepida non fore nubes Judæis nimis arduas. quoniam culmina montium sæpe obsita sunt densis arboribus, ut sint illic obscuræ umbræ: potest ita exponi locus, quod fugient in sylvas densas. Quicquid sit, non dubium est quin Propheta hic loca excelsa designet: ideo certior esset sensus, si placeret retinere nomen nubis. Quantum ad rem ipsam spectat, videmus quid velit: nempe hostes sua pernicitate pares fore aquilis, ut profligent Judæos: vel quod magis receptum est, tantum fore pavorem, ut non modo quærant propinquos recessus, qui fugient ex suis urbibus, sed perrumpant in summa cacumina montium, ut illic lateant inter arbores, quasi inter nubes: deinde ut *ascendant in rupes præruptas*, nempe quia aliter non putabunt se tutos fore ab hostium incursu. Postea adjungit, *omnes urbes fore derelictas, ut nullus sit in illis habitator.* Videmus Prophetam huc semper tendere, ut promoveat Judæos, qui surdis erant auribus, & corde lapideo, ita ut non sentirent mala sua, & Deum etiam secura contemnerent, acsi pactum ipsis esset cum morte, sicuti alibi dicitur. *Jesa. 28. vers. 15.*
Postea subjungit,

30. Et tu perdita, (*aut vastata*) quid facies? Quamvis te induas coccino, quamvis te ornes ornamentis auri, (*vel monilibus aureis, ut alii vertunt*) quamvis distinguas fuco (*aut stybio, ut alii vertunt*) oculos tuos, frustra te decorabis, (*ad verbum, pulchrificabis*) abominabuntur te amatores tui, animam tuam quærent.

Hic insultat liberius Propheta Judæis, ut dejiciat eorum superbiam & fastum: hic enim fuit scopus, ut corrigeret illam superbiam qua elati erant adversus Deum. Fieri id non poterat quin Propheta altius insurgeret, ac multis figuris illustraret suam orationem. est igitur hoc quasi epiphonema: exclamat, *Quid tu facies perdita?* nam Judæi adhuc inflati erant Dei contemptu, nec animi eorum subacti erant. Quum ergo adhuc staret indomabilis ille fastus, hæc ratio est cur Propheta exclamet: *Tu perdita, quid facies*, inquit? quasi diceret frustra eos sibi blandiri, sibi promittere hinc inde auxilia, quoniam sint desperati. Postea addit, *Quamvis*: sic enim interpretor uno contextu hunc versum. & videntur mihi recte sentire qui non dividunt hæc Prophetæ verba. Nam illud esset frigidius quod alii afferunt, Quæ nunc te ornas, quæ nunc te vestis coccino, quæ ornas ornatu aureo, quæ oculos tuos pingis stybio, & in vanum: interjiciunt copulam, quæ sensum Prophetæ corrumpit. Cohærent igitur hæc omnia inter se, & unum est principale verbum, nempe *frustra te ornas.* & ideo particula כי debet resolvi in adverbium Quamvis. Quod autem referunt hoc quidam ad ceremonias, quibus hypocritæ putant se protegi contra Dei judicium, nimis coactum est, & prorsus alienum. verum quidem est, hypocritis semper ceremonias esse speluncas latronum, ut alibi videbimus: sed hoc loco Propheta re-
Jerem. 7. vers. 11. spicit ad meretricium ornatum, quia populus, ut
cap. 3. ante visum est, similis erat adulteræ mulieri. Deus enim sacrum conjugii fœdus pepigerat cum illis: defecerant. ergo illa perfidia similis fuit defectioni mulieris adulteræ, quæ relicto marito, vagatur huc & illuc, & prostituit corpus suum. Quum autem meretrices ut alliciant adulteros, soleant se eleganter vestire, & fucare etiam faciem suam, & talibus illecebris tendiculas objicere: ideo Propheta rursus dicit, Frustra te ornabis: quamvis vestita sis coccino, quamvis auro sis insignis, & à capite usque ad pedes ornatus aurei refulgeant, tamen hoc totum erit supervacuum & inutile: quamvis accedat pictura ad fucandam faciem, hoc etiam nihil tibi proderit. Jam scimus quos intelligat per amatores, nempe tam Ægyptios quam Assyrios. Judæi enim quum premerentur ab Ægyptiis, solebant ab Assyriis auxilium petere: rursum, ubi infesti erant Assyrii, tunc supplices erant Ægyptiis. Prophetæ hoc comparant meretriciis artibus: nam quoties ita vel bis vel illis adulabantur, hoc erat corrumpere sacrum conjugium quo devincti erant Deo, & perfide fallere datam fidem. Dicit igitur Propheta, Etiamsi Ægyptii tibi mira promittant, quemadmodum amator illectus & pulchritudine, & fallaci ornatu meretricis, tamen te decipient: etiamsi Assyrii ostendant se fore paratos ad ferendas suppetias, illi etiam frustrabuntur spem tuam: ita eris quasi scortum destitutum, ubi scilicet ad ultimam necessitatem redacta eris. Non possem nunc absolvere. Differam igitur in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando ita in vitiis nostris torpemus, ut saltem attenti simus ad exempla iræ tuæ, quibus voluisti nos commonefieri, ut alieno damno discamus te metuere: deinde etiam ut attenti quotidie simus ad minas, quibus nos ad te attrahis, quando allicere dulcedine non potes: sentiamus interim te semper fore propitium & exorabilem miseris peccatoribus, qui te ex animo quærent, & resipiscent sincere & absque fictione: ut certemus cum vitiis nostris, & studeamus vero conatu nos eripere ex Satanæ laqueis, quos nobis subinde tendit: quo liberius nos totos tibi addicamus, & sic delectemur tua justitia, ut hic nobis sit propositus scopus in toto vitæ nostræ cursu, tibi placere, & probare nostra obsequia, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA IN JEREMIAM.

Diximus heri quid intelligat Propheta per *vestitum coccineum*, per *ornamenta aurea*, & per *fucum*, nempe fallaces illas capturas, quibus utuntur inter se principes & populi, dum conjungunt fœdera: nihil enim illic fere agitur nisi perfide. Sed hoc etiam dictum fuit, Prophetam respicere ad spirituale illud conjugium, quo Deus populum Israëliticum sibi devinxerat. nam fuit illa species adulterii, dum externa fœdera captarent, quia hoc modo abnegabant Deum, nec contenti erant ejus præsidio. quemadmodum mulier satis habet protectionis in marito suo, ita etiam debuerant Israëlitæ respicere ad unum Deum. Sed quum ita discurrerent vagis suis cupiditatibus, merito Propheta comparat eos mulieribus adulteris. dicit autem *illos fore abominationi amatoribus*: neque id tantum, sed etiam tam Ægyptios quam Assyrios, quibus stulte confisi fuerant, fore illis deterrimos hostes: *Abominabuntur*, inquit, *te amatores tui, imo quærent animam tuam*: hoc est, vires suas, quibus putasti te fore tutam & salvam, convertent in tuum interitum. Postea sequitur,

31. Certe vocem parturientis audivi, afflictionem (*vel anxietatem*) quasi puerperæ, (*vel parientis primogenitum: nam proprie hoc significat nomen*) vocem filiæ Sion: lugebit, (*vel conqueretur, vel ingemiscet*) scindet (*vel extendet, ut alii vertunt: vel confliget*) manus suas: Væ nunc mihi, quia defecit anima mea propter interfectos. *alii active, propter interfectores.*

c. 28. f. 15.

His etiam verbis confirmat Jeremias quod vidimus. neque enim docendi causa tam prolixus est: sed quia videbat duros esse, & fere lapideos suos, ideo inculcat pluribus verbis, & pluribus etiam modis quod poterat uno verbo simpliciter dicere. Frigeret enim sæpe doctrina, nisi accederent exhortationes vel minæ: in hunc igitur finem nunc diversis verbis idem quod ante vidimus, explicat. *Audivi*, inquit, *vocem tanquam parturientis*. Non dubium est quin hic auditus per hypotyposin sumi debeat: neque enim Jeremias aliter poterat audire, quam reliqui, nisi quod ex specula sua longius prospexit judicium Dei quod tunc negligebatur à toto populo, ut aliis repræsentaret. Dicit igitur *se audisse*, acsi in rem præsentem esset adductus: & exaggerat. pro voce קול ponit צרה anxietatem: deinde pro parturiente ponit mulierem quæ parit primogenitum, ubi plus est doloris. Ergo significat Jeremias instare extrema populo, qui tunc revocari non poterat à suis sceleribus: sed subindicat, quemadmodum etiam aliis locis Spiritus loquitur, subitum fore interitum populi: Quum dixerint, Pax & securitas, repentinus illis veniet interitus. Ita etiam Propheta nunc denunciat frustra Judæos obdurescere adversus Deum, acsi non tam vicina esset pernicies, quoniam dolor erit subitus. quemadmodum mulier hilaris potest epulari, vel ludere, sed corripiet eam subito dolor: sic etiam intelligit Propheta, non esse cur Judæi existiment se repellere posse Dei vindictam perversa confidentia, quoniam præter spem irrumpet illis pernicies. Tamen, quemadmodum dixi, magnitudinem vel atrocitatem doloris exprimit hac similitudine: *Vocem*, inquit, *filiæ Sion, quæ queretur*. potest enim suppleri relativum. Alii in secunda persona transferunt, Lamentaberis, & extendes vel scindes manus. sed non potest hoc bene fluere, quoniam in tertia persona statim addit, *manus suas*. ergo dicit *vocem filiæ Sion fore testimonium gravissimi doloris, quia lamentabitur*: & simul etiam adjungit conflictum manuum. nam varie hoc verbum exponunt interpretes: sed quia פרש proprie significat scindere, vel dividere, ego existimo Prophetam exprimere gestum mulieris dolentis: nam solent ita collidere manus suas inter se, & scindere, quum interferuntur inter se digiti. Alii vertunt, Expandet, quoniam manus scissæ sunt, ubi ita in sublime tolluntur, aut sustinentur. Quantum ad rem ipsam pertinet, non est ambiguus Prophetæ sensus: intelligit enim horribilem fore Dei vindictam, ita ut lamententur Judæi, non vulgari modo, sed quemadmodum solent mulieres desperatæ in maximo luctu. Postea concludit sententiam, *Væ mihi, quoniam defecit anima mea propter interfectos*. Hic Propheta significat, etiamsi alii omnes cæcutiant in luce, tamen sibi conspicuum esse illud Dei judicium, quod ridebant, vel saltem pro nihilo ducebant improbi & scelerati. Dicit *animam suam deficere propter interfectos*, & tamen nondum quispiam fuerat interfectus: sed in hac loquendi figura docet sibi jam proponi ante oculos, quæ aliis erant abscondita, & ideo non movebant eorum animos. Sequitur,

1 Thes. 5. vers. 3.

CAP. V.

Circuite per vias (*alii vertunt, Inquirite, vel explorate, vel investigate per vias*) Jerusalem, & videte, agedum, (*hic enim* נא *est hortantis: proximo versu debuit verti, nunc: væ nunc mihi*) & cognoscite, & inquirite in vicis ejus, (*in compitis ejus*) an invenietis virum, an erit qui faciat judicium, (*hoc est, rectitudinem*) qui quærat veritatem, & parcam illi.

Hoc versu, quemadmodum & aliis sequentibus, ostendit Deus se non esse nimis rigidum, vel severum, quamvis extrema denunciet populo suo, quia eorum malitia prorsus sit insanabilis, neque possit inveniri alia ratio. Scimus enim quid sæpe referatur in Scriptura, nempe se esse patientem, & expectare dum resipiscant peccatores. Quum ergo Deus passim commendet suam clementiam, & promittat se fore exorabilem, etiam pessimis quibusque, si resipiscant: quum ultro etiam occurrat peccatoribus, posset hoc videri absurdum, ubi exurgit tanta asperitate contra Ecclesiam suam. Atqui scimus quam præfracti sint impii: itaque non dubitant expostulare cum Deo, & ultro accersere in judicium,

quasi

quasi illos crudeliter tractaret. Hanc igitur ob causam nunc ostendit Deus sibi non esse integrum, ignoscere populo: Etiamsi velim, inquit, non possum. Loquitur quidem humanitus, sed hac ratione, quemadmodum dixi, ostendit se tentasse omnes vias, priusquam ad ultimam severitatem descenderet: verum nihil remedii amplius esse in desperata populi malitia. Et hoc etiam optime verba exprimunt: *Circuite*, inquit, *per vias Jerusalem, & videte obsecro, cognoscite, inquirite per omnia compita.* Poterat uno verbo dicere Jeremias, Si repertus fuerit vir unus in urbe, ego paratus ero ad ignoscendum. Sed Deus hic permittit toti mundo inquirere diligenter & sedulo qualis sit status Urbis sanctæ, nempe quæ hoc titulo gloriabatur. Nunc autem, quemadmodum & proximo versu, sermonem dirigit contra Jerosolymam. Loqnutus fuerat de aliis etiam vicinis urbibus: sed quoniam sanctitas totius terræ tunc visa fuit habere sedem suam & domicilium Jerosolymæ: ideo hic Deus convertit sermonem suum contra urbem illam, quæ retinebat adhuc speciem aliquam sanctitatis, & excellebat præ aliis urbibus. Dicit igitur, *Inquirite, videte, cognoscite, inspicite an erit vir.* Permittit hic judicium mortalibus: quasi diceret, Adsint omnes: si volunt mihi Judæi creare invidiam, & queruntur de nimio rigore, quasi inhumaniter à me tractentur, veniant quicunque esse volunt judices, inquirant, sciscitentur, percontentur. ubi autem hoc compertum fuerit, ne unum quidem virum esse justum, quid aliud superest nisi ut urbs illa pereat? nam quid fiet cum perditis & deploratis, nisi ut judicium meum contra ipsos exerceam? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. vult enim hic occludere ora Judæis, & eorum calumnias refellere, ne Deo obstrepant, vel accusent judicium ejus, quasi modum excedat: & ostendit etiamsi ad veniam propensus sit Deus, non esse tamen locum veniæ, & clementiam ejus excludi ab illa tam perdita obstinatione, quum jam nullus esset vir Jerosolymæ qui rectitudini studeret. Hic tamen posset objici quæstio, cur dicat Jeremias, ne unum quidem posse reperiri, quum ipse Jerosolymæ esset, haberet etiam socium Baruch & alios quosdam, de quibus postea videbimus suo loco. erant igitur in urbe nonnulli veri Dei cultores: & superstes erat adhuc in quibusdam pietas, quamvis esset exiguus numerus. videtur ergo hoc esse hyperbolicum. Sed notandum est, Prophetam hic cum populo agere, sepositis fidelibus. Hoc ut clarius fiat, tenendus est locus ille Jesaiæ capite octavo, Obsigna Legem, & liga testimonium discipulis meis. ubi *Jesa. 8. vers. 16.*
enim videt Deus se inutiliter mittere Prophetam, & frustra laborem ejus consumi apud homines perditos, Liga, inquit, testimonium, & obsigna Legem inter discipulos. Videmus ut Deus quasi seorsum colligat paucos illos, in quibus residuum erat pietatis semen, imo in quorum animis vigebat aliqua religio. non erant igitur illi è populo. Sic etiam Jeremias non censet neque Baruch, neque alios in populo reprobo: sed alloquitur ipsum corpus, quemadmodum dictum fuit. Alii enim jam erant separati non tantum arcano Dei judicio, sed aperta sententia. ideo vere pronunciat, *ne unum quidem esse.* Spectare enim debemus cum quibus tunc esset illi certamen. Ab una parte Rex & Consiliarii, ut erant inflati promissionibus, quas tamen falso ad se trahebant, non putabant fieri posse ut unquam concideret solium Davidis: Hæc requies mea in seculum *Psal. 132. vers. 14.*
seculi. Quamdiu erunt sol & luna in cælo, erunt *Psal. 89. v. 37.38.*
mihi testes, ut nunquam intercidat semen tuum. Armati erant talibus elogiis: sed quemadmodum hypocritæ falso obtendunt Dei promissiones, ita etiam nebulones illi jactabant Deum stare à parte sua. Deinde certabat Jeremias, ut postea clarius videbitur, cum multis pseudoprophetis. nam erat magna eorum turba, ut fere semper est in mundo. Cunctus ordo Sacerdotalis erat corruptus: & ex professo etiam bellum cum Deo gerebat. populus nihilo erat melior. Congreditur ergo Jeremias cum Rege & Consiliariis, cum pseudoprophetis, cum impiis sacerdotibus, & cum scelerato populo. Ita dicit, *Ne unum quidem inter ipsos esse* qui se opponat ad placandam iram Dei. Quærere judicium tantundem valet atque operam dare rectitudini. Nam משפט nomen, Hebræis est rectitudo, aut æquitas, aut regula juste agendi. Dicit ergo neminem esse qui exerceat judicium, neminem esse qui quærat veritatem. Veritas, sicuti paulo post, accipitur pro integritate: quasi diceret, omnes esse deditos mendaciis, & fraudibus, & perversis astutiis: ideo fieri non posse ut propitius sit Urbi. Nam לה relativum fœminei generis non potest aliter exponi, quam de Jerosolyma. Dicit ergo Deus se fore exorabilem, si reperiatur vir unus, nempe inter Regis Consiliarios, inter Sacerdotes, & Prophetas: quoniam omnes conspiraverant adversus omnem justitiam. Sequitur,

2. Etsi, Vivit Jehovah, dixerint, ob id in vanum (*vel fallaciter*) jurabunt.

Hoc per modum anticipationis additum fuit: quoniam Judæi, ut satis notum est, putabant se habere integumentum omnibus suis vitiis, quia nomen Dei apud ipsos volitabat in ore omnium. Quum ergo profiterentur se Deum Abrahæ colere, putabant hoc prætextu posse obtegi omnia sua flagitia. Propheta occurrit, & docet nihili esse hunc fucum, quoniam profanent nomen Dei, quum ipso abutuntur. Cæterum est etiam exaggeratio: quia ostendit Jeremias, non tantum in communi vita Judæos esse prorsus alienatos à timore Dei, sed etiam si qua in specie maneat apud ipsos religio, esse illic sacrilegium. Hoc autem longe deterius est, quam ubi sepultum est Dei nomen, & miseri homines permittunt sibi peccandi licentiam, quasi possent se abscondere. ubi autem ita ex professo lacessunt Deum, & quasi in ejus faciem conspuunt, quam est detestabilis & prodigiosa hæc impietas? Hoc ergo exprimit Jeremias: *Etiamsi dicant, Vivit Dominus, tamen ob hoc*, inquit, *jurabunt fallaciter.* Nunc tenemus consilium Prophetæ. primo enim loco excutit hypocritis vanam fiduciam, quia putant sibi Deum fore propitium, modo ejus nomen obtendant: neque interea expendunt quam pretiosum sit nomen Dei: ita susque deque habent, promiscue jurare per Dei nomen. Propheta vero non tantum hypocrisin damnat in Judæis, sed quemadmodum dixi, exaggerat eorum crimen, quod non dubitent ita sacrum Dei nomen prostituere, & quasi aperto Marte illum impetere. nam hoc fit ubi abutimur nomine ejus in jurejurando. Quum dicit, *Si dixerint, Vivit Jehovah*, hic usurpat verba, quibus pii etiam utuntur in suis juramentis. nam ubi citant Deum viventem, perinde est acsi se sisterent ad ejus tribunal: ac simul dicerent se cognoscere, etiamsi ad tempus differat Deus ultionem, tamen reddendam esse rationem, quia semper vivet. Ita pii agnoscunt se nihil lucri facere in mora, quamvis Deus vindictam suspendat, si pejeraverint. Sed quemadmodum jam dixi, Propheta hoc transfert ad hypocritas, qui videntur plurimum honoris Deo deferre. nam nihil magis speciosum, quam eorum verba: fel enim est in corde, & mel in labiis. Ergo Propheta deridet hanc fallaciam quum dicit, Etiamsi sanctissime jurent, quoad verborum formulam spectat, & ostendant summum pietatis studium: *tamen jurabunt ob hoc:* לכן. Alii transferunt

Jesa. 8. vers. 16.

runt vere, vel certe. sed causalis est particula: ideo plenior sententia erit, si vertamus, *Ob id*, hoc est, in eam rem, vel in eam causam mendaciter jurabunt. Sequitur,

3. Jehovah, oculi tui aonon ad veritatem? Percussisti eos, & non doluerunt: consumpsisti eos, & renuerunt suscipere disciplinam: *(vel correctionem)* obduraverunt facies suas magis quam petram, *(vel lapidem, magis quam saxum)* renuerunt cooverti. *vel redire.*

Principium versus coacte exponunt qoidam, vel potius torquent, quasi diceret Propheta, Deum non ideo deflectere oculos à rectitudine, quoniam tam rigidus sis ultor scelerum io populo suo. Sed hic prosequitur eandem seotentiam Jeremias. Neque enim distinctio versuum pondus babet. quisquis eos distinxerit, sæpe iosc ite pervertit sententias: ideo claudendi sunt oculi, nisi quod memoriæ causa tenendus est numerus. Sed quoad contextum, sæpe impediet lectores observatio. præpostere enim miscentur quæ inter se divisa erant, & etiam divelluntur quæ optime cohærent. Hoc mihi nunc venit in mentem, & utilis est admonitio. sicuti hoc loco Propheta postquam dixit Judæos esse perfidos, & duplices, & omni integritate vacuos, adjongit, *Atqui oculi Dei fidem respiciunt*: quasi diceret, frustra eos obtendere Dei nomen, & fucum ex ceremoniis, vel externa pietatis specie facere, quoniam Deus scrutetur corda, & non moretur externas istas larvas, quibus capiuntur bominum oculi. Sed emphatice Propheta convertit ad Deum sermonem, ad tædium boc modo demonstrandum: quod videret se nihil proficere apud obstinatos. Nam si qua fuisset in Judæis docilitas, haud dubie hortatus ipsos fuisset ad integritatem. Poterat dicere, Falluntur qui dum jurant in nomine Dei, sibi persuadent illum fore patrem: *nam oculi ejus fidem spectant*, vel rectitudinem cordis. Hæc erat continua series: & erat etiam aptissima docendi ratio. sed Jeremias abrumpit sermonem, & relinquit suos populares. *Deus, oculi tui fidem spectant*: quasi diceret, Quid mihi cum hoc perdito populo? ego verba facio jam apud lapides, & saxa: & ideo valete, & facessite: ego nunc me conferam ad Deum. Videmus nonc quanto plus vehementiæ babeat hæc apostrophe, quam si cootioua serie Propheta loquutus esset apud Judæos, & functus fuisset officio doctoris. Nunc eoim ostendit se fractum esse tædio, ubi videt inutilem esse suam operam, & præfractos esse omnes, quibuscum loquutus fuerat. neque tamen interea voluit spargere haoc vocem temere, ut nihil prodesset: imo potius voluit acrius pungere stupidos illos, quum viderent illum ita discedere, quoniam nihil spei in ipsis erat reliquum. Tenendum enim est quod alibi dixi, Prophetas non ita fuisse concionatos ad verbum, ut scripserunt: sed quum multis verbis egissent apud populum, postea summam colligebant: & hinc Prophetici libri. Ideo non dubium est, quin Jeremias prolixe disseruerit de pœnitentia: quin adversus bypocritas invectus fuerit: quin detexerit fallacias gentis suæ: quin severe etiam corripuerit contumaciam. Sed post hæc omnia, necesse fuit, illum quasi è medio cursu retrocedere, quoniam videbat nihil fructus posse ex opera sua & prædicatione sperari. Quum ergo hoc scirent Judæi, decuit illos magis affici: quemadmodum ounc ubi videmus Spiritum Dei exasperari nostra contumacia, quoniam hoc est horribile portentum, ideo nihil est quod magis vulnerare debeat animos nostros. Quid boc est? Deus nos quotidie familiariter invitat ad se: sed ubi videt tam dura nobis esse corda & capita, relinquit nos, quoniam
Jesa. 63. vers. 10. mœrore afficimus ejus Spiritum, quemadmodum dicitur apud Jesaiam. Ergo non fuit trita & communis hæc docendi ratio, sed plus habuit efficaciæ quam simplex doctrina, ubi Propheta osteodit sibi non amplius esse tolerabilem populi sui malitiam. *Jehovah*, inquit, *oculi tui annon ad fidem?* Quum ita Deum alloquitur, antithesis subest inter Deum & homines. Nam scimus ut sibi placeant sceleratissimi quique, ubi possunt retinere famam & applausus mundi. quantisper ergo manent in pretio, ita indormiunt suis vitiis. Propheta banc stultam confidentiam deridet, ac ostendit alios esse oculos Deo, quam mortalibus. mortales enim vix ad tres digitos usque possunt aspectum suum extendere. Deus autem penetrat usque ad intimos & occultissimos recessus cordis. Sic ergo Propheta loquitur de oculis Dei, ut ostendat frivola esse hominum judicia, quoniam præter externum splendorem nihil quærunt. fidei nomine, sicuti & primo versu bujus capitis, Propheta intelligit cordis integritatem. Ergo abs re philosophantur qui volunt probari ex hoc loco, fide sola nos esse Deo gratos. Nam Propheta bic de fide non loquitur, qua amplectimur gratuitam reconciliationem cum Deo, & qua sumus membra Christi. Ergo sensus minime obscurus est, nempe Deum non morari externum splendorem, quo alliciuntur bomines: quemadmodum etiam dicitur primo libro Samuelis, capite decimo sexto, Homo videt quæ extra apparens, Deus autem intuetur cor. 1 Sam. 16. vers. 7.
Illic Spiritus sanctus cordis nomine idem exprimit quod boc loco per fidem, aut veritatem. Nam Samuel ostendit falli patrem Devidis, qui in medium proferret filios eleganti forma: Homo videt, inquit, quæ extra apparent, Deus autem intuetur cor. Nunc tenemus genuinum Prophetæ sensum, quod scilicet postquam sibi blanditi fuerins bypocritæ, & totus etiam mundus illos palpaverit suis adulationibus, hoc nihil illis profore, quoniam tandem veniendum erit ad judicium Dei: coram Deo autem sola veritas locum & pretium obtinet. Postea adjungit, *Percussisti eos, & non doluerunt*. Hic duritiem populi objurgat Propheta, quod ne icti quidem resipuerint. nam experientia, ut loquuntur, magistra est stultorum: & hoc veteri proverbio celebratum fuit, stultos malo accepto sapere. sæpe & Poetæ & Historici usurpant banc sententiam. Quum igitur ita præfracto essent ingenio Judæi, ut ne flagellis quidem resipiscerent, fuit boc signum ultimæ pravitatis. Et ideo Propheta hic subscribit superiori sententiæ, ubi Deus se dicebat fore exorabilem, si vel unus quispiam inveniretur in tota urbe integer. Propheta confirmat banc sententiam, ubi dicit, *Percussisti eos, non doluerunt*. Non dubium est quin Judæi ingemuerint sub plagis, quin etiam ululaverint, & effuderint atroces querimonias. scimus eoim quam petulanter maledixerint Deo. Dolebaot igitur: sed hic specialiter capitur nomen doloris: quemadmodum ubi Paulus de pœnitentia disserit, ejus prin- 2 Cor. 7. v. 9. 10.
cipium docet esse tristitiam. Sic etiam hoc loco negat Propheta doluisse eos, qui confusis erant animis, ita ut non sentirent sibi esse cum Deo negotium. Ergo tantundem significat hoc verbo atque alter Propheta, ubi dicit eos non respexisse ad ma- Jesa. 9. vers. 13.
num percutientis. Neque eoim dicit fuisse tam socordes, ut non sentirens ictus: sed interea manus Dei erat illis abscondita. atqui hoc est præcipuum in dolore nostro. nam si cæco impetu clamamus nobis male esse, & repetimus, Væ, centies, quid hoc est? tantum sunt brutæ lamentationes. ubi autem respicimus manum percutientis, ille est verus

dolor,

dolor, & recte formatus. Hoc sensu negat Jeremias Judæos doluisse, quia non senserunt se juste castigari Dei manu. Postea amplificat hanc doctrinam: *Consumpsisti eos*, inquit, *& renuerunt accipere correctionem.* Quum dicit *consumptos fuisse*, signum est ultimæ pervicaciæ. nam si leviter nos Deus castiget, non mirum est si pro nostra tarditate & ignavia non statim expergiscamur: sed si Deus ingeminet ictus, imo non tantum percutiat suis ferulis, sed etiam gladium suum exerat ad nos penitus consumendos: ubi ergo nos ita tractat, & horrendis judiciis exequitur vindictam suam, si tunc torpemus adhuc in malis nostris, nec sentimus quam horribile sit incidere in ejus judicium, nonne oportet nos excæcatos esse à diabolo? Hunc ergo stuporem nunc deplorat Propheta in Judæis, quod non tantum sensu doloris vacui fuerint, quum Deus eos percuteret, sed etiam consumpti non receperint neque admiserint correctionem. Et hoc secundo membro ostendit quod jam diximus, nempe dolorem de quo loquutus est, non debere promiscue accipi: sed de serio dolore, qui nobis proponit Dei judicium, ita ut eum timere discamus. Adjungit, *Obduraverunt facies suas quasi petram, denique noluerunt reverti.* Propheta significat non tantum Judæos præfractos esse, sed etiam carere pudore. Etiamsi omnia verecundiæ signa dedissent, tamen fuisset frivolum, nisi cordis integritas præisset, quemadmodum diximus. Sed ut plurimum accidit, etiam pessimos quosque ubi intus pleni sunt impietate, & contemptu Dei, & contumacia, tamen retinere aliquid pudoris. Propheta ut ostendat prolapsos esse Judæos usque ad cumulum extremæ impietatis, dicit *eos obduravisse facies suas*: hoc est, esse prorsus impudentes, quoniam abjecerint omnem rationem, & discrimen recti & honesti, perversi atque turpis. Quoniam ergo jam exuerant omnem humanum sensum, ideo dicit nihil aliud restare, nisi ut Deus, quemadmodum prædixit, exequatur ultimam vindictam adversus eos. Et repetit quod dixit, nempe *eos renuere converti.* nam significat eos non errore vel inscitia peccare, vel esse abstractos: sed voluntaria malitia & certa deliberatione abjicere omnem curam suæ salutis, & quasi ex professo Deum repudiare, ita ut nolint perpeti vel doctrinam ejus, vel correctiones.

Da omnipotens Deus, quando diabolus non cessat nos illecebris suis ita mulcere, ut simus fere stupidis & attonitis similes: da, inquam, ut verbum tuum sic illucescat animis & cordibus nostris, ne torpeamus in tenebris: deinde Spiritu etiam tuo nos ita expergefacias, ut attenti simus ad omnes Propheticas admonitiones, quibus nos in viam revocas, ne pereamus: atque ita assidue meditemur pœnitentiam toto vitæ cursu, ut semper nobis displiceamus in nostris peccatis: simus quotidie nostri judices, ut avertamus à nobis iram tuam, donec tandem perfuncti hac militia, quæ nobis assidue obeunda est cum nostris peccatis, perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA NONA
IN
JEREMIAM.

4. Et ego dixi, Certe (*alii vertunt, forsan*, אך) pauperes sunt hi, stulte egerunt, quia non cognoscunt viam Jehovæ, judicium Dei sui.

5. Ibo ad optimates, (*ad magnos, ad verbum*) & loquar apud eos: quia ipsi cognoscunt viam Jehovæ, judicium Dei sui. Atqui ipsi fregerunt jugum, ruperunt vincula.

Quod quidam existimant Prophetam hic excusare populum suum, & culpam extenuare quantum potest, in eo longe falluntur. Neque enim dubium est, quin hac competatione clarius ostendat quam perditæ res tunc fuerint. Summa igitur est, non in plebe duntaxat grassatas fuisse corruptelas, sed in ipsis proceribus: ut nihil residuum esset sanitatis à capite usque ad calcem, quemadmodum loquuntur. Et eadem fere sententia (quanquam aliis verbis) legitur apud Jesaiam capite vigesimo octavo. postquam enim invectus est generaliter contra populum, aggreditur ipsos duces: dicit esse inebriatos, non minus quam vulgus ipsum ignobile. dicit quidem à vino & sicera: sed sensus est, similes esse ebriis, quoniam nullus erat in illis pudor, ex quo intemperanter sese projecerant ad turpissima quæque flagitia. Eodem spectat nunc Jeremias, quum dicit *se cogitasse* tenues esse qui ita peccarunt, & homines obscuros, ac nullius pretii: sed in ipsis quoque ducibus se reperisse quod in vulgo ignobili. Poterat simpliciter dicere, Non tantum plebeii, & gregarii homines, sed qui præcipui sunt, & qui debuerant aliis præire, illi etiam sunt corrupti. Sed efficacior longe est ista comparatio, quum dicit, Forte miseri homines, qui non tenent Legem Dei, ita peccarunt: neque mirum: sed major in ipsis ducibus extabit integritas. Quum ergo Propheta sic loquitur, adducit lectores in rem præsentem, & ostendit non tantum quoslibet peccare in populo, sed Sacerdotes, & Prophetas, & quicunque primatum tenebant. Patet igitur consilium Prophetæ. Dicit, *Ego dixi*: non quod ita senserit. videbat enim omnia hic esse permixta, ut nihilo plus sperandum esset à proceribus quam à vulgo: hoc satis perspectum erat Prophetæ. sed, quemadmodum dixi, voluit hic quasi sub viva pictura ostendere quam misera esset totius populi conditio. Dicit, Certe: אך affirmat apud Hebræos, vel est adversativa particula, ut vidimus proximo versu. hic quidam accipiunt pro אולי, forte. est hic vice concessionis: Demus hoc, inquit: sunt pauperes, sunt homines nullius pretii, & quasi quisquiliæ, qui ita peccant: non mirum est, si ita stulte se gerant, *quia non tenent viam Jehovæ, & judicium Dei sui.* Lex quidem omnibus promiscue posita fuit: ita nulla erat in plebe excusatio. sed morbus hic fere omnibus seculis regnavit, ut pauci attenti essent ad Legis doctrinam, quoniam nemo est qui non libenter jugum excutiat. Putant autem homines gregarii sibi aliquid excusationis suppetere, quoniam non datur otium, neque etiam nati sunt ad res magnas. Propheta ergo loquitur ex communi more: interea non extenuat culpam, si qui vellent inscitiam obtendere, quia non fuerunt edocti in scholis. nam, ut dictum fuit, sine exceptione Legem suam Deus prodesse voluit toti populo. Per *viam Jehovæ* & per *judicium Dei* idem significat Propheta. est repetitio satis trita Hebræis. Nam Deus quum regulam vivendi nobis præscribit, perinde est acsi viam nobis monstraret. vita enim nostra similis est cursui. Deus autem non vult nos fortuito currere, sed scopum nobis proponit. deinde dirigit nos certa via: quoniam hoc est Legis officium, revocare

care nos ab errore, & deducere ad finem nobis propositum: ideo Lex ipsa vocatur *via Jehovæ*. משפט autem, quemadmodum heri dictum fuit, significat rectitudinem, vel regulam. Priore membro dicit *viam Jehovæ*: altero autem, *judicium Dei*. Et hoc modo ostendit non esse excusabiles, qui objiciunt se esse miseros idiotas, & nihil cognoscere. Deus enim non minus ipsis, quam doctissimis voluit ostendere quomodo vivendum sit. Jam adjungit, *Ibo ad magnos*. per Magnates intelligit tam Sacerdotes & Prophetas, quam Regis Consiliarios, imo Regem ipsum. *Ibo* igitur *ad magnos*, inquit, *& loquar apud eos*. Perinde est acsi diceret, ubique se perdere operam, quia non tantum apud vulgus indoctum surdis loquitur, sed etiam apud Proceres ipsos. Dixi Prophetam non consultasse hac de re tanquam dubia: sed voluisse incutere pudorem ipsis Proceribus. & confirmatio est superioris sententiæ, quod scilicet ne unus quidem posset reperiri Jerosolymæ integer & rectus. *Ipsi enim*, inquit, *cognoscunt* &c. Repetit affirmative eadem verba. Verum tenendum semper est, Prophetam non ita fuisse persuasum, sed loqui de re probabili. Quis enim tunc putasset in ipsis Proceribus tantum esse stuporem? nam pollebant magna existimatione apud populum. Quum ergo hæc opinio invaluisset, in Lege optime esse exercitatos quicunque tunc primatum tenebant in populo: ideo ex communi sensu loquitur Jeremias, & dicit *tenere viam Jehovæ*. Postea adjungit, *Imo* (nam אך hic adversative capitur, sicuti est propria hujus particulæ significatio: imo, vel atqui) *ipsi pariter fregerunt jugum, ruperunt vincula*: hoc est, si quis existimet meliores esse duces quam vulgus, longe fallitur. ego enim satis perspectum habeo qualiter se gerant. *Ruperunt ergo non minus quam rudissimi quique jugum Dei*. Qua repetitione magis confirmat eorum defectionem, & simul admonet quanta sit hæc indignitas, quod Prophetæ, Sacerdotes, & Judices, qui tenebant gubernacula, fuerint effrenes in suis cupiditatibus. Sequitur,

6. Propterea percussit eos leo è sylva, lupus solitudinum (*alii per* ערבות *intelligunt vesperas, quia deducunt ab* ערב *quod significat vesperum: ita vertunt, lupus vespertinus*) vastavit eos: pardus (*alii vertunt pantheram*) vigilans super urbes eorum, quisquis egredietur, discerpet: (*aut lacerabit*) quoniam multiplices sunt iniquitates eorum, auctæ sunt defectiones eorum.

Hic tandem ostendit Deus se modum servare in suis judiciis, ita ut frustra eum reprobi insimulent nimii rigoris, quemadmodum illis solenne est. Quidam vertunt in præterito tempore hæc verba, atque existimant talem esse sensum, quod Propheta Judæis exprobret non frustra tot calamitatibus fuisse prius afflictos, quoniam graviores pœnas fuerant promeriti. Sed potest etiam altera sententia probari. Scimus enim ut permutent Hebræi inter se tempora verborum: & libentius refero ad futurum tempus: quia non videtur hic Propheta narrare quid antehac passi essent, sed quam atroces pœnæ illis immineant. *Percutiet* igitur *eos leo è sylva*. quod ad verba spectat, diximus lupum vocari solitudinum], hoc est, prodeuntem è deserto. Quod alii vespertinum exponunt, tolerabile est. Scimus enim aliis locis lupos vespertinos vocari, qui sunt famelici. Nam ubi prædam quæsierunt toto die, & nulla illis occurrit, circiter vesperam sunt fere rabidi: ita eos cogit esuries ruere huc & illuc. posset igitur hæc expositio ferri. Sed quoniam prius dixit *leonem è sylva venire*, magis probabile est, lupum etiam describi venientem ex deserto. Et quantum ad summam rei spectat, parum erit discriminis. Ponit hic tres belluas, leonem, & lupum, & pardum. Non dubium est quin metaphorice per has bestias intelligat hostes, qui magna sævitia erant paulo post irrupturi. Verum quidem est, Judæos ante tempus quo concionatus est Jeremias, fuisse multis cladibus afflictos. neque enim Deus uno die sumpsit de illis vindictam: sed sæpius illos admonuit: & si qua fuisset spes resipiscentiæ, poterant adhuc quum essent in statu mediocri, incolumes manere. sed videtur Jeremias vaticinari de futuris pœnis: ideo intelligit non tantum Assyrios, & Ægyptios, sed alios etiam hostes. Scimus enim fuisse exosum populum illum omnibus vicinis, atque etiam à cognatis fuisse passum gravissimas injurias. Quum ergo ita plures gentes infestæ essent Judæis, non mirum est quod Propheta hic tres bellurum species enumerat: quasi diceret undique venturos hostes, qui instar leonum, & luporum, & pardorum exerceant suum furorem contra eos, qui toties, & tot modis, & tam longo tempore provocaverant iram Dei. Interea hic Deus refellit perversas querimonias, quæ solebant subinde objici à reprobis: & ostendit se justum esse judicem: & quæ sumit pœnarum exempla de Judæis, non posse reprehendi. Et huc pertinet particula על־כן. Ideo jam adjungit, *pardum vigilare, ut discerpat quicunque egressi fuerint ex urbibus*. Non dubium est quin metaphorice significet, ubi hostes terram occupaverint, Judæos inclusos fore in suis urbibus, ne audeant prodire in apertum: quoniam ubique parata erunt pericula. In fine versus iterum repetit & fusius prosequitur quid intellexerit per particulam על־כן, ideo. dicit enim, *Quoniam multiplicatæ sunt iniquitates eorum, & auctæ sunt defectiones eorum*. His verbis iterum inculcat quod dixit, nempe Deum æquum esse judicem, ubi videtur esse nimium severus: quia fieri non poterat, quin extremam vindictam exigeret de perduo illo & desperato populo. Neque simpliciter vocat sceleratos, vel apostatas: sed dicit *multas esse ipsorum iniquitates* vel scelera, & *defectiones esse auctas*. Et secunda voce amplificat damnationem. nam tametsi פשע non simpliciter significet delinquere, sed scelerate agere: tamen deficere à Deo est gravius & atrocius. unde colligimus, in Judæis hic damnari tantam pravitatem, quæ non debuerit corrigi vulgaribus remediis, aut pœnis mitioribus. Postea addit,

7. Quomodo super hoc parcam tibi? (*hoc est, parcerem: nam debet resolvi futurum tempus in modum potentialem. Quomodo, inquit, parcerem tibi super hoc?*) filii tui dereliquerunt me, & jurarunt in non Deo: ego autem saturavi eos, & scortati sunt, (*tamen scortati sunt*) & domus meretricis congregaverunt se. *vel in domum meretricis: ita subaudienda erit litera* ב *servilis*.

Hic est communicatio, sicuti loquuntur rhetores. Deus enim hic quodammodo partem adversam cum qua litigat, vult ferre judicium de causa tanquam satis liquida. hoc autem est signum fiduciæ.

ciæ. Et ideo quum rhetores volunt ostendere nihil esse ambiguum, vel obscurum, deliberant cum parte adversa: Quid? ego familiariter tibi rem propono. habesne quod dicas? etiam si tibi esset liberum, & tuum esset arbitrium, nonne ratio te cogeret ita pronunciare? Sic etiam nunc Deus ostendit se quadam necessitate constringi, ut tam severas pœnas exigat de Judæis: ac sibi integrum esse negat aliter facere. Si ego sum judex mundi, inquit, an impune effugient qui ita velut ex professo provocant me? nonne ludibrio exponerem meam gloriam? nonne etiam me exuerem justa potentia? desinerem esse qui debeo, & abnegarem quodammodo meipsum, nisi sumerem pœnas de tam sceleratis & perditis. Tenemus ergo consilium Prophetæ. Alii subaudiunt ב, & אי accipiunt pro איך. & ideo vertunt, Non super hoc. Sed quia nulla ratio cogit aliquid mutare, & multi in hanc expositionem consentiunt, ego malo sequi quod magis receptum est. אי significat Ubi apud Hebræos: sed accipitur etiam sæpe pro Quomodo. Neque enim hic de loco debet intelligi: sed de re. *Quomodo* igitur *super hoc propitius essem tibi?* inquit. Videmus ut Deus cum adversa parte deliberet, imo deferat judicium: Dic tu, etiam si tibi concederem tantum licentiæ aut juris, ut tibi pœnam statueres, an ego qui judex sum mundi, jam tibi parceram in tantis sceleribus? *Filii enim tui dereliquerunt me.* Hoc primum est crimen. Deus autem ubi conqueritur se esse derelictum, significat populum ultro & certa malitia jugum abjecisse. neque enim poterat idem dici de profanis gentibus. Verum quidem est, omnes (si respicimus ad initium) defectionis posse damnari, quoniam & Adæ, & filiis Noë Deus se manifestaverat: & quum prolapsi sunt ad superstitiones, fuerunt apostatæ. Sed defectio populi Judaici multo erat recentior, & minus tolerabilis: imo quum gloriarentur se esse Dei populum, quis poterat obtendi prætextus ignorantiæ? Nunc ergo videmus quid intelligat Propheta quum dicit à populo derelictum fuisse *Deum.* Postea addit, *Juraverunt in non Deo.* Synecdochicōs significat corruptum & vitiatum fuisse cultum Dei. nam jusjurandum, ut heri dictum fuit, pars vel species est cultus Dei. quoties enim juramus per Dei nomen, profitemur nos esse sub ejus manu, neque posse impune elabi, si mentimur: deinde tribuimus ei gloriam veritatis: tertio etiam testamur illum nihil fugere, vel ei nihil esse absconditum. Ergo quum hic dicit *jurasse Israelitas in non Deo*, significat se spoliatum fuisse suo jure. Erant quidem aliis sceleribus obstricti: sed quemadmodum dictum fuit, sub una specie complectitur Propheta quicquid tunc fuit superstitionum in populo. Perinde igitur est acsi diceret coluisse idola & deos quos sibi fabricati fuerant. Adjungit circumstantiam, quæ scelus eorum exaggerat. *Ego autem*, inquit, *saturavi eos, & scortati fuerunt.* Elegans tamen est paronomasia, quæ non debet omitti. dixerat ישבעו, jurarunt: nunc dicit, ואשבע, ego saturavi: tantum discrimen est in puncto. nam quum punctum ponitur in sinistro cornu, significat saturare: quum ponitur in dextro, significat jurare. ergo Propheta dicit *eos jurasse, & tamen fuisse saturatos.* Hic ostendit Deus, quam fœda & impia fuerit populi ingratitudo, quod ad satietatem refertus omnibus bonis, tamen non agnoverit Deum suum, qui tam liberalis ac beneficus erat pater. *Ego*, inquit, *eos saturavi, & scortati sunt.* Docet autem hic locus, eo magis indignos esse venia, qui peccant, ubi Deus eos allicere voluit paterna indulgentia & dulcedine. ubi ergo homines ita lasciviunt adversus Deum, quum ipsis clementer indulget, non dubium est quin sibi iram thesaurizent in die iræ, quemadmodum dicit Paulus 2. cap. ad Rom. ergo videndum est *Rom. 2. vers. 5.*
quantisper Deus nobis quasi blanditur, ne ipsi nobis blandiamur, & ipsa prosperitas nos ad lasciviam impellat. sed quoniam ita comiter ac suaviter nos ad se Deus invitat, discamus sponte nos ei subjicere: & dum amabilem se ostendit, amare illum discamus. Dicit *scortatos esse.* potest hoc metaphorice accipi: sed quoniam proximo versu invehitur contra vagas eorum libidines & adulteria, ideo posset hic locus simpliciter, & ad literam exponi, ut dicunt: ego tamen existimo esse metaphoram, quod *scortati sint*, nempe quia nulla in ipsis fuit spiritualis castitas, quum tamen Deus ipsos studeret retinere in officio. dicit, *Et domus meretricis seipsos congregaverunt simul.* Potest tn nominativo casu accipi, ut Judæi vocentur domus meretricis: quasi diceret Propheta totam Jerosolymam & Judæam esse quasi lupanaria. Alii tamen subaudiunt ב, quod congregaverint se quasi in domum meretricis: & hoc modo alluderet ad templa. Est autem hoc signum impudentiæ, ubi coëunt in unam domum plures adulteri vel scortatores: nam pudet etiam multos suarum scortationum, ita ut turpitudinem suam occultent. ubi autem turmatim conveniunt quasi erecto vexillo, signum est nihil amplius esse pudoris, sed eos qui ita prorumpunt, similes esse brutis pecudibus. Convenit igitur optime hic sensus, quod congregati fuerint simul in lupanaria, qui gloriabantur in suis superstitionibus & sacrilegiis. Sequitur,

8. Equi saginati, (*alii vertunt, armati: intelligunt phaleratos*) mane surgentes: (*alii vertunt, trahentes: deducunt à* משך. *sed rectius alii deducunt à* שכם, *& nomen esse existimant*) quisque ad uxorem proximi sui hinnit. *est quidem futurum tempus, sed significat continuum actum.*

Nunc, meo judicio, ad secundam tabulam descendit Jeremias, & speciem unam attingit: cæterum, simpliciter ostendere vult, nihil esse pudicitiæ, nihil fidei, nihil honestatis in populo illo. Comparat igitur eos equis lascivis & petulantibus: & ita traducit eorum infamiam. quia si dixisset eos insidiari unumquemque thoro fratris sui, hoc quidem erat per se grave; sed quum eorum libidinem vocat *hinnitum*, quum ipsos nominat *equos, & quidem bene saginatos, & qui mane surgunt* postquam sunt saturi, non dubium est quin ostendat tantam esse in illis intemperiem, ut non sint tantum censendi scortatores vel adulteri, sed deterius sit in illis flagitium, & turpius, quoniam ab equis salacibus nihil differant. *Equi saginati*, inquit. qui vertunt armatos, deducunt à radice זין, quod significat armari. alii autem potius originem volunt esse זון, quod significat comedere: unde מזון etiam pro cibo accipitur. nec dubium est quin hic significet equos saginatos: quorsum enim diceret phaleratos? Quod etiam alii dicunt surgere mane postquam scortati sunt, ut profetant suum dedecus, & glorientur de suis vitiis, hoc nimis est coactum. sed intelligit equos robustos, qui agiles sunt, & ideo surgunt mane postquam fuerunt bene pasti. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Summa est, nullam esse castitatem in Judæis, quoniam ad suas vagas libidines prosiliant, non tantum ut solent adulteri vel scortatores, sed ut solent equi petulantes. Tamen, quemadmodum diximus, sub incontinentia hic designat & furta, & alias fraudes, & rapinas, & quicquid est tale. neque enim dubium est, quin reos peragat Judæos transgressionis, quod ad secundam Legis tabulam attinet. Postea adjungit,

9. An non super his (*vel an super hoc*) visitabo, (*vel non visitarem*) dicit Jehovah? & an in gente quæ talis est, (*quæ secundum hanc*) non se ulciscetur anima mea?

Iterum Deus cum ipsis communicat, & facit in eum finem, ut compescat omnes eorum querimonias, & os illis occludat, ne excipiant se nimis duriter tractari. ergo ne qua illis objectio maneat, iterum repetit Deus se non posse remittere tam atrocia scelera. Sumit autem hoc principium, fieri non posse, quin pœnas sumat de sceleratis, qui non resipiscunt. nam si Deus est judex mundi, non potest magis abnegare suum judicium, quam propriam essentiam. Quum igitur hæc sint inseparabilia, majestas Dei, & officium Judicis, hic concludit Propheta impossibile esse quod Judæi putabant, nempe ut impune elaberentur, quum tamen tam horrendis sceleribus non desinerent Deum lacessere quasi aperto bello. *An ergo super hoc non visitarem, inquit Jehovah?* & hic proponit nomen Jehovæ. Judex terrenus posset dare veniam impiis, & pessimis quibusque: atqui
Rom. 2. vers. 5. non potest hoc cadere in Deum. nam quoties ignoscit Deus, simul etiam peccatores ad pœnitentiam adducit: ita nunquam patitur scelera impunita. nam qui resipiscit, ipse est judex suus, & hoc modo prævenit Dei judicium. Ubi igitur est vera conversio, illic Deus non indulget sceleribus: sed ubi tanta est in peccatis obstinatio, ut qui monentur contemnant omnem doctrinam, certe fieri non potest ut Deus hic ignoscat, alioqui renunciaret suæ gloriæ: quod fieri non potest. *An non ergo visitarem, inquit Jehovah? & an in gente quæ talis est, non se ulcisceretur anima mea?* Hic Deus humano more loquitur, neque enim appetit vindictam: & quum de anima sua loquitur, etiam hoc est proprium. sed in re nulla est obscuritas: significat enim se inimicum esse sceleribus,
Psalm. 5. vers. 5. quemadmodum dicitur in Psalmo ipsum nolle, nec posse ferre iniquitatem. Quum ita sit: sequitur ergo vel è solio cælesti detrahendum esse, vel instare pœnam reprobis, qui ita pervicaciter sese projiciunt, nec faciunt finem vel modum peccandi. Ergo quoties obrepunt nobis blanditiæ, & Satan suis illecebris studet nos adducere in oblivionem judicii Dei, veniat hoc nobis in mentem, Deus non esset Deus, nisi puniret scelera. ergo jam necesse est, aut eum punire peccata, aut ipsum nobis esse infensum. denique, quemadmodum dictum fuit, non constaret ipse sibi, & esset etiam dissimilis naturæ, quum nulla mutatio in ipsum cadat. Ergo vel intenta est ejus manus ad pœnas de nobis sumendas, vel necesse est judicium ejus à nobis præverti. Quæ autem ista erit ratio? nempe ut discamus ferre in nos sententiam, displicere nobis in malis. Ubi igitur talis erit conversio, jam propitius erit Deus: & ita non parcet sceleribus nostris quasi ea probaret, quasi etiam non exerceret officium Judicis. Sed, quemadmodum jam dixi, hæc doctrina proprie dirigitur ad eos, qui vel præfracti sunt, vel quibus Satan induxit torporem & oblivionem, ut non vocent se ad rationem reddendam. denique hæc doctrina vel inexcusabiles reddit impios, si pergant in sua obstinatione, vel debet expergefacere eos qui sunt sanabiles, ut seipsos judicent, neque expectent donec Dominus extendat manum suam ad exigendas ultimas pœnas.

Da omnipotens Deus, quando ad eadem vitia hodie propensi essemus, quibus legimus deditum nimis fuisse veterem populum, ut gubernati tuo Spiritu, non obdurescamus ad sanctas tuas admonitiones, quibus quotidie corrigis & nos & nostra peccata: sed ut tibi simus vere dociles ac morigeri. Et quum hactenus nimis tibi repugnaverimus, & bellum gesserimus cum justitia tua, ut discamus nobiscum & cum vitiis propriis bellum suscipere freti verbo tuo, usque dum adepti victoriam, tandem etiam perveniamus ad triumphum nostrum, qui nobis paratus est in cælo, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA IN JEREMIAM.

10. Ascendite muros ejus, & diruite, (*vel dissipate*) & consumptionem ne feceritis: (*vel potius finem*) auferte propagines ejus, (*vel ramos, vel dentes murorum, ut alii vertunt: aut pinnas*) quia non sunt Jehovæ.

Hic Deus per os Prophetæ sui compellat hostes, quibus uti statuerat vindictæ suæ ministris. Hoc autem Prophetis usitatum est, dum volunt magis afficere, vel acrius pungere animos. scimus enim quanta sit hominum socordia, ubi Deus ad judicium eos citat. Quum ergo videret Jeremias parum se proficere simplici doctrina, usus est hoc genere loquendi. ergo in persona Dei alloquitur Chaldæos, & jubet eos accurrere, ut oppugnent Jerosolymam. Sæpe ita loquuntur Prophetæ,
Jesa. 6. vers. 26. & 7: 18. Sibilabit Deus ad Ægyptios, vel canet tuba, & accerset Chaldæos. Sed hæc figura efficacior est ad penetrandos animos, ubi Propheta mandato Dei quasi cælestis præco hostes ipsos convocat, & præcipit quid agere debeant, nempe ut exscindant totam urbem. Primo dicit, *Ascendite muros ejus.* quibus verbis significat frustra gloriari Judæos in altitudine murorum, quia Deus attollet hostes, ita ut non sit illis difficilis ingressus. sperabant enim tutos se fore, quoniam urbs bene munita erat. Dicit igitur eos falli: & coarguit eorum stultitiam, quia muri eos non protegent. Postea addit, *Finem ne feceritis.* Hoc membrum bifariam exponitur, quia alii accipiunt in bonam partem, acsi Deus mitigaret atrocitatem pœnæ, quemadmodum à quibusdam accipi proximo capite vidimus. nam quamvis illic Deus terreret Judæos, tamen secundum eosdem correctionis vice addebat, Ego tamen non faciam consumptionem, hoc est, aliquid manebit residuum. Et solent ita loqui Prophetæ ubi docere volunt semper aliquod semen fore salvum, ne tota Ecclesia penitus intereat. Ita etiam nunc exponunt iidem interpretes, acsi diceret Deus non talem fore ruinam Jerosolymæ, quin superstes maneat Ecclesia, quoniam non fieret consumptio. Alii autem accipiunt כלה pro fine: & sensus hic melius quadrat. nam hoc versu Deus severe minatur Judæis interitum. Nec obstat quod alibi dicitur, non fore plenam consumptionem: satis enim patet, Prophetas non semper eodem modo loqui. nam ubi vindictam denunciant reprobis, nihil spei relinquunt, atque ita sæpe occurrit hæc loquutio, Consumptionem faciam: sed ubi dirigunt sermonem ad fideles, temperant rigorem illum hac correctione, quod scilicet Deus non faciet consumptionem. Ego itaque libenter eorum sententiæ subscribo, qui hic consumptionem accipiunt pro

fine;

fine: & כלה etiam significat finire. Sensus ergo erit, *Diruite urbem, & nullus sit finis*, hoc est, delete eam prorsus. nam continuo post sequitur eodem sensu, *Tollite propagines ejus*, vel ramos ejus, vel dentes murorum, ut alii vertunt: ego tamen existimo Prophetam hic respicere ad murorum latitudinem, quæ est in ipsis fundamentis. scimus enim sic extrui muros, ut fundamentum latius pateat: nam vox qua utitur Propheta, significat propagines, quæ longe sont diffusæ. Qui vertunt pinnas murorum, non videntur satis assequi Prophetæ mentem, quia non hic de culmine ipso loquitur, sed de fundamentis: quasi diceret, Funditus evertite, vel delete muros urbis. quare? subjicit, *non esse Dei*. Nam Judæi turgebaot hac inani fiducia, quod putabant se latere sub Dei præsidio: fingebant enim sibi Deum esse custodem urbis, quia illic erat sanctuarium, illic erat altare. Propheta igitur negat *muros esse Dei*, vel ipsa etiam fundamenta esse Dei. Neque potest opponi quod alibi dicitur, nempe fundatam urbem illam esse à Domino: quia Deus elegerat quidem illic sibi domicilium & sedem, sed hac lege, ut pure coleretur à populo. quum autem facta esset Jerosolyma spelunca latronum, Deus illinc discessit, quemadmodum dicitur Ezechielis 14. cap. Hic ergo Propheta refellit stultam confidentiam, qua se fallebant Judæi, quum putarent Deum sibi quodammodo obstrictum esse, ne unquam urbis custodiam desereret: negat muros & illorum fundamenta esse Dei. Locum enim illum sic profanaverant Judæi suis sceleribus, ut non posset in tanto fœtore Deus habitare. Sequitur,

11. Quoniam transgrediendo transgressi sunt in me domus Israël, & domus Jehudah, dicit Jehovah.

בגד significat fraudare, & perfide agere. Ergo hic Deus Judæos condemnat perfidiæ, quoniam ab ipso defecerant: neque enim tantum conqueritur, aliqua in parte ipsos peccasse, & ita se fuisse ab illis offensum: sed generalem defectionem in illis condemnat. Dicit ergo tam Israëlitas, quam Judæos fuisse perfidos & apostatas. scimus tunc divisum fuisse populum in duo regna. Quanquam autem Jeremias proprie datus fuerat doctor tribui Jehudah, simul etiam Israelitis debuit impendere suam operam. Aliqua jam ex parte conciderat regnum Israël. abductæ enim fuerant quatuor tribus: & regnum illud erat lacerum & debile: tamen voluit consulere quantum in se esset reliquiis. ideo utrosque hic dicit esse impios apostatas, *quod perfide se gesserint erga Deum*. Et quoniam acerba erat hæc querimonia, & poterat graviter vulnerare eorum animos, transfert in Deum quod vix ab ipso passi fuissent Judæi sibi exprobrari: *Jehovah est qui loquitur*, inquit: hoc est, non est quod litigetis mecum, acsi asperius vobiscum agerem: sed litigate cum Deo ipso, quandoquidem ipse est qui pronunciat vos omnes esse perfidos. Postea addit,

12. Negarunt Jehovam, (*alii vertunt, mentiti sunt Jehovæ*) & dixerunt, Non est, & non veniet super nos malum: & gladium, & famem non videbimus.

Clarius & pluribus verbis exprimit quod breviter dixerat. Hæc igitur species fuit perfidiæ, *quod Deum abnegarint*. Non rejicio in totum quod alii vertunt, nempe mentitos fuisse Deo. Sed quoniam hic ponitur ב, nescio an in hac constructione verbum כחש significet mentiri. Dicendum fuisset potius כחש ליהוה. Sed quum dicit, ביהוה, non dubito quin simpliciter pronunciet *illos abnegasse Deum*. & contextus etiam videtur hoc requirere: seipsum enim continuo post exponit, *quod* scilicet *dixerint non esse Deum*. Hoc certe non fuerit mentiri Deo, sed rejicere acsi non esset Deus. Quoniam igitur ille sensus esset frigidior, Deo fuisse mentitos, ego in diversam partem magis inclino, *quod* scilicet *Deum abnegaverint*, hoc est, Deum pro nihilo duxerint, vel studuerint abolere. Sequitur tamen ratio quæ notanda est, *Dixerunt, Non est*. ut hoc idem clarius explicet, gloriatos fuisse dicit de impunitate. Hoc videtur modum excedere, quum Propheta dicit abnegatum fuisse Deum à Judæis. Sed ne tergiversentur, confirmat hanc sententiam, quod scilicet dixerint, *Deum non esse*. Interea videndum est, cur tam grave & atrox crimen illis exprobret: nempe quia jactabant se immunes fore à pœnis, quas minitabantur Prophetæ. Videmus ergo quid objiciat illis Jeremias, nempe contemptum una cum obstinatione: erant enim securi adversus omoes minas Propheticas. Propheta dicit hoc nihil aliud esse, quam prorsus abnegare Deum. Si essemus judices, definitio posset hæc nobis videri nimis aspera: sed standum est atque acquiescendum Spiritus sancti sententiæ. Et hic locus insignis est, unde colligere licet quantopere abominetur Deus eorum socordiam, qui obdurescunt contra ejus minas, & pro nihilo ducunt judicium ipsius. Neque enim si illum esse Deum agnoscimus, detrahenda est illi Judicis potestas. quid enim sibi vult nomen Dei? Certe qui imaginantur Deum manere quietum in cælo, & illic otium & delicias colere, illi etsi uno verbo non negant Deum, tamen illudunt facete: interea nulla est in illis religio, & nullus seosus divinitatis. Diligenter ergo notandus est hic locus Prophetæ, ubi testatur Deum negari à nobis, nisi movemur ejus minis: quia socordia in qua torpemus, ubi Deus judicium suum nobis denunciat, tantundem valet atque ejus abnegatio. neque est quod hic extenuent crimen suum qui Dei vindictam contemnunt. Nam semel hoc protulit Spiritus sanctus, nempe quicunque Prophetis illudunt, in animo suo dicere, non esse Deum. spoliant enim ipsum sua virtute, & suo officio: relinquunt duntaxat nudam essentiam, hoc est, nescio quod figmentum, & aliquod spectrum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Perfidiam enim, quam in Judæis condemnaverat, nunc amplificat pluribus verbis, *quod abnegarint Deum, ac dixerint non esse*, nempe quia non putarunt sibi instare malum, quod Prophetæ denunciaverant. Postea sequitur,

13. Et Prophetæ erunt in ventum, & sermo non est in eis: sic fiet illis.

Prosequitur eandem doctrinam Propheta & ideo locus hic observatu dignus est, quia non vulgariter nobis commendat externam doctrinæ prædicationem. Quid enim fingi potest magis detestabile, quam *negare Deum?* atqui nisi defertur auctoritas ejus verbo, perinde est acsi contemptores illum è cælo detrahere vellent, & negarent Deum esse. Videmus ergo ut conjuncta sit Dei majestas quasi individuo nexu cum externa prædicatione doctrinæ. Et in eundem finem spectat hic versus, ubi refert Jeremias ludibria populi. nam inducit Judæos loquentes, *Prophetæ erunt in ventum, non est in ipsis sermo: & malum quod nobis minitantur, recidet in eorum capita*. Fieri potest ut non evomuerint Judæi plenis buccis tales blasphemias: sed tam crassus erat contemptus Prophetarum apud eos, ut in tota eorum vita hæc impie-

impietas satis conspicua esset. quare Propheta non abs re reos peragit tam fœdæ impietatis, quod scilicet dicerent *Prophetas in ventum abituras*. Quemadmodum hodie etiam major pars, ubi tonat Deus, & signa vindictæ suæ in medium profert per servos suos, ridet, ac secure depellit à se omnem metum: O, sunt verba. nam pro suggestu fortiter & horrendum in modum fulminant concionatores: sed hoc totum evanescet, & recidet in ipsorum capita quicquid nobis denunciant. hodie videmus vulgo multos impios & profanos homines crepare hujusmodi ludibria. Quanquam, ut dixi, fieri potest, ut Judæi non ausi fuerint tam aperte conspuere adversus Deum: sed Spiritus sanctus qui exercet suam jurisdictionem in corda & mentes, & arcanos affectus, merito damnavit tam crassæ impietatis Judæos. quanquam ex aliis locis etiam colligi potest, eo progressos fuisse audaciæ, ut non dubitarent ita suis sannis eludere minas Propheticas. Quicquid sit, Propheta demonstret, quasi pingeret vivam imaginem, quanta fuerit populi contumacia adversus Deum. Est enim hic hypotyposis, hoc est, subjicit oculis quo prolapsi essent Judæi, ita ut petulanter aggrederentur Prophetas, & ultro eos damnare vanitatis: *Abibunt Prophetæ*, inquiunt, *in ventum*. deinde, *Non est in ipsis sermo*. His verbis negabant Judæi fidem esse Prophetis habendam, utcunque nomen Dei obtenderent, quia falso jactabant hoc vel illud sibi divinitus esse mandatum. Sic ergo videmus omnem doctrinam fuisse calcatam pedibus, quemadmodum idem nunc quoque experimur. qualis enim est passim reverentia verbi Dei? Ergo diligenter notandus est hic locus, quia velut in speculo ostendit quo audaciæ & furoris prorumpant homines, ubi cœperunt abrogare fidem verbo Dei. Postea addunt, *Sic fiet illis*, vel sic fiat. nam quidam putant esse imprecationem: quasi dicerent reprobi, Sentiant Prophetæ in suam perniciem quid sit gladius, quid sit fames, quid sit pestis, quoniam non desinunt nobis assidue aures obtundere his terroribus: ergo experiantur hæc Dei flagella. sed possumus retinere tempus, & modum verbi, *sic fiet illis*: quasi se opponerent Dei servis, & simularent se esse Dei Prophetas: O, nos habemus oppositum vaticinium: terrent nos, gladium, & famem, & pestem denunciando: nos vicissim retaliamus, & denunciamus illis instare pestem, & bellum, & famem. nam qua auctoritate ita in nos insurgunt? annon idem in ipsos nobis licebit? Nunc ergo videmus quid sibi velit hoc postremum membrum. Jam sequitur,

14. Ergo sic dicit Jehovah Deus exercituum, Quia protulistis verbum hoc, ecce ego dabo verba mea (*vel ponam verba mea*) in ore tuo quasi ignem: (*vel in ignem*) & populus hic ligna, & vorabit eos.

Hic ostendit Deus quam intolerabilis sit illa protervia, ubi spernuntur Prophetæ, per quos vult audiri. Tametsi enim nondum protulerat illam sententiam Christus, Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit: fuit tamen lex æterna. Deus enim ab initio voluit non secus obtemperari servis suis, acsi palam ipse è cælo descenderet. ergo non minus in Deum contumeliosi fuerunt Judæi, quoties Prophetas spreverunt, acsi ausi fuissent Deum ipsum impetere suis ludibriis. Nunc ergo ostendit Deus quantopere abominetur amentiam hanc, ubi nihil proficit servorum suorum opera. *Itaque sic dicit* יהוה צבאות. Præfatur Jeremias, quo efficacius permoveat Judæos. nam si omissis his vocibus, *Sic dicit Jehovah*, ita cœpisset, *Quoniam protulistis sermonem hunc, ecce in ignem erit Dei sermo*, fuisset excepta ejus doctrina quasi contemptim: nunc autem ubi proponit nomen Dei, nec illud simplex, sed exornat etiam Deum epitheto, & vocat *Deum exercituum*, & celebrat ejus potentiam, ut plus incutiat formidinis. dicit ergo *sic loqui Jehovam Deum exercituum*: nempe *Quoniam loquuti estis*, inquit, *verbum hoc*. Hic mutat personas sæpius, sed ita oportuit, quo plus esset vehementiæ in ipsa doctrina. Debuerat in tertia persona dicere, Quoniam sic loquuti sunt, ecce ponam verba mea in ore tuo: sed nunc populum compellat: deinde convertit se ad Jeremiam servum suum. Dicit igitur, Vos quidem ita estis loquuti, hoc est, cum vestris ludibriis sic insultastis, acsi Prophetæ mei nihil haberent præter inanem sonitum, vel strepitum verborum. *Ecce*, inquit, *ponam verba mea in ore tuo quasi ignem*: (ita dirigit se ad Prophetam) *& populus hic erit ligna, & ignis vorabit eos*. Comparat Deus sermonem suum igni, non quemadmodum aliis locis, neque eadem ratione: sed specialis est hujus similitudinis ratio, quod scilicet consumet sermo Propheticus populum, quemadmodum ignis lignum aridum, vel stipulam. Alibi vocatur sermo Dei ignitus, nempe quoniam accendit corda hominum, quoniam expurgat sordes & excoquit. sed hic non agitur de utilitate verbi Dei, nec fructu quem ex eo percipiunt fideles. simpliciter enim pronunciat Deus, doctrinam Prophetæ fore exitialem populo: & ideo diserte exprimit, *In ore tuo ponam verba mea quasi ignem*. Si dixisset, Ecce verba mea erunt tanquam ignis, populus hic erit stipula, hoc non fuisset satis dilucidum. Sed quoniam populus jam assueverat ad illas subsannationes, He, quid sunt Prophetæ? & quænam sunt eorum verba? verberant aërem duntaxat. quoniam ergo sic loqui consueverent Judæi, ideo ex adverso respondet, *Ecce ponam verba mea in ore tuo*, hoc est, lingua tua satis & super sufficiet ad delendum hunc totum populum. Idem nunc docet Jeremias quod Paulus aliis verbis quum dicit nobis esse in promptu vindictam adversus omnem altitudinem, quæ se extollit contra Euangelium. nam fuit vitium illud seculis omnibus commune, ut vel negligerent servos Dei, vel prorsus aspernarentur. Jam Paulus quia videbat Euangelium à multis contemni, dicit sibi & aliis ministris vindictam esse in promptu: quasi diceret, Totidem verba quot proferimus, erunt gladii ad perdendos omnes impios: & quamvis nunc sua duritia repellant Dei judicium, nihil proderit hæc contumacia. Sentient igitur tantum efficaciam esse in verbo meo, acsi Deus palam manum suam è cælo exereret, acsi jam fulmina sua jacularetur. Idem nunc hoc loco intelligit Jeremias: *Ecce*, inquit, *ponam verba mea in ore tuo ignem*, hoc est, tantum erit efficaciæ in tuis verbis, ut agnoscant impii, sed suo malo, te esse exequutorem meæ vindictæ. Hic locus diligenter nobis notandus est, ne ingratitudine nostra sic provocemus iram Dei in nos, ut sermo ejus vertatur nobis in ignem, qui destinatur in cibum. Nam quorsum Deus Euangelii sui ministros nobis destinat, nisi ut ad salutem nos invitent, atque ita suaviter reficiant animas nostras? & ideo sermo Dei nobis est instar aquæ, qua animæ nostræ irrigantur. est quidem ignis, sed in bonum nostrum, ignis purgatorius, & non consumens. Quod si pervicaciter respuimus ignem illum, fieri aliter non potest quin cedat nobis in contrarium usum, nempe ut nos devoret, atque penitus absumat. Dicit autem *populum fore ligna*, quoniam impii dum ferream suam frontem opponunt Deo, existimant se ejus vindictam posse hoc modo procul arcere. Hanc amentiam deridet Propheta, ac dicit *illos fore quasi ligna*, vel stipulam. Sequitur,

Luc. 10. vers. 16.

2 Cor. 10. vers. 4, 5.

15. Ecce ego adduco super vos gentem è longinquo, domus Israël, dicit Jehovah: gentem duram, (*hoc est, quæ dura erit: quia sequitur* הוא) gentem quæ est à seculo, gentem cujus non tenebis (*vel cognosces*) linguam, (*nam relativum est* ו) & non audies quid loquatur.

Hic ostendit Propheta quomodo futurus sit populus similis stipulæ, vel ligno arido: quia scilicet Deus adducet certam cladem, à qua sibi non timebant. Et notandus est hic contextus. Dixerat Propheta sermonem in lingua sua fore instar ignis: jam hoc transfert ad Assyrios, & Chaldæos. Videntur hæc quodammodo pugnare. sed jam ante ostendimus, omnia Dei flagella pendere ab efficacia verbi. ergo quum excisa fuit urbs ab Assyriis & Chaldæis, tunc ignis ex Jeremiæ ore erupit ad urbem ipsam perdendam, & populum. In summa, significat Jeremias, quum advenient hostes, non respiciendum esse illorum robur, neque reputandas copias, nec quæcunque secum adferent belli auxilia: sed fore exequutionem doctrinæ, quæ ab ore ipsius prodierat: quemadmodum alibi videbimus ipsum mitti à Deo, ut urbem obsideat. sed quibus cum copiis? solus erat, & inermis. verum: sed fuit hæc obsidio incognita reprobis: non tamen caruit effectu, quoniam sicuti loquutus est Propheta, ita exequutus est Deus, quod per os ejus protulerat. Ergo hic videmus Chaldæos quasi projici ex ore Prophetæ: quemadmodum si hostis volens muros urbis diruere, jacularetur, projiceret balistas, & catapultis subverteret muros: quemadmodum hodie etiam sunt novæ machinæ, & tormenta bellica, quibus pugnatur ad urbes excidendas. Quid ergo sunt omnes bellicæ machinæ? sunt ignis ille, quem Deus jaculatur per ora servorum suorum: & doctrina quæ ab ipsis profertur, simul secum habet machinas omnes, quæ non tantum urbem unam, & populum unum exscindant, sed totum mundum, quoties opus fuerit. *Ego* igitur *adduco super vos gentem è longinquo.* Diximus alibi cur designet Propheta longam distantiam, nempe quoniam Judæi putabant sibi non instare periculum à gentibus tam remotis: quemadmodum si hodie sermo esset de Turcis, O, pugnabunt cum aliis multis gentibus: sustineant Turcarum impetus qui sunt vicini: nam poterimus interea transigere tres aut quatuor vitas. videmus talem hodie grassari socordiam in multis. Propheta igitur ne hac inani fiducia se jactent Judæi, dicit præsto fore hanc gentem, licet ex remotissimis locis veniat. Dicit *gentem hanc esse duram*, vel robustam, *& gentem esse à seculo.* Non simpliciter intelligit fortem per ævum, sed intelligit duram aut ferocem: nam postea dicet omnes esse גבורים, hoc est, fortes. Hic ergo vocat gentem duram, quod esset truculenta: & barbariem etiam illius gentis exprimit postea. Sed primum dicit *esse à seculo.* nam hoc generat magis feroces spiritus, ubi diu, & ab ultima memoria gens aliqua dominata est: illa diuturnitas solet inflare animos superbia, & reddere magis feroces. Dicit igitur *esse à seculo.* postea de barbarie loquitur: *Tu*, inquit, *linguam ejus non tenebis*, *neque audies quid loquatur.* Scimus in lingua esse communicationem non tantum sermonis, sed etiam affectuum. lingua est character mentis, ut vulgo loquuntur: & ideo est etiam vinculum humanæ societatis. Nam si non esset usus linguæ, quid distarent homines vel differrent à brutis pecudibus? alii in alios sævirent: nulla denique esset inter ipsos humanitas. Quoniam ergo lingua conciliat homines inter se, ideo Propheta ut terrorem injiciat Judæis, dicit gentem illam fore barbaram, quia nullus erit usus linguæ, nulla communicatio. unde sequitur, nullam etiam fore misericordiam, ut parcant victis, etiamsi centies implorent eorum fidem: neque etiam audientur miseri, & qui possent aliquid impetrare favoris, si intelligeretur eorum sermo.

Da omnipotens Deus, quando merito in nobis hodie damnares crassam hanc & sceleratam impietatem: quam olim per os Prophetæ tui damnasti in veteri populo: ne pergamus in nostra contumacia, sed discamus & mollibus animis, & vera docilitate cordia ita nos subjicere verbo tuo, ne vertatur nobis in exitium, sed experiamur nobis destinatum esse in salutem: ut scilicet accensi studio veræ pietatis, & purgati etiam à sordibus pravorum affectuum, & cupiditatum carnis, addicamus nos totos tibi in obsequium, donec exuti hac carne & ejus sordibus, tandem perveniamus ad illam solidam puritatem, quæ nobis proponitur in Euangelio tuo: ac tandem participes fiamus æternæ gloriæ tuæ in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA
IN
JEREMIAM.

16. Pharetra ejus tanquam sepulchrum apertum, omnes fortes.

COEperat Propheta minari Judæis Dei vindictam, & ejus ministros atque exequutores dixerat fore Chaldæos. Jam sententiam eandem continuat, ac dicit *pharetras illorum similes fore sepulchris apertis.* Scimus populos Orientales ut plurimum usos fuisse sagittis, & aliis jaculis. nam illis non est stataria pugna. sed fugam simulant: deinde subito conversi, torquent sua jacula vel sagittas adversus hostes. Propheta igitur respicit ad morem illum, quum dicit *pharetras fore tanquam aperta sepulchra.* Videri posset dura similitudo primo intuitu: sed perinde est acsi diceret, ita peritos fore sagittandi, ut absorbeant quicquid erit obvium. Et adjungit *omnes fore robustos*, ut intelligat populus sibi fore certamen non leve: denique perinde est acsi diceret, bellum hoc illaturum Judæis certam cladem, qua omnes intereant. Postea subjicit,

17. Et vorabit messem tuam, & panem tuum: vorabunt filios tuos, & filias tuas: vorabunt greges tuos, & armenta tua: vorabunt vitem tuam, & ficum tuam: ad inopiam redigent urbes munitionum tuarum, in quibus tu confidis, per gladium.

Eodem sensu etiam loquitur de hostium sævitia: quasi diceret jam illis in manu esse victoriam, quia sint flagella Dei. Non proponit ergo Judæis bellandi molestias, sed concionatur tanquam apud victos: tantum ostendit, crudeles fore Chaldæos in exercenda victoria. Sumit illud pro confesso, superiores fore Chaldæos, quoniam armati erunt divinitus. Sed adjungit alterum, quod scil. crudeliter sævient,

vient, & insolitis modis, ubi Judæos vicerint. Hac ratione dicit, *Comedent*, aut comedet: nam mutat numerum verbi, idem tamen sensus manet. dicit, *Comedet messem tuam, & panem tuum*: hoc est, quicquid colliges, hoc totum in prædam cedet hostibus. Per *messem* & *panem* intelligit proventus quoslibet. Postea addit, *filios tuos, & filias tuas*: quod est atrocius. Est quidem illud durum, privari victu: sed ubi jugulantur liberi in conspectu parentum, hoc est horribile. Dicit tamen Propheta, tantam fore barbariem in hostibus, ut non parcant pueris, vel puellis. Idem etiam adjungit *de armentis, & gregibus*. Postea adjungit *vitem & ficum*: quasi diceret nihil fore salvum apud Judæos, quoniam omnia sibi rapient hostes, nec contenti erunt cibo & potu & reliqua præda, sed ipsos etiam infantes occident. Quia autem Judæi quum essent illis urbes munitæ, insolescebant contra Prophetas, iterum insultat vanæ eorum superbiæ: ac dicit *redactum etiam iri urbes munitas ad pauperiem*. Postea addit, *In quibus tu confidis: hæc omnia*, inquit, *per gladium cadent*. Nam hoc postremum בחרב refertur ad totum versum, & singulas partes: quasi diceret, Jure gladii victores vastabunt totam regionem tuam, deinde vero omnes fortunas: imo filios etiam tuos, ac filias jugulabunt. Sequitur,

18. Atque etiam in diebus illis, dicit Jehovah, non faciam vobiscum finem. *alii vertunt consumptionem.*

Non consentiunt interpretes in sensu hujus versus, quia major pars existimat hic spem reliqui fidelibus: imo fere huc omnes descenduot: nescio an quisquam aliter exponat. Putant ergo hic Deum temperare quod prius dixit, ac fiduciam dare servis suis, ne existiment talem fore interitum Ecclesiæ, ut nullum semen maneat salvum. Et כלה sæpe hoc sensu capitur, ut heri dictum fuit. Sed dum propius expendo totum contextum, cogor in alteram partem potius descendere, quod scilicet Deus exaggeret vindictæ suæ gravitatem. Et huc pertinet particula גם, *atque etiam*: quasi diceret, Ne putetis actum fore, ubi ita hostes spoliaverint vos omnibus fortunis, & orbaverint etiam liberis, & redegerint ad extremam inopiam: ne sic quidem eritis defuncti omnibus malis. Nam ego persequar ulterius vindictam meam. Postea sequentur promissiones, quæ temperent minas, ne deficiant piorum animi. Sed hoc loco non dubito quin Propheta inducat Deum judicem & ultorem, acsi nullus esset misericordiæ locus. *Tunc quoque*, inquit: nam particula גם augendi vim habet ac pondus. *Tunc etiam in diebus illis*: hoc est, ubi hostes ita nudaverint terram & frugibus, & omni genere animalium, & incolis: ne tunc quoque desinam, inquit Deus, vos persequi. *Non faciam* igitur *vobiscum finem*, quia adhuc restabunt flagella ubi putabitis quietem vobis esse datam, & finem venisse malorum & calamitatum omnium. Sic Dominus agere solet cum reprobis, quia talis est eorum pervicacia, ut percussi, magis ac magis obdurescant, ac frenum mordeant, quemadmodum proverbio dicitur. Hinc autem durities illa, quod putant Deum esse quasi exarmatum, ubi pœnas sumpsit de eorum sceleribus. Denunciat igitur sibi esse in manu diversas species pœnarum, & diversos puniendi modos. Et etiam in hunc finem postea adjungit,

19. Et erit, quum dixeritis, Quare fecit Jehovah Deus noster nobis omnia hæc? tunc dices illis, Sicuti dereliquistis me, & serviistis diis alienorum (*alieni, ad verbum: sed est enallage numeri*) in terra vestra: sic servietis alienis (*subaudiunt alii interpretes deos: sed pervertunt sensum Prophetæ*) in terra non vobis. *hoc est, in terra quæ non erit vestra.*

Hinc apparet quod dixi, nempe Prophetam non lenire quod asperum erat in comminationibus quas vidimus: sed agere cum Judæis pro eorum pervicacia, quoniam videbat ipsos esse indomitos: & Spiritus etiam dictabat tantam fore obstinationem in illis, ut donec essent prorsus fracti, non flecterent cervices ad recipiendum jugum. Hic etiam causam assignat, ne cum Deo litigent: sicuti solent hypocritæ quoties Deus illos durius castigat, obstrepere adversus eum & conqueri, & causas etiam flagitare cur ipsos tam duriter tractet: acsi essent innoxii. Quoniam ergo hoc in ore habent hypocritæ, hic Propheta occurrit: *Erit*, inquit, *quum dixeritis*. alloquitur Judæos in persona Dei: postea statim sermonem Dei ad seipsum convertit. *Quum dixeritis* ergo, *Quare fecit nobis hæc omnia Jehovah Deus noster?* Hic tribuit hypocritis quod fere semper in ore ipsorum volitat quoties citantur ad judicium. Nam perinde instructi sunt ad jurgandum, acsi optima esset eorum causa: & si ad rationem reddendam obstrictus foret Deus, possent eum convincere crudelitatis, vel immodici rigoris. Videmus ergo ut depingat hic graphice Propheta homines præfractos, qui cedere nesciunt, & culpam agnoscere: sed fronte quasi ferrea insurguot adversus Deum: quemadmodum similes locos alibi vidimus apud Prophetas, præsertim apud Malachiam primo capite. nam illic sæpius repetebat Propheta voces populi, In quo? in quo? quid hoc sibi vult? Sic etiam nunc Jeremias, *Quum dixerint, Quare nobis fecit hæc omnia Jehovah?* acsi essent insontes. Nam reprobi quasi omnia sua scelera abluerent ore absterso, sic prodeunt audacter in medium, & requirunt causam cur Deus ipsos castiget. Sic etiam hic eodem sensu non dubitant vocare Deum suum: quasi vero non jam abnegassent Deum, quemadmodum heri visum fuit. Nam crassa illa impietas apud ipsos regnabat, quod omnia regerentur fortuito, quod Deus non jure ipsos plecteret. Quum ergo sua perfidia Deum dereliquissent, tamen hic Propheta, ut traducat eorum proterviam, inducit hic loquentes, acsi Deum tenerent sibi obstrictum. *Tunc dices*, inquit. Deus ab una parte compellat populum, ab altera autem Prophetam. ubi ergo cœperint ita obmurmurare, *tunc respondeas, Quia me dereliquistis.* quo plus ponderis habeat oratio, Deus vult Prophetam loqui ex persona sua. *Quia* ergo *me dereliquistis*, (acsi Jeremias non faceret verba ipse, sed Deus per os ejus) *& serviistis diis alieni*, hoc est, alienorum, *in terra vestra*. Hic breviter ostendit Deus quid meriti sint Judæi: & contentus est ostendere genus unum peccati. Videbimus alibi, & jam aliquoties vidimus, fuisse aliis modis sceleratos, & reos coram Deo. Sed hic brevitatem sequitur Propheta, & unum genus duntaxat perstringit. *Vos*, inquit, *servietis in terra aliena tyrannis*, qui crudeliter vos oppriment: *Quia serviistis diis illorum in terra vestra.* Hic exprobrat illis Deus suum beneficium, quod scilicet expulsis profanis gentibus, terram Chanaan, quæ tam amœna & fertilis erat, illis dederat possidendam, ita ut esset illis æterna requies. Deus vocabat terram illam requiem suam, nempe quia protegeret illic Judæos: ac volebat esse quasi legitimos hæredes illius terræ, usque ad finem mundi. Nunc ergo dicit, Terra hæc vestra erat. Hæc memoria beneficii haud dubie ad crimen illorum amplificandum valet, quod jure

optimo possidebant terram illam, quam tamen non acquisierant. Dicit, *In terra vestra coluistis deos*: nec dicit tantum deos alienos, sed deos alienorum. Sæpe ita loquuntur Prophetæ: vocant deos alieni, aut populi alienigenæ. sed emphatica est loquutio, quia illud turpius est, & minus excusabile, quod Judæi, quum in medio ipsorum habitaret Deus, accersunt sibi hinc inde deos, quasi peterent deos à profanis gentibus precario: Date nobis deos vestros. Hoc igitur flagitium nunc Propheta digito ostendit, *quod servierint diis alienorum*. Postea adjungit, *Servietis alienis*. non intelligit deos, meo judicio: & quemadmodum jam dixi, depravant sensum qui hoc transferunt ad deos: sed loquitur de ipsis tyrannis. quemadmodum alibi dicit, Dederam vobis Leges meas bonas, quas qui servaverit *Eze. 20.*
vivet in ipsis: & noluistis obtemperare. Dabo igi- *vers. 21. & 25.*
tur Leges non bonas, hoc est, imponam vobis tyrannicum jugum, & diripient vos victores, & furtunas vestras barbari illi quorum sermo vobis erit incognitus: quia fuistis immorigeri & indociles. Sequitur,

20. Nunciate hoc in domo Jacob, & promulgate (*ad verbum, audire facite*) in Jehudah, dicendo,

21. Audite agedum hoc popule stulte, & absque corde: oculi illis, & non vident; aures illis, & non audiunt. *& non audient, ad verbum.*

Confirmat Propheta superiorem doctrinam, ne scilicet Judæi existiment se terreri duntaxat verbis, & non metuant interea sibi ab effectu.* Dicit ergo, *Nunciate*. non dubium est, quin alludat Propheta ad morem consuetum. Solent enim bella indici per præcones, aut feciales: non statim hostes grassantur, sed bellum denunciant, ut videri possit justa ratio. Ergo hic Deus affirmat serio loquutum se fuisse per os Jeremiæ, quemadmodum si more solenni, & ritu bellum esset indictum, & jam instarent armati hostes. *Nunciate* ergo *hoc*. Quidnam est hoc? *Audite popule fatue*, inquit. Hic primo socordiam objurgat in Judæis & Israëlitis, quod scilicet careant etiam communi sensu. nam cordis nomine mentem, vel intelligentiam significant Hebræi, ut alibi vidimus. Dicit ergo populum hunc vacuum esse omni intelligentia. Primo vocat *fatuum*, vel stultum: sed quoniam multi sunt tardi & hebetes, qui tamen non omnino carent communi sensu, ideo adjungit *esse populum hunc absque corde*. Videtur quidem addere per modum correctionis, illis esse aures & oculos: sed ironice amplificat quod dixi, nempe non minus stupidos esse, quam truncos, vel lapides. Quare? vos estis auriti & oculati, sed sine visu & auditu. Alludit haud dubie ad idola, quibus addicti fuerant. Dicitur enim in Psalmo, Similes illis fiant qui faciunt ea, & omnes *Psa. 115.*
qui confidunt in illis: quum prius dictum fuisset, *vers. 8.*
Aures illis, & non audiunt; oculi, & non vident. Jeremias ergo hic oblique perstringit Judæos, quod obstupefacti fuissent in suis superstitionibus, atque ita similes fuissent mortuis idolis. Nam est quædam similitudo hominis in idolo, & distincta sunt membra: interea nullus sensus. Sic etiam dicit referre Judæos humanam speciem oculis & auribus, & externa effigie esse quidem homines: sed interea non minus esse stupidos, quam si essent lapides, vel trunci lignorum. Nunc sequitur ipsum præconium.

22. An me non timebitis, dicit Jehovah? an à facie mea non contremiscetis? qui posui arenam terminum mari, statutum seculi, (*æternum*) & non præteribit illud: (*vel terminum illum: quidam enim ad proximum referunt, alii ad prius*) & movebunt se, & non prævalebunt; & tumultuabuntur (*vel resonabunt*) fluctus ejus, (*istud* ולא *extendunt ad duo verba*) & non transgredientur ipsum. *non transilient: est idem verbum quod paulo ante usurpavit.*

Hic ostendit Deus cur populum fatuum & absque corde esse dixerit. Fuit enim hic prodigiosus stupor, non expavescere ad conspectum Dei, quum tamen bruta elementa ejus imperio subjaceant. Et sumit præcipue exemplum maris. nam nihil magis terribile mari tempestuoso. Videtur enim fieri quædam conversio totius orbis, ubi fluctus exurgunt tanto impetu. Nemo est illic qui non trepidet. Mare autem ipsum, quod incutit formidinem omnibus etiam constantissimis, placide obsequitur Deo. Nam quantumvis furiosi sint ejus impetus, cohibentur tamen. Nunc si de modo quæritur, certe est miraculum, cujus ratio non potest extare. nam scimus mare esse ut reliqua elementa, sphericum: sicuti terra rotunda est, ita etiam & elementum aquæ, sicuti & aër, & ignis. Quum ergo spherica sit forma hujus elementi, nunc videndum est, sitne inferius terra. Atqui levitas ipsa ostendit eminere super terram. Qui fit ergo, ut mare totam terram non statim obruat? est enim liquidum, nec posset consistere uno in loco, nisi retineretur aliqua arcana Dei virtute & instinctu. Sequitur ergo, ideo mare suo loco concludi, quia ita placuit Deo: quemadmo-
Gen. 1. vers. 9. dum etiam refert Moses, Appareat arida, inquit Deus. nam ostendit submersam fuisse terram aquis, nec apparuisse digitum unum, quousque mare in ordinem coegit Deus. Nunc vox illa Dei, etiamsi non auditur à nobis, neque in aëre resonat, à mari tamen auditur, quia mare conclusum est in suis finibus. Si mare esset tranquillum, semper tamen adhuc admirabile esset hoc opus Dei, quod aliqua pars terræ conceditur hominibus in hospitium. Sed quum tempestas mota est, quemadmodum jam dixi, ac videtur cælum terræ misceri: nemo est, qui non exhorreat, propinquus tali spectaculo. Illic ergo clarius apparet virtus Dei, & formidabilis potentia, quæ ita compescit mare turbulentum. Nunc videmus quorsum spectent Prophetæ verba. Ostendit Judæos esse monstra, & indignos qui censeantur non modo inter homines, sed etiam inter bruta animalia. Plus enim est sensus & intelligentiæ in mari tempestuoso & furioso, quam in hominibus, qui videntur corde & intelligentia præditi. Hic est finis comparationis. Sed quoniam gravis erat hæc querimonis, Propheta interrogatione usus est, *An me non timebitis?* quasi diceret Deus, Quid hoc sibi vult? qui fieri potest ut non metuar à vobis? Nam mare mihi obtemperat, & furor ejus comprimitur arcano meo jussu, quia semel præcepi ut mare intra suos limites maneat: quantumvis agitetur furiose & procellis & tempestatibus, non tamen excedet meum imperium. vos, inquit, homines sensu præditi *non me timebitis? non pavebitis à facie mea*, vel contremiscetis, inquit? Dicit *se posuisse arenam terminum mari*. Hoc autem multo plus exprimit, quam si dixisset se mari terminos statuisse. nam loquitur de arena, quæ mobilis est, & flatu mediocri agitatur: deinde arena est penetrabilis. Si essent

essent per omnia maris littora rupes, non esset miraculum tam illustre. Si ergo Deus validis obstaculis & robustis compesceret maris impetum, hoc posset naturæ adscribi. Sed quid est stabile in arena? nam si projiciam aliquantum aquæ, statim penetrabit per arenam. Qui fit igitur, ut mare cum illis impetuosis procellis non rejiciat arenam, quæ sponte flexibilis est? Videmus ergo non esse supervacuum hoc nomen. Et similis est fere locus 38. cap. Job, ubi Deus de inæstimabili potentia sua differens, inter alia dicit, Et mare hucusque progrediatur, nec ultra. nam haud dubie nulla tempestas exurgit, nisi volente Deo. Posset enim mare semper in uno statu continere. non facit: sed quasi habenas laxaret, dicit, Hucusque progrediatur. Quum autem alti montes videntur minitari cunctis mortalibus, & terra non procul abest à periculo interitus, tunc subito concidunt, & reprimuntur in seipsis tam impetuosi fluctus. Et dicit *statutum perpetuum*. Verum quidem est, mare interdum exundare: scimus enim absorptas fuisse multas urbes diluvio: sed vere tamen hoc dicitur, *statutum hoc*, vel decretum, *esse perpetuum*, quod Deus mare cohibet intra suas metas. Nam quoties mare occupat aliquam partem continentis, haud dubie hinc colligimus quid fieret absque freno illo, cujus hic fit mentio apud Jeremiam, & in illo 38. cap. Job. Colligimus ergo nullum esse obstaculum mari, quin totam terram obruat, nisi quoniam obtemperat Deo. Interea in ipso statu generali manet hæc perpetuitas, de qua Propheta loquitur. Nam quamvis multæ quotannis tempestates exurgant, tamen concidit fervor ille, nec aliter quam Dei præcepto. Hoc ergo verum est, præscriptas fuisse metas mari, quas fluctus ejus transgredi nequeunt. Et ideo dicit, *Movebunt se, & non prævalebunt fluctus ejus*: deinde, *resonabunt*, aut tumultuabuntur, *& non poterunt transgredi*. Tenemus nunc summam hujus versus: conqueritur Deus, tantum esse amentiæ & stuporis in populo, ut saltem non respondeat obedientiæ maris, & quidem turbulenti: ideo hic traducit Judæos, acsi essent portenta, quia nihil magis naturæ contrarium, quam plus esse intelligentiæ in mari tempestuoso, quam in homine, qui creatus est ad imaginem Dei, & præditus est aliquo sensu. Postea adjungit,

Job. 38. vers. 11.

23. Atqui populo huic fuit cor perversum, & rebelle: deflexerunt, & abierunt.

Hic completur sententia, quoniam adhuc pendebat in illa interrogatione, quam vidimus. Sed nunc Deus clarius demonstrat quorsum protulerit quod dixit de mari. & adversativa capitur hoc loco ו copula: itaque verti, *Atqui populo huic cor fuit perversum*. nam סורר significat perversum. Alii vertunt, declinans: quod frigidius est: & ex multis locis petet plus quiddam esse סורר, quam declinans: adhæc melius quadrat versio ista contextui, *fuit populo huic cor perversum*, deinde *rebelle*, vel indomitum. Non dubium est, quin comparet populi contumaciam vel opponat obsequio maris: & ita simpliciter docet, plus esse furoris & stuporis in populo hoc, quam sit in mari procelloso. Et ab effectu probat cor populi esse perversum, nempe *quoniam declinaverint, & abierint*. Si dixisset uno verbo ipsos declinasse, non erat plena probatio: sed abeundi verbo intelligit obstinationem: quasi diceret fuisse illorum pravitatem continuam, sicuti morbi incurabiles nullis remediis sanantur. *Declinarunt* ergo *& abierunt*, hoc est, non potui ipsos retrahere. Deus enim sæpe tentaverat per servos suos, an possent reduci ad bonam frugem: sed magis ac magis se detexit ac prodidit perdita eorum obstinatio, *quoniam abierunt*, ita ut nullus fuerit respectus pœnitentiæ. Sequitur,

24. Et non dixerunt in corde suo, Timeamus agedum Jehovam Deum nostrum, qui dat pluviam, & imbrem matutinum, & serotinum, (*diximus de his verbis alibi*) tempore suo: hebdomadas perpetuas messis (*hoc est, ad messem*) custodit nobis.

Hic aliis verbis Propheta convincit Judæos pervicaciæ. dicit, non venisse illis in mentem, ut apud se cogitarent, timendum esse Deum. Videmus ergo hæc omnia spectare in eundem finem, populum scilicet non minus socordem, vel stupidum esse, quam sint mortua elementa: imo plus in illorum cordibus esse stuporis, & furiosæ amentiæ, quam sit in omnibus creaturis. Dicere in corde, tantundem valet apud Hebræos, atque *reputare*, vel expendere secum. Latine dicendum esset, Non venit illis in mentem: hoc est, Adeone fuerunt privati communi sensu, ut saltem non venerit illis in mentem, neque succurrerit hæc cogitatio, *Timeamus Dominum*? Et hic tollit omnem ignorantiæ prætextum, ne scilicet excipiant, hoc factum esse vel errore, vel inscitia, quod Deum non coluerint. Atqui, inquit, erant vobis oculi, erant vobis aures, & sensus alii corporei: Deus dedit vobis pluvias: nullus fuit annus quo terra non gigneret vobis suos proventus: quoties panem comeditis, annon se offert vobis Dei liberalitas? Et interea non reputatis ipsum esse colendum. videmus ergo ut tollat omnem excusationem eorum ingratitudini, quum dicit eos non fuisse attentos ad ea beneficia, quæ tamen oculis cernebant & palpabant manibus, & contrectabant singulis corporis sui partibus. Sed hac de re cras adhuc dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quum quotidie nos tam benigne & suaviter ad te invites, ac resonet sermo tuus assidue in auribus nostris: ne obsurdescamus carnis nostræ pravitate, sed attenti simus ad audiendam salutis doctrinam: deinde ita morigeri simus atque obsequentes, ut quocunque volueris nos flectas, & dirigas per viam quam nobis demonstras, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SECUNDA

IN

JEREMIAM.

Etsi monstrata fuit eorum socordia, qui Dei beneficiis non moventur ad ipsum colendum. Propheta quidem produxit in medium quod promiscue beneficium largiri solet Deus bonis & malis, nempe quod det pluvias, & vere, & autumno: atque ita temperet omnes anni partes, ut tandem fruges maturescant. Nam per *hebdomadas statutas* simpliciter intelligit, Deum ita

disponere singulas anni partes, ut quicquid seminant homines ad maturitatem perveniat. Et huc etiam pertinet verbum *custodiendi*. Nam perinde est acsi diceret, sic mutari tempora singulis annis, ut tamen continua series ordinatim procedat. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem. nam Judæos ostendit nimis fuisse socordes, qui non expenderint in quotidiano victu paternum Dei favorem, ut hoc stimulo incitarentur ad ipsum colendum. Paulus etiam dum concionetur apud gentes profanas, hanc rationem proponit: Deus, inquit,
Actor. 14. vers. 17. nunquam se reliquit ἀμάρτυρον, absque testimonio, quia dedit pluvias, & tempus serenum: hoc est, ita distribuit temporum vices, ut potuerit quasi in speculo cerni paterna ejus cura, qua prosequitur humanum genus. Sed Propheta voluit hic coarguere Judæos ingratitudinis, quia non reputarent quam liberaliter Deus cum ipsis semper egisset præter ordinarium modum. Neque enim tantum communi more illos ad se allexit beneficiis, sed voluit etiam raris & insolitis modis ipsos sibi addicere. Quum ergo speciali gratia ipsos prosequutus esset, eo fœdior ingratitudo fuit, quod non reputarunt secum quotquot Deus beneficia in ipsos contulerat, totidem esse incitamenta vel illecebras quibus eos sibi obstringeret. Nunc ergo tenemus sensum Prophetæ, ubi dicit, *Non dixerunt, Timeamus Jehovam qui dat nobis pluviam*, nempe pluviam vernam, & pluviam quæ antecedit messem, *idque etiam tempore suo.* Nam inde nobis refulget Dei providentia, quod dum seminant agricolæ, sequitur pluvia, quæ humorem & succum terræ suppeditat: deinde antequam fruges maturescant, quod Deus pinguedinem rursus serotina pluvia inspirat. Et eodem pertinet quod sequitur, *Qui dat pluvias, hebdomadas statutas.* (statutorum, ad verbum) sed dicit, *Ut tandem adveniat messis.* Nunc sequitur,

25. Iniquitates vestræ averterunt hæc, & scelera vestra prohibuerunt bonum à vobis.

Quoniam, sicuti ante dictum fuit, subinde respondeant Deo hypocritæ, & objiciunt hoc vel illud, Propheta hic refellit quicquid afferre poterunt. dicit enim *prohibitam fuisse ab illis beneficentiam Dei, & quidem eorum culpa*: poterant enim excipere, Tu quidem præclare hic concionaris de paterna Dei liberalitate, quod suppeditet nobis victum: sed nunc æstus exurit fruges nostras, nunc intempestivæ pluviæ corrumpunt annonam: denique nihil certum, sed omnia sunt confusa. Ideo ut refellat illam objectionem, dicit fieri eorum malitia & pravitate, ne Deus sic temperet singulas anni partes, ut oculis aspiciant continuam ejus liberalitatem. *Iniquitates*, inquit, *vestræ abstulerunt hæc, & scelera vestra prohibuerunt beneficentiam ejus à vobis.* Hæc sententia notatu digna est, quoniam non ita continuo tenore resplendet paternus Dei favor in quotidiano victu, quin multæ nebulæ impediant nostrum aspectum. Hinc fit ut profani homines existiment nunc steriles nunc fœcundos esse annos fortuito casu. Nihil enim cernimus omni ex parte in mundo sic temperatum, ut absque nebulis vel obstaculis conspicua sit nobis Dei bonitas. Sed non consideremus unde hæc perturbatio: nempe quia obstruimus Deo accessum, ne ejus beneficentia ad nos usque perveniat. Turbamus & cælum & terram nostris peccatis. nam si essemus rite compositi in Dei obsequio, certe omnia elementa nobis accinerent, atque ita cerneremus in mundo quasi Angelicam melodiam. Sed quia tumultuantur nostræ cupiditates adversus Deum, imo bellum quotidie movemus, & nostra superbia, contumacia, & obstinatione illum provocamus: necesse est ut sursum & deorsum omnia turbentur, & cælum nunc appareat nubilum, nunc pluviæ assiduæ corrumpant fruges, & nihil sit sincerum vel integrum in mundo. Ergo est imputanda hæc intemperies omnium elementorum nostris peccatis. hoc nunc intelligit Propheta. Etsi autem objurgatio haud dubie tunc directa fuit ad Judæos, hinc colligere oportet generalem doctrinam. Sunt igitur hæc duo simul vera, nempe Deum non destitui testimonio, quoniam dat pluvias, dat tempus serenum, & terram fœcundat, ut alimenta nobis suppetant: deinde aërem, & cælum, & terram sæpe misceri, & confundi, & multa intempestive accidere, acsi Deus nos non respiceret, quoniam peccatis nostris dum tumultuamur adversus eum, confundimus & pervertimus ordinem naturæ. Hæc igitur duo simul conjungi debent. Nam in ordinario naturæ cursu perspicere licet incomparabilem Dei bonitatem erga humanum genus: sed in vitiis accidentalibus simul etiam consideranda est causa, nempe quod non permittimus Deo regere mundum certo & æquabili ordine, sed turbamus ejus providentiam quantum in nobis est. videmus ergo quam apposite adjungat hanc sententiam Propheta, quod scilicet *iniquitates populi arcerent Dei beneficentiam.* Postea sequitur,

26. Quia inventi sunt (*aut inveniuntur*) in populo meo scelerati: aspicient (*hoc est, astute observabunt*) secundum ponere laqueos, (*hoc est, acsi decipulas tenderent*) perditionem locant, in qua homines capiant.

Confirmat proximam sententiam, quod scilicet Judæi sua culpa privarent se paterno Dei favore. Nam alioqui semper fuisset illis in ora aliqua responsio: quoniam hypocritæ, ut sunt protervi, non facile cedunt. Propheta igitur confirmat quod dixit, nempe *sceleratos esse in populo Dei.* Non debet hoc restringi ad partem aliquam, sicuti interpretes non videntur satis fideliter reddere quod voluit Propheta. Neque enim tantum quosdam reprehendit vel accusat, sed dicit populum qui electus à Deo fuerat, esse sceleratum. Generalis igitur est damnatio totius populi quum dicit *inventos esse in populo Dei sceleratos*: quasi diceret, Non sunt quærendi scelerati inter gentes profanas, sed iniquitas sic dominatur in electo populo, ut nihil illic sanum sit vel integrum. Quum dicit *inventos*, ego interpretor deprehensos esse & convictos. significat enim non esse obscura eorum scelera, ut subterfugiis elabi queant. nam dicit inventos esse, quemadmodum fures ἐπ' αὐτοφώρῳ, sicuti loquuntur. Negat igitur Propheta hic opus esse longa disputatione, acsi Judæis suppeteret aliqua excusatio, quoniam deprehensi erant. Hoc autem multo fuit turpius quam apud cæcos & incredulos: nam hac lege populum illum Deus sibi adoptaverat, ut regnaret in eo sanctimonia, & puritas vitæ. Quum ergo essent non tantum peccatores, sed רשעים, hoc est, prorsus impii & scelerati: hoc, quemadmodum dixi, longe atrocius fuit. Et ita illis abstulit omnem tergiversandi ansam. Postea propius eos urget, quod scilicet *quisque aspiciat.* nam hoc significat verbum ישור, *aspiciet*: mutat quidem numerum, sed sensus non redditur obscurior. Aspicere autem hic tantundem valet, atque insidiari. *Aspicit* ergo, hoc est, quisque eorum insidias tendit: acsi tenderent decipulas, quemadmodum solent aucupes. Postea dicit *eos laqueis instructos esse, quibus trahant ad interitum homines, postquam eos ceperint.* Species hic pro genere ponitur. Nam Propheta do-
cere

cere vult nullam tunc fuisse in populo fidem, vel integritatem, quoniam quisque fraudibus & pravis astutiis oppprimeret simplices. Quum ergo ita alii aliis invicem perfidi essent, merito comparat eos aucupibus, qui laqueis circumveniunt simplices aves: & hoc clarius deinde exponit.

27. Sicuti cavea plena est ave, (*hoc est, avibus*) sic domus eorum plenæ sunt fraude: propterea aucti sunt & ditati.

Prosequitur suam doctrinam Jeremias. Nam usus fuerat similitudine aucupum, ut nuper diximus. Jam accommodat similitudinem illam ad Judæos, quod scilicet *domus eorum plenæ essent dolo, quemadmodum cavea* (alii vertunt, canistrum) *plena est avibus.* Nam aucupes quum venantur, ferunt secum vel saccos, vel caveas, vel canistra. Sic igitur dicit Jeremias illos undique coacervare prædam, ita ut domus eorum plenæ sint fraudibus. sed per Fraudem hic intelligit spolia, quæ sibi quærebant malis artibus. Posset primo intuitu obscura esse loquutio: sed si accipimus nomen מרמה passive, nihil erit ambiguum. Non ergo dicit Propheta proprie loquendo, domos eorum esse plenas dolo vel fraude, sed prædis quas sibi acquisierant dolo & fraude. Quid ergo intelligit per fraudem? intelligit spolia quibus ditati fuerant, quemadmodum paulo post se exponit. Nunc ergo tenemus Prophetæ seosum, nempe non longe quærendam esse probationem, an Judæi insidiis circumveniant miseros & pauperes, quoniam domus eorum refertæ sint hoc genere prædarum, unde appareat ipsorum pravitas, quod scilicet undique corraserint sibi divitias, & ita exuerint miseros & pauperes sua substantia. Et hac ratione adjungit: *Super hoc*, inquit, *aucti sunt & ditati.* Nam probabile est, gloriatos fuisse suis opibus, quemadmodum prædones qui totum mundum exspoliant. ubi enim aucti sunt, existimant se evectos esse supra communem aleam: quemadmodum aulici, ubi & rapinis, & fraudibus, & tyrannica violentia traxerunt hinc inde alienas opes, ita ut unus acquisierit sibi annuum proventum usque ad sexaginta millia, alter usque ad centum millia, tunc eo magis ferociunt, quia non putant sibi reddendam rationem: excæcantur enim illo splendore opum suarum. Sed Propheta hic deridet stolidam illam jactantiam, ac dicit, Ecce magni sunt in mundo, & ideo volunt se magnifieri: sed, inquit, *aucti sunt & ditati*, hoc est, si quis excutiat nunc eorum domos, reperiet quidem multos titulos, quibus fucum faciunt coram simplicibus: sed interea sunt rapinæ, sunt prædæ, sunt fraudes, sunt spolia, sunt furta, sunt denique latrocinia. Hoc intelligit simpliciter. Postea addit,

28. Impinguati sunt, (*nam* שמנו *deducitur ab oleo. Perfusi sunt pinguedine, si Latine & proprie reddere velimus*) postea nitent, (*vel sunt candidi. alludit ad pingues & bene saginatos, quorum cutis est nitida*) etiam excedunt (*vel quamvis excesserint*) verba impii: (*hoc est, scelera impiorum*) causam non judicant, causam pupilli, & prosperantur, & judicium pauperum non judicant.

Hic Propheta aggreditur eos, qui & dignitate, & gratia, & opibus pollebant: deinde qui etiam volebant esse sacrosancti, propterea quod essent populi gubernatores. Loquutus fuerat in genere: sed nunc sumit quod erat magis eximium in populo, nempe Consiliarios Regis, Sacerdotes, Judices, & quicquid auctoritate erat præditum. Dicit ergo *ipsos pinguedine turgere*, dicit *esse nitidos, quamvis excesserint.* Videmus ut confirmet quod brevius attigerat: quum enim illi se protegerent prætextu suarum opum, ne traherentur ad reddendam rationem, dicit per modum concessionis, Fateor, vos estis nitidi & splendidi, denique toti estis aurei: sed unde hic splendor? unde hæc tam speciosa facies, quæ oculos perstringit simplicibus? nitidi estis & pingues, *quamvis transgressi sitis verba impii*, hoc est, vias, studia, & consilia impiorum. Denique significat nihil debere hoc impiis suffragari, quod aspectu suo omnes territant, quod conciliant sibi magnam reverentiam suis divitiis, quod denique terrorem omnibus incutiunt. Concedit Propheta illis honores, opulentiam, splendorem, existimationem & famam, amplitudinem, dignitatem, & quicquid tale est: interea, inquit, *transgressi estis omnes vias impiorum.* nam postea ipsos coarguit, *quod non judicent judicium.* Et hinc appareret, non agere Prophetam cum vulgo, aut cum privatis hominibus, sed aggredi palam & ex professo Regis Consiliarios, & Judices: *Non judicant*, inquit, *judicium*, hoc est, nulla est illis cura æquitatis, sed impune licet grassari per latrocinia & rapinas. Exaggerat etiam hoc crimen: dicit, *Non judicant judicium pupilli.* nam misericordia erga pupillos, etiam viget in multis alioqui crudelibus: ætas enim illa, deinde quod nudati sunt omni præsidio, afficit magis nostros sensus. Ubi ergo pupilli spoliantur impune, & nihil auxilii reperiunt in ipsis Judicibus, hinc clarius apparet latrocinium. *Prosperantur*, inquit. Per concessionem iterum repetit quod dixerat, nempe stultum esse hunc & inanem prætextum quod suam opulentiam, suos honores, suas fortunas plenis buccis detonent. Quid hoc est, inquit? *Prosperantur: sed interea non judicant judicium pauperum*, hoc est, non succurrunt pauperibus, sed dissimulant, atque connivent ad omnes injurias. Nunc ergo videmus produci in medium populi scelera, ut ne ipsi quidem Proceres subterfugere queant: quoniam Dominus ostendit oblitos fuisse prorsus officii sui, atque etiam expertes humanitatis. Postea sequitur,

29. An super hoc non visitabo, dicit Jehovah? an in gente quæ talis est, non se ulciscetur anima mea?

Repetit quod ante vidimus: ita hic versus non opus habet expositione. sed non est supervacua repetitio, quia sic obtorpuerant Judæi, ut apud ipsos lusoriæ essent omnes objurgationes & minæ. Deus ergo ideo vehementius insurgit: *An non*, inquit, *visitabo super his?* & sumit pro confesso, quod nobis persuasum esse deberet, ipsum scilicet esse mundi Judicem. proprium autem Judicis munus est, pœnas exigere de sceleratis: deinde miseros & indigne oppressos levare, & reprimere audaciam eorum qui sibi omnia permittunt. Deus ergo hic ratiocinatur à natura sua, & officio: quasi diceret, Si sum Deus, an impune patiar ita grassari tantam impietatem & protervium populi mei? deinde *an in gente quæ talis est, non se ulciscetur anima mea?* Hic, quemadmodum alibi diximus, transfert Deus in suam

suam personam quod proprie non competit: sed perinde est acsi diceret, Nemo est inter terrenos judices tam ignavus, qui feret tales contumelias: ubi enim videris judex seipsum ludibrio haberi ab improbis, an non acuetur tunc? *Ergo anima mea se ulciscetur.* quasi diceret, se non esse tam mollem, vel ignavum, vel socordem, quin tandem vindictam sumpturus sit de tam protervo contemptu. Sequitur,

30. Stupor (*vel res stupenda*) & fœditas in terra. *vel res pudenda.* שש, *unde nomen deductum est, significat proprie cogitare, vel reputare: sed videtur per antiphrasin Deus hoc loco, ut aliis quibusdam, notare rem prodigiosam, quæ non cadit sub sensum humanum: quasi diceret, hoc non posse concipi, neque apprehendi hominis mente. scio hoc posse videri novum, sed tamen subest optima ratio, ut mihi videtur. Postea addit,*

31. Prophetæ prophetant in mendacio, & Sacerdotes dominantur per manum ipsorum, (*vel accipiunt in manus suas*) & populus meus voluit ita: (*hoc est, ita vult & appetit*) & quid facietis in novissimo ejus?

Propheta non contentus illa objurgatione quam nuper vidimus, ulterius invehitur in scelera populi. Dicit igitur ita deploratum esse statum, ut possit omnes obstupefacere. *Res*, inquit, *stupenda accidit*, res quæ transcendit omnes humanos sensus, neque potest apprehendi. Duabus his vocibus significat impietatem populi non posse vel exprimi verbis, vel concipi sensu, quoniam sit horribile portentum. hæc est summa. Jam videamus quodnam portentum hic Propheta designet ac detestetur: nempe, inquit, *Prophetæ prophetant mendaciter.* Hoc certe potuit attonitos reddere omnes, quum Jerosolymæ, ubi Deus sedem ac sanctuarium sibi elegerat, illi impostores obtenderent nomen Propheticum. quanta, & quam turpis fuit hæc profanatio nominis Dei? Passim quidem tunc jactabant impostores se esse Dei Prophetas: volitabant pluribus in locis oraculorum loco præstigiæ Satanæ: sed in ipso Dei sacrario, quod tunc in mundo erat unicum, videre diaboli ministros, qui mendacia sua spargerent, qui populum traherent in exitium, & interea obtegi Dei nomine, qui, ut jam dictum est, domicilium habebat & sedem in illa urbe: an non fuit hoc prodigium, quod attonitos omnes redderet? Nam hodie etiamsi in Papatu hoc sit detestabile, ubi & monachi, & similes rabulæ conscendunt suggestus, & illic improbissime se venditant quasi essent Prophetæ veri Dei, & optimi doctores: si tamen contingeret apud nos esse, qui corrumperent puram doctrinam suis erroribus, qui superstitionibus imbuerent populum, hoc esset duplex portentum. Ergo non abs re præfatus est Jeremias rem hanc esse stupendam, & incomprehensibilem, ut ita loquar, *quod Prophetæ in mendacio prophetent.* Jam adjungit, *Sacerdotes accipiunt in manus suas:* ita vertunt quidam. sed potest

Jud. 14. vers. 9. esse duplex sensus. Judicum 14. dicitur Samson sumpsisse in manus suas mel ex leone: & illic ponitur idem verbum. tamen quia fere accipitur pro dominari, ideo videtur melius congruere altera expositio, quod scilicet Sacerdotes dominentur per manus falsorum Prophetarum. quanquam si quis ita vertat, quod accipiant super manus suas, hoc est, quod dona undique contrahant, & accumulent, etiam non male hoc conveniet. Quicquid sit, Propheta ostendit fuisse mutuam collusionem inter falsos Prophetas, & Sacerdotes. nam falsi Prophetæ, inquit, populum decipiunt suis blanditiis. quid autem Sacerdotes? nam eorum esset se opponere: *Accipiunt*, inquit, *in manus:* hoc est, contenti sunt, quia vident in suum quæstum cedere illas fallacias: & ideo facile subscribunt pseudoprophetis. Idem hodie cernitur in Papatu: nam monachi dum sese venditant apud plebem, simul etiam fulciunt totum Papatum. & ideo ausi sunt nebulones illi vocare se quadrigas Papæ: nam Papa vehitur tanquam quatuor rotis, illis quatuor ordinibus mendicantium: Et hoc jactant, ubi volunt ostendere quantum possint ad mentiendum. Papa igitur vehitur quatuor illis mendicantium rotis: videmus ut privilegiis ornaverit, & quotidie etiam ornet mendicantes illos. quare? fulciunt enim ejus tyrannidem. Talis fuit tunc conditio populi. Nam Sacerdotes sumebant prædam, & pseudoprophetæ etiam rapiebant ad se partem, quemadmodum faciebant canes isti famelici; neque tamen tam violenter ut Papa, grassantur, sed lambunt ejus tribunal, quemadmodum canes. ille vorat magis opimas prædas cum suis cornutis Episcopis. Ergo sensus ille non male quadrabit, quod scilicet acceperint in manus suas. Sed quantum ad summam rei spectat, optime conveniet, si dicimus, *Sacerdotes dominatos fuisse per manus illorum*, nempe quoniam sine falsis Prophetis non poterant retinere ullam famam in populo: fuissent enim ab omnibus repudiati. quum ergo regnarent per eorum manus, fuit mutua inter illos collusio. Jam addit, *Et populus meus sic voluit*, quoniam vulgus poterat rejicere à se omnem culpam: sicuti etiam hodie nunc clypeum obtendunt, O, nos sumus indocti homines, non versati sumus in scholis: & quid possumus, nisi sequi nostros Prælatos? Hodie ergo eodem fuco homines obscuri & gregarii vellent à se depellere omnem culpam: sed Propheta hic dicit *populum sic dilexisse.* Et certe semper verum illud reperiemus, quod dicitur Deuteronomii 13. Quoties ve- Deut. 13. vers. 3.
niunt pseudoprophetæ, hoc esse verum examen, an populus Deum ex animo diligat. Deus ergo probationem sumit pietatis, quoties frenum impostoribus & pseudoprophetis laxat. quisquis enim vero affectu diligit Deum, ille retinebitur Spiritu ejus, ne rapiatur post errores. Ubi ergo falluntur homines imperiti, certum est eos dare justam pœnam sui contemptus, quia non satis attenti fuerint ad cultum Dei: imo voluerint sibi accersere impostores: quemadmodum etiam monachis fuit in ore, Mundus vult decipi, decipiatur in nomine diaboli. Illi impostores eousque prolapsi sunt impudentiæ, ut jactarent se esse Satanæ ministros ad fallendum. Sed tamen proverbium illud verum fuit. neque enim mundus unquam fallitur, nisi sponte: quia claudunt rudissimi quique oculos ad apertam lucem, & fugiunt Deum quantum in se est, & volunt latere in tenebris: quemadmodum etiam dicit Christus, Quisquis Joan. 3. vers. 20.
male agit, odit lucem. Tandem addit Propheta, *Et quid facietis in novissimo ejus*, vel in fine ejus? Quidam ה relativum omittunt: alii autem referunt ad pseudoprophetas, & Sacerdotes. sed non dubium est mihi quin Propheta Jerosolymam designet. *Quid facietis in fine ejus?* Scimus enim quoniam Jerosolyma fundata erat manu Dei, & quoniam habebat illum præsidem ac custodem, fuisse securam: sed fuit prava securitas, ubi spreto Deo, superbiebat in suis sceleribus. *Quid* ergo *facietis in novissimo ejus*, inquit? quasi diceret, Fallit vos opinio, dum putatis æternam fore urbem hanc, quia instat eversio ejus, vel ruina. *Quid* ergo *facturi estis*, quum urbs ipsa peribit, nisi quod vobis pereundum erit omnibus simul cum ipsa?

Da omnipotens Deus, quando nimium hactenus surdi

surdi fuimus ad tot exhortationes, deinde etiam ad minas, quibus acrius nos stimulabas ad pœnitentiam: ne in nobis maneat semper hæc obstinatio, sed tandem subjiciamus nos tibi, neque momento uno duntaxat, sed vera perseverantia, ut usque ad finem nos totos tibi addicamus in obsequium, & sic glorificemus nomen tuum, ut tandem participes simus ejus gloriæ, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA IN JEREMIAM.

CAP. VI.

CONgregamini filii Benjamin è medio Jerusalem, & in Thekua clangite tuba, & in Beth-hacherem tollite signum: quia malum visum est ab Aquilone, & afflictio magna.

VIdimus jam aliquoties in hoc Propheta non tantum proponi pœnas quæ instabant, sed quasi ante oculos subjici: & rationem ostendimus, quia non modo tardi sunt homines, sed socordes prorsus, quoties illis Deus minatur: nam objurgationes apud ipsos frigent, minæ etiam non satis eos pungunt vel expergefaciunt. necesse est igitur illis proponi vivas picturas, & quasi adduci in rem præsentem, ut loquuntur. Hanc rationem docendi adhuc prosequitur Jeremias: alloquitur tribum Benjamin, quia dimidia pars Jerosolymæ sita erat in illa tribu. Et quoniam ipse erat ex Anathoth, populares suos & contribules potius compellat quam alios, quoniam major erat libertas. Si enim recta aggressus fuisset Judæos, poterant illi molestius ferre. sed dum incipit à proximis suis, nempe à tribu Benjamin, hoc fuit magis tolerabile. Quidam intelligunt, Congregamini, & fugiatis: alii vertunt, Satagite: nescio qua ratione adducti. Ego locum non interpretor de fuga: sed existimo potius ironice Prophetam hortari tam cives Jerosolymæ, quam alios vicinos, ut prodeant in occursum hostibus suis, quemadmodum fieri solet. Quod etiam facile colligitur ex contextu: *Congregamini*, inquit, *è medio Jerusalem*, hoc est, expergefacti prodite in medium. Oblique autem perstringit eorum delicias, quoniam latuerant quasi in sinu matris suæ: sicuti infantes in utero nihil concipiunt periculi, ita etiam Judæi otium colebant, & nimium erant securi. Dicit igitur nunc: *E medio Jerusalem congregamini*, inquit, *& clangite tuba in Thekua*. non dubium est quin soliti fuerint quoties aliquod instabat discrimen, tuba clangere in illo oppido, quemadmodum etiam cives Jerosolymæ turmatim prodibant ad resistendum hostibus. Sequitur enim Propheta receptum morem, & loquitur quasi de rebus notis. *Et tollite signum super domum* חכרם Non dubium est quin locus ille sic vocatus fuerit quoniam multæ illic erant consitæ vites. Ad verbum significat domum vineæ. est quidem nomen proprium, sed tamen data est etymologia. quoniam autem vites solent conseri in collibus, ideo probabile est locum illum fuisse præ aliis excelsum: & inde potuit signum dari vicinis. Ideo dicit, *Tollite* משאת. nomen hoc deducitur à verbo נשא, quod etiam hic ponitur. Sed quidam interpretes vertunt, ignem, aut pyram: alii vexillum, alii turrim. Qui turrim vel arcem transferunt, carent omni ratione. neque enim poterant subito attolli arces: sed quemadmodum jam dixi, probabile est, inde fuisse datum signum vicinis, quasi ex specula, quoties aliquid metuebatur. Ego igitur libenter accipio pro signo. nam vexilli nomine nimis esset restrictum: ad verbum esset, Tollite elevationem. ergo nomen signi optime conveniet. *Quoniam malum*, inquit, *ab Aquilone visum est*. designat Propheta unde apparitura sit paulo post clades, nempe à Chaldæis, quia Deus illos destinaverat tanquam ministros & executores suæ vindictæ, ut perderent Jerosolymam, & totum nomen Jehudah. Videmus ergo quid sibi Propheta velit. Deridet Judæos, qui obtorpuerant in suis vitiis, quum sibi promitterent impunitatem, & pridem sprevissent omnia Dei judicia. nunc inquit, *Congregamini è medio Jerusalem*: quasi diceret, non fore tutos in urbe, nisi occurrant hostibus: *Clangite tuba in Thekua*: deinde tollant etiam signa incolæ Beth-hacherem, hoc est, domus vineæ: *quia malum vobis imminet, & magna afflictio*. unde? à Chaldæis: quo scilicet vaticinium plus obtineat apud ipsos fidei, dum hostes quasi digito monstrat. Postea sequitur;

2. Quietæ (*alii vertunt, speciosam: sed alter sensus melius quadrat. Quietæ igitur*) & delicatæ similem feci filiam Sion.

3. Super eam venient pastores & greges eorum, figent adversus eam tabernacula sua in circuitu: pascent vir ad manum suam. *hoc est, quisque ad locum suum.*

Quoniam locus unde oriundus erat Propheta, erat pecuarius, ideo ex prima sua educatione retinuit multas loquendi formas. neque enim Deus exuit omni sensu servos suos, quum præficeret docendo populo suo. Propheta igitur hic ex consuetudine primæ suæ ætatis, ac pueritiæ loquitur. dicit *filiam Sion esse similem puellæ quietæ*, vel in otio & deliciis habitanti: & tamen fore obnoxiam multis opprobriis, *quia venient pastores, & in circuitu figent tabernacula*, & tota regio exposita erit quasi in prædam. Dubium autem est an dicat Propheta filiam Sion posse conferri puellæ teneræ & molli, & habitanti in otio & deliciis: an vero intelligat quietem ad tempus concessam fuisse populo. Videtur quidem nullum esse discrimen inter duas istas expositiones, est tamen aliquod: nam si accipimus verbum דמיתי pro comparavi, quemadmodum faciunt interpretes, perinde est acsi diceret Propheta, Videor in statu Jerosolymæ cernere imaginem puellæ teneræ & mollis: ita loquitur Jeremias in sua persona. sed potest hoc verbum etiam optime in Deum competere, quod scilicet reddiderit filiam Sion tranquillam ad tempus, & dederit illi pacem ab hostibus, ita ut in deliciis ageret. quanquam differunt hi duo sensus, tamen in re ipsa non multum est momenti. neque enim dubium est

quin

quin Propheta hic exprobret Judæis nimium torporem, quoniam abusi fuerant tranquillitate sibi divinitus concessa. Ostendit igitur eos nimis esse socordes, qui putent hanc suam mollitiem fore perpetuam, quia beneficium erat Dei, & quidem temporale: dicit igitur Judæos fuisse ad illum usque diem similes puellæ teneræ. Quum enim vastata esset regio decem tribuum, & quum in exilium essent omnes abducti, regnum Jehudah manebat adhuc salvum. fuerant quidem spoliati ab hostibus: sed comparatione fratrum nimis clementer fuerant tractati. Hæc igitur ratio est cur dicat similes esse molli & teneræ puellæ. Sed postea adjungit: *Venient pastores*, inquit: hoc est, Non est quod se decipiant Judæi, si hactenus illis pepercit Deus, & si compescuit impetus hostium. *Nunc enim venient pastores.* Prosequitur suam metaphoram. dicit pastores venturos cum suis gregibus, hoc est, duces exercituum cum suis copiis. Sed jam admonui, Prophetam hic respicere ad urbem unde natus erat, & ideo loqui pastoritio more. *Venient* igitur *pastores cum gregibus suis, figent tabernacula sua, & pascent quisque ad locum suum.* Significat totam ditionem Jerosolymæ fore ita expositam hostibus, ut deligant sibi libere quisque partem, vel certam plagam. ubi enim est aliquis metus, tunc pastores contrahunt greges suos, ut alii aliis sint auxilio: sed ubi omnia illis licent, tunc sese dispergunt huc atque illuc. Hæc ergo libertas significat nullum fore robur Judæis, & nullas suppetias, quin undique urbem ipsam circumdent, atque obsideant pastores: *quisque ad locum suum*, inquit. Sequitur,

4. Sanctificate super eam prælium: surgite, & ascendamus meridie: væ nobis, quia inclinavit dies, quia extensæ sunt umbræ vespertinæ.

5. Surgite, & ascendamus noctu, & demoliamur palatia ejus.

Propheta hic relinquit figuram qua nuper usus fuerat. neque enim hic verba facit de pastoribus, sed aperte hostes describit, qui advenient magno impetu, & quasi furiose oppriment ac vastabunt tam urbem quam totam Judæam. Prius fuerat quasi Deus fecialis, quum bellum indiceret: sed nunc est prosopopœia, quoniam inducit Chaldæos invicem se hortantes ad prælium. *Sanctificate*, inquit, *prælium super eam.* Sic loquuntur Hebræi, quia scimus omnibus seculis solenni ritu indicta fuisse bella: nec dubium est quin Deus hunc affectum indiderit cunctis gentibus, ut non statim prosilirant ad gerenda bella, sed secum expenderent, non sumenda arma esse, nisi ob legitimas causas. nam indictio bellorum erat testimonium justæ & necessariæ causæ, cur alii alios impeterent. Verum quidem est, temere, & etiam nullis de causis sæpe suscepta fuisse bella: sed tamen Deus voluit ritum illum vigere, & manere in usu perpetuo, quo tolleret excusationem sævitiæ hominibus avaris, vel qui ambitione sua rapiebantur ad turbandum orbem & alios vexandos. Hæc igitur ratio est loquutionis quum dicunt, *Sanctificate bellum*: perinde est acsi indicerent solenni ceremonia, & pronunciarent justum bellum. Ex communi usu Propheta loquitur quum dicit, *Sanctificate prælium super ipsam*: quemadmodum lingua nostra posset dici, *Sommez-la.* deinde sequitur hostium alacritas, imo celeritas incredibilis: ostendit enim fuisse percicissimos, *Surgite, ascendamus meridie.* Nam qui veniunt ad oppugnationem urbis, solent eam mane aggredi: jam ubi invaluit æstus, quoniam fervor Solis debilitat corpora, non est tempus illud opportunum. Quiescunt igitur hostes, si noctu advenerint, nisi oblata fuerit insperata quædam commoditas: sed tamen ubi refecti sunt, collectis viribus mane surgunt ad prælium, conscendunt scalas, vel urbem aliis rationibus oppugnant, vel muros evertunt machinis. sed meridie incipere, ubi urbs aliqua est oppugnanda, hoc non est ordinarium. Ergo Propheta significat tam maturum esse Dei judicium, ut ne paucis quidem horis expectent Chaldæi, simulatque accesserint ad muros urbis. *Surgite, & ascendamus meridie.* Postea adjungit, *Væ nobis, quia inclinavit dies, & umbræ vespertinæ extensæ sunt.* Loquitur ex usu militari. nam scimus milites ut plurimum esse vel feros, vel barbaros, & nunquam retinent modum in loquendo: semper erit in ore ipsorum, Væ nobis, vel erit aliquid contumeliosum adversus Deum, vel adversus homines. Propheta ergo militariter loquitur, quoniam repræsentat Chaldæos: & quemadmodum jam dixi, adducit Judæos quasi in rem præsentem, ut illis excutiat blanditias, in quibus nimis obtorpuerant. *Væ igitur nobis, quia jam inclinavit dies, jam umbræ vespertinæ extensæ sunt.* Qui vertunt, Nimis longæ, quod solito magis declinent, non assequuti sunt Prophetæ sensum. Perinde est acsi dicerent, Jam nox propinqua est, & cur cessamus? & cur non irruimus tanto impetu, ut momento capiamus urbem? hic est genuinus sensus verborum. Postea addit, *Surgite, & ascendamus noctu*: hoc est, quoniam non potuimus urbem capere sex horis (nam à meridie usque ad noctem erant sex horæ. solebant enim dies suos partiri in duodecim horas, & ab ortu Solis incipiebat prima hora, duodecima claudebat diem) quoniam ergo sex horis non potuimus urbem capere, noctu prosiliamus. Videmus hic graphice depingi summum ardorem in hostibus, quoniam scilicet ferebantur arcano Dei impulsu. nam hoc voluit exprimere Jeremias. Postea subjicit,

6. Quia sic dicit Jehovah exercituum, Excidite ligna, & fundite super Jerusalem aggerem, (*alii vertunt, balistam: sed nomen aggeris hic melius convenit*) ipsa est urbs visitationis, (*hic variant interpretes: & quidam exercitati in lingua Hebræa sic depravant sensum, ut pigeat referre quid ipsi ausi sint scribere*) tota oppressio (*vel rapina: nam* עשק *significat rapere. rapina ergo*) in medio ejus.

Jam Propheta causam ostendit cur immineat proxima clades tam urbi quam toti Judææ. Duo enim agenda fuerunt: quoniam Judæi obduruerant in sua socordia, ut pro ludibrio haberent omnes minas Propheticas, ideo necesse fuit corrigere illum stuporem. hoc fecit hactenus Propheta. Alterum vero necessarium fuit, ut scirent Judæi non esse sibi negotium cum Chaldæis, vel aliis gentibus, sed cum ipso Deo, cum quo nimis diu bellum gesserant. Postquam ergo Propheta ante oculos posuit suis popularibus cladem quæ tunc instabat, ostendit nunc Deum esse ejus auctorem. *Sic dicit Jehovah exercituum.* Hic revocat ipsos ad judicium Dei, ne putent se posse superiores esse hostibus, etiam ubi & summa industria, & summa fortitudine pugnaverint, quia non poterunt Deum vincere. *Sic ergo dicit Deus exercituum*: quasi diceret, Chaldæi quidem adducent suas copias, quæ magnæ erunt & validæ, sed vobis nunc certamen est cum Deo, quem toties, & tam longo tempore, & tam pertinaciter provocastis. *Sic ergo nunc loquitur Deus exercituum, Excidite ligna*: hoc est, Chaldæi non sponte sua vos aggredientur, sed militabunt

Deo,

Deo, & dabunt illi operam tanquam conductitii milites. quemadmodum alibi vidimus Deum tuba clangere, vel sibilo accersere quoscunque vult, ita etiam nunc dicit Chaldæos militaturos sub auspiciis & vexillo Dei. *Deus* ergo *mandat ut scindant ligna, postea projiciant aggerem.* Scimus quidem confectas fuisse balistas ex ligno, sed hic nomen aggeris, quemadmodum satis patet, melius convenit. Sequitur, *Ipsa est urbs visitationis.* Hic Jeremias ostendit, merito Deum tam severe acturum cum Judæis, quia fere putruerint in suis vitiis. hoc sensu *urbem visitationis* vocat. Qui ergo vertunt, Ut vastetur, aut vastata est, sensum corrumpunt. denique neque cælum, neque terram attingunt: quia non expendunt consilium Prophetæ, & tantum subsistunt in verbis. sed hoc certum est, vocari *Jerosolymam urbem visitationis*, quia Deus longa patientia usus fuerat, & suspenderat pœnam, donec maturum esset vindictæ tempus, ita ut non essent amplius tolerabiles, quoniam indulgentia Dei magis ac magis corrupti fuerant. *Est urbs visitationis*, inquit: hoc est, jam ventum est ad tempus ultimæ vindictæ, quoniam modis omnibus expertus sum an spes aliqua resipiscentiæ esset: ego autem video centies esse desperatos. *Est* igitur *urbs visitationis*: hoc est, jam non potest suspendi vel uno die clades hujus urbis: & quemadmodum jam dixi, Propheta hic refellit omnes querimonias, quæ semper in promptu fuerunt Judæis. Solebant enim obstrepere, si quod signum severitatis apparuerat: Deus crudeliter nobiscum agit, ubi est ejus fœdus? ubi illa paterna clementia, quam nobis pollicitus est? Quoniam ergo solebant Judæi ita expostulare cum Deo, Propheta dicit, *urbem esse visitationis*, & quidem totam, quoniam non erat aliqua pars duntaxat culpæ obnoxia: sed quando nihil sincerum erat, ideo dicit non posse amplius ignosci. & speciem unam adjungit, tamen per synecdochen significat (quemadmodum alibi dicitur) Jerosoly- *Jerem 7. vers. 11.*
mam fuisse cavernam latronum. Dicit igitur *plenam fuisse rapinis, & in ipsis visceribus fuisse oppressionem.* Sequitur,

7. Sicuti scaturire facit puteus aquas suas, (*hoc est, Sicuti scaturiunt aquæ ex fonte, vel puteo*) sic scaturire fecit malitiam suam: violentia & direptio (*aut vastatio*) audita fuit in ea coram facie mea assidue, dolor & percussio. *alii vertunt plagam: sed nomen percussionis melius convenit.*

Exaggerat Propheta quod dixerat proximo versu. nam breviter sub una specie ostenderat Jerosolymam esse latronum speluncam, quoniam in medio ejus residebat oppressio. Sed nunc comparatione amplificat sententiam illam, quod scilicet violentia, oppressio, vastatio, & dolor, & percussio scaturierint, quemadmodum solent scaturire aquæ ex fonte. Fieri poterit ut erumpant multa scelera ex uno loco, sed sequitur postea pœnitentia: ubi autem non cessant homines, sed accumulant mala malis, hinc apparet turgere & quasi crepare malitia, quoniam non possunt eam reprimere, quemadmodum fons semper ebullit & non potest continere aquas suas. Videmus ergo consilium Prophetæ. בור significat fontem, & באר significat etiam fontem & puteum, & non dubium est quin prorsus sint synonyma. Ex coarguitur hinc error doctissimi ex Hebræis, qui distinguit Bor à Beer: quoniam sit cisterna, inquit, quæ tantum aquas recipit, & non habeat scaturiginem. illud esse falsum, constat ex Prophetæ verbis: neque enim cisterna emittit aquas, ubi nulla est scaturigo. Sed quantum ad summam doctrinæ spectat, satis tenemus quid velit Propheta, nempe Judæos ita fuisse addictos sceleribus, ut semper excogitarent novas artes nocendi, quemadmodum nunquam desinunt aquæ scaturire ex fonte: & quemadmodum jam dixi, hoc signum est perditissimæ gentis, ubi nulla est à maleficiis cessatio, nullæ sunt à noxis induciæ, sed semper ebulliunt homines in suis sceleribus. Quoniam autem poterant excipere Judæi, non esse tantam scelerum atrocitatem, ideo Propheta iterum assumit Dei personam. Dicit igitur *auditas fuisse oppressiones & percussiones coram facie Dei*: quasi diceret, eos nihil proficere tergiversando, quoniam si apud homines centies se excusaverint, ubi ventum fuerit ad Dei tribunal, hoc totum erit inutile. Et iterum adjungit adverbium תמיד Assidue, quod respondet perpetuæ scaturigini aquarum. Sequitur,

8. Erudire Jerusalem, ne discedat (*vel avellatur*) anima mea abs te: ne ponam te desertum, (*vel solitudinem*) & terram inhabitabilem. *hoc est, quæ non habitetur.*

Quanquam sic loquutus est Propheta, ac nullum jam esset remedium malis, hortatur tamen Jerosolymam ad quærendam pacem à Deo, & compellat perditos illos homines ipsius nomine. Perinde igitur est, acsi Deus in medio iræ cursu resisteret. Quid hoc est? an ego perdam urbem à me electam? Tribuit igitur hic affectum paternum Deo, sicuti & pluribus aliis locis vidimus, Deum quasi invitum progredi ad ultimum rigorem, ubi pœnam vult exigere de populo suo. Hei nunc ulciscar me de inimi-
Jesa 1. vers. 24. cis meis, dicit apud Jesaiam. vocat inimicos, & merito: quoniam, ut dictum fuit, non desierant adversus eum bellum gerere: sed dolenter tamen loquitur, Hei mihi! an mihi necesse erit vindictam sumere de hostibus meis? ego tamen libenter parcerem si fieri posset. Deus quidem subjectus non est vel dolori, vel pœnitentiæ: sed non potest aliter nobis exprimi incomparabilis ejus bonitas, quam talibus loquendi formis. Sic etiam hoc loco videmus, ut Deus seipsum cohibeat. nam nuper jubebat hostes celeriter conscendere muros, diruere palatia, & perdere totam urbem: nunc acsi ipsum pœniteret, *Erudire Jerusalem*, inquit, hoc est, Annon poterimus adhuc redire in gratiam? quemadmodum si pater offensus vellet pœnam sumere de filio, tamen vellet moderari iræ suæ, & miscere aliquam indulgentiam una cum rigore. *Erudire* igitur, hoc est, adhuc erit locus reconciliationi, si velis: si ostenderis te deposuisse illam pervicaciam qua hactenus me provocasti, ostendam me vicissim patrem. Nec dubium est quin Propheticæ omnes minæ respexerint in hunc scopum, ut populus sentiret mala sua, & suppliciter veniam deprecaretur. Quorsum enim prodesset, minari incredulis, nisi ut Deus probaret an sint prorsus insanabiles? Verum quidem est, reprobos cognosci à Deo, & Deum non tentare vel experiri quid sit in eorum animis, acsi non satis compertam haberet eorum obstinationem: sed, quemadmodum jam dixi, loquitur hic Deus humano more: deinde ostendit quis sit doctrinæ usus, nempe ut homines invitet ad pœnitentiam: quod fieri non potest, nisi oblata spe veniæ & reconciliationis. Ergo Propheta hic breviter ostendit quo consilio hactenus tam graviter minatus fuerit Judæis, nempe ut resipiscant tandem. *Ne avellatur anima mea abs te.* Hic clarius exprimit Deus se adhuc teneri aliquo amore.

Non dubium est, quin ad similitudinem illam respiciat, quæ alibi visa est. Deus enim locum & personam sponsi sustinet erga Ecclesiam: & ideo hic ostendit nondum amorem mariti se abjecisse, quo uxorem suam complexus fuerat. nam maritus etiamsi graviter offensus fuerit ab uxore, non tamen poterit statim exuere affectum conjugalem: manet semper aliquis sensus. Vidimus autem quarto capite Deum superare indulgentia omnes maritos. Dicebat enim illic, Si mulier repudiata quæsierit alterum maritum, an prior eam recipiet ad se? Revertere ad me scortum, revertere meretrix, & adultera: & paratus ero ad dandam veniam. Nunc ergo idem prosequitur Deus, *Erudire Jerusalem, ne anima mea prorsus abs te discedat*: quasi diceret, Etiamsi nunc ardeo, & statui severe ulcisci tuam perfidiam & rebellionem, tamen adhuc ero placabilis, modo redeas: & adhuc, *ne ponam te terram desertam, terram inhabitabilem.* Denique ostendit Propheta hoc versu, quamlibet graviter excanduerit Deus adversus populum, tamen adhuc spem esse veniæ, quoniam ipse erit exorabilis, si populus flectatur, & suppliciter agnoscat culpam suam, & studeat redire in gratiam cum Deo ipso. Sequitur,

9. Sic dicit Jehovah exercituum, Racemando racemabunt quasi vitem reliquias Israël: reduc (*vel redire fac*) manum tuam quasi vindemiator ad canistra. *alii vertunt, ad ramos.*

Hic confirmat Deus superiorem sententiam: quasi diceret se horrere ad spectaculum illud tam triste & tam lugubre, quod tamen Judæis erat pro nihilo. Docet igitur se non frustra hortari Judæos, ut vel sero resipiscant, quoniam prævideat quam horribilis futura sit ipsorum clades. Dicit igitur, *Sic dicit Jehovah exercituum, Racemando racemabunt.* nam verbum hoc non significat colligere vindemiam, sed racemare, *grapiller*, post vindemias: quemadmodum post messem, ubi sequuntur pauperes qui hinc inde spicas evellunt, nihil manet residuum in agro: ita etiam in vindemiis, ubi racematur, (sic enim loquuti sunt Latini) nihil manet residuum. & ideo
Levit. 19. vers. 10. Deut. 24. vers. 21. vetuit Deus in Lege racemari vites: voluit enim relinqui aliquantulum pauperibus. Sed hic dicit, *Racemando racemabunt quasi vitem*: non loquitur de populo, sed de reliquiis. Nam decem tribus fuerant spoliatæ, & tandem vastata fuerat tota regio: homines in exilium abducti, sed pauci latebras ad tempus quæsierant. dicit autem similes fore racemis: Si pauci, inquit, sint acini, tamen hoc quoque sequetur. Proponit denique Propheta Judæis horrendam illam vindictam Dei, quæ jam ipsis innotuerat, quantum ad Israëlitas, hoc est, ad decem tribus. Et tamen ostendit nondum completam esse Dei vindictam, quoniam adhuc aliquid manet residuum, nempe racematio. Quid ergo vobis fiet? quid? vidistis fratres vestros expilari, vidistis omnes jugulari una cum liberis, vidistis exerceri omnem sævitiam: & tamen postquam deletum fuit nomen Israel, & vastata fuit terra quæ nunc deserta est, Deus tamen adhuc ulciscetur reliquias, & videbitis aliquod judicium brevi adversus residuum: & quid adhuc expectatis miseri? & quantus est iste torpor vester ad cessandum? cur non studetis vos reconciliare Deo, ubi vobis offertur talis opportunitas? Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem. Et quum dicit, *Reduc manum tuam quasi vindemiator ad canistra*, vel ad cartallum: ecce vindemiatores alii aliis addent stimulos, ut nullus sit finis racemandi, & semper redeant ad canistra sua, donec excusserint quicquid erit, ut ne acinus quidem unus in vite maneat.

Da omnipotens Deus, ne dum nos comiter invitas ad pœnitentiam, deinde etiam propositis iræ tuæ exemplis nos urges, ne maneamus contra te obstinati, sed nos præbeamus flexibiles, ac dociles, & ne experiamur rigorem illum horrendum de quo concionatus es apud populum veterem: sed præveniamus iram, quæ olim illis denunciata fuit: & ita sincero animo ad te redeamus, ut sentiamus te semper propitium fore patrem peccatoribus, quoties ad te redierint sincero corde, & absque fictione: in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

10. Ad quem loquar? & quem contestabor, ut audiant? Ecce incircumcisa auris eorum, & non poterunt attendere: ecce verbum Jehovæ fuit illis opprobrio, non acquieverunt in eo. *hoc est, non oblectati sunt:* חפץ *significat capere oblectationem: Ils n'y ont prins nul plaisir.*

Hic Propheta ostendit non esse cur operam diutius consumat in objurgando populo, quoniam surdis loquatur. dixerat enim hesterna lectione Deum adhuc fore placabilem, si resipiscerent Judæi: nunc quasi ad seipsum reversus, dicit se verba perdere. Et ideo suscipit interrogantis personam, ut in re vel absurda, vel inopinata: *Quem alloquar*, inquit? *& quem contestabor?* Tamen jam hortatus fuerat suos populares ad pœnitentiam, ut heri vidimus. Sed hæc inter se non pugnant, quia voluit, quoad fieri posset, consulere saluti populi. Deus etiam hoc præceperat: & quemadmodum heri dictum fuit, ipse Deus volebat hoc esse testatum, per se non stare, quantum ad doctrinam spectat, quominus reconciliaretur populo suo. Nunc ergo videmus contextum bene fluere, quia Jeremias officio suo functus est, dum voluit tentare an sanabilis esset populus. Sed ubi videt tantam obstinationem, quæ non admittat ullum remedium, exclamat quasi attonitus, *Quem alloquar? & quem contestabor?* Summa est, populum sic addictum esse impietati, ut frustra Prophetæ in eo sanando consumant operam. Et hanc sententiam confirmat secundo verbo, ubi dicit, *Quem contestabor?* significat enim, non tantum contemni ab ipsis simplicem doctrinam, sed obtestationes, quibus tamen subest major efficacia. Summa est, nullis remediis posse curari pravitatem, quæ non tantum respuit doctrinam & sanctas admonitiones, sed etiam pervicaciter resistit obtestationibus. *Ut audiant*, inquit. significat, etiamsi fideliter officium suum peragat, carere tamen laborem omni profectu, quia surdi sint omnes Judæi. Et ideo subjicit, *Ecce incircumcisa est auris eorum.* Hæc loquendi figura passim occurrit apud Prophetas: vocatur auris incircumcisa, quæ rejicit omnem sanam doctrinam: cor incircumcisum,

quod

quod est pervicax ac rebelle. Sed ratio tenenda est: quuniam Circumcisio erat testimonium obsequii, ideo Scriptura vocat incircumcisos, qui sunt indociles, & qui abjecto Dei timore, & omni sensu pietatis, post suas coocupiscentias rapiuntur. Hoc autem odiosum erat apud Judæos. nam Circumcisio dabat illis non vulgarem materiam fiduciæ, quum esset symbolum & pignus adoptionis: & quum scirent ea se ab aliis gentibus segregatos esse, ut essent sacer Dei populus. Sed Prophetæ excutiunt inanem fiduciam, ubi vocant iocircumcisos corde & auribus, quia mentiti fuerant Deo, quum polliciti fuerant se fore obsequentes. Nam signum illud externum per se nullius est momenti, nisi respiciatur finis. voluit Deus Circumcisione consecrare sibi veterem populum: ubi contenti erant signo visibili duotaxat, nulla maoebat veritas. ergo profanabant fœdus Dei. Qoemadmodum hodie si Baptismo superbiant qui volunt censeri Christiani, interea ostendant se carere omni Dei metu, & vita eorum aboleat veram Baptismi naturam: inde apparet esse sacrilegos, quo-
Rom. 2. vers. 27. niam contaminant quod sanctum est. Et ideo Paulus vocat literam Circumcisionis, signum illud absque veritate: quemadmodum hodie potest vocari Baptismus literalis in omnibus profanis, qui non respiciunt ad finem. Deus enim hac lege nos in suam Ecclesiam recipit, ut simus Christi membra; & gubernati ejus Spiritu, renunciemus cupiditatibus carnis nostræ. ubi autem volumus sub prætextu Baptismi miscere Deum cum diabolo, hoc est detestabile sacrilegium. talis fuit & tam supina securitas apud Judæos. Hæc ratio est cur Prophetæ tam sæpe illis exprobrent præputium cordis, & præputium aurium: Vos estis populus sacer Dei: probate. si vos jactatis esse circumcisos: certe pellicula illa ablata non satisfacit Deo: ostendite vobis circumcisa esse corda & aures. atqui præputium manet in corde, manet etiam in auribus vestris. ergo profani estis. Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum, & simul cur toties Scriptura loquatur de præputio cordis & aurium, nempe ut Judæis exprobret profanationem illius signi, quod debebat esse pignus adoptionis, deinde simul valere ad professionem novæ vitæ. Non elevat eorum culpam Jeremias quum dicit, *Non potuerunt attendere.* Si quis objiciat, An hoc debet vocari in crimen, quod non potuerint attendere? Propheta, sicuti dixi, non extenuat eorum culpam: sed potius ostendit ita fuisse demersos io sua malitia, ut jam non essent sui compotes: quemadmodum ebrius non est compositæ mentis. sed quia sibi contraxit hoc vitium intemperie sua, ideo error ejus vel ignorantia non est excusabilis. Sic etiam Propheta dicit, non posse Judæos attendere ad verbum Domini, nempe quia addixerant se diabolo, ut essent quasi ejus mancipia: quemadmodum Paulus dicit eos, qui desti- Rom. 6. & 7.
tuuntur gratia Dei, esse venundatos sub peccato. & Scriptura etiam alibi ita loquitur. In summa hic Jeremias docet, tantum fuisse & talem habitum cootractum à Judæis, ut non essent amplius liberi ad bene agendum: quia diabolus sua pro libidine huc & illuc ipsos trahebat, acsi essent vincti ejus catenis. Et ita exprimit desperatam malitiam. Aristoteles etiamsi nulla sit ejus auctoritas, quantum attinet ad principium voluntatis, quia statuit liberum arbitrium, (nihil enim cognovit de peccato originali, & corruptela naturæ) tamen fatetur eos, qui maxime liberi sunt, non posse bene agere, postquam ita obduruerunt in suis vitiis, ut ἀκρασία in ipsis dominetur. Nam intemperantia est quasi tyrannus, qui ita subjicit sibi omnes affectus & sensus hominum, ut nulla sit illic libertas. Nunc ergo videmus quid sibi velit Propheta: non intelligit Judæos peccare, quia non sint præditi facultate: sed quia seipsos demerserint in profundum malitiæ, ut sint quasi venundati diabolo, qui tenet illos sibi devinctos, & impellit furiose prout placuerit. Et hoc melius colligitur ex contextu. Dicit enim, *Ecce verbum Jehovæ fuit illis opprobrio, & non complacuit ipsis.* diximus enim de significatione verbi חפץ. Clarius nunc demonstrat Propheta culpam residere in ipsis Judæis, quoniam contempserant Deum. Unde igitur illa impotentia, de qua loquutus est? nempe ex illa intemperantia, quod scilicet statuerint apud se pro nihilo ducere & Deum & ejus Prophetas. Quum ergo ita animi eorum essent obstinati ad impium doctrinæ contemptum, inde factum est ut non posse ot audire, quoniam privati erant omni intelligentia. Unde hoc? nempe quia oculos clauserant, & obturaverant aures suas, & se addixerant prorsus diabolo, ut impelleret eos in quemlibet furorem. Denique in fine versus ostendit principium totius mali esse, *quod illis verbum Dei non placuerit*, hoc est, quod non adjecerint studium suum ad pietatem, quod non oblectati fuerint quum venirent Prophetæ, & illis proponerent Dei gratiam. Quoniam ergo apud ipsos insipida fuerat doctrina, ita ut eam rejicerent, quum deberet summopere esse delectabilis, hinc factum est ut stupidi essent prorsus, & carerent omni judicio & ratione: hinc etiam præputium aurium de quo nuper vidimus. Sequitur,

11. Ergo indignatione (*vel ira*) Jehovæ repletus sum, (*copula hic ponitur vice illativæ particulæ: nisi adversative resolvere libeat, Atqui, vel ego autem*) & laboravi continendo, ad effundendum super parvulum in compitis, (*hoc est, in publico, foris*) & super consilium juvenum (בחורים *sunt proprie electi: nam* בחר *est eligere: sed ita vocantur juvenes, qui sunt in flore ætatis*) similiter: quoniam etiam vir cum uxore capientur, senex cum pleno dierum.

Hic altius exurgit Propheta, quoniam non satis fuit simpliciter proponere doctrinam apud homines præfractos: sed oportuit etiam acrius ipsos stimulare, & interdum etiam confodere, quia non poterant aliter affici: tanta erat illorum durities. Retinet igitur Propheta illam rationem de qua heri dictum fuit. Et ideo affirmat *se plenum esse indignatione Dei.* Posset hoc accipi passive, & active; nempe quod Propheta sancto zelo excandescat, quoniam iustioet causam Dei: vel quod exhorreret judicium, de quo tameo minime solliciti erant Judæi. Sed non dubium est, quin hic loquatur ex Spiritus sancti instinctu: quasi diceret se non proferre quod in animo suo concepit, sed quod dictatum fuit à Spiritu Dei. Refertur in summa hæc indigoatio ad doctrinam: quasi diceret, Si vehementius ago vobiscum, ne putetis hominem iracundia corruptum oblivisci modestiæ: nam Spiritus Dei rapit me, & impellit. Quicquid est igitur indignationis io lingua mea, quicquid est vehementiæ, & asperitatis, & minarum, hoc est à Spiritu Dei, non ex proprio hominis sensu. Hoc fine dicit *se repletum esse indignatione Dei.* Et quæ sequuntur confirmant hanc sententiam. dicit enim *se fatigatum esse continendo*: quasi diceret, tantum esse impetum iræ Dei, ut quasi rumpatur, nisi erumpat in hanc vehementiam. Et hinc colligimus, quemadmodum dixi, nihil aliud Prophetam testari, quam se non impelli vel indignatione propria, vel alio carnis suæ motu: sed sequi necessario quo fertur instinctu arcano Spiritus Dei: nempe ne do-

ctrina ejus spernatur: quemadmodum Judæi pridem assueverant ad sua ludibria, ut dicerent inaniter se terreri quasi pueros. Ne igitur suo more Judæi ita illudant, affirmat Jeremias *se turgere indignatione Dei*, nec posse amplius ferre, quin projiciat in capita gentis suæ quod Dominus deposuerat apud ipsum. Sed quia alibi videbimus similes loquendi formas, & magis expressas, ideo levius prætereo. postea dicit, *Effundam*. Neque enim dubium est, quin hic continuet eandem doctrinam. Dicit igitur, quoniam non possit amplius supprimere vindictam Dei, cujus erat præco, se nunc *ipsam effundere: super parvulos*, inquit, *in compitis*. Non dubium est, quin significet his verbis, nihil esse in populo sincerum: quia pueri ipsi jam sub eodem essent reatu. ubi igitur sic grassatur impietas, ut ne tenera quidem ætas puerorum sit ab ea immunis, signum est desperationis ultimæ. Hoc intelligit Propheta quum dicit *se effundere iram adversus parvulos*. Postea addit, *Et super cœtum*. סוד significat congregationem, & cœtum, significat etiam consilium. Sed quoniam Propheta loquutus est de plateis, videtur esse antithesis inter compita & inter consilia: quasi diceret, pueri ludunt in plateis, carent omni consilio; sed tamen ego involvam eos & senibus, & viris, quia obnoxii sunt ipsi quoque Dei judicio. Postea adjungit, *Consilium juvenum*: quia plus est prudentiæ & moderationis in juvenibus, qui jam adoleverunt. Neque enim בחורים vocant Hebræi adolescentes quindecim annorum: sed viros qui jam sunt integræ ætatis, & maturæ: & nomen hoc, quemadmodum dixi, deducitur à delectu. Qui ergo sunt in ætatis flore, illi vocantur בחורים, quoniam præditi sunt consilio, neque in compitis ita exultant ut pueri. Propheta hic dicit, Jam ira Dei tam super parvos se effundet, quam super electos, qui adoleverunt usque ad annos viginti, & triginta: *Quia*, inquit, *vir cum muliere comprehendentur, senex cum pleno ætatis*. Putant vocari plenum ætatis, dierum, qui jam sit decrepitus. Sed per זקן intelligo senem, qui jam propinquus est morti: per plenum ætatis intelligo omnes qui jam sunt maturi: quemadmodum ab anno 50. usque ad 80. possunt vocari pleni dierum. Significat in summa, neminem fore immunem à vindicta Dei, quoniam grassata fuerit impietas inter omnes status, & ordines, & ætates etiam. Sequitur,

12. Et volventur (*quasi per circuitum: hæc est propria significatio. vertentur*) domus eorum ad alienos: agri & uxores similiter: quia extendam manum meam super habitatores terræ, dicit Jehovah.

Speciem unam vindictæ exprimit duntaxat, quod scilicet spoliabuntur Judæi terra, quam putabant sibi semper tranquillam fore. quoniam enim
Psal. 132. vers. 13. dictum erat, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo: putabant se non posse illinc evelli: & tam certum sibi esse domicilium in terra Chanaan imaginabantur, quam certa est sedes Soli & Lunæ in cælo. Quum igitur stulta illa confidentia se deciperent, dicit Propheta *fore circuitum*, ut Deus transferat illorum domos ad gentes exteras. Postea addit & de *agris*, & de *uxoribus*. Erat hoc incredibile Judæis: sed oportuit tam graviter ipsis denunciari Dei vindictam, ut tandem expergefierent. Et ideo subjicitur ratio, *quod Deus extendet manum suam*. Propheta enim hic evertit eorum contumaciam, quia producit Deum hostem: quasi diceret, non esse cur sibi putent tranquillam fore possessionem terræ, quia Deus jam illis est infensus. Unde autem illis terræ possessio, nisi ex gratuito beneficio Dei? si jam Deus est illis adversus, quid spei residuum esse potast? Nunc ergo videmus causam reddi à Propheta in fine versus, ut sciant Judæi non esse incredibile quod dixit de transferendis eorum ædibus, & agris, & uxoribus. Sequitur,

13. Quia à parvo eorum usque ad magnum eorum omnis (*vel quilibet*) concupiscit cupiditatem, (*hoc est, cupidus est lucri, vel addictus avaritiæ*) & à Propheta usque ad Sacerdotem quilibet operatur mendacium. *hoc est, fraudulenter agit*.

Nunc iterum Propheta exprimit, non esse mirum si Deus tanta severitate statuerit agere cum populo illo, & infligere ultimam cladem: quia nulla pars sana erat, sed impietas occupaverat omnes ordines. Potest quidem hoc referri ad juvenes & senes, quum dicit, *A parvo usque ad magnum*: sed malo de pauperibus, & ignobili vulgo intelligere membrum unum: alterum vero de Proceribus, qui pollebant auctoritate & divitiis in populo. Dicit igitur non tantum in parte una regnare contemptum Dei, & omne genus scelerum, sed in toto corpore, ut nulla sit sanitas à capite usque ad plantas pedis. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ quum dicit, *A parvo usque ad magnum*. Et hoc etiam melius apparet ex fine versus, ubi dicit, *à Propheta usque ad Sacerdotem*. ubi amplificat quod dixerat de parvis & magnis. Ergo videmus per magnos non intelligi homines ætatis maturæ, vel provectæ, sed qui erant in aliquo gradu & honore, & quorum existimatio vigebat, vel propter divitias, vel propter alias dotes. ita etiam ex opposito parvos vocat non pueros, sed qui erant contempti, qui erant ex infima plebe, & quasi ex fæce ipsa. Nam sicuti jam dixi, amplificat quod dixerat, ubi producit in medium Sacerdotes & Prophetas. Etiamsi Rex & omnes ejus Consiliarii essent maxime scelerati: debuit tamen vigere aliquod pietatis studium in Prophetis & Sacerdotibus: saltem debuit manere aliquis pudor. Præfecti enim fuerant in hunc finem, ut lucem aliis præferrent. Quum ergo illi quoque essent apostatæ vel degeneres ab omni Dei cultu, quid potuit cognosci in reliquo populo? Nunc ergo videmus hic obstrui os impiis, ne expostulent cum Deo, vel obstrepant ejus severitati, quoniam pervenerant usque ad summum cumulum impietatis, quum scilicet Sacerdotes ipsi & Prophetæ non minus essent corrupti, quam vulgus hominum. Quod dicit *omnes concupiscere concupiscentiam*, extenditur ad omnes fraudes, & turpem quæstum: denique comprehendit omnes partes avaritiæ. Quum dicit *Sacerdotes & Prophetas operari mendacium*, vel agere fraudulentes, idem significat, sed aliis verbis, nempe quod nulla esset integritas etiam in ipsis doctoribus ac magistris, qui debebant esse duces cæcorum. Deus enim illos ordinaverat ut præferrent lucem, quemadmodum dixi, & viam salutis monstrarent reliquis omnibus. Sequitur,

14. Et sanarunt plagam filiæ populi mei super levitate, (*hoc est, super nihilo, de nihilo*) dicendo, Pax, pax: & non pax.

Hoc

Hoc refertur ad solos Sacerdotes & Prophetas, quod scilicet non tantum malo exemplo corruperint populum, sed etiam excusserint omnem metum Dei, & suis imposturis perversaque jactantia abstulerint omnem reverentiam doctrinæ Propheticæ. Dicit igitur *sanasse de nihilo*, vel super levitate, *plagam populi*. Per concessionem dicit *sanasse populi vulnera*. Neque enim hoc est curare, ubi malum augetur: quemadmodum solent imperiti dum temere adhibent perversa remedia, gignere inflammationem, ubi mediocre aliquod erat malum: vel dum tantum incumbunt leniendis doloribus, generant putredinem intus, quæ eo magis est exitialis, quo est occultior. hoc non est sanare, sed perdere. Sed Propheta, quemadmodum dixi, concedit ipsis verbum sanationis: de re tantum differit, quod scilicet sint carnifices, & non medici: *Sanant*, inquit, *plagam populi mei*. Loquitur quasi ex eorum ore, Vos scilicet estis boni medici, quia vestris blanditiis mulcetis populum meum: erat utendum non tantum acribus medicamentis, & quæ pungerent atque adferrent dolorem: sed etiam cauteriis & sectionibus. vos autem tantum adhibetis lenimenta: hæc est vestra ratio medendi. *Sanatis* hoc modo *plagam populi mei*, vel emplastris, vel aliis medicamentis, quæ malum intro pellunt: sed quis est profectus? Continuo post ostendit quænam fuerit illa sanatio: *Dicendo*, inquit, *Pax, pax*. Scimus hoc fuisse vetus malum, & fere commune omnibus seculis: nec mirum. Nemo enim est, qui non cupiat sibi afferri delicias: & quod cernimus quotidie in morbis corporalibus, idem etiam usum habet in spiritualibus morbis. Nemo ægrotus libenter admittet consilium medici sui, si prohibeat usum eorum omnium quæ appetit. Quid igitur faciam? præstat mori, quam obtemperare huic consilio. Deinde ubi medicus jubet sumere potionem amaram: Ego evomerem potius centies cor, quam haurirem potionem illam. Ubi etiam veniendum est ad secandas venas, & alia acerbiora remedia, sicuti sunt cauteria, & ejusmodi, ô, illic instat ægrotus, & vellet si esset ipsi liberum, configere oculos medici sui. Quod ergo experientia in morbis corporalibus docet, hoc idem usum habet in vitiis, ut dixi. volunt omnes sibi imponi, & ita fit ut appetant Prophetas qui promittant largas vindemias, & copiosam messem, quemadmodum dicitur apud alium Prophetam, nempe Michæam: Ecce, inquit Deus, vultis habere Prophetas, qui vobis concionentur de opimo proventu, ac promittant omne genus affluentiæ: & non vultis ipsos stillare malum, inquit: hoc est, non vultis vobis denunciari pœnas, quibus tamen digni estis. Quoniam ergo contemptores Dei cupiunt blanditiis se mulceri, & rejiciunt optima & maxime salutaria remedia, hinc factum est ut Deus ab initio laxaverit frenum Satanæ, & ita grassati fuerint impostores, qui dicerent, *Pax, pax*: *sed super levitate*: hoc est, nihil est solidum in hac sanatione, dicit Dominus, *quia non est pax*. Quemadmodum quo quisque audacior est inter eos qui profitentur medicinam, & tamen sunt artis imperiti, eo etiam magis est exitialis. Ostendit igitur Propheta hanc fuisse causam ultimæ cladis, quoniam decepti fuerunt Judæi à suis Sacerdotibus & doctoribus. interea quemadmodum alibi dictum fuit, non excusat eos quasi posset rejici culpa in perversos doctores. Unde enim factum est ut pseudoprophetæ ita illos fascinaverint? nempe quia scientes & volentes perierunt. Nolebant enim admittere bonos & peritos medicos: ideo oportuit tradi carnificibus. Sequitur,

Mich. 2. vers. 11.

15. An confusi sunt (*vel, An puduit eos*) quia abominationem patrarunt? etiam non puduit eos: (*hoc est, nihil prorsus in ipsis fuit pudoris, etiam erubescere nescierunt*) propterea cadent inter cadentes, in tempore visitationis eorum ruent, inquit Jehovah.

Jam convertit Jeremias sermonem ad totum populi corpus. Proximo versu tantum Sacerdotes & Prophetas aggressus est: nunc generalius loquitur, quod scilicet exuerint omnem pudorem. Ecce, inquit, satis convicti sunt suorum scelerum, manifesta est ipsorum pravitas: & tamen nullus est pudor. ignominia eorum est in conspectu cæli & terræ: Angeli, & cuncti mortales testes sunt eorum pravitatis: sed sunt fronte meretricia, nec tanguntur ignominiæ suæ sensu. His verbis significat desperatum esse malum populi, quoniam scilicet pervenerant ad stuporem illum de quo Paulus loquitur, quum vocat ἀπηλγηκότας eos qui obstinati sunt in suis sceleribus, & qui non discernunt inter rectum & iniquum, inter album & nigrum. Hoc ergo nunc Propheta significat quum dicit, *An erubuerunt?* Sed interrogatio magis emphatica est, quam si simplex fuisset exprobratio, vel affirmatio. *Etiam*, inquit, *non erubuerunt*: in ipso pudore etiam nescierunt quid esset tangi aliqua verecundia. potest hoc quoque referri ad castigationes quibus non fuerant subacti: quasi diceret, data opera impudentiam suam prodere, quia non humilientur sub Dei manu. *Propterea cadent inter cadentes*, inquit: hoc est, jam non disputabo amplius cum illis, neque verbis contendam, sed exequar meum judicium contra eos. *Cadent* igitur *inter cadentes*. quasi diceret, Ego satis & super illis denunciavi bellum: si fuissent adhuc sanabiles, debuit hoc ad conversionem valere quod toties fuerunt admoniti, imo etiam quod asperius ipsos stimulavi ut ad me venirent: ergo nunc cessabo à verbis, & exequar vindictam meam, ut edatur strages quam meriti sunt. *Et ruent*, inquit, *in die visitationis ipsorum*. Ex ea hoc secundo membro clarius intelligimus quid sit & quid significet cadere inter cadentes, nempe quod ruent in die visitationis, hoc est, quum Deus jam exerto gladio veniet ad ipsos perdendos, ubi fatigatus fuerit tot monitionibus.

Ephes. 4. vers. 19.

Da omnipotens Deus, quando modis omnibus nos ad te quotidie reducere conaris, & ita temperas verbum tuum, ut nunc blande nos ad te allicias, nunc autem castiges severius, & minis etiam nos adigas: ne simus prorsus indociles: sed ita guberna nos Spiritu mansuetudinis, ut subjiciamus nos tibi, & sacro tuo verbo: & sic terreamur metu judicii tui, ut tamen semper gustemus dulcedinem misericordiæ tuæ, ut adhæreamus tibi in Christo Filio tuo, donec tandem vere & perfecte cognoscamus te nobis esse patrem, & fruamur fructu adoptionis nostræ, in eodem Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUINTA IN

JEREMIAM.

16. Sic dicit Jehovah, State super vias, & videte, & inquirite de semitis seculi, (*hoc est, antiquis*) quænam via sit recta, & ambulate in ea, ut inveniatis requiem animæ vestræ: & dixerunt, Non ibimus. *vel, Non ambulabimus.*

HIc docet Propheta, non posse extenuari culpam populi quasi errore peccasset: quoniam satis superque admonitus à Deo fuerat. Eadem fere sententia legitur apud Jesaiam, cap. 28. Hæc requies, & noluerunt. Sed pluribus verbis Propheta noster invehitur contra Judæos, nempe quia Deus *jusserit eos stare super vias, aspicere, & inquirere de omnibus semitis antiquis.* Similitudine utitur. neque enim ambigere nos oportet ubi via nobis ostensa fuit ore Dei. Sed coarguitur populi impietas, quod ne saltem aperuerit oculos, quum Deus monstraret viam, & permitteret liberum delectum. nam hic Deum inducit non præcise jubentem, sed cum tanta indulgentia, ut liberum sit populo, eligere quam probabit viam, & putabit optimam esse. ubi Deus tam clementer agit cum hominibus, & familiariter illis proponit quid utile sit atque expediat, hæc fœdior est ingratitudo, respuere talem Dei indulgentiam. Tenemus ergo Prophetæ consilium quum dicit *Deum loquutum esse, ut starent super vias, & considerarent* quid esset factu optimum: *Respicite*, inquit, *& invenietis requiem*, hoc est, ut inveniatis requiem: nam copula hic denotat finem. *Ut* ergo *inveniatis requiem animæ vestræ.* Hic significat Propheta, tantum stetisse per Judæos, quo minus fruerentur rebus prosperis, & tranquillo statu: quoniam si obtemperassent consilio Dei, in promptu erat illis requies. denique significat sponte fuisse miseros, quia Deus proposuerat illis felicem statum: sed contemptam fuisse hanc gratiam ab ipsis, idque pervicaciter: nam hoc sonant verba, ubi dicunt, *Non ambulabimus.* Videmus hic detegi populi contumaciam, quia alioqui poterant excipere se fuisse deceptos: & si fuissent tempore admoniti, obtemperaturos fuisse bonis & sanis consiliis. Ut ansam hanc præcidat Jeremias, dicit eos deliberata malitia respuisse ublatam sibi requiem à Deo. *Dixerunt, Non ambulabimus.* Hoc propositum facile demonstrat, contumaciter perstitisse in suis peccatis, ita ut non placuerit ipsis requies, quæ tamen erat sub ipsorum manu. Locus hic continet utilem doctrinam, nempe fidem semper nobis adferre pacem coram Deo: neque id modo, quatenus in Dei misericordia acquiescere jubet, sicuti Paulus etiam docet hunc esse perpetuum ejus fructum: sed quia unica Dei voluntas ad pacandas mentes nostras sufficit. Quisquis ergo amplectitur ex animo doctrinam à Deo profectam, tranquillus est. Neque enim patitur Deus suos fluctuari, ubi in ipsum recumbunt: sed ostendit quanta sit in veritate sua firmitas. Quod si illud sub Lege & Prophetis valuit, quemadmodum etiam citavimus ex Jesaia: multo magis nunc sub Christo requiem obtinebimus, si subjiciamus nos ejus verbo: quemadmodum etiam ipse promittit, Venite ad me omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: & invenietis requiem animabus vestris, inquit. Ergo hic locus valet ad commendationem cælestis doctrinæ, quod scilicet ad pacandas conscientias valeat, ut nulla sit perplexitas vel hæsitatio. Sequitur,

Jesa. 28. vers. 12. — *Rom. 5. vers. 1.*

17. Et constitui super eos speculatores, ut attenderent ad vocem (*hoc est, clangorem*) tubæ: & dixerunt, Non attendemus.

Est explicatio proximæ sententiæ, non tamen simplex: quoniam Propheta similitudine aggravat contumaciam populi, qui non tantum surdus fuerit ad Propheticas monitiones, sed non admiserit clangorem tubæ, neque etiam attendere voluerit. nam clangor tubæ debet magis penetrare in animos ob duas causas, quoniam validior est quam ulla vox hominis: deinde quia non solemus tuba clangere, nisi ubi instat periculum aliquod, & urget nos metus belli. Videmus ergo cur Propheta postquam doctrinæ meminit, adjungat *tubæ clangorem*: quasi diceret non tantum contemptos fuisse Prophetas, quum ore populum docerent, sed tubam ipsam non fuisse ab ipsis auditam, quum tamen denunciaret propinquum bellum. Hinc melius coarguitur populi stupor: nec stupor tantum, sed illa pervicacia, quam dixi, & quam exprimit Propheta, quod scilicet proposuissent apud se non audire. Jam sequitur,

18. Propterea audite Gentes, & cognosce cœtus quid in ipsis futurum sit.

19. Audi terra, Ecce ego adduco malum (*hoc est, cladem*) super populum hunc, fructum cogitationum ipsorum, quia ad verba mea non fuerunt attenti, & Legem meam spreverunt. (*ad verbum, & Legem meam spreverunt in ipsa: sed non est ambiguus sensus, quod scilicet vel abjecerint, vel spreverint, vel pro nihilo duxerint: verbum hoc significat rejicere & spernere, significat etiam reprobare. jam semel hoc usus est Propheta, & sæpius utetur.*

Nunc convertit sermonem ad Gentes, quæ tamen nihil unquam audierint de vera pietate. Sed hæc apostrophe spectat in eum finem, ut Judæos pudeat suæ socordiæ & surditatis, quia plus reperiatur attentionis & intelligentiæ in profanis gentibus. hoc certe fuit magnopere pudendum. Judæi fuerant familiariter edocti in Lege & Prophetis: Deus mane & vesperi non cessabat eadem apud ipsos repetere. quod ergo Gentes, quibus nunquam contigerat audire Prophetam, & quibus Lex non fuerat data, præditæ essent majore intelligentia & judicio quam Judæi, hoc fuit turpissimum & prodigio simile. Voluit hoc modo Propheta ignominiam eorum detegere, quum Gentes compellat: *Audite Gentes*, inquit, *cognosce congregatio.* ידע & עדה hic ponuntur, & quanquam inversæ sunt literæ, est tamen aliqua paronomasia, quæ gratia non caret. Quod ad sensum pertinet, ostendit Propheta se non reperire discipulos in electo populo, quoniam similes sunt brutis pecudibus, vel lapidibus,

vel

vel truncis: ideo convertit sermnnem ad Gentes, quia desperat de fructu laboris sui apud Judæns. *Gentes ergo audite, & cognosce cætus* (hoc refertur ad quemlibet populum) *quid futurum sit ipsis.* Alii interpretes refernnt ad scelera, & vertunt, Quis sit illorum status, vel quam atrocia scelera inter ipsos grassentur, ac regnent. Sed maln referre ad pœnas, tametsi nnn contendo: est enim altera expositio probabilis. Sed videtur Propheta hic Gentes accersere, ut testes sint justæ vindictæ Dei, quia desperata sit populi impietas. *Audite* ergo *quæ in ipsis* nempe *fient.* Minatus fuisset Judæis, quemadmodum ante fecerat, & sæpius faciet deinceps: verum hoc loco voluit probrose ostendere, quam essent indociles, quoniam sperat operam suam magis fructuosam fore in Gentibus. & tandem adjungit, *Audi terra:* & generalis est loquutio, quasi diceret, Omnes incolæ tesræ audite, *Ecce ego adduco malum super populum hunc.* Debuerat recta Judæos alloqui, si fuissent aures: sed quoniam excæcaverat eos sua malitia, & contemptus Dei, necesse fuit sermonem potius ad terram dirigere. Testatur autem hic Deus se non fore crudelem, dum severe se ulciscetur de populo, quia rependet quod meriti sunt. Summa igitur est, quamlibet graves pœnas infligat, populum tamen non posse conqueri de immodico rigore, quia justam mercedem operum suurum recipiat. Sed nnn tantum de operibus loquitur Jeremias, dicit *fructum cogitationum*, nempe quia coxerant suam malitiam intus, ut non offenderent Deum levitate, vel inscitia. *Cogitationes* ergo vocat illam diuturnam meditationem, in qua obduruerant Judæi. Sic ergn exprimitur & interior malitia & obstinatio. Et postea adjuogit: *Quia ad verba mea non attenderunt, & pro nihilo duxerunt Legem meam*, inquit. Videmus semper hac circumstantia augeri scelus in Judæis, quoniam Deus hortatus ipsos fuerat per servos suos: ipsi autem rejecerant omnem doctrinam. Quod ergo nnluerunt attendere, deinde qund prn nihilo duaerunt Legem & doctrinam, hinc apparet non posse excusari ullo colore eornm crimen, quia ex professo bellum cum Deo ipso gesserunt instar Gigantum, quemadmodum loquuntur. Discamus ex hoc loco, nullum esse crimeo magis detestabile coram Deo, quam contemprum doctrinæ. Nam majestas ejus quodammodo calcatur sub pedibus, quæ relucet in verbo: deinde, quod nimis fœda est ingratirudo, ubi ipse ad salutem invitat bnmines, eas sibi ultro accersera interirum, & rejicere ejus gratism. Nnn mirum est igitur, si intolerabilis sit apud Deum contemptus verbi, quo violatur, ut dixi, ejus majestas: deinde fœda ingratitudine respuitur bonitas ejus, qua vult consulere saluti hominum. Postea addit,

20. Ad quid hoc mihi thus è Sabæis venit, & calamus bonus ex terrà longinqua? holocausta vestra non sunt ad beneplacitum, (*hoc est, non placent, neque grata sunt*) & sacrificia vestra non sunt suavia (*aut jucunda*) mihi.

Hic occurrit Propheta hypocritis, qui putabant sibi esse in manu piacula quum seduln & suffitum & sacrificia nfferrent, quasi id sufficeret ad cultum
Jere. 7. vers. 11. Dei: & ideo postea videbimus Templum illis fuisse speluncam latronum, quia scilicet quum diligenter offerrent quotidie suffitum, & quum defungerentur aliis ceremoniis, putabant Deum esse placatum. Ita hypocritæ semper ludunt in suis nugis, & existimant Deum nimis crudelem, si nnn sit contentus externa specie. fuit ille perpetuus morbus, cum quo bellandum fuit Prophetis: & ideo toties repetitur
Jere. 7. v. 21, 22. hæc sententia, etiam apud hunc nostrum Prophetam, Nnlui sacrificia: non præcepi patribus vestris, quum porrigerem illis manum, & educerem eos è terra Ægypti, ut mihi offerrent holocausta: tantum ut nbedirent voci meæ. Sic apud alios Prophetas, Si
Psal. 50. vers. 12. esuriero, non dicam tibi. Psalm. 50. deinde apud
Amos 5. vers. 22. Amos, Quid abs te quærit Deus, nisi ut te incurves coram ipso? non petit mille arietes, neque ex ar-
Mich. 6. vers. 7. mentis tuis mille boves. Et hodie videmus non posse aliter doceri homines, nisi bellum geratur adversus externum splendnrem, quo volunt Deum esse contentum. quoniam ergo sibi placent homines in talibus ludibriis, ideo necesse est, ostendere quam frivolæ sint nugæ, quæcunque nbtrudunt Deo hypocritæ absque sincero affectu cordis. hæc summa est doctrinæ. Ergo minime dubium est, quin Judæi tunc se accurate exercuesint in sacrificiis, & coluerint ritus Legales. Potuit videri hæc laudabilis sanctimonia: Deus autem respondet: *Ad quid mihi thus ex Sabæis*, inquit, *& calamus suavis*, hoc est, optimi odoris, *è terra longinqua?* Propheta hic ita anticipat, nt nihil relinquat hypocritis, quod objicere possent. Nam dum impendunt largam pecuniam in suos cultus, putant Deum sibi esse obstrictum: & dum etiam multum cnnsumunt operæ; hæc fatigatio non debet eorum judicio esse supervacua & inutilis. Et in Papatu id cernimus: si quis sumptuosum templum extruat, deinde ornet auro & argentn, & instruat etiam alis suppellectile, postea provenrum statuat ad Missas agendas, putat ille se tenere claves omnes regni cælorum, ut perrumpat etiam invito Deo. Talis est furor in Papistis, quum suscipiunt suas peregrinatinnes: si sudent, putant singulns passus debere munerari coram Deo, & Deum esse injustum, nisi probet quicquid illi nffertur cum aliqua mnlestia. talis etiam fuit superbia in Judæis. Quum ergo thus allatum ex Sabæis, nempe ex Orieote, ex Perside, esset pretiosum: quia expenderant aliquam summam pecuniæ, ideo vnlebant hoc valere ad satisfactinnem nmnium scelerum. idem etism de calamo: si calamus suavissimi odoris magnn pretio emptus fuisset, volebant hoc venire in rationem coram Deo, & valere in compensationem omnium pœnarum. Deus hanc stultitiam deridet: *Ad quid mihi*, inquit, *vestri sumptus?* egn ne assis quidem æstimn quantumcunque consumitis in emendo thure & calamo. & ideo loquitur de *Sabæis & terra longinqua.* Pnstea addit, *Non placent mihi holocausta vestra, & sacrificia vestra non sunt jucunda.* Sub hac una specie complectitur Jesemias totum Legalem cultum, & tamen præceptus fuerat divinitus: verum est, sed in alium finem: jejunium per se non displicet Deo, sed est illi abominatio, si fingitur esse npus meritnrium: deinde si statuitur illic aliqua sanctimonia. sic etiam de sacrificiis: nam spoliabant Christum suo honore, quum vellent placare Deum victimis: hoc erat transferre laudem gratiæ Christi, ad vitulum, aut hircum. quale hoc sacrilegium est, & quam detestabile? Quum ergo Judæi in tantn pretio ducerent sua sacrificia, volebant primo cum Deo ludere pueriliter, quasi hæc essent piacula ad ipsum placandum: deinde nfferre holocausta, jugulare aliquod animal. hoc erat transfigurare Deum: postremo hoc erat, quemadmodum jam dixi, spoliare Christum sun honore. Neque enim alibi quærenda est expiatio, quam in sanguine illius, ut dum Spiritus sanctus animas nostras eo aspergit, pori simus ab omni macula. Sed quum hnc tribuerent suis sacrificiis, hoc erat substituere victimam vel arietem in locum Christi, quemadmodum dictum est. Jam in sacrificiis debebat esse admonitio ad pœnitentiam: quum autem magis ac magis obdurescerent, & prætextu ceremnniarum putarent sibi plus licere, & Deum non posse amplius agere,

acsi cum ipso transactum esset, fuit prorsus evertere consilium Dei. Nam quemadmodum dictum est, in hoc jussi fuerant offerre sacrificia, ut se exercerent ad pœnitentiam. Nunc ergo videmus non frustra responsum à Jeremia fuisse, Deo non placere ipsorum sacrificia. *Jesa. 1. vers. 14.* Alibi etiam asperius loquitur, quod scilicet Deus nauseet, quod fatigatus sit sereodo, quod coactus sit laborare, dum ita profanant ejus nomen. Verum eadem est summa, quod scilicet sacrificia per se nunquam Deus expetiverit, sed in alium finem: deinde quod omnes externi ritus sint meræ nugæ, & ludibria, imo profanatio nominis Dei: & ita adeo non possint eum placare, ut magis iram ejus provoceot. Sequitur,

21. Propterea sic dicit Jehovah, Ecce pono huic populo offendicula, & offendent (*nam sunt ab eadem radice & nomen & verbum*) patres & filii similiter, vicinus & socius ejus peribunt.

Hic apertis verbis pronunciat Deus qualem vindictam sumpturus sit de populo. Dicit primum *se ponere illis offendicula*. Non dubium est quin retibus aut plagis comparet judicia quæ iostabant, quia Judæi sperabant se posse semper elabi. Dicit igitur jam esse illaqueatos: Quocunque, inquit, tendatis, occurrent vobis plagæ, quibus vos Deus irretiet. *Cadetis* ergo *& patres, & filii, & vicinus, & socius ejus*. Significat bis verbis, quamvis omnes conspiraverint, simul fore obnoxios iisdem pœnis. Nam ubi filii sequuntur patrum exempla, putant se esse innoxios: deinde ubi quisque multos habet consortes, securior est in sua licentia. Quoniam igitur consensus ille obdurat impios, ut sibi ab ira Dei non metuant, hac ratione Propheta hic involvit filios cum patribus, & vicinum cum socio, ut simul pereant, ac promiscue. Est quidem in verbo Offensionum metaphora: sed paulo post, hoc est, proximo versu Propheta seipsum absque figura explicat, quum dicit,

22. Sic dicit Jehovah, Ecce populus veniet è terra Aquilonis, & gens magna excitabitur è lateribus terræ.

23. Arcum & hastam (*alii vertunt, clypeum*) apprehendent: crudeles erunt, & non parcent: vox eorum quasi mare tumultuabitur, & super equos ascendent: erunt dispositi sicuti vir ad prælium, super te filia Sion.

Non est supervacua repetitio, quum toties inculcat Propheta *Deum loqui*. Poterat simpliciter dicere, Ecce gens veniet ab Aquilone: sed præfatur se hoc afferre à Deo mandatum. neque id modo, sed inducit Deum loquentem: quod magis emphaticum est. Superiore versu etiam dixerat, *Sic dicit Jehovah*, & alibi: sed nunc ingeminat eandem vocem, ut scilicet sacrosanctum Dei nomen efficacius sit ad movendos illorum animos: *Ecce*, inquit, *populus veniet è terra Septentrionis*. Per annos 40 non cessavit Jeremias bellum Judæis indicere, & aperte etiam exprimere nomen hostium: videmus tamen caruisse profectu tot ejus conciones. hoc est horrendum. Sed in hoc speculo perspicere licet, quanta sit nostra durities, quantus stupor, quanta etiam adversus Deum vesania, & quantus furor. Chaldæos ergo hic designat per *gentem Aquilonarem*. dicit *gentem illam esse magnam*: & tamen ostendit non sponte Chaldæos venturos esse: *Excitabitur*, inquit. Refertur hoc ad Deum: qoia tametsi ambitio & avaritia impulit Chaldæos, ut ita vastarent longe & late omnes populos & terras, fuit tamen bellum illud gestum auspiciis Dei ipsius: armavit Chaldæos & impulit, usus est denique ipsis tanquam flagellis iræ suæ. hoc colligere oportet ex verbo יעור. Dicit, *à lateribus terræ*, quia longa erat locorum distantia. Sed significat Propheta non fore ullum obstaculum Chaldæis, quominus perrumpant usque in ipsam Judæam, & populum exscindant ac profligent: deinde urbem diruant ac Templum. Adjungit alias circumstantias, quo magis formidabiles reddat Chaldæos: *Arripient*, inquit, *arcum & lanceam*. Qui vertunt Scutum, non videotur satis attendere ad consilium Prophetæ. Neque enim hic defensionis fit mentio: sed perinde est acsi diceret Propheta, Venient instructi arcu & hastis, ut procul jaculentur. כידון significat utrumque, nempe hastam, & lanceam, & significat etiam clypeum. sed hoc loco non dubito, quin hastam potius intelligat Propheta: quasi diceret, Vibrabunt ictus suos è longinquo, vel eminus. Postea addit *crudeles fore*: *Jesa. 13. vers. 17.* quemadmodum Jesaias dicit, Non appetent aurum neque argentum: ubi de Persis loquitur, & Medis: & tamen populus ille erat rapacissimus. verum est: sed intelligit utrumque Propheta, quoniam exequutores erant Persæ, & Medi, cælestis vindictæ, ideo venturos esse cum novo ingenio & stylo, ut spernant aurum, & argentum, omnes prædas, & appetant duntaxat sanguinem. *Ideo non miserebuntur*, inquit. postea, *Vox eorum tumultuabitur quasi mare*, vel sonabit. Non dubito quin perstringat stuporem populi, quoniam non attenderat ad Dei vocem: nam per multos annos insonuit auribus eorum doctrina Jeremiæ: præcesserat Jesaias, & alii etiam. populus obsurduerat. Dicit, Vos audietis posthac alios magistros: neque enim vos monebunt, neque dabunt consilium, neque contenti erunt objurgationibus & minis: sed venient quasi tempestas maris, *& vox eorum tumultuabitur*. addit, *Ascendent super equos, & ordinati erunt tanquam vir ad prælium*: hoc est, senties, Jerusalem, tibi esse negotium cum viris militaribus. denique significat Propheta, Judæos nimis stulte confidere suis opibus, & ideo secure contemnere Propheticas minas. Quoniam autem talis erat securitas, ideo dicit tandem experturos reipsa, quam stolidi fuerint, quia venient Chaldæi horrendo impetu, & erunt instructi ad prælium. quomodo? *Contra te filia Sion*, inquit. Ego non ulterius prosequar ob negotium aliquod.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus quotidie tibi dare offensionum materiam: tu autem, dum salutem nostram procuras, non desinis etiam nos in viam salutis revocare: ut saltem attenti simus ad vocem tuam, & patiamur nos ea corrigi, & ita nos tibi subjiciamus, ut ad metam constanter pergamus ad quam nos invitas, ac tandem defuncti cursu præsentis vitæ, fruamur obedientiæ & fidei nostræ bono, nempe ut possideamus æternam illam hæreditatem, quæ nobis parta est per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA IN JEREMIAM.

24. Audivimus famam ejus, dissolutæ sunt manus nostræ, angustia apprehendit nos, dolor tanquam parturientis.

Prosequitur Jeremias suam loquendi formam, quia proponit judicium Dei ante oculos Judæis, & trahit quasi invitos in rem præsentem. Hoc autem sicuti alibi dictum est, fecerunt Prophetæ, quia simplicibus verbis non movebant populi animos propter contemptum Dei, & longam contumaciam, in qua obduruerat. Dicit igitur *auditam fuisse famam hostis, & statim dissolutas esse manus.* Quo tempore loquutus est Propheta, non putabant Judæi tam propinquos esse hostes. sed sic resolvenda est loqoutio, Simulatque audieritis famam, manus vestræ solventur, & apprehendet vos angustia. Similitudo puerperæ sæpe occurrit in Scripturis, sed pluribus locis intelligitur subitus dolor, & inopinatus. Hoc autem loco Propheta ad vehementiam potius respicit: quanquam non excluditur etiam quod jam dixi, quia probabile est, quum videret tantam esse duritiem & contumaciam in populo, aptasse similitudinem, ut ostenderet, quamvis securi pœnas sibi debitas spernerent, non posse tamen effugere, quemadmodum puerpera subito dolore corripitur. Postea adjungit,

25. Ne exieritis in agrum, & per iter ne ingrediamini, quia gladius hostis, terror undique. *vel in circuitu*, מסביב.

Confirmat eandem sententiam. nam Judæi (quemadmodum dictum est) pro nihilo ducebant omnes minas: ideo necesse fuit, illos non simplicibus verbis doceri, sed cogi ad timorem, ut quasi re oblata ante oculos, saltem coacti conciperent aliqoid terroris ex propinqua Dei vindicta. Propheta igitur hic bellum denunciat, & dicit jam quasi esse obsessos: *Ne exieritis*, inquit, *in agrum, quia terror hostis, & undique pavor:* non quod jam Chaldæi vastarent Judæam, vel etiam profecti essent ex ditione sua. Sed exposuimus breviter consilium Prophetæ, nempe voluit apud populum durum & pervicacem agere tanta vehementia, ut sentirent serio ipsum loqui, & non fore irritas ejus minas. Sequitur,

26. Filia populi mei, accingere sacco, voluta te in pulvere, luctum unigeniti fac tibi, planctum amaritudinum: quia repente veniet vastator super nos.

Videtur verbosus esse Propheta, quoniam in re dilucida multum sermonis consumit. sed tenendus est finis quem notavi, quod scilicet non poterat afficere Judæos, nisi asperius illos urgeret. Nota est & satis trita loquendi forma, dum populus vocatur *filia populi. Filia*, inquit, *populi mei accingere sacco, & te voluta in pulvere*, &c. Dubium est, horteturne Propheta suos populares ad pœnitentiam, an vero luctum denunciet perditis ac desperatis: sæpe enim fit mentio cineris & sacci, ubi nulla est spes conversionis aut resipiscentiæ. tamen si cui placeat hic sensus, non repugno quin Propheta adhuc sollicitet Judæos, an possint ad sanam mentem redire. *Filia*, inquit, *populi mei fac tibi luctum unigeniti.* Ita Hebræi loquuntur de maximo & acerbissimo luctu. nam si quis unicum filium amittat, longe dolentius feret ejus mortem quam si plures essent liberi: nam ubi aliqui restant, consolatio adhuc aliqua manet. sed si quis orbetur in totum, major, quemadmodum dixi, luctus parentes cruciat. Hac ratione vocant Hebræi *luctum unigeniti*, ubi omnia sunt deplorata. Postea addit *planctum amaritudinum* eodem sensu: *quia repente veniet super nos vastator.* Si de pœnitentia accipere placeat hunc locum, scimus saccum & cinerem per se non magni esse momenti coram Deo, sed fuisse olim testimonia pœnitentiæ, quum supplices deprecarentur iram Dei. & ideo Prophetæ rem sæpe à signo ipso designant. Tenendum est interea quod dicit Joël, scindenda esse corda, non vestimenta. sed *Joel. 2. vers. 13.* Prophetæ sumunt hoc principium, non fallaciter agendum esse cum Deo, sed ex sincero affectu. Ergo per *saccum & cinerem* non intelligunt falsas protestationes, ut loquuntur: sed vera indicia, in quibus se exercent qui ad Dei misericordiam vere & ex animo confugiunt. Sed quoniam videtur hic Propheta suscipere personam fecialis, qui bellum denunciet, nescio an hic locus contineat doctrinam pœnitentiæ. Sic igitur potius interpretor, nihil restare Judæis præter extremum luctum. & huc etiam spectat quod dicit, *repente venturos esse perditores:* nam sic tolerantia Dei per multos annos abusi fuerant, ut putarent se impune peccare. Quoniam ergo ita pridem assueverant ad perversam indulgentiam, ideo Propheta utitur voce hac פתאם, Repente. Adjungit,

27. Arcem posui te in populo meo, munitionem, (*vel propugnaculum*) ut cognoscas & probes vias ipsorum. *viam ipsorum.*

Dicit Propheta *se positum fuisse à Deo tanquam arcem speculatoriam*, & interea *munitam, ut observet* scelere popoli. quanquam ut plus auctoritatis obtineat vaticinium, inducit Deum ipsum loquentem. Hactenus concionatus est in sua persona, nunc vero Deus ipse prodit in medium, & dicit, *Ego te posui arcem.* Hieronymus vertit probationem. בחון significat probare: & paulo post utitur hoc verbo Jeremias: *Ut probes*, inquit, *vias ipsorum.* sed quoniam sequitur מבצר, non possumus aliter accipere quam pro arce, vel propugnaculo. Ego tamen non dubito proprie notari arcem speculatoriam: quasi diceret, Prophetam esse instar speculæ, unde potest uno intuitu conspici quicquid longe & late agitur. nam è planitie non possumus procul cernere: sed qui in sublimi locati sunt, longius extendunt suum aspectum. Sed additur etiam nomen *munitionis*, quia oportuit Jeremiam intrepide speculari, & non esse obnoxium vel minis populi, vel calumniis, vel obstreperis vocibus, quas jactabant. Duo enim significat requiri Jeremias in servis Dei, nempe prudentiam, & infractam magnitudinem animi.

animi. neque enim satis esset, Prophetas acute perspicere quod opus est, nisi etiam constanter parati essent ad exequendum munus. Utrumque videtur complecti, quum dicit *se positum fuisse in vicem speculæ*: deinde, *in vicem munitæ arcis.* quomodo? *ut cognoscas*, inquit, *& probes viam ipsorum.* Jam videndum est quorsum hoc spectet. Haud dubie Propheta hic sibi fidem vendicat, ut non tantum libere, sed etiam pro imperio populum coarguat: quia scimus fuisse semper illis in ore multas exceptiones, ita ut Propheticam doctrinam contemnere sibi permitterent, acsi non esset à Deo profecta. Hæc igitur ratio est cur hic pronunciet Deus Jeremiam *instar arcis esse, & quidem munitæ*, nempe *ut observet ac cognoscat viam populi*: quia hinc sequitur, quantumvis sese contumaciter defenderent, nihil illis profore, quoniam præditus sit Jeremias summa potestate, & divina, ut judicis munus ad ipsos damnandos exerceat. Nam statim sequitur,

28. Omnes perversi perversorum, ambulantes in obtrectatione, (*dicemus postea de hac voce*) æs (*aut chalybs, ut alii vertunt*) & ferrum: omnes perditores (*vel corruptores*) sunt.

Jam ostendit Propheta quales deprehenderit Judæos, quorum mores & studia jussus fuerat observare. Si initio hoc dixisset, vel accensus fuisset furor populi, vel ludibrio habitum fuisset hoc judicium. sed ubi Deus ostendit quid cognoverit per servum suum, hoc plus habet gravitatis: deinde repressa etiam fuit dementia populi hoc modo, quum intelligerent se nihil proficere pugnando adversus Deum. Dicit *omnes esse defectores defectorum*, vel transgressores transgressorum. Alii שׂרי legunt per שׂ, & ita vertunt, Principes transgressorum. Sed primum, quia magis recepta est altera lectio, libenter eam amplector: deinde qui vertunt Principes, extorquent nescio quid ex verbis, & non eliciunt genuinum sensum. nam dicunt esse Principes transgressorum, quia nihilo melior sit populus ipsis gubernatoribus, & servi dominos suos imitentur in omni genere scelerum. hoc autem coactum est, ut omnes vident. Quid ergo opus est quicquam mutare, quum optime constet sententia, ubi vocantur סרי סררים, apostatæ apostatarum, transgressores transgressorum? Scimus enim superlativum gradum apud Hebræos notari hac duplicatione, Cæli cælorum, Sancta sanctorum, Deus deorum. Vocat igitur non tantum sceleratos, sed maxime detestabiles, qui scilicet ad extremum pravitatis venerunt. ubi enim impietas ipsa ad cumulum transcendit, possunt vocari homines סרי סררים. Nec dubito quin hoc intellexerit Propheta. Postea adjungit, *Ambulare in obtrectatione.* eadem etiam est loqutio Levitici 19. cap. nisi fallor: Non eas, vel non ambulabis in populo tuo cum obtrectatione. *Levit. 19. vers. 16.* quanquam potest etiam aliter hoc nomen exponi: quod scilicet ambulent in calumniis, vel quod pervertant omnia. Videtur enim hoc loco nimis frigidum esse Obtrectationis nomen, quia magis designat Propheta, meo quidem judicio, audaciam populi, quod sibi licentiam peccandi concesserit, & ita ambulaverit in sua malitia. Addit, *æs & ferrum.* Multi exponunt Æs mixtum ferro, quod scilicet simul permixti essent tam nobiles quam vulgus ipsum, & communis esset inter ipsos conspiratio. hic sensus non admodum mihi displicet: verum quia subtilior est, nescio an satis habeat firmitatis. ego igitur malo referre ad duritiem, quod scilicet similes sint æri & ferro, quoniam sint inflexibiles. Postquam ergo Propheta vocavit transgressores, & qui se à Deo alienaverant, postquam dixit eos ambulare in sua pravitate, adjungit esse indomitos, quia non admittant ullam correctionem: & ideo comparat eos æri & ferro. tandem addit *ipsos omnes esse corruptores.* Refertur hoc, meo judicio, ad mores: nam sic vocantur hostes, qui omnia diripiunt, qui grassantur per strages. Sed hic corruptores vocat non tantum qui instar latronum diriperent omnium bona, sed quoniam alii aliis duces erant pravitatis: quemadmodum fieri solet, ubi à capite usque ad pedem omnia sunt perversa. Postea adjungit,

29. Exaruit (*consumptum est*) sufflatorium (*vel follis*) ab igne, integrum plumbum, frustra conflavit conflator: (*vel excoxit excoctor*) quia (*nam copula hæc pro causali particula ponitur: quia*) mali non sunt purgati. *vel, & tamen (adversative) non sunt consumpti: uterque sensus non male quadrabit.*

Dicit *consumptum esse follem ab igne, & sine profectu.* Tota hæc sententia est metaphorica. Interpretes simpliciter de doctrina accipiunt: ideo guttur Prophetæ existimant vocari follem, quo ignis accenditur. ita sensus esset, Prophetam assidue clamando quasi combustum esse, sicuti follis ubi immodice exercetur, tandem absumitur continuo usu, præsertim ubi ignis vehementius æstuat. Existimant ergo Prophetam conqueri guttur suum exaruisse, quemadmodum si follis assiduo igne exustus jam non possit officium solitum præstare. sed quid si hoc referamus ad pœnas & judicia quibus Deus populum suum castigaverat, & tamen sine profectu? Sic enim conqueritur primo cap. Jesaiæ, & aliis locis: Frustra, inquit, castigavi eos. dixit etiam prius Jeremias, Frustra castigavi filios meos, & disciplinam non receperunt. *Jere. 2. vers. 30.* Sic etiam apud Jesaiam cap. 1. v. 24. Hei vindictam sumam de inimicis meis: & quorsum? postea adjungit, sine profectu, quoniam insanabilis erat eorum malitia. Et tamen prior sensus non est repudiandus, quia hoc non male quadrat, detritam fuisse linguam Prophetæ clamore assiduo, guttur etiam fuisse prope exustum. sed dixi quid mihi magis placeat. libera igitur sit electio. Si de Prophetica doctrina hoc volumus esse dictum, sensus quoque poterit elici à terrore Dei consumptum fuisse Prophetæ guttur: erat enim quasi incendium, toties Deum minitari populo ultimam cladem. Propheta ergo non abs re dicit exustum sibi fuisse guttur ab illo igne, hoc est, à Dei minis. & postea etiam addit, *plumbum fuisse integrum.* Sed hæc posterior pars ostendit potius Jeremiam loqui de judiciis, quibus Deus conatus fuerat populum humiliare, & adducere ad pœnitentiam. neque enim hoc proprie competeret in doctrinam, aut verbum, *quod scilicet plumbum fuerit integrum.* Plumbi nomine ego intelligo scoriam: aliqui intelligunt argentum, & dicunt plumbum misceri argento, ut argentum facilius liquescat. Quia non sum peritus illius artis, nescio an hoc soleat fieri. sed Propheta dicit *plumbum fuisse integrum*, hoc est, nihil repertum fuisse præter scoriam & sordes. Postea addit, *frustra conflatorem conflavisse. nam mali non sunt ablati*, hoc est, non potuit tolli excrementum, ut aliquid purum maneret: denique significat, in populo fuisse meras sordes & scoriam, & non fuisse guttam puri argenti. hinc sequitur frustra fuisse conflatos. atqui hoc magis convenit pœnis, quam doctrinæ, sicuti omnes vident.

Non

Non dubito igitur, quin Propheta hic ostendat non modo sceleratos esse Judæos, & apostatas, & contemptores Dei, sed ita obstinatos in malitia, ut Deus frustra sæpius tentaverit ipsos purgare. Scimus autem hoc genus loquendi passim occurrere apud Prophetas: & in tota Scriptura: quod scilicet Deus conflare dicitur homines, vel purgare, vel excoquere, ubi eos castigat. sed Propheta dicit fuisse tantum excrementa in illo populo: repertum fuisse plumbum, & ipsos non fuisse liquefactos. Hinc autem colligitur quanta fuerit durities, quum ita examinati igne, non tamen mollescerent, sed perstarent in sua pervicacia. Postea adjungit;

30. Argentum reprobatum (*contemptibile*) vocarunt ipsos, (*hoc est, vocabunt*) quia sprevit (*vel reprobavit*) ipsos Jehovah.

Concludit Jeremias suam sententiam, nempe si centies conjecti fuerint Judæi in fornacem, non tamen meliores fore, quia nunquam mollescent propter perditam eorum obstinationem. Per concessionem utitur nomine argenti. neque enim digni erant hoc nomine: & jam audivimus nihil fuisse in ipsis molle, aut fluidum. Quid ergo? sæpe concedunt Prophetæ hypocritis aliquid, sed non sine specie ironiæ, quemadmodum hoc loco: Volunt esse argentum Judæi, aut saltem videri. sint igitur, hoc est, prætendant sibi argenti nomen, jactando sacrum Abrahæ genus: sed argentum est reprobum, quemadmodum vocabimus *faux or, faux argent*: tamen neque argentum erit, neque aurum: sed nomen illud καταχρηστικῶς ponitur: & postea ostendimus non esse argentum, quod tamen dignamur nomine argenti. Sic etiam Propheta, Sunt argentum, suo judicio, & hoc titulo superbiunt. Sed *argentum*, inquit, *reprobum*. quare? *Reprobavit enim ipsos Dominus.* Ostendit penes arbitrium Dei esse, ferre sententiam de hominibus, & eos suis blanditiis nihil lucrari: deinde retinere aliquam existimationem coram mundo. Deus enim solus est idoneus judex. Ergo Propheta ostendit esse reprobum argentum, ut sciant Judæi se de nihilo gloriari, dum jactant se esse Dei populum & hæreditatem. Sequitur,

CAP. VII.

SErmo qui datus fuit Jeremiæ (*qui factus fuit ad Jeremiam: qui datus fuit, ad verbum*) à Jehova, dicendo,

2. Sta in porta domus Jehovæ (*hoc est, Templi*) & clama illic hunc sermonem, (*hoc est, vociferare hunc sermonem, vel cum clamore profer*) & dicas, Audite sermonem Jehovæ cunctus Jehudah, qui ingredimini per has portas, ut adoretis Jehovam.

3. Sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël, Bonas facite vias vestras, & studia vestra, & habitabo vobiscum in hoc loco.

4. Ne confidatis vobis (*hoc est, ne vobis fiduciam ponatis, vel ne adjiciatis vobis fiduciam*) ad verba mendacii, dicendo, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ sunt.

Hic Propheta concionem breviter perscribit, qua durius invectus est contra populum, quia scilicet inutilis fuerat ejus labor, quum tamen satis graviter & severe illos objurgasset. Dicit igitur *sibi fuisse divinitus mandatum, ut staret ad portam Templi.* Solebant hoc quidem facere Prophetæ: sed videtur Deus voluisse clarius ab omnibus exaudiri hanc objurgationem. Dicit præterea *sibi fuisse mandatum, ut alloqueretur totam tribum Jehudah.* Unde probabile est, & facile colligitur, concionem hanc fuisse habitam die festo, quum solennis esset conventus populi. Neque enim poterat quotidie sic loqui. nam incolæ urbis frequentabant Templum: sed ex vicinis oppidis, & ex tota ditione solebant confluere diebus festis ad legitimum Dei cultum, qui Lege præceptus fuerat. Quum ergo compellat Jeremias totum Jehudam, hinc colligimus verba fecisse non tantum ad cives urbis, sed etiam ad totam tribum, quæ ad diem festum celebrandum convenerat. Summa autem concionis est, ut serio resipiscant, si velint Deum sibi placare. Hoc modo ostendit Propheta, Deum non morari ipsorum sacrificia, & externos ritus, neque hanc esse litandi formam, quemadmodum putabant. Nam postquam celebraverant diem festum, quisque domum redibat, quasi expiatione facta, omnes Deum propitium haberent. Propheta hic demonstrat longe diversam esse rationem colendi Dei, nempe ut vitam suam mutent in melius: *Bonas*, inquit, *facite vias vestras, & studia vestra, tunc habitabo in loco hoc.* Hæc promissio continet tacitam antithesin. Significat enim Propheta, non diu fore superstitem populum, nisi Deum alio modo placare studeat: *Habitabo in hoc loco*, inquit, *ubi vita vestra mutata fuerit.* Ergo ex opposito sequitur, Deus expellet vos in exilium, nisi mutetis vitam vestram. Frustra igitur quæritis vobis statum quietum & felicem, ubi offertis vestra sacrificia. Deus enim pro nihilo ducit hunc externum cultum, nisi præcedat interior veritas, hoc est, nisi vitæ integritas respondeat professioni. hoc est unum. Deinde Propheta propius ipsos urget quum dicit, *Ne fiduciam vobis ponatis in verbis mendacii.* Nisi enim hoc fuisset diserte expressum, poterant Judæi adhuc tergiversari pro more suo: Ergo nos perdidimus operam, ubi tam sedulo celebravimus festos dies? ubi relictis ædibus nostris, & familiis, sistimus nos coram Deo? non parcimus sumptibus: adducimus hostias, & consumimus nostram substantiam. Hæc vero nullius essent pretii coram Deo? nam hypocritæ semper suas nugas magnifaciunt, quemadmodum dicitur Jesaiæ quinquagesimo octavo capite, ubi cum Deo expostulant, quasi ipsis sit ingratus, Nos de die in diem quæsivimus Dominum: sed Dominus respondet, Frustra me quæritis de die in diem & scrutamini de viis meis. Deridet igitur Deus illam diligentiam, qua volebant hypocritæ ipsum sibi reddere propitium absque vero cordis affectu. Hoc igitur consilio nunc addit Propheta, *Ne fiduciam ponatis*: est enim anticipatio, qua prævenit quod objicere poterant, & solebant etiam, Quid ergo? an frustra extructum est Templum? inquit. an frustra hic Deus colitur? *Sunt verba mendacii*, nempe ubi abest sincera pietas. Videmus ergo hic repudiari externos ritus, ubi homines fallaciter volunt acquirere gratiam coram Deo, &

volunt

volunt redimere sua peccata falsis compensationibus, quum tamen maneat illis cor obstinatum. Posset pluribus verbis explicari hæc doctrina: sed quoniam sæpius occurrit apud Prophetas, ego leviter prætereo: satis est tenere summam rei, dum scilicet Judæi Templo & ceremoniis & sacrificiis contenti sunt, eos sibipsis esse impostores, quia sit hæc fallax jactantia. nam Verba mendacii accipit pro stulta & inani gloriatione, qua surgebant quum vellent opponere vindictæ Dei suos externos ritus: & interea non studerent cum ipso redire in gratiam, vita in melius commutata. Quantum ad verba spectat, quidam sic exponunt, Verba esse mendacii, quum dicunt se venire ad Templum: & ita aliquid supplendum esset, Quod veniant ipsi. nam pronomen demonstrativum est pluralis numeri: ideo intelligunt de populo: non quod Judæi se Templum Dei vocarent, sed quia jactarent se venire ad Templum, & illic Deum colere. Ego autem potius aliis subscribo, qui hoc exponunt de tribus membris Templi. scimus enim fuisse Atrium: deinde fuisse Templum: postremo fuisse Adytum illud interius, nempe Sanctum Sanctorum, ubi erat Arca fœderis. Sæpius vocant Prophetæ Templum singulariter: sed quum distincte loquuntur de forma Templi, numerant Atrium, quemadmodum dixi, ubi solebat populus offerre sacrificia: deinde Sanctum, quod ingrediebantur soli Sacerdotes: postremo Adytum, quæ pars erat magis abscondita, & vocata fuit Sanctum Sanctorum. Videtur ergo sic intelligendus esse locus Prophetæ, quod populus diceret & Atrium & Templum & interius illud Adytum esse Templa Dei, quasi haberent triplex Templum. Sed notandum est Prophetæ consilium quod relinquunt interpretes. insistit autem Propheta in hac repetitione præcipue, quoniam erat Templum quasi triplex munitio hypocritis: quemadmodum si urbs non tantum cincta sit uno muro sed triplici, deinde simul habeat tres fossas conjunctas, videtur esse inexpugnabilis. Quum ergo opponerent Judæi Templum, quod constabat tribus illis membris, perinde est acsi objicerent triplicem murum, & triplicem fossam Dei judiciis: O, nos sumus invicti: quomodo penetrarent hostes ad nos? quomodo ulla clades nos attingeret? Deus enim habitat in medio nostri, & hic habet suum domicilium, neque id unum & simplex palatium, sed habet triplicia palatia, habet suum Atrium, habet suum Templum, habet Sanctum Sanctorum. Tenemus ergo nunc cur Propheta usus fuerit hac repetitione, & simul etiam plurali numero.

Da omnipotens Deus, quando sic abutimur tua tolerantia, ut sæpe cogaris nostra pravitate severius agere nobiscum, saltem ne simus obdurati contra tuas castigationes: sed collo submisso & flexibili discamus jugum tuum suscipere, & nos ita subjicere tuo imperio, ut non testemur uno die resipiscentiam, vel signum aliquod fallax illius demus, sed tota vita nostra vere probemus sinceram nostram ad te conversionem, dum scilicet hoc unum erit nobis propositum, te glorificare in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEPTIMA
IN
JEREMIAM.

5. Certe si bonas faciendo bonas feceritis vias vestras, (*bonificando bonificaveritis, ad verbum, si ita vertere liceret*) & studia vestra: si faciendo feceritis judicium inter virum & inter proximum ejus:

6. Peregrinum, pupillum, & viduam non oppresseritis, & sanguinem innoxium non effuderitis in hoc loco: & post deos alienos non ambulaveritis in malum vobis: (*in malum vestrum*)

7. Tunc habitare faciam vos in hoc loco, in terra quam dedi patribus vestris, à seculo usque in seculum.

NOn consentiunt interpretes in sensu hujus loci. quidam enim כִּי־אִם vertunt, Quin potius, vel sed. fateor quidem ita pluribus locis accipi, sed falluntur dum conjunctim legunt כִּי־אִם: quum potius repetat Propheta quod jam dixit, nempe non aliter Deum fore propitium Judæis, quam si vita eorum veram pœnitentiam testetur. כִּי־אִם aliquando conjunctim accipiunt Hebræi pro Sed, verum: alibi etiam sæpius leguntur hæ duæ voces separatæ, quemadmodum jam vidimus secundo capite, Si te laveris nitro: & augendi causa sæpe ponitur illa particula, Certe, etiamsi. Sed hoc loco simpliciter intelligit Propheta, falli Judæos, quoniam velint imponere Deo legem pro sua libidine, quum penes arbitrium ejus sit vel probare vel rejicere eorum opera. Et sensus hic confirmatur ex secunda parte versus. Neque enim illic legitur כִּי־אִם sed אִם, Si *faciendo feceritis judicium*: deinde uno contextu adjungit, *si non oppresseritis peregrinum, pupillum, & viduam*: tandem adjungit, *Habitare* (ponitur hic copula, fateor, sed vice adverbii. *Tunc habitare*) *vos faciam.* Summa est, sacrificia coram Deo nullius momenti vel pretii esse, nisi qui offerunt simul etiam se totos consecrent Deo, puro corde. Volebant Judæi adstringere Deum suis legibus: ostendit se ita perperam cogi in ordinem. Apponit igitur illis conditionem: quasi diceret, Meum est vobis præscribere quid rectum sit. Facessant igitur ceremoniæ quibus putatis expiari peccata vestra, quoniam eas nihil moror, ac pro nihilo duco. Quid ergo superest? nunc ostendit: *Si composueritis vitam vestram ad rectitudinem*, inquit, *tunc habitabitis in loco hoc.* Nam heri hortatus est Propheta populum ad conversionem: & usus est eodem verbo quod nunc repetit. Jubebat ergo populum ad Deum accedere recto & puro animo: postea addiderat alteram sententiam, Ne ponatis vobis fiduciam ad verba mendacii, dicendo, Templum Domini, &c. Jam iterum repetit quod dixerat, *Si* (vel, *quod si*) *feceritis bonas vias vestras.* Ostendit clarius non fieri populo injuriam, quum Deus repudiat ipsorum ceremonias, quia exigit purum cor: & sine pœnitentia externi ritus sint vani & inutiles. Hoc est igitur consilium Prophetæ: Si videtur Deus nimium duriter agere vobiscum, promittit se fore vobis benevolum, ubi vitam vestram composueritis ad obedientiam Legis. an hoc iniquum est? Conditio quæ vobis à Deo fertur, potestne subjecta esse ullis calumniis, quasi Deus vos inhumaniter tractaret? Hoc est ergo consilium Prophetæ, *Si feceritis bonas vias vestras*,

hoc

hoc est, si vita vestra in melius mutata fuerit. *Et si feceritis judicium.* Ad species nunc descendit: ac primo quidem judices compellat, quorum erat reddere singulis jus suum, compescere injurias, & pronunciare ex bono & æquo, quum lis aliqua exorta erat. *Si ergo*, inquit, *feceritis judicium inter virum & fratrem ejus*: hoc est, si judicia apud vos recta fuerint, ut neque favor, neque odium, neque ullæ corruptelæ vos abducant ab æquo & recto. hoc est *facere judicium inter virum & fratrem ejus.* Postea addit, *Non oppresseritis peregrinum, & pupillum, & viduam.* Hoc quoque ad judices pertinet. Sed minime dubium est quin Deus hic generaliter ostendat, in populo regnare injustitiam, ubi crudelitatem & perfidiam damnat in ipsis judicibus. Quod attinet ad *peregrinos, & pupillos*, & *viduas*, hæc loquendi ratio frequenter occurrit: quia subsidiis fere omnibus carent tam peregrini, quam pupilli & viduæ, & obnoxii sunt multorum injuriis, quasi essent expositi in prædam: ideo quoties de recta gubernatione agitur, Deus nominat peregrinos, & viduas, & pupillos: quia hinc facile potest deprehendi qualis sit publica administratio. nam si alii obtineant jus suum, hoc non mirum est, quoniam adsunt patroni, qui causam eorum defendant; deinde amici etiam advocantur. Sic quisque dum tuetur suam causam, saltem aliquam partem juris obtinet. Sed ubi peregrini, & viduæ, & pupilli non injuste tractantur, hoc signum est veræ integritatis: quia hinc colligitur non valere apud judices [illegible]. Sed quia alibi hac de re dictum fuit, ego tantum leviter attingo. *Et sanguinem innocentem non effuderitis in loco hoc*, inquit. Hic atrocius insequitur Propheta judices, dum vocat homicidas. Neque tamen dubium est quin semper in ore habuerint aliquos prætextus, quum ita funderent purum sanguinem. Sed Propheta quoniam hic loquitur in persona Dei, & ex Spiritus sensu, totum illud negligit quasi evanidum, quod putarent judices aliquid sibi esse excusationis. Quum dicit *in loco hoc*, ostendit quam stulta sit eorum confidentia, dum gloriantur de cultu Dei, & sacrificiis, & Templo: quoniam Templum polluerant suis impiis cædibus. Deinde transit ad priorem Legis tabulam: *Si non ambulaveritis post deos alienos*, inquit, *in malum vobis.* Sub una specie per synecdochen hic omnes alias impietatis species damnat. Quid enim est ambulare post deos alienos, nisi deficere à puro & legitimo Dei cultu, & corrumpere ipsum superstitionibus? Videmus ergo quid sibi velit Propheta. revocat Judæos ad observationem Legis, ut inde possit fieri rectum judicium de ipsorum pœnitentia. Probate, inquit, vos resipuisse ex animo: ostendit rationem probandi, nempe si Legem Dei observent. Et, quemadmodum jam dixi, priorem Legis tabulam designat synecdochica sub una specie. Quod attinet ad secundam tabulam, ponit etiam aliquas species, quæ tamen huc spectant, ut ostendat violari justitiam & æquitatem apud ipsos: deinde, crudelitatem & perfidiam, fraudes & rapinas grassari. Sequitur posterior pars: *Tunc*, inquit, *habitare vos faciam.* Opponit Deus perversæ populi fiduciæ hoc membrum: quasi diceret, Vultis me vobis esse propitium: sed illuditis mihi, dum offertis sacrificia absque affectu cordis, absque ulla pietate. manetis semper vestri similes: interea putatis me esse vobis placatum, ubi in Templum venitis cum inanibus pompis: sed sacrificia vestra polluitis impuris manibus. Ego igitur hanc conditionem non admitto: sed *tunc habitare vos faciam in hoc loco, & in terra quam dedi patribus vestris, si*, hoc est, hac lege addita, si vere mecum redieritis in gratiam. Postrema pars versus, *A seculo in seculum*, contexi debet cum verbo שכנתי, *faciam vos habitare à seculo in seculum*: hoc est, sicuti habitarunt patres vestri jam olim in hac terra, ita etiam quieti manebitis in hac eadem, & manebit vobis tranquilla possessio, sed non aliter. Tenenda est antithesis quam heri notavimus. Denunciat enim oblique Judæis exilium, quia terram contaminent suis sceleribus, & tantum sacrificiis suis glorientur. Nunc sequitur,

8. Ecce, vos fiduciam adjicitis ad verba mendacii, (*vel fiduciam vobis ponitis super verbis mendacii*) quæ profectu carent.

Iterum inculcat quod heri vidimus, nempe stultam esse populi gloriationem, dum Templum & sacrificia Deo obtrudunt. vocat verba mendacii, quemadmodum exposuimus, quod prorsus in contrarium verterent quæ Deus instituerat. Volebat in Templo sibi afferri sacrificia. quorsum? nempe ut foveret in toto populo fidei unitatem. Sacrificia autem quo tendebant? ut populus expenderet se reum esse æternæ mortis: deinde, ut confugeret ad misericordiam Dei: expiationem alibi quæreret, nempe in Christi sanguine. Atqui nulla erat pœnitentia, non displicebant sibi in peccatis: imo, quemadmodum statim videbimus, plus licentiæ sibi ex ceremoniis sumebant, quæ tamen debebant esse pœnitentiæ exercitia. Fuerunt igitur verba mendacii, quum signa à suo fine evellerent. Debent quidem distingui veritas, & signum: sed divortium illud non est tolerabile, quum homines signa nuda arripiunt, & negligunt rei veritatem. Veritas in sacrificiis illa fuit quam nunc dicebam, ut spectaculo illo admonerentur se reos esse æternæ mortis: deinde, ut pœnitentiam meditarentur, & ita confugerent ad Dei misericordiam. Quum nulla esset Christi ratio, nulla cura resipiscentiæ, nulla displicentia in peccatis, nullus timor Dei, nulla humilitas, hoc fuit impium divortium. Nunc ergo clarius videmus cur Propheta appellet *verba mendacii*, perversam illam gloriationem quam hypocritæ opponunt Deo, ubi volunt ipsum esse contentum nudis ceremoniis. Ideo adjungit *profectu carere verba illa*: quasi diceret, Sicuti vultis ludere cum Deo, ita etiam ipse vos frustrabitur. Certum enim est, Deo improbe fuisse mentitos, quum ejus judicio satisfacere vellent frigidis ceremoniis. Ostendit igitur mercedem illis esse paratam, quoniam sentient tandem nihil se fructus referre ex suis fallaciis. Sequitur,

9. An furari, occidere, adulterium committere, jurare falso, (*hoc est, pejerare*) suffitum offerre Baal, ambulare post deos alienos, quos non cognoscitis?

10. Et venientes, & stantes coram facie mea in domo hac (*hoc est, in hoc Templo*) super quam (*vel super quod*) invocatum est nomen meum, dicetis, Liberati sumus ad faciendum (*ut faciamus*) omnes abominationes istas.

11. An spelunca latronum facta est domus hæc (*vel Templum hoc*) super quam invocatum est nomen meum, in oculis vestris? Etiam ego ecce video, dicit Jehovah.

Videtur suspensus esse sensus in primo versu, ubi dicit, *An furari, occidere, & adulterium patrare*, &c. tamen nulla est in re ipsa ambiguitas. Etsi enim aliquid est abruptum in verbis, colligimus tamen hanc summam, An licebit vobis? Et scimus verba infinitivi modi sæpe resolvi in tempus futurum: An quum furati eritis, quum occideritis, quum fueritis adulteri, & suffitum obtuleritis Baal, &c. de re igitur ipsa convenit. Ostendit enim Propheta stulte Judæos velle pacisci cum Deo, ut impune ipsum provocent tot sceleribus: & quum ingressi Templum fuerint, cogatur ipsos recipere, quasi esset illa justa reconciliatio. Et ideo stultitiam hanc Propheta deridet. Quid enim est magis absurdum, quam Deum impune concedere hominibus, ut cædes, & furta, & adulteria perpetrent? Hoc non exprimunt claris verbis hypocritæ: sed dum piacula obtrudunt in externis ceremoniis, & volunt hoc remedio sepelire gravissima scelera, annon trahunt Deum in suas partes? Annon faciunt quasi lenonem, quum volunt ipsum tegere adulteria? dum ex rapinis sacrificant quasi mercedem flagitii, annon faciunt consortem furum, redimendo prædas & rapinas sacrificiis? Crasse igitur hic Propheta exprobrat hypocritis, quod nimis contumeliose cum Deo agant, quia ipsum implicent suis sceleribus, acsi esset socius furum, & latronum, & adulterorum. *An*, inquit, *licebit vobis furari?* deinde, *an licebit occidere, & adulterium committere, & jurare mendaciter?* Hæc quatuor respiciunt secundam tabulam, ubi vetuit Deus & furari, & occidere, & scortari, & fallere proximos perjuriis. Hæc ergo quatuor ideo ponuntur, ut ostendat Propheta omnia charitatis officia pro nihilo duci apud Judæos. Jam adjungit quæ ad priorem tabulam pertinent, nempe *suffitum offerre Baal, & ambulare post deos alienos, qui tamen illis erant incogniti.* His duobus verbis coarguit eorum impietatem. Speciem unam ponit, *suffitum offerre Baal.* in plurali numero sæpe Prophetæ Baalim nominant patronos illos, quorum suffragiis putabant Judæi se gratiam posse acquirere coram Deo: sicuti hodie in Papatu Angeli & mortui sunt Baalim. Neque enim ipsos existimant esse deos, sed conciliari sibi gratiam coram Deo, dum adhibent illos patronos. Talis superstitio apud Judæos regnavit. Sed hic Propheta idola omnia designat per nomen Baal. Postea generaliter conqueritur Deum fuisse contemptum, & ipsos perfide ab eo descivisse, *quoniam ambularunt post deos alienos.* & circumstantia etiam exaggerat crimen, quum dicit *esse incognitos*. Non dubium est, quin Propheta tacite opponat certitudinem in qua fundata erat vera religio. Deus enim probaverat gloriam suam multis miraculis, quum redempti fuerant Israëlitæ. Postea multis beneficiis confirmaverat primum illud: & Lex non fuerat promulgata sine multis signis, & prodigiis. Non poterant igitur Judæi objicere erroris prætextum, quia in tot experimentis nulla erat excusatio inscitiæ. Jam quod ad deos alienos pertinet, unde sciebant illos esse deos? nulla erat probatio, nulla ratio. Videmus ergo hic gravius damnari Judæos, quia desciverant à cultu veri Dei, qui se illis patefecerat multis miraculis, & qui sanciverat fidem Legis suæ, ita ut non posset vocari in dubium: & desciverant *ad deos incognitos*. Nunc adjungit Propheta, *Venitis*, hoc est, postquam vobis permisistis & furari, & occidere, & adulteria patrare, & corrumpere totum Dei cultum, tandem *vos venitis, & statis coram facie mea in Templo hoc.* Deus prosequitur eandem sententiam, quia non tantum vult hoc loco damnare Judæos tanquam homicidas, & fures, & adulteros: sed ultra progreditur, nempe quod accedat etiam hæc impudentia, dum veniunt perfricta fronte, & Templum ingressi volunt censeri Dei cultores. Quid hoc sibi vult? inquit. Affertis vobiscum cædes, & furta, & adulteria, & sordes impuras: vos estis tot probris contaminati: mox ingressi in Templum, putatis vobis omnia licere. quemadmodum etiam primo capite Jesaiæ, Deus conqueritur eos terere pavimentum Templi sui, deinde afferre illuc manus sanguine pollutas. Sic etiam hoc loco, *Venitis*, inquit. Hoc per modum detestationis legendum est: *Statis etiam coram facie mea in Templo hoc.* Tametsi enim Deus in Templo illo inclusus non erat, scimus tamen arcam fœderis fuisse symbolum præsentiæ ejus. Ideo subinde in Lege occurrit hæc loquutio, Stabitis coram facie mea. Hic ergo detestabile portentum ostendit Deus, quod auderent Judæi prorumpere coram facie sua, ubi tot sceleribus polluti & contaminati erant. Et addit, *In domo hac, super quam invocatum est nomen meum*, hoc est, quæ mihi dicata est. Invocari enim nomen Dei super Templum, nihil aliud est, quam Templum ei consecrari, ut illic colatur. Si vere colitur Deus, qui ipsum quærunt, sentiunt etiam ipsum præsentem gratia & virtute. Ergo quoniam Templum jusserat Deus sibi extrui in quo coleretur, dicit *illic invocari nomen suum*, respectu scilicet illius primæ & puræ ordinationis. Perperam invocabant Judæi ejus nomen, quoniam nulla erat in ipsis religio vel pietas: sed quantum ad institutionem Dei pertinet, invocabatur ejus nomen super Templum, quoniam Templum illud sibi consecraverat. Revocat igitur eos Deus ad hanc primam institutionem, quæ apud ipsos sancta & inviolabilis esse debebat. Nescitis locum hunc à me delectum esse *ut illic nomen meum invocetur? Statis coram facie mea in sacro loco*, & statis polluti, & polluti non uno scelerum genere, sed quoniam tota Lex mea à vobis violata est, & meæ tabulæ contemptæ: *Statis adhuc*. Videmus ergo quorsum tendat Prophetæ consilium. Exprobrat enim Judæis impudentiam, & proterviam, quod audeant ita prorumpere in conspectum Dei cum suis inquinamentis. *Et dicitis*, inquit, hoc est, postquam stetistis in hoc Templo, *dicitis, O nos sumus liberati ad faciendum omnes istas abominationes*, hoc est, putatis Templum hoc vobis esse latibulum, quod tegat omnia vestra flagitia: atque ita putatis vos elapsos esse è manu mea, quasi non habenda esset amplius quæstio de omnibus vestris peccatis: quoniam Templum meum vobis est instar asyli, sub cujus umbra delitescitis. Certum est, non ita loquutos fuisse Judæos. nam si fuissent rogati, an vita eorum esset abominabilis, fortiter negassent. Sed Propheta non respicit quid sentiant ipsi vel loquantur: de re ipsa disserit, & disserit in persona Dei pro mandato sibi injuncto. Exprobrat ergo hypocritis, quod se liberatos esse existiment, quia venerint in Templum: & putent cessuras sibi impune omnes suas abominationes, quarum ante meminit, quod scilicet adversus Deum impii essent, & injusti adversus proximos. postea adjungit, *An spelunca latronum est domus hæc, super quam invocatum est nomen meum?* Conclusio est totius sententiæ cum amplificatione. Judæis enim permiserat Propheta judicium, quemadmodum ubi de re non obscura vel dubia agitur: Ecce, vos ipsi sitis in propria causa judices: licebitne vobis furari, occidere, & adulterium patrare? deinde venire in hoc Templum, & jactare vobis concessam esse impunitatem omnium malorum? hoc quidem sufficere debebat: sed quoniam tanta erat in Judæis & obstinatio, & stupiditas, ut non concederent nisi ægerrime, & multis modis convicti, ideo Propheta adjungit hanc sententiam, *An domus hæc, super quam invocatum est nomen meum, spelunca latronum est?* hoc est, An ideo elegi mihi locum ubi me colatis, ut vobis plus liceat, quam si nulla esset religio? Quorsum religio? nonne ut hoc freno contineantur

Exod. 20. vers. 18. Deut. 5 v. 21. 23.

Jesa. 1. v. 12, 13.

tur homines, ne lasciviant? nam certe cultus & timor Dei regula est omnis æquitatis & justitiæ. Nunc, nonne præstaret nullum esse Templum, & nulla sacrificia, quam plus dari licentiæ hominibus ad peccandum, ubi prætextum sibi captant in ceremoniis? facessant ceremoniæ: dictabit conscientia nefas esse violentiam afferre proximis, vel aliquam injuriam: communi sensu omnes fateri cogentur adulterium esse rem fœdam & detestabilem: idem etiam sentient de rapinis, & de homicidiis. Quantum attinet ad superstitiones, ubi ostensus fuerit error, fateri omnes cogentur cultum Dei retinendum esse in sua puritate. Bene: si ergo nullum esset Templum apud vos, maneret hic sensus penitus cordibus vestris infixus, Deum scilicet esse pure colendum. Nunc quia Templum erectum est Jerosolymæ, quia illic offertis sacrificia, estis fures, estis adulteri, estis homicidæ: & putatis me quodammodo esse excæcatum, ut desinam esse vindex tot & tam atrocium scelerum! Ergo, inquit, *spelunca latronum facta est vobis domus ista.* sed interrogative hoc legendum est: An fieri potest, ut Templum hoc, id est, sacrarium hoc sit spelunca latronum? Cæterum ratio comparationis tenenda est, quia latrones etiamsi sint audacissimi, & prorsus efferati, tamen in loco aperto non audent exerere gladium, non audent jugulare miseros homines. Quare? metuunt sibi à pœnis legum, circumspiciunt. Sed ubi possunt deprehendere homines in occulto loco, illic est spoliarium, in quo plus datur licentiæ: jugulant homines, postea excutiunt ipsorum crumenas. Videmus ergo ut speluncæ, & loca abscondita plus securitatis adferant latronibus. Optime igitur quadrat comparatio, ubi Propheta dicit, Judæis Templum Dei factum esse quasi speluncam latronum. Si enim nullum fuisset Templum, fuisset retenta aliqua integritas, idque ex communi sensu. Quum autem sacrificiis tegerent suam turpitudinem, putabant se hoc modo effugisse omne judicium. Et ideo Christus ad tempus suum accommodat hoc vaticinium: quoniam Judæi etiam tunc Templum profanaverant: & quum temere & falso invocarent Dei nomen, volebant tamen Templum sibi asylum esse impunitatis. deridet Christus talem stultitiam, quemadmodum fecerat Propheta. Postea adjungit, *Etiam ego ecce video, dicit Jehovah.* Non dubium est, quin ironice perstringat Jeremias stultam confidentiam, qua fallebant seipsos Judæi. nam hypocritæ videntur sibi perspicere quicquid necesse est. Hinc etiam quoniam putant se acutos esse, plus audaciæ illis accedit: dum excogitant fallacias, quibus Deum & homines deludant. Et ideo falso Propheta hic ipsos pungit, quod scilicet Deum velint quasi cæcum reddere: *Etiam ego ecce video*, inquit. Nondum satis pateret quam emphatica sit loquutio, nisi similis locus nobis esset instar clavis. Apud Jesaiam vigesimo nono capite dicitur, Ego etiam sum sapiens. Dixerat Propheta, Væ astutis & sapientibus, qui sibi excavarunt foveas. Illic invehitur adversus homines impios, qui existimant suis fallaciis posse Deum ipsum quodammodo decipi: quod videtur tamen esse prodigiosum, & est tamen communiter inter homines regnat hoc vitium. Nam vix centesimus quisque reperietur, qui non integumenta quærat quibus sese abscondat ab oculis Dei: præsertim Aulici, & versuti homines sibi tantum arrogant perspicaciæ, ut Deus præ ipsis nihil perspiciat: ideo per Jesaiam respondet Dominus, Ego etiam sum sapiens. Si vos estis sapientes, relinquite mihi saltem aliquam partem, & ne putetis me prorsus esse stultum. Ita etiam hoc loco, *Coram oculis meis domus hæc facta est spelunca latronum*: hoc est, Si quis vobis esset sensus, nonne constaret aperte vos fecisse speluncam latronum ex Templo meo? & interea ego cæcutiam? Si putatis vos esse tam perspicaces, *Ego etiam video*, inquit Dominus. Videmus ergo quantum ponderis habeat particula גם, Etiam, & particula אנכי, Ego, & הנה, Ecce. nam hæ tres voces simul cumulantur, ut ostendat Deus se non esse stupidum, ubi populus tam audacter prorumpit in omnia scelera: & vult interea suis fallaciis obtegere ejus oculos, ne quid cernat.

Jesa. 29. vers. 15.

Da omnipotens Deus, quando hodie non tantum ex ligno & lapidibus templum apud nos voluisti tibi extrui, sed quum plenitudo tuæ Deitatis habitaverit in Filio tuo unigenito, ipse autem sua virtute totum orbem repleat, & in medio nostri, atque etiam in nobis ipsis habitet: da, inquam, ne ejus sanctitatem profanemus nostris vitiis & sceleribus: sed ita studeamus nos tibi consecrare in obsequium, ut perpetuo nomen tuum in ejus nomine glorificetur, donec tandem recipiamur in æternam illam hæreditatem, ubi palam nobis, & facie ad faciem apparebit illa gloria, quam hodie speculamur in doctrina Euangelii tui, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA OCTAVA
IN
JEREMIAM.

12. Nempe ite nunc (*vel agedum*) in locum meum qui erat in Silo, ubi habitare feci nomen meum initio, & videte quid fecerim illic propter malitiam populi mei Israël.

13. Et nunc quia fecistis omnia opera hæc, (*id est, quia imitati estis Israelitas*) dicit Jehovah, & loquutus sum ad vos mane surgens, & quum loquerer non audistis, & inclamarem vos, non respondistis:

14. Faciam igitur domui huic, in qua (*super quam*) invocatum est nomen meum, de qua vos fiditis, (*in qua vos confiditis: sequitur postea relativum*) & loco, quem dedi vobis, & patribus vestris, sicuti feci Silo.

EXemplo confirmat Propheta quod heri dixerat, nempe falli Judæos, quia existiment se protegi umbra Templi, quum tamen seipsos discooperiant, & quum totus orbis testis sit impiæ ipsorum rebellionis. Producit igitur quod ante acciderat: nam arca fœderis diu fuerat reposita in Silo, ut satis notum est. jam Templum per se non excelluit aliqua dignitate, nisi propter arcam fœderis, & altare. accessit splendidior ornatus: sed tota sanctitas Templi in arca fœderis, & in altari, & sacrificiis residebat: hoc idem fuit in Silo. Ostendit igitur Jeremias quam stulte Judæi superbiant, quod apud ipsos sit arca fœderis, & altare, quoniam non protectus fuit locus ille prior, ubi oblata fuerant sacrificia in Deo. hæc summa est. Sed non frustra dicit, *Nempe ite in Silo.* Nam כי tametsi est causalis particula, hic videtur sumi expositive. quanquam si cui magis placeat simplex affirmatio, non repugno,

Sane ite in Silo. sed affirmatio erit ironica, Vos Templo gloriamini: scilicet ite in Silo, inquit. Et vocat Deus *locum suum*, ut intelligant Judæi nulla in re se præstare. fuerat quidem traducta in montem Sion arca fœderis, & illic Deus sibi æternum domicilium elegerat: sed alter ille locus saltem superior erat antiquitate. Hæc ratio est, cur vocet *locum suum*. & adjungit, *Et ubi feci habitare nomen meum*, hoc est, ubi volui Arcam residere. nam arca fœderis, & altare, cum suis accessionibus, erant proprie nomen Dei. neque enim id factum fuerat fortuito, quod Arcam reposuerant omnes tribus in Silo: sed ad tempus voluerat Deus illic coli. Dicit igitur locum illum sacrum fuisse ante Jerosolymam, & ideo paulo post exprimit בראשונה, initio, inquit: hoc est, non tantum Silonitæ pares vobis fuerunt, sed ipsa antiquitas debuit illis plus acquirere honoris. Si fiat igitur comparatio, præcellunt illi, quod ad temporis vetustatem pertinet. *Videte*, inquit, *quid fecerim illi loco propter iniquitatem populi mei Israel*. Israel hic populum suum appellat non honoris causa, sed ut iterum commonefaciat Judæos, fuisse pares Israëlitis: & tamen nihil ipsis profuisse, quod confluere solerent illuc omnes tribus ad cultum Dei. Nam ubi ratiocinandum est nobis ab exemplo, spectandum semper est, ne quid sit diversum. Jeremias ergo ostendit Israëlitas fuisse Judæis pares, & siquid sibi præstantiæ Judæi assumant, hoc non facere merito, nec jure, quoniam Israel etiam fuerit populus Dei: quoniam Deus voluerit arcam fœderis statui in eo loco, & sibi illic offerri sacrificia: deinde quod accedat etiam vetustas, quia antequam sciretur montem Sion divinitus electum esse ut illic Templum extrueretur, alter locus jam sacer erat. ideo concludit: *Nunc ergo quia fecistis omnia opera hæc*, inquit, nempe quia similes fuistis Israelitis, *ideo*: & jam amplificat crimen eorum, quod scilicet non tantum scelera decem tribuum imitati sint, sed pervicaciter contempserint omnes admonitiones: *Loquutus sum*, inquit, *ad vos, & mane surrexi*. Hac figura significat se fuisse ita sollicitum de conservando regno Jehudah, ut solent patres consulere saluti filiorum. Quemadmodum igitur pater mane surgit, ut dispiciat quid opus sit suæ familiæ: ita etiam Deus dicit se mane surrexisse, quoniam assiduus fuerat in illis exhortandis. Transfert in suam personam quod proprie competebat in Prophetas. sed quoniam illos excitaverat suo Spiritu, & illorum opera etiam utebatur, merito sibi vendicat quicquid fecerat per illos tanquam per organa. Et hoc exaggerat crimen, quod ignavi fuerint, imo stupidi, quum tamen Deus sedulo incumberet ipsorum saluti. Adjungit, *Loquutus sum, & non audistis: clamavi ad vos, & non respondistis*. Pluribus verbis invehitur in eorum duritiem, quia si semel tantum eos monuisset, poterat objici aliquis prætextus: sed quum Deus quotidie mane surgendo studuerit ipsos ad se revocare: deinde quod non tantum doctrina usus fuerit, sed etiam clamore: (haud dubie enim Clamoris nomine intelligit exhortationes & minas, quæ debuerant plus habere efficaciæ ad ipsos permovendos) in hac contumacia summus furiosæ audaciæ cumulus apparet. Summa est, Deum omnes rationes expertum esse, quibus reduceret Judæos ad sanam mentem, nisi prorsus fuissent desperati. neque enim semel tantum eos vocavit, sed sæpius: deinde Prophetas instruxit ea virtute, ut strenue incumberent ad obeundum munus. non tantum docuit per ipsos quid esset utile, *sed clamavit*, hoc est, addidit majorem vehementiam, ut tarditas corrigeretur. Quum ergo nihil profuerit Deus omnibus modis, nihil restat nisi ut male pereant, quando ita sunt perditi sua sponte. *Faciam igitur huic domui*, inquit, *in qua invocatum est nomen meum*. Non dubium est quin præveniat omnes exceptiones quum dicit, Scio quid sitis dicturi, locum hunc sacrum esse Deo, & illic invocari ejus nomen, & illic offerri sacrificia: hæc omnia, inquit, profectu carebunt, quia *etiam in Silo invocatum fuit nomen Dei, & illic habitavit*. quamvis ergo stulte ponatis fiduciam vestram in hoc loco, non tamen effugiet pœnam quæ inflicta fuit priori. Adjungit, *quem dedi vobis & patribus vestris*: sit ita. Hæc omnia per concessionem legenda sunt: & simul accedit anticipatio, ut intelligant Judæi nihil sibi prodesse, quod Deus in monte Sion voluerat sacrarium sibi extrui. erat enim illud incitamentum ad pietatem. Quum vero prorsus in diversam partem conversus esset locus ille, & quum indigne profanatum esset illic nomen Dei, dicit, Quamvis hunc locum & vobis & patribus vestris dederim, nihilo tamen melior ejus conditio erit quam Silo. Sequitur,

15. Et projiciam vos à facie mea, sicuti projeci omnes fratres vestros, totum semen Ephraim.

Concludit superiorem sententiam. satis quidem se explicuerat Propheta: sed confirmatio hæc necessaria fuit apud tam præfracta capita. Nihil ergo novum affert, sed tantum ostendit nihilo plus popularibus suis fore præsidii adversus Dei vindictam, quam fuerit Israelitis. Et ideo nunc vocat *fratres ipsorum*, sicuti prius populum suum dixerat. erat enim par conditio decem tribuum, donec voluit Deus Arcam suam deferri in montem Sion, ut haberet sedem in tribu Jehudah. Sed omnes peræque erant filii Abrahæ; deinde superiores erant Israelitæ, saltem numero & potentia: ideo dicit *totum semen*. hoc emphatice additur: Judæi enim habebant duntaxat dimidiam tribum Manasse secum: decem tribus perierant. non poterant igitur ulla in re se præferre: & hac in parte erant inferiores, quod tantum constabant ex una tribu & dimidia: major autem erat multitudo decem tribuum. Vocat *semen Ephraim* propter primum regem: deinde quoniam tribus illa nobilior fuit aliis novem. & apud Prophetas passim Ephraim ponitur pro Israel, hoc est, pro regno illo secundo, quod tamen opulentia magis florebat. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Hinc vero colligenda est utilis doctrina, Deum nunquam sic fuisse obstrictum uni populo vel loco, quin liberum esset pœnas exigere de eorum impietate, qui ejus beneficia vel aspernati fuerant, vel profanaverant sua ingratitudine, & suis sceleribus. Hocque diligenter notandum est, quia videmus hoc vitium quasi nobis esse ingenitum, ut scilicet superbiamus quoties liberaliter nobiscum Deus egit. sic enim abutimur ejus beneficiis, ut putemus nobis plus licere, quia plus in nos contulit quam in alios. hac autem superbia nihil est magis perversum: & tamen ita insolescimus quoties nos Deus ornavit peculiaribus gratiis. Tenenda est igitur hæc Prophetæ doctrina, nempe Deo semper liberum esse judicium, ut vindictam sumat de impiis & ingratis. Hinc etiam apparet quam stulta sit Papistarum jactantia: nam quoties opponunt nobis sedis Apostolicæ nomen, putant os occlusum esse Deo: putant omnem fidem verbo ejus esse detractam: denique obdurescunt adversus Deum, quasi illis esset legitima possessio, quoniam semel prædicatum fuit Romæ Euangelium, & locus ille fuit quasi prima sedes Ecclesiæ tam in Italia, quam in Europa. atqui Deus nunquam illo privilegio insignivit urbem Romam, neque dixit illic sibi esse domicilium. Si haberet Papa cum suis quod habebant tunc Judæi, (quod ad montem Sion pertinet) quis ferret eorum furorem, non dico superbiam? Atqui videmus quid pronunciet Jeremias de monte Sion, de quo *Psal. 132. vers. 14.*
tamen dictum erat, Hæc requies mea in seculum

seculi;

seculi: hic habitabo, quoniam elegi eam. *Ite nunc*, inquit, *in Silo*. Nunc ex quo Silo, & Jerosolyma, & tot celeberrimæ urbes, ubi olim floruit Euangelium, nobis ereptæ sunt, dubitandum non est, quin horribilis ultio & interitus maneat eos omnes, qui salutis doctrinam respuunt, & qui vilipendunt thesaurum Euangelii. Quum ergo tot documentis Deus ostenderit se non alligatum esse ullis locis, quam stolida est ista ferocia, quod volunt titulo sedis Apostolicæ Romanenses evertere & omnem doctrinam, & omnem timorem Dei, & quicqnid ad religionem spectat? Nunc pergamus.

16. Et tu ne ores pro populo hoc, & ne eleves pro ipsis clamorem & precationem, & ne occurras (*intercedas: est enim translatitium verbum. nam* פגע *significat obviam ire: sed accipitur pro intercedere. Ne ergo intercedas*) apud me, quia ego non exaudiam te.

Ut Deus omni invidia exoneret servum suum, vetat preces concipere pro populo: quanquam potuit hoc fieri tam Prophetæ respectu, quam populi totius. neque enim dubium est quin dolenter & acerbe tulerit Jeremias populi sui interitum, quemadmodum aliis locis videbimus: neque enim abjecerat omnes humanos sensus. Fuit igitur anxius de salute fratrum suorum: ideo condoluit miseris, quum videret jam exitio devotos esse. sed Deus eum confirmat, quo scilicet animosius exequatur munus suum: sæpe enim misericordia dissolvit corda hominum, ut munus suum non exerceant sicut decebat. Poterat tardior, vel frigidior esse Jeremias in denuncianda vindicta Dei, nisi exempta fuisset omnia impedimenta, quæ tardabant ejus alacritatem. Hac ratione igitur jubetur exuere sympathiam, ut scilicet exurgat super omnes humanos sensus, & meminerit se præfectum esse judicem populo, vel præconem, qui denunciet extrema. Neque tamen dubium est quin Deus ad populum ipsum respexerit, ut cognoscerent Jeremiam cogi ad has partes, quamvis parum jucundæ essent. & ideo dixi invidiam ab ipso translatam esse, ne scilicet exasperaret gentem suam, quum tam aspere ageret. *Ne ores*, inquit, *pro populo hoc*: deinde, *Ne attollas preces*: alii vertunt, *assumas*. נשא proprie significat tollere. diximus de hac loquutione alibi. Nam duæ sunt diversæ loquendi formæ quum de precatione agitur. interdum Scriptura dicit fideles preces subjicere coram Deo, atque ita designat humilitatem, ubi supplices accedunt, neque audent oculos sursum attollere: quemadmodum de Publicano loquitur Christus. Dicimur ergo preces abjicere coram Deo, ubi suppliciter veniam precamur, & sistimus nos cum pudore & ignominia coram ipso. Dicimur etiam attollere preces alia ratione, nempe quia si subsidunt animi nostri, neque fide sursum ad Deum accedant, certum est preces nostras esse fictas. ergo ob fervorem desiderii dicuntur fideles preces sursum levare. Sic etiam hoc loco, *Ne attollas pro ipsis clamorem & precationem: denique ne intercedas, quoniam non exaudiam te*. Neque tamen dubium est quin Propheta, sicuti videbimus, perrexerit in suis precibus, sic tamen ut sciret non posse amplius à Deo impetrari incolumem urbis & regni statum. Bifariam enim potuit orare, nempe ut Deus retractaret suum decretum, quod facere vetitus est: vel memor fœderis sui servaret aliquas reliquias, quod factum est: neque enim unquam abolitum fuit nomen populi, quamvis urbs una cum Templo fuerit excisa. fuit igitur aliquis populus superstes, sed tamen sine nomine. Unde etiam quum de instauratione Ecclesiæ agitur, Deus vocat novum populum: sicuti Psalm. 102. Et populus qui creabitur laudabit Dominum, hoc est, populus novus, quasi significans exitium veteris populi in exilio Babylonico. Quicquid sit, tamen Deus mirabiliter servavit reliquias, sicuti disserit Paulus 10. & 11. cap. ad Rom. Ita pro toto corpore, pro statu regni non debuit orare Propheta, quoniam sciebat jam actum esse de populo illo. Sed de hac re iterum alibi fusius dicendum erit. Sequitur,

Luc. 18. vers. 13.

Ps. 102. vers. 19.

17. An non vides tu quid ipsi faciant in urbibus Jehudah, & in compitis Jerusalem?

18. Filii colligunt ligna, & patres accendunt ignem, & mulieres ad ponendum, ut faciant placentas Reginæ cælorum, & fundant (*libent*) libamina diis alienis, ut me provocent ad iram.

19. An me ipsi ad iram provocant, dicit Jehovah? an non seipsos ad erubescentiam facierum suarum?

Hic primo ostendit Deus cur debeat implacabilis esse populo. erat enim hæc primo auditu valde dura sententia, quod Prophetam vetaret precari. poterat enim objici, Quid si resipiscant? an non spes aliqua veniæ restabit? Ostendit Deus ipsos esse prorsus desperatos. quare? dicit, *An non vides?* Hic defert cognitionem servo suo Jeremiæ: quasi diceret, Non est quod litiges mecum, tu ipse aperias oculos, & expendas quo prolapsi fuerint: nempe, inquit, *filii colligunt ligna, & patres eorum accendunt ignem, mulieres autem ad ponendum*, hoc est, ponunt conspersionem, massam farinæ. alii vertunt, subagitant pastam: sed ad verbum est, Ad ponendum conspersionem, *la paste*. Hic breviter significat Deus corruptum esse totum populum quasi facta impia conspiratione, ut viri, mulieres, & pueri, omnes quasi vesano impetu ferantur ad idololatriam. Hic enim tantum de ipsorum superstitionibus concionatur. ante illis objecit adulteria, & cædes, & rapinas: hic autem exprobrat quod violaverint prorsus cultum Dei. sed simul demonstrat fructum impietatis, quod scilicet sese omnes certatim projicerent vesana æmulatione. Nam *filii*, inquit, *colligunt ligna*. Tribuit juvenibus collectionem lignorum, quia hoc magis laboriosum erat opus. Quoniam ergo præstat robore ætas illa, *ligna coacervant: patres vero accendunt ignem*. mulieres quid? *subigunt farinam*. ita nulla pars innoxia est, quid igitur faciendum? & quid mihi aliud residuum est, nisi ut populum hunc tam impium prorsus exscindam? Dicit, *ut faciant* כונים: vertunt placentas. & hæc recepta est expositio. Alii putant significari accensionem, & deducunt à כוה, quod significat accendere: sed potius eorum sententiæ subscribo, qui deducunt à כון, quod est parare, quoniam placentæ sunt parabiles. proinde non dubito, quemadmodum etiam ex aliis locis apparet, notari hic placentas: ideo secundam interpretationem relinquo quasi nimis argutam. Quantum attinet ad vocem למלכת, multi subaudiunt literam א, & existimant notari opificia: ita litera מ esset servilis. sed alii volunt esse radicalem, & exponunt Reginam: quod mihi est probabile. quanquam non rejicio quod alii tradunt hic notari cæli opificium: alii tamen referunt ad stellam, vel lunam, vel solem. fruatur quisque proprio sensu. Tamen quod ad me spectat, si placet nomen operis, existimo comprehendi totum cælestem exercitum, ut Scriptura vocat, hoc est, omnes stellas: si autem magis placet nomen Reginæ, libenter ad lu-

nam refero: & scimus quanta superstitio apud omnes populos grassata fuerit in cultu lunæ. Placet igitur mihi ille sensus: tamen facile etiam admitto hic notari omnes stellas, & non unam duntaxat, & vocari ipsas opus cælorum, vel opificium. Et scimus Judæos etiam huic vesaniæ nimis fuisse addictos. nam quoniam sol Orientalibus populis erat summus Deus, Judæi quum arriperent hunc errorem, putarunt supremum & maxime venerabile numen esse in sole. postea conversi fuot etiam ad reliquas stellas. & sæpius notatur hæc perversitas tam in Lege, quam in Prophetis. Postea tandem adjungit, *Ut fundant libamina diis alienis, ut me provocent ad iram.* Quum Deus conqueritur se provocari, perinde est acsi diceret, Judæos ex professo bellum nunc cum ipso gerere: Non peccant errore, non etiam latet ipsos quantopere offendat istis corruptelis: sed quasi propositum ipsis esset me lacessere, & trahere in certamen, & bellum mihi indicere, ita proruunt ad suas impietates. Tandem subjicit: *An me provocant ipsi*, inquit? *& an non potius ad erubescentiam facierum suarum?* Deus hic significat, quamvis in se contumeliosi sint Judæi, tamen nihil sibi inferri jacturæ, quia possit carere ipsorum cultu. Cur igitur tam severe ipsis minatur? nempe respicit ipsorum scelera: sed interea demonstrat se nihil ipsos morari, vel eorum sacrificia, quoniam ipsis carent sine ullo detrimento. Ergo, inquit, accersunt sibi exitium, & recidet in ipsorum capita quicquid machinantur: volunt me lacessere, sentient cum quo sibi fuerit negotium: &, quemadmodum dicitur apud Prophetam Zachariam, sentient quem pupugerint: ego autem integer maneo, & quamvis me provocent quantum in se est, ego tamen contemno ipsorum pravitatem, quia me non attingunt. neque enim me lædere possunt, neque quicquam mihi auferre. sed *seipsos*, inquit, *provocant*: hoc est, furor ipsorum vertetur in eorum capita: & hinc fiet, *ut erubescant facies ipsorum.* Zach. 2. vers. 10.

Da omnipotens Deus, quando ita non modo ad superstitiones, sed etiam ad tot scelera sumus propensi, ut saltem retineamur verbo tuo: & quando dignaris nobis quotidie revocare in memoriam tua beneficia, ut nos in officio pietatis contineas, ne abripiamur post imposturas Satanæ, & nostram vanitatem: sed defixi maneamus in obedientia tuæ justitiæ, ut sic pergamus in continuo cursu pietatis, quo tandem fructum ejus percipiamus in regno tuo cælesti, quod nobis partum est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA NONA
IN
JEREMIAM.

20. Propterea sic dicit Dominus Jehovah, Ecce ira mea, & furor meus, *vel excandescentia (nam verbum hoc significat)* conflata est super locum hunc, super hominem & super animal, (*brutum: alii vertunt, jumentum, bestiam*) super arborem agri, & super fructum terræ: & ardebit, & nullus extinguet.

Adhuc pergit Jeremias in eadem sententia, & pluribus verbis explicat quod prima lectione vidimus: nempe instare vastationem monti Sion, & Templo, sicuti prius Deus perdiderat Silo; ubi diu reposita fuerat Arca. sed quo plus gravitatis habeat comminatio, inducit rursus Deum loquentem: *Ecce*, inquit, *ira mea, & excandescentia conflata est super hunc locum.* Alludit ad metaphoram qua ante usus fuerat. Et hinc etiam confirmatur quod tunc dixi, Deum scilicet non fuisse loquutum de Prophetica doctrina, sed potius de pœnis, quas jam inflixerat, & quas mox parabat infligere. Hac ratione dicit *iram suam*, aut vindictam: nam accipitur causa pro ipso effectu. dicit ergo *iram suam*, vel vindictam *conflatam esse super urbem Jerosolymam*, nempe ut cladem inferat tam jumentis quam hominibus, deinde etiam frugibus terræ. Certum quidem est bruta animalia fuisse extra noxam, sicut arbores & terræ fructus: sed quoniam totus orbis creatus est propter hominem, & in ipsius usum: ideo non mirum est, si vindicta Dei se extendat etiam ad innoxia animalia, & creaturas sensu carentes. Deus enim tunc non exigit pœnam de brutis animalibus, vel de frugibus terræ: sed ostendit quantopere infensus sit hominibus, ubi ita extendit signa iræ suæ, etiam in omnia elementa. Scimus totum mundum hodie aliqua ex parte ferre pœnas quas meritus fuit Adam: & ideo dicit Paulus omnia elementa parturire, quoniam aspirent ad liberationem. Dicit etiam creaturas obnoxias esse corruptioni, non volentes, hoc est, non propria natura, sed culpa & vitio hominis. Rom. 8. vers. 20, 21, 22. Non mirum igitur est, si Deus quotidie ubi vult terrere homines, proponat illis ante oculos multas & varias species suæ vindictæ, tam in animalia, quam in arbores & frumenta. Summa est igitur, eousque iratum esse Deum, ut velit non tantum Judæos perdere, sed terram ipsam, quo scilicet posteri etiam agnoscant quam graviter peccassent, in quos ira exarserat justa Dei vindicta. Non est igitur hic anxie disputandum cur Deus sævierit in arbores, & bruta animalia. nam ratio illa sufficere nobis debet, Deum scilicet proprie se non ulcisci de brutis animalibus, aut arboribus, sed hoc fieri respectu hominum, quo spectaculum tam triste illis metum incutiat. Postea subjicit,

21. Sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël, Holocausta vestra addite super victimas vestras, & comedite carnem.

22. Quia non loquutus sum cum patribus vestris, & non præcepi illis quo die eduxi eos è terra Ægypti, super verbis (*hoc est, rationibus. nam* דבר *proprie significat rationem Latine. Hebræi enim ita passim usurpant hanc vocem, sicuti Latini rationem. Super rationibus ergo*) holocaustorum & victimæ.

23. Quin potius (*sed:* כיאם *est adversativa particula, hoc est, hæ duæ voces ponuntur loco adversativæ. Sed*) verbum hoc præcepi illis, dicendo, Audite vocem meam, & ero vobis in Deum, & vos eritis mihi in populum, & ambulabitis in omni via (*hoc est, in tota via*) quam mandavero vobis, ut bene sit vobis.

24. Et

24. Et non audierunt, & non inclinarunt aurem suam, & ambulaverunt in perplexis consiliis, (*proprie accipitur in malam partem*) & in pravitate (*vel duritia*) cordis sui mali, & fuerunt retro, & non ad faciem.

Zach. 2. vers. 10. Hic subsannat Propheta Judæos, qui sedulam operam dabant sacrificiis, quum tamen nulla esset pietatis cura. Ergo per modum ludibrii dicit, Offerte sacrificia vestra, & cumulate holocausta, & victimas, & comedite carnem. Hoc postremum membrum ostendit, Deum pro nihilo ducere sacrificia, neque quicquam ferre acceptum, tametsi & magnos sumptus faciant Judæi, & etiam non parcant laboribus. Ostendit ergo Deus hæc omnia pro nihilo sibi esse. *Comedite carnem*, inquit, hoc est, sacrificatis vobis, non mihi. Est enim hic tacita antithesis, quoniam dum carnem comedebant, Deo tamen exhibebatur legitimus cultus, si rite oblata fuissent sacrificia. Deus autem hic se excludit: quasi diceret, Hæc ad me nihil pertinent: vos dum adducitis sacrificia, vultis epulari. ergo comedite, & farcite ventres vestros: hoc ad me nihil spectat. Summa est, profana esse convivia quæ Judæi celebrabant, tametsi prætexerent Dei nomen, & vellent ideo censeri sacra. *Comedite ergo carnem*, hoc est, ego repudio vestra sacrificia, nec est quod tegatis umbra Templi mei vestras iniquitates: quoniam pollutiones vestræ impediunt, ne acceptum feram quod putatis vos mihi offerre. Quum autem dicit, *Addite sacrificia victimis*, significat etiamsi mactent quicquid est animalium in tota terra, hoc tamen fore irritum, quia ut jam dixi, quum putarent se offerre Deo sacrificia, tantum profano modo epulabantur: ratio est, quod non spectabant in rectum finem. Ideo subjicit Propheta, *Non loquutus sum cum patribus vestris, & non præcepi illis quo die eduxi eos è terra Ægypti: non loquutus sum de sacrificiis, vel holocaustis, sed tantum præcepi, ut audirent vocem meam, & ambularent in tota via de qua ipsis præcepi.* Videtur nimis præcise Jeremias damnare sacrificia. scimus enim quorsum spectarint: erant exercitia pœnitentiæ. nam quoties mactatum fuit animal coram altari, omnes admonebantur se reos esse mortis, dum animal subibat vicem hominum. Illic ergo Deus quasi in speculo repræsentabat Judæis horribile judicium, quod meriti erant: Rom. 8. vers. 20, 21, 22. deinde sacrificia erant vivæ Christi imagines: erant certa pignora expiationis, ut homines reconciliarentur cum Deo. ergo Jeremias videtur hic nimis contemptim de sacrificiis loqui, quæ & sigilla erant gratiæ Dei, & erant instituta ut homines adducerent ad pœnitentiam. Sed loquitur ex eorum sensu, qui perperam vitiaverant Dei cultum. nam quum sedulo operam sacrificiis impenderent Judæi, negligebant quod erat præcipuum: nempe & fidem & pœnitentiam. Ergo Propheta hic sacrificia repudiat, quæ adulteraverant perversi illi Dei cultores, quum scilicet tantum intenti essent in externas ceremonias, & negligerent finem ipsum, atque adeo contemnerent. Scimus enim ab initio Deum voluisse spiritualiter coli: neque enim hodie mutavit naturam. Ergo quemadmodum hodie non alium cultum Joan. 4. v. 23, 24. probat, quam spiritualem, sicuti ipse est Spiritus: ita & sub Lege voluit sincero corde se coli. præpostere ergo Judæi obtulerunt sacrificia, quasi hoc modo litarent Deo. Et hæc ratio est, cur sæpe asperius invehantur Prophetæ in sacrificia. Dicit se Deus nauseare, dicit se fatigatum esse sacrificiis, dicit nomen suum pollui, dicit perinde esse acsi quis non tantum mactaret canem, impurum animal, sed si Jesa. 1. vers. 14. & 66. 3. quis jugularet hominem. sic loquitur per Jesaiam. Quorsum mihi victimæ, & sacrificia? dicit Amos. Passim igitur hæc doctrina occurrit apud Prophetas. nempe sacrificia non tantum coram Deo nullius esse momenti, sed etiam esse quasi fœtida stercora, quæ abominetur, nempe ubi veritas separatur à signis. Hæc igitur ratio est, cur Jeremias hic sacrificia prorsus rejiciat, nempe quoniam conqueritur de polluto & violato Dei cultu: ratio est, quod Judæi obtruderent ipsi Deo spectra pro rebus. Sed videtur tamen hoc modum excedere, quod negat Deus se quicquam mandasse de sacrificiis. nam antequam Lex fuerit promulgata, voluit Deus sacrificia sibi offerri. incepit à Paschate. Pascha enim fuit sacrificium, ut satis notum est: & ita etiam prædixerat antequam liberaret populum. deinde ante latam Legem semper fuit usus Sacerdotii in populo, ut Moses demonstrat. Exod. 12. vers. 6. postremo videmus quam sollicite mandaverit de offerendis sibi sacrificiis. Cur ergo hic simpliciter negat se quicquam loquutum esse de sacrificiis? nempe quia sacrificia per se nihil moratus est. Discernit igitur signa externa à spirituali cultu, quoniam Judæi suis corruptelis, quemadmodum prius dictum est, sic everterant quod Deus ipse instituerat, ut non agnosceret hoc vel illud à se esse præceptum. Et si verba hæc accipimus ut sonant, omnino vera sunt, Deum nihil mandasse de sacrificiis per se. hæc distinctio solvit omnem scrupulum: nempe quod Deus nunquam oblectatus fuerit sacrificiis, quod noluerit externo ritu coli, quod nullius pretii fuerint vel holocausta, vel victimæ, vel suffitus, & alia omnia ejusdem generis, per se. Ergo quum sacrificia non placerent nisi propter alium finem, hoc fixum manet, Deum nihil de sacrificiis mandasse. tantum enim voluit Judæos commonefacere de suo reatu: deinde voluit illis modum reconciliationis ostendere. Videmus ergo ut Deus ab initio non exegerit sacrificia, quoniam exegit in alium finem: quemadmodum si hodie dicamus Deum nihil morari jejunia: tamen scimus jejunia nobis commendari. verum est: sed non propter se. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Hic autem locus continet utilissimam doctrinam, & quæ eo magis observanda nobis est, quoniam ejus contemptus obduxit horribiles tenebras: quia in Papatu existimant Deum rite & optime coli, dum accumulant multas ceremoniarum pompas, nec potest illis persuaderi, hoc totum esse frivolum. quare? Deum enim æstimant ex proprio ingenio. & tamen omnes ceremoniæ Papales sunt commentitiæ: nullum enim habent testimonium ex Lege, aut Evangelio. Et quum Deus ita acerbe invectus fuerit in ceremonias, de quibus tamen præceperat propter alium finem, quid hodie fiet stultis hominum commentis, ubi eadem est in populo impietas quæ tunc fuit in Judæis? Nam ubi Papistæ defuncti sunt suis nugis, ubi monachi & sacrifici suis clamoribus repleverunt templa, ubi se exercuerunt in illis puerilibus ineptiis: deinde ubi se oblectarunt sua musica, & suffitu: putant Deo satisfactum esse, quamvis tota eorum vita referta sit multis spurcitiis & fœditatibus. obduruerunt tamen ad hanc perversam confidentiam, qua tunc inebriati fuerunt Judæi. Ergo eo diligentius notanda est nobis hæc doctrina, quod scilicet Deus spiritualem cultum ita probet, ut reliqua omnia pro nihilo ducat, nempe ubi separantur à cordis affectu. *Non præcepi* ergo *patribus vestris, neque mandavi quo die eduxi illos è terra Ægypti.* Revocat Propheta Judæos ad primum Ecclesiæ exordium. tametsi enim Deus pepigerat fœdus suum cum Abraham, Isaac, & Jacob, tamen formavit sibi tunc demum Ecclesiam, vel expolivit, quum Lex fuit promulgata. Deus ergo tunc ostendit quid sibi placeret, certam formam præscripsit, quæ esset in futurum tempus quasi inviolabilis regula. quia Judæi non sequuntur hanc normam, Prophetam infert Deum vitiose, & perperam ab ipsis coli. Hæc ratio est, cur diserte hic de liberatione patrum loquatur. Postea sequitur clarior explicatio,

qua tollitur omnis ambiguitas. præponit enim Deus obedientiam sacrificiis: atqui sacrificia erant pars obedientiæ. verum est: sed quoniam necesse erat populum subjici Legi in totum, hinc sequitur discerptum ab illis fuisse Dei cultum, quum nullum esset studium veræ pietatis. Nunc certo tenemus Prophetæ mentem, deinde etiam tenemus cur Deus tam
Mat. 19. præcise rejiciat sacrificia. Quod enim Deus conjun-
vers. 6. xit, non est penes homines separare. hæc est impia
Marc. 10. laceratio atqui Judæi distraxerant sacrificia à suo
vers. 9. recto & legitimo fine: ergo fuit sacrilegium & profanatio, quicquid tentabant. Jam ut melius proficiamus in hac doctrina, tenendum est principium, nempe pietatem fundatam esse in obedientia. nisi enim præluceat nobis Deus verbo suo, nulla est pietas, sed mera simulatio, & superstitio duntaxat: quemadmodum profani homines etiamsi multum & anxie satagant, ludunt tamen operam, & se inutiliter fatigant, quoniam Deus viam illis non monstrat. Denique hac nota semper discerni potest vera religio à superstitionibus. Si veritas Dei nos gubernat, illic proba est religio. quod si sequatus quisque proprium sensum, vel inter se conspirent homines, & opinione ducantur, quisque sibi finget superstitionem: sed nihil Deo placebit. hoc est unum. Nunc secundo loco videndum est quid Deus maxime à suis cultoribus requirat. Postquam hoc principium nobis persuasum est, non posse Deum vere coli nisi obediamus voci ejus, considerandum est, quemadmodum dixi, quid Deus nobis voce sua præcipiat. Sicuti autem est
Joan. 4. Spiritus, ita requirit sincerum cordis affectum. De-
vers. 24. inde scimus Deum ita ad nos prodire, ut velit fiduciam nostram in gratuita sua bonitate prorsus locari, ut velit nos totos pendere à paterna sua clementia, velit à nobis invocari, velit etiam sibi offerri sacrificium laudis. Quoniam ergo Deus hæc omnia diserte verbo suo exprimit, jam certum est, merito tanquam vitiosos rejici omnes alios cultus, ubi scilicet abest fides, ubi abest invocatio, quæ primatum tenent in vero & legitimo cultu. Hic unus locus posset dirimere quicquid est hodie certaminum in mundo.
1 Sam. 15. Nam si hoc admitterent Papistæ, Deo pluris esse
vers. 22. obedientiam quam omnia sacrificia, facile inter nos conveniret. Possent deinde certare de singulis capitibus: sed consensus tamen posset inveniri, si Dei verbo simpliciter & absque controversia subscriberent. Et videmus etiam pertinaciter in hoc principio ipsos insistere, non standum esse neque acquiescendum verbo Dei, quia nihil certum sit illic: ideo pluris æstimant doctrinam Patrum. & perpetuum consensum Ecclesiæ Catholicæ, ut vocant, quam & Legem, & Prophetas, & Evangelium. Neque enim audent congredi: & hoc prudenter faciunt, quia si lites quæ inter nos sunt, dirimerentur ex Dei verbo, quemadmodum dictum est, facile essemus superiores. Sed quoniam ita se foventes in sua excæcatione, lucem extinguere conantur, & sibi sponte tenebras obducunt, sequamur quod hic Spiritus Dei nobis ostendit: nempe hanc esse præcipuam partem veri & recti cultus, ubi audimus Deum loquentem: & pluris esse obedientiam, quam omnes victimas, & omnia sacrificia, sicuti jam citavimus ex decimo quinto capite primi Samuelis. Postea addit, *Ero vobis in Deum, & eritis mihi in populum: & ambulabitis in tota via quam mandavero vobis, ut bene sit vobis.* Confirmat Propheta quod jam nuper dixi, nempe si velimus obedire Deo, considerandum esse quid præcipiat. Deus autem nullam partem veri cultus omisit. ergo nunquam aberrabimus à pietate, si tantum præbeamus nos dociles. Unde ergo fit ut laborent anxie homines, & nihil proficiant, nisi quia surdi sunt ad Dei vocem? nam sicuti jam sæpius dictum est, non tantum loquutus est Deus generaliter & confuse de obedientia, sed clare & perspicue docuit quid probet. Ergo placebit illi nostrum obsequium, si tantum discimus quid ipse velit. Et simul etiam addit hanc conditionem propositam fuisse Judæis, *ut bene & feliciter agerent*, si vellent tantum Deo obsequi. Hinc magis detegitur eorum perversitas, quod sponte voluerint esse miseri, ac sibi accersiverint interitum. Nam proposita illis erat beata vita, si tantum se Deo subjicerent. Quum hoc recusarint, quis non videt eos ultro se addixisse miseriis, quasi vellent iram Dei in se provocare, idque data opera? nam statim sequitur: *Non audierunt, & non inclinarunt aurem suam*, inquit. Hic ostendit Propheta Judæos non tunc primum cœpisse rebelles esse Deo, & sermoni ejus, quia imitati fuerint impiam patrum suorum contumaciam: & hoc deinde fusius prosequetur. Dicit nunc, Non præcepi de sacrificiis, sed tantum hoc unum petii à patribus vestris, ut mihi obedirent: *Noluerunt*, inquit. Quæ potuit esse justior postulatio, quam ut Deo obedirent? Quanta igitur & quam fœda est ista indignitas, quod abnuunt Dei imperium? *imo non inclinant aurem*? nam hac loquutione significat Propheta non modo contemptum verbi & socordiam, sed pervicaciam, quod scilicet fuerint obdurati adversus Deum. Nam hypocritæ interdum aurem inclinant, & volunt scire quid dicatur, expendunt etiam aliqua ex parte. Propheta autem hic exprimit quasi furiosam contumaciam in Judæis, quod scilicet *ne aurem quidem inclinaverint Deo loquenti*. Subjicit postea, *ambulasse in suis tortuosis consiliis: deinde, in pravitate cordis sui mali*. Hæc comparatio crimen aggravat, quod scilicet maluerint Judæi sequi propriam libidinem, quam obtemperare Deo, & ejus præceptis. Si aliquid fuisset illis objectum, quod posset eos decipere, & quod obscuraret fidem Legis, erat aliqua excusatio. Sed ubi nihil illis obstat, quominus imperio Dei pareant, nisi quod rapiuntur post stulta sua figmenta, hoc non est excusabile. Quid enim excipere poterant? Voluimus sapere supra Deum. quantus est hic & quam diabolicus furor? Atqui nihil hic residuum illis facit Propheta præter hanc unam excusationem, quæ crimen duplicat. Putabant haud dubie cor suum esse bene compositum: sed hic non defert illis judicium: quin præcise eos damnat, sicuti meriti erant. Jam observandus etiam nobis est hic locus, quia hodie major pars figmenta sua Dei verbo opponit. Papistæ quidem obtendunt antiquitatem: dicunt à majoribus ita se fuisse edoctos: & simul objiciunt Concilia, & statuta Patrum: sed interim nemo eorum est, qui non addictus sit suis commentis, & qui sibi non permittat libertatem, imo effrenem licentiam rejiciendi quicquid visum est. Cæterum, si respicitur origo totius Papalis cultus, qui primi excogitarunt tot superstitiones erraticas, audacia & temeritate tantum fuerunt impulsi, ut verbum Dei pedibus calcarent. Hinc factum, ut omnia fuerint corrupta: ut obtruderent quælibet cerebri sui figmenta. Ervidemus Papistas hodie tam pertinaciter defixos esse in suis erroribus, quia se & suas nugas Deo præferunt. Et idem etiam reperietur in omnibus hæreticis. Quid ergo restat? dixi obedientiam esse quasi fundamentum totius veræ pietatis. Ergo ex opposito si volumus probari Deo cultum nostrum, discamus abnegare quicquid nostrum est, ita ut prævaleat ejus auctoritas omnibus nostris rationibus. Et interea etiam notemus, quam detestabile sit hoc sacrilegium, potius velle sequi pravitatem cordis nostri, quam Deo obtemperare, ubi viam salutis quasi digito nobis demonstrat. Notemus etiam, nihil nobis prodesse quum videmur nobis optime sapere, & quum applaudimus nobis in nostra stultitia. Deus enim hic pronunciat *cor nostrum malum esse*, simulac deflectimus à puro ejus verbo. Dicit *fuisse retro, & non ante*: qua loquutione significat Judæos tergum obvertisse, ne ad ipsum vel respicerent, vel tenderent. Nam si quis se ducem viæ nobis fore promittit, statim convertimus in

eum oculos: si autem tergum obvertimus, signum est contemptus. Et ita Deus conqueritur se fuisse despectum à populo suo, quod non tantum surdi fuerint ad doctrinam Propheticam, & admonitiones, sed etiam in signum deterioris pertinaciæ converterint vultus suos in diversam partem, ita ut ipsum relinquerent, & quasi juberent eum facessere. hoc valet postrema loquutio. Cras progrediemur.

Da omnipotens Deus, quando hodie magis liquido nobis patefecisti voluntatem tuam quam ut prætextus ignorantiæ maneant, ut eo libentiore animo ac propensiore nos tibi subjiciamus: neque tantum præbeamus tibi aures, sed ita simus tibi totis animis addicti, ut nihil aliud optemus, quam tibi totam vitam nostram probare, Et quoniam non possumus nisi nostra pervicacia & malitia deflectere à recto cursu, ita nobis præluceas Spiritu prudentiæ & intelligentiæ, ut studeamus amplecti quicquid nobis præscribere dignatus es verbo tuo: quo scilicet peracto stadio hujus vitæ, tandem perveniamus ad metam, in qua percipiamus fructum nostræ obedientiæ, nempe ut fruamur æterna illa hæreditate, quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA IN JEREMIAM.

25. Ab eo die quo egressi sunt patres vestri è terra Ægypti usque ad diem hunc misi ad vos omnes servos meos Prophetas, quotidie mane surgendo, & mittendo.

26. Et non audierunt me, & non inclinaverunt aurem suam: & (*pro sed*) obduraverunt cervicem suam, perverse egerunt præ patribus suis.

CONqueritur Deus de obstinata malitia populi, quod non uno tantum seculo perdiderit operam, eos ad resipiscentiam vocando: sed patribus in eadem pravitate filii successerint: atque ita continua fuerit imitatio. Posset quidem hoc valere in speciem ad extenuandam culpam, quemadmodum hodie Papistæ nullum habent magis speciosum prætextum, quam dum objiciunt nobis Patres, & antiquitatem. Sed Deus hoc loco & similibus ostendit non excusari filios patrum exemplis, quin potius aggravari crimen, dum ita obdurescunt homines, ut scilicet putent valere ad præjudicium quod diuturna fuit vitiorum possessio. Deus autem non ita patitur se jure suo dejici. Ergo notandus est hic locus, ubi Deus non tantùm eos accusat, qui tunc vivebant, & quos Jeremias alloquebatur, sed etiam conjungit illis mortuos, ut convincat majoris pervicaciæ, quoniam ita fuerit quasi per manus tradita impietas. *Ex quo die*, inquit, *patres vestri exierunt è terra Ægypti usque ad hanc diem misi ad vos &c.* Scimus quam intractabilis fuerit populus statim ab initio. nam quantum in se fuit, rejecit Mosen tam præclaræ & incomparabilis gratiæ ministrum. Deinde quum esset liberatus, singulis fere momentis vel fremitus suos edidit contra Deum, vel palam tumultuatus est contra Mosen & Aaron, vel prosilivit ad crassam idololatriam, vel habenas laxavit suis cupiditatibus: denique nullus fuit peccandi finis. tamen quotidie Moses eos ad Dei obsequium revocavit. Hanc igitur tantam contumaciam profert Deus in medium, & dicit non hodie primum incipere Israëlitas, sed fuisse semper tali ingenio, ut non possent ferre disciplinam, quemadmodum postea dicet. Non opus est hic exempla colligere, unde appareat fuisse populum hunc indomabilem. hoc enim petendum est ex Sacra historia. Sed satis est tenere, objici patrum duritiem & pervicaciam filiis, ut intelligant se bis & ter reos esse coram Deo, quoniam imitentur contumaciam, quam tamen Deus severe ultus fuerat: neque enim incognitæ illis erant pœnæ quas inflixerat Deus patribus. Hoc igitur erat nimis proterve Deum lacessere, quum spernerent tales & tam horribiles vindictas, quas exequutus fuerat contra patres ipsorum. videbimus similes sententias etiam alibi: imo hæc docendi ratio passim occurrit apud omnes Prophetas, quod scilicet genus ipsorum ab initio fuerit perversum & rebelle: deinde, quod omnibus seculis respuerint Dei gratiam, & contumaciter restiterint Prophetis. Quod autem hic Deus commemorat *se ab eo die quo exierunt è terra Ægypti usque ad tempus Jeremiæ nunquam cessasse*, hæc ejus perseverantia crimen populi longe magis aggravat. nam si semel tantum loquutus fuisset Deus, hoc sufficere ad damnationem poterat. Quod autem toleravit perversos eorum mores, neque interea destitit de die in diem ipsos blande ad se revocare, & promittere illis veniam, & proponere salutem: quod ergo Deus ita perseveravit, hinc magis detegitur perdita impietas populi. Scimus enim quam horribilis pœna maneat eos qui sic abuti audent Dei tolerantia, & palam illudunt ejus verbo, dum centies & millies eos ad pœnitentiam invitat. Postea addit *se misisse omnes servos suos*. Eodem etiam referri debet universalis particula כל. Si Deus unum Prophetam duntaxat misisset, nulla restabat excusatio Israelitis: sed quum alios aliis assidue submiserit, ita ut instruxerit quasi exercitum: quanti furoris fuit per densam illam turbam perrumpere ad contemptum? scimus enim nunquam populo defuisse Prophetas, sicuti Moses illis promiserat Deuteronomii decimo octavo capite. Quoniam ergo Deus ita liberaliter egit cum populo, ut nunquam cessaverint Prophetæ, quin alii aliis succederent: hinc certe clarius detegitur fœditas impiæ ipsorum contumaciæ, quod non uno tantum die spreverunt Deum, nec unum vel duos vel tres Prophetas pro nihilo duxerunt, sed ad extremum usque adversati sint omnibus Prophetis, quum tamen magno numero missi essent. *Misi* ergo *omnes servos meos*. deinde addit, *Quotidie*. Hæc assiduitas eodem pertinet, quod scilicet Deus nunquam fuerat fatigatus, ipsi autem conflixerint quasi ex professo cum ejus bonitate, quum tam comiter eos hortari non desineret ad pœnitentiam. Dicit, *Mane surgendo, & mittendo*. Nam, quemadmodum alibi dictum fuit, שכם proprie significat mane surgere. Hic commendat Deus auctoritatem Propheticæ doctrinæ, ubi in suam personam transfert quod nonnisi in homines competit. Neque enim ulla mutatio in ipsum cadit, sicuti notum est. Improprie ergo dicit *se surrexisse*: sed quod mandavit servis suis, hoc ad se transfert, quemadmodum dixi quo gravius exprobret ingratitudinem populo: quasi diceret, sedulo se fuisse intentum ad curandam eorum salutem, ipsos autem interea fuisse torpidos, imo socordes. Ex hinc colligi debet utilis doctrina, Deum scilicet surgere,

ut nos invitet atque amplectatur quoties verbum ejus profertur in medium: quo testatur nobis paternum suum amorem. Ergo non tantum Deus tunc hominum opera utitur ut nos ad se addocat, sed quodammodo prodit ipse nobis obviam, & surgit, quia sollicitus est de salute nostra. Hæc commendatio doctrinæ potest multum prodesse fidelibus, ut tuto & tranquillis aoimis recumbant in promissiones Dei: quia periode valent, acsi ipse coram nos alloqueretur. Sed convincitur etiam magis eorum impietas, qui stertunt ubi Deus ita vigilat pro ipsorum salute: & qui aurem noo porrigunt, ubi mane surgit, ut ad eos accedat, & eos etiam ad se trahat. Postea adjungit, *Et non audierunt*. Hic mutatur persona in verbis. nam dixerat proximo versu, Ex quo patres vestri exierunt, misi ad vos servos omnes meos Prophetas mane surgendo: jam adjungit, *Non audierunt me, & non inclinarunt aurem.* Verum quidem est, sermonem hunc referri ad patres: sed proximo verso complexus fuerat Deus populum, qui tunc superstes erat. Ergo non dubium est, quin signum sit indignationis, quod mutat personam, & gravatur ipsos alloqui, quooiam videt se verba perdere apud tam stupidos. quod etiam clarius patebit ex proximo versu. Dicit, *Non audierunt me, neque inclinarunt aurem suam.* Jam exposuimus hæc verba, ac diximus hic præcludi Judæos ab omni excusatione erroris, vel ignorantiæ, quoniam non præbuerint se dociles, oeque attenti fuerint, sed potius obturaverint aures suas: sicuti postea dicit *obdurasse cervicem suam.* quo certius exprimitur perversitas illa, quod scilicet velut ex professo Deum spernebant, & bellum gerebant cum ejus gratia. Tandem addit, *deterius egisse quam patres ipsorum.* Dixerat, *patres vestros*, ounc *patres ipsorum.* Videmus ergo sermonem ideo converti, quoniam sciebat Deus se nihil profecturum: quemadmodum ounc sequitur.

27. Et dices illis omnia verba hæc, & non audient te: (*vel non auscultabunt tibi*) & clamabis ad eos, & non respondebunt tibi.

Hic certius perspicitur quod ante dixi, nempe ideo relinqui Judæos, quoniam nullæ illis erunt aures. Hic ergo Deus Prophetam suum compellat, ac dicit, *Similes erunt patribus filii.* nam tu quidem perferes mandata, quæ tibi injuogo, sed absque profectu. *Neque enim ipsi audient: & quum clamaveris, non respondebunt.* Fuit hæc gravissima tentatio, quod Propheta sciebat se verba in aërem fundere, quæ nihil prodessent. Quid enim residuum erat, nisi ut inde magis ac magis inflammaretur ira Dei adversus populum? Potuit igitur Propheta hic animum despondere, quia haud dubie studebat utilitati gentis suæ: & videbimus quam fuerit anxius, quum intelligeret instare ultimam cladem. Sed alibi diximus duplicem fuisse affectum in Prophetis. neque enim exuerant omnes humanos sensus, quin diligerent gentem suam, & maximo dolore tangerentur quum Deus pronunciaret se jam adesse vindicem. Sed oon obstitit hæc sympathia, & hic dolor, quin tamen exequerentur animose & infracto zelo quod Deus maodabat. Sic ergo animati fuerunt Prophetæ, ut condolerent suis: interea tamen superarunt quicquid poterat vel morari, vel impedire quovis modo ipsos in peragendo suo munere. Jeremias hoc modo condoluit suis, quum sciret brevi perituros: sed interea debuit exequi quod Deus jubebat, & parere ejus vocationi. Ideo quantumvis acerba esset hæc denunciatio, *Loqueris ad eos, & non audient:* tamen perrexit Jeremias: quoniam sciebat Dei imperio morem esse gerendum, qualiscunque esset exitus. Sic hodie idem propositum esse debet piis omnibus verbi Dei ministris. quantum io se est, debent eniti, ut populi salutem promoveant: interea etiamsi videant cedere suam doctrinam aliter quam optarent, & esse mortiferum odorem toti mundo, nihilominus debeot persequi suum cursum. quare? suot enim semper suavis & bonus odor Deo, qualiscunque sit eventus. Deus ergo hic prædicit servo suo quid futurum sit, ut invicta magnitudine moous suum exequi non desinat, etiamsi nullus appareat profectus. Deiode voluit etiam ante tempus ostendere populo suam contumaciam, si qua forte esset spes: vel saltem, ut his eos convictos teneret, qui erant insanabiles. Interea voluit etiam consulere paucis illis, qui fovebant in cordibus suis pietatem, quamvis turba ipsa rueret in suum exitium. Quemadmodum hodie necesse est eodem modo fulciri pias omnes animas: quia dum insaniunt impii contra Deum, & totus fere mundus rapitur io eundem furorem, quid fieret nisi hoc jam meditatum haberent pii? nempe non esse novum exemplum, si hypocritæ qui tamen ore se jactant esse populum & Ecclesiam Dei, rejiciant ejus gratiam, & pro nihilo ducant omoes ejus servos. Valeat ergo hodie, & usum eundem obtineat hæc doctrina, ut noo concidant animi nostri, neque etiam vacillent, dum videmus maxima ex parte surdos esse quos Deus alloquitur per servos suos. *Loqueris* ergo *ad eos hæc omnia verba*, inquit. Non frustra dicit, Omnia hæc verba. nam si breviter tantum Propheta illis denunciasset quod audierat ex ore Dei, poterat minore tædio defuogi suo munere. Sed quum subinde renovarentur mandata, hoc certe noo caruit gravi molestia, & tædio. Nam, quemadmodum initio diximus, non tantum unius anni, vel decem annorum operam impendit populo: sed concionatus est per viginti, triginta, quadraginta annos & ultra, prosequutus est eundem cursum. Qoum videret doctrioam Dei ita respui à populo, annon potuit ipse concipere vicissim aliquod fastidium? Non frustra igitur exprimitur, quemadmodum dixi, electum esse, ut non tantum uno die, vel paucis mensibus vel annis experiatur an possit io viam salutis populum revocare: sed pergendum esse per omnia obstacula: ita ut non deficiat, quicquid acciderit. *Non audient*, ioquit, *et clamabis ad eos, & non respondebunt.* Hoc etiam est emphaticum, quod prædicit Deus, si pleno gutture clamet Propheta, (quemadmodum id facere jubetur *Jesa. 58.*
Jesaias, & io ejus persona omnes doctores) atque ad *vers. 1.*
raucedioem usque clamet, Deus tamen dicit oon responsuros. Hoc certius ostendit eorum pervicaciam, quod non modo surdi sunt ad vocem Dei, & negligunt simplicem doctrinam, sed clamosas etiam exhortationes prætereunt absque ulla attentione. Postea adjungit,

28. Et dices ad eos, Hæc gens quæ non audierunt vocem Jehovæ Dei sui, & non receperunt disciplinam: periit veritas, & excisa est ab ore eorum.

Jam ostendit Deus agendum esse novo more, quia primæ sunt doctorum partes proponere Dei voluntatem, ostendere quid rectum sit: hortari deiode si non sufficiat simplex doctrina. Hic autem significat Deus mutandum esse stylum, quoniam sint prorsus desperati. *Dices igitur hoc postremum:* quasi diceret, Ego quidem volui tentare an possent corrigi in melius, & usus sum in huoc finem tua opera. Post longam patientiam, hoc est, ubi cognoveris longo usu operam tuam esse inutilem, *dices illis*

vale

vale postremum. Nam quorsum tendunt hæc verba, *Hæc gens quæ non audivit vocem Dei sui*, nisi quia Propheta tandem multis experimentis cognovit, non utendum esse vel doctrina, vel exhortationibus? Non dubium est quin Deus respexerit ad ipsos Judæos. voluit enim ignominiose traducere impiam eorum pervicaciam. Simul tamen solatus est servum suum, quia hinc cognovit, quamvis non prodesset suis auditoribus, laborem tamen suum esse gratum Deo, & non carere fructu. nam doctrina Dei non tantum in salutem hominum fructuosa est, sed in mortem. Ostendit igitur Deus nihil decedere servo suo, etiamsi non resipiscant Judæi, quia scilicet erit ipsorum judex, ac denunciabit pro summa potestate interitum. Nunc tenemus consilium Spiritus sancti, ubi dicit, *Tandem dices, Hæc gens quæ non audivit vocem Dei sui.* neque enim hic jubetur Propheta Judæos alloqui, sed proferre sententiam, ut totus mundus sciat quam turpis fuerit ac detestabilis eorum contumacia, & quam sacrilega impietas, quod scilicet *non audivit tota natio.* Videtur nomen Gentis hic in sinistram partem accipi. multis quidem locis accipitur pro populo: sed aliis locis גוים opponit Scriptura electo populo Dei. Et forte hoc nomen positum fuit, ut Judæi scirent se frustra gloriari sua dignitate. Ostendit non antecellere reliquis gentibus, quia sint etiam ipsi ex numero גוים *Hæc gens*, inquit, *quæ non audivit vocem Jehovæ Dei sui.* Quum ita loquitur, haud dubie amplificat crimen. quia enim Deus familiariter innotuerat Judæis, non poterant obtendere ignorantiam, nec ambigere de Prophetica doctrina. Quum ergo destinato rejecerent Deum suum, hinc magis fuerunt detestabiles.

2 Cor. 2. v. 15,16.

Postea addit, *Non receperunt disciplinam.* Fontem rebellionis demonstrat, quia scilicet noluerint subire jugum. Hic ergo excludit omnes colores, quibus obtegere poterant Judæi suam impietatem, qualiter solent hypocritæ. ideo exprimit, eos esse indociles, quia non recipiant disciplinam. Nomen מוסר accipitur sæpe pro castigatione: sed generaliter etiam extenditur ad omnem eruditionem. Hoc loco quia agitur de doctrina, intelligit Propheta eos sponte cæcutire, quoniam scilicet nolint doceri. Hic autem summus est gradus impiæ pertinaciæ, ubi ita degenerant homines, ut sponte affectent esse similes brutis pecudibus, ne scilicet jugum Dei admittant. Subjicit postea *periisse veritatem*, aut fidem. Hic nomen אמונה potest bifariam accipi: quidam referunt ad Deum: ita esset religio, aut fides, aut pietas. Sed videtur Propheta longius extendere, nempe quod nihil sit in ipsis sincerum, quod perfide agant non tam cum hominibus, quam cum Deo ipso. Ergo אמונה simpliciter accipitur pro integritate: quasi diceret nihil manere in ipsis purum vel sincerum: sed ita esse corruptos, ut Deo illudant, mentiantur hominibus, & mera apud ipsos simulatio prævaleat. Hunc sensum confirmat quod sequitur, nempe *excisam esse ab ore ipsorum.* Hinc enim colligimus, eorum perfidiam traduci, quod fallaciter agerent: & sicuti cor eorum duplex erat, ita etiam duplex lingua. Breviter, intelligit non esse expectandum, ut resipiscant: quia si centies promittant Deo, se fore morigeros, & ostentent etiam coram mundo aliquam speciem probitatis, effluent pollicitationes in merum mendacium & fallacias. Postea subjungit,

29. Tonde comam tuam, & projice, & attolle super excelsa lamentationem: quia reprobavit (*vel vilipendit: sed verbum reprobandi magis placet hoc loco*) Jehovah, & reliquit ætatem indignationis suæ.

Hic rursus hortatur Jeremias suos ad luctum. utitur autem genere fœminino, quemadmodum populus vocatur Filia Sion, & filia Jerusalem. Ergo ex communi loquendi usu quasi mulierem compellat totum populum. Jubet initio *tondere cæsariem.* נזר accipitur pro cæsarie, & deducitur à Nazaræis, qui comam alebant. & potest esse concinna allusio ad Nazaræos, qui Deo sacri erant: quasi diceret, populum illum profanum esse, ita non debere quicquam habere simile cum Nazaræis. Inde etiam deducitur נזר, corona. Quamvis ergo de coma, vel cæsarie intelligi debeat hoc nomen: non tamen negligenda est allusio, quod scilicet populus à Deo rejectus comam jubetur tondere, & abjicere. Deinde projectionis verbo opponitur sublimitas luctus: *Attolle*, inquit, *super excelsa tua lamentationem.* Posset hic videri esse exhortatio ad pœnitentiam: sed quemadmodum alibi factum vidimus, quamvis sæpe populum ad spem veniæ & reconciliationis invitent Prophetæ, hoc loco non dubium est, quin Propheta denunciet ultimam cladem, & ideo fit præco luctus, quia desperata erat impietas. Non ergo fungitur hic simpliciter munere doctoris, sed quasi hostiliter denunciat exitium. nam sequitur statim, *Quia reprobavit Deus, & dereliquit generationem indignationis suæ.* דור accipitur pro ætate, non pro tempore ipso, sed pro hominibus ejusdem ætatis: quemadmodum generatio nostra dicetur quæ hodie degit in mundo: generatio patrum, quæ jam mortua est: generatio posterior, quæ nobis succedet. Verum quidem est, Israëlitas seculis omnibus fuisse dignos simili vindicta: sed non dubium est, quin Deus hic ostendat instare suam vindictam, quoniam patienter tulerit perversos populi mores, & suspenderit suum judicium. Quoniam ergo ventum erat tunc ad extrema, ideo Propheta ætatem illam destinat iræ Dei. scimus enim genitivum casum accipi pro epitheto apud Hebræos. Ergo *generatio iræ Dei* tantundem valet, atque generatio devota ultimæ vindictæ: quia scilicet intolerabilis erat eorum malitia Deo, quum diu indulgenter ipsos tulisset. Quo igitur magis distulerat suum judicium, eo gravior instabat pœna. Postea sequitur,

30. Quoniam fecerunt filii Jehudah malum in oculis meis, dicit Jehovah. Posuerunt abominationes suas in domo super quam invocatum est nomen meum, ad polluendam ipsam.

Ne obmurmurent Judæi, & querantur Deum esse nimis rigidum, adjungit Propheta non sine justissimis causis ipsos esse exitio devotos. quare? *Fecerunt malum.* Hic malum facere significat non tantum delinquere in una specie, sed sese addicere sceleribus & maleficiis. Perinde est igitur acsi diceret, ipsos ita esse corruptos, ut prorsus assueti sint ad maleficia, & contraxerint quendam habitum ex longo usu, quia scilicet non desierant provocare Deum. Sed quia sibi blandiebantur, ideo hic revocat eos Propheta ad judicium Dei: Satis est, inquit, quod judex vos damnat. nam si non perspicitis vestram malitiam, neque culpam agnoscitis, hoc tamen nihil vobis suffragatur, quia Deus interim pro-

pronunciat vos convictos esse coram oculis suis. Videmus subesse antithesin inter oculos Dei, & blanditias, quibus se demulcent hypocritæ, dum tergiversantur, vel pertinaciter excusant sua peccata, vel per circuitus volunt elabi. Deus ergo hic ostendit sufficere suum unius aspectum, quantumvis homines ipsi cæcutiant, & conniveat etiam totus mundus ad eorum peccata. Addit speciem unam, *quod scilicet posuerunt abominationes suas in Templo.* hoc ad superstitiones refertur. Sed quemadmodum alibi vidimus, & sæpius dicendum erit, Prophetæ frequenter synecdochice coarguunt peccata. Ergo hic quod maxime perversum erat in populo adducit in medium, nempe *pollutum fuisse ab illis Templum superstitionibus.* Diximus autem quam intolerabile esset illud sacrilegium, pollui scilicet perversis inquinamentis Templum, quod tunc unicum erat in mundo. Deus enim volebat uno in loco sibi offerri sacrificia: diligenter complexus fuerat quæcunque spectabant ad rectum cultum. Quum ergo Templum illud polluerent Judæi, quam execrabilis fuit hæc profanatio? Ergo non abs re hic Propheta profert quod maxime sceleratum erat in ipso populo, pollutam scilicet superstitionibus & adulterinis multis ceremoniis domum Dei, & hoc modo etiam totum cultum ejus vitiatum esse. Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando tam sedulo nos ad te quotidie, & singulis etiam horis invitas, ne ut conquestus es olim de populo tuo, fuisse surdis auribus, ita etiam negligamus sanctas tuas admonitiones; sed tibi simus morigeri: & quemadmodum mane surgis, ita etiam alacriter tibi occurramus, nec tantum præbeamus nos uno die tibi obsequentes, sed tota vita perseveremus in eodem cursu, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem quæ nobis reposita est in cælo, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA PRIMA
IN
J E R E M I A M.

31. Et ædificavit excelsa Topheth, quæ in valle filii Hinnom, ut comburerent filios suos & filias suas igni: quod non mandavi, & non ascendit super cor meum.

JEremias hoc etiam versu invehitur contra superstitiones, quibus Judæi verum & purum Dei cultum corruperant. Dicit eos *ædificasse excelsa.*
Levit. 26. vers. 30. hoc jam Lege prohibitum erat. Deus autem
(quemadmodum prius dictum fuit) præfert obe-
1 Sam. 15. dientiam omnibus sacrificiis. Ergo merito eos re-
vers. 22. prehendit Propheta, quod relicto Templo, excelsa sibi extruxerint, hoc est, lucos, deinde altaria. Postea locum designat, nempe *Topheth in valle Hinnom.* Non dubium est, quin Prophetæ ut detestabilem facerent locum, transtulerint תפתה, & גיא הנם ad inferos ipsos. Nam quum de æterno impiorum supplicio loquitur Jesaias trigesimo capite, nominat Topheth: & satis constat ea eadem radice deductum esse illud nomen. Jam quod ad vallem גיא הנם spectat, Gehenna corrupte à Græcis vocatur etiam mors æterna, vel cruciatus qui manet omnes reprobos: sicuti & nomen Paradisi metaphorice accipitur pro felici piorum statu, & pro æterna hære-
Gen. 2. ditate. Deus enim sic locavit ab initio hominem in
vers. 5. horto illo Orientali, ut foveret eum quodammodo sub alis suis. Quoniam ergo benedictio Dei & gratia fulgebat in loco illo ubi primum habitavit Adam, ut esset quædam imago cælestis vitæ, & solidæ beatitudinis: ideo vocarunt Paradisum, gloriam quæ reposita est omnibus filiis Dei in cælo. Sic etiam contraria ratione Prophetæ vocarunt גיא הנם ipsos inferos, ut Judæi execrarentur impios illos & sacrilegos cultus, quibus patres se polluerant. Eadem etiam est ratio in Topheth. interea tradunt veteres fuisse locum in suburbio urbis. Non procul ergo solebant confluere ad illas abominationes, quum tamen esset in conspectu Templum Dei, & scirent unicum illud Altare probari Deo, & non esse fas alibi offerre sacrificia. Quum hoc scirent, & Deus tale spectaculum objiceret eorum oculis, eo tamen amentiæ projecti sunt, ut præferrent antrum illud, in quo volebant arbitrio suo vel potius libidine Deum colere. De hac mera audacia nunc conqueritur Jeremias, quod scilicet *extruxerint sibi excelsa in Topheth, nempe in valle.* interponitur nomen Filii, sed vocatur גיא הנם, vallis Hinnom: unde sumptum est illud nomen Gehennæ, quemadmodum diximus. Addit, *Ut comburerent filios suos & filias suas.* Fuit hæc horribilis, & prodigiosa etiam amentia, quod patres non pepercerint filiis suis, sed conjecerint in ignem: oportuit enim ita abripi diabolico furore, ut exuerent omnes humanos affectus. & tamen fuit illis probabilis ratio, ut putabant: nam hic zelus laude dignus erat Deum præferri liberis. Quum ergo ita conjicerent in ignem suos liberos, potuit species illa zeli simplices decipere: deinde accessit etiam prætextus ab exemplo, quod scilicet Abraham paratus fuerit filium suum mactare. sed hinc apparet quid proficiant homines, ubi rapiuntur inconsiderato zelo. Hic enim ab exordio mundi fuit fons omnium superstitionum, ubi scilicet homines excogitarunt sibi varios cultus, & hanc licentiam sibi dederunt, ut quisque pro arbitrio Deum placaret. Quod ad exemplum spectat, ea cæcati fue-
runt quum non distinguerent inter se & Abraham, Gen. 22.
quia ille jussus fuerat offerre filium suum: ipsi au- vers. 2.
tem absque mandato idem tentabant. hæc fuit præpostera temeritas, quia si spectatur factum Abrahæ, obedivit Deo: non potuit errare, quum sciret placere Deo tale sacrificium. Quum autem Judæi æmularentur ejus zelum, præter stultitiam fuit etiam hoc in ipsis culpabile, quod Dei mandatum negligerent, vel pro nihilo ducerent. Quicquid sit, eousque abrepti sunt vecordiæ, ut filios suos conjicerent in ignem; & sub obtentu pietatis tanta & tam fera crudelitas apud eos grassata est. Hinc perspicimus, nullum esse finem peccandi, ubi homines sibi & suis commentis addicti sunt; Deus enim ipsos permittit Satanæ, ut agantur spiritu vertiginis, & amentiæ, & stuporis. Discamus itaque semper respicere quid Deus probet: & hoc sit nobis initium deliberandi, ubi aliquid aggredi oportet, nempe ut sciamus quid Deus præcipiat. præsertim hæc regula tenenda est in ejus cultu: quia, ut nuper dictum fuit, religio maxime fundata est in fide: fides autem fundata est in verbo Dei. & ideo tandem subjicitur, *Quæ non mandavi, & quæ nunquam mihi venerunt in mentem.* Hæc ratio diligenter notanda est, quoniam hic Deus tergiversandi ansas præcidit hominibus, ubi hoc solo titulo condemnat quicquid tentabant Judæi, quia non mandaverit ipsis. Non est igitur alia quærenda ratio in coarguendis superstitionibus, nisi quod carent præcepto Dei. ubi enim homines Deum colere sibi permittunt proprio instinctu, neque at-

ſenti ſunt ad ejus mandata, pervertunt veram religionem. Et ſi hoc valeret apud Papiſtas, conciderent omnes fictitii cultus, in quibus perperam ſe exercent. nam horribilis eſt illa carnificina, dum Papiſtæ volunt defungi erga Deum omnibus ſuis ſuperſtitionibus. eſt enim immenſa congeries, ut ſatis notum eſt, & libenter ſeſe explicarent: interea non admittunt hoc principium, quod eriperet eos à tam profunda abyſſo, nempe quod patendum ſit verbo Dei, ſi ipſum rite colere velimus. Ergo magnum pondus ineſt his verbis ubi dicit Propheta, *Deum nihil tale mandaſſe, & nihil tale ſibi veniſſe in mentem*: quaſi diceret nimium ſapere homines, quum excogitant quæ ipſe nunquam quæſivit, imo quæ nunquam voluit cognoſcere. Certum quidem eſt, nihil occultum fuiſſe Deo, etiam antequam fieret: ſed Deus hic ſuſcipit perſonam hominis: quaſi diceret eſſe ſibi incognitum quicquid tentabant Judæi, quia contentus eſſet Lege à ſe data. Cæterum, quoniam ita abominabile fuit nomen Topheth, & nomen גיא הנם apud Prophetas, hinc colligere licet quantopere diſpliceat Deo omnis idololatria, & profanatio veri & puri cultus: quoniam præclaras illas operas, quibus tam ſtrenue defuncti fuerant Judæi, inferis ipſis comparat. Et ideo hodie ubi Papiſtæ jactant ſuas devotiones, ut vulgo loquuntur, merito excipere licet, totidem eſſe januas quibus ſeſe præcipitent in ipſos inferos, quot cultus confingunt ut Deum ſibi concilient. Sequitur,

32. Propterea ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & non dicetur (*hoc eſt, quibus non dicetur*) amplius Topheth, & vallis filii Hinnom: ſed vallis occiſionis: & ſepelient in Topheth, quia non erit locus.

Pœnam denunciat Propheta, quum Judæi putarent ſibi deberi mercedem: quemadmodum hodie Papiſtæ proterve ſe venditant, quum multas abominationes cumularunt. exiſtimant enim Deum quaſi lege obſtringi, ne pereat tanta illorum ſedulitas. Sed Propheta oſtendit quantopere deſipiant qui ſuperſtitioſe Deum colunt, & abſque ejus verbo. Minatur enim hic graviſſimam vindictam: *Non dicetur*, inquit, *amplius locus ille Topheth, neque vallis filii Hinnom: ſed vallis occiſionis vocabitur.* nempe quum cædibus repleta fuit tota terra. Adjungit, *Sepelient illic, quia alibi non erit locus.* ſignificat tantas fore ſtrages, ut Jeroſolyma non capiat mortuos. ergo, inquit, ſepulchra reperienda erunt in Topheth, ſicuti etiam illic occidentur multi. Scimus cadaver fuiſſe immundum ſub Lege: deinde non fuiſſe fas, offerre Deo ſacrificium juxta ſepulchra. Propheta igitur oſtendit, quum ſtulte conſecraſſent locum illum Deo Judæi, inſtare horrendam profanationem, quia totus ille locus refertus erit congerie cadaverum, deinde pollutus etiam hominum cæde. Videmus ergo quid proficiant ſuperſtitioſi, ubi ſequuntur propria conſilia, nempe quod provocant iram Dei. nam ex gravitate pœnæ judicium facere nobis licet quantopere abominetur Deus omnes præpoſteros cultus, quos ſcilicet ſibi fabricant homines præter ejus Legem. nam tenendum eſt ſemper illud principium, *Non præcepi, neque venit mihi ſuper cor.* Sequitur,

Num. 19. v. 11, 16.

33. Et erit cadaver populi hujus in cibum avi cælorum, (*avibus*) & beſtiæ terræ; (*hoc eſt, beſtiis*) nec erit qui abſterreat. *hoc eſt, qui terrore abigat.*

Gravius aliquid minatur Jeremias ipſa morte, quod ſcilicet Deus ſigna iræ ſuæ inſculpet etiam cadaveribus. Verum quidem eſt illud quod dixit profanus Poëta, facilem eſſe jacturam ſepulchri: ſed etiam tenendum eſt ex oppoſito jus ſepeliendi fuiſſe ſanctum omnibus ſeculis, quia erat ultimæ reſurrectionis ſymbolum. Ideo barbaræ ſunt illæ voces, Da mihi baculum, ſi times ne aves comedant corpus. quum ſcilicet Cynicus ille juberet projici ſuum cadaver, deriſit quod objectum erat, Atqui vorabunt te & beſtiæ & aves: O, ſi adſit baculus, ego abigam: ſignificans hac voce, ſe tunc cariturum ſenſu. tamen oſtendit ſe non tangi aliqua ſpe immortalitatis. Voluit autem Deus ſepeliendi uſum vigere apud omnes gentes, ut in ipſa morte occurreret tamen aliquod ſpeculum, vel imago ultimæ reſurrectionis. Ideo quum Propheta hic denunciat, ſicuti aliis locis, ſepulchro carituros Judæos, haud dubie exaggerat Dei vindictam. Scimus quidem quoſdam è ſanctiſſimis non fuiſſe ſepultos: nam Prophetæ expoſiti interdum fuerunt & beſtiis, & avibus. Conqueritur etiam tota Eccleſia Pſal. 79. projecta fuiſſe cadavera piorum, & fuiſſe eſcam & avibus & beſtiis. Poteſt hoc interdum contingere. nam Deus ſæpe permiſcet bonos malis in pœnis temporalibus, ſicuti oriri facit ſolem ſuum ſuper bonos & ſuper malos. ſed tamen per ſe & communiter, ὡς τὸ πολὺ, ut plurimum, hoc eſt ſignum maledictionis, ubi projicitur hominis cadaver, & caret ſepultura. Hoc ergo nunc Propheta ſignificat quum dicit, *Erit cadaver populi hujus in eſcam volucribus cælorum, & beſtiis terræ: nec erit qui abſterreat*, hoc eſt, nullus erit qui præſtet humanitatis officium in beſtiis abigendis, quod etiam natura ipſa dictat. Si quis nunc objiciat, non poſſe igitur diſcerni fideles à reprobis, facilis eſt ſolutio, nempe ubi non contingit honor ſepulchri fidelibus, Deum fore vindicem: ſed hoc non obſtare, quominus viſibilem pœnam ſumat Deus de reprobis, & hoc modo ignominia eos afficiat, ſicuti fuit ab ipſis contemptus. Poſtea addit,

Virgil. 2. Æneidos.

Pſal. 79. verſ. 2.

Matth. 5. verſ. 45.

34. Et ceſſare faciam ex urbibus Jehudah, & ex compitis Jeruſalem vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ: quia in vaſtitatem erit (*hoc eſt, redigetur*) terra.

Semper contexit eandem doctrinam: denunciat enim Judæis quas meriti erant pœnas. ſed exprimit quod dixit proximo verſu, de fœda & horribili deformitate, quæ cladem ſequutura erat, quia ſcilicet non tantum hoſtiliter vexabitur tota regio, ſed vaſtabitur etiam. ubi enim ceſſant voces gaudii & lætitiæ, omnia referta ſunt luctu: deinde ubi nullæ nuptiæ celebrantur, ſignum eſt ſolitudinis. Nam per ſynecdochen ſub conjugio Propheta deſignat quæcunque pertinent ad conſervationem ſocietatis humanæ: perinde acſi diceret, Nulli jam erunt contractus. neque enim poteſt ſtare genus humanum ſine nuptiis. Ergo ceſſatio hæc tantundem valet, acſi diceret immemores fore eorum omnium, quæ ad fovendum & tuendum humanum genus ſpectant. Ideo nihil adjungit novum, ſed explicat clarius quod vidimus, nempe terram fore refertam cadaveribus, & tantum fore luctum, ut abſtineant homines ab omni ſolito & ordinario cultu. Deinde eandem ſententiam fuſius proſequitur.

Cap. VIII.

IN die illo, dicit Jehovah, extrahent ossa Regum Jehudah, & ossa Principum ejus, & ossa Sacerdotum, & ossa Prophetarum, & ossa civium Jerosolymæ *habitantium*, è sepulchris suis,

2. Et expandent coram sole, & luna, & toto exercitu cælorum, quæ dilexerunt, (*nam relativum neutrum comprehendit & solem, & lunam, & exercitum: vel si magis placeat vertere, quos exercitus dilexerunt*) & quibus servierunt, & post quos ambularunt, & quos quæsierunt, & coram quibus prostrati sunt: (*hoc est, se inclinarunt*) neque colligentur, & non sepelientur: in stercus in terræ superficie erunt.

Dixi Jeremiam primo versu idem repetere quod nuper dixerat, nempe privatum iri sepulchro Judæos, ut in mortuis etiam extaret signum vindictæ Dei: quasi diceret, ubi perierint sub manu hostium, tamen residuam fore hanc quoque pœnam, ut jaceant ipsorum cadavera exposita bestiis & avibus. Dixi fideles nihil jacturæ facere, si negetur illis sepulchrum. sed interea non contemnunt sepulturam, quatenus symbolum est resurrectionis. Quod si Deus patitur illos involvi hac ignominia cum reprobis, quemadmodum sæpe contigit: tamen hoc non obstat quominus Deus vindictam suam exerceat adversus reprobos in pœna temporali, quæ fidelibus in benedictionem vertitur ac cedit. Non est igitur absurda hæc denunciatio, ubi dicit Propheta tempus instare, quo ossa extrahentur è sepulchris. Dicit *ossa Regum, & Sacerdotum, & Prophetarum, & totius populi*. nam putabant Reges simulac reconditi essent in suis sepulchris, sacra fore sua cadavera: idem etiam error valuit in Proceribus & Sacerdotibus. Propheta autem dicit nullum sepulchrum fore intactum vel immune ab hostili violentia. quibus verbis ostendit, urbem dirutum iri funditus: quia si urbs maneret salva, etiam sepulchris parceretur. non potuit igitur hæc pœna contingere, quin hostes everterent à primis fundamentis ipsam urbem. Denique his verbis horrendam & ultimam cladem designat: sed finem simul ostendit, cur tam graviter jusserit sævire Deus adversus Judæos: nempe, inquit, *quia servierunt soli, & lunæ, & stellis*, ideo justa Dei vindicta fiet, *ut eorum ossa extrahantur è sepulchris*, quo scilicet sol, & luna, & omnes stellæ testes sint judicii Dei. His verbis oblique perstringit Jeremias populi vecordiam, quia putaret se præstare gratum cultum soli & lunæ. Dicit igitur omnes stellas & planetas fore quasi spectatores vindictæ quam exiget Deus: quasi diceret totum cælestem exercitum approbaturum pœnam illam, quia nihil magis detestabile est creaturis, quam dum ad illas transfertur Opificis ipsius gloria. Verum quidem est, solem, & lunam, & stellas carere sensu: sed Propheta hic tribuit illis sensum, quo scilicet excutiat Judæis stuporem illum in quo obduruerant, dum putabant se gratum officium præstare soli & lunæ. Interea alludit, quemadmodum etiam aliis locis visum est, ad pœnam quæ infligitur adulteris. nam si scortum extrahatur, & producatur coram suis adulteris cum ignominia & probro, hæc justissima est pœna: sic etiam, quoniam scortati fuerant Judæi cum sole, & luna, & stellis, ideo ita loquitur Propheta: quod scilicet detegetur eorum ignominia & turpitudo sub conspectu solis, & lunæ, & stellarum. Postea dicit, *Quæ dilexerunt*. Non dubium est, quin alludat ad cæcum illum fervorem, quo rapiuntur idololatræ, ubi prosiliunt ad cultus illicitos. Est enim species effrenis ac furiosæ libidinis, quemadmodum aliis locis visum est. neque enim magis insanit scortator quum appetit mulierem, quam idololatræ, ubi Satan illorum oculos perstrinxit, & mentes eorum fascinavit. De hoc igitur impuro amore nunc loquitur Propheta: & interea oblique exprobrat, quod alienati fuerint sine causa à Deo, qui legitimus erat maritus. Nihil autem minus tolerabile, quam dum homines à Deo perfide ita deficiunt, postquam eos sibi conjunxit, & postquam contraxit sacrum & inviolabile conjugium. Postea addit, *Quibus servierunt*. hoc adhuc turpius est, quod scilicet addixerint se soli, & lunæ, & stellis in servitutem. Tertio loco, ponit, *quod ambulaverint post ipsos*, atqui Deus viam illis monstraverat, & præceperat ut ipsum sequerentur: atqui relicto Deo, dicit Propheta sequutos fuisse stellas cæli. Quarto loco ponit, *quod quæsierint*: quo verbo significat pertinaciam. quod enim alii accipiunt pro consulere, mihi non placet, quia est coactum, & longe petitum. Ego itaque non dubito, quin Propheta hic denotet continuum perseverandi studium in Judæis, quod non subito tantum impetu sequuti fuerint sua idola, sed obstinate se illis addixerint, & fuerint quasi affixi tam perversæ cupiditati. Postea extremo loco ponit, *quod se prostraverint coram ipsis*. Hoc refertur ad servitutem. idem enim est dare hoc signum reverentiæ, ubi homines se prosternunt coram idolis, atque si servirent. nam hoc totum sub cultu comprehenditur. Cæterum quum Propheta uno verbo satis exprimere posset impietatem populi sui, plura verba simul conjunxit amplificandi causa, ut scilicet palam fieret turpis illa populi ingratitudo, quod maluisset sibi adscîscere deos sibi incognitos, & erigere perversos & fictitios cultus, quam præstare Deo vero obsequium, & acquiescere in ejus Lege, quæ erat certa regula, & quæ fallere non posset. Postea adjungit, *Non colligentur, & non sepelientur: in stercus erunt super faciem terræ*, hoc est, in superficie terræ. Confirmat pœnam illam, de qua nuper concionatus est, nempe quemadmodum contumeliosi fuerant adversus Deum, & sese prostituerant coram idolis, ita post mortem fore ignominiosos & detestabiles, ut scilicet mens à tali spectaculo & tam fœdo abhorreat. hæc summa est. Sequitur,

3. Et eligetur (*ad verbum esset, electa est*) mors (*sed debet resolvi in futurum tempus*) præ vita ab omnibus reliquiis, quæ residuæ erunt ab hac prava natione (*à natione hac mala*) in omnibus locis ubi residui fuerint, ad quæ expulero eos, (*ad quæ illuc. sed* שם *est supervacuum*) dicit Jehovah exercituum.

Hoc versu significat quicunque erunt superstites, fore bis miseros, ut satius illis fuerit semel mori, quam tabescere in diuturnis malis. neque enim videntur mihi assequi Prophetæ sensum, qui alio torquent verba. Summa est igitur, quamvis formidabile sit judicium illud Dei, quod scilicet edentur ubique strages, deinde extrahentur cadavera quæ pridem sepulta fuerant, tamen hoc fore leve præ ea pœna quam Dominus infliget reliquis, quos tamen servabit superstites. denique significat vitam miseriorem

riorem

riorem fore morte ipsa, vel etiam decem mortibus. Ergo ne existiment se quicquam fecisse lucri qui mortem effugient, dicit Propheta: *Optabitur*, inquit, *mors præ vita ab omnibus reliquus.* Hinc colligitur quam gravis fuerit illa vindicte Dei: siquidem nihil futurum sit melios, vel magis optandum, quam defungi una & simplici morte, quod scilicet vita nihil aliud esset, quam continuus lenguor, vel cruciatus. *Expetetur* igitur *mors in omnibus locis ubi fuerint superstites, ad quæ loca ego expulero eos.* Ostendit cansem duplicis miseriæ: quoniam non dabitur illis vivere in patria, sed extorres erunt, atque in ipso exilio sentient manum Dei sibi esse infestam, acsi huc & illuc eos persequeretur.

Da omnipotens Deus, quendo terres nos quotidie tuis judiciis, sicuti etiam necesse est stimulari nostram pigritiem, atque adeo nostram pravitatem corrigi, ut flectamur ad minas tuas, & interea etiam sinamus nos blande è te invitari: & sic proficiamus in verbo tuo, ut minis territi, etiam sponte & libenter obtemperemus quoties nos ad te paterno more vocas, ac modis omnibus studeamus nos tibi totos addicere, ita domando pravos carnis nostræ affectus, ne quid impediet, quominus tibi simus subjecti, donec tandem perveniamus ad quietem illam æternæ hæreditatis, quam nobis pollicitus es in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

4. Et dices ad eos, Sic dicit Jehovah, An qui ceciderunt, non resurgent? si quis aversus fuerit, non revertetur?

5. Quare rebellis est populus hic Jerosolymæ rebellione perpetua? (*forti, ad verbum*) adhæserunt fraudi, (*vel, apprehenderunt fraudem*) noluerunt reverti.

QUanquam Deus Prophetam suum edmonuerat de eventu, tamen iterum Judæos ad resipiscentiam invitat, non quod sperandum sit posse revocari ed sanam mentem, (dixit enim prorsus esse desperatos) sed ut minus excusabilis esset eorum pertinacia. deinde voluit etiam consulere exiguo piorum numero, qui edhuc residui erant: neque enim omnes ad unum usque defecerant ad impietatem, quamvis totum populi corpus esset corruptum. Deus ergo partim ut culpam impii populi aggravet, partim ut consulat fidelibus suis, hortatur ad pœnitentiam eos qui tamen erant prorsos intractabiles. Et hic consideranda est nobis Dei bonitas, qua quisquis ebutitur, accersit sibi multo gravius judicium. Quodammodo enim certat hic Deus cum malitia illius populi, quum proponit spem veniæ, si resipiscant. *Dices* igitus *ad eos*, hoc est, quamvis tibi jam fuerim testatus, inutilem fore tuam operam, non tamen cessabis. *An qui ceciderunt, non resurgent?* Verie exponitur hic locus. major pars interpretum restringit ad solos Judæos, An Judæi non resurgent postquam ceciderunt? quod ad secundum membrum spectat, quidam ita exponunt, An si Israel revertatur, non revertetur etiam Deus? nempe ab ira sue: hoc est, en non erit propitius? vel, An si evertatur Israel, an non vicissim evertetur Deus? Alii utrumque membrum intelligunt de populo ipso, An si aversus semel fuerit populus, non redibit ad Deum? Nam hoc verbum שוב contrarias habet significationes. accipitur enim pro deficere, pro rebellare, pro ire in contrariam partem: accipitur etiam pro reverti. Sed dum propius expendo & verba & consilium Prophetæ, existimo generalem esse senteotiam: quasi dixisset, Si quis ceciderit, statim cogitat de corrigendo lapsu: si quis declinaverit à recto itinere, postquam admonitus est de errore suo, statim respicit ed viam. hoc fieri solet. quid ergo sibi vult tanta stupiditas, quod populus Jerosolymæ non resipiscit, quum tamen debuerit pridem agnoscere lapsum suum, & errorem? Quisquis sine contentione attenderit ad Prophetæ sermonem, agnoscet hunc esse genuinum sensum: quia secundo versu dicit, *Cur populus hic Jerosolymæ.* incipit nunc primum loqui de populo, ut satis apparet: sequitur ergo superiorem versum non debere ad populum restringi, sed illic poni communem sententiam. Denique hic amentiam populi coarguit Jeremias, quod non sequatur saltem eos, qui vel ceciderunt, vel declinerunt à via per errorem. Nam hoc naturaliter ingenitum est omnibus, ne sponte in malis suis pereant. qui ergo cecidit, ille conetur statim resurgere: qui viam suam deseruit, postea si potest, tentat ad ipsam redire. hoc ergo quod solent stultissimi quique facere, cur non imitatur populus? inquit Jeremias. Ergo ostendit hac comparatione, hominum esse prodigia, quoniam pertinaciter inhæreant suis sceleribus, neque illis veniat in mentem, spem esse reconciliationis, si ex animo ad Deum se convertant. Et emphatice ponit nomen Jerosolymæ: quia si tanta fuisset obstinatio vel epud Chaldæos, vel epud Ægyptios, fuisset quidem hoc inexcusabile, sed non adeo mirum: ubi eutem populus, cui Lex destinata est, & cui Deus familiariter patefecit salutis doctrinam: ubi ergo populus ille ita obduruit, ut abjiciat omnes admonitiones, nonne hoc est portentosum? Tandem adjungit *ipsos esse rebelles rebellione pertinaci*, hoc est, non tantum levitate, vel incogitantia, vel subita aliqua cupiditate fuisse alienatos à Deo, sed ita pertinaciter, ut frustra omnem operam consumant Prophetæ in illis docendis & hortandis. ideo vocat *rebellionem fortem*: quamvis hic sumatur pro perpetua, ut eliis multis locis. Causam eutem assignat, quod scilicet *apprehenderint fraudem*, id est, mordicus adhæserint fraudi. Verum fraudem accipit Propheta, non qua fallitur eut circumvenitur proximus, sed hypocrisin, qua se ita excæcant homines, ut nolint eut attendere ad verbum Dei, aut oculos aperire ad claram lucem. ubi igitur ita se demergunt homines certa malitia in tenebras, dicuntur *apprehendere fraudem*: quemadmodum Psal. 32. quum Da- Psal. 32. vers. 2.
vid prædicat beatum esse hominem, in cujus spiritu non est dolus, non accipit dolum, ut communiter solemus: sed accipit pro corde duplici. nem dixerat prius beatos esse, quibus remissa sunt peccata, quibus non imputatur iniquitas: adjungit explicationis causa, modo non sit dolus in spiritu. quare? nam profani homines videntur sibi esse beati: neque enim sentiunt suam miseriam, quoniam obtecti sunt suis involucris. ille est dolus de quo loquitur David. Eodem sensu dicit Propheta noster eos *fraudem apprehendisse*, qui ita sunt involuti tenebris, vel excæcati suis cupiditatibus, ut cupiant fallere Deum: sed fallunt seipsos. Hæc igitur causa est, cur nulla pœnitentiæ tangantur, quos Deus corripit, & casti-

gat. ubi ſcilicet ſponte cæcutiunt, vel clauduot oculos, & obturant aures, & volunt decipi à diabolo: qui non attendunt ad ſanctas admonitiones, quæ illis destinatæ erant in ſalutem. Ergo ſi cupimus ſanari à vitiis noſtris, ſemper incipiendum eſt ab hac parte, nempe ut excutiamus ſedulo & cogitationes noſtras & ſtudia, & non placeamus nobis, neque fallamus inanibus blanditiis: ſed appetamus excutere quicquid in nobis eſt reprehenſiona dignum, aut vitioſum. Hoc eſt principium veræ pœnitentiæ, diſcutere omnes fraudes & fallacias & appetere claram lucem, quæ nobis retegat mala noſtra. Poſtea ſequitur,

6. Attendi, & audivi: non loquuntur recte, nemo eſt quem pœniteat (*ad verbum, non vir pœnitens ſuper malo ſuo: ſed ſenſus clarior eſt, nemo eſt quem pœniteat*) malitiæ ſuæ, dicendo, Quid feci? omnis vertitur (*ad verbum: pro, omnes vertuntur*) ad curſus ſuos, ſicut equus ruit (*ad verbum, inundat: ſed metaphorica eſt loquutio. ſicuti ergo equus præceps ruit*) in prælium.

Poſſent hæc verba accipi in perſona ipſius Dei, quod ſcilicet è cælo expenderit qualis eſſet populi ſtatus. ſed commode hoc exponitur de Propheta: fuerat enim quaſi io ſpecula poſitus, ut obſervaret qualiter ſe gereret populus cum Deo. jam teſtatur, poſtquam perſpexit eorum ſtudia & actiones, nihil ſe vidiſſe rectum. His verbis debuit populus magis affici. ſcimus enim quam proclives ſimus natura ad captandos prætextus, ubi volumus in fæce noſtra maoere quieti. ita major pars objicere plerumque ſolet, O, tu me reprehendis, ſed temere: neſcis quid ſit in animo meo. Ergo dicit Propheta ſe diligeoter reputaſſe qualis eſſet populus, & ſe loqui de re probe cognita, & perſpecta: *Audivi*, inquit, *& attendi: ſed non loquuntur rectum.* Significat hoc verbo tantum abeſſe Judæos à vero & pleno effectu pœnitentiæ, ut ne ipſam quidem ore profiteantur. minus eſt fateri ſua vitia, quam re ipſa corrigere: atqui Propheta dicit ne ipſos quidem *loqui quod rectum eſt.* hinc ſequitur multum abeſſe à ſerio pœnitentiæ ſtudio, quum linguis etiam ſuis ita proterviant, vel ſaltem non oſtendant ullum triſtitiæ ſignum. Poſtea addit, *neminem eſſe quem pœniteat, dicendo.* Hoc membrum expoſitive additur, quia clarius demonſtrat Jeremias, *eos non loqui rectum, quoniam non dicant, Quid feci?* Primo autem dicit, *neminem eſſe quem pœniteat ſuæ malitiæ*: poſtea oſtendit hoc primo reqoiri ad pœnitentiam, ut peccator ſeipſum ad rationem vocet: quia ubi ſecuri deſidemus io malis noſtris, non poteſt fieri ut nos unquam pœniteat. neceſſe igitur eſt uoumquemque ſibi eſſe exactorem, ut ſe ad calculum vocet, & quodammodo citet ad tribunal Dei. Videmos ergo nunquam homines poſſe ad pœnitentiam adduci, niſi ubi ſibi ante oculus proponunt mala ſua, ut ſibi pudorem incutisnt, & quaſi cum terrore ſeipſos interrogent quid fecerint. nam hæc interrogatio ſignom eſt conſternationis. ſcimus plurimos perfunctorie agnoſcere ſua peccata: ſed hoc frivolum eſt, quia poſtea evaneſcit hæc cognitio ſine fructu. Ergo ſeria pœniteotia neceſſario hoc requirit, ut peccator non tantum ſibi diſpliceat, non tantum pudefiat: ſed etiam quodammodo ſtupeat ad ſua vitia. nam hoc ſibi vult hæc inquiſitio, *Quid feci?* continet enim admonitionem. Nunc tenemus quid valeant Prophetæ verba. dicit ſe non temere reprehendere populum, ſed quia talem pervicaciam in ipſo cognoverit, *ut nemo quod rectum eſt loquatur*, nemo tangatur reſipiſcentia, quoniam noo reputant quales fuerint, neque vitam ſuam ad rationem exigunt, ſed ſecuri indormiunt ſuis ſceleribus. Eandem ſententiam proſequitur quum dicit, *omnes converti ad curſus ſuos*, hoc eſt, ad cupiditates ſuas. Verum per nomeo Curſus, Propheta violentos impetus deſignat: quaſi diceret fuiſſe Judæos ita præcipites in ſuis cupiditatibus, ot quodammodo feſtinanter currerent: & comparat eos equis ruentibus ad prælium. Scimus quanta ſit violentia io equis, ubi ita celeri curſu ad prælium feſtinant: videntur enim volare, & aërem ſcindere, & terram confodere ſuis uoguibus. Ita optime convenit ſimilitudu, qoum dicit Propheta Judæos ſic rapi violenter poſt ſuas cupiditates, ut non minus ſiot impetuoſi, quam equi militares, ubi immiſſi ſunt ad prælium. Jam ſequitur,

7. Etiam ciconia in cælis cognoſcit tempora ſua: & turtur, & hirundo, (*alii vertunt, picam: ſed nomen hirundinis eſt aptius, quemadmodum ſtatim patebit*) & grues obſervant tempus itineris: populus autem meus non cognoſcit judicium Jehovæ.

Hic rurſus exprobrat Jeremias populo turpem ſocordiam, quod ſcilicet minus ſapiat quam aves, quæ tamen ratione & intelligentia non ſunt præditæ. dicit ergo Judæos magis fatuos eſſe, quam grues, & hirundines, & ciconias. Non dubium eſt, quio vulneraverit populum hac tam ſevera objurgatione: ſed oportuit contemptores Dei ita acriter affici, quia ex verbis ſatis conſtat quantopere obduruiſſent in ſuis ſceleribus. Non mirum igitur eſt, quod Propheta affirmat magis eſſe inſipidos, quam grues, & hirundines: quemadmodum Jeſaias ſimilem amentiam illis
Jesa.1: 3. exprobrat, quum dicit bovem cognoſcere præſepe ſuum, & aſinum ſtabulum domini ſui: Deum autem non cognoſci à populo. Illic autem Jeſaias deteriores facit Judæos bobus & aſinis, quoniam ſit aliquid ſimile memoriæ in illis brutis animalibus, ut obſervent ſuum ſtabulum & præſepe. Ita nunc Jeremias de ciconiis loquens, *Ecce*, inquit, *ciconia cognoſcit tempus quo migrare debeat ab una regione in aliam: idem etiam obſervant hirundines & grues.* nam ſtatis temporibus anni calorem petunt, hoc eſt, relinquunt frigidas regiones, ut hyemis intemperiem effugiant in illo receſſu: poſtea ſentiunt quo tempore ſibi redeundum ſit. ergo quum aves in aëre obſervaot ſua tempora volitando, qui fit ut *populus meus non conſideret judicium Dei?* inquit. Quum nomeo *cælorum* ponit, haud dobie alludit ad continuum volatum avium. aves nihil ſere habent quietis: nam perpetuo diſcurſant per aërem. Ergo quum tantum ſit prudeotiæ in avibus, quas tamen aër huc & illuc circumfert, qui fit ut populus, qui habitat in traoquillo domicilio, qui per otium poteſt meditari Legem Dei, ot populus hic nihil intelligat? Videmus ergo eſſe amplificationem in voce illa *cælorum*: quæ non fuit notata: & tamen poſſet ſcrupulum injicere lectoribus. nam in cælo non mirum eſt ſi aves plus habeant perſpicaciæ: propius enim accedunt ad ſolem, & ad elementum ignis. Sed aliud prorſus voluit Propheta, nempe quum aſſidua inquietudioe laborent aves, tamen colligere apud ſe, quodnam ſit tempus idoneum vel eundi, vel redeundi. hinc ergo magis exaggeratur populi ſocordia, qui dum ſedet, non poteſt tamen expendere domi & in otio quod Deus proponit. Et particula גם, emphatica eſt: *Etiam ciconia*, inquit. Quid hoc ſibi vult, quod aves, quæ intelligentia carent, tamen agnoſcant tempus ſuum? *populus autem meus* &c.

Non

Non dubium est, quin Propheta sub hoc honorifien
titulo clarius exprimat flagitium gentis suæ. Nam
quemadmodum nuper dixi, non fuisset adeo mira
talis cæcitas in profanis gentibus. sed quoniam po-
pulus ille sacer ac peculiaris erat Deo, hoc fuit longe
fœdius portentum, quod non agnoverint suum judi-
Mat. 16. cium. Aliis verbis exprobrat Pharisæis Christus,
vers. 2, 3. quod non attenti fuerint ad tempus visitationis suæ.
dicit enim, Vos soletis colligere qualis futura sit cæli
facies in crastinum: quia si vespere cælum rubet,
dicitis, Cras serenum erit, & habetis etiam signa
futuræ & propinquæ pluviæ. Vos, inquit, estis
præditi satis acuto judicio in rebus externis, quæ
conducunt ad usum præsentis vitæ: non autem co-
gnoscitis visitationis vestræ tempus, & interea signa
quæritis. atqui si essetis attenti, Deus satis clare,

& quasi digito monstraret vobis, jam instare tempus illud liberationis, quod fingitis vos expetere. Sed Propheta asperius castigat Judæos, quum dicit plus esse fatuitatis vel amentiæ in ipsis, quam sit in avibus. Dicit autem *eos non cognoscere judicium Domini*, quum tamen toties, & tam longo tempore illis fuerit ostensum. Nam poterat quispiam excipere, Non mirum est si judicium Dei non perspicimus: nam judicia ejus sunt abyssus multa. & si hæc superant mentes nostras, non est quod nobis vitio vertatur. Atqui Propheta hic disserit non de arcanis judiciis, quæ fugiunt hominum mentes, sed de pœnis, quarum toties fuerant admoniti. Quum ergo ita cæcutirent in re clara & dilucida, merito Propheta dicit magis esse insipidos, quam grues & reliquas aves, de quibus loquitur. Sequitur,

8. Quomodo dicetis, *(pro, dicitis: significat continuum actum)* Sapientes nos, *(hoc est, Nos sumus sapientes)* & Lex Jehovæ nobiscum est? *(vel, penes nos, melius)* certe ecce frustra aptavit stylum *(vel calamum)* scriptor: frustra sunt scribæ.

Hic existimant interpretes Prophetam dirigere verba ad Sacerdotes, & falsos Prophetas, & reliquos populi duces, quia scilicet sibi superbe arrogabant notitiam Legis. Sed potest hoc non minus apte extendi ad totum populum. Neque enim dubium est (quemadmodum paulo post videbimus) quin à minimo usque ad maximum jactarent omnes se satis sapere. Itaque existimo Prophetam hic contra totum populum invehi, quoniam sine exceptione omnes respuerint ejus doctrinam: quemadmodum videmus etiam hodie fieri. nam quotusquisque est, qui sustineat moneri, & reprehendi? omnes dicunt se satis sapere: O, tu existimas me esse puerum: vel, quemadmodum etiam vulgo loquimur, existimas me esse gruem: scio quomodo vivendum sit, & non destituor ratione. Ita enim rudissimi quique opponunt suam prudentiam, & ingenii acumen Deo, & Prophetis. Haud dubie talis audacia, aut ferocia etiam regnabat seculo Jeremiæ. Nam quum durius tractaret ipsos, in promptu erat illis hæc exceptio: O, tu agis hic tanquam cum bardis hominibus, quasi Lex Dei sit nobis incognita, quasi non à prima pueritia fuerimus edocti qualiter vivendum sit. nonne Deus in medio nostri habitat? Quum ergo hunc quasi clypeum opponerent Judæi Propheticæ doctrinæ, ideo vehementius hic contra illos insurgit, *Quomodo dicitis vos esse sapientes?* Postea definit qualem sapientiæ formam sibi vendicent, nempe *quod Lex Dei esset penes ipsos:* & certe hæc est perfecte sapiendi regula, attendere ad Legem Dei. Quod si hoc vere jactassent, nempe se habere Legem, Propheta non objiceret ex opposito, eos bis desipere. Sed quoniam falso hoc sumebant, ideo dicit, Quomodo? Et hic interrogat quasi de re nimis absurda: *Quomodo ita desipitis*, inquit, *ut vos putetis sapere, quasi Lex Dei sit penes vos?* Certe, si ita est, frustra scripta est Lex. Ostenditis enim tota vita, vos nunquam gustasse quid Lex Dei nobis mandet vel proponat, & quorsum etiam tendat ejus summa. Ergo ex eorum vita refellit Jeremias stolidam illam jactantiam, quod scilicet nullum signum darent suæ sapientiæ. Nam necesse est, ut qui se volunt probare discipulos Dei, proferant aliquos fructus in vita sua. Quum autem tanta apud illos esset impietas, tantus contemptus Dei: quum denique vita eorum clamaret ipsos prorsus esse insanos: dicit, *Frustra aptavit stylum*, nempe scriptor Legis, *& frustra fuerunt scribæ*, hoc est, doctores. Scribas enim secundo loco accipit pro doctoribus. Hunc locum paulo aliter expono, quam alii interpretes, nempe quia videtur subesse species ironiæ: quemadmodum vulgo apud nos dicitur, *Il faut brusler tous les livres.* Deridet igitur illam stultitiam Jeremias, quod se dicerent probe tenere qualiter vivendum esset, quia fulgeret apud ipsos doctrina Legis. Si ita est, inquit, quid est Lex Dei? Nihil certe: quum tota sua doctrina pro nihilo hoc modo ducenda esset. Nunc ergo videmus hic salse perstringi Judæos, quoniam scilicet arriperent titulum Legis, quasi umbram sine corpore, quum tamen nullam rectæ intelligentiæ guttam haberent. Postea addit,

9. Pudefacti sunt sapientes, territi sunt, & capti sunt, *(חתת significat proprie frangere, vel conterere: sed transfertur ad animum, & tunc significat terrere. dicit igitur esse territos, deinde illaqueatos: postea adjungit causam, nempe)* quia respuerunt in verbo *(sed ב est supervacuum. verbum ergo)* Jehovæ: *(reprobarunt aut repudiarunt)* & sapientia quid illis? *prodest, subaudiunt quidam interpretes: alii vertunt, & quid est in ipsis sapientiæ? ego autem aliter accipio, ut statim dicam.*

Dicit nunc *hos sapientes esse pudefactos, & attonitos, & quasi laqueis captos.* Quibus verbis significat nihil proficere Judæos sua astutia, dum sibi arrogant sapientiam, & hoc obtentu rejiciunt omnes admonitiones, & volunt sibi parci. Nihil, inquit, prodest vobis hæc sapientia. Deus enim vos deprehendet,
Jesa. 29. sicuti alibi dicitur. Ergo dicit *esse pudefactos*, non
vers. 14. quod jam tunc essent pudefacti: jam enim dixit sexto
1 Cor. 1. capite, & mox iterum repetet, fuisse ita obduratos,
vers. 19. ut non posset illis extorqueri ullus pudor. carebant
Jer. 6. igitur erubescentia. Sed hic denunciat pœnam, quæ
vers. 15. proxime instabat: quasi diceret, Nunc estis fronte
quasi ferrea, & putatis vos impune Deo & ejus

servis posse illudere. Atqui Deus vos deprehendet, inquit: & ita excutiet has larvas, sub quibus delitescitis, ut dedecus vestrum omnibus pateat. ille est sensus. Eadem ratione dicit, Securi nunc estis, sed Deus brevi incutiet tantum terroris, ut reddat prorsus attonitos. Significat ergo eos nihil facere lucri, dum ita in suis vitiis sibi placent, & magis ac magis obdurescunt: quia Deus spoliabit eos sua astutia, & terrore dejiciet, quantumvis sint nunc securi, & pervicaces. Tertio verbo modum exprimit, quia scilicet Deus habet suos laqueos, quibus illos captat. Nam alludit ad effugia, quibus confidunt hypocritæ, qui ita superbe insurgunt contra Deum, dum

putant suis artibus se posse elabi per hanc vel illam partem, & subinde excudunt aliquod novum consilium, quo possint Deum fallere. Ergo Propheta ad perversam eorum vafritiem alludens, dicit Deum fore aucupem, qui ipsos illaqueet, & teneat captos. Postea, ut dixi, rationem assignat, *quod scilicet repudiaverint*, vel aspernati sint, vel reprobaverint (nam hæc omnia significat hoc verbum) *sermonem Jehovæ*. Et utitur demonstrandi particula: Ecce, inquit, ne amplius tergiversentur, ut solebant: Res, inquit, satis nota est, & pueri ipsi possunt esse judices vestræ impietatis, quod scilicet *respueritis verbum Jehovæ*. Hinc colligit, *Quid ergo prodest illis sapientia?* vel, quæ est ipsorum sapientia? uterque sensus est probabilis, quod scilicet inutiliter sapiant, dum ita provocant iram Dei impio contemptu verbi ejus: Odi sapientem qui sibi ipse non sapit, ut dicitur veteri proverbio. Quum ergo male sibi consulerent Judæi, repudiando Dei sermonem, in quo tamen posita erat ipsorum salus: merito illis objicit Propheta, nihil illis prodesse sapientiam. Alii vertunt, Quænam est ipsorum sapientia, ubi nullus
Prov. 1:7. & 9: 10. Ps. 111. vers. 10. est timor Dei? Et certe semper illud verum manet, timorem Dei esse caput sapientiæ, & summam. Quum ergo ita turpiter contemnerent Dei verbum, merito interrogat Propheta, quænam istorum sapientia sit. Sed tertius sensus apte convenit: nempe, *Et sapientia quid ad ipsos?* sic enim legitur ad verbum. Quid ergo ad ipsos sapientia? & ironice adhuc ipsos pungit: quasi diceret, Sunt quidem sapientes, sed suo judicio: ideo non opus habent doceri. Quid ergo ad ipsos sapientia? hoc est, sic turgent suo fastu, ut nullam admittant doctrinam. quare? nam excludunt sapientiam ipsam fallaci illa persuasione qua sunt inflati. Sed tamen libera sit electio: volui ostendere quid mihi magis placeret. Cras non vacabit legere, quia habebitur Consistorium.

Da omnipotens Deus, quando non desinis nos quotidie stimulare, sicuti etiam pigritia nostra opus habet continuis admonitionibus, ne saltem simus indociles, vel ne pertinacia nostra impediat, quominus ad te statim, & alacriter redeamus, à quo fuimus nostra culpa alienati. Et non tantum moveamur studio aliquo resipiscentiæ, sed constanter ita in eo perseveremus, ut toto vitæ nostræ cursu bellum geramus cum nostris cupiditatibus, donec tandem omnibus subactis, ad metam illam perveniamus, quæ nobis proposita est, ut fruamur æterna hæreditate cælorum, quæ nobis parata est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA

IN

J E R E M I A M.

10. Propterea dabo uxores eorum alienis, & agros eorum possessoribus: quia à parvo usque ad magnum omnes cupiditatem concupiverunt: *(vel cupiditate concupiverunt)* à Propheta usque ad Sacerdotem omnes egerunt fallaciter.

Hic minatur Deus pœnam, quando videt se nihil proficere, & sibi negotium esse cum populo obstinato. nam tentaverat prius an aliqui essent sanabiles. Ubi autem videt suas exhortationes carere fructu, jam ad ultimam severitatem descendit: *Dabo*, inquit, *uxores eorum alienis*. Periphrastice designat clades, quæ solent in bellis accidere. Nihil autem acerbius, quam ubi uxor eripitur è sinu mariti. Nam si daretur optio, mallent viri statim se privari vita, quam perferre tale dedecus. Significat igitur Jeremias instare Judæis quod est devictis gentibus atrocissimum, nempe ut viri spolientur uxoribus. Postea idem adjungit de agris, ac pronunciat Deus *se daturum agros illorum possessoribus*: quo genere loquendi significat non tantum ad breve tempus ipsos privatum iri agris suis, sed in perpetuum. Subest enim tacita antithesis: quia fieri interdum solet, ut grassentur hostes, & omnia diripiant: neque tamen diu possideant agros: quia postea succedit mutatio. Ubi autem hostes vocat possessores, intelligit talem fore calamitatem ut diu, & per totam vitam exulent Judæi à patria, & careant suis possessionibus. Putabant terram ita sibi datam esse, ut non posset ullo modo eripi: & certe Dominus eos nunquam inde expulisset, nisi quia ipsam polluerant suis inquinamentis. Sed oportuit inde expelli propter scelera, quibus eam inquinaverant. Ita denunciat Propheta stultam esse ipsorum confidentiam, dum putant se æternos fore ipsius hæredes. Succedent, inquit, alii vobis, qui ipsam possideant quasi hæreditario jure. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Postea causam adjungit cur statuerit Deus tam graviter in ipsos animadvertere: *Nempe quia à minimo usque ad maximum*, inquit, *addicti sunt avaritiæ*. Significat nullam vigere æquitatem in populo: quia sub una specie complectitur omnes fraudes & rapinas, & quicquid est injustitiæ. Dicit igitur unumquemque addictum esse proprio lucro, ita ut inter se mutuas injurias exerceant absque justi & æqui respectu.

Et tandem amplificat hanc sententiam, *Quod à Propheta usque ad Sacerdotem omnes fallaciter agant*. Est etiam hic altera synecdoche. Sed variis loquendi formis exprimit Jeremias injustitiam qua se ultro citroque homines fatigant. Neque enim excludit violentiam, quum loquitur de fraude: sed perinde est acsi diceret, ipsos rectitudinis oblitos grassari per omne genus fraudis. Fuit autem hoc horribile, nihil æquitatis aut justitiæ manere in ipsis Prophetis & Sacerdotibus, qui debuerant facem aliis præferre, & viam monstrare, sicuti Deus constituerat ipsos duces. Quum ergo ipsi quoque fraudulenter agerent, oportuit in plebe ipsa quæ est instar fæcis, grassari fœdissimam injustitiam. Ergo his verbis ostendit Propheta non posse objici Deo nimium rigorem, quasi in populum suum sæviat, quoniam eo pervenerat scelerum congeries, ut non possent amplius ferri. Sequitur,

11. Et curarunt vulnus filiæ populi mei super nihilo, dicendo, Pax, pax: & nulla pax.

Repetit Propheta quod vidimus capite sexto. sed opus fuit surdis vel tardis sæpius iterare quod jam effluxerat è memoria, vel quod non tetigerat ipsorum animos. Quoniam autem hæc semel fuerunt exposita, breviter tantum perstringam capita, & summas rerum. Non dubium est quin hic accuset Sacerdotes & Prophetas. Loquutus est ante in genere de toto populo: A minimo usque ad maximum, dixerat. Sed quoniam amplificandi causa diserte expresserat Prophetas & Sacerdotes fraudibus esse deditos, ideo specialiter nunc in eos invehitur, quod non tantum ipsi Deum graviter offenderint, sed quod

quod alios etiam deceperint suis blanditiis, acsi impune liceret peccare. Hoc jam inexcusabile erat crimen, quum deberent aliis præire, ipsos tamen fuisse non minus perversos quam vulgus ipsum: sed quod non tantum exemplo, sed etiam doctrina corruperint totum populum, ita duplicarunt scelus. Fuit igitur intolerabilis hæc impietas, quod ausi fuerint fallacias obtendere, quibus populum abriperent ad contemptum Dei, & Legis. Dicit ergo *sanasse vulnus populi*, quum tamen ostenderet Deus signa iræ suæ. Et per concessionem loquitur, ut alibi dictum est: quasi diceret, fuisse præposteros medicos, qui adhibuerint emplastra ad tegendam iram Dei. *Ecce*, inquit, *sanarunt vulnus populi, dicendo, Pax, pax:* & hac duplicatione Propheta clarius demonstrat quam supina fuerit eorum securitas, quod scilicet non semel tantum deciperent, sed pergerent obstinate miseros decipere falsis illis promissionibus. Adjungit, *Quum tamen non esset pax.* Potest hoc bifariam sumi: vel quod Deus ipso eventu refutaverit ipsorum dementiam: vel quum nulla esset prosperitas, tamen ipsos fallaciter pollicitos fuisse pacem: sicut etiam alibi conqueritur Deus, blanditos fuisse Prophetas populo: & jam aliquoties exposuimus tales sententias. Tandem subjicit,

12. An pudor, (*est enim interrogative hoc legendum, sicuti capite sexto diximus. subaudienda igitur est particula An. An ergo pudefacti sunt*) quod abominationem patrarunt? etiam in pudore non pudefacti sunt: & erubescere non noverunt: propterea cadent inter cadentes, in tempore visitationis ipsorum impingent, (*vel corruent*) dicit Jehovah.

His verbis clarius adhuc exprimit Propheta prorsus esse desperatos, quia scilicet exuerint omnem verecundiam. Est autem hoc signum perditæ malitiæ, ubi nullus superest pudor. Hic etiam versus fuit
vers. 15. expositus sexto capite. sed iterum tenendum est quorsum tendat Propheta. Ergo hæc summa est, insanabilem esse malitiam populi, quia sit ferreæ frontis. Quærit ergo, *an non erubuerint, quia patrassent abominationem*: quasi diceret, Convicti sunt suorum scelerum: an tamen potest illis extorqueri aliquis pudor? Respondet, *Etiam in pudore ipso non puduit eos.* Particula גם emphatice ponitur. Ergo sic resolvi debet loqutio, quod quum Deus objiceret illis sua probra, & convictos teneret, ita ut non possent tergiversando effugere: quum ergo ita convicti essent, nullum tamen fuisse illis affectum pudoris. quanquam de actuali, ut vulgo loquuntur, convictione potest locus exponi, quia miseriis prope confecti indomita pervicacia cum Dei judicio luctati sint. *Ergo etiam in ipso pudore non fuit pudoris affectus.* Ratio additur, *Nescierunt erubescere.* Hac ergo impudentia probat Jeremias ipsos esse homines perditos. Et ideo addit, *Propterea cadent inter cadentes, & in tempore visitationis ipsorum peribunt*, corruent. His verbis intelligit non esse amplius cum ipsis disceptandum, & justam fore Dei vindictam, quum ipsos penitus delebit, quia frustra verbis ageret, frustra litigaret, frustra tentaret ipsos in viam reducere. Summa est igitur, hoc unum esse residuum, ut pereant, quia sine pudore omnem doctrinam, & omnes admonitiones rejiciant. Dicit autem, *inter cadentes*: quoniam, ut fieri solet, quisque aliis auctor erat contemptus, & obstinationis. Quum enim viderent singuli alios sibi esse similes, hinc illis spes impunitatis, & inde etiam peccandi illecebra. Dicit igitur Propheta instare simul omnibus perniciem: *Cadent inter cadentes*, inquit, *& corruent in tempore visitationis ipsorum.* Significat Deo esse jam præfixum diem, quo ipsos perdat. Si autem ad tempus differat, non esse cur existiment secum melius agi, quia cumulent sibi suæ pertinacia gravius judicium. Denique utcunque ad tempus illis Deus parcat, Propheta admonet hoc nihil profore, quoniam Deo statutum est visitationis tempus. Sequitur confirmatio:

13. Colligendo colligam, (*vel, Perdendo perdam*) dicit Jehovah: non uvæ in vite, (*vel botri*) & non ficus in ficulnea: & folium decidet: & dabo illis, transibunt. *hoc est, quæ dedero illis, transibunt ab ipsis.*

Confirmat, ut dixi, proximam sententiam. Dixerat fore stragem totius populi: eodem sensu nunc addit, *Perdendo perdam eos.* אסף significat proprie colligere: sed metaphorice capitur pro perdere, quemadmodum lingua nostra dicitur, *trousser: Je les trousseray tous ensemble.* Ex hinc melius perspicitur, Prophetam exponere quod nuper dixi, nempe instare illis omnibus cladem, ita ut nemo futurus sit superstes, totius corporis respectu scilicet: quia servavit semper Deus aliquas reliquias. Alibi vero diximus, & sæpius dicendum erit, Prophetas dum respiciunt populum ipsum, sine exceptione minari omnibus interitum: ubi autem convertunt sermonem ad electos & fideles, addere correctionem. *perdendo* igitur *perdam ipsos.* Postea modum explicat, *quod nullæ erunt uvæ in vitibus, quod nullæ erunt ficus in arboribus ipsis.* nam ficus tam pro fructu, quam pro arbore ipsa capitur, ut satis notum est. Et quo magis amplificet vindictam Dei, dicit marcida etiam fore ipsa folia. Summa est, non procul abesse Deum vindicem, quamvis securi desideant Judæi in suis sceleribus: & ostendit speciem vindictæ quæ ipsos manet, nempe quod Deus privabit eos omnibus alimentis. Nam per synecdochen designat hic quicquid ad victum pertinet. Non loquitur de vino, & frumento, & oleo: sed per ficus, & uvas, quemadmodum dixi, designat quodvis alimenti genus, ita ut folia etiam marcescant, ac decidant. Secundo loco addit, *Etiam quæ dedero illis, transibunt.* Quidam hoc restringunt ad fructus in horreis & cellis repositos: quasi diceret, etiamsi annonam habeant reconditam in suis horreis & cellis, ita ut referti sint omni opulentia, tamen hoc totum nihil illis prodesse, quia ipsis auferetur. Nam Transire sæpe ita capitur: & ם finale tantundem valet acsi esset separatum מהם, Ab ipsis. Quod quidam resolvunt, Ipsos præteribunt, לעלום, nimis est coactum. dicunt præcepta fuisse data Judæis, quæ evanuerint, vel præterfluxerint. Sed hoc non potest quadrare. Et quantum ad primam expositionem pertinet, videtur mihi nimis restricta. Ego igitur sic accipio, Etiamsi uvæ & ficus ad maturitatem perveniant, tamen ablatum iri quod putabant jam paratum esse. Ergo intelligit Propheta varios esse modos quibus ad esuriem & inopiam redigat Judæos, quia vel hostes spoliabunt eorum uvas & ficus, vel ipse sterilitatem immittet: vel etiamsi existiment sibi victum esse in promptu, non tamen dabitur frui. hæc summa est. Sequitur,

14. Ut quid nos sedemus? Congregate vos, & ingrediamur urbes munitas, (*urbes munitionis, ad verbum*) & quiescamus illic. Certe Jehovah Deus noster silere nos (*vel quiescere nos*) fecit, & potavit nos aquis venenatis, (*vel aquis fellis: nam* ראש *significat fel, & venenum*) quia impie egimus contra Jehovam.

Varie hunc versum & sequentes exponunt. sed breviter ostendam Prophetæ consilium. Mihi non dubium est, quin hic suscipiat in se personam totius populi. Repræsentat igitur his verbis Propheta quid volverent in suis mentibus, & quænam consilia caperent Judæi: deinde non dubium etiam est, quin his verbis ostendat ipsos, ut solent hypocritæ, captare effugia, quasi possent sese protegere ab ira Dei. Nam qui existimant Prophetam ex proprio sensu loqui, longe falluntur. quin potius hic refert quænam consilia agitaverint Judæi: & simul perstringit eorum duritiem, quod scilicet huc & illuc deflectendo, confiderent se posse judicium Dei avertere. nam hypocritæ nunquam nisi coacti ascendunt ad primam causam, hoc est, non agnoscunt neque reputant
Jesa. 9. manum percutientis, quemadmodum alibi dicitur.
vers. 13. sentiunt quidem mala sua, & cupiunt adhibere remedia: sed subsidunt in solatiis proximis. non student placare Deum, neque redire cum ipso in gratiam: sed ubi tantillum spei offertur, statuunt se fore salvos, si confugiant ad has vel illas latebras. Hunc affectum describit Propheta: *Ut quid sedemus*, inquit? vel, Ut quid habitamus? Verum proprie hoc loco significat desidere. *Ut quid* ergo *desidemus?* quasi seipsos damnarent ignaviæ: Quid sibi vult pigritia hæc nostra? Sedemus in pagis, qui expositi sunt violentiæ hostium. *Colligite* igitur *vos, & ingrediamur urbes munitas: nos illic quiescemus.* Putant ergo se fore incolumes, si ingressi sint urbes munitas. Postea Jeremias ex opposito ostendit quam stulte confidant talibus asylis, vel subterfugiis: *Certe*, inquit, *Deus noster silere nos fecit.* Dixerat prius, ונדמה שם, & illic quiescemus. דמה significat quiescere, significat silere: secundo loco repetit idem verbum, *Certe*, inquit, *Deus noster silere nos fecit*: sed contrario sensu. Est igitur concinna allusio vel paronomasia in verbo דמה. *Jehovah* ergo *fecit nos silere*, vel quiescere: vel excidit nos. nam in hac conjugatione significat excidere. Videmus ergo ab una parte proferri quid animis Judæi conciperent, nempe quærendas esse munitiones, quæ ipsos protegerent ab hostium impetu. Deinde Propheta ex parte Dei ostendit eos longe falli, quia Deus ipsos quiescere fecerit diverso modo, nempe quia redegit in nihilum. Quiescere enim & silere dicuntur mortui. Denique tranquillum statum significat quum loquitur in persona populi: interitum vero designat quum loquitur ex Dei mandato. Idem postea metaphorice confirmat, quod scilicet *Deus potum illis dederit aquas fellis*, aut aquas venenatas. Et adjungit, *Quia impie egimus contra Jehovam.* Colligere licet ex hoc postremo verbo, Prophetam hic obire munus suum. Populus enim nunquam sponte confessus esset se justas dare pœnas scelerum: sed Propheta hic coarguit eos, quoniam sperent se fore tutos, si confugiant ad urbes munitas. Quasi vero Deus non possit eos illuc usque persequi. Dicit igitur vindictam Dei fore affixam ipsorum tergo: & ita quocunque fugiant, ipsos fore malis omnibus obnoxios, quia secum ferent suas impietates, & ita secum trahent iram Dei. Sequitur,

15. Expectando pacem, (*vel ad pacem*) & non bonum: ad tempus sanationis, & ecce terror. *aut turbatio.*

Clarius se explicat hoc versu, nempe quod frustra se deludant Judæi, dum ita concipiunt vanas spes. Dicit igitur non esse cur amplius seipsos frustrentur, quia ubi centies sibi promiserint pacem, tamen exitium esse propinquum: ubi sperabunt tempus sanationis adesse, instare potius terrorem. Videmus ergo proximo versu non alio spectasse quam ut stultitiam populi detegeret, qui putabat se fore salvum propinquis remediis: interea autem spernebat Dei judicium. Sequitur,

16. A Dan auditus est fremitus equorum ejus, à voce hinnituum robustorum ejus tremefacta est (*vel contremuit*) tota terra: quia venient, (*nam copula hic resolvi debet in causalem particulam*) & comedent terram & plenitudinem (*vel copiam*) ejus, urbem & habitatores ejus.

Dicit *auditum esse fremitum equorum à Dan*: erat unus ex terminis terræ Chanaan, sicuti notum est. Quidam existimant magnitudinem fremitus exprimi, quia ab ipsa urbe sancta auditus sit fremitus: è longinquo scilicet. Atqui nescio an possit hoc elici ex Prophetæ verbis. Simplicior ergo & rectior sensus est, quod si Jerosolyma secura sit, tamen in ipsis terræ finibus non sint quieti, quoniam scilicet *turbantur fremitu equorum hostilium. A Dan* igitur *auditus est fremitus*: quemadmodum si in urbe aliqua cives deliciis suis vacarent, & interea hostiliter impeterentur fines terræ, posset hoc merito dici, Quid hic otio indulgetis? nam vicini vestri aut fratres jam sustinent graves insultus hostium. Bellum igitur in vestra terra gerendum est, quamvis nondum pervenerit ad portas & muros vestros. Sic etiam hic loquitur Propheta, *A Dan auditus est fremitus equorum ejus.* posset hoc relativum exponi de Assyriis: nam Hebræi sæpe relativum ponunt absque antecedente. Sed magis probabile est Jeremiam notare primum belli auctorem, nempe Deum: quasi diceret, Deus jam emittet hostiles exercitus, qui tumultum afferent finibus terræ vestræ. Equos ergo Dei vocat, quoniam bellum illud non gerebant Chaldæi, nisi sub Dei auspiciis, quemadmodum alibi visum est, & sæpius videbimus. *A voce hinnituum*, inquit, *robustorum ejus.* אבירים vocat equos robustos. Sed quia non posuerat epitheton, nunc adjungit. nisi forte magis placeat de ipsis equitibus accipere: quod non male conveniet. dicit *terram contremuisse à voce hinnituum robustorum ejus.* Sed quoniam hinnitus equorum ponit, malo de equis ipsis intelligere. Dicit, *Venient & vorabunt terram & plenitudinem, urbem & habitatores ejus.* Hic est heterosis numeri. Urbem enim ponit pro urbibus: neque enim tantum minatur Jerosolymæ, sed aliis etiam vicinis oppidis. Quicquid ergo erit *copiæ in terra, vorabunt hostes*: deinde *vorabunt & urbes & habitatores earum*, inquit. Sequitur,

17. Quia ecce ego mitto in vos serpentes, regulos, (*quidam tamen subaudiunt copulam, serpentes, & regulos*) quibus nulla erit incantatio, & mordebunt vos, dicit Jehovah.

Alia

Alia similitudine terrorem auget, quod scilicet non tantum violenter irruent hostes, sed etiam quod virulenti erunt ipsorum morsus. Loquutus fuerat de equis, & ita notaverat violentos impetus: nunc autem aliud exprimit, nempe bellum fore Judæis adversus viperas, & regulos. Dubium autem non est quin simpliciter docere velit Propheta, non posse ipsos elabi. quia sicuti à serpentibus via sibi cavent homines, præsertim ubi magna est eorum copia, & undique prosiliunt: ita significat exitiale fore Judæis hoc bellum, dum impetiti fuerint à serpentibus & viperis: *Mordebunt vos*, inquit, *& non illis incantatio*, hoc est, nullis artibus poterunt à vobis depelli. Si quis interroget, an possint serpentes incantationibus abigi: responsio est in promptu, Prophetam hic non respicere quid verum sit, sed loqui ex communi hominum sensu. Fuit autem hoc seculis omnibus receptum, serpentes posse abigi incantationibus, vel occidi, vel spoliari nocendi virtute, * Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis. Quod dixit profanus ille Poëta, etiam ab aliis gentibus fuit creditum: & quemadmodum jam dixi, fuit hæc communis opinio recepta, nempe serpentes posse incantari. Quum ergo hoc vulgo persuasum esset, Propheta dicit, Si putatis serpentes istos posse averti, & noxias quæ ab illis prodeunt, fallit vos hæc fiducia: *Neque enim erit illis incantatio.* quemadmodum etiam in Psalmo fit mentio incantationis. Sed quemadmodum jam dixi, Prophetæ accommodant verba sua ad communem hominum sensum. imo Propheta hic oblique perstringit Judæos, & comparat ipsorum fallacias incantationibus: quasi diceret, Putatis posse hostes vel blanditiis, vel aliquo pretio mulceri, ut minus vobis noceant: putatis etiam vos habere ad manum varias rationes, quibus liceat avertere quæ vobis impendent mala: Frustra, inquit, spes istæ vos decipiunt. nam omnes incantationes erunt frivolæ & nullius momenti apud istos serpentes. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, & videmus ironice sub hac figura rideri ab ipso astutias populi, & alia remedia, quæ putabat sibi fore in promptu, si hostes propius urgerent. Sequitur,

* Virgil. Ecl. 8.

Psal. 58. vers. 6.

18. Roborare meum (*vel, Quum vellem roborare me*) super dolorem: super me cor meum infirmum est.

Varie hanc vocem exponunt interpretes מַבְלִיגִיתִי. quidam מ accipiunt pro ב. Sed alii, quibus potius subscribo, putant esse notam nominis. Est quidem servilis litera: nam vox hæc descendit à radice בלג. Sed videtur præfigi hæc litera, ut indicet esse nomen. sicut ת in fine est litera servilis. Significat ergo Propheta *se quæsisse robur super dolore: sed cor suum fuisse infirmum.* Non dubium mihi est, quin hoc quoque versu in medium proferat perversos populi affectus, quod scilicet vellent sua pertinacia à se depellere omnes pœnas. Neque enim hoc potest accipi de ipso, vel ejus similibus. Nam scimus quam teneri sint Dei cultores ad ejus iram. ut enim prævalet Dei timor in ipsorum cordibus, ita etiam facile terrentur & expavescunt ad ejus judicium. Sed hypocritæ, & profani homines semper affectant obdurescere, quantum in se est. Ergo sese roborant adversus Deum, & putant se hoc modo fore victores. Quum ita contumaciter certent adversus Deum, Propheta hic in medium proponit quanta fuerit in populo durities. *Volui*, inquit, *roborare me super dolorem: atque cor meum super me infirmum est*, hoc est, frustra hæc remedia tentantur: frustra hactenus conati estis vos roborare, & quæsiistis munitiones & propugnacula adversus Deum. nam prævalebit tandem mœror ipse, quia Dominus addet plagas plagis, ut necesse sit vobis tandem succumbere. hoc significat quum dicit *cor suum fuisse infirmum super se.* Ego, inquit, oppressus fui dolore, quum tamen putarem mihi fore satis animi ad resistendum. Nam ita impii viriliter putant se agere, dum furiose resistunt Deo: sed tandem experiuntur ipso eventu, frustra se quærere tale robur: *Nam cor nostrum infirmum erit super nos*, inquit, & ipsa debilitas nos tandem opprimet, atque obruet.

Da omnipotens Deus, quando veteribus exemplis satis edocti sumus quantopere insaniant, qui non flectuntur minis tuis, neque mature, dum eos ad pœnitentiam invitas, resipiscunt, ut tibi nos totos tradamus in disciplinam: & non tantum placidis animis feramus nos castigari, sed etiam præmoniti discamus statim nos ad te convertere: & ita maneamus in obsequio tuo, ut constanter perseverando militemus sub manu tua, donec tandem nostra militia perfuncti, fruamur beata illa quiete, quæ nobis parata est per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

19. Ecce vox clamoris filiæ populi mei è terra longinqua, An Jehovah non est in Sion? an rex ejus non est in ea? Quare provocarunt me ad iram in suis sculptilibus? in vanitatibus alieni?

HOc versu Propheta suscipit diversas personas. primum cladem denunciat, quæ tametsi jam erat propinqua, non tamen metuebatur à populo: deinde repræsentat populum ipsum, & refert quæ dicturus erat: tertio adjungit responsionem Dei nomine, quæ compescat obstrepe ras illas voces populi. Quum dicit *filiam populi sui clamare*, referri hoc debet ad futurum tempus. nam Judæi adhuc pertinaciter manebant in suis sceleribus, & ridebant omnes minas, & quicquid à Prophetis dictum erat ducebant fere pro nihilo. Non intelligit ergo Jeremias populares suos clamare, acsi futuram calamitatem metuerent, (erant enim nimium securi) sed perstringit eorum socordiam: quasi diceret, Vos quidem nunc delicias vestras colitis, & putatis hanc felicitatem fore perpetuam: atqui brevi audietur clamor vester. Quum dicit, *E terra longinqua*, exponunt hoc interpretes de Chaldæis & Assyriis: quasi diceret Propheta, Ideo quietem perpetuam speratis, quia procul remoti sunt à vobis hostes. Distantia igitur, & mora profectionis parit vobis hanc securitatem, quia non videtur vobis credibile, ut hostes vestri tantum itineris faciant magnis sumptibus, & magna molestia: sed fallit vos opinio. quamvis ergo procul à vobis distent Chaldæi & Assyrii, tamen aderunt propediem, &

cogent

cogent vos ad vociferationem. non potestis nunc ferre Propheticas admonitiones, vox mea non est vobis tolerabilis: Deus autem extorquebit à vobis longe alias voces: clamabitis enim, & quidem sine profectu. Hic sensus non caret ratione: & ideo si quis ita velit accipi Prophetæ verba, non contendo. Solent enim hypocritæ fiduciam concipere ex præsenti aspectu: si vident ab omni parte omnia tranquilla, nihil periculi metuunt: quod si Deus illis minatur, & non ostendit statim sua flagella, derident aut spernunt. & aliis locis vidimus similes sententias. Sed potest etiam alter sensus non male quadrare, quod scilicet describat Jeremias lamentationes populi jam exulis, postquam abstractus erat in Chaldæam & Assyriam. *Vox ergo filiæ populi mei è terra longinqua.* nempe postquam privati fuerint patria, tunc incipient clamare: quoniam scilicet volebant sibi concedi quietem à Prophetis, & non poterant ferre ullas objurgationes. Conveniet etiam hic sensus: sed priorem magis amplector, quod scilicet populus brevi sensurus sit, quam stulte sibi fecerint delicias, quum Deus per servos suos minitaretur cladem & interitum. & ideo utitur particula demonstrativa: *Ecce vox clamoris*, inquit. & tamen magnum erat tunc silentium Jerosolymæ: tametsi enim in suis voluptatibus edebant aliquas voces, tamen quod ad fletus & lamentationes spectat, tota urbs silebat. Demonstrat igitur Propheta quod erat absconditum. Sed ita solet agere Deus: quemadmodum etiam postea judicium suum repente exequitur.
1 Thess. 5. vers. 8. nam quum dicunt impii, Pax & securitas, interitus adest, & illos subito obruit. Addit secundo loco, *An non Jehovah in Sion? an non rex ejus in ea?* Non dubium est quin hic exprimat Propheta populi querimonias, quum videret se tot ac tantis malis urgeri, & nullum sentiret auxilium è cælo. Nam hypocritæ semper cum Deo expostulant, quia scilicet non expendunt juste se castigari: rejiciunt omnem notitiam, & abigunt quantum in se est: denique accersunt sibi stuporem, ut se fallant vanis blanditiis. Quia igitur hoc solenne est hypocritis, rejicere omnem sensum iræ Dei, repræsentat ad vivum Jeremias talem contumaciam, *An non Jehovah est in Sion? an non rex ejus in ea?* nam insimulant Deum mendacii, quasi ipsos deceperit, quum pollicitus fuerit se fore & urbis & totius terræ præsidem. Quum ergo putarent Deum sibi obstrictum esse hac promissione, audacter fremebant adversus eum, Quid hoc sibi vult? Deus enim elegit sibi hunc locum, ubi eum coleret genus Abrahæ: fuit hoc quasi terrenum ejus regnum: nunc quid hoc sibi vult, quod hostes adventant? an Deus unquam permittet ipsos ita grassari? neque enim hoc fieri potest quin Deus ipse vincatur. Videmus ergo quorsum tendant Prophetæ verba. nam hic imitatur pervicaciam populi sui, & recitat verba, quibus sciebat magnam
cap. 7. partem solere uti. Nam paulo ante vidimus, Nolite
vers. 4. confidere in verbis mendacii, dicendo, Templum Domini, Templum Domini: quoniam obstinate solebant objicere Deo nomen Templi, acsi esset clypeus ad repellendas omnes noxas. Ideo nunc dicit Propheta, *An non Deus est in Sion?* deinde, *An non rex ejus in ea?* Non tantum persuasi erant Judæi Deum sibi fore propitium, sed dum oculos etiam vertebant in regem, non dubitabant se esse in tuto. Itaque jactabant has voces, acsi essent extra omnem aleam periculi, ut loquuntur. nam scimus quid pronun-
Psal. 89. ciasset Deus de regno, nempe æternum fore: Quam-
v. 37, 38. diu erunt sol & luna in cælo, manebit solium Davidis, & florebit ejus posteritas. Sic igitur adjungunt regem Deo, quasi dicerent, Hic colitur Deus, & virtus ejus in Templo habitat: deinde rex, quem nobis præfecit, certum pignus est ejus gratiæ, & perpetuitas regni nobis promissa est. sequitur ergo, aut mendacem esse Deum, & nos fuisse deceptos vanis ejus promissionibus, aut hostes frustra venturos: quia ubi omnia tentaverint, Deus qui custos est salutis nostræ, ipsos facile repellet. Primo intuitu videtur hoc specimen esse fidei, dum populus statuit se fore salvum & incolumem auxilio Dei, & oculos etiam convertit in regnum illud, quod illustre speculum erat præsentiæ Dei. Nam quum esset imago Christi David una cum suis posteris, non potuit aliud refugium quæri à fidelibus, quam quod hic describitur. Sed scimus ut hypocritæ turgeant vana confidentia, quum tamen vacui prorsus sint fide. & ita proterve insolescunt quoties Deus illis minatur, quasi eum tenerent devinctum suo arbitrio. Quum ergo ita soleant impii abuti Dei nomine, non mirum est si lingua imitentur pios Dei cultores. sed tamen nihil est simile. quare? arripiunt promissiones, sed
sine fide & pœnitentia: Hæc requies mea in secu- Psal. 132.
lum seculi: sequitur ergo nos fore semper salvos, vers. 14.
quia Deus non potest vinci ullis armis, ulla violentia hostium: quum susceperit nos in suam tutelam, quid nobis metuendum est? sed interim Deum spernunt, & totam ejus doctrinam. Videmus ergo fuisse stolidam jactantiam in populo illo, quum ita in aërem projicerent sacrum nomen Dei, & turgerent duntaxat vento, quum animi ipsorum vacui essent fide & pietate. Imo semper notandum est quod nuper dixi, non tantum scilicet frustra confisos fuisse Judæos hoc inani prætextu, sed superbe insurrexisse adversus Deum, quasi falleret datam illis fidem. promiserat enim sibi fore æternam quietem in Sion. nunc ipsum interrogant, cur non urbem tueatur, si habitat in Sion: deinde cur rex non sufficiat ad populi defensionem, quum tamen dictum esset, Quamdiu sol & luna erunt in cælo, stabit solium Davidis. Jam sequitur Dei responsio, *Cur ergo me provocarunt in suis sculptilibus, & vanitatibus alienis?* Hic retundit Deus perversas illas querimonias. Unde colligimus proximo membro descriptam fuisse à Jeremia contumaciam populi. fremebat igitur adversus Deum, quod non succurreret in tempore. Deus ostendit quam perperam illi querantur, & ipsum accusent. *Quare*, inquit, *provocarunt me?* nunc dicunt se esse derelictos, quasi nulla esset in me fides: ego eos non prodidi, neque deserui, sed ab ipsis derelictus sum. Nunc tenemus consilium Prophetæ. videmus quidem abruptum esse contextum, quia Propheta sustinet diversas personas: sed in summa rei nihil est ambiguum. dicit autem Deus *se provocatum esse in sculptilibus*: hinc sequitur Templum fuisse pollutum. Deus quidem promiserat se habitaturum in Templo, sed certa lege, nempe si pure & legitimo ritu illic coleretur. atqui populus suis inquinamentis polluerat Templum. Ostendit igitur Deus justam esse causam cur discesserit: quemadmodum hoc latius describitur apud Ezechielem cap. 10. nam in visione ostendit Deus servo suo se Templo renunciare, quia scilicet non poterat misceri ejus sanctitas impiis & fœdis profanationibus. Primum in genere nominat *sculptilia*, deinde adjungit *vanitates alienas populi*: & hic amplificat populi crimen, quod scilicet hinc inde ab exteris mutuati sint superstitiones patribus incognitas, perinde acsi vellent Deum è Templo & tota terra expellere. Sequitur,

20. Transiit messis, finita est æstas, & nos non sumus servati.

Jam sub persona totius populi ostendit Propheta, qualis impendeat conditio. Quo tempore loquutus est Jeremias, Judæi sibi Deum fore defensorem confidenter jactabant, vel non putabant Chaldæos ita

paratos

paratos fore ad expeditionem. Sed quum ita inflati essent prava confidentia, hic Propheta recitat quid paulo post sint dicturi: *Transiit messis, æstas est finita, & nos non sumus servati*, hoc est, putavimus tandem venturos nobis in auxilium esse socios, quibuscum fœdus contraximus: sed decepti sumus hac opinione. Quoniam dicunt elapsam esse messem, quidam existimant sperasse auxilium ab Ægyptiis, postquam fruges essent collectæ in horrea: tunc enim plus est otii: deinde suppetit annona, ut copiæ trajici commodius possint. sed videtur Propheta complecti totum tempus idoneum bello gerendo: quasi dicerent, Quid fiet tandem nobis? nam si volebant Ægyptii opem ferre, atendum erat tempore anni: *atque præteriit messis, & æstas est jam finita.* an nunc advenient, quum rigor hyemis domi nos continet? perinde est igitur acsi dicerent, nihil sperandum esse auxilii vel ab Ægyptiis, vel ab aliis fœderatis, quoniam omnis occasio sit elapsa. Nihil minus erat credibile tunc Judæis. nam sicut alibi visum est, non dubitabant semper obtrudere Ægyptios, & illos supponere in locum Dei: sed Propheta inane nulliusque momenti esse docet quicquid polliciti fuerant Ægyptii: tandem sensurum experientia populum fuisse meras nugas, imo imposturas, & fallacias. Denique in persona populi, quo magis emphatica sit oratio, describit quod paulo post visuri erant, & tamen tunc non poterant credere. Sequitur,

21. Super contritione filiæ populi mei contritus sum, obtenebratus sum, stupor (*nam* שמם *est stupere, & attonitum esse: stupor ergo*) apprehendit me.

Quoniam tanta erat durities in populo, ut non afficerent illos minæ quas vidimus, ideo transfert nunc Propheta in suam personam, quod nuper illis adscripsit. Videmus ergo ut Propheta varie sermonem suum flectat in multas formas: sed optima ratio est, quoniam non poterat reperire vehementiam, quæ penetraret in animos vel lapideos, vel etiam ferreos. Ne miremur ergo multiplices has figuras in Prophetæ sermone: quia necesse fuit nunc uno modo, nunc alio proponere judicium Dei, ut tandem expergefieret torpor ille in populo. dicit ergo *se esse contritum super contritione populi sui.* Non dubium est quin fuerit derisus à magna parte: O, condoleas malis tuis, nobis bene est ac prospere: quis abs te petivit hanc misericordiam? ne ergo quidquam te favoris putes apud nos posse consequi, quia contenti sumus nostra sorte: defleas potius tuas calamitates, si tibi male est domi, sed sinas nos interea frui nostris deliciis: quoniam Deus est nobis propitius, & nobis indulget. Sic ergo derisus fuit Propheta: sed interim oportuit sic commonefieri obstinatum populum, quo scilicet minus esset excusabilis. Dicit *se esse obscuratum:* quoniam tristitia nigredinem secum trahit, & facies hominum obscurat. est metaphorica loquutio. Tandem dicit *se esse attonitum.* Non dubium est quin stuporem hunc, quo erat correptus, opponat populi torpori & socordiæ, quoniam scilicet nullus sibi timebat. Sequitur,

22. An resina non est in Gilead? (*aut balsamus*) an medicus non illic est? nam cur non ascendit sanitas filiæ populi mei?

His verbis significat Propheta cladem hanc sic fore exitialem populo, ut frustra deinde remedia expectet: quasi diceret morbum esse insanabilem, & prorsus lethiferum. neque enim dubium est, quin semper populus sibi finxerit multa subsidia, quemadmodum fieri solet communiter. nam profani homines, ubi discrimen aliquod apparet, circumspiciunt in omnes partes; & si putant se posse protegi vel aliquo auxilio, vel mediis quæ sibi fabricant, securi quiescunt ac liberi omni molestia. Propheta igitur ut excutiat tales persuasiones, dicit *non fore ullam resinam*, quæ sanet morbos. Resina liquor est qui defluit non ex arboribus quibuslibet, sed ex pinu, & similibus. Potest autem colligi tam ex hoc loco, quam ex aliis similibus, optimam & pretiosissimam resinam fuisse in illa parte Judææ, nempe Gilead. Tota quidem Judæa tulit resinam: sed quoniam in Gilead major erat copia, deinde etiam magis odorifera erat resina illa, & medicamentis aptior, & efficacior, ideo locum hunc diserte exprimit. quanquam צרי accipitur ab aliis pro balsamo: & hac in re sit liberum cuique judicium, quoniam ne inter Judæos quidem ipsos satis convenit. Qui vertunt Theriacam, prorsus discedunt à sensu, & sunt ridiculi: nam scimus theriacam componi ex multis medicamentis. atqui resina fuit gummi non quodlibet, sed liquor (quemadmodum dixi) spissus, qui in arboribus hærebat: quemadmodum est nobis & resina, & masticbe, & multa alia ejus generis: sunt enim liquores densi, vel qui densantur, postquam defluxerunt ex arboribus. Dicit ergo quasi per admirationem, *An non est resina in Gilead? an non est medicus?* Sed Propheta hoc prædicit ex Spiritu, nempe cladem, quæ instabat, non posse remedio ullo vitari, & fore incurabilem. *Quare enim*, inquit, *non ascendit?* ratio additur, quod scilicet non speranda sit ulla sanitas populo: non quod jam hoc sentirent Judæi (potius enim, quemadmodum dixi, gloriabantur de certa salute) sed hic Propheta denunciat instare lethiferum morbum, qui consumat impios absque ullo auxilio. Postea sequitur,

CAP. IX.

QUis ponet caput meum aquas, & oculum meum fontem lachrymarum? & deflebo die & nocte (*hoc est, noctes & dies*) interfectos filiæ populi mei.

Prosequitur eandem sententiam. in rebus tranquillis, quum inter Judæos non audirentur nisi lætæ voces, tamen deflet quasi in maximo luctu miserias populi: neque hoc contentus, dicit, *Quis ponet*, vel, statuet, *caput meum aquam? & ex oculis meis faciet fontem lachrymarum?* His verbis significat, interitum ita fore horribilem, ut neque mediocri, neque usitato luctu possit satis defleri: quoniam scilicet vindicta Dei excedet communem modum, & plus incutiet formidinis hominibus, quam ferant aliæ calamitates. Summa est, cladem populi fore similem portento, quoniam non possit satis defleri. Hinc apparet quantopere Judæi obduruissent, quia Propheta haud dubie non fuit oblectatus talibus figuris, acsi vellet rhetorice ornare sermonem suum: sed quia videbat inflexibiles esse animos, & refelli communem loquendi modum, vel nihil habere momenti & auctoritatis, ideo coactus fuit sic transfigurare sermonem suum. Et hodie etiam non minus est socordiæ in contempto-

ribus

ribus Dei: nam quamvis fulminent Prophetæ, donec illis parcit Deus & indulget, sibi etiam ipsi promittunt æternam quietem. hinc fit, ut & Deum & servos ejus rideant, & insultent, etiamsi durius tractentur. Quum ergo hodie talis impietas in mundo non minus quam olim grassetur, hinc colligimus quanta vehementia necesse sit eos uti, quos Deus ad simile munus docendi vocat. ergo simplex doctrina frigebit semper in mundo, nisi admoveantur acres stimuli, quemadmodum videmus hic Prophetam facere. Adjungit,

2. Quis statuet me in deserto, in diversorio viatorum? (*alii tugurium vertunt: sed nescio an reperiatur* מלון *in hoc sensu*) & relinquam populum meum, & discedam ab illis: quia omnes adulteri, conventus transgressorum. *vel perfidorum: nam* בגדים *sunt perfidi, & apostatæ, ut alibi vidimus.*

Hic aliud votum concipit Propheta. prius optaverat sibi caput aqueum quod difflueret in lachrymas, & optaverat pro oculis sibi dari lachrymarum fontes: nunc autem postquam expendit populi malitiam, exuit affectum illum humanitatis, & quasi exacerbatus cupit alio migrare, & relinquere populum, quoniam scilicet impietas sic prævaluerit, ut non possit illic diutius habitare. Certum quidem est, Prophetam fuisse non vulgari dolore correptum, quum sentiret non procul abesse horribilem vindictam Dei. certum etiam est, fuisse detestatione hac commotum, & impulsum, ut cuperet alio se transferri. sed non loquitur tantum sua causa: respicit enim suos populares, & proponit in medium hos affectus, ut possit efficaciter penetrare in eorum animos. Tenendum igitur est, fuisse talem sympathiam in Propheta, ut nullis lachrymis fuerit contentus, quin cuperet totum caput diffluere in lachrymas. Certum etiam est, indignatione fuisse accensum, ut cuperet populum suum relinquere: sed quemadmodum dixi, voluit tentare an his modis reduceret aliquos in viam. Hoc igitur versu docet, tam detestabiles esse Judæos, ut merito cupiant ab ipsis remotissimi esse omnes Dei cultores. *Quis ergo ponet me in deserto?* Nunc quærit sibi dari aliam patriam: non vult habitare in loco amœno, vel offerri commodum aliquod hospitium: sed cupit *statui in deserto: in diversorio*, inquit, *viatorum*. Non loquitur de diversoriis quæ erant in pagis & urbibus, sed de *diversorio* deserti: quemadmodum videbimus ubi per sylvas longum est & molestum iter, tuguria quædam componi, si forte deprehensus fuerit viator tenebris noctis, ut possit latere, sub tecto scilicet, ne sub dio cubet. De hac ergo specie diversorii loquitur Propheta. ergo intelligit haud dubie tugurium: sed quantum ad vocem ipsam spectat, quemadmodum dixi, teneamus proprium sensum. Summa est, potiorem esse habitationem deserti inter feras belluas, quam in populo illo abominabili. Hoc voto in se accendit totius populi rabiem, vel majoris partis: sed oportuit ita vehementer insurgere, quia nullis sanis admonitionibus obtemperabant, nullis etiam consiliis: ideo pungendi erant hac vehementia, imo urgendi talibus probris. *Relinquam* igitur *populum meum.* Hoc emphatice dicitur: quia dulce est cuique natale solum, deinde dulce est habitare inter suos. Quum ergo Propheta cupit se transferri in desertum, & ita populum suum relinquere, cognatos omnes, & gentem ex qua erat oriundus, & ab ipsis deficere, hinc sequitur ventum fuisse ad extrema: & ratio etiam additur, *Quoniam omnes sint adulteri.* Metaphorice accipio vocem מנאפים, nempe quod defecerant omnes à Deo, & sese prostituerant impiis superstitionibus, vel quod ita vitiati erant & corrupti, ut nulla restaret integritas. non ergo proprie vocat adulteros, qui addicti essent scortationibus, sed qui referti essent omnibus corruptelis. Postea vocat eos *conventum defectorum*, aut perfidorum. עצר significat prohibere: inde עצרת significat conventum condictum, ubi scilicet vel jurejurando, vel legibus coguntur homines, & postquam indictus est conventus, non audent discedere. Ergo Propheta hac voce designat conspirationem, quæ erat in populo illo: quasi diceret, non minus astrictos esse suis sceleribus, quam si ritu solenni, & jure, & legibus essent vocati, ac prohibitum sit, ne quis alio discedat. Ergo videmus ut impiam conspirationem damnet in populo, & simul pertinaciam, quia scilicet non poterant ullo modo revocari. Et hac ratione etiam vocat eos בגדים, hoc est, transgressores. nam hac voce Hebræi intelligunt non quoslibet qui peccant, sed qui prorsus sunt scelerati: & ideo Prophetæ quum loquuntur de apostatis, aut defectoribus, vocant semper eos בגדים, quemadmodum hoc loco. Non progrediar ulterius.

Da omnipotens Deus, quando & scripta Prophetica extare voluisti in usum nostrum, ut nos ad pœnitentiam assidue sollicitent, & etiam excitas hodie qui nos suis exhortationibus urgeant, & trahant quasi violenter ad resipiscentiam, ne talis in nobis reperiatur obstinatio, qualem videmus fuisse in populo veteri: sed præbeamus nos tibi dociles, & sic tangamur tuis minis, ut præveniamus judicium tuum, ne tandem si indulgentia nos deceperit, experiamur horrorem, qualis nobis descriptus est à servo tuo Jeremia: sed potius sentiamus usque in finem te non modo exorabilem, sed clementissimum esse patrem, donec tandem fruamur pleniore notitia tuæ bonitatis in regno tuo cælesti, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUINTA

IN

JEREMIAM.

3. Et jaculati sunt lingua sua (*quidam vertunt, & jaculari fecerunt: alii, intenderunt linguas suas*) arcum suum ad mendacia, (*alii vertunt, arcum mendacii: sed male*) & non ad veritatem roborati sunt (*aut invaluerunt*) in terra: quia à malo ad malum egressi sunt, & me non cognoscunt, dicit Jehovah.

Confirmat Jeremias quod prius dixit de propinquo excidio populi. diximus enim risisse minas illas Judæos, quum putarent se procul abesse ab omni discrimine. Ostendit autem Propheta à natura ipsius Dei, fieri non posse quin brevi pereant: quia si Deus est judex mundi, eousque progressi sunt impietatis & scelerum, ut non sint amplius tolerabiles. hæc est summa. Primo autem loco dicit, *ipsos intendisse linguas suas tanquam arcum ad mendacia.* דרך significat ambulare, & sæpe

sæpe occurrit boc verbum: sed significat etiam tendere, & sæpe ad arcus refertur. Quoniam autem hic est in conjogatione Hipbil, ideo transitive quidam accipiunt. debebat ' apponi, sed aliis etiam locis talis mutatio reperitur: & sensus ille optime convenit, quod scilicet *linguas suas incedere fecerint*, vel quod jaculati sint linguis suis, tanquam arcu, mendacium. Diximus enim perperam alios vertere nomen שקר in genitivo casu: quasi diceret Arcum mendacii. sed nullus sensus posset elici: deinde non quadraret præsenti loco, arcus mendacii. Summa est, eos lingua sua tanquam arcu jaculatos esse mendacium, vel fecisse incedere mendacium, vel linguam suam tetendisse tanquam arcum ad mendacia. Si placeat hæc versio, nempe quod linguas suas tetenderint, confeſret Propheta linguas arcubus, mendacia autem sagittis. Quod ad rem ipsam spectat, nibil refert sive legamus jaculatos fuisse mendacia linguis suis, sive tetendisse linguas suas ad mendacia. nam simpliciter intelligit Propheta, linguas eorum fuisse acutas, quemadmodum postea dicet, ut fraudibus & fallaciis configerent alii alios: quemadmodum siquis arcum ioteodat, & emittat sagittam. Ergo significat omnes eorum sermones fuisse mortiferos, quia intenti fuerint fraudibus & imposturis, ita ut nullum esset commercium sine vulnere mortali. Postea addit, *non ad veritatem invaluisse*. alii vertunt, Invaloerunt, sed non pro veritate: alii, Neque ad veritatem, vel pro veritate invaluerunt. Sed ego existimo alium esse Propbetæ sensum, quod scilicet oppressa veritate, plus licentiæ sibi sumpserint: quasi diceret egisse suos triumphos, quum abolita esset omnis fides & rectitudo. nam sub nomine אמונה baud dubie complectitur Propheta fidem, qua inter se contrahere debent homines. Quum ergo nulla esset apud eos integritas, dicit eos grassatos fuisse quasi victores, quum pedibus calcarent omnem rectitudinem. hoc autem signum est extremæ impietatis, dum homines quidvis sibi permittunt, postquam prostraverunt fidem & æquitatem. Alii sic expoount, dominatos fuisse, sed non propter fidem, aut propter virtutes: quia scilicet obrepserant, vel penetraveraot ad honores malis artibus, & perversis. & certe Propheta stylum dirigit non contra homines gregarios, sed contra ipsos proceres, qui dominatiooem illam occupaveraot fraudibus. Sed contentus sum illo seosu quem attuli, nempe *quod invaluerint, quia nulla erat veritas*: quemadmodum si dicamus regnare cæcos in tenebris, ubi nullum est discrimen. Summa est, non tantum addictos fuisse sceleribus, sed triumphasse de fide & justitia, quum sibi quidvis licentiæ permitterent, quia scilicet nemo audebat verbum facere ad ipsos cobibendos. Dicit *in tota terra sic invaluisse*, quoniam exprimit hic deploratum statum populi: quasi diceret, nullam esse residuam spem salutis, quoniam ubique oppressa sit veritas & fides. Sequitur explicatio, quod scilicet *à malo ad malum egrediantur*, hoc est, obstinate pergant in suis maleficiis. nam Exire tantundem valet atque Transire. *Transeunt* igitur *à malo usque ad malum*, hoc est, Si crimen aliquod patrarunt, nulla pœnitentia subit eorum animos, ut retro se flectant: sed contiouant sua scelera, & mala malis accumulaot. Nunc ergo tenemus quid sibi velit Propbeta. designat enim pertinaciam in maleficiis, & simul ostendit nullum esse signum correctionis, quoniam transitum sibi faciant ab uno perverso actu ad alium similem. *Et me non cognoscunt, dicit Jehovah.* Hic fontem omnium malorum ostendit, quod scil. tejecerint omnem Dei notitiam, & sensum. Scimus enim ubi serio cognoscitur Deus, fieri non posse, qoin simul animos nostros afficiat ejus timor: & Dei cognitio semper parit reverentiam, & pietatis studium. Verum quidem est, ab impiis etiam & reprobis Deum aliquatenus cognosci: nam de ipso aliquid imaginantur. sed illa est evanida cognitio. Cæterum ubi hoc nobis persuasum est, Deum esse mundi judicem, & accedit etiam cognitio booitatis & paternæ gratiæ, fieri non potest quin illum & timeamus, & sponte ac libenter colamus. ergo ignoratio Dei est tanquam amentia quædam, quæ homines abripit ad quodvis impietatis genus. Hac ratione conqueritur Deus *se non fuisse cognitum à populo*, quia scilicet nullus fuerit ejus timor. Sequitur,

4. Et vir à socio suo cavete, (*hoc est, caveat: ad verbum, custodiat se. Caveat igitur sibi quisque à socio*) & super omni fratre (*ad verbum*) ne confidatis: (*hoc est, nemó confidat proprio fratri*) quia omnis frater supplantando supplantat, & omnis socius fraudulenter incedit.

Hoc versu describit Propbera extremam populi malitiam. Etsi enim interdum grassantur furta, latrocinia, fraudes, cædes, perjuria, veneficia: tamen aliquis manet respectus sanguinis. boc enim prodigiosum est, aboleri omnes affectus. Quum ergo etiam in hominibus perditis maneant aliquæ storgæ, ut loquuntur Philosophi: sequitur homines prorsus degenerasse à natura, & conversos esse io feras bestias, ubi talis regnat astorgia. hæc igitur summa est.
Mich. 7. Idem fere legitur 7. cap. Micheæ. quaoquam hæc
vers. 5.6. sententia fusius illic explicatur: adjungit enim Propheta, Ab ea quæ dormit io siou tuo custodias claustra oris tui. nam filius insidiatur patri, & filia captat matrem suam ad mortem: & inimici præcipui hominis, domestici ejus. Conveniuot ergo inter se duo Prophetæ, dum ostendunt nihil amplius reliquum esse humanitatis, quia filius oblitus officii sui insurgat cootra patrem, & quisque perfidus sit erga socium, & frater etiam fratri germano non parcat. *Vir ergo custodiat se.* Hic non est admonitio, quasi Propheta hortari vellet homines ad cavendum: sed simpliciter ostendit nullam posse fidem reperiri, quooiam quisque socio suo sit perfidus, & fœdifragus, & frater etiam scelerate agat contra fratrem suum. Hinc sequitur traduci Judæos quasi portenta naturæ. metito enim detestabiles sunt quicunque ita tejiciunt omnem curam proprii sanguinis, & qui abolent quantum in se est omnem humanitatis respectum. Dicit *cunctos fratres supplantando supplantare*, hoc est, versutiis fallere, & circumvenire fratres suos. Verbum hoc עקב metaphoricum est: deducitur à planta, vel à calce pedis, & significat clandestinis artibus opprimere simplices. dicit etiam *Omnes socios fraudulenter incedere.* De hac loquutione aliquid diximus
cap. 6. nam illic etiam vidimus eandem querimo- *cap. 6:28.*
niam; & tunc Propheta dicebat Judæos esse similes æri & ferro, quod scilicet prorsus obduruissent ad omnem sævitiam. Loquutio hæc frequenter occurrit, ubi conjungitur hoc nomen רכיל, cum verbo הלך: & qui linguæ sunt peritissimi, dicuot nusquam inveniri io tota Scriptura hoc nomen, quin jungatur verbo Incedere. Inde colligunt aliquid peculiare notari, quod scilicet vel veterator, vel fraudulentus circumeat, & oberret: & ut teperiat occasionem fraudandi, cursitet huc atque illuc. Hic non potest accipi pro obtrectatione, sicuti & cap. 6. diximus hoc esse
nimis frigidum. Reperitur quidem alicubi in hoc *Levit. 19.*
sensu, Levit. 19. Non incedes obtrectatot in populo *vers. 16.*
tuo: ubi alii vertunt Susurronem. Sed mihi dubium non est quin Propheta hic condemnet fraudes, & perversas astutias, quibus alii alios fallebant. nam רכל significat mercatorem: & quia sæpe accidit, ut

negotiatores nimis sint vafri, & exercitati in malis artibus, ideo רכיל Hebræi vocant hominem fraudulentum, & perverse astutum, qui prorsus ad falleodum readit. Et hoc loco videmus stare hunc sensum, quod scilicet alii alios circumveniant. dixit enim Propheta stultos esse, qui fratribus confidant, aut sociis. rationem adjungit, *quia fratres alii alios supplantant, & socii incedunt fraudulenter.* Sequitur,

5. Et vir proximo suo (*socio*) mentitur, (*hoc est, quisque. nam* איש *ponitur indefinite apud Hebræos pro nota universali. Quisque ergo proximum suum circumvenit, nempe mendacio: nam* התל *significat mentiri*) & veritatem non loquitur: docuerunt linguas suas loqui mendacium, (*hoc est, linguas suas formarunt ad mendacia*) male agere fatigati sunt. *hoc est, male agendo fatigantur.*

Prosequitur eandem sententiam Jeremias: dicit adeo periisse fidem apud Judæos, ut quisque proximum suum fallere conetur. hinc sequitur fuisse omnis pudoris oblitos: nam saltem manet aliqua verecundia in hominibus, ubi negotium est cum familiaribus amicis. quamvis enim lucro prorsus sint addicti, & mendaciis indulgeant: tamen ubi ventum est ad socios, retinent aliquam æquitatem, & pudor saltem cohibet ipsorum malitiam. ubi autem nullum est discrimen inter socios & alienos, sequitur belluinos prorsus esse mores. hoc significat Propheta: & addit *ipsos non loqui veritatem.* Nunc pronunciat mendaces esse non in uno vel altero negotio, sed dicit in tota vita esse perfidos, & fallaciter semper agere. Non debet igitur restringi hoc membrum ad certas aliquas & speciales fraudes: sed perinde est acsi diceret ipsos nescire quid sit veritas, vel quid sit bona fide agere, & loqui cum proximis: quoniam scilicet imbuti sint fallaciis, nec possit exire ulla veritas ab eorum ore. & eodem sensu dicit *ipsos docuisse linguas suas loqui mendacium.* Est major expressio in his verbis: nam intelligit esse industrios ad fallendum, quia longo usu linguas suas formaverint. Lingua debet esse character mentis, ut veteri proverbio dictum est. quorsum enim creata est lingua, nisi ut quisque cum aliis communicet? nam cogitationes sunt occultæ: prodeunt autem in medium ubi loquimur alii cum aliis. Dicit igitur Propheta inversum fuisse ab illis naturæ ordinem, *quia linguas suas docuerint mentiri.* unde etiam colligimus nullam fuisse fidei partem apud ipsos salvam, quum scil. linguæ eorum ad fallacias ita edoctæ essent. quemadmodum si quis usu aliquid didicerit, statim illud occurrit: sic ubi linguæ formatæ sunt continuo usu, & exercitatæ ad mentiendum, nihil aliud possunt quam mentiri. Postremo dicit *fatigatos esse maleficiis.* Hoc quidem est hyperbolicum, sed interea aptissime exprimit Propheta deploratum populi statum, quod scilicet exercerent se in maleficiis usque ad fatigationem. quemadmodum ubi quis stulta cupiditate aliquo rapitur, non parcit labori, & sibi multum nocet, non sentit ipsam lassitudinem quantisper est in actu, quia fervor ipsum dementat: sic etiam dicit *ipsos fatigatos esse maleficiis.* Siquis venator persequitur feram, plus subibit laboris, quam ullus opifex, vel ullus agricola. Videmus & reges ipsos, & aulicos proceres quum sunt in venatione, ita esse excæcatos, ut etiam non cernant ullum periculum, nec sentiant lassitudinem. Ita videmus homines voluptuarios, dum libido huc vel illuc ipsos rapit, non sentire ullam molestiam ex maxima fatigatione. Hac igitur similitudine dicit Propheta *fatigatos fuisse maleficiis:* quasi diceret, sic addictos fuisse, ut voluptas male agendi ipsos prorsus excæcaret, & redderet amentes. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Confirmat, quemadmodum dixi, superiorem doctrinam. Minatus enim fuerat populo ultimum interitum: omnes erant securi, & spernebant illas denunciationes. Nunc à natura & officio Dei ostendit instare illis cladem, quam non metuunt, & à qua putant se satis superque esse protectos. Nam si Deus est judex mundi, quemadmodum postea sequetur, qui fieri potest, ut conniveat usque ad finem ad tanta scelera? Et hac ratione etiam subjicit,

6. Tu habitas in medio doli: (*hoc est, inter homines dolosos: nam subaudiendum est nomen, quemadmodum sæpe alibi vidimus genitivum casum poni pro epitheto, & subaudiri nomen substantivum. Tu igitur habitas inter homines dolosos*) in dolo renuunt cognoscere me, dicit Jehovah.

Hic Propheta inducit Deum loquentem, ut intelligant Judæi sibi non esse cum homine mortali negotium. Poterant enim pro solita sua contumacia excipere, Tu quidem nos atrociter condemnas, & probrose traducis: sed quis te constituit judicem? Ne igitur existiment verba quæ hactenus protulit, esse hominis, hic Dei auctoritatem interponit: *Tu,* inquit, *habitas in medio populi dolosi.* Sed interim notandum est, hanc admonitionem Prophetæ fuisse necessariam ob duas causas. Nam quum Deus examinet mentes & corda verbo suo, necesse est verbi ministros, qui exercent hanc jurisdictionem, præditos esse prudentia, & consilio, & discretione.
Hebr. 4. vers. 12. Verbum Dei, inquit Apostolus, simile est gladio ancipiti, vel utrimque scindenti, quia penetrat usque ad corda, & mentes, & medullas ipsas. Et scimus etiam quid dicat Paulus: Siquis incredulus, inquit, veniat in cœtum vestrum, examinatur ejus conscientia: ita cogetur se prosternere, & dare gloriam Deo. Et huc refertur etiam illud Christi dictum, Spiritus quum veniet, judicabit mundum. nam Spiritus nomine designat Evangelii prædicationem. Necesse est igitur verbi ministros admonitos esse, ut probe & cum fructu munere suo fungantur, tenere fallacias, & ambiguos recessus, quibus solent homines fallere. Quoniam ergo multa sunt abscondita in cordibus hominum, qui volet efficaciter docere, necesse ut teneat, excutiendos esse intimos cordium recessus. Ideo Propheta audivit à Deo, populum cui præfectus erat, fallacem esse, & refertum dolis ac fraudibus. *Tu ergo habitas in medio populi dolosi:* quasi diceret, Tibi negotium est cum hominibus perversis, & qui non tantum scelera sua aperte produnt, sed qui etiam fallunt, ubi simulant aliquid resipiscentiæ, vel profitentur se fore Deo morigeros. Ergo ne blanditiis istis animum tuum debilitent, vel deliniant, statue tibi esse certandum cum illorum fraudibus. hæc est una ratio. Altera autem: quia sicuti necesse est servos Dei cognoscere eorum fraudes, quos jubentur coarguere, ita opus est magnitudine & constantia, ne scilicet terreat ipsos hypocrisis. Nam posset hoc venire in mentem servis Dei, Quid faciam? mihi enim occultæ sunt hominum mentes: jam doctrina debet penetrare in omnes affectus: ego autem non divino quid in unoquoque lateat. Posset igitur ita animis debilitari pii doctores, & frangi, vel prorsus concidere, nisi Deus ipsos fulciret. Hac igitur de

Marginal references: *1 Cor. 14. v. 24. 25.* (beside "mus etiam quid dicat Paulus"); *Joan. 16. vers. 8.* (beside "riam Deo. Et huc refertur")

de causa audivit Jeremias sibi versandum esse cum populo doloso & fallaci. Postea addit, *In dolo renuunt cognoscere me.* Prius conquestus fuerat Deus se non cognosci à populo: nunc autem crimen illud exaggerat, quod scilicet astute subterfugiant omnem lucem: quasi diceret eos non posse obtendere errorem, aut levitatem aliquam. *Dolo* enim *renuunt me cognoscere*, inquit Deus: hoc est, quia prorsus sibi placent in fallaciis, ideo extinguunt, quantum in se est, lucem data opera, vel consulto. Per dolum igitur intelligit illam obstinatam vafritiem, qua fiebat ut populus abjiceret omnem doctrinam. Postea sequitur,

7. Propterea sic dicit Jehovah exercituum, Ecce ego examinabo eos, (*vel conflabo: ad verbum, examinans, vel conflans*) & probabo eos. nam quomodo agerem cum filia, (*ad verbum, à facie filiæ*) populi mei?

Conclodit nunc Jeremias in Dei persona, necessariam esse castigationem de qua loquutus fuerat. Et ex hoc versu clarius perspicitur quod ante dixi, nempe ideo proferre in lucem eorum crimina, ut sciant se non posse effugere manum Dei, qui justus est vindex scelerum: quoniam ad extremum usque sua petulantia & obstinatione eum provocaverint. *Examinabo* igitur *eos*, inquit, vel conflabo, *& probabo eos.* Quoniam fallaci colore se venditabant, ideo dicit opus esse examine: quemadmodum siquis aurichalcum, vel metallum aliud ostentet pro auro, examine habitu refutabitur. Poterit alioqui impostor quilibet scoriam venditare pro argento: probetur metallum illud adulterinum, quod supponitur in locum auri & argenti, ac conjiciatur in ignem, & confletur. Quoniam ergo putabant Judæi se habere honestos prætextus, quibus suam turpitudinem obtegerent, ideo respondet Deus se tamen habere rationem qua ipsorum fraudibus occurrat: quasi diceret, Aurifex, vel aurifaber, siquis pro argento scoriam producat, vel aurichalcum pro auro, habet fornacem, examinat. *ego* igitur *vos probabo, & conflabo*, quoniam putatis mihi posse perstringi oculos falsis coloribus: hoc, inquit, nihil vobis proderit. Denique significat Deus, sibi in promptu esse rationes quibus detegat ipsorum fraudes: ita hypocrisin nihil illis profore, quoniam judicia sua sint instar fornacis. Ergo quemadmodum stipula, vel lignum, si conjicitur in fornacem, statim exuritur: ita etiam hypocritæ non ferent judicium Dei. Habebunt quidem initio aliquid splendoris, nempe donec examinet eos Deus, sed tandem necesse erit, fallacias eorum evanescere, & ipsos etiam consumi, ubi ventum fuerit ad seriam probationem. hæc est summa. Et ratio etiam additur: *Nam quomodo facerem cum filia populi mei?* Posset hoc referri ad personam Jeremiæ, sed esset sensus coactus. Non dubito igitur, quin sermonem contiuuet in persona Dei. *Quomodo igitur facerem?* hoc est, quomodo agerem *cum filia populi mei?* Hic Deus in formam deliberantis loquitur: & hoc modo gravius convincit Judæos, quia etiamsi admittat ipsos judices, aut consiliarios, non possint aliud respondere. Ergo videmus hanc interrogationem esse emphaticam, quia significat Propheta, nisi ter & quater sint stupidi Judæi, non posse amplius blandiri suis sceleribus: ut postulent se aliter tractari à Deo: quoniam toties, tam multis modis, & tam pertinaciter ejus vindictam accersiverint. Sed hinc colligimus, æquum esse, ut judicium incipiat à domo [1 Pet. 4. vers. 17.] Dei, quemadmodum alibi dicitur. Deus quidem nihil inultum præteribit. ergo profanæ gentes ad tribunal ejus tandem cogentur se sistere. Sed quia Ecclesiæ suæ propior est, ideo minus tolerabilis est impietas inter eos, qui profitentur se esse ejus domesticos. Hæc igitur ratio est, cur nominet *filiam populi sui*: quasi diceret, Ego vos elegi mihi in gentem peculiarem, & suscepi in fidem meam & præsidium: quum sitis intractabiles, quid mihi restat, nisi ut vos examinem, quando tam improbe mecum agitis? Sequitur,

8. Sagitta tracta (*ut quidam vertunt: alii, occidens*) lingua eorum, mendacium loquitur: os ejus pacem ad proximum loquetur, & in medio sui (*hoc est, intra viscera sua, intus*) ponet insidias.

Iterum Propheta de fraudibus linguarum conqueritur. Comparat autem eas sagittis mortiferis vel protractis. Aurum dicitur protractum, dum est magis subtile multiplici purgatione: ita etiam dum ad cotem acuuntur sagittæ, magis sunt penetrabiles. Ergo dicit Propheta linguas eorum esse similes sagittis vel mortiferis, vel acutis. quare? quoniam scilicet semper loquantur dolum: vel quod alii aliis obtrectent, vel quod alii alios circumveniant. Sed generalis est loquutio, & non dubito quin Propheta comprehendere velit omnes fallendi modos. Nam postea sequitur, *Ore loquuntur pacem*: hoc est, præ se fert quisque ore suo amicitiam, & verba sunt mellita: interim, inquit, *intus ponit*, hoc est, recondit *insidias*. Hic etiam aliis verbis denotat perfidiam, quoniam scil. duplici erant corde & lingua. Aliud ergo lingua ostentabant, quam in corde esset reconditum. Ideo dicit *eos ponere insidias in medio sui*, vel in cordibus suis, *dum loquuntur pacem*, hoc est, præ se ferunt fraternam benevolentiam. Tandem iterum repetit,

9. An super hoc non visitabo eos, dicit Jehovah? An in gente quæ talis est, (*quæ est sicut hæc*) non se ulciscetur anima mea?

Alibi vidimus hunc versum: ideo satis erit breviter attingere summam ipsam. Ostendit ergo Deus nisi renuociet sibi, se quodammodo necessitate compelli ad exigendas pœnas de Judæis. quare? sumit pro confesso se esse mundi judicem. Quum ita sit, secundo loco dicit Judæos esse non modo in uno genere sceleratos, sed eousque præcipites ad omne genus scelerum, ut in ipsis fatigentur. quid ergo restat? Deus non esset similis sui, neque servaret constantiam naturæ suæ, nisi pœnam exigeret de talibus: quia mutaret ingenium, nisi odio haberet gentem tam perversam. Sed loquitur humano more quum vindictæ meminit: scimus enim non cadere ullas passiones in Deum, ut alibi dictum fuit: sed quoniam execratur scelera, ideo dicitur sese ulcisci, ubi judex apparet, & castigat homines à quibus ad iram fuit provocatus.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus nostris peccatis te in nos magis ac magis provocare, ut saltem admoniti tuis minis, & vocibus Propheticis, non maneamus obstinati in malo, nec tibi pertinaciter resistamus: quin potius discamus prævenire tuum judicium, & ita admittere tuas correctiones, ut nobis vitia nostra displiceant, & simus ipsi nostri judices, quo scilicet veniam abs te consequamur, qua impetrata non dubitemus te semper invocare patrem, donec tandem colligas nos ad beatam illam hæreditatem, quæ nobis parta est Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEXTA IN

JEREMIAM.

10. Super montes tollam (*vel assumam*) fletum & lamentationem, & super pascua (*vel loca amœna. alii vertunt tuguria*) deserti planctum: quia vastata sunt, (*alii vertunt, incensa*) ita ut non sit vir transiens: & non audiunt vocem pecudum: ab ave cælorum (*hoc est, ab avibus*) usque ad bestiam migrarunt, abierunt.

Hortatus fuerat Propheta alios ad lamentationem, & querimonias: nunc prodit in medium, acsi nullæ fuissent aures quæ exciperent illam admonitionem. Quum ergo luctum in se & lamentationes suscipit, non dubium est quin stuporem populi totius oblique coarguat. Videbat spiritu Prophetico quod reliqui omnes incredibile putabant, & ideo fabulosum. Nam quamvis attritum esset eo tempore regnum Jehudah, regnum vero Israël prorsus esset collapsum: adhuc tamen stabant securi qui debuerant expectare in singulos dies, imo in singulas horas Dei vindictam. Quum ergo talis esset in populo stupor, Propheta hic ad luctum & mœrorem se accingit: *Tollam* ergo *luctum & lamentationem super montes*, inquit. Possent hæc verba exponi, Tollam luctum qui ad montes usque conscendat. Sed potius videtur notari causa luctus. nam paulo post sequitur, *Et planctum super pascua deserti*. Si non fuisset additum illud membrum, tolerabilis esset sensus ille, nempe luctum ita fore sonorum, ut penetraret usque ad montes ipsos, vel conscenderet usque ad sublimes illas partes. Cæterum, quia hæc duo simul connectit Jeremias, *Super montes, & super pascua deserti*, sensus ille multo aptior est, nempe stultam esse confidentiam populi, qui putat se habitare extra periculum, quum tamen sit in planitie. Nam hostes, inquit, nihil intactum relinquent: pervenient usque ad montes, & usque ad pascua deserti. Hinc sequitur, stultos esse qui sibi promittunt tranquillum statum in locis planis, & quo facile hostis perveniet. Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum: opponit hic suum metum & sollicitudinem, totius populi stupori: *Levabo*, inquit, *fletum & lamentationem super montes*. Alii autem securi jacebant in suis deliciis. Ostendit ergo illum illi cæcutiunt, sibi apertos esse oculos, quibus prospiciat venturam cladem, & quæ jam tunc instabat. Montes autem, & pascua deserti, opponit planis locis. Nam ubi vastatur aliqua regio, scimus tamen quæri recessum in montibus: quia hostes sibi metuunt ab insidiis, & non adeo facilis accessus patet ubi sunt angustæ viæ. Dicit ergo Propheta montes non fore extra periculum, quia in illis etiam hostis grassabitur. idem pronunciat de *pascuis deserti*. Hinc colligitur quam stolida sit confidentia eorum qui existimant se fore tranquillos, quum tamen in planitie habitent, quæ pervia est. Quantum attinet ad nomen נאות, נוה ex quo verbo deducitur hoc nomen, significat habitare. Ideo נאות accipit pro locis amœnis, vel pro pascuis. alii vertunt Tuguria. Eadem voce utitur David Psalmo vigesimo tertio, ubi gratias agit Deo, qui dignatus fuerit fungi officio pastoris. Habitare, inquit, me facit in locis amœnis. *Psal. 23. vers. 2.* Sed non dubium est, quin Propheta hic pascua designet. Quod autem vocat *pascua deserti*, scimus hoc nomen מדבר non accipi tantum pro locis vastis, & sterilibus, sed pro locis montuosis. Quamvis ergo opima essent pascua in montibus, tamen deserti nomine solent comprehendere Judæi loca illa: & ideo nulla est absurditas, quod vocat loca amœna, vel pascua deserti. Sed tenenda est illa antithesis, de qua admonui. Vult enim hic perstringere stultam confidentiam populi, qui putabat se in tuto habitare, quum tamen expositus esset hostibus, nec posset ullo obstaculo vel repellere, vel tardare impetus illorum. Dicit, *Quia vastata sunt*. Dixi jam de hoc verbo. nam potest accipi pro locis incensis: sed non quadraret. Dicit igitur *loca illa vastata esse, ut non sit qui pertranseat*. Significat non modo montes illos vacuos fore incolis, sed ita desertos ac solitarios, ut nemo illac transeat. Nullus ergo hospes illuc accedet. ergo sequitur, nullos fore incolas: à majori ad minus. Et postea dicit, *nullam vocem pecorum audiri*: quasi diceret hostes abducturos esse in prædam quicquid illic repertum fuerit. nam divitiæ montium sunt in pecoribus. Neque enim illic seritur, neque metitur: sed homines montani ex carne, ex corio, ex lacte, ex caseo conficiunt sibi victum, & quicquid opus est ad vitam tolerandam. Ubi ergo Propheta denunciat nullam fore vocem pecorum, tantundem hoc valet, acsi diceret montes illos prorsus fore vacuos: quoniam scilicet hostes abducent quicquid illic fuerit pecorum. Jam adjungit, *Ab ave cælorum usque ad terrestre animal migrabunt & discedent*. Hic videtur rursus oblique perstringere stuporem populi: quasi diceret aves sensuras esse Dei judicium, quum tamen homines prorsus jaceant socordes. eundem fore sensum in brutis animalibus. quasi diceret plus fore intelligentiæ in avibus, & brutis animalibus, quam in ipsis Judæis, qui tamen non modo creati erant ad Dei imaginem, sed fuerant illuminati in salutis doctrina. lucebat enim apud eos Dei veritas in Lege. Ergo Propheta ostendit fœdissimum esse eorum stuporem, qui torpeant quasi sensu & intelligentia privati, quum tamen aves agnoscant Dei vindictam, quum bruta animalia terreantur. Nunc videmus Prophetæ sensum. Sequitur,

11. Et ponam Jerusalem in acervos, in locum draconum: & urbes Jehudah ponam vastitatem, ut non sit habitator.

Jam descendit Propheta ad Jerosolymam, & urbes vicinas. Prius dixit cladem venturam usque ad montes & ultimos recessus: jam adjungit, *Ponam Jerusalem in acervos*. Hoc fuit incredibile, quoniam urbs valde munita erat, deinde referta incolis, & poterat hinc inde accersere præsidia: adhæc scimus tunc Judæis fuisse fœdus cum regno Ægypti. Fuit igitur hæc denunciatio valde aspera Judæis. Sed quamvis adhuc putarent se stare incolumes, Propheta posuit illis ante oculos ultimam cladem. Duxerunt quidem hoc pro fabula: sed nimis sero experti sunt, nihil proficere Dei contemptores, ubi se obdurant adversus ejus minas. De hac sententia alibi iterum videbimus, & ideo nunc levius prætereo. Dicit postea *fore in locum draconum*: quasi diceret locum illum non fore amplius habitabilem. Idem pronunciat de urbibus

Jebu-

Jehudah, *quod scilicet futuræ sint omnes in vastitatem.* Hinc videmus quanta magnitudine & constantia animi præditus fuerit Jeremias, qui ausus fuerit in media urbe ita concionari, & sese opponere tam Regi quam ejus Consiliariis, & toti populo, qui volebat se blanditiis mulceri: & assuefacti etiam erant ad falsos Prophetas. Quum ergo Jeremias ita ausus est tanquam cælestis præco denunciare illis horrendam cladem, hinc colligimus fuisse instructum virtute Dei, nec humanitus loquutum esse: quia nisi prævaluisset Dei gratia, centies haud dubie fuisset fractus, neque ausus fuisset vel minimum verbum proferre. Hæc invicta fortitudo obsignat ejus doctrinam: quia hinc certo colligimus, à Deo profectam fuisse, ubi tam admirabilis efficacia Spiritus sancti apparuit. Addit postea,

12. Quis vir prudens ut intelligat hoc? (*ad verbum, & intelligens*) & ad quem loquutum est os Jehovæ, ut annunciet quare perierit terra, vastata sit instar deserti, ut nemo transeat? מבלי עבר, *absque transeunte, ad verbum.*

Hic Propheta asperius invebitur in socordiam populi, quoniam scilicet nemo erat qui attenderet ad Dei judicia: & quum palam extarent, nemo erat qui expenderet. Interrogatio enim ex admiratione nascitur, quia hoc fuit quasi horribile portentum, tam paucos esse in populo qui sentirent Deum fore vindicem scelerum, quæ omnibus erant conspicua. Si fuisset in illis gutta sanæ intelligentiæ, nonne oportuit ipsos statuere, brevi instare horrendam cladem, quum tot modis non desinerent provocare Deum? Jam quum Propheta clamando debuisset omnes afficere: quod labor ejus caruerit profectu, nonne hoc fuit duplex portentum? Consumpserat enim multum temporis: nunquam destiterat vociferari: & tamen omnes surdi erant, imo ludibrio erat ejus doctrina. Hinc igitur admiratio, quum dicit, *Quis vir prudens?* nam ostendit vix centesimum quemque esse, quem moveat Dei timor. Ergo hoc notandum est, Prophetam conqueri de eorum paucitate, qui sentirent, fieri non posse quin Deus brevi exereret manum suam ad ulciscenda scelera, quæ passim tunc regnabant. Sed interea hortatur omnes electos, & filios Dei, ut contempta multitudine, animos nihilominus colligant, & pluris faciant sermonem Dei quam omnium contumaciam. Hæc igitur duo sunt membra hujus sententiæ. Nam interrogatio significat, nullos fere posse inveniri in populo, qui recte sapiant, & qui adjiciant animos & studia ad considerandum miserum populi statum. Sed ex opposito etiam ostendit hanc esse veram prudentiam, ne despondeant animos pii Dei cultores, & rapiantur post turbam. Ostendit igitur eos demum recte sapere, qui considerant Dei judicia antequam palam ea proferat, & exerat. Similis fere sententia legitur
Ps. 107. vers. 43. Psalmo 107. Nam postquam illic disseruit Propheta de judiciis Dei, quæ in toto circuitu orbis possumus considerare, exclamat, Quis sapiens, ut hæc intelligat? quasi diceret, posse quidem in singulis mundi partibus considerari opera Dei, quæ & bonitatem ejus, & judicium testentur: sed omnes cæcutire. Propheta igitur illa exclamatione detestatur socordiam hominum, qui ita prætereunt Dei judicia, quæ tamen versantur illis ob oculos. Sic etiam hoc loco, *Quis sapiens?* Sed notandum est illud secundum, quod attigi. nempe animari omnes electos, dum Propheta docet hanc demum esse sapiendi regulam, ubi oculos aperimus ad Dei judicia, quæ mundo sunt abscondita: & quum alii rapiuntur post suas cupiditates, vel sunt demersi in suo stupore, ubi expendimus quæ Dominus profert in verbo suo, quemadmodum jam dixi, Propheta docet hoc esse sapere. Unde sequitur, desipere omnes sapientes hujus mundi, qui sese obdurant, ne cernant in verbo Dei quod nondum oculis ipsorum apertum est. *Quis ergo sapiens, & intelliget hæc?* Postea adjungit, *& ad quem loquutum est os Jehovæ, ut annunciet hoc?* Conqueritur hic nullos esse Prophetas. Dixit initio versus nullos sapere, quoniam omnes secure contemnant & minas Dei, & judicia: nunc secundo loco addit, nullos esse qui expergefaciant socordem populum, & ita indormientem suis malis. Cæterum, hac sententia sibi auctoritatem vendicat: quia etsi carebat sociis, & adjutoribus, significat tamen suam doctrinam non ideo minoris debere fieri: Esto, inquit, (nam per concessionem loquitur) esto, nullus est Propheta qui populum revocet à sceleribus, qui hortetur ad pœnitentiam, qui terreat impios: quicquid sit, tamen Dominus præfecit me & docendo populo, & hortando. Videmus ergo Prophetam sibi asserere plenam & solidam auctoritatem, etiamsi solus denunciet vindictam Dei. Multi quidem tunc jactabant nomen Propheticum: sed erant meri & perversi adulatores. Quum Prophete videret multos titulo abuti, & nullum fideliter & sincere defungi suo munere, ideo se omnibus illis opposuit: quasi diceret, Satis sit, quod Dominus hoc mihi mandavit. ego igitur denuncio vobis cladem, quam secure exspectatis, quia vos perversis suis adulationibus decipiunt falsi doctores. *Qui annunciet*, inquit, *quare terra perierit, vastata sit instar deserti, ut non sit habitator?* Possumus hoc referre ad duo tempora. Nam quum loquebatur Jeremias, adhuc stabat regnum; & quemadmodum jam dixi, nondum eo redacti erant Judæi, ut sese humiliarent coram Deo. adhuc ergo placebant sibi in suis vitiis. Unde autem tanta indulgentia, nisi ea prospero rerum successu? & tamen Propheta dicit *terram perisse:* & merito: quia non æstimat ex præsenti aspectu statum populi, sed ex judicio, quod spiritu Prophetico impendere videt. Possumus autem longius hoc extendere, nempe acsi dixisset Jeremias, Quum Deus populum sic afflixerit, ut possit esse quasi visibile spectaculum iræ cælestis: tamen nulli tunc erunt Prophetæ, qui admoneant unde hæc mala profecta sint: sicuti videmus quum Urbs fuit partim exusta, partim excisa, Templum dirutum, fuisse tantum contumaciæ in populo, ut essent lapidea corda, & ferreæ mentes. Fuit igitur prodigiosa durities in illa clade. Clamabant quidem omnes ad mala: sed nemo erat qui sentiret Deum exequutum esse quod per totos annos denunciaverat. nam diximus quam longo tempore Jeremias exercuerit munus docendi. Sed antequam inciperet, jam defatigatus fuerat Jesaias: ante Jesaiam Micheas fuerat vaticinatus. Tamen quum per centum continuos annos quotidie renovatæ essent minæ, & terrores inculcari, nemo tamen erat qui attenderet. Potest igitur hic locus ita exponi, Ubi effectu apparuerit non irritas fuisse minas, tunc quoque stupidum fore populum, quoniam nemo attendet, neque considerabit Dei judicium. Sentient quidem omnes malum, sed nemo respiciet ad manum percutientis, quemadmodum alibi diximus. Uterque *Jesa. 9.*
sensus probabilis est. Sed meo judicio, Propheta hic *vers. 13.*
deplorat præsentem populi duritiem & contumaciam: quasi diceret, nullos esse qui ultro considerent judicia Dei, & nullum esse Prophetam qui torpidos excitet. Interim, sicuti jam dictum fuit, hoc modo ostendit sibi esse satis auctoritatis, quamvis nemo accedat socius, vel adjutor: quia electus sit à Deo, & missus ad hanc legationem ferendam. Sequitur,

13. Et dixit Jehovah, Quia dereliquerunt Legem meam, quam posui coram ipsis, (*ad faciem ipsorum, ad verbum*) & non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea: (*hoc est, secundum ipsam*)

14. Et ambulaverunt post cogitationes (*vel post contumaciam: nam utroque modo vertunt hoc nomen. Post cogitationes ergo*) cordis sui, & post Baalim, quos docuerunt patres ipsorum:

15. Propterea sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël, Ecce ego cibans (*cibabo*) populum hunc amaritudine, & potabo aquis veneni. (*vel venenatis: alii vertunt, aquis fellis. nam* ראש *utrumque significat.*

Confirmat nunc Jeremias quod dixit, & plenius explicat, nempe etiamsi nemo sit in terra vel doctor, vel discipulus, tamen satis esse in solo Dei verbo efficaciæ, & non pendere judicium ab hominum vel arbitrio vel sensu. Postquam ergo conquestus est omnes desipere, & nullos esse Prophetas qui securitatem hanc & socordiam corrigant, adjungit, *Sic dicit Jehovah.* Opponit hic Deum reliquis hominibus, imo tam Regi & ejus Consiliariis, quam vulgo. *Quis ergo sapiens?* quasi circumspiceret: nemo est qui consideret: postea manet suspensus: & nemo est Propheta, qui expergefaciat consuetum stuporem: adhuc manet suspensus: postea sese convertit ad Deum, *Atqui dixit Jehovah*, hoc est, Esto, sunt similes brutis pecudibus, qui sibi arrogant multum sapientiæ: tamen Deus loquitur, & acquiescendum est. Sileamus ergo nos, neque obstrepamus: utcunque nemo subscribat, nemo suffragetur loquenti Deo, in sola ejus voce satis est auctoritatis & effectus. Nunc ergo melius tenemus Prophetæ consilium. nam ubi dixit omnes homines esse stupidos, & nullum esse Prophetam: nunc ex opposito ostendit Deum tamen non tacere, neque dormire. *Dicit ergo Jehovah, Quia populus hic dereliquit Legem meam.* Causam omnium malorum ostendit esse defectionem à Lege Dei. Hoc nemo sponte confessus esset: & muti etiam erant omnes Prophetæ: sed Jeremias hic dicit quærendam esse causam à Deo cur tam graviter populum affligat. Sumit autem pro confesso quod verissimum est, Deum non frustra electo populo irasci. hinc ergo sequitur, fuisse apostatas, & Legem dereliquisse, in quos tam graviter ulciscitur Deus. Ergo utcunque nemo causam malorum percipiat, nemo ostendat: Deus ipse audiri debet, nempe *quod dereliquissent Legem suam.* Deinde adjungit, *quam posui coram facie ipsorum.* Hic prætextum erroris illis excutit. poterant enim excipere, Legis doctrinam fuisse obscuram, & se fuisse inscitia deceptos. Propheta antevertit, dicens, *Legem fuisse positam coram ipsis*, hoc est, fuisse satis superque edoctos quid rectum esset, quid placeret Deo: itaque frustra nunc & mendaciter prætexere inscitiam, quoniam sponte erraverint: quod scilicet clauserint oculos ad lucem conspicuam. Hoc ergo intelligit quum dicit *Legem fuisse positam coram facie ipsorum.* Et hoc sæpius repetit Moses, Ecce posui coram te: ne scilicet populus sibi accerseret vanas excusationes ex errore, quemadmodum solet fieri. Cæterum, quanquam tenenda est illa circumstantia, hinc tamen colligitur doctrina generalis, Legem Dei non esse ita obscuram, quin ex ea discere liceat quid rectum sit. Ergo simulatque profertur in medium Moses, & accedunt interpretes Prophetæ, non est cur tergiversemur, vel causemur, doctrinam illam nimis esse occultam vel profundam. Lex enim ponitur nobis coram facie, ut patefiat nobis Dei voluntas. Quisquis ergo potest legere, & audire quod Deus per Mosen & Prophetas semel mundo prodidit, ille est inexcusabilis: quia hic locus cum similibus docet, meram esse pervicaciam in omnibus, qui Legem audierunt, nisi obediant. *Posui igitur illam coram ipsis*, inquit: *& non audierunt vocem meam, & non ambulaverunt in ea.* Definit quid sit non audire vocem suam. Fingunt enim etiam hypocritæ se audire, & annuunt etiam auribus quemadmodum asini: sed quia non obsequuntur loquenti Deo, hinc patet eos surdos esse. Dicit ergo *eos non ambulasse in voce sua*, hoc est, non obedivisse voci suæ. Hinc colligit fuisse surdos, quia vita testari oportuit ipsos audiisse vocem Dei loquentis. Postea addit, *Et ambulaverunt post duritiem*, aut contumaciam *cordis sui*, aut post cogitationes. Opponit cogitationes cordis, vel duritiem, voci Dei: quemadmodum aliis locis etiam videmus statui quasi contraria, nempe quicquid concipiunt hominum mentes, & quod Deus verbo suo rectum esse demonstrat. Est enim non minus repugnantiæ inter regulam bene vivendi, & inter cogitationes hominum, quam inter ignem & aquam. Sciamus igitur non aliter posse rite vitam nostram componi, quam ubi renunciamus nostris cogitationibus, & simpliciter nos addicimus voci Dei. Nam simulatque vel minimum tribuimus nostris cogitationibus, necesse est nos deflectere à recta via, quam Deus nobis verbo suo demonstrat. Hæc igitur antithesis diligenter notanda est inter Legem Dei, & cogitationes hominum, vel contumaciam. Et postea clarius designat in quo peccaverint, nempe *quod ambulaverint post Baalim.* Non addit Propheta quidquam novum: sed sub hac specie ostendit quomodo sequuti sint Judæi suas cogitationes, quia scilicet dediti fuerint impiis superstitionibus. Quid enim occurret hominibus, ubi relicto Dei verbo, sibi permittunt sequi proprium sensum? Error, superstitio, imo abyssus omnium errorum. Denique Propheta hoc membro voluit ansam præcidere omnibus subterfugiis, quia poterant tergiversari Judæi, quemadmodum sophistice hypocritæ agunt cum Deo: O, quid nobis objicis nostras cogitationes? ubi sunt illæ cogitationes? *Baalim*, inquit: hoc est, quum vobis finxeritis idola præter unum Deum, hinc satis constat, vos sequutos esse, relicto Dei verbo, proprias cogitationes. Addit *Baalim, sicut.* Nam אשר relativum accipitur pro כ: *sicut*, quemadmodum, *docuerunt eos patres ipsorum.* Hanc particulam differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando non tantum Lege tua & Prophetis testatus es quid rectum esset, ut vitam nostram componeremus ad obsequium justitiæ tuæ: sed nobis plenius in Evangelio patefecisti quænam esset perfecta justitia: da, inquam, ut Spiritu tuo gubernante, nos totos tibi tradamus, & ita acquiescamus in simplici verbo tuo, ne deflectamus ad dextram vel sinistram, sed tibi permittamus uni sapere, & nos stultitiæ damnantes ac vanitatis, sinamus nos verbo tuo doceri, ita ut etiam effectu comprobemus nos vere tibi morigeros, donec tandem completo hujus vitæ cursu, perveniamus ad cælestem illam quietem, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

Deut. 11. vers. 32. & alibi.

PRÆ-

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEPTIMA

IN J. E R E M I A M.

HEri exposuimus quod dicebat Propheta, Judæos etiamsi nemini eorum veniret in mentem cur tam severe illos affligeret Deus, non posse tamen elabi hoc modo, & frustra obtendere instar clypei, errorem, quia sæpius pronunciaverat Deus se abominari eorum superstitiones. Ergo quamvis excæcati essent omnes, deinde nemo Propheta ostenderet malorum causam: dicebat tamen Jeremias hoc unum sufficere, quod Deus loquutus esset, & pergeret etiam apud ipsos loqui. dicebat non fuisse morigeros imperio Dei, sed *profectos fuisse post duritiem cordis sui, & post Baalim.* Adjungit, *Ita edoctos fuisse à patribus.* qua particula exaggerat gravitatem criminis: quia scilicet non incipiant nunc primum peccare, sed obstinati sunt in suis vitiis. Licet autem colligere ex hoc loco, quam stulte glorientur nunc Papistæ in imitatione patrum. putant enim exempla sibi sufficere pro lege: imo non dubitant opponere Dei auctoritati quod factum est ab hominibus. Sed videmus non modo frivolam esse hanc excusationem, sed crimen duplicari, quoniam scilicet magis excusabilis esset inscitia unius anni, vel exigui temporis, quam ubi accedit obstinatio. & filii abominationes acceptas è manu patrum, postquam amplexi sunt, tradunt etiam vicissim suis posteris. Tandem concludit Deum fore vindicem: sed metaphorice loquitur, quod scilicet *cibabit eos Deus amaritudine.* לענה vertunt Absinthium: sed quoniam est salubris herba, malo transferre Amaritudinem: & nusquam fere in bonam partem legitur, ideoque non potest quadrare naturæ absinthii similitudo, qua subinde utuntur & Moses, & reliqui Prophetæ. Ego igitur malo vertere generaliter Amaritudinem. Postea addit, *Potabo eos aquis venenatis:* quasi diceret Deus se horribilem vindictam sumpturum, ita ut appareat etiam in cibo & potu, quæ tamen illustria sunt testimonia paternæ ejus erga nos benevolentiæ. nam buccellam panis non possumus edere, nec bibere aquæ guttam, quin affulgeat nobis Dei bonitas, & cura, quam gerit de salute nostra. & ideo gravissima illa imprecatio in Psalmo ponitur, Vertatur mensa eorum in offendiculum: & David etiam dum vult exprimere quasi barbaram sævitiam in hostibus suis, conqueritur sibi datum esse loco potus fel. & videbimus etiam postea quid dicat Jeremias: nam accusans hostes suos, dicit conspirasse in suam mortem, Ponamus lignum in panem ejus. His ergo verbis exprimere vult Jeremias horribilem Dei vindictam, quia scilicet non tantum orbabit Judæos suis beneficiis, sed convertet illis panem in venenum, & aquam amaritudine corrumpet. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: & simul notandum est hoc epitheton quo Deum insignit, vocans *Deum Israelis:* quia semper Judæos fallebat stulta illa gloriatio, quum obtenderent se esse progenitos ex Abraham, & proinde sanctum illius genus, & electum à Deo. Ergo ut retundat Propheta tales jactantias, dicit hunc Deum qui loquitur, esse Deum cujus falso nomen prætexunt, & eundem esse qui sibi elegit filios Abrahæ in populum peculiarem. Sequitur,

Deut. 29. vers. 18. & 32:32. Hab. 2. vers. 15.

Psal 69. v. 22, 23.

Jere. 11. vers. 19.

16. Et dispergam eos inter gentes, quas non noverunt ipsi, neque patres eorum; & mittam post eos gladium, donec consumpsero ipsos.

Quoniam dixerat sequutos fuisse Judæos quod acceperant à patribus, ideo nunc dicit *Deum illos dispersurum inter gentes, quæ fuerant prius incognitæ tam ipsis, quam patribus eorum.* Alludit ergo ad illam perversam traditionem. nam patres imbuerant filios suos impiis erroribus, & abduxerant à Deo, ut esset nimis familiaris doctrina. Ergo antithesis notanda est inter cognitionem illam qua patres inebriarunt filios suos, & inter ignorantiam linguæ gentium. deinde quia dixerat profectos fuisse post duritiem cordis sui, & post Baalim, dicit, *Ego mittam gladium post eos.* Videmus ergo in utroque membro Prophetam alludere ad defectionem de qua disseruit. & adjungit, *Donec consumpsero eos*, ne scilicet sibi promittant castigationem fore temporalem, & modicam. Denunciat igitur Jeremias, quoniam nimis abusi fuerant Dei tolerantia, instare illis interitum, & Deum finem cladibus non facturum donec eos in totum perdiderit. Sequitur,

17. Sic dicit Jehovah exercituum, Attendite, & vocate lamentatrices, ut veniant; & ad peritas mittite, ut veniant:

18. Et festinent, & tollant super nos luctum, & descendant oculi nostri in lachrymas, (*alii vertunt, descendant cum lachrymis, vel emittant lachrymas*) & palpebræ nostræ defluant in aquas.

Hoc etiam loco Propheta, ut aliis pluribus, per hypotyposin conatur serio afficere suos gentiles, quia videbat tam esse præfractos, vel socordes, vel securos. Quum ergo minæ Dei aut spernerentur in totum, aut saltem parum efficaciter moverent animos populi, ideo necesse fuit ipsos adduci quasi in rem præsentem. Ad vivum ergo depingit Propheta quod solet accidere in luctu. quanquam videtur oblique perstringere Judæos, eo quod in verbo Dei non agnoscerent cladem quæ instabat: siquidem verbum Dei instar speculi esse debet, in quo perspiciant homines tam ejus bonitatem in promissionibus, quam judicium in minis. Quum ergo prophetiæ omnes essent quasi lusoriæ apud populum, ideo non sine specie subsannationis usus est hac descriptione: *Attendite*, inquit, *& vocate lamentatrices.* nam omnibus fere seculis regnavit mos ille perversus, & stultus, ut conducerent præficas: sic enim vocabant, quæ exprimerent fletum omnibus. Nec dubium est, quin hæredes ut pietatem fictam ostentarent vulgo, mercede conduxerint ineptas illas fœminas, quæ de laudibus hominis mortui concionarentur; deinde ostenderent quantum jacturæ factum esset in illius morte. Propheta non laudat morem illum. & hoc nobis cognitum esse debet, Scripturas sæpe sumere ex vitiis populi, quasi ex fæce, similitudines. Si quis ergo vellet ex verbis Jeremiæ colligere lamentationes non esse vitiosas, ubi ducitur aliquod funus, hoc esset ineptum & puerile. quin potius hic Propheta mordet Judæos,

quod scilicet præterirent secure omnes Dei minas, ac interea molles essent & teneri ad nescio quas nugas, conspecto præficarum luctu omnes sequerentur: quemadmodum si bodie quispiam fidelis doctor exprobret Papistis stultitiam quæ inter ipsos regnat. nam quum rabulæ illi, qui occupant suggestus in Papatu, flebiliter loquuntur, etiamsi non proferant syllabam ullam ex verbo Dei, & simul etiam adjungunt inane aliquod spectaculum, vel potius spectrum, nempe si proferant imaginem crucifixi, aut simile aliquid, vulgi affectus rapiunt ut fletum extorqueant: quemadmodum solent histriones in theatris oculos afficere. Ergo quoniam Papistæ rapiuntur quasi vesano impetu, ubi ita gesticulantur eorum rabulæ, si quis fidelis doctor dicat, Jam veniat quispiam, qui vobis proponat ante oculos vel effigiem mortui hominis, & dicat vos omnes brevi peritoros, & similes futuros cadaveri quod demonstrat, tunc flebitis: nunc non vultis sentire quam horribile sit Dei judicium, quod vobis denuncio. ego fideliter ex Lege, ex Prophetis, ex Euangelio doceo, quam formidabilis sit Dei vindicta, & simul profero in medium quid sitis meriti: nemo autem ex vobis movetur, sed ludibrio est vobis hæc doctrina una cum objurgationibus & minis. ergo ite ad vestros Prophetas, qui vobis ostendant picturas, & nugas similes. Ita nunc Propheta, Video nihil me proficere: ergo Dominus dabit vobis non doctores, sed mulieres magistras. quales? nempe, inquit, *lamentatrices*, vel præficas, quæ locant operam suam lugendo. Nunc ergo tenemus cur de præficis loquatur Propheta. *Attendite*, inquit. quorsum? debuerant quidem esse attenti, vel intelligentes: (nam בין significat intelligere proprie, & in conjugatione Hithpael accipitur pro Considerate) debuerant igitur adjicere animos ad ejus verba: sed quoniam videbat se rideri, aut contemni, & duci pro fabula omnes minas, quarum tamen Deus erat auctor, nunc *Considerate* inquit, *& vocate vestras lamentatrices.* Quia video tantam in vobis pervicaciam, saltem præbete vos dociles mulieribus, quæ solent vocari ad lugendum, & quæ lachrymas suas habent venales. *Mittite*, inquit, *ad peritas, & veniant: festinent.* Hoc verbo clarius exprimere voluit non procul abesse cladem, quæ tamen non metuebatur à populo. *Tollant*, inquit, *super nos luctum, & oculi nostri descendant in lachrymas, & palpebræ nostræ defluant in aquas.* Sunt hyperbolicæ loquutiones, quæ tamen non excedunt gravitatem vindictæ: quoniam non frustra initio capitis dixit, Quis ponet caput meum aquas, & oculos meos fontem lachrymarum? Quoniam ergo nullis verbis poterat exprimi cladis atrocitas, ideo coactus fuit Propheta interponere has hyperbolas. Ergo *tollant*, inquit, *super nos luctum, ut oculi nostri descendant in lachrymas:* quoniam siccis oculis videbat se audiri, & populum negligere quicquid denunciatum fuerat, quum tamen omnes deberant percelli à minimo usque ad maximum. Quum ergo videret Propheta talem & tam brutum contemptum, ideo dicit, Quum venient lamentatrices, tunc erit lugendi tempus. non quidem opportunum: sed perinde est acsi diceret, tunc sensuros Judæos, quam fuissent socordes, quod non matura attenti fuissent ad considerandum Dei judicium. Sequitur,

19. Quia vox luctus audita est ex Sion, Quomodo perditi (*aut vastati*) sumus, pudefacti valde? quia dereliquimus terram, quia projecerunt habitacula nostra. *quidam subaudiunt, projecerunt nos.*

Diximus ante, quum his verbis populum alloquebatur Jeremias, adhuc fuisse mediocrem statum: ut Rex suis opibus confideret, Consiliarii etiam putarent sibi venturum subsidium aliquod ex Ægypto, populus quoque deliciaretur. Sed Propheta concionatur de rebus futuris, acsi jam digito ostenderet mala quæ adhuc abscondita erant. nec vero potuit aliter docere cum aliqua auctoritate: erat enim negotium cum mentibus ferreis. Quoniam ergo videbat doctrinam omnem frigere, & fere nullius esse pretii apud homines tam ignavos, ideo necesse habuit stylum ita formare, ut sensus omnes afficeret. Hac ratione dicit *vocem esse auditam, vocem luctus è Sion*, ubi tamen adhuc omnes exultabant lætitia. Postea adjungit, *Quomodo sumus perditi, & pudefacti valde?* hoc putarunt esse fabulosum Judæi, donec experti sunt se fuisse nimis duros & obstinatos. sed hoc sero contigit. interea quamvis tunc vacarent suis voluptatibus, suggerit tamen illis lamentationes, acsi jam essent perditi. Dicit ergo *vocem fuisse auditam*, acsi Judæi ipsi deflerent suam cladem, de qua tamen putabant Prophetam nugari, quia nondum apparuerat certum discrimen. Sed quemadmodum jam dixi, ut perfringat duritiem cordium, induit eos alia persona, quod scilicet jam defleant se esse perditos. dicunt, *Dereliquimus terram*, in qua tamen putabant sibi fore perpetuum nidum: sic enim habitabant in terra, ut jactarent se nunquam posse inde excludi, quoniam pronunciatum fuerat, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo, quia elegi eam. *Ps. 132. vers. 14.* Quoniam ergo Deus testatus fuerat quietem fore illud domicilium populo suo, putabant se triplici muro & fossa esse probe munitos, & urbem suam esse prorsus inexpugnabilem. Atqui inducit eos loquentes Jeremias quod jam dereliquerint terram suam, hoc est, quod in exilium vel tracti fuerint, vel expulsi. Postea addit, *Quia projecerunt.* hoc videtur referri ad hostes, quod projecerint, id est, prostraverint eorum domos. alii, quemadmodum nuper dixi, subaudiunt, Ejecerunt nos, & habitacula nostra: sed prior ille sensus melius fluit: & ideo simpliciter accipio, quod dejectæ fuerint & prostratæ domus manibus hostium. Sequitur,

20. Itaque audite mulieres sermonem Jehovæ, & percipiant aures vestræ sermonem oris ejus, & docete filias vestras luctum, & unaquæque (*mulier, ad verbum*) sociam (*vel propinquam*) suam planctum.

21. Quia ascendit mors in fenestras nostras, intravit in palatia nostra, ad excidendum infantem è platea, (*è via publica*) electos (*hoc est, adolescentes, etiam in flore ætatis, & vigore*) in compitis.

Prosequitur eandem sententiam, sed alia figura. deflectit igitur paululum verba, quia prius jusserat conduci præficas, quæ fictis lachrymis omnes provocarent ad fletum: nunc autem compellat omnes mulieres in genere: quasi diceret, talem fore luctum, cui non possint sufficere conductitiæ lamentationes, quia clades occupabit omnium animos: deinde serium, non mercenarium fore luctum. *Audite*, inquit, *mulieres.* Cur potius mulieres compellet, possunt duæ causæ afferri, quia scilicet mollities quæ est in fœminis, facilius eas dedocit ad luctum: deinde potest etiam tacita esse exprobratio, quod viri surdi sint,

sint, & ità obdurati ut nullæ minæ ipsos terreant. sed prior ratio videtur melius quadrare, modo simul teneamus serium luctum fictioni opponi. Ergo Jeremias à specie ad genus transit, hoc est, postquam loquutus est de præficis, nunc complectitur omnes mulieres, quia luctus grassabitur per omnes urbes, deinde per singulas domos. *Audite ergo mulieres verbum Jehovæ*: repetit, *& aures vestræ sermonem oris ejus*. In secundo membro ponit *Os Dei* ab una parte, & *aures mulierum* ab altera. videtur quidem esse non tantum pleonasmos, sed supervacua repetitio. Si dixisset tantum, Audiant aures vestræ sermonem oris, jam erat pleonasmos in hac loquendi forma. sed prius simpliciter loquutus est de sermone Dei, *Et audite*: nunc adjungit, *Os Dei, & aures mulierum*, ut diximus. Sed minime dubium est, quin Propheta perstringere velit duritiem illam, de qua jam aliquoties dictum fuit. Sermo Dei nullius fere momenti erat. ergo adjungit *Os Dei*, acsi diceret, Deus quasi ore ad os vobiscum loquitur: tametsi enim utitur mea opere, ego tamen ita sum organum ipsius, ut facile vobis constet me nihil temere proferre, sed fideliter tradere quæ ab ipso accepi. Videmus ergo emphaticam esse hanc repetitionem, quæ posset videri primo intuitu supervacua: ubi scilicet Propheta diserte exprimit *Os Dei, & sermonem ejus*. & eadem etiam emphasis notanda est in *auribus mulierum*: quasi diceret fuisse hactenus nimium socordes, & tempus jam esse ut tandem arrigere aures incipiant. Adjungit, *Docete etiam filias vestras*: quasi diceret talem fore luctum, qui involvat non tantum vetulas, aut mediæ ætatis fœminas, sed etiam puellas, quæ adhuc rudes sunt & ignaræ. *Et unaquæque*, inquit, *proximam suam doceat planctum*. Denique summa est, nullas vel mulieres, vel puellas immunes fore à fletu, quoniam omnes implicitæ erunt communi dolore: ex quo scilicet pervenerit judicium Dei ad omnes ætates, & sexus, & ordines, deinde penetraverit etiam in singulas domos. Et postea adjungit explicandi causa: *Quoniam ascendit mors in fenestras nostras*, inquit. Hic etiam species est subsannationis. nam Judæi, ut dictum est, fallaciter sibi promiserant æternam impunitatem, & iden Propheta hic aptissimam similitudinem usurpat. Quemadmodum enim secure dormiunt qui clausis foribus videntur sibi esse extra omnem incursum, ita etiam Judæi tunc spernebant Deum, & omnia ejus judicia, acsi clausæ essent ipsorum domus. Dicit igitur Propheta, *mortem ingressam esse per fenestras*: & ita deridet eorum stultitiam, quod scilicet confidant posse expelli manum Dei, ubi clausæ sunt januæ: quasi vero Dei potentia non conscendat supra nubes, & non possit ingredi per fenestras, ubi clausæ sunt domus. denique significat non aperiendas esse fores Deo, quia etiamsi nolit eas perfringere, possit tamen consurgere statim ad ipsas fenestras. Tenemus nunc consilium Prophetæ, ubi dicit *mortem per fenestras fuisse ingressam*. & eodem etiam pertinet quod addit de *planctu*: quasi diceret, Etiam si domus vestræ munitæ sint, & si non tantum sint commodæ habitationes, sed sint similes arcibus, tamen Deus non ideo poterit excludi. nam manus ejus potest & latitudinem & altitudinem murorum penetrare, ita ut palatium simile sit debili & caduco tugurio. Videmus ergo sub hac similitudine refelli stultam confidentiam, qua se Judæi deceperant, & in qua adhuc erant inebriati. *Mors ergo ascendit in fenestras*. Postea addit, *Ad excidendum parvulum*, vel ad excidendos parvulos, *è viis publicis, & adolescentes è compitis*. His etiam verbis cladis atrocitatem designat, quod scilicet non poterunt se tueri adolescentes robore suo. nam per בחורים significat robustissimos quosque. Non poterunt igitur illi hostium impetum repellere: & quamvis adhuc sint in flore ætatis, tamen vigor quo excellunt, eos non proteget: nec parcetur etiam pueris & infantibus. Videmus hic duo exprimi à Propheta: nempe tam violentos fore hostium impetus, ut frustra occurrere conentur adolescentes, quia nihil proderit ipsis suus vigor: deinde tantam fore sævitiam, ut nulla habeatur ratio ætatis, quia trahentur ad mortem etiam teneri fœtus. Sequitur,

Psal. 132. vers. 14

22. Loquere, Sic dicit Jehovah, Cadet cadaver hominis, tanquam stercus in superficie agri, & tanquam manipulus à tergo messoris, & nemo colligens.

Tametsi continuat sermonem Jeremias, tamen inserit præfationem, quod scilicet jussus fuerit hoc etiam proferre, quia pro rei difficultate, incredibile erat vaticinium. Poterat igitur uno tenore prosequi, & omittere has particulas דבר כה נאם יהוה, & incipere versum, *Cadet cadaver hominis*. sed quemadmodum jam dixi, videbat à majori parte vaticinium hoc pro nihilo duci, quasi esset fabula: ideo necesse fuit interponere has particulas, quod scilicet prodeat in medium, instructus mandato Dei: ubi simul ostendit se nihil ingerere proprium, sed Deum ipsum loqui. Tenemus ergo quorsum spectet hæc interpositio paucorum verborum. Postea dicit *prostratum iri cadavera hominum instar stercoris*. Ignominiose loquitur: quasi diceret, sine honore omnes iri prostratum ab hostibus. Et addit similitudinem: *Cadent*, inquit, *in superficie agri*, hoc est, passim per omnes agros: *cadent tanquam stercus*, quod projicitur, & quod etiam fere nauseam provocat vel aspectu, vel odore: ita Propheta fœtorem hic, & simul deformem aspectum denotat sub similitudine stercoris. scimus autem quanta superbia inflati tunc fuerint Judæi. Fuit igitur hæc comminatio illis valde dura: sed quoniam sibi placebant in suis sceleribus, oportuit eo asperius tractari. sic enim agendum est cum hypocritis, qui sibi delicias faciunt: & quo majore fiducia insurgunt adversus Deum, eo etiam violentius dejicere ipsos oportet, ut tandem se humilient coram potenti manu Dei. Addit alterem similitudinem: *Quasi manipulus*, inquit. Hieronymus vertit, Fœnum: quod si alibi reperiretur in hoc sensu עמיר, facile subscriberem, & libenter. Sed potius existimo accipi pro spicis, quæ non comprehenduntur, dum messores colligunt suos manipulos. non relinquunt quidem integros manipulos, neque projiciunt: sed fiet interdum incuria, ut paucæ spicæ ipsos fugiant. Ergo Propheta dicit Judæos fore similes talibus spicis, quas messores prætereunt, & relinquunt à tergo, & postea nemo est qui colligat. spicæ autem illæ quæ sic manent in agro, vel putrescunt sponte, vel à pecudibus & bestiis vorentur. Significat ergo nihil residuum fore in populo, quia omnes à minimo usque ad maximum exitio sunt devoti. Hæc summa est: & simul exprimit contemptum, quia etiamsi messores non colligunt quicquid natum est in agro, sunt tamen pauperes, qui spicas hinc inde corradunt. ubi autem spica pedibus calcatur, & nemo est qui colligat, hoc signum est contemptus: & id voluit etiam dicere Propheta. Jam sequitur,

23. Sic dicit Jehovah, Ne glorietur sapiens in sapientia sua, & ne glorietur fortis in fortitudine sua: ne glorietur dives in divitiis suis.

24. Sed

24. Sed in hoc glorietur qui gloriatur, cognoscendo & sciendo me, quod ego sum Jehovah faciens misericordiam, (*clementiam*) judicium, & justitiam in terra: quia in his complacuit mihi, dicit Jehovah.

Locus hic insignis est, & etiam volitat frequenter in ore hominum, ut aliæ celebres sententiæ, quæ tanquam proverbiales magis notæ sunt. sed interea pauci expendunt quomodo hæc sententia cum superiori doctrina cohæreat. Ergo multi, quasi esset abruptus sermo, & quasi Propheta aliquid novum dicere inciperet, contenti sunt simplici expositione, & subsistunt in his verbis. Sic autem pervertunt Prophetæ mentem, vel saltem multum diminuunt ex efficacia doctrinæ. Nam Propheta haud dubie respicit ad proximum contextum: videbat enim, ut jam sæpius dixi, se verba facere apud surdos, quoniam sic intumuerant Judæi perversa confidentia, ut Dei sermo apud ipsos vilescerer. Quoniam ergo alii ob divitias suas turgebant, alii autem putabant se magis esse perspicaces, quam ut possent deprehendi ullo unquam modo: alii autem putabant se munitos esse divitiis & opibus, ut facile depellerent omne incommodum: quoniam talis superbia occupaverat fere omnium animos, ideo Propheta hic ut confirmet suam doctrinam, pronunciat stulte gloriari homines, dum vel divitias suas, vel robur suum, vel sapientiam Deo opponunt, quoniam hæc omnia evanescant instar fumi. Nunc ergo tenemus cur Propheta hic vetet ullos alibi gloriari, quam in solo Deo: & quomodo sententia hæc non debeat abrupte legi, sed conteai cum doctrina illa, in qua denunciaverat Judæis exitium: quod tamen non metuebatur, quia scilicet turgebant stulta illa & impia opinione, sibi esse satis superque præsidii vel in fortitudine sua, vel in divitiis, vel in sapientia. Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando ante oculos nobis ponis quot malis & sceleribus provocaverimus in capita nostra iram tuam, & simul tamen spem veniæ nobis facis, si resipiscamus: da igitur spiritum docilitatis, ut qua decet mansuetudine excipiamus tuas minas, & sic illis terreamur, ne tamen desperemus de misericordia quæ nobis exposita est, sed eam quæramus in Filio tuo: & sicuti semel te placavit effuso suo sanguine, ita etiam per Spiritum tuum nos purges ab omnibus nostris inquinamentis, donec tandem sistamur coram facie tua immaculati die illo, quo Christus apparebit in salutem omnium suorum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA OCTAVA IN JEREMIAM.

COEpimus heri exponere quid sibi velit Propheta, ubi vetat homines gloriari *vel in sapientia, vel in fortitudine, vel in divitiis.* summa est, plurimum falli quicunque existimant se beatos, quum tamen remoti sint à Deo. sed causam simul notavimus cur loquatur de sapientia, & fortitudine, & divitiis: nempe quia hoc vitium fere ingenitum est cunctis mortalibus, ut superbiant in sua excellentia. Quicquid putamus pretio aliquo dignum, debuerat acceptum ferri Deo: jam si donum Dei est, quicquid præstantiæ habemus, hoc valde præposterum est, quod non discimus modestiam, quum Deus nos ita sibi obstringat: sed potius ejus liberalitate abutimur ad superbiam. hæc tamen ingratitudo semper in mundo regnavit. Itaque hæc ratio est, cur Propheta hic in nihilum redigat omnes mundi glorias. nam quum inter Judæos alii essent divites, alii autem pollerent & prudentia & rerum usu, alii autem divitiis referti essent, ita fiebat ut nullius apud ipsos pretii esset cælestis doctrina. Quum ergo alii suas divitias opponerent, ne accederet ad ipsos Deus, alii autem suam prudentiam, alii suam virtutem & alias opes: Propheta hic denunciat fumum esse quicquid gloriæ sibi assumunt ex illis temporalibus Dei beneficiis. Hoc igitur residuum erat, ut Judæi sentirent, nihil sibi prodesse fiducias omnes adversus Dei judicium. Sed hinc etiam colligitur generalis doctrina. & Paulus haud dubie primæ ad Corinth. cap. 1. ad hunc locum respexit: docet illic Deum eligere quæ stulta sunt in mundo, ut ita pudefaciat mundi sapientiam; & eligere quæ sunt infirma, ut robur mundi evertat: adjungit, Ut glorietur in Deo solo quisquis gloriatur.
1 Cor. 1. vers. 31. Non dubium est, quin sumpserit hoc à Propheta: & tamen non tantum illic de externo corporis robore, aut divitiis, aut civili prudentia loquitur, sed simul complectitur justitiam, & quicquid videtur pretiosum, & dignum honore apud homines. vult ergo exinanire omnem carnis gloriam, ut sola Dei misericordia emineat. Ideo dixi, quamvis tres duntaxat species designet Propheta, posse tamen hinc commode elici generalem doctrinam. quod enim dicitur tam de sapientia, quam de fortitudine, & divitiis, ad falsam justitiæ opinionem qua turgent hypocritæ, referri potest, ac debet etiam. Nunc expendamus singula verba: *Sic dicit Jehovah, Ne glorietur*, inquit, *sapiens.* per concessionem loquitur dum sapientes vocat, qui tamen vacui erant Dei timore, quod tamen scimus esse sapientiæ princi- Psal. 111. vers. 10.
pium: sed Propheta ex communi sensu & æstima- Prov. 1. vers. 7.
tione loquitur. dicit, *Ne glorietur in sapientia sua* qui videtur sibi sapere. sic enim resolvi debent verba. deinde, *Sed qui gloriatur*, inquit, *in hoc glorietur, cognoscendo & sciendo me.* Ex secundo versu apparet non ita spoliari homines omni gloria, ut in suo dedecore jaceant, sed ut induantur meliore gloria. neque enim Deum oblectat hominum ignominia. Sed quoniam sibi plus arrogant quam utile est, imo sese inebriant fallacibus blanditiis: ideo cavit ipsos ut quærant veram gloriam, postquam agnoverint esse merum figmentum quicquid se existimant habere vel à natura, vel à seipsis, aut aliis creaturis. Postea addit, *Intelligendo & sciendo me.* Quanquam duobus verbis idem significat Propheta, non tamen frustra duo hæc verba eodem sensu posuit: quia quum vilipendant homines Dei cognitionem, oportuit illos moneri, hanc esse summam perfectæ sapientiæ, ubi Deus cognoscitur. Voluit igitur corrigere perversum illum errorem, quo totus fere mundus laborat: quia dum singuli intenti sunt ad diversa studia, negligitur interea Dei cognitio. Videmus quo fervore rapiatur quisque post suos affectus, interea vix centesimus quisque dignatur dimidiam horam impendere singulis diebus Dei cognitioni. & accedit etiam ex superbia alterum vitium, quod putant rem esse vulgarem, Deum cognoscere. Tenemus ergo cur Propheta duobus verbis usus fuerit ad rem unam designandam, nempe ut hominum studia magis excitaret, quoniam videbat omnes fere torpere in hac parte, quæ tamen totam vitam merito sibi vendicat: imo si centum vitæ nobis suppeterent, hoc tamen unum agere sufficeret. atqui ut

dictum

dictum fuit, contemnitur res quæ omnibus aliis præferenda erat. Postea adjungit, *Quod ego sim Jehovah faciens judicium.* Se *Jehovam* nominans, excludit haud dubie omnia figmenta, quæ tunc Judæos abstraxerant. terra enim corrupta erat multis superstitionibus: ita obscurum erat veri Dei nomen. Profitebantur quidem omnes se colere Deum Abrahæ, & qui Legem suam tradiderat per manum Mosis: sed quum multi errores permixti essent veræ doctrinæ, ita Deus suum gradum non tenebat. vult igitur Deus ita se cognosci, ut solus excellat, & sit quasi in conspectu. Sed explicatio quæ sequitur, diligenter notanda est: si enim hoc tantum dixisset, Glorietur quisquis gloriari vult, in cognitione mei, quod ego sim Jehovah, fuisset quidem plena doctrina: sed non satis perspicua, vel facilis. suspensæ enim fuissent hominum mentes: O, quid hoc sibi vult? vel quorsum tendit, quod Deus tanti æstimat sui cognitionem? deinde putassent omnes satis esse, si faterentur unicum esse Deum. Ergo Deus hic revocat Judæos ad sensum suæ divinitatis, ut serio intelligant ipsum esse Deum, nec inane illi nomen duntaxat tribuant. Ideo dixi diligenter notanda esse hæc verba, *quod Deus faciat misericordiam, & judicium, & justitiam.* Videmus hodie in Papatu jactari temere Dei nomen: nemo est qui non plenis buccis pronunciet se colere unum Deum, sed interea profanant Dei nomen, quia scilicet postea quasi spolia Dei inter mortuos partiuntur. Docet igitur hic locus, nomen Dei per se nullius fore momenti, si nudatur sua virtute. Ergo hæc vera est Dei cognitio, ubi non tantum agnoscimus ipsum esse mundi opificem, sed simul persuasi sumus, mundum ab ipso gubernari: deinde rationem quoque gubernationis tenemus, *quod faciat misericordiam, & judicium, & justitiam.* Hoc autem primum est in Deo, nempe ut beneficus & liberalis agnoscatur: quid enim nobis fieret sine Dei clementia? Itaque vera & recta Dei cognitio ab hoc capite incipit, dum scilicet ipsum sentimus erga nos misericordem. nam quid nobis proderit cognoscere Deum justum, nisi præcedat ejus clementia, & gratuita bonitas? non possumus Deum cognoscere, nisi nobis cognitis: hæc enim duo inter se sunt connexa. Jam si quis seipsum excutiat, quid reperiet nisi materiam desperationis? ita quoties veniet nobis in memoriam Deus, horrebimus, & quodammodo absorbebit nos desperatio: denique fugient omnes Deum, nisi dulcedo gratiæ ejus ipsos alliciat. quare? jam dixi nostram miseriam nihil nobis afferre nisi materiam horroris. Ergo non frustra Jeremias, quum jubet homines gloriari in Dei cognitione, statuit in primo & altissimo gradu misericordiam ejus, postea adjungit *judicium & justitiam.* Quum hæc duo simul junguntur, designant perfectam gubernationem, quod scilicet Deus tuetur suos fideles, auxiliatur miseris, & liberat injuste oppressos: deinde quod compescit improbos, & non patitur grassari pro libidine adversus insontes. Hæc igitur Scriptura passim significat per voces Judicii & Justitiæ. Justitia Dei non accipitur, ut vulgo nos loquimur: & improprie loquuntur qui justitiam Dei opponunt misericordiæ. unde proverbium vulgare, Provoco à justitia ad misericordiam. Scriptura aliter loquitur: justitiam enim accipit pro fideli custodia Dei, qua suos tuetur & conservat: judicium autem, pro rigore, quem exercet contra Legis suæ transgressores. Sed, sicuti jam dixi, judicium & justitia simul & conjunctim sumuntur pro legitima gubernatione, qua Deus ita temperat res in mundo, ut nihil sit nisi rectum & justum. Et hinc melius confirmatur quod prius dixi, nempe non tantum in genere ipsum loqui, sed velle etiam mederi vitiis, quæ tunc obstabant, quominus reverenter exciperent Judæi tam promissiones, quam minas: falsa enim gloria omnes inebriabat, quum alius divitias suas putaret sibi esse instar invictæ munitionis, alius sapientiam, alius fortitudinem. Quum ergo ita inani fastu pleni Deum spernerent, & cælestem ejus doctrinam: oportuit hoc totum cogi in ordinem, imo exinaniri prorsus, ut discerent non alibi gloriandum esse quam in cognitione Dei. Jam cognitio quæ hic ponitur, duos fructus ex se parit, nempe fidem & timorem: nam si persuasi sumus penes Deum esse propitiationem, ut dicitur Psalmo 130. tunc in ipsum recumbimus, & non dubitamus ad ipsum confugere, & reponere in ejus manu salutem nostram. hoc unum est. Deinde, fides simul adducit timorem, ut illic dicitur, Propitiatio est apud te, ut timearis. Sed utrumque membrum hic distincte Propheta notat. Nam ubi Deus vult cognosci misericors, haud dubie invitat nos ad fidem, ut tranquillo animo invocetur, & non dubitemus ipsum nobis esse propitium, quia non respicit quales simus, ut rependat quod sumus meriti: sed indulgenter nobiscum agit pro sua clementia. Quum dicit *se facere judicium & justitiam*, hæc duo debent animos nostros ad timorem ejus & reverentiam formare & flectere. Quanquam ubi pronunciat Deus se facere justitiam, simul nobis suppeditat materiam fiduciæ. hoc enim modo promittit se fore salutis nostræ custodem. Nam, ut dixi, justitia ejus non est rependere cuique justam mercedem: sed latius extenditur, quandoquidem accipitur pro fide. Quoniam ergo Deus nunquam suos deserit, sed in tempore ipsis auxiliatur, & sese opponit improbis, hac in parte vocatur justus. Hinc ergo possumus etiam tutius & quietiore animo in ipsum recumbere, dum scimus talem esse ejus justitiam, ut nunquam nos destituat suo auxilio, quoties opus est. Postea addit, *Quoniam in his complacuit mihi, dicit Jehovah.* Hoc refertur ad homines: quasi diceret Deus se odio habere eos omnes qui præterita notitia justitiæ & misericordiæ ejus, & judicii, ferociunt, & sese efferunt vana spe vel propter divitias, vel propter sapientiam, vel propter fortitudinem: quemadmodum dicitur Psalmo 147. Non placet Deo fortitudo equi, neque delectatur cruribus viri: quasi diceret, Abominatur Deus fiduciam, qua sese temere extollunt homines, dum existimant vitam suam & salutem sibi esse in manu propria. Sic etiam hoc loco subest antithesis inter cognitionem clementiæ, justitiæ Dei, & judicii, & inter sapientiam, fortitudinem, & divitias, & stultam gloriationem, qua inflati sunt homines, ubi suam beatitudinem in seipsis quærunt. Nunc etiam clare perspicimus quod ante dixi, nempe non tantum damnari his verbis jactantiam humanæ virtutis, & gloriam sapientiæ, vel opum, sed homines exui prorsus omni fiducia, quam in seipsis reponunt, vel petunt à mundo, ut sola Dei cognitio ipsis ad perfectam beatitudinem sufficiat. Nam Propheta satis aperte demonstrat omnes homines extra Deum esse miseros. hinc sequitur, non alibi quam in ipso esse felices. Modus nunc addendus est: quomodo felices sumus in Deo? nempe si ipsum cognoscimus erga nos misericordem: deinde si tradimus nos in ejus custodiam & fidem, & sinimus nos ab ipso gubernari, & subjicimus nos etiam Legi ipsius, quoniam metuimus ejus judicium. Posset quidem hic locus longe uberius tractari: sed mihi sufficit complecti summas rerum, more meo. Nunc sequitur,

Psal. 130. vers. 4.

Psal. 147. vers. 10.

25. Ecce dies veniunt, dicit Jehovah, ut visitem *(ad verbum, & visitabo)* super omnem circumcisum in præputio:

26. Super

26. Super Ægyptium, & super Jehudah, (*vel super Ægyptum: tam de terra quam de hominibus potest accipi*) & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab, & super omnes finitos in angulo, (*alii vertunt, attonsos comam: sed nulla ratio apparet*) habitantes in deserto: quia omnes Gentes incircumcisæ, (*vel præputiatæ*) & tota domus Israël præputiati sunt corde. *vel incircumcisi.*

Postquam sustulit Propheta obstaculum illud, quod videbat esse io Judæis quominus reverenter eaciperent Dei doctrinam, jam severius insurgit, & fungitur officio præconis in denuncianda vindicta quæ instabat. *Ecce*, inquit, *venient dies quibus visitabo super omnes circumcisos in præputio.* Duos sensus admitit hic locus. quidam interpretes distincte accipiunt has duas voces מול, hoc est, incircumcisum, deinde בערלה, in præputio: quasi dixisset Jeremias, Visitabo tam super Judæos, qui sunt circumcisi, quam super gentes profanas, quæ gestant præputium suum. Alii conjunctim legunt, quod scilicet Deus minetur vindictam Judæis & Gentibus, quia sint circumcisi, sed simul retineant præputium. Potest tamen commode ita expooi locus, quoniam mixtura erat quæ corrumperet sanctitatem Circumcisionis, & faceret similem præputio Gentium: acsi dictum esset, *Visitabo circumcisum in præputio*, hoc est, mixtim, & sine discrimine: quemadmodum dicimus lingua nostra, *pesle mesle.* Nam paulo post sequitur, *Omnes esse incircumcisos corde*, Judæos ipsos dico. Videmus ergo ut Propheta permisceat Circumcisioni præputium, non quod vellet sacrum illud symbolum adoptionis profanare: sed respicit ad Judæos, qui, ut erant degeneres, ita adulteraverant fœdus Dei, & simul violaverant Circumcisionem, ut nihil differret à præputio. Ego igitur sic eaistimo, Judæos ita recenseri cum Gentibus, ut tameo tribuat etiam illis præputium. *Visitabo* igitur *omnem circumcisum in præputio*, hoc est, cujus circumcisio inanis est, & manet præputio similis. Quicquid sit, Propheta hic denunciat cladem non Judæis tantum, sed etiam Ægyptiis, & vicinis aliis gentibus: sed respicit tamen populum suum, quia Ægyptiis non fuit destinatus hic sermo, neque Idumæis, vel Moabitis. Sed quoniam solebant Judæi ad Ægyptios se conferre, si quod discrimen instabat ab Assyriis & Chaldæis, ideo Propheta hic adjungit Ægyptios Judæis: eadem etiam est ratio aliarum gentium. Scimus quidem Idumæos, & Moabitas fuisse infensissimos hostes Judæis: sed ut erat diversa temporum conditio, ita nunc hostes, nunc amici erant: & quum viderent nimis late dominari Chaldæos, videbant etiam se expositos esse in prædam: hinc fiebat ut libenter se adjungerent Judæis. Quum ergo hinc inde Judæi sperarent vicinos sibi fore auxilio, ideo Propheta dicit *instare omnibus visitationem* Et hinc etiam confirmatur quod dixi. Non enim distinguit Judæos ab Ægyptiis, & aliis gentibus, sed potius quemadmodum contraxerant inter se fœdus, ita vult eos conflare in unum corpus. *Visitabo* igitur *super circumcisum*, inquit, *in præputio.* Judæi enim non tenebant, Deum esse salutis suæ præsidem, & se fuisse segregatos ab aliis gentibus. Ideo vocat eos circumcisos in præputio, quoniam Ægyptii, & Idumæi, & Ammonitæ, & Moabitæ erant circumcisi propter fœdus quod contraxerant cum Judæis: & Judæi ipsi erant præputiati, quum relicto Deo sese ita prostituissent. Verum quidem est, Idumæos fuisse circumcisos, quia erant posteri Esau: & haud dubie retinuerant symbolum illud externum: sed circumcisio illa prorsus ludibrium erat, quum Esau descivisset ab Ecclesia Dei. Circumcisio autem electi populi per se efficax erat: sed quoniam illi pariter ad superstitiones prolapsi erant, similes erant Præputio: quemadmodum etiam Paulus dicit pro nihilo ducendam esse literam Circumcisionis, hoc est, externam speciem. Videmus ergo subesse non vulgarem gratiam in his verbis Prophetæ, quum ultionem denunciat tam Judæis quam Ægyptiis: & simul vocat Circumcisos in præputio, quoniam alii attulerant Præputium, alii Circumcisionem, & ita permiscuerant sacris profana, ut tamen nihil esset sincerum, vel integrum. Et ideo subjicit, *Super Ægyptum, & super Jehudah, & super Edom, & super filios Ammon, & super Moab.* diximus cur omnes hos populos enumeravit; quia scilicet alii ab aliis sperabant certam opem, ita ut omnes simul Deum spernerent. Postea addit, *Et super omnes finitos in angulo.* nam קץ significat finem. Ergo קצוצים accipiunt hic pro extremis, pro his qui sunt in extremitate. פאה autem significat angulum, & finem: Angulatos in angulo possemus vertere, si ita ferret linguæ proprietas. Sed sensus minime ambiguus est, nempe etiamsi Moabitæ, & alii haberent absconditos recessus, tameo noo fore immunes à plaga. Perveniet igitur, inquit Jeremias, etiam ad ultimos ipsorum angulos in quibus se tuto habitare putaot, Dei vindicta. Et quod sequitur exegetice accipi debet, *Super incolas deserti*, vel super eos qui habitant in deserto. Ostendit ergo quid iotellexerit per קצוצי פאה. Nam quum incolerent loca magis remota, putabant se eo esse tutiores, & protegi suis latibulis: deridet hanc confidentiam Propheta, & dicit simul ad pœnam eos trahendos esse. Jam addit, *Quia omnes Gentes incircumcisi sunt, & tota domus Israël sunt incircumcisi corde.* Quum dicit *omnes Gentes esse præputiatas*, haud dubie comprehendit Israelitas sub nomine gentium: & ita probrose aufert nomen electi populi: quasi diceret Israelem sic permixtum esse Gentibus, ut faciat partem duntaxat. Negassent enim alioqui Judæi se debere numerari inter Gentes: sed Propheta hac excusatione eos depellit, ac dicit esse unam gentem, quæ nihil à reliquis differat. *Omnes ergo Gentes sunt incircumcisæ.* Et ideo potest הגוים, demonstrativum pronomen accipi pro relativo, Omnes hæ Geotes. Loquutus autem fuerat noo tantum de Ægyptiis, & Idumæis, & aliis vicinis populis, sed posuerat Jehudah. Simul ergo dicit *omnes has Gentes esse incircumcisas*: & quemadmodum jam dixi, exprobrat Israeli, quod quum Deus illum sibi consecrasset, tamen nihil differret à Gentibus. erat enim promiscua mixtura, quæ alios aliis prorsus æquaret. Sed quoniam adhuc poterat exceptio aliqua afferri, ideo dicit, *Judæi sunt incircumcisi corde* Illos quidem jam comprehenderat sub Geotibus, sed magis urgeri ipsos oportuit, quoniam Circumcisio poterat ab illis proferri. Dicit ergo Propheta, etiamsi in carne symbolum illud visibile gestent, esse tamen corde iocircumcisos, & ideo jure censeri inter Geotes. Videmus ut acrius ipsos premat, quum diserte ab aliis gentibus eos separans, tamen ostendat merito statui & censeri in numero Gentium, quia Deus noo moretur externum illud symbolum, sed respiciat quod præcipuum est, nempe circumcisionem cordis. Est autem hæc trita loquutio apud Mosen, & Prophetas, vocare cor incircumcisum, præputium cordis: & vocare etiam populum incircumcisum corde: quia Circumcisio, quanquam erat testimonium gratuitæ salutis in Christo, tamen simul debebat initiare Judæos in cultum Dei & timorem: debebat illos hortari ad novitatem vitæ: denique erat signum & pœnitentiæ, & fidei. Quum ergo Judæi duntaxat proferrent signum illud, merito derisi sunt à Mose & Prophetis, quasi vellent Deum placare re illa nihili,

nec

nec spectarent finem: quemadmodum hodie si gloriemur solo Baptismo, interea simus vacui pœnitentia & fide, ridicula erit nostra jactantia. Et ideo Paulus vocat literam Circumcisionis externam illam speciem, ubi separatur signum à sua virtute & substantia: & ex opposito dicit veram Circumcisionem esse, quæ est in abscondito, & in spiritu. sicuti etiam idem de Baptismo licebit dicere, nempe literalem Baptismum nihil prodesse hypocritis, qui arripiunt nudum illud signum: & iden veniendum esse ad spiritum Baptismi, nempe ad rem ipsam, quia interior virtus est renovatio, dum scilicet vetus homo noster crucifigitur in nobis, & resurgimus cum Christo in vitæ novitatem. Postea subjicit,

Rom. 2. *vers.* 27, 28, 29.

CAP. X.

AUdite verbum quod loquitur (*sermonem quem profert*) Jehovah ad vos, domus Israël.

2. Sic dicit Jehovah, Viam Gentium ne didiceritis, & à signis cælorum ne metuatis, quoniam metuunt ab illis Gentes.

Hic novam concionem ingreditur Jeremias. Quanquam non dubium est sæpius inculcasse hanc doctrinam: sed tamen distinguo à superiore conteatu, quoniam bic quasi de integro nrditur concionem contra superstitiones, quibus Judæi tunc nimium erant dediti. Hortatur autem, *ut audiant verbum Jehovæ*, quonism ita obduruerant in erroribus quos à Gentibus contraaerant, & ita contagio illa invaluerat, ut non facile inde possent avelli. Hæc igitur ratio est præfationis, quum dicit, *Audite verbum Jehovæ, domus Israël, quod loquitur ad vos.* Reliqua differemus in proaimam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando in Euangelio nobis patefecisti quot & quam horrendis miseriis referti simus, ut discamus nobisipsis displicere: & sic jaceamus confusi & desperati in peccatis nostris, & reatu quem inde contraximus, ut tamen sciamus nobis offerri veram gloriam, & ejus nos posse fieri participes, si vera fide Filium tuum unigenitum amplectamur, in quo nobis oblata est perfectio justitiæ & salutis: da, inquam, ut sic adbæreamus Christo, & fide recipiamus ejus bona, ut possimus non tantum coram mundo, sed etiam adversus Satanam, & mortem ipsam in te gloriari, quo scilicet solus ipse sis justus, & sapiens, & fortis: & reluceat tua fortitudo, & justitia, & sapientis in nostra iniquitate, & ignorantia, & in nostra imbecillitate, donec tandem perveniamus ad illam plenitudinem gloriæ, quæ nobis reposita est in cælo per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA NONA
IN
JEREMIAM.

COEpimus proaima lectione exponere initium decimi capitis, ubi vetat Jeremias Judæos respicere ad superstitiones Gentium, ut se illis implicent. Primo autem loco ponit errorem illum quo imbuti erant Chaldæi & Ægyptii. nam scimus fuisse maaimos observatores astrorum. Hoc autem ideo diserte eaprimitur, quia Judæi spernebant Dei judicia, quum tamen nimium essent meticulosi in stultis & frivolis imaginationibus. Nam si quis minatus fuisset cladem ea astrorum intuitu, statim fuissent perculsi. quum autem Deus quasi clangore tubæ denunciaret illis cladem per suos Prophetas, non movebantur. Sed præstabit verba ipsa Propbetæ eapendere: deinde facilius erit colligere summam rei. *Ne didiceritis*, inquit, *viam Gentium.* nam אל accipiunt Hebræi Grammatici pro את. *Ne* ergo *didiceritis viam Gentium.* Scimus Viam passim accipi pro omnibus institutis quibus vita bumana regitur. Vetat ergo studium suum adjicere ad præcepta Gentium. Speciem unam subjicit, *Ne metuant à signis cælestibus.* Postea ostendit quanta sit vanitas in Gentium institutis, nempe quia idolis sunt addicti: lignum loco Dei adorant, postquam eapolitum est artificio hominis. Sed in verbis hoc etiam notandum est: *Ne metuatis*, inquir, vel ne expavescatis *à signis cælorum, quia pavent Gentes ab illis.* Triplex expositio affertur hujus loci. quidam particulam כי (quæ proprie est causalis) accipiunt pro nota similitudinis כ, Quemadmodum Genres metuunt. Alii adversative exponunt, Quamvis: & כי sæpe ita accipitur. Alii autem sic resolvunt, Quia Gentium est ab illis expavescere: quasi diceret Deus, nimis perperam facere Judæos, si metuant sibi à signis cælestibus: quoniam debuerant hanc stultitiam, vel potius dementiam ablegare ad Gentes. nam Gentes parinde æstimat Deus ac cæcos. Veniamus tamen ad summam rei. *Ne discatis*, inquit, *viam Gentium.* Hoc præceptum est generale. Lea enim Judæis dabat certam regulam, acsi essent præfiaæ metæ. Debebant igitur sequi quod Deus Lege sua docebat, & non deflectere vel ad deatram, vel ad sinistram, quemadmodum etiam loquutus fuerat Moses. Atqui ut pruriunt semper bumana ingenia, binc inde nimis cupide appetebant scire quid observarent Gentes. ubi autem bæc lascivia occupavit bominum animos, fieri non potest quin permisceant tenebras luci. Hac igitur ratione admonet Jeremias, non esse quicquam discendum à Gentibus: quasi diceret, Vos acquiescere oportet in simplici Legis doctrina: nisi enim contenti sitis Deo magistro, necesse erit vos in omnes partes abripi. Itaque nisi vultis ultro errare, tenete viam quæ vobis monstrata est in Lege, & ne declinetis ad ritus Gentium. Postquam autem in genere præcepit, ut non deflecterent à simplici Legis doctrina, adjungit illam speciem, *Ne metuant à signis cælestibus*, hoc est, ne fortunam sibi fingant prosperam vel adversam ex positu vel aspectu astrorum. Videtur tamen esse quædam species repugnantiæ. Vocat enim astra Signa: binc sequitur, aliquid igitur ootari ex positu astrorum. Et Moses etiam dicit solem, & lunam, & omnes stellas fore in signa, præsertim vero planetas: quanquam in firmamento sunt duodecim signa, ex quibus præcipue judicium faciunt Astrologi. Quum ergo Deus statim ab initin creationis decreverit, tam stellas fixas, ut vocant, quæ sunt in firmamento, quam planetas fore in signa, videtur Propbeta non recte interdicere Judæis, ne sibi à talibus signis metuant. Nam signa hæc cælorum vel conficta sunt hominum arbitrio, vel à Deo profecta. Atqui jam ostendimus, non stulta opinione hominum astra vocari signa, sed ex

Genes. 1. *vers.* 14.

prima creatione hanc illis fuisse inditam naturam à Deo auctore. Quod si astra nobis vel prosperam vel adversam fortunam præsagiunt, sequitur ab illis esse metuendum. Sed Propheta hic improprie signa vocat, quia non respicit veram originem, sed accommodat potius sermonem suum ad perversos illos errores qui tunc invaluerant. Ac tenendum est quod nuper attigi, Ægyptios & Chaldæos fuisse deditos Astrologiæ, quam hodie vocant Judiciariam. Nam ipsum nomen per se debet facile admitti: sed pridem ab improbis nebulonibus fuit profanatum, quibus studium fuit, quæstum facere ex meris fallaciis. Nec dubium est, quin & Ægyptii & Chaldæi fuerint veri Astrologi, & tenuerint artem, quæ per se laudem meretur. nam observatio astrorum quid aliud est, quam consideratio mirabilis illius opificii, in quo relucet tam potentia, quam sapientia, & bonitas Dei? Et certe Astrologia potest merito vocari Alphabetum Theologiæ. nam quisquis puro animo accedit ad considerationem opificii cælestis, fieri non potest, quin totus rapiatur in admirationem tam sapientiæ, quam bonitatis, & potentiæ Dei. Non dubito igitur, quin Chaldæi & Ægyptii didicerint artem ipsam, quæ per se non tantum est probabilis, sed etiam utilissima, nec jucundissimas tantum speculationes in se continet, sed plurimum etiam conferre debet ad excitandam in hominum cordibus reverentiam Dei. Ideo Moses à pueritia fuit eruditus in illa arte: Daniel etiam apud Chaldæos. Didicit Moses Astrologiam, qualem tunc tenebant Ægyptii: didicit etiam Daniel, sed ata illa apud Chaldæos erat tunc adulterata. Nam permiscuerant, quemadmodum jam dixi, stultas divinationes veræ & genuinæ scientiæ. Ut ergo consilium Prophetæ nobis certo constet, principium illud fixum maneat, Solem, & lunam, & reliquos planetas, deinde stellas fixas, quæ sunt in firmamento, esse in signa. Atqui simul hic notanda est relatio: quorsum igitur Deus voluit solem & lunam esse in signa? nempe ut cursus lunaris conficiat mensem unum, cursus solaris conficiat unum annum. Deinde ut respectus duodecim signorum etiam aliquid designet. Nam Sol quum est sub Cancro, non ejusdem est vigoris & efficaciæ, ut est sub Virgine, ut est sub aliis signis. Denique quoad ordinem naturæ, astra, tam planetæ quam stellæ fixæ, nobis sunt in signa, ut scil. annos numeremus à cursu solari, menses à cursu lunari: deinde Sol prout respicit duodecim signa, nunc conficiat Ver, nunc Æstatem, nunc Autumnum, nunc Hyemem. Sunt etiam alii fines. Sed uno verbo complexus sum quicquid potest dici de signis cælestibus, nempe spectare ad ordinem naturæ. Quisquis autem vult longius trahere hæc signa, prorsus confundit ordinem à Deo positum: quemadmodum Chaldæi olim, & Ægyptii quum vellent altius conscendere, quam ratio ferebat. voluerunt conjicere quales essent eventus omnium gentium ex astrorum positu: deinde etiam descendere ausi sunt ad singulos homines: hinc orti sunt Genethliaci. Ergo primum cœperunt subtilius philosophari, Solem quum esset sub signo illo, portendere cladem unigeniti, felices eventus alteri. Hæc autem sunt extra consuetum naturæ ordinem, quemadmodum jam diximus. Exempli gratia: Esse hyemem, & æstatem, hoc est naturale, & ordinarium: bellum autem moveri ab una gente contra alteram, hoc non est ex consueto ordine, & non fit natura: sed ex ambitione, & avaritia hominum. Regnat quidem occulta providentia Dei: sed loquimur de causis, quæ à nobis expendi debent, & possunt etiam à nobis comprehendi, quia cadunt sub sensus nostros. Quanquam simul notandum est, cursum astrorum per se non habere quicquam momenti. Videmus enim ut Deus varier tempora. Neque enim est continuum temperamentum: non habemus æquales hyemes, neque æstates: nullus est annus qui non sit dissimilis priori: tertius qui sequitur, etiam multum distat à secundo. Hinc ergo colligimus, Deum ita hanc proprietatem indidisse & Soli & lunæ & astris omnibus, ut tamen ipse imperet, & permutet tempora, quemadmodum decrevit. Hinc etiam & sterilitates, & pestilentiæ, & reliqua ejus generis. Aliquando aër videbitur temperatus, tamen grassabitur pestilentia: aliquando non reperietur causa cur annus sit minus fertilis, & tamen esurient homines. Ergo etiam in ipsa natura hæc diversitas ostendit Deum non resignasse suam potentiam astris, sed ita operari per astra, ut tamen gubernacula teneat: deinde ut pro suo arbitrio aliter mundum temperet, quam possit vel acutissimus quisque divinare ex astris. Sed hoc non obstat, quominus tamen sit aliqua significatio, quemadmodum jam dixi. Cæterum, qui transcendunt fines à Deo positos, & volunt conjicere ex astris futurumne sit bellum in illa regione, futurane pax in altera: qui ergo volunt quæ sunt extra naturæ ordinem colligere ex astris, illi prorsus miscent cælum terræ. Nec dubium est, quin Propheta hanc dementiam castiget, quum vetat Judæos attendere ad signa cælorum, ut ab illis metuant. Sed simul observanda est ratio, cur Propheta tam graviter condemnet timorem illum, qui regnabat in Gentibus: nempe quoniam ubi hæc opinio invaluit, pendere omnes rerum eventus ex astris, tollitur timor Dei, & nihil tribuitur judiciis ejus, extinguitur fides, & in nihilum redigitur Dei invocatio, & omnia pietatis exercitia. Nam omnes Astrologi, qui hoc nomen tam honorificum falso sibi usurpant, nebulones istos dico, qui prætexunt suis imposturis nomen Astrologiæ judiciariæ, ita statuunt, debere fieri judicium de vita hominis ex horoscopo: acsi ex astris penderet utraque fortuna. Si ergo quispiam hac hora natus sit, secundum eos, manebit ipsum hæc vel illa conditio: ita fatum simul fingunt, nempe aliquam necessitatem, quæ teneat hominem constrictum imperio Solis, & lunæ, & astrorum: Natus est enim quum Sol esset in cauda illius signi, vel quum esset in capite alterius: hæc genesis portendit talem fortunam, vel talem: hic erit brevis vitæ, alter diurturnæ. sic judicant. Deinde, plus etiam colligunt postea audaciæ, & pronunciant de unoquoque die: Talis eventus manet hanc expeditionem: deinde illo anno hoc aggredietur infeliciter, vel illud bene succedet. Postea ubi genesis non venit in rationem, subjiciunt totum humanum genus necessitati astrorum: Ecce, si expeditionem aliquam suscipias hoc vel illo die, tibi bene erit: sed si festines ante meridiem, manet te infelix successus. Sic ergo divinant de tota hominum vita, & singulis actionibus: quum tamen Deus non voluerit astra & stellas esse in signa hoc fine, vel hoc usu. Jam, quemadmodum dixi, hinc sequitur Deum non regnare: ita extinguitur fides, & in nihilum rediguntur omnia officia pietatis. Nam quisquis persuasus est se constrictum esse hac necessitate. Quoniam talis est horoscopus, necessario sibi pereundum hac hora, necessarium etiam esse perire hoc genere mortis: quisquis ergo ita persuasus erit, an invocabit Deum? an commendabit illi vitam suam? Deinde siquid adversi acciderit, an hoc acceptum feret suis peccatis? an agnoscet se vocari in judicium à Deo? Si feliciter etiam habuerit, an excitabitur ad canendas Deo laudes? Videmus ergo ut hæc divinatio extinguat totam pietatem, quoniam nulla erit fides: deinde nulla erit agnitio pœnarum, nulla agnitio beneficiorum Dei, & nullum studium precandi, si animos nostros semel occupaverit diabolicus ille error, subjectos nos esse astris, talem esse nostram genesin: deinde astra singulis diebus, & singulis momentis portendere aliquod mortis genus. Hoc igitur præcipue reputandum nobis est ubi Propheta vetat *Judæos sibi metuere à signis cælestibus*. Neque enim dubium

Actor. 7. vers. 22. Dan. 1. v. 17, 20.

bium est, quin Chaldæi vaticinarentur sibi promitti novum imperium: ita miseros Judæos terrebant: Actum est de nobis: nam ita Astrologi apud Chaldæos loquuti sunt: deinde ab altera parte Ægyptii etiam vident hoc prædici ex positu astrorum. sic fiebat, ut conciderent Judæi quasi exanimes. Ita autem non veniebat illis in mentem, Deum toties, & tam multis annis minatum fuisse per Prophetas suos, quum non desinerent iram ejus in se provocare. Judicium ergo Dei pro nihilo ducebant: & interea attonitos reddebat illa persuasio, quod Chaldæi judicium fecissent ex astris, fore aliquam mutationem. Ergo Propheta ut revocet ipsos tam ad pœnitentiam, quam ad fidem, quæ sunt duo pietatis membra, & continent in se omnem perfectionem veræ sapientiæ, dicit, *Ne metuatis vobis ab astris, sed metuite vobis à Deo.* Subest enim antithesis inter Deum, & astra: quasi diceret, Si quid adversi vobis accidat, scitote vos castigari Dei manu, qui justus est vindex scelerum. hæc doctrina ad pœnitentiam spectat, nempe ut sentiant se merito pœnas dare, quoniam fuerint obstinati in sua malitia. Deinde sequitur altera pars, nempe quamvis astra cladem & interitum illis minentur, tamen ut confugiant ad misericordiam Dei, nec dubitent se fore incolumes & salvos, modo Deus sit illis propitius. Tenemus igitur nunc Prophetæ consilium, ubi dicit non esse metuendum ab astris. Possent plura dici: sed ego brevitati studeo, quantum in me est: & videor breviter comprehendisse quod ad loci hujus intelligentiam sufficeret. Scio quam multi hodie stulte curiosi sint, & ideo vellent locum aliquem dari Astrologiæ judiciariæ: & hoc delirium abripuit etiam quosdam & pios alioqui homines, & valde eruditos. sed videmus quid hic pronunciet Deus per servum suum. Et miror quosdam sic fuisse addictos astris, qui tamen de libero arbitrio nimis philosophice loquuntur. Nam volunt fortuitos esse rerum eventus: volunt homines libere agere in utramque partem, & fatum exhorrent & detestantur. interea autem includunt Deum quasi in ergastulo, & volunt astra regnare. hoc mihi est prodigium, non signum. Sed omnia illa relinquo: sufficiat nobis simplex doctrina Prophetæ, ubi dicit *non esse metuendum à signis, quia Gentium est.* Ego enim libenter amplector sensum illum, quod scilicet Propheta dicat speciem hanc esse cæcitatis: Relinquite, inquit, hanc stultitiam Gentibus: non mirum est ita occupari multis delitiis, & erroribus, quoniam non lucet illis cælestis doctrina: vestrum autem est, timere Deum, & in ejus misericordiam recumbere. Sequitur,

3. Quoniam statuta populorum vanitas est. nam lignum è sylva scindit, opus manuum artificis dolabra. *vel, in securi: nam ponitur* ב, *quæ est nota instrumenti apud Hebræos.*

Videtur Propheta abrumpere sententiam, & inepte etiam ratiocinari. Dixerat enim proximo verso, Ne discatis ritus Gentium, & ne metuatis à signis cælestibus: *quoniam statuta Gentium vanitas: lignum enim conscindunt.* videtur ergo quasi sui oblatus, transitum facere ad idola. Sed notandum est, Judæos fuisse commotos illa vetusta persuasione, quod scilicet Chaldæi & Ægyptii jactarent se solos sapere, & sibi acquisierant talem famam apud omnes gentes. Nam videmus etiam profanos Scriptores quum de origine omnium scientiarum loquuntur, referre ad Chaldæos & Ægyptios. nam apud ipsos nata dicitur Astrologia, & omnes liberales scientiæ. Non dubium igitur est, quin Judæi tantum auctoritatis deferrent Chaldæis & Ægyptiis, ut illo præjudicio occupatæ illorum mentes nihil cernerent. Propheta igitur excutit illis hanc socordiam, & monstrat insipidos esse illos, qui tamen soli volebant sapere, & alios præ se ducebant barbaros & socordes. Nunc ergo videmus cur Propheta idololatriam contexat cum falsa illa & adulterina Astrologia, cujus paulo ante meminit. *Leges*, inquit. חקות, statuta proprie. חק significat decernere, vel scribere: unde etiam חקות vocant decreta. Quum Legis nomen sit generale, inter species, quæ passim occurrunt in Scripturis, una est, statutum. alii vertunt Edictum, & verbum significat sæpe edicere: sed sæpe ad ceremonias & ritus nomen hoc refertur. *Dicit* igitur *ritus Gentium esse vanitatem.* Jam hoc probat, *quoniam scilicet scindunt sibi ligna è sylvis, & postquam expoliverunt artificio, putant esse deos.* Quam detestabilis est hic furor, ubi truncum è sylva excisum putant Deum esse simulac formam aliquam accepit? Quum ergo tantus & tam prodigiosus furor regnaret apud Chaldæos & Ægyptios, quid potuit illis esse rectæ intelligentiæ vel judicii? Stulte ergo Judæi, quum putarent illos esse valde perspicaces: Sunt, inquit, bruta animalia. nam hoc prorsus alienum est à ratione, fingere sibi Deum ex trunco mortuo. Quum ergo Chaldæi & Ægyptii vos rapiunt, & reddunt quasi attonitos stulta opinione, quæ vobis de nihilo concepta est, solos illos sapere, nonne videtis vos bis & ter esse dementes? ubi enim reperietur sapientia, quum ita sibi deos fabricent ex truncis arborum? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. sed quoniam has circumstantias non expendunt interpretes, ideo tantum eliciunt frigidam doctrinam. & colligunt quidem generales sententias: sed si quis propius & diligentius examinet consilium Prophetæ, reperiet quam efficax sit hæc doctrina: aliter autem non potest quisquam recte intelligere quid voluerit Jeremias. *Lignum* ergo *conscindit quisque.* nam utitur singulari numero. postea, *opus manuum artificis in dolabra.* Ostendit mutari perversa hominum imaginatione naturam ipsam, quia simulatque lignum novam formam accepit, videtur non amplius esse lignum. Arbor quum viret, quum profert suos fructus, non colitur loco Dei: ubi autem excisa est, truncus mortuus & aridus substituitur Dei loco. qua ratione? nempe *quia accessit dolabra.* alii vertunt Securim, vel asciam, *hache, ou doloire:* perinde est. nam nulla est ambiguitas in ipso sensu, quod scilicet scindant ligna è sylvis: deinde postquam dolatum est lignum illud, & fit opus manuum artificis, quid sequitur?

4. Argento & auro pulchrificant (*hoc est, exornant*) illud: clavis & malleis fortificant, (*hoc est, bene desigunt*) & non movebitur. (*hoc est, ut non moveatur.*)

5. Sicuti palma æqualis, (*hoc est, stat effigies illa æqualis tanquam palma, id est, assurgit in rectitudinem*) & non loquuntur: & tollendo tolluntur, quia non ambulabunt. (*hoc est, non possunt ambulare*) ne timeatis ab illis: quia non male faciunt, atque etiam bene facere non penes ipsos.

Prosequitur eandem sententiam: & mutuatur etiam verba ipsa ex 44. capite Jesaiæ. Est enim prorsus similis locus. Jeremias autem, qui fuit posterior, libenter sumpsit ex altero, quo magis afficeret popu-

populares suos, quum viderent rem unam dici à Prophetis duobus: ita habere plures testes. Dicit igitur sapientes illos, quorum admiratione stupebant Judæi, *ornare suas imagines*, vel statuas, *argento & auro*: postea *clavis & malleis bene figere, ita ut non moveantur*. Quidam hoc referunt ad laminas, ne laminæ discedant. nam hoc verbum significat aliquando Egredi. sed simplicior sensus est, affigi clavis & malleis statuas illas, ne moveantur. Jam per concessionem addit Propheta, *Sunt* quidem *rectæ quasi palmæ*, & in illis videtur esse aliquid conspicuum: *sed non loquuntur*, inquit: deinde *tollendo tolluntur*, hoc est, non possunt se movere loco, nempe *quia non ambulant. Ergo ne metuatis ab illis; quoniam neque male facient, neque penes ipsos est bene facere.* Nunc videmus quid voluerit docere Propheta, nempe tam Chaldæos, quam Ægyptios, quorum sapientia valde celebris erat in toto mundo, & excæcabat etiam ipsos Judæos, vel sic rapiebat, ut putarent nihil ab ipsis manare nisi optime cognitum, & provisum. Ut ergo hunc errorem deleat, & tollat, ostendit illos turpem in modum desipere. quid enim magis pudendum, quam putare mutatam esse naturam ligni simulac formam accepit? & unde? nempe à manu artificis. an autem erit in hominis arbitrio fingere Deum pro sua libidine? hoc riserunt etiam profani homines.
Horat. Sat. 8. Extat sententia illa Horatii: Quum faber dubitaret faceretne deum an scamnum, maluit esse deum, inquit. Poëta ille quis non audebat generaliter damnare amentiam quæ tunc regnabat in mundo, oblique detexit quam pudendus esset error ille, colere pro deo truncum, quoniam ita libuerat fabro. Ditissimus quisque colebat ligneum deum, contemnebat autem opificem. qui non dignatus fuisset dare poculum aquæ fabro, tamen prosternebat se coram deo, quem faber ipse fecerat deum. Hoc igitur nunc dicit Propheta noster: *Ecce*, inquit, *auro & argento exornant truncos lignorum. erigunt quidem*, & illic apparet species quædam: *nam sunt rectæ statuæ*: (& palmæ ideo eas comparat, quæ in sublime semper assurgit) *sed non loquuntur: tolluntur etiam, quia carent omni sensu. Ergo ne timeatis.* Deinde adjungit, *Non possunt male facere, & non est penes ipsos bene facere.* Videtur improprie loqui Propheta, quum ostendit non esse deos, qui non male faciunt. nam hoc etiam alienum est ab unico & vero Deo, nempe male facere. sed recepto more Propheta hoc verbum accipit pro pœnas infligere vel exigere. Dicitur ergo Deus male facere, non quia noceat, non quia inferat injuriam mortalibus: sed quia eorum peccata castigat. Et loquutio hæc sumpta est ex communi hominum sensu. vocamus enim mala, quæ nobis adversa sunt: nam fames, morbi, & nuditas, frigus, calor, ignominia, & quicquid tale est, vocabitur res adversa. Jam Propheta dicit idola Gentium, vel fictitios deos non male facere, hoc est, nihil habere potestatis, ut pœnas infligant hominibus. & hoc quoque ex Jesaia sumptum est: Deus enim duplici argumento utitur, dum vult sibi uni asserere Deitatem. dicit, Solus sum qui prævideo res futuras & prædico: ergo solus sum Deus. deinde, Solus sum qui bene & male facio: ergo solus sum Deus. dicit se esse qui male faciat, nempe quia est judex mundi. Videmus ergo non accipi in sinistram partem hoc verbum, sed quemadmodum jam dixi, catachresticôs accipi ex sensu carnis, quia scilicet pœnas quæ nobis divinitus infliguntur, putamus res esse malas, & ita vocamus. Sequitur, Jesa. 45. vers. 22. Jesa. 48. vers. 3. 5.

6. A non (*vel ab eo quod non, hoc est, ab ultimis temporibus non*) sicut tu Jehovah reperietur: magnus tu, & magnum nomen tuum in fortitudine.

Quoniam frigeret doctrina illa, quæ docet Gentium deos mera esse figmenta, & nullius momenti, nisi accederet veri Dei cognitio: hac ratione Propheta nunc verum Deum producit. & altera etiam est ratio: nunquam enim quisquam agnoscet deos ligneos & lapideos pro nihilo ducendos esse, nisi refulgeat Dei veritas. Quisquis non tenet verum esse aliquem Deum, & non cognoscit quis sit, aut qualis ille, nunquam serio tangetur hac doctrina, Deos Gentium esse dæmonia, & omnes superstitiones esse sacrilegia. Nunc ergo videmus cur Propheta se convertat ad verum Deum, nempe ut fulgor gloriæ Dei discutiat tenebras illas, in quibus cæcutiebant Gentes: & simul ut vera religio serio afficiat corda hominum, ut quum agnoscunt unum esse Deum, cujus imperio subesse nos oportet, ita non solum contemnant & repudient omnia idola, sed etiam detestentur. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando cælum & terram nostra causa condidisti, & testatus es nobis per Mosen servum tuum, tam solem quam lunam, quibus stultæ Gentes divinitatem tribuerunt, nobis subesse, & eorum opera nos sic uti, acsi essent sub nostro famulitio: da, inquam, ut tot tuis beneficiis erigamur sursum, & perveniamus usque ad veram tuam gloriam, ut te pure & simpliciter colamus, & nos totos sic tibi addicamus, ut dum utimur opera omnium astrorum, & ipsius etiam terræ, sciamus totidem tuis beneficiis nos obstringi, ut magis ac magis accendamur ad studium justitiæ, & sic studeamus nomen tuum glorificare in terra, ut tandem perveniamus ad beatam illam gloriam, quæ nobis parata est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA IN JEREMIAM.

COEpimus heri versum sextum, quem exposuimus, ubi dicit Jeremias *à nullo tempore repertum fuisse quempiam similem vero Deo: quoniam ipse magnus sit, & magnum ejus nomen in virtute.* Videtur quidem frigida esse hæc sententia, aut nimium vulgaris, dum negat *quenquam similem fuisse Deo omnibus seculis.* sed quia figmentis suis semper mundus obscurat veri Dei gloriam, ideo in hac sententia multum est ponderis, nempe ut Deus obtineat suum gradum, & emineat supra omnes fictitias deitates. Idem etiam censeri debet de secundo membro: *Tu magnus es*, inquit. Quis non concedet Deo magnitudinem? sed interea detrahitur illi ab omnibus: nam dum sibi quisque fabricat peculiarem Deum, spoliatur Deus sua magnitudine, vel cogitur in ordinem, acsi esset unus è turba. Si respicimus quam maligne homines æstiment Dei gloriam, hinc colligere promptum erit, non frustra vocari hoc loco Magnum, sicuti etiam aliis pluribus. sed hæc breviter tantum perstringo, quoniam alibi fusius disserui. Dicit *nomen Dei esse magnum in potentia*: nam & idolis erat celebris fama apud omnes populos, sed non in virtute. Tametsi enim multa fabulati sunt de suis idolis tam Græci quam omnes

omnes Orientales, deinde Itali: certum tamen est nullam illis fuisse probationem, unde statuerent se colere veros deos. Ergo hic Propheta ostendit competere io solum Deum magnitudinem nominis: quoniam potentia ejus apparuit, & sibi asseruit firmam & certam gloriam. Jam sequitur,

7. Quis non timebit te, Rex Gentium? quia tibi convenit. nam inter omnes sapientes Gentium, & in omnibus regnis eorum, à nullo tempore similis tibi. *vel sicut tu, ad verbum.*

Eaclamat Propheta, *Quis te non timebit*? nam hæc interrogatio emphatica est, acsi stomachose coargueret stuporem omnium, qui verum Deum non agnoscunt: quasi diceret, Unde hoc fit ut non metuaris io toto mundo? & certe si vel gutta una rectæ iotelligentiæ esset io hominibus, agnoscerent unicum esse Deum: & comperta ejus veritate, sese subjicerent ejus imperio. Quod ergo comminiscuntur sibi varios deos homines, deinde quod quisque rapitur hucatque illuc absque judicio, hoc prodigiosum est: oam si propius urgeas etiam rudissimum quemque, fatebitur esse aliquod supremum Numen, & tandem cogetur fateri unicum esse Deum. cur ergo tanta est deorum turba & varietas in mundo? unde fit ut qui principium illud tenent, Colendum esse Deum, declinent ad plures deos, neque possiot statuere vel quisnam sit Deus, vel quomodo sit colendus? Nunc ergo teoemus consilium Prophetæ, dum eaclamat quasi per admirationem, *Quis non timebit te, Rex Gentium*? Scimus tunc verum Deum fuisse despectum à profanis Gentibus: imo scimus Legem ejus non tantum fuisse ludibrio, sed etiam abominationi. quid ergo sibi vult hæc interrogatio? nempe, ut diai, Propheta exprimit non absque iodignatione, portento similem esse banc vesaniam, quod homines non respiciant ad unicum Deum, sed vagentur in stultis suis figmentis. Et Deum vocat *Regem Gentium*, non quod imperio ejus se Gentes subjicereot: sed quia ubique ostenderet signa potentiæ suæ, quæ possent etiam rudissimos quosque adducere ad ejus revereotiam, nisi prorsus essent stupidi. Videmus ergo hoc non dici in Gentium honorem, quod Deus regnet apud ipsas: sed potius perstringi non absque probro earum ingratitudinem, quod scilicet non revereantur Deum, qui tamen potentiam suam apud ipsas exerit. & sequitur etiam ratio, quæ hoc confirmat: *quia tibi convenit*, inquit. *Nam inter omnes sapientes Gentium, & in omnibus regnis ipsorum, à nullo tempore similis tibi fuit.* dicit *Deo convenire*, nempe ut ipsum timeat totus orbis. Quidam vertunt יאתה acsi esset nomen, & accipiuot pro decore: alii vertuot, Imperium: sed noo potest hoc stare. Dicit ergo *Deo convenire.* qoid? quidam subaudiunt, Convenit tibi gloria, conveoit tibi dominatio: sed refertur ad principium versus. est ergo zeugma, quod scilicet Deus hoc mereatur saltem, ut ipsum omnes metuaot. loquitur ergo de timore, & dicit *convenire Deo.* Summa est, fulgere in ipso Deo gloriam, quæ ad se trahat omnes sensus hominum: ideoque stupidos esse, quoniam eo relicto vel præterito sese convertunt ad sua commenta, & deos sibi pro libidine sua fabricant. Confirmat ergo Propheta quod jam diximus, nempe detestabiles esse cunctos mortales, qui verum Deum non coluot & metuunt: quia io ipsius gloria tantum fulgoris emioet, ut necesse sit constringi eos omnes, qui sensu aliquo tanguotur. sequitur ergo plusquam stupidos & brutos esse, qui ita transferuotur ad varias superstitiones: quia Deus gloriam suam ubique conspicuam ostendit, quæ occupet ac retineat in se omnes hominum sensus, oisi quia vanitate sua alio rapiuntur. Hinc etiam colligimus vanum esse ignorantiæ prætextum in omnibus incredulis. Videntur quidem primo intuitu excusandi esse in suo errore, quia non fuerint edocti, neque unquam intellexerint quisnam esset verus Deus, sed tamen residet in ipsis culpa tam malitiæ quam negligeotiæ, quod scilicet ipsis libuit negligere vel contemnere verum Deum. Quoniam ergo oblectationem capiunt increduli io suis erroribus, ideo coovicti tenentur. Et hoc voluit Propheta quum dixit dignam esse hanc gloriam Deo, nempe ut metuatur ab omnibus. & quo melius hoc confirmet, dicit, *Inter omnes sapientes, & in omnibus regnis*, hoc est, in proceribus qui videntur pollere singulari prudeotia ad regeodum totum mundum, non posse inveniri, alium Deum esse ab omnibus seculis. nam iterum repetit illud מאין, de quo heri diximus: perinde est acsi diceret Propheta, Prodeant in medium omoes sapientes, & philosophi: prodeant omnes consiliarii, qoi sibi nihil oon prudentiæ arrogant: afferant quicquid poterunt: certe Deus semper vendicabit cootra ipsorum nugas suam gloriam: ita discedent confusi; nec si maxime velint, poterunt tameo quicquam contra excipere. His ergo verbis significat Propheta frustra jactari rationes philosophicas, frustra etiam proferri in medium procerum coosilia, qui in rebus politicis volunt censeri valde acuti. Nam discedent, inquit, omnes cum ignominia, & turpiter cogentur tacere, ubi Deus ostendit suam gloriam. atqui gloria Dei passim ita conspicua apparet, ut rudissimi quique debeant ipsam compreheodere. Unde ergo fit ut sapientes qui super cælos volitant, ut philosophi, qui excutiunt omnia naturæ arcana, non agnoscant quod omnibus est in propatulo, ut loquuotur? Deus eoim se manifestat etiam idiotis, etiam mulierculis, & pueris. Nunc tenemus consilium Prophetæ, ubi dicit *à nullis temporibus similem fuisse repertum Deo*, non tantum in ipsa plebe, vel in hominibus gregariis, sed in sapientibus, vel proceribus, vel Regum consiliariis. Postea addit,

Jesa. 45. vers. 22. Jesa. 48. vers. 3. 5.

8. Et in uno stulti sunt, & fatui sunt: eruditio vanitatum lignum est.

Propheta hic ostendit uno verbo posse convinci maximæ dementiæ, vel duplicis stultitiæ, (quod idem est) sapientissimos totius mundi, nempe quoniam eorum consensu coluotur trunci lignorum, coluntur lapides. nam sub una specie complectitur etiam alias. Nemo, inquit, est tam perspicax, qui non approbet superstitiones populi, qui oon etiam genua flectat coram ligno aut lapide. Reperti sunt quidem pauci in mundo, qui riderent taotam crassitiem: sed nemo tamen ausus fuit palam corrigere: imo nemo aliquid melius attulit. & Platonici etiam disputaot, Græcos non abs re finxisse deos similes hominibus: & dicunt, in Barbaris non fuisse tantum judicii ut affingerent diis formas aptas eorum naturæ. quicquid sit, constat suffragiis omnium sapientum semper probatas fuisse crassissimas Gentium superstitiones. Dicit ergo Propheta, non opus esse longa disputatione, ut vanitas sapientum detegatur. *In uno, in uno*, inquit. nam pondus est in hac voce, quum dicit *eos stultos esse & fatuos in uno*. subest enim antithesis: quasi diceret, Ego hic non conteaam multa capita accusationis adversus eos, quibus refellam eorum stultitias: sufficiet unum caput. unum hoc verbum satis erit ad illos coarguendos, nempe quod *lignum est eruditio vanitatum.* Diximus quid sibi velit Propheta, nempe desipere omnes sapientes,

 qui

qui una cum vulgo adorant ligneos & lapideos deos. sed simul notandum est pondus, quod subest huic loquutioni: *Eruditio*, inquit, *vanitatum est lignum.* Diximus esse synecdochen, quia sub ligno comprehendit Jeremias & lapides, & alias statuas cujuscunque sint materiæ: quasi diceret, Omnis forma, aut effigies corpores, quæ Deo affingitur, *est eruditio vanitatum.* Sumit hoc quasi pro confesso: & tamen fuisset de hac re magnum & acre certamen cum sapientibus mundi, ut nuper diximus: sed Propheta non dignatur cum illis congredi & serio disceptare, quoniam res per se satis superque nota sit, nihil scil. esse magis absurdum, quam coli truncum ligoi, vel lapidem. Jam ex hoc loco elicimus generalem doctrinam, nempe ubi sibi volunt homines Deum repræsentare sub aliqua visibili forma, eos se conjicere in fallacias & imposturas Satanæ. Celebris est illa sententia Gregorii ad Serenum Episcopum Massilieosem: nam bonus ille vir dejecerat imagines, quas videbat prostare ad impium cultum, & purgaverat etiam omnia Massiliæ templa illis inquinanientis: Gregorius quamvis esset pius vir, tamen rescripsit nimis stulte, Recte fecisse & prudenter Serenum quod vetuisset imagines coli: sed taineo hoc fecisse inconsiderate, quod templa vacuasset: nam sunt, inquit, libri idiotarum. hæc est clausula epistolæ. Et Papistis hoc semper est in ore, imagines esse libros idiotarum. interea utinam saltem tenerent illud principium Gregorii, non esse colendas: colunt & adorant loco Dei, ut satis notum est. Sed jam dixi illud responsum Gregorii esse puerile, & fatuum. nam audimus quid dicat Propheta, nempe in ligno & lapide, & in omni effigie externa esse vanitatem. quemadmodum
Habac. 2. vers. 18. etiam Habacuk 2. cap. ubi loquitur de idolis, vocat in singulari numero מורה שקר, id est, doctor vanitatis: omnis statua, omnis imago, quibus putant stulti mortales Deum repræsentari est, doctor mendacii. Eodem sensu dicit Propheta noster esse doctrinam vanitatum in omnibus statuis, nempe quia hoc modo transfiguratur Deus. quid enim simile est ligoo aut lapidi cum immensa Dei potentia? cum incomprehensibili essentia, & majestate? faciunt ergo homines gravem Dro injuriam, dum ita ipsum deformant: quemadmodum etiam Paulus primo ad Rom. 1. vers. 25.
Rom. cap. dicit ita converti veritatem Dei in mendacium, ubi scilicet existimatur aliquid habere simile cum externis figuris, & quidem mortuis, quemadmodum idem Paulus ratiocinatur 17. cap. Actor. Actor. 17. vers. 29.
An existimatis, inquit, ligno, vel lapidi, auro & argento similem esse Deum? & naturaliter illic disputat: quoniam negotium illi erat cum profanis gentibus, non adducit Legem: poterat enim proferre caput Deuteron. ubi admonet Deus se ita apparuisse Deut. 4. v. 12, 15.
populo, ut tamen non viderit faciem hominis: poterat etiam adducere ex Jesaia, & Jeremia, & aliis Prophetis testimonia. sed quoniam apud profanos homines concionabatur, nempe Athenis, idro dicit, Actor. 17. vers. 28.
Unus ex Poetis vestris dixit nos esse genus Dei. si ergo sumus genus Dei, inquit, nonne detrahitis Deum è suo cælesti solio, quum vultis illum redigere ad vestra figmenta, ut lateat sub ligno, sub lapide, sub auro vel argento? nam saltem vigor aliquis apparet in hominibus, præditi sunt mente & intelligentia: ita referunt imaginem Dei. sed lignum mortuum, lapis, qui sensu caret, aurum, & argentum, quæ sunt metalla absque ratione, quibus nulla vita subest, an habebunt aliquid affine Deo, inquit? Hoc posset multo copiosius tractari, sed tantum expono mentem Prophetæ, & simul etiam ostendo quorsum pertineat hæc doctrina, & quomodo aptari debeat in communem usum. Jam sequitur,

9. Argentum percussum (*vel diductum, hoc est, malleo sic contusum, ut redactum sit in laminas. hoc enim significat verbum* רקע: *percutere, & ita contundere, ut res diducatur, vel protrahatur. Argentum ergo laminatum, ut ita loquar, vel malleo contusum*) è Tharsis affertur, & aurum ex Ophas, opus artificis, & manus conflatoris: hyacinthus, & purpura, vestes eorum: opus sapientum omnes.

Propheta per anticipationem ostendit, quicquid est splendoris aut pompæ in idolis, esse nugatorium, & plusquam puerile. nam unde fit ut idolis tantum honoris deferat mundus, nisi quia pompa perstringit eorum oculos? & diabolus etiam hoc artificio semper delusit incredulos, nempe quia ostentavit in idolis nescio quid, quod mentibus hominum quasi tenebras offunderet. Propheta igitur occupat has stultas cogitationes: & per concessionem, *Argentum*, inquit, *affertur è Tharsis*, hoc est, ex Cilicia. nam hoc nomine Scriptura designat totam illam regionem transmarinam, quæ opposita erat Judææ. Scimus autem Ciliciam esse oppositam Judææ: nam finis maris Mediterranei est inter Syriam, & Ciliciam. vocant mare Tharsis partem illam, quæ tendebat versus Cilices, & postea versus Asiam minorem. Dicit igitur Propheta afferri è longinqua regione: Bene, inquit. est concessio. deinde aurum etiam afferri ex Ophas. Nomen hoc male quidam interpretati sunt aurum purum, vel obrizum. nam ex hoc loco, & pluribus aliis patet esse nomen regionis, nempe Persidem: neque enim procul fuit à Perside: saltem est Orientalis hæc regio respectu Judææ. Deinde, *Affertur*, inquit, *aurum ex Ophas.* bene accedit etiam artificium: nam, *Opus artificis*, inquit: hoc est, non est aurum vel argentum rude, sed lineamenta sunt ita eleganter expressa, ut facile alliciant ad se hominum oculos. deinde, *sunt manus* (nam in plurali loquitur) *conflatoris*, hoc est, argentum & aurum illud conflata sunt, & ita cœperunt formam aliquam induere. accessit deinde artificium, quod magis ac magis expoliret formas illas, quæ exierant è fornace. postea, *Hyacinthus & purpura sunt vestes eorum*, id est, non sufficit pretiosa illa materia, & forma etiam concinne & affabre composita: sed induuntur etiam purpura & hyacintho. Postremo, *Opus*, inquit, *sapientum*: hoc est, eliguntur eximii homines, & qui exquisitissime possint exprimere omnes lineas in corporibus illis. denique nihil potest desiderari. Sed Propheta quamvis in speciem concedat incredulis quicquid poterat gratiam acquirere eorum idolis, tamen ostendit esse meras nugas: Sunt, inquit, puppæ: nam homo qui mortalis est, non potest fabricare Deum. deinde, quid ars, & industria, & labor hominis potest hac in parte? an mutabit rerum naturam? an faciet ex auro aut ligno Deum? vestis postquam circumdata fuerit idolo aureo, vel argenteo, an poterit attollere illud supra cælos, ita ut sumat novam deitatem? Videmus ergo Prophetam ita per concessionem loqui, ut tamen ironice loquatur, & derideat fatuas Gentium ineptias, quoniam in eorum idolis nihil sit firmum, nihil sit denique probabile. Postea subjicit,

10. Atqui Jehovah Deus veritas, (*qui vertunt, Deus veritatis, non observant syntaxim Hebraicam. dixisset enim* יהוה אלהי אמת. *Jehovah ergo Deus veritas*) ipse Deus vita, & Rex seculorum: à furore ejus contremiscet terra, & non sustinebunt Gentes iram ejus.

Hic

Hic Propheta exultat, & triumphum agit Dei nomine, quasi erroribus Gentium devictis & profligatis. nam contemptim, ut visum est, disseruit de crassis illis erroribus, & ostendit sapientes mundi nimium esse insipidos, qui ita stupescant in ligno & lapide. Nunc ergo magnifice extollit Dei gloriam, quum dicit: *Atqui Jehovah est Deus*, inquit: hoc est, Colant Gentes suos deus, fabulentur de illorum virtute, & confingant multa miracula mendaciter: *Jehovah*, inquit, *est Deus*. ubi omnia probe examinata fuerint, constabit unicum esse Deum: & omnes dii Gentium sponte evanescent. Hic igitur est sensus Prophetæ: quasi diceret, Deum sibi sufficere ad omnes Gentium errores profligandos, ubi in medium prodierit ejus majestas, quia tantus sit ejus fulgor, ut omnia quæ alioqui miratur mundus, in nihilum redigat. Postea dicit, *Veritas*. Hic veritatem opponit vanitatibus. dixerat lignum esse doctrinam vanitatum: nunc dicit, *Deus æternus est veritas*, hoc est, non opus habet ascititiis coloribus. fucantur idola Gentium, vestiuntur, ornantur, inquit: sed hæc omnia nihil habent solidum. *Jehovah* autem *Deus est veritas*, hoc est, Deus non aliunde mutuatur quicquam, sed contentus est seipso, & virtus ejus per se satis habet auctoritatis. *Deus ergo est veritas, & Deus est vita*, inquit. Postquam dixit in essentia unius Dei veram & solidam esse gloriam, adjungit alteram probationem, quam sumit ab hominum sensu, nempe quod *Deus sit vita*. nam etsi Deus per se est incomprehensibilis: tamen non tantum signa gloriæ suæ nobis ponit ante oculos, sed quodammodo præbet se palpandum, quemadmodum
Actor. 14. vers. 17. dicit Paulus 14. cap. Act. intelligit autem, etiamsi homines cæcutiant, tamen palpando posse inveniri Deum. Cæci quamvis careant visu, tamen palpando reperiunt exitus, quum circumeunt per aulam vel cubiculum, reperiunt januam palpando: deinde quum volunt ingredi, etiam palpando reperiunt januam. sed non opus est exire à nobis, inquit Paulus. Quisquis excutiet seipsum, intus reperiet Deum: nam in
Actor. 17. vers. 28. ipso vivimus, movemur, & sumus. Ergo si objicimus Deum esse incomprehensibilem, & non posse nos conscendere ad altitudinem gloriæ ejus, vita certe in nobis est. si vita in nobis, ergo testimonium Deitatis. quis enim ita desipiet ut dicat se vivere à seipso? quum ergo à seipsis non vivant homines, sed vitam aliunde precario obtineant, sequitur in ipsis habitare Deum. Nunc ergo Propheta postquam loqutus est de essentia Dei, descendit ad praxin ipsam. Et certe hæc seria est Dei cognitio, ubi non speculamur in aere quod disputant philosophi: sed ubi experientia sentimus unum esse Deum. quare? quia sumus. non sumus proprie, sed subsistimus: si subsistimus, certe hypostasis consideranda est. ergo esse reperietur penes unum Deum, proprie loquendo: unde sequitur vitam hominum esse luculentum specimen unicæ Deitatis. *Deus ergo vita est, & Rex seculorum*. nam quod etiam mundus conditus est, deinde quod anni alii alios sequuntur: deinde quod in hac revolutione est tanta varietas, & tamen ordo æquabilis, & temperatus, quis non conspiciet gloriam Dei in hac mundi temperatura? Nunc ergo etiam tenemus cur Propheta vocet Deum *Regem seculorum*. Tandem subjicit, *A furore ejus contremiscet terra, & Gentes non sustinebunt iram ejus*. Quia lusisset operam inter Gentes, hic admonet Judæos, ne provocent in se Deum, qui judex erit totius mundi, & perdet etiam incredulos, quamvis cæcutierint in tenebris. Admonet ergo Judæos, ne ita oculos claudant ad præsentem Dei gloriam, quæ illis propius fuit patefacta. nam Gentes ex opificio mundi poterant agnoscere Deum, & fuerunt inexcusabiles: Judæis autem erat familiaris cognitio ex Lege. Hac ratione dicit Jeremias, Etiamsi nunc Deum increduli secure contemnant, tamen ubi apparuerit judex mundi, tunc necesse erit totam terram expavescere, & non ferent ejus conspectum & præsentiam qui nunc ita superbe insultant veræ religioni. Cæterum non abs re Propheta tantum operæ sumpsit in hac parte doctrinæ: quoniam decem tribus abductæ erant in exilium, & Chaldæi & Assyrii triumphum agebant de ipso Deo, acsi devictus fuisset, quia non potuerat tueri regnum Israëlis, quod erat sub ejus tutela & præsidio: & miseri etiam Israëlitæ poterant despondere animos, quum viderent ita se afflictos esse, & tractari crudeliter, & oppressos tyrannide pudendum in modum: quid poterant statuere, nisi se non fuisse curæ Deo, & vanas fuisse ejus promissiones, vel non fuisse in eo satis auxilii ad ipsos servandos? Hac igitur de causa tam magnifice Propheta extollit Dei virtutem & gloriam, ne calamitates dejiciant & prosternant fidem eorum qui putabant se fuisse derelictos. & hoc melius patet ex sequenti versu, ubi notandum est loqui Chaldaice Prophetam: & unus hic versus est Chaldaicus in toto libro. Multum autem differt lingua Chaldaica ab Hebraica. Nuper vidimus Danielem loqui Chaldaice, ubi tractabat quæ pertinebant ad Chaldæos. nam ubi concionatus est apud populum suum, & edidit vaticinia quæ peculiariter Ecclesiam Dei respicerent, tunc Hebraice loquutus est. liber ergo Danielis scriptus est Hebraice, nisi ex parte tertia, dum scilicet vult ab ipsis Chaldæis intelligi: ita etiam Propheta hoc loco,

11. Sic (*secundum hoc*) dicetis illis, *inquit*, Dii (*prorsus diverso modo loquitur quam ante, & proximo etiam versu loquetur. Dii ergo*) qui cælum & terram non fecerunt, pereant è terra, & de sub cælis istis.

Ratio autem est cur jubeat Israël[illegible] loqui lingua Chaldaica, quoniam tracti fuerant in exilium, & permixti Assyriis & Chaldæis. Exigit ergo ab illis contemptis exulibus apertam & liberam confessionem: quasi diceret, Etiamsi nunc estis in miserrima servitute, & vos Chaldæi contumeliose opprimunt quasi mancipia, tamen asserite gloriam Dei, & non desistite ab ingenua professione pietatis, & dicite illis quasi conspueritis contra ipsorum idola, *Dii vestri pereant è terra & de sub cælis, quia non fecerunt cælum nec terram*. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Sed reliqua in crastinum differam.

Da omnipotens Deus, quum gloriam tuam nobis conspiciendam exhibeas non tantum in cælo & terra, sed etiam in Lege, Prophetis, & Euangelio, & ita familiariter te in Filio tuo unigenito patefeceris, ut nulla sit ignorantiæ excusatio: da, inquam, ut proficiamus in hac doctrina, qua tam comiter ad te nos invitas, & sic constanter tibi adhæreamus, ne ulli mundi errores nos abstrahant, sed defixi stemus in verbo tuo, quod fallere nos non potest, donec tandem perveniamus ad cælestem beatitudinem, ubi coram facie ad faciem fruemur tua gloria, quum erimus tibi plane conformes in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA PRIMA IN

JEREMIAM.

COEpimus heri exponere Prophetæ sententiam, ubi hortatur Israëlitas ad constantiam, quia tunc dispersi erant inter Chaldæos: deinde misera erat eorum conditio, quia servilis. scimus enim quam petulanter dominentur victores ubi bello subactus est aliquis populus. illi autem tracti fuerant in exilium contumeliæ causa. Ergo Propheta hic eos animat, ne deficiant, sed persistent in puro Dei cultu, & eum ingenue profiteantur. Quantum ad summam rei spectat, dicit, *Pereant è terra & è sub cælo dii qui cælum & terram non crearunt.* Sumit enim principium illud, Deum non debere censeri, nisi qui conditor est atque opifex cæli & terræ. quis autem dicet ligneos & lapideos deos mondum creasse? nam lignum est materia corruptibilis, ita etiam lapis. jam formam acceperunt à mortalibus omnes statuæ quæ deorum loco habentur. hinc patet deitatem non falso tantum, sed etiam stulte & prodigiose illis adscribi. Hæc igitur ratio est cur dicat, *Pereant è terra dii qui non fecerunt cælum & terram.* Est quidem verbum futuri temporis, sed scimus ut plurimum resolvi in optativum modum apud Hebræos. si quis tamen malit simpliciter accipere, Dii qoi non fecerunt cælum & terram, peribunt, non contendo. tamen altera expositio mihi magis probatur, quod scilicet imprecari debeant Israëlitæ exitium omnibus idolis. Jam quod lingua Chaldaica utitur, diximus heri animadversione esse dignum. tunc enim illis negotium erat cum Chaldæis, qui proterve insultabant vero Deo, quum putarent se ejus esse victores. triumphum enim non secus de ipso agebant, acsi fuisset prostratus eorum gladiis. Jubet ergo Propheta Israëlitas fortiter & animose asserere veri Dei nomen & gloriam. certum est hoc non potuisse fieri absque præsenti periculo mortis: sed oportuit veros Dei cultores præferre ejus gloriam propriæ vitæ, ita ut se exponerent hostium furori, qui tamen ipsis dominabantur, & qui traxerant eos in terras longinquas. Videmus quanti faciat Deus fidei confessionem: & tota Scriptura ostendit hoc sacrificium maxime ab ipso probari. & hinc etiam apparet, quam inepte nugeantur qui dicunt se fidem occulta fovere in animis, utcunque dissimulent coram mundo quod sentiunt. Videmus quam frigida sit, imo insipida eorum excusatio, dum scilicet perfido silentio volunt & vitam suam, & pacem redimere ab impiis. Hodie qui in Papatu vivunt, putant hac objectione se posse merito absolvi, quod non sit temere periclitandum de vita. res autem ipsa ostendit ita furere hostes Euangelii, ut si quis verbum faciat, statim trahatur ad supplicium. Sed comparemus veterem populum nobis, certe nihilo melior erat conditio decem tribuum, quum agerent in terra aliena, & essent illic mancipia. Quum ergo observarent eos Chaldæi, an non cernebant gladium quasi jugulo suo quotidie, imo assidue admotum? & tamen jubet Deus claudere oculos ad hæc discrimina, & ingenue profiteri quod sentiunt: imo detestari idola, quod erat multo odiosius apud Chaldæos. neque enim jubet tantum dicere, Deus quem colimus, se patefecit Abrahæ patri nostro, & eum colimus, quia experti fuimus redemptorem, & perpetuum custodem salutis nostræ. non tantum jubet hoc Propheta dicere: sed, *Dii vestri pereant.* Hoc certe poterat Chaldæos, etiamsi alioqui fuissent modesti homines, accendere in rabiem; jam quum & superbia essent elati propter victoriam, & Judæos exosos haberent, fuit illis sermo intolerabilis. Quid ergo dicent Nicodemitæ, qui hodie sibi blanditias faciunt: quia satis esse putant si non abnegent Deum ex animo, sed metu perterriti vel simulent se abnegare, vel palam ostendant se suffragari erroribus? In summa, videmus nullam esse pietatem in cordibus hominum, nisi accedat confessio: oportet enim mutuum esse consensum inter cor & linguam. Sed posset quispiam objicere, An necesse est fidelibus per compita & vias urbis clamare, unicum esse verum Deum? respondeo hic, non fuisse omnes electos ad munus Propheticum, ut passim concionarentur: sed hoc tamen omnibus sine exceptione mandari, ut detestentur idola, si videant gloriam Dei probrose traduci ab hostibus. nam vult Propheta eos opponere hanc responsionem contumeliis eorum, qui tunc occasione sibi data, poterant petulanter insurgere contra verum Deum. Nunc sequitur,

12. Faciens terram in virtute sua, disponens orbem in sapientia sua, & in sua intelligentia extendit cælos.

13. Ad vocem dando sonitum aquarum (*vel potius copiam aquarum*) in cælis, & ascendere faciens elevationes ab extremitate terræ: fulgura ad pluviam creans, (*faciens, ut prius*) & educens ventum è thesauris suis.

Nunc rursus Hebraice loqui incipit Jeremias. consulto enim posuit Chaldaicum sermonem, ut ostenderet non cedendum esse impiorum blasphemiis, si proterve subsannarent sacrum Dei nomen. Sed quia necesse est, confessionem oris prodire à fide, tanquam à radice fructum, ideo Propheta hic admonet Israëlitas, unicum esse Deum, quia præter eum non reperietur qui terram creaverit, qui disposuerit orbem, qui extenderit cælos. Si ergo hoc non competit nisi in unum, sequitur omnes deitates quas sibi mundus fabricat, esse falsas, & esse mera ludibria Satanæ, quibus mundo illudit. Et certe nemo cordate se opponet erroribus, nisi qui probe tenuerit Dei veritatem. Scimus fuisse olim quosdam inter Philosophos, qui jocose & facete riderent vulgi deliria: sed nemo serio suscepit hanc causam: neque etiam poterant patrocinium suscipere gloriæ Dei, qui erat illis incognitus. Ergo necesse est, quemadmodum dixi, nos fundari in vera & sincera fide, ut accedat deinde ædificium. Nam professio, qua Deo tribuitur sua gloria, est quasi superficies: fides autem, quæ latet intus in corde, est quasi fundamentum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, quum dicit unum esse qui terram fecerit. Loquitur quidem abrupte, sed oratio plus habet vehementiæ quum nomen Dei supprimit, ac virtutem ejus in medium profert: quasi diceret, Unus est, unus est qui terram creavit, unus est qui disposuit orbem, & qui extendit cælos. Quum hæc non competant in plures, sequitur homines perperam imaginari varios deos. Dicit *Deum creasse terram in sua virtute.* Alludit ad solidum terræ statum.

Philo-

Philosophi quidem ostendunt naturaliter stare terram in puncto, quoniam sit gravissimum elementum: & ostendunt rationem cur terra sic pendeat in medio aëre, quia centrum mundi attrahit quod magis grave est. & hæc quidem scite disputant. interea ulterius progredi necesse est. Neque enim centrum terræ est principium creationis. sequitur ergo suspensam esse terram in aera, quoniam ita Deo placuit. Ergo quum fortitudinem Dei commendat Propheta in terræ positu, non dubium est quin ad firmum ejus statum alludat. Adjungit postea, *Unus est qui disposuit in sapientia orbem.* nun exprimit essa unum, sed intelligit tacite. Quanquam vero nomen תבל accipitur pro orbe terrarum, potest tamen latius patere. Nec dubito quin saltem comprehendat Propheta etiam mare. Et scimus non ita subtiliter loquutum fuisse Spiritum in Lege & Prophetis, quoniam stylum formavit ad communem vulgi captum. Dicit ergo *orbem esse dispositum in sapientia Dei.* Est enim hoc admirabile, aquas sic terræ misceri, ut tamen habeant proprium domicilium, & coërceantur ut non obruant terram: & etiam in ipsa terra esse tantam verietatem. aspicimus ab una parte montes, deinde occurrunt colliculi, sunt prata, sunt sylvæ, sunt agri sativi. Accedit quidem ad hanc varietatem industria hominum: sed videmus ut Deus terram aptaverit in diversos usus. hic ergo refulget admirabilis Dei sapientia. Postea ubi de cælis loquitur, dicit, *extendi*, vel extensos fuisse *Dei intelligentia.* Utitur quidem variis nominibus, sed rem unam designat, nempe considerari posse singularem Dei sapientiam in terra, & in cælo. Quidam sequentem versum contexunt, & verbum נטה aliter interpretantur: quod scilicet Deus cælos extendat, quum obducit nubibus: quoniam sequitur verbum תתו, quod tantundem valet, atque Dando multitudinem. sed accipitur sæpe infinitivus modus pro præterito. Ergo quoniam hæc expositio coacta est, & nimis longe petita, ego eam repudio. Nec dubium est quin Propheta hic loquatur de nativa cælorum forma. Quum autem Deus cælos obducit nubibus, non apparet vera cælorum effigies. Deinde, Extendere (hoc est, verbum hoc נטה) torquetur in alienum sensum, si accipitur pro obscurari nubibus: & qui sine contentione expendent locum, facile hoc admittent, nempe Prophetam loqui de cælorum extensione: ut passim Scriptura Dei sapientiam commendat in hoc artificio inæstimabili. *Psal. 104. vers. 2.* nam cælum dicitur esse expansum supra terram, quia undique ipso tegitur. Jam quamvis simpliciter Cælorum nomen usurpet Jeremias, tamen complectitur miracula, quæ in cælo apparent: quod scilicet Sol quotannis conficiat proprium cursum: deinde quotidie rapiatur adverso motu: etiam Planetæ habeant duos motus diversos: præterea quod huc & illuc deflectant in diversas partes: quod Sol nunc videatur ascendere, nunc descendere. Denique arcana omnia Astrologiæ hic breviter commendat Jeremias quum dicit *expansos fuisse cælos à Deo*, idque singulari & incomparabili sapientia. Quamvis ergo breviter perstringat hoc insigne Dei opificium, vult tamen nos diligenter insistere in hac meditatione: quia facile evanescent omnes errores & omnia figmenta, ubi probe expendemus virtutem & sapientiam Dei in creatione cæli & terræ, & in ordine totius mundi. Nunc descendit Propheta ad alia Dei opera, nempe quæ variis modis contingunt. Nam in natura est perpetuus status, quantum ad cælum, & terram: deinde sunt multa accidentia; quoniam ubi Deus obtenebrat aërem, ubi excitat ventos & grandinem, ubi emittit pluvias, hæc contingunt præter stabilem illam mundi formam, de qua prius disseruit. Videmus ergo Prophetam hactenus loquutum esse de perpetua & stabili gubernatione mundi, quantum attinet ad ordinem creationis. Jam sicuti dixi, nunc alteram speciem proponit, nempe *quod Deus voce sua det*, vel emittat, *copiam aquarum è cælo.* המון vertunt quidam Sonitum: sed potius hic accipitur pro multitudine aquarum, vel copia. Vocem porro Dei hic accipit pro tonitru. Quamvis enim sæpe pluat absque tonitru: ubi tamen Deus è cælo tonat, fit subita conversio, & quæ non modo aërem ipsum conturbat, sed animos etiam nostros percellit. Quoniam ergo in subita illa & inopinata mutatione melius relucet potentia Dei, Propheta dicit, *ad vocem dare copiam aquarum.* dicit postea, *Ascendere facit elevationes.* Videmus enim vapores exurgere è terra, & sursum attolli. Philosophi ostendunt qua ratione id fiat: sed non poterit tamen excludi virtus Dei, ubi naturaliter aliquid fieri dicimus. Nam hinc melius cognoscitur quod docet hic Propheta, nempe Deum ita disposuisse orbem, ut dum attollit vapores sursum, ostendat se dominari in cælo, & in terra. Et dicit, *Ab extremo terræ.* Nam videbimus vapores oriri procul, & statim operient capita nostra. nonne est hoc mirabile? & nisi usu vilesceret hoc miraculum, certe raperet nos in admirationem sui. Ergo Propheta hic expergefacit homines à suo torpore, ut discant quod oculis ipsorum objicitur, considerare. Dicit, *Creans*, vel faciens, *fulgura ad pluviam*, vel cum pluvia. ל enim quidam hic accipiunt, acsi dixisset misceri fulgura pluviæ. Et certe videmus res esse contrarias ignem & pluviam: & tamen ignis generat aquam: deinde habitat in media congerie aquarum. pluet: & simul tamen accensus erit aër multis fulgetris. Quum ergo res contrarias Deus ita simul implicet, deinde ignem faciat originem & causam pluviæ, nonne hoc miraculum deberet etiam lapides ipsos movere? Quantus ergo stupor est in hominibus, qui non attendunt ad tam dilucidum opus Dei, in quo poterant agnoscere ejus gloriam tam in sapientia quam in potentia? Postea dicit, *Deum educere ventos è thesauris suis.* Vocat *thesauros Dei*, loca recondita. nam unde venti, nisi ex cavernis terræ? Quum ergo terra ubi cava est, generet ventos, merito Propheta dicit illos reconditos esse *in thesauris Dei.* Causam etiam reperiunt Philosophi, cur venti è terra exurgant. Nam sol attrahit tam vapores, quam exhalationes: ex vaporibus creantur nebulæ, creantur nives, creantur pluviæ, prout disposita est media regio aëris. Jam exhalationes etiam creantur: inde tonitrua, inde fulmina, inde etiam cometæ, inde venti. nam exhalationes distant à vaporibus tantum levitate, & raritate. Vapor est crassus, deinde gravis. Ergo ex vapore pluvia. exhalatio autem levior est, deinde non adeo densa: ideo exhalationes generant tam fulmina quam ventos, prout scilicet plus est caloris, vel minus. Unde fit, ut eadem exhalatio nunc in ventum erumpat, nunc in fulmina? nempe quia concipit plus caloris exhalatio: deinde ubi densata est, assurgit in aërem: venti autem evanescunt, & ita infimam partem mundi conturbant. Hæc dicuntur philosophice: sed interea caput ipsum Philosophiæ est, respicere in Deum ipsum, *qui ventos educit è thesauris suis*, quia tenet reconditos. Miramur subito oriri ventum ubi est serenitas: quis non agnoscat ventos Dei arbitrio creari: deinde huc & illuc adigi, & impelli? Et ideo in Psalmo vocantur *Psal. 104. vers. 4.* celeres nuncii Dei: Qui facit spiritus nuncios suos. Sequitur,

14. Stul-

14. Stultus est omnis homo à scientia, (*vertunt alii, præ scientia: sed perperam, meo judicio*) pudefactus est omnis conflator à sculptili: quia mendacium conflatile, & non est spiritus in illis.

Quidam initium versus nimis argute accipiunt, quod scilicet homines infatuet proprium acumen vel sapientia quam sibi arrogant, quemadmodum
Rom. 1. dicit Paulus homines evanescere in suo sensu, ubi
vers. 21. Deum concipiunt pro sua imaginatione. Sed magis popularitet loquitur Propheta. Dicit igitur *stultos esse omnes artifices.* Nam Scientiæ nomen hic accipit non pro liberali doctrina, sed pro scientia artificum, sive sint lignarii fabri, sive ferrarii, & quicunque vel conflant, vel sculpunt, vel fabricant ligneos & lapideos & argenteos deos. nam hoc colligitur ex secundo membro versus. Et nulla erit ambiguitas, si expendamus Prophetæ verba. Duobus enim modis rem unam exprimit, *quod stulti sint omnes artifices.* Postea addit speciem: *nempe*, inquit, *omnis conflator.* Videmus ergo Prophetam hic non accipere stricte Sapientiæ nomen, sed extendere etiam ad artes manuarias. Quum autem dicit *artifices esse stultos*, non dubium est quin illis adjungat omnes falsorum deorum cultores. Sed sapientiam eorum traducit, qui applicant quicquid est in illis artis & scientiæ ad res tam vanas: Ecce, inquit, putabit vel aurifaber, vel quispiam alius artifex se esse valde ingeniosum, si affabre exsculpat idolum aliquod: impendet quicquid est ingenii vel artis ad rem tam vanam. Quænam est ista stultitia? nam putat se Deum facere manu sua. interea non mutat vel argenti, vel auri materiam. Formam duntaxat adjungit. sed forma hæc non continet vitam: & ideo subjicit tandem, *non est spiritus in illis.* Sed prius dixit eos qui conflant sculptile, *pudefieri*, hoc est, deprehendi in sua stultitia: quemadmodum vocavit ipsos fatuos, aut brutos. Nam בער in conjugatione Hiphil significat stultum fieri: sed nomen בער significat brutum animal. Ergo ignominiose comparat asinis, aut bobus, & aliis brutis animalibus præclaros istos artifices, qui famam sibi comparant ex eleganti forma suorum deorum. Quidam vertunt istud נסך Operimentum: sed non dubito quin significet conflatile. repetit enim quod prius dixerat, nempe *pudefactos esse conflatores à sculptili.* In summa, dicit *conflatile esse mendacium: quia non est in illis spiritus*, inquit. mutat numerum, sed absque jactura sensus. Paulo ante vidimus idola esse eruditionem vanitatis: quia scilicet nimis crasse falluntur ac desipiunt, qui volunt gloriam Dei includere vel lapidi, vel ligno. Dicent profani homines, sibi nunquam hoc venisse in mentem: sed res ipsa coarguit, eos mentiri, & obtendere vanos prætextus. Nam cur fiduciam locant in idolis? cur se coram illis prosternunt? cur illuc dirigunt preces & vota? Volunt igitur Deum habere præsentem in forma aliqua visibili. Jam Propheta dixit hanc esse eruditionem vanitatum, quia scilicet Deum transfigurant quicunque similem existimant auro, & argento, & putant quicquam habere affine cum his mortuis elementis, quæ sensu carent. Eodem consilio nunc repetit, *conflatile esse mendacium.*
quare? quia convertitur in mendacium Dei veritas, Rom. 1.
ut inquit Paulus. Hæc igitur prodigiosa est defor- vers. 25.
mitas, quum homines imaginantur vel lapidem, vel lignum esse effigiem Dei. Nihil enim simile: nec potest hoc in animum subire sine gravi & atroci Dei contumelia. Et ratio etiam notanda est: *Non enim*, inquit, *spiritus est in illis.* Deus est vita vitarum, ut ita loquar. Jam vocare imaginem Dei rem mortuam, in qua nullus est sensus nec vigor, nonne hoc est vertere lucem in tenebras? Ergo hæc ratio nobis tenenda est, & debet nobis sufficere ad refutandos omnes errores quum Propheta dicit *non esse spiritum in idolis*, hoc est, in ligno, lapide, auro, & argento, ideoque esse mendacium, quia Deus non sustineat se conferri rebus mortuis, & quæ sensu & vigore carent. Postea addit,

15. Vanitas sunt, opus illusionum: in tempore visitationis ipsorum peribunt.

Confirmat eandem sententiam. prius vocavit שקר mendacium, nunc vanitatem nominat הבל, eodem sensu: *Sunt*, inquit, *vanitas.* Dixerat esse mendacium, hoc est, homines nimis crasse decipi, dum volunt præsentiam Dei quærere in rebus mortuis. jam addit *vanitatem:* & sequitur, *esse opus illusionum.* Alii vertunt Subsannationum, & passive accipiunt: ideo Chaldæus vertit rem esse ludibrio vel risu dignam. Sed potius accipitur pro impostura;
Gen. 27. vel deceptione. Quum dicit Jacob matri suæ, Repe-
vers. 12. tiar in oculis patris mei illusor: quidam etiam illic vertunt, Reperiar subsannator. Sed potius intelligit Jacob se deprehensum iri in mala fide, vel in dolo: quasi diceret, Ero impostor, & pater meus deprehendet fraudem. Sic etiam hoc loco vocat opus deceptionum, quo scilicet homines seipsos infatuant. Non ergo simpliciter docet idola subsannatione digna esse, sed potius hoc refert ad eorum vesaniam qui imaginantur deos esse, sicuti prius dixerat esse vanitatem & mendacium. Neque enim dubium est quin pluribus modis eandem sententiam repetat atque confirmet. Tandem adjungit, *In tempore visitationis eorum peribunt.* Relativum tam de ipsis idolis, quam de Chaldæis potest accipi: Quum advenerit tempus visitationis, nempe ut pœnam de hostibus Ecclesiæ sumat Deus, tunc etiam peribunt eorum idola: vel, Quum advenerit tempus, quo idola visitabit Deus, etiam peribunt. Et uterque sensus tolerabilis est: imo quod ad rem ipsam spectat, nihil fere interest. Poterant excipere Israëlitæ, Qui fit igitur, ut dii falsi, quos sibi homines fabricarunt, colantur, & sint magno in pretio, & celebretur eorum fama? quomodo hoc Deus patitur, ac dissimulat? poterant igitur Israëlitæ ita excipere. Ideo Propheta occurrit, *Peribunt*, inquit, *sed in tempore visitationis.* Exhortatio est ad patientiam, ne animis frangantur, aut debilitentur fideles. tametsi videant ferri hominum humeris argenteos deos, tametsi videant ligna & lapides locari in locis excelsis: deinde fieri illis suffitum, & offerri sacrificia. Quamvis ergo videant tanto in pretio idola esse, ne tamen ideo concidant, vel deficiant à vera pietate: quoniam expectandum sit visitationis tempus, quo Deus exequetur suum judicium tam adversus falsos deos, quam adversus ipsorum cultores. Nunc ergo tenemus cur de visitatione loquatur. Sequitur,

16. Non sicuti illi portio Jacob, quia creator omnium est: & Israël virga hæreditatis ejus: Jehovah exercituum nomen ejus.

Diximus paulo ante, non posse ex animo & cordate rejici superstitiones, nisi postquam agnitus est verus Deus. Nam profani homines etiamsi non probent opiniones vulgi, tamen disputant in utramque partem: & interea nihil est illis certo & solide persuasum. Necesse igitur est ut præcedat veri Dei

cognitio. Et ideo Prophetæ quoties de idolis loquuntur, ponunt verum Deum: quia parum esset traducere stultitias illas, nisi Deus in gradu suo simul statueretur. Ergo ob hanc causam iterum dicit Propheta, Deum qui est pars Israëlis, non esse similem idolis. Vocat Deum portionem Israëlis, ut contineat populum in pura Legis doctrina, quam didicerat, & qua fuerat imbutus: & ita abstrabit Israelitas ab omnibus hominum vel Gentium figmentis. *Portio* igitur *Jacob non est similis idolis.* quare? *Est* enim *fictor omnium*, inquit: hoc est, opifex cæli & terræ. deinde, *Est Israël virga hæreditatis ejus.* Sed Virga etiam potest accipi pro decempeda: & mihi secundus hic sensus magis arridet, quoniam adjungit Hæreditatem. Deus autem similitudinem hanc sumit è communi usu, quemadmodum solemus metiri agros & hæreditates decempeda: ideo dicit *Jacob esse virgam*, hoc est, decempedam, vel baculum mensurarium, ut ita loquar, *hæreditatis Dei.* Et tandem concludit *Jehovam exercituum esse ejus nomen.*

Da omnipotens Deus, quando dignatus es tam familiariter te nobis ostendere, & quotidie etiam dignaris confirmare nos in veritate tua, nè declinemus vel ad dextram vel ad sinistram, sed pendeamus toti à verbo tuo: & sic tibi addicti simus, ne ulli mundi errores nos abducant: sed constanter perstemus in ea fide quam didicimus ex Lege tua, ea Prophetis, & Euangelio, ubi clarius nobis innotuisti per Christum, donec tandem fruamur plena & perfecta gloria tua, ubi in eam fuerimus transfigurati, quum scilicet pervenerimus in eam hæreditatem, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SECUNDA IN JEREMIAM.

17. Collige è terra merces tuas, quæ habitas in munitione.
18. Qnia sic dicit Jehovah, Ecce ego funda projiciens habitatores terræ vice hac: & coarctabo eos, (*vel faciam ut obsideant eos*) ut inveniant.

PRimum versum quem recitavimus, Hebræi (meo judicio) perperam torquent ad Chaldæos. Dixerat quidem Jeremias, stultas esse omnes Gentes, quæ sibi fabricant deos lapideos, & ex corruptibili quavis materia: sed vidimus quo consilio: nempe quia necesse erat Israelitas, quum essent mancipia, & præter ignominiam exilii etiam essent valde exosi Chaldæis & Assyriis: necesse igitur fuit eos confirmari, ne propterea desciscerent à vero Dei cultu, sed constanter assererent ejus Dei gloriam, à quo sperabant restitutionem. Quod ergo exponunt omnes fere Hebræi hunc versum de Chaldæis, omnino absurdum est, quia contexi debent duo versus, *Congrega merces tuas, nam sic dicit Jehovah.* Mirum est autem, interpretes illos secundum versum accipere de Israëlitis, interea concise legere superiorem versum, acsi nulla esset conjunctio: quum tamen appareat, postea causam reddi, cur jubeat contrahi omnes merces. Sensus autem simplex est, totam regionem obnoxiam fore libidini hostium, ut eam diripiant. Quoniam ergo instabat vastatio, ideo jubet Propheta eos qui habitant in locis munitis, contrahere merces suas, vel contractionem: postea enim de voce dicemus. Diximus autem jam pluribus locis, Prophetas ironice perstringere torporem populi: quia frigebat simplex doctrina, nisi ageretur cum ipsis quasi tumultuose. Propheta igitur suscipit personam hominis, qui affert terrores bellicos, quemadmodum paulo post clarius videbimus. Sed hoc loco, ut alibi, denunciat nusquam in Judæa tutum fore locum, nisi in munitionibus, quæ tamen ipsæ non poterunt repellere hostium impetum, ut etiam suo loco dicetur. Quod attinet ad verbum: quidam exponunt, Congrega humiliationem tuam. כנע enim significat humiliari. sed referunt ad Babylonem, quasi diceret Propheta, Jam desine subigere reliquas omnes gentes. Et ita verbum אסף accipiunt pro contractione, ubi modus aliquis imponitur. Sed jam dixi non posse exponi hunc versum de Babylone, nec de Chaldæis. Quum ergo sermonem dirigat Propheta ad Judæos, vel de negotiatione loquitur, aut mercibus: vel de rebus pretiosis, quæ solent colligi, & recondi: quasi diceret, Collige contractionem tuam. Nam כנע significat etiam contrahere. & illa est propria significatio: per translationem pro negotiari postea capitur. Sed de re ipsa videtur nulla esse ambiguitas, quoniam Propheta ostendit, totam Judæam brevi vastatum iri ab hostibus: & quoniam exposita esset prædæ, ideo agendum esse quod fieri solet, nempe ut colligatur quicquid est pretiosum in urbes munitas. In summa, Propheta hic denunciat bellum Judæis, & simul cladem, quæ grassabitur per totam terram. Terræ enim nomine significat planam regionem: & opponitur terra urbibus munitis. Sequitur ratio, *Sic enim dicit Jehovah, Ecce ego funda projiciam habitatores terræ.* terra hic alio sensu accipitur, nempe pro tota regione. Ubicunque ergo habitent Judæi, extrahet eos Dominus, inquit Propheta, *quasi funda projiceret.* Nunc ergo videmus iterum denunciari Judæis quam spernebant vindictam, quoniam securi jacebant in suis deliciis: & quo magis ac magis provocarent iram Dei, putabant fabulam esse quicquid dicebat Jeremias de illius judicio. Comparat autem violentum exilium projectioni lapidis, & Deum comparat funditori. Scimus dum torquetur funda, & projicitur lapis, quam violentus sit motus ille. Ergo talem jaculationem hic minatur Deus populo, quod scilicet huc & illuc illos violenter disjiciet, quemadmodum solent lapides è funda projici. Dicit, *vice hac*, nempe ut sciant Judæi cladem fore instar subitæ procellæ. Nam sæpius experti fuerant hostium insultus. sed nunc se redemerant, nunc coacti fuerant Assyrii & Chaldæi ob alios motus cursum reflectere: vel mirabiliter fuerant liberati Dei auxilio. sperabant idem semper fore. præsertim vero putabant, se bellum trahendo, posse hostes ludificari, quemadmodum sæpius fecerant. postremo hinc inde expectabant auxilia. Ergo Propheta significat, sic abstractum iri, ut Deus illos simul omnes ejiciat à patria, & ejiciat quasi uno die. *Vice* igitur *hac projiciam habitatores terræ*, inquit: *postea coarctabo eos.* quidam transitive accipiunt, quoniam est in conjugatione Hiphil, Faciam ut obsideantur ab hostibus: deinde, Ut inveniant eos hostes, subaudiunt. Sed videtur hoc nimis coactum. Alii rectius exponunt, Ut inveniant, nempe quæ illis toties fuerunt prædicta. Diximus enim contemptos fuisse Prophetas cum omnibus minis, quoniam obduruerant

Judæi

Judæi ad impietatem. ergo probabilis est illa interpretatio. Sed malo generaliter accipere, *ut inveniant*, nempe quod captarunt. nam provocaverant multis & variis modis iram Dei. Oportuit igitur eos tandem sentire quid adepti essent perversis suis studiis: quemadmodum etiam dicitur Jesaiæ quinquagesimo septimo, Invenient fructum viarum suarum. [*Jesa. 57. vers. 10.*] Nihil minus volebant Judæi, quam accersere sibi cladem, quam Jeremias denunciat: sed re ipsa diu hoc quæsierant, quia oportuit rependi illis mercedem suorum scelerum. Ergo *ut inveniant*, nempe mercedem operum suorum, ita subaudio. Sequitur,

19. Hei mihi super contritione mea, dolore plena est percussio mea: & ego dixi, Certe (*vel, Utique*) hæc plaga mea, & feram eam.

Non dubium est, quin Propheta hic suscipiat personam totius populi, quia videbat nullum moveri tam gravibus & severis minis. Et hæc figura jam satis nota esse debet, quoniam hæc loquendi ratio trita est omnibus Prophetis. compellant enim directe populum: sed ubi vident se nihil proficere, per modum indignationis seipsos colligunt, & secum loquuntur quasi coram Deo: ita exprobrant hominibus duritiem ac socordiam. Sic ergo nunc Jeremias, *Hei mihi super contritione mea*. Non dolebat sua causa privatim, sed quemadmodum dixi, repræsentat affectum doloris qui debuerat esse in toto populo, & tamen nullus erat. Quum ergo ita non tantum stupidi essent, sed superbe riderent Deum & omnes ejus minas, Propheta hic quasi in speculo illis ostendit, quam gravis & acerbus luctus ipsos maneat. Tenendum igitur est, Prophetam hic loqui non ex sensu populi, quoniam sic obtorpuerat ut nihil prorsus sentiret: sed loqui ex re ipsa: quasi diceret, Si qua esset in vobis gutta prudentiæ, omnes certatim deflerent propinquam cladem. pridem judicium Dei cœpit incumbere vestris capitibus: nemo autem movetur. itaque solus lugebo, sed vestra causa. Interea dubium non est, quin voluerit tentare modis omnibus an possent minæ Dei penetrare in eorum animos. Dicit *percussionem suam plenam esse doloris*. Deinde adjungit: *Et dixi, Certe hæc plaga mea, & feram eam*, inquit. Quemadmodum nuper dixi, non refert quid vel cogitent, vel loquantur Judæi: sed quid illis debeat in mentem venire, si vel tantillum saperent. Quidam hoc trahunt ad versum sequentem, quasi diceret Propheta se putasse sufficere ad ferendum dolorem, sed fuisse deceptum, quoniam tandem coactus fuerit succumbere. Atqui illud quoque nimis est contortum. & alioqui contextus optime fluit: quod scilicet Propheta hic admoneat populares suos quo debeant esse affectu, ubi agnoscunt Deum sibi esse infensum. Neque enim dubium est, quin oblique adhuc perstringat eorum socordiam, quia palam se exerat manus Dei ad illos castigandos: ipsi autem non respiciant manum percutientis. Ideo refert quid debeant apud se cogitare, ubi Deus signa iræ suæ demonstrat: nempe ut agnoscant hanc esse plagam suam, & ideo ferendam esse. Hæc enim optima est ad pœnitentiam præparatio, ubi peccator agnoscit se jure plecti: deinde ubi etiam libenter jugum recipit. Si ergo hucusque progredi quisquam potest, jam dimidia est illa conversio. Ergo Propheta hic docet unicum superesse remedium Judæis, ut certo statuant se meritos esse quas sustinent pœnas, deinde ut patienter se subjiciant judicio Dei: quemadmodum filius qui obsequens est patri suo, patitur se castigari quum deliquit. Psalmo 77. alio sensu dicitur, Meum est occidere. [*Psal. 77. vers. 11.*] hic dicit Propheta חלי: illic autem חלותי. Varie quidem exponitur locus ille, sed videtur vox esse desperationis quum dicit, Meum est occidere: id est, Actum de me est. Hic autem Propheta ostendit initium resipiscentiæ hoc esse, si Judæi intelligant se dignos esse plaga illa. Nam haud dubie fit comparatio culpæ & pœnæ in hoc loco; quasi diceret Propheta, Nos ita sumus promeriti: Deus ergo justam rependit mercedem peccatis nostris. Hoc unum est, nempe dare Deo gloriam, & fateri illum justas pœnas exigere. Sed nondum hoc sufficeret, nisi accederet tolerantia: *perferam* igitur, hoc est, subjiciam me Deo. Multi enim, ubi convicti sunt scelerum, tamen fremunt adversus judicem, atque etiam tumultuantur. Propheta igitur duo hæc simul conjungit, nempe confessionem culpæ, deinde tolerantiam: dum scilicet placide subjiciunt se Deo, qui tamen experiuntur ejus rigorem, quamdiu adversus eos exercet officium judicis. Postea addit,

20. Tabernaculum meum vastatum est, (*vel dirutum*) & omnes funes mei rupti sunt: filii mei egressi sunt à me, (*particula* ני *tantundem valet ac* מבני) & nulli sunt: (*hoc est, nulli restant amplius*) nemo qui extendat amplius tabernaculum meum, & erigat (*vel disponat*) cortinas meas.

Potest esse metaphora sumpta à pastoribus: & videtur hoc non male quadrare. quanquam sæpe Ecclesiam comparant Prophetæ tabernaculo. Etsi enim alibi dicitur fundata esse Ecclesia in montibus sanctis, [*Psal. 87. vers. 1.*] & tribuitur illi magna soliditas, tamen quoad externum statum merito dicitur tabernaculo similis, quia nusquam fixa est statio filiis Dei in terra. coguntur enim subinde mutare locum. Et ideo etiam Paulus vocat fideles instabiles. [*1 Cor. 4. vers. 11.*] Sed quoniam paulo post fiet mentio pastorum, ideo Propheta videtur alludere ad tuguria pastorum. Quanquam generalius quidem postea accipiet hanc similitudinem, hoc est, latius extendet: sed nihil obstat quominus ad pastores respiciat, de quibus paulo post loquetur: & interea retineat communem illam figuram, quæ passim occurrit apud omnes Prophetas. Dicit igitur *tabernaculum suum esse dirutum, & omnes funes suos ruptos*. Quod tabernaculum quidam accipiunt de urbe Jerosolyma, coactum est, neque convenit: & jam diximus, Prophetam hic loqui in persona totius populi, perinde acsi faceret populum similem viro & patrifamilias qui in tabernaculis habitat. Dicit, *Filii mei egressi sunt à me*. Conqueritur ergo populus se orbatum esse omnibus filiis: neque id modo, sed etiam huc & illuc esse dispersos, quod miserius est quam si morte ablati essent. Postea adjungit, *Et nullus est qui extendat tabernaculum meum, & qui erigat cortinas meas*. Significat Jeremias, populum sic orbatum iri, ut nemo auxilium ferat, & indigeat tamen omnium auxilio. Nemo tunc putasset hoc fore, & ludibrio habitus fuit Jeremias: alii etiam adversus ipsum frendebant: sed tamen ostendit quid futurum sit. Et quo plus vehementiæ habeat oratio, & sit efficacior, loquitur quasi ex eorum persona: acsi avarum quidam Poeta repræsentaret in theatro, & suggereret quæ ejus personæ apta essent, accommodaret verba & gestus, ita ut posset ille quasi in speculo perspicere mores suos & ingenium. Sic etiam hic Propheta quum videt simplici doctrina non tangi stupidum illum populum, dicit omnes debere & in animis hoc sentire, & lingua etiam testari, nempe quod sint solitarii, sint deserti à suis omnibus, nec jam quisquam illis opem ferat. Sed prosequitur metaphoram illam de qua diximus. Nunc sequitur,

21. Quia infatuati sunt Pastores, & Jehovam non inquisierunt: propterea non egerunt prospere, (*alii, non intellexerunt*) & omnis pascua eorum (*hoc est, quicquid in pascuis eorum erat*) fuit destructum.

Primo loco causam assignat horrendæ illius vastationis, de qua loquutus est: quia scil. sensu & intelligentia caruerint Pastores. Adhuc perseverat in sua metaphora, ut videmus. Quod restringunt quidam hoc ad reges Israel, mihi non probatur. complector enim sub hoc nomine tam Regem & ejus Consiliarios, quam Sacerdotes & Prophetas. Non vult autem Jeremias populum eximere à culpa, dum peculiariter accusat Pastores: sed tantum demonstrat primam originem, & causam malorum, quod scilicet Reges & Prophetæ & Sacerdotes cæcutiverint, atque ita perdiderint gregem Dei. Alibi etiam vidimus similes loquendi modos, ubi Prophetæ non extenuabant peccata populi, neque volebant absolvere vulgus ipsum. Sed quoniam ut plurimum contingit, plebeios & obscuros homines recumbere in Proceres, qui rerum potiuntur: ideo necesse fuit, Prophetas notare illud vitium. Et scimus etiam quanta sit superbia in Regibus, & in Sacerdotibus, & aliis quibuscunque qui dignitate aliqua pollent. Putant enim se solutos esse omni lege: volunt sibi parci acsi essent sacrosancti. Hac igitur ratione Propheta vehementius & acrius contra tales insurgit. Propterea dicit *Pastores esse infatuatos:* sic enim tunc populus repudiabat Prophetas, ut hodie videmus fieri in Papatu. Nam etiamsi præfertur clara & perspicua Dei veritas, multi tamen ut clypeum objiciant, obtendunt se fidem habere Episcopis suis, & Prælatis, & Regibus, & aliis larvis. Quum ergo videret Jeremias puram Dei doctrinam ita opprimi inani illo splendore, necesse habuit detegere fucum illum, & abstergere, ut ita loquar. hac igitur ratione dicit *infatuatos esse Pastores.* Quod si hæc necessitas incubuit Prophetis, hodie quid agendum est, ubi videmus eos omnes, qui plenis buccis jactant se esse Ecclesiam repræsentativam, tamen esse meros impostores, & trahere miseras animas in exitium: quid obsecro agendum nobis est, quam quod à Prophetis didicimus? deinde quam stulte & pueriliter ineptiunt Papales Episcopi, dum volunt se reddere immunes ab omni judicio, quoniam penes ipsos sit potestas, & ordinaria jurisdictio? nam certe non possunt sibi plus sumere, quam Sacerdotes Levitici olim: Deus enim genus illud sibi elegerat, & quicunque erant Sacerdotes Legales, poterant jactare se creatos fuisse divinitus. atqui videmus cogi ipsos in ordinem, & vocari fatuos. Quum ergo Papa cum omnibus suis non fuerit creatus à Deo, neque ullum habeat testimonium suæ vocationis, etiamsi omnia sibi arroget, idque videatur jure facere: non tamen potest excellere præ antiquis Sacerdotibus. ergo necesse est, ut subeat judicium, quod denunciat hic Deus per os Prophetæ sui. Causam reddit cur infatuati sint, *quia non inquisierunt Deum.* Videmus ergo ex opposito, hanc esse veram sapientiam, ubi quæritur Deus. proinde ubi nullum est studium inquirendi Dei, necesse est, etiam qui videntur acutissimi esse, prorsus desipere. hoc consilio etiam vocat insulsos vel insipidos Jeremias, quicunque Deum non inquisierant. Hic locus docet hanc unicam esse legem rite gubernandi, ubi qui præsunt, student dare gloriam Deo, & referunt ad eum omnia studia sua, & actiones: ubi autem alio trahuntur, necesse est desipere, & infatuari, quacunque prudentia polleant. Hinc dicit *non egisse prospere.* שכל significat Intelligere, significat etiam Prospere agere. non video rationem, cur hic vertamus, Ideo non egerunt prudenter. hoc enim videtur esse frigidum, nec video quis sensus possit inde elici. Sed Propheta merito dicit, infeliciter gubernasse tam Reges, & eorum Consiliarios, quam Sacerdotes & Prophetas, *quia non quæsierunt Deum*, & quoniam nulla esset illis cura pietatis, fatui fuerint. Et confirmat hanc interpretationem quod sequitur, *Et omne quod erat in pascuis ipsorum*, &c. Propheta enim videtur hic speciem subjicere generi, & ostendere gubernationem illam fuisse infaustam, & maledictam à Deo, quoniam neglecta fuerit pietas. Ergo specialiter dicit *pascua fuisse deserta*, hoc est, gregem qui erat in pascuis fuisse prorsus dissipatum. Sequitur,

22. Vox rumoris ecce venit, & strepitus (*vel tumultus*) magnus (*commotio, alii vertunt*) è terra Aquilonis, ad ponendas urbes Jehudah in vastationem, domicilium draconum.

Hoc versu docet Jeremias jam non opus esse populo obstinato ulla Prophetica doctrina. neque enim dubium est, quin tacita sit antithesis inter vocem Dei, quæ debebat assidue personare in Judæa, & inter tumultuosos clamores hostium. nam Prophetæ alii post alios objurgaverant populum illum, sed absque profectu. Nunc ergo quoniam surdi erant ad vocem Dei, Propheta ostendit novos doctores jam instare, qui alio modo & insolito ipsos percellant. *Vox ergo clamoris audita est.* non vultis me, & alios Dei servos audire, sed *vox clamoris venit ab Aquilone*, hoc est, Chaldæi erunt vobis magistri: ego remitto vos ad eorum scholam, quando operam perdidi tot annis, & qui ante me sedulo conati sunt vos reducere in viam, & quorum opera usus est Deus, & qui tam fideliter volebant saluti vestræ consulere: neque enim illi sunt magis auditi, quam ego. non ergo docebunt vos amplius: jam vos ad Chaldæos ablego, illi vos docebunt. Simplex est ille sensus. *Vox ergo rumoris*, vel auditus, ad verbum. dicit שמועה, auditum venire, hoc est, vocem quæ audietur, quoniam scilicet aures Propheticis admonitionibus occluserant. *Et tumultus magnus*, vel commotio, *è terra Aquilonis.* Nunc ergo videmus opponi Chaldæos Prophetis qui frustra laboraverant apud Judæos: quasi diceret Jeremias Judæos velint nolint fore attentos ad hunc tumultuosum clamorem: nempe, *ad ponendas urbes Jehudah*, inquit, *in vastationem & domicilium draconum.* Sequitur,

23. Novi Jehovah, quod non sit penes hominem via ejus, non sit penes virum ambulantem, ut dirigat gressum suum.

Restricte accipiunt hoc Judæi de Sennacherib, qui statuerat pro suo arbitrio nunc Ammonitas, nunc Moabitas aggredi, & illos redigere in suam potestatem: sed postea quasi motu subito raptus fuerit in Judæam. sed illud est nugatorium. Non dubito igitur quin Propheta respexerit potius ad Judæos, qui pridem assueverant à se repellere omnem metum, quasi suis consiliis possent rebus suis optime consulere. Scimus enim, quoties aliquod discrimen impendebat ab Assyriis, solitos fuisse confugere vel in

Ægyptum, vel in Chaldæam. Ita ergo providi erant, ut putarent rebus suis optime esse prospectum, si hoc vel illud statuerant apud se. deinde quum Prophetæ denuntiabant vindictam Dei, solebant tantum respicere quid proprie instaret, quasi Deus momento uno non posset ab ortu Solis usque ad occasum vibrare sua fulmina. Quum ergo hæc securitas torporem & contumaciam obduceret Judæis, Propheta merito hoc loco exclamat, *Scio, Jehovah, quod non sit penes hominem via ejus, nec penes virum ambulantem, ut dirigat gressus suos.* Nunc tenemus in quem finem tendat Propheta: & hoc semper respiciendum est, si cupimus cum fructu legere quæcunque scripta sunt: nempe ut reputemus quale fuerit consilium Spiritus sancti: deinde in quem scopum verba direxerit. ubi hoc tenemus, jam facilis est transitus ad reliqua. Sed qui non expendit finem, ille vagatur semper huc & illuc: etiamsi multa dicat, non tamen attinget ipsam rei summam. Notandum autem est, Prophetam, ut antehac fecit, loqui seorsum acsi Deum solum haberet testem, quia videt suos populares sic obduruisse, ut frustra apud eos verba fundat. Quoniam ergo videt tantam esse duritiem in populo, ut nihil sperandum sit si ad ipsos verba faciat: ideo convertit se ad Deum (quod est signum desperationis, quantum pertinet ad hominum ingenia) quasi diceret, Jam nihil erit mihi negotii cum hoc tam perverso populo. nam hactenus satis superque expertus sum indomitam ejus pervicaciam: ego igitur nunc cogor, ô Domine, sermonem apud te facere, quasi solus essem in mundo. Hæc ratio est cur dicat *se Deum ipsum compellare.* Reliqua differemus in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie similiter ita sumus torpidi, ut non moveamur minis tuis: neque etiam apud nos proficiant amicæ & humanæ admonitiones, quibus nos invitas: da, inquam, ut tandem discamus attendere ad doctrinam, quacunque forma eam nobis proponas, & simus tibi dociles, ac morigeri, ubi simpliciter nos invitas. si autem contraxerimus jam callum, saltem ut afficiamur tuis minis, & non tentemus tolerantiam tuam, sed patiamur nos redigi sub jugum, & ita subjiciamus nos tibi, ut tota vita nobis domineris, & interea ostendas affectum paterni erga nos amoris, ut tibi militantes in hoc mundo tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA TERTIA IN JEREMIAM.

Diximus heri quo consilio exclamet Propheta, *non esse penes hominem viam ejus.* nam quia sententia abrupta est, trahitur in diversas partes. Sed breviter exposui, Prophetam securitatem populi sui perstringere, quia putabant se esse extra periculum: vel quia sperarent auxilium à vicinis & fœderatis gentibus, vel quia putabant satis sibi esse fulturæ & præsidii in opibus propriis. Ridet igitur Propheta hanc stultam confidentiam, & dicit *non esse penes hominem viam ejus, nec penes virum ambulantem, ut dirigat gressum suum.* Porro notandum est, hic non agi de consiliis, sed etiamsi prudenter homines rebus suis prospiciant, negat Propheta eventus esse in eorum manu & arbitrio. & ideo diserte loquitur de *viro ambulante.* Per concessionem dicit homines ambulare, qui tamen movere pedem non possent, nisi suppeterent vires à Deo. Nunc quando tenemus quorsum spectaverit Propheta, superest ut generalem doctrinam hinc colligamus, nempe longe falli homines, dum putant fortunam esse in manu sua, vel rerum eventus: quia etiamsi consultent sapientissime, infeliciter tamen omnia contingent, nisi Deus benedicat eorum consiliis. Et hoc diligenter notandum est: quia videmus quam temere sibi homines hoc vel illud promittant: & vix potest corrigi hæc superbia, dum sibi homines arrogant quod proprium est unius Dei. Multæ sunt admonitiones in Scriptura ad cohibendam hanc temeritatem: sed pergunt fere omnes suo more, nec possunt huc adduci, ut permittant se Deo
Jacob. 4. vers. 13. regendos. Jacobus invehitur in hanc dementiam, quum dicit homines statuere in longum tempus quid facturi sint: mercator sibi proponet longam navigationem, non modo in tres vel quatuor menses, sed in complures annos: alius suscipiet bellum: alius audebit sibi hoc vel illud sumere: denique nullus est finis. Spiritus sanctus debuerat hac una sententia cohibere audaciam eorum qui plus justo sibi tribuunt: sed, quemadmodum dixi, major pars existimat eventus
Prov. 16. vers. 1. rerum esse in sua potestate. Hac ratione dicit Solomo, Hominem deliberare, sed Dei esse gubernare linguam. Ironice dicit priore membro, hominis esse disponere vias suas, quia scilicet hoc persuasum est majori parti. nam quum aliquid aggrediuntur, de eventu non ita sunt solliciti, quin semper plus sibi promittant quam licet. Disponunt igitur homines, inquit, vel ordinant vias suas: sed Deus gubernat linguam, hoc est, non possent verbum facere, nisi Dominus laxaret frenum linguæ ipsorum: & tamen scimus multa futiliter dici ab hominibus, quæ carent effectu. Si ergo vox sola non est in arbitrio hominum, sed pendet à nutu Dei, quid de effectu sentire oportet? Nunc ergo habemus doctrinam, quæ colligi potest ex hoc loco, nempe homines sibiipsis esse impostores, dum audent hoc vel illud aggredi, & sibi promittere felicem eventum. Sed interea notandum est, non modo eventus rerum esse in arbitrio Dei, sed ipsa etiam consilia: dirigit enim Deus corda & mentes, ut visum est. sed non omnia dicuntur omnibus locis. Propheta hic non disserit ex professo quid possint homines, sed concedit illis hanc partem, ut consultent, ut decernant: exequutionem tamen docet non esse in eorum manu. Ideo stulte quidam eliciunt ex hoc loco, esse aliquas partes hominis, & esse vim aliquam liberi arbitrii. Videntur quidem habere aliquid plausibile initio: Jeremias dicit non esse penes hominem viam ejus, nec penes virum ambulantem, ut dirigat gressum suum: ergo relinquit hoc hominibus ut ambulent. unde rursus sequitur liberum arbitrium non prorsus in nihilum redigi: sed ostendi defectum, quia per se homo non sufficiat, nisi divinitus adjutus. Sunt pueriles nugæ duntaxat, quia sicuti diximus, Propheta hic non disputat quæ sint vires liberi arbitrii, quæ sit hominis facultas ad deliberandum: sed sumit partem illam, quod filii hujus seculi, dum videntur sibi acute omnia perspicere, & consilia sua capiunt, deinde præsidiis suis nituntur, falli tamen, quoniam omnes spes eorum discutiet Deus uno momento, penes quem est eventus rerum. & ideo per modum concessionis hoc positum est, *virum ambulare*: quemadmodum etiam dixit Paulus, quamvis illic altius conscendat: tamen Rom. 9. vers. 16.
quum dicit non esse volentis, neque currentis, videtur concedere hominibus & velle & currere Sed subest aliqua ironiæ species nam scimus homines nunquam spoliari vana & fallaci persuasione, qua turgent,

gent, dum putant suo Marte se posse adipisci justitiam. Non audent quidem in solidum jactare se esse auctores suæ salutis, & justitiam esse in suo arbitrio, sed volunt esse Dei collegæ: quamvis illum admittant socium, volunt tamen cum eo partiri. Paulus subsannat hanc stultitiam, & dicit non esse volentis, neque currentis, sed solius miserentis Dei: hoc est, esse penes unam Dei misericordiam hominis salutem; non autem hoc positum esse in studio vel cursu hominis. Et Augustinus prudenter, quum Pelagiani hoc cavillo vellent eludere hanc Pauli sententiam, Non est currentis, neque volentis: est igitur aliqua libertas in homine volendi, & currendi. Si ita est, inquit Augustinus, ergo ex opposito licebit inferre, non esse miserentis Dei, sed volentis, & currentis
Augustin. epist. 107. ad Vitalem.
quare? si dimidia ex parte cooperantur homines Deo, & est aliquis concursus humanæ virtutis cum gratia & auxilio Spiritus sancti: si hæc sententia vera est, Non esse volentis, neque currentis, ut subaudiatur Tantum: ita etiam licebit dicere, non esse tantum miserentis Dei, sed etiam currentis, & volentis. quare? misericordia enim Dei non sufficiet, si advocentur humanæ vires. atqui illud est plusquam absurdum, ac nemo est qui non abhorreat, non esse in misericordia Dei positam hominum salutem, sed esse in ipsorum cursu, & voluntate. sequitur ergo, excludi prorsus omnes vires & omnia studia illis verbis Pauli. Nunc Propheta non agit de æterna salute, sed tantum de actionibus vitæ præsentis. Quoniam ergo Israelitæ putabant sibi esse satis præsidii in sua prudentia, in suis opibus, in multitudine, deinde in fœderibus Gentium, dicit Propheta ipsos decipi, quoniam sibi usurpent dominationem, quæ residet penes unum Deum. nam quod homines vulgo Fortunam appellant, nihil aliud est quam providentia Dei. Quum igitur Deus occulto suo consilio gubernet res humanas, sequitur omnes successus, tam prosperos quam adversos, esse in ejus arbitrio. Ergo quicquid homines moliantur, & consultent, & decernant, tamen nihil poterunt exequi: Deus enim dabit talem exitum, qualem volet. Nunc videmus qua de re disserat Propheta: & simul videmus eum non attingere quænam sint vires liberi arbitrii. neque enim hic agit de voluntate hominis, sed tantum ostendit postquam homines optime sua negotia ordinaverint, tamen omnia eorum consilia, omnes conatus, omnia studia evanescere, & Deum frustrari eorum confidentiam, quia ausi sunt sibi temere promittere plusquam licebat. Nunc sequitur,

24. Castiga me Jehovah tantummodo in judicio, non in ira tua, ne imminuas me.

Rursus Propheta oblique accusat, vel pungit populi stuporem, quia videbat sperni omnes suas minas. Tametsi enim jam aliquoties sumptæ fuissent de illis pœnæ, putabant se esse elapsos, & quamvis ultima clades instaret, putabant Deum procul abesse, & ita fovebant se in perversis deliciis. Ergo Propheta suscipit unus omnium personam, & inducit communem & publicum luctum: *Castiga me*, inquit, *Jehovah, sed in judicio.* Hic certe Propheta non de sua unius salute est anxius, nec privatim causam suam agit: sed deprecatur pro toto populo. Cur autem singulari numero loquitur? nempe, quemadmodum jam dixi, induit personam omnium, & ita coarguit eos suæ socordiæ, quoniam non magis attenti sint ad propinquum Dei judicium. In summa, Propheta hic docet qualiter deceret affectos esse omnes, nisi prorsus excæcati essent, & quasi in reprobum sensum conjecti. & ita ostendit hoc solum ipsis esse residuum, ut suppliciter veniam petant à Deo, neque tamen prorsus repellant omnem castigationem; sed tantum postulent sibi aliqua ex parte ignosci, nempe ut Deus temperet rigorem suum, ne prorsus illos consumat. Hoc autem modo ostendit jam atrocia esse populi scelera, ut non debeant simpliciter & sine exceptione veniam petere à Deo, sed tantum vindictæ moderationem. nam si quis leviter deliquerit, potest confugere ad Dei clementiam, & uno verbo dicere, Domine ignoscas. Qui autem mala malis accumulant, & sæpius admoniti non resipiscunt, acsi data opera vellent armare in se & in suam perniciem Deum, illi an deinde poterunt in totum petere immunitatem ab omnibus pœnis? hoc consentaneum non esset. Ergo Propheta hic breviter ostendit, Judæos eo scelerum prolapsos esse, ut Deus non debeat illis ignoscere in totum: neque etiam ipsi debeant optare veniam absque ulla castigatione, sed tantum ut Deus rigorem suum temperet, quemadmodum dixi. David hoc idem profitetur, quamvis agat suam unius causam, non populi. nam deprecatur iram Dei, & furorem. non vult sibi ita ignosci, ut nihil castigationis sentiat: sed quia exhorrebat iram Dei, eam quantum in se est, cupit avertere.
Psal. 118. vers. 18. Et ideo etiam alibi gratias agit Deo, quod fuerit manu ejus castigatus, sed leviter: Castigans castigavit me Dominus, & morti non addixit me. Sed hoc speciale notandum est in verbis Jeremiæ, quod scil. populus non debuerit petere veniam, nisi se subjiceret Dei correctioni: quia scilicet nimis graviter & nimis obstinate peccaverant. Cæterum hinc etiam colligitur generalis doctrina. hæc enim vera est ratio & natura pœnitentiæ, ubi subjicimus nos judicio Dei, & patimur æquo animo ejus castigationem, modo sit paterna. Nam si Deus summo jure agat nobiscum, omnis spes salutis extincta est: ita fieri non poterit, ut ex animo resipiscamus. Sciamus ergo hoc requiri ad pœnitentiam, ut qui Deum offendit, sistat se libenter & sponte ad ejus tribunal, & sustineat ejus castigationem. Nam qui ita sunt delicati, ut nullum ferulæ ictum patienter ferant, eos apparet adhuc præfractos & rebelles esse. Ubicunque igitur erit verus pœnitentiæ sensus, simul conjuncta erit hæc obedientia, nempe ut Deus castiget eum qui deliquit. Sed hæc necessaria est moderatio, secundum promissionem, Castigabo eos, sed manu *2 Sam. 7. v. 14, 19.*
hominis: misericordiam vero meam non auferam ab illis. Hoc Deus pollicitus est Solomoni, sed scimus *Psal. 89. v. 33, 34.*
ad omnia Christi membra spectare. Quamvis ergo promiscue pœnas exigat Deus de sceleribus totius mundi, est tamen magnum discrimen inter electos & reprobos, quia hoc privilegio electos suos dignatur, quod scilicet castigat eos paterna manu quasi filios: cum reprobis autem agit tanquam severus judex. ita omnes pœnæ quas perferunt reprobi, sunt exitiales: quia non possunt aliud concipere, quam iram Dei in omnibus ejus judiciis. Electi autem habent semper consolationis materiam, quia agnoscunt Deum sibi esse patrem. ac quamvis primo intuitu refugiant iram ejus, & quasi terrore perculsi cupiant dari sibi aliquas latebras: tamen postea gustu clementiæ & misericordiæ ejus colligunt animos: & ita pœnæ, quamvis sint multo graviores quam quas perferunt reprobi, tamen non sunt illis mortiferæ, quia Deus convertit eas in remedia. Nunc ergo videmus quisnam sit usus, & quæ utilitas ejus doctrinæ, quum dicit Propheta, *Domine castiga me: sed tantummodo*, inquit, *in judicio.* Judicium accipitur pro mensura, pro demenso. habet quidem multas significationes apud Hebræos משפט: hic autem accipitur pro mensura: non quod Deus unquam modum excedat in pœnis exigendis, sed quia deficiunt homines, si exerat rigorem suum, ita ut nulla illis appareat spes veniæ. Si ergo Deus tantum exequitur officium judicis, necesse est homines prorsus deficere: ita intelligit Jeremias non fore mensuram,

Rom. 9. ver. 16.

hoc est, non fore sibi tolerabile Dei judicium nisi clementer cum ipso agat. & opponitur etiam contrarium membrum, *non in furore*, vel non in ira. ergo hic non opponitur mensuræ intemperies, vel excessus, sed opponitur ira Dei. Scimus etiam in Deum non cadere ullas passiones: sed dum ira Dei, vel rigor apparet, tunc necesse est homines non tantum perterrefieri, sed etiam in nihilum redigi. & tamen multis locis legimus Deum irasci electis suis, & toti Ecclesiæ: sed hoc ad externum sensum refertur. Certum enim est, pœnas quibus Deus castigat filios suos, esse testimonia paterni ejus amoris. nam hoc modo consulit eorum saluti. Et ideo dicit Apostolus spurios esse quos Deus non dignatur correctione aliqua. sed interim quoad externam speciem, pœnæ quas Deus infligit electis, nihil differunt à pœnis quibus iram suam declarat & exerit adversus reprobos. Ergo per catachresin vocantur semper omnes pœnæ testimonia, vel signa iræ Dei. sic ergo dicitur irasci Ecclesiæ suæ. Sed Propheta hic proprie loquitur, & distincte, dum opponit iram Dei judicio, hoc est, moderationi qua utitur Deus erga suos electos, dum scilicet manum suam sustentat, quia alioqui statim ipsos prorsus obrueret: & ideo subjicit, *ne imminuas me*. Imminuendi verbo consumptio debet intelligi, ut etiam quibusdam aliis locis. neque enim fieri potest, quin Deus nos imminuat, etiamsi leviter nos attingat extremo digito, quandoquidem scimus quam formidabilis sit ejus potentia: neque opus est, ut è cælo fulminet, sed si tantum adversum vultum ostendat, actum est de nobis. Sed imminutionem hic accipit Propheta pro interitu. Videmus ergo eum ita se & totum populum subjicere Dei castigationi, ut tamen cupiat adhiberi aliquem modum: quoniam alioqui Dei rigor à minimo ad maximum omnes consumeret: quemadmodum etiam dicitur apud Jesaiam, Examinavi te, sed non quasi aurum & argentum: nam consumptus fuisses. Deus ergo ita indulget miseris peccatoribus, ut respiciat quid ferre queant, non autem quid meriti sint. hoc simpliciter intelligit Propheta. Sed hinc etiam colligimus, neminem esse qui par sit ferendo Dei rigori. Ergo unicum esse asylum in ejus misericordia, non ut ignoscat nobis in totum, quia nobis utile est castigari ejus manu: sed ut tantum pro sua paterna clementia nos castiget. Sequitur,

Hebr. 12. vers. 8.

25. Effunde iram tuam super Gentes, quæ te non noverunt, & super cognationes (*vel familias*) quæ nomen tuum non invocaverunt: quia comederunt Jacob, comederunt, inquam, ipsum, & consumpserunt eum, & tabernacula ejus vastarunt.

Propheta confirmat suam precationem hac ratione: quod scilicet Deus habeat satis materiæ ad vindictam suam exercendam adversus impios & profanos homines, & qui ab eo sunt alieni. Non dubium autem est, quin ad promissionem spectet, quam retulimus. Sciebat enim Propheta quod semel dictum fuerat Davidi, hoc promissum esse toti Ecclesiæ in omnes ætates. Ergo hic reducit Deo in memoriam discrimen, quod statuit ipse inter domesticos, & exteros: quasi diceret, Domine, quamvis & rectum sit, & nobis etiam utile in salutem, castigari manu tua: tamen non sine delectu ulcisceris hominum peccata. nam pollicitus es te paterno more castigaturum esse filios tuos: quantum ad extraneos spectat, tu es eorum judex, nempe ut in totum perdantur. Ergo nunc Domine ostende illud non frustra esse dictum: & quoniam dignatus es nos adoptare in populum tuum peculiarem, ideo paterne nobis ignoscas. Nunc ergo videmus Prophetam non temere hoc votum projicere in aërem, sed amplecti promissionem Dei, & in ea quærere discrimen illud, quod placuit Deo statuere inter Ecclesiam suam, & incredulos. Dicit ergo, *Effunde iram tuam super Gentes, quæ te non noverunt*. Et exaggerat hanc sententiam, ubi dicit *Jacob fuisse devoratum ab illis profanis Gentibus* tanquam à feris bestiis: quasi diceret, Nos quidem peccavimus Domine: sed an tu in nostrum interitum ostendes te esse mundi judicem: & interea parces Ægyptiis, & Assyriis, & Chaldæis, qui tam crudeliter nos vexarunt? imo qui non tantum lacerarunt nos, sed etiam prorsus vorarunt? Et ideo bis utitur verbo Comedendi. deinde addit, *Consumpserunt eum*: postremo, *Tabernacula ejus vastarunt*. Quum ergo illi tam atrociter sævierint in populum tuum, an impune evadent, & interim nos abjicies, qui tamen sumus tui? etiamsi toties tibi præbuerimus causam nos puniendi, tamen adoptio tua valeat, & interea experiaris tuum judicium potius adversus profanas Gentes. Nec dubium est, quin Propheta, quisquis Psalm. 79. composuit, mutuatus sit hoc testimonium Jeremiæ, quod illic recitatur, Effunde iram tuam super Gentes, quæ te non noverunt, & super regna quæ nomen tuum non invocarunt: quia consumpserunt Jacob, & hæreditatem ejus. Potest fieri, ut Jeremias ipse Psalmum illum composuerit, postquam tractus fuerat in Ægyptum, postquam urbs fuerat excisa: tamen de tempore satis convenit, quod scil. jam acciderat horribilis dissipatio, quum Psalmus ille compositus fuit in usum miseræ & quasi perditæ Ecclesiæ. Verisimile est tamen fuisse compositum sub tyrannide Antiochi, vel quo tempore grassata fuit hostium Dei sævitia adversus populum. Quicquid sit, auctor illius Psalmi repetere voluit quod sumpserat ex hoc loco. Jam quæritur, liceatne male precari etiam impiis & reprobis, quia adhuc suspensi sumus & incerti de exitu. Deus enim non patefecit quid velit de ipsis tandem agere. Ergo regula charitatis potius alio flectere nos debet, nempe ut bene sperantes de eorum salute, petamus ut Deus illis ignoscat. Atqui Propheta devovet eos simpliciter exitio, neque loquitur ex privato sensu, sed dictat omnibus piis votum, quod concipere debeant. Respondeo, non posse nos ferre sententiam de hoc vel illo homine sigillatim, & ideo temeritate non carere præjudicium, si singulos homines æternæ morti addicimus, deinde si male illis precamur. Sed in genere possumus concipere hanc precandi formam adversus obstinatos Dei hostes, sic ut maneat penes ipsum cognitio, nec tentemus in congeriem unam miscere quoscunque hodie novimus impios: illud, quemadmodum dixi, esset temerarium: quin potius convenit bene omnibus precari, & optare illis salutem, & quantum in nobis est pro ea esse sollicitos. Ubi autem ita impendimus affectum charitatis singulis, in genere tamen possumus ita precari, ut Deus prosternat, consumat, & dissipet, & in nihilum redigat omnes suos hostes. Non dubium igitur est, quin Propheta hic sensum suum convertat ad judicium Dei: q. d. Domine, tuum fuit distinguere inter domesticos & extraneos: placuit tibi nos adoptare in populum: nunc quid restat, nisi ut clementer agas nobiscum, quia sustines personam patris? quantum attinet ad Gentes profanas, quoniam sunt abs te alienæ, nec pertinent ad tuum gregem, ideo maneat illas interitus: pereant igitur. Quum autem Propheta de profanis Gentibus loquitur, interea non antevertit judicium Dei, quin libere decernat quicquid volet. sed quemadmodum jam dixi, tantum ponit sibi ante oculos

Psal. 79. vers. 6, 7.

quod habebat ex verbo Dei, nempe alios esse electos, alios esse reprobos. Electionem Dei æstimat ex vocatione, vel fœdere, & ideo ex opposito reprobos omnes ducit quos Deus privilegio illo paterni favoris dignatus non est. Nunc ergo soluta est illa quæstio. & hinc apparet quomodo liceat imprecari exitium reprobis, & Dei contemptoribus: nempe ita ut vota nostra non præveniant judicium Dei, ut dictum est, neque de singulis etiam statuamus in hanc, vel in illam partem: sed tantum nobis occurrat illa distinctio, Deum esse patrem erga electos suos, judicem erga omnes reprobos. *Effunde* ergo *iram tuam.* nempe quia submiserat se & totum populum Dei castigationibus, ideo dicit, *Effunde iram tuam*, hoc est, agas summo jure adversus illos: sed interea temperes iram tuam erga nos, ne scilicet instar diluvii nos absorbeat. huc pertinet verbum Effundere. Quum dicit, *Super Gentes, quæ te non noverunt, quæ non invocarunt nomen tuum:* hæc loquendi forma diligenter notanda est, qua docemur initium pietatis esse in Dei cognitione. postea adjungit fructum, vel effectum, nempe invocationem. Hæc duo inter se cohærent: sed ordo etiam tenendus est, quia non potest invocari Deus, nisi præluceat ejus cognitio. Invocant quidem passim omnes Deum: increduli etiam ad ipsum clamant indifferenter, quum urget aliquod periculum: sed non dirigunt rite vota sua, neque etiam possunt preces suas offerre Deo ut legitima sacrificia. quare? Quomodo enim invocabunt
Rom. 10. vers. 14. in quem non crediderunt? inquit Paulus. Ergo quemadmodum dixi, necesse est, ut viam nobis præmonstret Deus ipse quoties invocare ipsum oportet: ac proinde ubi nulla est Dei cognitio, nulla etiam est ratio precandi. Sed ubi Deus semel nobis affulsit, tunc via nobis aperta est ad ipsum invocandum. ergo invocatio fructus perpetuus est fidei, sicuti est testimonium pietatis. Quanquam quicunque Deum non invocant, & quidem serio, ostendunt se nunquam gustasse elementa pietatis: & ideo si cupimus rite precari, primum discamus quænam sit Dei erga nos voluntas: postea sciamus tunc nos demum profecisse ut oportet, in salutis doctrina, dum ad Deum confugimus, & nos exercemus in ejus invocatione. Quod autem postremo adjungit, *Quia comederunt Jacob, comederunt ipsum, consumpserunt eum, & tabernacula ejus vastarunt*, duo nobis observanda sunt. Nam hic perspicimus quam tristis & misera tunc fuerit Ecclesiæ conditio. non dicit multis injuriis fuisse affectos Israëlitas, aut violenter, aut contumeliose tractatos: sed dicit *fuisse voratos à Gentibus*, & bis hoc repetit: deinde adjungit *consumptos fuisse, & vastata eorum tabernacula.* Quum ergo videmus tam duriter afflictos tunc fuisse filios Dei, ne miremur si hodie etiam Ecclesia subjaceat gravissimis calamitatibus, & ne expavescamus tanquam ad rem novam & insolitam: sed quoniam idem olim contigit patribus nostris, feramus æquo animo hæc exercitia. Alterum vero notandum est, nempe quum Propheta hic non carnis suæ motu impulsus fuerit ad precandum, sed instinctu Spiritus, qui formam hanc dictabat: posse hinc certo colligi, tametsi hodie triumphent hostes Ecclesiæ, & putent se omnia adeptos, dum crudeliter affligunt innoxios, tamen tandem daturos esse pœnas. Spiritus enim, qui gubernavit linguam Prophetæ, voluit hanc formam & hoc votum nobis esse instar promissionis, ut certo persuasi simus, quo atrocius sæviunt impii contra Dei filios, eo graviorem instare illis pœnam, & crudelitatis mercedem. Comedant igitur tanquam feræ bestiæ, ut hodie faciunt, sed Deus exeret aliquando manum suam, & ostendet quam pretiosus sibi fuerit suorum sanguis.

Da omnipotens Deus, quando ita torpemus in vitiis nostris, nisi nos expergefacias, ut saltem proficiamus in his tam severis admonitionibus, quibus olim excitasti veterem populum: & quoniam etiam jam commonefacti sumus multis iræ tuæ signis, ut ad resipiscentiam majore studio aspiraremus: da, inquam, ut serio affectu perseveremus in hoc cursu, & sic nos tibi subjiciamus, ut patienti & æquo animo feramus tuas correctiones: interea autem certo persuasi simus, te semper nobis fore patrem, nec dubitemus etiam in media morte confugere ad tuam misericordiam, donec effundas iram tuam adversus impios & profanos nominis tui contemptores: & sic nostri miserearis, ut sciamus te non frustra pollicitum fuisse, paternas & humanas semper fore tuas castigationes, quando visitabis eorum peccata qui in te sperant per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

CAP. XI.

SErmo qui directus fuit ad Jeremiam à Jehovah, dicendo,

2. Audite verba (*sermones*) fœderis hujus, & dicite viro Jehudah, (*viris Jehudah: Enallage est numeri*) & habitatoribus Jerusalem.

3. Et dices ad eos, Sic dicit Jehovah Deus Israël, Maledictus vir, qui non audierit verba fœderis hujus,

4. Quæ (*vel, quod fœdus*) mandavi patribus vestris die quo eduxi eos è terra Ægypti, è fornace ferrea, dicendo, Audite vocem meam, & facite ea quæ (*hoc est, quæcunque*) præcipio, (*relativum sine antecedente*) secundum omnia quæ præcepi vobis: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. (*cohærent hæc omnia inter se, ideo non disjungo.*)

5. Ut statuam (*vel stabiliam. alii vertunt, suscitem: sed improprie*) jusjurandum quod juravi patribus vestris ad dandum illis terram affluentem lacte & melle, secundum diem hanc. Et respondi, & dixi, Amen, Jehovah.

HIc Propheta docet Judæos etiamsi obtendere non desinant sacrum Dei nomen, esse tamen perfidos, & prorsus descivisse à Lege. Hæc summa est hujus concionis, Judæos quamvis glorientur Dei nomine, esse tamen fœdifragos: quia violaverint fidem Deo promissam, & abjecerint prorsus doctrinam Legis. Non dubium est quin Judæi sæpius excanduerint adversus Jeremiam, acsi propriam causam ageret: ideo necesse fuit illis proponi suam à Lege defectionem, ut

certo

autem de singulis præceptis loquutus est, tandem subjicit, Maledictus omnis qui non impleverit omnia verba Legis hujus: & respondeat totus populus, Amen. Ergo hac ratione nunc utitur Jeremias quum dicit, Tu denuncia populo, omnes esse maledictos, qui non obediverint præceptis meis. Et postea addit Propheta, *Respondi, & dixi, Amen, Jehovah.* Sed notandum est, Prophetam hic suscipere, ut antehac, personam populi: quasi diceret, Ego subscribo Dei judicio: etiamsi vos omnes contingat refragari, quemadmodum facitis. Ergo tametsi putatis vos posse elabi ex manu Dei, quasi vobis promptum esset maledictionem ejus eludere, quæ in Lege pronunciatur; ego tamen vestro nomine subscribo, & jam coram Deo ita respondi, *Amen, Jehovah.* Sed expendere etiam alia verba convenit: *Maledictus,* inquit, *quisquis non audierit verba fœderis bujus.* Audire hic pro obedire capitur, ut aliis pluribus locis. Postea de verbis disserit, vel de ipso fœdere. nam utrumque probe convenit: Deus enim fœdus suum mandavit Judæis, & simul verba fecit. libenter refero ad fœdus. Dicit igitur Deus *se fœdus mandasse.* quanquam plenior est altera illa expositio: *Verba quæ mandavi patribus vestris,* inquit, *nempe quo die eduxi eos ex Ægypto.* Hic à circumstantia temporis ostendit Deus quam inexcusabiles sint Judæi. Dicit enim se Legem dedisse quum erepti essent eorum patres ex morte præsenti. Nam erant quasi extracti è sepulchro, quum Deus transitum illis dedit per mare Rubrum. Illa igitur redemptio debuerat penetrare in eorum animos, ita ut se totos Deo addicerent. debuerat etiam tanti beneficii memoria defixa manere in eorum cordibus. Videmus ergo hic aggravari crimen ingratitudinis, quoniam Lex data fuerit quum adhuc ante oculos versari deberent tot mortes, quibus obnoxii fuerant Israëlitæ, unde Dominus mirabiliter eos eduxerat. Et ideo etiam vocat miserrimum illum statum in quo fuerant, *fornacem ferream:* quemadmodum Exodi tertio capite, & pluribus aliis locis. Fornaci ergo comparat servitutem Ægyptiacam: quoniam Judæi erant instar ligni & stipulæ in fornace ardenti. Vocat *fornacem ferream,* nempe quæ posset liquefacere vel in nihilum redigere si quid esset durius quam lignum, vel aurum, vel argentum, vel metallum aliud. In summa, hic exprimitur desperata populi conditio: & hac comparatione illustrat Propheta gratiæ magnitudinem: quod scilicet Deus præter spem omnium à morte ipsos liberaverit. Quum ergo tanto beneficio sancita fuerit Legis auctoritas, hinc patet quanta impietas, & quam indigna etiam ac scelerata ingratitudo fuerit populi, quum non passus est sibi jugum à Deo libenter imponi. Dicit *se mandasse illa.* quemadmodum jam dixi, referri hoc debet ad verba Legis, non ad ipsum fœdus. Sed promiscue loquitur Propheta nunc de fœdere, nunc de capitibus fœderis, hoc est, de omnibus præceptis quæ illic continentur. Aliis etiam verbis exprimit quam inexcusabile sit populi crimen: quia in summa nihil aliud exegit Deus, nisi ut audiret vocem suam. Quid autem æquius quam ut liberatorem suum audiant qui ab eo redempti sunt? & quid magis detestabile ac prodigiosum, quam Israëlitas respuere quod Deus suo jure postulat? Ergo tenemus Prophetæ consilium quum dicit *Deum hoc simpliciter mandasse redempto populo,* nempe *ut audiret vocem suam, & faceret quæ mandabat.* Et simul adjungit promissionem, quæ vel animos lapideos mollire debuerat: *Vos eritis,* inquit, *mihi in populum, & ego ero vobis in Deum.* Poterat Deus præcise exigere à Judæis quod natura omnibus ingenitum est. Nam agnoscunt etiam qui nunquam fuerunt edocti, Deum colendum esse. hæc autem vera est ejus colendi ratio, ubi obsequimur ejus præceptis. Deus ergo potuit pro summo imperio ita jubere. Dicit ille, monosyllaba esse regum imperia: quoniam scilicet non utuntur blanditiis, neque ratiocinantur, neque dignantur uti persuasorio sermone. Quanto major est Dei potestas, ut tantum nutu significet quicquid vult & postulat? Sed quasi è gradu suo descendit, & promissionibus interpositis studet sibi acquirere populum illum, ut libenter pareat. Conciliat ergo Deus gratiam Legi suæ, nec solum ejus auctoritatem asserit. Quum ergo ita comiter hortetur Deus populum, deinde ostendat tantam mercedem obedientiæ, quam fœda est ac abominabilis contumacia, ubi repudiant homines ejus Legem? Ergo Propheta hic clarius demonstrat cur tam aspere præfatus sit, *maledictos omnes qui non obediverint,* nempe quoniam nihil profecerant blanditiæ, nihil ille amicus & suavis sermo, illa invitatio paterna qua Deus ante usus fuerat: quasi diceret, Deus certe non potuit mitius vobiscum agere quam dum paterna voce admonuit vos officii, & adhibuit etiam promissiones, quæ vel durissimos animos mollirent. Quum hoc profectu caruerit, quid jam superest nisi ut fulminet Deus, & simpliciter efferat suas maledictiones? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Sed posset hic objici, fuisse hoc totum inutile, & infructuosum: quia non poterant Judæi subire jugum Legis, donec inscripta fuisset eorum cordibus. Respondeo, hac de re fuisse simul admonitos. Quanquam ergo literalis doctrina non potuit nisi populum damnare, unde etiam mortifera vocatur à Paulo: tamen sciebant fideles sibi non negatum iri Spiritum regenerationis, si à Deo peterent. Ergo primum stetit per eos quo minus Lex insculpta esset eorum cordibus. Deinde promissio gratuitæ veniæ accessit. nam quorsum sacrificia & expiationes in Lege, & tot ceremoniæ quæ ad Deum reconciliandum spectabant, nisi ut populus certo persuasus esset, Deum sibi fore propitium, & exorabilem, quamvis non satisfacerent Legi? Non fuit igitur inutilis hæc doctrina apud fideles: quoniam Deus quum exigeret quod debebant Israëlitæ, simul paratus erat inscribere Legem eorum cordibus, & etiam ignoscere eorum peccatis. Sed quum obstinata malitia respuerent totam Legis doctrinam, merito Propheta hic ostendit incumbere illis certam Dei maledictionem: quia scilicet promissiones, ubi Deus testatus fuerat paternum suum favorem, ita indigne rejecerant. Adjungit, *Ut statuerem jusjurandum quod juravi patribus vestris ad dandam illis terram affluentem lacte & melle, secundum diem hanc.* Hic non agitur de præcipuo scopo felicitatis: sed tantum terra Chanaan in medium profertur quasi pignus, vel arrha gratiæ Dei. nam certe promissio hæc longe altius spectat quam ad terram Chanaan. Deus quidem hanc hæreditatem pollicitus fuerat Israelitis: sed quum dicat *se fore illis in Deum, & illos sibi fore in populum,* hic inclusa est promissio æternæ vitæ, & gloriæ cælestis: quemadmodum alibi dicitur, ipsum non esse Deum mortuorum, sed vivorum. Et tenenda est semper sententia illa Prophetæ Habacuk, Tu Deus noster, non moriemur. Deus ergo aliquid excellentius promisit Israelitis quam possessionem terræ, quum diceret *se fore illis in Deum:* sed terra ipsa symbolum fuit paterni favoris, vel arrha, vel pignus. nam hæc omnia probe conveniunt. Et hoc sensu etiam Propheta adjungit, *Deum olim jurasse patribus* se daturum illis terram illam jure hæreditario: & promissionem hanc præstitam fuisse eorum posteris. Si quis arriperet hoc solum, nempe favorem Dei perspectum fuisse in terra Chanaan, quia expulsis gentibus eam adepti fuerant Dei beneficio, hoc esset frigidum: & Propheta multum diminueret ex illa promissione, quæ superat quicquid concipi potest hominum sensu. Ergo, quemadmodum jam dixi, quum loquitur de terra Chanaan, non dubium quin sermonem accommodans rudi & crasso populo, arrham illam vel pignus adjungat, ut

Deut. 27. vers. 26.
2 Cor 3. vers. 6.
Mat. 22. vers. 31.
Habac. 1. vers. 12.

cernant oculis, etiam in hoc mundo, & hac caduca vita fuisse sibi exhibitum aliquod specimen illius gratiæ, quæ superat quicquid optabile est in mundo. Jam quum dicit, *Ut stabilirem jusjurandum quod juravi patribus*, haud dubie ostendit Deus, quamvis obedirent Judæi Deo, tamen non fuisse promeritos suis obsequiis hæreditatem promissam antequam nati essent. Deus ergo hic demonstrat gratuitum esse suum beneficium, quod terræ sint hæredes. quare? nondum enim creati erant quum juravit Abrahæ, se illi & ejus posteris daturum terram illam. Quum ergo promissio longe præcesserit, sequitur non posse adscribi meritis populi, quod tandem suo tempore terram illam adeptus est. Quantum attinet ad jusjurandum, commendat gratiam suam Deus hoc nomine, quod non tantum promiserit terram illam filiis Abrahæ in hæreditatem, sed etiam jusjurandum interposuerit, ut certius esset pactum illud. Sed interea tamen subindicat Propheta illos si ingrati sint Deo, merito posse privari hæreditate promissa: quasi diceret, Non est cur expostuletis cum Deo, acsi vos fraudaret, si ejiciat ex hac terra. nam Deus ipse non vos exhæredat: sed vestra iniquitas vos abdicat, ita ut jam indigni sitis quos censeat Deus inter suos filios. Quamvis ergo hanc gloriationem adimat Propheta, ne confidant Judæi, rependi suis meritis quod terram possident: tamen simul admonet privatum iri terræ possessione, & quidem propria culpa, nisi Deo præstiterint quod debent obsequium. Hac ratione dicit: *Ut stabilirem jusjurandum quod juravi*, inquit, *patribus vestris*. Quod dicit, *terram illam affluere lacte & melle*, sæpius occurrit hæc loquutio apud Mosen. [Exod. 3. v. 8, 17. & 13:5. & 33:3. Levit. 20. vers. 24. & alibi sæpius.] Nec dubium est, quin terra fuerit à principio valde fertilis: sed probabile est, fuisse magis feracem adventu populi, quia renovata quodammodo fuit ejus facies: & Deus etiam voluit visibili modo ostendere quanta esset vis fœderis sui. Ergo non frustra Moses toties dicit, terram illam affluere lacte & melle. Postea addit, *Secundum diem hanc*. producit eos testes: quasi diceret, Deus fideliter egit vobiscum: nam præstitit fidem datam patribus vestris, & jusjurandum suum complevit. sed nunc quando polluitis hanc terram ubi memoria gratiæ Dei quasi sepulta est inter vos: imo calcatis pedibus Legem illius: quum ergo tanta impietas ejus benedictionem à vobis procul avertat, quid superest, nisi ut in exilium vos projiciat? Videmus ergo hic tacitam comminationem subesse, quum dicit Deum præstitisse quod pollicitus fuerat patribus, nempe hoc pacto interposito, ut scilicet parerent ejus præceptis. Diximus jam de Prophetæ responso. Nam quum respondet Amen, non expectat quid populus dicturus sit. Neque enim dubium erat, quin major pars obstreperet, & vellet cum Deo tergiversari: tanta fuit impudentia tunc, ut subinde petulanter consurgerent adversus Prophetas. Ergo quoniam sciebat tam præfractos esse, ipse omnium nomine subscribit Dei maledictioni. Sequitur,

6. Et dixit Jehovah ad me, Clama (*hoc est, clamosa voce promulga*) verba hæc in urbibus Jehudah, & in compitis Jerusalem, dicendo, Audite verba fœderis hujus, & facite ea.

7. Quia contestando contestatus sum patribus vestris die qua feci ascendere eos è terra Ægypti usque ad diem hanc, mane surgendo, & contestando, & dicendo, Audite vocem meam.

8. Et non audierunt, & non inclinarunt aurem suam: & ambularunt quisque post pravitatem cordis sui mali: & (*ideo: copula hic illative accipitur*) venire feci (*hoc est, immisi*) super eos omnia verba fœderis hujus, quod mandavi ut facerent, & non fecerunt.

Hic clarius explicat Propheta cur jussus fuerit promulgare verba fœderis. neque enim dubium est, quin audacter excipere parata fuerit major pars populi, Quid tibi vis? an non sumus Mosis discipuli? tu scilicet putas tibi esse negotium cum barbaro aliquo populo. an non à pueritia edocti sumus in Lege Dei? an non quotidie sedulo nobis inculcatur. satis superque sumus imbuti hac doctrina, quam tu fingis nobis esse incognitam. Facesse hinc: & eas vel ad Chaldæos, vel ad Assyrios, vel ad Ægyptios. nos enim tenemus quid Lex doceat. Non dubium est ergo quin hac protervia repulsus fuerit Jeremias. ideo ostendit justam esse causam, cur illis proponat Legem Dei: quia scilicet tanta obrepserat oblivio, ut nescirent quid olim Deus docuisset Lege sua: deinde quia fuissent semper rebelles una cum patribus, ita ut subinde docendi sint. quemadmodum etiam conqueritur Jesaias agendum esse cum populo illo sicuti cum pueris, A, A: B, B: & [Jesa. 28. vers. 10.] etiamsi subinde repetenda sint eadem, ipsos tamen subsistere in rudimentis, & nunquam ulterius progredi. Quemadmodum ergo ignominiose traducit Jesaias populi ignaviam in Lege discenda: sic etiam nunc Jeremias ostendit non debere ipsos mirari, cur jubeat Deus promulgari apud ipsos Legem suam, quia scilicet hactenus contempta fuisset. Reliqua differemus.

Da omnipotens Deus, quando dignaris nos quotidie tam amice & suaviter ad te invitare, ne surdis auribus prætereamus doctrinam quæ nobis in salutem proponitur, sed attenti ad eam simus: deinde præstemus quod merito exigis obsequium, ut magis ac magis proficiamus in studio pietatis, & ita formemus totum vitæ nostræ cursum ad tuam justitiam, ut tibi in hoc mundo militemus, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA QUINTA IN JEREMIAM.

PRoxima lectione vidimus querimoniam qua usus est Deus adversus populum: quod scilicet expertus fuerit omnia, quo posset illum sibi conciliare: & tamen perdiderit operam. Sed in verbis magnum est pondus, quia dicit *se contestando fuisse contestatum*, quasi hic se subjiceret arbitrio tertii. nam solemus eos contestari qui sponte non accederent ad tribunal judicis. Deus ergo mutuatur hanc figuram à communi hominum more, & dicit se fuisse *contestatum*: neque id semel, sed repetitis

titis vicibus. Postea addit se id non fecisse tantum uno seculo, sed ex quo exierant ipsorum patres è servitute usque ad diem illum. Fuit autem hæc nimia turpis obstinatio, quum Deus non desineret illos ad se vocare, & tamen verba faceret apud surdos. Sed quod sequitur magis est emphaticum, ubi dicit *se mane surrexisse.* nam quod alii transitive accipiunt, mihi non probatur. Dicit ergo Deus se ita fuisse sollicitum de ipsorum salute, ut mane surgeret ad ipsos vocandos. Non dubium est quin Deus ad se transferat quod proprie competebat in Prophetas: quemadmodum etiam vicissim concedit servis suis quod proprium est ipsi, & non potest quadrare hominibus, nisi per concessionis modum. Cæterum, hic Deus commendat auctoritatem verbi sui, quum dicit *se mane surrexisse:* & simul ingratitudinem eorum amplificat: quod scilicet contempserint eum, ubi videbant instar patrisfamilias curare ipsorum salutem. Ergo hinc colligimus quanti Deus faciat sermonem suum, dum testatur se nihil diversum habere à servis suis, quorum opera utitur, quum vult Ecclesiam suam docere. Deinde hinc etiam colligimus quam inexcusabilis sit pravitas, ubi Deum ita nobiscum familiariter loquentem rejicimus. Nunc ergo tenemus sensum hujus loci. Sed potest etiam hoc tertio loco notari, frustra prætendi Dei nomen, nisi ubi ipse loquutus est: quemadmodum hodie Papistæ vellent sine controversia recipi quicquid effutiunt pro sua libidine. Deus autem hoc loco ostendit se non offendi, nisi ubi ipse spernitur: & simul declarat se ita conjunctum esse cum Prophetis, ut illi nihil proprium, vel aliunde quam ab ipso profectum afferant. Jam adjungit *se hoc tantum postulasse à populo electo, ut audiret vocem suam.* Æquitas hujus præcepti ostendit quam indigna & scelerata fuerit impietas illius populi. Et simul ostendit Deus nullum esse prætextum erroris vel inscitiæ in populo illo. Nam hæc una erat ratio tergiversandi, si obtenderent se non aliud cupere quam præstare Deo cultum debitum. Atqui regulam præscripserat Lege sua, quæ non posset eos fallere. Ergo sequitur sponte ipsos descivisse ad superstitiones, quando satis superque edocti fuerant ipsa Lege, quid Deus probaret. Hæc igitur ratio est cur toties hic repetat, nihil aliud se postulasse à filiis Abrahæ, nisi *ut audirent vocem suam.* Postea sequitur, *Non tamen audierunt* (videor enim mihi hæc omnia legisse postrema lectione) *non tamen audierunt*, inquit, *& non flexerunt*, vel non inclinarunt *aurem suam.* Hic Propheta non paucos tantum homines accusat contumaciæ, sed dicit ex quo redempti fuerant, omnibus seculis fuisse rebelles Deo. Et exaggerat crimen illud, quod *non inclinaverint aurem suam.* Neque enim dubium est quin hoc secundo loco additum fuerit ad emphasin: quasi diceret Propheta, per eos duntaxat stetisse, quo minus via illis pateret: sed non dignatos fuisse aurem Deo præbere. Hoc autem signum est extremi contemptus, ubi non tantum repudiamus eum qui loquitur, & nolumus ejus imperio vel consilio parere, sed ubi præcludimus omnem aditum, & quantum in nobis est vetamus ipsum loqui: hoc certe nimis est contumeliosum. Nam fieri potest ut quis alterum loquentem audiat, qui etsi non obtemperet, tamen servabit aliquam humanitatem, ne queratur ille se non fuisse auditum. hæc enim est minime tolerabilis barbaries, ubi ne verbum quidem admittimus. Hic conqueritur Deus, non tantum Israelitas sibi fuisse immorigeros, postquam educti fuerant, sed fuisse ita præfractos, ut contumeliose etiam procul rejecerint omnes Propheticos sermones: quod non tantum fœdæ impietatis signum fuit, sed etiam barbaræ contumaciæ. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Dicit *ambulasse unumquemque in pravitate cordis sui mali.* quia prius ostendit fuisse in tempore præmonitos, sequitur eos non errore sequutos fuisse impias superstitiones: sed quia rejicerent verum Dei cultum, nec locum darent Propheticæ doctrinæ. Quum dicit, *ambularunt vir*, id est, quisque: non dubium est quin Propheta hic quasi uno fasciculo omnes simul involvat: quasi diceret non fuisse abreptos aliquo impetu, quemadmodum fieri plerumque solet, quum à paucis tumultus commotus est, plurimi deinde sequuntur, & rapit eos tempestas, & non expendunt quid agatur. Ita sæpe terror quidam præoccupat multorum animos, ut huc vel illuc pergant, & tamen nesciant quorsum debeant tendere. Sed Propheta hic ostendit cuique fuisse suum consilium: quasi diceret, non tantum populi impetu fuisse cultum Dei ita rejectum, sed singulos captasse apud se consilia, & concoxisse hanc malitiam, & hoc scelus, ut Deum rejicerent. Plus ergo est efficaciæ in hac loquendi forma, quam si dixisset omnes ambulasse in pravitate cordis sui: & simul etiam ostendit, à minimo usque ad maximum, sicuti loquuntur, omnes fuisse implicitos eadem impietate. Postea subjicit *Deum induxisse super eos verba fæderis*, hoc est, minas. Neque enim per Verba fœderis intelligit doctrinam Legis, vel præcepta: sed priore loco verba fœderis posuit pro ipsis Dei præceptis: nunc autem quia videbat negotium sibi esse cum hominibus præfractis, & qui non essent ullius doctrinæ capaces, ideo descendit ad minas. Deus enim præscribit quid fieri velit: hoc est primum in Lege: & addit etiam non tantum blandas invitationes, sed quasi illecebras, ut conciliet sibi animos hominum. Sed ubi nullum est studium, nulla cura obediendi, tunc descendit ad minas. Propheta, quamvis promissiones omiserit, tamen ante disseruit de Lege ipsa: nunc vero dicit Deum exequutum esse quod illis denunciaverat. Postea adjungit, *De quibus mandaveram ut facerent, & non fecerunt.* Hæc quidem videntur nimis confuse dicta: nam quum dicit *verba fæderis hujus*, non dubium est quin minas intelligat, quemadmodum jam diximus: postea addit, & continuo post, *quæ mandaveram ut facerent, & non fecerunt.* Sed, quemadmodum jam admonui, quandoquidem Propheta satis antehac docuit, regulam fuisse in Lege traditam pie & juste vivendi, nunc magis insistit in minis. Ergo non mirum est quod ita confuse loquatur. nam populus Legem Dei quodammodo perverterat. Hæc quidem distincta sunt in Lege, nempe doctrina, vel regula vivendi, & postea minæ, quæ tantum adduntur quasi stimuli ad excitandam pigritiem hominum, vel potius ad domandam ipsorum contumaciam. Sed quia non attenti fuerant Israelitæ & Judæi ad vocem Dei, Propheta hic permiscet minas præceptis. Nunc tenemus quid hoc loco sibi velit Propheta. Dicit se missum fuisse à Deo, ut clamaret, *Audite verba fæderis hujus*, quia scilicet immemores erant veræ pietatis: & ita oblivione, imo etiam impio contemptu obriverant totam Legem, ut docendi essent à primis rudimentis. hoc est unum. Deinde ostendit quam sollicitus fuerit Deus de ipsorum salute, ut nullas partes optimi patris neglexerit, & tamen operam fuisse perditam: quia non tantum suis cupiditatibus alio rapti fuerant, sed etiam interior eorum malitia clauserat aures ipsorum, ita ut non dignati fuerint vocem Dei admittere: neque hoc tantum uno seculo contigisse, sed ex quo egressi fuerant è terra Ægypti usque ad illum diem. Hinc sequitur, juste ipsos plecti: quia Deus omnia expertus fuerat antequam ad hunc rigorem descenderet. Sed quum tentasset omnes vias, & quidem frustra, hoc tantum fuit residuum, ut pœnas exigeret de hominibus tam desperatis. hæc summa est. Nunc adjungit,

9. Et

9. Et dixit Jehovah ad me, Inventa est conspiratio (*ad verbum, colligatio: nam* קשר *significat proprie ligare vel connectere: sed metaphorica est significatio quum transfertur ad conspirationem*) in viro (*hoc est, in viris*) Jehudah, & in civibus Jerusalem.

10. Reversi sunt ad iniquitates patrum suorum superiorum, (*qui ante fuerunt*) qui noluerunt audire verba mea: & ipsi ambularunt post deos alienos, ut servirent ipsis: dissolverunt domus Israël & domus Jehudah fœdus meum, quod pepigeram cum patribus ipsorum.

Hic propius manus conserit Propheta cum hominibus ætatis suæ, & dicit eos pejores esse patribus. nam huc pertinet nomen Colligationis. Quum enim turmatim concurrerent ad impias superstitiones Israëlitæ, magis hoc fuit excusabile initio, quia scilicet nondum altas radices egerant in vera pietate. Sed quum toties, & tam variis modis per Prophetas conatus esset Deus ipsos in viam reducere, & sedulitas ejus, & assiduum illud studium caruisset profectu, hoc fuit signum perditæ contumaciæ. Dicit igitur detectam esse. nam hoc sibi vult quum dicit *inventam fuisse*. Hoc verbo sæpe in alium sensum utitur Scriptura: sed hic tantundem valet, acsi dixisset conjurationem populi esse deprehensam, esse convictam: quemadmodum fures dicuntur manifesti, ubi deprehensi sunt ἐν αὐτοφώρῳ, ut dicunt. ita etiam hic dicit Deus, non esse disputandum, an populus data opera, & destinata malitia verum & legitimum cultum perverterit: *Conjuratio*, inquit, *est satis nota*. Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum: acsi diceret, non partem populi duntaxat implicitam esse impietate, sed omnes quasi à primo ad ultimum esse simul coinquinatos: deinde hoc fieri non stulto aliquo impetu, sed quasi meditato, *quod scilicet inter se fuerint colligati*. Postremo dicit *hoc esse satis manifestum*, ideo se non amplius litigare, quoniam scelus plus satis compertum sit. Dicit, *Inter Jehudah, & inter Israël*: ubi subest acris objurgatio. nam scimus duo illa regna non tantum exercuisse occultam simultatem, sed hostiliter conflixisse. Quum ergo tale esset dissidium inter decem tribus & inter tribum Jehudah, & quasi vesanum odium, ut alii alios prorsus perditos cuperent, quum accerserent Judæi Ægyptios, quum Israëlitæ & Syrios & Assyrios armarent in exitium tribus Jehudah: quum ergo ita capitaliter alii alios per tot secula persequuti fuerint, quid hoc sibi vult? quale portentum est, ut ita inter se conspiraverint ut cultum Dei everterent, ut perderent quicquid erat sincerum in pietate, ut idola sua erigerent? Nunc ergo tenemus quid sibi velit Propheta: quasi diceret, in aliis omnibus fuisse hostes, & una tantum in re conspirasse, nempe ut bellum gererent cum Deo, ut everterent cultum ejus, & ut dissiparent Legem. Nunc ergo videmus quorsum tendat Spiritus Dei, quum dicit *conspirationem fuisse compertam*: ne scilicet Propheta hic multis verbis disceptet quasi de re ambigua. Jubet ergo Deus præcise ipsum ferre judicium, quemadmodum si judicis sententiam scriba recitaret: ita etiam ostendit Deus se agere cum Judæis perinde ut agitur cum hominibus damnatis. Et simul adjungit *reversos fuisse*. Ostendit in quem finem conspiraverint: nempe, inquit, *ut redirent ad scelera patrum suorum, qui ante fuerant*. vertunt, Priores: sed non satis exprimitur Prophetæ sensus: quia intelligit statim à principio Israëlitas fuisse ita præfractos, ut Deus nunquam subigere potuerit eorum ingenia. Tamen notandum est non loqui de vetustissimis, quemadmodum הראשנים vocantur prisci, qui jam olim fuerunt: sed quoniam fuit continua successio, vel series impietatis, ideo Propheta vocat hic patres superiores, qui ab egressu primo cœperant Dei jugum excutere usque ad illud tempus. Et iterum inculcat quod ante vidimus, quod scilicet *noluerint audire*. nam ignorantia etiamsi non prorsus absolvat, tamen aliquatenus extenuat culpam. Sed Deus ostendit jam à principio Israëlitas fuisse immorigeros: nam satis aperte per manum Mosis ipsos docuerat: videmus tamen ut toties insurrexerint adversus Mosen. si quærimus originem, certe fuit mera & destinata impietas, quod scilicet noluerint se Deo subjicere. Postea adjungit: *Et ipsi ambularunt post deos alienos*, inquit, *ut servirent ipsis*. Semper antithesis notanda est inter Deum & idola. Deus satis multa signa dederat suæ potentiæ, & gloriæ: & ut uno verbo dicamus, satis probaverat se esse verum & unicum Deum. unde igitur factum est ut Israëlitæ prætulerint deos fictitios? certe hic non potest obtendi error. videmus ergo rejecto vero Deo, sponte sequutos esse sua figmenta. Deinde adjungit, *Ut illis servirent*. atqui jam Deus ipsos sibi addixerat quum illos redimeret. Quum ergo sese addicunt diis alienis, nonne hinc magis ac magis convincitur eorum ingratitudo? Tandem adjungit explicationis causa: *Domus ergo Israël, & domus Jehudah dissolverunt pactum meum*, inquit. Confirmat quod nuper dixi, nempe eos non errasse, acsi incognita fuisset via, sed quia fuerint præfracto & indomito ingenio, neque sustinuerint Deum audire, quum tamen familiariter ostenderet quid esset agendum. Sed nomen Fœderis plus exprimit: quod scilicet non tantum Deus præcepta sua tradiderat per manum Mosis, sed etiam illos adoptaverat sibi in populum, & simul obstrinxerat illis fidem suam: Ero vobis in *supr. v. 4.*
Deum, estote mihi in populum. Quum ergo tam comiter alliceret eos ad se Deus, quam prodigiosa fuit illa rebellio, non audire ejus vocem? Ergo huc pertinet nomen ברית, quod scilicet non tantum Deus tradiderat regulam bene vivendi, sed etiam ipsos adoptaverat in populum, si essent morigeri. Quum dicit *se pepigisse fœdus cum patribus illorum*, respicit ad primum illud seculum, quo populum eduxerat è terra Ægypti. nam tunc conjunctum erat genus Abrahæ. Erant quidem duodecim tribus inter se distinctæ, sed unum erat caput in populo illo, unum sacerdotium, postea fuerat unum regnum. Ostendit ergo Deus, etiamsi postea decem tribus sibi creaverint alterum regem, & tribus Jehudah tunc divisa fuerit, tamen in hoc divortio fuisse tantum speciales quasdam inimicitias, interea fuisse semper eodem ingenio, & ostendere quam similes essent patribus suis: quasi diceret, Olim erant unus populus, nunc sunt duo. *Atqui jam inter se conspirarunt*, eadem est iniquitas, hac in re sunt conjuncti, & est colligatio inter eos, quemadmodum prius dictum est. Sequitur,

11. Propterea sic dicit Jehovah, Ecce ego inducam (*inducens, vel induco*) super eos malum, à quo non poterunt exire: (*hoc est, se explicare: ad verbum, quod non poterunt exire ab ipso*) & clamabunt ad me, & non audiam eos.

Jam Propheta illis cladem denunciat: quia multis annis, ut probabile est, usus fuerat officio doctoris. minatus illis fuerat, sed frustra. Jam ergo confirmat quod ante vidimus, nempe impiam conspirationem

satis superque notam esse & compertam, ut jam non vocandi sint, vel trahendi ad judicis tribunal, qui ita palam sibi accersiverint suum ioteritum. Dicit ergo Deum jam quasi armatum esse, ut vindictam suam exequatur. *Inducam*, inquit, *super eos malum, à quo non poterunt exire.* Postea addit, *Et clamabunt ad me, ego autem non exaudiam eos.* Hoc posteriore membro ostendit non relinqui ullam spem, acsi possent veniam impetrare à Deo: neque enim ipsum fore amplius exorabilem. Summa est, ita addictos esse exitio, ut frustra sibi quicquam promittant de misericordia Dei. nam sæpius testatus fuerat in Lege, se fore placabilem. Dicit autem Propheta jam spes omnes illis præcisas esse, quoniam fœdus Dei abjecerint: ideo quicquid Deus promiserat illic de sua clementia & misericordia, ad ipsos nooamplius spectare. Nunc discamus etiam accommodare ad nos hanc doctrinam: & primo loco notemus magnum esse discrimen inter nos, qui familiariter & tam longo tempore edocti sumus de vero & legitimo Dei cultu, & inter miseros qui cæci errant in tenebris: quia multo atrocius est crimen nostrum, & dignum pœna graviore. deinde etiam hoc addamus, si Deus aliquandiu nos sustinuerit, venturum esse totum illud tempus patientiæ ejus in rationem. Nullus est dies, quo nos non expergefaciat Deus; & ita mane surgit, & hoc modo ostendit quantam curam gerat salutis nostræ: si autem manemus sopiti in pigritia, hæc comminatio hodie imminet capitibus nostris. & præsertim si expendimus quanto propius ad nos Deus accedat, quam ad populum veterem, hinc etiam colligere licebit quam minus tolerabilis sit nostra ingratitudo. Et ideo diligenter hoc notandum est, Deum armatum esse adversus eos, quibus sermonem suum non uno tantum die, sed multis annis proposuit, postquam expertus est se operam ludere, & offensus fuit obstinata eorum malitia, non esse amplius locum ullum remedio. Sed hic quæri potest, quomodo neget Deus se propitium fore Israelitis, etiam ubi ad eum clamabunt. nam sæpe occurrit hæc promissio, Invoca me, & *Psal 50.*
ego te exaudiam. Quamvis non ubique utatur Deus *vers. 15.*
his verbis, tamen in plurimis locis hoc idem promittit. jam ergo posset hoc videri absurdum, quod januam claudat miseris, qui ad ejus misericordiam confugiunt. Sed proximo versu ostendit qualis futurus sit hic clamor. nam si ex animo resipuissent, certe nunquam negata fuisset eis venia. Sed paulo post videbimus clamores eorum fuisse vagos, & erroneos, & confusos: ita ut non dirigerent preces suas ad Deum, neque etiam tenerent viam quæ omnibus nobis monstratur, quia sine pœnitentia & fide clamarent, quemadmodum sequitur. Dicit enim Propheta,

12. Et ibunt urbes Jehudah, & cives Jerusalem, & clamabunt ad deos quibus ipsi fecerunt suffitum: & servando non servabunt eos in tempore afflictionis.

Ostendit ergo his verbis Propheta non fuisse vero & sincero affectu resipiscentiæ tactos, qui ita promiscue clamarunt ad Deum, & ad idola. Sed posset hic moveri altera quæstio, qui potuerint ad Deum confugere, & simul ad deos alienos? Responsio facilis est, incredulos turbulento spiritu huc & illuc verti, ut nihil certum, aut stabile, & compositum etiam habeant. hoc videmus in Papistis. Papistæ clamant ad Deum, & simul permiscent magnam deorum turbam. Sciamus ergo in omnibus incredulis esse quasi vertiginis spiritum, qui eos torquet in diversas partes, ita ut nunc invocent Deum, nunc autem ad idola sua confugiant. naturaliter rapiuntur homines ad Deum, ubi angustia aliqua constrictos ipsos tenet. invocant ergo Deum: sed postea non contenti uno ipso, feruntur ad sua figmenta, & accumulant sibi, quemadmodum dixi, ingentem turbam deorum. Hoc ergo quum hodie fiat in Papatu, ne miremur idem olim fuisse factum, & exprobrari Judæis. nam Propheta nunc sermonem suum dirigit ad solos Judæos. Nuper loquutus est de Israelitis: nunc autem peculiariter docet populum suum. *Ibunt igitur urbes Jehudah, & cives Jerusalem.* quomodo? *Clamabunt ad deos suos.* Videmus ergo vota eorum fuisse vaga, & quasi sparsa in aerem. noo potuit ergo Deus ipsos exaudire. Nam quoties Deus promittit se fore propitium, vel placabilem, requirit fidem & pœnitentiam: atqui in hoc populo fuit impia pervicacia: deinde nulla fides, quia scilicet impliciti erant suis superstitionibus. Summa est, Judæos quum urgebit ipsos calamitas, vota facturos vero Deo, sed sine ratione, sine delectu, ac potius mente turbulenta: & hoc fore satis clarum, quoniam simul accersent sibi varia idola. sed nihil fore auxilii, neque in vero Deo, neque in ipsorum idolis. quare? indigni enim erunt quos Deus exaudiat, quia ipsum non rite invocabunt, hoc est, sine fide & pœnitentia: deinde idola non poterunt quicquam opis illis afferre. Hinc ergo sequitur eos prorsus fore desperatos.

Da omnipotens Deus, quando dignaris nos tam comiter pro tua paterna indulgentia ad te invitare, ne simus refractarii, sed libenter nos tibi & placide subjiciamus, neque expectemus dum horrorem nobis incutias, & ostendas nobis signa iræ tuæ: sed præveniamus horribile illud judicium, & ita semper pergamus, ut nihil aliud nobis sit propositum quam nomeo tuum glorificare hac tota vita, donec tandem participes simus ejus gloriæ, quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SEXTA

IN

JEREMIAM.

18. Quia pro numero urbium tuarum fuerunt dii tui Jehudah, & pro numero platearum Jerusalem posuistis altaria in opprobrium, altaria ad offerendum suffitum Baal.

Hic Propheta ostendit Judæos non tantum uno superstitionis genere fuisse pollutos, sed hinc inde adscivisse fictitios deos, & ita terram fuisse oppletam, & quasi obrutam innumeris superstitionibus. Dicit *pro numero urbium fuisse deos in regno Jehudah, & in ipsa urbe pro numero platearum fuisse erecta altaria*, nempe *ut offerrent suffitum ipsi Baal.* Videtur tamen aliqua esse repugnantiæ species in verbis. Nam si colebant omnes unum Baal, ubi reperietur illa deorum turba, quam illis Propheta exprobrat? sequitur ergo, vel fuisse ubique unam formam superstitionis, vel non oblatum fuisse suffitum uni Baal in omnibus locis. Sed ex hoc loco & aliis pluribus colligere licet, fuisse hoc nomen vul-

vulgare. nam quamvis singula idola suis nominibus distincte vocarent, tameo hoc erat nomen promiscuum, & omnibus commune. Quid enim aliud est Baal, quam patronus, vel deus inferior, qui conciliat gratiam apud summum Deum? Prophetæ sæpe utuntur numero plurali: vocant Baalim deos minores, vel deos illos inferiores, qui erant quasi mediatores, vel Angeli. sed etiam sæpe per nomen Baal intelligunt omnia idola. Ergo est synecdoche in hac voce: quoniam Propheta generaliter comprehendit omnes deos quos sibi fabricaverant Judæi, quamvis diversa essent illorum nomina. Quod autem Propheta reprehendit in populo suo, videmus quotidie usu venire. nullus enim est finis, ubi semel tantillum declinant homines à puro cultu unius Dei. Nam si quid comminiscuntur, statim error nascetur ex errore: ita cumulabunt sibi diversos errores, donec sese projecerint in labyrinthum, unde nullus est exitus. Hoc clare perspicitur in Papatu. Initio Satan speciosis coloribus homines abduxit à simplici Dei cultu, & pura ejus doctrina. jam ut ingenita est omnibus curiositas, certatim quisque aliquid de suo addere voluit. hinc ergo factum est, ut tanta congeries errorum & superstitionum invaluerit. Non igitur mirum est si Propheta exprobret Judæis non tantum ipsos descivisse à puro & legitimo Dei cultu, sed etiam fuisse apud eos tot idola quot erant urbes: deinde tot rationes colendi Dei, quot erant compita aut viæ in ipsis urbibus. Et hinc etiam colligimus eandem esse radicem apud omnes populos omnium superstitionum. tametsi enim differunt in speciem, prodeunt tamen omnes ex hoc principio; quia quisque appetit habere Deum peculiarem. ita fit, ut unaquæque urbs adoptet patronum: deinde singulæ etiam familiæ sibi fabricant proprios deos, quia nullus contentus est communi cultu. Ergo necesse est à nobis unum Deum pure coli, aut diabolus statim inducet alienos deos, & confusam turbam: ita ut facile appareat nos dare pœnas impiæ levitatis, quoniam relictus à nobis fuerit fons aquæ vivæ. Dicit *erecta fuisse altaria in opprobrium.* Posset hoc ad Deum referri, quod scilicet gravem contumeliam Deo intulerint, quoniam opposuerint profana sua altaria unico quod Deus sibi erigi in Templo jusserat. Sed coacta esset illa interpretatio. melius ergo convenit hoc referre ad populum, quod scilicet sibi altaria erexerit in opprobrium: quasi diceret, Judæos sibi fuisse auctores malorum omnium, ut deberent hoc suæ impietati acceptum referre, quum Dominus pœnam exiget. quasi diceret, Deus quidem vos castigabit ut digni estis: sed adscribite vobisipsis totam culpam: quoniam altaria quæ manibus vestris erecta sunt, cedent vobis in opprobrium & pudorem. Tandem adjungit, *Ad suffitum offerendum Baal.* Non dubium est quin quæsierint summum Deum: sed quoniam fingebant sibi patronos, qui essent quasi mediatores coram Deo, quemadmodum Platonicum illud figmentum omnibus seculis regnavit: ideo Propheta hic pronunciat fuisse illis tot deos, quot erant urbes, deinde quot compita. Neque enim Deus admittit sophisticas argutias, quibus elabi semper volunt hypocritæ. nam simulatque transfertur ejus gloria alio, conqueritur novos deos inductos esse. Sequitur,

14. Et tu ne ores pro populo hoc, & ne tollas pro ipsis clamorem, & precationem: quia ego non audiens (*non audiam*) in tempore quo clamabunt ad me pro (*vel super*) malo suo. *super afflictione sua.*

Ut intelligant Judæi certam cladem instare, & Deum non fore illis placabilem, vetatur etiam ipse Propheta se interponere pro ipsis. Non dubium est quin ubi vel severissime arguebat populum, simul ad Deum vota sua direxerit, quia sustinuit duplicem personam. quum enim in medium prodibat, illic erat quasi præco cælestis vindictæ. ergo fulminabat contra impios, & Dei contemptores. Sed interea suppliciter deprecabatur veniam, ut Deus etiam perditis & desperatis hominibus ignosceret. nisi enim fuisset ita anxius de salute populi, & nisi sedulo orasset, supervacuum erat prohibere ut desineret à precibus. Constat igitur Prophetam in utraque fuisse diligentem, nempe ut populum duriter objurgaret sicuti mandabat Deus: & tamen esset deprecator, ut Deus clementer ageret cum indignis. hoc est unum. Jam ergo Deus prohibet ne amplius oret Jeremias. hoc non facit tamen ipsius tantum causa, sed potius respicit totum populum, nempe ut sciant sententiam de se latam esse, & nihil spei esse reliquum. Videmus ergo ut præcise affirmet Deus sibi esse in animo populum perdere, ideoque non esse amplius locum precibus. Sed quæritur, an Propheta quum postea perrexit in suis precibus, Deum offenderit: videbimus enim fuisse adhuc sic affectum in curanda populi salute, ut non destiterit Deum precari. & quod de Jeremia dicitur, pertinet etiam ad omnes alios. atqui fideles semper orarunt pro impetranda venia, quamvis res ad extremum usque redactæ essent. Sed notandum est Deum ubi ita simplici prohibitione utitur, sæpe acuere suorum vota: quemad-
1 Sam. 15. vers. 35. & 26: 1. modum legimus de Samuele. ille enim etiamsi cognosceret ex ore Dei Saulem esse rejectum, non ideo tamen destitit amore ipsum prosequi, & pro ipso apud Deum intercedere. sed minime dubium est quin Prophetæ respexerint consilium Dei, quod jam attigimus. Quoniam ergo Deus non privatim loquutus est Jeremiæ causa, sed populi: ideo Propheta non damnandus est vel audaciæ, vel temeritatis, vel stultæ obstinationis, vel inconsiderati zeli, quum postea precatus est: quia sciebat non tam hoc sibi esse dictum, quam universo populo. Sed aliud notandum est: neque enim vetitus est Jeremias orare pro reliquiis, hoc est, pro electis, & pro semine illo unde exoritura erat deinde Ecclesia: sed vetitus est orare pro illo corpore populi. & certe ab eo tempore hoc certo persuasum habuit, non posse amplius remedium adhiberi, quin populus trahendus esset in exilium. Referri igitur hoc debet ad totam multitudinem. interea potuit Jeremias pro electis Dei orare: deinde etiam pro nova Ecclesia, hoc est, pro instauratione Ecclesiæ: quamvis non debuerit orare, quin Dominus exequeretur vindictam, quæ jam sic apud ipsum decreta erat, ut non posset ullis precibus flecti. Nunc ergo tenemus hujus loci sensum: nempe quod Jeremias pro singulis hominibus quotidie precatus sit, deinde pro instauratione Ecclesiæ: tamen debuerit certo expectare cladem illam exilii, quia hoc coram Deo fixum erat. Quantum attinet ad hanc loquutionem, *Ne tollas pro ipsis clamorem, & precationem*: alibi diximus duas loquendi formas in speciem esse diversas, quæ tamen conveniunt, Tollere precationem, & Projicere. Dicuntur ergo sancti interdum projicere orationem suam: Cadat oratio mea in conspectu tuo: quoniam scilicet nemo rite compositus est ad Deum invocandum, nisi qui in seipso est dejectus & prostratus. Ergo dicuntur cadere preces sanctorum propter humilitatem: dicuntur etiam sursum attolli, nempe propter fervorem zeli, deinde propter fiduciam. Et quod rem unam pluribus verbis repetit, non caret pondere: quia tantundem hoc valet acsi dictum esset, Tu nihil proficies orando, precando, intercedendo, supplicando. Confirmat igitur Deus pluribus verbis, jam posthac se non fore exorabilem. Sequitur, *Ego enim non exaudiam eo tempore quo clamabunt ad me.* Videtur non esse satis appo-

apposita hæc causæ redditio: nam potuit Deus Prophetæ suo concedere quod impiis illis & rebellibus negasset: verum simpliciter intelligit se fore judicem severum in exigenda pœna, ita ut nullus locus misericordiæ supersit. *Non exaudiam* igitur *eos*: hoc est, etiamsi ipsi clament (argumentum est à majori ad minus) *ego non exaudiam eos*: ergo multo minus te exaudiam pro ipsis. Sed cur non fuit Deus servo suo propitius? Respondeo, Deum magis propensum esse ad misericordiam ubi quisque ipsum invocat, quam ubi accedunt alii deprecatores. Summa est, sive ipsi precentur, sive adhibeant alios patronos, Deum non fore illis exorabilem. Quod autem possit hic objici, alibi solutum fuit. nam si ex animo & sincere Deum precati essent, proculdubio exaudisset illos. neque enim fallit illa promissio: propinquum esse Deum omnibus invocantibus eum, sed in veritate. (Psal. 145. vers. 18.) Quoniam autem hic sermo habetur de hypocritis, qui fundebant preces vagas & erraticas, miscebant verum Deum cum suis idolis, non mirum est si Deus eorum vota repudiet: quia preces nostræ sanctificantur fide & pœnitentia. ubi ergo regnat incredulitas, deinde ubi cor est obstinatum in malitia, preces sunt pollutæ & sacrilegæ, quia illic profanatur nomen Dei. Non mirum est igitur si rejiciat eos Deus qui ficte ipsum invocant. Sequitur,

15. Quid dilecto meo in domo mea? dum facit ipsa abominationem cum multis: & caro Sanctuarii transierunt abs te: quia dum male fecisti, tunc gloriaris.

Quoniam oratio est concisa, varie torquetur ab interpretibus hic locus. brevitas semper obscura fere est. Sed hæc omnium fere consensu expositio est recepta: quod Propheta Deum appellet dilectum suum. *Quid ergo dilecto meo in domo mea?* Qui ita accipiunt verba Prophetæ, putant etiam Templum vocari domum ejus, propter studium pietatis, quo singulariter ardebat. quoniam ergo prætulerat Templum Dei omnibus rebus terrenis, ideo putant ita loquutum esse, *Quid dilecto meo in domo mea?* Sed Jonathan multo rectius accipit in persona Dei. & certe quisquis prudenter expenderit Prophetæ verba, mirabitur doctos viros, & tam multos ita in re non dubia fuisse deceptos. Non dubium igitur mihi est quin Deus hic loquatur: & *dilectum suum* appellat populum, respectu adoptionis. Ironica autem est loquutio, si reputamus quanta fuerit populi impietas, & quam indignus hoc honore propter suam ingratitudinem: tamen mirum non est, vocari *dilectum*, ut aliis locis, nempe quoniam fuerat à Deo electus: quemadmodum etiam vocatur Rectus in cantico Mosis: (Deut. 32. vers. 15.) & tamen Moses illic enarrat quam scelerate populus desciverit à Deo suo: sed vocatur Rectus, nempe respectu ipsius Dei. nam quamvis homines vocationi suæ non respondeant, tamen consilium Dei manet stabile, neque mutatur ipsa hominum malitia. quamvis ergo tunc omnes fere essent apostatæ, Deus tamen nunquam passus est aboleri fœdus suum. Ideo Paulus quum de Judæis loquitur 11. ad Rom. cap. (Rom. 11. vers. 28.) etiamsi tunc omnes fere essent acerrimi hostes Euangelii, & sua perfidia prorsus sese abdicassent, ita ut essent extranei: tamen dicit esse dilectos propter Patres: Propter vos quidem inimici ad tempus, inquit, hoc est, quoniam Deus locum dare voluit Gentibus, & illas sibi adoptare: tamen propter fœdus manent adhuc, & manebunt dilecti, hoc est, respectu primæ illius adoptionis. Non cito alios locos similes: sed satis est tenere genuinum sensum. *Quid ergo dilecto meo in domo mea?* hoc est, quid jam simulant Judæi se venire in Templum ut mihi sacrificent? ut profiteantur se esse populum meum? quid illis cum domo mea? hoc est, quid illis cum ulla sanctitate? Ergo hic oblique perstringit Judæos duobus modis: quod scilicet sibi præclusissent aditum, ne amplius sacrificia in Templo offerrent: & simul etiam auget ipsorum crimen, quod quum essent amici Dei, hoc est, quum ipsos dignatus esset suo favore, quum amplexus esset tanquam pater filios, quod tamen cum ipso bellum gererent tanquam professi hostes: quemadmodum etiam alibi dicitur, Hei sumam vindictam de (Jesa. 1. vers. 24.) hostibus meis. Nunc videmus sensum optime fluere. ostendit Deus Templum suum pollui à Judæis, quum illic perrumpunt, ut offerant sua sacrificia: *Quid vobis*, inquit, *cum domo mea?* Quemadmodum etiam eadem fere sententia legitur primo capite Jesaiæ. illic enim subsannat Deus Judæos, quod tererent pavimentum Templi sui: (Jesa. 1. vers. 12.) Ego scilicet multum vobis debeo. nam venitis in atria mea. quorsum? tantum pavimentum Templi mei conteritis. ergo manete potius domi vestræ, & ne putetis me vobis obstrictum, quia in Templum venitis. sic etiam hoc loco, *Quid jam dilecto meo in domo mea?* Per concessionem loquitur, *Sed quid dilecto meo in domo mea?* quasi diceret, Estis quidem dilecti, & putatis Deum vobis obstrictum esse. freti enim fœdere quod pepigi cum patre vestro Abraham, semper manetis in illa jactantia, Nos sumus populus Dei, & ejus hæreditas: nos sumus gens sancta, & regale Sacerdotium: Estis dilecti, inquit, *sed quid vobis cum Templo meo?* nempe *quia fecerit ipsa abominationem cum multis.* Hic mutatur genus nominis, quia relativum fœmininum hic ponitur. Sed hæc loquendi ratio passim trita est, quod scilicet populus accipitur pro muliere, hoc est, repræsentatur nobis sub persona mulieris. Dicit ergo, *Ecce filia populi mei fecit abominationem cum multis.* Non poterant ingredi Judæi Templum, nisi manerent quasi defixi in puro ejus cultu. nam sicuti erat unicum Templum, & unicum Altare, ita oportuit illis unicum esse Deum: deinde oportuit unicam esse regulam ipsius colendi. Atqui hic dicit fecisse abominationem: & ita accusat eorum impia figmenta, quod scilicet accersiverint sibi adulterinos cultus, & ita discesserint à præscripta forma. ergo abominatio opponitur Legi. Deinde adjungit *fecisse cum multis.* Videmus ergo clausam illis fuisse Templi januam: quoniam Templum non potuit separari à Lege, neque nihilo magis etiam à Deo, cui dicatum erat. Judæi relicta Lege, & adscitis innumeris idolis, in Templum perrumpunt. Videmus ergo non sine causa Deum conqueri, quod adhuc veniant in Templum. *Quoniam ergo fecerunt abominationem, & quidem cum multis*, jam nihil amplius illis est cum Lege mea. Templum enim est viva imago unius Dei, deinde quasi sacrarium ipsius Legis. Contemnunt ipsi Legem, & jactant innumeros deos: ideo volunt misceri Templi sanctitatem cum turba deorum, & cum suis corruptelis & figmentis. Dicit postea Carnem Sanctuarii transiisse ab ipsis: *Caro Sanctuarii transierunt.* Quod quidam hoc accipiunt de omnibus fidelibus, juxta illud, Sileat à facie Dei omnis caro, (Habac. 2. vers. 20.) nimis coactum est & etiam insipidum. Non dubium igitur est quin de sacrificiis loquatur: quasi diceret carnes Sanctuarii, hoc est, sacrificia recessisse à populo. Dubium quidem non est, quin sedulo victimas tunc adhuc mactaverint: sed Deus rata non habet eorum sacrificia, quod scilicet jam corruperant verum ejus cultum. Hæc igitur ratio est, cur dicat *carnes Sanctuarii recessisse à populo*: quemadmodum aliis locis negat sibi offerri. & tamen Judæi se volebant hoc nomine venditare: & non dubium est, quin superbe Prophetis objectaverint suas victimas. Sed Deus hoc non fert illis acceptum, tametsi volebant illi impensum ferre: Mihi non offertis vestra sacrificia, inquit, sed idolis. Ita etiam hoc loco dicit carnem

nem Sanctuarii ablatam esse ab ipsis, quoniam polluta erant eorum sacrificia. Ergo erant putrida cadavera, quoniam necesse erat victimas in Templo offerri: Templum autem ipsi polluerant, ut esset caverna latronum, & tanquam sterquilinium: denique ut esset lupanar, quemadmodum alibi loquitur Scriptura. Non dubium igitur est *jam nullas fuisse carnes Sanctuarii*, hoc est, nullum legitimum sacrificium, & quod Deus probaret. Sciamus ergo hypocritas, simulac desciverunt à vero Dei cultu, etiamsi multum satagant, & sese fatigent in colendo Deo, nihil proficere: quoniam victimæ ipsorum sunt abominabiles. Ergo si cupimus obsequia nostra grata esse Deo, & probari, maneat apud nos principium illud: nempe, Pluris esse obedientiam coram ipso, quam omnia sacrificia. *1 Sam. 15. vers. 22.* Adjungit aliam querimoniam, *quod scilicet ubi malefecerunt, tunc glorientur*. Et tamen interponitur causalis particula: *Quoniam*, inquit, *gloriaris quum malefecisti*. Haud dubie ostendit Propheta, nullo modo rite ipsos litare: quoniam non tantum corruperunt veram pietatem, sed etiam superbiunt in suis superstitionibus, & contemnant Deum, & opponant sua figmenta Legi ipsius. Hoc autem intolerabile est quum scilicet homines volunt Deum suo arbitrio, vel potius libidini subjicere. Nam fideles etiam non ita pure & perfecte Deo sacrificant, quin permixta sint aliqua vitia, eorum oblationibus: sed Deus tamen recipit quæ offerunt, quamvis permixtum sit aliquid inquinamenti. quare? neque enim sibi placent in suis studiis, sed potius aspirant ad puritatem, etiamsi ad eam non perveniant. Sed ubi hypocritæ sese efferunt adversus Deum, & contemnunt superbe ejus doctrinam, & volunt sua commenta præferre, & audent etiam ea opponere ejus auctoritati, certe hæc est diabolica superbia, quæ contaminat quicquid alioqui esset sanctissimum. Sequitur,

16 Olivam viridem, pulchram fructu, forma vocavit Jehovah nomen tuum: ad vocem sermonis (*alii vertunt, tumultus*) magni accendit (*accendere fecit*) ignem super eam, & fracti sunt rami ejus. *alii vertunt transitive, & fregerunt ramos ejus.*

17 Nam Jehovah (*copula enim hic accipitur vice causalis: quia Jehovah*) exercituum, qui te plantavit, loquutus est (*vel pronunciavit*) super te malum, propter malitiam domus Israël, & domus Jehudah, quam fecerunt sibi ad provocandum me, ad faciendum suffitum Baal.

Primo loco dicit Propheta fuisse quidem Judæos ad tempus instar olivæ fructiferæ, & speciosæ: postea adjungit hanc pulchritudinem non fore obstaculo, quominus Deus & ramos frangat, & radicitus perdat ipsam arborem. Postea sententiam illam confirmat, *quoniam Deus qui plantavit, possit etiam idem evellere*, quoties visum fuerit. hæc est summa duorum versuum. Non dubium est autem quin Propheta hic derideat vanam confidentiam qua sciebat Judæos decipi. nam sic inebriati erant donis cælestibus, ut auderent ipsum auctorem despicere. Quum ergo Prophetæ eos sic aggrediebantur, Putatisne impune vobis cessura tot scelera? non desinitis in vos accendere iram Dei. polluitis ejus Templum, totum cultum corrumpitis, contemnitis Legem: interea scilicet Dominus vobis semper indulgebit? Quum ergo ita cum ipsis agerent Prophetæ: Quid? Deusne Templum suum relinquet, de quo juravit, Hæc requies mea in seculum seculi? nonne hæc terra sancta? & nonne etiam ea hæreditas ejus est, & requies? deinde, nonne sumus grex ipsius? nonne sumus filii? nonne sumus sanctum genus? Ergo quod solebant Judæi arroganter prætendere, concedit illis Propheta: Ita, inquit, vos estis oliva viridis, oliva pulchra & procera, oliva fructifera: hæc omnia concedo, inquit: sed annon Deus poterit subjicere ignem, ita ut rami una ardeant, & ita tota arbor redigatur in nihilum? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. sed connecti debet proximus versus: *Deus enim exercituum, qui te plantavit*: quasi diceret, Pulchritudo vestra, & quicquid est in vobis pretiosum, an est à vobis? Certe tota vestra dignitas & excellentia pendet ex gratuito Dei beneficio. Scitote igitur vos nihil esse in vobis, sed in Deo, & in beneplacito ejus. *Ergo Jehovah qui vos plantavit*, habet in suo arbitrio, ut radicitus evellat arborem à se plantatam. Dicit igitur *esse olivam viridem, speciosam fructu & forma.* quare? quoniam Deus dignatus fuerit illos tanto honore. Similitudo hæc pluribus etiam aliis locis legitur, & tamen varie. nam potuit hoc Dei respectu competere in totum populum: sed quoniam hypocritæ digni sunt quos Deus spoliet & exuat suis ornamentis, ideo quod in commune omnibus erat oblatum, non potuit quadrare nisi solis fidelibus: quemadmodum dicit David, Ego autem olea fructifera in domo Dei. *Psal. 52. vers. 10.* Non dubium est quin se illic ab hypocritis separet: quasi diceret, Volunt etiam hypocritæ locum habere in Templo Dei, & sunt quasi excelsæ arbores, sed sunt infrugiferæ: ego igitur ero olea viridis in domo Dei, illi autem arescent. Sed, quemadmodum jam dixi, Propheta Judæos olivæ viridi comparat, respectu adoptionis & gratuiti beneplaciti, quoniam Deus illos extulerat in tantum gradum præstantiæ. Atqui postquam loquutus est per modum concessionis, postea addit: *Ad vocem tumultus magni*, aut sermonis magni, inquit, *accendet ignem suum super eam, & frangentur rami ejus.* alii vertunt, quemadmodum jam dixi, active: sed quantum ad summam rei spectat, nihil est ambiguum. nam si active accipimus, aliquid subaudiendum erit, nempe quod hostes, qui erunt instar ignis, frangent ejus ramos. Jam sequitur illa quam dixi, confirmatio, nempe *quod Jehovah qui plantavit eam, loquutus fuerit* (hoc est, pronunciaverit) *malum* (id est, calamitatem) *super eam* ostendit ergo non esse cur confidant præsenti suæ pulchritudini: neque enim à seipsis habent illam, sed precario duntaxat possident: Deus enim qui plantavit, poterit etiam eos delere. sed hac de re plura dicenda erunt.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos semel colligere in Ecclesiam tuam, ne unquam à puritate cultus tui vel minimum deflectamus, sed semper spectemus quid tibi placeat, & studia omnia nostra & cogitationes intendere discamus ad obsequium doctrinæ tuæ, atque ita pure & spiritu, & externo etiam ritu te colamus, ut vere nomen tuum glorificetur in nobis, & præsertim retineamus eam puritatem quam nobis ubique commendas, ut vere simus membra Filii tui unigeniti: & quemadmodum ille seipsum sanctificavit nostro nomine, ita etiam nos ejusdem Spiritu fiamus ejusdem sanctitatis participes, donec tandem ipse nos colligat in regnum suum cæleste, quod nobis sanguine suo acquisivit, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SEPTIMA IN

JEREMIAM.

Diximus heri cur Propheta hic commemoret *Judæos fuisse plantatos à Deo*, nempe ut agnoscant se non stare propria virtute, neque alibi etiam habere radices, nisi in illo Dei beneplacito. Summa est: quoties Deus volet, statim ipsos perituros, quia non consistunt propria virtute, sed tantum ejus gratia: quod alibi confirmat, Deum figulo, populum vasis fictilibus comparans. Tale est argumentum quod citat Quintilianus ex Ovidii Medea: Servare potui, perdere an possim rogas? Quoniam ergo Judæi freti longa quiete, & suis opibus, putabant se esse extra omne discrimen, Propheta hanc confidentiam deridet. ostendit quam vana sit: quia scilicet Deus illos plantaverit, & ita idem possit eos facile evellere. Cæterum, hæc metaphora satis trita est in Scripturis. nam quoties dicitur Ecclesia plantata esse à Deo, optime quadrat similitudo: nempe sicuti arbor ab occulta radice succum & vigorem ducit, ita etiam ab electione occulta Dei fideles vitam suam trahere. sed hoc ad spem æternæ salutis spectat. Et hoc sensu dicit Christus
Mat. 15. Matthæi 15. Omnis plantatio, id est, omnis arbor,
vers. 13. quam Pater meus non plantaverit, eradicabitur. Dicit ergo solos electos plantatos esse divinitus, quia in abscondita vita Dei radices suas habeant. Sed hoc etiam longius extenditur, nempe ad externum
Psal. 44. Ecclesiæ statum: quemadmodum Psalmo 44. Evel-
vers. 3. listi gentes, & plantasti patres nostros: & Psalmo etiam 80., & aliis. Ergo sicuti electos suos plantat Deus, ita etiam dum ecclesiam aliquam sibi colligit externa specie, dicitur eam plantare. Sed qui plantati sunt hoc modo, possunt etiam deinde evelli, quemadmodum testatur Propheta. atqui electio arcana non potest mutari. Ergo tenendum est illud discrimen, quod radices habent filii Dei in æterna ejus electione, in quam non cadit pœnitentia, aut mutatio. Exterior autem Ecclesiæ status etiam confertur plantationi. sed qui ad tempus ita florent, & sunt frondosi, atque etiam videntur fructum aliquem producere, possunt Dei manu evelli, si degenerent. Generalius etiam interdum accipitur hæc loquutio, quemadmodum etiam proximo capite videbimus, & aliis Scripturæ locis satis constat. Quod autem Propheta dicit *Deum loquutum esse propter malitiam Israël*, hoc ad doctrinam referri debet. Tametsi enim jam aliqua ex parte senserant Judæi justum Dei judicium, tamen adhuc manebant securi. Ideo dicit instare illis cladem, quoniam Deus id pronunciaverit per servos suos. Addit, *Propter malitiam utriusque regni*, ut scilicet facessant omnes querimoniæ: quia scimus homines nimis ad obstrependum proclives esse, quoties illos Deus castigat. vellent enim cum eo litigare. Propheta autem hic ostendit, Deum tam severe acturum esse cum Judæis, quoniam non destiterint provocare illius iram suis maleficiis. Ideo dicit *fecisse sibi:* subaudiunt quidam, Et ideo eveniet ipsis. Atqui videtur longe plus efficaciæ subesse in Prophetæ verbis: quod scilicet sibiipsis fecerint malum, hoc est, in suam perniciem. Addit, *Ad provocandum me*, hoc est, quum vellent me provocare. In summa, significat Deus se justas pœnas sumpturum de Judæis, quoniam sibiipsis malum accersiverint: & simul tamen ostendit fontem mali, quia voluerint Deum provocare *offerendo suffitum Baal.* Sequitur,

18. Et Jehovah ostendit mihi, (*cognoscere me fecit*) & cognovi: tunc patefecisti mihi opera ipsorum. *vel instituta.*

Scimus scelestissimos quosque, etiamsi teneantur convicti, non tamen libenter cedere, & agnoscere ac fateri culpam: sed fremere adversus Deum, & insurgere etiam adversus Prophetas. Quia autem palam non audent evomere sua sacrilegia contra Deum, aggrediuntur servos ejus, & volunt simul videri cum illis sibi esse negotium. Et hoc non fuit unius tantum seculi vitium, sed hodie etiam idem experimur. Nam si liberius penetramus in arcana scelera, statim profani homines obganniunt, Quid? isti divinant: & quis illis patefecit? an habent hoc oraculum è cælo? Quasi vero nec sermo Dei, nec Spiritus ejus vim suam exerat, nisi ubi pueri possunt esse judices. Sed tamen hoc consilio impii contra Dei servos insurgunt, ut impune liceat illis hoc vel illud agere, modo non possint trahi ad terrestre aliquod tribunal, & illic claris & pluribus testimoniis convinci. Hac ratione dicit Propheta *patefacta sibi esse scelera gentis suæ:* quasi diceret, Video hanc exceptionem vobis fore in promptu, quemadmodum soletis superbe vos opponere omnibus reprehensionibus & minis, quasi vobis tantum cum hominibus certandum esset. atqui jam ante vobis testor, me nihil proprium afferre, neque divinare quid intus quisque vestrum cogitet: sed scitote Deum, qui cognitor est cordium, mihi mandasse has partes. Voluit igitur me esse præconem suæ vindictæ, voluit me esse quasi fecialem ad bellum vobis denunciandum: ita non venio neque ago meo nomine: ergo non est, cur vos fallatis pro more perpetuo, quasi ego vos temere coarguam, quum tamen scelera vestra sint abscondita. hoc enim proprium est Dei munus, cognoscere quid in cordibus hominum lateat. Sunt quidem flexuosi cordium recessus, & sunt illic meræ tenebræ: sed Deus acutius videt, quam homines. Ergo desinite mihi objicere quod soletis, nempe me esse temerarium, qui traham in lucem quæ latent in caligine. Deus enim voluit me hæc mandata ad vos perferre: & quemadmodum ipse est cognitor cordium, & quemadmodum nihil ipsum fugit, & quemadmodum penetrat in cogitationes & affectus: ita etiam voluit verbo suo quod in ore meo posuit, in medium proferri quæ putatis esse occulta. Nunc ergo tenemus sensum Prophetæ. Alii autem secus accipiunt: quod scilicet Deus patefecerit servo suo Jeremiæ impiam conspirationem, de qua postea loquitur: & ita connectunt simul duos versus. Sed non dubito quin Propheta hic voluerit ostendere, quale & quantum pondus haberet sua doctrina, cui Judæi putabant se omnem auctoritatem & fidem detrahere, quum jactarent hominem mortalem plus æquo sibi sumere, & afferre incertas divinationes. Ergo ut repelleret tales calumnias, testari voluit se nihil illis minari temere, neque etiam ex suspicionibus loqui, vel conjecturis, quum antehac disseruit de ipsorum sceleribus: sed tantum fideliter proferre quod divinitus injunctum erat, & patefactum etiam à Spiritu sancto. hæc est summa. Postea sequitur,

19. Ego autem quasi agnus, bos ductus ad immolandum, (*ad mactandum*) & non cognovi quod contra me cogitarent cogitationes, (*hoc est, inirent consilia: nempe:*) Corrumpamus ligno panem ejus, (*ad verbum est, Corrumpamus lignum in pane: sed dicemus post de sensu verborum*) & excidamus eum è terra vivorum, & nomen ejus non memoretur amplius.

Hic adjungit, meo judicio, Propheta se non persequi privatas injurias. nam poterant etiam Judæi hoc prætextu repellere ejus doctrinam, acsi iracundia permotus ita acriter & aspera cum illis ageret. Et certa quisquis suis affectibus permittet vel minimum aliquid, non poterit sincere docere: quia necesse est eum qui se ad munus Propheticum accingit, exutum omnibus carnis suæ affectibus, afferre purum & liquidum (ut ita loquar) zelum: deinde etiam mentem rite compositam, ita ut nihil quærat, aut habeat propositum præter Dei gloriam, & salutem eorum, quibus præfectus est doctor. Quisquis ergo propriis affectibus impellitur, non poterit nisi turbulente agere: ita nec poterit probe, neque etiam cum fructu exequi Prophetæ aut Doctoris munus. Ergo Propheta secundo loco nunc adjungit, se non agere propriam causam, neque habere respectum suæ personæ, ut loquuntur, *quia nescieverit quid machinati essent Judæi contra ipsum.* Qui contexunt duos istos versus, putant se habere aliquid coloris, acsi Propheta nunc exprimeret pluribus verbis quod ante breviter attigerat. sed si quis probe expendat rem totam, facile intelliget non alio Jeremiam spectare, nisi ut afferat doctrinæ suæ fidem. Duplici autem ratione usos fuisse Judæos probabile est, quum vellent abrogare sancto Prophetæ fidem: O, tu divinas. quemadmodum diximus hoc idem nunc quoque vulitare in ore multorum. Ideo revocat hic Judæos ad cæleste Dei tribunal: & ostendit non esse mirum, si quæ putabant esse abscondita, proferat in lucem: quoniam scilicet hoc sibi patefactum sit à
Joan. 16. vers. 8. Dei Spiritu. quemadmodum etiam Christus loquitur, Spiritus quum veniet judicabit mundum. Non apparuit Spiritus nisi in doctrina Apostolica: sed exercuit per Apostolos suam jurisdictionem. Et Apostolus etiam videtur huc respexisse quarto capite
Hebr. 4. vers. 12. ad Hebræos, quum dicit sermonem Dei esse similem gladio ancipiti, qui penetrat usque ad intimas cogitationes, & absconditos sensus, usque ad medullas etiam ossium, & distinguere inter cogitationes & affectus. Ergo Propheta primo loco ostendit non mirum esse, si conscendat supra humana judicia: quoniam scilicet præditus sit Spiritus sancti auctoritate. Deinde adjungit, se non afferre ullos carnis affectus, sed impelli puro Dei zelo: *quoniam scilicet nescieverit perversa eorum consilia.* Dicit autem *similem se fuisse agno & bovi*, aut vitulo. Hic non interponitur copula, ideo quidam conjungunt utrumque nomen, Et ego sicut vitulus anniculus. Nam כבש vocant Hebræi agnum unius anni duntaxat: postea nominant arietem. sed hoc, meo judicio, esset coactum. Facile autem subauditur copula, vel disjunctiva particula. *Ego* igitur *quasi agnus, aut quasi vitulus, qui ducitur ad mactationem*, ad mactandum aut jugulandum. Hic Propheta significat se non tumultuari, quemadmodum solent irati homines, quos rapit sua excandescentia, vel dolor. Testatur ergo nihil in animo suo tale esse, quoniam nihil ab agno, aut vitulo differat, qui trahitur ad mactationem. Amplificandi causa addit, *Imo non cognovi quod contra me cogitarent cogitationes*, hoc est, hoc non venit mihi in mentem. Poterat quidem Propheta aliquid vel subolfacere, vel etiam cognoscere: sed quia seipsum, & propriam vitam negligebat, ideo hic testatur, se ita simpliciter egisse, ut non respexerit quid illi machinarentur. Jam addit, *Corrumpamus lignum in pane ejus.* Recte sentiunt meo judicio, qui enallagen esse putant. nam potius dicendum erat, Corrumpamus in ligno, vel ligno panem ejus. nam illa expositio nimis est frigida, Corrumpamus lignum, id est, perdamus lignum, quasi loquantur de re nullius pretii. sed quid hoc ad rem? Potius si retinemus literam, ut loquuntur, sentiret Propheta lignum esse corrumpendum in pane, nempe ut contraheret aliquam putredinem. nam lignum in pane, nisi putrefactum, non noceret. Sed minime dubium est, quin Propheta hic metaphorice loquatur, quemadmodum & David Psalmo 69. quum dicit, Posuerunt in escam meam fel, & in siti mea potarunt me *Psal. 69. vers. 22.*
aceto. Jeremias etiam in Lamentationibus conqueritur veneno infectum fuisse cibum suum. *cap. 3: 15.* Sæpe ejusmodi similitudines occurrunt. nam ubi victus ipse hominis corrumpitur, nullum amplius superest vitæ subsidium. Summa est igitur, tam crudeliter egisse hostes Prophetæ, ut vellent quovis modo ipsum perditum, etiam si veneno extinguendus esset. Quod lignum pro veneno quidam accipiunt, nescio an conveniat. Fingunt hic notari speciem ligni, quod vim toxici habeat. sed illud est nimis argutum. Simpliciter igitur accipio: quasi dicerent, Corrumpamus ligno ejus cibum, hoc est, demus lignum loco panis, quod sua duritie lædat dentes, quod exulceret guttur, quod non possit concoqui, neque verti in alimoniam. Hoc est igitur corrumpere in ligno panem, vel ligno corrumpere cibum, facere ut lignum corrumpat panem, nempe sua duritia, vel ubi putredinem contraxerit. In sensu nulla est ambiguitas. Quod autem veteres hoc loco abusi sunt, nimis fuit puerile, quum traherent ad corpus Christi. Et hodie tamen Papistæ mire superbiunt in hac allegoria, quæ prorsus insipida est: dum volunt probare panem converti, & transsubstantiari, ut ipsi loquuntur, in Christi corpus: adducunt Origenem, adducunt etiam Irenæum, & similes, Ecce expositus est locus ille Jeremiæ, Mittamus lignum in panem ejus, (sic enim habetur in vulgari translatione, Mittamus lignum in panem) quod scilicet corpus Christi fuerit crucifixum: & postea etiam addunt, quia dixit, Accipite, & comedite, hoc est corpus meum. Videmus quanta sit hæc insulsitas. certe est ridicula ipsis pueris. Sed tanta est Papistarum improbitas & protervia, ut excusso omni pudore, tantum Thrasonice obtendant nomina Veterum: & si quid stulte & futiliter dixerit Origenes, velint hoc haberi pro oraculo, nempe si inde confirmentur ipsorum errores. Verum etiamsi demus Prophetam fuisse typum Christi, quid hoc tamen ad similitudinem corporis, quum potius nunc loquatur simpliciter de cibo? quasi diceret corruptam fuisse quasi veneno suam alimoniam, & ita crudeliter fuisse contra se ab hostibus sævitum, ut etiam vellent ipsum perdere in pane ipso. Et statim sequitur, *Excidamus ipsum è terra vivorum.* Sæpe hæc loquutio etiam occurrit: Terra vivorum, aut regio accipitur pro statu præsentis vitæ. Postremo adjungit, *Et ne sit nomen ejus in memoria amplius.* Denique his verbis exprimere voluit Propheta extremam sævitiam, qua ardebant hostes: quod scilicet non contenti insidiis, aut vi aperta, veneficio vellent ipsum perdere, & extinguere, atque etiam delere ejus nomen. Sequitur,

20. Et

20. Et Jehovah exercituum, judicans justitiam, (*aut, judex justitiæ*) scrutans (*inquirens*) renes & cor, videam ultionem tuam de ipsis: quia tibi revelavi causam meam. *litem meam, ad verbum.*

Hic Propheta postquam admonitus fuit de tanta populi impietate, ut videt se facturum verba apud surdos, ideo sermonem ad Deum convertit: *Tu ergo Jehovah*, inquit, *exercituum, qui judex es justus, qui scrutaris renes & corda, videam ultionem tuam de ipsis.* Videtur hic Propheta secum pugnare. Nuper enim asseruit se esse similem agno, aut vitulo, quasi vitam suam offerret in sacrificium spontaneum, ut loquuntur. Hic autem quasi repente excandescat, implorat vindictam Dei. Hæc certe videntur multum esse diversa. nam si erat quasi victima, cur non placide expectat eventum? cur tanto fervore accenditur? cur ita imprecatur illis Dei vindictam? Sed hæc optime inter se conveniunt, si distinguimus inter privatum affectum, & inter zelum porum, & recte compositum, quo non potuit turbari moderatio doctrinæ. Nam quamvis Propheta vitam suam negligeret, neque moveretur privatis injuriis, non tamen ideo fuit quasi stipes: sed zelus Dei cor ejus edebat: quemadmodum scimus hoc communiter dictum esse de omnibus Christi membris, Zelus domus tuæ comedit me, & opprobria exprobrantium tibi ceciderunt super me. Propheta igitur antehac à se depulit omnem suspicionem, quum diceret se ad mactationem esse paratum, acsi esset agnus, aut vitulus: nunc autem ostendit, se tamen non carere aut vacuum esse zelo Dei. Ergo hic evomit novum fervorem, quum dicit, *Tu Jehovah, qui scrutaris corda & renes, videam ultionem tuam de ipsis.* Nec dubium est quin Propheta hic solutus omni carnis affectu, tantum instinctu Spiritus pronunciet quod legimus. Quum ergo dictaverit Spiritus sanctus hanc precationem sancto viro, potuit esse voluntarium sacrificium: & tamen potuit etiam simul merito provocare ad tribunal Dei, ut de impietate reprobi populi pœnam sumeret: neque enim omnes indifferenter involvit, sed de perditis & desperatis subscribit Dei judicio. Verum quidem est, posse hoc exponi, quasi Propheta prædiceret quod jam sciebat impendere populo suo: & quidam ita exponunt, hoc est, volunt esse nudam prædictionem absque voto. Sed terrentur sine causa prætextu absurditatis. putant enim hoc esse absurdum, si Propheta cupiat populum suum esse perditum. Potuit enim id optare: sed quemadmodum dixi, zelo quem Spiritus sanctus accenderat in corde ejus: & verbis etiam quæ idem Spiritus dictaverat. Vocat autem Deum *judicem justitiæ*, ut abstergat & discutiat fucos omnes, quibus Judæi gloriabantur, quum vellent causam suam probare. Hoc ergo significat, nihil ipsos consequi suis tergiversationibus, quoniam fumi illi evanescent antequam accedant ad Dei tribunal. Significat denique non posse consistere ipsos coram judicio Dei. Jam adjungit, *Deum scrutari renes & cor*, non tantum ut testetur de sua ipsius integritate, quemadmodum alii volunt: sed ut hypocritas expergefaciat. Docet enim eos nunc consistere coram hominibus, quia occultent sua scelera: sed ubi ventum fuerit ad tribunal cæleste, tunc aliam fore rationem: quia scilicet *Deus probet*, aut examinet (nam hoc significat verbum בחן) *renes & cor*, hoc est, intimos affectus. nam Scriptura per Renes intelligit omnes absconditos affectus. Dicit, *Quia tibi patefeci judicium meum.* Non dubium est quin Propheta hic provocet ad judicium Dei: quoniam videt se destitui omnium patrocinio, videt sibi omnes esse adversos. Pauci quidem tunc pii restabant, quemadmodum alibi vidimus: sed hic Propheta loquitur respectu multitudinis. Quoniam igitur in populo nemo tunc extabat, qui non palam resisteret Deo, ita ut nullus esset æquitatis aut justitiæ patronus, ideo convertit se ad Deum: *Ego*, inquit, *tibi patefeci causam meam*, hoc est, Domine, tu scis qualis sit causa mea, & non ago quicquam simulate. Ego enim tibi fideliter & ex animo servio, quemadmodum tu scis. quum ita sit, *Ergo videam vindictam tuam de ipsis.* Docemur autem hoc loco, etiamsi conspiret totus mundus ad opprimendam veritatis lucem, non debere tamen animis frangi Prophetas, aut doctores: neque etiam debere ab hominum judicio pendere, quoniam fallax & falsa esset trutina: sed debere perstare in officio, & hoc uno contentos esse si Deo officium suum probent, & quasi sub ejus conspectu exequantur munus sibi injunctum. Interea etiam discamus, frustra tergiversari omnes impios, & hypocritas, dum eludunt Propheticam auctoritatem: quia tandem trahentur ad cæleste judicium. Ergo si videmus Doctores rite & sincere perfungi suo munere, sciamus non posse nos effugere judicium Dei, nisi eorum doctrinæ nos subjicimus. Et ipsi quoque Prophetæ & Pastores debent colligere ex hoc loco, quemadmodum nuper dixi, quamvis totus mundus adversetur, non tamen desistendum esse à constantia, neque ideo debere esse flexibiles: quin potius satis habeant, si Deus probat eorum causam. Postea sequitur,

Psal. 69. vers. 10. Joan. 2. vers. 17. Rom. 15. vers. 3.

21. Propterea sic dicit Jehovah ad viros Anathoth, qui quærunt animam tuam, dicendo, Ne prophetes in nomine Jehovæ, & non morieris in manu nostra. (*hoc est, ne moriaris manu nostra.*)

22. Propterea sic dicit Jehovah exercituum, Ecce ego visitans (*visitabo*) super eos: adolescentes eorum morientur gladio: filii eorum, & filiæ eorum morientur fame.

23. Et residuum non erit ipsis: (*hoc est, nihil erit ipsis residuum*) quia venire faciam malum super homines Anathoth anno visitationis ipsorum. *alii vertunt, annum: sed male, meo judicio.*

Hic peculiariter vindictam Dei Propheta popularibus suis denunciat. vidimus enim initio libri ipsum esse oriundum ex oppido Anathoth. Apparet autem ex hoc loco, non tantum fuisse bellandum sancto viro cum Rege, & ejus Consiliariis, & Sacerdotibus, qui Jerosolymæ erant: sed etiam quum se reciperet in angulum illum, ut apud suos quietus ageret, ne illic quidem fuisse quenquam ei amicum, sed omnes eum hostiliter persequutos fuisse. Videmus ergo quam misera fuerit Prophetæ conditio, quod nusquam potuit quietus esse, etiam quum latebras quæreret, atque in patriam suam confugeret. Quod ergo illic tutus non fuit, hinc videmus quam duriter ipsum exercuerit Deus per tot annos, quibus sustinuit munus Propheticum. Quoniam ergo cives Anathoth gravius peccaverant, ideo etiam denunciatur illis peculiaris clades. Certum quidem est, non fuisse Prophetam humanius acceptum Jerosolymæ: imo illic habuit hostes crudelissimos, ut alibi videbimus: sed quum aliquid otii & relaxationis spera-

speraret sibi fore in patria, illic etiam exceptus fuit quemadmodum videmus. Hæc ratio est, cur jubeat hic Deus cladem minari civibus Anathoth. Non possem omnia hodie absolvere.

Da omnipotens Deus, quoties verbo tuo nos admones de tot vitiis & sceleribus nostris, ut discamus oculos, & sensus omnes ad te dirigere: neque putemus nobis negotium esse cum homine quopiam mortali, sed præveniamus tuum judicium: & discamus ita discutere omnes cogitationes nostras, & omnes affectus percontari, ut ne qua hypocrisis nos decipiat, ne etiam indormiamus nostris malis, sed serio, & ex animo expergefacti humiliemur coram facie tua: & ita deprecemur veniam, ut cum vera pœnitentia nos dejiciamus, quo ipse nos absolvas tua misericordia, ejus sacrificii virtute, quo semel te nobis placavit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA OCTAVA

IN

J E R E M I A M.

Cap. XII.

JUstus es, Jehovah, si contendam tecum: (*si litigem, vel quando litigabo*) tamen judicia loquar tecum: (*hoc est, disceptabo jure tecum*) Quousque via impiorum prosperabitur, (*vel feliciter habebit*) quieti sunt omnes transgredientes transgressione?

SCimus hac offensione graviter tentari, atque etiam concuti piorum animos, dum vident bene & feliciter omnia cedere contemptoribus Dei. Et Psalmus 73. querimoniam illam pluribus verbis exponit. Illic enim Propheta fatetur pene se lapsum esse, acsi fuisset in lubrico loco, dum videt Deum favere impiis, saltem non posse aliud fieri judicium ex aspectu, quam ipsos à Deo amari, & foveri. Et scimus etiam impios obdurescere: quemadmodum Dionysius ille dicebat Deum favere sacrilegis, quum prospere navigaret, postquam spoliaverat omnia templa, & exercuerat latrocinia in omnibus locis. hoc modo derisit patientiam Dei. Et
Eccles. 9. ideo Solomo dicit dum cernuntur ita res confusæ in mundo, hinc animos hominum induci ad contemptum Dei, quia putant omnia fortuito volvi in terris: & Deo non esse curæ humanum genus. Quantum autem ad fideles spectat, sicuti jam dixi, dum vident impios ita impune grassari in omnibus maleficiis & sceleribus, & quasi connivente Deo hic sibi regnum vendicare, fieri non potest, quin vulnerentur graviter eorum animi. Et ita Interpretes accipiunt hunc locum Jeremiæ, quod scilicet turbatus felici impiorum statu, cum Deo expostulet, quemadmodum Abacuk videtur facere initio primi capitis. atqui videtur mihi hæc sententia altius spectare. Diximus alibi, dum Prophetæ vident se inutiliter consumere operam apud surdos, & immorigeros, sermonem convertere ad Deum quasi in rebus desperatis. Ego igitur non dubito, quia hoc signum sit indignationis, quum Propheta verba facit cum Deo, quasi hominibus relictis: quia scilicet videbat se verba apud surdos profundere sine ullo fructu. Hic igitur exasperat populi animos, ut sentiant tandem quod non poterat illis persuaderi, nempe se damnatos esse ac perditos coram Deo. Quum enim alloquebatur eos Jeremias, ludibrio erant omnes minæ: ideo nunc Deum ipsum compellat, quasi diceret sibi nihil fore amplius cum illis negotii, quia inutiliter apud ipsos laboret. Videtur ergo hoc fuisse Prophetæ consilium. Sed ne impii calumniandi ansam arriperent, voluit etiam sic temperare sermonem, ut illis nulla esset maledicendi occasio. Præfatur itaque *Deum esse justum*, vel fore, *si cum ipso litiget*. Hic ordo diligenter notandus est: quia si vel minimum concedimus passionibus nostris, statim abripimur, & non possumus in medio cursu cohibere nostrum impetum, vel intemperiem. Ergo simulatque obrepunt cogitationes, quæ nos possent abstrahere à metu Dei, vel obscurare reverentiam quæ illi à nobis debetur, munire necesse est mentes nostras, & opponere claustra, ne scilicet diabolus nos longius trahat, quam optandum sit sive expediat. Exempli gratia, Si quis, dum videt hodie res in mundo incompositas, incipiat secum liberius disputare, Quid hoc sibi vult? quomodo tamdiu patitur Deus licentiam istam grassari? cur ita dissimulat? Simul ergo atque obrepserint istæ cogitationes, si tangimur affectu pietatis, volemus corrigere illos vagos circuitus, & redocere nos in viam: sed non erit tam facile. Simul enim atque cœpimus transilire metas, jam nullus est modus, nulla ratio. Itaque Propheta ab hac præfatione prudenter orditur, *Justus es si contendam tecum*. Non aliorum causa duntaxat sic loquitur, sed etiam ut in tempore frenet suos affectus, & non permittat sibi plusquam fas est. Tenendum tamen quod dixi, Prophetam hic ad Deum verba sua dirigere, ut intelligant Judæi se tanquam deploratos relinqui, & indignos quibus operam suam diutius impendat. Dicit, *Et tamen judicia loquar tecum*, hoc est, disceptabo secundum rationem. Quod Judicia alii accipiunt pro pœnis, quasi Propheta vellet populum trahere ad supplicium, hoc non recipio. nimis enim coactum est. Judicia loqui nihil aliud est, quam jure disputare, legitime agere, quemadmodum vulgo loquuntur. Ego non accumulo testimonia, quoniam hæc phrasis satis trita est. Quum dicit, *Tamen jure disceptabo*, hic non excutit frenum illud, quod ante sibi imposuit: sed postulat hoc sibi concedi quasi per indulgentiam, ut proponat Deo quod videri possit omnibus rectum & æquum. David, aut Propheta quis- Psal. 73.
quis fuerit auctor illius Psalmi, in eo loco, quem citavimus, etiamsi proferat suos privatos affectus, & suam infirmitatem ingenue ostendat, tamen præfatur fere in eundem modum: sed illic loquitur quasi ex abrupto, Tamen justus es. utitur eadem voce אך, quam usurpat Jeremias: sed hic ponitur in postremo membro: illic autem est exordium sermonis, Tamen bonus est Deus Israëli, nempe qui recto sunt corde. Non dubium est quin Propheta varie fuisset agitatus, ac distractus: sed postea sibi moderatus est. Jeremias vero aliter: quia scilicet hic non fatetur se fuisse tentatum, quemadmodum solent fere omnes pii: sed ut jam dixi, consulto, & Spiritus sancti prudentia directus, Deum compellat: quia volebat stomachum facere Judæis, ut sentirent se rejici, & rejici tanquam indignos quorum salutem amplius curaret. Quod ergo dicit, *Tamen jure disceptabo*, non dubium est quin hic velit Judæos penitus confundere,

quo-

quoniam fuerant nimium stupidi: Ecce, inquit, jam litigabo cum Deo: an ille vos absolvet? Tenemus igitur genuinum Prophetæ sensum, quod scilicet Judæi frustra obtendant suam prosperitatem, acsi Deus esset illis propitius: quoniam hoc nihil aliud sit, quam abuti ejus tolerantia. Vult ergo in summa ostendere Jeremias, quamvis ignoscat Deus ad tempus, tamen non debere impios ideo sibi blandiri, quoniam indulgentia ejus non sit signum amoris: sed, quemadmodum videbimus, potius hoc modo accumulet graviorem vindictam: dum scilicet impii magis ac magis se obdurant, quum ita indulgenter eos sustinet. Hæc igitur ratio est, cur dicat Propheta *se jure acturum*. respicit enim potius homines ipsos, quam Deum. Interea non opponit absolutæ Dei potentiæ hominum judicis, quemadmodum Sophistæ in Papatu tribuunt Deo absolutam potentiam, quæ perverat omne judicium, & omnem ordinem. hoc fœdum est sacrilegium. Propheta autem non hic vocat Deum ad rationem, quasi nulla esset regula, quæ moderaretur opera ejus, & gubernationem totius mundi. Sed Judicia nominat, quemadmodum dixi, quod Deus in Lege sua pronunciavit. nam scriptum est, Maledictus omnis, qui non permanserit &c. Jam ergo quum Judæi essent Legis transgressores, imo quum iram Dei provocare non desinerent suis sceleribus, certe ordinario judicio oportuit ipsos statim è medio tolli. Ergo Propheta hic dicit, *Jure tecum agam*: hoc est, si tractares populum hunc pro merito, nonne debuit jam sæpius extingui? Interea quemadmodum diximus, non dubitat de rectitudine judicii divini: tantum respicit homines ipsos, qui sibi placebant, & secure etiam indulgebant suis vitiis, quoniam non statim exequebatur Deus pœnas illas, quas transgressoribus Legis suæ minatur. Dicit ergo, *Quousque via impiorum prosperabitur? nam quieti sunt omnes qui transgrediuntur transgressione*, hoc est, qui non tantum mediocribus vitiis sunt infecti, sed qui ad extremum usque sunt scelerati. qui ergo velut ex professo rejiciunt omnem pietatem, & omne studium justitiæ, qui fieri potest *ut sint quieti, & via eorum prosperetur*? Nunc clarius tenemus quod dixi, nempe Prophetam verba sua ad Deum vertere, quo stupidos illos magis afficiat, ut sentiant se quodammodo citari ad tribunal cæleste hac expostulatione. Nunc sequitur,

Deut. 27. vers. 26. Gal. 3. 10.

2. Plantasti eos, etiam radicem egerunt: prodierunt, etiam fecerunt fructum: (*produxerunt fructum*) prope es in ore ipsorum, & procul es à renibus ipsorum. *hoc est, ab intimo affectu. Renes enim alibi diximus accipi pro affectibus arcanis.*

Dum felicitas impiorum animos nostros conturbat, occurrunt duæ perversæ cogitationes: aut temere hunc mundum versari, & non gubernari Dei providentia: aut Deum non fungi officio boni & æqui judicis, qui patitur ita lucem misceri cum tenebris. Sed Propheta hic pro confesso sumit, Dei providentia mundum regi. Ergo non attingit perversam illam imaginationem, quæ tamen sollicitat etiam pios animos: quod scilicet fortuna in terris dominetur. Nam satis notæ sunt illæ voces, Sollicitor nullos esse putare deos. putat non esse deos, quibus curæ sit mundus, quia periit qui dignus erat longiore vita. Et sapientissimi ita loquuti sunt, Video fortunam, quam tamen nulla ratio gubernat: video fortunam, quæ plus pollet quam ratio in his negotiis. Propheta igitur, qui procul remotus erat ab his profanis figmentis, tenet illud principium, nempe mundum regi à Deo. Sed nunc quærit, quid sibi velit tam longa Dei patientia. Impii, & leves, atque inconsiderati homines dicerent hanc patientiam esse nimis dissolutam. Propheta autem, quemadmodum jam dixi, proponit quasi in tabula quid meriti sint Judæi. Ergo dicit *plantatos esse à Deo*: quis non possent feliciter agere, nisi illis Deus benediceret. Metaphora plantandi, quemadmodum paulo ante vidimus, frequenter occurrit, sed diverso sensu: quemadmodum ubi agitur de vita cælesti, dicitur Deus plantasse suos electos, quorum salus stabilis est. Sed dicitur etiam plantasse populum in terra quam illis dederat in hæreditatem. Nunc ubi de reprobis habetur sermo, dicit Propheta eos plantatos esse à Deo, nempe quia florent, quia sunt frondosi, quia etiam fructum proferunt. Denique ut variis modis Scriptura confert homines arboribus, ita etiam utitur varie & secundum diversos respectus translatione plantandi. In summa, dicit Propheta impios foveri à Deo. & hoc certum est: quia nisi Deus ad tempus clementer cum ipsis ageret, statim perirent. Ergo prosperitas eorum signum est indulgentiæ Dei. hoc autem Propheta miratur non tam privato suo affectu, quam ut Judæis ostendat hoc esse quasi prodigium tamdiu à Deo ipsos tolerari, quum centies promeriti sint ultimum interitum. *Etiam*, inquit, *radicem egerunt*. diuturnam felicitatem hac metaphora significat. dicit *prodiisse in altum*, hoc est, fuisse erectos, & crevisse. Tandem adjungit *protulisse fructum*. Fructus hic de quo loquitur, nihil aliud est quam progenies: quasi diceret non tantum impios feliciter agere usque ad vitæ finem, sed propagare etiam genus suum ut habeant filios superstites, ut domus eorum sint famosæ. Sed huc tendit summa, Deum non tantum exiguo tempore ferre impios, sed extendere hanc indulgentiam in plures ætates, ut filii etiam in eadem opulentia, & dignitate, & potentia patribus mortuis maneant. Jam adjungit, *Tu quidem prope es in ore eorum, sed procul es à renibus eorum.* Haud dubie voluit antevertere Jeremias: quia sciebat statim exceptiones fore in promptu Judæis, Quisnam es, qui hic nos citas ad judicium Dei? & qui litigas cum Deo, quod nos patienter nimis sustineat? an non sumus ejus cultores? an non sacrificia quotidie offerimus in Templo? an non sumus circumcisi? an non eam ut signum adoptionis gestamus in corpore nostro? an non Regnum, & Sacerdotium penes nos est? hæc autem sunt pignora paterni Dei in nos amoris: tu interea hic vis esse justior ipso Deo. an Deus poterit seipsum abnegare? atqui obstrinxit nobis fidem suam per signum Circumcisionis, per Templum, per Regnum, per Sacerdotium, & per sacrificia: & si quid peccamus, tamen expiantur scelera nostra sacrificiis, & lavacris, & aliis ceremoniis. Quum ergo sciret Propheta, tam loquaciter Judæos, & proterve etiam solitos defendere suam causam; dicit, O, video quid mihi dicturi sint, nempe quod solent: hæc enim est illis trita cantilena, Quod sint filii Abrahæ, quod etiam sacrificent, & alios habeant modos placandi Dei: deinde quod penes ipsos sit Sacerdotium, quod Regno glorientur: Hæc, inquit, mihi nota sunt: sed Domine, tu scis esse verba, hoc est, tu scis illos fallaciter agere, & nihil aliud quam mentiri, dum ita obtendunt vanas tergiversationes. tu enim es καρδιογνώστης. ergo tu intelligis in ore ipsorum nihil esse rectum vel sincerum; *quia renes eorum procul abs te sunt*, & tu etiam longe abes à renibus eorum. Et hinc etiam certius cognoscimus quod dixi, nempe Prophetam hic coram Deo litigare, ut Judæi sentiant nullo modo se posse absolvi, ubi ventum fuerit ad illud tribunal. Sequitur,

Ovid. lib. 3. eleg. 9.

Psal. 44. vers. 3.

3. Et tu Jehovah cognoscis me, (*cognovisti me*) videbis me, (*vides me*) & probasti cor meum tecum: (*hoc est, probasti quale sit cor meum apud te, vel coram te*) extrahe eos tanquam oves ad mactationem, & præpara eos ad diem occisionis.

Propheta hic non est de seipso privatim sollicitus, sed potius patrocioium suscipit sui muneris: quasi diceret se fideliter defunctum esse officiu, quod divinitus injunctum erat. Quamvis ergo injuste eum persequerentur Judæi, atque etiam cives Anathoth populares ejus, tamen non commotus fuit privatis injuriis, neglexit illud totum: sed interea non potuit deserere muneris sui patrocinium. Ergo hic non agit de privatis suis actionibus, sed tantum sibi fidem & sinceritatem vendicat coram Deo, in officio docendi: quasi diceret se exequutum esse quod Deus mandaverat, & ideo Judæos non certare cum homine mortali, sed cum ipso Deo. Dicit ergo, *Tu autem Jehovah cognoscis me, & vides me, & probas cor meum tecum*, hoc est, scis quam sincere tibi serviam, & studeam vocationi meæ satisfacere, & ita patera tuo imperio. Postea quasi victor insultat, & dicit: *Extrahe eos tanquam oves ad diem mactationis, præpara ad occisionem*, inquit. Hic haud dubie Propheta voluit Judæos non tantum pungere, sed acriter confodere, ut scirent se frustra, & in suam perniciem ita fuisse hactenus securos, quoniam Deus illis parcebat. Qui existimant Prophetam fuisse turbatum, quia videbat impiis Deum esse propitium & clementem, putant, quasi ad se reversus esset, hinc materiam consolationis sumpsisse, quod scilicet instaret paulo post Dei judicium. sed non dubito, quio Propheta Judæos respexerit, ut jam admonui. Ergo quoniam videbat ipsos torpere in suis deliciis, voluit expergefacere ipsorum sensus quum diceret, Video quid sit Domine, nempe tu quidem dissimulas, sed quid hoc aliud est, quam illos saginare usque ad diem mactatiunis? Primo dicit, *Tu extrahes eos:* alii vertunt, Educes, & citant locum ex 20. cap. Judicum, ubi verbum illud נתק accipitur pro educere. proprie significat violenter extrahere, quemadmodum ubi arbor evellitur: deiode ubi quispiam extrahitur præter voluntatem: & optime convenit sensus ille præsenti loco. *Tu igitur extrahes illos*, id est, repente extrahes ad occisionem. Significat ergo non esse causam cur Judæi rebus prosperis indormiant, quia uno momento Deus poterit contra ipsos agere: & quemadmodum dolor parturientis subitus est, ita etiam quum dicunt impii, Pax & securitas, illis impendet interitus. Hoc *1 Thess. 5. vers. 3.*
igitur nunc significat Propheta: sed pergit in sua ratione docendi. neque enim alloquitur homines, quoniam omnes erant surdi: sed alloquitur Deum ipsum, quo scilicet efficacior sit doctrina. *Tu ergo extrahes eos*, inquit, *& tu præpara* (nam est rogantis: tu ergo præpara eos) *ad diem occisionis*. Hæc loquutio diligenter notanda est. Propheta quidem videtur hic turbulento affectu imprecari populo exitium: sed minime dubium est, quin hic obeat munus suum. erat enim præco viodictæ Dei. Petit igitur, ut exequatur Deus quod jussit denunciari populo. Promulgaverat enim sæpius quidnam statuisset Deus agere de populo: sed neminem moverat. ergo nunc postulat, ut Deus declaret ipso effectu quam vere prædixerit ipse Judæis, brevi perituros, quia nollent resipiscere. Interea colligimus ex hoc loco, dum accumulaot opes impii, eos saginari quodammodo. Ubi boves arant, & oves pascuntur ut proferant lanam, & sobolescant, non ita pinguiter aluntur: sufficit enim mediocris victus: sed si quis velit ad lanienam parara verveces, & bovet, saginabit eos. Sic ergo pinguedo ipsorum nihil aliud est quam sagina. sagina autem præludium est mactationis. Ideo dixi comprehendi valde utilem doctrinam in hac loquendi forma. nam ubi videmus affluere rerum omnium copiam, & potentiam simul impiis, & contemptoribus Dei, videmus illos quodammodo suis deliciis ita se ingurgitare, ut crepent: sagina est. Ergo ne moleste feramus ipsos ita obrui sua pinguedine, quoniam parantur ad diem occisionis. Sequitur,

4. Quousque lugebit terra, & herba omnis agri arescet præ malitia habitantium in ea? defecit bestiæ (*hoc est, consumptæ sunt bestiæ*) & avis, (*hoc est, aves: est enallage numeri tam in verbo, quam in nomine*) quia dixerunt, Non videbit novissimum nostrum. *vel finem nostrum.*

Confirmat superiorem sententiam Jeremias, & propius urget Judæos, qui poterant adhuc pervicaciter contemnere quod dicebat. Quid vultis? inquit. nam in ipsis brutis animalibus, in avibus apparet Dei judicium. aves quid sunt promeritæ? pecudes etiam & armenta? vos scitis nihil esse culpæ in miseris animalibus, & tamen maledictio Dei vobis illic proponitur: conspicitis Deum esse offensum brutis animalibus: culpa certe in vobis residet: & Deus parcet vobis, inquit. quum jam cœperit, & pridem etiam cœperit exigere pœnas de animalibus innoxiis: quomodo vos ferret usque ad finem, qui pleni estis tot, & quidem atrocissimis sceleribus? est ergo talis confirmatio superioris doctrinæ. Et hinc etiam colligimus non tam sua causa loqui, neque tam exprimere arcanos suos affectos, quam esse patronum ejus doctrinæ, quam pertulerat, ut sciant Judæi Deum sibi infensum esse, nec sperandum esse ut semper dissimulet, quamvis ad tempus ignoverit. *Ergo quousque*, inquit, *lugebit terra?* hoc est, quousque lugeret terra, (sic enim debet resolvi) *& omnis herba aresceret?* quid? nonne, inquit, judicium Dei in herbis, & gregibus, & in bestiis, & in avibus conspicuum est? quum ita sit, & penes vos tota culpa resideat, an eritis sacrosancti? an Deus effundet totam iram in herbas, in pecudes, & in armenta, interim vero eritis immunes ab ejus judicio? Et clarius exprimit suum consilium quum dicit, *Quia dixerunt, Non videbit finem nostrum.* Hic Propheta uno verbo ostendit iram Dei conspici tam in herbis, quam in brutis animalibus, quia contemptus fuit ab ipso populo. Quum igitur ab ipsis prodierit malum, an non revertetur in ipsorum capita? certe aliter fieri non potest. Sed diserte hic loquitur de fine, quoniam Judæi ita obstupefacti fuerant felicitate præsenti, ut putarent se non fore amplius Deo obnoxios: He, quid nobis cum Deo? jam sumus extra omnem aleam. Quum ergo ita obstinate rejicerent Deum, hac ratione illis exprobrat, quod non putaverint se jam posthac reddituros Deo rationem. Non est quidem verisimile, palam & plenis buccis, ut loquuntur, evomuisse talem blasphemiam: sed scimus Scripturam sæpius ita loqui, Non videbit Deus, Non aspiciet Deus Jacob. tametsi impii non ita impudenter loquuntur, haud dubie tamen putant se posse Deo opponere mulm claustra, ne ejus manus ad eos usque perveniat. Jeremias ergo pro communi Scripturæ usu merito illos accusat, quod confisi fuerint se jam esse quasi Deo incognitos, & esse extra ejus curam, ita ut non videat ipsorum finem, hoc est, ut jam nihil negotii sibi esse cum Deo putent: quoniam scilicet erant ita undique muniti sua ope, ut manus Dei ad eos usque pertingere non posset.

Da omnipotens Deus, quando eadem nobis, quæ veteri populo ingenita est durities, ne tamen in ea obstupescamus: sed ita excites nos Spiritu tuo, ut sinamus nos placide verbo tuo gubernari, & sic tangamur tuis minis, ne differamus quoties nobis proponis tuum judicium, sed studeamus statim nos tibi reconciliare. Et quoniam nulla est alia ratio, nisi ut nobis propitius sis per Filium tuum unigenitum, ut vera fide amplectamur gratiam illam, quam nobis offers in Euangelio: deinde etiam, ut vere pœnitentia nos totos tibi addicamus: & quoniam nobis proficiendum est usque ad ultimam vitæ metam, ut magis ac magis conemur nos exuere carnis nostræ cupiditatibus, donec tandem simus participes ejus gloriæ, quam idem unigenitus Filius tuus nobis paravit, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA NONA
IN
J E R E M I A M.

5 Quia (*vel si*) cum peditibus (*significat proprie pedes: sed translatitie significat etiam pedites. Si ergo cum peditibus*) cucurristi, & fatigarunt te, quomodo miscebis te equitibus? & in terra pacis tu confisus es, quid facies (*vel quomodo facies, vel faceres*) in altitudine Jordanis?

MUlti existimant Deum hic compescere audaciam Jeremiæ, quasi modum egressus esset quum litigaret (quemadmodum vidimus) quia patienter Deus ferret reprobos, neque statim de ipsis pœnas exigeret. ergo eliciunt hunc sensum ex verbis, Tu hactenus pugnasti cum mortalibus, & confessus es te esse imparem certamini: nunc audesne meipsum aggredi, qui longe major sum toto mundo? pedites te fatigarunt, qui ambulabant in terra: tu autem nunc misces te equitibus, hoc est, mihi. Sed jam ostendi, Prophetam non suscepisse temere causam illam, neque cæco impetu fuisse abreptum, ut controversiam moveret Deo, sed zelo Spiritus sic loquutum esse: imo fuisse divinitus impulsum, ut hac loquendi figura magis urgeret obstinatum populum. Nihil ergo opus fuit ipsum compescere, quia non aliud fuerat propositum quam ostendere quasi in picture Deum judicem Judæis, qui doctrinam spernebant, ac fere ducebant pro nihilo. Alii putant fieri comparationem inter cives Anathoth, & inter cives Jerosolymæ. putant ergo animari Jeremiam ne succumbat tentationibus, quæ ipsum manebant: quasi ita dictum esset, Cives tui, aut populares sunt similes peditibus, jam vides quantum te fatigaverint: neque enim potes ferre ipsorum petulantiam: quid igitur fiet, ubi Jerosolymam veneris? quia illic sicuti plus est potentiæ, ita etiam plus arrogantiæ. erit tibi certamen cum Rege, & tota aula, & cum Sacerdotibus, & cum populo illo, qui splendore suo excæcatus est. erunt igitur equites, & erit tibi certamen equestre: ergo videas ut te compares, quia hæc sunt duntaxat præludia, de quibus tamen tam graviter conquereris. Sed dum omnia propius expendo, magis inclino in diversam sententiam, quam & Hieronymus attingit, & Jonathan etiam: sed obscure illi, & ita confuse ut non possit recte intelligi Prophetæ consilium: deinde etiam, quia non assequuti sunt quæ hactenus exposuimus, ideo sensus quem afferunt, non videtur quadrare. Sed non dubito, quin Propheta hic populum castiget, atque improbret eis superbiam: quia putabat se ita multis præsidiis esse instructum, ut judicium Dei contemneret. Ego igitur hoc accipio in persona ipsius Dei, quia hactenus accusator fuit Jeremias, & peregit totum populum reum coram Deo, & fuit etiam præco judicii: nunc quo plus gravitatis habeat sententia, Deus ipse prodit in medium, & ita loquitur, *Tu hactenus cucurristi cum peditibus, & fuisti fatigatus*: quid ubi ventum fuerit ad certamen equestre? Significat his verbis instare multo majorem vim, quam hactenus experti fuerint Judæi. afflicta fuerat eorum regio, urbs etiam prope ad extremum discrimen venerat, fuerat illud quasi pedestre certamen: nunc significat Deus, instare graviorem procellam, ubi equites irruent: quia scilicet concitandi erant Chaldæi, & Assyrii majore violentia, ut vastarent totam regionem, atque urbem ipsam perderent. Hoc ergo non dirigitur ad Prophetam, sed potius ad populum: quasi diceret leviter præliatos fuisse Judæos cum Assyriis, & tamen fuisse devictos, & multis calamitatibus afflictos: jam vero serio pugnandum esse, quoniam major violentia illis impendet. *Quomodo* ergo *miscebis te equitibus?* inquit. postea adjungit, *In terra pacis tu confisus es, & quomodo ages in elevatione Jordanis?* Terram pacis accipiunt pro oppido Anathoth, ubi Propheta tranquille agere debuerat, quoniam degebat illic inter cognatos & affines. accipiunt autem elevationem Jordanis pro violentis fluctibus: sed hoc nihil ad rem. Si ego probarem sensum illum, potius elevationem Jordanis acciperem pro fonte: scimus enim Jordanem oriri ex Libano monte, qui Jerosolymæ vicinus est. Ego igitur sic interpretarer hæc verba, & probabilis esset hæc expositio. sed quoniam certo statuo hæc verba non dirigi ad Prophetam, sed ad populum, non dubito quin *terra pacis* sumatur pro terre exposita in prædam, hoc est, quæ non sit munita; sicuti terra belli vocatur, quæ cincta est multis præsidiis: urbs belli, quæ cincta est multis turribus, & fossis, & aggeribus. ita terra pacis est, quæ non potest hostes suos propulsare. Deridet Propheta Judæos, quod nullis munitionibus freti, tamen tanta arrogantia turgeant: *Vos estis*, inquit, *in terra pacis*, hoc est, estis imbelles, & non suppetunt vobis opes, & copiæ, quæ resistant hostibus vestris. quum ergo tanto fastu in hac vestra egestate & inopia turgeatis, *quid fieret si essetis in elevatione Jordanis?* hoc est, si urbes vestræ sitæ essent ad ripam Jordanis, ubi scilicet late diffunditur, ita ut non sit accessus? Nam elevatio hic accipitur pro amplitudine ipsa, vel magnitudine: nam גאון significat superbiam, & metaphorice etiam accipitur pro elevatione: sed hic est amplitudo ipsa Jordanis, hoc est, ubi Jordanis videtur habere summam vel præcipuam gloriam. *Quid faceres*, inquit, *in ipsa amplitudine Jordanis?* hoc est, si esset vobis flumen pro defensione adversus hostes? nam nihil est quod impediat hostes vestros, quominus ad portas vestras accedant, quominus feriant muros vestros suis machinis, & tamen vos gloriamini. qualis est ista dementia, quum non sentitis vestram imbecillitatem? Videmus ergo toto hoc versu retundi stultas jactantias populi, quoniam superbiant sine causa: quum scilicet nudati sint omnibus præsidiis, & auxiliis. Hunc ergo existimo esse genuinum sensum. Postea sequitur,

6. Certe

6. Certe etiam fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi perfide agunt in te, etiam ipsi clamant post te plena voce: (*vel turmatim.* מלא *enim varie exponitur*) ne confidas ipsis, etiamsi loquantur ad te (*hoc est, tecum*) bona. *id est, amice tecum loquantur.*

Hic Prophetam suum alloquitur Deus, ut confirmet totam causæ actionem, quam vidimus. voluit enim Jeremias, quemadmodum diximus, repræsentare Dei judicium: ergo suscepit accusatoris partes, & ostendit quam intolerabilis esset totius populi impietas. postea ostendit se esse victorem in causa. Jam Deus ipse loquitur, & primo quidem objurgat populum, & invehitur in vesanam ejus superbiam: postea sermonem ad Prophetam ipsum convertit: quasi diceret, Tu probe egisti causam, & quoniam perfidi sunt omnes tui populares, non est cur dubites me fore vindicem. Hæc haud dubie jussus est Propheta nomine ipsius Dei & pronunciare, & scribere: tamen populum respexit, qui obduruerat ad communem sermonem, nisi efficacius demonstrasset Jeremias horribile Dei judicium. dicit ergo, *Certe etiam fratres tui, & domus patris tui.* Est amplificatio, quum dicit non tantum cives Jerosolymæ, & totum populum conspirare in Prophetam, sed ipsos quoque familiares, & fere domesticos. *Etiam* ergo *fratres tui, & domus patris tui, etiam ipsi*, inquit. videmus emphatice loqui Deum, & tacite conferri cives Anathoth cum reliquis Judæis: quod scilicet nihilo humanius agerent cum fratre & populari suo, quam alii magis remoti. Tertio repetit: *Etiam ipsi clamarunt*, inquit, *post te*, hoc est, ita hostiliter te persequuti sunt, ut etiam quum cederes eorum furori, non tamen placati fuerint. Clamare enim post aliquem est signum obstinati odii. nam si hostis nobis respondeat, & se constanter opponat, non mirum est si in ipsum irruimus: sed quum hostis vertit tergum, & fatetur se victum esse, neque vult conserere manus, apparet nos flagrare quasi furioso odio, si ipsum insectamur, & retrahimus invitum, etiam dum certamen fugit ultro. tam cæcum furorem exprimere voluit Deus, quum diceret *illos clamare post Jeremiam.* Adjungit מלא. exponunt quidam Plena voce: alii autem Turmatim, vel in multitudine. uterque sensus probabilis est: ideo non valde insisto: quia ad summam rei parum interest, sive dicamus eos magno clamore insequutos fuisse Prophetam, vel turmatim conspirasse adversus eum. Postea adjungit, *Etiamsi loquantur tecum bona*, hoc est, si amicos se simulent, & præ se ferant pacem, *ne tamen illis confidas.* Significat Deus his verbis, etiamsi non aperte insaniant cives Anathoth contra Jeremiam, tamen plenos esse perfidia: denique significat vel lupos esse, vel vulpes, quia nunc fraude, nunc vi aperta pugnabunt cum Propheta ipso. Videmus ergo ut Deus hic condemnet populum, & ostendat sibi probari quicquid dictum fuerat prius à Jeremia. Postea adjungit,

7. Reliqui domum meam, deserui hæreditatem meam, posui dilectionem (*aut desiderium*) animæ meæ in manum inimicorum ejus.

Confirmat quod jam dixi. nam testatus est populum hunc vel palam furere, vel perfide & fraudulenter agere: neque simpliciter dicere hactenus voluit injuriam Prophetæ fieri, sed respexit ad doctrinam ejus. Jam adjungit, *Deserui domum meam, & reliqui hæreditatem meam.* Deus hic pronunciat actum esse de populo, & quia inebriati erant vana fiducia: quod scilicet freti fœdere quod pepigerat Deus cum patribus ipsorum, putabant ipsum sibi obstrictum esse. volebant igitur Deo abuti pro sua libidine, & interea sibi permittere omnium scelerum licentiam. Concessiones ergo multas hic ponit Propheta. quasi diceret, Vos estis domus Dei, vos estis ejus hæreditas, vos estis ejus deliciæ, vos estis ejus portio, & portio optatissima: sed hæc omnia non impedient quominus judex sit vester, & tandem in vos agat summo jure, & seipsum ulciscatur. Tenemus ergo Prophetæ consilium: sed quemadmodum nuper attigi, sermo plus habet gravitatis in persona ipsius Dei, quam si loquutus esset ipse Jeremias. Deus ergo quasi pro tribunali sedens, hic profert sententiam adversus Judæos, *Deserui domum meam.* Templum quidem hoc elogio ornatum fuit, sed respectu Templi etiam tota regio erat Dei habitaculum: nam obtegebatur Judæa Templo, & secura atque incolumis erat sub umbra Templi. ergo extenditur hoc nomen ad totam terram & populum, quum dicit Deus, *Deserui domum meam:* hoc est, etiamsi hactenus mihi domicilium elegerim apud Judæos, nunc tamen ipsos relinquo. Postea, *Reliqui.* nam נטש, & עזב fere idem significant: alterum relinquere, alterum deserere. *Reliqui* ergo *hæreditatem meam.* Hoc nomen valde honorificum erat Judæis: & ideo quantumvis quotidie accenderent adversum se iram Dei, putabant tamen se quodam privilegio salvos fore, quoniam erant Dei hæreditas. concedit illis nomen Propheta, sed ostendit quam sit inane, quia tamen Deus ab ipsis discedit. Postea adjungit, *Dedi animæ meæ desiderium*, aut dilectionem. ידידות accipitur pro dilectione: sed Latine poterimus vertere Delicias. *Delicias* igitur *animæ meæ posui in manum inimicorum ipsarum deliciarum:* nam est relativum fœminini generis. Videmus ergo quid hic agatur: voluit enim Deus spoliare perversa confidentia Judæos, & ita eos humiliare, atque domare, ut scirent in vacuis & fallacibus titulis nihil sibi fore auxilii. Et titulos quidem ipsos concedit, sed non sine specie ironiæ: quia simul demonstrat totum hoc, quo gloriabantur, nihil ipsis profore ubi Deus exerere volet suam vindictam contra ipsos. Sed tamen locus hic oblique Judæis exprobrat suam ingratitudinem, quod tam singularibus Dei beneficiis non fuerint retenti in obsequio. nam cujus hoc fuit dignitatis, vocari hæreditatem & domum Dei: imo delicias animæ ejus? nihil tale fuerant promeriti. Quum ergo Deus complexus esset eos tam incomparabili amore, quum plusquam patrem se illis præbuisset, nonne hæc fuit plusquam inexcusabilis pravitas, non respondere tanto amori, & quidem gratuito, deinde tantæ liberalitati? quid enim ultra potuit Deus, quam vocare animæ suæ delicias? Ergo videmus exaggerari populi crimen his elogiis, quibus tamen solebant superbire: quasi diceret, Volitant quidem istæ voces in linguis vestris, quod sitis Dei hæreditas, & sanctuarium, & amor ejus: sed eo magis estis detestabiles, quod non respondetis amori & beneficentiæ Dei. dignatus est vos hoc incredibili amore, extulit in tantum honorem, & interea contemnitis ipsum, & contumaciter resistitis ejus doctrinæ, nec potestis ferre ut vos gubernet. Nunc ergo videmus quæ doctrina colligi debeat ex his verbis. Sequitur,

8. Fuit mihi hæreditas mea quasi leo in sylva, edidit contra me vocem suam, propterea odio ipsam habui.

Nunc

Nunc causam assignat Deus cur populum velit abjicere. hoc enim poterat primo intuitu valde absurdum videri, foedus Dei fieri irritum, quod pepigerat cum Abraham, & ejus semine. Ergo hic ostendit se non esse nimis rigidum, etiamsi grave supplicium exigat de Judæis, nec posse insimulari levitatis, aut inconstantiæ, quod ipsos rejiciat aut repudiet: nempe, inquit, *fuit mihi hæreditas mea quasi leo in sylva*, hoc est, non solum petulanter contra me egerunt, sed furiose ausi sunt me impetere, quemadmodum si leo in sylva rugiat contra hominem. Deus ergo hic conqueritur de contemptu sui: deinde exprimit quam furiosa fuerit impietas: quod scilicet Judæi quasi belluino impetu fuerint correpti, ut non dubitaverint in ipsum ruere. Et hæc conjunctio verborum amplificat crimen, quum dicit, *Hæreditas mea fuit mihi quasi leo in sylva.* nam scimus ut quemque oblectet sua hæreditas & patrimonium: deinde ut tranquille quasi in nido agant qui possident prædiolum aliquod, multo magis qui latifundia possident. Nunc ergo Deus ostendit se in sua hæreditate fuisse quasi in vasta & deserta sylva: deinde agros ipsos, qui debuerant esse oblectamenta, simul etiam vineas, & prata fuisse in summum horrorem, quemadmodum si leo contra miserum hominem rugiat, ac sæviat. Dicit etiam *vocem edidisse.* quibus verbis accusat protervIam populi: qualis etiam hodie in mundo cernitur. nam quam audacter blasphemias suas evomunt Papistæ adversus Deum? nebulones, & quisquiliæ plebis non dubitant pleno gutture contra Deum insolescere: aulici autem & Epicurei homines, & qui seipsos mirantur propter splendorem & opulentiam, quanto fastu insurgunt? & quam contumeliose rejiciunt quicquid illis doctrinæ proponitur? Ergo hoc misero nostro seculo idem experimur quod deplorat Propheta in hominibus suæ ætatis, nempe quod voces suas ederent adversus Deum. hinc concludit *se jure odio habere suam hæreditatem.* Quum ergo, inquit, fuerint mihi Judæi tanquam leones in sylva, quum pro oblectatione mihi horrorem intulerint, quid agam cum ipsis? an possum illic agere tanquam in patrimonio & hæreditate mea? atqui fugarunt me sua improbitate, imo diabolico furore: non mirum igitur, si odio habeam ipsos, quamvis fuerint mea hæreditas. Ita Propheta docet, nihil prodesse Judæis, quod olim fuerint adoptati, quum seipsos abdicaverint, & fuerint alienati à Patre ipso Deo. Et hinc etiam discendum nobis est, quamvis locum hodie obtineant hypocritæ in Ecclesia, tamen frustra ipsos gloriari: quia utcunque censeantur ad tempus Dei hæreditas, exosi tamen sunt Deo, quoniam intus pleni sunt malitia, & contumacia adversus ipsum: deinde ubi etiam premuntur, non dubitant virus suum evomere. Sequitur,

9. An avis picta, (*vel tincta, aut colorata*) hæreditas mea mihi? an avis in circuitu super eam? Venite, colligite vos (*alii transitive accipiunt, congregate omnes bestias: sed subaudiendum est, congregate vos*) omnes bestiæ agri, (*hoc est, omnes bestiæ agrestes*) venite ad devorandum ipsam.

Principium versus varie exponitur. Divinant nonnulli hic designari quandam speciem avis, quæ diversis coloribus sit variegata, & soleat in se concitare reliquas omnes aves. sed illud est frivolum commentum. Alii autem exponunt, & major pars inclinat in hanc sententiam, quod aves sint sanguine tinctæ contra hæreditatem. Sic ergo resolvunt verba, An avis tincta, nempe sanguine, hæreditas, id est, circa hæreditatem meam? &, An avis in circuitu ejus? Conjunctim hæc legunt eodem sensu: ideo putant repeti idem diversis verbis, nempe quod aves in circuitu advolent contra Judæos: quemadmodum aves trahuntur odore cadaverum, & insiliunt turmatim, ut unaquæque prædam suam accipiat: postea sequuntur feræ bestiæ. Sed mihi neutra expositio probatur, & certe non habet quicquam coloris. Ego igitur existimo conferri nunc avibus exteris populum, quemadmodum nuper illum contulit leonibus: quasi diceret, Ego hunc populum mihi elegeram, ut esset mihi familiaris, quemadmodum solent aves colligi in suas caveas, quemadmodum oves in suas caulas, boves etiam & alia animalia quæ cicurantur, continent se intra sua septa: ita ubi populum hunc mihi congregavi, putavi mihi fore tanquam aves domesticas: nunc autem sunt aves pictæ, hoc est, sunt aves feræ, vel sylvestres: nam avem pictam vel coloratam non dubito accipi pro ava insolita, quæ scilicet novo aspectu concitat in se homines. *An ergo avis variegata*, aut sylvestris, *facta est mihi hæreditas mea?* Scimus interrogationes esse in frequenti usu apud Hebræos. ergo hic simpliciter affirmat Propheta: & sicut prius dixit, Fuit mihi hæreditas mea quasi leo in sylva, ita nunc adjungit, *Fuit mihi hæreditas mea tanquam avis picta.* Verum interrogatio plus habet vehementiæ: quasi enim mirantis personam hic suscipit Deus: Quid hoc sibi vult, *quod hæreditas mea mihi facta est tanquam avis aliqua sylvestris, & extranea?* mox subjicit, *Ergo omnes aves eunt in circuitu, & omnes bestiæ agri.* Nunc videmus ut concinne fluat Prophetæ oratio. conquestus est Deus hæreditatem suam sibi fuisse instar leonis in sylva: conquestus est fuisse instar avis extraneæ & feræ quæ terrorem ingerit: nunc dicit, *Ergo aves omnes convolent ad prædam, & omnes bestiæ agrorum:* quasi diceret, Quoniam ita ausi sunt proterve agere, & belluino impetu ausi sunt impetere servos meos, deinde fuerunt vagæ aves, & quæ non possent mansuefieri, ego ostendam quid proficiant hac sua ferocitate: nunc enim accersam omnes aves cæli, & omnes bestias sylvestres, ut convolent celeriter, vel accurrant ad prædam. Quod autem ita necesse sit intelligere Prophetæ mentem, colligimus ex ipsis verbis. non tantum dicit Deus, Avis picta fuit hæreditas mea, sed addit, *mihi*: quemadmodum prius dixerat, Fuit mihi hæreditas mea quasi leo: ita nunc, *Hæreditas mea an est mihi?* Ergo pronomen hoc diligenter notandum est, unde colligimus, quemadmodum jam dixi, damnari populi intractabile ingenium, quia non posset ullo modo mansuefieri. Sed posterius membrum etiam diligenter notandum est: tantundem enim valet, acsi dixisset Deus, Ergo quoniam ita fert libido vestra, ut sitis mihi leones, ut sitis aves vagæ & feræ, agite, inquit: sed ego tamen compescam vestram hanc barbaram & indomitam feritatem: ego enim habeo sub manu mea omnes aves cælorum, & omnes bestias agrorum: conveniant ergo ad hanc unam avem, & ad hanc unam bestiam. vos estis avis una. terretis quidem primo intuitu, quia estis plusquam omnes accipitres: sed estis una avis: in circuitu autem erunt omnes aves, quæ vobis bellum inferant: estis tanquam leo unus in sylva, vel ursus, vel lupus: sed omnes truculentæ bestiæ convenient contra vos, & convenient ad vos devorandos. Locus hic observatu dignus est: quia hinc discimus, quam stulte desipiant homines, dum sese opponunt Deo, & pervicaciter excutiunt jugum, nec sustinent se corrigi ejus verbo. sunt leones, sunt aves feræ: sed Dominus poterit nullo negotio ipsos perdere, nempe quia præsto aderunt ad obsequium omnes aves, & omnes bestiæ. & ideo sequitur,

10. Pasto-

10. Paſtores multi perdiderunt vitem meam, calcarunt (*aut vaſtarunt: utrumque enim ſignificat* בוסס. *ſed hic verbum eſt quadratum. Perdiderunt ergo*) portionem meam, dederunt portionem deſiderii mei in deſertum vaſtitatis.

Explicat alia ſimilitudine quod nuper vidimus: vocat Paſtores, quos ante comparavit feris beſtiis. nam quum diceret, Venite omnes beſtiæ agreſtes, haud dubie intelligebat eoſdem de quibus nunc loquitur. & tamen vocat Paſtores: ſed mordet Judæos, quia non potuerint ferre, ut ipſe Paſtoris munere fungeretur erga ipſos. Debuerat Deus eſſe Paſtor electi populi: atqui fuerunt feræ beſtiæ Ergo deſerui illos, inquit, ut digni erant. quid nunc? venient alii paſtores, ſed longe diſſimiles erunt: & atrociores, & longe ſæviores ipſis lupis, & quibuslibet truculentis belluis. Quanquam autem hic diverſas figuras miſcet Propheta, videmus tamen quomodo eandem ſententiam continuet, videmus etiam cur ita mutet ſermonem: & ſic eſſe optimam rationem in ſingulis verbis. Certum quidem eſt, etiam vocari Paſtores, Duces qui venturi erant ex Aſſyria, & Chaldæa: ſed non dubium eſt, ſubeſſe tacitam illam antithesin, quam attigi: quaſi diceret, Ego hactenus fui vobis Paſtor, & paratus erem idem ſemper præſtare: ſed quia non poteſtis me amplius ferre, aderunt alii paſtores, qui vos tractent pro veſtro ingenio.

Da omnipotens Deus, quando non tantum te offerre nobis Paſtorem dignatus es, ſed præfeciſti nobis Filium tuum unigenitum qui nos in ovile ſuum colligeret: & quoniam ſuaviter quotidie nos invitat voce ſua, ut maneamus collecti ſub ejus manu & gubernatione: ſinamus nos ab ipſo regi, neque ſimus feris beſtiis ſimiles, & vagis: ſed ita obediamus voci ejus, ut quocunque nos vocabit, parati ſimus ſequi: & ſic pergamus toto vitæ noſtræ curſu, donec tandem pertingamus ad metam illam, quæ nobis propoſita eſt, & unde etiam deducendi ſumus ad fruitionem æternæ hæreditatis & gloriæ, quam nobis idem unigenitus Filius tuus peperit ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA IN JEREMIAM.

COEpimus heri exponere quod denunciat Propheta, vaſtatum iri Judæos à Paſtoribus. Diximus autem ſubeſſe in hac voce ironiam, quia debuerent ſe permittere Deo regendos, qui functus fuiſſet erga ipſos officio Paſtoris: ſed quia noluerant admittere talem gratiam, digni fuerunt quibus præficeret Deus Aſſyrios & Chaldæos, qui vocantur Paſtores. Interea tamen quoniam fit mentio vitis, alludit Propheta ad paſtores ovium, vel pecorum. Nam ſi armenta vel greges quis in vineam inducat, hæc erit non levis calamitas. Ergo hæc etiam alluſio poteſt non male quadrare. Quicquid ſit, Propheta ſignificat, quoniam jugum Dei non ſuſtinuerint, ideo venturos paſtores, quibus digni ſunt. Et iterum repetit quod ante vidimus, nempe populum illum non modo fuiſſe כרם, vineam Dei, ſed etiam portionem ejus, vel hæreditatem: deinde portionem deſiderii. Nam Deus hoc teſtatum ſæpius eſſe voluit, nihil liberalitatis à ſe fuiſſe prætermiſſum erga Judæos, quo minus excuſabilis ſit eorum ingratitudo. Quum ergo tanto amore complexus eſſet illos Deus, ut vocaret animæ ſuæ deſiderium, & hæreditatem deſiderabilem: cujus pravitatis fuit non agnoſcere tale & tam incomparabile beneficium? Nunc ſequitur,

11. Poſuit vaſtitatem, luxit ſuper me (*vel ad me*) vaſtata, (*vel vaſtatio. quidam adjective accipiunt, quidam volunt eſſe nomen ſubſtantivum: ſed proprie* שממה *ſecundum Grammaticam eſt vaſtatio: ſed appoſitive loco participii capitur, quemadmodum continuo poſt ſubjicit*) vaſtata eſt omnis terra: quia nemo poſuit ſuper cor. *hoc eſt, nemo animum adjecit, (quemadmodum alibi vidimus.) vel tametſi.*

Mutatio eſt numeri in verbo שמה: ſed nulla eſt in re obſcuritas. Significat enim Propheta Judæos fuiſſe expoſitos omnium libidini, ita ut unuſquiſque prædatus fuerit, & vaſtaverit terram. Non ergo tantum de cunctis hoſtibus loquitur, vel de toto exercitu: ſed ſimul etiam exprimit unumquemque fore dominum, ita ut pro ſuo arbitrio laceret, diſſipet, devoret, atque in totum perdat. Denique exprimit vindictæ atrocitatem: quod ſcilicet terra non tantum ab uno exercitu ſpoliabitur, ſed etiam à ſingulis hominibus. Poſtea addit *terram fuiſſe in luctu coram ſe*: qua particula videtur mihi Propheta torporem populi ſui perſtringere, quia nemo erat tunc qui in Deum reſpiceret: imo quum de pœnis, quæ inſtabant, ſæpius fieret apud ipſos ſermo, ridebant. Dicit ergo Deus tandem ad ſe venturos, quum clades ipſos urgebit, & extorquebit ipſis luctum. Quia ergo rebus tranquillis, inquit, nolunt ad me accedere, ſed ita ſunt refractarii & indomiti, ut nihil proficiam tot admonitionibus: venient, inquit, ſed alio habitu & ſpecie, nempe in extremo luctu. Tandem adjungit, *Nemo ponit ſuper cor.* Quid ſit Ponere ſuper cor, alibi diximus: ſed particula כי, quæ proprie eſt cauſalis, poteſt hic ſumi adverſative. Si accipimus in primo & genuino ſenſu, ratio hic additur, cur cogendi ſint Judæi ad graviſſimum luctum, nempe quia contempſerint omnes Prophetas, & duxerint pro fabula quicquid toties audierant ex ore Dei: & in hanc partem inclinat communis fere interpretum conſenſus. Poteſt tamen etiam adverſative ſumi, quemadmodum aliis pluribus locis, Tametſi nemo ponat ſuper cor: & ita erit queſtimonia obſtinati ſtuporis, quod ſcilicet manu Dei afflicti, non tamen ſentiant ſe dare juſtas pœnas ſcelerum. non quod prorſus eſſent ſtupidi ad mala ſua: ſed quid prodeſt vociferari, & ululare, ubi non reſpicitur manus percutientis, quemadmodum alibi loquitur Spiritus Dei? Debuerant igitur Judæi, ſi qua fuiſſet ſcintilla prudentiæ in ipſis, attendere ad ſua peccata, deprecari veniam, & reſipiſcere: deinde amplecti gratiam ſibi promiſſam. Sed quum obſtinate peccata peccatis adderent, merito expoſtulat cum ipſis Deus, quod non adjecerint cor ad ſigna iræ ſuæ, quibus non tantum ipſos doceri, ſed etiam ſubigi oportuerat. Sequitur,

12. Super

12. Super omnes oras (*vel, quomodo alii vertunt, super omnia loca excelsa.* שפים *uno verbo dicere licebit Promimentias. accipitur etiam pro rupibus: sed loquitur de finibus extremis. Ergo super fines extremos*) in desertum venerunt perditores: quia gladius Jehovæ voravit à fine terræ usque ad finem terræ: non est pax universæ carni.

Hic longius progreditur Jeremias, nullum scilicet angulum fore immunem ab hostili incursu. Desertum non ponitur hic pro solitudine quæ non habitetur, sed pro locis sublimibus: & quoniam loca illa ut plurimum pascuis apta sunt, ideo non dubium est quin recessus hic denotet: de re tamen satis convenit, nempe oblique labia deserti opponi planis locis. Quum ergo hostes vagati essent in ipsa planitie, dicit Propheta ne recessus quidem occultiores fore tutos: quia illuc quoque penetrabit hostium violentia. Et hoc clarius confirmat in fine versus, quum dicit non fore pacem universæ carni. Intelligit enim haud dubie omnes à minimo usque ad maximum fore miseros: quia pertinget ad singulos Dei vindicta, idque sine exceptione. nam poterant qui captassent latebras, adhuc aliquid sperare, quasi hostis contentus foret mediocri victoria. Sed Propheta ostendit iram Dei sic arsuram esse, ut omnia consumat, nec ullam relinquat terræ partem, quin involvat & divites, & pauperes, & agricolas, & cives eodem interitu. Postquam ergo minatus est planis locis, quæ magis obvia erant, & quo erat facilior accessus: jam adjungit, etiam obnoxios fore montes & colles violentiæ hostium. simul etiam admonet, omnium cladium Deum fore auctorem: quia si tantum loquutus esset de Chaldæis, non sensissent Judæi se trahi ad pœnam divinitus propter sua peccata. fuisset igitur illud frigidum, si putassent sibi certamen esse duntaxat cum Chaldæis. Ergo revocat ipsos ad judicium Dei: & ostendit quamvis adveniant hostes, quos impellit sua ambitio, & avaritia, & crudelitas: tamen divinitus etiam ipsos adduci, quia nimis diu provocaverint Judæi in se Dei vindictam. In summa, significat Chaldæos militare Deo, & illi impendere suam operam, quia dux sit præcipuus belli: ne scilicet existiment Judæi, fortuito sibi accidere tantas calamitates. *Gladius* ergo *Jehovæ voravit.* Loquitur quidem de rebus futuris, sed utitur præterito tempore: quod satis tritum est Prophetis. Jam sequitur.

13. Seminarunt triticum, & spinas messuerunt: hæreditatem adepti sunt, (*vel, fatigati sunt*) nec profecerunt: & confusi sunt à proventibus vestris, à furore (*vel excandescentia potius*) iræ Jehovæ.

Hoc major pars Interpretum accipit de Prophetis: quod scilicet fraudati fuerint: quum fideliter coluissent agrum Dei, & seminassent purum semen, natas tantum fuisse spinas, & crevisse vepres. sed illud nimis est coactum. Non dubito igitur quin Propheta designet maledictionem Dei, quam paulo post sensurus esset populus. Libenter quidem admitto metaphoricam esse loquutionem quum de satione & messe loquitur: sed non dubito, quin seminare Judæos dicat, dum sibi hinc inde accersunt auxilia, dum fœderibus sese muniunt, dum rationes omnes excogitant, quibus à se repellant omnia pericula. Dicit igitur *eos seminasse triticum*, per concessionem. nam perversa erant ipsorum consilia. Sed loquitur ex eorum sensu: quod scilicet sibi plauderent, quum viderent Ægyptios paratos esse ad ferendum auxilium: quum etiam alias munitiones hinc inde accerserent, putabant præclare secum agi, & ita sibi placebant in prospero successu. Propheta igitur ridet eorum vanam confidentiam: sed tamen verbo fatetur ipsos feliciter agere. quemadmodum agricola dum seminat, confidit sibi fore messem opimam: sic etiam Judæi putabant se fructum recepturos, quum ita seminassent. Dicit igitur Propheta longe ipsos decipi: quoniam vepres, & spinæ illis crescent pro tritico, quia scilicet non respondebunt eventus ipsorum consiliis. ita optime fluit contextus Prophetæ. Exponere autem de Prophetis nullo modo licet, quemadmodum iterum clarius patebit. *Seminarunt* ergo *triticum*, inquit. in plurali numero ponit, *Seminarunt triticum, & spinas messuerunt*: sed significat eos spem concipere optimæ messis, quia opinione sua seminent triticum, id est, sapienter, vel potius astute sibi prospiciant, dum nihil omittunt quod ad securitatem ipsorum pertineat: *Sed messuerunt*, inquit, hoc est, metent (loquitur enim de re futura) *vepres & spinas*, id est, Deus frustrabitur opinionem ipsorum: quia sentient qualis fuerit illa satio, de qua sibi tantopere polliciti sunt. Postea adjungit, *Hæreditatem esse adeptos*, vel molestiam perpessos, *sed non fuisse ditatos.* duriusculum est quod vertunt quidam, Ægrotasse. quanquam facile condono asperitatem: modo de re conveniat. nempe fuisse maceratos continuis laboribus, & ægritudinem contraxisse. Scimus enim eos qui sunt ad rem nimis attenti seipsos conficere, & quodammodo sibi esse carnifices: idque præsenti loco probe conveniet. Si cui tamen placeat diversa expositio, etiam hoc loco translatitie Propheta dicet illos fuisse auctos hæreditate, non tantum quia Deus ipsis terram Chanaan dederat, ut hæreditario jure in ipsa habitarent: quod opes magnas cumulaverint, atque ita creverint, nempe sua opinione, quum scilicet socios haberent Ægyptios, & multa etiam sperarent à vicinis gentibus: deinde quum putarent posse averti multis artibus Chaldæos, ne tam prope accederent. Hæc igitur erat ipsorum hæreditas, nempe quum undique colligerent præsidia, quibus tuti essent, & procul repellerent omnia pericula. Concedit ergo Deus, illos hæreditatem adeptos esse: sed quid tum, inquit? nihil illis hoc proderit, neque propterea locupletabuntur. In summa, significabit hoc modo eos interim falli, quia confidant opibus tam diligenter & sedulo cumulatis: quoniam evanescent tam auxilia, quibus confisi superbiebant, quam omnia etiam consilia ipsorum. quoad summam rei, ridentur vani eorum conatus, quibus putabant se omnia adepturos. Et adjungit eodem sensu, *Confusos fuisse à proventibus suis.* Subaudiunt qui intelligunt de Prophetis, Et fuerunt pudefacti Prophetæ à studiis vestris. sed illud omnino remotum est. Ergo continuat eandem sententiam, quod scilicet Judæi pudefacti fuerint quum viderent successus esse contrarios spei conceptæ. nam ipsorum proventus vocat. Hoc enim nomen deducitur à בא, quod est Venire, vel ingredi. transfertur etiam ad alios sensus. Sed Proventum hoc nomine Hebræi appellant, quia singulis annis recurrat. Dicit ergo *pudefactos fuisse à suis proventibus:* quia scilicet fructus non reciperent quales putaverant. Et ita persistit Jeremias in sua metaphora, quod seminarint, sed spinæ repertæ sint pro tritico: deinde, hæreditatem sibi acquisierint, vel magno se labore fatigarint, sed qui fuerit inutilis. Eodem modo nunc desponderant quidem sibi magnos & uberes proventus, sed tandem apparuit inanitas. Nunc ergo tenemus sensum verborum. Sed simul

ſpectare convenit, quorſum reſpiciat Propheta. non dubium eſt, quin velit arrogantiam illam, qua excæcati erant Judæi, illis excutere: quaſi diceret, Video me parum proficere apud vos, quoniam adhuc integri ſunt Ægyptii, qui venturi ſunt vobis in auxilium. putatis illos eſſe accinctos jam, ut Aſſyriis & Chaldæis ſe opponant: deinde habetis etiam alia fœdera. quoniam ergo ita probe eſtis muniti, putatis vos eſſe extra periculum: ſed Dominus vos pudefaciet in hac ſuperbia. proventus enim omnes veſtri evaneſcent. Sed ſcimus proventus intelligi felices illos omnes ſucceſſus, quibus ita turgebant, ut putarent ſibi nihil poſſe nocere. hoc eſt igitur Prophetæ conſilium. Dicit, *Ab excandeſcentia iræ Jehovæ:* quoniam ſcilicet non poterant aliter expergefieri, quam ſi reputarent ſibi Deum eſſe infeſtum. Ergo Propheta, etiam ut totus mundus arrideat, dicit hoc nihil illis profuturum: quoniam ſcilicet Deo adverſo pugnent. Simul tamen notanda eſt mutatio perſonæ ubi dicit, *Confuſi ſunt à proventibus veſtris.* Hæc ratio eſt cur quidam torqueant ad Prophetas verbum בושו Sed hæc enallage ſatis frequenter occurrit: & hoc loco emphatica eſt. Si enim dixiſſet in tertia perſona, Confuſi ſunt à fructibus ſuis, non ita vehementer poterat afficere eorum animos. Sed contemptim antehac loquutus eſt de Judæis, quoniam ut dictum fuit, ſciebat ſurdos eſſe: nunc autem obiter convertit ad ipſos ſermonem, & dicit pudefactos eſſe: imo, inquit, *confuſi eſtis à fructibus veſtris.* Eſt igitur ſpecies correctionis, ſed tantum ut Propheta acrius pungat eorum animos, qui opus habebant variis figuris: quum ſcilicet ſimplex oratio apud ipſos frigeret. Sequitur,

14. Sic dicit Jehovah, ſuper omnes vicinos meos malos qui tangunt hæreditatem meam, quam hæreditate obtinui, populum meum Iſraël: Ecce ego evellam ipſos è terra ipſorum, & domum Jehudah evellam è medio ipſorum.

Jam Propheta incipit mitigare quæ poterant ultra modum exacerbare populi animos: neque tam facit hoc vulgi cauſa, quam ut conſulat electis: qui adhuc pauci reſtabant. Vidimus enim actum fuiſſe de ipſo populo: & dictum fuerat ipſi Jeremiæ, Ne *cap. 11. verſ. 14.* ores, quia non exaudiam ipſos. Sciebat igitur Propheta immutabile eſſe Dei decretum, quoad ipſum corpus. Nec vero hic voluit lenire quod triſtius videri poterat in ejus doctrina. Sed alibi diximus, & quidem ſæpius hoc fuit repetitum, Prophetas ſimpliciter objurgaſſe totum populum: deinde quaſi ſeorſum loquutos fuiſſe cum electis. nam ſemper fuit aliquis numerus reſiduus in populo illo: quia nunquam paſſus eſt Deus extingui fœdus ſuum. Ergo quia nondum interierat Eccleſia illa, ideo Propheta reſpexit ſemen illud occultum: & ideo permiſcuit hanc conſolationem tam diris & horrendis vaticiniis, quæ ante vidimus. Hac igitur de cauſa nunc dicit Deum quoque vindicem fore crudelitatis, quam exercuerint vicini adverſus Judæos. nam poterat hæc tentatio vehementer turbare pios animos: Quid hoc ſibi vult, quod Deus tam rigide in nos ſævit, & interea parcit profanis gentibus? nihilne vel Moabitæ, vel Ammonitæ, vel Idumæi ſunt promeriti? cur ergo illis Deus indulget, & nos tam duriter perſequitur? Occurrit igitur Propheta, & denunciat, etiam illis gentibus inſtare pœnam, qualem meriti ſunt. idque in gratiam electi populi. Nam ſi tantum dixiſſet venturos Moabitas & Idumæos, & reliquos ad tribunal Dei, ut etiam pœnas darent ſuo tempore, hoc non levaſſet miſeros Judæos. eſt enim illa valde inanis conſolatio, ubi accedunt multi ſocii ad noſtras miſerias. Sed adjungit etiam Propheta, Deum ita fore propitium electis ſuis: & hoc ſignum fore favoris paterni, quod trahet ad ſupplicium omnes vicinos, à quibus inhumaniter tractati fuerant. Præfatur autem, *Sic dicit Jehovah:* dicit, *ſuper omnes vicinos meos malos.* Loquitur hic in perſona Dei, qui vicinos ſuos nominat tam Moabitas, & Idumæos, quam alios omnes, quoniam terram Chanaan ſibi elegerat in domicilium. fuit enim, ut ſæpius patet ex Prophetis, hoc præ aliis inſigne pignus gratiæ Dei, quod habitaret in populo illo. Non erat quidem incluſus vel Templo, vel terra Chanaan: ſed ſuſceperat populum hac lege in patrocinium & fidem ſuam, acſi haberet extentas manus ad omnes illos tuendos. Nunc videmus cur nominet vicinas gentes Judæis, *malos ſuos vicinos.* Tametſi enim extremis quibuſque malis digni erant Judæi, manebat tamen *Zach. 2. verſ. 8.* illa promiſſio, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Poſtea addit, *Qui tangunt hæreditatem meam.* hic non loquitur ironice ut prius, ſed reſpicit ſimpliciter electionem ſuam: quaſi diceret, Qualeſcunque ſint Judæi, tamen ego mihi conſtabo, & non excidet propterea fœdus meum. ſuperabit enim veritas mea ipſorum perfidiam. Et interea notandum eſt quod nuper dixi, totam hanc doctrinam reſtringi ad electos, qui pauci erant numero, & latebant quaſi viginti aut centum grana ſub magna congerie paleæ. Quoniam ergo Propheta hic peculiariter electos Dei alloquitur, non mirum eſt ſi vocet eos Dei hæreditatem: neque exprobrandi cauſa, quemadmodum prius fecit, ſed quia Deus vere illos amabat, & volebat ſalvos eſſe. & alia etiam ratio notanda eſt, quod Deus reſpexerit tam Idumæos, quam Ammonitas, Sidonios, & Tyrios, qui injuſte perſequebantur populum illum: nam erat Ammonitis & Moabitis aliqua cognatio, quia ſcilicet originem ducebant à Loth nepote Abrahæ. Quantum attinet ad Idumæos, erant poſteri Eſau, progeniti ex eadem familia. ſciebant autem Judæos eſſe divinitus electos. Ergo Deus hic oſtendit ſe eſſe violatum, dum tales injuriæ illatæ ſunt populo ſuo. proinde videmus cur hic Deus nominet *Iſraël hæreditatem ſuam.* dicit, *Quam hæreditate poſſedi.* Hic tollit vicinis illis gentibus tergiverſandi anſam: quaſi diceret, Etiamſi peccarent Judæi, tamen illos non eſſe judices: deinde non debere judicium fieri ex ipſorum improbitate. Ego tamen, inquit, eos volui mihi eligere in hæreditatem. Ergo videmus verbum hoc emphatice fuiſſe additum: quaſi diceret, Deum vindictam ſumpturum eſſe de injuriis populo ſuo illatis, quoniam fuerat læſa ſua majeſtas, ubi non habuit quale debuerat pondus ejus adoptio. neque enim fas profanis gentibus fuit vocare in rationem digni eſſent necne Judæi: quia Deo placuerat eos in fidem ac patrocinium ſuſcipere. Poſtea adjungit, *Ecce ego evellam eos è terra ipſorum, & domum Jehudah evellam è medio ipſorum.* Duplicem evulſionem hic ponit, nempe quod violenter extrahet Idumæos, & in exilium procul abiget. nam hoc proprie ſignificat quum dicit, *evellam ipſos:* eſt enim נתש, violenter extrahere. Verbum hoc ſæpiſſime repetitur in Prophetis: præſertim ubi agitur de ipſa Eccleſia: Plantavi & evellam. *Jer 45:4.* deinde vidimus antea, Poſui te, ut plantes, & evel- *cap. 1: 10.* las: quum ſcilicet oſtenderet Deus efficaciam doctrinæ Propheticæ. Hic autem dicit, Ego evellam: vel eradicabo, ut alii vertunt: ſed quoniam non eſt Latinum verbum, retineamus Evellam: modo intelligas quod proprie ſignificat, radicitus ſcilicet extrahere, idque violenter. *Evellam* igitur Idumæos, & Ammonitas, & Moabitas, & reliquos omnes vicinos è terra ipſorum, *quoniam ita violarunt hæreditatem meam, nempe populum à me electum;* ideo ipſi etiam in remotum exilium trahentur, & in captivitatem: ſicuti etiam alibi dicitur, Memento *Pſ. 137. 7.*

filiorum

filiorum Edom, qui dicebant in die Jerusalem, &c. Et videbimus postea suo loco hoc fuisse impletum. nam Propheta sermonem ad omnes populos convertet, ut sentiant Judæi judicium Dei fuisse in omnes terræ partes. Sed hic breviter Propheta minatur ultionem gentibus illis, ut tristitiam levet illius exiguæ partis, quæ restabat. Nam diximus ipsum corpus populi fuisse desperatum: quia Deus omnes extremo exitio addixerat, sicuti digni erant. Sed quoniam reliquias semper aliquas servavit, dicit Propheta hoc loco: *Domum Jehudah evellam*, inquit, *è medio ipsorum*: nempe quoniam alii profugerant ad Moabitas, & reliquos: alii vero fuerant capti, & abducti in servitutem. scimus enim misere direptos fuisse Judæos, & partem fuisse venundatam gentibus illis vicinis. Ergo Deus hic promittit se tandem fore exorabilem populo suo, ut colligerat reliquias illas tam ex Moabitis, quam Idumæis, & aliis profanis gentibus. Itaque in bonam partem hic accipitur evulsio fecunda: quia scil. Propheta liberationem electis Dei promittit. Et tamen apposite usurpat hoc verbum, ut sævitiam illarum gentium exprimat, quæ nunquam sponte cessissent, nisi violenter eripuisset Deus ex ipsorum tyrannide innoxios Israëlitas: dico innoxios, illorum respectu. Ego igitur, inquit, violenter extraham. quasi diceret, Quamvis obstinata sit crudelitas Gentium omnium, apud quas captivus erit populus meus, ego tamen ero fortior, ita ut emittam captivos, quamvis totis viribus resistant qui sibi putant perpetuo servos fore. Et hoc etiam experti sumus nostro tempore. nam quam dura fuit servitus nostra sub Papatu? deinde tyrannis illa nonne fuit quasi insuperabilis? Sed Deus potentiam suam exeruit quum paucos extraxit ab illa violenta dominatione. Sic ergo olim promisit residuo populo, se ita fore misericordem, ut eradicaret ipsos ex illa tyrannide. Sequitur,

15. Et erit postquam extraxero illos, revertar, & miserebor ipsorum, & redire ipsos faciam, (*vel reducam*) unumquemque ad hæreditatem suam, & unumquemque ad terram suam.

Hic non tantum Judæis misericordiam Deus promittit: sed etiam profanis illis gentibus, quarum futurus erat judex, ut vindictam exigeret in favorem populi sui. Extendi vero sermonem hunc ad exteros, patet ex contextu. subjiciet enim Propheta continuo post, Et erit ubi didicerint vias populi mei, ut jurent in nomine meo, Vivit Jehovah, sicuti docuerunt populum meum jurare in Baal, tunc &c. Videmus ergo ut Deus non tantum reliquias electi populi clementer respiciat, sed etiam hostes ipsorum. Si quis excipiat, hoc modo obscuratam fuisse Dei gratiam, qua prosequebatur filios Abrahæ, responsio facilis est, hoc plurimum valuisse ad spem piorum: quod scilicet non tantum speranda ipsis esset propria salus, sed etiam hostium, quos Deus vellet una cum ipsis colligere. Duplicavit igitur Deus suam gratiam erga Israëlitas. Et Propheta etiam hoc loco aptissime confirmat fiduciam piorum, quum dicit Deum misericordem fore etiam ipsorum hostibus, idque in gratiam eorum, quia salus omnibus communis erit. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium, quum pronunciat Deum, ubi extraxerit Gentes è sedibus patriis, postea futurum illis misericordem, nempe *ut reducat singulos ad suam hæreditatem, & ad proprium locum.*

Da omnipotens Deus, quando hodie tam horribilis dissipatio undique terrores nobis incutit, ut discamus oculos erigere supra mundum, & sperare quod hodie nobis absconditum est: nempe ubi judicia tua exercueris tam in Ecclesiam tuam, quam in extraneos, te sic fore propitium toti mundo, ut colligamur in unitatem fidei: & studeamus nos totos tibi addicere in obsequium, ac vicissim inter nos colamus fraternam concordiam, donec tandem fruamur æterna illa hæreditate, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA PRIMA
IN
JEREMIAM.

Diximus postrema lectione Deum hic etiam Gentibus exteris promittere veniam & salutem, si resipuerint: atque id facere ut magis confirmet promissiones suas erga electum populum. Scimus enim tunc exclusos fuisse omnes populos à fœdere Dei. quum Deus misericordiam suam ad illos usque extendit, possunt certiorem fiduciam inde concipere Judæi, qui jam Deo propinqui erant: quia scilicet illos sibi adoptaverat in peculium & hæreditatem. Et hoc etiam promptum est colligere ex contextu. nam pronunciat Deus se extracturum electos suos ex illis populis: Deinde adjungit se progressurum longius, nempe ut etiam in favorem suum recipiat qui prius fuerant hostes. Ideo dicit, *Postquam extraxero eos, revertar, & miserebor ipsorum.* Loquitur hic de extraneis. *Et redire*, inquit, *faciam virum*, id est, unumquemque, *in hæreditatem suam, & in terram suam.* Nunc sequitur,

16. Et accidet, si discendo didicerint vias populi mei ad jurandum per nomen meum, Vivit Jehovah, sicuti docuerunt populum meum jurare (*ad verbum, ad jurandum*) per Baal, tunc ædificabuntur in medio populi mei.

Videmus hoc proprie spectare ad Gentes, quæ prius alienæ fuerant à gratia Dei: imo exercuerant gravissima odia adversus populum electum. In summa, pronunciat Deus se clementem & propitium fore etiam miseris illis, de quorum salute nulla spes concipi poterat, quum & rejecti essent ab ipso, & toties, & tamdiu, & tam variis modis provocassent ejus vindictam. Quanquam autem de vicinis loquitur, quemadmodum ante visum fuit, vaticinium tamen hoc generaliter pertinet ad totum orbem: & impletum fuit in ultima Gentium vocatione: quia tunc sibi Deus Ecclesiam promiscue collegit ex Judæis & Gentibus. Sed conditio hic apponitur, nempe si Gentes illæ, quæ verum Dei cultum prius oppugnaverant, Legem fuerint amplexæ. scimus enim quantopere exosa fuerit religio, præsertim omnibus vicinis: quia acuebantur illorum odia, quum viderant superstitiones suas ab uno populo damnari. Quum ergo tam acriter infesti fuissent Deo, & puræ Legis doctrinæ, nunc requirit mutationem: *Si ergo didicerint vias populi mei*, inquit. per *vias populi* intelligit quod ipse præceperat. Etsi enim populus Israël

desciverat sæpius à vera pietate, Deus tamen hic potius seipsum respicit, quam perversa illorum odia: neque enim Lex abolita fuerat malitia & ingratitudine populi. Videmus ergo per *vias populi*, non intelligi commenta, quæ sibi Judæi finxissent, sed ipsam Legem, quam Deus illis tradiderat. Hinc igitur non potest statui hominum auctoritas, quasi penes ipsos potestas sit religionis formandæ. sed Deus simpliciter intelligit suis unius placitis edoctos fuisse Judæos quid rectum esset. In summa, *vias populi* passive Jeremias accipit, non quas populus ipse sibi finxisset, sed quas divinitus acceperat. Jam additur, *Ut jurent in nomine meo.* Loquutio est synecdochica. nam sub una specie comprehenditur totus Dei cultus. Jusjurandum, ut alibi diximus, pars est cultus Dei, & pietatis. nam profitemur nos, & vitam nostram esse in manu Dei quum juramus per ejus nomen: deinde, judicium illi deferimus, & agnoscimus vere esse Deum, quoniam sit cordium cognitor, & judicet de rebus occultis. hæc enim omnia in se continet jusjurandum. Ergo non mirum est, si hoc loco, ut pluribus aliis, sub hac specie designatur tota religio: quemadmodum ubi dicitur, Jurabunt omnes in no-
Jesa. 45. vers. 23. mine meo. Vivo ego, dicit Jehovah, mihi flectetur omne genu, & omnis lingua per me jurabit. quemadmodum ergo alibi per Altare cultus Dei notatur, ita hoc loco per Jusjurandum. Summa est, si Gentes ita conversæ fuerint, ut subjiciant collum jugo Legis, & permittant se Deo regendas, fore etiam participes ejusdem misericordiæ, quam prius adepti fuerant Judæi. Sequitur communis jurandi formula: *Vivit Jehovah.* sic enim passim Scriptura loquitur: & hoc verbo non simpliciter testantur homines se jurare per vitam Dei, sed etiam tribuunt ei æternitatem: quasi diceret, Unus est Deus. nam alibi nusquam reperietur vita, quam in solo Deo. Dicuntur quidem & homines, & bruta etiam animalia, & arbores vivere: sed in arboribus tantum est vigor sine sensu, in brutis sensus sine ratione & intelligentia, in hominibus vero vita est lux: sed non vivunt in se, nec per se. Mutuantur itaque vitam à Deo: quemadmodum lucet quidem in terra: tamen scimus in hac regione, in qua habitamus, nullam esse lucem, sed instillari, & ad nos usque diffundi per Solis radios. Sic itaque non dicetur residere vita in hominibus, quam Deus arcana sua virtute illis instillat. Angeli etiam ipsi non vivunt, proprie loquendo. Videmus ergo quid hæc loquutio valeat, *Vivit Jehovah*: nam æternitas Dei exprimitur: deinde etiam agnoscitur mundi Judex: præterea quicquid sibi uni ipse vendicat, hoc testantur homines merito & jure ei deberi. Sequitur postea, *Quemadmodum docuerunt populum meum jurare per Baal.* nam corruptelæ Gentium nimis grassatæ fuerant in populo electo: & major pars quum videret prospere esse Gentibus, abjecerat studium veræ & sinceræ pietatis. Quum ergo Gentium superstitionibus ita addicti fuissent Judæi, dicit Propheta, *Si Gentes, quemadmodum antehac docuerunt populum meum jurare per Baal*, id est, quemadmodum traxerunt populum meum ad suas idololatrias, & fictitios ac perversos cultus, si nunc *cœperint jurare per nomen meum*, id est, me unum pure colere, *ædificabuntur in medio populi mei.* Ædificandi metaphora satis trita est: sed hoc loco nihil aliud significat Deus, quam Gentes fore è grege suo, si abjectis superstitionibus, amplexæ fuerint purum Legis cultum. Neque hoc ad locum refertur, quemadmodum frigide quidam exponunt: sed *in medio populi*, tantundem valet acsi diceret, Ego censebo Gentes illas in populo meo, ut sint pars Ecclesiæ meæ: quemadmodum etiam dicitur in Psalmo,
Quamvis illic & illic nati sint Tyrii, & Sydonii, & *Psal. 87. vers. 4. 5.*
Ægyptii, & alii qui prius hostes fuerant: jactabunt tamen omnes se esse natos Jerosolymæ, quando Deus eos agnoscet tanquam membra populi sui. Sequitur,

17. Quod si non audierint, tunc evellam (*copula etiam hic accipitur pro adverbio temporis*) Gentem illam, evellendo, & perdendo, dicit Jehovah.

Quemadmodum ostendit certam spem salutis populo suo, quando Gentes etiam vellet misericordia sua complecti; ita etiam nunc minatur excidium Gentibus ipsis, nisi resipuerint. nam conditione interposita promiserat se fore misericordem erga Gentes: *si didicerint vias populi mei*, dicebat, hoc est, si se imperio meo subjecerint: nunc autem, *si non audierint.* Videmus ergo hic Deum ultimam vindictam minari etiam ipsis Gentibus, si non subjecerint se illius jugo ad obsequium præstandum. voluit haud dubie non tam gentes illas, quam Judæos terrere: si enim Gentibus impune non cessit, Deum spernere, quamvis incognitum, quam inexcusabiles fuerunt Judæi, qui à prima infantia imbiberant veram Legis cognitionem, si more Gentium protervi essent, & intractabiles? In summa, videmus ab una parte Deum allicere suaviter Judæos, ut sponte obediant Legi suæ: & ab altera parte illis minari, quoniam ne Gentium quidem contumaciam ferre possit, ideoque multo minus Judæi se inultos fore debeant sperare. hæc igitur summa est. Nunc sequitur aliud vaticinium.

Cap. XIII.

SIc dixit Jehovah mihi, Vade, & compara tibi cingulum lineum, & pone illud super renes tuos, & in aquas ne inferas illud.

2. Et comparavi mihi cingulum, (*paravi, ad verbum*) sicuti mandaverat Jehovah, & posui illud (*vel applicui*) ad renes meos.

3. Et factus est sermo Jehovæ ad me secundo, dicendo,

4. Tolle cingulum quod comparasti, quod est super renes tuos, & surge, proficiscere (*vel surgens proficiscere*) ad Euphratem, & absconde illic in foramine petræ.

5. Et profectus sum, & abscondi in Euphrate, quemadmodum præceperat Jehovah mihi.

6. Et accidit post finem (*à fine, ad verbum*) dierum multorum, & dixit (*hoc est, ut diceret*) Jehovah mihi, Surge, & proficiscere ad Euphratem, & tolle illinc cingulum, de quo præcepi tibi ut absconderes illic.

7. Et profectus sum ad Euphratem, & fodi, & sustuli cingulum è loco, ubi illic absconderam: & ecce corruptum erat cingulum, non proderat ad omne. *hoc est, ad quicquam.*

8. Et factus est sermo Jehovæ ad me, dicendo,

9. Sic dicit Jehovah, In hunc modum corrumpam excellentiam Jehudah, & excellentiam Jerusalem magnam. *vel, altitudinem.*

Dixi

Dixi boc loco narrari novum vaticinium: jubetur enim Propheta *sibi emere cingulum*, vel balteum. alii vertunt Succinctorium, vel subligaculum: & quia fit lini mentio, illa etiam sententia est probabilis. אזר significat cingere, sed אזור significat tam subligaculum, quod tunc gestabant, quam balteum & cingu-
Jesa. 11. vers. 5. lum: quemadmodum etiam dicit Jesaias fidem fore balteum renum ejus, ubi loquitur de regno Christi sub figura. bic tamen potest tam de balteo quam de subligaculo exponi: ad rei summam non multum interest. Jubetur ergo Propheta sibi emere vel zonam ex lino, vel subligaculum: deinde jubetur *ire ad Euphratem, & abscondere in foramine cingulum illud*: tertio jubetur *rursus ire ad Euphratem, & extrahere à foramine cingulum*: tandem dicit *corruptum tunc fuisse*. Sequitur applicatio, quum pronunciat Deus se ita facturum Judæis: quia scil. eos habuerat instar baltei, fit tamen abjecturus. sicuti enim ipsos ornaverat, ita volebat sibi vicissim esse ornamento. nam gloria Dei in Ecclesia refulget. Erant igitur
Jesa. 62. vers. 3. Judæi, ut dicit Jesaias, corona gloriæ, & diadema regni in manu Dei. ergo bic aptissime confert eos vel balteo, vel cingulo. Quum ergo tam honorifica eorum conditio fuisset, minatur Deus se detracturum illos, ut absconditi contrahant putredinem in caverna Euphratis, hoc est, in Assyria, & Chaldæa. hæc summa est Prophetiæ. Putro minime dubium est quin bic narretur visio, non autem res gesta, quemadmodum quidam volunt Jeremiam profectum fuisse illuc. sed quid absurdius fingi potest? scimus quotidie functum fuisse docendi officio apud suos: si suscepta fuisset tam longa profectio, & quidem bis, non rediisset nisi post aliquot menses. Ergo contentiosus erit qui volet ita urgere verba, quasi Propheta usque ad Euphratem venerit, & illic absconderit suum cingulum. Scimus autem banc loquendi formam satis frequentem adeoque familiarem esse Prophetis, ut visiones pro rebus gestis narrent. Jam hoc secundo loco tenendum est, potuisse simpliciter & absque figura Deum loqui: sed quoniam non rudes tantum, sed stupidi erant, oportuit externo symbolo corrigi eorum torporem. Hæc igitur ratio fuit cur Deus insigniverit doctrinam Prophetæ sui etiam externo signo. Si ita dixisset Deus, Vos fuistis mihi hactenus loco baltei, eratis decus meum, & gloria mea; non vestro quidem merito, aut vestra dignitate, sed quia vos mihi adjunxeram, ut essetis sanctus populus, & regnum sacerdotale: nunc autem abjicere vos cogor: & quemadmodum si quis cingulum sibi detrahat, & conjiciat in aliquod foramen, post longum tempus reperiet putrefactum; sic etiam eritis absconditi longo tempore ultra Euphratem, & illic tabes vos invadet, quæ vos totos corrumpat, ut longe dissimilis futura sit vestra facies, ubi quis volet proferre quod residuum erit ex vobis. Hoc quidem poterat sufficere: sed in tanta securitate, & hebetudine, quantam scimus fuisse apud Judæos, non tam efficaciter simplex doctrina penetrasset in animos, quam ubi propositum fuit hoc symbolum. Propheta igitur dicit *se fuisse accinctum baltero*: deinde *balteum illum fuisse absconditum in foramine Euphratis, & fuisse illic putrefactum*. postea adjungit, *Sic fiet vobis*. Hæc doctrina, quemadmodum jam dixi, potuit acrius Judæos afficere, ut sentirent quod instabat Dei judicium. Quantum ad similitudinem baltei vel subligaculi spectat, scimus quam superbe gloriati fuerint Judæi, quum putarent Deum sibi esse devinctum: & erat reveta, si mutuo ipsi coluissent fidem. sed quum tam fuissent immorigeri & ingrati, qualis erat Dei obligatio erga ipsos? sibi quidem elegerat ipsos in populum, sed hac lege addita, ut essent tanquam pudica uxor, ipse autem vicissim esset illis maritus, ut antea visum est: ipsi autem se prostitue-
cap. 3. rant, & turpiter polluerant cum idolis. Quum igitur perfide descivissent à sacra illa conjugii fide, an non Deus fuit liber? quemadmodum dicit per Je-
Jesa. 50. vers. 1. saiam, Non opus est vobis dare libellum repudii, mater enim vestra est adultera. Ergo Propheta etiam boc loco voluit breviter Judæis excutere vanas illas jactantias, quum plenis buccis dicerent se esse Dei populum, & sanctum Abrahæ genus: Verum, inquit, & plus vobis concedo, nempe vos fuisse Deo instar baltei, quo viri ornantur. sed quum Deus vos adoptaverit, ut caste ipsum coleretis, nunc quia fecistis irritum ejus pactum, detrahet sibi bunc balteum, qui potius est opprobrio, quam ornamento: & projiciet in aliquam cavernam, ubi putrescat. Hoc igitur notandum est de similitudine baltei, vel subligaculi, ut postea clarius videbimus. Jam quod Propheta recitat *se venisse ad Euphratem*, hoc ad confirmationem doctrinæ valet. neque enim intelligit se venisse, sed voluit quasi in rem præsentem adducere Judæos. Est igitur hypotyposis: quemadmodum rhetores, etiamsi locum non mutent, tamen proponunt viva descriptione rem ante oculos. ita etiam Propheta, quoniam surdi erant Judæi, ostendit conspicuum quod audire non poterant. Hæc igitur ratio est cur dicat *se venisse*. Eodem etiam pertinet quod sequitur, *A fine dierum multorum Deum mandasse ut cingulum extraheret*. bic etiam notatur exilii diuturnitas. quantum ad *foramen petræ*, ignominia notatur: quia scilicet sine ullo honore & pretio Judæi in exilio victuri. perinde igitur est acsi conjecti fuissent in aliquam cavernam. Ergo per Foramen notatur ignobilis & pudenda etiam ipsorum conditio: quod scilicet fuerint quasi remoti ab omnium conspectu, & ab ipsa communi luce. Per *finem multorum dierum*, ut dixi, notatur exilii diuturnitas. nam exiguo tempore non fuissent putrefacti: & nisi etiam hoc diserte fuisset expressum à Propheta, nunquam persuasi fuissent sibi instare gravissimam illam cladem. Ergo dicit *multos fore dies*, ut putredinem contrahant in foramine absconditi. Quantum ad vaticinii applicationem spectat, pluribus verbis deinde eam prosequetur Propheta: sed summam tamen satis dilucide complectitur quum dicit, *Sic corrumpam altitudinem Jehudah, & altitudinem Jerusalem magnam*. alii interpretes vertunt uno consensu Superbiam: sed quoniam גאון accipitur in utramque partem, ideo pro excellentia non dubito hic poni. quod melius patebit ex sequentibus: nam גאון hic vocatur dignitas illa, qua Deus dignatus fuerat genus Abrahæ, quum sibi ornamento esse vellet. Ita
Exod. 15. vers. 7. Exodi quinto decimo capite dicitur, In magnificentia tua Gentes conteres: deinde, Ponam te in excellentiam seculi, Jesaiæ sexagesimo: illic certe non potest sumi nisi in bonam partem. Et hæc inter se cohærent: quod scilicet Deus aptaverit sibi Judæos quasi balteum: deinde quod illos projecerit in cavernam, ut luce & omni gloria ad tempus carerent. Summa igitur est, Quamvis *dignitas Jehudah & Jerusalem magna fuerit*: erat enim populus inclytus, quem
Deut. 4. vers. 7,8. Deus adoptaverat, quemadmodum dicitur Deut. 4. cap. quamvis ergo magna fuerit altitudo Jehudah & Jerusalem, *ego tamen illam corrumpam*, inquit. Videmus ut Propheta Judæis eripiat pravam confidentiam, qua seipsos fallebant. Poterant quidem in Deo gloriari, si id vere & ex animo fecissent: sed quum sibi arrogarent omnia, detraherent autem Deo imperium, cui subjecti erant, quanta fuit bæc vanitas & quam ridicula, semper sibi retinere nomen illud sacrum, Nos sumus populus Dei? quum tamen nullus apud illos esset Deus, hoc est, quum illum nullo loco ducerent, & contemptim, imo etiam contumeliose rejicerent ejus jugum? Ergo videmus sic accipi nomen גאון in bonam partem, ut tamen ignominiose exprobret Propheta illis, quod abusi fuerint Dei nomine, & falso se venditarent pro illius populo & hæreditate. Reliqua non possemus absolvere: cras prosequemur.

Da omnipotens Deus, quando tot populi, qui collecti abs te fuerant, ut essent corpus unigeniti Filii tui, pessum ierunt, & sua ingratitudine se alienarunt à spe æternæ salutis: da, inquam, ut hodie rursus in unum coeant, & nobiscum colant veram fidei unitatem: ut uno corde & ore te profiteamur esse Deum nostrum, & patrem: & sic discamus jurare per nomen tuum, ut agnuscamus te judicem nostrum, & tibi omnem potestatem in nos deferamus, dunec tandem fruamur æterna illa hæreditate, in cujus spem nos vocasti, & quotidie etiam invitas, in eodem Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

10. Populus hic malus, renuentes audire verba mea, ambulantes in pravitate cordis sui: & ambulant post deos alienos ut serviant ipsis, & adorent ipsos: Et erunt (*collectivum nomen Populi est singulare*) tanquam balteus hic, qui ad nihilum prodest. *qui ad quidquam non est utilis.*

Dixerat heri Propheta populum fore similem balteo, quem absconderat in foramine, & quem invenerat putrefactum. sed causa nunc exprimitur quare Deus tam severe cum populo agere statuerit. Dicit igitur se fore vindicem, quoniam renuerint Judæi obedire voci suæ, & prætulerint sua figmenta, *ut ambularent post duritiem* (aut pravitatem) *cordis sui.* Videmus ergo cladis hanc fuisse causam quod populus rejecerit Propheticam doctrinam. hoc enim longe gravius est, quam si errore & ignorantia fuisset lapsus: quemadmodum videmus sæpe homines, ubi ablata est doctrina, misere vagari: sed ubi Deus viam demonstrat, & præcipit quid rectum sit; ubi per servos suos etiam hortatur; hæc est inexcusabilis durities, si repudient homines tantum beneficium. sed quoniam hac de re alibi fusius dictum fuit, nunc leviter tantum attingo. Videmus itaque Deum minari ultimam cladem populo, quia non sustinuerit doceri per Prophetas. Postea adjungit, *quod ambulaverint post pravitatem cordis sui, & ambulaverint post deos alienos.* Priore loco conqueritur ipsos ita fuisse præfractos, ut maluerint impiis suis cupiditatibus morem gerere, quam regi bonis & salutaribus consiliis. Verum necesse fuit speciem ipsam criminis exprimi. si enim tantum de illorum duritie loquutus esset Propheta, illis in promptu fuissent exceptiones: sed ubi dicit *ambulasse post deos alienos*, nulla tergiversatio amplius locum habet. Verbum ambulandi respicit ad viam: est enim in hac metaphora relatio: non enim solent homines currere quin aliquorsum tendant. necesse igitur est finem aliquem esse propositum, ubi nos in viam damus. Jam subest antithesis: quod scilicet populus contempserit viam sibi divinitus monstratam, & maluerit sequi errores suos. Deus paratus erat Judæos dirigere Lege sua: sed maluerunt, quemadmodum dixi, velut data opera se projicere in errores. Dicit *ambulasse post deos alienos, ut servirent illis, & coram illis se prosternerent:* nam hoc significat secundum verbum. Non dubium est quin idem repetat Propheta: servire enim non est tantum parere, sed ad cultum refertur. Et hinc etiam refellitur stultitia Papistarum, qui non putant duliam pugnare cum vera religione. dicunt deberi uni Deo latriam, hoc est, cultum: sed duliam transferunt ad Angelos, ad statuas, vel ad homines mortuos. quasi vero Deus, ubi contra superstitiones invehitur, non subinde usurpet hoc verbum עבר sequitur ergo nimis ridiculos esse qui duplicem cultum sibi fingunt: unum, qui Deo sit peculiaris; alterum vero, qui communis sit tam Angelis, quam hominibus, & mortuis idolis. Tenemus igitur summam hujus versus: ideo infert Propheta similes fore Judæos balteo inutili, hoc est, putrefacto. Postea sequitur,

11. Quia sicut adhæret balteus (*vel conjunctus est*) renibus viri, sic conjunxeram mihi (*vel conjunxi*) totam domum Israël, & totam domum Jehudah, dicit Jehovah, ut esset mihi in populum, & in nomen, & in laudem, & in decus: & non audierunt.

Confirmat quod jam heri vidimus, nempe Judæos stulte sibi confidere, & promittere perpetuam felicitatem, quia semel Deus illos sibi elegerat in populum. fuisset quidem hæc gloriatio firma in perpetuum, nisi fidem violassent: sed ipsorum defectio irritum fecit Dei fœdus, quoad ipsos. Etsi enim Deus nunquam passus est fidem suam excidere, quamlibet illi mendaces essent ac perfidi: nihil tamen illis profuit adoptio, à qua desciverant. Sed quoniam putabant sibi inexpugnabile esse illud præsidium, Propheta iterum repetit fuisse quidem ornatos singularibus donis, sed quia non steterint in fide, ideo ipsos spoliatum iri. Dicit vero per concessionem, *Sicut adhæret balteus renibus viri, sic etiam adjunxi mihi totam domum Israël*, quia largitur quod obtendebant: sed interea admonet illos turgere vento duntaxat, quoniam eo minus tolerabilis sit illorum impietas, quod tam ingrati fuerint Deo. quid enim turpius, vel minus excusabile, quam ubi Deus illos tanto honore dignatus esset, ipsos respuere ejus liberalitatem? Concedit igitur illis uno verbo Jeremias quod superbe jactabant, sed retorquet in ipsorum capita, & ostendit dignos esse graviore interitu, quoniam tot beneficia Dei respuerint. Heri autem diximus alibi conferri po- *Jesa. 62. vers. 3.* pulum coronæ & diademati, quasi diceret Deus nihil sibi magis pretiosum fuisse Abrahæ filiis. sed aliis verbis nunc idem exprimitur: quod scilicet eos aptaverit sibi instar cinguli, *ut essent*, inquit, *mihi in populum* hæc jam erat magna dignatio: sed quod sequitur, magis excellit: *ut essent mihi in nomen*, inquit: hoc est, ut inter ipsos celebrarer: quemadmodum voluit se vocari Deum Israëlis. quid simile inter Deum & homines? & tamen quasi descenderet è cælesti sua gloria, ita sibi devinxit genus Abrahæ, ut mutuo etiam se obstringeret. Fuit igitur quasi conjunctionis mutuæ vinculum, illa Dei electio, ut nollet à populo separari. ideo dicit *se illos ita sibi adjunxisse, ut essent in nomen:* deinde *in laudem*, inquit, *& decus.* Quanquam eodem pertinent omnia, non dubium tamen est, quin hæc congeries verborum ad amplificationem posita sit. Voluit ergo Deus magis ac magis crimen populi exaggerare, quum diceret se tantum detulisse huic populo, ut illic celebraretur, ut illic resideret laus sua, & decus suum.

Postre-

Postremo adjungit, *Non audierunt.* Deus mandasset quod jure poterat, jam fuisset inexcusabilis populi malitia, non parere imperio: sed quum tam liberaliter se totum, & sua omnia offerret, quam fœdæ & detestabilis fuit ingratitudinis, tot & tam præclara dona respuere? Videmus ergo hic obstrui os Judæis, ne expostulent cum Deo, vel querantur ipsum nimis rigidum esse, quoniam nimis iram ejus provocaverant: non tantum quod rejicerent jugum ejus, sed quod respuerent oblatas sibi gratias. Sequitur,

12. Dices etiam illis (*hoc est, annunciabis*) hunc sermonem, Sic dicit Jehovah Deus Israël, Omnis lagena (*alii vertunt, utrem: sed hoc loco parum interest. Omnis ergo lagena*) implebitur vino: & dicent tibi, An non sciendo scimus (*hoc est, an nesciendo non scimus*) quod omnis lagena implebitur vino?

13 Tunc dices illis, Sic dicit Jehovah, Ecce ego implens (*vel impleo*) omnes habitatores terræ hujus, & omnes Reges qui sedent pro Davide super solium ejus, & Sacerdotes, & Prophetas, & omnes incolas Jerosolymæ, ebrietate.

14 Et collidam eos (*alii vertunt, dispergam: proprie significat violenter disjicere: hic apte reddetur collidere: Collidam ergo*) quemque ad fratrem suum, & patres & filios simul, dicit Jehovah: non parcam, & non ero propitius, (*idem significant, sunt synonyma*) & non miserebor à perdendo (*hoc est, quin perdam*) ipsos.

Alia similitudine hic denunciat Propheta vindictam Dei: dicit enim *repletum omnes iri ebrietate.* sed figuram simpliciter initio jubetur proponere. *Omnis lagena*, inquit, *implebitur vino* נבל significat & utrem, quemadmodum jam dixi: sed hic melius convenit nomen Lagenæ. solebant utres in illis regionibus impleri aqua, & vino, sicuti hunc morem adhuc servant Orientales: qualiter videmus reponi hodie oleum in utribus, & ita advehi, sic utres sunt illic in vulgari usu ad vini & aquæ vecturam. sed quoniam sequitur, *Collidam eos inter se*, ideo de lagenis rectius exponitur hoc nomen. Potuit generalis hæc sententia videri nullius ponderis: quid enim continet in se doctrinæ, Omnis lagena implebitur vino? quemadmodum si quis diceret cantharum factum esse ut vinum in eo feratur, & crateres esse factos ad bibendum: hoc etiam pueris satis tritum est: deinde, quemadmodum dixi, poterant existimare hoc esse Prophetæ indignum: He, quid nobis adfers? tu dicis lagenas esse vini receptacula, nempe quemadmodum pileus ad caput tegendum factus est, quemadmodum vestis ad arcendum frigus: sed tu videris hic ludere puerilibus ineptiis. Et videmus etiam ita exceptum fuisse Prophetæ sermonem: contemptim enim, atque adeo fastidiose respondent: Quid? *an nescimus lagenas in hunc usum destinatas ut vinum contineant?* sed quid tibi vis? tu jactas afflatum Spiritus sancti: quale est hoc monstrum? tu quasi Angelus esses è cælo delapsus, hic prætendis Dei nomen, & te venditas auctoritate Prophetica: quid hoc sibi vult, lagenas impleri vino? Sed voluit consulto Deus ita expergefacere populum hunc, qui in suis deliciis sopitus erat, deinde etiam qui minus solebat ad spiritualem doctrinam attendere. Voluit igitur in rebus minimis, & quasi frivolis, ostendere, non tanta perspicacia ipsos esse præditos ut vel quod debuerat illis notissimum esse, cernerent. hoc quidem tenebant omnes, lagenas fieri ad vinum capiendum: sed interea non reputabant se esse lagenas, vel lagenis similes. Diximus enim fuisse inflatos tanta arrogantia, ut sibi viderentur similes saxeis rupibus. hinc igitur contemptus omnium minarum, quod non expendebant secum quales essent. Dicit igitur Propheta *ipsos similes esse lagenis*: quoniam Deus quidem in præclarum usum ipsos elegerat, sed obliti suæ fragilitatis præstantiam illam corruperant: hoc est, nullus amplius erat illorum usus, nisi ut Deus illos inebriaret vertigine, deinde calamitatibus. Videmus ergo cur jusserit Deus tribus verbis proferri generalem doctrinam, quæ frigide & contemptim accepta fuit: nempe ut occasio daretur Prophetæ pungendi stupidos illos homines, quibus incognita erat sua conditio. dictum enim fuit illos similes fuisse montibus, quum fundati essent in gratuita Dei electione: sed quoniam nulla fuerat in illis firmitas, & constantia fidei, sed defluxerant, ideo liquefacta fuerat eorum gloria: & quanquam adhuc retinebant aliquam speciem, tamen similes erant vasis fictilibus. & ita eorum fragilitas exprimitur à Propheta melius, quam si uno sermonis tractu dixisset, Quemadmodum lagena impletur vino, sic etiam Dominus vos implebit ebrietate. si ergo ita loquutus esset, non fuisset tanta efficacia vaticinii: sed dum illi respondent non sine fastidio, hoc pueris esse notum, audiunt quod magis ipsos urgeat, nempe *esse lagenis similes.* Nunc quæritur qualis hæc sit ebrietas quam denunciat Propheta. duplex enim potest intelligi: vel quod Deus ipsos vellet conjicere in sensum reprobum: vel quod vellet inebriare malis & calamitatibus. nam ubi Deus rectam mentem eripit hominibus, hæc est præparatio ad ultimam cladem. Sed Propheta videtur longius spectare, nempe populum hunc devotum esse gravissimis cladibus, quæ ipsum prorsus obstupefaciant. Quanquam ex contextu licet colligere, etiam priorem speciem notari. dicit enim, *Faciam ut se mutuo allidant, & quisque confligat cum fratre suo, deinde pater cum filio, & ita simul omnes frangantur.* Deus ergo non tantum cladem hic designat quæ instabat Judæis, sed etiam modum ipsum cladis: quod scilicet *quisque trahet fratres suos* in perniciem, quasi mutuis vulneribus se confoderent. Dicit autem primo in genere, *Replebo ebrietate omnes terræ habitatores*: postea modum illum, quem dixi, explicat. sed postquam de toto populo in genere loquutus est, enumerat *Reges, & Sacerdotes, & Prophetas*: ita nullum ordinem quantumvis honorificum eximit. Et hæc expressio valde fuit necessaria: Reges enim non putabant se debere misceri cum vulgo. Sacerdotes etiam putabant se quasi sacrosanctos: & eadem erat superbia in falsis Prophetis. Jeremias autem sine exceptione omnes quasi eodem fasciculo involvit: quasi diceret, Nec Regum majestas ipsos eripiet Dei judicio, nec sua dignitate salvi erunt Sacerdotes, nec quicquam falsis Prophetis proderit jactare nobile illud & præclarum munus quo funguntur. Non dubium est quin hoc vaticinium plusquam inique acceptum fuerit. scimus enim quibus elogiis ornasset Deus regnum Davidis. quod ad Sacerdotium spectat, scimus etiam fuisse typum Christi: deinde totam tribum Leviticam fuisse sacram Deo. Fieri ergo non potuit quin Jeremias valde exasperaverit omnium animos, quum ita minitaretur tam Regibus, quam Sacerdotibus. Sed hinc colligimus nihil esse in terra tam excelsum, vel illustre, quod non debeat cogi in ordinem, ubi asserenda est Dei potestas & gloria, & simul auctoritas doctrinæ cælestis. Oportet igitur quicquid est in mundo pretiosum & excellens, evanescere, si vel

minimum deroget gloriæ Dei, & fidei doctrinæ ejus. atqui Reges & Sacerdotes audebant se opponere verbo Dei. Non mirum igitur, si Propheta illos detrehit è sua altitudine, & ostendit asse similes lagenis: & ita pedibus calcat fluxam illam gloriam, qua volebant obscurare Deum ipsum. Et quia nomen Davidis erat quasi sacrum in populo illo, Propheta ut omnem fiduciam illis excutiat, dicit, Quamvis sedeant Reges in solio Davidis, & sint ejus successores ac posteri, non tamen illis parcet Deus. Et hinc etiam apparet quam stolide nobis hodie Papalis clerus obtrudat sua privilegia, & suam dignitatem. Certe quicquid sibi arrogent illi nebulones, non possunt tamen se æquare Leviticis sacerdotibus. atqui videmus nihil illis profuisse, quod Deus illos sibi sanctificaverat, ex quo abusi fuerunt potestate sua. non est igitur quod hodie Papa cum suis, hoc est, cum tota sua fæce superbiat. Nunc ergo tenemus summam verborum, quum Deus tam Reges quam Sacerdotes & Prophetas nominat. Interea notandum est non hic agi de fidelibus Prophetis, sed tantum eos intelligi qui larvam gestabant, quum tamen quisquilias afferrent loco tritici, quemadmodum alibi videbimus. Ergo catachristicôs ponitur hic nomen Propheticum, quia transfertur ad falsos doctores: quemadmodum hodie dum loquimur de bestiis illis, qui jactant se esse Episcopos & Prælatos, & Præsules: concedimus quidem illis titulum, sed interea non sequitur vere & merito censeri tales, quamvis verbo tenus sint Episcopi. Ergo eadem ratione Jeremias de Prophetis titularibus hic loquitur, qui tamen prorsus alieni erant ab illo munere. Postea adjungit quod nuper attigi de collisione mutua. *Faciam* ergo *ut sese conterant mutuo*, vel confringant. qui vertunt Dispergere, quomodo exponent quod mox subjicit? *Virum ad fratrem suum, patres & filios simul.* certe Dispersio non quadraret. Ergo videmus sensum longe melius fluere, *collidam ipsos*, nempe *unumquemque ad fratrem suum:* deinde, *faciam ut patres confligant cum filiis, atque ita conterantur mutuo quasi conflictu.* Et ideo dixi non tantum vaticinari Jeremiam de populi clade, sed modum etiam cladis designari: quia scilicet vacui prudentia sese ultro & citro perdent, quasi essent devoti in mutuam perniciem. Scimus fuisse etiam gloriatos sua multitudine: atqui ostendit Propheta adeo nihil fore præsidii in multis copiis, & in magno numero hominum, ut hæc potius futura sit causa interitus: quia scilicet Dominus illos excæcabit, ut inter se confligant, & ita pereant absque externo hoste. Postea subjicit, *Non parcam, non parcam, non miserebor.* Tertio repetit se non fore illis propitium. satis fuisset hoc semel dicere, si tanta fuisset docilitas & attentio, ut animos arrigerent ad minas sibi propositas: sed in illo torpore oportuit sæpius idem repeti, non quasi aliqua esset obscuritas in re, sed quia vix ulla vehementia efficax erat cordibus adeo obstinatis. Nunc ergo videmus cur Propheta sæpius idem dicat, & tamen non utatur supervacuo sermone: quemadmodum quoties inculcat Deus promissiones gratiæ suæ, non profundit verba temere, & sine delectu: sed quoniam videt tantam esse in nobis segnitiem, ut non sufficiat una promissio, hæc ratio est cur nos pluribus verbis confirmet. ita etiam ubi videt homines propter socordiam non moveri, neque terreri suis minis, illas inculcat, ut plus habeant ponderis. In summa, denunciat actum esse de hoc populo, nec jam se vocare adeo impios & rebelles ad pœnitentiam, sed loqui tanquam cum hominibus desperatis. hæc summa est. Dicit, *Donec consumam ipsos.* hoc ad totum corpus pertinet: interea tamen potuit mirabiliter Deus, & occultis modis servare reliquias, ut alibi visum fuit. sed tamen vindictam, quæ hic denunciatur, exegit Deus de toto populo: quoniam ille fuit quasi generalis interitus, quum omnes tracti sunt in exilium & varie dispersi. Quemadmodum autem in tam horribili clade Dominus nunquam tamen oblitus fuit fœderis sui, quin semen aliquod maneret salvum, & incolume: ita etiam quod hic dicitur, *non miserebor donec consumam*, non pugnat cum illa Dei misericordia, quæ alibi prædicatur. pronunciat enim se esse longæ patientiæ, & multum in misericordia. *Num.* 14. *vers.* 18. *Psal* 103. *vers.* 8. Deus ergo quamvis tam horrendo exemplo populum suum perdiderit, non tamen exuit tunc suam naturam, neque misericordiam suam abjecit, sed incomprehensibili modo ita exequitur sua judicia adversus reprobos, ut tamen nihil depereat ex ejus perpetua misericordia, & simul etiam fidelis maneat in sua electione. Sequitur,

15. Audite & auscultate, ne elevemini, quia Jehova loquutus est.

Hic Propheta clarius ostendit quod diximus, nempe tam præfracta fuisse ingenia cum quibus agebat, ut necesse esset subigi diversis rationibus. Neque enim frustra hanc exhortationem adjunxit, quæ in se continet indignationem: nec vero sine stomacho hæc protulit, *Audite & auscultate, & ne elevemini, quia Dominus est qui loquitur.* Ergo hinc colligere licet fuisse vel derisum Jeremiam, vel non magno in pretio habitum ejus sermonem apud Judæos. hoc enim significet quum dicit *Deum loquutum esse:* quia si sponte fuissent persuasi, afferri ab ipso quod Deus injunxerat, fuisset hoc supervacuum. sed alibi videbimus fuisse æstimatum quasi impostorem, & fuisse etiam vexatum multis conviciis, & maledictis. Hic ergo vocationem suam ab illorum calumniis & probris vendicat, quum dicit *Deum loquutum esse:* nam his verbis affirmat se nihil afferre proprium, sed loqui velut ex ore Dei, vel, quod tantundem valet, se esse organum Spiritus sancti pronunciat, ut intelligant se frustra cum ipso contendere, quia certamen futurum sit illis cum Deo. Et huc etiam pertinet quod dicit, *Audite & auscultate.* nam videbat non uno tantum modo esse surdos vel torpidos, sed opus habere pluribus stimulis. Et simul etiam causam notat, & fontem mali, quum dicit, *Ne elevemini.* Ergo contumaciæ illorum causa erat superbia, quod scilicet auderent obstrepere Deo: quemadmodum etiam principium obedientiæ est humilitas, ubi homines agnoscunt se nihil esse, & deferunt Deo quod illi debetur.

Da omnipotens Deus, quamvis naturaliter simus vasa fictilia, & tanta sit nostra fragilitas, ut sponte diffluat: deinde etiamsi firmiores essemus, non tamen possimus propria virtute stare: da, inquam, ut virtute tua suffulti, vere gloriemur de perpetuitate salutis nostræ, non quidem freti ullo terreno præsidio, sed quoniam dignatus es nos eligere in populum: & interea sic cursum vitæ nostræ prosequamur, ne perfidia nostra excludamus à nobis tuam gratiam, sed tibi locum demus, ut magis ac magis nos donis, quæ pertinent ad spem futuræ vitæ, locupletes, donec tandem perveniamus ad plenam & solidam fruitionem in regno tuo cælesti nobis repositam per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA TERTIA IN JEREMIAM.

16. Date Jehovæ Deo vestro gloriam, priusquam obtenebrescere faciat, (*tenebras immittat*) & priusquam offendant pedes vestri ad montes tenebrarum, speretisque lucem, & ponat in umbram mortis, ponat in caliginem.

PRosequitur Jeremias sententiam illam, quam heri cœpimus exponere: quoniam videbat Judæos parum moveri sua doctrina, jubebat ipsos reputare quicquid docebat profectum esse à Deo, ac nihil ipsos proficere sua superbia. Nunc subjicit eodem sensu: *Date gloriam Jehovæ Deo vestro*, inquit. Date gloriam Deo, alibi accipitur pro verum profiteri, interposito ejus nomine. Nam quum Jehosuah adjurat Achan, utitur his verbis,
Josua 7. vers. 19. Da gloriam Deo fili mi, hoc est, quoniam ego tibi propono Deum judicem, cave ne mentiendo putes te posse effugere illius judicium. Sed hic Dare gloriam Deo, tantundem valet, atque tribuere quicquid illi proprium est, vel agnoscere ejus potestatem, ut se ejus verbo subjiciant. Si enim fidem detrahimus Prophetis, fraudamus Deum sua gloria: quia hoc modo non movemur ejus potestate, etiam gloriam ejus, quantum in nobis est, diminuimus. Ubi enim consistit Dei gloria, nisi quum agnoscimus esse fontem omnis sapientiæ, & justitiæ, & virtutis? ac præsertim ubi ad sacrum ejus os contremiscimus? Ergo quisquis Deum non timet ac reveretur, quisquis fidem non adhibet ejus verbo, ille spoliat eum sua gloria. Nunc ergo videmus omnes incredulos, etiamsi aliud ore testentur, reipsa hostes esse gloriæ Dei, & eam exinanire. quod diligenter notandum est: quia omnes horrent tale sacrilegium, & tamen nemo est qui sibi caveat. Videmus ergo quam doctrinam contineat hæc loquutio: quasi diceret, hactenus Judæos contumeliose cum Deo egisse: quia coram ipso non tremerent, quia non haberent fidem ejus verbo. nunc tempus esse, ut sibi proponant illum judicem: deinde ut sciant, credendum esse quicquid pronunciat per servos suos. Dicit, *Antequam tenebras inducat*. Alii accipiunt simpliciter pro obtenebrescere. sed quia est verbum Hiphil, active potius exponi debet. Quod quidam subaudiunt nomen Solis, mihi videtur absurdum. neque enim Sol dicitur tenebras obducere suo occasu. Sed videtur etiam tolli omnis ambiguitas Prophetæ verbis: paulo post in secundo membro addit, *Et ponat lucem in umbram mortis, ponat in caliginem*: quibus verbis haud dubie Propheta Deum designat. Similiter ergo subaudiendum initio versus nomen Dei. *Antequam* ergo *Deus tenebras immittat, & antequam offendant pedes vestri in montibus* נשף, obscuritatis. נשף significat vesperum, & crepusculum, significat etiam obscuram lucem ante exortum auroræ: sed capitur sæpe pro tota nocte. Possumus vertere, Montes densitatis. Sed non dubium est, quin obscuritatem designet hac voce. Metaphorice quidam volunt per Montes intelligi Ægyptum: quia illuc confugere solebant Judæi in rebus adversis: sunt autem in montibus tutiores recessus, quam in planitie. sed nescio an sensus hic satis conveniat. Malim potius exponere acsi esset similitudo: ac omnino ita convenit. sæpe autem omittitur particula כ, quæ est nota similitudinis. Ne impingatis ergo, vel *ne impingant pedes vestri quasi in montibus obscuris*. Nam magis lucet in locis æqualibus, quam in montibus, quia sæpe angustas vias occupant tenebræ: Sol non potest illuc usque penetrare: deinde non tam cito vesperascit in locis planis, sicuti in angustiis montium. Neque enim summitates intelligit Propheta, sed valles contractas, quæ vix obliquos Solis radios paucis horis recipiunt. Verum quid si ita vertamus? *Antequam impingant, vel offendant pedes vestri ad montes caliginis*. nam אל etiam hoc significat: quasi diceret Propheta, tam densam fore caliginem, ut montes sibi oppositos non cernant: sed quemadmodum in crepusculo, vel tenebris viator offendit ad minimum lapidem, ita etiam ubi est crassior caligo, montes non cernuntur. Sæpe igitur fiet, ut quis ad montes offendat, & prius sentiat pedibus ac manibus obstaculum, quam oculis percipiat. Quantum ad me spectat, prorsus hanc expositionem existimo esse genuinam. *Antequam ergo offendant pedes vestri ad montes nocturnos*, hoc est, ad montes tenebrosos. Postea adjungit, *Ubi speraveritis lucem, ponat eam in umbram mortis*: nam צלמות, ut alibi diximus, Grammatici putant nomen esse compositum à צל, umbra, & מות, quod mortem significat: & vertunt tenebras mortales. *Antequam ergo ponat Deus lucem in tenebras, ponat in caliginem*, inquit, *date illi gloriam*. Et hinc melius cognoscimus quod nuper attigi, nempe verbum יחשיך debere referri ad Deum. Sed hæc summa est, posse ipsos occurrere judicio Dei, si mature se illi permittant tanquam judici suo: deinde reverentius amplectantur ejus verbum, quam prius fecissent interea denunciat spem illorum fore vanam, si lucem sibi promittant. Sciendum vero lucem hic metaphorice accipi, ut aliis pluribus locis: & tenebras etiam ex opposito. Tenebræ igitur significant res adversas, lux autem significat pacem & prosperum statum. proinde dicit Propheta Judæos falli, si putent felicitatem sibi fore diuturnam, dum ita spernunt Deum, & ejus Prophetas. quare? hoc enim tantundem est, atque ipsum exarmare, vel exuere sua potentia, acsi non esset judex mundi. Summa est, instare horribilem vindictam, nisi mature occurrant Judæi, atque Deo se subjiciant. Nunc sequitur,

17. Quod si non audieritis hoc, in arcanis (*hoc est, in secreto*) lugebit anima mea à facie superbiæ, (*hoc est, propter superbiam*) & lachrymando lachrymabitur, & descendet oculus meus in lachrymas: (*de hac loquutione vidimus cap. 9. Diffluet ergo oculus meus in lachrymas. ad verbum, & descendet oculus meus lachryma*) quoniam abductus est grex Jehovæ. *captus est*.

Oblique minatus fuerat Propheta: sed tamen reliqua spes erat veniæ, si in tempore anteverterent Judæi, & coram Deo se humiliarent. Nunc apertius denunciat, cladem certissimam illis incumbere: *Si ergo non audieritis*, inquit, *lugebit anima mea in arcano*. Sed multum ponderis hoc habet dum Propheta significat se finem loquendi facturum: quasi diceret, Nunc quidem adhuc hortari vos non desino,

Num. 14. vers. 18. Psal. 103. vers. 8.

sino, quia Dominus ita mandavit: sed nullum erit remedium, si more vestro obdurescitis contra doctrinam. Nihil ergo mihi restabit, nisi ut me abscondam, inquit, in latebras, & illic plorem: quia Propheticum munus apud vos cessabit, tanquam indignos hoc Dei beneficio. Non ponit simpliciter, *Si non audieritis*: sed addit etiam demonstrativum pronomen, *Si non audieritis hoc.* poterant enim eacipere Judæi se non esse Deo immorigeros: & habebant Prophetas, quemadmodum heri visum fuit, qui suis blanditiis eos fallebant. Propheta ergo non loquitur confuse, quia fuisset illud nimis frigidum: sed diserte exprimit, *Nisi audiant quod dixerat* proximo versu. *Nisi ergo detis gloriam Deo*, ego, vobis relictis, inquit, aut valere jussis, abdam me in angulum aliquem, & illic deflebo vestras miserias. ubi Propheta nihil sibi relinquit præter fletum, significat actum esse de ipsis, & salutem eorum esse desperatam. Summa est, non semper habituros quod nunc spernunt, nempe ut moneantur à servis Dei: quoniam si perrexerint contemnere omnes prophetias, Deus subducet ab illis talem gratiam. Interea ostendit Propheta quo affectu vaticinatus fuerit. etsi enim quum sciret mandatas sibi esse præconis partes, animose denunciabat Judæis illam cladem, quam vidimus: tamen aliquid misericordiæ semper vigebat in ejus animo, ut defleret illorum obstinationem, quæ futura illis exitialis erat. Ergo utrumque affectum conjunair Propheta, nempe ut libero & intrepido spiritu denunciaret Judæis vindictam: & tameo simul valeret apud ipsum humanitas, & sympathia. Addit causam, nempe *quia captus sit grex Jehovæ.* Potuit quidem Jeremias simul rationem habere sui sanguinis. Quum ergo videret gentem, ea qua oriundus erat, misere perire, fieri non potuit, quin luctu prosequeretur ipsorum cladem: sed præcipue respexit Dei gratiam. quod etiam videmus in Paulo. Nam quamvis commemoret genus se ducere *Rom. 9. v. 3.4.5.* ab Israëlitis, & hanc causam assignet cur anathema cupiat esse à Christo propter ipsos: alia tamen de causa tantopere commendatos fuisse apparet: quia paulo post subjicit, Quod illorum sit fœdus, quod originem à Patribus duxerint, quod ex ipsis descenderit Christus secundum carnem, qui est Deus benedictus in secula. Paulus ergo tantum honoris ac pretii defert beneficiis illis quibus ornati fuerant Judæi, ut cupiat se pro eorum salute quasi projicere in mortem, imo cupiat esse anathema à Christo. Minime dubium est hoc etiam respectu Jeremiam nunc addere, se concedere in recessum, vel latebras, ubi deploret populi sui excidium, *quia sit grex Jehovæ.* Videmus ergo ut ad lachrymas eum impellat fœdus Dei, quod videt quodammodo intercidere populi culpa. Sequitur,

18. Dic Regi, & Dominæ, Humiliamini, (*Descendite*) sedete, (*hoc est, jacete*) quia descendet à capitibus vestris corona decoris vestri. *alii vertunt, Descendet altitudines vestræ, pro altitudo vestra, & appositive legunt quod sequitur, Corona decoris vestri.*

Hic Propheta jubetur sermonem recta dirigere ad Regem Joakim, & matrem ejus. Hic enim nomen Dominæ non capitur pro Regina, quæ esset uxor Joakim, sed pro matre, quæ tunc erat imperii socia, & cujus auctoritas multum pollebat. Minime autem dubium est, quin Deus hoc modo magis excitare voluerit plebis animos, quum ostenderet se Regi quidem & Reginæ parcere. Sed hinc etiam colligimus quod ante visum fuit, doctrinam Propheticam excellere supra omnem mundi altitudinem. Dictum enim prius fuit Jeremiæ, Argue montes, & corripe colles: deinde, Ecce ego constitui te super re- *Jer. 1. vers. 10.* gna, & super populos, ut diruas, ut evellas, & quæ sequuntur. Hoc diligenter notandum est: quia Reges, & quicunque in mundo eminent, putant singulari privilegio se non tantum solutos esse legibus, sed etiam immunes ab omni jugo modestiæ & pudoris. hinc fit, ut despiciant ex sua altitudine & Deum, & ejus Prophetas. Hic ergo ostendit Deus, se hac lege verbo suo instruere Prophetas, ut claudant oculos ad omnem mundi splendorem, nec personas accipiant: sed detrahant omnem altitudioem, & quicquid in mundo excellit, in ordinem cogant. Paulus etiam docet hac potestate omnes Euangelii mini- *2 Cor. 10. vers. 5.* stros esse præditos: Data est, inquit, nobis potestas adversus omnem altitudinem quæ se extollit contra Christum. Et hinc notandum est, quicunque electi sunt ad munus docendi, non posse probe implere suas partes, nisi & Reges, & Reginas audeant libere aggredi, & intrepido spiritu: ne scilicet verbum Dei tantum ad plebeios vel obscuros homines restringatur, sed subjiciat sibi omnes à minimo usque ad maximum. Fuit haud dubie hæc prophetia non parum acerba tam Regi quam toti populo: sed oportuit Jeremiam suo munere defungi. Et hoc etiam fuit necessarium: quoniam Rex Joakim, mater etiam ejus putabant fieri non posse, ut unquam detraherentur ex Regali solio. Jubet igitur *ipsos descendere, & jacere*, hoc est, jubet oblivisci pristinæ suæ magnitudinis. Neque enim simpliciter hortatur ipsos ad pœnitentiam, sed ostendit, quando ita præfracti sunt in sua superbia, instare illis pœnam ignominiæ: quia Dominus invitos prosternet. Ergo non est exhortatio, qua Propheta ipsos erudiat: sed tantum prædicit quod minime putabant, nempe frustra eos gloriari, quia paulo post Dominus eos non sine probro dejiciet. Et hoc patet ex ratione addita: *Quoniam descendet*, inquit, *corona decoris vestri*, hoc est, detrahetur vobis ex altitudine vestra, ex eminentiis vestris, vel ex capitibus. nam ראשות accipitur etiam pro Capite interdum. sed alii existimant, quemadmodum dixi, hic notari sublimitates, & appositive deinde adjungi coronam illam magnificam. Ego omiseram unum (nisi fallor) quod dixerat Propheta de superbia. *Nisi audieritis hoc, in arcanis* &c. *à facie superbiæ.* Subaudiunt Interpretes à facie superbiæ vestræ, hoc est, propter superbiam qua turgebant Judæi ipsi. Sed ego in diversam partem magis inclino: quod scilicet Propheta loquatur de superbia, vel de magnifica potentia hostium, à quibus sibi tunc Judæi nihil metuebant. Quum ergo tam essent securi, dicit Propheta: Ego igitur seorsum deflebo, inquit, & anima mea lachrymando lachrymabitur: imo oculus meus defluet in lachrymas propter superbiam hostium, quæ ita vobis est contemptibilis. Nunc pergamus.

19. Urbes Austri clausæ sunt, & nemo qui aperiat: traductus est, (*vel transmigravit*) Jehudah totus, translatus est perfecte, *perfectione, hoc est, in totum abductus est in captivitatem.*

Per *urbes Australes* omnes fere intelligunt urbes tribus Jehudah, cujus portio vergebat ad Meridiem: & exponunt urbes illas clausum iri, quoniam erunt desertæ. dicuntur enim apertæ urbes quæ frequentantur. sed hic etiam cogor aliud sentire. Proprie igitur accipio *urbes Austri* pro Ægyptiacis urbibus. Scimus enim

enim Judæos illuc spectasse quoties instabat tumultus ab Assyriis, vel Chaldæis. Quoniam ergo putabant sibi Ægyptum esse quasi asyli instar, ideo denunciat Propheta *clausum iri omnes illas urbes, nec fore qui eas aperiat:* quasi diceret, Dominus vos excludet atque arcebit ab illo perfugio. Nam apertius certe loquutus fuisset de urbibus Jehudah: deinde quum esset Jerosolymæ, fuisset hæc loquendi ratio ambigua, & quasi contorta: & paulo post loquetur de Assyriis, quos scilicet Septentrionales. Nunc ergo admonet ipsos, Ægyptum fore illis clausam: quum tamen sperarent se fore illic in tuto, & tolerabile exilium esse illis quasi in manu. Quum ergo stulte confiderent se receptum iri ab Ægyptiis, Propheta dicit *portas illis fore clausas, & neminem etiam fore qui ipsas aperiat.* nunc sequitur, *Traductus est Jehudah totus, traductus perfecte*, hoc est, omnes in Assyriam migrabitis, & Babylonem, quæ est Septentrionalis regio, quemadmodum postea sequitur.

Rom. 9. v. 3. 4. 5.

20. Levate oculos vestros, & aspicite venientes ab Aquilone. Ubi grex qui datus fuerat tibi? oves decoris tui?

Videmus ergo hic conferri inter se Ægyptum, & Chaldæam: quasi diceret Propheta, Quoties aliquid vobis affertur de Chaldæis, convertitis oculos in Ægyptum, quasi esset illic vobis tranquilla sedes. atqui Deus vos arcebit ab accessu illius perfugii: *sed aspicite, aspicite*, inquit, hostes, qui ex adversa parte veniunt, nempe à Chaldæa. *Tollite* ergo *oculos.* quoniam nimis affixi erant præsenti suæ quieti, ideo jubet *oculos tollere*, hoc est, longius aspicere, quam soliti sint. Tandem dicit, *Ubi grex qui datus fuerat tibi? & oves decoris tui?* Per commiserationem Propheta sic loquitur. Videt enim in Spiritu totam terram desertam: & per admirationem quærit, Quid hoc sibi vult, gregem esse dissipatum, qui tibi datus fuerat? (nam alloquitur populum sub persona mulieris, ut sæpe alias.) In summa, confirmat quod ante dixit, nempe se venturum in latebras, si populus non moveatur ejus doctrina, ut illic seorsum deploret cladem: sed aliis verbis, dum innuit se solum esse oculatum. alii enim cæcutiebant: quia Deus etiam abstulerat illis mentem, & judicium. Propheta ergo hic videt horrendam vastitatem, quæ paulo post futura erat, & ideo quasi attonitus interrogat, ubinam sit grex ille, quo Deus locupletaverat terram? deinde ubi sint oves, in quibus fulgebat magnificus decor? Sequitur,

21. Quid dices, quum visitaverit super te? Et tu (*hoc est, Atqui tu*) docuisti (*hoc est, assuefecisti*) illos super te duces in caput: annon dolores apprehendent te tanquam mulierem parturientem?

Quoniam videbat Propheta Judæos nondum affici, longius eos vocat, & proponit illis quod tunc erat incredibile, nempe cladem illam, à qua putabant se suis subsidiis facile posse defendi. Dicit ergo, *Quid tunc dices?* nam obstrepebant, & simulac verbum facere cœperat Jeremias, audacter prosiliebant falsi doctores, & vulgus etiam ipsum proterve obganniebat. Quum ergo tam petulanter obsisterent Deo & ejus doctrinæ, significat Propheta venturum tempus, quo obmutescent præ pudore: *Quid dices*, inquit, *tunc?* hoc est, vos estis nunc nimium garruli, & Deus non potest à vobis impetrare aliquam audientiam: sed compescet hanc vestram proterviam, ubi hostis vos afflixerit. Tantundem valet acsi diceret, Tunc non erit vestræ loquacitati tempus: quia Dominus comprimet vos silentio. Quidam hoc ad Deum referunt, *quum visitaverit:* sed potius debet intelligi de Chaldæis. nam continuo post adjungit, *Tu vero assuefecisti illos.* Est quidem enallage numeri, sed quæ satis trita est Prophetis. quum singulari numero utitur, caput ipsum exercitus respicit: postea vero comprehendit omnes copias. *Quid ergo dices quum hostis te visitaverit?* Postea addit, *Et tu tamen:* hoc est, si velis alio conferre culpam, quum Assyrii & Chaldæi te obruent, frustra id conaberis. nam patefecisti illis aditum, *& assuefecisti ut essent duces tui in caput tuum*, inquit. Nam multo ante ab Israelitis acciti fuerant Assyrii: deinde fœdus contraxerant Judæi cum Chaldæis adversus Assyrios antequam conjunctæ essent illæ monarchiæ. Quum ergo illos in auxilium vocassent, assuefecerant regnare, & quasi imposuerant ipsos suis cervicibus. quemadmodum si Turcæ hodie in Europam trajicerent atque illic dominarentur, posset regibus Gallorum, & eorum consiliariis dici, Cujus culpa ita facile ad vos penetrarunt Turcæ? nempe quia stravistis illis iter per mare, nempe qui pretio eos comparavistis: deinde portus vestri illis fuerunt aperti. atqui adeo pro sua libidine exercuerunt magnam sævitiam adversus vestros subditos: hæc omnia à vobis profecta sunt. estis igitur vos auctores omnium malorum. Sic etiam nunc exprobrat Propheta Judæis, *quod assuefecissent Chaldæos, ut essent ipsorum duces:* & quoniam locaverant ipsos in suis capitibus, dicit non esse mirum si nunc sint tam onerosi & graves. Postea dicit, *Annon dolores te apprehendent quasi mulierem parturientem?* Hac similitudine significat, Judæos nihil consequi vanis spebus: quoniam subito, quum dixerint, Pax & securitas, obruet ipsos interitus, quem minime exspectant. Scimus sæpe hanc similitudinem occurrere, quæ aptissima est. nam gravida mulier hilaris erit, & secure epulabitur, & ludet: corripiet autem ipsam repentinus dolor. Sic etiam impii non sustinent quicquam triste audire, & procul à se depellunt omnem timorem. Sed quo magis se obstupefaciunt, eo gravius persequitur illos Dei vindicta: idque repente, & præter opinionem. Quoniam ergo incredibile erat Judæis, Chaldæos paulo post venturos, qui terram vastarent; ideo dicit, *Certe dolores te apprehendent*, etsi eos non exspectas. etiam mulier gravida non cogitat de propinquo dolore: & tamen dolor non ideo potest ab ipsa depelli: sic neque vos quicquam proficitis, dum ita secure vobis promittitis perpetuam pacem. Ego hodie non absolverem quod sequitur, si longius progrederer. differam igitur in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando tam sumus pigri ad te audiendum, imo quando occupati sunt sensus nostri tot vanitatibus, & nobisipsis mentimur: da, inquam, ut Spiritus tuus sic nobis illuceat, ne contemnamus minas, ut prævenire discamus mature judicium tuum, & sic consequamur veniam, ut memores tuæ misericordiæ, prosequamur cursum nostræ vocationis, donec tandem recipiamur in beatam illam quietem, quæ nobis parta est ab unigenito Filio tuo, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA QUARTA

IN

J E R E M I A M.

22. Quod si dixeris in corde tuo, Cur (*vel, Ut quid*) hæc mala acciderunt mihi? (*occurrerunt mihi*) in multitudine (*hoc est, propter multitudinem*) iniquitatis tuæ discoopertæ sunt fimbriæ tuæ, & nudati calces tui. *vel plantæ tuæ nudatæ sunt.*

ITerum Propheta justum hoc fore Dei judicium pronunciat, de quo antehac vaticinatus fuit. scimus enim hypocritas, donec sæpius convicti fuerint, non facere finem rixandi cum Deo. Volunt enim semper etiamsi non possint in totum se excusare, tamen extenuare aliqua ex parte suam culpam. Propheta igitur hic tergiversandi materiam illis eripit, ac pronunciat tali mercede esse dignos. Sed notanda est etiam loquutio qua utitur: *Si dixeris in corde tuo*, inquit. Neque enim hypocritæ tantum sibi arrogant coram mundo justitiam, sed seipsos decipiunt. & diabolus falsa persuasione ipsos dementat, ut etiam coram Deo velint justi censeri. Hoc igitur exprimit Propheta quum dicit, *Si dixeris in corde tuo*: hoc est, si tacito murmure litigare cum Deo voles, tamen erit in promptu responsio: *nempe propter multitudinem iniquitatis tuæ discoopertas esse fimbrias tuas, & calces tuos nudatos.* Multitudinem iniquitatis vocat illam obstinatam malitiam, quæ fuerat in Judæis: quia non destiterant longo temporis progressu iram Dei provocare. nam si semel tantum peccassent, vel uno in genere fuissent culpabiles, erat aliqua spes veniæ: saltem non tam duras pœnas exegisset ab illis Deus. Sed quoniam continua fuerat series peccandi: ideo Propheta demonstrat non fuisse æquum, illis amplius parcere. Quod ad similitudinem pertinet, sæpe hac loquendi forma Prophetæ utuntur: Nudare plantas, & fimbrias discooperire. Scimus enim homines vestiri non modo ad arcendum frigus, sed etiam ut corpus suum verecundiæ causa tegant. Duplex, inquam, est usus vestium: alter necessitatis, alter honestatis. Quum igitur vestes in hunc finem sint compositæ, ut tegant quæ honeste non possunt & sine probro palam ostendi: ideo Prophetæ quum dicere volunt aliquem exponi ad publicam ignominiam, utuntur hac formula. Postea sequitur,

23. An mutabit (*sic proprie vertitur*) Æthiops pellem suam, & pardus maculas suas? (*aut, varietates: nam nomen hoc duplicatum deducitur à* חבר, *quod significat congregare. significat etiam livorem: accipitur vero hic pro maculis*) etiam tu poteris ad benefaciendum, doctus ad malum?

Hoc versu affirmat Deus populum ita obduruisse in sua pravitate, ut nihil de ejus resipiscentia sperandum sit. hæc summa est. Fuit autem hæc valde acerba objurgatio, quum diceret Propheta deploratos esse suos populares: quia prorsus se ad scelera addixerant, ut amplius non essent sanabiles. Utitur autem comparatione: *Poteritne*, inquit, *Æthiops mutare pellem suam?* Nigredo adhæret cuti Æthiopum, quemadmodum satis notum est. Ergo si quotidie centies laventur, non tamen exuent suam nigredinem. Idem etiam de pardis, vel pantheris dicendum est. scimus animal illud esse maculis respersum. Quum igitur talis sit varietas in pardo, vel panthera, excoriabitur quidem animal illud, sed non mutabit propterea colorem. Videmus nunc quid velit Propheta, nempe Judæos longa consuetudine ita esse corruptos, ut resipiscere nequeant: quoniam scilicet diabolo se mancipaverint, ut non sint compotes mentis, nullum sit amplius in illis judicium, vel discrimen boni & mali. Docti homines nostro seculo non satis prudenter locum hunc traxerunt in disputationem, quum vellent probare non esse in homine liberum arbitrium, nec homines posse suo Marte converti ad Deum, vel resipiscere. Neque enim de natura hominis hic simpliciter agitur: sed de habitu qui contrahitur ex longa consuetudine. Aristoteles, qui fuit magnus assertor liberi arbitrii, tamen fatetur non esse in potestate hominis bene agere, quum ita vitiis suis imbutus est, ut jam sibi ademerit liberam electionem, 7. lib. Ethicon: & hoc etiam docet experientia. Videmus ergo locum hunc perperam tractum fuisse ad probandam sententiam, quæ per se vera est, & multis Scripturæ locis optime confirmatur. Jeremias ergo hic non respicit quæ sit hominum natura, vel quid afferant ex utero: sed invehitur adversus Judæos, qui contraxerant talem habitum ex longo peccandi usu. Quoniam enim obduruerant ad male agendum, dicit non posse resipiscere: & ita hærere, vel infixam esse malitiam in ipsorum cordibus, sicuti pelli Æthiopum adhæret nigredo, & maculæ similiter adhærent vel pardis, vel pantheris. Interea colligitur ex hoc loco utilis doctrina, nempe sic corrumpi homines dum peccatis assuescunt, & sibi etiam indulgent, ut diabolus ipsis adimat omnē recte agendi studium: denique ut sint prorsus incurabiles. quemadmodum videmus etiam contingere in morbis: nam morbi chronici ut plurimum sic pervertunt quicquid sanum erat ac sincerum in corpore, ut tabes paulatim invalescat. Ubi ergo corpus sic longa tabe infectum est, nulla est spes sanitatis poterit quidem protrahi vita, sed non sine continuo languore. Quantum autem ad spirituales morbos pertinet, ubi putredo intimos sensus corrupit, fieri non potest ut quis resipiscat. Interim tamen notandum, hic non disputari de potentia Dei, sed tantum ostendi omnes eos, qui obduruerunt in suis vitiis, quantum ad ipsorum ingenium spectat, esse incurabiles, & desperatos. Deus autem potest etiam ex profundissimis inferis educere qui centies sunt desperati. At vero hic, quemadmodum dixi, Propheta non respicit Dei potentiam, sed tantum damnat suos populares, ne querantur Deum nimis aspere agere. Summa igitur est, non debere ipsos mirari, si Deus nihil spei relinquat: quoniam sunt sua obstinatione deplorati, ut non possint novos mores induere, postquam tam longo tempore assueverunt ad omne malum: *Etiam*, inquit, *tu poteris ad benefaciendum*, hoc est, tune applicabis studium tuum ad justitiam, *qui edoctus es ad malum?* hoc est, qui nihil hactenus didicisti, nisi malefacere? Nunc tenemus Prophetæ consilium, nempe importune eos à Deo petere veniam, qui prorsus callum ex longo peccandi usu contraxerint, ita ut sint insanabiles. Postea sequitur,

24 Et

24. Et dispergam (*vel dissipabo*) eos quasi stipulam transeuntem ad ventum deserti.

Est illatio, quam deducit Jeremias ex proxima sententia. quamdiu enim eliquid resipiscentiæ speratur, locus etiam clementiæ esse debet. Deus sæpe affirmat se esse longæ tolerantiæ. Possent igitur etiam pessimi quique objicere Deo, ipsum nimis esse rigidum, quod non expectet, dum redeant ad sanam mentem. Dixerat autem Propheta actum esse de populo illo. hic itaque objectioni simul occurrit, & demonstrat ultimam illam cladem juste infligi à Deo: quia pertinaciter Judæi in suis vitiis atque etiam sceleribus obduruerint. Quum ergo ostenderit ita pravitatem illis esse penitus infixam, ut adhæret cuti Æthiopum nigredo, ut maculæ pantheræ, jam concludit: *Ego dissipabo*, inquit, *ipsos quasi stipulam, quæ transit ad ventum deserti.* dissipatio hæc exilium designat: quasi diceret, Ego profligabo eos, ut sentiant se privatos hæreditate, in qua salus & felicitas ipsorum consistit. Judæi enim hoc solo gloriabantur, se esse Dei populum, quod Templum apud ipsos erectum esset: deinde quod habitarent in terra sibi promissa. Putabant igitur Deum quodammodo sibi esse affixum, quum illa hæreditate fruerentur. Ideo Jeremias denunciat *fore similes stipulæ, quæ expellitur à vento.* Ponit *ventum deserti*, hoc est, Meridionalem, vel Australem, cujus maxima fuit vehementia in illis partibus. Scimus Austrum quoque esse pestiferum: deinde magis turbatur aër vento Meridionali, quam aliis. concitat enim turbines, & procellas: ideo Scriptura ubi turbulentum aliquem motum vult exprimere, sæpe hanc similitudinem usurpat. Alii putant Jeremiam elludere ad Ægyptios: sed non video cur hic quærenda sit subtilior expositio, quum ratio hæc loquendi passim trita sit. Ergo per similitudinem venti Australis Deus significat maximum impetum vindictæ suæ: quasi diceret, Etiamsi putent Judæi firmam sibi esse stationem in terra promissa, decipi hac stulta opinione, quoniam summo impetu ipsos Deus expellet. Et comparat eos stipulæ, quum tamen jactarent se esse arbores plantatas in terra illa: & vidimus paulo ante fuisse quasi Dei manu plantatos: sed non egerant vivam radicem pietatis. Oportuit igitur instar stipulæ ipsos longe profligari. Quare discamus ex hoc loco non abuti Dei tolerantia. nam quamvis suspendat pœnas, quas sumus meriti, ad tempus aliquod: ubi tamen videt nos pergere in sceleribus, tandem descendit ad illud ultimum, nempe ut nos tractet tanquam desperatos, absque ulla clementia. Sequitur,

25. Hæc sors tua, portio mensurarum tuarum à me, dicit Jehovah, quæ oblita es mei, & confisa in mendacio.

Non dubium est quin Propheta Judæis eripere velit inanem fiduciam, qua superbiebant adversus Deum, quum tamen prætenderent ejus nomen & gratiam. Dicebant se terram illam adeptos esse jure hæreditario, quoniam promissa fuerat patri eorum Abrahæ: hoc quidem verum erat. dicebant terram illam esse requiem Dei: & id habebant à Prophetis. dicebant Deum esse suam hæreditatem: hoc quoque erat verum. sed quum perperam abuterentur Dei nomine, ideo illis excutit perversas illas jactantias. dicit igitur, *Hæc sors tua.* Atqui dicebant ipsi, Quum Dominus divideret Gentes, sors ejus cecidit in Israël.
Deut. 32. vers. 8. sic enim loquitur Moses. Ergo quum solerent arripere sententiam illam, ut Deum postea luderent, hic Propheta ex opposito admonet, stulte eos confidere de sorte illa, quoniam Deus illos abdicaverit, neque pro filiis jam agnoscat, quum essent degeneres, ac perfidi. *Hæc*, inquit, *est sors tua.* Videmus subesse antitheses in his verbis: Deus erat sors populi, & hic erat vicissim sors Dei, quemadmodum jam citavimus: erant hæreditas Dei, & jactabant Deum esse hæreditatem suam: terra erat symbolum & pignus illius hæreditatis, nunc dicit Propheta, *Hæc erit tibi sors, portio mensurarum tuarum à me.* Alludit ad antiquum morem. solebant enim funibus partiri agros & prædia, quemadmodum postea decempedis usi sunt: & hodie etiam *perticas* vocamus, mensuras illas, quæ adhiberi solent in agris & prædiis. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Significat enim Judæos frustra, & temere, ac stulte gloriari, quòd Deus sit ipsorum hæreditas: quoniam pro filiis jam ipsos non agnoscat. & simul denunciat, longe aliam sortem ipsis paratam esse, longe etiam aliam partem hæreditatis, nempe ut ejiciat ipsos Deus è terra promissa, quam polluerant suis sceleribus. Ita videmus, non esse temere ac falso prætextum Dei nomen. Nam si nos dignatus est in populum eligere, vicissim præstanda est ei fides: & si ab ipso deficimus, haud dubie eadem impietatis merces nos manebit, quam hic minatur Jeremias suis popularibus. Fruemur ergo sic Deo, & Christo, & omnibus beneficiis quæ nobis per Euangelium obtulit, ut non timenda sit nobis hæc ultio, quæ Judæis contigit. Adjungit rationem: *Quia oblita es mei*, inquit, *& confisa es in mendacio.* Per Mendacium intelligit Propheta non tantum superstitiones quibus se implicaverant Judæi, sed perversa illa consilia quæ captabant, quum nunc ad Ægyptios, nunc ad alios impios confugerent, ut opponerent Deo ejusmodi subsidia. Nam quoties aliquid instabat periculi, putabant sibi in promptu esse remedium, si vel Ægyptios haberent propitios, vel Assyrios, vel Chaldæos. Nomine igitur Mendacii comprehendit Propheta perversas illas cogitationes, quum vellent se tueri adversus Deum, qui poterat ipsos sua virtute defendere, nisi quum necesse erat pœnas exigere de ipsorum sceleribus. Hoc igitur damnat Jeremias in populo, *quod spem in mendacio posuerit*, hoc est, quod sibi accersiverit hinc inde vanas fiducias: & interea non respexerit ad Deum, imo putaverit se fore tutum, quum Deus esset infensus. & ideo adjungit, *Tu oblita es mei.* fieri enim non poterat, ut Judæi salutem peterent vel ab Ægyptiis, vel aliis profanis gentibus, vel etiam ab idolis suis, nisi abjecto Deo. si enim hoc probe fuisset infixum eorum mentibus, Deum habere curam salutis ipsorum, haud dubie contenti fuissent ejus præsidio. Ergo hinc potuit ingratitudo eorum convinci, quod ita transfugerent ad spes vanas, & impias: quia hoc erat derogare tantundem Deo, & detrahere ex ejus potentia, quasi non sufficeret ad eos servandos. Nunc sequitur,

26. Et etiam ego nudabo (*vel discooperiam*) fimbrias tuas in faciem tuam, (*super faciem tuam*) & aspicietur ignominia tua. *Potest etiam in præterito tempore exponi hic versus: sed quoniam vaticinium est, ideo non insisto curiose in verbis aut in syllabis: sed sensum duntaxat respicio. quanquam non male etiam conveniet, si vertamus in tempore præterito, quasi Propheta de re jam facta disserat.*

Continuat suam doctrinam: quod scilicet Deus non sine justissima causa tam severus sit adversus populum. Neque enim postulandum fuit, ut mitius ageret, quum populus, eo rejecto, sic raperetur post vanas fiducias. *Ego quoque*, inquit. nam particula גם denotat aliquid mutuum: quasi diceret, Ego quoque vices meas habebo: nam ratio mihi est in manu, qua me ulciscar: quasi diceret, Ego retaliabo hanc tuam ingratitudinem: nam sicuti me contempsisti, ita ego te exponam probro, & ignominiæ. fuerat enim Deus indigne spretus à Judæis, quum in ejus locum substituerent Ægyptios, & sua idola. potuitne majore ignomioia ab illis affici, quum ejus gloriam transferrent ad impios, & ad sua figmenta? Videmus ergo pondus sobesse in hac particula גם quum dicit, *Ego quoque nudabo*, vel discooperiam, *fimbrias tuas super faciem tuam*, hoc est, rejiciam fimbrias tuas super faciem tuam. Hæc ratio loquendi sæpe occurrit apud Prophetas. quemadmodum jam exposui, significat retegere pudenda: quemadmodum si impudica mulier damnetur ad hoc dedecus sustinendum, nempe ut vestibus rejectis, trahatur in publicum, ita ut omnes abhorreant à tam fœdo spectaculo, & pudendo. Deus, quemadmodum ante vidimus, locum mariti tenebat *cap. 3.* in populo illo. Quum ergo fuisset tam improbe contemptus, nunc dicit hanc ultionem sibi esse in promptu, ut rejiciat super faciem populi fimbrias: ut scilicet ignomioia vel turpitudo appareat in partibus pudendis. Postea sequitur,

27. Adulteria tua, & hinnitus tuos, cogitationem scortationis tuæ super montes in agro vidi, abominationes tuas: væ tibi Jerusalem: non mundaberis posthac? quousque adhuc?

Hic pluribos verbis exequitur Propheta quod ante dixi, nempe populum juste puniri à Deo, & quidem ita graviter, quoniam non uno in genere Deum provocaverat, ut diximus, sed diu & obstinate perstiterat in suis sceleribus. Porro quum variæ essent scelerum species, Propheta non enumerat omnes hoc loco. nam alibi vidimus fuisse non tantum deditos superstitionibus, sed etiam fuisse & scortatores, & ebriosos, & addictos rapinis & violentiis: verum hic tantum de superstitionibus ipsorum loquitur, quod scilicet rejecto Deo, sequuti fuerint sua idola. Nam per Adulteria haud dubie metaphorice significat idololatrias. neque enim hic loquitur de scortatione, quæ tamen omnium regnabat in populo illo: sed tantum accusat populum, quia desciverat ad impios & perversos cultus. Et huc etiam spectat quod addit, *Hinnitus tuos*. nam alibi etiam scimus hac similitudine probrose exprimi furiosum illum impetum, quo rapiebantur Judæi ad sua figmenta. significat quidem interdum exultare: nam verbum צהל est exultare. sed hic, quemadmodum etiam cap. 8. vidimus, accipitur pro hinnitu. Dicit ergo, *Adulteria tua, & hinnitus tuos*. hoc autem longe turpius est, quam si dixisset cupiditates. Scimus enim exaggerari hac comparatione crimen: quod scilicet non vesana modo & tantum humana intemperie flagrarent, quemadmodum adulteri post scorta sua feruntur: sed quod essent similes equis, vel tauris. *Adulteria* igitur *tua, & hinnitus tuos*. deinde, *cogitationem*, inquit, *scortationis tuæ*. nam זמה hic accipitur pro Cogitatione: & hæc est propria vocis significatio. accipitur quidem sæpe in malam partem: sed non dubito, quin Propheta hic colorem abstergere voluerit, quo se fucabant Judæi, quum dicerent sibi in animo esse, colere Deum, quamvis multos ritus cumularent, qui non erant in Lege præscripti. Propheta igitur hic etiam magis ipsos urget, quod scilicet intus sint pleni impudicitia: quasi diceret, Non tantum de apertis flagitiis vos accuso, sed intus fervetis libidine: quia impietas sic occupat omnes sensus vestros, ut Deus nullo sit apud vos loco. quemadmodum mulier impudica nihil aliud cogitat quam spurcos suos amores, & rapitur post suos adulteros: sic etiam vos prorsus addicti estis vestris scortationibus. Quidam legunt seorsum, & dicunt in nominativo casu, Adulteria tua, & hinnitus tui, & cogitatio scortationis tuæ super montes. postea adduot, *In agro vidi abominationes tuas*. sed mihi magis probatur perpetuus contextus: ita comprehendo omnia sub verbo ראיתי *Adulteria* igitur *tua, & hinnitus tuos, cogitationem scortationis tuæ super montes in agro vidi, abominationes tuas*: appositive lego hoc postremum. Hic autem inducit Propheta Deum loquentem, ne tergiversentur Judæi, atque se excusent. ergo ostendit, Deum, cujus proprium munus est scrutari & excutere corda, esse idoneum judicem. Dicit autem, *Super colles, & in agro*. scimus tunc altaria fuisse erecta in collibus: nam in lucis putabant melius coli Deum, & ideo nullus erat lucus, nulla sylva, imo fere nulla arbor in qua non imaginarentur aliquid divinum. Hæc ratio est, cur Propheta dicat, *abominationes eorum fuisse visas à Deo tam in collibus quam in planitie*. Adjungit *agros*: quasi diceret jam non sufficere ipsis colles ad perversos cultus, ubi profanent verum Dei cultum, sed etiam planos agros repleri iisdem abominationibus. Nunc ergo tenemus summam hujus doctrinæ: quod scilicet frustra Judæi cavillis elabi studeant, quando ex adverso pronunciat Deus *se vidisse*: quasi diceret, Desinite afferre in medium vestras excusationes: ego enim quicquid adduxeritis non admittam, quia res à me jam est cognita. Pronunciat autem esse *abominationes*, deinde *adulteria, & hinnitus*: tandem adjungit, *Væ tibi Jerusalem*. Hic confirmat Propheta quod ante vidimus, nempe Judæos non habere causam justæ querimoniæ: quia scilicet Deum nimis provocaverant. ergo hæc particula *væ*, significat jam exitio suo juste esse addictos. Postea quærit, *an nunquam resipiscent*? Quanquam autem varie exponitur postrema hæc pars versus: & nescio an poterit hodie expediri: tamen ego breviter sensum perstringam. Hieronymus videtur legisse, אחרי, Post me: Non ergo redibis post me? quasi Deus hic hortari vellet Judæos, ut tandem ad ipsum redeant, quia paratus esset ad reconciliationem. Sed quoniam est simpliciter, אחרי, & potuit legere sine punctis, ideo non discedam à recepta lectione. Sed in sequentibus etiam est alia difficultas: quia variant interpretes in voce מתי עד, hoc est, Quousque adhuc? Quocunque modo accipere libeat, satis refellit opinionem Hierooymi, (quod mihi exciderat) nempe quod impropria esset illa maledictio, & absurda: Væ tibi Jerusalem: non mundaberis post me: quid enim id sibi vellet? Ergo necesse est ita legere, ut habent omnes codices, *Non mundaberis posthac*? hoc est, tandem? quidam tamen affirmative legunt, Non mundaberis posthac: quasi dictum esset, Tu non poteris mundari, nisi quum te ejecero in exilium. Sed sensus ille nimis est argutus, meo judicio. Simpliciter igitur accipio, *Jerusalem, non mundaberis posthac? & quousque adhuc?* quasi Deus iterum argueret duritiem populi, quemadmodum vere arguit. Dicit ergo, *Non mundaberis tandem?* nam עד, accipio pro Tandem. Postea sequitur amplificatio מתי עד, Quousque adhuc? hoc est, non facies unquam finem? & non potero hoc tandem abs te impetrare, quum toties te exhorter, & quum videas me non facere hortandi finem? quousque tandem ista tua obstinatio me arcebit, ut non possim te ullis sanis monitionibus subigere? hæc est summa.

Da omnipotens Deus, quando nos semel purgasti unigeniti Filii tui sanguine in hunc finem,

ut

ut te vera cordis pietate colamus, deinde ut studeamus etiam vitam nostram componere ad regulam justitiæ tuæ, ut memores nostræ vocationis sic tibi nos probare conemur, quo nomen tuum per nos glorificetur: & procul valere jussis omnibus pollutionibus, cap. 3. retineamus simplicem cultum tuum, atque ita sub verbo tuo nos contineamus, ne abripiamur post vanitates, & impias superstitiones mundi hujus, & pergamus ad eum scopum, quem nobis proponere dignatus es, donec tandem colligamur in regnum illud tuum cæleste, in quo fruamur hæreditate, quam nobis peperit idem Unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA QUINTA IN JEREMIAM.

CAP. XIV.

Quod fuit verbum Jehovæ ad Jeremiam super verbis prohibitionum.

Quenquam non exprimit Propheta sibi fuisse divinitus prædictum quod nondum acciderat, potest tamen facile colligi probabili ratione, fuisse vaticinium, quod spectaret ad futurum tempus. De hac sterilitate nihil legitur in Sacra historia. Dubium tamen non est, quin Deus insolito modo Judæos afflixerit, quemadmodum prius contigerat tempore Achab. Quum ergo instaret siccitas, unde futura erat gravis penurie, voluit ante tempus hoc prædictum Judæis, ut sentirent non fortuito hanc siccitatem contigisse, sed esse signum vindictæ Dei. Et scimus quoties aliquid adversi contingit, causas quæri in mundo, ita ut nemo fere manum percutientis respiciat. Ubi autem annus est sterilis, consulimus astrologiam, & putemus hoc fieri ex concursu stellarum: ita judicium Dei nobis evanescit. Quum ergo tot obstacula sibi fingant homines, quæ ipsos impediant à considerando judicio Dei, necesse fuit, antequam sterilitas, cujus hic fit mentio, accideret, Prophetam aperte concionari, & rem ipsam quasi digito ostendere, quamvis adhuc esset abscondita. Dicit ergo *sermonem Dei sibi fuisse datum super sermonibus prohibitionum.* Quanquam דבר significat rem, & negotium, ut satis scitur, videtur tamen hic notari mutuus respectus inter דבר, verbum Dei, & דברים. dicit enim, על דברי הבצרות quoniam scil. Judæi de illa sterilitate multos sermones ultro citroque inter se haberent, quemadmodum fieri solet: ubi aliquid rarum, & inopinatum nobis contingit, quisque sententiam profert atqui Prophete verbum Jehovæ opponit hominum sermonibus: quasi diceret; Postquam hinc inde quæsierint penuriæ illius causas, tamen hanc esse unam, quod scilicet Deus pœnas exigere vellet de ipsorum sceleribus. *Prohibitiones* nominat sterilitatem: quia quamvis momento possit perdere ac corrumpere Deus quicquid ad maturitatem jam pervenit, ut tamen ostendat se præsto habere omnia elementa ad obsequium, retinet cælum quum ita placet: & ideo dicit, In illa die exaudiet cælum terram, & terra exaudiet segetem, & seges exaudiet homines. Osea 2. v. 21.22. Nam quia hic ordo nobis ante oculos positus est, fieri non potest quoties esurimus, quin oculi nostri ad triticum & panem se convertant. atqui non nascitur triticum, nisi ex terræ fœcunditate: terra autem non potest ex se quicquam gignere, nisi succum & vigorem è cælo trahat sic etiam ex adverso dicit, Dabo vobis cælum æneum, & terram ferream. Lev. 26. vers. 19. Videmus ergo rationem hujus vocis, quum *Prohibitiones* Propheta nominat siccitatem cæli, & terræ sterilitatem: quia terra quodammodo viscera sua nobis aperit, quum gignit fruges in alimenta nostra: cælum etiam sese diffundit, quum inde pluvia fluit ad terram irrigandam. sic etiam Deus cælum & terram cohibet, & claudit liberalitatem illam, ita ut ad nos non perveniant. Nunc sequitur,

2. Luxit Jehudah, & portæ ejus debilitatæ sunt: (*vel dissipatæ*) obtenebrati sunt in terra, (*referunt quidam ad portas, sed malo ad homines referre*) & clamor Jerusalem ascendit.

3. Et proceres eorum (*hoc est, qui pollent dignitate*) miserunt minores (*hoc est, homines plebeios, & mercenarios*) ad aquas: venerunt ad cisternas, non invenerunt aquas, reversi sunt cum vasis inanibus: (*vel reversa sunt vasa eorum vacua*) confusi sunt, & erubuerunt, & operuerunt caput suum.

Propheta his verbis significat, fore tantam penuriam, quæ sit apertum & illustre signum vindictæ Dei. nam si usitatis modis nos Deus puniat, plerumque referimus hoc ad fortuitos casus. & diabolus etiam semper occupat mentes nostras in causis inferioribus. Ergo Propheta hic pronunciat non posse rem insolitam adscribi naturalibus causis, ut terra in tantam penuriam incidat, sed esse extraordinarium aliquod judicium Dei. hæc ratio est, cur tot figuris utatur. Poterat quidem uno verbo exprimere gravissimam fore in terra famem: sed vix centesimus quisque fuisset motus simplici illo sermone. Propheta igitur ut corrigeret stuporem, vehementiore stylo usus est: ideo dicit, *Luxit Jehudah.* Quanquam de futuro tempore verba facit, more tamen suo & aliorum, præteritum tempus usurpat certitudinis causa: significat tamen luctum fore in Jehudah. Postea, *Portæ ejus*, inquit, *debilitatæ sunt*, vel dissipatæ. synecdoche est in nomine Portarum: urbes enim designat. Sed quum judicia solerent exerceri in portis, & illic essent frequentes hominum conventus, ideo dicit portas redigendas esse in solitudinem, Ita ut vix unusquispiam illic appareat. Tertio adjungit, *Obtenebrati sunt ad terram*, vel affecti sunt mœrore, per translationem: propria tamen hæc est verbi significatio, quod *obtenebrati essent.* dicit, *ad terram:* quasi diceret sic projectum iri ut jaceant in pulvere, neque audeant attollere capita, neque etiam possint: inedia scilicet ac fame attriti. Videmus ergo quid intelligat, nempe tantam fore penuriam, ut homines prostrati decumbant, & quodammodo quærant sibi tenebras: quemadmodum fieri solet, ubi lucem fugitando proni in terram jacemus: testamur enim tunc nos frui nolle communi luce, quia nobis odiosa sit. Et hinc clarius elicere possumus quod dixi, nempe Prophetam vehementer stylum attollere, quo magis Judæos afficiat, dum agnoscunt non fieri hoc naturali aliqua vel communi causa, quod terra tam sterilis est, sed esse signum vindictæ Dei. Postea adjungit, *Clamor Jerusalem*

ascendit. Hic exprimit desperationem. nam in rebus dubiis solemus deliberare, & excogitare remedia. ubi autem destituimur consilio, nec spes ulla nobis apparet, tunc perrumpimus in clamores. Videmus ergo hoc poni tanquam signum extremæ desperationis: quod scilicet *clamor Jerosolymæ ascendet*: quia non habebunt locum querimoniæ, ut curas suas & dolores quisque in sinum proximi sui exoneret, sed omnes ejulabunt. Postea subjicit, *Proceres eorum mittent plebeios ad aquas*. Aliquid etiam insolitum voluit Propheta notare: quod scilicet magni, qui auctoritate præditi erunt, vulgus impellent, & cogent ad hauriendam aquam. *Miserunt* ergo, inquit, pro imperio scilicet, qui poterant aliis præcipere, *miserunt eos ad aquas: venerunt*, inquit, *ad cisternas*, (per גבים intelligit fossas profundiores) hoc est, venerunt ad puteos. alii vertunt Cisternas. Sed quod ad summam rei pertinet, non dubium est, quin Propheta significet venturos esse ad puteos profundissimos, quemadmodum fieri solet in magna siccitate. nam arescunt interdum multi fontes, putei etiam in excelso siti, sed in vallibus manet aliquid humoris: ideo illic solent hauriri aquæ. deinde sunt aliqui putei ex quibus aqua perpetuo scaturit, neque unquam exhauritur illa fertilitas. Voluit igitur Propheta notare tales puteos. *Venerunt* ergo, inquit, *ad puteos*, quibus putabant posse sibi aquam subministrari. dicit, *Non invenerunt aquas, reversi sunt cum vasis suis inanibus*, aut vacuis. Nunc perspicimus quod dixi, nempe Prophetam hic coarguere stuporis Judæos, quod non sentiant Deum sibi esse infestum, ubi naturæ ordo, qui perpetuo fluere debebat, sic deficit. Sæpe contingunt siccitates, quas in plerisque locis sequitur aquarum defectus. verum ubi nullus puteus aquam suggerit, ubi etiam in locis humidissimis ne gutta quidem reperitur, hinc colligere oportet, Deum maledixisse populo, qui nusquam reperit potum: nulla enim in parte Deus liberalius egit cum mundo, quam in potu. Jam non agitur de vino: sed videmus ut fontes sponte passim scaturiant: deinde ut fluvii perlustrent regiones. adhæc putei industria hominum fodiuntur: sunt etiam cisternæ in quibus asservatur pluvia, si forte locus aliquis sit aridior. Ubi autem neque in cisternis quicquam est residuum, & fontes etiam ipsi potum denegant, hinc certe cognoscitur extraordinaria Dei vindicta: quod hic exprimere voluit Jeremias. ideo dicit *confusos fuisse, erubuisse, & cooperuisse caput suum*. Jam sequitur,

4. Propter terram afflictam, (*contritam, vel scissam: quum enim verbum hoc proprie significet conterere, non dubito quin Propheta hic terram vel pulverulentam, vel concisam significet*) quia non fuit pluvia in terra, confusi sunt agricolæ, (*vel pudefacti sunt: repetit illud verbum* בוש) & cooperuerunt caput suum. (*etiam eandem dictionem repetit.*)

Dixerat Propheta, Etiamsi totum vulgus ad aquas mittatur, tamen nusquam repertum iri: jam adjungit idem de agricolis. *Pudefient*, inquit, *agricolæ*, *quia terra in pulverem vertetur*, & Deus ipsam conteret. nam ubi cælum suppeditat aliquid succi, terra hoc modo soliditatem suam retinet: sed in gravissimo æstu videmus ut terra quasi liquescat in pulverem, perinde acsi in mortario pulvis esset attritus. *Propter terram*, inquit, *afflictam, quia non est pluvia, pudefient agricolæ, & cooperient caput suum*: nempe quia mœror non tantum ipsos constringet, sed etiam incutiet pudorem, ita ut lucem fugiant, & conspectum hominum. Hæc omnia tendunt in eundem finem, ut sentiant Judæi non fortuito se carere aquis, sed quia Deus terræ ipsorum maledixerit, ne potum suggereret, etiam pro communi ratione naturæ. Sequitur,

5. Quin etiam cerva in agro peperit, & deseruit: (*nempe fœtum suum*) quia non fuit herba.

6. Et onagri steterunt super excelsa, (*diximus de hoc nomine: super labia, vel eminentias, vel rupes*) traxerunt ventum (*hauserunt*) sicut serpentes: defecerunt oculi eorum, quia non fuit herba. *utitur alio nomine: posuerat* שפא *prius, nunc ponit* שפי, *sed eodem sensu.*

Jam ad bruta quoque animalia descendit Jeremias. hactenus dixit homines fore siticulosos, deinde terram ipsam, ita ut attoniti sint agricolæ: nunc dicit etiam onagros & cervas fore consortes hujus inopiæ. *Cerva*, inquit, *peperit in agro*: quod fieri non solet: sed dicit tantam fore penuriam, ut cervæ prosiliant usque ad loca plana. scimus cervas errare in locis solitariis, & illic quærere suum pabulum, & non ita se projicere: quia ingenita est illis timiditas, ne se exponant periculo. Dicit autem, Cervæ ipsæ, quæ gravidæ erunt, cogentur tum venire in agros præ fame, & illic parient, deinde aufugient. atqui præferunt foetus suos propriæ vitæ. Sed Propheta hic ostendit prodigium fore in illa Dei vindicta quæ instabat, ne Judæi ignorent & cælum, & terram, & omnia elementa armari à Deo, quoniam ita meriti sint. Quin etiam *pariet*, inquit, *cerva in agro*: deinde, *deseret fœtum suum*. cur autem pariet in agro? nempe quia non reperiet in montibus, & in sylvis, & in solitis pascuis herbam. idem etiam de onagris addit: *Onagri steterunt super rupes*, inquit: & tamen scimus hoc animal perferre diu inediam. sed Propheta, quemadmodum dixi, ostendere voluit perspicuas fore notas vindictæ Dei in illa penuria. *Steterunt* ergo *onagri super rupes*, *& illinc hauserunt ventum tanquam serpentes*. quia magnus est ardor in serpentibus propter calorem internum, coguntur ventum haurire, ut temperent interiorem æstum, quo uruntur. Dicit Propheta *onagros fore similes serpentibus*: quia urentur, inquit, longa fame, ut quærant cibum in ipso vento, vel respiratione. Tandem subjicit, *Defecerunt oculi eorum, quia nulla est herba*. Nunc tenemus summam hujus vaticinii. voluit scilicet Deus non tantum Judæis prædici quod futurum paulo post erat, sed etiam monstrari quasi digito suam vindictam, ne pro more suo ad causas inferiores se conferrent: sed scirent se justas pœnas scelerum dare, quoniam prodigiosa erat illa penuria, utpote quæ modum naturæ excederat. Nunc sequitur,

7. Si iniquitates nostræ testificantur contra nos Jehovah, fac propter nomen tuum: quia multiplicatæ sunt aversiones nostræ, in te scelerate egimus.

Non dubium est, quin Propheta hic hortari voluerit Judæos suo exemplo ad veniam deprecandam: neque tamen suscepit in se ita aliorum personam, acsi immunis esset ab omni culpa. Neque enim justior erat quam Daniel, qui tamen, ut vidimus, testatur se non populi tantum, sed propria etiam peccata confessum esse coram Deo. Jeremias etiam quamvis non esset ex Dei contemptoribus, vel profanis illis,

illis, qui ita iram Dei provocaverant, tamen quia unus erat ex populo, conjunxit se cum reliquis: idque fecit sincero affectu, non per simulationem. Atqui poterat tacitas preces concipere domi suæ: cur ergo hanc precandi formam promulgavit? cur voluit quasi publicis tabulis consignari? nempe ut populum, quemadmodum jam dixi, moveret suo exemplo, ut omnes suppliciter ad Dei misericordiam confugerent, & peterent scelerum suorum veniam. hoc igitur fuit Prophetæ consilium. Ita videmus, vaticinium de futura fame & penuria fuisse editum, ut populus iræ Dei obviam iret per pœnitentiam. scimus enim etiamsi Deus gladium arripuerit, posse tamen placari, ut est natura exorabilis. deinde hic finis est omnium vaticiniorum, ut præveniant homines conscii suorum scelerum, præveniant fide & pœnitentia exitium, quod illis instat. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium in hoc loco. primum dicit, *Etiamsi iniquitates nostræ testificantur.* verbum ענה propie significat respondere: sed accipitur etiam pro testificari, sicuti hoc loco: Domine, inquit, hic non est cur litigemus tecum, vel expostulemus, vel quæramus cur tam severe nobiscum agas: facessant omnes excusationes: *nam peccata nostra testificantur contra nos:* hoc est, etiamsi neque Angeli, neque homines nos accusent, tamen conscientia nobis sufficit ad nos damnandos. quomodo enim iniquitates nostræ contra nos testificantur? nempe ubi sentimus nos esse obnoxios judicio Dei, & teneri certo reatu. quantum ad reprobos spectat, iniquitates eorum clamant in cælum,
Genes. 18 v. 20, 21. sicuti de Sodoma dicitur. Sed Propheta hic videtur aliquid plus velle exprimere, nempe quod Judæi non possent subterfugere, quin faterentur se dignos interitu. dicit jam, *Propter nomen tuum facias.* Videmus ut initio Propheta se & totum populum condemnet: quasi diceret, Domine, si non ad dicendam causam cites, nihil melius est quam nos damnari ore proprio: nam iniquitates nostræ ad damnationem sufficiunt. quid igitur restat? hoc unum remedium sumat Propheta, ut Deus propter nomen suum populum servet: quasi diceret, In nobis reperiemus tantum damnationis materiam: pete igitur à teipso, ut nos absolvas: quoniam quamdiu nos respicies, necesse est ut nos abomineris, & ita sis rigidus judex. ergo desinas de nobis quærere, & nos vocare ad rationem. tu igitur mutuare à teipso, inquit, ut nobis parcas. Postea addit, *Quia multiplicatæ sunt aversiones nostræ, & in te scelerate egimus.* His verbis ostendit Propheta se non defunctorie tantum, ut hypocritæ solent, fateri peccata, sed serio agnoscere quot modis rei essent Judæi, si Dominus jure cum ipsis agere vellet. Nunc quia tenemus summam verborum, discamus ex hoc loco: non alium esse rationem placandi Dei, nisi ut propter nomen suum nobis sit propitius. Et hac doctrina refellitur quicquid stulte non minus quam superbe commenti sunt Papistæ de satisfactionibus. sciunt quidem sibi opus esse Dei misericordia: nemo enim tam excæcatus est in Papatu, qui non sentiat arcanos morsus propriæ conscientiæ. ita sancituli illi, qui Angelicam perfectionem sibi arrogant, tamen coarguuntur à seipsis, & necessitate urgentur ad petendam veniam: sed interea obtrudunt Deo suas satisfactiones, & opera supererogationis, quibus compensent sua peccata, & ita se redimant ex manu Dei. Hic autem est insignis locus ad refutandum illud diabolicum delirium, ubi Propheta nomen Dei statuit in medio: quasi diceret hanc solam esse rationem, qua redire possimus cum Deo in gratiam, & consequi ut nos sibi reconciliet, nempe *ut faciat propter nomen suum*, hoc est, ut à seipso causam misericordiæ sumat, quia nullam in nobis reperiet. nam si de seipso hoc prædicat Jeremias, & non ficte: cujus nunc dementiæ erit, tantum nobis arrogare, ut Deo aliquid afferat quisquam nostrum, quo possit ad misericordiam provocari? Sciamus ergo, Deum ignoscere peccatis nostris, non respectu ullius compensationis, sed tantum quia in seipso satis habet causæ, ut nomen suum glorificet. Jam sequitur clarior expositio, & confirmatio hujus sententiæ:

8. Spes Israël, (*vel expectatio:* קוה *est expectare*) servator es in tempore angustiæ: (*vel tribulationis*) cur eris quasi peregrinus in terra? quasi viator divertens ad pernoctandum?

9. Quare eris quasi vir territus? quasi gigas, qui non potest servare? atqui (*copula enim valet hic adversativam*) tu in medio nostri Jehovah, & nomen tuum super nos invocatum est: ne deseras nos.

Dixi confirmari his versibus superiorem sententiam. quum enim Propheta ingessit Deo nomen suum, notanda est causa fiduciæ, qua suffultus fuit: nempe quoniam Deus populum illum elegerat: quoniam promiserat sibi fore in peculium. Jure ergo fœderis nunc Deum appellat Propheta, ut nomen suum glorificet. non potuit hæc precatio communis esse profanis gentibus. Tenemus ergo quomodo Propheta ausus fuerit nomen Dei sic usurpare, ut diceret, *Facias propter nomen tuum.* Proximo loco Deum vocat *spem Israelis:* non quod in eum recumberent Israelitæ, ut decebat. nam decem tribus ab ipso pridem defecerant: deinde tanta invaluerat corruptio in Jehudah, ut vix millesimus quisque posses censeri inter fideles. Spes igitur fere extincta erat in populo. Sed Propheta hic ad perpetuitatem fœderis respicit: quasi diceret, Etiamsi indigni simus quibus fidem serves, tamen quia pollicitus es te semper paratum esse ad opem nobis ferendam, *tu es spes nostra.* In summa, Spei vel expectationis nomen refertur ad promissionem Dei & ad fidei constantiam: non autem ad fidem hominum, quæ fere nulla erat, saltem erat exigua, & in paucissimis. Addit eodem sensu, *Servator eris in tempore afflictionis.* respicit ad tot documenta, quibus testatus fuerat Deus potentiam suam ad servandos fideles. Et diserte ponit nomen *afflictionis:* quasi diceret satis clasis experimentis cognitum fuisse Dei auxilium, quoniam si populus nunquam eguisset auxilio Dei, fuisset obscurior gratia: sed quum sæpe fuisset redactus in ultimas angustias, clarius potuit conspici bonitas & virtus Dei, quum ita ex maximis necessitatibus eripuit miseros. Postea addit, *Quare eris tanquam peregrinus in terra? tanquam viator, qui deflectit pauxillum ex itinere, ut noctem transigat?* Hic notanda est antithesis inter similem peregrinis, & inter perpetuam stationem, de qua postea loquitur. volebat enim Deus nomen suum invocari in Judæa. ergo necesse erat illic residere ejus gratiam, & ideo terram illam vocabat quietem suam: Psal. 132. vers. 14.
deinde pollicitus fuerat per Mosen se fore semper in medio populi. Nec dubium est, quin Propheta sumpserit ex Lege quod hic recitat, *Tu es in medio nostri Jehovah, nomen tuum invocatum est super nos.* Ratiocinatur igitur ab absurdo, ut veniam à Deo impetret, quia si esset inexorabilis, intercideret ac periret fœdus ipsius: quod & absurdum erat, & nullo modo etiam poterat fieri. Dicit ergo, Domine, *quare esses quasi peregrinus, & quasi viator, qui tantum nocte una quærit hospitium,* postea ulterius pergit? Deus, quemadmodum jam dixi, promiserat sibi fore æternam quie-
Exod. 25. vers. 8. & 29. v. 45, 46.

quietem in terra illa, promiserat se fore in Deum populo: hoc ergo fœderi non quadrabat, si Deus transisset per terram. ergo quemadmodum olim defenderat Judæos, & semper salvos atque incolumes præstiterat, etiam in maximis periculis: ita nunc dicit Propheta æquum esse, ut sibi constet, ac maneat semper sui similis. Quantum attinet ad sequentem versum, *Quare eris quasi vir attonitus*, vel territus? ego Territum accipio pro homine sylvestri, quemadmodum si quis diceret nostra lingua, *homme sauvage.* Postea addit, *Quasi gigas qui non potest servare*, hoc est, auxiliator robustus, sed nullius consilii: qui fertur quidem magno impetu, sed deficit, quia frangitur sua mole. ita etiam dicit Propheta hoc non fore consentaneum, si Deus sit tanquam gigas turbulentus, qui cupiat quidem opem ferre, sed nequicquam. Et postquam hæc dixit, nunc subjungit illa antithera, quæ dixi: nempe, *Tu autem in medio nostri es Jehovah, nomen tuum super nos invocatum est: ergo ne deseras nos.* Nunc ergo videmus Prophetam, valere jussis omnibus aliis rationibus, tantum confugere ad fœdus Dei gratuitum, & recumbere in ejus misericordiam: *Tu es*, inquit, *in medio nostri.* Deus seipsum obligaverat pacto suo: nemo enim potest eum obstringere. Deinde, *Nomen ejus invocabatur illic.* an populus aliquid jactare poterat suum in hac invocatione? minime; sed invocatio etiam à gratuito fœdere pendebat. Quum ergo Propheta abjecerit omnem operum dignitatem, & satisfactionum fiduciam; neque aliud residuum sibi fecerit, quam Dei promissionem, quæ etiam ipsa fundata erat in gratuito Dei beneplacito: discamus quoties exorare Deum cupimus, non ingerere nostras satisfactiones, quæ mera sunt stercora, & fœtent coram Deo: sed objicere tantum illi nomen suum, & promissionem, atque adeo fœdus, quod nobiscum pepigit in manu unigeniti Filii sui, & sancivit ejus sanguine.

Da omnipotens Deus, quando quotidie abs te cibum nostrum petere edocti sumus à Magistro quem nobis præfecisti, si quando nos penuria castiges, ut sentiamus juste nos manu tua affligi: deinde, non desinamus, etiamsi durius aliquando nobiscum agas, tamen implorare misericordiam tuam, & certo statuamus te semper nobis exorabilem fore ac propitium, modo ne declinemus à via quam nobis monstrasti, nempe ut Filius tuus nos tibi reconciliet, & sanguis ejus unica sit nostra satisfactio: deinde, ne quid aliud spectemus, etiam in quærenda salute, nisi ut nomen tuum magis ac magis glorificetur in eodem Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SEXTA IN JEREMIAM.

10. Sic dicit Jehovah ad populum hunc, (*vel, de populo hoc: ל utrumque significat*) Sicut dilexerunt ad vagandum, (*hoc est, sicut amarunt vagari*) pedes suos non cohibuerunt, ideo Jehovah non placuit sibi in illis, nunc recordabitur iniquitatum eorum, & visitabit peccata ipsorum.

PRosequitur Jeremias eandem sententiam: sed propius urget Judæos, & ostendit quænam fuerint eorum peccata. Dicit igitur fuisse deditos levitati: sed quum dicit לנוע, quod tantundem valet atque, Ad se movendum, non dubium est quin hanc levitatem opponat quieti, de qua loquitur Jesaias capite trigesimo, quum dicit, Ecce Dominus vobis præceperat, In conversione & spe erit fortitudo vestra, in quiete, in tranquillo statu. *Jesa. 30. vers. 15.* Volebat igitur Judæos non agitare diversa consilia, neque raptari huc & illuc, quum aliquid periculi instabat: sed expectare dum ipse illis succurreret, quemadmodum promiserat. Nunc ergo Jeremias eorum levitatem accusat, quod non potuerint Dei auxilio freti, stabiles manere in proposito, sed cursitaverint ad vana auxilia: deinde fervor ille diabolicus post idola ipsos rapuerit: quemadmodum & alibi dicit Jesaias, Fatigasti te in viis tuis, & absque profectu. *Jesa. 47. vers. 13.* Et hæc doctrina sæpe occurrit apud Prophetas: quod scil. fuerint similes vagis meretricibus, quæ hinc inde quærunt scortatores. Nam magna constabant illis fœdera cum Ægyptiis & Chaldæis: & tamen nullis sumptibus parcebant. Poterant tranquilli expectare Dei auxilium, quod promissum fuerat. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, quum dicit *eos dilexisse motum*, vel inquietudinem, *& non cohibuisse pedes suos.* Primo enim intuitu hoc videri posset leve delictum: sed si fontem inspicimus, nempe quod Deo & ejus potentiæ diffisi, salutem suam reposuerint in Ægyptiis, vel Chaldæis, hoc fuit nimis indignum & intolerabile sacrilegium. Infidelitas igitur hic damnatur, quia Judæi circumspectaverint ad diversa subsidia: interea Deo nihil fecerint residuum. Hic autem locus observatu dignus est, quia depingitur nobis ad vivum infidelitas. Certum quidem est etiam filios Dei non esse ita tranquillos, ut nunquam sibi metuant, non sint solliciti vel anxii, nihil periculi exhorreant: sed tamen quamvis fideles conturbent multæ inquietudines, & curæ, & anxietates, & metus, Deus tamen semper ipsos retinet, & intus fidei soliditas salva est, quamvis contingat ipsos in speciem non tantum concuti, sed etiam titubare, vel labascere. Sed Deus justam mercedem rependit incredulis, qui derogant ejus potentiæ, dum salutem suam reponunt in hominibus, vel idolis: quia nusquam reperiunt ubi consistant. Fatigantur ergo, & sine profectu. hac de causa dicit, *Propterea non placebit sibi Jehovah in illis*, hoc est, Deus animum ad illos non adjiciet: imo, inquit, *nunc recordabitur iniquitatum, & visitabit peccatum ipsorum.* In summa, docet tantam gravitatem scelerum esse in populo illo, ut non sit locus misericordiæ Dei. Postea subjicit,

11. Et dixit mihi Jehovah, Ne ores in gratiam populi hujus in bonum. (*hoc est, ut benefaciam.*)

12. Quum jejunaverint, ego non exaudiam ad clamorem eorum, & quum obtulerint sacrificium & oblationem, ego non habebo gratum: (*est idem verbum: in illis non placebit mihi, non placabor, non ero propitius*) quoniam in gladio, in fame, & peste ego consumam eos.

Primo

supr 7:16 & 11:14. Primo vetat Deus Prophetam orare pro populo, quemadmodum prius etiam vidimus. Tenendum autem quod tunc dixi, debere hanc sententiam intelligi de exilio. Quia ergo jam apud se decreverat Deus populum ejicere è terra promissa, ideo vetitus fuit Propheta orare, quoniam immutabile erat illud decretum. Non igitur simplex est prohibitio, quasi non licuerit Prophetæ veniam à Deo pracari vel totius populi nomine, vel saltem piorum, qui restabant. Potuit enim Propheta orare pro toto populo in genere, nempe ut Deus temporali pœna contentus, saltem miseris illis parceret quoad æternam vitam. Deinde potuit etiam orare pro reliquiis. sciebat enim semen aliquod manere quamvis occultum: imo ipse erat unus è populo: nec sciebat modo aliquos adhuc superesse veros Dei cultores, sed habebat quosdam familiares, quorum pietas satis comperta illi erat. Non ergo præcise Deus exclusit omnes ejus preces: sed hoc restringitur ad pœnam exilii, quæ mox infligenda erat populo. Nisi hanc circumstantiam tenemus, posset videri hæc prohibitio absurda. Scimus enim hoc esse præcipuum inter officia charitatis, ut simus alii pro aliis mu-
Jacob. 5. vers. 16. tuo solliciti coram Deo, & ita quisque precibus suis commendet salutem fratrum suorum. Noluit igitur Deus Prophetam spoliare hoc sancto & laude digno affectu, qui necessario conjunctus est cum pietate: sed voluit ostendere jam frustra agi secum, ut populo remittat pœnam illam, quæ erat constituta. Videmus ergo primum sub nomine Populi non intelligi singulos, quia manebat residuum aliquod semen: deinde videmus non extendi hoc ad æternam salutem, sed potius debere accipi de temporali pœna. Et demonstrativum pronomen indicat contemptum, vel fastidium: quasi diceret, He, quid jam precaberis pro hoc populo, quem apparet indignum esse omni misericordia? pereat igitur ut dignus est. Ita quum dicit לטובה, in bonum, hoc etiam referri ad exilium debet: hoc est, Ne speres quod semel apud me constitui de hoc populo, everti posse ullis precibus. Dabunt igitur quas meriti sunt pœnas, quia eos profligabo è terra. Postea subjicit, *Etiam quum jejunaverint, non audiam ad clamorem eorum, & quum obtulerint sacrificium & oblationem* (מנחה), *non placebit mihi in illis.* Minime dubium est, quin perstringat hypocritas, qui etsi vacui erant omni sinceritate, tamen adhuc profitebantur se esse Dei cultores, & sacrificiis, & jejuniis, aliisque externis ceremoniis volebant hoc testatum esse. Dicit igitur non fore se propitium vel exorabilem, quamvis jejunent, precentur, & offerant sacrificia omnis generis. Dixi hæc verba proprie dirigi ad hypocritas. nam scimus sententiam
Psal. 145. vers. 18. illam manere fixam, Deum esse propinquum omnibus, qui eum invocant, sed in veritate. Quisquis ergo Deum puro corde invocat, fieri non potest, quin gratiam impetret. Nam alibi hoc Deo tanquam inseparabile tribuitur, quod exaudiat preces. Quemadmodum ergo vocatur Deus, ita non potest exuere illud quod in ejus essentia quodammodo residet, nempe *ut preces exaudiat.* Sed hic ostendit nihil sincerum esse in populo: quia etiamsi jejunent, & precentur, ac offerant sacrificia, tamen non vere ipsum colant: quemadmodum prius dixit,
supra 13. vers. 23. Non posse magis ipsos exuere malitiam quæ infixa erat in eorum medullis, quam Æthiops posset mutare pellem, vel panthera maculas suas: sic etiam ostendit hoc loco, quamvis satagant Deum placare externa professione, nihil tamen esse præter mendacium: ideoque irritos fore ipsorum conatus: quia profanant nomen Dei, quum ita crasse illi mentiuntur. hæc summa est. Quod autem hic expressa fit mentio jejunii, hinc apparet, etiamsi nihil desit quoad externum splendorem, tamen Deum semper respicere fidem, quemadmodum vidimus ca-

vers. 3. pite quinto. Deus ergo non moratur quicquid magno in pretio est apud homines, & movet animos. quare? nam respicit fidem cordis. fides illic accipitur pro integritate. Sic ergo abominatur Deus cor duplex & perversum, ut hypocritæ quo majori fervore feruntur ad suas ceremonias, eo magis eum provocent. Poterimus precari quotidie [illegible]: tamen non jejunabimus quotidie. Verum quidem est, preces esse magis intentas dum sumus jejuni: sed tamen Deus non flagitat quotidiana jejunia: atqui idem exigit preces tam vespertinas, quam
1 Thess 5. vers. 17. matutinas: imo singulis horis vult nos assurgere ad implorandam gratiam. Verum ubi conjungitur jejunium cum precibus, tunc preces ipsæ magis sunt acres: quemadmodum fieri solet, ubi vel aliquod discrimen instat, vel aliquod apparet signum iræ Dei, vel quum aliqua nos afflictio premit: tunc non tantum precamur, sed etiam interponimus jejunium, ut simus magis soluti & liberiores ad precandum. Deinde jejunium etiam signum est deprecationis, dum fatemur nos esse reos coram Deo: & ita etiam qui peccarunt, se magis exstimulant ad tristitiam, & alios pœnitentiæ affectus. Perinde igitur est acsi diceret, Etiamsi precentur non vulgari more, & quotidiano, sed adhibitis jejuniis, ita ut in illorum precibus appareat magnus fervor, & quædam singularis attentio, tamen non exaudiam ipsorum clamores: nempe quia, ut dixi, cor perversum erat. Cæterum, colligimus ex hoc loco, jejunium per se non esse officium pietatis, vel exercitium: sed referri in alium finem. Nisi igitur in hunc scopum respiciant quicunque jejunant, ut major sit ad precandum alacritas, deinde ut signum sit humiliationis ad fatendam culpam, præterea ut studeant omnes cupiditates suas subigere: jejunium res est frivola, imo est profanatio cultus Dei propter superstitionem. Videmus ergo non tantum profectu omni carere jejunia, nisi ubi preces accedunt, & ubi finis ille, quem dixi, spectatur: sed provocare iram Dei, quemadmodum solent omnes superstitiones. Polluitur enim ejus cultus. Atqui in Papatu hæc est jejunandi ratio, ut Dei gratiam promereantur: volunt ipsum placare jejunio quasi aliqua satisfactione: volunt jejunium esse opus meritorium. Nunc non disputo de innumeris nugis, quæ illic etiam corrumpunt jejunium. Sed fingamus Papistas non esse superstitiosos in delectu ciborum, in horis, in aliis etiam puerilibus ineptiis, quæ sunt mera ludicra, imo ludibria etiam Dei: fingamus licet esse ab omnibus illis vitiis puros: tamen intentio, ut vocant, nihil aliud est quam diabolicus error, dum statuunt jejunium esse opus meritorium, & satisfactionem, & genus expiationis. Sciamus ergo hic quamvis Jeremias de hypocritis loquatur, tamen breviter notari rectum jejunii finem quum
Mat. 17. vers 21. loquitur de precibus. Sic etiam Christus quum jeju-
Marc 9. vers. 29. nium commendat, adjungit simul preces: idem fa-
1 Cor. 7. vers. 5. cit Paulus septimo capite prioris ad Corinthios. Sed hic notandum est, quamvis hypocritæ in hominum conspectu conjungerent rite preces cum jejunio, tamen fuisse rejectos: quia nulla erat cordis sinceritas, sed tantum externa professio, hoc est, larva. Deus autem, ut vidimus, cor ipsum intuetur: & sola veritas ei placet. Eadem est sacrificandi ratio: *Quum obtulerint sacrificia*, inquit, vel holocausta *& oblationem*, מנחה, id est, quotidianas illas oblationes, *Non audiam illos*, vel non placebit mihi in illis, dicit secundo membro. Certum est sacrificia sine precibus fuisse inania, & frivola. Nam sicuti preces non erunt acceptæ Deo sine sacrificio, ita si separetur sacrificium à precatione, est duntaxat inane spectaculum. Hæc igitur cohærent quasi individuo nexu, Offerre sacrificia, & Precari. Dixi preces non posse Deo gratas esse absque sacrificio. nam quid potest ab homine mor-

tali exire, nisi fœtidum coram Deo? necesse igitur est preces nostras sanctificari, ut Deo placeant. Sola autem ratio dedicationis est in sacrificio Christi. Quum sub Lege offerrent sacrificia, adjungebant simul preces: & hac ceremonia probtebantur se indignos esse qui votum aliquod conciperent, nisi sacrificium intercederet. Ponit igitur hic Propheta quæcunque Deus in Lege præceperat: sed ostendit hypocritas semper avellere quod præcipuum est ab ipsis externis signis. Signa quidem per se Deus non negligit, neque repudiat: sed ubi veritas separatur, hæc corruptela est intolerabilis. Sciamus ergo, quamvis in externo cultu nihil possit desiderari, tamen abominabile esse Deo quicquid tentamus, nisi præcedat cordis sinceritas. Dicit, *Quin* (sic enim interpretor particulam כי) *Quin consumam eos*, nempe *gladio, & fame, & peste*. Tria hæc excidii genera commemorat, ut certo statuant Judæi sibi esse pereundum: quemadmodum alibi dicitur, Qui evaserit à gladio, peribit fame: & qui famem superaverit, peribit peste. In summa, ostendit Deus se armatum esse variis pœnarum generibus, ita ut non possint ullis effugiis se eripere ab excidio, qui sic eum provocarunt, ut abstulerint spem veniæ. Poterat quidem Deus consumere eadem pœna Judæos: deinde poterat generaliter, & nulla specie expressa illis minari: sed quoniam increduli semper sibi effugia promittunt, ideo voluit constrictos tenere à dextra & sinistra, ut scirent se undique esse conclusos, nec ullum posse effugium inveniri. hæc summa est. Sequitur,

13. Et dixi, O, ho, Domine Jehovah: ecce Prophetæ dicunt illis, Non videbitis gladium, & fames non erit vobis: quoniam pacem veritatis (*id est, stabilem*) dabo vobis in loco hoc.

Non dubium est quin Propheta retulerit quod apud Deum deposuerat: sed tamen habet respectum populi. Precatus igitur fuit in hunc modum, ut refert: sed quæ seorsum, & sine teste vota conceperat, nunc profert in medium, ut Judæos revocet ab impietate. Colloquium autem hoc Jeremiæ cum Deo non parum valuit ad tangendos Judæos, quia perinde acsi ipsos adduceret in rem præsentem, proponebat quod ipse audierat ex ore Dei. Nunc igitur tenemus cur arcanas suas preces ita promulget. non facit jactantiæ causa, sed quoniam inde fructum poterant colligere Judæi. Voluit igitur eorum utilitati consulere, dum illis patefecit quod prius sine ullo arbitro deposuerat in sinum ipsius Dei. *Dixi ergo, Ho Domine.* Hic utitur dolentis particula, Ho: & ita exprimit quanta populi sui cura tangatur, dum non aliter anxius est de illius interitu, quam suo ipsius. Potest tamen esse particula stupentis, quasi Propheta ipse esset attonitus, *Quid hoc, ô Domine?* Et certe non male conveniet hæc admiratio, ut Judæi exhorreant una cum ipso, quum vident fuisse quasi abreptum illis fallacibus vaticiniis, quibus decepti fuerant. Dicit igitur, *Quid hoc Domine Jehovah? nam Prophetæ dicunt illis.* Hic pondus habet nomen Propheticum: quasi diceret, Non sponte ita insaniunt, ut sibi pacem promittant, te invito; sed ipsi etiam Prophetæ, qui nomen tuum proferunt, ac jactant, illi sunt auctores hujus tam crassæ securitatis. *Dicunt enim, Non videbitis gladium, fames non continget vobis: imo dabo vobis.* Hic induunt personam ipsius Dei. neque enim dicunt, Dabit vobis Deus pacem firmam: sed, Dabo vobis. Videmus ergo Prophetam hic exhorrescere, dum falsa vaticinia comparat cum oraculo quod ex ore Dei acceperat. *Prophetæ* igitur *dicunt.* Honorificum erat illud nomen; conjunctum etiam cum imperio, & auctoritate ipsius Dei. *Prophetæ* igitur ipsi, qui videntur præditi esse auctoritate cælesti, & qui videntur abs te missi esse, acsi Angeli essent, illi *promittunt pacem firmam*: neque vulgari modo, sed magnifice, acsi te in medium sisterent, & si ex ore tuo proferrent suas fallacias, *Dabo vobis.* Nunc ergo tenemus quorsum tendat Propheta. Oportuit enim Judæis excuti pravam illam confidentiam, qua ipsos inebriaverant falsi Prophetæ, qui simulabant se divinitus esse missos: & ita gloriabantur se esse servos Dei, se esse organa Spiritus sancti. Quoniam ergo necesse erat hanc fiduciam detrahi Judæis, quæ erat interitus causa, quod scilicet obdurescerent ad Dei contemptum, & omnes minas spernerent: ideo dicit, *Quid? ita loquuntur Prophetæ, Dabo vobis pacem firmam in hoc loco.* Hinc colligimus Jeremiam fuisse in continuo fere certamine. nam antagonistæ acerrimi prosiliebant statim in medium, quoties minitabatur populo vel exilium, vel famem, vel alia Dei judicia: Quid? securi estote; Deus enim elegit hunc locum, ubi colatur: fierine posset ut evelleret Ecclesiam suam ab hac quiete? non est igitur timendum, ne unquam pereat hoc Regnum, ne Templum excidatur. Ergo conqueritur Propheta: non quod fuerit unquam commotus talibus mendaciis: sed respicit populum ipsum, & vult, quemadmodum jam dixi, ab illis deceptionibus retrahere eos qui sunt adhuc sanabiles. Ideo sequitur,

14. Et dixit Jehovah mihi, Mendacium Prophetæ prophetant in nomine meo: non misi eos, & non præcepi illis, & non loquutus sum cum illis: visionem mendacii, (*hoc est, mendacem*) & divinationem, & vanitatem, (*vel rem nihili*) & fraudem cordis sui ipsi prophetant vobis.

Nunc clarius videmus cur Propheta retulerit suam querimoniam, & simul admirationem, cujus solus Deus fuerat testis: nempe ut populus attentior esset ad hanc admonitionem: Nam si tantum dixisset, Prophetæ vos decipiunt, & Deus vult hoc vobis esse notum, non tam efficax fuisset oratio, sicuti quum præcessit illa interrogatio, Domine Deus, quid hoc est? *Prophetæ populo huic promittunt pacem:* deinde; vetant metuere à peste & bello. Quum ergo Propheta hoc ex sensu tam suo, quam communi totius populi exposuisset, hoc responsum, quemadmodum dixi, multo vehementius est, & facilius penetrat in animos. Deus ergo sic respondet, *Mendacium prophetant Prophetæ in nomine meo.* Emphaticum est hoc nomen, *In nomine meo*: quia admonet Deus, cavendum esse ab omni mendacii prætextu, neque facile, & temere, vel absque delectu credendum esse omnibus vaticiniis. neque enim quicquid divinum jactatur, re ipsa tale est. Videmus ergo hunc insignem esse locum: quoniam Deus admonet habendum esse delectum in vaticiniis: ne scilicet temere arripiamus quicquid profertur sub prætextu divini nominis. Vult ergo nos prudenter discernere: & ideo dixi hoc observatu dignum esse: quoniam Papistæ hodie dum futiliter spargunt suos titulos, se esse repræsentativam Ecclesiam: deinde, se esse Pastores, Ecclesiam Dei esse columnam veritatis: hoc modo obstupefaciunt simplices, ita ut tollatur omne judicium, & recipiatur pro oraculo quicquid illis placuerit statuere.

Hic

Hic autem Deus per os Jeremiæ ostendit non temere credendum esse vaticiniis quibuslibet. Dicit, *In nomine meo Prophetæ prophetant:* quasi diceret, Nomen meum sæpe impie profanatur ab hominibus. Quoniam ergo multi sunt qui se venditant pro servis meis & Prophetis, & qui locum etiam occupant, & exercent ordinarium munus: quoniam ergo tanta est in hominibus pravitas, ut non pudeat ipsos nomine meo abuti, prudentia adhibenda est. hoc est primum: ubi Deus significat non sufficere prætextum muneris Prophetici, nisi etiam re ipsa probent se esse veros & fideles Prophetas. Postea addit, *Non misi eos, & non præcepi eis, & non loquutus sum cum eis visionem mendacis*, &c. Hic detrahit fidem pseudoprophetis: quia neque ipsos miserit, neque præceperit ita loqui, neque etiam loquutus sit cum ipsis. Hoc postremum generalius est: sed tamen hæc tria diligenter notanda sunt, quoniam sufficiunt ad discernendos veros Prophetas à falsis. Voluit igitur hic Deus certas notas proferre in medium, unde fiat discrimen inter veros Prophetas, & falsos. Primo dicit non vocatos esse, quia se ingesserunt. Requiritur itaque vocatio, quoniam Deus nihil vult esse confusum vel inordinatum in sua Ecclesia. Verum quidem est fuisse extraordinariam vocationem Jeremiæ. Nam si status Ecclesiæ fuisset rite compositus, summus Sacerdos religionis & puræ doctrinæ antistes fuisset, qui adversatus est sancto Dei servo. imo alii, ut Amos, è plebe sumpti sunt. Atqui non alii magis idonei erant ad munus Propheticum, quam Sacerdotes. erant enim Angeli Dei exercituum, quemadmodum dicitur apud Malachiam. [Mal. 2: 4.] Sed quum degenerassent illi, voluit Deus non sine ignominia excitare alios Prophetas tam ex oppidulis obscuris quam è vulgo ipso. Fuit igitur interdum vocatio interior duntaxat: sed ubi Ecclesia rite est composita, requiritur etiam externa & legitima vocatio. Quicquid sit, certum est falso & improbe eos obtendere Dei nomen, qui non vocati sunt ab ipso, sive ratione consueta & legitima, sive Spiritus sancti ductu. hoc est primum. jam sequitur, *Non præcepi eis.* Hic apponitur secunda nota discretionis: quia testatur Deus non esse credendum Prophetis, nisi quatenus fideliter de manu in manum tradunt quod illis mandatum est. Si quid ergo de suo Propheta miscet, convincitur falsi, & ita indignus est ulla fide. Sciamus ergo Prophetas non alia potestate esse præditos, nisi ut quod divinitus ipsis mandatum est, fideliter exequantur. Sed tertia nota adhuc clarior est, quum dicit Deus *se non fuisse cum illis loquutum.* nam ita significat nullam hominis vocem audiendam esse in Ecclesia, sed suam duntaxat. Cur ergo jubet deferri honorem & reverentiam Prophetis suis? nempe quoniam non afferunt nisi quod ipse tradidit. Ergo videmus, ut Deus nihil hominibus permittat imperii in Ecclesia gubernanda, sed velit sibi obsequium præstare, ut fideliter referant quod ipse mandavit. Proinde quod ad Præceptum spectat, refertur illud ad species: quum autem dicit, *Non sum loquutus cum ipsis*, complectitur genus ipsum: quasi diceret nefas esse Prophetis & Doctoribus quicquam in medium proferre, nisi quod è cælo acceperint. Hinc concludit *eos loqui mendacium, & imposturas, & divinationem, & vanitatem, & fraudem cordis sui.* Quare videmus hic, simulac vel pauxillum declinant homines à verbo Dei, non posse aliud proferre quam mendacia, vanitates, imposturas, errores & fraudes: & quicunque hominibus temere fidem habent, nec respiciunt missine sint à Deo, & fideliter exequantur quod ipsis mandatum est, eos omnes sponte sua perire. Sed de hac re adhuc plura dicenda erunt.

Da omnipotens Deus, quando tam clementer nobiscum agis, ut quotidie nobis ostendas peccata, & simul horteris nos ad pœnitentiam, & spem veniæ simul paratam nobis esse doceas, ne præfracto simus ingenio, vel refugiamus dum nos tam humaniter invitas, sed mature resipiscere discamus, & tangamur eo metu judicii tui, ut vere & ex animo quæramus reconciliationem, quæ nobis parta fuit Filii tui sanguine: & quoniam nihil proprium afferre possumus, saltem ut patienter nos humiliemus in conspectu tuo, deinde ut fide amplectamur beneficium illud unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

15. Propterea sic dicit Jehovah super Prophetas qui prophetant in nomine meo, & ego non misi eos, & dicunt, Gladius & fames non erit in terra hac: In gladio & famé consumentur Prophetæ illi.

16. Et populo cui ipsi prophetarunt (*illis, est supervacuum*) erunt projecti in compitis Jerusalem à facie famis & gladii, (*hoc est, coram fame & gladio, vel prælio*) & non erit qui sepeliat eos: ipsi, uxores eorum, & filii eorum, & filiæ eorum: & effundam super eos malum ipsorum.

POstquam denunciaverat Jeremias falsis Prophetis, quoniam populum blanditiis suis deceperant, pœnas daturos, quas erant meriti: nunc convertit sermonem ad populum ipsum. Posset tamen videri parum humaniter agere Deus, quod tam duras pœnas infligit miseris hominibus, qui alioqui decepti sunt. sed solutio est facilis. Certum enim est, nisi ultro mundus appeteret mendacia, non tantam fore efficaciam diaboli ad fallendum. Quod igitur ita rapiuntur homines ad imposturas, hoc fit eorum culpa: quoniam magis propensi sunt ad vanitatem, quam ut se Deo & verbo ejus subjiciant. Et tenendum est illud Pauli, [Rom. 1. vers. 28.] omnes reprobos ideo excæcari, & conjici in reprobum sensum, quoniam mendacium ultro appetunt: veritati autem obedire non sustinent. Atque ideo pronunciat Deus se examinare hominum corda quoties prodeunt in medium falsi Prophetæ. nam quisquis sincere Deum timet, ille haud dubie non rapietur fallaciis Satanæ, & omnium impostorum. Quoties ergo homines nimium creduli sunt, & libenter amplectuntur imposturas, certum est, hypocrisin eorum hoc modo juste à Deo puniri. Et notum est illud Prophetæ, Judæos semper optasse sibi Prophetas, qui aures mulcerent, qui promitterent copiosam messem, [Mich. 2. vers. 11.] & optimas vindemias. Quoniam igitur ita pruriebant illis aures, necesse fuit dari Satanæ licentiam, ut totam terram obrueret mendaciis, quemadmodum etiam factum est. Non igitur mirum, quod Dominus tam severus fuit in castigando populo, quia non decepti fuerant nisi propria culpa: quemadmodum hodie idem contingit. nam, etsi misericordia tangimur quum

quum videmus graſſari Satanæ miniſtros, & fallere miſerum vulgus: tamen hoc tenendum eſt, mercedem rependi divinitus hominum impietati: qui Dei lucem, quantum in ſe eſt, vel extinguunt, vel ſuffocant, & volunt demergi in tenebras. Hæc igitur ratio eſt, cur Deus tam rigida animadverterit in Judæos, qui decepti quidem fuerant à falſis doctoribus; ſed quoniam præceſſerat eorum impietas & ingratitudo. & hac etiam ratione in fine verſus adjungit, *Effundam ſuper eos malum ipſorum.* Putant quidam nomen רעה tam de pœna exponi, quam de culpa, ſicuti עון etiam accipitur pro utroque. Sed Propheta videtur cauſam reddere, cur Deus horribile illud judicium exequi ſtatuerit contra Judæos, nempe quoniam digni erant tali mercede. Malum igitur libenter interpretor de ſceleribus: quaſi diceret, Manet quidem horrenda clades hunc populum: ſed ne querantur de mea ſævitia, recipient mercedem ſuorum ſcelerum. Quicquid ſit, non dubium eſt, quin Propheta hic os velit obſtruere Judæis, ne tergiverſari pergant, acſi Deus parum clementer ipſos tractaret. Hinc igitur apparet, Deum non temere convertere ſuam vindictam contra innoxios: ſed involvi ſimili pœna & falſos doctores, & totum populum, qui illis ſe oblectavit. dicit autem, *Erunt projecti in compitis Jeruſalem à fame & gladio*, vel præ fame & gladio. *Jacebunt* igitur *omnes*, hoc eſt, cadavera: nam projectos accipit pro cadaveribus, quia paulo poſt ſubjicit, *Et nemo ſepeliet ipſos.* Adjungit *uxores & liberos:* quod illi etiam nihilo magis poſſent ſe excuſare. vidimus enim capite 7. fuiſſe illis objectum, quod filii colligerent ligna, patres vero accenderent ignem, & mulieres ſubigerent farinam, ex qua conficerent placentas ſuis idolis. Significat igitur Propheta, neminem evaſurum, quoniam eodem omnes ſcelere ſunt impliciti, alii plus, alii minus, ſic tamen ut impune cedere non debeat filiis, quod patres ſequuti ſunt, neque uxoribus, quod obſequutæ ſunt ſuis maritis. Sequitur,

17. Dices igitur (*copula enim loco illativæ particulæ ſumitur*) ad eos verbum hoc, (*hoc eſt, annunciabis illis hoc verbum*) Deducent oculi mei lachrymam (*vertunt multi: alii, Deſcendent oculi mei in lachrymam: Hebraicum nomen eſt ſingulare*) nocte & die, & non quieſcent: quoniam contritione magna contrita eſt virgo filia populi mei, plaga ægra (*vel acerba*) valde.

Hoc loco Deus iterum oſtendit quam tardus fuerit populus ille, vel etiam ſtupidus: quem ſcilicet nullæ minæ afficere poterant, ut rediret ad ſanam mentem. Quum ergo ſecure negligerent omnes minas, ideo Deus proponi illis jubet triſte ſpectaculum, quod merito & metum & pudorem incutere ipſis debeat. Jubet enim Prophetam ſuum ita loqui, *Ecce ego igitur defluam totus in lachrymas*, idque veſtra cauſa. Non dubium eſt, quin Propheta ex animo fleverit, quum videret populares ſuos ita ultro accerſere ſibi iram Dei, & ultimum interitum: neque enim exuerat humanos ſenſus. ſed non agitur hic tantum de ejus ſollicitudine, ſed Deus ipſe jubet eum ita loqui, nempe ut tandem pudeat Judæos ſuæ ſocordiæ, quoniam ſiccis oculis calamitatem, quæ prope illis inſtabat, vel rideant, vel contemnant: Propheta autem unus pro ipſis luctum ſuſcipiat. Diximus hac de re capite 9. & aliis locis. quum enim illic Propheta cuperet ſibi dari fontes lachrymarum, haud dubie non tantum volebat curam, quam gerebat de gente ſua, teſtari: ſed tentare hoc modo an poſſent flecti ad reſipiſcentiam: quia tanta erat in illis durities. hoc autem loco apertius idem oſtenditur: quia Deus non tantum Prophetam ſuum in angulo jubet lugere, ſed proferre hoc ad totum populum, *Ecce oculi mei deſcendent in lachrymas, & nulla erit quies*, nullus modus. Nunc tenemus conſilium Spiritus ſancti. quia ergo tanta erat populi obſtinatio, ut ne lachryma quidem exprimi poſſet, quamvis Deus horrendis minis ſubinde eos territaret, ideo in perſona Jeremiæ quaſi in ſpeculo neceſſe fuit proponi ante oculos ipſorum cladem illam, ut aliquando diſcerent ſibi metuere. Quoties occurrunt tales ſententiæ, meminerimus hodie quoque perinde ſtupidos eſſe homines, ut non minus oporteat duriter ipſos urgeri: Deum in Evangelio ſimiliter addere vehementiam doctrinæ & acres ſtimulos: quoniam talis eſt non modo pigrities in cordibus noſtris, ſed etiam durities, ut neceſſe ſit cogi qui ſponte duci non ſuſtinent. Quidam vertunt, quemadmodum veteres, Deſcendent lachrymæ ex oculis meis: ſed rectior eſt altera expoſitio, *Oculi mei deſcendent in lachrymas*, ut ב jungatur cum דמעה, vel ל *nocte & die*, inquit, *quoniam filia populi mei contrita eſt contritione magna.* Adhuc quidem ſtabant Judæi. verum Propheta hanc hypotypoſin voluit eſſe quaſi vivam imaginem, ut ſcirent repentinum ſibi inſtare exitium, quamvis confiderent adhuc ſuis ſubſidiis. neque enim tangi poterant ullo Dei metu, donec excuſſa illis eſſet illa tranquillitas. Vocat *filiam populi ſui virginem*, non laudis cauſa, ſed quoniam Deus ad illum uſque diem pepercerat Judæis. Virgo interdum accipitur in bonam partem: nam Deus quum loquitur de ſacro conjugio, quo ſibi devinxerat Judæos, comparat populum illum virgini. ſed ſæpe filia Babel vocatur etiam Virgo, quoniam ſcilicet Chaldæi diuturna pace fuerant aſſueti ad delicias. Sic etiam hoc loco Propheta per conceſſionem dicit populares ſuos eſſe molles & teneros: quia ſcilicet indulgentia Dei tolerati fuerint. ſed quemadmodum in bello rapiuntur virgines ad ſtuprum, & hoſtium libido graſſatur ſine pudore & moderatione, ita Deus voluit hic exprimere vindictæ ſuæ impetum: quaſi diceret, Nunc quidem eſtis quaſi teneræ & molles puellæ: ſed brevi mutabitur conditio veſtra: neque eſt cur vos decipiat diuturna felicitas, qua hactenus potiti eſtis. Eo eodem ſenſu adjungit *percuſſionem fore acerbam valde.* oportuit enim pluribus verbis exaggerari vindictam illam, cujus nulla erat ratio apud populum. Nunc ſequitur,

18. Si exiero in agrum, ecce, (*copula enim redundat*) occiſi gladio: & ſi ingreſſus fuero in urbem, ecce dolentes fame: (*alii volunt eſſe nomen ſubſtantivum, dolores famis; vel ægritudines*) quia tam Propheta, quam Sacerdos circumeunt ad terram, & neſciunt. *alii vertunt, quam neſciunt.*

Aliis verbis idem confirmat, non quod per ſe obſcurum eſſet quod jam docuit; ſed quoniam ſciebat ſe verba facere apud ſurdos, vel tantum eſſe ignaviam, ut opus eſſet multis ſtimulis. dicit in ſumma, neque urbem receptaculum fore populo, ubi tegatur à pœnis quæ imminent: & ſi forte exierint in agros, totam terram hoſtibus fore refertam, qui occurrent, ut ſtrage compleantur omnes campi. Hæc ſumma eſt. Dicit porro acſi rem cerneret oculis: *Si exiero in agrum*, inquit, *ubique obvia erunt cadavera:* quia hoſtis exerto gladio paſſim occidet quicunque auſi fuerint egredi. deinde, *Si in urbem venero*, inquit,

quit, *illic fames occidet quos hostis non attigerit*: quemadmodum prius dixerat, Ecce projecti omnes in compitis Jerusalem præ fame, & præ gladio. sed quod dixerat de compitis Jerusalem, nunc usque ad agros extendit: quasi diceret nusquam quietum fore locum Judæis: quia si velint aufugere, incurrent in gladios hostiles: si autem quæsierint latebras, famem illis fore infestam, ita ut sine hostis manu pereant. *Tam Propheta*, inquit, *quam Sacerdos errabunt, circuibunt ad terram, & nescient.* Quidam exponunt hanc ultimam partem versus quasi diceret Propheta, Quum tracti fuerint in exilium tam Prophetæ quam Sacerdotes, post multos circuitus etiam non intelligent exilium esse justam scelerum pœnam. accipiunt igitur generaliter ולא ידעו, & nescient: quasi Propheta hic damnaret belluinam illam cæcitatem, quæ occupaverat populi animos, imo Sacerdotum, ut non reputarent apud se Deum pœnas exigere de ipsorum sceleribus. Alii simplicius exponunt, quod circuibunt ad terram, id est, perveniant in Chaldæam per multas ambages: & per longos circuitus pervenient, inquit, ad terram quam nescierunt, hoc est, quæ fuit illis prius incognita. sed nescio an Propheta hoc vel illud voluerit. Certe commodior mihi videtur tertia expositio, quæ tamen nullum habet auctorem: nempe quod *Sacerdotes & Prophetæ circuibunt*, hoc est, quærent vana subterfugia, quoniam destituentur omni ratione & consilio: *& nescient*, hoc est, tandem sentient sibi ablatam esse mentem divinitus, quoniam aliot dementaverint. Ego igitur non dubito quin Propheta peculiariter hanc pœnam denunciet impiis Sacerdotibus, & falsis Prophetis, quod putabunt sibi fore aliquod subterfugium, sed fallentur: quia tandem frustrabitur eos sua opinio, & ubi hoc vel illud agitaverint, Deus in nihilum rediget ipsorum astutias. digni autem fuerunt hac pœna, quoniam fascinaverant suis mendaciis miserum populum: deinde scimus ut superbierint in suis astutiis. Deridet igitur Propheta perversam hanc confidentiam, & dicit, *Illi circuibunt per terram, & non intelligent*, hoc est, profectu carebunt omnia eorum consilia, quæ diu agitabunt. Sequitur,

19. An abjiciendo abjecisti Jehudah? an in Sion (*an Sion*, ב *redundat*) abominata est anima tua? quare percussisti nos, & nulla nobis medela? expectando pacem, (*id est, expectavimus pacem*) & nihil boni; (*vel, non bonum*) & tempus medelæ, (*idem est verbum*) & ecce terror.

Jam Propheta se ad preces & querimonias convertit, ut suo exemplo populum tandem ad similem luctum provocet, quo suppliciter omnes veniam à Deo petant, & ingenue fateantur sua peccata, sibique displiceant. interea tamen minime dubium est quin oblique perstringat duritiem illam, de qua nuper diximus. Quum ergo nihil proficeret docendo, mutavit loquendi rationem, & populo relicto vota sua ad Deum convertit, quemadmodum etiam ante dictum fuit. quærit igitur, *an Deus repudiando repudiet Jehudah? an anima ejus abominata sit Sion?* Videtur hic ratiocinari Jeremias ab absurdo: quasi diceret, Fierine potest, ut tu repuleris tribum Jehudah, & montem Sion? Deus enim promiserat semper fore sibi lucernam Jerosolymæ. jam pessundatæ erant decem tribus, & regnum illud non modo afflictum, sed prorsus excisum. restabat igitur semen illud, nempe quia tribus Jehudah erat quasi flos totius populi, unde & salus mundi proditura erat. Propheta igitur hic quodammodo expostulat cum Deo: quasi diceret, Tu hac lege elegisti tribum Jehudah, ut salva perpetuo maneat: Templum etiam jussisti extrui nomini tuo in monte Sion: dixisti æternam fore tuam quietem: nunc igitur *an abjiciendo abjiceres tribum Jehudah? an anima tua abominaretur montem Sion?* Videtur tamen subesse aliqua ironiæ species: nam etsi ex animo precatus fuerit Jeremias, voluit tamen simul monere populum, quam stulte sibi impunitatem promitteret à sceleribus, quoniam Deus habebat in Templo suum domicilium, & Jerusalem erat quasi illius regia. Certum quidem est Prophetam hic revocasse in animum Dei promissiones: sed interea voluit breviter ostendere, etiamsi in speciem Deus perderet reliquias illas, & Templum exscindi permitteret, tamen fore in suis promissis fidelem. Ergo quod admirative interrogat, partim in hoc sermone respicit Deum, partim vero populum admonet, etiamsi Deus exitio tradat corpus populi, tamen fore in suis promissis fidelem & constantem. Dicit igitur, *Quare nos percussisti, & nulla sanatio?* Non dubium est quin etiam hoc loco Propheta hac ratione flectere Deum velit ad misericordiam: quoniam promiserat se fore placabilem posteris Davidis, quamvis interdum pœnas de illorum peccatis sumeret. erat enim tunc celebris promissio, Si deliquerint filii ejus, & fœdus meum 2 *Sam.* 7.
violaverint, percutiam eos virga, & castigabo ini- v. 14. 15.
quitates eorum, misericordiam tamen meam non *Psal.* 89.
auferam ab ipsis. hoc consilio prius dixit, nempe v. 31. 32. & 33.
cap. 10. Castiga me, Domine, sed in judicio, id est, *cap.* 10.
moderate, ne forte in nihilum redigas me. illic dixi- *vers.* 24.
mus Prophetam objicere Deo fœdus suum. idem etiam præsenti loco repetit: *Quare*, inquit, *percussisti nos, ut nulla sit sanatio?* nam quas Deus pœnas Ecclesiæ suæ infligit, pronunciat fore loco medicinæ: ubi autem nulla est spes sanitatis, videtur Deus irritum facere quod pollicitus est. Ergo pergit ratiocinari Jeremias ab absurdo: quasi diceret fieri non posse ut Deus tam duriter percutiat populum suum, quin relinquat locum veniæ, ita ut tandem exoretur, & sanet quod percussit. *Expectavimus pacem, & nihil boni; tempus sanationis, & ecce turbatio*, vel terror. hæc postrema pars versus confirmat quod nuper dixi: Prophetam scilicet partim respicere Deum in hac precandi forma, partim vero Judæos perstringere: quoniam perversa fiducia decepti, putabant se esse extra periculum, eo quod Jerusolymam sibi Deus consecrasset, ut illic invocaretur ejus nomen, ac Templum esset æterna ejus sedes. Quoniam ergo videbat quasi inebriatos esse suos populares hac stulta opinione, voluit illis breviter ostendere, fore Deo aliquam rationem incognitam, qua & fidem servaret, & tamen pœnam sumeret de impiis & transgressoribus. nam quod dicit, *Expectavimus pacem, & non bonum*, certe non laudat fidem in populo, quod scilicet freti Dei promissionibus solatium quæsierint in suis malis, & speraverint Deum tandem fore exorabilem & propitium: non accipitur hoc nomen Expectandi in bonam partem: sed potius coarguit Judæos, quod pseudoprophetis nimium fidei adhibuerint. Ergo videmus ut perstringat vitiosam illam expectationem, qua fuerant decepti. Hinc etiam colligimus quod dixi, Judæos stulte sibi promittere impunitatem, quoniam Deus apud illos domicilium sibi elegerat: nempe quia ostendet se non frustra minatum fuisse cladem per servos suos. hoc sensu itaque dicit, *Expectavimus tempus medicinæ, & ecce terror.* Nunc sequitur,

20. Cognoſcimus Jehovah ſcelus noſtrum, & iniquitatem patrum noſtrorum: quoniam ſcelerate egimus in te. (חטאנו *quanquam* רשע, עוה, *idem fere ſunt, tamen ſimpliciter concludit, quod ſcelerate egerint adverſus Deum.*)

Hic Propheta haud dubie præſcribit Judæis quænam ſit ratio placandi Dei. antea ita compoſuit preces, ut partim populum coargueret ſuæ impiæ obſtinationis, partim vero oſtenderet piis & electis manere aliquid ſpei reſiduum: ſed nunc ſimplex eſt forma precandi, quum dicit, *Domine cognovimus.* Vix milleſimus quiſque tunc cognoſcebat: ſed Propheta non ſuſcipit perſonam totius populi. quid igitur? haud dubie colligit ſe & pauculos fideles, qui reſtabant in populo. deinde poſteris etiam dictat veram precandi regulam, ut in exilio ſciant hoc ſibi unum ſupereſſe, nempe ut fateantur peccata ſua, nec aliter impetraturos veniam. Dicit igitur, *Cognovimus & ſcelus noſtrum & iniquitatem patrum noſtrorum, quod ſcilicet ſcelerati omnes ſimus adverſum te.* Jam expoſuimus paucis verbis Prophetæ conſilium, nempe ubi Deus manum ſuam contra nos exeruit, non aliam eſſe ſpem ſalutis niſi in reſipiſcentia. Confeſſio autem hic ponitur pro ipſa pœnitentia. hypocritæ ore quidem ſatis ſunt liberales in confitendis peccatis: ſed Propheta hic loquitur de ſeria confeſſione: & per ſynecdochen, ut dixi, aliæ partes pœnitentiæ hic notantur. Sed huc tendit ſumma, ut ſuppliciter ad petendam veniam confugiant: quod fieri non poteſt quin ſeipſos condemnent coram Deo, ut ita præveniant ejus judicium. De patrum iniquitate loquitur, non quod fideles extenuandæ culpæ cauſa hinc inde ſocios acceſſant: ſed hæc eſt ſcelerum aggravatio, quum fatentur ſe non tantum coram Deo reos eſſe, ſed ab utero attuliſſe hoc quaſi hæreditarium, ut digni eſſent interitu, quoniam ab impiis patribus erant progeniti. Hypocritæ dum exempla patrum in medium proferunt, putant vel ſe hoc modo poſſe abſolvi, vel ſaltem leviorem eſſe ſuam culpam, quoniam hoc didicerint à prima pueritia, quod mala educatio ipſos perdiderit. Sed fideles longe aliter animati eſſe debent, nempe ut fateantur ſe dignos eſſe vindicta Dei, quamvis non inquirat in patrum ſcelera: deinde ſi Deus velit patrum ſcelera ulciſci adverſus ipſos, juſte hoc facturum: & ideo ſe duplici vindicta eſſe dignos. Nunc ergo tenemus Prophetæ ſenſum: & hinc colligimus quam ſtulte opponant hunc clypeum Deo Papiſtæ, dum reſonat ſubinde in ipſorum linguis nomen Patrum. nam debuerant potius & ſcelus ſuum, & patrum iniquitates agnoſcere: quemadmodum hoc totum fuſius explicatum fuit 9. capite Danielis, ubi dicebat ſe, & patres, & Reges ſcelerate egiſſe. Et in verbis etiam hoc notandum eſt. neque enim hic leve aliquod delictum notat Jeremias quum dicit, *Agnoſcimus iniquitatem noſtram, & patrum noſtrorum*: ſed ponit impietatem eorum qui vivebant: poſtea, *iniquitatem patrum*: & tertio adjungit, *Nos impie & ſcelerate egimus contra te.* Videmus ergo, ut non defunctorie agnoſcat aliquod delictum: ſed quaſi pleno ore proſitatur omnes eſſe impios, & transgreſſores Legis Dei, & non tantum dignos eſſe mediocri caſtigatione, ſed horribili interitu: quoniam ſceleribus ſuis iram Dei ſic provocaverant.

Da omnipotens Deus, quoniam ex quo tibi ſemel reconciliati ſumus, & hæc reconciliatio nobis per Evangelium teſtata fuit, non tamen deſinimus quotidie iram tuam provocare, ut ſaltem gemamus, & vitia noſtra abſque ulla ſimulatione ſic damnemus, ut tangamur vero & ſerio dolore, & ita confugere diſcamus non tantum ſemel in vita, ſed ſingulis etiam momentis ad tuam miſericordiam, ut placatus nobis appareas, neque nos tractes pro merito: ſed quando ſemel dignatus es nos complecti paterno amore in gratiam unigeniti Filii tui, ut hanc quoque gratiam proſequaris erga nos, donec tandem purgati omnibus ſordibus & inquinamentis, participes ſimus cæleſtis tuæ gloriæ, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA

IN

J E R E M I A M.

21. Ne rejicias propter nomen tuum, ne rejicias (נבל *ſignificat interdum reſpuere, floccipendere, ſignificat etiam projicere: & eadem eſt fere ſignificatio alterius verbi* נאץ: *ſignificat enim projicere, & pro nihilo ducere, & vilipendere. Ne ergo projicias, vel vilipendas*) ſolium gloriæ tuæ: recordare, ne irritum facias (*alii vertunt, diſſolvas*) fœdus tuum nobiſcum.

PRoſequitur Jeremias ſuam precationem: idque facit tam ex officio charitatis, quam ut incitet fideles, qui reſidui erant in populo, ad petendam veniam. Hic enim ſuſcipit perſonam veræ Eccleſiæ, quæ tunc erat perquam exigua. omnes gloriabantur ſe eſſe Dei filios, jactabant fœdus cum Abraham percuſſum: ſed vix milleſimus quiſque vere & ex animo Deum invocabat. Propheta igitur repræſentavit communem affectum exigui illius numeri, & adhuc proſequitur, quemadmodum dixi, ſuam precationem. Dicit igitur, *Ne abjicias, ne proſternas ſolium gloriæ tuæ*: vel eadem erit ſignificatio utriuſque verbi: quod mihi magis probatur. ſed Propheta non tam ornatus cauſa, ut ſolent rhetores, duo verba ſimul conjunxit, quam ut vehementiam curæ ſuæ & anxietatis exprimeret. videbat enim regnum Jehudah verſari in ultimo diſcrimine. ergo non vulgari modo occurrit Dei vindictæ: ſed accelerat velut ad incendium aliquod extinguendum: quia difficilis erat impetratio veniæ. *Solium gloriæ Dei* nominat Jeroſolymam, quia Deus urbem illam ſibi elegerat, ubi invocaretur: non quod Templo eſſet incluſus, ſed quoniam illic erat memoria nominis ejus: ſicuti ſolet loqui, præſertim apud Moſem. neque tamen arca fœderis inane erat ſignum, ſed vere habitabat Deus in loco illo: quoniam præſentia virtutis & gratiæ ejus ſeſe oſtendebat claris experimentis. Cæterum quoniam hæc loquutio ſæpe reperitur apud Prophetas, ideo ſatis mihi eſt breviter attingere Jeremiæ noſtri conſilium. Deus quidem cælum & terram implet, ut ſatis notum eſt: ſed dat ſigna præſentiæ ſuæ ubicunque vult. Quoniam autem volebat coli in Templo illo, vocatur ejus ſolium, quemadmodum alibi vocatur ſcabellum. nam diverſis loquendi formis eandem rem Scriptura deſignat. ſæpe vocatur Templum requies Dei, domicilium, ſanctuarium, locus habitationis ejus: alibi vocatur ſcabellum pedum ejus,

Exod. 24.
Pſal. 110. verſ. 1.

Psal. 132. vers. 7. ejus, Adorabimus in loco ubi ſteterunt pedes ejus. Cæterum, in eundem finem referuntur iſtæ formæ, quamvis in ſpeciem diverſæ appareant: nam ubi Templum vocatur habitatio Dei, vel palatium, vel ſedes, illic exprimitur virtutis præſentia, acſi familiariter Deus habitaret inter cultores ſuos: ubi autem vocatur ſcabellum pedum, tunc corrigitur ſuperſtitio, quæ obrepere poſſet. Deus enim attollit mentes piorum altius, ne ſcilicet putent ejus eſſentiam reſtringi ad locum aliquem. Tenemus ergo quid intelligat Scripture, & quid velit quoties vel ſolium, vel palatium Dei nominat Jeroſolymam, & Templum. Sed notandum eſt diligenter quod infertur à Propheta: Propter nomen tuum, inquit. ſcimus quoties ſancti poſtulant exaudiri propter Dei nomen, abjicere omnem fiduciam propriæ dignitatis & juſtitiæ. Quiſquis ergo nomen Dei implorat ut impetret quod petit, ille abdicat ſe omnibus mediis, & plane fatetur ſe eſſe indignum qui Deum propitium inveniat. neque enim poteſt hæc loquutio conſiſtere ſine antitheſi. Ergo quum Propheta confugit tanquam ad unicum aſylum, ad nomen Dei, incluſa eſt in his verbis confeſſio, qualem paulo ante vidimus, nempe quod Judæi, quia ſcelerate egerant cum Deo, indigni eſſent omni miſericordia, nec poſſent placare ullis ſuis ſatisfactionibus, nec quicquam haberent quod poſſent afferre ad favorem ſibi acquirendum. Hæc igitur ſumma eſt: & quoniam hæc doctrina fuſius alibi tractata fuit, mihi nunc ſatis eſt breviter monſtrare quid velit Propheta. Solium autem gloriæ vocat, ut ſignificet nomen Dei fore vel obſcurum & ignobile, vel etiam probroſum, & contumeliis obnoxium, niſi parcat populo quem elegit. Scimus genitivum caſum poni loco epitheti apud Hebræos: in quo inſiſtere ſupervacuum eſt, quoniam eſt ex primis rudimentis. Ergo Propheta quum Templum vocat ſolium glorioſum Dei, hoc eſt, in quo refulget ejus majeſtas, Deum ipſum quodammodo admonet, ut ne exponat nomen ſuum contumeliis, quia ſtatim pro ſua libidine, impii blaſphemias ſuas evomerent. atqui hoc modo nomen Dei eſſet contumelioſum. Poſtea adjungit, *Recordare, ne irritum facias fœdus tuum nobiſcum.* Hic etiam confirmat Propheta ſuam precationem, renovando memoriam fœderis. poterat enim dici nihil Judæis commune eſſe cum ſacro Dei nomine, cum ejus gloria, & cum ſolio regali. & certe digni erant à quibus Deus ſe procul disjungeret. Quoniam ergo divortium fecerant cum Deo, & prorſus erant ab omni ſanctitate alieni, Propheta hic proponit tamen Deo fœdus ſuum: quaſi diceret, Jam precatus ſum ut gloriæ tuæ conſulas, & parcas ſolio tuo: quoniam dignatus es tanto honore hunc locum, ut inter nos regnares. jam quia tanta eſt noſtra impietas, ut merito nos abjicias, tamen tu non pepegiſti fœdus cum monte Sion, cum lapidibus Templi, cum elementis denique: ſed nobiſcum. *Ergo ne irritum facias hoc tuum fœdus.* Videmus ergo magnum ſubeſſe pondus in his verbis, quum Propheta Deo ſupplicat, *ne irritum faciat*, vel diſſolvat *fœdus ſuum*, quod pepigerat cum populo. Etſi enim fidelis ac verax manebat Deus in ſuis promiſſis, etiamſi totum populi illius nomen aboleviſſet, tamen debuit certare ejus bonitas cum populi malitia, & fides cum perfidia. neque enim pendebat fœdus Dei à populi fide, aut probitate: fuit quidem mutua ſtipulatio, quia Deus pepigit fœdus cum Abraham hac lege, ut integer cum ipſo ambularet. hoc verum eſt, & eadem ſtipulatio vigebat ſub Prophetis: interea tamen ſumpſit Jeremias hoc principium, Non poſſe in totum deleri Dei gratiam: quia elegeret genus Abrahæ, ex quo tandem naſceretur Redemptor mundi. Sed Jeremias voluit longius extendere gratiam Dei, quemadmodum ante dictum fuit, & iterum paulo poſt videbimus. Quicquid ſit, habuit juſtam rationem precandi, quum diceret, *Ne fœdus tuum diſſolvas nobiſcum.* ſed Deo fuit alia occulta ratio: ſic enim delevit, quoad ſenſum communem hominum, fœdus illud, quo Judæi putabant eum ſibi eſſe obſtrictum, ut tamen verax maneret: quoniam ex tenebris tandem refulſit ejus veritas poſt finitum tempus exilii. Nunc ſequitur,

22. An in idolis (*vel vanitatibus*) Gentium qui pluere faciat? & an cæli dabunt pluviam? (*vel, & an ex cælis dabunt pluviam?*) an non tu ipſe Jehovah Deus noſter? & ſperavimus in te: (*expectavimus ad te*) quoniam tu feciſti omnia hæc.

Hic Jeremias ut Dei favorem ſibi conciliet, dicit hoc in rebus extremis eſſe unicum remedium: & perinde eſt acſi propoſita in medium deſperatione, vellet Deum flectere ad miſericordiam: quaſi diceret, Quid fiet nobis, niſi te propitium oſtenderis? nam ſi tu manes implacabilis, Gentes habent deos ſuos, à quibus ſalutem petunt: nobis autem fixum eſt ſalutem abs te uno & ſperare & petere. Debuit autem hoc argumentum magni eſſe momenti: non quod monendus ſit Deus: ſed patitur ſecum ita familiariter agi. nam ſi Stoice volemus diſputare, etiam vota noſtra erunt ſupervacua. quorſum enim precamur ut Deus nobis opem ferat? an non videt ipſe quid nobis opus ſit? an non ſatis eſt propenſus ad ferendum auxilium? ſed Exod. 24 deliria illa prorſus aliena ſunt à vero & ſerio pietatis affectu. ſicuti ergo ad Deum confugimus, quoties aliqua urget neceſſitas, ſic etiam monemus quemadmodum ſi filius exoneret omnes ſuos affectus in ſinum patris, ita in precibus ratiocinantur fideles cum Deo, & diſputant, & cauſas omnes in medium adducunt, quibus placari queat: denique agunt cum ipſo humanitus, acſi vellent perſuadere quod tamen jam Deo ante mundi creationem decretum fuit: ſed quia nobis abſconditum eſt æternum Dei conſilium, debemus hic ſobrie & pro fidei noſtræ menſura ſapere. Quicquid ſit, Propheta ex communi uſu piorum hoc argumento ſibi favorem Dei conciliat, nempe Psal. 110. vers. 1. quod niſi clementer agat Deus cum populo illo, & pro ſua paterna indulgentia ignoſcat, actum eſſe: quaſi diceret, Domine, tu unus es à quo ſperanda nobis eſt ſalus: jam ſi abs te repudiamur, nullum nobis ſupereſt refugium: mitteſne populum tuum ad idola, & figmenta Gentium? *atqui nos te unum expectavimus.* ergo vides nonniſi in tua miſericordia ſupereſſe nobis ſpem ſalutis. Sed Propheta hic teſtatur fidelium nomine, etiamſi extrema omnia miſeros premant, non tamen poſſe ipſos quicquam petere ab idolis Gentium. *An pluviam*, inquit, *dabunt?* Eſt ſynecdoche in hac loquutione: nam ſignificat idola Gentium deſtitui omni potentia. Ergo Dare pluviam accipitur pro eo quod eſt fovere humanum genus, vel auxilium ferre, ſuppeditare quod neceſſe eſt, & largiri omnem bonorum copiam. Paulus etiam quum Deo vult aſſe- Actor. 14.
rere ſuam potentiam, loquitur de pluvia: & ſæpius vers. 17.
Jeſaias utitur hoc loquendi genere. Dicit ergo, *An* Jesa 5 6.
in vanitatibus Gentium? Hic probroſe damnat omnes ſuperſtitiones. neque enim vocat deos Gentium, ut ambigua hæc loquutio ſæpe apud Prophetas ponitur: ſed *vanitates Gentium. An erit*, inquit, *qui pluere faciat? & an cæli dabunt pluviam?* Ego libentius interpretor, *An ex cælis dabunt pluviam?* non enim videtur mihi ſatis quadrare, ſi de cælis loquatur: tamen ſi cui magis placeat recepta illa expoſitio, ſit liberum judicium. quod ſi de cælis hoc dictum ſit, erit argumentum à minori ad majus,

Ne cæli quidem ipsi dant pluviam, quomodo igitur vanitates? hoc est, figmenta hominum, quæ tantum prodierunt ex stulto eorum cerebro? *an possent pluviam dare?* nam certe est aliqua virtus cælis indita. atqui homo etiamsi mille deos sibi fabricet, non tamen poterit fabricare guttam unam, quæ distillet è cælo. quum igitur cæli non sponte pluant, sed dum aperiuntur mandato Dei: quomodo idola Gentium, & vana figmenta pluviam nobis è cælo emitterent? Consilium Prophetæ satis nunc liquet, nempe quod si populum rejiciat Deus, & velit persequi scelera ultimo jure, & modo implacabili, desperatam esse omnium salutem, quia illis propositum non sit confugere ad idola. *An non tu Jehovah*, inquit, *ipse es?* id est, solus es? *An non ipse Jehovah & Deus noster?* Primùm nomen Jehovæ exprimit, quo notatur æterna Dei & majestas, & potentia, & virtus: deinde adjungit epitheton, quod sit Deus ipsorum, nempe *ut recordetur fœderis sui. Ergo te expectavimus, quia fecisti hæc omnia.* Hic etiam multi falluntur, meo judicio: quia *hæc omnia* interpretantur de cælo & terra, & omnibus elementis, quasi Propheta Deum assereret esse mundi creatorem, & ideo omnia esse sub ejus imperio. Sed ego minime dubito quin de pœnis loquatur, quas Deus jam populo inflixerat, & statuerat propediem infligere. neque enim hic amplius loquitur de potentia Dei, quæ refulget in mundi opificio: sed dicit, *Expectavimus te, quoniam tu fecisti hæc omnia*, id est, abs te uno salus nobis proveniet, quoniam tuum est mederi, qui inflixisti vulnus: sicuti alibi dicitur, Deus mortificat & vivificat, 1 Sam. 2. deducit ad sepulchrum, & reducit. perinde igitur est vers. 6. acsi diceret Propheta, Nos Domine nunc ad tuam misericordiam confugimus, quia nemo præter te unum nobis opitulari potest: tu enim pœnam sumpsisti de sceleribus nostris. quum ergo tu fueris judex noster, tu idem etiam potes jam nos liberare ab his cladibus: nemo autem se tibi opponet, quoniam summa est penes te unum potestas: concurrant omnes dii Gentium, etiam conspirent omnia elementa & omnes creaturæ in nostram salutem, quid tamen proderunt nobis quæcunque afferent? ergo quoniam tu fecisti hæc omnia, id est, quoniam hæc fortuito nobis non acciderunt, sed justa tua vindicta: nunc quoniam judex fuisti in pœnis infligendis, jam sis medicus & pater: quoniam nos graviter afflixisti manu tua, jam etiam adhibeas solatium, & cures mala nostra, quæ juste perpetimur, & quidem tuo judicio. Nunc tenemus genuinum Prophetæ sensum. Et hinc etiam colligi potest utilis doctrina, non esse cur nos exaniment pœnæ, quæ signa sunt iræ Dei, ita ut non audeamus ab ipso petere veniam: quin potius hic præscribi nobis precandi formam, quia si sentimus nos castigatos fuisse Dei manu, hoc modo stimulari nos ad sperandam salutem: quoniam ejus sit mederi, cujus est vulnerare: ejus sit restituere in vitam, cujus est occidere. Nunc sequitur,

CAP. XV.

ET dixit Jehovah ad me, Si steterint Moses & Samuel coram facie mea, non est anima mea (*id est, cor meum*) ad populum hunc: emitte à facie mea, & exeant.

2. Et erit, si dixerint tibi, Quo exibimus? (*vel egrediemur?*) tunc dices illis, Sic dicit Jehovah, Qui ad mortem, ad mortem: & qui ad gladium, ad gladium: & qui ad famem, ad famem: & qui ad captivitatem, ad captivitatem.

Iterum repetit Deus quod ante vidimus, nempe quoniam ad summum usque cumulum pervenerant impietates & scelera populi, non esse amplius locum veniæ nec misericordiæ: etsi autem videtur penitus repudiare Deus servi sui preces, non tamen dicemus caruisse omni profectu: quoniam Jeremias optavit quidem eripere totum populum ab interitu: sed non ita inconsiderate & futiliter oravit, quin discerneret inter titularem Ecclesiam, ut loquuntur, & inter semen electum. Sciebat enim multos esse degeneres Abrahæ filios: neque ipsum latebat quod dicitur in Psalmo, Quis habitabit in tabernaculo tuo, (Psal. 15. vers. 1, 2.) & quis stabit in monte sanctitatis tuæ? innocens manibus, & puro corde. nam Propheta illic ex professo ostendit, frustra gloriari hypocritas, quod ingressus illis pateat in Templum, quod sacrificent una cum fidelibus: requiri enim & cor mundum, & manus puras: Jeremias certe hoc satis tenebat. Ergo quamvis extenderit suam sollicitudinem ad totum populi corpus, tamen cognovit esse aliquod electum semen: quemadmodum hodie dum precamur, debemus pro charitatis regula complecti omnes, quoniam nondum possumus statuere quos Deus elegerit, vel reprobaverit: atque ita quantum in nobis est, debemus curare omnium salutem: interea scimus, sed confuse, multos esse reprobos, quibus prodesse nequeunt vota nostra: scimus hoc, sed non possumus notare unumquemque digito. Sic igitur precatio Jeremiæ non fuit inutilis: sed in ipsa forma, ut loquuntur, non fuit exauditus: volebat enim, si fieri posset, totum populum esse salvum. sed quoniam Deus statuerat perdere illos impios, & qui prorsus erant desperati propter indomitam contumaciam, tantum ex parte obtinuit Jeremias quod volebat, nempe ut Deus servaret Ecclesiam suam, quæ tunc erat quodammodo abscondita. Dicitur autem, *Si steterint coram me Moses & Samuel, non est anima mea ad populum hunc.* Summa est, Etiamsi prodeant in medium omnes patroni, nihil tamen profecturos: quoniam Deus populum illum rejecerit. Mosis & Samuelis hic fit mentio, alibi apud Ezechielem Job & Daniel nominantur: sed eadem (Eze. 14. vers. 14.) prorsus est ratio. hic enim Mosis fit mentio, quoniam videmus ut se opposuerit, & optaverit etiam fieri anathema pro populo suo: Dele me è libro vitæ, vel (Exod. 32. vers. 32.) parcas populo huic. Quum ergo toties Moses placasset iram Dei, ubi jam fere actum erat de populo, tamen eripuisset illum quasi è morte æterna: idque satis notum, & passim vulgatum esset apud Judæos: ideo hic ponitur ejus nomen. Quod ad Samuelem spectat, scimus quantopere excelluerit: deinde quoties etiam Deus ab ipso placatus fuerit in salutem totius populi. tandem quum oraret pro Saule, Deus cohibuit quidem immodicum ejus studium, Ne ores amplius, & (1 Sam. 16. vers. 1.) tamen non destitit orare. Quum ergo tantus fuerit in Samuele fervor, ut quodammodo luctatus fuerit cum Deo ipso, hæc ratio est cur hic eum Mosi adjungat Deus. *Ergo si steterint illi duo coram me, anima mea*, vel cor meum *alienum est à populo isto*, neque unquam ero placabilis. Loquitur autem de illa perversa multitudine, quæ ultimum sibi exitium toties quasi data opera accersiverat: nam alibi visum fuit, nunquam rejectum fuisse populum: sed distinguere oportet inter paleam & triticum: erat tunc Judæa quasi area Dei, ubi quoniam multitudo à pietate desciverat, apparuit magna paleæ congeries, erant autem pauca grana quæ latebant. *Non fuit igitur cor Dei ad populum*, id est, ad illos degeneres Abrahæ filios, qui solo titulo superbiebant, quum tamen essent fœdifragi, quum pridem defecissent à vero & sincero Dei cultu, & omni probitate. non fuit igitur cor Dei ad illos: sed tamen mirabiliter servavit reliquias, & quidem occulto modo. Hic autem locus

docet

1 Sam. 8. vers. 6.

Jacob. 5. vers. 16, 17, 18.

docet quod etiam scribit Jacobus, multum valere preces justorum assiduas coram Deo. Producit exemplum Heliæ, qui cælum clausit suis votis, ne plueret tam longo tempore: deinde cælum suis votis aperuit, quum à Deo pluviam postularet. Infert igitur multum valere preces justorum assiduas, non tantum ubi pro seipsis privatim orant, sed dum supplicant pro aliis: quemadmodum Helias non habuit peculiarem sui respectum, sed voluit toti populo succurrere. Certum igitur est, patrocinium hoc sanctorum plurimi fieri coram Deo: & ideo etiam jubemur alii aliis ultro & citro exponere nostras necessitates, ut mutuo sese omnes juvent, & alii pro aliis precentur. Sed interea notandum est, non debere reddi securiores, qui existimant se commendari Deo aliorum precibus. Certum enim est, quemadmodum prosunt Christi membris piorum vota, sic etiam nihil impiis & hypocritis prodesse. Neque enim Deus jubet nos acquiescere in hac fiducia, quod alii pro aliis precentur: sed jubet unumquemque precari: deinde communicare suas preces & vota cum omnibus Ecclesiæ membris. Quisquis ergo cupit sibi prodesse sanctorum preces, ille etiam adjungat suas. Verum est, fateor, aliquando prodesse sanctorum vota etiam impiis & extraneis.

Luca 23. vers. 34. Actor. 7. vers. 60. Augustin. Serm. 1. de Sanctis, in festo S. Stephani.

Neque enim supervacua fuit Christi precatio, Pater ignosce illis: nesciunt enim quid faciunt. Nec certe operam lusit Stephanus, quum idem precatus est. Et libenter etiam recipio quod dicit Augustinus, Paulum inter alios donatum fuisse Stephano. Sed jam disputo quid nobis agendum sit quum audimus juvari nos precibus omnium sanctorum, nempe ut quisque strenue in partes suas incumbat, & præstare studeat sollicitudinem & curam fratribus, quam ab ipsis vicissim expetit. Hoc igitur controversia caret, non tantum singulos pro seipsis privatim dum orant, exaudiri, sed prodesse ultro & citro preces sanctorum etiam aliis. Sed plusquam ridiculi sunt Papistæ, dum hoc trahunt ad Sanctos mortuos: Mortui erant Moses & Samuel, inquiunt, quum Deus hoc pronunciavit: verum est: ergo tunc orabant. consequentia digna talibus magistris, quæ tantundem valet ac ruditus asini. Nam Deus hic prosopopœia utitur, acsi diceret, Si nunc superstites essent Moses & Samuel, & se interponerent, ego tamen manebo implacabilis.

Eze. 14. vers. 14. Exod. 32. vers. 32.

Eze. 14. vers. 14.

Nam Ezechiel Danielem nominat, qui tunc vivabat: nominat etiam Job. Videmus ergo hic non discerni vivos à mortuis. ac proinde nimis stupidi & insulsi sunt Papistæ, dum ita nugantur, mortuos pro vivis orare, quoniam de Mose & Samuele hoc dictum sit. Ego non multum insisto in refellenda illa inscitia, quoniam per se fere evanescit: saltem sufficit brevis admonitio, ne quis tali cavillo fallatur. Postea jubet Prophetam abjicere populum: *Abjice*, inquit, vel expelle *à facie mea*. Non dubium est, quin vulgari modo hic loquatur, Facessant à me. Sed simul tamen ostendit Deus, quid Prophetæ suo mandaverit: quasi diceret, Tu fungere officio tuo, memineris quid tibi oneris imposuerim. jussus autem fuerat Jeremias denunciare populo exilium, erat præco divinæ vindictæ. quum ergo sustineret illud onus, debuit exequi quod Deus præceperat. Ergo nunc tenemus quid sibi velint hæc verba, *Expelle eos*. Sed iterum hic notandum est quod ante vidimus: commendat enim Deus efficaciam Propheticæ doctrinæ, quemadmodum prius dictum fuit, Constitui te super Gentes & regna, ut plantes & evellas, ut ædifices & destruas. Significat ergo Deus tantum esse efficaciæ in ore servi sui, ut quamvis Judæi derideant ejus vaticinia, quasi inanes minas, quibus terrentur duntaxat pueri,

1 Sam. 16. vers. 1.

supr. 1. vers. 10.

tamen fore quasi fulmina: perinde acsi Jeremias ipse magno exercitu instructus, & magnis copiis, populum in exilium expelleret: quemadmodum etiam dicit Paulus potestatem nobis esse datam, qua dejiciamus omnem altitudinem quæ se extollit adversus Christum. Quum autem tantum auctoritatis vendicet Deus Propheticæ doctrinæ, quoties minatur pœnas incredulis, sciamus etiam hoc debere extendi ad salutis promissiones. Rursus itaque quoties Deus offert nobis gratiam per Euangelium, & se propitium nobis fore testatur, sciamus cælos quodammodo nobis aperiri: nec aliam certitudinis rationem quæramus quam in illo testimonio. quare? nam sicuti data fuit Prophetis hæc potestas ligandi & solvendi: sic etiam hodie Ecclesiæ ministris eadem potestas data est, nempe ut ad salutem invitent eos omnes qui adhuc sunt sanabiles: & denuncient ultimum interitum improbis, & obstinatis in sua malitia: quemadmodum dicitur à Christo, Quodcunque ligaveritis in terra, ligatum erit in cælis: & quodcunque solveritis in terra, solutum etiam erit in cælis. neque enim tantum ligandi mandato instruxit Apostolos, sed etiam solvendi. Et Paulus etiam quum suam illam potestatem tam magnifice prædicat, adjungit, Ubi impleta fuerit vestra obedientia: quasi diceret Euangelium non prædicari tantum in hunc finem, ut cedat reprobis in mortem, sed esse salutis pignus omnibus electis, & qui amplectuntur vera fide promissiones sibi oblatas. Jam confirmat etiam illam sententiam: *Si dixerint, Quo exibimus? tunc dices illis, Qui ad mortem, ad mortem*: qui ad gladium, ad gladium: qui ad famem, ad famem: qui ad exilium, ad exilium: quasi diceret, Frustra querentur de suis miseriis. Neque enim dubium est, quin respuerit Deus ad obstreperas voces, quæ spargendæ erant in populo in gravissimis illis calamitatibus. Sic enim solent hypocritæ, nam quantisper parcit illis Deus, superbe insultant Prophetis, & jactantes etiam proferunt sua subsidia, suas munitiones. Ubi autem urget ipsos manus Dei, tunc sunt plusquam facundi in querimoniis: He! quorsum tandem perget Deus? an nunquam erit finis? & quid hoc sibi vult? & cur nos tam duriter vexat? & cur non saltem sublavat nos aliqua miseriarum parte? Quoniam ergo tam queruli sunt hypocritæ in suis miseriis, ideo prævenit Deus omnes illas expostulationes: *Si tibi dicant, Quo effugiemus?* Vel ad famem, vel ad gladium, vel ad exilium, Deo perinde est: ac nihil refert: hoc est, nulla amplius vobis quærenda est spes misericordiæ: quoniam Deus vos abjecit. ergo scitote actum esse de vobis, quoniam salus vestra nulla est coram Deo. Quocunque ergo mortis genere pereundum sit, vobis tamen pereundum est: non parcet vobis Deus: sive occurrat gladius, sive fames, sive aliud genus mortis, omnibus modis eritis desperati.

2 Cor. 10. vers. 5.

Mat. 16. vers. 19. & 18:18.

2 Cor. 10. vers. 6.

Da omnipotens Deus, quando tam comiter digneris nos ad pœnitentiam hortari, & sustines manum tuam, imo etiam das nobis resipiscendi locum, ne obstinati ultimam vindictam in nos provocemus, sed morigeros tibi nos præbeamus, ut non tantum exaudias alios pro nobis orantes, sed etiam vota nostra apud te veniam obtineant, præsertim Christo unigenito Filio tuo intercessore, qui te semel nobis placavit, & perpetua ejus intercessio nos tibi subinde reconciliet, donec tandem appareamus, abstersis omnibus maculis & sordibus, coram facie tua, & participes ejus gloriæ quæ nobis parta est per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA NONA IN JEREMIAM.

3. Et præficiam super eos quatuor familias, dicit Jehovah, gladium ad occidendum, & canes ad trahendum, & avem cælorum, & bestiam terræ ad comedendum, & perdendum.

Prosequitur eandem sententiam Jeremias. heri dicebat populum illum non amplius curæ esse Deo: itaque nihil restare, nisi ut omnes perirent, alii aliis modis: levissima autem pœna esset exilium. Nunc vero confirmat eandem sententiam: quod scilicet Deus armabit adversus eos tam aves, quam bestias, gladium, & canes: quasi diceret omnia animalia fore illis inimica, quoniam exequentur contra eos Dei vindictam. Alii verbum פקד perperam, meo judicio, hic accipiunt pro Visitare. saltem vertere debebant, Visitabo quatuor familias super ipsos: sed visitare quatuor genera pœnarum absurde dicitur, nec ullus certe sensus potest commode elici. Atqui quum hoc verbum sumatur pro Præficere optime congruit præsenti loco: quod Deus præficiet quatuor genera, quæ vocat quatuor familias. Et subest antithesis: quia durum illis fuerat parere Deo, necesse jam esse ut habeant canes duces, & sævas bestias, & aves cælorum, & gladium ipsum. Summa est, nullum fore vindictæ Dei, & diversis pœnis finem, donec penitus Judæos consumpserit. Sed interea significat sibi præsto fore multos iræ suæ ministros, quoniam in promptu habeat omnes creaturas. Quoniam igitur poterat uti & canum, & volucrum, & animalium, & hominum etiam obsequio: hinc Judæos statuere oportuit, frustra eos captare hoc vel illud effugium. Scimus enim homines semper maligne restringere Dei potentiam vel ubi agitur de ipsorum salute, vel de castigandis eorum peccatis. Si enim præterierit aliquod incommodum, putant se elapsos, & promittunt sibi impunitatem. quasi vero Deus non possit singulis momentis depromere multa & varia flagella. hæc igitur ratio est, cur Propheta hic de quatuor familiis loquatur. Sequitur,

4. Et ponam eos in commotionem omnibus regnis terræ, propter Manasse filium Ezechiæ, regem Jehudah, (*vel, regis Jehudah, parum interest*) propter ea quæ fecit in Jerusalem.

De exilio nunc concionatur Jeremias. hactenus de gladio loquutus est, & de fame: adjunxit etiam alias pœnas, nempe quod trahenda essent cadavera à canibus, deinde lanianda ab aliis truculentis bestiis, & avibus cæli. Sed nunc speciem unam retinet, nempe quod Deus profligabit eos in exilium. Videtur autem sumpsisse hæc verba ex Mose. nam ita loquitur 28. capite Deuteron. nisi quod in nomine præponitur ע literæ ו. Sed conversio illa satis trita est. in reliquis prorsus convenit cum Mose: *Dabo*, inquit, *eos in commotionem omnibus regnis terræ*, hoc est, faciam ut vagi & trepidi errent. Amplificat gravitatem exilii: quod scilicet nusquam illis erit tuta quies. saltem qui solum vertunt exilii causa, reperiunt angulum aliquem ubi respirent: sed Deus pronunciat Judæos ubique fore vagos & instabiles, ut nullus locus illos recipiat. hinc autem melius cognosci potuit Dei vindicta, quod nusquam contigit hospitium miseris illis, quum dispersi essent per varias terras. Etsi enim habitarunt in certis regionibus, quas placuit regi Babylonio illis attribuere, fuerunt tamen ubique inquieti. Ergo non frustra Moses minatus fuerat illis talem pœnam: neque etiam frustra repetivit Jeremias quod dictum fuerat à Mose. Addit causam, nempe *propter Manasse*: atqui jam Manasse erat mortuus. cur igitur transtulit Deus in posteros vindictam, quam ipse promeritus fuerat? Videtur enim
Eze. 18. vers. 4. hoc pugnare cum altero loco, ubi per Ezechielem dicit, Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Sed minime dubium est, quin Deus juste ultus fuerit scelera populi etiam post mortem illius impii regis: quia non destiterant mala malis cumulare. quoniam tamen illo tempore maxime eruperat impietas, ideo præcipue notavit, ut intelligant Judæi se pridem dignos fuisse interitu, nec fuisse pœnam dilatam, nisi inæstimabili Dei misericordia, qui non statim voluit tractare illos, ut meriti fuerant. Commendat igitur longam Dei tolerantiam Propheta, eo quod suspensa fuisset clades ad illud usque tempus. Et ex opposito demonstrat, non adeo severe illos tractari, quin digniores sint & pluribus pœnis, & atrocioribus: quia scilicet tanta obstinatione non destiterant accersere sibi multa exitia, quantum in ipsis fuit. Sed exoritur alia quæstio. nam quamvis Manasse simulaverit pœnitentiam: tamen Deus visus est ignoscere tam ipsi, 2 Reg. 21. 2 Chr. 33. vers. 12.
quam toti populo. Cur ergo nunc pronunciat se vindictam sumpturum de sceleribus illis, quæ jam sepulta fuerant? sed facilis responsio est, quod scilicet ab eo tempore nihilo meliores fuerint Judæi. Quum ergo scelera Manasse continuum cursum habuerint, necesse fuit tandem rependi obstinatis quod meriti erant: quia si vere fuissent conversi, sequuta fuisset mutatio aliqua in melius. Quum autem eadem semper impietas grassata fuerit, & iisdem sceleribus addicti fuerint Judæi, hinc constat gravius illis instare judicium, & quidem merito, quod abusi fuerint illa Dei clementia. pepercerat enim tam Regi, quam ipsis omnibus, si modo amplexi fuissent veniam sibi oblatam. Sed quum ita obduruissent, debuit in rationem venire ipsorum ingratitudo & contumacia, ut Deus severius illos tractaret. Porro vocatur Manasse *filius Ezechiæ*, ad augendum ejus crimen. nam quum religio fuisset recte constituta Ezechiæ tempore, & pius ille Rex non absque maximis laboribus & molestiis suas omnes vires convertisset ad restituendum Dei cultum, debuit Manasse patrem suum imitari Ipse autem non modo erexit altaria idolis, & totam terram inquinavit superstitionibus, sed violavit ipsum quoque Dei Templum. Fuit igitur horribilis & plane diabolicus furor, quum tradita fuisset ratio Dei pure colendi, filium tam perditæ mentis esse, ut statim everteret quicquid magno patris labore fuerat probe constitutum. Hæc igitur ratio est cur probrose nomen patris commemoret Jeremias. Et hinc colligimus graviore dignos pœna esse, qui probe educati à pueritia, postea tamen degenerant, & quum habuerint pios ac sanctos patres, sese projiciant ad omne nefas. Qui ergo ita deficiunt à sanctis patribus, eos gravior pœna manet. Et hoc colligimus ex verbis Prophetæ, qui hic per contumeliam vocat Manasse *filium Ezechiæ*: quod tamen fuisset illi valde honorificum, si patri fuisset similis,

similis, & sequutus fuisset ejus pietatem. Et interea minime dubium est, quin Propheta totum populum oblique accuset. Scimus enim quam multa odia sustinuerit pius Ezechias, & ut certaverit pro legitimo Dei cultu, acsi fuisset inter Assyrios vel Ægyptios.ª Nam summa pervicacia populi tunc apparuit, quum periclitatus est de regno, quia scilicet conatus fuerat purgare terram Jehudah omnibus sordibus & inquinamentis. Illic ergo sese prodidit & palam detexit populi impietas & ingratitudo. Jam Manasse momento evertit cultum Dei: & cum magno plausu statim omnes abrepti sunt ad superstitionem. Ergo videmus os Judæis fuisse obstructum, ne excipetent se morigeros fuisse Regis mandato, quum sequuti essent perversas superstitiones. Sponte enim assensi sunt Regi: & tamen vix & longis difficultatibus addocti fuerant, ut paterentur restitui Dei cultum tempore Ezechiæ. Cæterum, ad superstitiones Manasse accessit etiam crudelitas: quia scimus non tantum vias urbis coopertas fuisse sanguine, sed fluxisse rivos sanguinis, quemadmodum narrat Sacra historia. Quum ergo tam inhumaniter sævitum sit adversus Prophetas tempore Manasse, & non solus Rex fuerit auctor hujus sævitiæ, sed consensu populi omnes veri Dei cultores tracti fuerint ad necem, hinc patet commune fuisse totius populi scelus. Et ideo dicit *Jerusalem*, nempe ut intelligant Judæi sanctam illam urbem, qua gloriabantur, fuisse pridem cavernam latronum, & pollutum fuisse Templum Dei impiis superstitionibus, totam vero urbem injustis illis & barbaris cædibus. Nunc sequitur,

5. Nam quis parcet tibi Jerusalem? (*vel, quis miserebitur tui? sed* יחמל *proprie est ignoscere, vel parcere: hic tamen accipitur pro indulgere, vel misereri. Quis ergo miserebitur tui Jerusalem?*) & quis consolabitur te? & quis locum mutabit ad inquirendum de pace tibi? *hoc est, tua. Jungamus & alterum versum.*

6. Tu reliquisti me, dicit Jehovah, retrorsum abiisti: ideo extendam manum meam super te, & perdam te: fatigatus sum pœnitendo.

ª 2 Reg. 21. 2 Chr. 33. vers. 12.

Hic Propheta demonstrat, pœnarum atrocitatem de qua concionatus est, non posse vitio verti, quemadmodum queruli sunt homines, & semper expostulant cum Deo, & illum insimulant nimii rigoris. Ergo ne obstrepant Judæi, breviter ostendit Propheta quicquid illis malorum instat, jure deberi, & ita esse promeritos, ut ne apud homines quidem invenire possint misericordiam. Scimus pessimos etiam quosque, ubi Dominus ipsos punit, habere tamen qui ipsis condolescant. Nemo est tam sceleratus, cui non faveant propinqui, & quem non aliqui consolentur. Ostendit ergo Propheta, non modo coram Deo inexcusabiles esse Judæos, sed etiam coram mundo indignos esse omni humanitate. Primo enim dicit, *Quis tui miserebitur?* deinde, *Quis te consolabitur?* nam נוד significat proprie verbis adhibere aliquod solatium: quemadmodum ubi conveniunt ad communem luctum propinqui, & affines, & vicini, audiunt lamentationes, ipsi etiam addunt aliquod signum consensus. Dicit igitur neminem fore, qui fungatur hoc officio erga Jerusalem. Tertio addit, *Et quis recedet*, hoc est, locum mutabit proprie: *Quis ergo locum mutabit, ut inquirat:* alii vertunt, Ad orandum. שאל est proprie petere: & tamen transfertur aliquando ad preces. Sic ergo multi vertunt, Neminem fore, qui preces suas opponat pro Judæis. Sed si syntaxin Prophetæ expendimus, potius loquitur de illo humanitatis officio, quod homines inter se colunt atque exercent, dum inquirunt de pace: Satisne salva sunt omnia? quomodo habes? An recte est & tibi, ac tuis? quum ita sciscitamur de cujusque statu, ostendimus aliquod signum sollicitudinis nostræ. nam amor est semper sollicitus. Dicit igitur Propheta, *Quis ad te concedet, ut inquirat de pace tua*, hoc est, ut intelligat quomodo valeas, & quænam sit tua conditio? Videmus ergo Judæos hic depelli ab omni querimonia: quoniam totus mundus cognoscet ipsos ea misericordia esse indignos. Non autem intelligit Propheta, fore omnes crudeles erga Jerusalem, sed potius ostendit tanta esse ejus scelera, ut nullus locus restet humanitati, & communibus officiis, quæ ultro citroque homines inter se observant. Et ratio sequitur, *Tu enim reliquisti me, dicit Jehovah.* Quum ergo rejectus fuisset Deus à Judæis, nonne talis defectio dignam mercedem retulit, quum destituti sunt omni humano auxilio? Postea addit, *Retrorsum abiisti.* Continuationem significat in illa impia defectione: quod scilicet non tantum ad tempus obliti fuerint Dei, sed procul ab ipso discessissent, ut essent in totum alienati. Jam sequitur, *Et extendam*, hoc est, ideo: nam copula ponitur vice illativæ particulæ. Potest hoc referri vel ad tempus præteritum, vel ad futurum. partim enim afflixerat Deus populum illum, sed restabant graviores pœnæ. Ego libentes interpretor, esse vaticinium de futuris cladibus. nam sequitur in clausula, *Fatigatus sum pœnitendo*, hoc est, toties me pœnituit, ut jam non possim adduci ad ignoscendum: quia video me toties lusisse operam, ut non sustineam diutius falli. Alii quidem vertunt, Consolando me: & נחם significat utrumque: sed non videtur mihi quadrare alter ille sensus. Non dubito igitur, quin Propheta pœnitentiam designet. Scimus vero Deum non mutare consilium. nam pœnitentia tanguntur homines: quia sæpe frustratur eos opinio, dum aliud quam putaverant contingit: Deo nihil tale competit. sed pœnitentia Dei refertur ad sensus nostros. Pœnituit igitur Deum severitatis quoties mitigatus est erga populum, quoties manum suam à vindicta quasi præsenti retraxit, quoties ignovit peccatis. hoc autem sæpius factum fuerat. Judæi vero ludibrio habuerant talem Dei clementiam: & quo sæpius illis parcebat, eo audacius provocabant iram ejus. Dicit ergo *se fatigatum esse, quod toties pœnituerit*, hoc est, quod toties illis pepercerit, & suspenderit suum judicium. In summa, Judæos excludit ab omni excusatione, & demonstrat impie facturos, si obstrepant Deo: quoniam scilicet non dederint locum ejus misericordiæ, imo quum toties eum experti fuerint placabilem, tamen nimis indigne & contumaciter abusi fuerint ejus tolerantia. Sequitur,

7. Et ventilabo ventilabro ipsos in omnibus portis terræ: (*id est, per omnes portas*) orbavi, perdidi populum meum: à viis suis non recesserunt. *non reversi sunt, vel non sunt conversi.*

Hic confirmat eandem doctrinam. Potest hoc quoque verbum tam in præterito tempore, quam in futuro exponi. sed adhuc existimo esse vaticinium de futuro tempore. Cæterum, quod postea sequitur, *Orbavi, perdidi:* mihi non dubium est, quin ad tempus præteritum referri debeat. Dicit ergo, *Ventilabo eos*, vel dispergam: nam זרה significat dispergere. quoniam autem sequitur, *in ventilabro*, (quod nomen deductum est ab eadem radice) ideo libenter illam anadiplosim retineo. *Ventilabo* igitur

vos ventilabro per omnes portas terræ. Quod exponunt multi Interpretes, Per urbes, mihi non adeo placet. videtur enim esse frigida expositio: quin potius Propheta Portas terræ intelligit omnes agros. nam Judæi putabant se fore semper quietos in suis urbibus. Per synecdochen Portæ, urbes quidem significantur, ut alibi visum est: sed quum Judæi confisi suis munitionibus, non putarent se unquam posse evelli ab illis tranquillis nidis, eleganter transfertur nomen hoc ad quoslibet exitus. *Ego vos ventilabo*, inquit Deus. quomodo? *per omnes portas terræ*, vel per omnes agros, & per omnia deserta: hoc est, quacunque patebit regio, erit vobis illac transeundum. Soletis ingredi per portas vestras, & egredi, & babetis illic quietas domos: sed aliæ posthac erunt vobis urbes, vel portæ, boc est, omoes agri, & omnia deserta, omnes viæ denique, & omois transitus. Jam sequitur, *Orbavi, perdidi populum meum, nec conversi sunt à viis suis.* Hic haud dubie exprobrat Judæis socordiam, quod non resipuerint gravibus pœnis admoniti, quas partim ipsis, partim fratribus Deus inflixerat. Nam regnum Israel erat excisum. quum vidissent trahi in exilium decem tribus, nonne debebant terreri tali exemplo? Ideo etiam alter Propheta dicit, Nemo est qui lugeat super contritione Joseph. Deus enim posuerat illis ante oculos *Amos 6. vers. 6.* triste speculum & horribile. Debuerant igitur in clade Israel agnoscere quid essent meriti, & converti ad Deum. Exprobrat igitur illis Deus cæcam illam duritiem, quod quum orbasset populum suum, id est, decem tribus, & quum perdidisset: deinde etiam attritum esset magna ex parte regnum Jehudah: tameo non essent conversi à viis suis. Ergo hinc melius patet dignos esse gravissimis quibusque cladibus, quoniam sint prorsus desperati. Postea addit,

8. Multiplicatæ sunt mihi viduæ ejus supra arenam maris: (*præ arena maris*) immisi illis (*venire feci illis*) super matrem juvenis (*id est, super turmam, vel multitudinem juvenum*) vastatorem in meridie: & projeci (*cadere feci, ad verbum*) super ipsam repente tumultum, & terrores. *quanquam de his vocibus postea erit aliquid dicendum.*

Primo dicit *multiplicatas fuisse ejus viduas*, quoniam viri fere omnes ceciderant in acie. Si loquitur Propheta, supervacua erit particula לי. si autem refertur ad Deum hæc loquutio: scimus sic populum illum fuisse sub imperio Dei, ut non abs re appellet Viduas suas, quemadmodum & filios qui geniti erant Israelitis, vocat Suos. Sed in ea re parum est momenti, nisi quod si accipimus in Dei persona, sensus erit, Ecce, me certe non latet in quam magna copia sint ejus viduæ. itaque quum misericors sim, non temere nec promiscue passus sum tantas strages edi in populo isto. Vult Propheta ostendere fuisse tantam obstinationem in Judæis, ut obluctati fuerint omnibus Dei vindictis. Est autem hoc signum horrendæ impietatis, quum ita desperatis animis ruunt homines, & stupidi sunt ad omnes pœnas. hoc autem intelligit Propheta quum dicit *multiplicatas esse viduas populi.* Dicit, *Præ arena maris.* Hoc certe fuit etiam auditu formidabile: sed quum tantas clades aspicerent suis oculis, quo palam fiat perdita illorum contumacia, dicit noo fuisse commotos. Quod autem sequitur, non potest oisi ad Deum referri: *Venire feci illis super turmam juvenum vastatorem*, inquit. Est explicatio ejusdem senteotiæ: quasi diceret, inde esse tot viduas, quoniam Deus perdiderit omnes viros. Sed quia poterant Judæi hoc adscribere hostibus: ideo Deus pronunciat se auctorem esse omnium cladium, quas perpessi fuerant. Ostendit igitur non fuisse fortuitas illas clades, quemadmodum imaginantur homines fortunam plurimum in bello valere: & ideo non tantum tribuunt, & prudentiæ, & virtuti hominum, quantum fortunæ: quia scilicet ignorant Dei providentiam. Hic ergo Deus ostendit fuisse quidem totum florem populi excisum hostilibus gladiis: sed non venisse sponte Chaldæos, vel proprio motu, aut Assyrios: sed impulsu arcano: quoniam scilicet voluerit pœnas de populo illo desperato sumere. Hæc igitur causa est, cur Deus non tantum hic loquatur de vastatore, sed dicat impulsos fuisse hostes suo consilio, & quasi militasse sub vexillo suo, & auspiciis, vel ductu. Dicit, *in meridie:* quum scilicet tunc melius cavere sibi possent Judæi. sed ostendit se illis fuisse adversum, quod noo fuerint deprehensi hostium astu, quemadmodum sæpe fieri solet: nec fuerint oppressi clandestinis consiliis, sed hostes palam & libere irruperint: quum tamen & multæ urbes essent munitæ, & populus confideret se habere satis multa præsidia. Quod ergo hostes in ipsis meridiebus (id enim valet Hebraicum nomen) & in clara luce ita ausi fuerint grassari: inde certe clarius patefacta est Dei vindicta, quod noo tam in rebus gerendis viguerit vel industria, vel consilium hominum, sed Deus manum suam quasi aperto modo, & visibili è cælis exeruerit. Postea adjungit, *Et projeci super eos*, cadere feci *repente.* vertunt multi, Urbem: alii, Hostem: & עיר significat urbem, sicut accipitur aliquando pro hoste. Sed potest alia esse probabilis expositio: quod scilicet Deus immiserit illis tumultum, & terrores. Nam hoc nomen עיר descendit à radice עור, quod est Excitare: ideo pro tumultu potest sumi. & mihi magis arridet hic sensus, quia qui Urbem vertunt, coguntur afferre expositionem coactam, & longe detortam: Cadere feci repente urbem, id est, urbes super eos. primum erit mutatio oumeri: deinde, Cadere feci urbes, id est, ruinas urbium super eos, videmus certe hoc violenter dici. Atqui optime conveniet sensus, si vertamus Tumultum. Nam postea etiam sequitur, & *terrores.* Alii tamen בהלות accipiunt adverbialiter, pro Repente, & volunt idem bis dici. dixerat enim paulo ante, *projeci super ipsam repente*, nunc Festinationes: sic enim alii vertunt: sed non quadraret, quoniam conjungit עיר cum בהלות, hoc est, tumultum cum terroribus. Ego igitur simpliciter interpretor, repente perculsos fuisse Judæos motu minime sperato: quoniam putabant hostes procul distare, nec quicquam sibi esse periculi. *Repente* ergo *immisi super eos tumultum, ac terrores.* Postea addit,

9. Debilitata est quæ peperit septem: & expiravit anima ejus, (*alii vertunt, afflicta fuit: sed* נפח *significat sufflare. videtur autem hic metaphorice poni pro expirare. Expiravit ergo anima ejus*) ingressus est sol ejus (*hoc est, occidit sol*) in adhuc die, (*id est, quum adhuc esset dies*) confusa est, & erubuit: & reliquias ipsorum gladio dabo (*ad gladium exponam*) coram inimicis ipsorum, dicit Jehovah.

Pergit in eadem narratione. dicit *fœcundas mulieres fuisse debilitatas:* non quemadmodum fieri videmus. nam frequentibus puerperiis scimus imminui vires mulierum. Sed hic de robore loquitur, quod matres sumunt à filiis. nam polytecnia est fultura matrum. Quæ igitur multos habet liberos, fortior videtur;

detur: quia totidem munita est clypeis. Quoniam ergo locare solent matres in sua sobole multum præsidii, dicit *debilitatas esse* suis viribus, nempe quia orbatæ sunt omnibus liberis, acsi semper fuerant steriles. Postea addit, *quasi exspirasse animam populum ipsum.* nam hic non de mulieribus loquitur, sed de toto populo. Sequitur enim postea, *Occidit sol ejus quum adhuc esset dies:* hoc est, quum prosperitas illis certa esset, subito Deus involvit eos tristi calamitate, & quasi circumdedit illis tenebras, quum putarent sibi lucere prosperam fortunam. Tandem dicit *confusos fuisse, & erubuisse:* & simul denunciat se tamen daturum quicquid residuum est gladio coram hostibus ipsorum: quasi diceret, Nondum sunt perfuncti omnibus pœnis, quia non fuerunt subacti, quum tamen tam graviter ipsos castigaveram, & severe.

Amos 6. vers. 6.

Quoniam igitur fuerunt insanabiles, quod reliquum manet expellet gladius. neque enim desinam eos vindicta mea persequi, donec penitus consumpsero.

Da omnipotens Deus, ne duritie nostra sic provocemus tuum in nos judicium, ut cogaris armata manu nos aggredi: sed mansueto & placido ingenio sic flectamur tuis minis, ut præveniamus tuam vindictam, qua videmus perditos fuisse omnes reprobos & obstinatos: & ita vera pœnitentia studeamus nobis conciliare favorem tuum, ut locum demus quotidianis tuis beneficiis, donec tandem perveniamus ad plenam & solidam fruitionem bonorum omnium, quæ nobis reposita est in regno tuo cælesti, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA IN JEREMIAM.

10. Hei mihi, mater mea, quod genueris me virum rixæ, & virum litis toti terræ. Non fœneratus sum, & non fœnerati sunt mecum: quisque maledicit mihi.

Non dubium est, quin Propheta quum videret laborem suum non ita prodesse, vel ita esse fructiferum, ut optasset, aliquid humanum passus fuerit. Simul tamen notandum est, sic retentum fuisse arcano Spiritus sancti freno, ut non intemperanter rueret, quemadmodum multis contingit: sed intentus esset in rectum finem: ita ut ejus dolores semper scopum illum spectaverint, nempe ut labor ejus utilis esset populo. Hujus rei clarum exemplum perspicitur in his verbis. Nam matrem suam implorat, quasi malediceret suæ vitæ: Quid hoc sibi vult? cur me genuisti, mater mea? Væ mihi, quod natus sim vir rixæ & contentionis. Colligimus ergo ex his verbis, Prophetam non ita fuisse compositi & moderati animi, quin excandesceret, quum videret se minus proficere, quam vellet. interim tamen patebit ex contextu, hoc totum fuisse factum in publicam utilitatem, nempe ut intelligerent Judæi, sibi infeliciter cessuram esse duritiem cordis, quum spernerent sanctum Dei servum: imo etiam hostiliter ipsum oppugnarent. hæc summa est. Se *virum rixæ & litis* nominat, non tantum quia fuerit coactus litigare cum populo. nam hoc omnibus Prophetis commune est: Deus enim illos non excitat, ut adulentur, vel blanditiis demulceant mundum. necesse est igitur Prophetas litigare cum mundo: quia nemo in ordinem cogitur, ut jugum Dei libenter & placide admittat, nisi qui convictus est. Ergo nunquam homines concedent in obsequium Dei, nunquam etiam subjicient se ejus verbo, donec sentiant se quodammodo damnatos. ideo dixi, Prophetis omnibus communem fuisse hanc militiam, ut litigarent cum mundo. Sed *virum rixæ & litis* Jeremias se vocat, quoniam pessime audiret in tota Judæa, acsi sua morositate impelleret totum populum ad contentiones & rixas. Refertur igitur hoc ad perversa judicia populi: quoniam nemo erat, qui non diceret esse hominem turbulentum, & quo sublato, posset tranquillus esse status urbis, & totius terræ. quemadmodum hodie nobis idem objicitur ab hostibus pietatis & sanæ doctrinæ: dicunt enim nos turbas frustra movere: quod si essemus quieti, fore lætam pacem in toto mundo: & dissidia atque contentiones tantum ex nobis oriri, nos esse flabella quibus accenditur totus orbis ad multas rixas. Ergo Jeremias conqueritur se natum esse virum rixæ, non quod esset contentiosus, non quod daret ullam occasionem populo tam maligne loquendi. sed hic non agitur de Prophetæ conscientia. sciebat enim suam animositatem probari Deo: sed quoniam videbat se urgeri ac premi perversis illis judiciis, ideo vocat se *virum rixæ, & virum litis*, à ריב, quod est Litigare. Quod autem *matrem suam* inclamat, jam admonui signum esse intemperantis affectus: nam si composito animo loquutus esset, quid illi negotii erat cum matre, ut vocaret ipsam in societatem criminis? videtur enim conferre partem culpæ in matrem, quoniam ipsum genuerat. hoc autem absurdum est. Sed interea facile colligitur, Prophetam non abreptum fuisse tanta vehementia, quin consuleret publicæ saluti, atque etiam hanc querimoniam referret ad eundem finem. Neque enim, etiamsi primo intuitu ita apparet, voluit matrem suam damnare: sed quum illa esset innoxia, ostendit etiam se injuste gravari talibus calumniis, quod esset vir contentionis & rixæ: quasi diceret, Agite cum matre mea, peperit me: an ab utero fui contentiosus? an mater mea etiam in causa est, cur me dicatis esse hominem turbulentum, & auctorem rixarum? certe non potest quicquam matri meæ imputari: ego igitur innoxius sum, ut illa. Nunc ergo videmus ut Propheta oblique perstringat populi malitiam, quod illum calumniabantur, acsi moveret tumultus & rixas in tota terra. & hoc ipsum melius confirmat sequentibus verbis: *Ego*, inquit, *non fœneratus sum, & illi non fœnerati sunt mecum: tamen omnes maledicunt mihi.* Hic ostendit non privata causa se ita exosum fuisse toti populo, & onerari perversis judiciis. unde enim inter homines & odia, & rixæ, & querimoniæ, & lites, & jurgia, nisi quia male inter ipsos convenit, dum ultro & citro negotiantur? Dum igitur quisque privato commodo intentus est, ita indigne patitur quicquam sibi detrahi. Interea rarum est exemplum in mundo, ut qui negotia inter se tractant, sint vere amici, & quisque alterum probet sine exceptione: nam, ut jam dixi, cupiditas ita prævalet, ut judicium & æquitas evanescant in maxima hominum parte. Ergo dicit Propheta *se non fuisse fœneratum.* sub una specie comprehendit negotia, quæ inter se agitare solent homines: quasi diceret, *Je n'ay point traffiqué.* Non fuit mihi, inquit, de re pecuniaria contentio: quia nec dedi mutuo pecuniam, neque etiam alii mihi dederunt. quare ob privatum commodum nulla lis est cum populo: neque etiam illi jurgantur mecum, quasi intulerim aliquam injuriam, vel eos fraudaverim;

verim, quasi damnum aliquod passi sint mea causa: *tamen*, inquit, *omnes maledicunt mihi*. Videmus ut Prophetam hic testari velit se non subiisse invidiam vel propria culpa, vel ob privatum commodum, sed quia fideliter operam suam Deo impenderit, & ejus Ecclesiæ. Ergo gravissime hic populum condemnat, quod non gereret bellum cum homine mortali, sed potius cum Deo ipso. Tenemus nunc consilium Prophetæ. sed hinc etiam monentur omnes probi Doctores, si velint exequi munus suum strenue, & cordate, ut decet, fieri non posse, quin graventur moltis probris, & quio vocentur tumultuosi, vel morosi, vel turbatores pacis. Munitos igitur esse oportet contra hæc offendicula, ut constanter pergant in vocationis suæ cursu: sed simul etiam cavere debent, ne ob privatas causas cuiquam sint inimici. nam ut abstineant Ecclesiæ Pastores ab omni negotiatione, tamen si litigent, ut oportet, cum mundo, statim clamabunt omnes, esse contentiosos & turbulentos. quod si alterum illud accedat, nempe ut tumultuosi sint cum hoc vel illo in negotiis terrenis, fieri non poterit, quin verbum Dei ipsorum culpa male audiat. Ergo danda est opera sedulo, ut qui sustinent munus publicum docendi, ne exerceant ullam negotiationem, atque ne cogantur de privatis suis rebus litigare; satis enim & super est illis negotii in sua militia, quam Dominus illis injungit. Jam quum dicit Propheta *omnes maledicere*, certe exemplum illud fuit valde triste. neque enim loquitur de extraneis hominibus, sed de sacro Abrahæ genere. Nulla erat tunc in mundo Ecclesia, nisi Jerosolymæ, & tamen Propheta illic erat contentiosus, & rixator. Non mirum igitur nobis videri debet, si hodie etiam non tantum professi Christi hostes nos onerent multis conviciis: sed qui volunt censeri Ecclesiæ membra, illi quoque nobis maledicant. Nunc sequitur,

11. Et dixit Jehovah, Si non reliquiæ tuæ in bonum, si non occurrere fecero tibi in tempore mali, & in tempore afflictionis (*vel angustiæ*) hostem.

Non dubium est, quin Deus principio versus ostendat se propitium fuisse servo suo, & illi velle largiri quod petebat. Colligimus ergo exauditum fuisse Prophetæ votum: & hinc etiam patet quod dixi, Prophetam non ita fuisse abreptum impetu doloris, quin præcipue respiceret populi utilitatem. Deus ergo sic propitius fuit ejus voto, ut diceret *reliquias ejus cessuras in bonum*, hoc est, residuum ejus feliciter cessurum. Dissentiunt Interpretes in secunda parte versus: quidam enim referunt ad populum quod dicitur, *Si non occurrere fecero tibi hostem in tempore mali, & in tempore tribulationis*: & ita eliciunt hunc sensum, Quod Deus initio versus respondeat Prophetæ, & ostendat, sibi ita accepta esse ejus officia, ut finis futurus sit melior ac felicior, quam appareat; postea existimant Deum convertere sermonem ad populum: Quantum ad vos spectat, ego faciam vobis occurrere hostem in die afflictionis. sed hæc secunda expositio videtur esse coactior. Mihi igitur magis probatur, totum versum de Propheta intelligi. Initio promittit Deus, reliquias ejus fore prosperas. per Reliquias intelligit residuum tempus, vel finem actionum: quasi diceret, Ego tandem miserebor tui, ut hæc quæ te summo nunc mœrore afficiunt, cedant in lætitiam: finis ergo tuus prosperior erit, quam putas. deinde *etiam in ipso tempore mali*. Videtur mihi esse confirmatio proximæ sententiæ. poterat enim excipere Propheta, Ergo vel populus immunis erit ab omni molestia, vel ego cladis partem non effugiam: respondet Deus, Tibi, & aliis multa patienda erunt, *sed occurrere faciam tibi hostem*, hoc est, faciam ut hostis sit tibi placabilis, imo ultro te præveniat. Quanquam adhuc variant Interpretes in verbo הפגעתי quidam accipiunt transitive, Occurrere faciam tibi hostem. alii simpliciter exponunt, Occurram propter te hosti, vel faciam rogare hostem pro te. nam פגע significat interdum occurrere, sive in bonum, sive in malum, quemadmodum si quis hostiliter feratur in alterum, dicitur ita occurrere: si vero quis rursum deferat suum officium, & signum benevolentiæ ostendat, etiam dicitur hoc modo occurrere. sed transfertur ad aliam significationem, & interdum accipitur pro rogare. quidam igitur ita accipiunt, Ego mittam qui pro te roget. sed hoc valde remotum est: neque enim Deus internuncios misit, qui placarent Babylonios servo suo Jeremiæ. Ego malo ita interpretari, Vel occurram hosti pro te, vel faciam hostem occurrere tibi, id est, placabo, nempe arcano instinctu, ut tibi sponte parcat, & humaniter se gerat erga te: quemadmodum scimus fuisse completum. Jeremias enim exemptus fuit ex catenis, deinde permissa ei libertas, ut concederet quo vellet, ac putaret sibi esse utile. Quum ergo hostes tam liberaliter cum ipso egerint, hinc apparet, fuisse completum quod Deus ante pollicitus fuerat. Quantum ad summam rei pertinet, nulla est ambiguitas in verbis: promittit enim Deus felicem fore exitum Jeremiæ, deinde etiamsi necesse sit ipsum aliquid perpeti in communi totius populi clade, tamen hostem cum illo mitius acturum, ita ut potior, & magis optabilis futura sit ejus conditio, quam aliorum. Cur autem hoc in medium protulit Jeremias? cur etiam descripsit? cur voluit referri in monumenta? nempe ut intelligerent Judæi se injuste facere, qui eum ita vexarent, quum non lacesseret eos ulla injuria. Fuerant quidem ab ipso provocati, sed propter officii necessitatem: neque enim poterat negare Deo suum obsequium. Jam ergo voluit Jeremias proferre quod Deus solus ante sciebat, nempe ut afficeret eos si fuisset aliqua spes resipiscentiæ. Et ideo etiam subjicitur hæc Dei promissio: nam inde oportuit Judæos terreri, quum viderent Prophetæ exitum talem promitti à Deo. nam quid illis accidere potuit, nisi ut sentirent Dei maledictionem ad extremum usque? Videmus ergo in hac Prophetæ querimonia, & in Dei responso, consultum fuisse populi saluti: quia querimonia hæc continet gravissimam objurgationem: responsum vero Dei minatur tristissimum interitum populo rebelli. Sequitur,

12. An conteret ferrum, ferrum ab Aquilone, & æs? *vel chalybem.*

Versus etiam hic non uno modo accipitur ab Interpretibus: quidam enim nomen Ferri, quod repetitur, in diverso casu accipiunt, An ferrum conteret ferrum? alii autem putant deesse subjectum in hac propositione, & subaudiunt Populum, An ergo Judæi conterent ferrum, & ferrum ab Aquilone: nec modo ferrum, sed etiam chalybem, vel æs mixtum ferro? In re ipsa nulla est diversitas, sed tantum in verbis. Si ita legimus, An ferrum conteret ferrum ab Aquilone? sensus erit, Quamvis magna sit in vobis duritiea, poteritne conterere illam, quæ erat in Assyriis? neque enim pares eritis: magnifacite ut libet vestrum robur, tamen duriores erunt Chaldæi ad vos frangendos, quia si vos estis ferrum, ipsi erunt chalybs: & ita fieri non poterit, ut sustineatis illorum impetus Quoniam de mente Prophetæ satis convenit, ego in verbis non adeo insistam. quanquam mihi magis arridet illa versio, *An conteret ferrum ferrum* (ut litera-

iteratio nominis emphatica) *ab Aquilone, & as?* Videmus hic quoque propositum fuisse sancto viro, Judæis detrahere perversam fiduciam, qua superbiebant. nam unde factum est, ut tam essent præfracti, nisi quod sibi non metuebant ab ullo incommodo? Quoniam ergo securi erant, ideo apud ipsos parum ponderis habebant prophetiæ. Ergo Propheta ot retundat illam ferociam, dicit majorem fore duritiem in Chaldæis: qoia erunt similes ferro, imo etiam chalybi. Sequitur,

13. Opes tuas & thesauros tuos in direptionem dabo, non in permotatione, (*hoc est, absque pretio*) & propter omne scelus tuum, & propter omnem finem tuum, *vel terminum tuum. in omnibus terminis tuis, ad verbum: sicuti etiam, in omnibus sceleribus.*

Verum bic dissectio ab Interpretibus in nomine נבול. fateor quidem semper accipi pro termino: sed meo judicio, si diversa vellet dicere Jeremias, uteretur etiam diversis formis: quoniam eadem prorsua est syntaxis, non video quomodo nomen hoc possit accipi pro finibus terræ. Ego igitur metaphorice positum arbitror pro Consiliis: quasi diceret, Propter omnia tua scelera, & propter omnes fines tuos, id est, propter omnia tua coosilia, *ego ponam thesauros tuos, & opes in direptionem* nam verum est illud profani Poetæ, Est aliquid quo tendis, & in quo dirigis arcum: quandoquidem ubi aliquid suscipimus negotii, proponimus nobis certum finem. Scelera igitur nominat Propheta tam adulteria, quam fraudes, rapinas, & violentias, & cædes, & ejusmodi scelera: Terminos autem vocat consilia, quæ astute captabant, in quibus non tam perspicua erat illorum pravitas, ac turpitudo. Primo igitur denunciat, Deum fore justum vindicem adversus scelera, & adversus omnes fines, quos ipsi Judæi sibi proposueraot: & simul demonstrat vel designat pœnæ speciem: quod scilicet *Dominus dabit in prædam omnes illorum opes ac thesauros, idque sine permutatione.* vertunt alii Sine pretio, & intelligunt tam viles fore Judæos, ut nemo dignetur eos mercari. sed illud est nimis argutum. Non dubito igitur, quin significet Propheta, expositum fore hostibus in prædam quicquid possidebant Judæi, ita ot ab ipsis alienetur sine aliquo pretio vel permutatione: quasi diceret, Gratis diripient omnia vestra hostes, non licitabuntur à vobis, sed occupabunt tanquam sua, nempe victoriæ nomine, quæcunque putatis apud vos sic esse recondita, ut nunquam auferaotur. Postea subjicit,

Pers. Sat. 3.

14. Et transire faciam ad hostem, in terram quam non cognoscis: quia ignis accensus est in ira mea, (*alii vertunt, in nare:* ארץ *significat utrumque*) super vos ardebit.

Prosequitur eandem sententiam. dixerat expositos fore hostibus io prædam, ut omnes illorum opes impune diriperent: jam adjungit, *Ego vos traducam ad hostem*, hoc est, dabo vos io manum hostium, ot alio vos transferant. postea adjungit circumstantiam, quæ debuit exilium illis tristius reddere: nam si quis locum mutet, interea non trahatur in longinquam peregrinationem, hoc erit magis tolerabile: verum si quis trans mare vehatur, vel io longissimas terras, hoc plus tristitiæ secum afferet, quia nulla est spes reditus in patriam. Desperatio igitur exasperat mœrorem: adde quod per se quoque hoc acerbum est, nihil audire de solo natali, acsi essemus in alio mundo. Tandem subjicit Propheta, *Quoniam ignis accensus est in ira mea, & in vos ardebit.* Significat Deum illis fore implacabilem, donec consumpti fuerint: quia ira ejus accensa sit propter obstinatam eorum malitiam. Oportuit autem hæc omnia illis prædici, ut scirent se justa Dei vindicta plecti, quum devicti essent à Chaldæis: nam putassent hoc factum fuisse fortuito, quemadmodum dicunt profani homines, Incertos esse bellorum eventus, Martem esse communem: sic rejiciunt in fortunam quicquid divinitus accidit. Ergo ut scirent Judæi se affligi Dei manu, & justa ejus vindicta, testatum hoc illis oportuit: & ideo nunc de Chaldæis loquitur, nunc autem de ipso Deo, cujus instrumenta erant Chaldæi: quoniam dirigebantur ejus manu. Dixit ante, An canteret ferrum ferrum ab Aquilone? hoc exposuimus de Chaldæis: nunc autem ad Deum ipsum transfert, qui auctor fuit illatæ cladis, quoniam nihil poterant Chaldæi, nisi ejus ductu & impulsu. Dicit igitur, *Transire eos faciam ad hostem, nempe in terram quam non agnoscunt.* Et ratio quæ sequitur valere debuit ad compescendas omnes querimonias. scimus enim quam obstreperi fueriot Judæi: oam subinde accusabant Deum sævitiæ, quemadmodum ex aliis ploribus locis patet. Propheta igitur ut illos cohibeat, dicit *ignem iræ Dei esse accensum*, neque posse extingui, quin ardeat super eos, id est, penitus eos consumat. Interea perstringit illorum obstinationem, quod scilicet non dederint locum misericordiæ Dei, quum sæpius admoniti fuerint. poterant enim ipsum placare, si qua fuisset in illis pœnitentia. Ergo pervicaciam illorum hic Propheta damnat, quod coacervarint sibi gravius judicium continuo progressu. Postea adjungit,

Cicero in epistolis.

15. To nosti, Jehovah, recordare mei, & visita me, & ulciscere me à persequutoribus meis: ne in prorogatione (*vel protractione*) iræ tuæ tollas me: cognosce sustinuisse me (*id est, quod sustinuerim*) propter te opprobrium.

Iterum Propheta se ad Deum convertit, ut ostendat se apud surdos verba facere. hæc abruptio in Prophetæ sermone plus multo vehementiæ habet, quam si uno tenore prosequutus esset sua verba. Si concionatus fuisset placide, & ordine ad populum, minus efficax fuisset oratio, quam dum populum quasi stomachose alloquitur, & severe objurgat. deinde statim alio vertitur, & compellat ipsum Deum, hominibus quasi valere jussis. De hac re alibi dictum fuit: sed iterum memoria repetere operæpretium est quod ante vidimus. Tenemus nunc Prophetæ consilium, cur ita abrupte à populo ad Deum transiliat, & rursus à Deo transeat ad populum, nempe quia indigne ferebat se ludere operam, quum aures fere omnium occlusæ essent: imo fere contraxissent callum, ita ut nollus restaret metus Dei, nulla reverentia doctrinæ. Qoum ergo Propheta indigne ferret tantam populi malitiam, ideo necesse fuit ita tumultuarie ipsum loqui. Secundum hanc rationem nunc dicit: *Tu nosti, Jehovah*, inquit: *ergo recordare mei, & visita me, & ulciscere me de inimicis meis.* Videtur tamen Propheta hic magis excandescere, quam debeat: nam omnis vindictæ cupiditas aliena esse debet à filiis Dei. qui fit igitur, ut Propheta nonc tanto dolore exardeat contra populum, ut vindictam expetat? Sed alibi diximus, Prophetas, quum exoti essent omni carnis affectu, potuisse merito vindictam de reprobis expetere. Nam distinguere

guere

guere oportet inter affectus publicos & privatos, deinde inter passiones carnis, quæ nunquam modum servant, & inter zelum spiritus. Certum est, Prophetam non habuisse rationem sui, quum ita loquutus est; sed non sufficeret, relicto & omisso sui respectu, tantum agere causam Dei. nam obrepit etiam sæpe inconsideratus zelus, ut optemus omnes perditos, qui nobis non satisfaciunt: & talis fuit intemperies in discipulis, quum dicerent, Domine, jube ut
Luca 9. vers. 54. descendat ignis è cælo, & illos absumat, quemadmodum factum est ab Helia. atqui non tantum opus est moveri pio affectu, sed etiam gubernari recto consilio. Hoc igitur secundum etiam in Propheta fuit, nempe ut non laxaret habenas zelo suo, sed eum subjiceret Spiritus sancti gubernationi. Quum autem hæc simul conjuncta sint, nempe rectus zelus, secluso privato affectu, deinde spiritus prudentiæ, & rectum consilium: illic vindictam exposcere licet adversus reprobos, quemadmodum Propheta facit. Interea tamen dubium non est, quin misertus fuerit populi: sed erat quodammodo solutus omni humano affectu, atque exuerat quicquid nos perturbat, & abducit à moderatione. Quoniam ergo Propheta sic erat solutus, & liber ab omni perturbatione, non dubium est, quin reprobis optaverit ultimum judicium: interea siqui essent sanabiles, quin voluerit esse salvos, & pro ipsis etiam sollicite precatus sit. Denique quoties Prophetæ tanto ardore feruntur, sciamus plenos esse Spiritu Christi: & quum ita pleni sunt, sciamus eos dirigere totum suum ardorem contra reprobos, ita ut studeant quicquid sal-
Psal. 35. v. 4.5.6. vum esse potest colligere. Et hac ratione etiam David, quum tam ferventer imprecatur exitium hostibus suis, non dubium est, quin sustineat Christi personam, ut erat plenus ejus Spiritu. Ergo totam illam vehementiam convertit & vibrat contra reprobos. ubi autem fuit aliqua spes salutis, illic etiam pro spiritu mansuetudinis voluit David reducere in viam salutis, qui jam videri poterant periisse. Nunc ergo quum dicit Propheta, *Tu nosti Domine, recordare mei, & visita me, & ulciscere me de persequutoribus meis:* haud dubie persequutores non quoslibet intelligit, sed qui addicti erant ac devoti exitio, & quos ipse sciebat reprobos esse. Postea ostendit quid sibi voluerit his verbis, *Recordare mei, & visita me.* dicit enim, *Ne in prorogatione iræ tuæ tollas me.* Ita exponunt hunc locum: Dum toleras impietatem hujus populi, & ad tempus vindictam tuam suspendis, ne interea rapiat me ira tua è medio. ארך significat differre, & protrahere: diverso etiam sensu Prorogare, vel extendere, vel continuare. quare non male conveniet, *Ne tollas me in protractione iræ tuæ*, hoc est, quum non uno tantum die, sed in longum tempus protrahes iram tuam, *ne tollas me*, id est, ne me involvas eodem exitio, quo peribunt reprobi: quemadmodum etiam David idem precatur: Quum per- *Psal. 26. vers. 9.*
des impios, ne me simul involvas, inquit. Summa est, quod Propheta postulat sui rationem haberi, ut Deus ipsum à reprobis discernat, quum iram suam protrahet, hoc est, quum non brevi tantum tempore vindictam sumet de impietate populi, sed addet clades cladibus, accumulabit mala malis, & ita longo tempore ardebit ignis ejus, donec consumpta fuerit tota terra. Et ego hunc sensum magis amplector; quamvis omnes Interpretes in altero consentiant. Interea notandum est, Prophetam in hac precatione non tam voluisse sibi consultum, quam illud spectasse, ut populus tandem expavesceret ad horribile judicium quod instabat. Diximus enim quam supina esset securitas in tota Judæa: deinde sperabant etiam fore brevem cladem, si qua accideret, ita ut defuncti, postea in deliciis suis, & quiete viverent. Ergo de *protractione iræ Dei* loquitur Propheta, ut sentiant, quemadmodum prius dixi, ignem qui accensus est non posse extingui, donec omnes perierint.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus nostris peccatis quotidie iram in nos tuam provocare, deinde tam ingrati sumus atque immorigeri doctrinæ tuæ cælesti: da, inquam, ut tandem sentiamus quid fuerimus hactenus promeriti, ac sic nobis displiceamus in vitiis nostris, ut vere & ex animo ad te conversi, nihil aliud curemus, quam ut reconciliatus, nos recipias in favorem tuum: deinde etiam Spiritu tuo sancto gubernes & confirmes nos in studio veræ obedientiæ & pietatis, donec tandem fruamur æterna illa beatitudine, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA PRIMA

IN

JEREMIAM.

16. Inventi sunt sermones tui, & comedi eos, & fuit sermo tuus mihi in gaudium & lætitiam cordis mei: quia invocatum est nomen tuum super me, Jehovah Deus exercituum.

Dixerat proximo versu Propheta se oneratum fuisse probris propter Deum: quia scilicet non ita versatus fuerat cum suis popularibus, ut esset illis odio ob privatam causam: sed quia fideliter officio suo perfunctus fuerat, hinc probra & calumniæ. Jam confirmat eandem sententiam aliis verbis, & simul explicat quod poterat obscurius esse propter brevitatem. Hic ergo versus est exegeticus: quia ostendit Propheta quid hoc sibi vellet, nempe quod gravatus esset probris & contumeliis propter nomen Dei: *Quia sermones tui*, inquit, *mihi oblati sunt, & ego comedi eos, & conversi sunt mihi in gaudium cordis.* Hinc igitur dicit se fuisse exosum toti populo, quod studuerit ex animo, & recto affectu Dei mandato obsequi, & partes sibi injunctas peragere. Cæterum, quod dicit *inventos fuisse sermones*, referri debet ad vocationem: quasi diceret se non quæsisse ut solent homines cupidi. nam videmus permultos dum satagunt captare hinc inde negotia, possent colere otium, & non esse cuiquam molesti: sed stulta quædam intemperies ipsos impellit, ut accersant sibi negotia, & deinde etiam multorum in se odia provocent. Propheta igitur hic testatur se non ambitiose captasse hanc provinciam, sed sibi divinitus oblatam fuisse. Quanquam possumus etiam aliter accipere hoc verbum: quod scilicet certo compertum habuerit Propheta, Deum sibi esse auctorem: nam ita sæpe in Scripturis capitur verbum Inveniendi: ubi res aliqua deprehensa est, & cognita, dicitur inventa esse. sed prior expositio mihi probatur, quia simplicior est. Dicit igitur Propheta se fuisse vocatum, quum nihil tale expeteret, & creatum fuisse Prophetam: quia dum minime affectat seipsum ingerere, occurrerit illi Deus, & quodammodo ipsum prævenerit: quod etiam vidimus capite primo. dicebat enim excusandi causa: Ha, ha, Do- *cap. 1: 6.*
mine, nescio loqui. Videmus ergo ut Propheta conatus fuerit se subducere ab officio potius, quam expe-

tiverit

tiverit gradum aliquem honoris. Ita merito nunc pronunciat, *sermones Dei fuisse inventos*, hoc est, fuisse sibi oblatos gratuito: quemadmodum Dominus per Jesaiam dicit, Inventus sum ab his qui non quærebant me, & manifestavi me his qui non interrogabant. Hoc quidem generaliter extenditur ad omnes: sed quantum ad significationem verbi spectat, videmus quam bene conveniat sensus ille: quod scilicet Propheta non fuerit venatus honorem, neque quicquam tale expetiverit, sed quod Dei gratia ipsum anteverterit. Postea adjungit, *Comedi eos.* Hic testatur se ex animo, & sincero affectu paruisse Dei mandato. Scimus enim multos garrire de mysteriis cælestibus: tales quidem gestant verbum Dei in lingua. sed Propheta dicit *se comedisse sermones Dei*, hoc est, nihil protulisse ex summis labiis, quemadmodum dicitur in proverbio, sed ex intimo corde loquutum esse, quum vocationi Dei paruit. Nota est Comedendi metaphora, & satis frequenter occurrit in Scripturis. Quum dicimur comedere Christum, certe hoc refertur ad conjunctionem, quæ nobis est cum ipso, quoniam sumus unum corpus, & unus spiritus: ita etiam dicimur Comedere sermones Dei, quum non tantum gustamus ut statim respuamus, sicuti faciunt homines fastidiosi, sed dum recipimus intus, & concoquimus quod Dominus nobis proponit. nam cælestis doctrina confertur cibo, & nos experientia fidei cognoscimus, quam apta sit comparatio illa. Si ergo doctrina cælestis cibus est ad pascendas spiritualiter animas nostras, merito dicimur eam comedere, dum non respuimus: sed quum avide eam suscipimus, ita ut nobis sit in alimentum, probe eam concoquimus & digerimus. Hoc igitur sibi voluit Propheta, quod non luserit fabulam in theatro quum doceret populum, sed serio exequutus sit partes sibi mandatas; non fuerit histrio, quemadmodum sunt multi, qui se jactant verbi ministros, sed fuerit sincerus Dei minister. Jam adjungit *sermonem Dei sibi fuisse in gaudium, & lætitiam cordis*, hoc est, se oblectatum fuisse illo sermone: quemadmodum & David melli comparat tam Psalmo 19: 11. quam 119: 103. Apud Ezechielem fere eadem ratio loquendi habetur in fine secundi capitis, vers. 8. & initio tertii, vers. 1, 2, 3. jubetur enim illic Propheta comedere volumen sibi propositum: postea dicit sibi fuisse instar mellis ad dulcedinem: quia scil. ardenti voto amplexus est doctrinam, & privatim profecit in Dei schola, ut deinde etiam publice utilis esset ejus labor. Videmus quam similis sit inter Jeremiam & Ezechielem ratio: quod scilicet non tantum recitaverint, ut solent qui volunt aures mulcere, quod edocti fuerant, sed fuerint prius discipuli Spiritus sancti, quam essent plebis doctores. Quæritur tamen quomodo potuerit sermo Dei tam dulcis & jucundus esse Prophetæ, quum tamen esset plenus amaritudinis. Nam alibi vidimus expressas fuisse multas lachrymas sancto viro, ita ut cuperet oculos suos defluere, acsi essent duo fontes. quomodo igitur hæc duo simul convenient, Judicia Dei tantum mœroris & tristitiæ attulisse sancto viro, & tamen simul fuisse in gaudium & lætitiam? Diximus alibi, quamvis duo isti affectus primo intuitu repugnent, tamen simul conjungi, quum humanitus deplorant Prophetæ, & lugent populi interitum, & tamen virtute Spiritus funguntur suo officio, & Deo subscribunt, & approbant justas ejus vindictas. Sic igitur factus fuit Prophetæ *sermo Dei in gaudium*, non quod ipsum non tangeret populi clades, sed quia superabat omnes humanos affectus, ut libenter subscriberet Dei judiciis: quemadmodum etiam dicit Oseas, Rectæ sunt viæ Domini, justi ambulabunt in ipsis: & impii semper impingent, & corruent. Loquitur quidem illic Propheta non de verbo ipso, sed executione: cæterum in eundem finem uterque spectat. Nam Propheta Oseas compescit proterviam populi, quia conquerebantur, Deum nimis esse rigidum, & asperum: Rectæ, inquit, sunt viæ Domini; justi ambulabunt in illis, hoc est, justi consentient Deo, & agnoscent eum recte agere, etiam dum pœnas exigit de peccatis: sed impii corruent. quemadmodum etiam alio loco Dominus loquitur, An perversæ sunt viæ meæ, ac non potius vestræ? nam dicebant obliquas esse vias Domini, quoniam ut erant molles & delicati, non poterant ferre objurgationes tam severas, quas tamen eorum malitia exprimebat sanctis Prophetis. respondet Deus vias suas non esse obliquas, nec spinosas, nec tortuosas; sed culpam esse in ipso populo. Nunc ergo tenemus genuinum sensum hujus loci: quod scilicet Propheta cognoverit nihil esse melius, quam amplecti quicquid à Deo profectum est. & hæc fuit dulcedo, quam se testatur sensisse in sermone Dei. Postea adjungit, *Quia super me invocatum est nomen tuum, Jehovah Deus exercituum.* Loquutio hæc sæpe occurrit in Scriptura, sed diverso sensu: invocatur enim nomen Dei promiscue super omnes, qui censentur in ejus populo, sicuti olim invocatum fuit super totum semen Abrahæ: ita hodie invocatur super eos omnes, qui initiati sunt sacro Baptismo in ejus nomen, & qui jactant se Christianos, & filios Ecclesiæ. & hoc etiam extenditur ad Papistas. Invocatur super nos, quia scilicet dignatus est nos peculiari gratia: nam puritas veri & legitimi cultus inter nos viget, deinde errores sublati sunt, & manet simplex ejus veritas. tamen multi permixti sunt hypocritæ Dei electis: ita etiam in vera Ecclesia, & bene composita invocatur Dei nomen super reprobos. invocatur autem vere nomen Dei super electos, quemadmodum dicit Paulus, Discedat ab iniquitate quisquis invocat nomen Domini. nam est mutua relatio: tantundem enim valet invocare nomen Dei, atque invocari nomen Domini super aliquem. Videmus ergo nomen Dei invocari vere & reipsa super eos, qui non tantum ore se jactant fideles, sed etiam Spiritu sancto sunt regeniti. Propheta autem hic ad munus suum respicit, quum dicit *nomen Dei invocatum fuisse super ipsum*: quia scilicet delectus fuerit ad officium docendi, nec tantum gloriatus fuerit titulo, sed Deo probatus fuerit. Nunc ergo tenemus quo sensu dicat *invocatum fuisse nomen Dei super se*: nempe quoniam Deus manum illi porrexerat, & voluerat ejus opera uti ad populum docendum. Quoniam autem multi sunt in Ecclesia mercenarii, & quamvis non palam corrumpant vel adulterent doctrinam Dei, tamen cauponantur, ut inquit Paulus. Notandum est, invocatum fuisse nomen Dei super Jeremiam, quia Deo cognitus fuerit verax & fidelis, & non tantum probatus fuerit hominibus, sed ipsius Dei judicio fuerit electus in verum organum. Pondus est in his verbis, *Jehovah Deus exercituum*: neque enim dubium est, quin Propheta hic magnifaciat Dei gloriam, quo possit excelso animo despicere tot adversarios, qui superbe insultabant. difficile enim fuit illi bellum gerere cum toto populo. Hæc igitur ratio est, cur Dei gloriam ornaverit his magnificis elogiis, quum vocat *Jehovam, & Deum exercituum*. Sequitur,

[Margin notes: Jesa. 65. vers. 1. Rom. 10. vers. 20. — Mat. 26. vers. 26. — cap. 9. — Osee 14. vers. 10. — Eze. 18. vers. 25. — 2 Tim. 2. vers. 19. — 2 Cor. 2. vers. 17.]

17. Non sedi in consilio (*vel cœtu*) derisorum, neque exultavi: propter manum tuam seorsum sedi: quia indignatione replevisti me.

Hic liberius Propheta declarat se ideo esse odiosum toti populo, quia Deo placeat. nam invehitur contra impietatem eorum, qui tunc dominabantur. hic non plebem duntaxat coarguit, sed ipsos proceres, penes quos erat potestas & judicium. Nam quum de cœtu impiorum loquitur, haud dubie designat

gnat impios gubernatores. nam סוד significat arcanum, significat etiam concilium. *Psal. 69. vers. 13.* Et David (seu quisquis fuerit auctor Psalmi sexagesimi noni) non dicit se ludibrio fuisse apud ignobiles, sed se derisum fuisse ab his qui sedebant in porta, hoc est, se contumeliose tractatum fuisse ab impiis judicibus, penes quos erat magna auctoritas. Sic etiam hoc loco negat Jeremias *se sedisse in concilio derisorum.* Aliud est verbum quam Psalmo primo. nam accipitur interdum hoc nomen סוד in bonam partem: sed hic male sonat. Loquitur enim Jeremias de profanis Dei contemptoribus, qui subsannant quicquid in medium affertur Dei nomine. Necesse autem fuit sancto viro ita exasperare impios illos. Nam pollebant & gratia, & fide, & opinione etiam gravitatis apud populum: quemadmodum scimus qui rerum potiuntur, quodammodo perstringere vulgi oculos suo splendore. Ita quum fucum facerent simplicibus, Propheta larvam illis detraxit, ex opposito clamans *se non sedisse in illorum concilio, neque exultasse.* Describit autem ipsorum mores & ingenium, ubi negat se fuisse illis conjunctum. Significat igitur eos quacunque dignitate polleant, tamen esse impios Dei contemptores, & tantum ludere: sicuti hodie cogimur recta impetere larvatos illos gubernatores, qui inflati sunt sua potentia, & populum etiam quasi fascinatum tenent. Neque enim usque adeo proterve illudunt Deo scurræ in ganeis & cauponis, sicuti faciunt Aulici illi. dum consultant de statu totius terræ, & agitant de omnibus imperiis, videntur illic habere sub manu sua totam Dei potentiam. Interea autem scimus eos impie ludere. nam aulas Principum vix unquam ingreditur pietas ac Dei reverentia: imo præsertim in illis conciliabulis regnat diabolus quasi desperato modo. Cogimur ergo sæpe vehementius excandescere adversus nebulones illos, qui falso sibi usurpant Dei nomen, & hoc prætextu miseram plebem decipiunt. Hac etiam necessitate impulsus fuit Jeremias, ut negaret se fuisse in tali consessu. Postea addit, *Propter manum tuam* (à præsentia manus tuæ) *seorsum sedi: quia indignatione replevisti me.* Hic Jeremias fatetur se discessionem quidem fecisse à populo, sed quoniam non poterat aliter Deo obsequi. Nam Manum quidam interpretantur Prophetiam, alii vero Plagam: & ita sæpe accipitur metaphorice. sed libenter accipio pro Imperio: *Propter manum tuam Domine*, hoc est, quia ego attentus fui ad tuum imperium, neque aliud mihi fuit in animo, quam tibi obsequi. Ergo *propter manum tuam*, hoc est, quia ego te spectavi, & volui me totum tibi subjicere & addicere: *ideo seorsum sedi.* Hic locus notatu apprima dignus est. nam Propheta Jerosolymæ erat inter Sacerdotes, & unus etiam ex ipsis, quemadmodum initio vidimus. Sacerdos igitur quum esset, cogitur divortium facere, & renunciare omnem societatem suis collegis & fratribus. Quum ergo hoc acciderit sancto Prophetæ, cur nos terrebunt Papistæ quum discessionem nobis objiciunt, tanquam crimen atrocissimum? vocant nos apostatas, quia defecerimus ab eorum cœtu. nempe si apostata fuit Jeremias, ne pudeat nos sequi ejus exemplum. sed si Deo probatus fuit, quum tamen separatus esset à toto populo, & impiis etiam Sacerdotibus: hodie ingenue & intrepide idem fateamur, nos discessionem fecisse. Ergo est nobis divortium, & quidem irreconciliabile: & maledicti essemus, si vellemus manum porrigere Papistis. Cogimur igitur illos palam & aperte repudiare, & turbare potius cælum & terram, quam ut illis assentiamur. Scimus hic legem nobis dictari à Spiritu sancto per os Jeremiæ. Ergo ad refutandas eorum calumnias, qui nobis discessionem objiciunt, sufficiat hic locus. Ego seorsum sedi, verum est: & tamen non unus hoc hodie dicet. nam Dominus collegit sibi & multos Doctores, & plures etiam discipulos. Ergo qui hodie profitentur Evangelium, non sedent soli, quemadmodum Jeremias. Atqui utcunque omnes ipsum desererent: non dubitavit tamen se ab omnibus disjungere. Sed si opus esset unumquemque nostrum esse separatum, & seorsum vivere, si Dominus singulos dispergeret per omnes mundi plagas, ita ut nemo posset alterum confirmare, & hortari: tamen standum esset in hac constantia, quod hodie propter manum Dei seorsum sedeamus. Ergo Papistæ conquerantur ut velint nos esse superbos, & turbasse pacem totius orbis, modo nobis in promptu sit hæc responsio, Nos tantum seorsum sedisse *propter manum tuam*, hoc est, quoniam volumus parere Deo, & sequi ipsum vocantem, inde possumus intrepide & secure spernere, ac ridere omnia probra, quibus nos falso gravant. postea adjungit, *Quia tu replevisti me indignatione.* Confirmat quod proximo versu dixit, nempe se comedisse sermonem Dei: non fuisse impulsum levi aliquo motu, sed quoniam zelo Dei accensus fuerit. Neque enim possumus cordate exequi partes nobis mandatas, nisi simus repleti indignatione, hoc est, nisi zelus Dei urat nos intus, quia Propheticum munus requirit talem ardorem. Postea addit,

18. **Ut quid erit dolor meus fortis, (*vel durus*) & plaga mea ægra, (*aut valida, aut insanabilis, doloris plena: dicemus postea de voce*) renuit curari? (*hoc est, non admittit remedium?*) eris mihi sicut mendacium aquarum non fidelium. *alii vertunt, eris mihi mendax, aquæ infideles, hoc est, tanquam aquæ infideles.***

Antequam de verbis dicam, breviter attingenda est summa. Jeremias nuper præ se tulit heroicam fortitudinem, quum despiceret totum splendorem mundi, pro nihilo etiam duceret omnes illos superbos, qui obtendebant se esse præsules Ecclesiæ. Sed nunc suam infirmitatem fatetur: nec dubium est, quin agitatus sæpe fuerit inter diversas cogitationes, & affectus. hoc enim nobis contingere ne-
Gal. 5:17. cesse est, quia caro semper militat adversus spiritum. Etsi enim Propheta nihil humanum attulit, quum proferret Dei doctrinam, tamen non fuit in totum exutus & dolore, & metu, & variis carnis affectibus. Nam semper distinguere oportet, quum agitur de Prophetis & Apostolis, inter ipsam doctrinam, quæ pura fuit ab omni sorde, & inter ipsorum personas, ut vulgo loquuntur, hoc est, inter ipsos. neque enim ita fuerunt perfecte renovati, quin adhuc maneret in ipsis aliquid carnis residuum. Sic ergo Jeremias privatim & anxius, & terrore perculsus, & tædio affectus fuit: & optasset excutere onus illud tam grave à suis humeris. Passus est igitur affectus illos, sed privatim: interea doctrina prorsus caruit omni nævo: quia Spiritus sanctus & mentem ejus, & sensus omnes, & linguam sic direxit, ut nihil esset illic humanum. Ergo hactenus Propheta testatus est se divinitus fuisse vocatum, & sibi fuisse in animo partes à Deo injunctas suscipere, & strenue obedire: nunc autem dum in seipsum descendit, fatetur se agitari multis cogitationibus, quæ carnis infirmitatem redoleant, nec careant omni vitio. hæc igitur summa est. Dicit, *Quare dolor meus est robustus*, vel durus? significat non posse ulla mollitie leniri dolorem suum. Alludit enim ad ulcera, quæ duritie sua repellunt medicinam. Et eodem sensu subjicit, *Plaga mea fuit:* quidam vertunt Debilem: nam est ab אנש inusitato: & inde etiam est nomen אנוש, quod

quod capitur pro Homine: sed nomen illud infirmitatem hominis designat: sicuti אדם designat originem: איש autem robur & magnitudinem animi. alii vertunt, *Plaga mea est doloris plena*: alii vertunt Robustam, quemadmodum prius vocaverat dolorem suum Fortem, vel robustum. Postea explicat quid utrumque sibi velit. *Renuit*, inquit, *curari*, vel sanari. Non dubium est, quemadmodum jam attigi, quin Propheta hic ingenue proferat perturbationes animi sui in medium, & ostendat se quodammodo vacillasse: tanta erat populi pravitas, ut non tam constanter posset exequi munus suum, quam debebat. Addit, *Tu eris mihi sicut mendacium aquarum non fidelium.* Miror cur alii vertant, Tu eris mihi mendax sicut aquæ infideles. nam ad verbum est, *Tu eris mihi sicut mendacium.* posset quidem adjectivum esse nomen, sed substantive haud dubie capitur, *Eris mihi tanquam mendacium*: postea, Aquarum non fidelium, hoc est, quæ non perpetuo fluunt. Vocantur enim Aquæ fideles quæ nunquam deficiunt: sicuti Latini vocant Fontem inexhaustum, cujus scaturigo nunquam arescit: ita etiam Fontem vocant fidelem Hebræi, ubi nullus est defectus, etiam in summo æstu & siccitate. Ex opposito vocant Aquas non fideles quæ exarescunt: quemadmodum si puteus non habeat venas perennes, arescet maxima æstate: torrentes etiam sæpe arescunt. Videmus quorsum pertineat hæc similitudo. sed hæc loquendi forma absurda est in speciem, dum Propheta cum Deo expostulat, acsi ab eo fuisset deceptus: *Tu eris mihi*, inquit, *tanquam vana spes, & fallax aquarum*, quæ deficiunt in summo calore, ubi maxime expetuntur. Si accipimus verba ut sonant, non carebunt blasphemia. neque enim abs re testatus est Deus antehac, Se esse *Supr. 2.*
fontem aquæ vivæ. Damnabat Judæos, quod sibi fo- *vers. 13.*
derent cisternas perforatas, & desererent ipsum, qui erat fons aquæ vivæ. talis haud dubie repertus fuit ab omnibus, qui in ipsum sperarunt. Quid ergo hic sibi vult Jeremias, quum dicit Deum factum esse sibi quasi spem vanam & irritam aquarum non fluentium perpetuo tenore? Non dubium est, quin Propheta alios potius, quam se respiciat. neque enim unquam excussa illi fuit fides, vel deleta ex ejus animo. Cognovit igitur se non posse falli, quoniam Dei verbo innixus suam vocationem non tantum coram mundo magnifice extulerit, sed in ipso. Neque enim gloriatio quam antehac vidimus, aliunde nata fuit, quam ex interiore cordis affectu. Semper igitur persuasus fuit Propheta, quia in Deum recubueret, non se posse pudefieri: sed hic, quemadmodum dixi, respicit potius alios. Et jam similes locos vidimus, & alii etiam sequentur postea. Neque enim dubium est, quin hoc sæpe jactatum fuerit, Prophetam esse mendacem: Eat igitur, & nunc proponat nobis Deum suum: jam apparet fuisse inanem jactantiam quicquid hactenus ausus est de Prophetico munere dicere. Quum ergo Prophetam ita vexarent impii, merito conqueri potuit, *Deum fuisse sibi instar putei non perennis*, quoniam putabant omnes fuisse deceptum. Et semper tenendum est memoria quod heri dixi, Prophetam hic non referre quæ legimus, sua unius causa, sed potius ut populi impietatem coarguat. Sequitur ergo,

19. Propterea sic dixit Jehovah, Si conversus fueris, ego quoque convertam te, coram facie mea stabis: (*hoc est, ut stes coram me*) & si separaveris (*eduxeris, ad verbum: hoc est, si discreveris*) pretiosum à vili, tanquam os meum eris: convertantur ipsi ad te, & tu non convertaris ad eos.

Ex hoc Dei responso melius colligitur Prophetæ consilium: voluit enim Judæis, ut melius ipsos teneret convictos, quasi sub oculis ponere suam pervicaciam. Si tantum loquutus esset pro heroica illa celsitudine animi, ita ut visus esset non tangi aliquo humano affectu, poterant ridere quasi stupidum vel phreneticum hominem: He, hic neque nos, neque totum orbem curat, quoniam agitatur spiritu fanatico: quemadmodum videmus superbos mundi ita & loqui & sentire de fidelibus Christi servis. Vocant enim melancholicos, vocant homines stupidos, quoniam neque mortem horreant, neque teneantur vitæ illecebris: putant hoc nasci potius ex bruta quadam barbarie. Si ergo Propheta simpliciter egisset partes illas, poterant impii ridere ejus securitatem: sed voluit proponere in medium infirmitatem suam, & suos dolores, suos metus, suas anxietates, ita ut adduceret Judæos in rem præsentem. Debet igitur conjungi hoc Dei responsum cum Prophetæ querimonia: & inde colligi summa rei totius. In hunc enim modum respondet Deus: *Si conversus fueris, ego convertam te*, inquit, *ut coram me stes.* perinde est acsi diceret se correptum fuisse à Domino, quod fluctuaretur inter illos motus populi: quemadmodum similis fere locus
Jesa. 8. est Jesaiæ capite octavo. Nam Dominus illic Prophe-
v. 12, 16. tam hortatur ut se à populo disjungat, neque conspiret cum illis, qui facile subinde turbari poterant, quia non residebant in ejus verbo: deinde, Signa Legem meam discipulis meis, obsigna testimonium: quasi diceret, Nihil jam tibi negotii sit cum tam perverso populo. Sic etiam nunc Deus loquitur: *Si conversus fueris*, hoc est, si non pendeas ab iniquis judiciis populi, nec moreris quid de te loquantur, sed fortiter illos contemnas, & perseveres in illa discessione, *Ego te convertam*, inquit, hoc est, ego te Spiritu meo sic confirmabo, ut sentiant tandem te mihi fidelem esse servum. Postea adjungit, *Ut stes coram me.* & hinc melius cognoscimus quid voluerit per verbum *Convertendi*, quod posuit secundo loco: nempe ut Propheta suum officium Deo probaret, quamvis Judæi obstreperent: quamvis etiam tumultuose insurgerent adversus ipsum, *Tu tamen stabis coram me.* Est enim hic subaudienda antithesis in verbo Standi: quod scilicet si obruatur Propheta perversis hominum sermonibus, tamen Deus illum fulciet & sustinebit. Reliqua differemus in diem crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie familiarius nobis patefecisti voluntatem tuam in Euangelio Filii tui, ut tam certa fide amplexemur quod illic nobis proponitur, ut discamus contenti esse te uno, & acquiescere in tua veritate, & repudiare totum mundum, neque moveamur ullis minis & terroribus, nec vacillemus dum impii tam superbe videntur etiam tibi fidem velle detrahere: sed præstemus tibi debitum honorem, ut non tantum tibi pareamus, sed etiam exequamur quas nobis mandas partes: nec dubitemus sic in nos provocare totum mundum, ut quousque peracta sit nostra militia, constanter perseveremus in cursu vocationis tuæ sanctæ, atque ita tandem fruamur triumpho illo, quem nobis peperit Christus unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA SECUNDA IN JEREMIAM.

COEpimus exponere hanc sententiam, ubi hortatur Deus Prophetam suum ad magnitudinem animi. Utitur quidem voce Conversionis: sed perinde est acsi diceret, non satis prudenter ipsum vacillasse, quia non debuerat ullo modo deflectere ab officio, quamvis Judæi obstinate resisterent. Summa igitur fuit, *Si te convertas, etiam te reducam, ut stes coram me.* Jam sequitur, *Si discreveris pretiosum à vili, eris quasi os meum.* Exprimit nunc Deus quam speciem conversionis exigat à servo suo, nempe ut condemnet libere quicquid vitiosum est, & fortiter defendat quod rectum est, etiam si totus mundus repugnet. Oblique igitur perstringit Deus illum timorem Jeremiæ, quo sic fuerat concussus, ut ambigeret quid sibi esset agendum. Deus ergo Prophetam suum objurgat, & ostendit non posse aliter stare, *quam si discernat pretiosum à vili.* ita excluditur omnis adulatio. Vetat igitur Deus Prophetam suum blande agere cum populo, vel moveri ulla gratia, ut vitiis indulgeat, ne quod rectum est tueatur qua decet animi fortitudine. His ergo verbis breviter comprehenditur officium veri Prophetæ, nempe ut oculos avertat ab hominibus, non curet vel favorem, vel odium: sed tantum defixus sit in ipsa veritate: quod rectum est non tantum probet, sed etiam defendat vitæ suæ periculo: deinde non ignoscat vitiis, sed libere ea coarguat. Quod autem subjicit, *Eris quasi os meum*, quidam interpretantur quasi dictum esset, Tibi eveniet quicquid sum pollicitus, vel promissio mea te non frustrabitur. sed illud videtur remotum. Simpliciter igitur accipio, quasi dictum esset, Ego te agnoscam verum & fidelem servum, si tantum discernas quod justum est ab iniquo: si pro veritate constanter pugnes: vitia autem libere & coarguas, & damnes. Summa est, eos demum censeri coram Deo fideles Ecclesiæ pastores, qui non moventur respectu hominum, qui non sunt flexibiles in hanc vel in illam partem, sed recte judicant, & ex Lege Dei. Nam hinc etiam discrimen nobis sumendum est pretiosi & vilis. non enim sumus idonei judices nisi quoad subscribimus loquenti Deo. Lex igitur sola est, quæ discernit inter pretiosum & vile. Et qui tenent hanc regulam, simul etiam juste damnant alios, & alios probant: nempe quia sunt tantum Dei præcones, nec quicquam sibi proprium usurpant. Hinc sequitur ex opposito, non esse Dei organa, nec ministros, nec dignos etiam ullo honore, qui pervertunt sic vitia & virtutes, ut dicant lucem esse tenebras, & tenebras lucem. In summa, colligere licet ex hoc loco, non sufficere vocationem, vel titulum, nisi qui vocati sint fideliter impendant operam suam Deo. Ergo sequitur, eos omnes qui vel ambitiose captant favorem hominum, vel favent vitiis, & alunt corruptelas blanditiis suis, esse impostores: quia quantumvis glorientur se esse Dei servos, ipse tamen pronunciat non debere censeri in illo numero. Postea adjungit, *Convertentur ipsi ad te, tu autem non verteris ad eos*, vel non vertaris. nam verba futuri temporis pro imperativis sumuntur. Nunc confirmat superiorem doctrinam, quod scilicet non debeat illis morem gerere, vel blandiri, sed eorum præfracta ingenia subigere, donec jugum Dei recipiant. Hæc est summa verborum, Prophetas in hunc finem mitti, non ut gratificentur hominibus, vel obsequiis suis illos demulceant: sed ut maneant stabiles & firmi in exequenda sua provincia, & convertant ad se præfractos homines, non autem illis quicquam concedant. Et certe nisi hæc servetur ratio, majestas ipsa Dei subjicietur libidini hominum. Scimus enim primum, quanta sit superbia fere totius mundi: deinde accedunt etiam lautitiæ. nemo enim libenter patitur se corrigi. Quum ergo major pars hominum tam sit superba & delicata, si sermo Dei inflectatur ad hujus vel illius arbitrium, quid fiet? nulla certe supererit in cælesti doctrina vel reverentia vel majestas. Nunc ergo videmus cur hoc membrum adjunctum sit: quia non posset discerni recto & legitimo judicio pretiosum à vili, nisi Prophetæ manerent firmi in cursu suæ vocationis, & bellum gererent cum hominum pervicacia. Ideo necesse est, omnes probos Ecclesiæ doctores ita se gerere, ut non concedant hominum vitiis, neque foveant ipsorum delicias: sed ut cogant eos subire jugum Dei. Videtur tamen diversum sequutus fuisse Paulus. dicit enim ad Galatas, Estote *Galat. 4.*
sicut ego sum, quia ego sum sicut vos. Quoniam ergo *vers. 12.*
studuerat se formare ad illorum mores, & toleranter ignoscere eorum infirmitatibus, hortatur ut vicissim respondeant: certum autem est, Paulum non fuisse dissimilem vel Jeremiæ, vel aliis Dei servis. Sed solutio facilis est: quia testatur Paulus in eadem Epistola, *Galat. 1.*
Si hominibus placeret, se non posse esse Christi ser- *vers. 10.*
vum. Ergo non venatus est mundi favorem, neque vel tantillum deflexit ab officio, ut hominibus obsequium aliquod præstaret: sed potuit ignoscere illorum infirmitatibus, vel eas tolerare, ita ut tamen eos ad se converteret, hoc est, ut semper revocaret ad Dei obedientiam. Nam quum ita loquitur Deus, *Non convertaris ad illos*, non intelligit hoc de persona Jeremiæ, sed refert ad doctrinam. Summa est, veritatem Dei non debere flecti ad hominum arbitrium, quia Deus non mutatur, ita nec verbum ejus ullam varietatem admittit. Quicquid ergo expetant homines, necesse est manere firmam & inviolabilem illam regulam, nempe ut se Deo subjiciant: ipse autem emineat, & redigat in ordinem quicquid est altitudinis, & excellentiæ, ac superbiæ in mundo. Postea sequitur,

20. Et posui te huic populo in murum æneum (*æris, ad verbum*) munitum: ergo pugnabunt contra te, sed non prævalebunt tibi: quia tecum ego sum ad servandum te, & ad liberandum te, dicit Jehovah.

Quoniam excipere poterat Jeremias onus illud nimis fore grave, si tantum intentus esset ad frangendam contumaciam populi: erat enim solus, & vidimus quanta esset ferocia, atque etiam crudelitas in tot adversariis. Poterat igitur refugere illud mandatum, quoniam longe superaret ejus vires. Ergo Deus occurrit, & eum bona spe esse jubet, quoniam munitus sit cælesti auxilio: *Posui te*, inquit, *in murum æris*, æneum, *huic populo munitum*: est à בצר: si esset בצרה, à צור, quod est obsidere, forte melius quadraret præsenti loco. nescio an locus fuerit corruptus: tamen non discedo à recepta lectione. Quoniam ergo in hoc conveniunt interpretes, nihil muto: & in re ipsa non est multum discriminis.

Vide-

Videmus ergo quid ſibi velit Deus bis verbis. nam quoniam Propheta fere erat ſolus, & jubebet ipſum Deus congredi cum magna copia hoſtium, & valida, ideo promittit ſe ſtaturum ab ejus parte: quaſi diceret, Etiamſi tu ſis nudus & inermis, illi vero ſint inſtructi & opibus & magna potentia, tu tamen eris inſtar urbis bene munitæ: denique eris inexpugnabilis contra omnes illorum impetus, quicquid conentur in te. Sed gradatim procedit Deus, quia primo affirmat Prophetam ſuum fore *inſtar muri ænei, & muniti*, hoc eſt, fore inſtar urbis invictæ. Murus enim per ſynecdochen capitur pro urbe inexpugnabili. *Tu eris ergo murus æneus.* Jam ſequitur, *Ipſi quidem pugnabunt* Hæc admonitio fuit valde neceſſaria: quoniam optaſſet haud dubie Jeremias ſervire Deo, ita ut regeret homines dociles & manſuetos, & placide illos adduceret in obedientiam Dei. Sed Deus admonet fore illi multa & dura certamina cum populo rebelli: *Pugnabunt*, inquit, *contra te.* Videmus ut Deus hic non promittat Jeremiæ ſuave otium, neque etiam ſpem faciat melioris in poſterum fortunæ: imo potius hortatur ipſum ad bellandum. quare? nempe quoniam populus non poterit ferre jugum Dei: ideo accendetur in rabiem contra ipſum. Sed ſequitur altera promiſſio, *Non prævalebunt tibi*, hoc eſt, non erunt ſuperiores. Oportuit quidem Jeremiam ultro laceſſere Judæos: nam illis nihil magis fuiſſet jucundum ejus ſilentio: atque huc tendebant omnia eorum ſtudia, ut ad deſperationem adigerent. ſed non abs re dicuntur bellum ipſi inferre: quia hoc eſt præter naturam, ut homines Deo reſiſtant, & ſeſe opponant, dum illos ad ſe invitat. quid enim magis eſt naturale, quam ut accurrat totus mundus ad Deum? Jam ergo illud inſtar prodigii eſt, quum Deus homines comiter ad ſe vocat, eos contra niti, imo furioſe inſurgere. Hæc igitur ratio eſt cur Judæos hic auctores omnium turbarum faciat Deus. Nam quum illi gravarent Prophetam improbiſſima calumnia, quam vidimus: nempe ipſum eſſe hominem turbulentum, & ſua moroſitate omnia confundere: Deus ex oppoſito hic oſtendit debere illis imputari omnes motus, & omnia prælia: quoniam debuerant obedienter amplecti doctrinam ſibi propoſitam. Cæterum, quamvis hoc ſemel dictum fuerit Jeremiæ, tamen hic quaſi in ſpeculo nobis repræſentatur conditio omnium ſervorum Dei: quia non poterunt præſtare quod illis Deus injungit, niſi ſuſtineant multos & graves impetus: quia nunquam ita compoſitus erit mundus in obedientiam Dei, quin major pars промiter repugnet, ac conetur quantum in ſe erit, opprimere & verbum Dei, & omnes ejus miniſtros. Addit rationem, *Quia ego tecum ſum ad ſervandum te, & ad eripiendum te.* His verbis hortatur Prophetam ſuum Deus ad preces. nam ſcimus quam periculoſa ſit ſecuritas cùm omnibus Dei filiis, tum præſertim Doctoribus. Quoniam igitur in ſingula momenta opus habent præſenti Dei auxilio: ideo excitandi ſunt ad ſollicitudinem & preces. Hoc volunt ſibi verba quibus utitur Deus: *Ego ſum tecum*, inquit: quaſi diceret, Tu quidem per te, vel propria induſtria non ſtabis, neque proprio Marte victor eris, ſed diſcas ad me confugere. Poſtea ſequitur,

21. Et liberabo te è manu impiorum, (*ſceleratorum*) & eruam te è manu (*eſt aliud nomen, ſed eodem ſenſu capitur*) fortium.

Galat. 4. verſ. 12.

Galat. 1. verſ. 10.

Nihil novum continet hic verſus: ſed confirmatio eſt ejus promiſſionis, quam vidimus. pollicitus fuerat Deus Prophetæ ſe illi adfore: nunc oſtendit ſatis eſſe auxilii in manu ſua ad eum liberandum. Quantumvis ergo eum oppugnarent omnes Judæi, hic Deus pronunciat ſe unum ſufficere ad omnes frangendos. Proinde videmus his verbis plus exprimi quam ſuperioribus. dixerat, *Ego ero tecum ad liberandum te:* jam actum ipſum quaſi digito monſtrat: *Ego igitur te liberabo*, inquit. Promiſerat ſuum auxilium: nunc oſtendit auxilium illud fore ſatis robuſtum, ut ipſum eripiat ex hoſtium manibus. Primum dicit *è manu improborum*, ut ſciant Judæi ſibi nihil prodeſſe omnes fucos, quoniam ore Dei damnati ſint. Secundo loco vocat *fortes*, ne ſcilicet Prophetam illorum potentia terreat, quemadmodum fieri ſolet. Eſt enim nobis pluſquam difficile, quum omni ex parte impetimur, quum minæ & pericula ſeſe ingerunt, non turbari. Deus ergo hic admonet in tempore Jeremiam, bellandum eſſe *cum fortibus* & robuſtis, ſed totum illorum robur fore invalidum, quum in illum inſurgent: quia ſcilicet auxilium cæleſte futurum ſit validius. Nunc ſequitur,

CAP. XVI.

ET fuit ſermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Non accipies tibi uxorem, & non erunt tibi filii & filiæ in hoc loco:

3. Quia ſic dicit Jehovah ſuper filios & ſuper filias qui naſcentur in loco hoc, & ſuper matres quæ pepererint illos, & ſuper patres qui genuerint illos in terra hac,

4. Mortibus ægritudinum (*vel ægrotationum*) morientur, non plangentur, & non ſepelientur: in ſtercus (*id eſt, pro ſtercore*) ſuper faciem terræ erunt: & in gladio & fame conſumentur, (*hoc eſt, per gladium & famem*) & erit cadaver eorum in cibum volucri cælorum, & beſtiæ terræ.

Hæc eſt nova Prophetæ concio, quæ tamen non multum abſimilis eſt pleriſque aliis, niſi quod hoc peculiare habet, *ne Propheta ſibi uxorem accipiat, vel gignat liberos in terra.* Nam quod ad ſummam rei, ſæpius idem dixit quod nunc repetit, & pluribus etiam locis idem confirmat. Sed quod prohibetur uxorem ducere, hoc plurimum efficaciæ continet, ut ſcilicet in ejus cælibatu omnes agnoſcant ſe eſſe addictos exitio. Nam ſcimus qua lege conditi ſint homines. viget enim ſemper illud Dei mandatum, Creſcite & multiplicamini. Ergo quoniam ſocietas humani generis conſervatur conjugio, hic ex oppoſito oſtendit Deus terram illam indignam eſſe communi, vel potius generali illa benedictione, qua dignatus eſt totum humanum genus. perinde eſt ac ſi diceret, Vivunt quidem adhuc, ſed brevi interitus illos manet: quia ego eos privabo univerſali gratia, qua hactenus proſequutus ſum cunctos mortales. Conjugium eſt conſervatio generis humani: *Ne accipias tibi uxorem, & ne gignas liberos.* Videmus ergo, ut in perſona Jeremiæ Deus oſtendere voluerit Judæis, ipſos eſſe dignos, qui exterminarentur è numero hominum. Tenemus ſummam hujus prophetiæ. Jam tamen quæri poteſt, an uxore caruerit Propheta? ſed hoc nihil ad rem, quoniam per viſionem hoc ei mandatum fuit: & quamvis non eſſet cælebs, tamen potuit

Geneſ. 1. v. 22. 28. & 8: 17. & 9: 1, 7.

tum hoc vaticinium promulgare, quod vetuisset eum Deus uxorem ducere, vel gignere ullam sobolem. Quanquam, meo judicio, probabilius est, Prophetam tunc fuisse cælibem. nam quemadmodum incessit nudus, & quemadmodum gestavit in collo jugum, ita etiam cælibatus ejus potuit quasi viva imago magis afficere Judæos. Sed, quemadmodum dixi, de hac re non est digladiandum. Liberum igitur sit cuique sentire quod volet, tantum admoneo quod magis sit probabile. Cur autem Deus Prophetam suum vetet ducere uxorem, sequitur ratio: quod scilicet omnes adjudicati sint exitio. Hinc colligimus non laudari hic cælibatum, quemadmodum stulti homines abusi sunt hoc testimonio. sed perinde est acsi diceret Deus, Non est quod quisquam posthac operam det gignendæ soboli, vel putet hoc sibi fore jucundum: quisquis sapiet, abstinebit à conjugio, perinde acsi mortem jam haberet ante oculos, vel quasi propinquus esset sepulchro. Interitum igitur totius populi, & vastitatem ac solitudinem totius terræ Deus his verbis designat. Cæterum, non minatur illis simplex genus mortis, aut vulgare: sed dicit *morituros mortibus ægrotationum*. denunciat igitur diuturnum languorem, quo tabescent cum maximo dolore. nam mors subita tolerabilior est. atque ideo David Psalmo septuagesimo tertio, dum conqueritur de felicitate impiorum, dicit non esse ligamina in ipsorum morte. (*Psal. 73. vers. 4.*) Et eadem etiam sententia legitur in libro Job, quod in puncto vel articulo temporis descendant in sepulchrum: (*Job. 21. vers. 13.*) nempe quod vegeti sint tota vita, deinde moriantur sine longo cruciatu. Ideo Cæsar Julius pridie quam occisus est, vocabat genus illud mortis *ἀδυνασίαν*; nempe putabat se fore felicem, si subito extingueretur. Et hoc est ingenitum hominibus à natura. Ut ergo hic vindictam Dei amplificet Jeremias, dicit *morituros mortibus ægrotationum*, hoc est, postquam confecti fuerint diuturnis mœroribus, & quasi contabuerint, tunc tandem morituros esse. Adjungit, *Non plangentur, & non sepelientur*. Vidimus alibi, (*cap. 22.*) & iterum videbimus signum hoc esse maledictionis, ubi sepultura carent mortui, & nullus prosequitur luctu eorum mortem: nam hoc est commune humanitatis officium, ut propinqui & cognati qui sunt superstites, lugeant mortuos, deinde ut sepeliant. sed videtur aliud etiam Propheta velle. Ego quidem illud non excludo, quod Deus privabit eos & honore sepulchri, & luctu: sed videtur etiam hoc velle, Tantam fore stragem hominum, ut non possint alii aliis præstare mutuum humanitatis officium. Nam lugemus mortuos, quum datur nobis otium: si autem in bello multi interficiantur, nemo lugetur privatim: deinde cadavera jacent prostrata, & sepulchrum unum non posset sufficere tantæ multitudini. Intelligit ergo Propheta, tantas fore strages in Judæa, ut nemo sepeliatur, nemo etiam plangatur. nam verbum quod ponit, significat proprie plangere, quod est plus quam flere. Et alibi etiam diximus in partibus illis fuisse plus ceremoniarum, quam apud nos. omnes enim Orientales sunt dediti multis gesticulationibus: & ideo non contenti erant lachrymis, sed addebant etiam planctum, quasi essent desperati homines. Loquitur autem Propheta ex communi more, non quod probet excessum illum doloris: verum quoniam solebant non simpliciter deflere mortuos suos, sed etiam planctu testari mœrorem suum, dicit, jam cessabunt hæc officia, quia multis millibus non possent sepulchra sufficere: deinde si quis lugere velit, unde incipiet? & scimus etiam obdurescere hominum animos, quum ita passim moriuntur vel peste, vel bello multi. Summa est, iram Dei non fore mediocrem, quoniam terram quodammodo exinaniet, dum omnes inde profligabit, ita ut nihil sit in populo illo residuum. Nam Deus servavit quidem electos, sed mirabiliter: deinde servavit eos in exilio tanquam in sepulchro, quum simul ipsi quoque abrepti essent à patria. Postea adjungit *fore tanquam stercus super faciem terræ*. Ignominiose loquitur de ipsorum cadaveribus: quasi diceret, Erunt putredo terræ. Quemadmodum ergo contaminaverant suis sordibus terram in sua vita, post mortem Deus pronunciat illos fore fœtidos, & comparat eos stercori. Hinc colligimus (quod paulo ante dixi) signum esse divinæ maledictionis, quum projecta jacent cadavera, neque sepeliuntur: quia sicuti Deus creavit nos ad suam imaginem, ita in morte vult manere aliquod testimonium hujus dignitatis, ac præstantiæ, qua nos dignatus est præ brutis animalibus. Interim tamen scimus pœnas temporales posse etiam fidelibus contingere, & converti in salutem: quia Psalmus conqueritur (*Psal. 79. vers. 2.*) projecta fuisse cadavera piorum, fuisse escam volatilibus cæli. hoc verum est. sed tamen hæc duo non male inter se conveniunt, nempe esse signum aliquod iræ Dei, dum mortui non sepeliuntur, & pœnas illas temporales non nocere Dei electis, quibus mala ipsa in bonum cedunt, quemadmodum satis notum est. Ideo adjungit, *Per gladium, per famem consumentur*, hoc est, alii gladio, alii fame peribunt: quemadmodum prius visum est, Qui ad gladium, ad gladium; (*supr. 15. vers. 2.*) & qui ad famem, ad famem. Tandem subjicit quod jam attigi, *cadavera ipsorum fore in escam bestiis terræ, & avibus*. ubi significat manifesta fore signa vindictæ suæ, quum Judæi in miseriis tabescent, quum alios consumet gladius, alios perdet fames; neque id modo, sed ubi post mortem quoque eos urgebit alia maledictio: quia Dominus ipsorum cadavera etiam persequetur, ut careant sepulchri honore. Quomodo illud intelligendum sit, jam dixi: nam conspicua sunt in reprobis Dei judicia. Cæterum, siquando rapiuntur ad similes pœnas etiam pii & justi, Deus convertit illis in bonum quod per se signum est maledictionis quemadmodum fames signum est maledictionis, similiter & gladius: scimus tamen multos filios Dei perire vel fame, vel gladio. Sed in temporalibus pœnis semper tenenda est hæc moderatio: quod scilicet Deus ostendat se justum esse judicem adversus impios & sceleratos: rursum dum humiliat suos, tamen non illis sit infestus, sed consulat eorum saluti, ut in adjumentum vertatur quod per se erat adversum.

Da omnipotens Deus, quando prævenis nos verbo tuo, ne experiamur æternam tuam severitatem, ut dociles nos tibi præbeamus, & ita nobis displiceamus in vitiis nostris, ne magis ac magis provocemus tuam vindictam: sed ad te nobis placandum properemus, & freti Mediatore, quem nobis dedisti, simul confugiamus ad tuam misericordiam, donec purgati omnibus sordibus, tandem recipiamur in regnum tuum cæleste, & illic compareamus coram te in ea puritate à qua procul adhuc distamus, & perfruamur ea gloria quam nobis acquisivit sanguine suo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO SEXAGESIMA TERTIA IN JEREMIAM.

5. Quia sic dicit Jehovah, Ne ingrediaris domum luctus, & ne eas ad plangendum, & ne movearis propter illos: quia abstuli pacem meam à populo hoc, dicit Jehovah, clementiam & miserationes.

Quemadmodum initio capitis vetitus fuit Jeremias uxorem ducere, quoniam paulo post instabat horrenda totius terræ vastitas: ita etiam nunc confirmat Deus quod prius dixit, Tantas fore strages, ut nulli fere possint defungi communi officio in mortuis lugendis. quanquam aliquid gravius nunc significat: nempe indignos esse qui peribunt, omnibus humanis officiis. sicuti jam prius dixerat, Projicientur cadavera eorum bestiis terræ, & avibus cæli exposita erunt: sic etiam hoc loco significat ignominiosas fore mortes, ut careant omnes sepulchri honore, & sepelientur tanquam asini, quemadmodum alio loco dicitur. Quod autem Prophetam suum Deus lugere vetat, non debet intelligi de excessu doloris, quemadmodum Deus vult temperatum esse dolorem, ubi aufert nobis vel parentes, vel cognatos, vel amicos: sed non agitur hic de privato affectu Jeremiæ. simpliciter pronunciat Deus terram fore plenam vastitate, ut nullus fere sit superstes qui lugeat mortuos. Dicit, *Ne ingrediaris in domum luctus.* quanquam aliqui nomen מרזח, accipiunt pro epulo lugubri: & probabile est, imo potest colligi ex contextu, celebrasse convivia, quum aliquis erat mortuus. Eundem etiam morem videmus servatum fuisse apud alios populos, sed diverso fine. nam Romani quum celebrabant aliquod lugubre epulum, volebant excutere dolorem, & quodammodo referre in numerum deorum suos mortuos. ideo exprobrat Cicero Vatinio, quod atratus venisset ad epulum Q. Arii. & alibi Tuberonem dicit fuisse derisum, & passum repulsam, quod epulum quum daret Q. Maximus in morte Africani patrui sui, illi hospes straverat lectos pellibus hœdinis. Ergo convivia illa apud Romanos plena erant hilaritatis: sed apud Judæos, ut apparet, quum mortuos suos lugebant, qui erant proximi, invitabant liberos, uxores viduas, ut esset aliquod levamen doloris. Quicquid sit, hac figura significat Deus Judæos quum peribunt turmatim, carituros illo communi officio: quoniam indigni erant quos lugerent superstites. *Ne*, inquit, *ingrediaris ad plangendum, & ne movearis super eos.* quare? *Ego enim abstuli pacem meam*, hoc est, omnem prosperitatem: nam Pacis nomine comprehendunt Judæi quicquid optabile est. Deus ergo *se pacem abstulisse* dicit *à populo, & pacem suam*: quia impiæ genti maledixerit. Postea adjungit, *Clementiam & miserationes abstuli.* Poterat enim excipere Propheta, hoc non esse consentaneum naturæ Dei, qui testatur se esse propensum ad misericordiam: sed occurrit Deus, & significat jam non esse locum gratiæ & miserationibus, quia desperata esset impietas populi. Sequitur,

in Oratione pro Lucio Murena.

Psal. 86. vers. 15.

6. Et morientur magni & parvi in terra hac: non sepelient eos, & non plangent super eos, & non incidet se quisquam, & non fiet calvitium illis:

7. Et non complodent (*vel extendent*) illis (*quidam legentes* לחם *pro* להם, *vertunt, Non frangent panem: sed non convenit.* פרס *significat frangere, & interdum dividere, vel ostendere, vel dispergere. non dubium est quin Propheta, sicuti alio loco vidimus, intelligat complosionem manuum, vel contorsionem, ubi in vehementi luctu ita brachia huc & illuc projiciuntur, deinde comploduntur manus: hunc gestum hoc quoque loco exprimit quum dicit, Et non frangent, vel non complodent manus*) ad consolandum (*hoc est, ad unumquemque consolandum*) super mortuo, & non propinabunt illis calicem consolationum super patre suo, & super matre sua.

Prosequitur eandem sententiam. dicit enim promiscue omnes morituros tam ex plebe, quam ex proceribus: quasi diceret neminem fore immunem à clade: quoniam Deus magnos acervos trahet tam ex vulgo ignobili, quam ex primariis, & qui pollebant divitiis, honoribus, & aliqua dignitate. *Morientur*, inquit, *omnes tam parvi quam magni.* sæpe enim contingit in aliqua mutatione magnos trahi ad supplicium: aliquando plebeii homines pereunt, & parcitur nobilibus. Deus autem pronunciat tales ubique fore strages, ut hostes non discernant plebeios à nobilibus: quod si evadant manus hostiles, tamen pestem vel famem infestiores illis fore. Adjungit, *Non sepelient ipsos, & non plangent pectus suum super eos:* deinde, *non se incident, & non se depilabunt super eos.* Hoc non recitat Propheta in laudem populi. neque enim intelligit fore obsequentes Legis præcepto, ubi Deus vetuerat Levitici 21. cap. ne imitarentur perversos mores gentium. diximus enim aliis locis, Orientales populos fuisse magis deditos externis ceremoniis: ideo in eorum luctu nulla fuit moderatio. quare Deus voluit corrigere illam intemperiem. Sed Propheta hic non significat respectum aliquem fore illius præcepti, ut Judæi sibi temperent in dolore quid igitur? nempe quemadmodum jam admonui, tantas fore strages, ut secum afferant duritiem & barbariem quandam, quandoquidem obruent sensus sua mole. Ubi quispiam moritur, conveniunt amici & vicini, & præstant aliquod officium ejus memoriæ: sed ubi grassatur pestis, vel ubi intereunt omnes fame, major pars obdurescit, & immemores sunt sui & aliorum, neque illic colitur amplius ulla humanitas. Deus ergo significat tantam fore vastitatem terræ, ut Judæi quasi obducto callo desinant alii alios lugere. denique significat una cum horrendis illis cladibus tantam fore socordiam & feritatem apud Judæos, ut nemo vir cogitet de uxore sua, nemo pater de liberis: sed quisque proprio malo sic obstupescat, ut sint quasi feræ bestiæ. Nunc ergo tenemus summam hujus loci. Dicit præterea, *Non se incident, neque evellent capillos suos*, quemadmodum solebat fieri. Ita videmus multas loquutiones sumi ex vulgari consuetudine, nec tamen inde posse colligi hoc vel illud probari Deo, quia in Scriptura hoc refertur. Deus ergo hic noluit sententiam ferre de planctu, de evulsione crinium, & de incisuris. certum est gestus illos natos fuisse ex tumultuoso hominum impetu, & signa esse impatientiæ: sed, quemadmodum

Levit. 21. vers. 1.

jam dixi, non reſpicit Deus quid liceat, ſed quid conſueverint homines facere. Quantum attinet ad partem illam, ubi dixit *ſe abſtuliſſe clementiam & miſerationes*, non ſignificat ſe mutaſſe naturam: ſed potius præcidit anſam omnibus querimoniis: quoniam ſcimus homines plus ſatis facundos eſſe, quoties urget eos manus Dei, ut deplorent ſuas miſerias odioſe, acſi Deus nimis ſevere in ipſos animadverteret. Significat igitur ipſos indignos eſſe clementia & miſerationibus. Interea ſimul admonet non eſſe cur quicquam ſpei concipiant hypocritæ, quoniam toties commendat Scriptura clementiam Dei, & miſerationes: nam ubi obſtinate accumulant peccata peccatis, fieri aliter non poteſt quin Deus ipſe ad extremam ſeveritatem deſcendat. Quantum ad verſum ſeptimum pertinet, ex eo colligimus quod nuper attigi, nempe Judæos celebraſſe lugubres epulas, ut filii & uxores viduæ aliquid levationis perciperent. nam *calicem conſolationum* hic vocat Propheta, quum ſe amice invitarent: quanquam fuerunt illæ geſticulationes ridiculæ. Neque enim dubium eſt quin etiam apud Judæos ſæpe ſub perſona lugentis delituerit riſus. Sed videmus homines ambitioſe lugere mortuos: quia pudet eos ſi non ſatis dolenter ferant ſuorum mortem: nam niſi lachrymæ defluant, niſi accedat etiam ejulatus, qui proximi ſunt mortuis, putant ſe poſſe inhumanitatis damnari. hinc fit ut multa ſimulatio ſit in luctu: & ſtulte etiam excogitatum fuit illud remedium, quod propinarent calicem conſolationis. Sed, quemadmodum jam dixi, Propheta hic non differit quid rectum ſit, ſed mutuatur ex communi loquendi uſu has loquendi formas. Sequitur,

8. Et domum convivii ne ingrediaris, ut ſedeas cum ipſis ad edendum, & ad bibendum.

Hic de aliis conviviis loquitur Propheta, nempe ubi vigebat hilaritas. ſenſus igitur eſt, populum illum addictum eſſe exitio, ita ut nihil ſit melius quam longiſſime ab ipſo recedere. Prohibetur itaque Jeremias ab omni acceſſu, ne vel lætitiæ ſocius ſit, vel doloris: quaſi diceret, Nihil ſit tibi amplius cum hoc populo. ſi lugeant ſuos mortuos, tu eos deſeras: indigni enim ſunt omni humanitate. ſi autem celebrent hilares epulas, etiam procul abſis: nam maledicta eſt omnis cum ipſis communicatio. Nunc ergo tenemus cur Propheta loquutus de dolore, luctu & planctu, nunc lætitiam conjungat. Poſtea adjungit,

9. Quoniam ſic dixit Jehovah exercituum, Deus Iſraël, Ecce ego auferens ab hoc loco coram oculis veſtris, & in diebus veſtris vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem ſponſi, & vocem ſponſæ.

Hic verſus rationem ſuperioris ſententiæ continet, nempe quia maledicta eſſet omnis ſocietas hujus populi. ſed tamen aliquid expreſſius dicit, nempe tempus adeſſe, quo oſtendat Propheta jam illos privatos eſſe omni gaudio: nam impii etiam ubi Deus graviſſime illis minatur, tamen ſeſe confirmant ad ſecuritatem. Voluit igitur Deus aliquod præſagium illis dare, ut ante tempus cognoſcerent inſtare triſtiſſimas clades, quæ illis eriperent omne gaudium, & lætitiam. Dicit igitur *ſic Deum exercituum loqui, & Deum Iſraël.* Hic Deus epitheta ſibi aptat, quibus incutiat formidinem Judæis, quum ſe vocat Deum exercituum. ſed ſimul etiam ſpoliat eos omni fiducia, *Deum ſe Iſraëlis nominans.* Solent enim hypocritæ vel Dei potentiam vilipendere, vel ejus bonitate abuti: niſi Deus illos conſtringat, pro nihilo ducunt quicquid minantur Prophetæ. quare? nam quantum in ipſis eſt, extenuant Dei virtutem. Hac igitur ratione dicit *ſe eſſe Deum exercituum.* Sed ubi non poſſunt ſua ſuperbia & faſtu Dei potentiam quaſi infra ſe dejicere, tunc confugiunt ad aliud aſylum: nam ſibi promittunt illum indulgenter acturum, & ita faciunt ſibi delicias. Ex oppoſito igitur hic ſe vocat *Deum Iſraël*, ut ſciant ſibi nihil profuturum, quod genus Abrahæ ſibi adoptaverit: quoniam non erant ipſi Abrahæ filii, ſed extranei, quandoquidem ab omni pietate & fide deſciverant. hoc valebat præfatio. Jam quum dicit לעיני. hac demonſtratione intelligit non eſſe cur Judæi tempus extrahant, & ſibi vana fiducia prorogent inducias, quoniam adſit jam ultio. *Ecce ego*, inquit. ita ſcilicet quaſi in medium prodit, & teſtatur ſe jam armatum eſſe, ut exequatur ſuum judicium. *Ego*, inquit, *auferam ab hoc loco coram oculis veſtris, & in diebus veſtris.* Plenius exprimit illam particulam לעיני. quoniam continget clades & brevi, & coram ipſorum oculis. *Auferam*, inquit, *vocem lætitiæ, & gaudii:* poſtea, *vocem ſponſi, & ſponſæ.* Hic per ſynecdochen ſignificat potius ſimiles fore mortuis, quam vivis: quia ſocietas humani generis fovetur conjugio, dum in ſobole quaſi renaſcitur genus humanum, quod alioqui intereat quotidie neceſſe eſt. ubi ergo jam non eſt tempus reliquum nuptiis, ſignum eſt ultimi interitus. Hoc nimirum ſignificat Propheta quum dicit Deum facturum, *ut ceſſet vox ſponſi, & ſponſæ*, hoc eſt, ut nullæ ſint amplius gratulationes. Sequitur,

10. Et erit quum annunciaveris populo huic omnia verba hæc, tunc dicent (*vel ſi dicant*) tibi, Cur loquutus eſt Jehovah ſuper nos omne malum hoc magnum? & quæ iniquitas noſtra? & quod ſcelus noſtrum, quo ſcelerate egimus adverſus Jehovam Deum noſtrum?

11. Tunc dices illis, Quia dereliquerunt me patres veſtri, dicit Jehovah, & profecti ſunt poſt deos alienos, & ſervierunt illis, & adoraverunt illos, (*vel ſeſe inflexerunt coram illis*) & me reliquerunt, & Legem meam non ſervarunt.

12. Et vos deteriores fuiſtis (*deterius egiſtis ad faciendum, vel perpetrandum*) quam patres veſtri, & ecce vos profecti eſtis quiſque poſt pravitatem cordis ſui mali, & abſque audire me. (*hoc eſt, ita ut non audieritis me.*)

13. Et expellam vos è terra hac ad terram quam non noviſtis vos, & patres veſtri, & ſervietis illic diis alienis die ac nocte: quia non dabo vobis gratiam.

Hic oſtendit quod alibi vidimus, nempe populum illum ſibi blanditum fuiſſe in vitiis, ita ut nullis monitionibus flecti poſſent, vel adduci ad pœnitentiam. hæc eſt magna cæcitas, imo amentia: quum percutimur Dei manu, non deſcendere in nosipſos: nam ſtatim conſcientia nobis eſſet inſtar mille teſtium

stium ad nos damnandos. sed nemo fere reperitur qui vitam suam examinet: deinde quamvis convincat Deus sceleratos, vix centesimus quisque ejus judicio libenter & suppliciter se subjicit: quin potius major pars obmurmurat & obstrepit quoties sentit Dei ferulas. hoc vitium Jeremias ostendit grassatum fuisse in populo, quemadmodum visum fuit 5 capite. Hanc ob causam igitur dicit, *Quum annunciaveris populo huic, & dixerint tibi, Quare loquutus est Jehovah contra nos hoc tantum malum? quæ iniquitas nostra? quod scelus, ut ita sæviat contra nos, quasi scelerate egerimus contra ipsum?* Non dubium est quin Deus mature obviam ire voluerit pervicaciæ illius populi: sciebat enim indomita esse ingenia. Ergo quoniam scit fure præfractos, ut nullam admittant castigationem, confirmat Prophetam suum: quasi diceret, Non est cur te debiliter illorum contumacia. nam statim insurgent, & quasi illis facias gravem injuriam, expostulabunt tecum, & negabunt se tantorum scelerum reos debere fieri. si ergo ita petulanter rejecerint tuas minas, non est quod propterea frangaris: habebis enim in ore promptum responsum. Nunc videmus quid proficiant hypocritæ, ubi vel tergiversantur, vel proterve sese efferunt adversus Deum, & ejus Prophetas. Interea monentur officii sui omnes Doctores, ne scilicet sese inflectant, quum vident sibi negotium esse cum superbis hominibus, & immorigeris, sicuti alibi visum est. jubebat

Supra 2. vers. 28.

enim Deus Prophetam sumere æneam frontem, ut fortiter se opponeret contra omnes populi insultus sic etiam hoc loco, *Dicent tibi,* hoc est, quum tam duriter illis minatus fueris, illi non libenter cedent, sed intendent litem, quasi tu injuste ipsos accuses: dicent enim, *Quod est peccatum nostrum? quæ iniquitas? quod scelus, quo scelerate egimus contra Jehovam Deum nostrum, ut magnum hoc malum loquutus sit contra nos?* Videmus hypocritas non tantum violentiam suam projicere adversus servos Dei, sed adversus Deum ipsum: non quod palam hoc & ingenue profiteantur. sed quid refert, ubi non sustinent corrigi Dei manu, sed sese opponunt, & ostendunt se non æquo animo ferre correctionem? nonne satis apparet ipsos Deo rebelles esse? Cæterum, hic graphice depingit Jeremias eorum mores qui Deo sic obluctantur. neque enim audent prorsus negare se esse noxios, sed extenuant quantum in se est crimen suum: quemadmodum in exemplo Cain nobis idem ostenditur. Neque enim audet asserere se esse innoxium: quandoquidem erat sibi male conscius, & premebat ejus conscientiam vox

Genes. 4. v. 9, 13.

illa Dei, Ubi est frater tuus? sed interea non desinebat obstrepere: Major est pœna mea, quam ut ego sustineam, inquit. Sic etiam inducit Jeremias loquentem illum populum: O, *quænam est iniquitas nostra? & quodnam scelus nostrum, quo scelerate egimus contra Jehovam Deum nostrum, ut loquatur malum hoc magnum contra nos?* Non dicunt ergo se prorsus extra noxam esse; tantum excipiunt non tantam esse atrocitatem scelerum, ut Deus sæviat tam inhumaniter contra ipsos, ac tam gravem pœnam ipsis infligat. Exaggerant igitur pœnam, ut sibi inducant aliquod tegumentum: deinde non dicunt se puros & solutos esse ab omni culpa; sed loquuntur de iniquitate, & de sceleribus: quasi dicerent, Fatemur quidem esse aliquid quod Deus reprehendat: sed non agnoscimus tantam congeriem scelerum, & iniquitatum, ut debeat sic contra nos fulminare. Postea autem dicit, *Tu respondebis illis, Quia reliquerunt me patres vestri, profecti sunt post deos alienos, coluerunt eos, & adoraverunt eos, & me reliquerunt, & Legem meam non servarunt: vos autem deterius egistis,* inquit. Primo loco accusat Deus patres, non quod pœna debuerit in filios conjici, nisi imitati fuissent scelera patrum suorum. sed digni erant illius

Exod. 20. vers. 5. & 34: 7. Deut. 5: 9.

seculi homines, quos traheret Deus in eundem interitum. Adhæc nota est etiam illa sententia, Quod rejiciat Deus iniquitates patrum in filios. neque id facit immerito: quia potest juste ulcisci scelera in totum humanum genus: quemadmodum dicit Christus, Super vos veniet sanguis omnium piorum ab Abel justo usque ad Zachariam filium Barachiæ. Sic

Mat. 23. vers. 35. Luca 11. vers. 51.

igitur sæpe denunciat Scriptura filios pœnas daturos una cum patribus, quia Deus momento uno reposcet rationem omnium scelerum, & ita pensabit diuturnitatem: quoniam sicuti expectat homines, & humaniter eos invitat sua tolerantia ad resipiscentiam, ita ubi videt nullam spem esse, tunc accumulat omnia flagella. & ideo non mirum est si gravius plectantur filii, postquam grassata est multis seculis iniquitas. Videmus ergo hæc non male inter se convenire, quod Deus in societatem pœnæ filios cum patribus involvat, nunquam tamen puniat innoxios. videmus siquidem illud impleri: Anima quæ peccaverit,

Eze. 18. v. 4. 20.

ipsa morietur: non portabunt filii iniquitatem patrum, neque pater iniquitatem filii: quia Deus nunquam permiscet filios patribus, nisi sint socii scelerum. Sed interea nihil obstat quominus rejiciat Deus in sinum filiorum scelera admissa à patribus, nempe ubi semper in pejus ruunt, & filii superant patres suos omni genere scelerum, ut postea videbimus. Cæterum discendum est ex hoc loco, falso prætextu eos abuti, qui Patrum exempla objiciunt: quemadmodum hodie fieri videmus in Papatu. nam hic est clypeus quem audacter opponunt Deo, se imitari Patrum exempla. Deus autem duplici pœna pronunciat esse dignos, qui non resipuerunt, quum tamen vidissent patres suos impios, & Legis transgressores. Nunc notanda sunt crimina quæ recenset Deus. dicit *se fuisse derelictum*, quia non poterat obrendere errorem populus ille, quemadmodum miseræ Gentes, quibus nunquam contigerat ullus Propheta, quibus nulla lex unquam data fuerat. Gentes ergo aliquanto plus excusationis habebant, quam Judæi. Verum quidem est, omnes fuisse apostatas: quoniam Deus genus humanum sibi addixerat, & quicunque sequuti sunt suas superstitiones, illi crimen defectionis merito sustinent: veruntamen fuit major atrocitas sceleris in populo Judaico, quoniam Deus proposuerat illis Legem suam: fuerant quasi in ejus schola educati: sciebant quænam esset vera pietas: poterant verum Deum à fictitiis discernere. Nunc ergo tenemus quid sibi velit verbum *dereliquerunt me.* & bis repetitur, quoniam necesse erat Judæos sic coargui, ut os illis esset obstructum quemadmodum vidimus, qua erant pervicacia, sic fuisse exagitandos, quia nunquam alioqui cessissent, neque culpam agnovissent, nisi coacti. Dicit *profectos esse post deos alienos, servivisse illis, & illos coluisse.* Jam comparatio ista crimen rursus amplificat: quod scilicet prætulerint Judæi figmenta sua vero Deo, qui tot signis & testimoniis manifestaverat suam gloriam, & potentiam suam illustraverat apud eos. Quum ergo illis satis superque testata esset Dei virtus, minime tolerabilis fuit illa ingratitudo, quod *deos alienos sequuti fuit*, de quibus tantum audierant. Jactabant enim futiliter Gentes sua idola, & spargebant multas fabulas, ut allicerent miseros homines ad falsum & perversum cultum: sed Judæi sciebant quisnam esset verus Deus. Quod maluerunt credere Gentium fabulis, quam Legi, & propriæ experientiæ, nonne hæc est nimis fœda impietas? Hæc igitur ratio est cur hic queratur Deus *deos alienos ab ipsis cultos fuisse.* Jam addit, *Servierunt ipsis, coluerunt.* Idem verbum sæpe apud Hebræos accipitur pro cultu, quemadmodum alibi dictum fuit. & ita refutatur stultitia Papistarum, qui negant se esse idololatras, quia tantum picturas & statuas adorant *dulia*, quemadmodum dicunt, servitute, si ita loqui liceret, & non *latria.* quasi non ubique Scriptura quum idololatriam condemnat, non utatur hoc verbo: sicuti nunc Judæis exprobrat Deus, quod *servierint diis alienis*: quod scilicet fidem adhibuerint falsis & nugatoriis commentis Gentium. deinde

adjungit externum gestum, quod scilicet prostraverint se coram idolis. Jam in fine versus declarat quomodo fuerit derelictus, nempe quia *Legem non servaverint.* Confirmat igitur quod jam dixi, fuisse eo deteriorem apostasiam in Judæis: quia scientes & volentes dereliquerant fontem aquæ vivæ; sicuti vi-
cap. 2:13. dimus capite secundo. ac proinde non reprehenditur simplex ignorantia, quasi peccarent errore & inscitia, sed quasi ex professo Dei cultum abjicerent. Reliqua differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando tot modis assidue iram tuam in nos provocamus, tu autem non desinis nos ad resipiscentiam hortari: da, inquam, ut tibi simus flexibiles ac morigeri, neque spernamus tuas mansuetas invitationes, ubi nobis misericordiæ tuæ spem proponis, neque etiam minas tuas despiciamus: sed sic proficiamus in verbo tuo, ut studeamus prævenire tua judicia: deinde etiam ut allecti dulcedine gratiæ tuæ, nos tibi totos consecremus, ut ita vertatur à nobis ira tua, & capaces simus ejus gratiæ, quam offers omnibus qui vere & ex animo resipiscunt, & qui cupiunt te sibi habere propitium, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA QUARTA

IN

J E R E M I A M.

HEri coactus fui abrumpere contextum verborum Prophetæ. dixerat *filios fuisse patribus deteriores:* & rationem addit, *quod sequuti sint pravitatem cordis sui mali, neque attenderint ad Deum.* Visus est antea idem de patribus dixisse. posset igitur quæri, cur dicat filios pejus egisse quam patres, & pronunciet graviora esse eorum scelera? Sed jam ante vidimus ingravescere peccata coram Deo, quum filii sese confirmant ad malitiam, idque exemplo patrum suorum. Deinde notandum est non modo propositam fuisse illis Legem, sed Prophetas subinde fuisse missos, qui objurgationes adderent: & hoc etiam videtur exprimere Jeremias in fine versus, quum dicit *eos non audisse*, quum tamen quotidie revocarentur à Prophetis. Ergo obstinatio in causa fuit cur Deus severius ipsos puniret: quoniam imitati fuerant malos patres: deinde non tantum spreverant, sed etiam obstinata malitia rejecerant omnes admonitiones Propheticas. Sequitur deinde comminatio: *Ejiciam vos*, inquit, vel auferam *à terra hac in terram quam non novistis vos, neque patres vestri: quoniam sequuti fuerint deos incognitos, & abrepti fuerint post sua & aliorum figmenta.* Nunc Deus pronunciat se fore gloriæ suæ vindicem dum rapiet ipsos in terram incognitam & ipsis & patribus. Mox adjungit, *Illic coletis deos alienos die & nocte.* Notandum est hoc pœnæ genus: quia nihil pejus accidere potuit Judæis, quam ut cogerentur ad impios & perversos cultus. erat enim quædam Dei & veræ pietatis abnegatio. Quia videtur hoc primo intuitu asperum, quidam mitigant, quasi cultus deorum alienorum esset dura illa servitus, in quam redacti sunt, quum subessent idololatris: sed illud est nimis remotum. Ego itaque non dubito quin Deus eos prostituat, quoniam vitiaverant verum & purum cultum, & defecerant ad multas Gentium immunditias: atque ita ostendat dignos esse qui omnibus modis sese contaminent, & quasi mergantur in profundum abominationum. & certe probabile est fuisse serviliter adactos ad impias ceremonias, quando liberum erat Chaldæis abuti eorum obsequiis, ut tractari solent mancipia sine ulla humanitate. Hinc ergo probabilis conjectura elicitur, fuisse tractos ad superstitiones, adeoque nullum fuisse finem, ut non tantum coacti fuerint falsos deos colere, sed per ludibrium fuerint traducti: quia triumphos suos quotidie agebant de illis victores. Et hanc sententiam confirmat quod sequitur, *Quia non dabo:* אשר enim relativum hic pro causali particula sumitur: *Quia non dabo vobis gratiam*, vel misericordiam, hoc est, non flectam hostium vestrorum corda, ut sint vobis propitii, vel exorabiles. Quibus verbis ostendit Deus non tantum se pœnas de illis sumpturum, ubi eos hostibus subjiciet, & eorum libidini, vel patietur ipsos rapi in exilium: sed hanc fore pœnarum accessionem, quod crudeliter in ipsos hostes sævient: quia Deus vel mansuefacit ferociam hominum, vel quum ita visum est, magis ad rabiem & sævitiam incitat, quum vult illis uti tanquam flagellis. Nunc ergo tenemus totum Prophetæ consilium: quod scilicet Judæi, qui sponte non coluerant Deum in terra sua, trahentur in Chaldæam, ubi cogentur velint nolint, alienos deos colere, idque absque fine & modo. Nunc sequitur,

14. Propterea ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & non dicetur amplius, (*hoc est, quibus non dicetur amplius*) Vivit Jehovah, qui eduxit (*ascendere fecit, ad verbum*) filios Israël è terra Ægypti:

15. Quin potius, Vivit Jehovah, qui ascendere fecit filios Israël è terra Aquilonis, & ex omnibus regionibus ad quas expulerat eos, & reducam ad terram eorum quam dedi patribus vestris.

Hic videtur Jeremias promittere reditum Judæis: & ita communiter exponunt, quasi hæc esset interposita consolatio, quæ proprie spectaret ad solos fideles. Sed ego existimo sententiam hanc mixtam esse, quod partim severe denunciet Propheta horribile fore exilium, de quo vaticinatur: tamen partim simul admisceat aliquid consolationis. Sed hoc posterius membrum videtur mihi oblique attingi à Propheta. Ego igitur puto esse amplificationem. hoc tenendum est. Dixerat ergo, Expellam eos ab hac terra, & mittam in terram, quæ fuit incognita tam ipsis, quam patribus eorum: nunc sequitur circumstantia, quæ gravitatem exilii amplificat. Sciebant enim quam sæva fuisset illa servitus, è qua Deus eripuerat patres ipsorum: conditio illa fuit deterior centum mortibus, quum adigerentur ad serviles operas: deinde, quum omnis æquitas illis negaretur: quum statim ab utero matrum occiderentur fœtus. Quum ergo tam duriter scirent patres suos fuisse tractatos ab Ægyptiis, hæc comparatio quæ ponitur, melius ostendere potuit, quam formidabilis pœna ipsos maneret, quod scilicet redemptio futura esset multo magis incredibilis. Nunc tenemus consilium Prophetæ: quasi diceret, Scitis unde patres vestri exierint, nempe è fornace ænea, quemad- supra 11. vers. 4.
modum alibi loquitur, & quasi ex profunda morte. itaque redemptio illa debuit esse memorabilis usque ad finem mundi. Sed jam Deus conjiciet vos in abys-

abyssum, quæ longe profundior erit illa Ægypti tyrannide, è qua erepti sunt patres vestri. nam si inde vos redimat, erit miraculum longe excellentius ad posteros, ut fere extinguat, vel saltem obscuret memoriam prioris illius redemptionis. *Non ergo dicetur amplius, Vivit Jehovah, qui eduxit filios Israël ex Ægypto.* nam illa captivitas Ægyptiaca fuit magis tolerabilis, quam futura sit hæc posterior, quia eritis demersi velut in ipsis inferis: & si Deus vos inde extrahat, omnes sentient hoc esse opus incredibile. Ego hanc existimo esse genuinam Prophetæ mentem. Interea oblique simul gustum aliquem dare voluit futuræ redemptionis: sed non fecit hoc ex professo. Debemus ergo expendere quorsum tendat Propheta: nempe, quemadmodum dixi, vult incutere tantum terrorem Judæis, ut sciant instare sibi atrocius malum, quam perpessi essent eorum patres in Ægypto, qui tamen crudelissime oppressi fuerant illic. Itaque obscura reddetur, neque ita ut olim celebrabitur illa prior liberatio, quæ tamen fuit testimonium inæstimabilis Dei potentiæ: *Sed potius dicetur, Vivit Jehovah, qui populum suum eduxit à terra Aquilonis:* quia scilicet minus spei vobis erit residuum, ubi Chaldæi vos suo imperio subactos dissipaverint quasi corpus lacerum: ubi extinctum fuerit nomen Israël, cultus Dei eversus, & Templum excisum. Ubi igitur omnia fuerint jam desperata, illa captivitas erit multo magis horribilis, quam qua oppressi fuerunt patres vestri. Proinde si Deus vos reducat, hoc erit etiam excellentius miraculum. Quod autem per occasionem Propheta gustum aliquem dare voluerit gratiæ Dei, colligitur ex fine versus, ubi dicit, *Et faciam eos reverti ad terram ipsorum:* quanquam copula debet resolvi in conditionalem: quasi diceret, *Si*, vel *ubi ipsos reduxero in terram ipsorum, quam dedi patribus eorum.* Jam sequitur,

16. Ecce ego mitto ad piscatores multos, dicit Jehovah, & piscabuntur: & sic (*post hæc*) mittam ad multos venatores, & venabuntur eos de super omni monte, (*hoc est, ex monte*) & ex omni colle, & foraminibus (*vel cavernis*) rupium.

Quod exponunt quidam hoc de Apostolis, prorsus alienum est. existimant Jeremiam hic prosequi quod cœperat dicere, quin non dubitant, quin proximo versu concionatus fuerit de futura, eaque propinqua, liberatione, quæ in bonam fiduciam erigeret filios Dei. Sed jam repudiavi sensum illum. Ergo eorum expositio non est fundata in firma ratione. Quanquam si quis concedat, Prophetam vaticinatum fuisse de liberatione populi, tamen non propterea sequitur, Deum pergere in illa sententia. statim enim redit ad minas, ut videbitis. Et allegoria etiam hæc remota est, quum loquitur de venatoribus, & piscatoribus. Jam quod mentio fit collium, & montium, hinc clarius apparet, Prophetam hic minari potius Judæis, quam promittere ullam in miseriis levationem. Ego itaque simpliciter connecto omnia. Nam quum dixerit, exilium quod paulo post passuri erant Judæi, fore gravius captivitate Ægyptiaca: nunc adjungit rationem, quæ hoc confirmet: *Ecce ego*, inquit, *mittam ad eos, piscatores multos*, ut eos undique contrahant in unum. Piscatores nominat, qui hinc inde attrahent in suas nassas filios Israël. Itaque piscatoribus comparat Chaldæos, qui sic grassati sunt per totam terram, ut nullos fere reliquerint, nisi ignobile aliquod vulgus, quod etiam postea inde ablatum fuit. Et ideo piscatoribus subjicit *venatores*. Quod quidam per Piscatores intelligunt hostes armatos, qui gladio interficient victos, & Venatores accipiunt pro his, qui malebant vitæ multorum parcere, & trahere in exilium: hæc argutia mihi non placet. Simplicius est quod dixi, nempe vocari Chaldæos Piscatores, quia totam terram exinanient incolis: deinde vocari eosdem Venatores, quia postquam dispersi erunt Judæi huc & illuc, & profugi, tamen reperientur in cavernis petrarum aut rupium. Et optime conveniunt duæ similitudines. ostendit enim Propheta non multum fore Chaldæis negotii ad Judæos capiendos: quemadmodum piscatores retia tantum projiciunt, non sese armant contra pisces, neque enim opus est: deinde quoscunque pisces capiunt, illis potiuntur, quia nulla est resistentia. Sic ergo ostendit facilem Chaldæis victoriam fore, quia non secus corripient Judæos, quam pisces trahuntur in nassas. hoc unum est. Jam secundo loco dicit, Etiam si sese conferant in recessus montium, si se abdant in cavernas vel foramina: quemadmodum solent venatores persequi feras in sylvis, & in aliis locis fere inviis, nec ullæ vel salebræ, vel spinæ, vel ulla impedimenta remoram injiciunt, quin perrumpant, adeo violenter feruntur suo impetu: ita etiam nullus erit recessus montium absconditus Chaldæis, nulla erit caverna, quæ protegat Judæos, quin simul omnes rapiantur. Ergo videmus confirmari superiorem sententiam duplici similitudine. Postea adjungit,

17. Quia oculi mei super omnes vias ipsorum, non absconditæ sunt à facie mea: & non sunt occultæ iniquitates è regione oculorum meorum. (*coram oculis meis: ad verbum est, de coram oculis meis.*)

Jam ostendit Propheta gravem illam cladem, de qua disseruit, fore justam mercedem, quam rependet Deus sceleribus populi. Scimus enim Prophetas non tantum in hunc finem præditos fuisse Dei Spiritu, ut vaticinarentur de rebus futuris: hoc fuisset nimis jejunum: sed simul conjunctam fuisse doctrinam vaticiniis. Ideo Prophetæ non tantum prædicunt quid facturus sit Deus, sed simul adjungunt causas. Ergo nunc subjicitur doctrina quasi condimentum vaticinii, quum Propheta dicit instare Judæis interitum, quia nimis diu provocaverint iram Dei. Jam quoniam hypocritis nullus est tergiversandi modus, ut heri visum fuit: ideo hic Deus ipsos ad judicium suum revocat: quasi diceret hoc unum sufficere, quod cognoscat eorum iniquitates. Se enim esse idoneum judicem, ut frustra litigent, vel conentur excusare, vel extenuare culpam. Dicit igitur *oculos Dei esse super omnes vias ipsorum:* & *omnes vias* nominat, quoniam non semel neque in una tantum specie deliquerant, sed addiderant scelera sceleribus. *Non sunt absconditæ*, inquit: urget eos Propheta, quoniam nunquam finem excusandi fecissent, si voluisset admittere eorum mendacia. Dicit igitur, *neque absconditas esse ipsorum vias, neque occultas eorum iniquitates coram oculis Dei.* Jam sequitur confirmatio:

18. Et rependam ab initio duplum iniquitatum eorum, & scelerum eorum: quia polluerunt (*super polluere ipsos*) terram meam in cadaveribus abominationum suarum, & inquinamentis repleverunt hæreditatem meam.

Nihil

Nihil novum dicit Jeremias: sed prosequitur quod vidimus proximo versu, nempe Deum non tam severum fore adversus Judæos, quod ipsum oblectet nimius rigor, vel quod oblitus sit naturæ suæ, & fœderis quod pepigerat cum Abraham: sed quia Judæi nimis obstinati fuerint in suis sceleribus. Sicuti ergo dixerat *oculos Dei esse super omnes vias ipsorum*: ita nunc addit, *Rependam quod meriti sunt.* Sed notandæ sunt singulæ particulæ: dicit ראשנה, quod interpretor, Ab initio. nam obscurius est quod alii reddunt, Primum, rependam primum. ראשנה idem significat quod Pridem, & refertur ad tempus. Non dubito itaque, Prophetam hoc velle, quod etiam prius attigerat, nempe Deum pœnas sumpturum de patribus & filiis, ut quasi in acervum colligat vetustas iniquitates. Citavimus ex Lege, Deum rependere in sinum filiorum patrum scelera: deinde

Mat. 23. vers. 35. Luc 11. vers. 51. citavimus & illam Christi sententiam, Veniet super vos sanguis justus ab Abel usque ad Zachariam filium Barachiæ. Idem nunc repetit Propheta, nempe quum Deus volet rependere mercedem Judæis, ipsum collecturum omnes iniquitates, quæ pridem fuerant quasi sepultæ, ut quasi uno fasciculo involvat patres cum filiis, & simul colligat omnis omnium scelera, ut quasi uno rogo ipsos consumat. Sic interpretor particulam, *ab initio* dicit postea, Duplum iniquitatum & scelerum ipsorum. Non intelligit Propheta aliquem fore excessum severitatis, quasi Deus non satis ponderet quid homines meriti sint: sed *duplum* accipitur pro justa &

Jesa. 40. vers. 2. perfecta mensura: quemadmodum Jesaiæ 40. Rependit duplicia Dominus pro omnibus peccatis, hoc est, satis superque, ut dicunt Latini. Illic Deus induit personam patris, & pro sua indulgentia dicit Judæos satis superque fuisse punitos. Ita etiam hoc loco, quum de animadversione loquitur, vocat eam Duplicem, non quod excessura esset modum, sed quia Dominus futurus erat alius, quam se ostenderat prius, quum patienter ipsos tulisset: quasi diceret, Ego ad extremum usque exigam de ipsis pœnas, ita ut nulla sit remissio, nulla lenitas, nulla clementia. Videmus ergo hic simpliciter notari extremum rigorem, qui tamen carebat culpa: quia etiamsi centuplo gravius puniret Deus qui visi sunt leviter peccasse; non tamen posset in jus vocari, quasi sæviret inhumaniter. Ergo quum Judæi tot modis, & tam longo tempore, & tam graviter peccassent, non potuit Deus censeri nimis severus, quum illis mercedem rependeret. Sed Duplum vocat, quia scilicet nihil omittet ad extremam severitatem. Forte etiam alludit ad hostes vindictæ suæ ministros, quorum sævitia atrocior futura erat quam putabant Judæi, qui tanquam levibus malis vana remedia sibi fingebant. sicuti dicimus, *Il n'y faudra plus retourner*, vel *tout outre*. Addit, *scelerum & iniquitatum.* Nam prius Jeremias induxerat ipsos sic loquentes, Quæ nostra est iniquitas? & quodnam scelus? quanquam enim non poterant prorsus se eximere à culpa, tamen non cessabant obtendere aliquos prætextus, ne viderentur in totum scelerati. Hic autem Deus pronunciat, ipsos & sceleratos, & prorsus impios esse.

Et adjungit confirmationem, nempe *quod polluerint terram in cadaveribus suarum abominationum.* Speciem designat Propheta, quoniam si generaliter tantum loquutus foret, semper Judæi obmurmurassent, se non esse tantopere sibi conscios. Ut ergo illos magis premat, ostendit quasi digito scelus minime excusabile, quoniam polluerant suis superstitionibus terram Dei. dicit, *terram meam polluerunt*. Hoc crimen exaggerat, *quod polluerint terram sanctam.* Dei quidem est terra, & plenitudo ejus. Ergo posset Psal. 24. vers. 1.
hoc de toto orbe merito dici, Polluisse Dei terram, ubi homines se impie in ipsa gerunt. Sed hic terram Chanaan discernit Deus ab aliis, quoniam erat quasi dicata ejus nomini. Quum ergo terram illam Deus sibi consecrasset, sicuti volebat in ea coli, merito dicit, *Terram meam polluerunt.* dicit, *In cadaveribus suarum abominationum*. Probabile est, Cadavera hic vocari sacrificia. Nam quamvis in speciem similes essent superstitiones vero & legitimo Dei cultui: tamen scimus sacrificia quæ Deus mandaverat, fuisse condita ejus verbo, tanquam sale. Erant igitur boni odoris, & bonæ fragrantiæ coram Deo. Quod ad sacrificia, quæ offerebantur idolis, spectat, erant fœtida cadavera, erant mera putredo. atqui ceremonia prorsus erat similis. Sed Deus non moratur externam speciem. nam obedientia melior est coram 1 Sam. 15.
illo, quam omnes victimæ. Videmus ergo subesse antithesin inter Cadavera, & inter Bonam fragrantiam, vers. 22.
quæ fuit in legitimis sacrificiis. Quoniam enim sacrificia, quæ rite offerebantur juxta Legis præscriptum, placebant Deo, dicuntur boni odoris. Quoniam autem in superstitionibus nullum erat Dei præceptum, ideo victimæ vocantur Fœtida cadavera. Et dicit postea, *Suis inquinamentis repleverunt hæreditatem meam*: Eodem sensu terra Chanaan vocatur hæreditas Dei, quo nuper vocata fuit terra ejus. Sed secunda hac voce plus aliquid exprimitur, quemadmodum Scriptura etiam solet amplificare. Hoc quidem jam magnum erat, terram, quæ sacrata fuerat Deo, fuisse pollutam: sed quum dicit, *Hæc est mea hæreditas*, hoc est, hanc terram mihi delegi, ut residerem in ipsa cum populo meo, ut esset mihi quasi terrenum aliquod domicilium: quod terra hæc repleta fuerit inquinamentis, hoc non est tolerabile. Nunc ergo videmus Judæos ita constringi, ut frustra deinde elabi conentur, vel tergiversando existiment se posse quicquam lucri facere: quoniam intolerabilis erat eorum impietas, & digna quam Deus ad extremum usque persequeretur. Ego non pergam ulterius, quia est nova concio.

Da omnipotens Deus, quando non tantum aliquem terræ angulum dedisti tuis cultoribus, in quo habitarent, sed voluisti regnum tuum extendere usque ad extremos terræ fines, & ubicunque simus, nobiscum habitare per unigenitum Filium tuum: da, inquam, ut nos tibi offeramus in sacrificia: deinde ut studeamus vitam nostram in obsequium verbi tui ita componere, ut glorificetur in nobis & per nos nomen tuum: donec tandem participes simus cœlestis illius, & æternæ gloriæ, quæ nobis parta est per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA QUINTA

IN

JEREMIAM.

19. Jehovah, robur meum, & munitio mea, & refugium in die angustiæ: (*vel afflictionis*) ad te Gentes venient è finibus terræ, ac dicent, Certe mendacium possederunt patres nostri, vanitas, (*vanitatem*) & nihil in ipsis utile.

Quod

QUod hacteous dixit Propheta, poterat videri adversum Dei promissionibus, & quasi prorsus abolere fœdus illud, quod pepigerat cum Abraham. Deus elegerat sibi populum unum ax toto orbe: nunc quid eo pessondato potuit vel perfectissimus fidelium animo concipere, quam fœdus illud esse irritum, ea quo Deus statuerat perdere Judæos, & delere ipsorum nomen? Fuit igitur hæc gravissima tentatio, & quæ posset concutere firmissimos animos. Ideo Propheta nunc sese colligit, & repellit tentationem istam. quia autem videt homines desperatos, convertit se ad Deum: & de Gentium vocatione concionatur, quæ facile poterat absorbere illud, quod dixi, scandalum de electi populi defectione & interitu. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Si quis legat totum hoc caput, putabit Jeremiam ex abrupto verba ad Deum facere: sed tenenda est ratio, quam dixi. Voluit enim & se & alios fideles munire contra illam cogitationem, quæ alioqui fidem omnium labefactasset. Ostendit autem quid sit optimum factu in rebus turbulentis & confusis. nam Satan nihil aliud venatus, quam ut nos implicet multis, & contortis disputationibus: & est argutus disputator, imo sophista. Nos autem plus satis sumus propensi ad hanc facilitatem, quod recipimus quicquid sese ingerit: & ita fit ut sæpe hos obruant nostræ cogitationes, quas vel nobis accersimus, vel nimis libenter recipimus, quum Satanæ artificia sunt oblatæ. Nullum igitur aptius remedium est, quam abrumpere istas disputationes, & recta in Deum conjicere oculos & omnes sensus nostros. Hoc facit Propheta quum dicit, *Jehovah, ad te venient Gentes.* Videmus nunc opponi conversionem Gentium exitio quod prius denunciavit Jeremias. nam sic conjuncta erat veritas Dei & misericordia cum salute populi electi, ut hujus interitus videretur etiam prorsus illas delere. Propheta ergo hic opponit Gentium conversionem: quasi diceret, Quamvis nunc pereat genus Abrahæ, non tamen intercidet fœdus Dei, nec quicquam minuetur ex ejus gloria: quoniam Gentes omnes ad se convertet. Si quis objiciat, conversis Gentibus, tamen non fuisse fœdus Dei stabile & perpetuum, nisi posteri Abrahæ, hæredes essent gratiæ, quam illi Deus promiserat: responsio facilis est, nempe quum Deus ad se convertit Gentes, memorem fuisse promissionis suæ, ita ut Ecclesiam sibi colligeret tam ex Judæis, quam ex Gentibus: sicuti etiam scimus Christum venisse, ut pacem annunciaret iis qui longe erant, & iis qui prope, quemadmodum docet Paulus. Ergo sub Gentium vocatione comprehendit Jeremias quod alibi dicitur, Semper fore salvas reliquias gratiæ. Et argumentum est à majori ad minus, Non tantum paucos homines Deus retinebit, sed qui nunc videntur dispersi per totum mundum, illos ad se colliget: multo igitur magis salvi manebunt ex genere Abrahæ quicunque divinitus sunt electi: ac tametsi corpus ipsum populi intereat, Dominus tamen qui suos novit, non sinet illos perire etiam in rebus desperatis. Sed quoniam difficile erat certamen, vocat Deum *robur suum, & munitionem, & refugium* dicit עזי ומעזי, *ma force & forteresse:* quia ab eadem radice veniunt hæc duo, non possumus Latine ita apte transferre. Vocat igitur Deum *robur suum, & munitionem suam:* sed utrumque à fortitudine ducitur. Postea adjungit, *refugium meum in die afflictionis.* Hic videmus pro circumstantia loci Deum ornari epithetis, quæ possint nos fiducia instruere, & quasi armare ad sustinendos omnes tentationum impetus. neque enim satis vehementiæ fuisset in simplici illo sermone, *Jehovah, Gentes ad te venient:* sed quoniam redactus erat Propheta in maximas angustias, &, quemadmodum jam dixi, poterat opprimi ejus fides: ideo vocat Deum *fortitudinem suam, & munitionem suam, & refugium*, nempe *in die afflictionis:* quasi diceret, Jam tempus est, quo experiar quid valeat tuum præsidium, tua virtus, tua potentia. Nam quamvis me exanimant præsentes miseriæ, & ultima clades quæ impendet, tamen tu eris mihi refugium. Dicit autem *venturas Gentes à finibus terræ.* hoc quoque antitheton notandum est, quia prius Judæi coluerant Deum in obscuro angulo: dicit autem, Quum terra illa ejecerit suos incolas, venturos omnes populos non tantum è regionibus vicinis, sed etiam ab ipsis extremitatibus. Addit *Gentes dicturas, Certe mendacium possederunt patres nostri, vanitas fuit, nihil in ipsis utile.* Possidere tantundem hic valet, atque amplecti loco hæreditatis. Scimus enim suam cuique hæreditatem pretiosam esse, & homines in suis fundis & agris sunt quasi defixi. Quoniam ergo Gentes antequam illuminatæ essent, putabant summam felicitatis suæ positam esse in superstitionibus: ideo per concessionem dicit Propheta *possedisse mendacium:* quasi diceret, Putarunt patres nostri se felices ac beatos, quum idola sua & figmenta colerent: *fuit* igitur *hæc eorum hæreditas*, hoc est, nihil putarunt sibi esse melius, vel optabilius, quam sua idola amplecti, & suos errores: *Sed fuit mendacium;* inquit, hoc est, quum putarent sibi esse præclaram hæreditatem, fuit stulta imaginatio: *Fuit denique vanitas*, inquit, *& nihil in ipsis utile.* Hæc confessio ostendit Gentium conversionem ab externis notis. Pœnitentia ubi Deum non occulte modo, sed malis exemplis offendimus, confessionem exigit. Ergo Propheta ostendit mutationem in Gentibus, quia ultro agnoscent patres suos fuisse deceptos in superstitionibus: quia quum putarent secum præclare agi, fuerunt meræ illusiones ac præstigiæ. Non dubium autem est, quin Propheta hic etiam oblique exprobret Judæis, quod non destiterant à sceleribus patrum, toties admoniti. *Gentes* ergo *venient*, neque illis obstabit patrum ignorantia, quo minus fateantur & se & patres reos esse coram Deo. Quum ergo impedimentum illud ex deliberata malitia quod tenuit Judæos, nullum fuerit apud Gentes: hinc apparet, quanta fuerit illius populi contumacia, qui non potuerit revocari à malis patrum exemplis. Nunc tenemus, & quid velit Propheta, & quo consilio interposuerit hanc precationem. Sequitur,

Psal. 24. vers. 1.

1 Sam. 15. vers. 22.

Ephes. 2. vers. 17.

Rom. 11. vers. 5.

20. An faciet sibi homo deos? & ipsi non sunt dii.

Quidam frigide exponunt hunc versum, quasi diceret Propheta homines bis stultos esse, qui ex ligno, lapide, auro, vel argento deos sibi fabricant: quia non possint tamen mutare naturam. quicquid igitur imaginentur homines, lapidem manere lapidem, lignum manere lignum. Hunc sensum eliciunt ex verbis Prophetæ, quod non sint dii qui fabricantur stulta opinione hominum. Sed potius aliter ratiocinatur Propheta, Qui Deus non est, an potest facere Deum? hoc est, qui creatus est, an potest esse creator? Nemo dat quod non habet, ut dicitur vulgari proverbio: in homine vero non est deitas. Videmus enim quænam sit nostra conditio: nihil est fragilius, nec magis caducum. Ergo quum homo plenus sit vanitatis, nihil habeat in se firmum, an poterit Deum sibi creare? Hoc est argumentum, quod ducit Propheta ab absurdo, ut homines tandem agnoscant, non modo suam temeritatem, sed amentiam, quæ prodigiosa est. Nam quisquis rogatus fuerit de sua conditione, fatebitur, ut necesse est, se esse creatum: deinde se esse animal ephemeron, ut veteres dixerunt: vitam suam esse similem umbræ. Quum ergo res ipsa talem confessionem hominibus extorqueat, qui fit, ut non dubitent sibi fabricare deos?

deos? Deus non creat Deum, creat homines, creavit Angelos, creavit cælum & terram: sed tamen non exerit potentiam suam in creando novo Deo. homo autem quid est? nempe vanitas: & tamen Deum creabit, quum Deus non sit? Non dubium est, quin Propheta quasi collecto vigore, hic animosius insurgat contra Judæos. Nam haud dubie, quum illa tentatio impeteret ejus animum, Quid hoc sibi vult? quid tandem fiet, si Deus abjiciat genus Abrahæ quod elegit? convertit se ad Deum: nunc autem recuperata fiducia, invehitur contra impios: *An homo*, inquit, *sibi creabit deos? atqui ipsi non sunt Dei.* Mutatio autem numeri non debet videri absurda. nam ubi est indefinita loquutio, sæpe numerus mutatur tam apud Græcos, quam apud Latinos. Si tantum sermo esset de uno certo homine, non dixisset Propheta, *Et ipsi non sunt dii:* sed quoniam generaliter vel indefinite loquitur de genere humano, hæc optime fluunt, quod dicit, *An homo faciet Deum? & ipsi*, hoc est, ipsi homines, *non sunt dii.* Hoc addere volui, quoniam probabile est, eos qui de idolis intelligunt hoc postremum membrum, fuisse hallucinatos in re parva: quia diversus numerus turbavit eorum mentes. Sequitur,

21. Propterea ecce ego cognoscere faciam ipsos hac vice, ostendam ipsis (*cognoscere ipsos faciam*) manum meam, & potentiam meam: & cognoscent quod nomen meum Jehovah.

Iterum Propheta minatur Judæis, quoniam inexcusabilis erat eorum impietas, præsertim quum accederet tanta obstinatio. Dicit ergo Deum jam adesse judicem. *Ecce ego*, inquit: demonstrativa particula propinquam vindictam designat: *Ostendam*, inquit, *vice hac*: est etiam pondus in hoc verbo: quia tacite significat Deus, exilium Babylonicum fore illustri documento, ita ut superet omnia alia, quæ præcesserant. *Vice hac* igitur: hoc est, si hactenus fueritis tardi vel stupidi, vel si pœnæ quas inflixi non fuerunt satis vehementes, *jam hac vice ostendam illis manum meam, & potentiam meam: & cognoscent quod nomen meum sit Jehovah.* Sæpe hæc loquutio in Scriptura occurrit: sed Deus haud dubie castigat perversas opiniones, quibus imbuti fuerant Judæi, & abstracti à vera pietate. Finxerant enim sibi complures deos. dicit igitur, *Cognoscent nomen meum esse Jehovah*, hoc est, nomen illud esse mihi sacrum, nec debere ad alios transferri. Sed interea significat se ostensurum illis potentiam in ipsis perdendis, quam sentire noluerant in salute sibi promissa. Nam experti semper fuissent, Deum Abrahæ esse unum, nisi se privassent ejus gratia. Quum ergo ita vagati essent post suos errores & sua figmenta, dicit nunc Deus, *Ostendam illis manum meam*, nempe in perniciem, & jam suo malo agnoscent quod in suam salutem agnoscere recusarunt, me scilicet unicum esse Deum. Hic primo discamus furorem illum prorsus diabolicum esse, ubi homines Deum sibi fabricare audent. Nam si respicerent suam originem, & finem suum, haud dubie non eo perrumperent temeritatis & audaciæ, ut fabricarent sibi aliquem Deum. Si tantum hoc idololatris veniret in mentem, Quisnam es? undenam es ortus? quo tendis? & quis te exitus manet? statim conciderent omnes illæ perversæ imaginationes, Tibi fingendus est Deus: & quisquis tibi, sive hic, vel ille placuerit, tu illum coles. Unde igitur fit ut homines prosiliant ad hanc amentiam, quod deos pro libidine sua fabricant, nisi quia seipsos non agnoscunt? Non mirum igitur est, si mentibus sunt excæcati in quærendo Deo, quum seipsos non respiciant neque examinent. Hinc sequitur, non posse rite coli Deum, nisi ubi humiliati fuerint homines. Humilitas autem optima est ad fidem præparatio, ut se verbo Dei subjiciant. Præ se ferunt quidem idololatræ aliquid humilitatis: sed postea sese projiciunt in stuporem, ita ut nolint inquirere, ut etiam discrimen omne lucis & tenebrarum procul rejiciant. sed vera humilitas facit, ut quæramus Deum in verbo ejus. Quod autem interrogat Propheta, *An homo faciet sibi Deum?* non intelligit tam rudes fuisse vel Ægyptios, vel Assyrios, ut putarent se posse conferre deitatem ligno vel lapidi: sed quicquid in Dei cultu audent homines sibi fingere, nihil aliud est quam Dei creatio. Simul ergo atque permittimus nobis hanc licentiam, ut Deum hoc vel illo modo colamus, vel ut imaginemur Deum esse talem vel talem, totidem sunt deorum creationes. In hac etiam parte, ubi dicit, *Cognoscent quod nomen meum sit Jehovah*: notandum est, Deo auferri quod suum est, nisi in ipso acquiescimus, ita ut nullæ aliæ divinitates nobis obstrepant, vel se ingerant: quia non retinet Deus jus suum, vel gloriam, nisi unicus sit ac censeatur. Nunc sequitur,

CAP. XVII.

PEccatum (*vel scelus*) Jehudah scriptum est in stylo ferri, (*ferreo*) & in ungue adamantino, exaratum super tabulam cordis eorum, & ad cornua altarium vestrorum.

Propheta aliis verbis docet quod sæpius jam vidimus, nempe frustra Judæos quærere effugia: quoniam peccatum ipsorum pervenerit ad cumulum usque. Sæpe enim continget, homines labi: sed Deus qui proclivis est ad misericordiam, ignoscit: deinde sæpe levitate rapiuntur homines, & ita scelera eorum non sunt ita insculpta cordibus. Jeremias ergo dicit nihil aliud esse residuum, nisi ut extinguat Deus gentem illam, quia sit desperata ejus iniquitas. nam si leviter aspersi essent vitiis, esset adhuc aliquod remedium. Sed ubi in corde, & in medullis, & ossibus insculptæ sunt iniquitates, quid amplius restat? quem-
supr. 13. vers. 23. admodum prius dixit, An poterit Æthiops mutare pellem suam? Et tamen etiam si Æthiops pellem mutes vel panthera, tu eris semper similis tui. Sic enim penitus imbiberant & contemptum Dei, & contumaciam, ut non possent ullo modo revocari ad sanam mentem. Nunc ergo tenemus quid sibi velit hoc loco Propheta. Dicit *peccatum Jehudah scriptum esse stylo ferreo in ungue adamantino*: quasi diceret, Non sunt leviter tantum iniquitate sua tincti. nam esset aliqua sanatio. Sed iniquitas insculpta est in penitissimo affectu ipsorum, quemadmodum si quis insculpat aliquid in adamante, & insculpat stylo ferreo. Hinc ergo apparet, fuisse prorsus venia indignos, et nullo modo jam essent capaces misericordiæ: quamvis maxime vellet Deus ipsos recipere in gratiam: quoniam sua obstinatione clauserant viam saluti, nec poterant admittere promissiones, quæ requirunt pœnitentiam in peccatoribus. Postea adjungit *exaratum esse super tabulam cordis ipsorum*, quasi diceret ipsos sic addictos esse iniquitati, ut omnes eorum affectus ostendant impressa vestigia. Unde sequitur Judæos ita fuisse convictos, ut frustra tergiversarentur, quoniam

oiam propria coofcientia ipfos damnabat. Quanquam ego Prophetæ verba tam de reatu interpretor, quam de culpa ipfa, & propenfione ad malum. Significat igitur Judæos oon vulgati modo peccaffe, & transgreffos effe Legem Dei: fed fuiffe fceleribus ita addictos, ut geftarent ipfam iniquitatem infculptam io cordibus fuis. Tabulas cordis metaphotice appellat omnes affectus. Comparat enim cor tabulis: quemadmodum in lapide, vel in ære confpicitur fcriptura incifa, ita etiam quum affectus fiunt infixi cotdibus hominum, ipfa iniquitas eft exarata in tabulis cordis. Poftea addit, *Et ad cornua altarium veftrorum.* De corde loquutus eft, jam longios progreditur, quod fcilicet teftimônium iniquitatis occultæ palam appareat. Si tantum facta fuiffet cotdium mentio, poterant excipere Judæi, Quid tu penetras in corda noftra? ao tu Deus es, qui excutias arcanos affectus? fed Propheta adjungit, fatis cognitam effe iniquitatem in altaribus ipforum. Iotereà fignificat, fruftra eos obtendere nomen Religionis: quoniam hoc nomioe maxime fuot fcelerati coram Deo, qui vitiaverint purum ejus cultum. Et ad coofirmationem hujus rei adjungit,

2. Secundum recordari filios ipforum (*hoc eft, Quum memores erunt filii ipforum*) altarium ipforum, & lucorum ipforum fuper arborem frondofam, fuper colles excelfos.

Non videntur mihi attingere Interpretes Prophetæ mentem, faltem rem ipfam noo fatis perfpicue defignant. Profequitur itaque, meo judicio, quod dixit in fine proximi verfus, nempe iniquitatem Jehudah iofcriptam effe in altaribus, vel fuper cornua altarium. quomodo hoc? nempe quia transmittunt ad pofteros quicquid ab ipfis excogitatum fuit ad impios cultus. En quomodo exarata fit ioiquitas io cornibus altarium, nempe quia non fuit temporale fcelus duntaxat, quum Judæi Lege abjecta, fequuti funt perverfas fuperftitiones: quin potius quafi hæreditario jure illa impietas latius manavit ad pofteros. Merito igitur eos accufat Jeremias, quod noo taotum toto vitæ curfu ad malum ferantur, fed quod etiam poft mortem corrumpaot filios fuos, & pofteros: quia memoriam relioquaot fuarum fuperftitionum. Quidam exponunt, Quemadmodum filiorum, fic etiam altarium recordaotur: quafi diceret Propheta fic ardere perverfo ftudio idololatras, ut altaria quæ dicata eraot idolis, non minus chara habeant quam proprios liberos. fed illud videtur effe nimis coactum. Non dubito igitur quin Propheta hic amplificet fcelus, ut velit infculptum effe io cornibus altarium: quooiam pofteri erant nimis memores fuperftitionum, quæ fueraot illis traditæ à patribus. Addit *lucos ipforum:* quia *fuper*, vel prope *omnem arborem frondofam erexerint vitiofos cultus:* deinde, *fuper omnes excelfos colles.* Sequitur,

3. Montane, in agro fubftantiam tuam, (*opes tuas*) omnes thefauros tuos in prædam dabo propter excelfa tua, propter peccatum tuum in omnibus finibus tuis.

Iterum repetit Propheta inftare Judæis pœnam, nec quicquam eos proficere, quum quærunt fibi latibula, & receffus: quoniam è montibus illos abftrahet Deus, & exponet in direptionem hoftibus ipforum. הררי quidam vertont, O moos meus. & primo intuitu videri poffet hic fenfus quadrare: fed quia contextus poftulat hoc intelligi de Ifraëlitis & Judæis, qui femper captabant receffus, quum aliquis terror hoftilis inftabat: alteram lectionem amplexus fum. Quum ergo ad omnes tumultus ita confugerent in latebras, ideo Propheta dicit fruftra eos tergiverfari, quoniam montes erunt fimiles agris. *Ego*, inquit, *tanquam in agro*, id eft, in planitie, *divitias tuas, & thefauros exponam*, ut pateant in direptionem hoftibus. Summa eft, quod Propheta vindictam Judæis denunciat, & fimul excutit ftultam fiduciam, quæ nimis fecuros reddebat, ut fpernerent omnes minas Dei: Vos, inquit, putatis tutum vobis fore refugium in mootibus: Deus autem inde abripiet omnes veftras facultates, & exponet tanquam in agro aperto, ita ut facilis fit earum direptio. Iterum repetit quod dixerat, Deum fcilicet merito tales pœnas fumpturum de Judæis, utpote qui fe gefferiot plus quam fcelerate in fuis excelfis. Per Excelfa haud dubie figoificat omnes impios cultus & degeneres. Nam Deus Templum fibi elegerat io monte Sion: volebat illic facrificia fibi offerri: ipfi autem ftulto fervore fibi multa altaria erexerant, ut nullos effet collis, ubi non ftatuerent fibi aliquod altare. Ergo per fynecdochen hic Propheta defignat quicquid alienum erat à Lege Dei: & quo magis amplificet peccatum illud, dicit, *In omnibus finibus tuis:* quod fcilicet longe lateque diffufa erat eorum impietas, ut nullus terræ finis effet purus à perverfa aliqua fuperftitione. Quum igitur terra fic omni in parte contaminata effet, merito dicit Propheta, *In omnibus finibus*, id eft, oullum jam illis fore refugium, quo minus trahantur, & fubjiciantur hoftibus fuis in prædam, una cum thefauris. Sequitur,

4. Et derelinqueris & in te ab hæreditate tua quam dedi tibi, & fervire te faciam inimicis tuis in terra quam non cognofcis: quia ignem fuccendiftis in excandefcentia mea, (*vel, in nare mea, in vultu meo*) in feculum ufque (*id eft, in perpetuum*) ardebit.

Hic quoniam eft abrupta loquutio, videtur aliqoid effe obfcuritatis: fed quantum ad rem fpectat, fenfus Prophetæ certus eft, oempe quod *relinquentur ab hæreditate fua*, quafi à propriis vifceribus. Ideo dicit, *Tu relinqueris & in te ab hæreditate tua* hoc eft, quamvis puteris vos effe extra hoc periculum, quia manet urbs vobis adhuc incolumis, & io ea ftatis: tamen peribitis viventes ac videotes, quemadmodum loquuntur. *Eris* igitur *derelictio ab hæreditate, & quidem in te*, hoc eft, etiamfi Dominus proroget vobis tempus aliquod, quo adhuc fitis fuperftites, tamen eritis fimiles mortuis: quia Deus vos occidet, utcunque relinquat languidam vitam. Videtur hoc mihi emphatice exprimere Propheta quum dicit, *tandem fore derelictionem, & quidem in ipfa*, hoc eft, etiamfi aliqua multitudo maneat fuperftes, tamen exilio & diffipationi addictum effe populum. Erat autem hæc conditio morte deterior, quum protrahenda effet Judæis vita, ex quo difperfi erant inter hoftes fuos. Dicit, *Ab hæreditate quam dedi*, ne fcilicet expoftulent fibi auferri quod fuum eft: Quomodo terra, inquit, eft veftra hæreditas? nempe eam adepti eftis mea liberalitate: nonc quum fitis ingrati, cur reprehandar, fi recipio quod vobis dederam? vel quænam eft ifta injuria? & quid poteftis mihi objicere? quia hæreditas femper mea eft, quamvis ad tempus eam vobis conceflerim. fi fuiffetis mihi grati, fuiffet quidem illa perpetua: fed nonc quum ea vos fpoliabo, vobis culpam adfcribite. Et eodem etiam fenfu addit, *Servire vos faciam adverfariis veftris*, quod magis indignum eft, quam fi vicinis fois fervirent, quibus non fuiffent odio. Sed hic oftendit quam gravis futura fit calamitas: quoniam fervient fuis hoftibus. Addit, *In terra quam non cognofcis*, ubi repetit quod jam dictum eft:

ideo non insisto. Postremo confirmat quod dixerat de ipsorum scelere: *Ardebit*, inquit, *ignis in nare mea*. nam אף potest accipi pro vultu Dei. Etsi enim sæpius significat excandescentiam: tamen quoniam dicit, Ignem accendistis, hic videtur melius convenire, *in vultu meo*. Adhæc, Seculi nomine significat Deum fore implacabilem Judæis: quia ita meriti sunt.

Da omnipotens Deus, quando tam suaviter nos quotidie ad pœnitentiam invitas, & ostendis te ad reconciliationem paratum, ne pervicacia nostra repudiemus beneficium hoc inæstimabile, sed subjiciamus nos tibi, & sic nobis displiceamus in vitiis nostris, ut vero etiam & sincero pietatis studio tangamur, & nihil aliud studeamus toto vitæ nostræ cursu, quam nos tibi & officia nostra probare, & ita glorificare nomen tuum, ut aliquando participes simus cælestis & æternæ illius gloriæ, quam peperit nobis unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA SEXTA IN

JEREMIAM.

5. Sic dicit Jehovah, Maledictus vir qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Jehovah aversum est cor ejus.

6. Et erit quasi myrica (*sic vertunt communiter*) in deserto, & non videbit quum veniet bonum, (*id est, fœcunditas*) & habitabit in siccitatibus in deserto, in terra salsuginis, & quæ non habitatur.

NOn dubito quin Propheta hanc sententiam multis concionibus aptaverit: necesse enim fuit eam subinde repetere, quum tam præfracto ingenio essent Judæi. Jam vidimus quam acriter invectus fuerit in perversam illorum fiduciam. atqui necesse erat hoc principium sumere: ergo semel scripsit quod sæpius dixit. Et hoc observatu dignum est: quia non satis intelligemus quid valeat hæc doctrina, nisi consideremus circumstantias: quia Propheta & expertus fuerat sæpius negligi tam promissiones Dei, quam minas: & doctrinam vilipendi, & sibi esse negotium cum populo superbo, & qui fretus suis præsidiis, non tantum pro nihilo duceret quicquid propositum fuerat Dei nomine, sed quasi ex professo rejiceret. Hæc igitur ratio fuit, cur Propheta non semel tantum, sed quoties volebat hortari populum ad pœnitentiam, hoc proposuerit, nempe *maledictos esse qui confidunt in hominibus*. Quantum ad verba spectat, Caro hic accipitur pro homine, quemadmodum potest facile colligi ex contextu: Hebræis enim tritum est, idem bis dicere. Ergo quum priore membro nomen Adam posuerit, adjungit Carnem: Brachium vero pro virtute vel auxilio metaphorice capitur. Summa est, *maledictos esse omnes qui confidunt in homine*. sed non dubium est quin per contemptum Carnis nomen additum fuerit secundo loco, quemadmodum & capite 31. Jesaiæ ap-
Jesa. 31. vers. 3. paret: dicit enim illic Propheta, Ægyptius homo est, & non Deus; caro, & non spiritus. contemptim igitur carnem nominat Ægyptios: quasi diceret nihil in ipsis esse firmum vel stabile, sed auxilium quod ab ipsis sperabant Judæi, fore evanidum. ita hoc loco, quamvis Propheta ex communi linguæ usu repetat secundo membro quod priore dixerat, plus tamen aliquid exprimit, nempe quod homines nimium desipiant, ubi salutem suam ita constituunt in re nihili: sicuti diximus in carne nihil esse solidum. Quum ergo homines subito evanescant, quid stultius fingi potest, quam salutem ab ipsis petere? Sed notandum est, Prophetam sic fuisse loquutum, quia Judæi quum respicerent nunc in Assyrios, nunc in Ægyptios, putabant sibi fore satis præsidii adversus Deum ipsum: non quod diserte, vel etiam meditato Deum spernerent: sed videbimus postea, non posse aliter fieri, quin Deus pro nihilo ducatur, ubi salus petitur ab homine mortali. Ergo quoniam hæc perversa fiducia obstaculo erat Judæis, ne recumberent in Dei gratiam, & minus etiam ad pœnitentiam adducerentur, ita loquutus est Propheta, *Maledictus est vir qui confidit in homine*. Videtur abrupta esse sententia: sed, quemadmodum jam dixi, notandum est, doctrinam Prophetæ non potuisse aliter confirmari, nisi excuteret suis popularibus superbiam illam, qua erant excæcati: quum scilicet putarent Ægyptios sibi esse instar mille deorum. Sic igitur probe tenebimus Prophetæ mentem, si nobis ante oculos occurrat qualis fuerit tunc populi Judaici conditio, & quas difficultates sustinuerit Propheta ipse, ubi quotidie illis minitabatur, ac studebat eos revocare ad Deum: nullus autem erat profectus. quare? nam frigebant omnes Dei promissiones, quia putabant se tutos semper fore & incolumes, quantisper Ægyptii erant illis propitii, & pollicebantur opem suam: deinde minæ etiam frigebant, quia non dubitabant opponere non tantum pro clypeo, sed etiam pro multis munitionibus illud auxilium, quod sperabant ab Ægyptiis. Hoc igitur consilio coactus fuit Propheta non semel, nec decies, sed millies clamare, *Maledictus sit qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum*. Est tamen generalis doctrina: nam hodie quoque sumimus sententias universales, quas accommodare oportet in privatum usum. Ergo generaliter pronunciat hic Spiritus, *maledictos esse omnes qui confidunt in hominibus*. Jam scimus variis modis decipi homines, dum in hominibus confidunt: incipiunt enim à seipsis, atque ita hinc inde petunt securitatis materiam. nam quisque inflatur vana & perversa confidentia vel prudentiæ suæ, vel dexteritatis, vel potentiæ. Nemo igitur est, qui non in seipso prius confidat, quam in aliis. loquor de miserrimis. hoc quidem esset pudendum: sed nemo est tam contemptus, qui non turgeat aliquo arcano fastu, ita ut se aliquo in pretio esse ducat: imo erigat sibi aliquem sublimem gradum. postea qui videntur sibi prudentes, captant hinc & illinc auxilia, in quibus acquiescunt. Sed ubi respexerint homines sursum & deorsum, & collegerint sibi auxilia ex omnibus mundi partibus: circuitus tamen ipsorum erunt inutiles; neque id tantum, sed cedent illis in perniciem: quia Deus non tantum hoc loco irridet stultitiam eorum, qui confidunt in carne, sed pronunciat *ipsos esse maledictos*. Hæc autem Dei maledictio formidinem nobis debet incutere: nam hinc colligimus Deum esse infestum omnibus, qui salutem suam volunt habere repositam in mundo & creaturis. Quod additur, *Et à Jehovah aversum est cor ejus*, hypocritæ traherent in suum commodum. nemo enim est qui non excipiat se ita confidere in hominibus, ut tamen non attingat quicquam ex Dei gloria, neque delibet. Si interrogentur cuncti mortales à primo ad ultimum, quisque plenis buccis dicet se relinquere Deo suum honorem integrum, neque velle quicquam

ex

ex eo detrahere. hic est communis sermo. Sed interea ubi reponitur fiducia in carne, spoliatur Deus honore suo. sunt igitur hæc duo non minus inter se contraria, quam lux, & tenebræ. Ideo Propheta hic ostendere voluit, non posse hæc duo simul conjungi, Fiduciam ponere in carne, & in Deo. Si aqua igni miscetur, utrumque perit: ita si quis velit aliqua ex parte sperare in Deo, & alia ex parte sperare in hominibus, perinde est acsi vellet miscere terram cælo, & omnia pervertere. Hoc est igitur confundere naturæ ordinem, ubi homines volunt sibi duas spes imaginari, & dimidiam partem salutis suæ adscribere Deo, alteram vero adscribere & sibi & aliis hominibus. hoc est consilium Prophetæ. Sciamus ergo omnes eos qui vel tantillum spei sibi in hominibus constituunt, deficere aliqua ex parte à Deo, & proinde averti. denique Spiritus sanctus breviter quidem, sed summa gravitate pronunciat omnes esse apostatas, & Dei desertores, quicunque inclinant in homines, ut illic spem suam defigant. Quod si hæc sententia vera est quoad præsentem vitam: ubi agitur de æterna salute duplex certe erit amentia, si vel minimum tribuimus aut justitiæ nostræ, aut aliis virtutibus. qui expectat auxilium ab homine, maledicitur à Deo, nempe si ab eo expectet quod pertinet ad hanc caducam vitam, quæ cito evanescit: nunc si speramus salutem æternam, & hæreditatem cælorum à nobis, aut aliis creaturis, quanto hoc magis est detestabile? ergo notandi sunt gradus, ut hæc Prophetæ doctrina nos in solo Deo retineat. Sed hic objicitur quæstio, an non possimus sperare auxilium ab hominibus quorum opera Deus nos adjuvat: & qui sunt non tantum instrumenta gratiæ ejus & auxilii, sed quasi manus? quoties enim homines nobis opitulantur, hoc tantundem valet, acsi Deus manum nobis porrigeret è cælo. cur ergo non expectabimus ab hominibus auxilium, quos Deus nobis destinat ministros gratiæ suæ? Sed magnum est pondus in verbo *fidendi*: quia licebit quidem expectare ab hominibus quod illis datum est, sed in solo Deo acquiescere nos oportet, & ab ipso omnia tam sperare, quam precari. & hoc postea clarius videbitur. Sed breviter nunc notandum est, quum petimus ab hominibus quod illis datum est à Deo, nihil detrahi ejus potentiæ, qui eligit quos vult ministros. Sed hoc rarum est exemplum: quia simulatque aliquid ab hominibus nobis offertur, obliviscimur ipsius Dei, & sensus nostri deorsum trahuntur ad homines: ita Deus perdit partem aliquam sui honoris. ubi autem vel minimum aliquid ei eripitur, abnegat nos, ut sumus digni. Et notandum est quod hic pronunciat, *aversum esse ab ipso cor hominis, simulatque spem suam constituit in carne.* Adjungit similitudinem confirmandæ ejus sententiæ causa, *Erit sicut myrica*, vel juniperus, sicuti alii vertunt. ערער arbustum est. Sed Judæi etiam ipsi non consentiunt inter se: alii tamaricem esse putant, alii juniperum, alii myricam. Sed teneamus quod certum est, nempe ערער esse arbustum inutile, & non frugiferum. falluntur enim Hebræi, meo judicio, qui putant esse juniperum, quia nascitur aliquis fructus ex ejus ramis. sed existimo aliud esse genus arbusti nobis incognitum. Ergo dicit *eos fore similes arbustis, quæ nascuntur in deserto, quæ non vident fœcunditatem, sed habitant in siccitatibus in terra salsuginis.* Terram salis vel salsuginis vocant Hebræi terram sterilem. Et amplificat quum dicit, *quæ non habitatur*: quia ubi nihil nascitur, inde fugiunt incolæ. Voluit igitur simpliciter dicere Propheta, spes eorum, qui in homines respiciunt, fore aridas: quia Deus frustrabitur ipsas, ut nunquam succedant. Sed notanda est etiam altera pars similitudinis. noluit enim conferre Propheta incredulos siccis ramis, sed arbustis, quæ & radicem habent, & præ se ferunt aliquid vitæ: ita increduli, dum arridet illis fortuna, quemadmodum loquuntur, existimant se beatos esse, & ita obdurescunt in suis perversis consiliis, & rejiciunt omnem doctrinam: & quasi essent immunes ab imperio Dei, superbe repudiant omnes ejus Prophetas. Ergo Propheta per concessionem loquitur, quum dicit tales esse similes arbustis, quæ radicem quidem habent, & folia, sed sine fructu: deinde arescunt, ubi incalescit æstas. Quemadmodum ergo ardor Solis consumit quicquid videtur esse succi, & coloris, & vitæ in arbustis: ita etiam Deus exsiccat, & arefacit omnes spes infidelium, quamvis putent se habere radicem, quæ ipsos, & ipsorum vitam tueatur: sicuti etiam in Psalmo dicitur, *Psal. 129. vers. 6.* incredulos esse similes herbis, quæ crescunt super tecta. nam tales herbæ eminent in sublimi loco: triticum autem nascitur in agris planis, imo calcatur pedibus: herbæ autem illæ quo magis eminent, citius arescunt, & sine fructu pereunt. sic etiam increduli ad tempus gloriantur, & insultant filiis Dei, despiciunt eos è sublimi loco: quia filii Dei sunt simplices, & abjecti: sed quemadmodum ex segete nascitur nobis victus, & seges ipsa benedicitur, ita etiam electi proferunt fructus suos in illo abjecto & contemptibili statu: improbi autem illi, qui tam excelsum locum occupant, evanescunt sine ullo fructu. Hoc idem nunc intelligit Propheta: ideo notandæ sunt duæ illæ partes similitudinis. Sequitur,

7. Benedictus vir qui confidit in Jehovah, & cujus est Jehovah fiducia. (*ad verbum, & erit Jehovah fiducia ejus*)

8. Et erit tanquam arbor plantata prope aquas, & prope rivum, emittet (*hoc est, quæ emittit*) radices suas, & non videbit quum veniet æstus, & erit folium ejus viride, & anno prohibitionis non timebit, & non desinet à faciendo fructu. (*hoc est, à proferendo fructu.*)

Notandus est hic ordo, quem tenet Propheta. neque enim poterat concionari utiliter de secundo membro, nisi prius abstulisset perversam fiduciam, in qua nimis diu fuerant defixi Judæi. nam si quis projiciat semen in terra inculta, quis erit fructus laboris? sicuti igitur necesse est aratrum præcedere antequam semen jaciatur: sic etiam ubi volumus cum profectu docere, necesse est evellere vitia, quæ jam occupant hominum animos: præsertim vero hoc locum habet ubi tractandum est de fide in solo Deo locanda, & de seria nominis ejus invocatione. Prophetæ autem specialis fuit ratio, quia jam pridem obduruerant Judæi ad perversas illas fiducias, ut Deum negligerent in utramque partem, hoc est, vilipenderent ejus minas, & pro nihilo etiam ducerent promissiones gratiæ. Propheta igitur non potuit quicquam apud eos proficere, nisi tenuisset hanc methodum, nempe ut corrigeret vitium illud, quo jampridem corrupti fuerant: quemadmodum tolluntur vitiosæ herbæ, ut locus sit vacuus bonæ segeti. Sed si tantum negative loquutus esset Propheta, hoc est, si damnasset perversam illam fiduciam, hoc non poterat sufficere. dixissent quidem Judæi se fuisse deceptos, quum ita omnes spes suas in Ægyptiis reponerent: sed hoc etiam contingit pessimis quibusque. si enim alicunde speraverint auxilium, ubi opinio eos frustrata est, damnant quidem sua consilia: sed interim manent suspensi, & anxii, neque Deum requirunt. Ergo videmus quam apposite Propheta inceperit à sententia illa, quum damnavit Judæos, quia nimium recumberent in homines: deinde quam prudenter adjiciat hanc secundam partem, quia non satis

fuisset, quemadmodum dixi, negative loqui, nisi illos revocasset ad Deum. Ita etiam hodie videmus multos ridere superstitiones, quæ hactenus in Papatu grassatæ sunt, sed interea nulla emergit in ipsis religio: satis ipsis est ludibria illa cognoscere. atqui præstaret ipsos retineri vel aliqua superstitione in timore Dei, quam ita licentiam arripere ex parte una doctrinæ, & interea non respicere in Deum: quemadmodum præpostere fieret, si quis vitiosum ædificium tolleret, deinde relinqueret hominem sub dio: quorsum hoc? posset tamen ille qui ejicitur è domo sua, ad tempus aliquod sese tegere. Ergo non satis est diruere quod est perversum, nisi probum ædificium succedat. Hanc seriem & methodum nunc tenet Propheta. Postquam ergo dixit *maledictos esse omnes qui confidunt in hominibus*, jam addit, *Beatus vir qui confidit in Jehovah*: quasi diceret homines esse prorsus inexcusabiles, dum ita sese addicunt vel sibi, vel aliis mortalibus, quum Deus ultro se illis offerat. Quid igitur obstat hominibus, quo minus salus eorum sit in tuto? quia scilicet abjiciunt gratiam Dei, quæ tamen illis obvia est, dum malunt seipsos decipere, ubi sibi vel aliis arrogant quod proprium est Dei. Videmus ergo hic damnari totius mundi ingratitudinem, quum dicit Propheta *beatos esse qui in Domino confidunt*. nam si Deus procul se absconderet, esset aliquis prætextus ignorantiæ: deinde hæc saltem esset aliqua probabilis defensio, Quid aliud possumus? quærimus auxilium quod nobis occurrit. si Deus nos ad se vocaret, vel si liceret nobis ad eum accedere, essemus quidem satis voluntarii: sed ubi ille nos destituit, certe hoc est ultimum desperationis refugium, apud nos reputare quid nobis expediat, vel hinc inde accersere nobis auxilia. Ergo Propheta hic ostendit frivolas esse ejusmodi defensiones, quia Deus sponte nos ad se invitat. frustra enim diceret *beatos esse qui confidunt in Jehovah*, nisi Deus nobis proponeret fiduciæ materiam. Sed notandum est quod clausam per se sententiam magis confirmat: *Et cujus Jehovah fiducia est*. Nihil videtur lucis accedere ad superiorem doctrinam: deinde quid ea in se ambiguitatis continet, ut explicatione indigeat? *Beatus vir qui confidit in Jehovah*: pueri hoc statim intelligent. ergo aut supervacuus est sermo Prophetæ, aut aliqua est ratio cur rem adeo dilucidam repetat. Et certe incredulitas quam quisque nostrum in se experitur, optima erit magistra: quia etiam qui videntur sibi esse probe fundati in Deo, tamen ubi aliqua tentatio ipsos aggreditur, labascunt. Quum ergo hoc nobis vulgare sit, circumspicere in varias partes, quoties aliquid periculi impendet: hinc facile cognoscimus nos non sperare in Deo. Quod ergo videtur esse tam facile, reipsa cognoscimus esse difficillimum: & ideo Propheta postquam dixit *beatos esse qui in Deo confidunt*, secundo loco posuit, *& quorum Deus fiducia est*: quasi diceret, Nescit mundus quid sit in Deo sperare. nam quisque hoc secure testabitur, imo magnifice prædicabit se in Deo sperare: interea non reperietur vel millesimus, qui hoc intelligat, imo qui vere gustaverit & ex animo quid sit in Deo sperare. Nunc ergo tenemus quam non supervacua sit ac frigida hæc repetitio. Deinde adjungit similitudinem, quæ priori opponitur: *Erit*, inquit, *sicut arbor plantata super aquas, & quæ mittit suas radices supra rivum*, vel juxta rivum, *quæ non videbit quum veniet æstus*. Hic Propheta discrimen notat inter veros Dei cultores, qui in ipso confidunt, & inter eos qui inflati sunt suis perversis imaginationibus, ita ut vel à seipsis, vel ab aliis salutem quærant. nam de incredulis dixit, Esse similes myricis, quæ ad tempus virent, sed nunquam proferunt fructum, deinde quas æstus facile consumit. Quod autem ad fideles spectat, dicit *esse similes arboribus plantatis prope aquas, & quæ radicem*, inquit, *mittunt*. Myricæ habent speciem aliquam, sed interea nullus est succus, nullus humor in locis aridis: ita radix earum facile arescit. Quantum autem ad Dei cultores spectat, *plantati sunt*, inquit, *in loco humido*, cui suggeritur succus à continuo fluxu aquæ. Ideo adjungit Propheta: *Non timebit*, inquit, *arbor illa æstum quum veniet*. Oblique significat filios Dei non esse prorsus expertes rerum adversarum: sentiunt enim ardorem Solis, quemadmodum arbores non possunt effugere hanc necessitatem: sed ex occulto loco suggeritur humor, & succus, qui diffunditur in ramos, quemadmodum adjungit Propheta *eos fore virides*, nempe ab illo humore, quem terra suppeditat, quæ aquis abluitur. Ergo significat Propheta, quamvis filii Dei sentiant magnos ardores, quemadmodum & increduli, (quia communis est utrisque conditio:) tamen fore semper salvos, quia etiamsi sol ardore suo summitatem torreat, paratum erit remedium: quoniam radix trahet humorem & succum ab aquæ irrigatione. radix enim semper abluitur. Nunc ergo videmus quam bene conveniat omni ex parte similitudo: ideo dicit *non fore sollicitam*. nam דאג significat timere, & esse sollicitum. significat etiam interdum dolere: ideo quidam vertunt, Non dolebit, id est, pejus habebit. Sed altera significatio videtur mihi melius fluere, quod scilicet *arbor quæ plantata est prope rivos aquarum, non metuat sibi ab ardore*. & adjungit, *Neque desinet à proferendo fructu*. Eadem fere similitudo legitur Psalmo 1. nisi quod al- *Psal. 1.*
lic timor Dei, & studium Legis ponitur pro fiducia: *vers. 3.*
Beatus vir, &c. qui meditatur in Lege Dei. hic autem specialiter disserit Jeremias de fiducia, quæ in solo Deo locari debet: sed tamen optime consentiunt inter se duo Prophetæ, quod maledictæ sint spes omnes, quibus sese homines inebriant, dum salutem vel in seipsis quærunt vel in mundo, & sua consilia, suas virtutes, suam potentiam, vel auxilia, quæ sibi putant parata fore, pluris faciunt, quam Deum ipsum, & ejus promissiones. nam qui serio meditatur die & nocte in Lege Dei, ille hinc etiam cognoscit, ubi locanda sit salutis fiducia tam æternæ, quam temporalis. Sequitur,

9. Insidiosum cor præ omnibus, (*supra omnia*) & perversum: (*vertunt quidam: alii durum, alii ægrotum: possumus vertere vitiosum, vel morbidum*) quis cognoscet illud?

10. Ego Jehovah exquirens (*vel explorans*) cor, examinans renes ad dandum (*id est, ut dem, ut reddam*) cuique secundum vias ejus, secundum fructum operum ejus.

Pendet hæc doctrina ex superiori, & ideo uno contextu hæc simul legenda sunt. multi arripiunt has sententias, & mutilant, interea non accedunt ad Prophetæ consilium: hoc præposterum est. Nam primo loco videndum quid spectaverint Prophetæ, & qua vel necessitate vel causa impulsi sint ad loquendum, qualis fuerit illis conditio: postea generalis doctrina inde colligi potest. Sed si volumus cum fructu legere Prophetas, necesse est primum expendere cur unumquodque dicatur, deinde elicere generalem doctrinam. Sic opportune poterimus accommodare hunc locum ad usum communem, modo præcesserit illa observatio, nempe cur Propheta dixerit *cor hominis esse insidiosum*. Non dubium est, quin voluerit magis urgere Judæos, quia videbat tantum esse in illis pervicaciæ & obstinationis, ut simplex doctrina non penetraret ad eorum animos. Hæc quidem sententia debuerat illos satis movere, quum dicebat maledictos esse qui spem in hominibus ponunt, nullam esse beatitudinem sperandam, nisi in Deum recumbimus. Sed quum videret non satis esse vehementiæ in illa loquendi forma, adjunxit, Video quid

quid sit, *pravum est cor & vitiosum*: ita putatis in vobis tantum esse astutiæ, ut impune rideatis Deum, & omnes ejus ministros: *Ego, ego*, inquit Jehuvah, *inquiram & examinabo*: meum est inquirere in corda. Videmus ergo hic tacitam esse exprobrationem, quum dicit *insidiosum esse cor & vitiosum*: quasi diceret, Hic vos sapitis, sed interea Deus an non ipse quoque sapiens est? quemadmodum ironice dicit apud Jesaiam: *Jesa. 31. vers. 1.* Væ, inquit, illis, qui descendunt in Ægyptum, & sibi faciunt fœdera clandestina, & qui sperant in equis, quasi possens me fallere: vos estis sapientes, ego etiam habeo partem sapientiæ & notanda est particula Etiam, id est, vos non soli sapitis, relinquite mihi aliquas partes sapiendi, ut ego vobiscum similiter sapiam. Ita etiam hoc loco, Vos estis fallaces, & insidiosi, & putatis me posse decipi: quemadmodum astuti homines semper sibi placent in suis consiliis, & volunt Deo objicere meros fumos: Vos, inquit, estis valde astuti, *sed ego Jehovah examinabo & corda vestra, & renes.* Nun possem hodie omnia absolvere.

Da omnipotens Deus, quando nihil prorsus sumus, & minus quam nihil, ut sentiamus nostram *ἐξουδένωσιν*, & abjecta omni fiducia tam nostri quam totius mundi, discamus ad te confugere supplices, & in te præsentis vitæ & æternæ salutis fiduciam ita reponere, ut solus glorificeris, & toto vitæ nostræ cursu simus tibi addicti, atque ita perseveremus in humilitate & invocatione nominis tui, ut non semel tantum nobis opem feras, sed sciamus te semper adesse omnibus, qui serio & ex animo te invocant, donec tandem impleamur plenitudine omnium bonorum, quæ nobis reposita est in cælis per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

COEpimus heri exponere locum Prophetæ, ubi dicit *cor esse insidiosum*, vel fallax, & vitiosum, ita ut nemo possit in illas fraudes, quæ in ipso sunt absconditæ, penetrare. Diximus quo consilio ita loquatur Propheta, nempe ut sciant Judæi se frustra esse astutos, dum sibi fodiunt quasi sub terra cogitationes, hoc est, dum existimant perversis suis consiliis se tam Deum posse fallere, quam homines. Per concessionem igitur dicit, *Scio vobis esse cor fallax.* hoc quidem ipsi non dicebant, sed erat speciosus prætextus, quum jactarent prudentiam pro fraude & dolo. Interea crasse loquitur Propheta, & exprimit rem ipsam: Est igitur vobis cor fallax, inquit, & vitiosum: hinc fiducia, quæ vos inebriat: quia putatis non posse detegi vestras fraudes? Per admirationem ergo interrogat, *Quis poterit scrutari?* sed continuo post respondet, *Ego, ego Dominus sum*, hoc est, meum est examinare corda & renes, itaque nihil me fugiet. *Psal. 1. vers. 3.* Summa igitur est, dum homines Deo illudunt, nihil proficere: quoniam Deus novit deprehendere sapientes in sua astutia, & discutere omnes illorum dolos & fallacias. Postea adjungit in quem finem, *Ut reponam cuique secundum vias suas, secundum fructum operum ejus.* His verbis significat, postquam diu & multum tergiversati fuerint, venturos tamen in judicium, velint nolint, quia non poterunt Deum jure suo privare, quin sit judex totius mundi, & ita rependat singulis mercedem operum. Hic supervacuum esset tractare, quomodo Deus justis rependat fructum operum, quia Propheta hic non disserit de meritis aut virtutibus, sed tantum ostendit, impios quantumvis sese occultent, non tamen posse effugere tribunal Dei, quin tandem illic reddant rationem vitæ suæ. Cæterum, ex hoc loco generalis doctrina colligitur, nempe absconditos esse cordium recessus, ita ut non possit de homine fieri judicium humano sensu. Nam scimus aliquam esse speciem virtutum in multis: sed Dei proprium est examinare corda, & probare renes. Perperam igitur multi æstimant de natura hominis pro suo sensu, vel modo suæ intelligentiæ: quia cor hominis semper est perversum, & fallax. Si quis excipiat Jeremiam loqui de Judæis qui tunc vivebant, in promptu est responsio Pauli, Quæcunque in Lege scripta sunt, pertinere ad omnes. *Rom. 15. vers. 4.* Ergo depingitur hic nobis imago totius generis humani, donec electos suos regeneret Deus. Quoniam ergo nulla est puritas nisi ex Spiritu Dei; quandiusper homines manent in sua natura, corda eorum plena sunt fallaciis & fraudibus. Ita pulcherrimus splendor nihil aliud est quam hypocrisis, quæ abominabilis est Deo. Pergamus.

11. Perdix quæ congregat, & non parit, qui facit (*hoc est, acquirit, vel comparat*) divitias, idque non in judicio, (*id est, non recte*) in medio dierum suorum relinquet illas, & in exitu suo erit nihili.

Non dubium est quin Propheta simpliciter docere velit eos qui artibus illicitis ditescunt, vel coacervant magnas opes, tamen fore obnoxios maledictioni Dei, ut quicquid magno labore pepererint, illis effluat: quia Deus exinaniet ipsos, & quicquid possident. Ergo in sensu Prophetæ, & in summa rei nulla est ambiguitas. Sed quantum ad verba spectat, Interpretes non conveniunt inter se: major tamen pars huc inclinat, Quod sicuti perdix colligit aliena ova, quæ non excludit, vel quæ non peperit, sic etiam qui accumulat divitias, fore tandem vacuum, quia eum Deus spoliabit. Sed videtur mihi hæc esse simplex sententia, *Quisquis facit*, hoc est, comparat, vel acquirit *divitias, idque non in judicio*, id est, non recte, neque probe, sed malis artibus, *relinquet eas in medio dierum suorum, & tandem erit nihili*, vel erit ludibrio. נבל enim significat Nihili: alii vertunt Stultum, & recte conveniet. nam sæpe id significat. Jam addit similitudinem: nempe, *sicut perdix colligit ova, & non parit.* Parere hic bifariam potest exponi, vel ut de pullis, vel de ovis hoc dicatur: & ideo quidam existimant notari sub voce קרא masculum. *Perdix* ergo, nempe mas, *congregat ova*, vel incubat ovis, *quæ non peperit*, id est, non posuit. Sed parere potest etiam accipi pro excludere. Nunc quæritur quomodo aptanda sit hæc similitudo ad rem præsentem. Rabbini excogitarunt suo more fabulas. Fingunt igitur perdicem furari ova omnium avium quæ occurrunt, & simul colligere in acervum: deinde pullos, ubi sunt exclusi, diffugere, quia arcano quodam sensu intelligunt non esse matrem. Sed neque Aristoteles, neque Plinius quicquam tale tradunt de perdicibus. Dicunt quidem avem hanc plenam esse vafritie, & enumerant multa exempla. sed quod perdix ita cupide hinc inde ova colligat, neuter attingit. Sunt igitur fabulæ, quibus habere fidem esset nimis frivolum. Sed de perdicibus hoc traditur magno consensu tam ab Aristotele & Plinio, quam ab aliis, nempe esse animal illud valde libidinosum. tanta est igitur salacitas, ut mares post coitum inquirant ova, & ne fœmina illis incubet,

bet, frangunt suo rostro, vel pedibus ita volvunt, nequando fœmina ad ea redeat. In ipsis fœminis est etiam magna salacitas, ut dicunt: sed interea major prolis sollicitudo: ideo ova sua occultant, nisi quod subinde etiam libido cogit illas redire ad mares, & ita ova pariunt in illorum conspectu. Mas autem ubi potest ovum unum deprehendere, frangit pedibus. Magna ergo est difficultas in sobole tuenda: quia antequam ova fœmina excludat, hoc est, pullos suos excludat ab ovis, sæpe à maribus deprehenduntur. Non dubito quin hic sit genuinus sensus Prophetæ, quod dum perdices ita ardent amore prolis, simul etiam rapiuntur in diversam partem sua libidine: & dum colligunt ova, mas per insidias illa furatur: sic est inutilis labor. Dicit Propheta, *Eos omnes qui divitias coacervant crudeliter & inique, similes esse perdicibus: quia coguntur relinquere in medio dierum suorum divitias male partas.* Summa est, quisquis per injustitiam vel per injuriam ditescere cupit, fore maledictioni Dei obnoxium, ut tandem non fruatur bonis male partis. Siquis objiciat, multos tamen avaros, & perfidos, & rapaces frui suis divitiis: respondeo, non esse veram fruitionem, ubi nullus est usus, & nulla securitas. Jam si prudenter expendimus quomodo avari possideant quæ rapuerunt, videbimus eos semper inhiare novis prædis, & esse perdicibus similes. Colligunt enim ova sua, interim nullus fructus apparet. Antequam ergo fructus aliquis proferatur, vel saltem ad ipsos perveniat, *destituuntur in medio dierum suorum*, quia semper sunt fallaces. & quamvis permittat illis Deus divitias tenere suppressas, tamen nullam inde utilitatem percipiunt, quemadmodum satis notum est. Imo cupiditas illorum ut est inexplebilis, est hydrops: quia semper sitiunt, & ipsa congeries opum ita accendit illorum avaritiam, ut qui ditissimus eorum est, minus habeat quam qui contentus est mediocri fortuna, vel etiam tenui. Certum igitur est, eos qui ad mortem usque possideat divitias male partas, non tamen illis frui, quia semper incubant ovis suis, & nulla utilitas, quemadmodum dixi, illis constat: deinde possunt etiam notari magis illustria Dei judicia. Nam momento in summam pauperiem rediguntur qui fuerunt ditissimi: & qui putant etiam felices fore suos liberos, si relinquant amplum illis patrimonium, nihil aliud tota vita quam laqueos conficiunt suis liberis: quoniam cedunt illis opes in perniciem. Quicquid sit, quemadmodum veteri proverbio dictum est, Male parta male dilabi, hoc & usu & experientia satis probatur. Et hoc intelligit Propheta, quum eos comparat perdicibus, qui opes accumulant *non in judicio*, inquit. Exceptio hæc notanda est. Potest enim fieri, ut quispiam ditescat qui fuerit justus vir: quemadmodum Deus locupletavit Abraham. Sed ille non ditatus fuit rapinis, nec fraudibus, nec crudelitate. benedictio Dei illum ditavit. Sed qui perperam, & per nefas sibi opes accumulant, necesse est, illos tandem exinaniri à Deo. Dicit primum, *Medio dierum suorum derelinquet illas*, hoc est, etiam dum habet pecuniam clausam in arca, dum habet horrea sua referta, & cellas, tamen opes illæ diffluent. Videmus ubi maxima est rerum omnium copia, ut tamen dominus ipse sit famelicus: non potest ad satietatem pane vesci: & tamen posset alere centum homines. Sic igitur diffluunt, & evanescunt divitiæ inter illorum manus. Postea adjungit, *In fine suo nihil erit*, vel erit ludibrio, vel erit insipidus. Mundus quidem existimat illos solos sapere, qui providi sunt, & qui sunt ad rem attenti, & qui undique rapiunt, & tenaciter supprimunt quicquid semel in eorum manus pervenit. sed Dominus hic stultitiæ & vanitatis eos omnes condemnat. Quanquam existimo etiam pecuniarum mancipia vocari homines nihili, & contemptibiles. Sequitur,

12. Solium gloriæ excelsum (*vel celsitudo:* מרום *enim tam adjective capitur, quam substantive*) ab initio locus sanctuarii nostri.

Non dubium est, quin Propheta commemoret singularem gratiam, qua Deus Judæos dignatus fuerat, quum sibi eligeret apud ipsos domicilium. Fuit ergo hic honor incomparabilis, quod Deus voluit habitare in medio illius populi. Ergo exclamat Propheta *solium gloriæ & celsitudinem esse locum sanctuarii*, quem sibi Deus in terra illa elegerat. Sed tenendum est Prophetæ consilium. Aliquando enim Spiritus sanctus commemorat Dei beneficia, ut erigat hominum animos ad fiduciam, vel excitet ad sacrificia laudis. Hic est igitur duplex usus, dum Scriptura nobis in medium proponit Dei beneficia, nempe vel ut certo persuasi simus illum semper nobis fore patrem: quia qui incepit, solet etiam perficere, quem-
Psal. 138. vers. 8. admodum dicitur in Psalmo, Opus manuum tuarum non deseres. Aliquando Scriptura nos hortatur ad reddendam gratiarum actionem, dum ostendit quam liberaliter nobiscum egerit Deus. Sed hic est exprobratio, quum Propheta dicit *solium gloriosum Dei esse in Judæa*, quemadmodum si Deus illic palam, & visibili forma appareret. Fuit enim Judæa, ut ita loquar, quasi cælum terrestre, quia Deus sibi consecraverat montem Sion, ubi habitaret. Nunc ergo tenemus cur Propheta hic extollat dignitatem, ad quam extulerat Deus Judæos, quum jusserat sibi templum extrui in monte Sion. Quidam subaudiunt particulam similitudinis, Sicut solium gloriæ, hoc est, sicut cælum ipsum in sublimi, ita est locus sanctuarii nostri; sed possumus simpliciter accipere verba ut sonant. Interim repudiandum est illud Rabbinicum commentum, quod Deus ante mundi creationem Templum condiderit, sicuti Messiam, & alia. Nugæ illæ sunt nimis insipidæ. Tamen hic locus præbuit Judæis ansam fabulandi, quia dicitur, *ab initio*, מראשון. Si solium Dei, hoc est, sanctuarium illud fuit ab initio, sequitur ergo fuisse creatum ante cælum & terram. Sed illud refellitur uno verbo, non agi hic de tempore, sed de ordine: ordinem vero ipsum non esse in rerum substantia, sed in providentia Dei. *Ab initio* igitur *fuit solium Dei gloriosum in Judæa*, nempe quia Deus æterno consilio statuerit eligere Abrahæ genus: deinde erigere in gente illa solium Davidis, & inde excitare salutem toti mundo. Proinde illa prædestinatio est antiquitas solii, de qua nunc Propheta loquitur. Ergo optime convenit hæc sententia: quod scilicet Deus ornaverit Judæos singulari honore, & prærogativa: quoniam inter ipsos habitare voluerit, non secus atque in cælo: ita ut conditio illorum esset superior & excellentior omni humana gloria. Nunc sequitur,

13. Spes (*vel expectatio*) Israël Jehovah, quicunque abs te discedunt (*vel qui te derelinquunt*, עזבך: *hoc verbo nuper fuerat usus de perdicibus loquens*) pudefient: qui deficiunt à me, in terra scribentur: quia dereliquerunt (*idem est verbum*) fontem aquarum viventium Jehovam.

Et hoc versu melius liquet quorsum Propheta nuper commendaverit excellentiam gentis suæ, nempe ut per comparationem minus excusabilis esset eorum impietas. nam quo liberalius nobiscum Deus egit, eo atrocius est ingratitudinis crimen. Quum ergo in sublime evecti essent Judæi, ita ut eorum nobilitas fulgeret in toto mundo, fuit magis detestabilis eorum contumacia adversus Deum, deinde ingratitudo,

tudo, quum rejecta illa, vel pro nihilo ducta gratia tam singulari, defecerint ad idola, ad spes vanas, ad perversa sua consilia. Periode igitur est, acsi Propheta diceret, Quid nobis prodest, Deum habere in medio nostri, & Templum esse quasi domicilium ejus terrestre, ut familiariter nobiscum versetur? quid hoc nobis prodest? quia nemo amplectitur hanc gratiam: imo sponte, & quasi deliberata malitia abjicimus tantam beneficentiam, quæ ultro nobis offertur. Videmus ergo hæc conjunctim debere legi, quod solium gloriæ Dei esset in Judæa: interim vero populus ille maligne & scelerate gratiam sibi oblatam abjiceret. Convertit autem se Propheta ad Deum, ut stomachum moveat Judæis, quia talis erat eorum pervicacia, ut frustra eos doceret. Dicit autem, *Jehovah expectatio Israel, quicunque te derelinquunt pudefient:* quasi diceret, Nihil proderit impiæ multitudini, quæ non amplectitur hanc dignitatem, qua genus nostrum excellit præ aliis gentibus. Deus enim in medio nostri habitat: sed vix centesimus quisque ei adhæret: imo omnes perfide ipsum derelinquunt. Pudefient igitur cum sua gloria quicunque ita respuunt beneficium illud Dei. In summa, Propheta admonet frustra & temere gloriari Judæos, quia genus ipsorum Deus adoptaverit. nam requirebatur aliquid mutuum, ut scilicet occurrerent ipsi Deo, & locum darent ejus beneficiis. Quum autem perverse repudiarent ejus gratiam, quid potuit illis residuum esse? Ergo dicit, *Pudefient omnes qui te derelinquunt.* nam hoc verbo significat Judæos fuisse quæsitos à Deo. neque enim potuit hoc dici eodem sensu, vel pari gradu de Gentibus. nam Gentes nunquam fuerant collectæ à Deo in unum corpus: sed solos Judæos prævenerat singulari gratia. Quum ergo se illis manifestasset, & testatus esset se illis fore in patrem, ab illis fuit derelictus. Quare notatur hic defectio, cujus soli Judæi tunc rei fuerunt, quoniam Deus illos sibi accersiverat: deinde accesserat ad ipsos, & percusserat cum illis fœdus. Quum ergo ita propinqui essent Deo, defectio eorum magis fuit execranda. hoc Propheta intelligit. Jam addit, *Etiam qui deficiunt, in terra scribentur.* ad verbum esset, Qui deficiunt à me. nam י in fine est servilis litera, sicuti multi sentiunt. Quidam etiam existimant esse verbum, & י in principio esse notam futuri temporis: & putant legi י in fine pro ו, יסורי, Qui deficiunt. Alii volunt esse nomen, & יסורי legi, pro יסורים. Quoad sensum pertinet, satis constat Prophetam hic Judæis excutere vanam gloriam, qua turgebant, quum gloriarentur se esse Dei populum, sanctum Abrahæ genus, regale sacerdotium; hæc omnia deridet tanquam vana: quasi diceret, Facessant istæ jactantiæ, quæ plenæ sunt mendacio: vos estis apostatæ: ergo nomen vestrum scriptum erit in terra. Minime dubium est terram hic cælo opponi. Scriptura etiam interdum nomen impii dicit in terra probrosum fore: sed quoniam sæpe acquirunt sibi nomen celebre & honorificum in terra, per concessionem Propheta dicit, Esto: censeat vos mundus esse sanctum genus Abrahæ, & benedictum semen, & populum electum: denique arroget sibi quisque vestrum quicquid volet: sed nomen vestrum erit in terra, & delebitur in cælo, hoc est, nulla erit vobis hæreditas, nulla portio in regno Dei. Denique significat, coram Deo & Angelis ejus nullo loco esse Judæos, quia indigni sunt quos Deus pro filiis suis censeat, quum ipsum impie abnegaverint. Concedit igitur illis nomen in terra: sed perinde est acsi diceret eos improbe mentiri, dum se jactant electum populum, quum ipsi in nihilum redigant Dei electionem, quantum in se est. Postea adjungit, *Quia dereliquerunt fontem aquarum viventium Jehovam.* Confirmat suam sententiam Propheta, ne putent Judæi se nimis severe castigari, quum deletur è cælis eorum nomen: *Dereliquistis,* inquit, *fontem aquarum viventium.* Quisnam est? Deus (quemadmodum dictum fuit capite secundo) Deus se vobis manifestavit: nonne in ipso vobis constat plena & solida felicitas? quid posset ab homine mortali amplius expeti, ubi fruitur Deo suo, in quo est bonorum omnium plenitudo? Deus se vobis obtulit, & semper vobis exposita est ejus liberalitas, quemadmodum si fontem proferret, unde ad satietatem haurire liceret: vos autem *dereliquistis fontem hunc.* Ergo pereundum est vobis siti: & merito, quoniam tanta vestra ingratitudo fuit, ut contempseritis insignes illas, imo inæstimabiles Dei gratias. Jam sequitur,

14. Sana me Jehovah, & sanabor: serva me, & salvus ero: quia laus mea tu es.

Hic Propheta quasi perterritus abscondit se sub alas Dei, quoniam videbat passim grassari defectionem, & omne genus scelerum in terra: videbat præcipuos quosque suæ gentis esse scelestos Dei contemptores, & tantum inaniter jactare genus suum: interea autem esse omni studio justitiæ & rectitudinis vacuos. Quum ergo videret terram ita infectam esse, ne ad ipsum usque penetraret labes, commendat se Deo: quasi diceret, Quid fiet mihi Domine? ego enim hic obrutus sum sceleribus: quocunque me vertam nihil reperio, quod non me abripiat & abstrahat à pietate, & sincero cultu nominis tui. Quid ergo si me deseras? nempe statim abripiar, & actum erit de me, quoniam nulla est in tota terra salus, neque ulla sanitas: quemadmodum si grassetur pestis, ita ut nemo audeat prodire in medium, ne sentiat aliquid contagionis. Ita etiam Propheta hoc loco dum videt totam terram inquinatam esse sceleribus, ut nullus angulus sit integer, confugit ad Dei auxilium, & dicit, Domine non possum esse salvus, nisi me serves, non possum esse integer, nisi abs te sit mea integritas. Nunc tenemus consilium Prophetæ, & quomodo hic versus cum aliis cohæreat. Primo dicit, *Sana me & sanabor,* quasi diceret se jam esse morbidum, quia contraxerit labem à perversa consuetudine. Sanitatem ergo quærit in solo Dei auxilio, & quidem singulari. Quo sensu postea addit, *tunc demum se fore salvum, si à Deo servetur.* Cæterum, docemur his verbis, dum ubique se ingerunt scandala, tunc majore studio & ardore invocandum esse Deum. Nam quisque nostrum satis sibi conscius est propriæ infirmitatis: etiamsi pugnandum non esset, tamen levitas nostra non patitur nos integros stare. quid igitur quum Satan oppugnat gravissimis machinis fidem nostram? Ergo quum omnia videmus in mundo nunc corrupta, atque ita posse nos mille modis abstrahi à vero Dei cultu: discamus exemplo Prophetæ nos abscondere sub Dei alas, & petere ut ipse nos sanet: quia erimus non una tantum in specie vitiosi, sed multæ corruptelæ statim nos consument, nisi Deus ipse opem ferat. Ergo quo deterior est mundus, & quo major est scelerum licentia, eo magis nos hæc necessitas ad precandum sollicitet, ut Deus mirabiliter nos conservet, quasi in ipsis inferis. Colligitur etiam ex eodem loco doctrina generalis, Non esse in hominis arbitrio stare vel se tueri incolumem ut salvus sit, sed esse singulare Dei beneficium. Nam si qua esset hominis facultas ad se servandum, ut scilicet integer & impollutus maneat inter corruptelas: certe Jeremias præditus fuisset dono illo. atqui fatetur nusquam esse spem sanitatis, & salutis, nisi in peculiari Dei gratia. Nam sanitas hæc quid aliud est, quam integritas vitæ? quasi diceret, Domine, non est meum tueri in me integritatem, quam requiris. Jam ergo hic dicit, *Sana me, & tunc sanabor.* deinde, quum de salute loquitur, non dubium est, quin testari velit, non sufficere si Dominus semel, vel brevi tempore nobis auxilietur, nisi pergat usque in finem. Ergo tam

initium, quam totius cursus salutis nostræ progressum hic Deo tribuit. Unde sequitur, in nihilum redigi quicquid Sophistæ garriunt de libero arbitrio. Fatentur quidem non esse io hominum potestate seipsos servare: sed postea diruunt ac evertunt quod videntur fateri. Dicunt enim concurrere Spititus gratiam cum libero arbitrio, & hominem seipsum servare: Deum vero cooperari. Sed illud nugatorium est: quia Propheta non tantum hic implorat suppetias, ut Deus succurrat ejus infirmitati, sed fatetur hoc unius Dei esse, ut sanetur & salvus fiat. Et hoc adhuc melius confirmat quum dicit, *Tu es laus mea*. Nam ita prædicat se nihil prorsus afferre, sed adscribere Deo solidam laudem suæ salutis. quomodo enim Deus laus nostra esse dicitur, nisi ubi gloriamur io ipso solo? quemadmodum dictum fuit nono capite. nam si vel taotillum sibi arrogant homines, noo possunt vocare Deum laudem suam. Ergo Propheta hic agnoscit, nihil sibi suppetere ad tuendam sanitatem, sed hoc totum esse in Deo positum. Deinde confirmat spem suam, ut non dubitet exauditum se iri à Deo, quia quærat in ipso quicquid ad salutem erat necessarium. Ergo sit nobis hæc generalis regula, si volumus impetrare & initium, & fioem salutis ab eo, tribuendam ei esse laudem suam, nempe ut in ipso solo gloriemur. Si ergo agnoscimus nos destitui omnibus virtutis partibus, & conscii talis penuriæ, confugimus ad Deum, haud dobie obtinebimus quicquid opus erit. Sed si inflati sumus aliqua opinione propriæ virtutis aut justitiæ, clausa est nobis janua. Nunc ergo videmus quid valeat hæc confirmatio, nempe ut certo statuant fideles, se in Deo reperturos quicquid ipsis deest: quoniam scilicet non obscurant Dei gloriam, in se transferendo quod ejus proprium est: sed fatentur in ipso residere quod in seipsis oon inveniunt. Reliqua differam in crastioum.

Da omnipotens Deus, ut discamus sive per inopiam, sive per abuodantiam ita oos tibi subjicere, ut hæc unica nobis sit felicitas, & perfecta, pendere à te uno, & acquiescere in ea salute, cujus gustum nobis jam dedisti, donec perveniamus in æternam illam quietem, ubi ejus plenitudine fruemur, nempe quum erimus ejus gloriæ participes, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA OCTAVA

IN

J E R E M I A M.

15. Ecce ipsi dicunt mihi, Ubi est sermo Jehovæ? veniat nunc.

Hic conqueritur Jeremias de obstioato populi contemptu. Nam expertus fuerat non solum immorigeros, sed etiam protervos adversus Deum, ut non dubitarent fidem abrogare omnibus vaticiniis, promissiones vilipendere, minas etiam secure rejicere. Sæpius minitatus illis fuerat Propheta: jam quum Deus prorogaret illis tempus, abutebantur ejus toleramtia, quemadmodum solent reprobi. Interea non satis erat, semper addere scelera sceleribus, nisi etiam palam, & petulanter illuderent Deo: *Ubi est hic sermo?* jam multi anni sunt elapsi, ex quo tu non desinis vociferari de bello, de fame, de peste. atqui interea manemus quieti, & Deus nobis parcit. *Ubi est* igitur *ille sermo Jehovæ*, quem tu obtendis? Nuoc ergo videmus quaota fuerit populi illius pervicacia, quod scilicet oon tantum inutilis esset illis doctrina Jeremiæ, sed haberetur ludibrio. Et tamen multo ante audierant ex ore Jesaiæ, Væh quum Dominus vocat vos ad cinerem & cilicioin, dicitis autem, Epulemur, & bibamus, cras moriemur. Vivo ego, dicit Dominus, noo remittetur vobis hæc iniquitas. Juraverat illic Deus per gloriam suam, hoc esse inexpiabile peccatum, quod ita pergerent obstinate in suis vitiis, nec quicquam terroris conciperent ex minu Propheticis, tamen videmus semper in deterius fuisse prolapsos. Mortuus erat Jesaias quum ita per contemptum & ludibrium loquuti sont, *Ubi est sermo Jehovæ? veniat nunc:* quasi data opera provocarent Deum. quemadmodum si quis hostem suum despiciat: Ho, tu es admodum formidabilis, si tibi creditur: sed experiamur vires tuas, ostende quidnam valeant. Sic contemptim illi suas sannas projiciebant, quum Deus per servos suos illis ostenderet propinquum exitium, quod meriti erant. Videmus in summa hic Prophetam ostendere, ventum esse usque ad extremum desperationis. Sequitur,

Jesa. 22. vers. 12, 13, 14.

16. Ego autem non festinavi, ut essem Pastor post te, & diem doloris non concupivi, tu nosti. quod egressum est è labiis meis, coram facie tua fuit.

Propheta hic Deum implorat vindicem, ubi videt tam præfractos esse suos populares, ut nulla ratione possint ad sanam mentem adduci. Interea minime dubium est quin duplicare voluerit terrorem, quum ita testatus est se nihil proprium afferre, sed fideliter exequi Dei mandata, se non temere fungi docendi officio, sed parere Dei vocationi: acsi diceret, quemadmodum alio loco videbimus, illos non facere injuriam homini mortali, sed ipsi Deo. Ablegat igitur ad Deom: quasi diceret, Contendite com Deo: quid enim mihi vobiscum negotii est, vel vobis mecum? Neque enim ago propriam causam, neque prorupi proprio motu: sed quia Deus injunxit mihi hanc provinciam, necesse est mihi parere. Quum igitur tantum sim organum Dei, quid tandem vobis continget, nbi fueritu multum rixati? Certe Deus ostendet se vobis esse adversarium: poteritisne illum vincere? Nunc tenemus Prophetæ consilium. Diximus autem alibi Prophetam ad Deum confugere, ubi oulla est in mundo æquitas, imo ubi omnes surdi sunt, & ita excæcati, ut non sit aliqua spes impetrandæ justitiæ. Ergo ubi homines ita perverso sunt judicio, necesse est cum Deo agere. Sic ergo nunc Propheta, ut prius vidimus ipsum fecisse, relictis hominibus, dirigit verba sua ad Deum. Et hæc apostrophe plus habet vehementiæ, quam si illis objiceret suam contumaciam. *Ego autem*, inquit, *non festinavi*. Hic variant Interpretes. nam אוץ significat ioterdum properare, & interdum tardare: sunt duæ contrariæ significationes. accipitor etiam pro Anxium esse, & Abominari: ideo quidam vertunt, Ego non sum abominatus, ne essem Pastor. nam מן capitur apud Hebræos sæpe negative, Non fui anxius. alii, Non moratus sum, ne essem Pastor. Sed ex contextu colligi potest melius quadrare diversum sensum, nempe quod Propheta *non festinaverit*. Sequitur enim, *Et non concupivi*: respondent inter se hæc duo verba, לא אצתי: deinde לא התאויתי.

Non

Non festinavi ergo, & non concupivi. utrumque refertur ad temeritatem. Nam multi sese ingerunt, quemadmodum videbimus cap. 23. quos Deus non vocat, currunt sponte, & illi etiam feruntur stultis cogitationibus. Propheta primo dicit *se non festinasse*: ad verbum esset, Ab esse Pastorem post Deum. Nam in multis regnat ambitio, quæ ipsos impellit, ut sibi plus sumant quam liceat. neque enim respiciunt quid placeat Deo. Ergo Propheta primo loco dicit *se non festinasse*: deinde adjungit *se non concupivisse*, non alio sensu, nisi ut illud ipsum confirmet. Sed in primis teneamus hoc modo probare impietatem populi, quia Deum ipsum oppugnet, qui auctor erat vocationis ipsius. quare? si festinasset, hoc est, si præpostero zelo sese ingessisset, poterant merito Judæi cum ipso litigare, & impune id fecissent. Cæterum, quia expectaverat Dei vocationem, non fuit illis quicquam negotii cum ipso: sed quum Dei servo adversarentur, detecta fuit eorum impietas. Hic autem præscribit Jeremias Legem omnibus Prophetis & Doctoribus, ne scilicet appetant munus illud, quemadmodum jam diximus, prævalet in multis ambitio. Ille igitur demum censeri meretur legitimus Dei minister & Propheta, & Ecclesiæ doctor, qui non fertur carnis suæ impulsu, neque inconsiderato zelo, sed cui Deus manum porrexit, & qui vocatus duntaxat paret. Ergo initium fieri debet ab obedientia, si volumus nos probare legitimos doctores. hoc est unum. Secundo loco ostendit eos qui vocati sunt ad munus docendi, non ornari potestate regia, ut proferant quicquid visum est, sed esse Pastores post Deum. Deus quidem vult Prophetas suos præire, ut viam monstrent reliquo populo: & ideo ipsos ornat non vulgari dignitate. Vult enim esse capita vel duces, vel antesignanos: sed tamen vult semper ipse gradum suum tenere. Ergo nemo unquam Ecclesiæ Dei sic præfuit, ut esset summus Pastor: quia Deus nihil sibi detrahit, quum transfert partes docendi in suos ministros, quin potius manet ipse integer: denique non resignat jus suum, quemadmodum loquuntur, sed substituit in vicem suam qui doceant, & sic quidem ut retineat quod sibi proprium est. Ergo notanda est diligenter hæc loquutio, ubi dicit, *Ego non festinavi ut essem Pastor post te*, nempe ut Deum sequeretur. Ergo quisquis sibi usurpat tantum licentiæ, ut non sequatur Deum, sed ut feratur suo impetu, ille repudiandus est, neque meretur numerari inter legitimos Pastores. Sed videtur pugnare hic locus cum Pauli sententia, ubi

1 Tim. 3. vers. 1. dicit, Qui Episcopatum desiderat, præclarum opus expetere. Non damnat illic Paulus desiderium simpliciter, tantum admonet quam difficile sit, & arduum, Episcopatu fungi. Responsio facilis est, Paulum illic non loqui de stulto fervore, quo multi aguntur, dum non expendunt vires suas, vel potius suam infirmitatem: sed dicit, Si quis se offerat Deo ad munus docendi, cogitet, & diu meditetur secum, rem esse non vulgarem. Ergo potius seipsum contineat, dum reputaverit quam difficile sit implere omnes partes boni Episcopi. Jeremias autem hic testatur

Supr. 1: 6. quod vidimus primo capite. nam exhorruit etiam Propheticum munus, & confessus est se non posse loqui. Quum ergo obtenderet suam balbutiem, longe abfuit à præpostera cupiditate. Nihil igitur repugnantiæ est in his verbis, quod non appetiverit Jeremias munus Pastoris, & quod præclarum opus expetat quisquis desiderat Episcopatum. Jam adjungit confirmationem: *Diem doloris*, inquit, *non expetivi*. Quidam putant verbum esse absolutum: ego transitive verti cum aliis. Sed alii dicunt, Et dies afflictionis, vel doloris non fuit mihi optatus. Sed in summa rei nullum est discrimen. Confirmat quod dixit, quoniam satis perspectum habebat se trahi ad dura certamina, quum Deus Prophetam ipsum eligeret: Quorsum, inquit, appeterem munus Propheticum? esset vesana hæc ambitio. nam statim ab initio comperta fuit mihi conditio hujus officii, nempe quod mihi certandum esset cum toto populo, & cum singulis. Noveram quanta esset omnium pervicacia: deinde, quanta esset crudelitas. Cur ergo optassem ultro periclitari, & me conjicere in tantas molestias, & in tantos dolores? Ergo à fine ipso ostendit Jeremias, se non fuisse impulsum præcipiti aliquo desiderio. Si quis excipiat, multos tamen abripi stulta cupiditate ut subeant quæ prævideri possunt discrimina & molestias: respondeo, Prophetam hic pro confesso sumere quod res erat, non modo sibi fuisse ab initio cognitum quicquid postea expertus est: quia probe meditatus erat, qualis esset populus ille: sed etiam coactum Dei mandato fuisse ut sibi renunciaret. multi festinant, quia non respiciunt difficultatem muneris. Hodie vix centesimus quisque secum reputat quam difficile sit ac laboriosum, fideliter defungi Pastoris officio. Ergo multi tanquam ad rem levem, & nullius ponderis feruntur. postea experientia sero ipsos docet, quam stulte appetiverint rem incognitam. Alii putant se præditos esse magna dexteritate & industria: deinque quidvis sibi promittunt de suo ingenio, de eruditione, de judicio: postea experiuntur nimis tarde, quam curta sit sibi supellex, ut loquuntur. Destituit enim ipsos facultas in ipsis carceribus, non tantum in medio cursu. Alii, etiamsi videant sibi fore multas & graves pugnas, tamen quia nati sunt ad contentionem, ideo nihil formidant, sed opponunt ferreum pectus. Alii appetendo munus Propheticum, sunt mercenarii. Scimus quidem miseros esse omnes Dei servos, quoad mundum, & communem sensum: nempe quia necesse est illis, bellum suscipere contra omnium affectus, & ita displicere hominibus, ut placeant Deo. Mercenarii autem, quibus nulla est religio adulterare Dei verbum, expetunt munus illud. quare? quia vident se placido posse transigere cum hominibus: quia sedulo sibi cavebunt ab omnibus offensis. atqui in Propheta nihil fuit tale. Ergo, quemadmodum jam dixi, sumit illud principium, Quod sincere versatus fuerit in officio docendi, nec alia ratione fuerit impulsus, quam ut incumberet in salutem populi. Jam dicit *se non festinasse*. quare? ego fuissem, inquit, plusquam insanus, si abreptus fuissem inconsiderato fervore. Sciebam enim me trahi ad bellum, & mihi certandum esse non tantum cum uno homine duntaxat, sed etiam cum toto populo, & cum singulis. Ergo vocat *diem doloris* militiam illam, quæ manet omnes veros Pastores: quia si placeant hominibus, non erunt servi Dei. Sed hujus rei testem facit Deum, *Tu nosti*, inquit: quia ventosi homines satis audacter profitentur sibi nihil aliud esse propositum, quam servire Deo, se non temere ingressos esse cursum. Sed hic Propheta statuit se coram Dei oculis, & non studet se probare hominum judicio: quia contentus est judicio unius Dei. Deinde adjungit, *Coram facie tua fuit quicquid egressum est è labiis meis*: his verbis intelligit se non futiliter loquutum fuisse quicquid veniret in buccam, sed sumpsisse ab ipso Deo: fuisse in conspectu Dei quicquid egressum est ex ore ejus. Hinc colligimus, non satis esse, si quis semel vocatus fuerit, nisi etiam fideliter per manus tradat quod à Deo ipso sumpsit. Nunc sequitur,

17. Ne sis mihi in terrorem: protectio mea tu in die mali.
18. Pudefiant qui persequuntur me, & non pudefiam ego: terreantur illi, & non terrear ego. Inducas super eos diem mali: & duplici contritione contere eos.

Jam

Jam Propheta ubi Deum citavit testem suæ integritatis, precatur ut sentiat etiam ipsum patronum & defensorem. Ergo hic rursus implorat Dei auxilium. dicit: *Ne sis mihi in terrorem*, inquit, hoc est, ne permittas ut causam tuam agens maneam attonitus. nam hoc verbo intelligit pavorem qui sensus omnes obstupefacit. hoc autem esset absurdum, destitui constantia Prophetas, quia proprium Dei est ipsos regere suo Spiritu, & gratia fulcire, ex quo injunxit illis tale munus. Quum ergo nemo per se idoneus sit ad peragendas partes boni Doctoris, necesse est Deum omnibus, quos vocat, & mittit ad opus, succurrere & opitulari. Hoc nunc agit Propheta quum dicit, *Ne sis mihi in terrorem*, hoc est, ne sis mihi causa pavoris, ut scilicet destituar constantia, & ita sim expositus omnium ludibriis. quare? *Tu enim protectio mea*, vel spes mea: nam utrumque significat hoc nomen. *Tu igitur es protectio mea* (& mihi magis placet hic sensus) *in die mali*, hoc est, ego te elegi, à quo protegerer, tanquam esses mihi clypeus. Quum igitur mihi ita pollicitus fuerim tuum auxilium nunquam mihi defore, vide ne destituar, quum mihi pro te, & sub tuo vexillo pugnandum est. Ideo subjungit, *Pudefiant qui me persequuntur, & non pudefiam ego: terreantur illi, & non terrear ego.* Erat, ut vidimus, Prophetæ durum certamen non tantum cum uno homine, vel paucis, sed cum toto populo: deinde credibile est fuisse multas sectas. nam si clamaret contra avaros, statim fiebat concursus eorum omnium qui ex rapinis vivebant: si autem de libidine multorum loquebatur, jam illa erat secunda conspiratio: si concionatus esset contra ebrietatem & intemperantiam, erat etiam nova turba quæ contra ipsum insurgeret. Videmus ergo ut omnes impii multis partibus, & ob varias causas undique aggressi fuerint Prophetam: ideo coactus est precari, quemadmodum nunc facit, *Pudefiant illi qui me persequuntur*, nempe quia jam testatus est esse manifestos Dei hostes: quoniam non agebat ipse privatum negotium, sed fideliter parebat Dei mandato. Quum ergo sciret professos esse Dei hostes, non dubitavit etiam petere à Deo ipso, ut se illis opponeret. Interea notandum est quod aliis locis diximus, Prophetam non tantum fuisse impulsum sancto & pio zelo, sed gubernatum Spiritus prudentia. Hoc iterum repeto: quoniam multi sunt præposteri imitatores, qui semper objiciunt vehementiam qua usi sunt Prophetæ, dum feruntur violento potius quam vehementi impetu. Atqui primo videndum est, an Spiritus sanctus nos gubernet, ne effluant nobis imprecationes adversus ipsos electos: deinde semper cavendum est à privatis affectibus carnis, & timenda semper est intemperies: quoniam rarum hoc donum est ita flagrare zelo, ut simul conjuncta sit moderatio quæ requiritur. Quoniam igitur semper aliquid est turbulentum in zelo nostro, ideo tenendum est Prophetas non fecisse verbum ullum, nisi quatenus Spiritus eorum linguas gubernavit: deinde, non habuisse privatum sui respectum. & tertio, fuisse ita compositos in ardore illo, ut non excederent per intemperantiam. Nec dubium est quin Propheta certo cognoverit omnes illos reprobos esse, quibus imprecatur talem Dei vindictam. Quia autem nostrum non est discernere inter electos & reprobos, discamus suspendere zelum nostrum, vel cohibere, ne scilicet nimis effervescat. possemus enim subinde labi, si generaliter sequamur quod hic dicit Propheta, *Inducas super eos diem mali, & duplici contritione contere eos.* Si indifferenter ita loquamur de omnibus, sæpe impinget zelus noster in ipsos Dei filios. ergo tenendum est, antequam Propheta hanc imprecationem conciperet, fuisse eductum à Spiritu Dei, sibi negotium esse cum reprobis & perditis hominibus. Sequitur jam nova concio.

19. Sic dixit mihi Jehovah, Vade, & sta in porta filiorum populi, per quam ingrediuntur reges Jehudah, & per quam egrediuntur, (*ad verbum, è qua egrediuntur in ipsa: sed* כי *est supervacuum*) & in omnibus portis Jerusalem.

20. Et dic illis, Audite sermonem Jehovæ, reges Jehudah, & totus Jehudah, & omnes incolæ Jerusalem, qui ingredimini per has portas.

21. Sic dicit Jehovah, Custodite vos (*vel cavete vobis*) in animabus vestris, ne inferatis onus die Sabbathi, (*ne tollatis*) & inferatis per portas Jerusalem.

Non dubium est quin separanda fuerit hæc concio à superiori: & quisquis partitus est capita, caruit judicio in multis, quemadmodum hoc loco. Summa autem est, tantum fuisse & tam crassum Legis contemptum, ut negligerent etiam observationem Sabbathi. & tamen scimus hypocritas hac in parte satis esse sedulos. Imo exprobrat sui temporis
Jesa. 1. vers. 13. hominibus Jesaias, ipsos posuisse totam suam sanctimoniam in externa illa dierum observatione. Sed quemadmodum jam dixi, eo audaciæ proruperant Judæi tempore Jeremiæ, ut palam violarent diem
a Sabbathi: quemadmodum vulgo dicimus homines esse desperatos, qui ne probitatem quidem ullam simulant. Tanta igitur erat tunc populi licentia, ut nullus esset pudor, imo sine discrimine ostenderent se abjecisse prorsus jugum Dei, & Legis ipsius. Hoc quum fieret Jerosolymæ, quid putamus fuisse factum in pagis obscuris, ubi non vigebat tanta religio? nam si quid erat doctrinæ, si qua erat species pietatis, fulgebat Jerosolymæ præsertim. Nunc ergo videmus Prophetam à Deo fuisse missum, qui objiceret crassum illum & fœdum Legis contemptum populo: quasi diceret, Ite nunc, & simulate vos retinere saltem aliquam pietatem: atqui in re minima, hoc est, in observatione Sabbathi vos etiam deficitis, quia *infertis onera*, hoc est, negotiamini, quemadmodum aliis diebus. Quum ergo nulla sit apud vos Sabbathi sanctitas etiam externa, quid jam tergiversando proficitis? quandoquidem convicta tenetur vestra impietas. Nunc ergo tenemus quid agat Propheta, & quorsum spectet tota hæc concio, quæ nobis exponenda est. primo dicit, *se esse missum*, quo mandatum hoc perferat. Antehac quidem fuerat electus Propheta, sed hic loquitur de speciali quod subjicitur mandato. dicit autem *se fuisse missum ad portam primariam urbis, per quam Reges egrediebantur, & ingrediebantur, totus etiam populus:* & deinde, *se fuisse missum ad omnes portas.* His verbis significat Deum noluisse leviter tantum attingi illam Sabbathi profanationem, sed ubique vulgari, quo scilicet plus verecundiæ incuteret tam Regi quam toti populo. Solebant Prophetæ primum in Templo concionari, deinde accedere ad portam, ubi erat major hominum frequentia. Sed quum hic aliquid extraordinarium designet Jeremias, voluit haud dubie Deus exprobrare Judæis turpem illum & inexcusabilem contemptum Sabbathi. Jam addit, *Dices illis, Audite sermonem Jehovæ, reges Jehudah, & audiat omnis populus, & audiant omnes cives Jerosolymæ, quicunque ingrediuntur per has portas.* Jussus est Propheta incipere à Rege ipso, qui debuerat reprimere tantam licentiam. Fuit igitur hæc minime tolerabilis socordia, quum Rex ipse tacitus ferret illum religionis contemptum, præsertim in re tam facili, & aperta: neque enim poterat obtendere se fuisse celatum. nam perinde erat acsi Judæi vellent triumphum

phum agere adversus Deum, quod Lex ejus nullo apud illos esset in pretio. Ergo profanatio Sabbathi fuit quoddam testimonium impudentiæ, ut palam ostenderent se jam non morari aut Deum, aut Legem ejus. nam videbimus postea quantum esset momenti in illo scelere: sed differo in suum locum, quia nunc non possem absolvere, & in progressu commodior erit locus. Jubet autem *ipsos attendere*, vel cavere, *in animabus suis*. quidam exponunt, Quatum vobis pretiosæ sunt animæ vestræ. Ego autem animas hic non accipio pro vitis, sed pro affectibus cordium: quasi diceret, Cavete vobis diligenter, ut hoc sit repositum in corde intimo. nam נפש sæpe accipitur pro corde, quia sedes est omnium affectuum. Deuteronomii 4. dicitur, Cavete vobis לנפשתיכם, hic dicitur בנפשתיכם: illic dicitur, Pro anima-

Josue 23. vers. 11. bus, vel ad animas vestras; sicuti etiam Josue 23. capite. sed eodem spectant istæ duæ loquutiones, nempe ut intenti sint ad cavendum, & conferant illuc omnes suas curas, omnia studia, denique animæ suæ partes. *Cavete ergo diligenter*, inquit, *& cavete toto sensu, & pro facultate animæ vestræ ne tollatis onus in die Sabbathi, & ne inferatis per portas Jerusalem.* Hoc non erat difficile observatu: deinde transgressio erat nimis fœda. nam sicuti jam dixi, in re levicula profitebantur se aspernari Dei Legem: & tamen observatio Sabbathi res erat magni ponderis. verum est quantum ad rem ipsam: sed in ipso externo ritu nihil erat negotii. Ergo duplex apparuit populi impietas, quia contempserit singularem Dei gratiam, cujus testimonium erat dies septimus: deinde quia gravatus est otium colere die illo, & in re tam facili non dubitavit quasi Deo insultare, quemadmodum prius dictum fuit. Ergo hæc etiam circumstantia notanda est, quum dicit, *Ne tollatis onus, & ne inferatis per portas Jerusalem.* hoc etiam emphatice additur: quia non licebat etiam in agris, etiam in locis desertis quicquam agere die Sabbathi. Sed fuit illud magis probrosum, quum inferrent onus per portas Jerusalem, acsi in theatro vellent Deo contumeliam inferre. Jerosolyma enim fuit illis instar theatri: quemadmodum si quis non contentus privatim aliquid dedecoris inferre proximo, & fratri suo, proferat in medium suam petulantiam, & velit in clara luce spectari. Sic non tantum fuerunt contumeliosi in Deum Judæi, sed etiam in urbe illa tam celebri, in ipso denique sanctuario ausi sunt ostendere suam impietatem. Reliqua differemus.

Da omnipotens Deus, quando non tantum olim misisti Prophetas tuos, sed etiam vis testimonium tuæ voluntatis quotidie ad nos perferri, ut discamus nos tibi præbere dociles ac morigeros, & ita placide feramus jugum tuum, ut sacrosanctus sermo tuus quam meretur reverentiam apud nos obtineat, & sic nos tibi subjiciamus dum nos alloqueris per homines, ut tandem fruamur conspectu gloriæ tuæ, in quo consistit perfecta nostra beatitudo: & non tantum contemplemur gloriam tuam facie ad faciem, sed teipsum loquentem audiamus, & sic loquentem, ut acquiescamus in illa suavitate, quæ nobis in spe reposita est per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA NONA

IN

J E R E M I A M.

22. Et ne efferatis onus è domibus vestris die Sabbathi, & omne opus ne faciatis, (*nullum opus faciatis*) & sanctificetis diem Sabbathi, quemadmodum præcepi patribus vestris.

Diximus proxima lectione cur tam severe Propheta reprehendat Judæos quod negligerent externam ceremoniam. videtur enim res per se levis momenti, quiescere die

Jesa. 1. vers. 13. uno: & Deus per Jesaiam satis declarat, nihil se morari cultum illum externum. nam hypocritæ se defunctos putabant quum feriati essent die septimo: Deus negat sibi tale obsequium probari, quoniam erat quasi puerilis lusus. Scimus quid Paulus dicat,

1 Tim. 4. vers. 8. nempe exercitia corporis non multum prodesse. nondum hoc scriptum erat quum Jeremias loqoutus est: sed tamen debebat scriptum esse in cordibus piorum. Ergo posset videri absurdum primo intuitu, quod Propheta tantopere insistat in re non magni ponderis: sed causam breviter exposui, quia hinc potuit detegi crassa populi impietas, quod in re tam facili Deum contemnerent. nam sæpe homines excusationem arripiunt à difficultate, Ego cuperem, sed mihi nimis est onerosum. Non poterant hoc jactare de sanctificatione Sabbathi. quid enim facilius est quam quiescere uno die? Jam quum efferrent suas sarcinas, & promiscue sua negotia conficerent die Sabbathi, ut aliis diebus profanis, hoc erat quasi data opera excutere jugum, & palam ostendere se nihil deferre auctoritati Legis: quanquam alia etiam ratio notanda est, quam hucusque distuli. neque enim Deus spectavit externum ritum duntaxat, sed potius finem, de

Exod. 31. vers. 13. Eze. 20. vers. 12. quo loquitur tam Exodi 31. capite, quam 20. Ezechielis. utroque loco admonet cur præceperit Judæis feriari die septimo, nempe ut hoc esset illis symbolum sanctificationis. Ego, inquit, Sabbatha mea vobis dedi, ut sciretis me esse Deum vestrum qui vos sanctifico. Ergo si æstimemus diem Sabbathi à fine, non dicemus levem fuisse ceremoniam. quid enim pluris esse debuit veteri populo, quam agnoscere se divinitus esse segregatum à reliquis gentibus, ut esset populus sacer, & peculiaris Deo? imo esset ejus hæreditas? Et ex aliis etiam locis apparet, fuisse præceptum hoc umbratile: præsertim ex Paulo colligimus fuisse tantopere commendatum diem Sabbathi, ut populus respiceret in Christum: nam notus est locus Coloss. 2. cap. ubi dicit tam Sabbathum, quam Coloss. 2. vers. 16. alias ceremonias fuisse umbras Christi venturi, in ipso esse solidum corpus. Et Apostolus etiam in Epist. ad Hebræos ostendit spiritualiter debere in- Hebr. 4. vers. 9. telligi, quod olim Deus in Lege præcepit de septimo die, nempe ut homines quiescant ab operibus suis, quemadmodum Deus ipse quievit perfecto mundo à suis operibus: & Jesaias illo capite, quod citavi, nempe 58. docet satis perspicue quorsum respiceret observatio Sabbathi, nempe ut voluntas populi desineret. nam illa fuit quies, qua debuerant vere Deum colere, ut scil. supersederent ab omnibus cupiditatibus carnis suæ: & Deus non simpliciter vetat quicquam agere, sed dicit, Quiesces ab omni opere Exod. 20. vers. 10. tuo. Nam venire in Templum, offerre sacrificia, Deut. 5. vers. 14. deinde circumcidere etiam infantes, certe erat aliquod opus: sed non dicemus fuisse opus humanum, circumcidere infantem: parebant enim imperio Dei, quum ita offerrent genus suum: deinde, quum venirent etiam ad canendas Dei laudes, & ad offerenda sacrificia. Tenemus ergo nunc fuisse hunc scopum propositum veteri populo, ut scirent quiescendum esse ab omnibus carnis operibus. Et Deus quo facilius eos ad obsequium flecteret, exemplum suum illis proposuit. nihil enim magis est optabile, quam

ut

ut sit mutuus consensus inter nos & Deum. Hac ratione dicit Deus, Quievi septimo die ab omnibus Exod. 20 vers. 11.
operibus meis: ergo quiescite etiam nunc vos ab operibus vestris. Nec dubium est quin Deus septimum diem elegerit, ut homines studia sua omnia conferrent ad considerationem operum ejus. Quicquid sit, videmus fuisse ex præcipuis capitibus cultus Dei, septimum illum diem. Et profani etiam scriptores quoties loquuntur de Sabbatho, ponunt illud discrimen inter Judæos, & reliquum orbem. denique erat generalis professio cultus Dei, quum die septimo quiescerent. nunc dum pro nihilo ducunt, efferre sua onera, & violare sacrum illud otium, non dubium est quin proterve hoc fuerit abjicere Dei jugum, acsi palam gloriarentur se contemnere quicquid mandaverat. ergo in violatione Sabbathi fuit quædam generalis defectio à Lege. Quum Judæi apostatæ essent, merito acriter invehitur in ipsos Jeremias, & dicit hinc coargui nimis crassæ impietatis, quod ita vilipenderent diem septimum. dicit ergo, *Ne efferatis onus à domibus vestris.* Sub una specie per synecdochen comprehendit omnia terrena negotia quibus violabant Sabbathum: tametsi etiam postea genus ipsum addit, *& nullum opus faciatis, sed sanctificetis diem Sabbathi, sicuti præcepi patribus vestris.* Sanctificare diem Sabbathi est discernere ab aliis diebus profanis: nam sanctificatio tantundem valet, ac separatio. non debebant igitur promiscue die illo peragere sua negotia, sicut aliis diebus: nam erat ille dies sacer Deo. Postea addit *se hoc mandasse patribus.* Non dubium est quin auctoritatem hic conciliet Legi suæ à tempore ipso: quasi diceret, se non hodie demum, vel heri Legem illam tulisse; sed ex quo cœpit populum sibi colligere, jam fuisse datum præceptum de observanda quiete, quemadmodum satis constat nam ab initio Deus per Mosen ita loquutus est, Memento diei septimi, &c. Quum ergo concideret tota Lex Dei, & tota religio in violatione Sabbathi, merito hic commemorat Propheta *fuisse diem illum patribus commendatum.* Adde quod eos non latebat memorabilis pœna, qua Deus sanciverat Sabbathi observationem, quum illius jussu lapidatus fuerat qui ligna ceciderat die illo. Nunc sequitur, Exod. 20. vers. 8.

23. Et non audierunt, & non inclinarunt aurem suam, & obduraverunt cervicem suam non audiendo, & non recipiendo disciplinam.

Hic Propheta crimen exaggerat, quod non incipiant nunc primum Judæi contemnere præceptum illud Legis. Exprobrat ergo illis quod violatum fuerit Sabbathum pridem ab eorum patribus. diximus autem alibi minus excusationis hominibus restare, ubi filii sequuntur mala patrum exempla. Hoc quidem vulgo non existimat mundus: videmus enim ut hodie plurimi confidenter jactent patrum exempla, dum volunt rejicere & Legem, & Prophetas, & Euangelium. putant igitur se munitos esse bono clypeo, quum excipiunt patres aliter fecisse. Sed quam frivola sit hæc defensio, multis locis vidimus, & hic etiam confirmat Jeremias, nempe quum dicit atrocius esse crimen populi, quoniam multis ante seculis patres inceperant Dei præceptum contemnere. *Non audierunt*, inquit, *& non inclinarunt aurem suam, & obduraverunt cervicem suam.* His loquendi formis clarius exprimit, non errore, vel ignorantia peccasse patres, sed quoniam obduruerant ad contemptum Dei. nam sæpe continget, etiamsi probe edocti sint homines, tamen inscitia labi, quoniam multis obstaculo est sua ruditas, ne percipiant quod audiunt. Sed ubi non inclinant homines aurem, quin potius cervicem suam obdurant, hic se prodit manifesta contumacia, quod scilicet scientes & volentes Deum repudient. Talem igitur pervicaciam pluribus loquendi formis explicat Jeremias, quemadmodum & aliis locis vidimus. Quod attinet ad *duritiem cervicis*, etiam alibi dictum fuit metaphoricam esse loquutionem, sumptam à bobus indomitis. nam Deus Legem suam comparat jugo: & optima ratione. quemadmodum enim boves subiguntur ad laborem, & assuefiunt etiam ad obedientiam, quum imponitur illis jugum: ita etiam Deus obsequium nostrum probat, quum nos gubernat Lege sua: nam alioqui vagamur post nostras libidines. Quum igitur Deus omnem intemperiem carnis in nobis corrigit Lege sua, dicitur jugum nobis imponere. Jam si sumus intractabiles, & non admittimus imperium Dei, dicimur tunc cervicem obdurare. Postea sine metaphora loquitur Jeremias, *quod non audierint, & quod non receperint disciplinam*, vel correctionem. מוסר significat eruditionem, vel correctionem. Summa est, Judæos non tantum fuisse indociles, quum illis ostensa esset Dei voluntas satis aperte, sed ingenio præfracto, & pervicaci. nam quum doctrinæ ad eos magis pungendos additæ essent exhortationes, quum minæ etiam accederent, tamen nullo modo potuit Deus domare illorum petulantiam. Nunc sequitur,

24. Et erit, si audiendo audieritis me, dicit Jehovah, ne efferatis onus per portas urbis hujus die Sabbathi, & ad sanctificandum diem (*hoc est, si sanctificetis diem*) Sabbathi, non agendo in eo quicquam operis:

25. Tunc (*copula enim hic accipitur pro adverbio temporis*) ingredientur per portas urbis hujus Reges, & Principes, sedentes super solium David, vecti curru & equis, ipsi & proceres eorum, vir Jehudah, & incolæ Jerusalem, & habitabitur urbs hæc in perpetuum.

Interposuit quemadmodum docui, Jeremias exprobrationem illam de patribus, quo pudorem incuteret Judæis ætatis suæ, ne scilicet pergerent in imitatione patrum, quos videbant fuisse Deo immorigeros. tamen ostendit Deum fore placabilem, si ex animo resipiscant: quasi diceret, Patres quidem vestri provocarunt multis annis, atque adeo seculis Dei vindictam: sed ut est ipse ad misericordiam propensus, vobis ignoscere paratus est, modo relictis patribus ad ipsum redeatis. Denique promittit illis veniam temporis præteriti, si se ad Deum convertant. *Si audiendo*, inquit, *audieritis, ne efferatis onus per portas urbis hujus die Sabbathi, & ad sanctificandum:* pendet ea illo, *si audiendo audieritis. Si ergo audieritis ad sanctificandum diem Sabbathi, ne quicquam operis agatis in eo, tunc ingredientur per portas urbis hujus Reges, & Principes.* Primo loco promittit illis perpetuum regni statum. hæc autem erat præcipua felicitas populi, habere Regem ex posteris Davidis. nam ita cernebant quasi oculis præsentem Dei gratiam: David enim cum suis posteris erat quoddam visibile pignus gratiæ Dei. Et simul tenendum est, Regnum illud fuisse ejus regni præstantioris imaginem, quod nondum plane ostensum fuerat. ergo in posteris Davidis intuebantur Judæi Christum, donec manifestaretur. Ideo dixi miseros fuisse absque Rege: regnum

gnum autem fuisse illis præcipuam felicitatis suæ partem. Hæc ratio est cur nunc singularis beneficii loco illis proponat Jeremias æternum fore regnum Davidis inter ipsos, si observent diem Sabbathi: & ita non tantum exigit præcise Deus quod jure suo poterat, sed etiam dulcedine promissionis ipsos allicit, quemadmodum facere solet. Posset quidem uno verbo mandare quod placet: verum indulget nostræ infirmitati, ubi nos promissionibus invitat. Sed posset hic quæri an tanti fuerit quiescere die septimo, ut regnum illis perpetuum Deus promittat? responsio jam data est, nempe comprehendi sub ceremonia finem ipsum, qui spiritualis erat. nam Deus jussit populum suum feriari, ut haberet certum symbolum suæ sanctificationis, ut dictum fuit. Quum ergo nunc ita loquitur Propheta, *Si non efferatis onus per portas urbis hujus*, hoc est, si colatis diem Sabbathi, manebit regni perpetuitas apud vos: quum ita loquitur, ut dixi, haud dubie respicit ad veram observationem: quæ non constabat nuda ceremonia: sed majus aliquid & præstantius in se continebat, nempe ut discerent abnegatione sui se tradere Deo regendos. neque enim operabitur Deus in nobis, nisi prius desierimus sequi & propriam nostrem rationem, & proprios carnis affectus. ideo sub observatione Sabbathi breviter comprehenditur summa totius pietatis. Dicit ergo, *Ingredientur Reges & Principes sedentes super solium Davidis.* Notanda est temporis circumstantia. nam eo tempore res admodum collapsæ erant, & regnum valde erat attritum, ut quotidie periclitarentur reges, & totus populus. Quum ergo nihil aut parum esset præsidii in urbe tuenda, & conservando regni statu, Jeremias promisit tanquam singulare Dei beneficium, Reges fore stabiles cum suis proceribus. Nam ex familia Davidis erant regii consiliarii, ut satis notum est: & ideo communiter tam regi quam ejus consiliariis tribuit, *sessuros esse super solium Davidis.* dicit, *Vehentur curru & equis ipsi reges & proceres eorum:* deinde adjungit, *Vir Jehudah.* Extendit fructum hujus promissionis ad totum corpus: postquam de proceribus loquutus est, simul adjungit plebem quoque fore sociam hujus benedictionis & gratiæ Dei. Regnum enim ideo erectum erat, ut totus populus cognosceret se agere sub fide & tutela Dei. Ergo non abs re Jeremias hic significat communem fore hanc beatitudinem toti populo. *Et habitabitur*, inquit, *hæc urbs in perpetuum.* Eadem ratione hoc quoque adjungit: nam Jerusalem tunc erat in magno discrimine, imo quotidie novi terrores afferebantur, & omni ex parte erat horribilis vastitas: quoniam multis cladibus fuerat attrita tota regio. Nunc ergo Jeremias promittit quod erat quodammodo incredibile, Urbem fore salvam, si vere & pie colant Deum, idque testentur observatione Sabbathi. Summa est, per eos stare, quominus experiantur satis sibi esse auxilii in Deo, quia etiamsi undique obsideantur ab hostibus, tamen Deum illis fore certum præsidem salutis, si sint veri & puri ejus cultores. Postea adjungit,

26. Et venient ex urbibus Jehudah, & ex circuitibus (*hoc est, ex toto circuitu*) Jerusalem, & ex terra Benjamin, & ex planitie, & ex monte, (*hoc est, ex montibus, vel regionibus montanis*) & à meridie, afferentes holocaustum, sacrificium, & oblationem, (מנחה) & thus: & afferentes confessionem (*vel laudem*) in domum Jehovæ.

Hic secundam partem felicitatis adjungit: nam tota populi salus posita erat in Regno, & Sacerdotio. nam in utroque etiam fulgebat Dei gratia: quoniam tam Rex quam Sacerdos erant Christi imagines. Quum ergo in Sacerdotio cognoscerent Deum sibi esse propitium, quod reconciliarentur ei per sacrificia: in Regno autem cognoscerent Deum sibi salutis esse præsidem, & custodem, hæc fuit perfecta & solida beatitudo. Postquam ergo Propheta membrum unum attigit, nunc descendit ad secundum, quod scilicet *venient ex urbibus Jehudah, & toto circuitu, ex terra Benjamin, & aliis locis venient qui offerent sacrificia in Templo.* Per se quidem sacrificia non poterant populum servare: sed principium illud sumit Jeremias, Non frustra promissam esse reconciliationem populo in sacrificiis. nam expiabantur vere peccata, & Deus quasi in medium prodibat, ut colligeret ad se populum. Perinde est igitur acsi diceret Deum fore modis omnibus beneficum erga eos, si modo Sabbathum observent, hoc est, si puro corde se addicant ad ejus cultum. Erat, quemadmodum jam dixi, magna ex parte vastata regio: sed Propheta postquam de urbe loquutus est, simul adjungit totam Judæam fore habitabilem; quoniam hinc inde in Templum ascendent, qui offerent sacrificia. Postquam loquutus est de circuitu, adjungit *terram Benjamin*, cujus dimidia tribus, quemadmodum satis notum est, perstiterat in fide, nec desciverat à familia Davidis: imo pars urbis sita erat in tribu Benjamin. Postea adjungit *planitiem, & montes:* quasi diceret ex tota vicina regione cultores Dei venturos, qui dies festos celebrent, & offerant sacrificia pro more. Tandem adjungit medium: ponit *holocaustum, sacrificium, &* מנחה, quæ tres erant præcipuæ species. Sed summatim docere voluit Jeremias Deum facturum, ut floreat religio ac vigeat apud ipsos, quemadmodum ante. Cæterum postquam loquutus est de externo cultu, finem simul designat: *Afferent*, inquit, *confessionem*, vel laudem, תודה, in Templum. His una voce complectitur Jeremias quod maximum erat in sacrificiis, quemadmodum etiam colligitur ex Psalmo 50. ubi dicitur, Sacrifica Psal. 50.
Deo laudem. Deus illic repudiat sacrificia, quæ offe- v. 14. 23.
rebantur à Judæis sine recto affectu. Postea ostendit quid uoice postulet: jubet ergo sibi offerri sacrificium laudis. Ita nunc Jeremias docet huc spectare omnia sacrificia, ut celebretur Dei nomen, hoc est, ut profiteantur Judæi se omnia illi debere, ut vitam suam & salutem ferant ei acceptam: denique ut gratitudinem suam coram ipso testentur. Ita hodie nobis manet hæc veritas residua, abolitis veteribus figuris: non mactamus vitulos, aut boves, aut arietes; sed sacrificium labiorum, dum confitemur, ac prædicamus ejus beneficia, quemadmodum loquitur Apo- Hebr. 13.
stolus ultimo capite ad Hebræos. Sed quod hodie vers. 15.
vigere apud nos debet sine umbris, fuit olim cum umbris conjunctum: interea tamen communis est illa veritas Judæis nobiscum, quod scilicet dum sacrificia sua obtulerunt sub Lege, debebant his visibilibus symbolis testari suam gratitudinem. Pergamus.

27. Quod si non audieritis me ad sanctificandum diem Sabbathi, & non tollendo onus, & ingrediendo per portas Jerusalem die Sabbathi: tunc accendam ignem in portis ejus, & vorabit palatia Jerusalem, & non extinguetur.

Nunc ex opposito terret eos Propheta, si promissionibus Dei non auscultent: Deus enim primo blande nos allicit: ubi autem videt esse refractarios, tractat nos pro ingenii nostri duritie. Ergo nunc minas opponit promissionibus. Dixerat felices Judæos fore, si Deum pure colerent, quoniam perpetuum illis esset Sacerdotium & Regnum: nunc adjungit, *Si non obedveritis*, inquit, *ut sanctificetis diem Sabbathi*, nempe *ut non faciatis quicquam operis in eo, & non ingrediamini per portas urbis hujus*, id est, negotiando: licebat enim illis egredi ex urbe, quemadmodum satis notum est. sed per egressum intelligit promiscuam negotiandi rationem. *Si ergo non audieritis me in hac parte*, inquit, *tunc accendam ignem in portis urbis hujus.* Tenemus consilium Prophetæ, nempe voluit Judæos bene sperare de salute sua, modo resipiscerent, & modo apud eos vigeret purus & integer Dei cultus: ex opposito voluit terrorem incutere, si in sua contumacia pergerent. Non dubium est quin hæc comminatio graviter eos offenderet: nam scimus quam fuerint securi, & quam stolide gloriati fuerint non posse urbem illam dirui, in qua Deus habebat suum domicilium: tamen Propheta hic denunciat instare cladem urbi sanctæ, si ita violent diem Sabbathi, ut consueverant. Sed ne pœna hæc videri posset asperior, ostendit inexcusabilem esse populum, si rejiciat tam apertas admonitiones. dicit, *Si non audieritis me*: poteram enim alioqui obtendere se fuisse deceptos, quia non putabant tantum esse nefas in violatione Sabbathi. Jam omnia hæc subterfugia excludit Jeremias, quum dicit, Ecce ego adsum Dei nomine: si violatis Sabbathum, ut hactenus, quænam erit causa? nonne convicti eritis apertæ impietatis? Deus enim loquitur: qui fit ut respuatis ejus doctrinam? Videmus ergo quasi per anticipationem hoc fuisse dictum, *Si non audieritis me ad sanctificandum diem Sabbathi.* Jam addit, *Vorabit ignis portas urbis & non extinguetur*, hoc est, non extinguetur donec consumpserit totam urbem, & portas ejus. Scimus autem tunc habitos fuisse conventus in portis, ideoque fuisse loca celeberrima. Quod ad nomen ignis spectat, metaphorice capitur pro clade, & interitu urbis: tamen scimus etiam ignem fuisse accensum à Chaldæis, quia non satis illis fuit urbem diruere, nisi etiam grassati essent durius. incensum igitur fuit Templum, & domus consumptæ igni. Simpliciter tamen exponere oportet verba Prophetæ, nempe vindictam Dei fore instar ignis, qui omnia perdat, & consumat, ut ne portæ quidem urbis futuræ sint salvæ. Solet etiam aliquid superesse quum urbes funditus diruuntur: sed Deus hic aliquid gravius minatur Judæis, quod scilicet non tantum communi more evertet ipsorum urbem, sed ita prorsus consumet, ut nihil maneat reliquum. Cras prosequemur.

Da omnipotens Deus, quando hodie non præscribis nobis diem unum, quo testemur nos abs te sanctificari, sed jubes nos sacrum otium tota vita colere, ut renunciemus & nobis & mundo: da, inquam, ut vere meditemur hanc quietem, & ita crucifigamus veterem hominem, ut vere conjuncti Filio tuo unigenito, participes etiam & socii simus beatæ illius resurrectionis in qua nobis præivit, & colligamur in regnum illud cæleste, quod & morte & resurrectione sua nobis peperit, postquam ita militaverimus in hoc mundo sub tuis auspiciis, ut semper regnes in nobis, & nos regas ac gubernes tuo Spiritu, ut nihil in tota vita sit nostrum, sed patiamur nos abs te gubernari, donec tandem sis omnia in omnibus, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA

IN

JEREMIAM.

Cap. XVIII.

Sermo qui fuit ad Jeremiam à Jehovah, dicendo,

2. Surge, & descende in domum figuli, & faciam audire te verba mea.

3. Et descendi in domum figuli, & ecce ipse faciens opus super lapide. (*super typo: alii vertunt, super rotam.*)

4. Et corruptum fuit vas, quod ipse faciebat ex luto, (*lutum, ad verbum*) in manu figuli: & reversus est, & fecit vas aliud sicut rectum fuit in oculis figuli, ut faceret.

5. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

6. An non sicut figulus hic potero vobis facere, domus Israël? dicit Jehovah. Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea, domus Israël.

Hæc summa est hujus doctrinæ, quia Judæi gloriabantur illo singulari Dei beneficio, quod tamen collatum illis fuerat in diversum finem: nempe ut essent sacra ejus hæreditas, oportuit ejusmodi fiduciam illis eripi, quoniam interea secure Deum spernebant, & totam Legem. Atqui scimus in fœdere Dei fuisse mutuam stipulationem, nempe ut genus Abrahæ pure Deum coleret, sicuti Deus paratus erat præstare quæcunque fuerat pollicitus. Nam illa fuit lex perpetua fœderis, Ambula coram me, & sis integer; quæ semel Abrahæ lata, etiam ad omnes ejus posteros spectabat. (*Genes. 17. vers. 1.*) Quum ergo Judæi putarent Deum inviolabili pacto sibi esse obstrictum, interea autem rejicerent superbe omnes ejus Prophetas, & polluerent, imo quantum in se erat, abolerent verum ejus cultum: necesse fuit illis detrahere stultam hanc gloriationem, qua se fallebant. Propheta igitur jussus est descendere in domum figuli, ut ad totum populum referret quod illic viderat: nempe figulum pro suo arbitrio fingere vasa, ac refingere. Videtur quidem primo intuitu hoc genus dicendi esse rude, & crassum: sed si quisque nostrum seipsum examinet, fatebimur omnes non posse corrigi superbiam

quæ

quæ nobis est ingenita, nisi Dominus trahat nos quasi violenter in rem præsentem, & ostendat quid simus. Propheta domi suæ potuit audire loquentem Deum: tamen jubetur descendere in domum figuli, non sua causa: erat enim sponte docilis: sed ut populum moveret, quum doctrinæ adderet signum istud quasi vice confirmationis. Refert igitur sibi hoc fuisse injunctum, ut descenderet in domum figuli. deinde refert quid illic viderit, nempe *quum figulus vas formasset, fuisse illud corruptum*, vel dissipatum: deinde ex eodem luto finxisse aliud vas, & diversæ formæ, prout visum est. Nam in his verbis pondus est: *sicut rectum fuit in ejus oculis*. Postea adjungitur applicatio: *An non sicut figulus iste potero vos mutare, domus Israel? certe in manu mea estis sicut lutum est in manu figuli*, hoc est, non minus habeo in vos potestatis, quam figulus in opus suum, & in vasa testacea. Nunc videmus quid hæc doctrina contineat, stulte scilicet homines facere, dum præsenti & prospera fortuna superbiunt, & existimant se quasi in tuto locatos esse: quia in singula momenta Deus potest dejicere quos extulit: deinde etiam extollere in altum qui prius humi jacebant. Hoc etiam satis vulgatum est inter homines profanos. nam laudatur apud eos moderatio, quam ita definiunt, Ut nemo rebus prosperis infletur: nemo etiam succumbat adversis. Sed nullus vere tangitur hac cogitatione, nisi qui agnoscit nos regi Dei manu. Qui enim somniant fortunam dominari in mundo, opponunt suam prudentiam, & suas opes, & præsidia. Fieri igitur non potest, quin semper se decipiant vana aliqua spe. Donec igitur huc redigantur homines, ut sentiant se ita subjici Dei imperio, ut singulis momentis conditio ipsorum mutari possit pro arbitrio ejus, nunquam humiliabuntur ut oportet. Ergo hæc doctrina observatu digna est: præsertim si expendimus quam stulte abusi fuerint Judæi prærogativa illa, qua Deus Abraham & omnes ejus posteros dignatus fuerat, judicare promptum erit quam necessaria fuerit hæc admonitio. Cæterum, si ad nos descendimus, idem quoque reperiemus, nempe violenter agendum esse nobiscum, ut discamus nos humiliare
1 Petr. 5. vers. 6. sub potenti Dei manu, quemadmodum Petrus nos admonet. Quantum ad verba spectat, ubi dicitur האבנים, est nomen dualis numeri. Non dubium igitur est, quin Propheta exprimere velit typos, *des moules*. nam qui vertunt, Super rotam, non videntur rem ipsam attingere. Sed Propheta vel lapideos vel ligneos typos vel ex argilla fictos designat. & numerus hoc satis demonstrat. Vidit igitur figulum cum suis typis, *avec ses moules*. ita quum finxisset vas unum fictile, corruptum fuit: sumpsit idem lutum, aliud vas formavit, & quidem pro suo arbitrio. Jam dixi cur utile fuerit Prophetam descendere in domum figuli, nempe ut postea adduceret Judæos quasi in rem præsentem. Scimus enim quantum efficaciæ habeant hypotyposes, ubi scilicet res ipsa subjicitur oculis. Nam doctrina poterat esse frigidior apud tardos, imo socordes homines. Sed ubi adjungitur obsignatio, accedit major vehementia. Hæc igitur ratio fuit, cur Deus Prophetam suum voluerit spectare quid ageret figulus. Nunc in applicatione notanda sunt antitheta: Sicuti in arbitrio & potestate figuli est lutum, ita etiam in arbitrio Dei sunt homines. ergo Deus confertur figulo. Non est autem comparatio inter paria: sed ratiocinatur Propheta à minori ad majus. Deus ergo respectu hominum dicitur figulus, quia coram ipso sumus lutum. Jam notanda est formarum varietas: quod scilicet ex eodem luto nunc vas unum fingitur, nunc autem diversum, & dissimile à priori. hæc tria antitheta notanda nobis sunt. Ideo dicitur, *An sicut figulus hic non potero facere vobis, domus Israel?* Duo antitheta hic Deus complectitur. nam confert se figulo, confert populum luto. Scimus longe plus esse potestatis Deo in homines, quam sit homini mortali in lutum. Figulus enim utcunque artifex sit vasorum, tamen non est creator luti. Ergo longe majus est Dei imperium in homines, quam sit figuli in lutum. Sed comparatio est, ut dixi, majoris & minoris: quasi diceret, Figulus potest lutum formare pro suo arbitrio, an ego ero inferior? vel an potestas mea non saltem par erit opificis potestati, qui & mortalis homo est, & sortis abjectæ? Postea addit, *Vobiscum*, vel vobis, *domus Israel*: quasi diceret, Confidite vestræ excellentiæ, ut libuerit: tamen non estis præferendi luto, si respicitis quid sim, & quid possim erga vos. Videmus ergo jam notari duo antitheta. Sequitur & tertium, nempe quod Deus vertere nos huc & illuc possit pro suo arbitrio. Ergo stulte homines præsenti fortunæ confidunt, quia singulis temporum articulis potest mutari eorum conditio. nihil enim in terra stabile. Sed memoria tenendum est quod dixi, refutatam fuisse confidentiam, qua Judæi se fallebant, quod putarent Deum sibi esse obstrictum, & ita pollicebantur sibi perpetuum statum: & quasi impune contemnerent totam Legem, jactabant semper hæreditarium illud fœdus, quo Deus adoptaverat genus Abrahæ. Nunc Propheta ostendit, sic hæreditarium esse illud fœdus, ut tamen debeant illud reputare Judæi quasi adventitium bonum: quasi diceret, Quod Deus vobis dedit, poterit auferre singulis horis. nihil ergo vobis est certum, nisi quatenus Deus propitius vobis erit. In summa, admonet totam eorum salutem pendere ex gratuita Dei bonitate: quasi diceret, Nihil habetis proprium, sed quod Deus vobis contulit, id precarium est: potest vobis auferre hodie & cras quod heri dederat. Quorsum igitur spectat hæc stulta jactantia, quum dicitis vos eximi à communi hominum sorte? Poterant quidem merito Judæi despicere omnia mundi pericula, quoniam Deus ipsos collegerat sub fidem suam: tuti quidem erant ejus præsidio, nempe si præstitissent mutuam fidem, ut vere essent ejus populus, sicuti promiserat se illis fore in Deum: sed quum pro nihilo ducerent totam ejus Legem, & irritum facerent fœdus illud, de quo stulte gloriabantur: videmus non abs re Prophetam illis excutere fiduciam illam, qua seipsos fallebant. Hinc colligi potest utilis doctrina, nempe quantum ad totum humanum genus spectat, nihil esse certum vel stabile in hac vita: quoniam Deus potest subinde nos versare, ut dejiciat è sublimi & divites, & quicunque excel-
lunt: ut etiam erigat qui sunt omnium contemptissi- Psal. 113.
mi, quemadmodum in Psalmo dicitur. Neque hoc vers. 7.
tantum verum esse cognoscimus in singulis, sed in gentibus, in regnis. Utcunque enim multi Reges potentia sua sese efferant, ita ut existiment se esse extra omnem teli jactum: videmus tamen ut ipsos quasi subito turbine prosternat Deus. ita etiam gentibus robustissimis contingit. Ergo quantum attinet ad statum humani generis, Deus quasi in speculo, aut viva effigie nobis hic ostendit, subitas & frequentes esse conversiones in mundo, quæ debeant nos expergefacere à torpore, ne quis audeat sibi promittere crastinum statum, aut etiam unius horæ, vel unius momenti. hoc unum est. Sed doctrina hæc peculiarem usum habet apud nos: quia sicuti privilegio quodam singulari nos Deus exemit à reliquo mundo: ita etiam vult nos à mero suo beneplacito pendere. Fides quidem debet esse tranquilla, imo debet spernere quicquid potest afferre nobis aliquid aut terroris, aut sollicitudinis. nam fides ubi habet sedem suam? nempe in cælo. Ergo hæc magnanimitas requiritur in omnibus filiis Dei, ut despiciant quieto animo omnes mundi conversiones. Sed videndum est ubi fundata sit illa fidei tranquillitas, nempe in humilitate. Sicuti enim jacimus anchoram nostram in cælo, ita etiam, quantum ad nos spectat, debemus semper jacere prostrati, & humiles. Quisquis igitur volitat inani fiducia, ille frustra jactat fidem, & men-

titur se quicquam à Deo sperare. Ergo semper veniat nobis hoc in mentem, & recurrat etiam subinde, statum nostrum oon esse in nobis ipsis firmum, sed in gratuita Dei bonitate. Nunc tenemus doctrinæ præseotis usum. Sequitur postea apud Prophetem,

7. Subito loquar contra gentem, & contra regnum, ad evellendum & eradicandum, (*alii vertunt, ad frangendum, vel conterendum*) & ad perdendum.

8. Et conversa fuit gens illa à malo suo, *hoc est, à malitia sua*, de qua (*vel, pro qua*) loquutus sum adversus illam: & (*potius, Tunc: copula valet hic adverbium temporis*) pœnitebit me super malo, quod cogitaveram, ut facerem ei.

9. Et repente loquar super gentem, & super regnum ad ædificandum, & ad plantandum.

10. Quod si fecerit malum coram oculis meis, ut non audiat vocem meam, tune pœnitebit me super bono, quod loquutus fueram, ut benefacerem ei.

Propior est applicatio doctrinæ. Propheta enim generaliter dixerat, populum esse in manu Dei, sicut est lutum in menu figuli. Sed hic adjungit quod magis populare est, nempe in manu Dei esse cunctos mortales, ut nunc ornet gentem unam suis beneficiis, deinde spoliet: qui autem prius fuerant despecti, illos extollat. Dixi hanc partem doctrinæ magis esse popularem, quia ad pœnitentiam
Rom. 9. vers. 21. spectat. Paulus dum hanc similitudinem affert, nos esse in Dei potestate non secus atque lutum est in manu figuli, non loquitur ite populariter. Neque enim disputat de pœnitentia, sed altius conscendit: nempe antequam creatus esset mundus, fuisse in arbitrio Dei, statuere de singulis quid fieri vellet: nunc etiem nos formari pro ejus arbitrio, ut alios eligat, alios reprobet. Paulus ergo illic neque fidem, neque pœnitentiam attingit, sed concionatur de arcana Dei voluntate, qua alios ad salutem, alios ad interitum prædestinat. Et videtur
Jesa. 45. vers. 9. etiam Jesaias idem velle capite 45. simpliciter enim illic dicit, Væ qui exurgunt contra fictorem suum: an non potero statuere de hominibus, inquit Deus, sicuti figulus quum varias formas è luto accommodat? Ergo tenendum est illud principium, Sic homines formari Dei arbitrio, ut omnes obmutescere oporteat, quia sioe profectu obstrepent reprobi, si eacipiant, Quare me sic fineisti? An non tanquem figulus habet potestatem, inquit Peulus, &c. boc ergo valere debet in arcana Dei prædestinatiooe. Sed Jeremias bic doctrinam suam accommodat populo, ut ostendat, Deum sic gratuito fœdere elegisse & adoptasse Abrahæ genus, ut tamen posset repudiare indignos, nempe quicunque spreverint tantam gratiem. Nuoc videmus hujus doctrinæ multiplicem esse usum. Deus enim ante creatiunem mundi statuit quid fieri vellet de singulis hominibus. Sed hoc est arcanum ejus consilium, & nobis incomprehensibile. Jam alter usus magis est familiaris, nempe quod Deus nunc sua beneficia euferat, nunc autem quasi è morte excitet homines, ut eos attollat in sublime; prout scilicet misertus fuerit eorum, qui vere & ex enimo ad eum conversi fuerint, vel rursum offensus fuerit ingratitudine eorum qui abjiciunt oblatam sibi gratiam. Dicit igitur, *Repente loquar super gentem, & super regnum, ut evellam, ut eradicem*, vel exstirpem, *& perdam*. Quum dicit *repente*, Judæis in memoriam reducit originem generis. Nam qualis erat eorum conditio, quum Dominus illis manum porrexit, & eduxit eos ex illa tam misera servitute, in qua erant obruti? quasi diceret, Reputate vobiscum unde vos Deus extulerit: deinde simul agnoscite boc fuisse mirabiliter factum, & præter sensum communem. Eodem enim die fuistis omnium miserimi, & omnium beatissimi. Nox una non tantum vos à morte in vitam traduxit, sed ex abysso profundissime evexit supra omnem terrenam felicitatem, acsi io nubibus equitaretis. *Deus* ergo *repente loquutus est*. Sed simul etiam differit de pœnis: *Deus loquitur super gentem unam, & super regnum unum, ut benefaciat* Rursum loquitur Deus, *ut evellat, ut perdat gentem, & regnum*. Qui fit igitur, ut pereant qui visi sunt ad tempus florere, & esse felicissimi? oempe quia Deus justas pœnas exigit de hominum ingratitudine. Qui fit etiem, ut repente surgant qui jacebant sub pedibus omnium? nempe quoniam Dominus eorum miseretur. Sed priore loco Propheta de pœnis concionatur. *Repente*, inquit, *loquar super gentem, & super regnum, ut evellam & exstirpem, & perdam*: hoc est, etiam qui videntur sibi esse immunes ab omni periculo, sentient se meo judicio esse obnoxios. *Sed si gens*, inquit, *conversa fuerit à malitia sua, contra quam loquutus sum adversus eam, tunc pœnitebit me super malum*. Non dubium est, quin Propheta voluerit os Judæis obstruere, qui assidue litigabant cum Deo, quemadmodum ante vidimus. Nam persuaderi illis non poterat, justas esse pœnas scelerum, quum Dominus eos affligeret. Quoniam ergo ita erant obstinati in sua malitie, & hypocrisis etiam ipsos magis obdurabat, dicit hic Propheta Dei nomine, *Si loquutus fuero contra gentem unam, & minatus fuero ultimum interitum; si resipiscat, statim reconciliabor ei*: hoc est, non est quod expostulent mecum Judæi, quasi nimis duriter cum ipsis agam. reperient enim me placabilem, si resipiscant ex animo. Sequitur ergo, eorum obstinationem in causa esse, ut Deus pergat in suis judiciis. nam pœnitentia Dei nihil aliud significat, quam quod alibi dicit Scriptura, ipsum esse misericordem, *Num. 14. vers. 18.*
& tardum ad iram, & facilem ad ignoscendum. *Psal. 103. vers. 8.*
Hic ergo testatur nihil aliud obstare Judæis, quam obstinationem propriam, quod non melius habeant. Quandoquidem affirmat ex opposito, perditos restitui in melius, *ubi repente loquitur Dominus super gentem & regnum, ut ædificet, & plantet*: acsi dictum esset, Non tantum ignoscam, sed paratus ero beneficiis prosequi quos prius rejeceram tanquem mihi inimicos. Amplificat igitur Dei clementiam quum dicit, Non tantum peccatis hominum ignoscere, ut pœnam remittat, sed etiam se paratum esse ad omnia beneficia largienda, si homines ad reconciliationem se offerant. Nunc sequitur oppositum membrum, *Quod si fecerit malum coram oculis meis, ut non audiat voci meæ*: nempe ubi plantata fuerit gens meo beneficio: (id enim postulat contextus) *tunc*, inquam, *pœnitebit me*, &c. Qua denunciatione significat, Deum quos singularibus donis ornaverat pessundare, propter indignum abusum: acsi diceret, Si large, & liberaliter pollicitus fuero genti, aut regno quicquid optari potest, nisi reperiat locum gratia mea, & bonitas, *tunc pœnitebit me super bono*. Hæc est summa, semper locum veniæ patere, ubi se peccator ad Deum convertit: rursum frustra gloriari homines Dei promissionibus, nisi cum timore & obedientia se

illi

illi subjiciant. Utrumque fuit necessarium, nempe ut cognoscerent Judæi sibi Deum fore exorabilem, si resipiscerent: deinde promissiones ejus non debere extendi ad crassum illum abusum, ut pro nihilo ducerent Legem & Prophetas. Mediam igitur rationem hic ponit Propheta, nempe simulatque resipiscunt homines, posse tuto & intrepide sperare omnia à Deo, quia ad clementiam propensus est: deinde quamvis gens una excellat multis ejus donis, non debere tamen stulte confidere, & trahere præsentem gloriam ad auctoris contemptum: quoniam potest Deus eripere quod dedit. Hic est igitur genuinus sensus, non posse aliter nos frui Dei beneficiis, quibus ornati sumus, nisi perseveremus in fide, & in timore ejus. Certum quidem est, non pendere Dei beneficia ab hominum dignitate: sed non vult tamen ludibrio esse suam liberalitatem, quemadmodum factum fuit apud Judæos, & hodie etiam hoc vitium nimis vulgare est in mundo. Jam sequitur,

11. Et nunc, (*agedum*) dic ad virum Jehudah, (*hoc est, ad unumquemque*) & incolas Jerusalem, (*alloquere omnes Judæos, & incolas Jerusalem*) dicendo, Sic dicit Jehovah, Ecce ego fingo super vos malum, & cogito super vos cogitationem: revertimini igitur quisque à via sua mala, & rectas facite vias vestras, & studia vestra.

12. Et dixerunt, Actum est: quia post cogitationes nostras ambulabimus, & quisque pravitatem cordis sui mali faciemus.

Jam Propheta jubetur sermonem convertere ad Judæos, ut doctrinam pœnitentiæ, quam nuper attigit, illis accommodet. Generalis enim doctrina minus afficit, quemadmodum satis notum est. Ergo hic quasi conserta manu agit cum suis popularibus. *Dic ergo ad Judæos & incolas Jerosolymæ*, qui scil. aliis debuerant viam monstrare, & erant omnium pessimi. *Revertimini*, inquit, *quisque à via sua mala*. Hic ostendit Deus peculiariter in Judæos competere quod in genere nuper pronunciaverat, nempe ipsum fore exorabilem, si peccator ad ipsum redeat: eos autem, qui illudunt ejus bonitati, non posse impune effugere. *Revertimini*, inquit, *quisque à via sua mala, rectas facite vias vestras.* quare? *Nam ecce ego fingo*, inquit, *super vos malum, & cogito super vos cogitationem*, hoc est, jam parata est vindicta, & vestris capitibus incumbit, nisi mature convertamini. atqui si vere & ex animo resipiscatis, ego jam paratus sum vos amplecti. Videmus ut Deus utrumque membrum simul comprehendat. Dixerat prius, Si loquutus fuero contra gentem unam, & conversa fuerit à suis sceleribus, me statim pœnitebit. Quod si pollicitus fuero me fore patrem genti, aut regno, non patiar me, & meam liberalitatem ita sperni, si homines ipsi rejiciant quod offero. Nunc autem dicit, *Ecce cogito.* Hoc ad prius membrum pertinet, nempe ad minas: deinde quum addit, *Revertimini quisque*, hic promittit veniam: quia ut alibi dictum fuit, & sæpius, nulla esse posset exhortatio ad pœnitentiam, nisi proposita spe gratiæ. Deus enim timeri non potest, nisi apud ipsum sit propitiatio, quemadmodum in Psalmo dicitur. Hoc igitur versu ostendit Deus se jam paratum esse ad amplexandos Judæos, si resipiscant. Cæterum si pervicaciter agant, ut soliti sunt, non cessurum illis impune, quoniam *cogitet super eos malum*. Ista autem cogitatio simul effectum & exequutionem trahit, quoniam figulus est, in cujus manu sumus, & potestate. Jam Propheta subjicit quam desperata fuerit populi impietas, nempe quoniam inutilis fuerit ejus labor. Fuit quidem hæc prodigiosa stupiditas, neque minis Dei terreri, neque allici tam blandis promissionibus. Sed Propheta etiam voluit ostendere, Deum expertum esse omnia, ut populum illum ab interitu in vitam & salutem reduceret: cæterum omnes vias frustra tentatas esse propter perditum populi ingenium. Non possem hodie absolvere: differam igitur reliqua in crastinum. Psal. 130. vers. 4.

Da omnipotens Deus, quando tuo arbitrio stamus, & cadimus, ut nostræ imbecillitatis & fragilitatis conscii, imo assidue apud nos reputantes non modo vitam nostram instar umbræ esse, sed nos esse prorsus nihil, discamus in te uno quiescere, & à te uno, & à tuo beneplacito pendere: & quoniam tuum est incipere, & perficere quicquid ad salutem nostram spectat, ut cum vero timore & tremore subjiciamus nos tibi, & pergamus in cursu vocationis nostræ, semper te invocantes, & nostras omnes curas conjicientes in sinum tuum, donec tandem erepti ab omnibus periculis colligamur in æternam illam & beatam quietem, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA PRIMA

IN

JEREMIAM.

Postquam retulit Propheta se denunciasse Judæis vindictam Dei, nunc adjungit quam superbe contempserint minas illas. Et crimen hinc exaggeratur, quod restabat illis spes aliqua veniæ, si modo converterentur ad Deum. Dicit autem Propheta eos præcise negasse se quicquam facturos. *Dixerunt*, inquit, נואש: quod vertimus, Actum est. Quanquam major pars Interpretum exponit, Desperatum. Diximus de hoc verbo aliquid 2. cap. & eandem sententiam nunc repetit Propheta, quod scilicet pertinaciter dediti fuerint Judæi suis superstitionibus: deinde etiam perversis illis artibus, unde putabant se posse optime consulere suæ saluti, & repellere omnia pericula, quum scilicet conjungerent se nunc Assyriis, nunc Ægyptiis. Sed quia verbum יאש potest etiam accipi pro Fatigare, sicuti colligitur ex duodecimo capite Ecclesiastæ, non incommode forte ita exponeretur, Nos sumus fatigati, hoc est, nolumus frustra consumpsisse tantum laboris. nam hinc sumunt materiam obstinationis impii, quod diu & multum aliqua in re laboraverint. superbia enim ipsos indurat. An hactenus lusimus operam? inquiunt. Non igitur male quadraret hic sensus, Sumus fatigati, hoc est, debueras initio nos revocare. sed nunc totum fere iter confecimus, & jam non longe distamus à meta. Non potest igitur fieri, ut redeamus ad carceres, quia hoc absurdum esset, tantum à nobis laboris frustra & inutiliter fuisse insumptum. Neque displicet eorum sententia, qui putant esse nomen: acsi diceret, Fatigatio est, id est, jam sero nos castigas, quia per multos annos sequuti sumus hanc viam. Quod ad summam rei spectat, parum interest. Sed sensus esset clarior, si ita placeat vertere, Jam satis superque laboris insumptum

ptum est. Tu igitur non venis mature vel tempestive. Videtur Jesaias capite 57. reprehendere in Judæis quod laudandum erat, si valet hæc Jeremiæ sententia. nam ita loquitur, Fatigati estis in viis vestris, & nemo vestrum dixit נואש. Hic exprobrat illis Jeremias, quod dixerint נואש: Jesaias autem ex opposito, quod non dixerint. videntur hæc duo inter se pugnare. Sed quum Jesaias ita loquitur, Judæis exprobrat socordiam, quod experientia saltem, quæ stultorum magistra dicitur, non ipsos fatigaverit. Nam quum toties didicissent magno suo malo, se nunc ab Assyriis, nunc ab Ægyptiis deceptos fuisse, hoc fuit nimis crassæ amentiæ, non tandem colligere longo usu, Certe nos frustra laboravimus. Videmus ergo nunc quo sensu accuset illos Jesaias, quod non dixerint, Fatigatio est: id est, quia non expenderint secum, laborem illum esse irritum. Sed aliud hic spectat Propheta noster, quod scilicet Judæi noluerint operam perdidisse, sed perrexerint contumaciter, quoniam obduraverant ad perversam consuetudinem peccandi. Sequitur, *Quia post cogitationes nostras ibimus, & quisque pravitatem cordis sui mali peraget.* Certum est, non ita palam fuisse loquutos. neque enim ex professo gloriabantur, se esse impios, & Dei contemptores: sed Propheta non respicit quid ipsi dixerint, sed potius rem ipsam. Atqui Judæi solebant opponere sua figmenta & fallacias Satanæ, Dei verbo. Non mirum igitur est, quod Propheta illis objiciat impias istas & sacrilegas voces: quod scilicet maluerint cogitationes suas sequi, & pravitatem cordis, quam Deo se subjicere, & obtemperare ejus verbo. Videmus ergo hypocritas nihil proficere dum obtendunt inanes fumos, quia Deus non vult agi secum sophistice, aut callide. Manet igitur damnatio omnes impios, quocunque fuco tegant sua scelera. nam quicquid adversum est sanæ doctrinæ, est pravum figmentum, est Satanæ fallacia, est denique impietas perversi cordis. Quicunque autem deflectunt à simplicitate Prophetica, & à doctrina Legis, illi sequuntur suas cogitationes, vel cordis sui figmenta. Hinc ergo sequitur, eos sine fructu tergiversari: quia si respuunt puram doctrinam, haud dubie opponunt sua commenta. & huc etiam pertinet quod dicit, לבו הרע. Nunquam fuissent confessi cor suum esse malum, vel sceleratum: & tamen Propheta eos accusat, quod proruperint in hanc vocem. nempe, ut dixi, rem ipsam considerat, & non subterfugia, quibus hypocritæ libenter Deum fallerent. Jam sequitur,

13. Propterea sic dicit Jehovah, Interrogate agedum inter Gentes, quis audierit secundum hoc? (*quis unquam audierit aliquid simile?*) fœditatem (*vel portentum*) patravit valde virgo Israël.

Hic ostendit Deus Judæos prorsus esse desperatos, quia ad cumulum extremum impietatis pervenerint, dum ita audent rejicere oblatam sibi salutem. Quorsum enim spectabat Propheta, nisi ut eos ab interitu eriperet? Deus ipse per manum Prophetæ volebat consulere ipsorum saluti. Quanta igitur hæc fuit ingratitudo, rejicere paternam illam Dei curam, & non præbere aurem Prophetæ, qui futurus erat illis salutis minister? Quoniam autem plusquam surdi & stupidi erant, convertit se Deus ad Gentes: *Interrogate*, inquit, vel quærite, *inter Gentes, an quis audierit aliquid tale?* quasi diceret, Non litigabo amplius cum istis brutis animalibus. nulla enim ratio locum habet. sed Gentes, quæ luce intelligentiæ carent, poterunt testes esse tam crassæ impietatis: quemad-
cap. 2. 10. modum capite etiam 2. dixit, Ite, peragrate insulas, & lustrate totum orbem, an ulla gens unquam reliquerit deos suos: & tamen non sunt dii. quasi diceret, Tantum valet religio apud miseros idololatras, ut maneant defixi in suis superstitionibus: quia horribile est illis, Deum mutare. refugiunt igitur illud quasi portentum. Hinc fit, ut addicti sint suis superstitionibus: quia Deum quem semel amplexi sunt, nefas esse putant relinquere: non sunt tamen dii: populus autem meus reliquit me, qui sum fons aquæ vivæ. Idem nunc repetit aliis verbis Jeremias, quod scilicet non reperietur tale exemplum inter gentes profanas. tandem subjicit, *Rem fœdam patravit.* Quanquam nomen שערורה vertunt quidam Portentum: & posset ita metaphorice accipi, quoniam verbum שער significat Reputare, & cogitare. inde ergo posset sumi hæc significatio. Sed quoniam pluribus locis accipitur pro Fœditate, non discedam à consensu illo. Dicit igitur hoc esse nimis fœdum, quod derelictus fuerit à populo suo. Et *virginem Israël* non honoris causa nominat, sed magis ut augeat probrum. Deus enim, ut ante vidimus, de- cap. 3.
sponderat sibi populum illum: & ita decebat servari fidem conjugalem, quemadmodum puella quæ viro desponsa est, jam non debet huc vel illuc respicere: quia nulla ei conditio quærenda est, postquam fidem suam obstrinxit. Populus autem Israël, qui debuerat esse quasi sponsa Dei, multo fœdius peccavit, & cum majori dedecore & infamia, quum ita se prostituit tam superstitionibus, quam perversis consiliis. Nunc adjungit similitudines, quibus crimen magis amplificet.

14. An relinquet è rupe agri nivem Libani? an relinquentur aquæ alienæ, & frigidæ fluentes?

15. Quia oblitus est mei populus meus, frustra suffitum faciunt, (*vel adolent*) dum corruere eos fecerunt (*copula enim explicative accipitur vel causaliter*) in viis suis, (*vel ipsorum*) semitis seculi, ut ambularent per semitas viam non calcatam. (*quanquam verbum* כשל *significat etiam impingere, vel offendere: ideo verti posset, & eos impingere fecerunt in viis suis.*)

Hic quemadmodum nuper attigi, crimen populi exaggerat Deus duplici similitudine. Nam si quis aquam haurire possit in agro suo, & illic reperiat fontem, quantæ stultitiæ erit, procul currere ad petendam aquam? Deinde, etiamsi ex loco vicino aqua non scaturiat, tamen fluat è longinquo, ut retineat purum liquorem, & frigidum, quis non contentus erit tali aqua? & si velit ipsam scaturiginem petere, nonne omnes ridebunt talem amentiam? Atqui Deus erat instar vivi fontis: & Jerosolymæ erat scaturigo, unde poterant ad satietatem bibere Judæi: deinde etiam quasi per canales fluebat ad ipsos Dei beneficentia, ita ut nihil ipsis deesset. Videmus ergo duplicem hic amentiam coargui in populo, quod spernebat præsentem Dei beneficentiam, acsi quis vicinus monti Libani nollet bibere aquas frigidas: vel si quis nollet haurire ex fluvio, sed vellet ire ad fontem ipsum. Quum igitur modis omnibus Deus se illis offerret, & exposita illis esset ejus liberalitas, hæc fuit nimis fœda & inexcusabilis dementia, rejicere aquas fluentes, & fontem ipsum. Nunc tenemus summam hujus loci. Hoc certe naturaliter omni-

omnibus est ingenitum, ut contenti sint præsentibus bonis, præsertim ubi non alibi potest quicquam reperiri melius. Si quis habeat fontem in agro suo, cur alio proficisceretur ut bibat? hoc est prodigiosum. Aquane indiges? atqui Deus eam tibi suppeditat: tantum sume ex fonte tuo. Si excipiat quispiam, Fons iste mihi fastidio est: volo scire an aquæ procul petitæ sint meliores. Videmus hoc signum esse bruti stuporis. jam si cui displiceat aqua, quæ fluit, & frigida est, & pura, quoniam velit fontem ipsum habere, etiam prodet ille, quisquis erit, suam vesaniam: quemadmodum hodie si quis nolit bibere aquam Rhodani, quæ hic fluit, nolit etiam gustare ex fontibus, sed velit currere ad fontem Rhodani, & ipsam scaturiginem, nonne dignus est, qui & fame, & siti pereat? Deus ergo ostendit Judæos ita privatos esse omni sensu, & ratione, ut debeant omnibus esse detestabiles; & ideo in applicatione repeti debet utrumque membrum, quum dicit, *Populus meus oblitus est mei.* hoc quidem per se obscurum esset, vel non satis explicitum: sed Deus hic ex superiore sententia repetit, se esse fontem aquæ vivæ, qui sit Judæis expositus: deinde suam beneficentiam, & quidem multiplicem fluere per canales instar aquæ vivæ, & frigidæ. Quoniam ergo populus, Dei obliviscitur, bis ingratus est, nempe quoniam non dignetur bibere ex fonte ipso, & fastidiat aquas frigidas, & fluentes, hoc est, non calefactas, unde contrahitur fœtor: deinde puras & liquidas, quæ nihil habent luti. Iterum vocat *populum suum*, sed probri causa: nam minus excusabilis fuit hæc perversitas, quum Deus peculiariter Judæis se offerret, illi autem respuerent oblatam ejus liberalitatem. Si hoc factum fuisset à profanis gentibus, erat levius delictum: Deus enim non dignatus fuerat illas tam insigni prærogativa: sed quum electi essent præ aliis omnibus Judæi, hoc fuit quasi prodigiosum, *quod Dei obliti sint*, nempe quem cognoverant. nam fuerat Gentibus incognitus: patefecerat autem se Judæis. Oblivio igitur hæc, quam accusat Propheta, non poterat ex errore nasci, sed potius ex destinata pervicacia. Postea adjungit, *Frustra mihi adolent suffitum, quandoquidem impingere* (ut copula resolvatur in causalem particulam) est occupatio, quum dicit *frustra eos suffitum facere.* Scimus enim ut suis ceremoniis confisi fuerint Judæi: ita quoties arguebantur à Prophetis, in promptu semper erat illa exceptio, Nos tamen sumus Dei cultores: nam sedulo ascendimus in Templum, & pollicitus est, suffitum quem adolebimus, fore sibi boni odoris. Quanquam sub hac voce comprehendit etiam alia sacrificia: nam de omnibus generaliter dictum est, Ascendet odor suavis coram Domino. Ergo sub una specie cultum illum externum designat, in quo satis assidui erant Judæi. Sed quoniam erat mera simulatio, quum abesset cordis integritas, ideo hic repellit vanam illam exceptionem Propheta, & dicit frustra eos obtendere suas ceremonias, quod sacrificiis valde intenti essent, deinde non negligerent quicquid spectabat ad externum Dei cultum: *Frustra, frustra*, inquit: quemadmodum hæc doctrina frequenter apud Prophetas occurrit; & debet plusquam trita esse inter pios. Sed videmus quam difficile sit, eam persuadere mundo: semper enim prævalet hypocrisis, & homines existimant se peragere omnes officii sui partes, dum aliqua species pietatis inter ipsos fulget: Deus autem, ut ante vidimus, cor
cap. 5. vers. 3. ipsum, aut veritatem respicit. sed hoc mundus non potest capere. Ergo non temere omnes Prophetæ toties inculcant hanc doctrinam, quod scilicet sola interior pietas, quæ conjuncta est cum cordis integritate, placeat Deo: totus autem externus cultus vanus sit, & futilis, nisi conjuncta sit illa cordis sinceritas. Postea causam adjungit, nempe quod *impingere fecerint in viis ipsorum.* Non dubium est, quin falsos doctores intelligat, qui populum abstraxerant à genuino & simplici Dei cultu, & corruperant sanam doctrinam multis figmentis. Et Hebræis satis tritum est, nomen subaudire, quemadmodum alibi diximus. Quoniam igitur *fecerunt ipsos aut impingere, aut corruere.* Summa est, non posse probari Deo, populi sacrificia, quoniam vitiata sit apud omnes religio. Vitium autem exprimit Propheta, nempe quod abstractus fuerit populus à recta via, hoc est, ab ipsa Lege, quæ unica est pie justeque vivendi regula. Cæterum, hinc colligimus quam frivola sit eorum excusatio, qui causantur se sequi quod didicerunt à patribus, deinde quod traditum est ab antiquis, & publico consensu receptum: Deus enim hic pronunciat hanc fore causam exitii populo, quoniam deceptus fuerit à falsis Prophetis. Quum dicit, *In viis ipsorum*, vel suis, dissentiunt hic Interpretes, quoniam referunt ad pseudoprophetas multi istud relativum הם. Sed mihi magis probatur contraria expositio, nempe *quod impingere fecerint in viis suis rectis*, quoniam erroribus ipsos abduxerint à recto cursu. Quum ergo dicit *In viis suis*, haud dubie in bonam partem debet accipi: Deus enim monstraverat viam populo. ergo Legis doctrinam vocat populi vias, quibus assueverat. Jam sequitur, *Semitas seculi.* pro eodem hoc etiam secundum membrum capitur. Et notanda est antithesis inter *semitas, & viam non calcatam.* hæc brevitas posset esse obscura, ideo distinctius loquar: Vocat Propheta Vias populi, in quibus fuerat probe edoctus. hoc autem abstulit omnem colorem defensionis, quum populus non posset excipere, se fuisse deceptum, acsi nunquam scivisset quid rectum esset. atqui non tantum fuerat edoctus, sed etiam fuerat ductus quasi per manum, ita ut via Legis deberet illi familiariter esse cognita. hoc igitur unum est. deinde adjungit *viam seculi*, nempe quoniam Lex non fuerat exiguo ante tempore lata, sed jam à multis seculis. antiquitas ergo illa debuerat stabilire Legis Dei fidem. Nunc ergo videmus quid hæc duo valeant, *quod corruerint*, vel offenderint Judæi decepti à falsis doctoribus, *in viis suis*, quibus scilicet assueverant: deinde *in semita seculi*, hoc est, in doctrina jam olim recepta, & cujus auctoritas pluribus seculis stabilita fuerat. Ex opposito dicit tractos fuisse Judæos ad *semitas*, & *viam non calcatam*, hoc est, à recta via fuisse abductos in errorem. Et iterum aggravat eorum crimen, quod maluerint errare quam tenere viam, quæ calcata erat, à patribus scilicet. Cæterum, possit hic quæri, an per se damnari debeat hæc mutatio, dum vetustatem contemnimus, & potius reputamus quid rectum sit. solutio facilis est; Propheta enim hic loquitur Dei nomine. Ergo principium illud tenendum est, Nullam esse viam, nisi quam Deus ipse monstravit. si quis venisset aliunde, & jactasset antiquitatem, Propheta ludibrio habuisset illam jactantiam. quare? nam quænam est vetustas in hominibus, qui statim evanescunt? & ut coacervemus multa secula, tamen inter homines non reperietur quicquam firmum. Illud igitur notandum est, Deum fuisse ducem ejus viæ, quam conqueritur Propheta relictam esse à populo. Nunc quæ sequuntur optime cohærent, nempe quod populus à via aberraverit, quam diu tenuerat. neque enim, ut jam dictum est, sequuti fuerant Judæi aliquem ex mortalibus, sed Deum ipsum, qui dignatus fuerat manum illis porrigere & ostendere certam salutis viam: deinde notandum est quales fuerint illorum patres; nempe qui Deo fuerant obsequuti: & quum tot haberent exempla, debebant magis ad imitandi studium incitari. Fuit igitur hæc inexcusabilis pravitas, viam longo usu probe compertam relinquere, *viam seculi*, hoc est, quæ fuerat illis probata tam longo tempore, & abire *in semitas non calcatas*, nempe quia nullo exemplo sanctorum, qui soli erant veri patres, fuerant adducti, ut sibi excogi-

tarent novos & fictitios cultus: deinde ut desciscerent à simplici Legis doctrina. Si quis respondisset, calcatas esse illas vias, quoniam haberent & Assyrios, & Ægyptios socios superstitionum, non potuit hæc exceptio admitti. nam, quemadmodum jam dixi, Propheta non promiscue de quibuslibet exemplis loquitur, sed de exemplis Patrum, quos certum erat fuisse gubernatos à Domino. Sequitur,

16. Ad ponendum terram eorum in vastitatem, (*hoc est, ut ponam terram eorum in vastitatem*) in sibila perpetua: quisquis transibit per eam, obstupescet, & movebit caput.

Jam rursus denunciat Propheta pœnam, quam meriti erant, nempe *quod immineat terræ ipsorum vastitas*: Hæc, inquit, erit merces eorum, *quod redigetur terra in solitudinem, deinde in sibila perpetua*, vel in sibilos. (utrumque enim genus reperitur.) hic ponitur etiam nomen שלם, quo nuper usus fuit Propheta, sed diverso sensu: nam quum vocabat *semitas seculi*, ad præteritum tempus respiciebat: nunc autem de futuro tempore dicitur. Quoniam ergo Judæi sese alienaverant à viis seculi, hoc est, ab æterna Dei veritate, ideo dicit *terram ipsorum fore materiam sibilis perpetuis*, quoniam non tantum paucis annis, sed usque ad finem mundi horribilis erit illa clades, quæ tunc instabat. Et secundo membro clarius exprimit quid intelligat per *sibilos æternos*, nempe *quia quisquis transibit per eam, obstupescet, & movebit caput*, vel concutiet caput, quemadmodum solet fieri vel in stupore, vel in ludibrio, vel in detestatione. hæc loquutio frequenter occurrit apud Prophetas. Terra Chanaan postquam data fuit Judæis, erat quasi excellentissimum theatrum omnis opulentiæ: Deus enim in ea explicuerat inæstimabiles thesauros suæ bonitatis, ut raperet ipso aspectu omnes in admirationem sui: ita ex opposito fuit materia horroris & sibilorum, quum Deus eam maledixit. Postea sequitur confirmatio:

17. In vento Orientali (*vel, Per ventum Orientalem quidam legunt* ב *loco* כ. *& dicunt, Tanquam ventus Orientalis: sed quod ad mentem Prophetæ spectat, nulla est ambiguitas. Per ventum ergo Orientalem*) dispergam eos coram facie inimici: cervicem, & non faciem ostendam ipsis (*videre ipsos faciam*) in die calamitatis ipsorum. (*vel interitus, ut alii vertunt.*)

Quanquam non exprimitur nota similitudinis, si legimus ב non כ. tamen Propheta similitudine utitur. neque enim Deus impulit vento Orientali Judæos, sed quoniam violenti sunt illius venti impetus in Judæa, sæpe ventus Orientalis tantundem valet ac procella, vel turbo: acsi diceret, tanquam turbine, vel procella ego ejiciam ipsos. *dispergam*, inquit, vel dissipabo *coram facie inimici*. Significat venturos hostes, qui Judæos è terra sua exterminent: sed aliud adjungit, nempe plenos hostes fore terrore, quoniam Deus dabit illis vim turbinis, aut procellæ, ut disjiciat, vel dissipet Judæos ipsos: quoniam scilicet expavefacti à Deo nusquam audebunt consistere. Sequitur altera comminatio, *quod Deus obvertet illis cervicem*, vel tergum, *& non faciem in die cladis*. Continget interdum nos duriter castigari à Deo, quemadmodum sæpe exercet fideles suos, quum illos etiam subjicit impiorum libidini: sed tamen hoc remedium non aufertur fidelibus, quin reperiant aliquid solatii in Dei misericordia: nam sicuti dejicit ad inferos, ita etiam reducit: mortificat, & vivificat, quemadmodum dicitur 2. cap. primi Sam. Hic autem Deus pœnam denunciat absque ulla venia aut levatione: *Dispergam*, inquit, *eos, sed per ventum Orientalem coram hostibus*. deinde, frustra ad me confugient, & meam clementiam, licet alioqui omnibus sit exposita, frustra tunc implorabunt: quia decretum est, ipsis non ignoscere. Ostendam, inquit, illis tergum meum, aut cervicem: nam ערף est posterior pars capitis, vel occiput, sed hic capitur pro tergo. sentient ergo me adversum, ut jam non sint positi ante oculos meos. Nam hæc est nobis inæstimabilis consolatio, dum adhuc dignatur Deus respicere nostras miserias. sed aufert hanc spem Judæis, quia *obvertet illis tergum in die cladis*. Reliqua non prosequar nunc.

1 Sam. 2. vers. 6.

Da omnipotens Deus, ut mature præveniamus iram tuam, neque nostra pervicacia sic eam accendamus, ut non sit amplius locus remedio: deinde etiamsi ad tempus nos castiges, ne tamen nos prorsus abjicias, sed semper maneat nobis hoc residuum, ut te quæramus in die cladis nostræ, & reperiamus te exorabilem, ut tibi reconciliati tandem sentiamus te recordari misericordiæ etiam dum irasceris, donec fruamur pleno & solido sensu tuæ gratiæ, & paterni amoris in regno tuo cælesti, quod nobis partum est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA SECUNDA IN

J E R E M I A M.

18. Et dixerunt, Venite, & cogitemus contra Jeremiam cogitationes, quia non peribit Lex à Sacerdote, & consilium à sapiente, & sermo à Propheta: venite, & percutiamus eum lingua, neque attendamus ad cunctos sermones ejus.

Hic recitat Jeremias quantus furor occupaverit eorum mentes, quibus denunciaverat Dei vindictam. Erat certe illud horribile auditu, quum essent desperati, nihil tamen sperandum esse auxilii à Deo. hoc enim valebat loquutio quam vidimus, In die calamitatis eorum ostendam illis cervicem, & non faciem: vel, à tergo me videbunt, & non à facie. Quum igitur nulla spes veniæ illis esset residua, nonne fuit hic prodigiosus stupor, non moveri neque humiliari, quum viderent Deum sibi esse tam infestum? Ostendit autem Propheta, secure contemptam fuisse illam denonciationem: imo tantum fuisse obstinationis in eorum malitia, ut tunc se animosius accingerent ad repugnandum. Dicit enim eos ex professo conspirasse, quum de illo tam horribili Dei judicio essent admoniti: ac inducit eos sese mutuo hortantes, *Venite, & cogitemus cogitationes contra Jeremiam*. Videndum est quid opponant Dei judicio, nempe sua consilia & decreta. hoc in summa erat, transferre à Deo auctoritatem ad seipsos. Spoliabant igitur Deum jure suo, & volebant occupare ejus solium,

acsi

acsi essent ipsi judices, & possent subjicere suo arbitrio quicquid attulerat Propheta. Probabile quidem est, non gessisse bellum cum Deo data opera, quoniam hypocritæ semper objiciunt sibi aliquas nebulas, quibus sponte seipsos obtenebrunt. Interea diabolicus furor ipsos impellit, ut non habeant ullam rationem Dei. nam si expenderent apud se quale doctrinæ genus est, quod affertur, possent facile discernere. Unde igitur hic furiosus impetus, ut dum volunt conserre manus cum homine, impingant in ipsum Deum? nempe, sicuti jam dixi, excæcat eos sua impietas, & superbia, ut Deo eripere non dubitent suum honorem, & ita substituant se in ejus locum. Idem hodie exemplum cernitur in toto Papatu. nam dum inter se ad refutationem apertæ veritatis conspirant, non interrogant os Dei, neque respiciunt quid Scripturis traditum sit: sed contenti sunt, putida decreta vel potius somnia ebuccinare, in quibus nihil est tam futile, quod non velint haberi pro oraculo: ubi autem protulerint suas bullas, existimant se satis probe munitos esse, quasi Deus suo jure dejectus sit. Sed ex contextu clarius hoc patebit. dicunt enim, *Quia non peribit Lex à Sacerdote.* Hæc ratio quam subjiciunt, ostendit unde tanta securitas, qua freti non dubitent repellere Propheticum sermonem, *quia* scilicet *sunt Sacerdotes, & Prophetæ*, hoc est, quia occupant sedem in Ecclesia. gloriantur titulis illis, quamvis meræ sint larvæ: quia susque deque reputant, non habere quod vocationi respondeat. Ita larvatos Pontifices videmus contentos fuisse titulari vocatione: neque interea curasse, an reddenda esset coram Deo ratio. Et ita seculis omnibus hypocritæ abusi sunt Dei donis. Clarius hoc cernitur in Papatu. Nam certe ubi omnia discussa fuerint, videbimus his armis confidere Papam cum tota sua caterva: ubi enim centies victi fuerint testimoniis Scripturæ, hoc tamen uno clypeo strenue se defendunt, Ecclesiam non posse errare: repræsentari Ecclesiam in Papa, & Episcopis & toto clero. deinde Prælatos, ut vocant, esse successores Apostolorum. Et ita plenis buccis detonant continuam successionem à Petro: unde tandem colligunt Ecclesiam Romanam esse matrem omnium fidelium: deinde illic Spiritum sanctum residere: quia quisquis in locum Petri successit, & occupat ejus cathedram, ille præditus est eodem spiritu, & eadem auctoritate. Videmus ergo, ut Papistæ non aliis armis hodie certent nobiscum, nisi quibus olim omnes illi reprobi aggressi sunt Jeremiam. Primum dicunt, *sufficere, si habeant suas cogitationes*, hoc est, si inter se statuerint quid factu opus sit: quia sub hac voce comprehendunt tam deliberationes, quam decreta: acsi dicerent, Nos præditi sumus jurisdictione ordinaria: Deus enim Ecclesiæ suæ nos præfecit. ergo quicquid à nobis prodierit, debet censeri inviolabile. Ratio, *Nam Lex non potest perire à Sacerdote, & consilium non potest perire à sapiente, & sermo à Prophetis.* Hæc tria poterant specioso colore objicere contra Jeremiam. Neque enim negari poterat, quin essent legitimi Sacerdotes quoad vocationem, deinde quin esset illic Ecclesia. jam Seniores, qui conjuncti erant Sacerdotibus, etiam merito jactabant suam dignitatem. Postremo nunquam caruit populus ille suis Prophetis. Videmus ergo ut obtenderint contra Dei Prophetas speciosos prætextus, & quibus poterant non magno negotio fallere omnes simplices. Si fiat comparatio, certe tota colluvies Papalis non potest simili jure idem prætexere, sed Judæis longe est inferior. Nam quum dicunt se repræsentare Ecclesiam, de eo disputandum est: & tandem venire cogentur ad illud principium, ut definiamus quid sit Ecclesia. jam ubi constiterit quid sit Ecclesia, iterum quæretur, an sint legitimi Episcopi, & Præsules. Neque enim vocatio eorum fundata est in verbo Dei: quia omnes sunt schismatici. & hoc etiam constat ex eorum Canonibus, quia hodie nulla viget canonica electio apud eos. Ergo sequitur, cessasse illam vocationem, de qua tam stolide & arroganter superbiunt. Sed ut demus illos esse legitimos ministros, & vocationem eorum probari ex Dei verbo, tamen non sequitur propterea, esse veros Dei ministros, quoniam locum ordinarium teneant, & jurisdictionem in Ecclesia. Nam omnibus seculis videmus Ecclesiam Dei fuisse obnoxiam huic malo, ut haberet lupos loco pastorum, haberet homines impios, & perfidos, qui Deum oppugnare ausi sunt sub ejus nomine. Quum ita plim contigerit, hodie non possunt discrimen ullum afferre, vel Papa, vel omnes larvati ejus Episcopi, quin metuendum sit nobis à lupis. quare? Fuerunt, inquit Apostolus, olim falsi Prophetæ, ita etiam & inter vos erunt falsi Doctores. *2 Pet. 2. vers. 1.* Ostendit hodie non minus cavendum esse à falsis Episcopis, & Prophetis, & Doctoribus, & quocunque titulo sese insigniant, quam olim. Ergo quum Papistæ futiliter jactant, Ecclesiam non posse errare, merito ridendi sunt: quia videmus quos sequantur: & quemadmodum olim manifesti Dei hostes congressi sunt cum Jeremia, ita etiam illi palam Deum nunc oppugnant solo inani titulo: *quia sint Sacerdotes, quia sint Prophetæ, quia sint Seniores*, vel Presbyteri, hoc est, quia teneant jurisdictionem ordinariam. Hic igitur locus sufficere nobis debet ad refutandam eorum stultitiam, ubi verba pro re afferunt, & tantum nituntur hoc argumento, Quod Ecclesia non possit errare. tantundem enim valet illud, ac quod nunc refertur à Propheta, *non posse Legem perire à Sacerdotibus.* Atqui alibi videmus quid Deus minetur, nempe horribile illud judicium instare, ut cæcutiant sapientes, ut stulti fiant, ac fatui Sacerdotes, & Prophetæ. *Osea 9: 7. Jesa. 29. vers. 14.* Sed hinc discamus qua lege, & in quem finem Deus passim ornet Ecclesiæ ministros & pastores claris elogiis & insignibus: certe non ut superbiant falso prætextu, sed ut fideliter exequantur munus suum. Quicquid sit, videmus perversam esse hanc confidentiam, ubi objiciunt Pastores non posse Legem sibi excidere, neque sermonem, vel doctrinam: quia sint, ac vocentur Sacerdotes. Adduot, *Venite, & percutiamus eum lingua.* Rursus suam auctoritatem magni faciunt: quemadmodum hodie Papistæ quasi è sublimi nos derident, quia non sit disputandum cum hæreticis, quia non sint revocanda in dubium quæ jam olim statuta sunt, & de quibus semel Ecclesia pronunciavit; nam videtur hoc illis plusquam absurdum, atque etiam indignum, ubi rogamus dari nobis audientiam, & controversias, quibus hodie turbatur mundus, volumus dirimi, & decidi ex Lege, & Prophetis, ac Euangelio. Quid? ergo Ecclesiæ decreta in nihilum redigentur? Scriptura est nasus cereus: nihil habet certum, vel firmum: potest enim torqueri in quamlibet partem, & hypocritæ semper abusi sunt Dei verbo: sequitur ergo nihil esse certum neque perspicuum in Scriptura. hoc est lingua percutere: quemadmodum videmus actum fuisse cum Jeremia: Quid disputandum est cum isto homine, qui tam audacter nobis minatur quasi excelleret supra alios? atqui unus est è populo tantum. jam quid opus est longa disputatione? habemus enim auctoritatem, & satis erit uno verbo statuere, quicquid affert esse repudiandum: ergo non est cur nos fatigemus longo certamine. lingua enim nostra habet jus decisivum, ut loquuntur. Videmus ut objicere ausi fuerint impii illi sua decreta, quibus obruerent sermonem Propheticum, & fidem derogarent Jeremiæ. Quoties ergo huc se efferunt homines, ut percutere lingua sua velint servos Dei, & opprimere sermonem ejus qui per ipsos loquitur, tenemus quo loco habendi sint, & quantum ponderis secum habeant omnia eorum decreta, vel determinationes. Sed clausula versus clarius ostendit quam

pervi-

pervicaciter contempserint omnem doctrinam: hoc enim signum est desperatæ contumaciæ, non attendere ad sermonem Propheticum. *Non attendamus*, inquiunt, hoc est, non moremur quid loquatur, & quicquid loquutus fuerit, fortiter spernamus. Quemadmodum dixi, Propheta hoc verbo ostendere voluit fuisse ita diabolico impulsu excæcatos, ut non dubitarent rejicere quicquid à Deo profectum erat, & aures occludere, & data opera negligere, ut solent improbissimi. Hodie non minor etiam contemptus apparet in Papatu: nam si placide nos audirent, si expenderent tranquillis animis & mansuetis quod afferimus, certe statim esset inter nos transactum. Sed hoc unum illis propositum est, nihil audire: quia contenti sunt hoc fallaci præjudicio, Si repræsentent Ecclesiam, in suo arbitrio esse, damnare quicquid dicimus: & ubi nos damnaverint, jam non opus esse alia disquisitione. Cæterum, hinc monemur, etiamsi multis vitiis laborent homines, semper tamen restare aliquam spem salutis, modo ne sint prorsus indociles, & præfracta fiducia rejiciant quicquid proponitur ex Lege, & Prophetis, & Evangelio. nam quemadmodum multi morbi, etiamsi graves sint, ac periculosi, tamen admittunt remedia: sic etiam statuendum est, sanabiles esse homines quamdiu sustinent doceri, & moneri, & corrigi: ubi autem clausis auribus prætereunt omnem doctrinam, ubi spernunt omnia consilia, ubi pro nihilo ducunt minas Dei, & correctiones, desperata est eorum salus. Sequitur,

19. Attende Jehovah ad me, & audi vocem litigatorum meorum. (*hoc est, rixantium mecum.*)

Quia videt Propheta suam operam esse inutilem apud homines, convertit se ad Deum, ut jam ante aliquoties vidimus eum facere. Nec dubium est, quin plus vehementiæ habuerit hæc loquendi ratio, quam si continuo tenore ipsos fuisset alloquutus. Poterat quidem dicere, Miseri, quo ruitis? & quid sibi vult hæc amentia? quem tandem finem putatis fore, ubi adversati fueritis Deo, contumaces adversus Spiritum ejus? neque enim poteritis lucem extinguere vestra pertinacia, vel impudentia. poterat hoc modo Propheta eos objurgare: sed plus vehementiæ fuit, quum relictis hominibus Deum ipsum cœpit alloqui. Hæc igitur apostrophe diligenter nobis notanda est, quia hinc colligimus exprobratam fuisse Judæis extremam amentiam, ex quo non dignatus est Propheta cum ipsis litigare. Sed interea dicit, Non attendunt ipsi, *attende Jehovah ad me.* Videbat se contemni ab illis Dei hostibus: hac autem precatione significat, suam tamen doctrinam vigere coram Deo, & retinere suum pondus, neque posse excidere. *Jehovah* ergo, inquit, *animadverte ad me, & audi clamorem litigantium mecum.* Hic duo postulat Jeremias, nempe ut Deus suscipiat causam suam, deinde ut vindictam exigat de illa pervicacia hostium suorum. Hic autem locus apprime notatu dignus est, quia hæc est fultura, quæ nunquam potest nobis excidere, quum scimus probari Deo nostrum obsequium: & ut nobis præscribit quid dicendum sit, ita quæ ab eo profecta sunt, semper habitura pondus suum, nec posse fieri mundi ingratitudine, ut quicquam de fide cælestis doctrinæ pereat, vel minuatur. Ergo quoties vel nos derident impii, vel eludunt, vel negligunt, sequamur Prophetæ exemplum: petamus à Deo, ut nos respiciat. hoc autem fieri non potest, nisi sincero animo studeamus exequi quod nobis mandavit. Ergo conscientia pura aperiet nobis januam, ut possimus intrepide Deum vocare & sponsorem, & vindicem, quoties contemnitur labor noster ab hominibus. Secundo loco postulat, *ut Deus audiat clamorem eorum qui cum ipso litigant.* unde colligimus, impios adeo nihil proficere sua superbia, ut magis ac magis Deum provocent, quum ita sese opponunt puræ ejus doctrinæ, & rixantur adversus ejus Prophetas, & pios Doctores. Quum ergo videmus impios nihil aliud consequi, nisi ut iram Dei magis accendant, eo animosius pergere nos oportet in officio: quia etiamsi ad tempus magnis clamoribus opprimant Dei veritatem, Dominus compescet eos, & ita compescet, ut eluceat illa doctrina, quæ nunc injustis calumniis evertitur. Postea adjungit,

20. An reddetur pro bono malum? quia foderunt foveam animæ meæ: recordare quod steterim coram facie tua ad loquendum pro ipsis in bonum, ad avertendam iracundiam tuam ab ipsis.

Exaggerat hoc versu Propheta crimen suorum hostium: quia scilicet non modo ferociant adversus Deum, sed etiam obliti humanitatis, inique oppugnent ipsum Prophetam. Impietas quidem magis est detestabilis quam inhumanitas, quo scilicet Deus magis excellit supra cunctos mortales: verum ipsa inhumanitas plus in se continet turpitudinis, quia est crassior, ut ita loquar, & melius perspicitur. nam impii sæpe occultant suam perfidiam: sed ubi agendum est cum hominibus, illic statim apparet ritene an secus nos geramus. Ergo Propheta ubi detexit impietatem hostium suorum, nunc adjungit, ipsos etiam si vocentur ad humana judicia, esse prorsus intolerabiles, quoniam scilicet rependant indignam mercedem homini innoxio, & qui sedulo curaverat eorum salutem. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Quamvis autem sæpe contingat rependi malum pro bono, & ingratitudo satis sit commune vitium: tamen natura ipsa abhorret ab ingratitudine: ideo dixit ille Nullam legem fuisse latam adversus ingratos, quia scilicet illud sit instar prodigii. Quum igitur natura dictet, rependi debere mercedem bene meritis, & hoc debeat omnium cordibus esse infixum, ratiocinatur Propheta ab illo communi jure, & sensu cunctorum mortalium. *An*, inquit, *rependetur pro bono malum? nam foderunt*, inquit, *foveam animæ meæ, & tamen precatus sum pro ipsis: conatus sum avertere iram Dei*, quum suppliciter me opposuerim deprecatorem pro ipsorum salute. quanta est ista barbaries, vel inhumanitas, quod me persequuntur? Cæterum, quoniam videbat se frustra verba facturum apud surdos, ideo rursus Deum appellat testem suæ integritatis: *Recordare*, inquit, *quod steterim coram facie tua ad loquendum pro ipsis:* quasi diceret, Etiamsi malignitas impediat homines, ne cernant qualis sim, & qualiter me gesserim erga ipsos, Deus erit mihi optimus testis, ac proinde contentus ero illius judicio. Postea sequitur,

21. Propterea pone filios eorum ad famem, (*hoc est, projice, vel prostitue ad famem*) & diffunde (*vel diffluere fac*) eos ad manus gladii, & sint mulieres eorum orbæ & viduæ, & viri eorum sint percussi ad mortem, (*lethaliter*) juvenes eorum sint percussi gladio in prælio.

Hic

Hic videtur Propheta sese præ excandescentia projicere ad imprecationes, quæ absint à recto affectu: quia etiamsi nondum ore suo protulerat Christus, precandum esse pro his qui nobis maledicunt: *Luca 6. vers. 28.* tamen Lex illa Dei semper cognita fuit à sanctis Patribus. non debuit igitur Jeremias perrumpere ad diras istas, ut imprecaretur ultimum interitum suis hostibus, quamvis ita essent meriti. Sed notandum est, non fuisse nisi Spiritus instinctu commotum, ut ita excandesceret contra hostes suos. neque enim excusabilis esset hoc colore, quod furor fiat sæpius læsa patientia: debent enim filii Dei ad extremum usque tolerare omnes injurias. sed, quemadmodum jam dixi, Propheta hic non temere quicquam protulit, neque etiam sibi permisit hoc vel illud optare, sed quod dictabat Spiritus sanctus, obedienter promulgat, tanquam fidele ejus organum. Diximus alibi, primo hoc observandum esse quum imprecamur aliquid adversi reprobis, non agendam esse privatam causam. nam qui seipsum respicit, semper abripietur nimio impetu: deinde etiamsi essent rite composita vota nostra, tamen hoc semper damnandum est, si privatim consulimus nostris commodis, vel persequimur proprias injurias. hoc unum est. deinde accedere debet prudentia, quæ discernat inter electos, & reprobos. Quoniam autem Deus suspendere nos jubet judicium, ut certe non possumus statuere quid futurum sit die crastino, ideo non debemus imitari promiscue hæc Prophetica vota, ut Deus perdat impios, & dissipet etiam de quibus desperamus: quia, ut jam dictum est, incertum nobis est quid decretum sit de illis in cælo. denique quisquis volet exemplo Jeremiæ imprecari hostibus, regatur eodem spiritu, quemadmodum Christus discipulos suos admonet: nam quoniam ad votum Eliæ Deus prostraverat impios, volebant Apostoli, ut etiam statim eliceret Christus fulmen è cælo: Nescitis, inquit, quo spiritu regamini. dissi- *Luca 9. vers. 55.* miles erant Eliæ: volebant tamen quasi simiæ imitari quod ille fecerat. Sed, quemadmodum jam dixi, primo facessat omnis respectus vel utilitatis nostræ, vel jacturæ, neque agamus propriam causam, si volumus excandescere adversus sceleratos: deinde adsit spiritus judicii, & discretionis. Postremo etiam facessant omnes turbulenti carnis affectus: quia simulatque admixtum est aliquid humanum votis nostris, semper reperietur aliquid confusum. In hac autem precatione Jeremiæ nihil fuit turbulentum: quia Spiritus Dei gubernabat ejus mentem & linguam: deinde oblitus erat sui: postremo sciebat illos esse reprobos, & jam destinatos ad ultimum interitum. Ita non dubitavit spiritu Prophetico illis imprecari quod hic legimus. Neque enim dubium est, quin semper sollicitus fuerit pro reliquiis. sciebat enim esse aliquos fideles: & quamvis essent incogniti, studuit tamen Deum illis placare. Sed hic fulminat contra reprobos, qui jam sponte devoti erant exitio. Hæc igitur ratio est cur non dubitet petere, *ut dentur ad famem, & ferantur ad manus gladii*, vel fluant, *ita ut sint orbæ & viduæ ipsorum mulieres: viri etiam ipsorum intereant ad mortem, & juvenes ipsorum percutiantur gladio.* Nunc sequitur,

22. Audiatur clamor ex ædibus eorum, quum induxeris super eos exercitum repente: quia foderunt foveam ad capiendum me, & laqueos occultarunt pedibus meis.

Pergit in sua imprecatione. *Optat* igitur *audiri clamorem ex ædibus eorum*: quasi diceret, nihil sit illis refugii, quum accidet calamitas. nam sua cuique domus est quasi receptaculum in rebus miseris. Vult igitur Propheta etiam quum domi latebunt, jugulari illic ab hostibus. nam à posteriore intelligit cædem. Quorsum enim clamor, de quo loquitur, nisi quia ubi hostes irrumpent, & sævient adversus ipsos, nec poterunt tueri vitam suam, confugient tandem ad lamentationes & ejulatus? *Audiatur* ergo *ex ædibus eorum clamor, ubi induxeris exercitum super eos repente.* Addit, *Quoniam foderunt foveam ad capiendum me.* Videtur quidem Propheta hic causæ suæ esse patronus: sed minime dubium est quin absque personæ respectu abominetur eorum, de quibus loquitur, impietatem, quod insidiose ipsum oppugnaverint, quum tamen ageret negotium Dei. Propheta enim neque serebat, neque metebat sibi: sed tantum volebat obtemperare Deo. Quum igitur fraudibus ipsum adoriuntur & circumveniunt, quid hoc est nisi aperte bellum Deo inferre? Tenendum igitur est, Prophetam hic non conqueri de molestiis quas sustinuit, nec de injuriis: sed tantum agere publicam causam: quia scilicet impii illi perfide egissent adversus ipsum, quum tamen nihil aliud studeret quam operam suam impendere Deo, & quidem in ipsorum salutem. Tandem addit,

23. Et tu Jehovah nosti omnia consilia eorum super me in mortem: ne propitius sis (*vel placabilis*) super iniquitate ipsorum: & peccatum eorum (*vel scelus ipsorum*) à facie tua ne deleas: (*quidam existimant* תמחי *esse in Cal, & * י *poni loco* ה) & sint impingentes coram facie tua, in die excandescentiæ tuæ fac cum ipsis. *Non possem hodie exponere hunc versum.*

Da omnipotens Deus, quum nos quotidie, imo assidue Evangelii tui doctrina ad pœnitentiam horteris, & te ostendas nobis placabilem: da, inquam, ne repudiemus tam incomparabile beneficium, sed placidis animis nos totos tibi addicamus, neque eousque provocemus iram tuam, ut à te prorsus rejecti, nullum misericordiæ locum tandem reperiamus, sed dum tempus beneplaciti tui manet, ut præveniamus ultimum judicium, & ita amplexemur beneficium reconciliationis, quod nobis offers, ut tibi grati & accepti in Filio tuo unigenito, pergamus in cursu vocationis nostræ, donec tandem fruamur æterna illa hæreditate, quam nobis acquisivit idem unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA TERTIA

IN

J E R E M I A M.

ULtimum versum decimi octavi capitis heri ad verbum interpretati sumus: nunc videndum est quid his verbis significet Propheta, & quem fructum ex ipsis colligere oporteat. Dicebat igitur Deum esse testem pravitatis hostium suorum, quod scilicet omnia eorum consilia tenderent in ejus perniciem. Porro hic subaudienda est antithesis, quod Propheta fideliter curasset eorum salutem, quemadmodum ante vidimus. Erat igitur hæc turpissima ingratitudo, quod machinarentur interitum sancto Prophetæ, qui non tantum erat innoxius, sed optime etiam meritus de ipsorum salute. Hinc igitur colligit indignos esse misericordia: *Tu*, inquit, *nosti consilium, quicquid consultant inter se, tendere ad mortem super me. Ergo ne propitius sis iniquitati eorum, & peccatum eorum ne deleas.* Diximus postrema lectione hanc vehementiam, quoniam dictata fuit à Spiritu sancto, non posse damnari: sed non debere trahi in exemplum, quia hoc singulare fuit in Propheta, quum sciret jam illos esse reprobus: & simul ostendimus cur non debeat communis lex statui ea singularibus exemplis: quia Jeremias præditus fuit Spiritu prudentiæ, & judicii: deinde quia zelus gloriæ Dei ita dominatus est in ejus corde, ut carnis affectus fuerint prorsus subacti, vel coacti in ordinem: quia scilicet non agebat privatam causam. Postremo diximus fuisse hoc oraculum, quia voluit Deus patefacere, reprobus esse illos, & desperatos, qui ita pertinaciter oppugnabant veram doctrinam. Quoniam hæc non omnibus contingunt, ideo promiscue non debemus imitari Jeremiam hac imprecatione, quia semper nobis respondebitur quod dixit Christus suis discipulis, Nescitis quis spiritus vos gubernet. Et certe hoc etiam horrorem debet nobis incutere, quum audimus, *Ne propitius sis illis, & ne deleas peccata ipsorum.* Deus testatur tam multis locis se esse misericordem, propensum ad clementiam, & si quando irascitur, hoc non esse nisi ad momentum. Videtur ergo esse magnum dissidium inter hoc vaticinium Prophetæ, & inter illa testimonia, quibus Deus suam naturem demonstret. Sed jam diximus Prophetæ fuisse ostensum interitum populi, cui sic imprecatus est. Et simul tenendum est memoria quod diximus, nempe Prophetam non complecti sine exceptione totum populum. sciebat enim esse aliquod residuum semen in illa multitudine. Ergo restringit hanc imprecationem ad reprobos, & desperatos: quia sciebat jam destinatos esse ad interitum, idque æterno Dei consilio. Et quoniam seipsos satis superque prodiderant, ideo secure pronunciat, Deum nunquam illis fore propitium. Eodem pertinet quod sequitur, *Semper impingant coram facie tua.* Faciem Dei hic ponit pro manifesto judicio. nam exultant scelereti homines quamdiu illis parcitur. Vult igitur Propheta Deum in solio sedere, ut judex appareat, & ita compescat eorum proterviam, qui ejus judicium contemnunt, dum inviti sentiunt se non posse effugere. Est etiam hic subaudienda antithesis inter conspectum Dei, & inter absentiam. Putant enim hypocritæ abesse Deum quantisper illis indulget, neque sumit vindictam; ideo lasciviunt acsi permissum esset ipsum fallere. Sed ubi Deus cogit ipsos agnoscere quod nolent, dicuntur stare in conspectu ejus, quia scilicet urgentur propius quam ut liceat amplius tergiversari, & velint nolint constricti teneantur: quoniam Dominus ostendit se ipsorum judicem. Videmus ergo quid valeat hæc loquutio, quum dicit Propheta, *Impingant in conspectu tuo.* Postremo addit, *In tempore iræ tuæ fac cum ipsis.* Designatur modus præsentiæ illius. non tamen dubium est, quin Propheta hic & seipsum, & alios omnes pios suspendat, ne festinent, quemadmodum sumus nimium præcipites in votis nostris. Vellemus enim Deum singulis momentis fulminare è cælo. Hæc celeritas temperenda est: & Propheta hic nobis regulam moderetionis præscribit, dicens, *In tempore iræ tuæ*: quasi diceret, Etiamsi differas, ac interea videaris connivere ad hæc tanta scelera: veniet tamen demum tempus, quo ultionem sumas de reprobis. Ergo quoties Scriptura loquitur de tempore iræ Dei, sciamus contineri sub hac loquendi forma exhortationem ad patientiam, ne scilicet immodicus fervor nos abripiat ultra justum modum; sed expectemus quietis animis donec opportunum tempus judicii adveniat. hoc est unum. Sed interea Propheta etiam plus aliquid exprimit. Vult enim involvere reprobos illos, de quibus loquitur, æterno judicio, ita ut se nunquam expediant. Dicitur in Psalmo, Memento mei Domine in beneplacito populi tui, hoc est, Domine tantum hoc postulo, ut adjungar populo tuo: quia etiamsi Ecclesia tua affligitur & judicatur misere, mihi tamen sufficiet, esse in eorum numero, quos dignaris paterno favore. Beneplacitum ergo populi Dei est favor ille paternus, quo Deus prosequitur Ecclesiam suam. Ita ex opposito, *tempus iræ* est judicium, quo Deus reprobos in æternum interitum addicit, ita ut nulla sit illis spes salutis residua. *Fac* igitur *cum ipsis*: quando? nempe, *in tempore iræ tuæ*, hoc est, tractes illos, ut soles tractare hostes tuos desperatos, & quibus nunquam eris placabilis. hæc est summa. Nunc sequitur alia concio.

Luca 9. vers. 55. Num. 14. vers. 18. Psal. 103. vers. 8. Psal. 30. vers. 6. Psal. 106. vers. 4.

Cap. XIX.

SIc dicit Jehovah, Vade, & acquire (*alii vertunt, posside, & קנה significat utrumque, sed hic non convenit verbum possidendi: acquire tibi*) lagenam figuli testaceam, & quidem cum senioribus populi, & cum senioribus Sacerdotum.

2. Et egredere ad vallem filii Hinnom, quæ est in introitu portæ Orientalis, (*alii vertunt, fictilis*) & clama illic (*hoc est, alta voce pronuncia*) sermones quos loquutus fuero ad te.

3. Et dices, Audite sermonem Jehovæ, Reges Jehudah, & incolæ Jerusalem: sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël, Ecce adduco malum super locum hunc, de quo quisquis audierit, tinnient aures ejus.

Vidi-

Vidimus Prophetam fuisse missum à Deo, ut populo ostenderet, nihil esse firmitudinis in statu illo, de quo hypocritæ gloriabantur: quoniam Deus, qui dignatus fuerat singularibus beneficiis populum Israeliticum, non minus retineat juris penes se, quam figulus. Ostenderat igitur Propheta Judæis figulum, qui vasa pro suo arbitrio formabat: deinde quum lutum sumpsisset, & vas non placeret, formabat aliud. Hoc vaticinium habet aliquid simile: tamen aliqua ex parte diversum est, ut videbimus tandem. Nam jubetur hic Propheta emere vas testaceum à figulo, & in conventu populi vas illud frangere, ut omnes intelligant se similes esse vasis testaceis: atque ita fragilitatis suæ admoniti, non superbiant quasi de firma & perpetua felicitate. Eodem tamen spectat utraque visio. nam Judæi putabant se esse extra sortem hominum, quod electi essent in populum peculiarem: neque frustra gloriati essent de illo tam inæstimabili privilegio, si fuisset mutuus consensus inter Deum & ipsos. Sed quia erant fœdifragi, fuit hæc inanis & stolida jactantia: quum putarent Deum sibi esse obligatum. nam quo jure poterant hoc obtendere? Deus quidem adoptaverat totum Abrahæ
Genes. 17. vers. 1. genus, sed pactione illa interposita: Ambula coram me, & sis integer. Quum autem essent omnes apostatæ, quantum ad ipsos spectat, abolitum erat fœdus. ergo non poterant Deum vocare in jus, acsi fidem ipsis violasset, qui nihil debebat. Erant enim alieni, quoniam ab ipso sua pravitate defecerant, & perfidia. Ergo voluit Deus illis ostendere quam inanis & perversa etiam esset illa fiducia, quum dicerent, Nos sumus sanctum genus, sumus hæreditas Dei: quia desciverant prorsus à fœdere, quod Deus pepigerat cum ipsorum patribus. Sed in forma ipsa, quemadmodum dixi, est aliquod discrimen. Proposuit igitur Propheta figulum, ut ostenderet non minus esse potestatis in Deo, quam in homine mortali, quoniam sumus lutum coram ipso, ut possit suo arbitrio formare & delere vasa sua. Sed hic Propheta ostendit, etiamsi Judæi fuerint formati ad tempus, & ita formati, ut essent similes vasi præclaro & eximio: tamen hoc non esse perpetuum. Et probabile est, quum prius audisset Deum posse instar figuli fingere, & refingere, excogitasse cavillum, quemadmodum homines solent sophistice agere cum Deo: O, sit ita, figulus potest ex eodem luto formare vas pretiosum, & vile. Sed nos sumus vas pretiosum, & Deus formam nobis indidit. Simul enim atque pepigit fœdus cum Abraham, decoravit nos singulari ornamento: postquam vero eripuit patres nostros ex Ægypto, tunc accessit etiam melior forma: Et tandem quum erexit regnum apud nos cum hac promissione, ut esset æternum solium Davidis, fieri aliter non posset quin permaneamus in statu nostro. Ergo Propheta hic plus exprimit quam priori vaticinio, quod scilicet non tantum Deus potestatem figuli retineat in formandis vasis, sed si vas fuerit jam formatum, & si habeat magnum splendorem, possit tamen confringi: ne statum illum diuturnum objiciant Judæi, in quo floruerant sub Davide, & ejus posteris. Dicit, Hoc nihil est. vas enim testaceum etiamsi speciosum sit, & eleganti forma splendeat, tamen potest confringi non minus tertio vel quarto anno, quam eo tempore quo formatum fuit, & potest conteri in perpetuum, quemadmodum postea aptabitur similitudo. Quantum ad verba spectat, dicit, *Vade, & acquire tibi vas testaceum*. Putant Hebræi nomen esse factitium, ut dicunt Grammatici, nempe ab ipso sonitu, quoniam satis constat esse lagenam. Quia autem lagena est oris angusti, quum bibitur, resonat bakbuk, & putant inde deductum esse nomen. Tamen in re ipsa nulla est ambiguitas, quod scilicet lagena sit non tantum fictilis, sed etiam aut vitrea, aut lignea. nam quum dicit postea חרש, nomen est speciale: בקבק autem est nomen generale. Sive igitur ex vitro, sive ex ligno, sive ex luto sit lagena, semper vocabitur בקבק Dicit postea, *Et ex Senioribus*: ad verbum ita vertunt, & subaudiunt interpretes, Adduc tecum: & quod ad sensum spectat, ego illis subscribo. postea enim videbimus, Coram his qui tecum veniunt confringes vas illud. Sequitur ergo, assumptos fuisse comites à Jeremia Seniores, de quibus hic agitur. Sed quoniam particula מ, aliquando accipitur pro Cum, quemadmodum Jesaiæ quinquagesimo septimo ubi dicitur, Pepigit מהם, cum ipsis: quanquam ad verbum est, Ab ipsis: accipi eodem sensu etiam hoc loco arbitror. Et certe videtur bene quadrare, quum dicit, *Cum senioribus populi, & cum senioribus Sacerdotum*. Addit, *Egredere ad vallem filii Hinnom, quæ est in introitu portæ Orientalis*. Vertunt alii, Portæ fictilis, non video rationem: relinquo hoc excutiendum magis exercitatis in lingua, nisi quod putarunt mutationem esse literæ ש cum ס Sed si accipimus verbum ut sonat, erit, Porta solaris. Nam חרס significat solem: inde חרסית adjectivum significat solarem. Vocatur autem excellentiæ causa Porta solaris, quæ spectat Solis ortum. Et tamen non repugno quin Propheta alludat ad illud חרש, de quo dixerat, & ita vocet portam Orientalem, ut tamen sit quasi porta fictilis. nam ס & ש sunt literæ affines, ut satis notum est. *Clama*, inquit, *illic sermones quos loquutus fuero ad te*. Nunc venio ad rem ipsam. Jubet Deus Prophetam suum acquirere à figulo vas testaceum, idque coram Senioribus: quia oportuit testes adhiberi ad rem seriam: & quoniam publica populi salus agebatur, ne hæc prophetia contemneretur, voluit Deus adesse gravissimos testes, & idoneos, & classicos, ut loquuntur. Vocat autem *Seniores populi & Sacerdotum*. Neque enim dubium est quin ex magno numero delecti fuerint, etiam inter Sacerdotes, qui præessent. Levitæ quidem suberant filiis Aaron, atqui etiam qui erant præcipui Sacerdotes erant tunc in magna multitudine. turba autem est turbulenta, ut loquuntur. Ideo fuerunt delecti ex ordine illo primario, qui gubernarent Ecclesiam: eos vocat Jeremias *Seniores Sacerdotum*. Delecti etiam fuerunt ex populo, qui præessent Ecclesiæ. Et scimus duos esse ordines publicos, vel duplex regimen, ut loquuntur. Sacerdotes erant præfecti Ecclesiæ, nempe quoad Legem, ita ut spiritualis esset eorum gubernatio. Erant Seniores populi, qui præerant rebus politicis: utrisque vero quædam inter se communia. Nunc ergo videmus quid sibi velit Propheta, quod scilicet jussus fuerit vocare testes, qui spectarent quod postea videbimus, & fuisse assumptos partim ex Sacerdotibus, partim autem ex populo. Dicit, *Egredere ad vallem filii Hinnom* Vallis hæc erat quasi in suburbio, & vocata fuit vallis תפת, ut postea videbimus. Existimant nomen fuisse impositum à tympanis: quod quum occiderentur pueri infantes, ne miserabilis esset ipsorum clamor, tympana streperent, ad tollendum omnem sensum humanitatis. Sed iterum aliquid dicetur de etymologia. In hac valle solebant mactare filios suos, & offerre, quum tracti fuissent per ignem. Multi quidem levius defuncti sunt, utpote quibus satis erat lustrare filios, & circumferre per ignem, ita ut sentirent flammam, tamen salvi evaderent. Sed qui præ aliis volebant zelum suum ostentare, eos longius rapiebat ambitio, nempe ut filios suos jugularent, deinde combürerent. Et de hac re alibi dixi, quod nunc cursim transeo. Hæc sententia vulgo recepta non est. sed videor mihi posse colligere ex variis Scripturæ locis ita fuisse factum, quod scilicet multi filios suos mactarent, alii autem lustrarent duntaxat. Quicquid sit, sacrificium illud merito abominatus est Deus. nam volebat uno in loco duntaxat sibi offerri sacrificia. Si quis etiam vitulum,

aut agnum obtulisset alibi, quam Jerosolymæ, erat hoc adulterinum sacrificium. oportuit enim Judæos sequi quod Deus præscripserat, ita ut nihil temere susciperent: quoniam obedientia semper melior fuit, quam omnes victimæ. Sed hic fuit duplex crimen, quod scilicet relicto Templo, volebant quasi invito Deo, obtrudere sua sacrificia. Deinde fuit etiam aliud crimen atrocius, ut nunc videbimus, quod scilicet immolarent filios suos Baalim, vel Baal, & non uni Deo: (nam jugulationem cum exustione nunc prætereo.) Hæc igitur ratio est, cur Propheta jussus fuerit venire in locum illum. Quam vero detestabilis fuerit Deo cultus ille, satis apparet, quod Prophetæ גיא הנם, hoc est, vallem Hinnom, vocaverint infernum. Et scimus Christi tempore passim receptum fuisse nomen illud: & quoties Christus loquitur de Gehenna, utitur recepta illa voce more vulgi. Corruptum quidem fuit nomen apud Græcos, quoniam est proprie גיא הנם, vallis Hinnom. Quid autem significat in Euangelio hoc nomen? ipsos inferos. & unde origo? quia scilicet scimus quantus sit, & quam insanabilis eorum furor, qui superstitionibus suis sunt addicti. Nam quamvis Prophetæ graviter damnarent locum illum, ut hic videmus: tamen populus in solita illa idololatria pergebat. oportuit igitur fœdum nomen imponi, quod locum magis abominabilem redderet. Nunc additur, *Locum illum esse in introitu portæ Orientalis.* Quum esset maxime celebris porta, & quum illinc Sol quotidie oriens, moneret ipsos, spectandam esse lucem illam, quam Deus ipsis accenderat in Lege: fuit hic prodigiosus stupor, in loco tam celebri & conspicuo quasi superbe calcare Legem Dei, & cultum ejus profanare, acsi palam ostendere vellent, se pro nihilo ducere quicquid Deus mandasset. Interea si quis existimet allusionem esse ad vocem חרסית, de qua prius dictum fuit, non repugno: quod hæc porta fuerit quidem Orientalis, & tamen fuerit quasi porta fictilis. Dicit, *Illic clara voce pronuncia sermones, quos loquutus fuero ad te.* Non dubium est, quin hoc diserte exprimat Propheta, ut plus ponderis habeat vaticinium. Ipse quidem nihil aggressus est, nisi ex Dei jussu: sed quoniam non ita obtinuerat ejus auctoritas apud Judæos, hic testatur eorum causa se nihil esse dicturum, nisi quod præceperit Deus ipse. Hæc igitur præfatio auctoritatem vaticinio conciliat, ne Judæi repudient quod affertur, quasi profectum ab ipso Jeremia. Sed hinc tamen colligi potest doctrina generalis, nihil proferendum esse, nisi quod ministri ex Deo ipso didicerint. Nam si Jeremias tantus vir, & præditus tam eximiis donis, tamen non debuit verbum unum, aut syllabam à seipso proferre, quanta est eorum temeritas, qui volunt superare ipsum, & ingerendo sua commenta, interea postulant censeri pro oraculis? Hic igitur locus confirmat illam doctri-
1 Pet. 4. nam Petri: Qui loquitur, inquit, loquatur tan-
vers. 11. quam sermones Dei. Nunc addit, *Audite sermonem Jehovæ.* Confirmatio est superioris sententiæ. Videmus ergo quorsum hoc dictum fuerit, *Clamabis*, vel clara voce pronunciabis, *quæ tibi dixero*, nempe ut sciant non loqui mortalem hominem proprio sensu, sed ipsum esse præconem cælestem, qui referat quæ Deus præcepit. *Audite*, inquit, *Reges Jehudah, & incolæ Jerusalem.* Videmus ut Propheta ne Regibus quidem ipsis parcat, quemadmodum ante etiam jussit Deus ipsum libere agere, cap. 1: 8.
nec respicere personas. Exequitur ergo fideliter munus suum, ubi non blanditur Regibus, neque terretur eorum dignitate & potentia. Sed ipsos primum compellat, deinde populum, quoniam qui gravius peccabant, merito sustinent primos impetus. Videmus ergo quid sibi velit illud, Argue mon- Mich. 6.
tes, & increpa colles: deinde, Constitui te super vers. 1.
gentes, & super regna: quia cælestis doctrina de- supra 1.
bet cogere in ordinem quicquid est excelsum in vers. 10.
mundo, quemadmodum etiam dicit Paulus, ita ut 2 Cor. 10.
omnis superbia hominum dometur. vers. 5.
Ægerrime quidem ferunt Reges secum ita libere agi. nam vellent immunes esse ab omni lege, & soluti omni jugo. Sed si hodie non agnoscunt se Dei verbo subesse, tandem venient ad tribunal illud, ubi sentient quam perverse abusi fuerint sua potentia. Quantum ad Doctores ipsos spectat, debent exemplo Jeremiæ, tam magnos, quam parvos docere: deinde arguere ubi opus est, & increpare, ita ut respectus personæ locum non habeat. *Sic dicit Jehovah exercituum, & Deus Israël, Ecce ego adduco malum super hunc locum, de quo quisquis audierit, tinnient aures ejus.* Plus efficaciæ habuit Propheticus sermo quum adducti essent Judæi in rem præsentem. Poterat idem in Templo, vel in porta, vel in palatio Regis dicere: sed non tam efficax fuisset vaticinium. scimus enim quanta sit in hominibus tarditas. Sed erat tunc tanta obstinatio in Judæis, ut doctrina etiamsi multum vehementiæ haberet, tamen frigeret apud ipsos, quia negligebatur. Deus ergo voluit quasi rem præsentem illis ostendere, Vocat *Jehovam exercituum, & Deum Israël*, quemadmodum alibi diximus, ut sentiant sibi esse negotium cum Deo, cujus formidabilis est potentia etiam ipsis Angelis. Et ut illis excutiatur stulta illa gloriatio, quod sese vocabant filios Abrahæ, Hic Deus, inquit, satis habet potentiæ ad vos castigandos: & tamen idem est Deus Israël, cujus nomen falso & perperam obtenditis. Hæc tantum breviter attingo, quoniam alibi fusius exposui. Dicit *instare cladem loci quæ cogat aures tinnire*, quemadmodum ubi est aliquis impetuosus fragor, aures nobis obstupescunt, & simul tinnitus aliquis resonat. Si juguletur unus homo, si occidantur vel decem, vel duodecim, erit quidem formidabilis clamor: sed in maximo pereuntium tumultu, est talis auditus qui aures quodammodo obstupefaciat: quemadmodum loquuntur de cataractis Nili. nam propter vehementem sonitum aures illic fiunt quasi hebetes. Sic etiam hic loquitur Propheta: *Ego*, inquit Deus, *adduco cladem super locum hunc*, quæ non tantum terrefaciat eos qui audient, sed etiam reddat sic attonitos, *ut aures illis tinniant*, ut solet fieri in sonitu aliquo impetuoso, & confuso. Sequitur causa:

4. Propterea quod reliquerunt me, & alienarunt locum hunc, & suffitum fecerunt in eo diis extraneis, quos non noverunt ipsi, neque patres ipsorum, neque Reges Jehudah: & impleverunt locum hunc sanguine innocentum.

5. Et extruxerunt excelsa (*ædificarunt excelsa*) ipsi Baal, ad comburendum filios suos igne in holocaustum ipsi Baal: quod non mandavi, & non loquutus sum, & non ascendit super cor meum. (*vel, in cor meum*)

Exprimitur causa cur tam severe acturus sit Deus contra locum illum. Nam scimus hypocritas plus satis esse promptos ad responsandum. simulatque minatur illis Deus, obganniunt, & afferunt suas tergiversationes. Propheta igitur hic demonstrat justum fore illud judicium, ne atrocitatis insimulent Judæi.

Judæi. Primo conqueritur Deus se fuisse ab illis relictum, nempe quia mutaverant cultum qui præscriptus fuerat in ejus Lege. Et hoc diligenter tenendum est. Nemo anim tunc sponte fuisset confessus quod omnibus exprobrat Jeremias: Nos Deum non reliquimus, dixissent. nam sumus filii Abrahæ: sed volumus hoc addere ad ejus aultum: & cur nobis probro ducetur, si non contanti simplici uno genere, cumulamus etiam varias species, & colimus Deum non tantum in suo Templo, sed etiam in locu hoc? deinde non parcimus filiis nostris? Sed Deus uno verbo ostendit frivolas esse illas objectiones: quia scilicet non agnoscitur nisi dum obedienter recipitur quicquid præcipit ac jubet. Teneamus igitur Deum relinqui simulatque deflectunt homines à puro ejus verbo, & omnes esse apostatas, qui huc vel illuc declinant, & non sequuntur quud Deus probat. Dicit postea *locum illum alienasse:* nampe quia Deus consecraverat sibi totam Judæam. Nolebat quidem ubique sibi offerri sacrificia: sed si Judæi ipsum coluissent, ut edocti fuerant à Mose & Prophetis, tota terra arat quasi altare, & Templum. Ergo conqueritur Deus sibi ablatum fuisse imperium to illo suburbio: quasi diceret, Tota Judæa est mei juris & meæ ditionis: Jerosolyma autem est Regia sedes, in qua volo babitare. atqui, vos miseri, aufertis violenter qund est meæ ditionis, & transfertis alio: quemadmodum si quis locum vicinum arci Regiæ daret latroni. Ita conqueritur merito Deus *alienatum fuisse locum illum.* Sed tenenda semper est ratio, quam continuo post confirmat, *quia scilicet suffitum fecerunt ipsi Baal.* Non dubium est quin prætexuerint nomen Dei: sed interea præpostera fuit illa superstitio, quum minores deos colerent, quemadmodum hodie faciunt Papistæ. Nomen Baal aliquando singulari numero ponitur apud Prophetas: aliquando etiam plurali. quid enim est Baal? nempe patronus. Sed non contenti erant uno patrono. quisque enim proprium sibi patronum fabricabat. Ergo sub nomine Baal, vel Baalim, Prophetæ designant omnes cultus fictitios, ubi scilicet colebatur nomen Dei, patronis admixtis, qui cogniti non fuerant: quemadmodum etiam subjicit, *Suffitum fecerunt in illo diis extraneis.* Postea deos extraneos vocat iterum Baal, quos neque ipsi, neque patres ipsorum, neque reges eorum noveruot. Quum dicit *deos illos fuisse tam ipsorum patribus, quam ipsis, & regibus eorum incognitos,* non dubium est quin revocet ipsos ad Legis doctrinam, & tot certa experimenta, quibus probaverat se unicum esse Deum. Poterant excipere Judæi, ut hodie faciunt Papistæ, Non illo primum die excogitatos fuisse cultus illos, quoniam à majoribus essent traditi. Sed Deus pro nihilo ducit reges illos, & patres, qui jam cœperant degenerare à vera & genuina pietate. Ubi hoc notandum est, veram scientiam conjunctam esse cum veritate. Nam qui primi erexerant cultus illos fictitios, certe sequuti fuerant stultas imaginationes: quemadmodum hodie siquis interroget Papistas, cur tantopere se fatigent in suis superstitionibus: bona intentio semper erit loco clypei, O, nos putamus hoc Deo placere. Ergo hic merito repudiat Deus figmenta illa, ut sponte evanescunt, quia in colore illo nihil est solidum. & interea exprobrat Judæis, *quod rejecerint Legem ipsam,* cujus auctoritas stabilita apud ipsos fuerat, ut non deberent ambigere. quantæ enim ingratitudinis fuisset dicere, Nescimus quis Legem tulerit? Deus autem sanciverat Legem suam tot miraculis, ut non posset vocari in controversiam. Deinde multis simul experimentis probaverat se esse unicum Deum. Fuerat igitur cognitus tam patribus ipsorum, quam Regibus, nempe Davidi, & omnibus piis successoribus. Hinc ergo exaggeratur eorum crimen, quod sibi accersiverint deos illos extraneos. Et nunc videmus quam stulte Papistæ arripiant hunc locum, & similes, ut antiquitatis prætextu suas abominationes commendent. Sunt enim evanidi fuci, quum dicunt, O, nos ita edocti fuimus à majoribus: Regum etiam auctoritas accessit. Nam Propheta hic non de quibuslibet patribus disserit; sed patres eos intelligit, qui amplexi fuerant verum & purum Dei cultum, sicuti ex Lege edocti fuerant. Reges etiam eos imitatione dignos prædicat, qui pie coluerunt Deum ex doctrina Legis. Et ita excludit omnes patres, & Reges, qui degeneraverant à Lege Mosis. Tandem subjicit, *locum illum fuisse impletum sanguine innocentium:* quoniam scilicet illic mactabant filios suos. Et hac circumstantia rursus amplificat Jeremias crimen populi, quod non tantum Deum spreverint, & Legem ejus, sed etiam crudeliter interfecerint miseros illos infantes. Et ita reos convincit non tantum impietatis, & sacrilegii, quod Dei cultum vitiaverint: sed etiam immanis & barbaræ sævitiæ, quod non pepercissent sanguini innoxio.

Da omnipotens Deus, quando nobis dignatus es viam monstrare, in qua errare non poterimus, modo tibi obsequamur: da, inquam, ut vere nos tibi dociles tradamus & promptos ad obsequium, neque tentemus nisi quod scimus tibi probari, neque declinamus ad dextram vel sinistram, sed retineamus eum cultum quem nobis præscribis verbo tuo, ut ita certo testari possimus non tantum coram mundo, sed etiam coram te, & Angelis tuis, nos obedienter tibi obsequutos esse, & nihil admisceamus nostrum, sed tantum placidis animis te unum colamus, & studeamus nos totos tibi subjicere, donec tandem defuncti justo obsequio, per totum vitæ nostræ cursum, perveniamus in beatam illam quietem, quam nobis acquisivit Filius tuus sanguine suo, Amen.

*PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

6. Propterea ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & non (*hoc est, quibus non*) vocabitur locus hic amplius Topheth, & vallis filii Hinnom, sed vallis interfectionis.

Vidimus postrema lectione, Prophetam jussu Dei missum fuisse ad tabernam figuli, ut inde lagenam testaceam acciperet, deferret eam in Topheth, & illic exponeret judicium Dei, quod instabat propter violatum ejus cultum. Ostendit autem quid reprehensione dignum fuerit in Judæis, nempe quod suffitum facerent Baalim, extruerent sibi lucos, & excelsa, traducerent filios & filias per ignem: nec solum impii essent adversus Deum, sed etiam crudeles in animas innoxias. Jam ne quid excusationis prætexerent, simul etiam addebat, nihil tale venisse unquam Deo in mentem. quod notatu dignum est, quoniam hoc uno verbo fulminat Deus contra omnia figmenta, in

in quibus sibi placent homines. Ubi igitur nullum est præceptum, sequitur frivolum esse & inutile quicquid tentatur. Jam denunciat pœnam, quum dicit *venire dies*, aut venturos. *Venient* igitur *dies*, inquit, *quibus non vocabitur locus hic amplius Topheth, neque vallis filii Hinnom, sed vallis interfectionis.* Hoc Judæis erat incredibile. nam elegerant sibi locum illum, ubi superstitiones suas peragerent. Putabant igitur bonam partem salutis suæ fundatam esse in illo perverso cultu. Quod ad nomen תפת pertinet, quidam putant simpliciter accipi pro inferis, aut pro morte æterna. sed illud non potest ullo modo admitti. Magis probabilis est eorum sententia, qui deducunt à תף, quod significat tympanum. putant enim, quum jugularentur pueri, tympana pulsasse, ut non exaudiretur eorum clamor. Sed quia simplex est conjectura, nescio an alia fuerit nominis ratio. Quidam deducunt à יפה, quod significat decorum esse, & pulchrum. & videtur hæc etymologia aliquid habere coloris. Et forte ita debet accipi

Job. 17. vers. 6. 17. cap. libri Job, ubi conqueritur sanctus vir se fuisse in parabolam, & in omnium conspectu se fuisse תפת. Quanquam sunt qui תפת illic exponant, quasi portentum: ita in malam partem trahunt. Sed videtur potius esse antithesis, quod fuerit jucundum spectaculum prius, nunc autem sit omnibus detestabilis. Nam qui תפת illic accipiunt pro inferno, certe omni ratione carent, quod scilicet Job pereat videns & sciens, quemadmodum loquuntur. illud est coactum. Non dubito igitur quin dicat se fuisse prius תפת, hoc est, materiam lætitiæ & plausus: nunc autem se esse triste & lugubre spectaculum. Et certum est inditum fuisse nomen תפת valli Hinnom, quoniam inde oriebatur hilaritas & gaudium populi. Putabant enim Deum sibi esse propitium, quum tam sedulo peragerent illic sua sacrificia. atqui provocabant ejus iram. Topheth igitur in bonam partem debet accipi, si respicimus primam originem. Verum quidem est, 30. cap. vers. 33 Jesaiæ Tophetthe sumi pro gehenna: sed forte jam Prophetæ cœperant ita execrari locum illum, ut vocarent promiscue Gehinnom, & Tophetthe, vel Topheth ipsos inferos. nam & nomen gehennæ, ut alibi diximus, inde sumptum est. Est quidem corruptum, sed origo non est ambigua. Cur autem ita vocaverint Prophetæ, & alii fideles ipsos inferos, in promptu est ratio: quia scilicet diaboli regnabant in illo loco, ubi vitiatus fuerat Dei cultus, & tota religio eversa: maxime vero, quia altius infixa erat vulgi cordibus superstitio, quam ut revelli posset, nisi hyperbolica vehementia. Quicquid sit, colligere licet tam ex hoc loco quam ex aliis, impositum fuisse nomen valli à lætitia: quod scilicet putarent se prorsus felices esse, quoniam Deus esset illis placatus. Quid autem Jeremias? *Non vocabitur*, inquit, *amplius locus ille Topheth, neque vallis filii Hinnom, sed vocabitur vallis interfectionis.* Hoc, quemadmodum nuper attigi, Judæis fuit incredibile. Sed oportuit tamen Prophetam libere illis denunciare quod futurum erat. Postea sequitur,

7. Et exinaniam consilium Jehudah & Jerusalem in loco hoc, & prosternam eos in gladio coram inimicis ipsorum, & in manu quærentium animam eorum : & ponam cadaver eorum (*dabo*) in cibum volucri cæli, (*hoc est, avibus cæli: est enallage*) & bestiæ terræ. (*hoc est, bestiis.*)

Magis etiam exasperavit animos populi hæc amplificatio, quod scilicet frustra confiderent, locum illum sibi fore instar munitionis. Nam sicuti jam diximus, persuasi erant sibi abunde sufficere ad reconciliationem cum Deo, ubi liberis suis non parcebant, & tam ardenter peragebant suos cultus. Et hypocritæ hac fiducia semper fere superbiunt, quia præferunt quod illis placet Dei placitis: non respiciunt quid Lex jubeat, quid probet Deus ipse: sed sua ipsorum figmenta adorant. Quum igitur tali superbia inflati sint fere omnes superstitiosi, merito hic pronunciat Deus *se exinaniturum eorum consilia.* Certum quidem est nihil esse vel prudentiæ, vel consilii in miseris hominibus, dum ita excogitant novos & frivolos cultus. hæc enim sunt mera ludibria. Sed no-

Coloss. 2. vers. 23. tandum est quod dicit Paulus 2. capite ad Coloss. Omnia figmenta quæ sibi homines fabricant, habere speciem aliquam sapientiæ. Scimus enim quo feratur nostrum ingenium: ideo sapimus nobisipsis: & interea quicquid Deus præscribit, est quasi insipidum. Concedit igitur Propheta improprie nomen Consilii frivolis illis & inanibus commentis: sed non sine causa, quoniam experientia plus satis docet, homines semper sibi blandiri in suis superstitionibus: quia volunt Deum suo arbitrio quasi subjicere. Dicit igitur per concessionem, *irrita fore consilia totius populi, & præcipue urbis Jerusalem*, quæ aliis magistra erat errorum, quum tamen illic fulgere deberet Legis doctrina. Et forte etiam est allusio ad nomen illud, quod jam ante vidimus, & iterum postea repetet Propheta, בקבק. nam significat hoc Exinanire: tametsi putant quidam esse nomen factitium, quoniam dum evacuatur lagena, reddit hunc sonitum, bakbuk. Utcunque sit, tamen satis concinna est allusio. Subjicit postea, *Et prosternam eos in gladio coram inimicis eorum, & in manu eorum, qui quærunt animam ipsorum.* Secunda hac parte significat Propheta non vulgare fore odium, quo Judæos persequentur sui hostes. Bella interdum geruntur sic, ut contenti sint victores spoliis. sed significat Propheta fore tantam sævitiam in hostibus, ut vitam totius populi appetant, & ferantur ad mactationem: quasi diceret, fore hostes capitales, & prorsus implacabiles. Iterum repetet postea hanc loquutionem, & eodem sensu. Postea addit, *Ponam cadaver eorum escam avibus cæli, & bestiis terræ.* Diximus alibi, hoc etiam numerari inter pœnas, quæ divinitus infliguntur, ubi post mortem cadavera manent insepulta. nam hoc est ultimum humanitatis officium, sepelire mortuos. Et hoc etiam discrimen voluit Deus extare inter homines & bruta animalia. nam bruta animalia carent sepulchri honore. Hoc autem singulari privilegio concessum semper fuit hominibus, ut sepelirentur: nempe in spem futuræ resurrectionis. Ergo dum negatur sepultura, hoc est signum extremæ ignominiæ. Contigit quidem sæpe ut sancti caruerint sepulchro: sed filiis Dei temporales pœnæ semper in salutem vertuntur. Quantum ad reprobos spectat, etiam hac in parte considerandum est nobis Dei judicium, ubi projicit eorum cadavera, ut nihil differant ab asinis, aut aliis brutis animalibus. Sed quoniam hoc alibi fusius tractatum fuit, nunc leviter tantum attingo. Sequitur,

8. Et ponam urbem hanc in stuporem, & sibilum: quisquis transibit per eam, stupebit, & sibilabit super omnem plagam ejus.

Pergit in eadem denunciatione Jeremias. oportuit enim hanc amplificationem addi, ut penetraret in animos illos duros, & obstinatos. Si enim tantum uno verbo & vulgari forma denunciasset illis cladem & interitum urbis, & totius terræ, non fuissent commoti. Pluribus ergo verbis insistit ad majorem vehementiam. & semper loquitur in Dei persona, quo scilicet denunciatio plus habeat ponderis. *Ponam* igitur. deinde secunda etiam ratio notanda est: quia non satis fuit prædici Judæis cladem, nisi simul adderetur, infligi Dei manu: & ita justam esse pœnam scelerum. *Ponam* igitur *urbem hanc*, inquit, *in stuporem.* Nam ita hoc loco nomen שמה vertere necesse est, quia sequitur postea ratio, *Stupebit quisquis transibit per eam.* Addit etiam, *In sibilum*, quod potius est detestationis signum quam ludibrii. Potuit enim, & merito debuit terrorem omnibus incutere illa vastitas totius terræ, & ruina etiam sanctæ urbis, in qua sibi Deus elegerat domicilium. Dicit, *Quisquis transierit stupebit, & sibilabit super omnem plagam ejus:* quia scilicet non vulgaris futura erat calamitas, sed in qua perspicere liceret formidabile Dei judicium. Sequitur,

9. Et pascam eos carne filiorum suorum, & carne filiarum suarum: & vir carnem proximi sui comedent, (*hoc est, singuli comedent carnem proximi sui*) in afflictione & angustia, qua angent (*vel constringent*) eos hostes ipsorum, & qui quærent animam ipsorum.

Hic longius progreditur Propheta: nempe tam atrocem fore cladem, ut ne patres quidem & matres abstineant à liberis, quin devorent ipsorum carnes. hoc autem est prodigiosum. Contigit sæpe, ut in ultima desperatione viri uxores suas & liberos jugularent, (volebant enim eos eximere à libidine hostium) vel accenderent ignem in medio foro, ut conjicerent liberos in rogum, & uxores suas, & postea simul morerentur. sed hoc est magis barbarum & immane, patrem filii carne vesci. Ergo hic designat Propheta insolitam Dei vindictam, quæ non possit numerari inter calamitates, quæ contingunt generi humano. Scimus hoc etiam fuisse completum in ultima urbis obsidione. Josephus enim multis verbis prosequitur, quod bellumo impetu matres jugulaverint filios, atque adeo aliæ aliis fuerint insidiatæ, ut raperent frustum aliquod. fuit hoc etiam judicium horribilis Dei vindictæ. Sed non mirum est Deum tam atrociter ulcisci scelera eorum, à quibus tot modis, & tam diu provocatus fuit. Nam si conferimus Judæos cum aliis gentibus, certe eorum impietas, & ingratitudo, & contumacia superavit scelera omnium gentium. Merito igitur exegit Deus tales pœnas, quæ nec hodie quoque possunt referri sine magno nostro metu: siquidem totum hoc ejus judicio tribuitur: quia is est qui cibavit patres carne filiorum. nempe, ex quo immolaverant filios suos, & filias dæmonibus, ut ante dictum est, oportuit manifestam Dei vindictam quasi digito monstrari. Hoc factum est, quum insculpsit Deus in corporibus puerorum notas, quæ possent animadverti etiam ab ipsis cæcis. Subjicit, *In tribulatione & angustia, qua ipsos angent inimici.* Diximus sæpe huc necessitatis fuisse adactos, qui diu obsessi fuerant, nec poterant pares esse ad resistendum, ut eximerent à contumelia & uxores, & liberos, & seipsos: sed protrahere hoc modo vitam, prorsus est belluinum. Sequitur,

10. Et conteras lagenam in oculis virorum qui proficiscentur (*vel qui profecti fuerint*) tecum.

Adhibuit Jeremias testes, ut hæc confirmatio vaticinii testatior esset populo. Quod ad seriem historiæ pertinet, initio missus est ad tabernam figuli, unde accepit lagenam: postea venit ad Topheth, & illic concionatus est contra impias & perversas superstitiones: tandem ut obsignaret vaticinium, confregit lagenam coram testibus, quos secum adduxerat. Diximus autem ita agendum fuisse cum populo non tantum rudi & crasso, sed, quod deterius est, pervicaci. In signo quidem illo non tantum momenti fuit, ut inde colligerent interitum urbis, & totius terræ: sed tamen solennis hæc obsignatio vaticinii non debuit carere pondere suo. Hac igitur ratione jussus est vas confringere, nempe ut in re præsenti ostenderet propinquam Dei vindictam, de qua nihil Judæi suspicabantur. Sequitur,

11. Et dices ad eos, Sic dicit Jehovah exercituum, Ita confringam populum hunc, & urbem hanc, sicut quis confringit vas figuli, (*hoc est, vas testaceum, aut vas fragile, figulinum*) quod non poterit reparari amplius: & in Topheth sepelientur, quia non erit locus ad sepeliendum. *ad verbum, à non loco ad sepeliendum.*

Jam iterum confirmat Propheta quod ostenderat externo symbolo: idque facit ex novo mandato Dei. Scimus signa esse prorsus vana, ubi non prælucet sermo Dei: sicuti videmus superstitiosos homines semper uti multis ceremoniis. sed sunt histrionici lusus duntaxat. Deus autem nunquam Prophetis suis mandavit, ut signum aliquod ostentarent, quin accederet simul doctrina. Hoc etiam videmus nunc fieri. Nam Jeremias concionem habuit contra impias superstitiones: deinde tanquam præco cælestis, denunciavit pœnam: obsignavit illud vaticinium fracta lagena. Sequitur iterum repetitio doctrinæ. *Sic* ergo *dices ad eos.* Hic non loquitur de comitibus Prophetæ, sed relativum est sine antecedente, ut dicitur vulgo. *Loqueris ad eos*: hoc est, ad totum populum: *Jehovah sic dicit, Ego confringam populum hunc, & hanc urbem.* addit nomen urbis, in qua putabant se habere inexpugnabile præsidium, quod illic esset Templum Dei. Sed quoniam Templum profanaverant, & urbem inquinaverant suis sceleribus, ideo Jeremias admonet nihil fiduciæ aut spei ponendum esse in urbe illa. *Sicut ergo quis confringit vas quod non potest reparari.* hic etiam ostendit perituros in totum, ita ut non amplius resurgant. Scimus enim, etiam qui gravissime fuerunt aliquando afflicti, colligere tamen aliquas virium reliquias, & tandem restitui pristino vigori. Sed Propheta ostendit instare cladem prorsus incurabilem. Nec obstat, quod Deus populum ab exilio postea reduxit, quod urbs ædificata est simul cum Templo. Nam hoc nihil ad impios illos, quorum abolita fuit memoria. Incubuit igitur maledictio & vindicta Dei super eorum capita, qui ita obstinati fuerant in sceleribus. & ideo qui ab exilio reversi sunt, vocantur in Psalmo, Populus iterum creatus: quasi exorti
essent novi homines. Et populus qui creatus fuerit *Psal. 102.*
laudabit Dominum, Psal. 102. Dicit postea, *Sepe-* *vers. 19.*
lientur in Topheth, quia non erit locus alibi. Locum il-

lum elegerant, nisi haberent testimonium aliquod favoris Dei, & proinde materiam lætitiæ. Significat autem plenum fore locum illum cadaveribus. Nam turmatim illuc confugient. deinde urbs etiam erit plena cadaveribus, ita ut non reperiant alibi sepulchrum quam in Topheth. Sequitur,

12. Sic faciam loco huic, dicit Jehovah, & incolis ejus: & ad ponendum (*& ponam*) urbem hanc sicut Topheth.

Quia prius dixerat vallem illam fore locum stragis, ut inde nomen acciperet, idem nunc de urbe ipsa pronunciat. *Sicut ergo Topheth erit vallis interfectionis, ita & Jerusalem.* Non dubium est quin accensi fuerint in rabiem (ut videbimus etiam proximo capite) audito hoc vaticinio. Sed tamen voluit Deus, quoniam prorsus erant desperati, quamlibet refractarii essent, sentire ipsos quod instabat: & quamvis non crediderint verbis Prophetæ, tamen pupugit Deus, imo vulneravit lethaliter conscientias eorum, ut ante ipsam experientiam essent miseri. Eodem sensu etiam addit,

13. Et erunt domus Hierusalem, & domus Regum Jehudah, sicut locus Topheth, immundæ: ad omnes domos in quibus suffitum fecerunt super tecta eorum universæ militiæ cælorum, & libarunt libamen diis alienis.

Prosequitur, ut dixi, pluribus verbis quod breviter complexus fuerat. Loquutus enim fuerat de urbe. Sed quia difficile erat illud persuasu, jam species ipsas enumerat: quasi diceret, Jerosolymam esse urbem latam, & splendide extructam. erant enim multæ illic præclaræ domus, & speciosæ: erant regia palatia. Dicit autem non fore hæc omnia obstaculo, quo minus Deus totam urbem diruat. & hoc notatu dignum est. Scimus enim Satanam perstringere nobis oculos quoties sese ingerunt aliqua, quæ spem faciant munitionis. Nam quicquid minetur Deus, putamus esse vanum, & quasi fabulosum, vel saltem friget apud nos. Ergo quum tam crassa hypocrisis regnaret in cordibus populi, merito excussit illis Propheta quicquid poterat eos fallere: & ideo dicit, *fore domos omnes Jerosolymæ*, quarum magna erat copia, deinde magnus etiam splendor: fore domos regum Jehudah, hoc est, palatia omnia vel in urbe, vel extra urbem: *fore sicut locum Topheth*: quoniam scilicet nulla domus immunis erit à strage: nullum palatium poterit suos habitatores protegere. Dicit *fore immundas*, nempe propter acervum cadaverum: quia ubique jacebunt homines occisi. hoc autem pro pollutione vel inquinamento sæpe Scriptura accipit, ut satis notum est. *Ad omnes domos*: alii vertunt, Propter omnes domos: & ל sæpe est causalis particula. Sed videtur potius expositive hic capi: & ideo vertere placuit, *Ad omnes domos*, ut Propheta extendat suum sermonem ad omnes domos, *in quibus suffitum fecerant*. Quoniam igitur nulla domus pura erat à facrilegio, ideo dicit vindictam Dei penetraturam esse absque exceptione in omnes domus. Dicit etiam, *Super tecta*, ut illis exprobret suam impudentiam, quod scilicet turpitudinem suam extulerint instar vexilli, ut procul spectari posset. Putabant quidem Deum oblectari tali cultu: sed unde tam stulta persuasio, nisi ex Legis contemptu? nisi etiam ex furiosa audacia, quod plus fidei habebant suis commentis, quam certæ veritati? Ergo merito exprobrat illis Propheta, quod pudore omni abjecto, *conscenderint super tecta*, ut apertius esset ipsorum flagitium. Dicit, *Toti militiæ cælorum*. postea, *Etiam fudisse libamen diis alienis*. Videmus multas superstitionis species regnasse in populo illo. nam loquutus est de Baal in numero singulari: posuit etiam Baalim pro patronis. Jam addit *totam cælorum militiam*, hoc est, solem, & lunam, & omnes stellas. Videmus ergo ut nullum fecerint modum Judæi suis sacrilegiis: quod accidere etiam solet omnibus impiis. nam simulatque deflectere cœperunt homines à puro & genuino Dei cultu, demersi sunt in profundissimas abyssos. Hanc igitur intemperiem nunc designat Propheta, quum dicit cumulatos vel coacervatos fuisse varios cultus, ita ut totidem sibi fabricarent Judæi deos, quot sunt in cælo stellæ: sicuti etiam alibi dicitur, Secundum *Supra 2. vers. 28.*
numerum urbium tuarum, Jehudah, sunt dii tui. Ego *& 11:13.*
statueram absolvere hoc caput, sed non possens.

Da omnipotens Deus, quando nobis regulam præscribere dignatus es, qua vere & pure te colamus, ut nos exerceamus in hac simplicitate, neque indulgeamus nostris figmentis, neque pro nostra libidine, vel perversa carnis nostræ prudentia tecum ludamus: sed persistemus in Lege tua, & simul etiam in ea doctrina, quam nobis tradidit Filius tuus unicus Magister noster, quo magis ac magis proficiamus in cognitione ejus gloriæ, cujus nobis nunc gustum præbes. donec tandem plene, & in solidum ipsa fruamur, quum erimus collecti in regnum illud cæleste, quod nobis peperit Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA QUINTA

IN

JEREMIAM.

14. Et venit (*reversus est*) Jeremias è Topheth, quo miserat eum Jehovah ad prophetandum: & stetit in atrio domus Jehovæ, & dixit ad totum populum,

15. Sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël, Ecce ego adduco super urbem hanc, & super omnes urbes ejus omne malum quod loquutus sum super eam, quia obduraverunt cervicem suam, ut non audirent sermones meos.

Adductus fuerat Jeremias in rem præsentem, quum prædixit pœnam, quæ instabat propter superstitiones Topheth, aut vallis Hinnom. Nam quo efficacior esset doctrina, voluit eum Deus concionari coram altari ipso, & in valle illa, quæ tunc celebris erat propter impios & perversos cultus. Nunc narrat se venisse ad Templum, & eadem se mandata pertulisse. Hinc colligimus quantus fuerit stupor, & quanta vecordia populi: quia non supervacua fuit repetitio ejusdem vaticinii. Sed quia sciebat Deus Judæos plus satis tardos esse, voluit bis ipsos commonefieri à servo suo,

suo, & quidem diversis locis. *Reversus est Jeremias è Topheth*, inquit, *quo miserat eum Deus ad prophetandum*: ne putemus scilicet habitam fuisse absque judicio concionem illam in valle Hinnom. Deus ergo mandavit Jeremiæ, ut illic quasi in re præsenti denunciaret Judæis suum interitum. *Stetit in atrio domus Jehovæ*. nam quia non licebat populo ingredi in Templum, solebant haberi sacri conventus in atrio ipso, quod erat pars Templi. Ergo *stetit illic Jeremias*, quia non debuit cum paucis, vel in obscuro angulo verba facere, sed totum populum habere testem sui vaticinii. Cæterum, nihil novum hic legitur, quia ut dictum fuit, bis jussus fuit prædicere futuram cladem, quoniam ita obduruerant Judæi, ut non facile moveri possent. Quod alias urbes adjungit Jerosolymæ, non mirum est. Sed significat totam terram obnoxiam esse judicio Dei, & proinde vastitatem omnibus urbibus vel oppidis instare: quasi diceret, Non parcet Deus Jerosolymæ, quamvis hactenus fuerit ejus Sanctuarium: sed quoniam minores urbes non sunt innoxiæ, sentient etiam simul manum Dei cum ipsa Jerosolyma. Ratio subjungitur, *Quoniam obduraverunt cervicem suam*. Iterum confirmat quod ante vidimus, eos scilicet non errore lapsos fuisse, sed contumacia: quoniam satis edocti erant ex Lege quid rectum esset: deinde sæpius admoniti fuerant à Prophetis. Hinc igitur apparuit eorum pravitas, & indomitum ingenium, quod non audierint sanam Legis doctrinam, & tot monitores. Hic autem locus docet non relinqui veniæ locum, ubi quasi ex professo rejicimus jugum Dei. & hoc diligenter notandum est, quia videmus quam difficile sit subigere homines, etiam dum fatentur esse Dei sermonem, quem audiunt. Quum igitur ingenita sit hæc perversitas toti humano generi, ut vix centesimus quisque patiatur se gubernari Dei verbo, expendere convenit quod hic dicitur, nempe indignos esse misericordia, qui cervicem suam obdurant: quemadmodum etiam dicitur Psalmo 95. Ne obduretis corda vestra, sicut patres vestri. Et sequitur etiam clarior definitio: *Ut non audirent sermones meos*, inquit. nam etsi in cunctis mortalibus est aliqua durities, tamen ubi in medium profertur salutis doctrina, neque admittitur: illic magis se prodit impietas & superbia, quum scilicet audiunt loquentem Deum homines, & tamen volunt eum fraudare jure suo. Sequitur ergo, quo manifestius Deus veritatem suam profert, eo minus esse excusationis: quia tunc maxime detegitur impietas, & indomabilis contemptus. Nunc sequitur, *Psal. 95. vers. 8.*

Cap. XX.

Et audivit Phassur filius Immer Sacerdos, & ipse præfectus erat (*dux*) in Templo (*in æde*) Jehovæ, Jeremiam vaticinantem (*prophetantem*) hos sermones.

2. Et percussit Phassur Jeremiam Prophetam, & posuit eum in cippum, (*vel in carcerem: sed mihi magis placet nomen carceris*) qui erat in porta Benjamin superiore, quæ spectabat ad ædem Jehovæ.

Hic refert Jeremias qualem mercedem sui vaticinii retulerit, nempe quod percussus fuerit, & conjectus in carcerem, non à Rege, vel ejus consiliariis, sed à Sacerdote, cui mandata erat Templi cura. Fuit hæc gravis & acerba tentatio, quum servus Dei videret hostiliter sævire unum ex ordine illo sacro contra se qui tribulis erat & collega. Neque enim Sacerdotes qui tunc erant, fuerant temere creati: sed Deus ipsos elegerat. Quum ergo auctoritas eorum fundata esset in Lege, & inviolabili Dei decreto, potuit Jeremias consternari animo. Nam hæc cogitatio poterat subire in animum: Quid sibi voluit Deus, quum Sacerdotes Templo suo & toti populo præfecit ex tribu Levi? cur igitur non gubernat eos suo Spiritu? cur non reddit ad obeundum munus idoneos? cur patitur ita profanari Templum suum, & sacrum munus, quod tantopere Lege sua nobis commendat? saltem cur non porrigit mihi manum qui & Sacerdos sum, & versor sincere in mea vocatione? Scimus enim quid præcipiat Deus in Lege, nempe ut summum judicium sit penes Sacerdotes,
Deut. 17. vers. 12. Quicunque non obedierit, ut morte plectatur. si Deus voluit tanto jure præditos esse Sacerdotes, & tanta potestate, cur non igitur simul gratia sua eos direxit, ut probe exequerentur munus sibi injunctum? Neque solus Jeremias potuit moveri & concuti hac tentatione: sed etiam quicunque tunc vere colebant Deum. Exiguus quidem erat piorum numerus: sed certe nemo fuit quem non terreret tam horribile spectaculum. Non erat Phassur summus Sacerdos, sed erat tamen ex ordine primario: deinde erat præfectus Templi, hoc est, vicarius summi Sacerdotis. Et probabile est, Immer ejus patrem fuisse summum Sacerdotem. quicquid sit, excelluit ille non tantum inter Levitas, sed etiam inter præcipuos Sacerdotes. Hic autem insurgit adversus Jeremiam ejusdem ordinis & familiæ: nec tantum ore symmystam suum condemnat, sed tumultuose agit: quia percutit Prophetam: hoc fuit indignum ejus persona, & alienum à jure sacræ societatis. nam si mala fuisset causa Jeremiæ, debuit tamen Sacerdos sequi aliquam moderationem: potuit conjicere in carcerem Jeremiam, ut causa cognita deinde damnaretur, si ita meritus esset. Percutere autem non est Sacerdotis, sed tyranni, vel latronis, vel hominis furiosi. Hinc colligimus quanta fuit rerum omnium perturbatio illo tempore. Nam in Republica bene constituta Judex non exiliet è solio, ut percutiat eum qui dignus erit centum mortibus. est enim legitima aliqua ratio servanda. Jam si Judex, quem Deus gladio armavit, non debet ita iram suam exercere, & sine judicio uti gladio, certe hoc abhorret prorsus ab officio Sacerdotis. Res igitur plusquam confusas tunc fuisse oportet, quum Sacerdos ita se projecit. Et ex hac præcipiti iracundia, etiam colligimus quanta fuerit tunc penuria bonorum virorum. Electus fuerat qui præesset Templo. Ergo præ aliis excelluit non tantum gradu honoris, sed etiam aliqua existimatione, & aliqua specie virtutum. Videmus autem quomodo eum diabolus abripiat. Hæc exempla diligenter expendere convenit: quia contingit interdum ut in Ecclesia Dei exoriantur magni tumultus: & qui debent esse moderatores, illi ferantur cæco, & quasi rabioso impetu. Possemus tunc labascere, & prorsus etiam concideret fides nostra: nisi succurrerent hæc exempla, quæ demonstrant olim etiam tentatos fuisse fideles, & exercitatam fuisse eorum fidem ejusmodi certaminibus. Nec supervacuum est quod dicitur, *Percussit Phassur Jeremiam Prophetam*. Si quemlibet è vulgo percussisset, fuisset hoc magis tolerabile, quanquam semper indignum gravitate officii. sed ubi ita insolescit adversus Dei servum, & qui pridie obierat Propheticum munus, hoc minus excusabile est. Ergo hæc etiam circumstantia notanda est, quod ausus fuerit Sacerdos ille percutere Dei Prophetam. Jam sequitur, *quod conjectus fuerit ab ipso Jeremias in carcerem*. Sed notandum est etiam illud, *quod audierit*, priusquam

ita impetuose contra ipsum insurgeret. Debuit certe moveri tali vaticinio: quod insanit, & non dubitat afficere injuria Prophetam Dei, hinc apparet quanta sit eorum stupiditas, qui semel obduruerunt ad Dei contemptum. nam etiam pessimos quosque terrebit Dei judicium ubi denunciatur. Phassur autem audit Jeremiam denunciantem quid immineat: & tamen adeo non movetur, ut magis ac magis sese projiciat. Quum ergo ita intemperanter ruit contra Dei Prophetam, audito ejus sermone, hinc apparet, diabolico furore fuisse prorsus excæcatum. Simul etiam videmus Dei contemptores miscere lucem tenebris. Voluit enim Phassur tegere suam impietatem colore aliquo: & ideo conjecit Jeremiam in carcerem. hoc enim modo testatus est se velle cognoscere de causa, quia postridie eum eduxit è carcere. Sic ergo impii semper integumentis suam impietatem conantur involvere: sed nihil proficiunt. Hypocrisis enim Phassur nimis fuit crassa, dum Jeremiam in carcerem conjecit, ut postea vocaret ad dicendam causam: quia jam ipsum percusserat. Insolentia igitur illa superior tollebat omnem rationem judicii. Ergo quod Phassur deinde confugit ad aliquam formam juris, hoc totum nimis frivolum est. מהפכת quidam vertunt Compedem, alii Cippum, & existimant fuisse ligna inter se compacta, sic ut foramen unum collum includeret, deinde alia duo includerent manus. Sed nescio an hoc conveniat. Dicit enim hic Jeremias, fuisse מהפכת in porta Benjamin superiore. Hoc certe neque de compedibus, neque de catenis, neque de cippo commode posset prædicari. sequitur ergo fuisse potius locum carceris. Vocat *portam Benjamin*, quæ tendebat ad tribum Benjamin. Scimus enim partem unam Jerosolymæ fuisse attributam Benjamitis. Duas habebant portas: porta hæc fuit superior, versus Orientem scilicet. Dicit *portam illam spectasse in ædem Jehovæ*, quoniam præter atrium erant in toto circuitu Templi multa atriola: quemadmodum satis notum est. Sequitur,

3. Et accidit postridie, (*die crastino*) ut educeret Phassur Jeremiam è carcere: & dixit ei Jeremias, Non Phassur vocavet Jehovah nomen tuum, sed potius Terrorem undique.

Non dubium est quin Phassur alios ex ordine Sacerdotali vocaverit, qui disquirerent melius de causa. Fuit igitur speciosus hic color: quasi non vellet temere nec indicta causa damnare sanctum Prophetam. Sed breviter tantum narrat Jeremias se fuisse eductum ex carcere. Interea colligimus non fuisse dimissum, quia vocatus est in conspectum Phassur, ut illic rationem vaticinii sui redderet. Verum hic ostendit Propheta, se neque fractum, neque debilitatum fuisse animo, quamvis tam contumeliose fuisset tractatus. Sustinuerat enim colaphos, & verbera: deinde fuerat inclusus in carcere. Scimus ingenuis naturis tales injurias esse ita acerbas, ut fere concidat si quid fuerit virtutis. Atqui suo exemplo nos docet Jeremim, non debere minui nostram constantiam, quamvis mundus multis probris nos oneret, ac fere obruat. Tenendum igitur est, magnitudinem animi non debere vel concidere, vel imminui in servis Dei, quantumvis inique & probrose tractentur à mundo. Nam Jeremias egressus è carcere, multo liberius loquitur quam antea. Neque tamen erat extre periculum. Cresçunt animi ubi quis potitus victoria potest tuto & secure insultare suis hostibus. Atqui Jeremias adhuc erat captivus, quanquam eductus esset è carcere. Poterat enim paulo post iterum conjici, & multo crudelius tractari quam ante. Sed neque injuria quam perpessus est, neque metus etiam novæ contumeliæ ipsum deterret, quin libere denunciet Dei judicium impio Sacerdoti. Talis ergo magnanimitas decet omnes Dei servos, nempe ut non erubescant, neque etiam mollescant, vel debilitentur animis, quum mundus indigne & probrose ipsos tractat, neque etiam expavescant ad ulla pericula: sed intrepide pergant in cursu sui officii. Secundo notandum est, Dei Prophetam hic claudere oculos ad splendorem illum Sacerdotalis officii, qui alioqui poterat obstare quo minus pronunciaret Dei judicium. Et hoc diligenter notandum est. Scimus enim impios semper latere sub larvis: quemadmodum Papa hodie cum toto illo putido clero quid aliud obtendit, quam nomen Ecclesiæ catholicæ? & perpetuum Sacerdotium? & Apostolicam dignitatem? Certe Phassur erat ex ordine Sacerdotali. Tota Scriptura quid sit Papatus, non meminit, nec docet: quin potius totam fæcem illam repudiat. Sacerdotium autem Leviticum, sicuti dixi, erat fundatum in Lege Dei. Et tamen Jeremias, quia instructus est Dei mandato, non dubitat conspuere in faciem Sacerdotis, & tractare eum ut meritus est. Tunc ergo rite & probe fungemur munere Prophetico, si nullus sit apud nos respectus ullius personæ: neque moremur externas larvas, quibus impii decipiunt simplices, & superbiunt adversus Deum, ubi arripiunt falso ejus nomen. Dicit autem, *Jehovah non vocavit nomen tuum Phassur, sed Terrorem undique.* alii vertunt, Quia tibi terror erit undique: sed male. sequitur enim proximo versu causæ redditio, quæ satis explicat Prophetæ sensum. Non dubium est, quin Jeremias ad nomen Phassur respexerit: alioqui hoc esset frigidum, imo ineptum, *nomen tuum non vocabitur Phassur, sed Terror undique.* Exponunt Interpretes nomen Phassur Principem crescentem, vel qui extendat principatum: & deducunt à פשה, quod est Crescere, & in transitiva significatione Extendere. Et addunt nomen שר, quod significat Principem, extendens principatum, vel Princeps qui crescit: ita vertunt. Sed quia in puncto esset aliquid scrupuli, nescio an etymologia illa conveniat. mihi certe magis placet deduci à פשח, quod est Scindere. Semel quidem invenitur in Scriptura: sed apud Chaldæos magis est receptum. Quicquid sit פשח, apud Jeremiam nempe Lamentationum tertio capite, sumitur pro Scindere. Hinc etiam per metaphoram significat aperire. & potest quiescere א in secunda voce, ut sit Scindens, vel aperiens lucem. Hæc ratio me movet, atque etiam cogit, ut ita interpreter, *Terror undique.* Non dicit fore terrorem: sed מסביב, hoc est, Undique terrores ipsum obsideant: vel, undique ut nullus sit egressus. Quum ergo esset honorificum nomen Phassur quasi aperiret lucem, hoc est, proferret: (nam nota est illa metaphora, ubi scindendi significatio traducitur ad aperiendum.) Quum ergo impositum esset illi nomen, quasi proferret lucem, dicit Jeremias, *Vocaberis posthac Undique terror*, hoc est, terror, qui circumveniat, atque obsideat, ut nullus pateat exitus. Videmus antithesin optime quadrare inter apertionem lucis, & inter terrorem, qui undique comprimat, ita ut nulla sit apertio, vel exitus. & sequitur ratio:

4. Quia sic dicit Jehovah, Ecce ego pono te in terrorem tibi & omnibus amicis tuis: & cadent per gladium hostium tuorum, oculi tui videntes: (*id est, oculis tuis videntibus*) & totum Jehudah tradam in manum Regis Babylonis, & transferet eos (*vel traducet*) Babylonem, & percutiet eos gladio.

Hic

Hic pluribus verbis explicat Jeremias, cur dixerit Phassur fore undique terrorem: quia scil. erit & sibi, & suis omnibus amicis in metum. Videbit enim se urgeri Dei vindicta, & aliis omnibus erit spectaculo. In summa, significat Jeremias, talem fore Dei vindictam, quæ tam ipsi Phassur, quam aliis omnibus formidinem incutiat, quoniam Phassur agnoscet se manu Dei premi, neque poterit effugere: alii etiam omnes idem cernant. Sibi igitur, & aliis fuit spectaculo, quoniam non potuit, quantumvis obduruisset, non sentire vindictam Dei: & hoc quidem aliis omnibus fuit conspicuum. *Ecce ego*, inquit, *te ponam in terrorem tam amicis tuis quam tibi: & amici tui cadent per gladium inimicorum, oculis tuis videntibus: totum etiam Jehudam tradam in manum* Repetit quod dixerat. nam Phassur volebat censeri patronus totius terræ, & præcipue urbis Jerosolymæ. Quum ergo susciperet causam populi, quasi esset patronus omnium, ideo dicit Jeremias omnes Judæos fore captivos: neque id modo, sed etiam instare aliquid gravius: quoniam ubi Rex Babylonis eos traduxerit in exilium, etiam gladio percutiet. non quidem omnes: sed scimus editas fuisse atroces pœnas tam in Regem, quam in ejus filios, & Proceres, ut soli plebeii sua obscuritate tecti evaderent: ac qui ex vulgo elapsi sunt, quorum nulla erat nobilitas vel fama, id adscribere possent suæ teouitati. Sequitur,

5. Et ponam totam fortitudinem urbis hujus, & omnem laborem ejus, & omne pretiosum ejus, (*vel omnem gloriam*) & omnes thesauros Regum Jehudah ponam in manum inimicorum ipsorum, & spoliabunt ipsos, & tollent eos, & abducent eos Babylonem.

Prosequitur eandem sententiam, sed pluribus verbis amplificat quod dixit ad confirmationem. Quanquam minime dubium est, quin magis exasperatus fuerit Phassur, quum audiret tam graves minas. Sed ita oportet accendi magis ac magis furorem omnium impiorum. Quamvis ergo centies crepare debeant, non tamen desistendum est à libere prædicatione. Hæc ratio est, cur Propheta nunc fusius describat futurem cladem Urbis. *Ponam*, inquit, *totam fortitudinem*: sed metaphorice capitur interdum hoc nomen pro divitiis vel opibus. *Fortitudinem* igitur *ponam*, vel substantiam *urbis hujus*, *& totum laborem ejus*. Hoc secundum gravius est, ubi diripitur quod acquisitum fuit magno labore. Si quis enim citra molestiam sit dives, hoc est, si cui obvenerint divitiæ vel jure hæreditario, vel sine ullo sudore, & cure, ille non adeo excruciatur, si contingat ipsum nudari. Sed qui tota vita cum magno sudore sibi peperit quod putabat sibi fore in subsidium vitæ, ille magis angitur, atque etiam cruciatur si adveniant hostes, qui prædentur & diripiant omnia. Non dubium igitur est, quin labor etiam ut aliis pluribus Scripturæ locis, ponatur hic ad amplificationem. Postea addit, *omne pretiosum ejus, atque adeo thesauros Regum Jehudah traditum iri in manum hostium, qui transferent* non tantum divitias, laborem, & thesauros, sed etiam ipsos homines, *& abducent Babylonem*. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, ne nostra pervicacia magis provocemus iram tuam, sed quoties nobis minaris, ut statim expavescamus & trepidemus ad verbum tuum: deinde subjiciamus nos tibi vera spiritus mansuetudine: & ita expavescamus ad minas tuas, ut præveniamus judicium tuum vera pœnitentia: & ita studeamus glorificare nomen tuum, ut sis etiam nobis in fortitudinem & gloriam: & possimus vere non solum coram mundo, sed etiam coram te, & Angelis tuis gloriari, nos esse populum illum peculiarem, quem dignatus es tua adoptione, ut tu nobis prosequaris usque ad finem cursum gratiæ tuæ, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA SEXTA

IN

J E R E M I A M.

6. Et tu Phassur, & omnes habitatores domus tuæ (*hoc est, omnes domestici tui*) venietis in captivitatem: tu venies Babylonem, & illic morieris, & illic sepelieris, & omnes amici tui, quibus vaticinatus es in mendacio.

Nunc Jeremias denunciat ipsum Phassur documento fore, quam vere prædixerit excidium Urbis, & vastitatem totius terræ. Prius quidem refutaverat ejus vanitatem, sed nunc in medium proponitur ejus persona: quia oportuit ipsum esse singulari exemplo, unde omnes cognoscerent, timendum fuisse judicium Dei: quum ille impostor blanditias faceret. Denunciat autem Jeremias, *Venturum esse in captivitatem Phassur cum omnibus suis domesticis*, nempe ut tota familia sit quasi in theatro posita, & illic conspiciant omnes Judæi quod Phassur conatus fuerat in nihilum redigere. Sciant ergo omnes Judæi fuisse illum falsum vatem. Sed quod sequitur posset movere quæstionem: quia loco pœnæ denunciat Jeremias Phassur sepultum iri in Babylone, postquam illic mortuus fuerit. Dixerat autem prius, Dabo cadavera eorum in cibum avibus cæli, & bestiis terræ: nunc quod numerari debet inter Dei beneficia, absurdum est loco pœnæ à Propheta censeri. Sed primo notandum est, Deum non semper æquales, vel simili modo sumere pœnas de impiis. Vult aliquos projici insepultos, quia indigni sunt communi illa beneficio generis humani: alios autem vult sepeliri, sed in alium finem. Nam in voce שם, illic, est aliquod pondus, quia opponitur Babylon terræ sanctæ. Quicunque sepeliebantur in terra Chanaan, etiam in morte ipsa habebant pignus æternæ hæreditatis: quia ut satis notum est, hac lege Deus volebat ipsos quum viverent, frui habitatione terræ, ut aspirarent in cælum. Sepulchrum igitur in terra Chanaan fuit quasi visibilis tessera adoptionis Dei, acsi colligerentur filii Abrahæ in ejus sinum, donec resurgerent in beatam & immortalem vitam. Ergo quum Phassur sepultus est in Babylone, fuit quasi extraneus ab Ecclesia Dei. & fuit hæc quædam forma abdicationis, quasi Deus palam afficeret eum nota infamiæ. Si quis excipiat, idem etiam contigisse & Danieli, & optimis quibusque Dei servis, imo Jeremiam ipsum sepultum fuisse in Ægypto, quod longe deterius fuit: responsio facilis est, nempe temporales pœnas, quæ cedunt electis, & filiis Dei in salutem, quodammodo mutare in ipsis naturam. Tenendum quidem est, pœnas omnes esse testimonia iræ & maledictionis Dei. Quicquid ergo acci-

accidit nobis malorum in hac vita, debet numerari inter fructus peccati, quasi Deus ostenderet se palam iratum. hoc unum est. Ergo si considerentur in se paupertas, & fames, & morbi, & exilium, & mors denique ipsa, semper dicemus esse Dei maledictiones, nempe quemadmodum dixi, ubi æstimantur in sua natura. sed Deus consecrat in filiis suis pœnas: ita ut vertantur in salutem, & desinant hoc ipso esse maledictiones. Quoties ergo pronunciat Deus, Tu jacebis insepultus, non mirum est si hæc ignominia sit testimonium iræ ejus, & signum maledictionis. Quoties etiam olim ita loquutus est, Tu sepelieris extra terram sanctam, fuit etiam illa maledictio: verum quantum ad reprobos. Interea Deus convertit in salutem electis suis quicquid alioqui erat male-
Rom. 8. vers. 28. dictum. Et huc pertinet illa Pauli sententia, Omnia cedere in bonum, & salutem fidelibus, qui Deum diligunt. Nunc ergo tenemus cur dicat Propheta *Phassur sepultum iri in Babylone.* Nec dubium est, quin plus ignominiæ fuerit in illa sepultura quam si projectus fuisset, & statim voratum fuisset ejus cadaver à belluis. Voluit enim Deus ipsum locare in sublime, ut diu omnes converterent oculos suos in
Psal. 59. vers. 12. ipsum: quemadmodum dicitur in Psalmo, Ne occidas Deus, quia populus tuus posset oblivisci. Voluit igitur Deus memoriale quoddam in vita & morte Phassur statuere, ut ipsa diuturnitas magis populum afficeret. Quanquam si libeat Sepeliendi verbum largius accipere, nihil erit absurdi: quasi dictum esset, Jacebit illic cadaver tuum donec computrescat. Deinde addit Jeremias, *Tu, & amici tui, quibus prophetasti in mendacio.* Hic etiam locus docet rependi justam mercedem impiis, qui cupiunt sibi fieri blanditias, ubi duplex Dei judicium sustinent. En ergo quid proficiant omnes impii, dum quærunt adulatores, qui ipsis mira promittant, nempe hoc modo accersunt sibi graviorem vindictam: ac quo magis student procul abigere Dei judicium, non dubium est, quin illud accendant, ac duplicent. Hæc ratio est, cur specialem pœnam denunciet Propheta amicis Phassur, quibus vaticinatus fuerat: quoniam scilicet libenter arripuerant falsas illas promissiones, quibus ipsis blanditus fuerat, ut Deum secure contemnerent. Quum ergo ita optassent ultro se decipi, oportuit converti in eorum perniciem blanditias illas, quibus abutebantur, & quas solebant opponere quasi clypeum omnibus minis Propheticis. Sequitur nunc,

7. Decepisti me Jehovah, & deceptus sum: vim intulisti mihi, & fuisti superior: fui in ludibrium toto die, (*vel quotidie, hoc est, assidue*) omnes subsannant me.

Quidam existimant hæc non fuisse dicta spiritu Prophetico: sed Jeremiam cæco & inconsiderato impulsu futiliter loquutum esse: quemadmodum etiam præstantissimi quique interdum rapiuntur nimio impetu. quasi ergo tentatio labefactasset animum Prophetæ, existimant conquestum esse apud Deum: Quid Domine? ego te sequutus sum ducem: atqui tu mihi pollicitus fueras quæ non experior. ergo videor jam mihi deceptus. Alii etiam durius expo-
Eze. 14. vers. 9. nunt, quod Propheta fuerit deceptus, sicuti alibi dicitur, Ego sum Deus qui decepi Prophetam illum. Sed minime dubium est, quin ironica sit loquutio, quum dicit *se fuisse deceptum.* Suscipit igitur hostium suorum personam, qui jactabant illum temere vaticinari de Urbis clade & interitu, quoniam nihil tale futurum esset. Propheta hic pronunciat Deum esse auctorem suæ doctrinæ, nec sibi posse quicquam exprobrari, quod non recidat in ipsum Deum: quasi diceret frustra Judæos litigare, acsi certamen illis esset cum homine mortali: quoniam palam suscipiunt bellum cum Deo, & furiose cælum ipsum impetunt quasi Gigantes. Dicit igitur se fuisse deceptum, non quod ita sentiat. Nam erat sibi optime conscius: nec tantum habebat Spiritum Dei testem vocationis suæ: sed in corde gestabat firmam doctrinæ obsignationem. Ac vero quemadmodum jam dixi, refert eorum verba, qui quum oppugnarent ejus doctrinam, negabant esse servum Dei, & detrahebant illi fidem, acsi esset merus impostor. Cæterum magis emphatica est hæc loquutio, quam si absque figura dixisset: Domine non sum deceptus, quia tantum parui tuo imperio, & sumpsi abs te quicquid protuli in medium, neque ego me temere ingessi: neque adulteravi doctrinam, cujus me voluisti esse præconem. fideliter igitur functus sum meo munere. Si ergo ita loquutus fuisset Propheta, minus fuisset vehementiæ, quam dum ita coarguit blasphemias eorum, qui Deum audebant reum facere, dum fido ejus servo objicerent crimen pseudoprophetæ. Nunc ergo tenemus cur ironice loquutus sit, & expostulaverit libere cum Deo, quod esset ab ipso deceptus, nempe ut sentirent Judæi se non evomere convitium illud adversus hominem mortalem, sed Deum ipsum, qui futurus esset vindex tantæ injuriæ. Si quis nunc interroget an debuerit Propheta se ita facere Dei socium, in promptu est solutio, nempe fuisse causam ejus ita conjunctam cum Dei causa, ut inseparabile esset vinculum. Neque enim loquitur hic Jeremias ut privatus quispiam, multo minus ut unus quilibet è vulgo: sed quia scit divinitus approbari suam vocationem, ideo non dubitat sibi Deum adjungere, ut commune sit opprobrium. Deus enim non potest divelli à veritate sua: nec vero quicquam ei fit reliquum, si abstrahitur à suo sermone. Quare merum est figmentum quicquid homines animis concipiunt de ipso Deo, ubi negligunt speculum illud, in quo se patefecit. Quin potius sciamus quicquid est in Deo potentiæ, majestatis, gloriæ, ita fulgere in ejus verbo, ut Deus nihil sit, nisi verbum ipsum maneat salvum, & integrum. Quum igitur Propheta instructus esset certo mandato, non mirum est quod tam audacter insultat hostibus suis, & dicit Deum esse impostorem, si ipse deceptus fuit. Huc etiam spectat Paulus, quum dicit, Si Angelus Gal. 1: 8.
è cælo descendat, & aliud vobis Euangelium annunciet, sit anathema. Certe Paulus erat inferior Angelis: & scimus non fuisse ita superbum, ut detraheret Angelos è cælo, ac sibi subjiceret: minime: sed non spectavit quisnam esset ipse, sed quia obsignata erat in corde ejus Euangelii veritas, cujus erat præco, non dubitat verbum attollere supra omnes Angelos. Ita etiam nunc Jeremias ostendit *Deum fuisse mendacem si ipse deceptus fuit.* quare? Deus enim abnegaret seipsum, si fidem detraheret verbo suo. Nunc ergo tenemus, Prophetam non excessisse modum, ubi ausus est in sublime se efferre, ut quodammodo esset socius Dei, nempe in ipsa doctrina, cujus Deus erat auctor, ipse vero minister. Sed ex hoc etiam loco utilis doctrina colligitur, quicunque prodeunt ad docendum, debere ita esse certos suæ vocationis, ut non dubitent provocare ad Dei tribunal quoties lis aliqua inciderit. Verum quidem est, etiam optimos Dei ministros posse aliqua in parte vel falli, vel suspenso esse judicio: sed quantum ad summam vocationis & doctrinæ, requiritur hæc certitudo, quam nobis suo exemplo demonstrat Jeremias. Postea adjungit, *Tu vim mihi intulisti.* Quum diceret *se fuisse deceptum*, sic resolvi debet oratio: Deus, si ego sum impostor, tu me præcedis: si ego fefelli, tu me superas: quoniam abs te mutuatus sum quicquid habeo. sequitur ergo, te vocari in crimen, & minus esse excusabilem, quam ego sum, si qua est in me culpa. Postea, quemadmodum dixi, auget illud, *quod Deus vim ipsi fecerit*, quemadmodum
ante

ante vidimus. Neque enim appetiverat munus Propheticum, sed coactus illud obierat, quoniam non poterat rejicere impositum sibi onus, vel excutere. Duo igitur ea primis, Quod non protulerit sua commenta, neque fabricaverit pro suo arbitrio quod dicturus erat, sed fuerit organum Spiritus Dei, & quasi de manu in manum tradiderit quod acceperat. hoc unum est. Deinde adjungit, si data illi fuisset libera optio, non suscepturum fuisse munus Propheticum, quia nonnisi violenter tractus hac in parte obedierit Deo. Nunc ergo tenemus Jeremiæ consilium. Si quis interroget, an hoc laudi sit ducendum, quod nonnisi coactus obierit munus Prophetæ: responsio facilis est, hic non statui generalem regulam, quasi omnibus sit necesse, trahi invitos. Sed quoniam hoc habuit Jeremias, etiamsi hac in parte non caruerit vitio, potuit tamen merito id testari coram hominibus. Vidimus autem initio libri, quum Deus illum præficeret doctorem Ecclesiæ suæ, recusasse quantum in se erat. Ha, ha, ha, Domine: nescio loqui, dicebat. Quoniam ergo imperio Dei coactus fuit & quasi violenter raptus, etiamsi quid hac in parte fuerit vitii, vel infirmitatis: tamen hoc non abs re objecit suis hostibus. Postea addit *se fuisse ludibrio assidue, & derisum ab omnibus*. Hic non dubium est quin Propheta tentaverit, an adhuc aliqua pars populi esset sanabilis. fuit enim hoc ad movendos animos efficax quum audirent Deum fieri reum mendacii, vocationem ejus everti libidine hominum & audacia. Quum ergo hoc audirent, certe si qua fuisset gutta veræ pietatis, vel sanæ intelligentiæ, debebant terreri. Voluit igitur Propheta periculum facere an aliqui adhuc essent sanabiles. Sed interea voluit etiam ostendere inexpiabile esse eorum scelus, qui ita impie & superbe adversabantur doctrinæ ejus. Et hoc diligenter notandum est. Neque enim hæc sententia tantum scripta est ut erudiamur in timore Dei, sed Spiritus sanctus assidue clamat contra omnes contemptores, & palam eos accusat, quod Deo contumeliam hanc tam atrocem inferant, acsi esset mendax, & impostor. Sciamus igitur hic denunciari horribile judicium profanis omnibus, qui Dei verbum contemnunt, & ludibrio habent: quia Spiritus sanctus per os Jeremiæ apud tribunal Dei, quemadmodum dixi, aperte clamat Deum fieri reum mendacii. Postea sequitur,

supra 1. vers. 6.

8. Quia ex quo loquutus sum, vociferor violentiam, & vastationem clamo: quia fuit sermo Jehovæ mihi in opprobrium, & in contumeliam toto die. (*vel, quotidie, assidue, ut dictum est.*)

9 Et dixi, (*Itaque dixi: copula enim illativam valet*) Non recordabor, & non loquar amplius in nomine ejus: & fuit in corde meo quasi ignis ardens, clausus in ossibus meis, & fatigatus sum ferendo, & non potui.

Hic Propheta dicit se adeo nullum sentire fructum ex labore suo, ut videat omnes conatus & studia potius in contrarium cedere: quoniam exasperet cunctos Judæos, deinde inflammet eorum rabiem, & impellat eos ad majorem peccandi licentiam. Itaque dicit *sibi fuisse propositum deserere munus illud sibi injunctum*, sed impulsu arcano coactum fuisse ad perseverantiam: & ita non fuisse liberum, desistere ab incepto cursu. Varie autem sumitur hic versus, *Ex quo loquutus sum, vociferor violentiam, & clamo vastationem*. Quidam enim ita accipiunt, quod ex quo cœpit Jeremias docere, fuerit querulus: quia videbat se hostiliter impeti, & expositum esse omnibus injuriis. illud est, meo judicio, nimis frigidum. Alii propius ad verum accedunt, quod scilicet non destiterit clamare contra violentias & rapinas, quum videret grassari omne scelerum genus in populo: quasi diceret, Ego non potui placide ipsos docere. neque enim erant tali ingenio: sed coëgit me ipsorum improbitas vehementius agere: quemadmodum omnes Dei servi debent prudenter respicere quid ferat Ecclesiæ status. Nam si in rebus tranquillis vellemus vociferari, esset hæc affectatio putida: quemadmodum multi inconsiderate semper clamitant, & tamen sine materia. Cæterum, ubi videmus Satanam regnare, hic non cessandum est, neque agendum tanquam in media pace: sed quia apertum est bellum, ideo necesse est vociferari. Intelligunt ergo illi Jeremiam clamasse, quoniam videbat præfractum esse populum illum: deinde videbat eo rem esse prolapsam, ut non possent revocari ad bonam frugem sine maxima gravitate, & vehementia. Verum potius existimo, Prophetam alio genere tentationis fuisse perculsum, nempe quod accerseret majorem Dei vindictam suis clamoribus: quasi diceret, Quorsum ego Deum armabo meis concionibus? quando nihil aliud proficio, nisi ut crescat ira ejus, quæ tandem fulminet, ac consumat totam hanc terram una cum populo. Dicit igitur *se clamare violentiam & vastationem*, quia ipsa impietas sit quasi quædam hostilis violentia ad Deum provocandum. Summa est, Prophetam non alium se videre fructum laboris sui, nisi quod homines redduntur insolentiores, & ex furibus latrones fiunt, & ex contumeliosis fiunt sicarii, ita ut magis accendant iram Dei, & seipsos magis projiciant. Est autem hæc valde periculosa tentatio: ideo non mirum est quod dicit Propheta, *Sibi in animum venisse, abjicere docendi munus*. Et hic locus apprime observatu dignus est. neque enim soli doctores tanguntur hoc affectu, sed omnes pii sine exceptione. Nam ubi videmus verbo Dei homines quasi rapi in deterius: incipimus dubitare an expediat potius sepultam esse omnem Dei memoriam, & verbum ejus extinctum, quam dari hominibus plus licentiæ, quum jam satis superque propensi sint ad peccandum. Ut hodie videmus doctrinam Euangelii adeo non redigere omnes in obsequium, ut multi magis effreni licentia sese proripiant, quasi jam ablatum esset jugum omnis disciplinæ. In Papatu fuit aliquis metus, fuit aliqua species obedientiæ & subjectionis: nunc libertas Euangelii quid aliud est multis, quam bruta licentia, ita ut impune peccent, & misceant cælum terræ? Alii etiam quum vident tot esse controversias, hoc prætextu abjiciunt omnem curam, & omne studium pietatis. Alii phrenetici spiritus sibi permittunt omnia in dubitationem trahere, & disputare an sit aliquis Deus. Quum igitur videmus non esse talem effectum doctrinæ, qualis optandus esset, necesse est eos qui alioqui firmi sunt, tandem vel concuti, vel labascere. Ideo hic locus magis notandus est, quum fatetur Jeremias se fuisse consternatum, quia videbat sermonem Dei esse ludibrio, & ita voluerit è cursu vocationis suæ desistere. Sciamus quoties idem in mentem nobis venit, fortiter esse resistendum. Et ideo hæc simul connecti debent, *quod dixerit Non recordabor amplius, neque loquar in ejus nomine: sed fuerit sermo Dei quasi ignis ardens*. Videmus ergo ut Deus cohibuerit servum suum, ne præceps rueret, vel succumberet tentationi. Absorptus enim fuisset statim hoc quasi profundo gurgite, nisi occursum fuisset divinitus. Ideo quoties nobis obrepunt ejusmodi tentationes, petamus à Deo, ut nobis frenum injiciat: deinde ut nos sustineat, vel si jam fuerimus lapsi, ut nos attollat sursum: deinde confirmet Spiritu suo. Ratio autem ostenditur, qua Deus opitulatus est servo suo, nempe

quod

quod fuerit sermo Dei tanquam ignis ardens in corde ejus: deinde, *quod inclusus fuerit in ossibus ejus*: ita ut fervore illo impelleretur, neque sui esset compos, donec perrexit in officio sui cursus. Concludit *se fuisse fatigatum*, vel se ægre tulisse, *ferendo*: quasi diceret, non fuisse arbitrii sui vel supersedere à doctrina, vel exequi quod mandabat Deus: quoniam fervor ille igneus ipsum impulerit ad pergendum. interea dubium non est quin respexerit contemptores illos, quibuscum habebat negotium. Tantundem igitur est acsi diceret se expertum fuisse quid sit habere totum mundum sibi adversum: *sed Deum fuisse superiorem*. Hoc autem ideo dicitur, quoniam profani homines hinc captant ansam securitatis, dum imaginantur Prophetas, & Doctores esse quasi stupidos: O, quid morabimur fanaticos, qui non sunt præditi communi sensu? Nec vero mirum est, si pro suo stupore ita excandescant, sint impetuosi, si susque deque habeant omnes alios, si nihil resipiant humanum. Quoniam igitur fingunt sibi quosdam stipites, dum loquuntur de servis Dei, qui privati sunt communi prudentia: ideo dicit Propheta, Certa fallit vos opinio. ego enim non sum ita ferreus, quin tactus fuerim multis cogitationibus. Imo didici & scio quanta sit mea infirmitas, neque dissimulo me fuisse obnoxium & timori, & ægritudini, & aliis passionibus: *Sed Deus prævaluit*. Non est igitur quod putetis me tam intrepide loqui, quoniam nihil humanum vel patiar, vel sentiam: sed postquam luctatus sum. Postquam mihi omnia in mentem venerunt, quæ possent debilitare animi mei fortitudinem. Deus tamen manum mihi porrexit: neque id tantum, sed coactus sum. ne scilicet hic arroget sibi, & glorietur de heroica aliqua fortitudine. *Ego*, inquit, *non fui superior*; sed quum Deo me subducerem, & quum cuperem renunciare vocationi meæ, tractus sum tamen, & Deus violenter mecum egit: *Quia sermo ejus fuit tanquam ignis ardens in corde meo*: ita tandem ebulliente illa violentia spiritus, coactus sum progredi in officio meo. *Dixi* igitur, *Non recordabor amplius, & non loquar in nomine Dei*. non quod Propheta vellet sibi, & aliis inducere oblivionem Dei, sed quia putabat se perdere operam, adeoque frustra tumultuari, quum clamaret sine profectu, neque id modo, sed etiam exasperaret improbos magis ac magis: quemadmodum ulcus dum premitur, egerit purulentam materiam, sic etiam magis ac magis detegebatur impietas populi, quum Propheta coargueret scelera, quæ prius latebant. Jam ergo discamus exemplo Prophetæ, quoties nobis objiciet Satan, vel etiam caro nostra, desistendum esse à prædicatione cælestis doctrinæ, quoniam non pariat justos & legitimos fructus, nihilominus esse odorem bonum coram Deo, etiamsi lethalis sit improbis. Necesse est igitur Evangelii doctrinam multis esse mortiferam: sed tamen non ideo vilescit opera nostra coram Deo. Scimus enim nos gratum offerre Deo sacrificium: & quamvis labor noster sit inutilis, respectu hominum; esse tamen fructuosum in gloriam Dei: & dum sumus odor mortis in mortem iis *2 Cor. 2. vers. 16.* qui pereunt, Deo tamen gratam esse nostram operam hac quoque in parte. Cavendum etiam est ne Deo nos subtrahamus, sed etiamsi multa occurrant quæ moreantur cursum nostrum, ut tamen superemus Spiritus ejus virtute. Et simul metuendum est, ne nostra ignavia sepeliamus fervorem, de quo hic Propheta loquitur. Videmus quid ipsi Jonæ acciderit. Eo prolapsus est, ut prorsus esset desertor officii sui, suffocando, quantum in se erat, Dei judicium. Ac quum esset profugus, putavit se esse extra peri- *Jona 1:3.* culum acsi remotus foret à Dei conspectu. Deus quidem videbat, sed interea sermo Dei non fuit quasi ignis ardens. Quum ergo tantus vir sua ignavia, quantum in se erat, extinxerit lucem Spiritus sancti, quantopere metuendum est, ne idem nobis contingat? Ergo excitemus scintillas fervoris illius, donec nos inflammet, ita ut nos totos Deo fideliter addicamus in obsequium: & siquando erimus pigri, nosipsos extimulemus: atque ita emergat hæc vis Spiritus sancti, ut usque ad finem persequamur munus nostrum, neque unquam resistamus: quin etiam insultemus constanter toti mundo, ubi scimus Deum nobis esse auctorem, & exigere à nobis quicquid alii improbant.

Da omnipotens Deus, quando hodie major & fœdior prorumpit impietas, quam ullis unquam seculis, & à multis diaboli mancipiis ludibrio habetur sacrosancta tua veritas: ut nihilominus constanter pergamus in ea assidue, nec dubitemus nos opponere furoribus omnium impiorum, & virtuti Spiritus tui innitentes certemus donec solidam suam auctoritatem obtineat ea doctrina, quam semel voluisti promulgari per Prophetas tuos, & tandem per unigenitum Filium tuum, & quæ nobis sancita est ejus sanguine, ut sicuti multis cedit in æternum interitum, ita etiam sit nobis in pignus æternæ salutis, donec in eam colligamur adventu ejusdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA SEPTIMA

IN

J E R E M I . A M.

10. Quia audivi contumeliam multorum, terrorem undique, Nunciate, & nunciabimus ei: omnis vir (*id est, omnes homines: homo pacis ad verbum*, אנוש. *Omnes homines*) pacis meæ (*id est, familiares mei, qui debuerant colere mecum amicitiam*) observant latus meum, (*vel claudicationem metaphorice, & melius*) si forte erret, & sumamus ultionem nostram ex eo.

PRosequitur suum sermonem Jeremias, & coram Deo accusat hostes suos, quod indigne cum ipso litigent, quamvis nihil tale de ipsis sit meritus, quia studuerit consulere ipsorum saluti, quantum in se erat. dicit igitur *se audivisse obtrectationem multorum*: quanquam posset etiam verti Magnorum. Sed melius convenit prior expositio, quia sequitur continuo post *fuisse undique terrore circumdatum*, dum scilicet omnes uno consensu ipsum impetebant. Dicit igitur *se constrictum fuisse undique terrore*, quum videret tantam multitudinem sibi esse adversam, & infestam, solus autem staret à parte sua. Adjungit, hostes suos fuisse insidiatos, & captasse omnes occasiones ejus perdendi. *Nunciate, & nunciabimus ei*. Hic autem suscipit illorum personam, & refert quod illi inter se agitabant. Non dubium est, quin Proceres, & Sacerdotes hic loquentes inducat, qui captabant materiam accusandi sancti viri. scimus enim quid fieri soleat in ejusmodi conspirationibus: discurrunt gregarii homines, & hinc inde aucupantur omnes rumusculos, postea deferunt, & ex eorum delatione capitur consilium. Quoniam ergo

ergo non decebat Proceres, & Sacerdotes ista levitas, ut cursitarent, & inquirerent ea quibuslibet obviis quid dixisset Jeremias, ideo quasi sedentes hic loqui facit, *Ite, & referte ad nos: deinde nunciabimus Regi.* est enim hic subaudiendum Regis nomen, quia relativum ponitur sine antecedente. *Venite* igitur, *& nunciate, & nunciabimus ei.* Nunc tenemus qua de re expostulet Jeremias, nempe quod non tantum multos haberet hostes sibi obtrectantes, sed quod etiam insidiose illum circumvenire cuperent. Adjungit quod deterius est, nempe non tantum ab extraneis, vel qui palam erant inimici se fuisse tam injuste tractatum, sed à suis familiaribus: vocant enim Hebræi, Homines pacis, domesticos & qui conjuncti sunt aliqua necessitudine: Homo pacis meæ, in quo sperabam, dicitur in Psalmo. sed loquutio illa frequenter occurrit. *Psal. 41. vers. 10.* Denique significat Jeremias, non modo se obrutum quodammodo fuisse ingenti copia hostium, sed fuisse etiam destitutum ab omnibus amicis: quia perfide ipsum prodebant. Dicit *observasse latus suum*, vel claudicationem: alii vertunt, Contritionem: sed Claudicatio vel debilitas magis convenit. Et metaphora hæc etiam aptissima est: ducitur à latere: qui autem vel claudicant, vel præ debilitate vacillant, illi inclinant nunc in unum latus, nunc in aliud. Ita dicit Jeremias *se fuisse observatum. Si forte*, inquiunt, *erret.* Iterum suscipit illorum personam. *Ergo observemus an claudicet vel aberret à via, & ita prævaleamus ei.* Denique ex his verbis colligimus, non modo crudeliter vexatum fuisse sanctum Dei servum aperto Marte, & ab hostibus professis, sed etiam insidiose fuisse captatum, & perfide ab hominibus simulatis, qui fingebant se amicos, quum tamen essent hostes deterrimi. Ergo si nunc quoque adoriantur nos fraudulenti homines clandestinis suis artibus, & alii palam nos oppugnent, sciamus nihil novum nobis contingere: quia utroque genere pugnarum exercuit Deus Jeremiam: vidimus etiam hoc fuisse tritum omnibus improbis, ut scilicet captarent aliquem prætextum calumniæ in singulis syllabis: simulac Prophetæ os aperuerant, nihil poterant dicere, quod non statim raperetur in sinistram partem: & ideo conqueritur Micheas se eodem etiam artificio fuisse petitum: *Mich. 2.* quia si severe loquebatur, clamabant omnes ipsum esse auctorem tumultuum in populo, & nihil aliud quærere quam res novas, ita ut turbato Urbis & Regni statu, pessundaret omnia. Si ergo nunc patitur Deus nos exerceri talibus insidiis, æquo & quieto animo ferenda est talis indignitas: quia nemo Propheta ab hoc incommodo, & ab hac molestia fuit immunis. Addunt, *Sumamus ultionem nostram ex eo*, quasi vero ulla esset ipsis ulciscendi causa. quid enim deliquerat Jeremias? qua in re ipsos offenderat? quum ergo nihil passi essent injuriæ, tamen seipsos ad ultionem provocant. Sed non mirum est ita loquutos fuisse tunc impios, & Dei contemptores: scimus enim ut existiment se graviter lædi, quoties attrectantur eorum vulnera. nam reprehensiones quantumvis sint justæ, & necessariæ, convitia reputant. Hinc fit igitur, ut furor ipsos ad ultionem appetendam accendat, quum tamen nihil illis injuriæ fuerit illatum. Postea adjungit,

11. Atqui Jehovah mecum tanquam Gigas fortis, (*aut terribilis*) propterea persequutores mei ruent, & non prævalebunt, pudefient valde, quia non prudenter agunt, (*vel non prospere succedet illis*) opprobrium seculi, (*id est, perpetuum: subaudiendum est, quod*) non oblivioni tradetur.

Hic Propheta omnibus machinis opponit Dei auxilium. Quamvis ergo ab una parte clam ipsum captarent perfidiosi amici, ab altera autem palam eum oppugnarent manifesti hostes, non dubitat sibi in uno Deo satis fore præsidii. Et sic omnino agendum est, quoties Satan excitat improbos, qui vel fraudibus, vel aperta sævitia nos oppugnent, ut sit tunc nobis instar muri ahenei, quemadmodum loquuntur, unus Deus. Sed primo statuendum est, eum stare à parte nostra. neque enim potentia Dei ad nos animandos quicquam valeret, nisi essemus fundati in hoc principio, nempe illum nobiscum stare. Quomodo autem concipi debeat hæc fiducia, paulo post videbimus. Dicit *persequutores suos ruituros, ut non prævaleant, sed pudefiant.* Videmus quam multi persequuti fuerint sanctum virum: deinde quibus armis instructi essent: pollebant enim magna potentia, deinde præditi erant dolis, & insidiis. Propheta autem contentus est unius Dei auxilio, & intrepide colligit *ipsos ruituros*: quia fieri non possit, quin Deus superior sit. Ergo quoties nobis pugnandum erit cum mundo, & cum diabolo ipso, ejusque mancipiis: hoc primo loco nobis occurrat, Deum stare à parte nostra, ut causam nostram defendat, & salutem nostram tueatur. Hoc posito, secure insultabimus & fraudibus & violentiæ omnium hostium: quia fieri non potest, quin Deus dissipet, prosternat, evertat, imo etiam redigat in nihilum eos omnes, qui contra ipsum insurgunt. Et dicit *opprobrium quo tegentur fore perpetuum, quod nunquam in oblivionem veniet.* vidimus enim paulo ante etiam ipsum Prophetam oneratum fuisse multis contumeliis. Sed quoties patitur Deus servos suos obnoxios esse maledictionis improborum, postea opportune succurrit: ideoque certo sperandum, ut brevi discutiat tanquam nebulas omnes illas vituperationes. Quoniam igitur Deus, quemadmodum dicitur in Psalmo, producit innocentiam piorum instar *Psal. 37. vers. 6.* auroræ, quæ momento uno emergit, dum videtur terra quasi tenebris sepulta: ideo ex opposito Propheta dicit *opprobrium illud æternum fore, quo Deus operiet omnes impios.* Jam sequitur,

12. Et (*vel, Tu autem*) Jehovah exercituum probans justum, videns renes & cor: videbo ultionem tuam ex ipsis, quia tibi patefeci litem meam. (*jus meum, causam meam.*)

Hic breviter demonstrat Propheta quomodo audeat objicere hostibus suis Dei nomen, & auxilium. hypocritæ enim sæpe jactant, Deum sibi auxiliatorem fore, sed falso obtendunt ejus nomen. Ergo hæc ratio probe expendi debet, quum Propheta ostendit se non falso, nec temere prætexere quod jam dixit, nempe Deum esse instar robusti Gigantis, qui facile prosternet omnes improbos: quia scilicet audeat eum constituere & testem & judicem suæ integritatis. Ergo si cupimus nobis Dei nomen præsto esse ad repellendas omnes machinas, quæ nobis intentantur à diabolo, discamus nos illi offerre probandos, ut vocet ad serium examen omnes sensus nostros & affectus. Jam primo loco tenendum est quod docet Propheta, nempe nihil Deo esse absconditum. nam huc etiam progredi non dubitant hypocritæ, ut se Deo probandos offerant: sed interea non expendunt quod hic dicitur, Deo scilicet nihil esse absconditum. sunt multi recessus in corde hominis, & scimus omnia illic plena esse involucris: interea autem Deus est [illegible], probat corda & renes. Sub Renum nomine Hebræi comprehendunt omnes sensus reconditos. Ergo hoc exordium tenendum est, quod scilicet Propheta apud se agnoscit, Deo non posse fu-

cum fieri, & homines fallaciter agendo nihil apud eum proficere, quoniam penetret usque ad intimos sensus, & discernat inter cogitationes, & affectus. Adjungit *examinari justos à Deo.* Subest antithesis, quia hominum judicium fere est occultare: ubi enim apparet species aliqua probitatis, statim absolvitur qui talis apparet, etiamsi cor ejus sit duplex, & refertum multa perfidia. Significat igitur Propheta, ubi ventum est ad tribunal Dei, neminem illic absolvi, nisi qui & cor purum, & sinceram integritatem afferat. Jam exurgit ad majorem fiduciam: dicit enim *se visurum ultionem Dei.* Nunc ergo videmus unde Propheta conceperit materiam fiduciæ, nempe quia penitus seipsum excusserat, idque coram Deo: non adhibuerat testes duntaxat terrenos, neque conscenderat theatrum, ut colligeret vulgi favorem: sed sciebat se Deo esse probatum, quod esset sincerus atque integer. Et merito simul adjungit, *quod Deo patefecerit causam suam*, vel litem suam. Iterum subest antithesis: nam qui feruntur aura populari, non possunt acquiescere in Dei judicio, & ambitio semper homines abripit tanquam ventus, ita ut non in se consistant. hinc fit, ut non magni ponderis sit apud ipsos vel conscientiæ testimonium, vel judicium Dei. Propheta autem dicit *se patefecisse causam suam Deo.* Siquis objiciat, idem & hypocritas facere: respondeo, Quamvis in illis cernatur quædam æmulatio, tamen nihil esse firmum: quia quamvis jactent se Deum habere testem, & approbatorem suæ causæ, futiliter loquuntur apud homines: nemo autem erit qui seorsum ita cum Deo agat. Quamdiu igitur ostentationi dediti sunt, non patefaciunt causam suam Deo, utcunque appellent Deum, & provocent ad ejus tribunal, & asserant se nihil aliud habere propositum, quam ut ejus gloriæ serviant. Qui ergo hæc ad suam commoditatem plenis buccis detonant coram mundo, non tamen manifestaot Deo causam suam, sed obtendunt frivola & inani jactantia ejus nomen. Quid est igitur Deo patefacere causam suam? nempe ubi nemo adest testis, sed unus Deus nobis occurrit ante oculos: si tunc in precibus audemus hoc in medium afferre, Domine, tu mihi conscius es integritatis meæ, tu nosti nihil aliud latere in corde meo quam quod apud te nunc depono: hoc est vere Deo causam suam patefacere, ubi scilicet nullus habetur hominum respectus, sed contenti sumus unius Dei judicio. In hunc modum recitat Propheta *se Deo litem suum vel causam patefecisse.* & id etiam oportuit, quia vidimus omnes ordines fuisse ei adversos. Quum igitur necesse haberet ad unum Deum confugere, merito etiam dicit se detulisse causam. Jam quod dicit *se visurum ultionem Dei*, opponitur hoc ultioni perversæ, cujus nuper facta fuit mentio. dicebant enim scelerati, Sumemus ultionem nostram: dicit Propheta, *Videbo ultionem tuam Domine.* Quum dicit *se visurum*, perinde est acsi manus haberet ligatas. Nam ita sponte sibi temperant fideles: quoniam sciunt se probiberi Dei mandato, ne vindictam sumant de hostibus suis. Quantum igitur interest inter facere, & videre, Propheta hic se ab improbis, & audacibus discernit, quod scilicet non sumpturus sit ipse vindictam pro iracundiæ suæ impetu, *sed quod tantum visurus sit.* deinde nominat *vindictam illam Dei*: quia homines spoliant Deum jure suo, quoties seipsos ulcisci voluot pro sua libidine: quemadmodum etiam dicit Paulus, Date locum iræ. ubi horta- Rom. 12.
tur fideles ad tolerantiam rationem illam proponit, vers. 19.
non aliter dari locum judicio Dei. nam antevertimus quoties erumpimus ad vindictam, perinde acsi unusquisque nostrum conscenderet Dei tribunal & sibi arrogaret illius officium. Nunc ergo tenemus quid sibi velit loquutio illa. Cæterum, simul notandum est, non appetendam tamen esse vindictam Dei, nisi de reprobis, & desperatis. neque enim dubium est, quin Propheta misertus fuerit hostium suorum, & si fuissent sanabiles, quin optaverit ut Deus quoque illis esset propitius, & misericors, quemadmodum jam antea vidimus. Quid ergo sibi vult ultio, de qua hic loquitur? nempe spiritu Prophetico agnovit illos prorsus esse deploratos: deinde etiam, quia animus ejus erat compositus ad rectum zelum, potuit illis imprecari Dei vindictam. Nunc si quis Prophetæ exemplo velit omnes hostes suos esse perditos, & velit similiter Deum armare adversus ipsos, faciet hoc præpostere: neque eoim nostrum est, ante tempus statuere quinam sint reprobi, & desperati, donec nobis hoc compertum fuerit, debemus bene precari omnibus sine exceptione: & debet etiam quisque expendere, quo zelo feratur, ne scilicet turbulenti affectus nos rapiant, ut fieri solet: adhæc, ne zelus noster sit inconsideratus. Denique nisi certum sit nobis zelum nostrum dirigi à spiritu rectitudinis & prudentiæ, nunquam appetenda est nobis vindicta de hostibus. Postea adjungit,

13. Canite Jehovæ, celebrate Jehovam, quia eripuit animam miseri (*vel afflicti*) è manu sceleratorum.

Hic Propheta erumpit in apertam lætitiam, & non tantum privatim agit Deo gratias, quod liberatus sit ab insidiis & violentia malorum, sed alios etiam secum advocat & hortatur ad canendas laudes: quasi diceret dignam esse hanc liberationis gratiam, de qua non tantum ipse gratus sit Deo, sed quæ celebretur etiam omnium ore. quemadmodum etiam dicit
2 Cor. 1. Paulus primo capite secundæ ad Corinthios: Ut per
vers. 11. multos, inquit, ubique inter omnes ecclesias gratiæ agantur Deo. Nec dubium est, quin Propheta expertus fuerit Dei auxilium, quod tam magnifice nuper extulerat. Quum ergo reipsa sensisset Deum fuisse victorem, & ejus invicta potentia defensam fuisse salutem contra omnes reprobos, hine factum est ut plena fiducia erumperet in hoc canticum, & socios optaret habere omnes pios Dei cultores. Interea si quando in angustias redacti, videbimur esse quasi rejecti à Deo ipso, expectemus tamen patienter, dum nos eripiat è manu sceleratorum: nisi enim præcederet miseria & afflictio, nunquam satis agnosceremus Dei potentiam in nobis servandis. Ita fatetur Jeremias, se ad tempus fuisse miserum & oppressum, tandem ereptum fuisse, quum impii & scelerati putarent se esse victores. Jam sequitur exclamatio, quæ videtur prorsus contraria:

14. Maledictus dies, quo natus sum: (*in eo, sed abundat*) dies quo peperit me mater mea, non sit benedictus.

15. Maledictus vir, qui nunciavit patri meo, dicendo, Natus est tibi filius masculus: quoniam (*vel quando*) lætificavit eum. (*hoc est, quum vellet exhilarare patrem meum*)

16. Et sit vir ille quasi urbes, quas perdidit Jehovah, & non pœnituit: & audiat clamorem mane, & tumultum tempore meridiano. (*hoc est, in meridia ipsa*)

Videtur, quemadmodum jam dixi, Propheta secum pugnare. nam à lætitia & gratiarum actione mox prosilit ad diras & execrationes. quid autem minus consentaneum? si dicimus fuisse impulsum nova tentatione, hoc parum videtur esse firmum, & tamen hunc nodum ita communiter solvunt Interpretes. Sed mihi videtur hæc levitas indigna esse sancto viro, quod ab illa celebratione gratiæ Dei statim quasi sui oblitus ad imprecationes ita prorumpat. Ego itaque non dubito, quin hic commemoret Propheta, quam graviter fuerit vexatus suis cogitationibus. Pendet igitur hic totus locus à gratiarum actione, quia amplificat liberationem, cujus nuper meminit, quod scilicet retractus fuerit quasi ab ipsis inferis. Ita recitat posteriore loco quod ante acciderat: quasi diceret, Quum nunc prædico me fuisse ereptum divinitus è manu sceleratorum, nondum satis exprimo magnitudinem gratiæ, donec clarius intelligant omnes pii quantos & quam horribiles cruciatus perpessus fuerim, nempe ut maledixerim natali meo, & detestatus fuerim quicquid debebat me stimulare ad Deum laudandum. In summa, hic Propheta docet, non tantum se fuisse oppugnatum ab hostibus, sed fractum etiam intus animo, ita ut sine ratione & judicio sequeretur turbulentos illos impetus, qui tamen cogebant ipsum erumpere usque ad fœdas blasphemias. Neque enim extenuari potest quod hic dicitur, quin Propheta gravissime peccaverit, ut esset contumeliosus in Deum: sunt enim desperati hominis voces, quum maledicit diei quo natus est. Soliti enim semper sunt homines celebrare suum natalem, & hoc fuit receptum olim communi usu, nempe ut quotannis agnoscerent se debere Deo inæstimabile bonum, quod producti essent in hanc lucem vitalem. Quum igitur hæc sit materia gratiarum actionis: ubi convertimus in maledictionem, quod debebat nos incitare ad laudandum Deum: hinc apparet nos neque mentis, neque rationis amplius esse compotes, sed hunc esse quasi sacrilegum furorem. & tamen eousque delapsus est Propheta. Ergo hinc colligimus quanta sollicitudine debeat quisque nostrum circumspicere, ne abripiamur immodico affectu, ut sumus intemperantes. Interea fateor, & diligenter etiam notandum est, rectum fuisse principium hujus zeli. Quamvis ergo Propheta Deo oblique maledicat, tamen simul fontem considerare oportet. neque enim maledixit natali suo, vel quod affictaretur continuis morbis, vel quod non posset ferre pauperiem & inopiam, vel quod privatis suis incommodis tangeretur: nihil tale fuit in Propheta: sed quoniam videret se perdere operam, quum tamen fideliter studeret eam impendere in salutem populi: deinde quum videret doctrinam Dei obnoxiam esse probris & vituperationibus: quum videret impios ita procaciter insurgere: quum videret totam pietatem ita haberi ludibrio. Hæc igitur fuit doloris causa: hinc factum est, ut sanctus vir angeretur. unde satis apparet, rectum fuisse principium zeli. Sed ita monemur quantopere quisque nostrum debeat sibi esse suspectus. nam ut plurimum, dum & vitæ nos tædet, & mortem optamus, & detestamur mundum, & lucem hanc, & omnia Dei beneficia, unde ita impetuose impellimur, nisi quod vel fastidium in animis nostris regnat? vel non possumus æquo animo ferre contumelias? vel quod nobis dura est paupertas, vel quod aliæ molestiæ nos nimium gravant? nemo impellitur zelo Dei. Quum igitur Propheta, qui neque seipsum respexit, neque habuit privatam sui vel commodi vel damni rationem, tamen ita exasperatus fuerit & exarserit, imo correptus fuerit tam violento impetu: certe eo majore cura intentos nos esse decet ad frenandos nostros affectus: & quamvis multa quotidie nobis accidant quæ possent vel tædium vitæ generare, vel obruere nos tanto fastidio, ut omnia sint nobis detestationi, militandum est contra affectus nostros. quod si ne primo quidem congressu possimus nos domare, & subigere etiam illos violentos impetus, saltem exemplo Prophetæ sensim discamus nos corrigere, donec nos exhilaret Deus, ut liceat exurgere in lætitiam, & canticum gratiarum actionis.

Da omnipotens Deus, quando nunc etiam circumstant nos virulentæ linguæ, & diabolus multos habet mercenarios, quibus nihil aliud propositum est, quam clamoribus pervertere quicquid recte ex teipso sumptum est, & ex ore tuo profectum: da, inquam, ut constanter spernamus tales insidias, deinde etiam ut stemus infractis animis contra omnes violentas machinationes: & pergamus in cursu sanctæ tuæ vocationis, donec reipsa tandem agnoscamus, nunquam destitui tuo auxilio qui in te sperant, & fideliter se totos tibi addicunt: ac demum perfuncti nostra militia, colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis parta est Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA OCTAVA IN JEREMIAM.

HEri diximus describi hoc loco affectum Prophetæ prorsus incompositum: quia non dubium est, quin ipse etiam fateri voluerit, se fuisse abreptum quadam intemperie, ita ut non esset sui compos. redundat enim contumelia in Deum, ubi quispiam maledicit natali suo. Sed longius etiam progreditur quum addit, *Maledictus sit vir, qui nunciavit patri meo filium masculum esse natum.* nam hic non tantum in Deum insurgit, sed etiam ingratus est erga homines. quid enim meritus erat qui primus nuncium patri ejus attulerat, quod pater esset filii masculi? hæc igitur ingratitudo minime fuit excusabilis. Et hinc etiam colligimus, nullam fuisse moderationem in affectu Prophetæ, sed prorsus cæcum fuisse impetum, qui ipsum ad voces tam inconsideratas impulit. nam in hoc toto sermone nulla pietas neque humanitas apparet: sed, quemadmodum jam dixi, tam Deo, quam hominibus ingratus est Propheta. & hyperbolicus sermo etiam magis exprimit illam violentiam, *qui nunciavit patri meo natum esse filium masculum:* videtur enim hic data opera conspuere adversus Dei gratias. Scimus enim masculos præferri fœminis: Propheta autem hic nomen masculi arripit, quasi vellet quod debuerat potius gratitudine prosequi, convertere in partem adversam. Addit, *Qui lætificando lætificavit eum.* Videmus ut misceat cœlum terræ, quemadmodum vulgo dicitur: nam si fuisset in ejus arbitrio, quum hic fervor occuparet ejus mentem, certe turbasset omnia elementa. Sed gravius est quod sequitur, & magis inordinatum: *Sit vir ille*, inquit, *tanquam urbes quas Deus perdidit sine pœnitentia.* Quorsum enim imprecatus est innoxio capiti Sodomæ & Gomorrhæ interitum? deinde non tantum loquitur de pœna aliqua temporali, sed devovet illum quisquis fuerit, æterno exitio. hoc enim valet particula, *Neque pœnituit ipsum:* quasi diceret, Deus sæviat in ipsum absque ulla clementia, & se ostendat prorsus implaca-

bilem, quemadmodum semel perdita fuit Sodoma, ut nihil reliquum fuerit spei. Si de hoste aliquo capitali loquutus esset, debuit tamen regulam tenere, quæ omnibus Dei filiis præscribitur: nunc non habet quod accuset in homine, qui nuncium talem attulit patri. Videmus ergo quam immaniter rapiatur quasi vesano impetu. Sed hinc discamus frenare mature omnes affectus nostros, qui nunquam modum tenent, si illis indulgemus, & ebulliunt etiam quasi in furorem: quod certe Prophetæ contigit. Addit etiam, *Audiat clamorem mane, & tumultum meridie.* Hic devovet perpetuæ inquietudini hominem innoxium. Fit autem auroræ mentio. quia scimus pavores regnare noctu in tenebris. Si quid interdiu contingat, quærimus animis non ita expavefactis quid sit: sed simulatque increpuit aliquid noctu, terror omnes sensus nostros occupat. Aliquid ergo prodigiosum hic voluit exprimere Propheta. unde etiam melius colligimus quantopere efferbuerit illius indignatio, quod addixerit hominem innoxium tormentis etiam diurnis. *Mane*, inquit, *audiat clamorem, meridie audiat tumultum.* si dixisset, Perpetuo audiat, hoc non fuisset tam grave. Jam sequitur,

17. Quare non occidisti me ab utero? & fuisset (*hoc est, ut esset*) mihi mater mea sepulchrum meum? & in utero ejus conceptus seculi? (*id est, perpetuus: vel, uterus ejus fuisset in conceptu perpetuo. & hæc posterior expositio videtur melius quadrare: acsi diceret, Fuisset uterus matris meæ sterilis, ita ut non conciperet nisi post seculum, id est, nunquam.*)

18. Quare ex utero egressus sum ad videndam molestiam, & dolorem, ut consumantur in opprobrio dies mei?

Postquam projecit Jeremias suas imprecationes tam contra diem natalem suum, quam contra nuncium, qui patrem voluerat lætitia afficere, nunc expostulat cum Deo. Hinc igitur apparet quantopere insanierit: sic enim loquendum est. nam si non pepercit Jeremias Deo, quomodo homini mortali parcetur? Non dubium igitur est, quin exarserit furioso impetu adversus Deum. nam hæc expostulatio est hominis prorsus desperati. Quærit, *cur non occisus fuerit ab utero*: quasi jam non duceret loco beneficii, quod exierit vivus in lucem. atqui vita hæc, quamvis multis sit ærumnis obnoxia, tamen debet nobis esse testimonium inæstimabilis Dei gratiæ. Quum ergo Propheta non modo respuit illam Dei bonitatem, sed litigat cum Deo ipso, quod creatus homo fuerit, & editus in hanc lucem, qualis est ista ingratitudo? Postea adjungit, *Fuisset mater mea sepulchrum meum.* hoc est, ego hanc lucem aspernor, & vitam: cur ergo non moriebar in utero matris meæ? & cur etiam me concepit? *Cur egressus sum ab utero ut viderem molestiam, & dolorem, & consumerentur dies mei in opprobrio?* Hic rationem affert, cur tædeat ipsum propriæ vitæ. sed non potuit hoc prætextu absolvi, neque etiam hodie debet: quæ enim potest nobis justa esse litigandi causa adversus Deum? creatus fuit Jeremias ad dolorem, & molestiam: hæc communis est omnium conditio: an ideo trahetur Deus in crimen? consumpti sunt dies ejus in opprobrio: hic non fuit novum exemplum. multi enim quorum sanctimoniæ testimonium Deus reddidit, passi fuerant multas injurias, & probra. cur ergo ad eorum exempla non respexit potius, ut moderato animo, & composito ferret quod acciderat sanctis viris, sed voluit quodammodo theatrum conscendere, ut dedecus suum promulgaret non tantum uni seculo, sed usque ad finem mundi? Tenendum est interea ejus consilium. diximus enim Prophetam non fuisse hoc tam violentu affectu correptum, postquam Deo gratias egerat, & exultaverat quasi victor: sed potius hac circumstantia amplificare gratiam Dei, quod ereptus fuisset ab ipsis inferis, in quibus se demersum fuisse fatetur: huc enim tendit tota descriptio: Eram perditus, nam animus meus nihil poterat concipere nisi amarulentum, & pleno etiam ore evomui virus illud, & blasphemias adversus Deum. In hunc igitur finem tendit Propheta, quo illustrius reddatur beneficium Dei, quando fuit è tam profunda abysso receptus iterum in lucem. Tales etiam loquendi formas usurpet Job capite trigesimo. sed Job non habuit principium quale diximus Jeremiam habuisse. neque enim Jeremias tactus fuit privato aliquo dolore, ut ita abriperetur vesano furore adversus Deum. unde igitur hic tantus dolor? nempe quia videbat se esse contemptui, & totam pietatem pro nihilo duci apud populum: denique omnia videbat esse perdita. Zelo igitur gloriæ Dei accensus fuit: deinde mœrorem contraxit ex desperata populi malitia: Job vero seipsum duntaxat respexit. Ergo magnum fuit discrimen inter Job, & Jeremiam: & tamen scimus utrumque fuisse quasi Angelica virtute præditum. Job enim inter tres justos nominatur, qui videntur efferri supra totum humanum genus: & Jeremias, si fiat comparatio, hac in parte erit magis excusabilis. & tamen videmus ut ambo fuerint accensi tam præpostero dolore, ut neque Deo, neque hominibus parcerent. Discamus igitur compescere nostros affectus, ne ita intemperanter ebulliant. Interea sciamus servos Dei, etiamsi excellerent eximia constantia, tamen non fuisse prorsus exutos multis vitiis. & si quando nobis contingat tales punctiones in cordibus nostris sentire, ne exanimet nos hæc tentatio: sed quantum in nobis erit, & quantum dabit Deus, conemur resistere, donec tandem emergat fidei nostræ constantia, quemadmodum videmus fuisse in Jeremia impletum. Quum enim obrutus esset tanta perturbatione, ita ut jaceret quasi mortuus in ipsis inferis, videmus fuisse tamen redditum in illam integritatem, ut exequeretur postea animose suum munus: deinde gloriaretur de auxilio Dei, quemadmodum heri vidimus. Pergamus.

CAP. XXI.

SErmo qui datus fuit Jeremiæ (*factus fuit ad Jeremiam*) à Jehovah, quum misisset ad eum rex Zedekias Phassur filium Malchiah, & Zephaniam filium Maassiah sacerdotem, (*vel sacerdotis*) dicendo:

2. Interroga (*inquire*) nunc pro nobis (*aut consule pro nobis*) Jehovam: quia Nabuchadnezer rex Babylonis præliatur contra nos, si faciat Jehovah nobiscum secundum omnia mirabilia sua, & ascendat à nobis.

3. Et dixit Jeremias illis, Sic dicetis Zedekiæ,

4. Sic

4. Sic dicit Jehovah Deus Israël, Ecce, ego reduco (*alii vertunt, convertam: quidam minus apte, congregabo: bene vertetur, contraham, vel prohibebo*) omnia vasa (*id est, instrumenta*) bellica (*belli*) quæ sunt in manibus vestris, quibus vos præliamini (*in ipsis, sed abundat*) adversus regem Babylonis, & Chaldæos, qui obsident vos ab extra murum, (*hoc est, foris extra murum*) & colligam ipsos in medium urbis hujus.

Refert Jeremias quomodo exceperit Regis legatos, qui petebant ab eo responsum, an aliquid solatii afferret in rebus perplexis, & fere desperatis. Duos ergo narrat fuisse missos, nempe Phassur, non illum Sacerdotem, cujus facta fuit mentio in proximo capite: erat enim filius Immer. sed hic apponitur. distinctionis nota, quod fuerit filius Malchiah. addit *missum etiam fuisse Zephaniam sacerdotem filium Maasiah*. Sed docet Regem, & ejus Consiliarios fuisse dejectos spe sua, quoniam aliquod lætum oraculum expectabant, acsi Deus foret propitius Jerosolymæ: Propheta autem respondit quemadmodum jussus erat à Domino, actum esse de urbe ipsa, regno, & tota gente. Videbimus etiam aliis locis Zedekiam non fuisse ex pessimis, quanquam neque serio timebat Deum, & implicitus erat multis perversis consiliis: tamen erat adhuc in ipso aliquid pietatis residuum, ut non contemneret Deum ex professo, quemadmodum faciunt Epicurei homines. Tales etiam hodie multi reperientur in mundo, quibus satis est fovere semisepultum Dei timorem, & studium qualecunque pietatis retinere: sed illud est fluxum, & evanescit etiam minima quaque occasione. Fuit igitur Zedekias quasi medius, ita ut neque serio Deum coleret, neque tamen aspernaretur. hinc factum est, ut legatos suos mitteret ad Jeremiam. Sciebat, Deo infesto, nihil salutis sperandum esse. atqui non tenebat rationem placandi Dei, neque etiam volebat ex animo se Deo reconciliare; quemadmodum hypocritæ cuperent Deum sibi esse benevolum. Sed quum illis offertur Dei misericordia, etiamsi palam non rejiciant, tamen nequeunt amplecti, quia non sustinent sibi renunciare. Talis igitur fuit animus Zedekiæ. Ideo rogat Prophetam ut consulat Deum. Sed hoc simul notandum est, fuisse hanc legationem honorificam. unde melius apparet non fuisse ex furiosis tyrannis Zedekiam, qui Gigantum more vellent pugnare cum Deo. Nam quod misit duos legatos ad Prophetam, & voluit ipsum adhibere patronum, qui à Deo impetraret aliquid veniæ, hinc apparet quam non fuerit prorsus extincta, neque etiam suffocata in ipso pietas. Et hinc etiam melius perspicitur quam animosa fuerit Prophetæ libertas, quod honore illo non fuit mitigatus, sed responsum dedit, quod posset Regem exasperare, atque adeo adigere in rabiem. Sed hoc primo notandum est, quod non captant Prophetam suis blanditiis, ut falsum aliquid respondeat, sed volunt Deum consuli. Hinc apparet ipsos fuisse persuasos de integritate Jeremiæ, quod scilicet nihil futiliter vel à seipso proferret, sed cælestium oraculorum fidelis esset interpres ac præco. Et tamen videmus, & videbimus etiam pluribus locis, Regem excanduisse adversus Dei Prophetam. Sed hypocritæ etiamsi Deum coguntur revereri, tamen huc & illuc feruntur, & nihil habent stabile: præsertim ubi sentiunt Deum sibi esse adversum. neque enim flectuntur minis. Itaque fieri non potest quin tumultuentur, & conentur tanquam equi refractarii excutere suum sessorem. Ergo tale exemplum perspicitur in Zedekia. Nam agnoscit Jeremiam esse fidelem Dei servum. Neque enim dicit, Mentire nobis, vel in gratiam nostram, sed *sciscitare ex Deo pro nobis*. Postea addit, *Si faciat Jehovah nobiscum secundum omnia sua mirabilia*. Iterum videmus Zedekiam aliquid habere pietatis. sed hoc fuit evanidum: quia non afficiebatur vivo sensu, quemadmodum hypocritæ, ut dictum fuit, vellent sibi pacem esse cum Deo, nempe si daretur cum eo pacisci suo arbitrio. Sed quia non possunt se Deo penitus addicere, hinc fit ut circumeant & velint Deum ad se allicere, saltem ad eum non accedere nisi per ambages, non autem recta via. Hic ergo commemorat Zedekias miracula Dei, quæ omnibus seculis experti fuerant Israëlitæ; quasi diceret, Hactenus mirabiliter egit Deus cum electo populo suo, & quoties opem tulit patribus nostris, edidit mira documenta suæ virtutis: an non hodie etiam similiter aget nobiscum? Nam sumit principium illud, manere inviolabile fœdus Dei: quod verum erat: sed perversa fuit accommodatio: siquidem debuerat Zedekias cum toto populo fidem Deo præstare. Nam si optabant Deum sibi esse propitium, cur non ipsi mutuo eum pro Deo suo colebant? quum autem essent fœdifragi, quam stulte & futiliter producunt in medium fœdus Dei, quod ipsi irritum fecerant? Sed hoc solenne est hypocritis, ut ad se trahant quicquid unquam ostendit Deus favoris erga filios suos. Nam fallaciter usurpant titulum illum, ut sit quasi integumenti loco, Se esse membra Ecclesiæ, eo quod Deus illos adoptaverit. Hæc igitur ratio est cur Zedekias hic quærat, *an non facturus sit Deus secundum omnia sua mirabilia*: quasi diceret, Certe Deus semper sui similis manet: nos autem sumus populus ejus: & quum liberavit Ecclesiam suam toties, & tam variis rationibus, semper fuit admirabilis ejus potentia. Cur non ergo idem erga nos prosequetur? Tandem addit, *Ut ascendat à nobis*, hoc est, ut solvat rex Nabuchadnezer obsidionem: & relinquat nos liberos. Jam sequitur responsum Jeremiæ: *Dicetis Zedekiæ*, non venit ipse ad Regem, sed contemptim legatis tradit mandata, quæ perferant. Nec dubium est quin Propheta consulto hoc fecerit, & instinctu Spiritus sancti. neque enim superbe contempsit Regem suum: sed oportuit hac eum magnitudine animi dejicere Regis superbiam, ut sciret sibi esse negotium cum Deo vivo, cui nimis proterve illuserat. *Sic dicit Jehovah Deus Israël*. Apponit epitheton, ut sciat Zedekias ad se & totum populum nihil pertinere illa miracula, quorum fiducia adhuc putabat fore incolumem suum statum: quasi diceret Propheta, quamvis Deus non opituletur tibi, & populo, non tamen à seipso deficiet, vel excidet à fœdere suo: sed manebit semper Deus Israël, & tamen te & totum populum perdet. Dicit, *Ecce ego*: ante aliter, Venit Nabuchadnezer, qui præliabitur contra nos: nunc, *Ego sum*, inquit, *Deus*. quasi diceret, Nabuchadnezer posset vinci, posset mutare consilium, posset vos relinquere moræ tædio: sed scitote Nabuchadnezer pugnare sub imperio meo. *Ego*, inquit, *prohibeo*. sic enim libet vertere istud participium מסב. *Ecce, ego prohibeo cuncta instrumenta bellica, quæ sunt in manibus, & quibus pugnatis contra regem Babylonis, & contra Chaldæos*: quasi diceret, Quamvis sitis instructi armis, & copiis, & suppetant quæ faciunt ad Urbis defensionem, ego tamen prohibebo arma illa, id est, compescam ne quid vobis prosint. Alii, quemadmodum nuper dixi, vertunt, Convertam in vos. Sed sensus hic videtur magis quadrare etymologiæ, quod scilicet nihil proderunt arma quæ suppetent Judæis, quia Deus prohibebit, ne perveniant ad ullum effectum. Postea addit, *Chaldæos, qui pugnant foris ad murum contra vos*. Describit præsentem statum. Tunc enim Urbs obsidebatur à Chaldæis: erat murus interpositus, & putabant Judæi se posse

repellere hostiles illos incursus. Dicit autem Deus, Hodie Chaldæi exclusi sunt muro: *sed ego colligam ipsos in medium urbis hujus*, inquit: hoc est, faciam irruptionem ne murus impediat ingressum, quo minus occupent sinum urbis Chaldæi. Sequitur,

5. Et præliabor ego contra vos in manu extenta, & brachio robusto, & in ira & furore, & excandescentia magna.

Concludit quod dixerat: & quanquam postea fusius prosequetur eandem sententiam, tamen confirmat quod nunc vidimus: nempe Deum hujus belli esse ducem, & Chaldæos esse quasi mercenarios ejus milites: quos manu sua dirigit, & quibus dat signum pugnandi. *Ego*, inquit, *præliabor vobiscum*. Opponit hoc miraculis, quæ obtenderat Zedekias. Deus enim mirabiliter olim adfuerat Ecclesiæ suæ, neque id semel, sed plus millies. Dicit jam, Si quid est in me poteotiæ, hoc erit vobis adversum. Ne quid ergo speretis à me auxilii, sed scitote me esse armatum, donec vos perdidero. adjungit, *In manu extenta, & brachio robusto:* quasi diceret, Miracula senserunt patres vestri in suam salutem: vos autem experimento discetis quanta sit virtus mea ad vos perdendos. Denique significat quicquid est in Deo potentiæ, materiam vel causam terroris esse Judæis, ac proinde non posse salvos evadere, quoniam nihil magis formidolosum sit, quam sentire manum Dei adversam. Huc etiam pertinet quod addit, *In ira, in furore, in iracundia magna*. Significat his verbis Deus se fore implacabilem, & ideo falli Zedekiam, dum putat finem malis instare. Poterat quidem uno verbo dicere, Pugnabo in manu extenta, & in iracundia: sed quum tertio iram repetit, hinc apparet quod jam dixi, nempe excludi Zedekiam ab omni fiducia, ne seipsum frustretur, quasi aliquando posset exorare Deum, qui jam addixerat urbem ultimo exitio. Cæterum, videbimus Prophetam non destitisse ab officio docendi, & reliquum aliquid fecisse pœnitentiæ. Sed præcise ita respondit, quia non potuit aliter Rex expergefieri. Videbimus quomodo seipsum exposuerit, sed exordium illud fuit quasi fulmen ad prosternendam superbiam Regis, & populi. Obstupuerant in suis malis primo. deinde etiam talis erat eorum contumacia, ut vellent Deum sibi subjicere. Quum ergo talis esset vel stupiditas, vel obstinatio, non potuit Propheta cum fructu hortari eos ad pœnitentiam, & offerre misericordiam Dei, nisi prius ita perculsi fuissent, ut sentirent se jam esse perditos, & Deum ita irasci, ut non possent salvi manere humano modo. Sed reliqua differemus in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus iram tuam provocare, deinde ita ad pœnitentiam sumus tardi, ut saltem sic proficiamus dum nobis minas & signa etiam ostendis judicii tui, ut nos totos tibi tradamus, & speremus etiam gratiam, quæ ad tempus fuerit abscondita, donec collectis animis, libere te invocemus, & ita probemus veram nostram constantiam, ut nomen tuum glorificetur in nobis, ut possimus etiam nos vicissim in te gloriari per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEPTUAGESIMA NONA

IN

J E R E M I A M.

6. Et percutiam habitatores urbis hujus, tam hominem, quam bestiam: peste magna morientur.

7 Et post sic, (*postea*) dicit Jehovah, tradam Zedekiam regem Jehudah, & servos ejus, & populum, & qui residui erunt in urbe hac à peste, à gladio, & à fame, in manum Nabuchadnezer regis Babylonis, & in manum inimicorum ipsorum, & in manum quærentium animam ipsorum: & percutiet eos ore gladii: non parcet illis, neque ignoscet, neque miserebitur.

PRosequitur Jeremias eundem sermonem, quod scilicet statuerit Deus perdere Jerosolymam, & populum, saltem ad tempus. Cæterum, hic designat quid facturus sit, nempe quod consumet eos pestis, & tabescent fame, quantisper inclusi erunt in urbe: quasi diceret, Etiamsi ipsi Chaldæi urbem non statim capiant obsidio, tamen ipsa gravior erit urbis excidio: quoniam intus fames ipsos urgebit & conficiet. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Sed tenendum memoria est quod jam heri admonui, nempe Deum sibi uni sumere quod poterat Chaldæis adscribi. Ergo auctorem se facit omnium cladium. *Percutiam*, inquit, *habitatores urbis hujus, tam hominem quam bestiam: peste magna morientur*. Hoc fuit primum genus pœnæ, quod antequam hostis irrumperet in urbem, pestilentia populum fere confecit. Jam mali atrocitas notatur hac circumstantia, quod non tantum homines peribunt, sed bruta quoque animalia. Nec mirum est extendi vindictam Dei ad equos, ad boves, & asinos. Scimus enim omnia creata esse in usum hominis. Ergo quum Deus iræ suæ signa profert in ipsis brutis animalibus, vult incutere plus terroris hominibus, dum vident boves & asinos secum involvi similibus pœnis, qui tamen sunt innoxii. Quid enim dicemus meritos fuisse equos, & boves, dum vel morbis intereunt, vel privantur victu quotidiano? Sed Deus proponit tale spectaculum, ut homines magis tangantur, dum vident totum mundum maledictioni obnoxium esse propter sua peccata. Coguntur enim agnoscere quanta sit culpæ gravitas, qua fit ut terra arida sit & sterilis, ut elementa sursum & deorsum officium suum non præstent, ut ipsa terræ sterilitas victu etiam orbet misera animalia, & aëris putredo ea interficiat. Sed hac de re alibi dictum fuit. Jam addit, *Posthæc*, hoc est, ubi magna ex parte consumpserit eos pestis: *dabo*, inquit, vel tradam *Zedekiam regem Jehudah, & servos ejus in manum Nabuchadnezer*. Significat etiamsi pertulerint magno animo inediam, nihil tamen hoc illis profore: Sæpe contigit solvi obsidionem, quum tanta est pertinacia, ut famem & sitim superando qui sunt obsessi, luctentur cum ultima necessitate. Nam qui eos premunt, existimant sibi esse certamen cum rabiosis feris: ita discedunt. Sed hic pronunciat Deus alium fore eventum, quod scilicet Judæi,

Judæi, postquam diuturna fame prope confecti fuerint, venient tamen in potestatem hostium. Ita significat patientiam illorum fore inutilem. Hoc autem miserrimum est, ubi spe liberationis multa adversa & gravia toleravimus, tandem hostem potiri imperio, & fieri arbitrum vitæ & mortis nostræ. Sed hic ostendit Deus talem cladem manere Judæos. Et quum dicit, *tradam Zedekiam regem Jehudah*, non dubium est quin Judæis voluerit ostendere quam stulta esset ipsorum fiducia, quum putarent se fore semper salvos sub umbra regis. Rex ipse, inquit, non eximet se à periculo. Quid igitur vobis proderit habere regem? & ideo exprimitur nomen Regis, ne Judæi se posthac decipiant stulta illa opinione, quod scil. putabant satis firmum sibi esse præsidium in Rege suo. Addit *servos ejus*, id est, Consiliarios. Servi enim regis vocantur omnes aulici, & proceres: & ministri. *Ministros* igitur *ejus*. Nam in Consiliariis multum erat superbiæ: ideo erant infesti Prophetarum hostes, quoniam excæcati stulta sua prudentia, spernebant & doctrinam, & omnes admonitiones. Hæc igitur ratio est, cur etiam Propheta dicat *venturos sub regis potestatem*. Addit, *& populum* ultima copula quum dicitur ואת הנשארים, expositive accipitur. Neque enim enumerat alios qui separati sunt à populo: sed melius designat qualis futurus sit populus, nempe exigua portio. Sic ergo resolvi debet copula, *Eos scilicet qui residui erunt in urbe*. nam adhuc florebat Jerosolyma civium multitudine quum habita fuit hæc concio. Ostendit igitur postquam diminuerit Deus cives, & redegerit ad exiguum numerum ex magna copia, tunc non fore malis finem, sed extremum malorum instare, ut scilicet vita ipsorum exposita sit hostis libidini. *Qui* ergo *residui fuerint in urbe*. & respicit ad proximum versum, quia dixerat multos perituros inedia. Quanquam non tantum de fame hic agitur, sed etiam de gladio, & de peste. dicit enim, *Qui residui erunt à peste, & à gladio, & à fame*. Nam fames peperit pestem, ut fieri solet: deinde quum hostes quotidie urbem impeterent suis machinis, fieri non potuit quin multi occiderentur, nempe quia non possunt hostes repelli à muris sine aliquo conflictu. Significat igitur Deus fore Judæis negotium cum inedia, cum peste, & cum hostili incursu, donec tandem vincantur, & urbs capiatur à Chaldæis. Postea adjungit, *In manum hostium ipsorum, in manum eorum qui quærunt animam ipsorum*. Repetitio hæc non est supervacua. Significat enim Deus quod clarius & pluribus verbis exprimitur apud Jesaiam, nempe Chaldæos non fore contentos præda, neglecturos aurum & argentum: quoniam ardebunt sævitia, neque aliud ipsis erit propositum, quam sanguinem fundere. Sic etiam hoc loco, ubi posuit nomen Hostium, adjungit, *qui quærunt animam ipsorum*, nempe qui capitali odio ferentur ad cædem, ita ut non possit placari eorum iracundia & crudelitas, donec omnes morti tradiderint. Ita ostendit sanguinariam fore victoriam, quandoquidem non tantum captivi ducentur Judæi, ut fieri solet, eo quod victores non putabant se operæpretium facere, si eos trahant quasi nihili mancipia: sed finem non alium fore, nisi ut omnes intereant. Ideo dicit, *percutiet ipsos*. est mutatio numeri. Quanquam autem refertur ad Regem ipsum, comprehenditur tamen totus exercitus sub capite. *Percutiet* igitur *ipsos ore gladii: non parcet, non ignoscet* (quanquam sint synonyma) *& non miserebitur*, quemadmodum etiam prius visum fuit. Deus ergo iram suam inexorabilem hic transfert ad Chaldæos, qui erant ejus ministri. quasi diceret, Hostes erunt implacabiles, non poterunt flecti ad misericordiam: quoniam ita mandavi, & impellam ut exequantur judicium meum. Et hoc non debet videri absurdum, quod Deus implacabili iracundia voluerit populum hunc in nihilum redigere. Scimus enim quanta fuerit in sceleribus obstinatio. Quoniam igitur sæpius Dei misericordiam repulerant, quodammodo præcluserant januam veniæ. hinc factum est ut Deus vellet Chaldæos ita furere sine ullo sensu humanitatis. Postea sequitur,

Jesa. 13. vers. 17.

8. Et ad populum hunc dices, Sic dicit Jehovah, Ecce, ego propono coram vobis (*coram faciebus vestris*) viam vitæ, (*vitarum, ad verbum*) & viam mortis.

9. Qui habitabit in urbe hac, morietur gladio, & fame, & peste: qui autem egressus fuerit, & habitaverit (*vertunt quidam interpretes, qui ceciderit: sed dicemus de hoc verbo postea*) apud Chaldæos, qui obsident vos, vivet, & anima illi erit in spolium.

Hic Deus affirmat *se proponere viam vitæ, & viam mortis populo*, nempe ut certo sciant, quicunque manebunt in urbe, propinquam iis instare mortem; qui autem exibunt, & se ultro dedent hostibus, illos fore salvos. Moses alio sensu dicit se proponere viam vitæ, & viam mortis. Loquitur enim de Lege, quæ continet promissionem gratiæ Dei, & minas adversus transgressores. Sed hic aliud sibi vult Propheta, quod scilicet non alia sit spes salutis, quam si collum jugo submittant Judæi, & sponte tradant se hostibus: quoniam si pertinaciter velint defendere suum statum, Deus erit illis hostis, quoniam direxit Chaldæos ad pugnandum, & gubernat tam ipsorum consilia, quam manus. Confirmat autem superiorem doctrinam: sed simul minas illas ad usum accommodat: ut scilicet Judæi deposita pervicacia, tandem agnoscant se non posse effugere castigationem, quam meriti sunt. Summa est, quoniam Chaldæi militant sub Dei auspiciis, fore victores: ideo frustra Judæos resistere, quoniam non poterunt elabi, nisi Deo ipsi victo: quod fieri non potest. Ergo relinquit spem unam, si temporali pœnæ se ultro subjiciant, & perferant æquo animo exilium, suppliciter agnoscant justum Dei judicium. hæc igitur summa est. Non est autem diversa concio, sed tantum confirmat Propheta quod prius dixit, & simul accommodat minas Dei ad populi usum, ut sese humilient, neque amplius existiment sibi utile fore, quod ita præfractis animis resistunt Deo, quoniam tandem ipsos succumbere oporteat. *Dices* igitur *ad populum hunc, Sic dicit Jehovah, Ecce, ego propono vobis viam vitæ, & viam mortis*. Quæ est via mortis? Ecce, inquit, *quisquis habitaverit in urbe hac, morietur vel gladio, vel fame, vel peste*. Hoc fuit incredibile Judæis: nec dubium est quin fuerint accensi in furorem, quum audirent sibi pereundum esse in urbe sancta quam Deus protegebat. nam illic habebat suum sanctuarium, erat ejus requies. Sed jam Propheta illis excusserat omnes istas fallacias. Itaque libere potuit illis minari, quamvis objicerent suos illos prætextus: quandoquidem satis justas causas reddiderat, cur nihil sperandum esset amplius à Deo, quem toties, & tam obstinate, & tam diversis modis provocaverant. *Hæc* igitur *via est mortis*, inquit, *Si manserit in urbe*. Et recenset plures species, quasi diceret Deum esse armatum non tantum gladio hostili, sed etiam fame & peste, ut alios gladio occidat, alios fame consumat, alios extinguat peste. Ergo ostendit ita ipsos constrictum iri undique, ut frustra conentur elabi: quoniam si effugerint gladium, pestis illis occurret: si etiam à peste servati fuerint, fames ipsos conficiet. Postea addit, *Qui autem egressus fuerit ad Chaldæos, qui vos obsident*, hoc est, qui sponte se dediderint. Nam illud erat obedientiæ signum, quum

Deut. 30. vers. 15.

Judæi placido animo reciperent correctionem: & simul erat testimonium pœnitentiæ, quoniam hoc modo fatebantur se qualibet gravi pœna esse dignos. Hæc ratio est, cur Propheta nominet *viam vitæ, & salutis*, venire ultro, & voluntaria deditione in hostis potestatem. Et quum dicit, *qui vos obsident* הצרים עלי כם, est anticipatio, quia vult occurrere objectionibus, quas unusquilibet è populo afferre poterat: Quomodo audebo me projicere? nam obsident nos Chaldæi. actum igitur erit de vita mea, si ego supplex ad ipsos veniam: Minime, inquit Propheta. quamvis enim bellum gerant capitale cum hac Urbe, quisquis tamen sponte ad ipsos transierit, ille manebit salvus, & reperiet ipsos propensos ad clementiam. Non promitteret hoc Deus, nisi haberet Chaldæos in manu sua, ut flecteret eorum animos in utramque partem. Quantum attinet ad verbum נפל, significat proprie cadere: sed hic pro habitare positum interpretor, ut etiam alibi Genes. 25.
Gen. 25. vers. 18. Habitavit Ismael in conspectu fratrum suorum, vel è regione. Qui exponunt Esse mortuum, certe non tangunt neque cælum, neque terram. Alii vertunt, Cecidit sors ejus coram fratribus. sed coacta est etiam illa expositio. Non dubium igitur est, quin נפל significet sæpe jacere, & translatitie sumatur pro habitare. & tamen non inficior Prophetam alludere ad subjectionem. Nam tenendum est, qualis fuerit conditio eorum, qui transibant ad Chaldæos. Oppressi enim fuerunt non sine contumelia. Ergo erat hæc humiliatio: sed tamen proprie sumitur verbum hoc pro habitare. *Quisquis ergo ad Chaldæos egressus fuerit ut se tradat, & qui apud ipsos habitaverit*, hoc est, qui passus fuerit se trahi in exilium, vel pro eorum arbitrio migraverit è patria in alienam terram: *ille*, inquit, *vivet, & anima ejus erit in spolium*, hoc est, eripiet animam suam, quemadmodum si quis prædam inveniat, quam corripiat furtim. Spolium enim hic accipitur pro lucro adventitio. Ergo, inquit, quisquis non gravatus fuerit sese Chaldæis subjicere, *saltem servabit animam suam*. Denique significat Deus, eousque progressam esse malitiam populi, ut non rectum sit illis ignoscere. Quid ergo reliquum facit? ut subeant æquis animis, & humiliter temporalem pœnam; atque ita claudere desinant januam misericordiæ Dei. Interea tamen docet non aliter sperandam ipsis salutem esse, donec castigati fuerint. Et hinc colligitur utilis doctrina, nempe siquando provocaverimus iram Dei nostra obstinatione, ut non possimus immunes esse ab omni pœna, ne recalcitremus, si velit moderatam pœnam de nobis exigere: ac modo consequamur æternam misericordiam, patienter feramus paternas correctiones. Sequitur,

10. Quia posui faciem meam contra urbem hanc in malum, & non in bonum, dicit Jehovah: in manum regis Babylonis tradetur, & exuret eam igni.

Confirmat rursus quod dixit, nempe hanc fore viam mortis, si Judæi manebunt defixi in urbe, quoniam hoc sit luctari adversus Deum. Dicitur enim *Deus ponere faciem suam in malum*, quum certo decrevit punire gentem hanc, vel illam. Nam ponere faciem tantundem valet ac sese obfirmare. Negat igitur Deus posse hoc mutari, quod semel statuit de excidio urbis Jerosolymæ. Jam quis erit tandem eventus, si quis existimet Deo invito se posse mortem effugere? Nempe, ut qui ad lapidem violenter impingunt, & crura & brachia, & caput ipsum sibi frangunt: ita qui furiose impingunt adversus Deum, sibi ultimam perniciem accersunt. Videmos ergo cur hoc addiderit Propheta, ne scilicet Judæi adhuc sibi fingerent vanas spes pro more suo: quoniam aliquid sperare tantundem erat, atque certare cum Deo ipso. *Tradetur* ergo, inquit, *urbs in manum regis Babylonis, & exuret eam igni*. Significat, Nabuchadnezer non tantum fore populi victorem, & triumphos suos acturum in urbe capta, sed urbem destinatam esse exitio. Hoc enim gravissimum est, quum funditus urbs aliqua diruitur. Sæpe capiuntur urbes, & victor transfert huc & illuc incolas, sed manet tamen locus habitabilis. Pronunciat autem Deus se gravius acturum cum urbe Jerosolyma: quoniam peritura sit incendio. Sequitur,

11. Et ad domum (*vel palatium*) Regis Jehudah, Audite sermonem Jehovæ:

12. Domus David, sic dicit Jehovah, Judicate mane judicium, (*sunt quidem duo verba, sed utrumque significat judicare: sensus autem est, judicare mature, & proferre rectum & æquum judicium. postea adjungit speciem unam*) liberate spoliatum è manu oppressoris: ne exeat tanquam ignis indignatio mea, & ardeat, & non sit extinguens à facie malitiæ studiorum ipsorum. (*hoc est, propter malitiam scelerum ipsorum.*)

Nunc Propheta narrat se fuisse missum ad Regem, & ejus Consiliarios. Hactenus promiscue & Regem, & totum populum alloquutus est: hic autem specialis legatio ei mandatur, *ut palatium Regis adeat*, & denunciet quod instat judicium tam ipsi quam ejus Consiliariis. Hic autem non præcise minatur, ut antea, sed interposita conditione. hortatur enim eos ad pœnitentiam, & oblique veniam illis promittit. Frustra enim sermonem faceret de resipiscentia, nisi invitaret eos ad spem aliquam veniæ & salutis. Interea non pugnat secum: quia etiamsi Rex in captivitatem esset abductus, potuit tamen adhuc consequi aliquam gratiam: postquam scilicet defunctus esset paterna correctione. Ergo quamvis Propheta hic Regem & ejus Consiliarios ad pœnitentiam hortetur, non tamen simpliciter immunes fore docet à pœna: sed promittit aliquam mitigationem. Et hic locus admonet non debere nos desperatis animis ruere, quamvis undique immineat aliquid terroris, & jam ostendat Deus non posse in totum nos effugere pœnam. Nihil enim absurdius quam metum quo nos Deus ad se retrahit, esse desperationis causam, ut non resipiscamus: quia etsi non tollitur prorsus ira Dei, magnum tamen hoc est, posse mitigari, ita ut levatio aliqua occurrat simul cum ipso malo. denique significat Propheta, adhuc posse iram Dei leniri, etsi in totum non placabitur, modo Rex cum suis Consiliariis, incipiat recte judicare. Vocat autem *domum David*, non honoris causa, sed potius per ignominiam: neque proponit illis personam Davidis, ut quidam frigide exponunt, quia juste fuerit dominatus, fuerit præstantissimus Rex, atque integerrimus: sed respicit Propheta ad fœdus Dei. Nam scimus fuisse deceptos, quum putarent se quodam singulari privilegio exemptum iri ab omni molestia: quoniam Deus familiam illam elegerat, & promiserat stabile fore Regnum. Nam ita hypocritæ semper rapiunt in suum commodum quicquid pollicitus est Deus: interea sine fide & pœnitentia jactant illum sibi esse obstrictum. Talis igitur fuit superbia in Rege & ejus Consiliariis. nam quia erant Davidis posteri, non dubitabant

bant se segregatos esse à communi sorte, & quasi esse sacrosanctos, ut loquuntur. Propheta igitur contemptim dicit, *domus David:* hoc est, jam cessent istæ inanes gloriationes. Deus anim vobis non parcet, quamvis centies jactetis vos esse Davidis posteros. Et simul exprobrat jam prorsus esse degeneres, quia Deus pepigerat fœdus cum Davide, hac lege, ut pure ipsum coleret. Posteri autem ejus erant perfidi, & apostatæ. Ergo Propheta objicit illis nomen Davidis in majus probrum, quod essent tam dissimiles patri suo, à cujus pietate defecerant. *Sic dicit Jehovah, Judicate*, inquit, *judicium.* Non dubium est, quin fuerit magna prædandi licentia tam in Rege, quam in ejus Consiliariis. neque enim Propheta hic judicium illis commendat, nisi quod omnis rectitudo exciderat apud ipsos. Quoniam igitur nulla erat cura æquitatis, ideo Propheta hic jubet eos tandem agnoscere quid Deo ejusque populo debeant. Fuit autem hæc gravissima tentatio omnibus piis, quum viderent sacram illam domum, in qua fulgere debebat viva Dei imago, esse instar spoliarii, illic habitare latrones, qui impune solerent grassari ad omnes spoliandos. Ergo ubi res sic erunt turbatæ, ut judices ipsi, quos Deus præfecit Ecclesiæ suæ regendæ, sint quasi latrones, sciamus idem olim contigisse. Nec dubium est, quin Deus populi impietatem & scelera hoc modo ultus fuerit. Nam nunquam passus fuisset domum illam sic contaminari, & tot flagitiis repleri, nisi indignus fuisset populus tam bono ac probo Rege, quam sanctis Consiliariis. Sciamus ergo Prophetam hortari Regem & ejus Consiliarios ad recte judicandum, quoniam obliti fuerant muneris sui, & fuerant quasi lupi rapaces. Addit unam speciem, *Liberate spoliatum è manu oppressoris.* Quidam vertunt, E manu fraudulenti, quasi עשק significet calumniis, & malis aut fraudulentis artibus opprimere: sed aliter accipitur. Distinguunt quidam inter hæc duo verba: quod עשק significet retinere alienum tanquam depositum, aut mercedem, aut aliud quidpiam: גזל autem significet rapere violenter. Sed discrimen illud confunditur à Propheta, quemadmodum apparet. Dicit enim, Liberata raptum, id est, spoliatum: è cujus manu? nempe oppressoris. Quum hæc duo inter se respondeant, ego non dubito, quin גזל promiscue significet rapere, & prædari. Quanquam עשק sæpe etiam accipitur pro fallaciter opprimere, sed non semper. quicquid sit, significat Deus nullam fuisse Regi & ejus Consiliariis pauperum curam, ut reprimerent vim, & latrocinia, & injustas rapinas. Erant igitur quasi socii prædonum ipsi judices, quoniam impune licebat rapere & prædari, ubi nullum erat auxilium in ipsis judicibus, quum miseri homines ita improbe vexarentur. Nec tamen dubium est, quin Deus voluerit simpliciter, & absque ulla exceptione præstare suum officium erga divites & pauperes. Sed quoniam ut plurimum injustitia in hac parte conspicitur, hæc ratio est, cur per synecdochen ponatur duntaxat una species. Postea addit, *Ne egrediatur indignatio mea, tanquam ignis ardeat, & non sit extinguens.* Hic significat Propheta, nisi in tempore & Rex, & ejus Consiliarii resipiscant, actum de ipsis fore. Ergo subest tacita antithesis inter illam correctionem paternam, de qua loquutus sum, & inter illum exitum, de quo nunc Propheta loquitur. Jam accensa erat indignatio Dei, nec poterat statim extingui. Sed quamvis aliquid passi essent, tamen exitus fuisset felix, & ex animi sententia. Hic autem denuntiat bellum irreconciliabile cum Deo, nisi mature studeant redire cum ipso in gratiam. Addit, *Propter malitiam studiorum ipsorum* Est etiam hic personæ mutatio, nisi placeat legere בם. sed hæc diversitas frequenter occurrit in Scriptura. Nam quum ipsos Propheta alloqueretur, adjungit nunc, *Propter malitiam studiorum ipsorum*, quasi finito sermone loquatur de ipsis absentibus: vel quasi Deus, postquam mandavit Prophetæ suo, deinde adjungat, Hoc illis denuncio, quoniam ira meriti sunt.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus quotidie novis delictis iram tuam accendere, ne saltem prorumpamus usque ad obstinationem, vel contemptum: & quando utile nobis est castigari manu tua, ut nos placide subjiciamus tuis ferulis, & sinamus te agere patris officium erga nos, ut scilicet revoces nos in viam, & nunquam desinamus in te sperare, etiam quum videris nobis infensus: sed extendatur spes nostra in eum exitum, quem promittis, nempe ut mala ipsa sint nobis adjumento in salutem, donec defuncti omnibus præsentis vitæ miseriis, perveniamus in beatam illam quietem, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA
IN
JEREMIAM.

13. Ecce ego contra te, quæ habitas in valle, petra in planitie, (*vel, petra planitiei, alii vertunt*) dicit Jehovah: qui dicitis, Quis descendet contra nos? & quis ingredietur habitacula nostra?

14. Et visitabo super vos secundum fructum studiorum vestrorum, dicit Jehovah: & accendam ignem in sylva ejus, & consumet quicquid est in circuitu ejus.

Quanquam tota gens corrupta erat tempore Prophetæ, Jerosolyma tamen fuit caput & sedes omnium malorum: primo, quia plus illic erat licentiæ: deinde non putabant Prophetis dandum esse locum, quasi essent singulari quodam privilegio immunes ab omni reprehensione: postremo, situs ipse urbis inflabat illis animos. nam quum respiciebant altitudinem murorum, & turres suas, & alia propugnacula, putabant se esse extra jactum telorum. Hinc igitur securitas quam nunc Propheta perstringit. & ideo vocat *habitatricem vallis.* Scimus Jerosolymam sitam fuisse in colliculis. nam mons Sion erat quasi biceps: deinde erant etiam colles fere contigui, versus Libanum præsertim: tamen erat undique planities: deinde si ablatus fuisset mons Sion, Jerosolyma sita erat in valle. Scimus enim circumdatam fuisse montibus: Montes in *Psal. 125. vers. 2.*
circuitu ejus, ut dicitur in Psalmo. Jam positus ipse loci dabat fiduciam civibus, quoniam accessus erant magis difficiles. Deinde non putabant hostes suos venturos in vallem illam, quæ teneret ipsos inclusos multis angustiis, ac si essent obsessi. Hæc igitur ratio est cur Propheta urbem ipsam non appellet proprio nomine, sed dicat *eam habitare in valle:* deinde vocet *rupem in planitie.* nam quia ישר est Rectus, inde מישור significat locum æquabilem. Erat igitur tota regio quasi planities continua usque ad montes. Jam ipsa Jerosolyma habebat suos colliculos, ut jam diximus. erat igitur *quasi rupes*, aut petra, *in planitie.* Nunc videmus quo consilio Propheta

pheta usurpet hanc periphrasin: quia scilicet gloriabantur Judæi positu urbis suæ, acsi esset inexpugnabilis: deinde quoniam vicinitas montium una cum planitie dabat plures commoditates. Scimus autem quam propensi sint homines ad perversam securitatem, ubi ante oculos nihil occurrit periculi, sed potius se offerunt multa præsidia, vel alia adjumenta, quæ possint spem auxilii facere. Ergo hanc falsam gloriationem Propheta reprehendit, quum vocat *Jerosolymam habitatricem vallis.* Et adjungit *esse rupem in planitie.* quod clarius exprimitur in contextu, *Qui dicitis, Quis descendet contra nos, & quis intrabit in habitacula nostra?* Verbum יחת quidam vertunt, Quis conteretur super nos? deducunt enim à radice חתת: sed potius est à נחת, quod est descendere: & prior ille sensus nimis coactus foret. Loquitur autem Propheta ex opinione populi, qui putabat satis superque se esse munitum contra omnes hostium impetus. Potest quidem fieri, ut non ita palam loquuti sint: sed Propheta respicit occultos cordis affectus, quum tribuit illis hanc jactantiam, Se habitare locum inexpugnabilem, ita ut formidabilis esset accessus. nam loquuntur secure, *Quis descendet ad nos? quis ingredietur domos nostras?* quasi nidum haberent in nubibus. Significant enim sibi tranquillum fore statum, quia non audebunt hostes propius accedere: vel si ausi fuerint, turpiter pellentur, quia sufficiet duntaxat portas urbis claudere. Deus autem ex adverso dicit, *Ego ad te*, vel contra te: *& visitabo te*, inquit. quanquam mutat numerum. dicit enim pluraliter, *Visitabo super vos*, quia jam cœperat dicere, האמרים, *qui dicitis. Visitabo* igitur *super vos secundum fructum actionum vestrarum*, hoc est, tractabo vos ut digni estis, ut merentur vestra opera. Fructus enim hic accipitur pro mercede. Minatur ergo Deus se repensurum Judæis quod meriti erant, quia non destiterant iram ejus provocare. Postremo adjungit, *Accendam ignem in sylva ejus.* Quod Sylvam metaphorice quidam accipiunt pro vicinis oppidis, videtur alienum esse à Prophetæ sensu. Non inficior quidem esse metaphoram in his verbis, sed tunc Sylvæ nomen non referendum erit ad oppida & pagos, sed potius ad ædificia urbis ipsius, quemadmodum & alibi etiam hac loquendi forma utuntur Prophetæ. Quoniam ergo domus erant extructæ ex magna congerie lignorum, deinde ex proceris arboribus, & electissimis: copiam illam Propheta sylvæ comparat. Tamen sic simpliciter exponere licebit, & nescio an magis dextre ac commode, ut Propheta designet Libanum. Vocat igitur *sylvam urbis* arbores Libani, quas scimus fuisse apprime nobiles. Nam celebratur passim earum proceritas: deinde etiam scimus fuisse valde fertiles. Quoniam ergo pars falsæ gloriæ erat in monte Libano, Propheta diserte significat fore adjumento ad urbem ipsam exurendam: quia ubi Deus volet consumere Judæos, sumet ex loco propinquo materiam: Jam quia tenemus consilium Prophetæ, discamus usum hujus loci. Diximus alibi, nihil magis exosum esse Deo, perversa confidentia: ubi homines innixi suis adjumentis, sibi promittunt statum felicem & stabilem: & ita torpent in sua securitate. Sic enim fit ut contemnant Deum, neque dignentur ad ipsum confugere, derideant ipsius judicia, deinde tandem rapiantur insano impetu ad omnem petulantiam. Hæc ratio est cur toties Prophetæ, & tam acriter insurgant adversus homines securos, qui scilicet contra Deum superbiunt ubi nulla sollicitudine & nullo metu tanguntur. Non ergo tantum faciunt Deo injuriam, quoniam transferunt fiduciam salutis suæ ad media, vel adminicula, quibus perperam nituntur: sed non existimant se jam esse obnoxios Deo. Hinc fit ut sibi promittant impunitatem: atque ita obstupescunt prorsus in suis vitiis. Nunc sequitur,

Cap. XXII.

SIc dicit Jehovah, Descende in domum Regis Jehudah, & loquere illic sermonem hunc,

2. Et dices, Audi sermonem Jehovæ, Rex Jehudah, qui sedes super solium Davidis, tu, & servi tui, & populus tuus, qui ingredimini per portas istas.

3. Sic dicit Jehovah, Facite judicium & justitiam, & eripite spoliatum è manu oppressoris: peregrinum, pupillum & viduam ne fraudetis: (*Hieronymus hoc verbum ubique vertit, contristari, vel tristitia afficere: significat autem potius inferre violentiam, aut fraudulenter nocere*) ne violentiam exerceatis, (*alii vertunt*, אל תחמסו) & sanguinem innocentem ne fundatis in loco isto.

Iterum jubetur Propheta Regem aggredi, & ejus Consiliarios: quanquam exhortatio ad totum populum extenditur. sed oportuit à capite incipere, ut scirent plebeii homines & obscuri, non amplius ludendum esse, quum ne Regi quidem ipsi & Consiliariis Deus parceret: plus enim terroris incutitur hominibus gregariis, quum vident ipsam altitudinem prosterni. Ergo ut hæc doctrina efficacius penetraret in animos omnium, jubetur Propheta sermonem dirigere ad ipsum Regem, & ejus Consiliarios: postea secundo loco jubetur etiam complecti totum populi corpus. Hinc autem apparet spem gratiæ fuisse adhuc residuam, si Rex una cum toto populo amplexus fuisset admonitiones Prophetæ: & si vera fuisset resipiscentia, & conversio, Deus ad ignoscendum fuisset propensus. Quanquam notandum est quod ante dixi, non potuisse effugere cladem, quæ instabat: sed exilium fuisset longe mitius: deinde, reditus fuisset etiam certior, & modis omnibus experti fuissent se non fuisse rejectos à Deo, quamvis ad tempus fuissent castigati. Quum ergo nunc dicimus spem veniæ fuisse illis propositam, non debet ita accipi quasi potuerint urbis cladem avertere. nam semel fuerat hoc Deo decretum ut populus in temporale exilium traheretur, deinde ut cessarent ad tempus sacrificia, & horribilis vastitas documento esset, populum fuisse Deo nimis ingratum: præsertim vero ejus obstinationem non potuisse ferri, quum tamdiu contempti fuissent Prophetæ una cum Dei mandatis. Sed tamen speranda erat illis pœnæ mitigatio, si fuissent tacti aliquo sensu, ut studerent cum Deo redire in gratiam. Quoniam autem nihil profecit Jeremias tot exhortationibus, redditi sunt magis inexcusabiles. Nunc videmus quorsum tendat hæc tota doctrina, nempe ut Judæi toties convicti queri desinant se quicquam pati immerito, quoniam sæpius, imo fere innumeris vicibus fuerant admoniti, & Deus illis obtulerat misericordiam suam, si fuissent sanabiles. Jam venio ad verba: *Sic dicit Jehovah, Descende in domum Regis.* Videmus Prophetam fuisse præditum ea magnitudine animi, ut splendor Regii nominis non debilitaverit ipsum, quominus exequeretur partes sibi injunctas. Alibi etiam similia exempla vidimus: sed quoties occurrunt tales loci, digni sunt observatu. Primum, ut servi Dei intrepide fungantur suo munere, neque blandiantur magnis & divitibus, neque quicquam remittant ex sua gravitate, dum occurrit aliquis splendor, vel

alti-

altitudo. Deinde, ut etiam discant qui videntur sibi excellere supra alios, non posse quicquid præstantiæ obtendent, illis prodesse, quin se subjiciant doctrinæ
Cap.1: 10. Propheticæ. nam antehac vidimus missum fuisse Prophetam ut argueret summos quosque, & increparet, hoc est, ut personas omnes negligeret. Sic etiam hoc loco demonstrat sibi totum mundum fuisse quasi sub pedibus, quia non poterat aliter exequi munus suum, quin assurgeret supra Regem ipsum, & totam potentiam ipsius. Dicit autem *Regem sedere super solium Davidis*, non honoris causa, ut ante attigi: sed potius ut crimen Regis exaggeret, quod scilicet occupet sacram illam sedem, qua plusquam erat indignus. nam etsi dicitur sedere Deus in medio
Psal. 82. deorum, quoniam per ipsum reges regnant: scimus
vers. 1. tamen solium Davidis fuisse aliis omnibus excellentius, quia erat regnum illud sacerdotale, & erat imago cælestis regni, quod postea in Christo solide patefactum fuit. Ergo quum reges Jehudah, qui erant posteri Davidis, essent Christi imagines, minus ferenda fuit eorum impietas, postquam immemores suæ vocationis desciverant à patris sui Davidis imitatione, & facti sunt prorsus degeneres. Sic Prophetæ quum appellant domum Israel & domum Jacob, haud dubie exprobrant Judæis, quod dissimiles sint sancto Patriarchæ. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium, quum dicit, *Audi sermonem Jehovæ rex Jehudah, qui sedes super solium Davidis*. Cæterum ut justum pondus habeat objurgatio, diligenter Propheta inculcat, se nihil proferre, nisi quod divinitus mandatum est. Hæc ratio est cur iterum repetat, *Dices, Sic dicit Dominus, Descende, loquere, & dices.* Jam à rege descendit ad Consiliarios, & tertio ad totum populum: *Tu*, inquit, *& servi tui.* Per servos Regis Scriptura intelligit omnes ejus ministros, qui sunt à consilio, qui præfecti sunt ad exercenda judicia, & qui regiam potestatem exercent. sed notandum est, quod tandem totum populum alloquitur. Videmus ergo doctrinam esse omnibus communem: sed exordium fieri à Rege & ejus Consiliariis, ne existiment plebeii, se fore impunitos, si contempserint hanc doctrinam, cui etiam Reges oportet sese subjicere. Primo dicit, *Facite judicium & justitiam.* hoc maxime ad Regem & judices, ac præfectos spectat. nam scimus privatos homines non esse armatos ad defensionem bonorum. etsi enim quisque opponere se debet injuriis & maleficiis, tamen specialiter hoc injunctum est judicibus, quos etiam in hunc finem Deus armavit gladio. *Facere judicium* accipitur pro jus suum cuique reddere. Sed quum hæc duo simul junguntur, *Facere judicium & justitiam*, sub Justitiæ nomine intelligi debet æquitas, ut cuique jus suum reddatur: sub nomine autem Judicii, severitas in pœnis exigendis. neque enim satis est si judex pronunciet quid rectum sit, nisi etiam coërceat improbos, si quando audacius insurgant. Hoc igitur est facere judicium, quasi armata manu tueri simplices & innoxios. Postea adjungit, *Eripite spoliatum è manu oppressoris*. Repetit quod vidimus capite proximo: & hic sub una specie comprehendit officium judicum, nempe ut sese constanter opponant injuriis, & reprimant improborum audaciam, quia nunquam sponte adduci possunt ut se modeste & placide gerant. Quoniam ergo compescendi sunt violento remedio, dicitur, *Eripite spoliatum è manu oppressoris*, גזל, de qua voce alibi. sed hac loquendi forma significat Deus non sufficere si judex abstineat à tyrannide, à sævitia, non incitet improbos, nec illis faveat, nisi etiam agnoscat se à Deo præfectum esse hac lege, *ut eripiat spoliatos è manu oppressoris*, nec dubitet subire odia, & pericula, dum studet officio suo non deesse. Adjungit nunc Propheta alias species, quas non attigerat proximo capite: *Ne fraudetis peregrinum, & pupillum, & viduam*, inquit. Sæpe hæc loquutio occurrit in Scriptura: non quod fas sit quenquam fraudare. Neque enim Deus eximere vult à noxa solos pupillos, & peregrinos, & viduas: sed quoniam in pupillis nulla est ratio, nullum consilium, expositi sunt quasi in prædam: viduæ etiam, quia nihil in se opis habent, & peregrini carent favore, nullos reperiunt amicos qui suscipiant eorum causam: ideo præcipue commendat Deus tam peregrinos quam pupillos & viduas. Deinde alia etiam est ratio. nam quum jus redditur & pupillis, & peregrinis, & viduis, non dubium est quin illic clarius relucecat æquitas. Nam si quis amicos secum adducit, & advocat ad causæ suæ defensionem, judex movetur: qui etiam est indigena, habebit suos cognatos & propinquos qui suffragentur ejus causæ: qui dives est, & præditus auctoritate, etiam movebit judicem, ne audeat notabilem aliquam afferre injuriam. Sed ubi in medium prodit vel peregrinus, vel pupillus, vel vidua, judex posset impune opprimere eos omnes. Ergo si recte judicat, non dubium est quin magis conspicua sit ejus integritas, & rectitudo. Hæc igitur ratio est cur Deus passim species istas enumeret quum agitur de rectis & æquis judiciis. Postea adjungit, *Ne exerceatis violentiam, & ne fundatis sanguinem innoxium in loco isto.* Hæc etiam proprie ad judices spectant. Est autem hoc quasi horribile prodigium, sedem illam Davidis ita fuisse pollutam, ut esset quasi spelunca latronum. Ubicunque aliqua obtenditur species judicii, debet illic esse quædam reverentia, vel pudor: sed quemadmodum diximus, tribunal illud erat Deo sacrum peculiariter. Quum ergo Rex & ejus Consiliarii fuerint quasi prædones, & ita occupaverint sedem Davidis, ut grassata fuerit omnis impietas, nec dubitaverint hinc inde rapere, acsi essent in aliquo spoliario, hoc, quemadmodum dixi, fuit triste & fœdum spectaculum. Sed eo diligentius notare hunc locum oportet, ut discamus nos confirmare adversus mala exempla, ne qua scil. hominum impietas fidem nostram labefactet, quum videmus in ipsa Dei Ecclesia res ita permixtas & confusas, ut qui gloriantur Dei nomine, sint quasi latronibus similes, ne propterea alienemur à vera pietate. Detestari quidem necesse est ejusmodi monstra: sed ita cavendum est ne vilescat nobis sermo Dei hominum culpa. Tenenda est igitur illa Christi admonitio, dum sedent Scribæ & Pharisæi super sedem Mo- Mat. 23.
sis, ut ipsos audiamus. Sic oportuit Judæos venerari vers. 2.
regium illud solium, cui Deus insculpserat certas notas suæ gloriæ. Quamvis autem viderent fœdatum esse multis sceleribus hominum, & flagitiis, tamen debuit manere aliqua reverentia propter verbum illud, Hæc requies mea in seculum seculi. Sed videmus interea Regem fuisse graviter & severe objurgatum, ut dignus erat. Itaque nimis stolide Papa hodie se eximere conatur ab omni reprehensione, quod occupet sedem Apostolicam. Ut demus quod postulat (quanquam frivolum est ac puerile) Romam censeri sedem Apostolicam (quæ nunquam vidit Petrum, ut arbitror) certe solium Davidis magis fuit venerabile, quam sedes Petri: tamen posteri, qui Davidi successerant, quamvis gestarent Christi imaginem & personam, non protinus fuerunt immunes à reprehensione, quemadmodum hic cernimus. Potest tamen quæri, cur dicat Propheta se missum fuisse ad totum populum, quando ejus doctrina nonnisi ad Regem & Judices publicos dirigitur. Neque enim pertinet ad vulgus ipsum, aut privatos homines. Sed jam dixi, facile fuisse gregariis hominibus, colligere quam metuendum esset Dei judicium, quia audiebant pœnam denunciari etiam domui Davidis, quæ tamen erat quasi sacrosancta. Quum viderent ergo citari ad Dei tribunal eos, qui erant quodammodo soluti legibus, quid poterant reputare, nisi ut quisque in seipsum descenderet, ac examinaret vitam suam? quia necesse erat, tandem vocari ad reddendam rationem, postquam Rex ipse cum suis Consiliariis præcesserat. Nunc sequitur,

4. Quia

4. Quia si faciendo feceritis (*alii vertunt, Quin potius faciendo faciatis*) sermonem hunc, (*hoc est, obediatis sermoni huic*) & ingrediemini per portas domus hujus, Reges sedentes pro Davide (*aut Davidi*) super solium ejus, insidentes currui & equis, ipse, (*Rex*) & servi ejus, & populus ejus.

5. Quod si non obedieritis sermonibus istis, in me (*hoc est, per me*) juravi, dicit Jehovah, quod in solitudinem (*aut vastitatem*) erit domus hæc.

Propheta clarius exprimit quod nuper dixi: nempe si ex animo Judæi resipuissent, fuisse adhuc locum misericordiæ. Promittit enim illis, Deum fore placabilem, si studeant se reconciliare: & allicit eos ad pœnitentiam blandis verbis. כיאם, possumus conjunctim legere, ut sit, Quin potius. Alios tamen sequutus sum qui sic transferunt, *Quia si faciendo feceritis hunc sermonem, tunc ingrediemini:* ita copulam resolvunt in adverbium temporis: ut sæpe fieri solet. Interea non male quadrat alter sensus, ut verbum futurum תעשו, sit hortantis. Scimus enim futurum tempus accipi sæpe pro imperativo apud Hebræos. Quantum ad summam rei, non multum interest. nam eodem redit Prophetæ consilium, Deum scilicet fore Judæis exorabilem, si non fuerint prorsus immorigeri: *Tantum*, inquit, *obedite sermoni meo*, & salva res erit. non quod impunitas speranda esset, quemadmodum ante dixi, sed quia experti fuissent, se non frustra fuisse Deo reconciliatos ob pœnæ mitigationem. Fuisset enim illis exilium dulce, & Deus haud dubie placasset illis adversarios: multis denique modis ostensa fuisset illis misericordia. Porro significat Propheta se non frustra eos vocare ad pœnitentiam, sed simul gratiam Dei proponit in pœnæ mitigationem, & addit: *Ingrediemini per portas domus hujus*, inquit, *tam Reges quam eorum Consiliarii:* sed mutatur numerus postea: *ipse*, hoc est, quisque Rex. Videtur quidem primo intuitu Propheta retractare quod dixit de exilio: sed conjungi debent ista duo, nempe fuisse aliquid spei residuum, si Judæi locum dedissent Dei gratiæ: deinde ferendam tamen illis fuisse pœnam, quæ semel decreta erat. hæc non male inter se conveniunt. nam Deus statuerat abducere in exilium Judæos, sed haud dubie non fuisset in solitudinem redacta tota Judæa, quemadmodum factum est, ut postea in fine libri legitur, perdita eorum contumacia, quia poterant adhuc in patria habitare. hoc unum est. Deinde post exilium fuisset melior & felicior longe status. Atqui tunc prorsus pedibus calcatum fuit diadema, & quicquid fuerat dignitatis & potentiæ in familia Davidis, id fuit quasi abolitum. Quum ergo dicit Propheta, *Ingredientur Reges in curru & equis*, deinde *populus, & ipse cum Consiliariis per portas urbis hujus*, per Portas non intelligit fore ita integros, ne Deus castiget eorum scelera, sicuti pronunciaverat: sed fore aliquam speciem Regni, & breve fore exilium: deinde tandem fore restitutionem, ut redeant posteri Davidis quasi postliminio, & urbs ipsa instauretur, ita ut floreant tam opulentia, quam aliis omnibus bonis. hæc est promissio. Interea adjungit ex opposito Propheta, *si non audierint, locum illum fore prorsus desertum.* Sed hæc comminatio tractabitur die crastino.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es erigere solium Filii tui inter nos, ut sinamus nos ab ipso regi, nec falso jactemus nos esse ejus populum, sed reipsa demonstremus nos vere & ex animo profiteri ipsum esse nostrum Regem, ac ipse vicissim toto vitæ cursu sic nos tueatur contra omnes hostium insultus, ut semper auxilio tuo innixi, & possidentes in patientia animas nostras, tandem colligamur in beatam illam gloriam, & quietem, quam nobis peperit sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA PRIMA

IN

J E R E M I A M.

HEri exposuimus sententiam illam Prophetæ, Regnum scilicet rursus restituendum à Domino, si Rex & ejus Consiliarii, totusque populus resipiscerent. Nunc opponitur comminatio, Si non audierint, actum esse de palatio, & de urbe. Sæpius autem repetitur nomen domus, vel palatii, quia tametsi munitiones urbis inflabant animos populo, præcipue tamen superbiebat illa fiducia, quod pollicitus fuisset æternum fore regnum Davidis. Ergo non putabant posse fieri ut
Psal. 89. unquam excideret Regia dignitas, quamdiu sol &
v. 37, 38. luna in cælo forent. Huic perversæ fiduciæ occurrit Propheta, & dicit, *Si non audieritis hos sermones:* mutat numerum. dixerat prius, את הדבר הזה, sermonem hunc: nunc dicit, את הדברים, sermones istos. Sed numerus singularis complectitur summam totius doctrinæ. plurali autem numero nunc utitur, quoniam hortatus illos fuerat ad vitæ mutationem. Jam vero ne putent se inaniter terreri, pronunciat *Deum per se jurasse.* Scimus hoc fieri propter hominum socordiam, quum Dominus jurat, vel ubi aliquid promittit, vel ubi denunciat pœnam peccatoribus. Vix enim simplex verbum pro sua incredulitate corda nostra admittunt, nisi Deus modis omnibus ea purget impedimentum tollendo. & hæc est utilitas jurisjurandi ubi Dominus non tantum simpliciter loquitur, sed quo nos certiores reddat salutis nostræ, sancit suam promissionem nomine suo quasi pignore interposito. Eadem etiam ratio est in minis. nam tanta est in peccatoribus securitas, ut surdi sint donec quasi violenter penetret Deus in ipsorum corda. dicit igitur, *Deum per se jurasse*, quoniam incredibile erat apud Judæos, posse unquam perire familiam illam, quæ divinitus segregata fuerat è mundo. Nunc sequitur,

6. Quoniam sic dicit Jehovah super domum Regis Jehudah, Gilead, tu mihi caput Libani, si non posuero te desertum, tanquam urbes quæ non habitantur.

Confirmat superiorem sententiam, & pluribus verbis prosequitur quod satis clare dictum fuerat: quoniam vix poterat excuti perversa illa gloriatio Judæis, quod putabant stabile fore regnum in familia Davidis, & exemptum esse ab omni mutationis periculo. Cæterum, Interpretes in sensu verborum dissentiunt. non referam singulas opiniones: neque opus est: tantum dicam de genuino sensu quod mihi videtur. Aliter quidem omnes reliqui, sed non dubito Prophetam idem velle quod prius septimo capite

supra 7. vers. 12. pite vidimus. Dicebat illic, Ite in Sylo, & videte qualis sit facies illius loci. nam per longum tempus illic habitaverat Arca fœderis. Quum ergo putarent locum illum esse sacrosanctum, redactus tamen fuit in vastitatem, & ita debuit esse horribile spectaculum toti populo. Nunc eadem ratione, ut mihi videtur, Propheta hic comparat Libanum cum monte Galaad. Nam quod alii dicunt Gilead fuisse metropolim decem tribuum, nihil habet firmitatis. Sed tenenda est illius temporis conditio: Regnum Israël prorsus excisum fuerat quo tempore hanc concionem & reliquas habuit Propheta noster. Judæa fuerat quidem multis cladibus attrita, sed stabat tamen qualecunque regnum. Ergo per montem Galaad non dubito quin Propheta designet totum regnum Israël per synecdochen, sed alio fine quam existimant interpretes, nempe quia tunc vastata erat terra Israël. Nam abducti fuerant omnes incolæ in exilium, & abactæ fuerant omnes prædæ, nihil effugerat libidinem & sævitiam hostium. Quum ergo terra Israël redacta esset in solitudinem, dicit Deus non fore sibi majore in pretio Jerosolymam, & regnum Jehudah, quam fuerit tota regio decem tribuum, quæ certe amplitudine & opulentia præstabat. Et hoc facile colligitur ex verbis: non dicit, Tu es sicut Galaad, caput Libani; sed, *Tu mihi Gilead caput Libani.* Vocat autem Jerosolymam caput Libani, quod Regina esset illius terræ. Nam per montem Libani designat quicquid pretiosum fuit in terra illa, ut heri allata fuit ratio. Jam quod ad Galaad spectat, non existimo fuisse urbem illo nomine quam hic memoret Propheta, sed potius synecdochice complectitur terram sub monte illo, quoniam refertus erat & multis fructuosis arboribus, & balsamo præsertim, & resina, & aliis multis herbis odoriferis: deinde etiam aromatibus, quæ hucusque illinc hodie quoque advehuntur. Et ideo vidimus capite octavo, An non est supra 8. vers. 22.
resina in Gilead? hoc est, an nihil medicinæ usquam reperietur ad sanandam Ecclesiam? Cur facta tunc fuit mentio montis Gilead? nempe quia illic nascebantur optima aromata: præsertim autem opobalsamum: deinde illic erant multæ arbores odoriferæ, & fructus pretiosissimi. Summa est igitur, Quid te putas esse? vel quo jure tantopere tibi confidis? ego non peperci monti Gilead, & tam amplæ terræ, quæ multo excellentior fuit quam tu nunc sis. quid ergo sibi vult hæc stulta superbia, dum tibi persuades longe abesse omne periculum? *Tu eris ergo mihi tanquam Gilead*, hoc est, contemplare judicium meum in monte Gilead, & in hac horribili vastitate terræ Israël? idem tibi continget quod illic potes nunc cernere. Jam tenemus quo sensu dicat Propheta, *Coram Deo caput Libani*, hoc est, Jerosolymam ipsam, quæ dominabatur Libano, *fore sicut Gilead.* Deinde adjungit, *Si non posuero te in desertum.* Iterum jurat Deus. nam scimus ellipticam esse formam jurisjurandi, ubi exprimitur tantum particula אם, si: subaudienda enim est imprecatio, Ne existimer Deus: vel, pro nihilo ducatur mea potentia: aut, ne censear posthac verax, & fidelis. Quicquid sit, jurat Deus *urbem illam fore in desertum, tanquam urbes quæ non habitantur.* Et ita optime fluit contextus, quod scilicet Jerosolyma erit tandem similis terræ Israel, quia Libano non magis parcetur quam monti Galaad. Sequitur postea,

7. Et præparabo (*vertunt alii, sanctificabo, ut etiam* קדש *hoc significat. præparabo igitur*) adversum te perditores, (*aut vastatores.* שחת *significat perdere, & redigere in nihilum, & corrumpere: unde nomen* משחיתים, *quod hic ponitur*) virum & arma ejus, (*aut instrumenta bellica, vasa, transferunt*) & exscindent electionem cedrorum tuarum, (*hoc est, electissimas quasque cedros tuas*) & conjicient in ignem.

Modum exprimit: quia simpliciter dixerat instare ruinam urbis Jerosolymæ. adjungit, *Venturos esse perditores, & quidem bene armis bellicis instructos, qui electissimas quasque cedros exscindant, & conjiciant in ignem.* Admonet autem, non sponte vel proprio motu venturos esse illos perditores, sed arcano Dei instinctu, quia si putassent Judæi sibi esse cum Chaldæis negotium, hoc nihil ad exercitium pietatis: sed Propheta diserte exprimit, Chaldæos fore Dei ministros, quoniam ab ipso excitati erunt, quemadmodum hæc doctrina subinde occurrit apud Prophetas. Denique hic duo notanda sunt, nempe esse in promptu Deo multa media, quibus pœnam exigat de Judæis. Nam hinc contemptus, quia somniant impii Deum esse exarmatum, neque semper habere ad manum paratam exequutionem, ut loquuntur. Propheta igitur ostendit Chaldæos præsto fore simulac sibilaverit Deus, vel signum dederit. hoc est unum. Deinde admonet Chaldæos fore tanquam Dei flagella, ne Judæi confligant veluti cum mortalibus, sed sciant se vocari ad reddendum vitæ rationem, quoniam nimis diu fuerunt rebelles Deo, & ejus Prophetis. Hoc ergo intelligi debet sub verbo *Præparandi.* Jam quod ad *cedros electas* spectat, rursus alludit Propheta ad montem Libanum, & ad sylvam Jerosolymæ, de qua heri dictum fuit. Potest tamen hoc referri ad ipsa ædificia. nam tabulata ut plurimum Judæi solebant extruere ex lignis cedrinis, quemadmodum satis notum est. Ergo licebit transferre hoc ad splendidas & sumptuosas domos. Sed absque figura etiam possumus accipere de arboribus montis Libani. Erat autem illud præcipuum regionis decus, videre nobilissimas arbores in monte illo. Ergo per Cedros haud dubie designat Propheta quicquid erat splendoris Jerosolymæ & in toto circuitu. Sequitur,

8. Et transibunt gentes multæ per urbem hanc, & dicent quisque socio suo, (*vir ad socium suum, ad verbum*) Cur fecit Jehovah in hunc modum urbi huic magnæ?

9. Et dicent, Quia dereliquerunt fœdus Jehovæ Dei sui, & sese inclinarunt coram diis alienis, & coluerunt eos.

Ostendit his verbis Propheta quantopere in suam perniciem desipiant Judæi, quum tam præfracte à se repellunt Dei judicium. Neque enim dubium est quin verba hæc contineant duas antitheses. Nam comparat mortales homines cum Deo, deinde gentes multas cum ipso uno. Non poterant Judæi ferre Deum judicem, & adhuc refragabantur, & volebant sua pertinacia vincere. Dicit ergo Propheta, Quia non sustinent judicari à Deo, venturos esse judices, qui liberam de ipsis sententiam pronuncient. quinam erunt? Profani homines, inquit. Deinde quia non poterant uni Deo se subjicere Judæi, Propheta opponit uni Deo gentes multas. Videmus ergo quale sit pondus in his verbis: *Transibunt*, inquit, *gentes multæ per hanc urbem*, hoc est, hactenus Deus hanc urbem decoravit suis beneficiis, ut esset instar miraculi extraneis hominibus. nam conspicua fuit tanta dignitas illius urbis, ut converteret in se omnium

oculos, & celebraretur ejus fama longe & late. Nunc dicit Urbem nudam fore omnibus ornamentis, postquam illinc Deus migraverit. *Transibunt* ergo, inquit, *per hanc urbem gentes multæ: & tunc inquirent quisque à socio suo, Cur sic fecit Jehovah huic urbi magnæ?* Non dubium est, quin oblique perstringat Jeremias non modo segnitiem, sed socordiam, quæ sic dementaverat Judæos, ut nunquam illis in mentem veniret Dei judicium, neque unquam tot maledictiones Legis illos tangerent. Ostendit ergo plus fore animi & prudentiæ in Gentibus: quia ubi viderint Jerosolymam dirutam, & funditus eversam, statuent hoc non fortuito contigisse, sed sibi proponi cælestis vindictæ exemplar. Nunc ergo videmus, ut Judæis exprobret suum stuporem, quia non reputabant apud se Dei judicium, ubi Gentibus tribuit saltem prudentiam, & studium inquirendi: *Cur ergo sic fecit Jehovah huic urbi magnæ?* Intelligent Gentes, inquit, quod non capitis, nempe hanc urbem esse spectaculum horribilis vindictæ, & ita alii ab aliis inquirent: atqui dum nunc Deus ultro vobis prædicit, vos aures clauditis: certe longa inquisitione opus non foret in tanta luce: quia nisi essetis surdi & cæci, imo obstinati, Deus sponte vos prævenit. Quid ergo hoc sibi vult, quod Deus vobis prædicit, vos autem renuitis audire, nisi quia diabolus tenet vos fascinatos? Et dicit *urbem magnam*, quin clades fuit notabilior propter urbis magnitudinem. Si pereat aliquod oppidum ignobile, pro nihilo fere ducitur: sed urbs quæ passim erat celebris tam propter amplitudinem, quam propter eximias Dei benedictiones, quibus pollebat, convertit in se omnium admirationem, quoniam exciderat quasi ex nubibus. Postea adjungit, Non tantum fore inquirendi studium in Gentibus, sed ultro fore unumquemque judicem totius populi. *Dicent* igitur, *Quoniam dereliquerunt fœdus Jehovæ Dei sui*. Quum autem pronunciat Jeremias singulos è profanis gentibus fore judices populi, non dubium est, quin velit refellere stultam confidentiam, qua superbiebant. Interea dicit; *Dereliquerunt fœdus Jehovæ Dei sui*, ut tollat prætextum ignorantiæ. Neque enim tantum eripuerant Deo æterno jus suum, & imperium, sed fuerant etiam bis scelerati, quoniam Deus familiariter illis innotuerat. Quum ergo illis patefacta esset vera religio per Legem, hinc colligitur eorum pravitas, & scelerata ac turpis ingratitudo, quod Deum ita cognitum rejecerint, *& se inclinaverint coram diis alienis, & ipsos coluerint.* Ego levius hæc attingo, quoniam alibi fuerunt exposita. Sequitur,

10. Ne fleatis (*vel, Ne lugeatis*) super mortuum, & ne condoleatis ei: flete flendo super eum, qui migrat, quia non revertetur amplius, & videbit (*hoc est, ut videat*) terram nativitatis suæ.

Versum hunc exponunt de rege Joakim, & de Jekania: sed potius arbitror generalem esse sententiam. Vult enim breviter docere Propheta quam miserabilis futura sit populi conditio, quoniam melius & optabilius sit semel mori, quam vitam protrahere in continuo languore: de Regibus postea loquetur. Sed hæc verba cogit ratio extendere ad totum populum. Si quis populus aufugiat ubi non potest hosti resistere, in posterum sperat restitutionem. Ergo mortem magis exhorrent fere omnes, quam exilium, & alias calamitates, quæ tolerantur in hac vita: nam qui adhuc sunt superstites, possunt utcunque emergere ex malis suis, & ærumnis, vel saltem parte aliqua levari. mors autem spes omnes abscindit. Sed Propheta hic dicit mortem fore meliorem, quam exilium. quare? Nam præstabit, inquit, semel defungi uno interitu, quam misere vitam trahere per multas contumelias, per multa tædia, denique per multas clades. Quum ergo dicit, *Ne lugeatis super mortuum, & ne condoleatis ei*, tantundem hoc valet, acsi dixisset, Si lugenda est urbis hujus clades, potius lugendi sunt qui manebunt superstites, quam qui morientur. Mors enim erit quasi requies, erit portus ad finienda omnia mala: vita autem longior nihil aliud erit, quam continua miseriarum series. Hinc colligimus, non debere hoc restringi ad duos Reges, sed generaliter pronunciari de communi totius populi statu. Sequitur, *Quia non revertetur amplius, ut videat terram nativitatis suæ.* Ostendit exilium fore quasi tabem, quæ paulatim consumat miseros Judæos. Ita mors fuisset illis dulcior longe, quam sic diu cruciari, & nihil habere relaxationis. Tollit igitur spem reditus, ut ostendat exilium fore quasi mortiferum languorem, qui corrodet eos quasi vermis, ita ut centies mortem optent potius, quam ut maneant in dura illa & misera servitute. Nunc sequitur,

11. Quia sic dicit Jehovah ad Sallum (*vel super Sallum*) filium Josiæ regis Jehudah, qui regnat pro Josia patre suo, Quando (*אשר est quidem relativum, sed non dubito quin sumatur hic pro adverbio temporis: & ideo obscurant sensum interpretes, dum vertunt, Qui egressus est, & coguntur deinde mutare sensum verbi: sed hoc optime fluit, & sæpe accipitur pro Quando*) egressus fuerit ex hoc loco, non revertetur amplius.

12. Quoniam in loco ad quem transtulerint ipsum, illic morietur, & terram hanc non videbit amplius.

Quod de omnibus sine exceptione dixerat, nunc confert propria vel peculiariter in personam Regis, ut certo agnoscant plebeii homines se non posse effugere pœnam illam, à qua ne Rex quidem ipse futurus erat immunis. Nec dubium est, quin hoc tanquam prodigium rejecerint, quum audirent tam duram & acerbam fore sortem Regis. Sed in ejus persona voluit ostendere Jeremias instare omnibus quod nuper vidimus, nempe ut illis præstaret semel mori, quam diutius languere. Interea notandum est, hic non dici de Rege quod continent isti duo versus, quasi in ipsum solum competeret: sed potius, ut quisque ad se applicaret quod Propheta dicebat de Rege solo. Quantum attinet ad nomen Sallum, existimant ita vocatum fuisse Joakim, qui & Jechonias dictus est, qui sponte regno cessit, & mortuus est in exilio. Sed quod vocatur filius Josiæ, quæstionem parit. Nam si expendimus quod narrat Sacra historia, probabilis conjectura erit non fuisse filium, sed nepotem potius. Dicitur enim successor electus patris sui Joakim, qui & Eliakim. Rursum tamen Matthæus filium Josiæ vocat: & quidem ab eo genitum, una cum fratribus. Verum scimus communi usu hoc receptum esse apud Hebræos, ut posteri omnes vocentur filii: præsertim ubi agitur de familia Davidis, propter successionis ordinem vocantur filii, qui suos antecessores proxime sequuntur. Ita legaliter potuit censeri filius Eliakim, cujus frater erat naturalis. Quoniam ergo hic successor erat Josiæ, ideo vocatur filius. Interea dubium non est quin

Matth. 1. vers. 11.

quin Deus pium Regem ostendat non fore patronum suo vel filio vel nepoti, & reliquis. nam solent hypocritæ sibi fabricare præsidium ex patrum sanctimonia. Et quoniam Rex Josias fideliter Deo servierat, putabant ejus filii Deum quodammodo sibi esse obstrictum, quasi oon hoc totum à pura Dei liberalitate manasset, quod Josias coluerat tam sincere pietatem. Sed hypocritæ, ut nunc dicebam, semper Deum volunt sibi reddere obstrictum. Ergo Propheta huic perversæ opinioni occurrit, & pronunciat, Quamvis Deo gratus fuerit Josias, tamen memoriam ejus non tanti fore, quin pœna sumatur de ejus posteris. Deus quidem in Lege promittit se us- *Exod. 20. vers. 6.* que in millesimam generationem fore misericordem erga eos, qui ipsum diligunt: sed impii perperam hoc arripiunt, quasi ipsum tenerent sibi devinctum. nam ita imaginantur se posse illum exuere & potentia, & judicio, & imperio etiam mundi. Hæc igitur summa est, quod frustra sibi salutem promittit Sallum, quia progenitus sit ex sancto Rege Josia, qui exemplar fuerat eximiæ pietatis. Neque enim hoc impediet, quo minus graviter puniatur, quia scilicet degeneravit à patre suo, quem debuerat imitari, quum sciret Deo fuisse probatum. Et hæc etiam causa est repetitionis, quia non tantum vocat filium Josiæ, sed dicit, *qui regnat pro patre suo Josia*. Tametsi ergo successit tam pio Regi, quia tamen est degener, & descivit à patris sui exemplo: ideo *quum egressus fuerit ex hoc loco, non revertetur huc amplius.* Quum ergo excluditur Rex à reditu, quid fiet vulgo, & fæci plebis? an melior erit ipsorum conditio? quomodo igitur audebunt Judæi facere sibi delicias, quum animadvertant adeo horribile documentum iræ Dei in ipso Rege, unde pendebat eorum salus? Sequitur confirmatio: *Quoniam moritur in loco, ad quem eum transtulerint.* Significat violenter correptum iri: nec certe ita cessit, quin viderit necessitati parendum esse. Ergo Propheta significat fore miserum exulem, qui trahetur præter animi sententiam. deinde addit *illic moriturum, ut amplius non videat terram suæ nativitatis*, hoc est, nihilo potiorem fore sortem illius, quam cujuslibet è media plebe. Sequitur,

13. Heus qui ædificat domum suam in non justitia, (*hoc est, injuste*) & cœnacula sua in non judicio, (*hoc est, sine rectitudine & æquitate*) proximum suum servire facit gratis, & opus ejus non reddit ei (*vel, quod ille operatus fuerit non reddit ei. quidam enim volunt esse verbum, alii nomen: sed idem manebit sensus.*)

Hic incipit Propheta ostendere non posse aliter fieri, quin ea scindatur tam Jerosolyma, quam palatium Regis, quoniam scilicet scelera usque ad cumulum pervenerant. nunc autem, ut paulo post liquebit, patrem Jechoniæ aggreditur. Dicit igitur fuisse urbem illam plenam latrociniis, & præsertim Regis palatium. Qanquam non existimo Prophetam loqui de solo Rege, sed etiam de Consiliariis, & Optimatibus. Interea memoriæ tenendum quod heri dixi, nempe non absolvi gregarios homines, dum Rex præ ipsis damnatur: sed quoniam si quid erat dignitatis in populo illo, poterat conspici tam in Rege, quam in Proceribus: ideo Propheta producit quasi in theatrum ipsos duces, ut inde colligi possit quam omnia perdita sint in toto populo. Et simul etiam addendum est, primos fuisse tractos in judicium, quia non tantum quisque privatim deliquerat, sed corruperant pessimis exemplis totum populi statum: deinde, quia sumpserant sibi plus licentiæ, quum nihil metuerent. scimus enim tyrannice ideo grassari divites, quia sunt quasi soluti legibus. Hæc igitur ratio est cur Propheta specialiter hic maledictionem Regi & Proceribus denunciet. Dicit autem *ipsos ædificasse injuste.* ponit Non justitiam, & Non judicium pro crudelitate, fraudibus, rapinis: denique comprehendit omnes iniquitatis species sub his vocibus. Additur ratio, quia abusi fuerint proximis suis, hoc est, exegerint vel extorserint ab illis operas, & non retulerint ullam mercedem. Hic quidem de una parte iniquitatis disserit Propheta: sed hinc potuit facile colligi, quam inique & scelerate dominati fuissent qui tunc pollebant imperio, quod scilicet abuterentur proximis suis tanquam mancipiis ad domos extruendas, ad ædificanda palatia, quoniam negabant mercedem miseris hominibus. Nihil autem crudelius est, quam fraudare laboris sui fructu miseros homines, qui in diem victitant ex suo labore: quemadmodum etiam in Lege præcipitur, ne *Levit. 19.*
merces operarii dormiat apud nos. perinde enim est *vers. 13.*
acsi jugularentur. Huc etiam accedit altera indignitas. si latro jugulaverit hominem incognitum, vult potiri præda: sed qui laborem extorsit ab homine misero, & suxit, ut ita loquar, ejus sanguinem, dum postea amandat ipsum nudum & egenum, hoc atrocius est, quam si violenter interficeret hominem incognitum. Tenemus ergo nunc consilium Prophetæ. Sed quia eandem doctrinam adhuc continuat, differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando non desinis & castigando, & blande nos ad te alliciendo, tentare an simus sanabiles, ne obdurescamus tam ad promissiones tuas, quam ad minas: sed vera docilitate sequamur quod tibi placere ostendis, & proficiamus in cursu sanctæ vitæ, & alacriores quotidie reddamur, donec tandem perveniamus ad eam metam, quæ nobis proposita est, & recipiamus mercedem fidei nostræ in regno tuo cælesti, quod nobis partum est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

Postrema lectione cœpimus exponere objurgationem, qua usus est Propheta adversus regem Joakim, quod scilicet miseros homines vexaret, ac multis molestiis oppressisset. nam quum illi propositum esset extruere splendida ædificia, adigebat plebem ad serviles operas. Hoc igitur vitium notavit Propheta quum diceret, *Heus qui ædificat domum suam injuste, & cœnacula sua per iniquitatem*: In non judicio, ad verbum. Cæterum, quia objicere poterat Joakim sibi hoc licere, quemadmodum Reges existimant sua causa creatum esse totum mundum: revocat ipsum ad jus commune, quod essent tamen ejus propinqui omnes Israëlitæ: quasi diceret, Quamvis excellas gradu, tamen tu unus ex genere Abrahæ, & sumptus è medio fratrum tuorum. Non est igitur quod tibi usurpes tantum

tum licentiæ, quasi isti obnoxii tibi forent. Ergo tenemus Prophetæ consilium, ubi damnat crudelitatem in rege Joakim, qui pro sua libidine magnifica palatia extruere volens, abusus fuerit misero populo, & extorserit plusquam fas erat. Nunc sequitur,

14. Qui dicit, Ædificabo mihi domum amplam, (*mensurarum, ad verbum: subaudiunt quidam interpretes, magnarum: sed illud frigidum est. simpliciter enim domus mensurarum tantundem valet, ac domus spatiosa*) & cœnacula dilatationum, (*ad verbum, vel respirationum, aut perflationum. nam* רוח *significat tam respirare quam dilatare: unde deducitur* רוח, *quod significat spiritum, & ventum*) & perforat sibi fenestras: & tecta (*vel cooperta*) est domus cedro, & uncta minio.

Alii vertunt, Et picta sinopide: sed minium est species sinopidis. vocant autem sinopidem non cretam albam, sed rubricam. quanquam ponunt tres species. Est enim sinopis rubicunda, est fusca, tertio est quædam mixta ex variis coloribus: minium autem lucidius est. Quantum ad rem ipsam spectat, non est ambiguus Prophetæ sensus, quia reprehendit in rege Joakim ambitionem & superbiam, quod scilicet mediocritate patrum suorum non contentus, appeteret immodicas pompas, & quodammodo extrueret sibi in nubibus palatium, quasi jam non haberet domicilium in terra. Splendor in ædificiis per se non potest damnari: sed quia fieri vix potest, imo fere nunquam contingit, quin cupiditas illa inexplebilis nascatur ex superbia, hinc fit ut Prophetæ vehementius exclament contra sumptuosas domos, & maledicant pompis illis, quia respiciunt originem, & finem ipsum. Tale etiam consilium Prophetæ fuit hoc loco: & ideo inducit regem Joakim, *Qui dicit, Ædificabo mihi domum amplam, & cœnacula respirationum.* Istud enim *dicere* designat stultam illam cupiditatem, qua Joakim fuerat fere inebriatus, ut pro nihilo duceret quicquid ante fuerat conspicuum in Jerusalem. Scimus palatia fuisse illis satis sumptuosa: deinde scimus quam splendide Rex Jehudah habitaverit. Etsi enim Solomonis palatia non stabant in sua integritate, quod tamen residuum erat abunde sufficere poterat homini non ita superbo. Sequitur ergo in Joakim regnasse luxuriam, quum despiceret palatium illud Regium, & quicquid adhuc manebat post mortem Solomonis. nam scimus Deum benedixisse & Ezechiæ regi, & Josiæ, & aliis. atqui sese continuerant illi intra metas. Quum ergo tale fastidium obreperet animo Joakim, hinc apparet, hominem esse inflatum vana superbia: imo stoliditate potius fuisse ebrium. Hæc igitur ratio est, cur asperius nunc eum castiget Propheta. *Dicit* igitur, *Ædificabo mihi domum amplam, cœnacula respirationum*, vel perflationum. Postea adjungit, *Et perfodit sibi fenestras.* Nam hæc erat pars luxuriæ, quum cœperunt homines diffluere in suas lautitias. Antiquitus erant fenestræ exiguæ. nam tantum spectatus fuit usus ab hominibus frugi: sed postea invasit quasi furor quidam multorum mentes, ut vellent quasi esse suspensi in aëre. Hinc igitur cœperunt latius fenestras suas aperire. Per se, quemadmodum dixi, hoc non damnaret Deus: sed semper tenendum est, sicuti monui, nunquam ita homines luxuriari in rebus externis, quin animus ipsorum infectus sit superbia, ita ut non respiciant quid utile sit, quid deceat, sed ferantur sua intemperie. Postea addit, *Et cooperta est cedro*, hoc est, domus erit obducta cedrinis tabulatis. Nam hic tectorium, meo judicio, designat Propheta, quum dicit domum fore clausam vel tectam cedro: quasi diceret, regem Joakim fere pro nihilo ducere lapides quadratos, & politos, nisi accedat etiam tectorium ad ornandos parietes ex cedrinis tabulis. Et eodem spectat *unctio ex minio* nam merito numerantur picturæ inter immodicos & superfluos sumptus. Quum igitur pars luxuriæ sit ornare variis pigmentis parietes, acsi appeterent homines mutare simplicem rerum naturam: ideo Propheta hic excandescit adversus regem Joakim. Nec dubium est, quin Deus circumstantiam temporis respexerit. Deus enim jam præmonuerat ipsum, & omnes Judæos de futuris cladibus. hoc igitur fuit quodammodo ludibrio habere omnes Dei minas. Scimus autem quam graviter hoc ferat Deus: sic denunciat apud Jesaiam, Vivo ego, nunquam delabi- *Jesa. 22.*
tur hæc vestra iniquitas: quia dum ego vos horta- *vers. 12,*
tus sum ad saccum & cinerem, dixistis, Epulemur *13, 14.*
& bibamus, cras moriemur. Talis igitur fuit contumacia in rege Joakim. nam debebat quasi ante oculos ejus versari propinqua clades: ipse autem quasi homo temulentus, augebat splendorem Regium, ita ut opes Davidis & Solomonis essent quasi quisquiliæ, præ illo immenso sumptu, ad quem progressus fuerat. Nunc sequitur,

15. An regnabis, quia tu permisces te in cedro? (*hoc est, quia te involvis cedro*) pater tuus an non comedit, & bibit, & fecit (*hoc est, quum faceret*) judicium & justitiam? tunc bene fuit ei.

Hic subsannat Propheta stultam confidentiam regis Joakim, quod opponeret fumos hostibus suis quasi firma præsidia. nam solent Reges suis deliciis animum adjicere, ubi otium est, & securitas: hoc est, si nihil metuunt, si nihil periculi apparet, tunc liberius sibi indulgent in suis deliciis: & hoc fere omnibus commune est. Sed videmus Reges præcipue luxuriari, ubi nullum illis est bellum, nemo facessit molestiam, nemo etiam minatur. Atqui Joakim si præditus fuisset exigua gutta prudentiæ, poterat sentire sibi metuendum esse à multis periculis. Jam quum adjiceret omnes suos sensus ad parietum picturam, deinde ad splendorem sui palatii, ad tectoria, & ejusmodi nugas, nonne oportuit ipsum existimare quasi hominem vesanum, & mentis non compositæ? hoc igitur vitium nunc perstringit Jeremias quum dicit, *An regnabis dum te involvis inter cedrina tabulata?* hoc est, an hoc stabiliet tibi regnum? vel, An felicior eris hac parte, dum habitabis inter cedros? & melius colligitur sensus Prophetæ ex reliquo contextu. Subjicit enim continuo post, *Pater tuus an non comedit & bibit quum faceret judicium & justitiam?* quidam ita accipiunt acsi occurreret Propheta objectioni. Poterat enim Joakim proferre exemplum patris sui Josiæ, qui non fuerat sordidus, sed ostenderat aliquid Regiæ dignitatis in tota vivendi ratione. Existimant igitur quidam Interpretes Prophetam refutare quod excipere poterat Joakim: Quid? an non pater meus etiam regali sumptu usus est? & ita interpretantur verba, quasi Propheta concedat initio, sed correctione adjuncta, ostendat frivolam esse excusationem Joakim: Fateor patrem tuum fuisse etiam ornatum regaliter: sed interea exercuit judicium, & justitiam: cur non imitaris patrem tuum in virtutibus? Deus ignovit si quid fuit supervacuum, vel nimium: quemadmodum

per

per indulgentiam multa patitur in Regibus. sed tu longissime distas à patre tuo, quia tyrannice extorques à miseris subditis serviles operas: deinde, ex rapinis & prædis ædificas tua palatia. Non est igitur quod integumentum tibi quæras à patre tuo, quoniam prorsus degeneras ab ejus probitate. Alii diversum prorsus sensum eliciunt, quod scilicet Josias sibi prorogaverit vitam, & conciliaverit gratiam Dei juste regnando. Ita ergo conjungunt hæc verba: Pater tuus annon comedit, & bibit? hoc est, annon feliciter egit, quia Deus illi benedixerat? respice causam, nempe quoniam fideliter exequutus fuerat partes suas. nam fecerat justitiam & judicium. Quum igitur videas æquitatem & moderationem, qua usus est pater tuus, fuisse causam beatæ vitæ, cur non etiam illum imitaris? Sed mihi videtur simpliciter hoc velle Propheta: Pater tuus certe hilariter vixit, & nihil ei defuit quum exerceret judicium, & justitiam. sic enim constabit melius antithesis inter tyrannidem Joakim, & integritatem patris Josiæ: quasi diceret, Tu nunc existimas fortunam tuam meliorem esse paterna, quoniam superas eum luxuria, & immodico splendore. Quoniam ergo agis tuos triumphos in rebus vanis, ideo videris tibi patre felicior. atqui pater tuus sorte sua contentus fuit: imo si reputatur ejus conditio, Deus ornavit illum omni benedictionum copia, & varietate. *Comedit ergo, & bibit.* Per istud *comedere & bibere* nihil aliud intelligo, quam vivere hilariter, & frui prospera fortuna, suaviter degere in otio. *Comedit* igitur *pater tuus, & bibit*, hoc est, nihil desideravit, & conditio ejus fuit quasi exemplar cælestis gratiæ, *quum exerceret judicium, & justitiam.* Et non male etiam quadrat quod sequitur, *tunc bene fuit ei.* Videmus ergo hic rideri stultam cupiditatem Joakim, qui non putabat se esse Regem nisi insaniret: quemadmodum hodie pudet Reges aliquid præ se ferre humanum, sed omnes gestus accommodant ad tyrannidem: deinde excogitant quomodo se longissime ab usu communi, & vita hominum segregent. Quum ergo tam ingeniosi sint Reges in suis illis ineptiis, quæ videntur esse tanquam vela, ne quid in ipsis humanum cernatur, Propheta hic merito invehitur adversus Joakim: *Bene fuit patri tuo*, inquit: & tamen civiliter agebat inter suos: neque tantum fuit in illo fastidium, ut aspernaretur communem vitam. Quum ergo fuerit beatus, si respicias quæ pertinent ad solidam beatitudinem, quid tibi tantopere places? quid habes illo melius, vel potius? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ eo spectare ut ostendat hanc esse unicam Regum gloriam, & hoc summum decus, si fungantur suo officio, & in illis imago Dei reluceat, dum exercent judicium & justitiam: quod autem ambitiose appetunt superbiæ instrumenta cæco impetu, istud esse nugatorium, nec quicquam facere ad beatam vitam, quam stulte imaginantur. Eodem sensu addit,

16. Judicium judicavit pauperis & egeni, tunc bene: an non cognoscere me, inquit Jehovah?

Clarius exprimit quod dixerat, nempe Josiam frugaliter vixisse, & tamen fuisse in honore, & pretio, quoniam in ipso refulsit Regia majestas. Ergo repetit aliis verbis quod dixerat, sed facit hoc ad explicationem, *Quod scilicet susceperit causam*, vel litem *pauperis & egeni.* Est synecdochica loquutio. nam si quis humaniter se gerat erga pauperes, interea autem rapiat substantiam divitum, hoc non debebit 22. censeri in laude: sed quoniam ut plurimum qui præ- 12. sunt, negligere solent pauperes & miseros, ab una 4. specie totum genus designat Propheta: quod scilicet Rex Josias fuerit probus, & æquus, & moderatus, neque tantum abstinuerit ab injuria, sed etiam opem tulerit innoxiis, quos videbat opprimi, & ultro sese opposuerit, ne quis illis molestiam inferret. Ergo sub hac specie comprehendit quicquid pertinet ad munus recti & integri judicis. Primum enim est, ut abstineant judices ab omni rapacitate, & violentia: alterum vero, ut miseris porrigant manum, & ferant suppetias, quoties vident illos esse obnoxios aliorum injuriis. *Judicavit ergo judicium*, vel causam suscepit *pauperis & inopis: tunc bene*, inquit, hoc est, quemadmodum ante exposui, fuit hæc perfecta felicitas patris tui Josiæ, ita ut neque despectus fuerit à populo, neque etiam quicquam ultra appetiverit. Jam sequitur, *an non hoc est nosse me? inquit Jehovah.* Iterum Propheta ostendit unde hæc licentia Regis Joakim tam in luxuria, & superfluo sumptu, quam in rapinis, & crudelitate, & venationibus, nempe quia omne pietatis studium abjecerit. Nam ubi viget seria Dei cognitio, necesse est homines esse compositos ad æquitatem, & modestiam. Qui igitur ita sævit atrociter adversus propinquos suos, ostendit deletam esse ex corde suo omnem memoriam & omne studium pietatis. Denique significat Propheta Joakim non modo injustum esse erga homines, sed convinci impietatis: quia nisi profanus esset Dei contemptor, non ita propinquos suos injuste opprimeret. Est autem hic locus notatu dignus, quod scilicet pietas formet vitam hominum ad omnia charitatis officia. Ubi ergo cognoscitur Deus, etiam colitur humanitas: sicuti ex opposito colligere licet, extinctam esse omnem curam Dei, & abolitum esse omnem ejus metum, ubi homines ultro & citro sese lædunt, & alii alios conantur opprimere, vel fraudare. Non dubium igitur est, quin possit deprehendi crassa impietas ubi negliguntur officia charitatis. Nam quum pietatem Josiæ probat Jeremias ex eo quod exercuit judicium & justitiam, non dubium est, quin perstringat Joakim: quasi diceret esse perditum & deploratum apostatam: quia si vel scintillam unam retineret veræ pietatis, æquior esset, & humanior erga suum populum. Nunc sequitur,

17. Quia non oculus tuus, & cor tuum nisi ad cupiditatem tuam, & ad sanguinem innoxium fundendum, & ad rapacitatem, & ad oppressionem, ad faciendum. (*hoc est, ut exequaris.*)

Hic clarius exprimit Propheta quantum differat Joakim à Josia patre suo. Ostendit igitur prorsus esse dissimilem, quoniam Josias studuerat æquitatem servare: hic autem omnes sensus suos ad fraudes, & rapinas, & sævitiam adjiciat. nam per *oculum & cor*, intelligit omnes partes animi, & corporis. Præcipuus sensus corporum est in aspectu, ut satis notum est. Ergo hic quicquid est tam externum, quam absconditum in hominibus complectitur Propheta quum dicit, *Oculus tuus*, hoc est, omnes corporales sensus tui feruntur *ad cupiditatem:* deinde, *cor*, id est, omnes cogitationes tuæ, omnes affectus, omnia consilia, omnia studia & conatus eodem etiam rapiuntur. Significat in summa, Joakim corruptum esse & corpore, & anima, ut rejecto omni Dei timore, sese projiciat tam ad avaritiam, quam ad rapinas, & omnes injustas oppressiones. *Oculus*, inquit, *tuus & cor tuum non est nisi ad cupiditatem tuam.* Nam בצע significat Concupiscere: inde deductum est hoc nomen, quod accipitur non tantum pro avaritia, sed

etiam pro quolibet genere cupiditatis. Adjungit crudelitatem: qoia fieri non poteſt, quin ſanguioarii ſint quicunque laxant frenum ſuis cupiditatibus. Tertio addit, *Ad rapacitatem*, vel occupationem. nam עשק ſignificat Rapere aliena bona: ita עשק eſt proprie Rapacitas. Poſtremo ſequitur *oppreſſio*, vel afflictio: quoniam רוץ ſignificat Currere, ideo Hieronymus tranſtulit, Curſum operis tui, quaſi ל conjuncta verbo עשות non eſſet litera ſervilis בכלם. ſed non poteſt hoc ſtare. Ergo ſatis clarus eſt Prophetæ ſenſus, quod Joakim tantum intentus ſit ad occupanda aliorum bona: deinde quod opprimat, & affligat quoſcunque poteſt. Quum poſtremo additur, *ad faciendum*, verbum Faciendi extenditur ad ea quæ præcedunt, quod ſcilicet Joakim applicet omnes ſuos ſenſus, & ſe totum exerceat in maleficiis, quod non tantum concipiat animo crudelitatem, & avaritiam, ſed etiam opere ipſo compleat quicquid apud ſe meditatus eſt. Sequitur,

18. Propterea ſic dicit Jehovah ad Joakim, *vel, de*: אל *capitur pro de*: *ergo de Joakim*, filio Joſiæ Regis Jehudah, Non lugebunt eum, Heus frater mi, & heus ſoror: non lugebunt eum, Heus domine, heus gloria ejus.

19. Sepultura aſini ſepelietur, ad trahendum, & projiciendum ad extra ad portas (*ad verbum*: *hoc eſt, longe extra portas*) Jeroſolymæ.

Poſtqoam invectus eſt Propheta adverſus Joakim, nunc oſtendit qualis eum Dei vindicta maneat: alioqui ſprevisset objurgationem Propheticam. ſed ubi audit paratam ſibi eſſe hanc mercedem, fieri non poteſt, quin moveatur. Quoniam ergo fuerat ſtolida, & quaſi ebria cupiditate gloriæ ita correptus, ut omnem æquitatis curam rejiceret, ideo Propheta denunciat paratam ei eſſe ignominiam: & ideo comparat eum aſino poſt mortem. *Sic ergo dicit Jehovah ad regem Joakim*, vel *de rege Joakim filio Joſiæ regis*. Non vocatur filius Joſiæ honoris cauſa, ſed hic acriter pungitur, quod degeneraſſet à ſancto patre ſuo. Sed quoniam ſperabat pietatem Joſiæ ſibi fore quaſi integumentum, ideo Propheta ejus confidentiam deridet, ac refellit. Tu, inquit, gloriaris te eſſe filium Regis Joſiæ: atqui nihil proderit tibi ſanctus pater, quandoquidem viſus es ex profeſſo velle oſtendere te eſſe prorſus ab eo alienum. utcunque ergo originem à Joſia traxeris, utcunque etiam Deus te extulerit in ſolium Regale, tamen non eſt quod confidas te fore ſalvum, quia hæc Dei beneficia non obſtabunt, quo minus ignominioſe, ut dignus es, tracteris. Primo dicit, *Non lugebunt eum, Heus frater mi, heus ſoror*. Hic mimitice refert Propheta lugentium voces. ſcimus populum illum fuiſſe plus ſatis vehementem in exprimendo dolore. Et hoc tenendum eſt, quia quidam eo quod perſuaſi ſunt nihil à Prophetis referri, quod non poſſit trahi in exemplum: ita exiſtimant hos lugendi ritus Deo probari. Sed vidimus antehac quid diceret Propheta,
fup. v. 4. Ingredientur per portas iſtas reges Jehudah, & duces ipſorum cum curribus. atqui ſcimus prohibitos fuiſſe Reges ab illis pompis: ſed Deus non ita ſcrupuloſe reſpicit quid liceat, vel rectum ſit, ubi loquitur de Regio ſplendore. ita etiam ubi agitur de exequiis, non debemus legem ſtatuere ex verbis Prophetæ, quaſi fas ſit lugere mortuos cum ululatu. Non dubium igitur eſt, quin geſticulationes iſtæ, quas refert Propheta, fuerint non tantum ineptæ, ſed etiam prorſus damnabiles. nam ſumus ſæpe ambitioſi in luctu, & quum plus ſatis intemperanter dolent homines in ſuorum funeribus, accendunt ſe etiam quodammodo ad rabiem, ubi ita clamant, ac vociferantur: deinde ubi ita ſeſe componunt ad ſimulationem mœroris, quaſi agerent fabulam in theatro. Sed Propheta hic ſimpliciter loquitur ex communi & recepto more, quum dicit, *Non lugebunt eum*, quemadmodum fieri ſolet ubi alius alium amplectitur, ubi ſoror dicit, *Heus frater mi*, & frater viciſſim dicit, *O ſoror mea*: *O domine, ô rex, ubi eſt gloria tua?* ubi decus? ubi diadema? ubi ſceptrum? ubi ſolium? Sunt igitur inſulſæ lamentationes, quas hic Propheta refert. Sed jam dixi hoc nobis ſufficere, quod ſine approbatione narret ritus illos, qui tunc erant in vulgari uſu. *Non lugebitur ergo rex Joakim*, & non dicent, hoc eſt, in ducendo ejus funere, *Heus frater, heus ſoror, heus domine, heus gloria ejus*: nihil tale, inquit. quare? *ſepelietur enim aſini ſepultura*. Diximus merito hoc cenſeri inter Dei maledictiones, ubi projicitur cadaver aliquod inſepultum. nam voluit nos Deus à brutis animalibus diſtinguere hac nota, etiam poſt mortem, quemadmodum in vita excellimus, & conditio noſtra multo nobilior eſt quam ferarum: ſic etiam ſepultura eſt quaſi pignus futuræ immortalitatis. quum ergo reconditur hominis cadaver in terra, hoc quaſi ſpeculum eſt futuræ vitæ. Ergo quum ſepultura ſit teſtimonium gratiæ, & favoris Dei erga humanum genus, ſignum maledictionis ex oppoſito vocatur, ſi ſepulchrum negatur. Sed alibi etiam dictum fuit temporales pœnas non debere ſemper ad ſummum rigorem exigi. nam Deus paſſus eſt interdum ſuos fideles jacere inſepultos, quemadmodum legimus querimoniam illam Pſalmo 79. quod pro- Pſalm 79.
jecta fuerint cadavera per agros, quod fuerint expo- verſ. 2, 3.
ſita in eſcam & beſtiis terræ, & avibus cœli. illic ſermo habetur de veris & ſinceris Dei cultoribus. Sed ſcimus pœnas temporales ſæpe eſſe communes & bonis & malis. idem igitur dicendum eſt de hac pœna quod de fame & nuditate, quod de peſte & bello. Clades urbes Jeroſolymæ fuit juſta caſtigatio ſcelerum: interim & Daniel & Jeremias una cum ſceleratis & impiis tracti ſunt in exilium, & pertulerunt multa opprobria, & denique ſic fuerunt permixti impiis, ut conditio eorum externa nihil differat. Sic ergo ſæpe res in mundo turbatæ ſunt, ut non poſſimus diſcernere ex præſenti ſtatu inter bonos & malos. ſed tamen ſemper principium illud tenere convenit, Ubi negatur homini ſepultura, hoc eſſe ſignum maledictionis Dei. Hoc conſilio nunc dicit Propheta, *Sepelietur ſepultura aſini*. Aſinum ponit hic pro ſordido animali. poterat vel equum, vel bovem dicere, ſed quoniam aſinus eſt animal ignobilius & magis contemptum, perinde eſt acſi diceret, Projicietur una cum canibus Joakim. Hoc haud dubie vaticinium graviter vulneravit non tantum animum ipſius Regis, ſed etiam totius populi. adhuc enim ſtabat ſolium, & omnes reverebantur familiam Davidis, & putabant Regnum illud eſſe ſacroſanctum, quia eſſet ſub fide & cuſtodia Dei. Sed Propheta non dubitat denunciare quod poſtea eventu comprobatum fuit. Joakim enim ſepultus fuit ſepultura aſini, quia projectus eſt longe extra portas Jeruſalem. Hic amplificat Propheta ignominiam, quæ inuſta fuit regi Joakim. fieri enim poterat, ut mortuus in itinere relinqueretur: ſed hic aliquid gravius exprimit Propheta: *Trahendo*, inquit, *projicietur longe extra portas Jeroſolymæ*, hoc eſt, non tantum projicietur Joakim, ſed trahetur tanquam aſinus, vel canis, ne fœtor ejus perveniat uſque ad urbem ipſam, quaſi indignus eſſet non tantum ſepulchro, ſed etiam aſpectu & vicinitate hominum. Et ideo hoc notandum eſt, quia hinc colligimus quanta fuerit pervicacia in ſpernendis Dei minis, quum Propheta non potuit aliter Regis animum percellere, & populum afficere aliquo metu, niſi

exag-

exaggeraret hanc indignitatem. nam si qua fuisset docilitas tam in Rege, quam in populo, contentus fuisset Propheta simplici forma loquendi, Non sepelietur Joakim, hoc est, Deus pœnas etiam à mortuo exiget: non tantum maledictio Dei extabit contra vivum, & superstitem, sed etiam Deus prosequetur vindictam suam adversus mortuum. non contentus fuit hac forma loquendi, *sed sepelietur tanquam asinus, & longe projicietur*, neque id modo, sed etiam trahetur ejus cadaver, ita ut sit quoddam æternum documentum dedecoris, & ignominiæ.

Da omnipotens Deus, quando voluisti extare memoriam tam horribilis vindictæ, quam exequutus es contra posteros Davidis ut discamus eorum malo sollicite ambulare coram te: da, inquam, ne unquam nobis obrepat hujus documenti oblivio, sed meditemur assidue id quod nobis propositum est, quo scilicet sic studeamus propagare & promovere gloriam nominis tui toto vitæ nostræ cursu, ut tandem participes simus gloriæ tuæ cælestis, quam nobis præparasti, & quam nobis acquisivit sanguine suo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA TERTIA
IN
J E R E M I A M.

20. Ascende in Libanum & clama, & in Basan ede vocem tuam, & clama à lateribus, quia contriti sunt omnes amatores tui.

INsultat Propheta Judæis, & deridet eorum superbiam, quod existiment se fore salvos, quamvis Deo adverso. Docet igitur longe ipsos falli, quod sibi promittant impunitatem. sed jubet eos *conscendere montem Libanum, & vociferari in monte Basan*, ut intelligant sibi nihil fore auxilii, ubi instabit Dei judicium. Est autem totus hic versus ironicus usque ad finem. nam frustra edituri erant clamores suos, & ululatus. Verum Propheta sic cum ipsis agit, quia videbat esse prorsus desperatos. Indigni igitur erant, quibus daret consilium, & quos fideliter moneret. ideo oportuit ironice rideri ipsorum dementiam, quod salutem sibi promitterent, quum tamen non desinerent provocare in se Dei vindictam. Sed interea sermonem accommodat ad eorum affectus. neque enim dubium est, quin semper conjecerint oculos vel in Ægyptum, vel in Assyriam, unde sperabant aliquid auxilii. Dicit igitur, *Ascende super montem Libanum, clama illinc*, deinde *clama etiam ex monte Basan, & vocem tuam circumferas huc atque illuc* (nam per latera intelligit omnes partes): *Sed*, inquit, *nihil proficies, quia contriti sunt omnes amatores tui.* ex fine colligimus, per ludibrium Prophetam dixisse, *Ascende & clama.* Per amatores intelligit tam Ægyptios, quam Assyrios, & alias vicinas gentes. Judæi enim quum aliquid periculi metuebant, solebant confugere ad suos vicinos: Deus interea ab ipsis negligebatur. & hac ratione vocantur *amatores.* Deus enim desponderat sibi populum illum: ideo sæpe vocat uxorem suam: & hic loquitur in genere fœmineo. populus ergo confertur mulieri, & Deus suscipit mariti personam. Quum autem pro sua libidine populus circumageretur, vocatur levitas illa scortatio: nam simplicitas fidei est spiritualis nostra castitas. quemadmodum enim mulier quæ solum maritum respicit, colit fidem conjugalem, & pudicitiam: ita ubi manemus defixi in solo Deo, hæc est pudicitia, quam à nobis flagitat. ubi autem salutem hinc inde petimus, hoc est violare fidem quam Deo debemus. Ergo simulatque huc & illuc conjicimus animos nostros, hoc perinde est, acsi mulier quæreret sibi vagas & extraneas conditiones. Nunc ergo tenemus rationem metaphoræ, quum Propheta comparat Ægyptios & Assyrios amatoribus, quia significat populum Israël hoc modo scortatum esse, quemadmodum aliis locis etiam dictum fuit. Sequitur,

[illegible] 79. vers. 23.

21. Loquutus sum tecum in pace tua, (*vel quiete, vel felicitate tua*) dixisti, Non audiam: hæc via tua (*id est, ratio, vel consuetudo*) à pueritia tua, quod non audieris vocem meam.

Hic Deus ostendit populum esse dignum mercede illa, nempe ut lugeat, & undique advocet auxilium, nec usquam reperiat. sæpe enim contingit, ut nimia asperitas mariti alienet ab ejus consuetudine uxorem: vel si maritus sua socordia alio trahitur, ut non curet res domesticas, atque ita labatur uxor, hoc aliqua ex parte ei imputandum est: si etiam conniveat, ubi videt uxorem suam tentari periculosis illecebris & blanditiis. Sed Deus ostendit se functum esse probi & fidelis mariti officio: deinde non stetisse per ipsum, quo minus populus in officio maneret: *Loquutus sum*, inquit, *tecum*, hoc est, non potes dicere te errore fuisse deceptum. solent enim confugere ad hanc excusationem qui convicti sunt, Non putabam: si fuissem admonitus, paruissem bono consilio: sed in lubrico facile est cadere, præsertim ubi nemo porrigit manum, & nullum remedium adhibetur. Tollit igitur Deus vanos istos prætextus, & dicit *se fuisse loquutum*: quasi diceret, Ego te in tempore admonui: non igitur peccasti inscitia, vel incogitantia. denique hic Deus condemnat contumaciam in populo, quod sciens & volens sese projecerit ad omne scelus. Locus autem hic notatu dignus est, quia videmus duplicari crimen, ubi mature occurrit Deus, & nos in viam revocat: quia nisi patimur nos ab ipso corrigi, inexcusabilis est nostra malitia. *Loquutus sum* ergo *tecum*, inquit, *in quiete tua.* Hac etiam circumstantia crimen aggravat Deus, quod non tantum per suos Prophetas ostenderit populo quid rectum esset, verum suis beneficiis eum sibi conciliaverit. nam si maritus hortetur uxorem, interea autem sit vel austerus, vel morosus, uxor aspernabitur quicquid audiet: nam occupatus erit ejus animus fastidio. Sed si maritus tractet uxorem suam humaniter, & testetur sua liberalitate amorem, quo eam prosequitur, addat etiam simul prudentiam, qua ipsam regat, certe necesse est perdito esse ingenio mulierem, quæ non movebitur & consiliis mariti, & beneficentia, & facilitate. Deus ergo ostendit se Prophetas misisse, qui retinerent populum in fide & officio, deinde conjunctam fuisse suam bonitatem, ut dulcedine ipsa populus allici deberet ad obediendum. Ergo sub quietis nomine designat Propheta clementiam Dei, qua dignatus fuerat populum. Verum quidem est hoc quod dicit Moses, nempe homines similes esse equis ferocibus, qui lasciviunt, ubi sunt saginati. pinguedo itaque, & quies facit, ut simus magis præfracti. Interea hoc ad excusationem valere *Deut. 32.*
vers. 15.

 non

non potest, ubi Deus blande nos invitat, & conjungit simul cum doctrina humanam & paternam benevolentiam, eamque comprobat ipsis effectis & experimentis; nisi mansuescamus ad obsequium. ita Propheta ora occludit Judæis, si forte vellent excipere sibi nimis fervide denunciari vindictam, & Deum subito contra ipsos irruere. docet enim quum in otio & prosperitate possent agnoscere paternum Dei affectum, fuisse jam tunc rebelles, & abusos Dei indulgentia. *Loquutus sum* igitur *in quiete tua: tu autem dixisti, Non audiam.* Probabile quidem non est, Judæos tam petulanter loquutos esse, ut palam & claris verbis dicerent, se non fore obsequentes: sed Propheta hic respicit eorum vitam potius, quam verba. Quamvis ergo non exprimerent has syllabas Judæi, Se non fore Deo morigeros: ex moribus tamen ipsorum satis colligi potuit, obstinato fuisse animo, ut nollent Deo parere, & ejus consiliis. Adjungit tertio, *hanc fuisse rationem populi à pueritia, non audire vocem Dei.* Hic est impietatis cumulus, ubi non uno tantum die, vel exiguo tempore sumus præfracti, sed persequimur hanc malitiam ad extremum usque. Interea significat Deus, ab initio se fuisse sollicitum de salute populi, sed frustra. Interdum contingit, ut qui obduruit in vitiis suis non sit adeo flexibilis, si incipiat doceri post annum vel tricesimum, vel quadragesimum. contrahunt enim homines callum longo usu: videmus senes minus esse dociles. quare? nam ætas ipsa illos quodammodo roboravit, ut non patiantur se regi. Hic vero ostendit Deus, tantam fuisse pravitatem in populo, ut jam à pueritia esset rebellis: quasi diceret, Non potes excusare, quasi ad longum tempus fueris sine ullo doctore, carueris omni consilio & ratione, & ideo occalluisse in malis. nam expertus sum à prima pueritia te esse prorsus indocilem. *Hæc* igitur *fuit tua consuetudo, ne audires vocem meam*, vel ut non audires vocem meam: ad verbum est, Quia non audisti vocem meam: sed ita resolvi debet. neque enim כי est hic propriè causalis particula, sed potius expletiva, vel exegetica. Sequitur,

22. Omnes Pastores tuos depascet ventus, & amatores tui in exilium migrabunt: certe tunc pudefies, & erubesces ab omni malitia tua. (*hoc est, propter cunctam malitiam tuam.*)

Quoniam præcipua culpa erat in ipsis ducibus, ideo ostendit Deus, nihil fore defensionis in eorum prudentia, & opibus, ubi ad extrema ventum fuerit. hoc etiam nimis vulgare vitium est, quum vulgus hominum coarguitur, objicere gubernatores pro clypeo. Nec dubium est, quin Judæi opposuerint Dei Prophetis, Quid hoc sibi vult, quod Deus passus est nos infeliciter regi à malis ducibus? exposuit nos in prædam lupis: nunc si exigit à nobis pœnas, videtur id esse indignum, aliena culpa nos premi. interea qui sic loquuntur securi sunt, & contemnunt Deum, quia existimant in suis ducibus sibi certam fore salutem. Propheta igitur hic excutit talem fiduciam Judæis: *Pastores*, inquit, *tuos ventus depascet.* Hic per Pastores intelligit tam Regem & ejus Consiliarios, quam Sacerdotes & Prophetas. verbum Pascendi significat consumptum iri illos omnes à vento. nam interdum dicuntur homines pasci vento, vel se pascere, ubi concipiunt stultas fiducias. Ventus igitur significat aliis locis spes frustratorias, ut loquuntur: sed alio sensu dicit Propheta *depastum iri Pastores à vento*, quia scilicet evanescent tanquam fumus, hoc est, Deus ostendet ipsorum superbiam, & fraudes, & perversas imaginationes nihil aliud esse, quam fumum & vanitatem. Addit postea de amatoribus, *migraturos in exilium.* nam initio Judæi putabant se fore inexpugnabiles, quamdiu stabat solium Davidis: deinde ut scimus plebem facile trahi externo splendore, quum viderent tam Sacerdotes, quam Prophetas, & Regis Consiliarios esse præditos astutia, turgere etiam magna superbia: secure spernebant quicquid minitabantur Prophetæ. Jam secunda materia erat in Ægyptiis, in Assyriis, postea in vicinis gentibus. Ergo postquam dixit Deus evanidos fore omnes Pastores, addit etiam de Ægyptiis, & similibus, illos in captivitatem tractum iri. Postea adjungit: *Certe tunc pudefies*, inquit, *& erubesces propter omnem malitiam tuam*: hoc est, tandem senties te justas pœnas dare scelerum, ubi Deus te nudaverit omnibus auxiliis, & ostenderit quicquid nunc tibi fiduciam dare solet, hoc totum esse inane. Exprimit autem *omnem malitiam*, quia non uno tantum in genere peccaverant Judæi, sed addiderant mala malis: ita quasi immensa congerie scelerum accersiverant sibi Dei vindictam. Neque tamen notatur cognitio, quæ ad resipiscentiam valitura sit, sed extorta: sicuti reprobi velint nolint sentire coguntur sua probra. Sequitur,

23. Sedisti (*hoc est, sedem tibi posuisti*) in Libano, nidulata es in cedris: quomodo gratiosa fuisti (*alii vertunt, precata es*) in veniendo tibi dolores; dolorem quasi parturientis? (*ad verbum: sed sensus est, Quomodo gratiosa eris, ubi venerint tibi dolores, dolor quasi fœminæ parturientis?*)

Confirmat eandem doctrinam Propheta aliis verbis. & hinc apparet, quam difficile sit excutere hominibus perversam fiduciam, ubi addicti sunt rebus terrenis. Simul ergo atque radices egit in cordibus hominum perversa fiducia, non moventur vel ullis minis, vel ullis periculis: etiamsi mors ipsa impendet, tamen stupidi manent: & ideo exprobrat illis
Jesa. 28. Jesaias. Quod pepigerint fœdus cum morte. Hæc
vers. 15. ratio est, cur Propheta insistat pluribus verbis, & majore vehementia ad corrigendam illam pertinaciam, quæ regnabat in Judæis, quum scilicet putarent se esse extra jactum telorum quæ manus Dei jaculabatur. Dicit igitur *ipsos sedem sibi posuisse in Libano, & nidulatos esse in cedris.* Per translationem hoc accipiunt quidam Interpretes, quia habitabant in ædibus cedrinis, hoc est, ornabant domos suas, vel
vers. 14. palatia pretiosis tabulatis, ut ante visum est. Sed simplicius accipio: quod scilicet Libanus fuerit illis quasi inexpugnabile aliquod propugnaculum. comparat etiam eos avibus, quæ excelsas cedros sibi deligunt ad nidificandum. Summa est, Judæos fuisse nimis excæcatos sua superbia, quod putarent se Libanum habere quasi tutum refugium: deinde quod sibi fingerent nidos in ipsis cedris. Sed dubium non est, quin sub hac specie complecti velit Propheta falsas illas, & fallaces fiducias, quibus inebriati fuerant Judæi. Per concessionem vero loquitur, acsi diceret Judæos non terreri ullis Dei minis, quoniam circumferant oculos suos ad Libanum, & cedros magis excelsas. *Sed*, inquit, *quomodo gratiosa eris*, hoc est, quam gratiam invenies, *quum tibi venerint dolores, dolor quasi parturientis?* Hic significat Propheta quod sæpe in Scriptura repetitur, nempe ubi dicunt im- 1 Thes. 5.
pii, Pax & securitas, repentinum interitum illis vers. 3.
instare. Negat igitur Judæos quicquam proficere, dum sibi stationem fingunt tranquillam fore in Libano,

bano, dum nidos imaginantur in proceris arboribus, quia Deus corripiet illos subito dolore tanquam mulieres, quæ rident, & hilariter agunt, sed momento corripit eas dolor partus. idem igitur pronunciat Jeremias eventurum esse Judæis. Ego hanc sententiam leviter tantum attingo, quæ tamen longa & accurata meditatione digna est. Sciamus ergo nihil magis esse intolerabile Deo, quam ubi nobis tranquillam quietem promittimus, quum tamen ipse bellum nobis denunciet, & nos eum quasi data opera quotidie provocemus. Sequitur,

24. Vivo ego, dicit Jehovah: quod si esset Caniahu filius Joakim regis Jehudah annulus signatorius super manum dexteram meam, (*hoc est, in manu dextera mea*) ego inde te evellam. (*mutatio est personæ.*)

Jurat hic Deus sibi statutum esse, pœnam exigere de Jekania, qui alio nomine dictus fuit Jehojakim. Dicit autem, Quamvis sedeat super solium Davidis, tamen fore miserum exulem. nam alibi vidimus Judæos fuisse quasi fascinatos, quum putarent Deum sibi esse obstrictum, & interea permitterent sibi peccandi licentiam hoc prætextu, quod pollicitus esset Deus regnum Davidis fore perpetuum, quantisper sol & luna manerent in cælo. atqui non reputabant esse aliquid mutuum in fœdere Dei: volebat enim ipsos sibi esse fideles vicissim. deinde non reputabant multos esse filios Abrahæ secundum carnem, qui tamen non essent legitimi filii coram Deo. Quantum ad Regem ipsum spectat, nunquam putasset fieri posse, ut traheretur in exilium: erat enim Davidis successor, erat ordinatus à Deo. Hæc igitur ratio est, cur nunc pronunciet Deus, *Etiamsi esset iste Choniah quasi annulus signatorius in digito meo, ego tamen inde ipsum evellam.* Quamvis ergo excelleret tunc Jekania, ostendit Deus illam dignitatem esse temporalem, & fore caducam: quia tandem detrahetur è solio suo, & conditio ejus mutabitur. Nec dubium est, quin mutilatum sit hoc loco ejus nomen Canaiahu, pro Jekainahu. Contemptim ergo Propheta hic vocat Canaia: quemadmodum si nunc non digner integro nomine aliquem, sed sumam duas syllabas ex quatuor: sic Propheta, quamvis Jechanias tunc regno potiretur, vocat tamen ipsum Canaia duntaxat. Docet autem hic locus, non esse ita superbiendum Dei beneficiis, quin semper memores simus sortis nostræ, ut ab ipso pendeamus, deinde ut sollicite ipsum invocemus singulis momentis. nam securitas parit contemptum. hinc fit, ut Deus spoliet nos ornamentis, quibus eramus vestiti: & hæc est justa merces ingratitudinis nostræ. Ergo quicunque excellunt, agnoscant sibi posse auferri singulis momentis quod datum est, nisi bona conscientia sit instar custodiæ ad conservanda Dei beneficia, nequando excidant, vel effluant. Sequitur,

Psal. 89. vers. 37.

25. Et ponam te (*tradam te*) in manum quærentium animam tuam, & in manum eorum à quorum facie formidas, (*metuis*) & in manum Nebuchadrezer regis Babylonii, & in manum Chaldæorum.

Pendet hic versus ex proximo, sed explicat quod brevius fuerat dictum. Hæc igitur detractio est annuli signatorii ex Dei manu, quum spoliatur gloria & decore Regni Jekanias, & subjicitur regi Babylonio. Quanquam autem pepercit Rex ad tempus ejus vitæ, ut testatur Sacra historia; tamen miser ille quum se dedidit, non aliter trepidabat, quam si videret gladium jugulo suo jam esse objectum. nihil enim misericordiæ sperabat: sed trepidatio fecit, ut Urbe egressus, traderet se in misericordiam hosti suo capitali. Summa est, regem Jekaniam venturum esse ad extrema, quia cogetur se nudum & inermem tradere hostibus, qui tamen crudeliter ipsum persequebantur. Et ideo pluribus verbis repetit hanc comminationem: *Tradam*, inquit, *in manum quærentium animam tuam:* deinde, *in manum eorum à quorum facie metuis:* tertio, *in manum Nebuchadrezar* (vocatur hic Nabuchadnezer rex Babylonis Nebuchadrezer, ut aliis locis): postremo, *in manum Chaldæorum.* Ergo hic Propheta quasi ordine recenset plures species mortis, ut discat tandem Jekanias sentire quam horribile sit Dei judicium. Addit,

2 Reg. 25. vers. 7. 2 Chr. 32. vers. 6. Jere. 52. vers. 11.

26. Et projiciam te, & matrem tuam quæ genuit te, in terram alienam, in qua non estis geniti, & illic moriemini.

Hic rursus confirmat Propheta severam illam vindictam, quam Deus sumpturus erat de Jekania. etsi autem 37. anno tandem è carcere eductus est, & admissus ad mensam Regiam inter alios Proceres: mortuus tamen est in exilio: & fortasse melius fuisset, degere usque ad mortem in fœtore carceris, quam illecebris illis corrumpi, quum unus fuit è numero Procerum: ita enim se profanavit. Quicquid sit, mortuus est cum matre sua Nebusta in exilio. Et ideo Propheta exaggerat gravitatem pœnæ, quum dicit: *Migrare te faciam*, vel te projiciam, *& matrem tuam, quæ te peperit*, inquit. hoc accessit ad indignitatem, quod mater Regis simul fuit abducta: parcitur enim sæpe sexui: deinde erat vetula. sed Deus exercuit suum judicium adversus illam, quæ socia erat impietatis: *Transferam vos*, inquit, *in terram alienam, in qua non estis nati, & illic moriemini.*

27. Et in terram ad quam ipsi levant animum suum, ut revertantur illuc, non revertentur illuc.

Iterum Propheta personam mutat, & tamen non absque gratia. loquitur enim hic quasi stomachose, & ideo compellat paucis verbis regem Jekoniam; deinde ipso quasi relicto, pronunciat quid Deus sit facturus. Itaquum vix aliquem dignamur alloqui, variamus sermonem: tribus quidem verbis ipsum aggredimur, sed postea abrumpimus cursum orationis nostræ. Propheta igitur talem indignationem exprimit, dum nunc Joakim ipsum alloquitur: deinde pronunciat quid facturus sit Deus de ipso: interea ipsum tanquam surdum præterit, vel indignum, cum quo misceatur ullus sermo. Nunc ergo tenemus causam hujus varietatis in contextu Prophetæ. Dicit, *Ad terram ad quam levant animum suum non revertentur.* Dixerat prius morituros tam Regem, quam matrem ejus in terra aliena, sed nunc confirmat sententiam illam: quia non poterat nisi difficulter avelli ex eorum animis stulta illa opinio, Regem Babylonium tandem fore illis propitium. Nec dubium est, quin agitassent inter se hæc omnia: Ubi viderit Nabu-

Nabuchadnezer nos venire supplices, flectetor ad misericordiam. quid enim amplius exigit? non vult bie Regiam suam figere: satis est, si babeat populum sibi tributarium: obi aotem expertus fuerit me esse bominem nullius animi, malet me regnare precario, quam creare novum Regem. Hæc igitur agitaverat Rex cum suis Consiliariis: inde stulta persuasio, quam nunc Propheta evertit: *Tollunt*, inquit, *animum suum ad terram*, hoc est, existimant sibi fore tandem liberum reditum in patriam. hoc enim est Animum tollere, adjicere animum suum & cogitationem ad aliquid. *Tollunt* ergo *animum suum ad terram*, nempe ad terram Jehudah: *sed nunquam illuc revertentur, quicquid sibi promittant.*

Da omnipotens Deus, quando non alibi nobis quietem promittis, quam in regno tuo cælesti, ut in terra peregrinando sinamus nos huc & illuc raptari: interea tamen quietis animis te invocemus, & sic militemus, quantisper nos variis certaminibus exercere & probare voles, ut perstemus tamen constanter in nostra militia, donec fruamur randem illa quiete, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

28. An simulachrum contemptum, contritum, vir iste Coniah? an vas, in quo non est oblectatio? ut quid disjecti sunt ipse, & semen ejus, & projecti super terram, quam non noverunt?

Quia via poterat Judæis persuaderi quod ante Propheta vaticinatus est de Jekania rege, confirmat candem sententiam: sed bic loquitur tanquam de re incredibili. suscipit autem ipse personam admirantis, ut alii mirari desinant. Interrogat igitur, fierine possit ut Jekania in exilium trahatur, & illic misere pereat? Nunc tenemus consilium Prophetæ, nempe quia regnum illud putabant Judæi fore perpetuum, oportuit illis excuti talem opinionem, ut scirent Deum non frustra minatum fuisse quod ante vidimus. Est autem in hac interrogatione ironia quædam. Propheta enim asserere certo potuit, & simplicibus verbis: sed aliorum respectu per admirationem dubitat, vel dubitare videtur de prodigio illo. Dicit, *An simulachrum:* alii transferunt, Vas. sed videtur propria accipi hoc loco (ut pluribus aliis) pro simulachro. *An* ergo *simulachrum contemptum, & contritum*, (nam נפץ est nunc Disjicere, nunc Conterere) *vir iste Coniah?* Diximus primam syllabam detrahi ex nomine per ignominiam: interea quoniam Regia dignitas sic tenebat Judæos excæcatos, ut non possent fidem habere vaticinio, de re quasi incredibili interrogat, sicuti dictum est. *An vas*, inquit. Scimus כלי, apud Hebræos accipi pro re qualibet: nam & Vasa etiam dixerunt veteres omnem supellectilem. Quærit igitur *an sit vas contemptibile, an sit vas in quo nulla sit oblectatio?* sicuti ante dixerat simulachrum contemptum. *Ut quid disjecti sunt ipse, & semen ejus, & projecti sunt in terram, quam non noverunt*, hoc est, super terram remotam? & scimus hoc esse durius, ubi quis longe abstrahitur à patria. Non dubium igitur est, quin Propheta amplificet mali gravitatem quum loqoitur de terra incognita. Zedekias enim qui solio impositus est, erat patruus. ex posteris autem ejus primus fuit Sealthiel in exilio natus. Nunc sequitur,

29. Terra, terra, terra, audi sermonem Jehovæ:

30. Sic dicit Jehovah, Scribite virum hunc orbum, (*vel solitarium*) virum cui prospere non erit in diebus suis: quia prospere non habebit quisquam ex semine ejus sedens super solium Davidis, & dominans adhuc in Jehudah.

Confirmat melius Propheta quod nuper attigi. neque enim supervacua est repetitio, quum terram ter inclamat. nam sicuti repetitis ictibus mallei contunditur ferri durities, ita Propheta iteravit vocem Terræ, ut contumaciam illam corrigeret, in qua Judæi obduruerant, ut nullæ Dei minæ ipsos moverent. neque enim affectavit hanc vehementiam, quemadmodum solent Rhetores, & qui appetunt videri diserti: sed necessitas ipsum coegit ita insurgere adversus præfractam illam gentem, quæ alioqui surdis auribus præterisset quod videbimus. Primo igitur hac præfatione ostendit Propheta, se verba facturum de horribili Dei judicio, & simul admonet Judæos de certitudine hujus vaticinii, quamvis persuasi essent, Regnum illud nunquam posse labefactari. Ita in hac repetitione videmus esse obliquam increpationem: quasi diceret surdos quidem ipsos esse, sed frustra: quoniam cogentur effectum sermonis sentire, cui nunc fidem abrogant. *Terra* igitur, *terra, terra, audi*. Jam adjungit, *Scribite virum hunc solitarium*, vel orbum. Quod existimant quidam sermonem vel ad Angelos, vel ad Prophetas dirigi, nescio an firmum sit. potius hæc loquutio videtur sumpta esse ex communi usu, quia scribi solent decreta, quæ vigere debent longo tempore: nam si quod edictum promulgatur ad paucos dies, non solet redigi in monumenta publica. sed ubi lex aliqua fertur, quæ apud posteros suam auctoritatem obtineat, scribitur in publicis tabulis. Significat igitur Propheta, non posse hoc Dei judicium fieri irritum, nec fore momentaneum, ut postridie negliguntur, vel oblivioni traduntur decreta: sed fore certam & fixam ejus stabilitatem. *Scribite* igitur *hunc virum orbum*. Orbitas autem hæc opponitur Dei promissioni, in qua dictum erat, Semper fore qui succede- Psal. 89.
rent in locum Davidis ex ejus semine, quantisper 37. 38.
essent sol & luna in cælo. hic autem significat Propheta illam promissionem de continua successione generis non fore ratam in Jekonia: & addit, *Scribite etiam virum cui prospere non succedet in diebus suis:* imo particula כי videtur mihi hoc loco augere, quasi dictum esset, *Imo etiam nulli*, vel nemini *prospere succedet ex semine ejus*. Tandem additur explicatio: *Quia nemo sedebit in solio Davidis, & nemo dominabitur in Jehudah.* Jam mirum non est, si Judæi ab hoc Dei judicio non secus atque à portento abhorruerint: hinc enim visus est Deus secum pugnare, quia testatus fuerat fœdus suum nunquam fore irritum, & testes advocaverat solem & lunam. Ubi igitur deficit posteritas Davidis, vel saltem ubi solium dirui-

diruitur, & nemo postea successor apparet, videtur fides promissionis esse abolita: quod est absurdissimum. Sed Deus qui mirabiliter agit, potuit talem pœnam exigere de Jekania & ejus similibus: interea autem arcano modo & incomprehensibili efficere, ne fœdus, quod pepigerat, prorsus excideret. Fuit igitur abscondita Dei gratia ad tempus, sed nunquam extincta fuit, quia tandem surrexit surculus è

Jesa 11. *vers.* 1. trunco Isai, quemadmodum dicitur apud Jesaiam.
Aktor. 13. *vers.* 23. Videntur tamen verba aliter sonare. Vocatur enim Jechania *solitarius*, deinde *infelix*, postremo negat Propheta fore quenquam ex ejus progenie qui sedeat in regio solio. Sed tenendum est verba hæc restringi ad temporalem vindictam, & usque ad Christi adventum. quanquam, ut postea videbimus, cœpit rursus emergere posteritas Davidis in Zerubabel: sed fuit hoc obscurum, & tenue præludium duntaxat. Veniendum est igitur usque ad tempus Christi, si velimus conciliare hæc duo simul, quæ videntur pugnare, nempe quod Jechonias fuerit orbus: deinde, quod nunquam defuerit successor ex semine Davidis, nempe quia hæc orbitas non fuit nisi temporalis. Fuit autem interruptio illa gratiæ Dei velut interitus quidam: sed successu temporis apparuit, Deum semper fuisse memorem fœderis sui, etiam quo tempore visus fuerat oblitus. Et ideo con-
Eze. 21. *v.* 26, 27. jungi debet hoc vaticinium cum illo Ezechielis, Detrahite, detrahite, detrahite cidarim, vel diadema, usque dum veniat cujus est. Illic etiam Ezechiel tertio repetit illud detrahere: quasi diceret, non paucis tantum mensibus, vel annis regnum Davidis nullum fore, sed continua serie multarum ætatum. Non mirum igitur est quod hic denunciat Propheta, orbum fore Jechaniam, quia multis seculis tristes illæ ruinæ poterant desperatione obruere fideles, quum viderent calcari solium Davidis cum ignominia & ludibrio. Hæc igitur ratio est cur dicat *orbum fore*: deinde, *totam ejus posteritatem fore maledictam*. Sed simul tenenda est illa exceptio, quæ exprimitur apud alterum Prophetam, Usque dum veniat cujus est dia- *Eze.* 21. *vers.* 27.
dema. Repositum enim fuit in Christi capite, quamvis ad longum tempus fuisset subjectum dedecori, & probris omnium gentium. Est autem hoc utile cognitu, quum docemur sic Deum sibi semper constare, ut nunquam excidat fœdus, quod pepigit cum Christo, & cum omnibus ejus membris: & tamen pœnas de hypocritis sumat usque ad interitum: quemadmodum longo tempore si quis Ecclesiam in mundo quæsiisset, nulla erat in speciem: Deus tamen ostendit se esse fidelem in suis promissis, quum subito emersit populus Euangelio regenitus: quod ipsum non erat quidem mortuum, sed erat quasi sepultum. veritas igitur Dei comprobata fuit ipso effectu, & tamen horribili modo ultus est hominum ingratitudinem, quum ita totum mundum excæcavit. Nunc sequitur,

CAP. XXIII.

VÆ Pastoribus, qui perdunt & dissipant gregem pascuorum meorum, dicit Jehovah.

2. Propterea sic dicit Jehovah Deus Israël super Pastores pascentes populum meum, Vos dissipastis gregem meum, & dispulistis, & non visitastis eos: (*vel oves meas*) Ecce ego visitans (*hoc est, visitabo*) super vos malitiam actionum vestrarum, dicit Jehovah.

3. Ego autem colligam residuum ovium mearum ex omnibus terris ad quas expulero eas, & reverti faciam eas ad caulas suas, & fructificabunt, & multiplicabuntur.

Hic Propheta restitutionem Ecclesiæ promittit: sed admonet non esse cur sibi propterea blanditias faciant hypocritæ, præsertim Rex & Consiliarii ejus, & Sacerdotes. Mixta igitur est hæc prophetia ex promissionibus, & minis. Deus enim promittit se tandem fore propitium miseris Judæis, postquam eos castigaverit, ut non intercidat genus Abrahæ: tamen dejicit hypocritas ab inani fiducia, ne falso ad se trahant spem salutis, à qua seipsos excluserant sua impietate. Est autem hoc notatu dignum, quia simulac offertur Dei misericordia, hypocritæ ad se rapiunt quicquid Deus promittit, & magis ac magis insolescunt, acsi tenerent illum sibi obnoxium. Impunitas enim magis illos impellit ad peccandi licentiam. Hinc fit, ut jactent se fore salvos: quia sint populus Dei. Ergo Propheta hic docet, quicquid promittit Deus electis suis, non spectare promiscue ad omnes, nec debere extendi ad hypocritas, qui falso prætendunt ejus nomen: sed peculiariter offerri
Psal. 89. *v.* 37. 38. electis, quamvis sint exiguus hominum numerus, deinde quamvis sint despecti. Primo autem dicit, *Heus Pastores, qui perditis*. Hæc inter se contraria sunt, Pastorem esse, & perditorem: sed concedit illis nomen istud, quod erat honorificum: interea deridet falsam eorum gloriationem, quod putarent sua flagitia sub hac fallaciæ umbra tegi. Quamvis ergo Pastores appellet, simul detrahit larvam, & ita ostendit de nihilo ipsos superbire, dum obtendunt nomen Pastorum. *Pastores*, inquit, *& perditores, & qui dissipant* vel dispergunt *gregem pascuorum meorum*. Hic Deus causam ostendit cur tam graviter succenseat contra istos perditores, quoniam quum tyrannidem exercebant adversus populum, non tantum lædebant homines, sed Deum ipsum, qui in suam fidem receperat electum populum. Verum quidem est, dignos fuisse omnes illa dissipatione. Nam vidimus jam pluribus locis, non posse excusari populum, ubi decipitur à malis & improbis ducibus, quia hoc modo rependitur omnibus justa merces, eo quod à minimo usque ad maximum omnes in se iram Dei provocaverant. Sed non ideo excusabilis est impietas malorum Pastorum, quia debuerant reputare quorsum impositum esset illis hoc onus: deinde, à quo essent præfecti. Deus ergo significat illatam sibi esse atrocem injuriam, quum ita indigne dissipatus fuit populus. Volebat enim esse summus Pastor, subrogaverat in locum suum tam Regem & ejus Consiliarios, quam etiam Sacerdotes. Nunc quum omnes abusi fuerint suo munere, & licentiose dominati sint absque Dei respectu, merito hic illis exprobratur, *quod gregem pascuorum Dei perdiderint*: quemadmodum alibi etiam cum illis Deus *Jesa.* 3. *vers* 15.
expostulat, Quod corruperint vineam suam. In *supr.* 12. *vers.* 10.
summa, quum Deus Judæos nominat *gregem pascuorum suorum*, non respicit quid meriti sint, vel quales sint: sed potius commendat gratiam suam, qua semen Abrahæ dignatus fuerat. Habet igitur hic respectum gratuitæ suæ adoptionis, etiamsi tanto beneficio reddiderant se indignos Judæi. Postea adjungit, *Sic dicit Jehovah, Deus Israël, ad Pastores, qui pascunt populum meum*. Eodem sensu nunc populum suum vocat, quo nuper gregem pascuorum suorum. Alienaverant se illi à Deo: & jam ipsos suo decreto abdicaverat: sed potuit Deus uno respectu censere ipsos extraneos: interea autem respectu fœderis sui agnovit suos: & ideo vocat *populum suum*. Nunc igitur idem confirmat quod jam vidimus, nempe Pastores istos non tantum fuisse fures & latro-

latrones, sed etiam sacrilegos, quia non tantum sævitiam exercuerunt adversus oves: sed quantum in se est, violarunt Deum ipsum, qui susceperat curam illius populi. Est autem hic duplex concessio, quum dicit, *Super Pastores, qui pascunt.* nuper dixeret ipsos perdere, & dissipare: nuncautem dicit *pascere.* Sed scimus quo sensu: & videtur ironice hic eos perstringere, quoniam quum se jactarent Pastores, putabant sua flagitia hoc integumento quasi sepulta esse tam apud Deum, quam apud homines: quemadmodum hodie quum loquimur de Papa, & cornutis ejus Episcopis, & Clero illo fœtido, utimur nominibus receptis. atqui nihil minus est Antichristus ille, quam pater: deinde scimus quam procul absint à munere Episcopali quicunque se venditant illo titulo. Quantum attinet ad Clericos, esset etiam sacrum illud nomen: sed multum abest, quia sint Dei hæreditas. Interea non moramur nudas voces, sed potius hoc aggravat eorum crimen, quod sint diaboli sub Angelicis nominibus latentes, quod sint lupi, & prædones, & sacrilegi, qui Dei nomen perfide obtendunt, & sibi conciliant favorem ex speciosis elogiis, quasi sint Pastores, Episcopi, Prælati, Abbates, & Præsules: & quid non? Sic ergo Propheta noster dicit ironice *Pastores*, contra quos invehitur, *pascere*, hoc est, vocatos esse in hunc finem, ut pascant. Sed postea adjungit, *Vos dispersistis gregem meum, & dissipastis, & non visitastis.* Certe hoc non fuit pascere, quum nulla ovium cure ipsos tangeret. Nam Visitare hic extenditur ad omnes partes inspectionis: quasi diceret neglectum & proditum, ac desertum ab illis fuisse gregem. Ergo videmus ipsos cessasse in munere Pastorali. Sed alia duo pejore sunt, quod scilicet *disperserint, & dispulerint gregem.* Non fuisset tolerabilis eorum ignavia, si grex tantum ab illis fuisset relictus: sed ubi accedit tanta crudelitas, ut gregem dissipent tanquam capitales inimici, hoc certe plusquam est intolerabile. Et tamen hæc omnia illis exprobrat Jeremias. Videmus ergo fuisse tacitam subsannationem, quum illis prius concessit munus pascendi. Judicium postea illis denunciat: *Ego visitabo super malitiam actionum vestrarum.* Hic Deus pronunciat pœnam se de Pastoribus sumpturum, quibus merito adscribi oportuit populi dissipatio. Etsi enim nemo fuit à culpa immunis, ut ante dictum est, præcipuum tamen crimen residebat in ipsis Pastoribus. Hæc igitur causa est, cur Deus ultorem se fore affirmet, quia nolit impune gregem suum ita dissipari. Postea sequitur, *Et colligam gregem meum.* sicuti illi dispulerant, ita promittit Deus sibi curam fore colligendi populi. Interea vero sibi tribuit quod illis imputaverat, nempe quod expulerit ipse gregem, sed diverso modo. Pastores igitur dissipaverant gregem non tantum sua ignavia, sed etiam crudelitate, quoniam fuerant lupi rapaces. Deus autem sumpserat pœnas de populo. nam omnes ad unum promeriti fuerant talem dissipationem. Videmus ergo impios exequi Dei judicium, neque tamen ideo posse excusari, acsi Dei ministri essent. nihil enim minus est illis propositum. Interea Deus non potest trahi in societatem culpæ, dum ita impios ad suum obsequium flectit, vel accommodat. In summa, dissipatio populi fuit justa Dei vindicta, quoniam omnes à fide desciverent: abruperant vinculum illud sacrosanctum fœderis, quo illos Deus sibi devinxerat. Fuit etiam crimen Pastorum, quia avare, & crudeliter dominati sunt. *Pastores* autem, ut dixi, nominat non tantum Sacerdotes, sed Regem & Consiliarios. *Colligam* igitur, non simpliciter gregem, *sed residuum ovium*, inquit. Hic significat Deus se ita fore misericordem, ut tamen non omnes indifferenter recipiat in gratiam, sed exiguum illum numerum, qui constabat ex electis. Et ideo Paulus attente *Rom. 9,*
distinguit inter populum, & inter reliquias gratiæ, *vers. 27.*
vel gratuitas. Visus enim fuit Christus adventu suo prorsus abolere fœdus, quo sibi Deus adoptaverat filios Abrahæ: Paulus hoc negat. Jam si quis objiciat, majorem partem populi excidisse ab Ecclesia, fatetur: sed dicit manere fœdus integrum in ipsis reliquiis: & producit etiam in medium exempla, quale hoc est de quo nunc agitur. Deus ergo semper fuit custos Ecclesiæ suæ: & ita nunquam intercidit ejus gratuita adoptio, qua elegerat genus Abrahæ. Sed adoptio illa tantum valuit in reliquiis. Jam quod ad nomen pertinet; non tantum notatur paucitas eorum, quos Deus statuerat ad se colligere, sed notatur simul ultio, quæ ordine temporis præcesserat. Deus enim visus fuerat perdere Judæos, quum ita essent disjecti in varias terras. Nullum enim manebat nomen: Regnum & Sacerdotium erant abolita. Fuit igitur clades illa quidam veluti interitus, ut nuper dixi. Sed Deus hic pronunciat aliquid fore residuum: quemadmodum dicitur Jesaiæ capite 10. *Iesa. 10.*
Quod Deus paucos servavit, quasi ex consumptione. *vers. 23.*
Nam consumptionem nominat pauculos illos, qui fuerunt superstites, quum putassent omnes actum esse prorsus de illo populo, sine aliqua spe restitutionis. *Colligam igitur residuum ovium mearum ex omnibus terris, ad quas expulero ipsos.* Iterum confirmat quod dixi, nempe non ante fore misericordiæ locum, quam purgaverit Ecclesiam suam tot & tam fœdis inquinamentis, quibus tunc scatebat. Dissipatio igitur populi in varias terras, fuit Ecclesiæ purgatio: quemadmodum etiam Deus dicit se discernere quisquilias, & paleam à tritico, dum populum suum castigat. Nam perinde ac dum ventilatur triticum in cribro, paleæ volitant huc & illuc, & quisquiliæ, manet autem triticum, quod postea in horreum reponitur: ita quum Deus expulit in varias terras populum suum, tunc Ecclesiam purgavit. Siquis objiciat, Ergo hoc quoque residuum, erant quasi quisquiliæ. hoc verum est, quoad homines ipsos: sed Deus hic respicit seipsum, quum *oves suas* nominat, qui indigni erant tanto honore. Postea addit, *Se reducturum ipsos ad caulas, ut illic fructificent*, hoc est, fœtificent, & augescant, *& multiplicentur.* non dubium est quin per Caulas terram Chanaan intelligat. Nulla enim fuit in mundo opulentia, quam deberent præferre Judæi hæreditati sibi promissæ: totus mundus erat illis exilium. Deus enim terram illam elegerat, in que habitarent, & eam sibi consecraverat, quum destinaret ipsis in arrham vel pignus æternæ hæreditatis. Merito igitur nunc Caulas appellat terram ipsam, quia illic degebant sub ejus custodia & præsidio. Templum enim erat quasi pedum pastorale: sciebant illic Deum residere, ut virtute ejus protecti in tuto manerent. Quum ergo ita esset illis salus sub Dei præsidio in terra Chanaan, dicit esse quasi eorum ovile. Postea, *ut illic fætificent & multiplicentur:* quia inter alias benedictiones eret hæc multiplicatio non postrema. Postea adjungit,

4. Et excitabo super eos Pastores, & pascent eos, (*hoc est, qui pascant*) & non timebunt amplius, & non pavebunt, & non deficient, dicit Jehovah.

Confirmat promissionem, quia scilicet illis dabit fidos & probos Pastores, qui munus suum obeant, quemadmodum oportet. Neque enim satis esset reduci oves in suas caulas, nisi pascantur. Scimus enim animal illud esse fatuum: ideoque opus habere pastore, à quo regatur. Significat ergo his verbis Deus, postquam gregem suum collegerit in ovile, sibi continuam fore ejus curam, quia Pastores ordinabit, qui munere suo aliter ac longe melius fungantur quam lupi illi, & sacrilegi prædones.

Postea

Postea addit promissionem de fiducia, quam differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando tam graviter olim ultus es impietatem veteris populi, ut neque Regibus ipsis, qui erant Christi imagines, neque eorum Consiliariis, peperceris: da, inquam, ut hodie maneamus in obedientia verbi tui, neque ingratitudine nostra sic accendamus vindictam tuam adversum nos, ut iterum orbitate illa tristi & horrenda nos plectas, quam olim non frustra denunciasti, sed Ecclesia sic magis ac magis fructificet, ut sentiamus te vere nobis esse propitium, & ita possimus placide tibi gratias agere: & sic patiamur nos abs te regi per manum unigeniti Filii tui, donec colligamur ex hac mundi dissipatione in æternam illam quietem, quam nobis sanguine suo peperit, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA QUINTA

IN

J E R E M I A M.

Diximus hesterna lectione, quum Dominus promittit se daturum Pastores, hac loquendi forma notare gratiæ continuationem, acsi diceret se non tantum Redemptorem fore populi, sed habiturum curam salutis eorum quos liberaverit ab exilio. Utrumque vero necessarium est, quia nihil prodesset semel nobis manum porrigi, nisi Deus prosequeretur gratiam suam erga nos usque in finem. Summa igitur huc tendit, postquam reducti fuerint Judæi in patriam, fore sub Dei custodia, ut salus eorum stabilis sit, non momentanea. Jam quum addit, *Non timebunt, neque expavescent, neque deficient*, vel imminuentur, significat Judæos fore tranquillos sub Pastoribus, quos illis præficiet. Et scimus officium veri pastoris duabus partibus constare. Neque enim satis esset, oves regere, nisi ipsas defenderet contra omnem violentiam, incursus latronum, & luporum. Jam opponitur hæc tranquillitas inquietudini, qua agitati fuerant Judæi longo tempore. scimus enim fuisse valde anxios propter assiduas incursiones hostium. Quoniam ergo assidue trepidabant quum audirent rumorem aliquem belli, promittit hic Deus meliorem statum, quemadmodum clarius paulo post videbimus. Nunc sequitur,

5 Ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & suscitabo Davidi germen justum: & regnabit
Rex, & prudenter (*vel prospere*) aget: faciet judicium & justitiam in terra.
6. Diebus ejus servabitur Jehudah, & Israël habitabit in fiducia: (*hoc est, tranquille*)
& hoc nomen quo vocabunt eum, Jehovah justitia nostra.

Confirmat Propheta quod nuper dixit de Ecclesiæ instauratione. nam hoc non fuisset per se satis firmum, promitti Pastores, qui fideliter officium suum exequerentur, nisi propositus illis fuisset unicus ille Pastor, in quo fœdus Dei erat fundatum, & in quo etiam quærendus erat effectus omnium beneficiorum, quæ poterant sperari. Et hoc solenne est omnibus Prophetis, quoties volunt spem salutis facere populo, adducere in medium adventum Messiæ. Nam in ipso semper fuerunt omnes Dei promissiones Etiam & Amen. (2 Cor. 1. vers. 20.) Hoc quidem nunc clarius apparet sub Euangelio, sed Patrum fides non potuit plena esse, nisi sensus suos dirigerent in Messiam. Quoniam igitur nec amor Dei certus esse potuit olim Patribus, nec rata benevolentiæ & paterni favoris testimonia absque Christo: hæc ratio est, cur Prophetæ soleant statuere Christum ante oculos, quoties volunt erigere in bonam spem miseros, & qui alioqui opprimi dolore poterant, & desperatione obrui. Quod ergo tam frequenter occurrit apud Prophetas observatu dignum est, ut sciamus promissiones Dei frigere apud nos, vel esse suspensas, vel etiam evanescere, nisi erigimus sensus omnes ad Christum, & in ipso quærimus quicquid alioqui non posset nobis fixum esse. Secundum hanc regulam nunc dicit Propheta, *venire dies, quibus excitet Deus germen justum Davidi.* In genere loquutus erat de Pastoribus. sed poterant adhuc subsistere in sua dubitatione Judæi, & apud se dubitare, an id sperandum esset. Deus ergo hic revocat ipsos ad Messiam: quasi diceret nihil salutis sperandum esse, nisi in Mediatore, qui promissus illis fuerat: ergo ipsos non satis consideratos esse, nisi mentes suas ad ipsum converterent. Jam vero, quia complementum salutis in Mediatore sperandum erat, ostendit Deus non debere in dubium vocari hanc promissionem, quod scilicet daturus sit illis Pastores. Itaque initio recte dixi, confirmari superiorem doctrinam hoc sermone, ubi Deus adventum Mediatoris promittit. Et particula demonstrativa ad certitudinem valet, quemadmodum alibi vidimus. Oportuit autem Judæos ita confirmari, quia nondum tempus advenerat: scimus etiam quam graviter percelli eorum fides potuerit tot & tam continuis tentationibus, nisi huic fulturæ fuissent innixi. Deus ergo quod longe adhuc remotum erat videtur digito monstrare: non quod breve tempus designet, sed causa certitudinis ita loquitur, ne scilicet in longa expectatione deficiant. Dicit ergo *venturos esse dies, quibus excitet Davidi germen justum.* Quanquam ל sæpe est supervacua, tamen hoc loco videtur mihi Deus respicere ad pactum illud, quod statuerat cum Davide. Et hoc consulto facit Propheta, quoniam indigni erant Judæi, quos Deus respiceret. Verum hic pronunciat se fidelem fore in pactione illa, quæ icta semel fuerat cum Davide: quoniam ipse David vicissim integer fuerat, & amplexus fuerat sincera fide promissionem sibi oblatam. Deus ergo quasi non esset sibi negotium cum illo perverso & perdito populo, sed cum servo suo Davide, dicit, *Suscitabo Davidi ipsi germen justum.* quasi diceret, Etiamsi centies indigni sint, quibus exhibeam liberatorem: tamen manebit semper apud me integra Davidis memoria, sicut integer fuit, & incorruptus in servando meo fœdere. Nemini autem dubium est, quin loquatur hic Propheta de Christo. Judæi ut obscurent vaticinium hoc, malunt extendere ad omnes Davidis posteros, & ita imaginantur terrenum illud regnum, quale fuit sub Solomone, & aliis. Sed certo potest colligi ex Prophetæ verbis, hic non haberi sermonem de multis Regibus, sed de uno duntaxat. Nomen Germinis est collectivum, fateor: sed quid postea dicitur? *Regnabit Rex.* Possent etiam hoc utrumque torquere, quia Regis nomen sæpe capitur de Regni successoribus: verum est, sed expendere convenit totum contextum. dicitur enim *In diebus ejus.* Hinc clare apparet, designari certum aliquem Regem, & non debere extendi hæc verba ad plures.

Jam postremum membrum magis hoc confirmat, *Erit hoc nomen quo vocabunt eum, Jehovah justitia nostra.* Pervertunt etiam hic Judæi ipsa verba, qui verbum indefinitum ad Deum restringunt: acsi dictum esset, Jehovah vocabit eum justitiam nostram. quod est præter omnem rationem. Et sane vident omnes hoc esse nimis coactum, & violentum. Sed ita produnt miseri illi suam contumaciam, quia sine pudore pervertunt omnia testimonia, quæ competunt in Christum: & satis est illis, proterve eludere quicquid ipsos urget. Jam ergo hoc tenendum est, non posse præsentem locum aliter exponi, quam de solo Christo: & consilium Spiritus sancti ante ostendimus. ab initio enim Deus pignus illud interposuit, quum vellet stabilire fidem suarum promissionum: quia extra Christum neque potest Deus pater & servator esse hominibus, neque potuit reconciliari Judæis, qui ab ipso defecerant: quomodo enim recepti fuissent in gratiam absque expiatione? Jam quomodo poterant sperare Deum sibi fore patrem, nisi essent reconciliati? Ergo sine Christo non poterant recumbere in salutis promissiones. Merito itaque dixi locum hunc debere ad Christi personam restringi. Et certe scimus eum solum fuisse justum germen Davidis, quia etsi Ezechias & Josias fuerunt legitimi successores, si respicimus alios, fuerunt quasi monstra. Certe præter tres vel quatuor, omnes fuerunt degeneres, & fœdifragi: degeneres dico, quoniam nihil simile potuit reperiri inter ipsos & Davidem, qui debebat illis esse exemplar pietatis. Quum ergo fuerint prorsus dissimiles patri suo Davidi, non poterant censeri sub hoc elogio, *Justi germinis.* Deinde erant perfidi & apostatæ, quoniam defecerant à Deo & Lege ipsius. Videmus ergo subesse obliquam antithesin inter Christum, & inter tot quasi adulterinos filios, qui tametsi procreati fuerant ex semine Davidis, tamen indigni erant honorifico illo titulo propter suam impietatem. Proinde quoniam Reges ipsi Dei iram adversus populum concitaverant, & fuerant causa exitii, dicit nunc Propheta *Justum fore germen tandem*, hoc est, quamvis illi conati essent evertere Dei fœdus suis scelestis moribus, venturum tandem verum Filium, & unicum, qui vocatur alibi Primogenitus in tota terra, & illum *fore justum germen.* Et hoc diligenter notandum est, quia tam Josias quam Ezechias & similes, si in se reputentur, indigni tamen fuerunt sacro illo
Psal 80. nomine, Ego illum pono primogenitum in terra:
vers 28. deinde, Filius meus es tu: hoc non potuit dici de ullo
Hebr. 1. homine mortali, si in se consideretur. Deinde, Ego
vers. 6 ero illi in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. hoc,
Psal 2. quemadmodum Apostolus admonet, non potest An-
vers 7. gelis ipsis quadrare. Quum ergo hæc dignitas supe-
Hebr. 1. rior sit Angelica gloria: certum est neminem ex Da-
vers 5. vidis successoribus fuisse dignum tali elogio. Et ideo
& 5: 5. merito Christus dicitur *Justum germen.* quanquam,
2 Sam. 7. ut nuper admonui, videtur Propheta opponere sin-
vers 14. ceram Christi integritatem eorum impietati qui sub
1 Chr. 22. umbra & fallaci prætextu dominati fuerant, quasi es-
vers 10. sent ex sacro illo genere de quo dictum erat, Ero illi
Hebr 1. in Patrem, & ipse erit mihi in Filium. Sequitur, *Et*
vers. 5. *regnabit Rex.* hoc etiam non sine causa fuit additum:
Hebr. 1. paulo post tractus in exilium fuit Jechonias: deinde
vers. 5. omni genere ignominiæ affectum fuit totum genus Regium. Diadema quidem ipsum projectum fuit in terram, & turpiter calcatum fuit pedibus, ut ante visum est. Nulla igitur spes erat futuri regni, postquam nomen seminis Abrahæ fuerat quasi extinctum. Hæc ratio est cur Deus promittat quod nunc audimus de restitutione solii: & satis colligere licet ex Prophetis omnibus, salutem populi fuisse positam in Regis persona: & ubicunque Deus populum bene sperare jubet, sicuti dictum fuit, proposuit illis ante
Malach 2. oculos Regem: Rex erit in capite eorum, quum Deus
vers. 13. gubernabit eos. Nunc tenemus consilium Prophetæ, ubi dicit *Regem regnaturum.* Quidam existimant opponi Regis nomen tyrannidi, quia multi reges defecerant ab officio, & exercuerant latrocinium sub illo specioso nomine. Sed non dubito quin nomen Regis fuerit expressum, ne dubitaret populus de complemento hujus vaticinii, quia si simpliciter dictum esset, Suscitabo Davidi germen justum, & regnabit, poterant quidem spem aliquam concipere, sed exiguam, & non satis plenam. Scimus enim Zerubabel & alios excelluisse etiam aliqua præstantia, fuisse habitos in pretio ob memoriam Davidis: sed nullum tunc fuit regnum. Deus ergo hac loquutione testari expresse voluit fore tantam Regni excellentiam, ut nihil desiderari queat à Judæis, quia non erit potentia Christi inferior potentia Davidis. *Regnabit* igitur *Rex*, hoc est, magnifice regnabit, ut non tantum appareant aliquæ reliquiæ pristinæ dignitatis, sed ut Rex floreat, & vigeat, & obtineat perfectionem, qualis fuit sub Davide, & Solomone, ac multo præstantior. Sequitur, *Prudenter aget, faciet judicium & justitiam in terra*, vel prospere aget. nam שכל utrumque significat: videtur tamen hic potius loqui Propheta de recto judicio, quam de felici successu, quia hæc conjunctim legenda sunt, *prudenter aget*, deinde, *faciet judicium & justitiam.* Videtur ergo in summa hoc velle, Christum fore præditum tam prudentiæ, quam rectitudinis & æquitatis spiritu, ut omnes numeros boni & perfecti Regis impleat. Primo autem loco necessaria est prudentia: nam probitas non sufficeret in Rege. In privatis quidem hominibus tenet mediocrem laudis gradum: sed in Rege, si desit ingenium, probitas parum valebit. Ergo commendat hic Propheta Christum à recta intelligentia, deinde adjungit studium æquitatis & rectitudinis. Verum quidem est non satis splendide ornari Christum his loquendi formis: sed similitudo sumpta est ab hominibus, quia prima dos Regum est prudentia: deinde integritas accedit secundo loco. Scimus autem Christum sæpe conferri terrenis Regibus, vel proponi nobis terreni Regis imaginem, in qua contemplemur Christum: quia Deus sese attemperat ruditati nostræ & quia non capimus illam inæstimabilem Christi justitiam, deinde sapientiam, ideo ut paulatim Deus nos ad Christum usque deducat, eum nobis adumbrat sub his figuris. Ergo quamvis non respondeat Christi perfectioni quod hic dicitur, non debet tamen videri absurda comparatio, nempe quia Deus loquutus est pro modulo ruditatis nostræ, & noluit statim paucis verbis exprimere qualis esset Christus. Cæterum, tenenda est anagoge à Regibus terrenis ad Christum. Tametsi enim confertur Christus terrenis Regibus, non tamen notatur æqualitas: sed postquam concepimus in figura quod capere possunt mentes nostræ, debemus transcendere longius & altius. Ergo hic notandum est discrimen inter justitiam Christi, & justitiam aliorum Regum. nam qui bene præsunt, tamen non possunt aliter justitiam & judicium exercere, nisi dum student reddere cuique jus suum, ubi coërcent improborum audaciam, tuentur bonos & innoxios: hoc tantum potest à Regibus terrenis desiderari. Christus autem longe aliter: quia non tantum sapit, ut dispiciat quod optimum est, & rectum, sed donat etiam suos prudentia & intelligentia: judicium & justitiam facit, non tantum quia defendit innoxios, & adjuvat eos qui opprimuntur, opitulatur miseris, & compescit improbos: *sed exercet justitiam*, quia regenerat nos suo Spiritu: deinde *exercet judicium*, quoniam frenum injicit diabolo. Nunc ergo intelligimus quid sibi velit quod dicebam, notandam esse anagogem à Christo ad Reges terrenos, & simul analogiam: quia aliquid simile est, & aliquid diversum: longa est inter Christum & alios Reges distantia, & tamen aliqua in parte apta est comparatio, dum proponuntur nobis Reges terreni tanquam figuræ & imagines ipsius. Sequitur postea, *Jehudam salvum fore*

in

in diebus illius Regis. Per *dies Regis* non debet intelligi Christi vita, quam transegit in hoc mundo, sed perpetuitas, de qua Jesaias loquitur, quum per admirationem interrogat, Ætatem ejus quis enarrabit? [Jesa. 53. vers. 8.] nam semel mortuus est, ut Deo vivat, quemadmodum dicit Paulus. [Rom. 6. vers. 10.] Ergo fuit umbratile quoddam principium vitæ, quum Christus manifestatus fuit mundo, & versatus est cum hominibus: sed vita ejus in perpetuum durabit. Perinde igitur est acsi diceret Propheta, ubi advenerit Christus, & exhibitus fuerit à Patre, salvam fore Ecclesiam. Nunc si quæritur, Usquequo salva erit? nempe quamdiu manebit ille Rex. nullus autem est finis Regno Christi: sequitur ergo, perpetuam esse Ecclesiæ salutem. hæc est summa. Jam quamvis loquatur Propheta de liberatione populi, non dubium tamen est, quin præcipue designet quod proprium est regni Christi. Christus nobis præfectus est in Regem, ut sit servator: nunc salus hæc tametsi extenditur ad corpora, tamen propria ad animas referri debet. sicuti enim spirituale est regnum Christi, ita & quæcunque ea ea pendant. Ergo quum Propheta dicit *salvum fore Jehudah*, tantundem hoc valet, acsi promitteret solidam felicitatem Ecclesiæ sub Christo. Addit, *Israël habitabit confidenter*, nempe quia hoc in beata vita primum est, ut simus quietis & tranquillis animis. εὐθυμία enim non abs re tantopere olim commendata fuit. Nam si possent accumulari quæcunque expetunt homines, & ea illi æstimant spectare ad beatam vitam: tamen si animus sit male compositus, omnia cedent misere. Non ergo sine causa hic adjungitur tranquillitas, ubi mentio fit salutis. Et experientia ipsa docet, non constare nobis salutem, nisi quia freti Christo Mediatore pacem habemus apud Deum, sicuti etiam Paulus commemorat fructum illum fidei, & ostendit aliter nos semper fore miseros: Pacem, inquit, habemus apud Deum: [Rom. 5. vers. 1.] & inde colligit etiam miserias ipsas nobis adjumento esse in salutem, quia afflictiones probant patientiam nostram, patientia spem exercet, spes autem nunquam pudefacit: & accedit etiam probatio, quoniam Deus reipsa demonstrat se nobis adesse. Ergo videmus quam apte Propheta connectat tranquillum animi statum beatitudini. Jam certum est, nondum nos potiri vel salute, vel pace, qualis hic promittitur: sed discamus quid sit salus per fidem: deinde, quid sit quies inter agitationes, quibus assidue turbamur: quia recumbimus in Deum, ubi projicimus in cælum anchoram nostram. Quum ergo Propheta hic dicit *salvum fore Judam, & fore tranquillum Israëlem*, sciamus complecti totum Christi regnum ab initio usque ad finem: ideo non esse mirum, si de perfecta felicitate loquatur cujus primitiæ nunc apparent duntaxat. Postea addit, *Et hoc nomen quo vocabunt eum, Jehovah justitia nostra.* His verbis melius demonstrat Propheta se non loqui de quibuslibet Davidis posteris, etiamsi essent præstantissimi Reges, sed de Mediatore, qui promissus fuerat, & ex cujus adventu pendebat salus populi. Dicit autem, *fore hoc ejus nomen, Jehovah justitia nostra.* Judæi qui videntur aliis modestiores, nec audent canina impudentia corrumpere totum contextum, eludunt hoc nomen Christi, etiamsi in ipsum proprie competat. Dicunt igitur nomen Christo imponi, quia minister sit justitiæ Dei, quasi dictum esset, Quoties Rex ille spectabitur, agnoscent omnes fulgere in illo Dei justitiam: & adducunt similes locos: quemadmodum ubi Moses vocat Altare, Jehovah est vexillum meum, aut protectio mea. [Genes. 33. vers. 20.] sed nihil peorsus simile inter Altare, & Christum. Eadem etiam ratio est alterius loci, quem citant ex ultimo capite Ezechielis, ubi dicit, Et hoc nomen quo vocabunt Jerosolymam, Jehovah pax nostra. [Ezech 48. vers. 35.] Nam nihil aliud voluit Moses, quam Altare esse monimentum protectionis Dei: Ezechiel autem tantum docet, Ecclesiam fore quasi speculum misericordiæ Dei, ita ut illic quasi visibilis fulgeret. Sed non potest hoc eadem ratione conferri in Christum; statuitur hic redemptor. nomen illi imponitur: quale nomen? nomen Dei. Atqui excipient Judæi, fuisse Dei ministrum, & ideo potuisse transferri improprie hoc nomen Dei in ipsum, quamvis esset homo. Sed quicunque sine contentione & amarulentia judicant, facile vident idem nomen competere in Christum, quatenus est Deus, sicuti nomen Filii Davidis respectu humanæ naturæ ei tribuitur. Vocatur idem & unus Redemptor tam Filius Davidis, quam Jehovah: quomodo vocatur Filius Davidis? nempe quia oportuit illum nasci ex genere illo. quomodo igitur est Jehovah? hinc colligitur aliquid esse humana carne in illo excellentius: & vocatur Jehovah, quia unigenitus sit filius Dei, unius cum Patre essentiæ & gloriæ, & æternitatis, & divinitatis. Ergo omnibus æquis & moderatis hoc constabit, Christum hic insigniri duplici elogio, ut in eo nobis commendet Propheta tam deitatis gloriam, quam veritatem humanæ naturæ. Scimus autem quam necesse fuerit Christum prodire Deum & hominem, quia non potest sperari salus aliunde quam à Deo. Christus autem nobis debet salutem conferre, & non tantum esse ejus minister. Deinde etiam quatenus est Deus, nos justificat, nos regenerat, nos illuminat in spem vitæ æternæ: vincere peccatum & mortem, certe hæc propria sunt divinæ potentiæ. Ergo nisi Christus apparuisset Deus, non poterat præstare quod ab eo nobis expectandum est. Oportuit etiam illum hominem nasci, ut nobis esset conjunctus. neque enim nobis pateret accessus ad Deum, nisi essemus Christo familiares. Unde autem hoc nobis, nisi ex fraterna conjunctione? Itaque non sine magna necessitate Propheta Christum hic nobis proponit ab una parte verum hominem, & filium Davidis: ab altera autem Deum, vel Jehovam, quia unigenitus est filius Dei, & idem semper fuit ejusdem sapientiæ, & ejusdem cum Patre gloriæ, quemadmodum testatur Joannis caput 17. Nunc tenemus simplicem & genuinum sensum hujus loci, [Joan. 17. vers. 3. 11.] nempe quod Deus restituet Ecclesiam suam, quia stabit firmum & ratum quod pollicitus fuerat de Redemptore. Jam additur qualis futurus sit ille Redemptor, & quid ab ipso expectandum sit. Pronunciat igitur fore verum Deum, & tamen filium Davidis: deinde jubet ab ipso sperari justitiam, & quicquid ad perfectam & plenam felicitatem spectat. Jam quum dicitur *Deus justitia nostra*, iterum Propheta clarius exprimit justitiam non residere in Christo, quasi esset ei propria: sed nobis esse cum Deo communem. Nihil enim habet à nobis separatum. Deus quidem semper justus censebitur, etiamsi grassetur iniquitas in toto mundo. Non facient igitur homines, etiamsi omnes sint scelerati, quin Deus maneat justus, imo quin maneat etiam integra ejus justitia. Sed interea Deus non est justitia nostra quatenus in se justus est, vel intus continet suam justitiam: quia tunc erit judex noster: ita justitia ejus nobis adversa erit: sed Christi justitia aliam habet rationem. est igitur nostra, quia Christus non sibi justus est, vel in se, sed justitiam accepit, quam communicet nobiscum. Videmus itaque hic propria nota Christum insigniri, Quod non tantum venturus fuerit cum demonstratione divinæ justitiæ, sed cum justitia, quæ valeret in salutem hominum. Nam si Deum in se reputamus, quemadmodum dixi, justus quidem est, sed non erit justitia nostra. Si ergo cupimus Deum habere justitiam nostram, Christus nobis quærendus est, quia hoc nonnisi in ipso completur. Ergo Dei justitia nobis exhibita fuit in Christo; & quicunque illinc deflectit, poterit quidem per multos circuitus se versare, sed nunquam reperiet Dei justitiam. Et ideo dicit Paulus datum esse, vel factum nobis in justitiam. [1 Cor. 1. vers. 30.] in quem finem? Ut essemus Dei justitia in

illo. Quum ergo Christus factus fuerit justitia nostra, & reputemur in ipso Dei justitia, hinc colligimus quam proprie & scite dictum fuerit, *illum fore Jehovam*, nec tantum ut tueatur nos gloria suæ divinitatis, sed ut in ipso justi simus, quia non tantum est justus sibi, sed justitia oostra

Da omnipoteos Deus, quaodo omnes nascimur maocipati peccato & injustitiæ, ut regeniti unigeniti Filii tui Spiritu, vere aspiremus & sincero studio ad te onice colendom, & nos tibi ita consecremus, ut appareat nos noo prætendere falso Christi oomen, sed vere esse ejus membra, quum erimus participes novæ illius vitæ quam nobis attulit: & sic in ea proficiamus, ut peracto vitæ terrenæ cursu, tandem perveniamus ad plenitudinem illam vitæ & felicitatis, quæ oobis per eum parta est, & reposita in cælo, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA SEXTA

IN

J E R E M I A M.

7. Propterea ecce dies veniunt, (*venient*) dicit Jehovah, quibus non dicetur (*ad verbum, & non dicetur, non dicent*) amplius, Vivit Jehovah, qui eduxit filios Israël è terra Ægypti:

8. Quin potius, Vivit Jehovah, qui eduxit, & adduxit (*ascendere fecit, & introduxit, ad verbum*) semen domus Israël è terra Aquilonis, & ex omnibus terris ad quas expuleram eos illuc: & habitabunt super terram suam.

Postquam loquutus est Propheta de Redemptore, qui mittendus erat, splendide nunc commendat singulare istud Dei beneficium, dicitque tam insigne & præclarum fore, ut superior redemptio noo accedat ad banc magnitudinem & præstantiam. Quum educti sunt filii Israel ex Ægypto, scimus quot miraculis testatus fuerit Deus suam potentiam, quo ejus gratia esset illustrior erga populum. Et merito Prophetæ quoties hortantur & animant fideles ad bene sperandum, revocaot in memoriam quod tuoc gestum fuit. Sed Propheta noster secundam redemptionem amplificat hac comparatione, Quod posthac non celebrabitur illud Dei beneficium, quo populum suum dignatus fuerat, quum liberaret è captivitate Ægypti: sed aliquid fiet longe præstantius, ut omnes in ore habeant, ac prædicent immensum beneficium quod præstabit Deus populo suo, ubi eum liberabit ab exilio Babylonico. Dicit igitur *venturos esse dies quibus non dicetur, Vivit Jehovah, qui populum suum eduxit ex Ægypto, sed qui populum suum eduxit è terra Aquilonis.* Interea non significat abolendam esse memoriam gratiæ Dei, quam ostenderat erga Israelitas, quum per manum Mosis illos educeret ex Ægypto. Sed hic ratiocinatur à minori ad majus, quasi diceret fuisse illud testimonium gratiæ Dei, quod nullis encomiis satis exprimi posset, quum scilicet eduxit populum suum è terra Ægypti. Ergo si per se æstimetur, erit dignum æterna memoria: sed si incipiat conferri cum secunda liberatione, propemodum evanescet. Summa est, secundam redemptionem fore excellentiorem priore, ut obscuret ejus memoriam, quamvis non prorsus extinguat. Est autem hic locus notatu dignus, quia hinc colligimus quanti à nobis fieri debeat redemptio, quam adepti sumus per unigenitum Dei Filium. hinc etiam seqoitur nos magis obstrictos esse Deo, quam fuerint Patres sub Lege, quanto scilicet liberalius egit nobiscum, & virtutem suam erga nos efficacius exeruit. Deinde colligimus Prophetam in hoc vaticinio non attiogere paucos anoos duntaxat, sed complecti totum Christi regnum, & omnes ejus progressus. Nam loquitur quidem de reditu populi in patriam, & hoc fateri oportet, quia Christiani fuerunt nimis rigidi hac in parte. Præterito enim toto illo tempore intermedio, inter reditum populi, & Christi adveotum, nimis violenter torquent has prophetias ad spiritualem liberationem. Non dubium igitur est quin Propheta initium faciat à libero populi reditu: sed, quemadmodum dixi, non est separandus Christus ab hoc redemptionis beneficio: alioqui non constaret nobis effectus hujus promissionis, quia exigua tantum portio reversa est in patriam. Deinde scimus fuisse vexatos multis & continuis molestiis, ut conditio eorum semper fuerit misera, quia nihil pejus est inquietudioe. Scimus etiam fuisse spoliatos, & quidem sæpius: deinde redactos in servitutem. Scimus quam crudeliter tractati fuerint oune ab Ægyptiis, ounc à regibus Syriæ. Ergo plus esset pollicitus Jeremias, quam Deus re ipsa præstiterit, nisi comprehendamus Christi regnum sub boc vaticinio. Sed quia Deus Ecclesiam suam sic restituit per maoum Cyri, ut esset illud quasi præludium duntaxat futuræ redemptionis, & perfectæ, noo mirum est si Prophetæ, quoties verba faciunt de reditu populi, & de fine exilii, in Christum respiciaot, & spirituale ejus regnum. Nunc ergo tenemos consilium Prophetæ, cur dicat *venturos esse dies quibus non versabitur in ore populi prior redemptio*, tanquam singulare vel præcipuum monumentum gratiæ Dei & virtutis: sed superabit excellentia secundæ redemptionis. Quod ad hanc formulam loquendi spectat, *Vivit Jehovah*, scimus veteres ea fuisse usos in solenni jurejurando: deinde quoties volebant sese erigere ad bonam spem in rebus adversis. Quoties ergo videbant se ita premi, ut non esset alius exitus malorum, quam in Dei gratia, dicebant eundem Deum, qui olim fuerat populi sui redemptor, adhuc vivere, & nihil diminutum esse ex ejus potentia, quin decies, & centies, ac millies, si opus esset, opitularetur Ecclesiæ suæ, ac singulis ejus membris. Dicit, *ad quas expulero eos*, propter duas rationes. Mutatio personæ non obscurat sensum. dicit, *Vivit Dominus qui eduxit & adduxit populum suum è terra Aquilonis, & ex omnibus terris ad quas expuleram*: sed nulla est io sensu ambiguitas. Cæterum, quod ad rem ipsam pertinet, primo voluit Deus admooitos esse Judæos de suis peccatis, ut hæc cognitio esset ipsis transitus, vel præparatio ad resipiscentiam. oisi enim reputassent se fuisse ob scelera castigatos Dei manu, vel putassent exilium suum esse fortuitum, vel obmurmurassent, ut sæpe fecerunt. Sed Deus hic se auctorem exilii fuisse pronunciat, ut sentiant Judæi hanc pœnam juste se dedisse ob tanta & tam gravia scelera, quæ admiserant. Sed Deus similiter demonstrat in manu sua esse, & arbitrio, restituere quos afflixerat. Nam ejusdem fuit reducere à
morte qui occiderat: quemadmodum alibi dicitur, 1 Sam. 2.
Deus est qui mortificat, deinde vivificat. Possunt qui- vers. 6.
dem

dem perdere multi, qui non possent sanare vulnus quod fecerunt: sed quantum ad Deum spectat, sicuti est justus judex, ita & misericors servator. Jam si mors est in ejus potestate, quoties vult pœnam exigere de sceleribus hominum: ita etiam vitam habet in sua manu & obsequio, quum vult misereri. Nunc ergo tenemus quo consilio dixerit Propheta *expulsos fuisse Judæos à Deo.* Postea adjungit, *Habitabunt super terram suam*, quia oportuit usque ad Christi adventum Judæos sustineri hac fultura, quod videbant se fore in hac hæreditate, quæ promissa fuerat Patribus tanquam æternæ vitæ pignus, & regni cœlestis. Nunc sequitur,

9. Propter Prophetas (*alii Ad Prophetas, & potest legi ita ad verbum*) contritum est (*confractum est*) cor meum in medio mei: commota sunt (*vel concussa*) omnia ossa mea, (*proprie, luxata sunt, quia de ossibus agitur. quantum ad verbum spectat, significat agitari, & moveri: sed quoniam nunc loquitur de ossibus, sermo erit aptior, luxata esse ossa*) fui tanquam vir ebrius super quem transiit vinum, (*hoc est, tanquam vir obrutus vino*) à facie Jehovæ, & à facie sermonum sanctitatis ejus.

Hic Propheta iterum invehitur contra scelera populi: sed quia tunc Prophetæ suis blanditiis corruperant tam Regem & Proceres, quam vulgus ipsum, ideo Propheta dirigit ad eos sermonem, & dicit *turbatum fuisse cor suum propter Prophetas.* Nam scimus ut homines putent se dimidia saltem ex parte absolutos, ubi nemo est qui severe ipsos coarguat. Quum ergo cessarent Prophetæ in officio, fuit etiam in toto populo magna securitas, ut nullus esset Dei metus. Hæc ratio est cur nunc dicat Propheta, *Turbatum esse cor suum ob tantam socordiam*, quia scilicet Prophetæ essent quasi muti canes, ut alibi dicitur: ignoscerent tam gravibus & atrocibus peccatis, non studerent populum in viam reducere. *Turbatum* igitur *dicit esse cor suum ob Prophetas*, quia gravius judicium ipsos manebat, quum deberent esse Spiritus Dei organa, præcones judicii ejus: quum deberent suscipere ipsius causam in exhortationibus, & reprehensionibus, & minis. Interea non dubium est quin hæc doctrina ad totum corpus populi extendi debeat. Sed voluit incipere Jeremias ab ipsis Prophetis: quasi diceret hoc esse prodigiosum, quod Prophetæ jactarent se esse Dei ministros, & obmutescerent tamen in tanta scelerum licentia. *Ergo propter Prophetas contritum est cor meum*, inquit. Deinde etiam dicit *ossa sua fuisse luxata.* Quum Genesis primo capite dicit Moses Spiritum agitatum fuisse super aquas, idem verbum ponitur, sed in alia conjugatione. Quicquid sit, optime convenit, Luxata fuisse ejus ossa. Scimus autem ossa sic ligata esse nervis, ut non mutent locum. nam concussio unius ossis faciet ut totum fere corpus sit inutile. Ergo hac loquendi forma exprimere voluit gravissimam perturbationem: quasi diceret quicquid habebat firmissimum, vel robustissimum, fuisse fragile & quasi evanidum. Postea comparat se homini ebrio: qua metaphora intelligit se fuisse prorsus attonitum, vel sensus omnes fuisse sibi ablatos. Et adjungit, *Super quem transiit vinum.* Nam עבר significat Transire, sed hic ponitur pro Transgredi. Qui autem immodico potu obrutus est, videtur esse quasi demersus: quemadmodum siquis cadat sub aquam, non magis mergetur quam ubi cerebrum suum suffocat vino: est enim ebrietas instar cujusdam sepulchri, quia tenet totum hominem oppressum. Interea non aliud sibi voluit Propheta, quam prodigium hoc posse attonitos reddere, qui sanæ sunt & compositæ mentis: deinde posse concutere & luxare omnia membra, terrere etiam & confundere mentes alioqui tranquillas. Nam certe Jeremias vir erat cordatus, deinde fortitudine præditus erat, ut non labasceret ad pessima quæque exempla: neque poterat facile stupore obrui, ut esset similis ebrio. Ergo omnibus istis figuris ostendit fuisse horribile portentum, quod Prophetæ tantopere fuerint socordes, ut verbum nullum facerent, quum tamen viderent impietatem grassari, & Dei contemptum, quum viderent terram esse pollutam omni scelerum genere, ut statim videbimus. Dicit autem, *A facie Jehovæ, & à facie sermonum sanctitatis ejus.* Quum dicit, *à facie Jehovæ*, proponit ipsis Deum judicem & ultorem: quasi diceret, Si quem esse Deum in cœlo persuasi sunt, mirum est tam brutos esse, ut audeant jactare ejus nomen, interea tacite ferant cœlum terræ misceri. Ubi igitur illorum mens est, ut audeant tam secure prætexere formidabile & tremendum illud nomen? Nam quoties Dei fit mentio, debet nobis in mentem venire ejus non tantum bonitas & clementia, sed etiam severitas: deinde potentia, quæ est formidabilis omnibus impiis. Quum ergo audent homines ita ludere cum Deo, nonne hic prodigiosus est stupor? Hoc intelligit nunc Propheta, quod mirum sit Prophetas suscipere munus illud, & interea nullam habere curam gloriæ Dei. Adjungit, *Et à facie sermonum.* nam homines possent subterfugere, nisi Deus ipsos urgeret suo sermone. Sed quum Lex scripta esset Judæis, quum scirent falsi illi Prophetæ, si vellent rite fungi suo officio, debere se esse Legis interpretes; quum ergo hæc omnia essent satis superque nota, merito Propheta hic insistit in sermone Dei, quasi injiceret illis frenum, ne eluderent suo more simplex & nudum nomen Dei. Quum ergo Deus testatus sit in *Lege* sua qualiter vellet populum suum regi, quid hoc sibi vult, quod non terrentur sermonibus Dei isti Prophetæ? Et quoniam hypocritæ non modo Deum ipsum spernunt, vel extenuant ejus gloriam, sed doctrinam Legis non magni æstimant: Propheta insigni elogio ornat sermones Dei, quum dicit, *à facie sermonum sanctitatis ejus.* Vocat igitur sermones Dei sanctos, & intelligit inviolabiles, ut sciant impii illi sibi instare horribilem vindictam, quod & Deum, & sacros ejus sermones pro nihilo duxerint. Sequitur,

Genes. 1. vers. 2.

10. Quia adulteriis referta est terra, quia à facie jurisjurandi (*vel perfidiæ*) luxit terra, aruerunt speciosa deserti, (*vel, caulæ deserti: nam pluribus modis vertunt*) & fuit cursus eorum malus, & robur eorum non rectum.

Causam nunc assignat Jeremias cur tantopere exhorruerit socordiam illam, quam cernebat in Prophetis. Si res fuissent bene ordinatæ, vel saltem tolerabiles in populo, poterant agere Prophetæ placidius cum Judæis. quid enim opus est tumultuari, ubi sponte homines sequuntur quod Deus præcipit? Ergo ubi nobis est negotium cum hominibus mansuetis & modestis, illic vehementia est stulta: & sunt simiæ, qui ita se exagitant, & appetunt magna ambitione nescio quem fervorem zeli, ubi nihil opus est: sed ubi res sunt turbatæ & confusæ, illic opus est vehementia. Nunc ergo exprimit Jeremias ventum fuisse tunc ad extrema, ut non potuerint tacere Prophetæ, nisi essent quasi stipites. Debent igitur conjunctim hæc simul legi, quod Prophetæ obmutuerint, quum tamen necessitas loquendi ipsos stimularet, quia videbant terram refertam esse adulteriis: ponit adulteros, sed sub persona taxat crimen ipsum.

(Sen. 3 vers. 6.)

Quo-

Quoniam igitur terra erat polluta adulteriis & perjuriis, quum omnes studia sua applicarent ad nocendum, fuit illud nimium intolerabile, quod Prophetæ quasi rebus bene constitutis & pacatis, non exeandescerent. Videmus ergo quantopere detestetur Deus hanc ignaviam in omnibus verbi sui ministris, & quos præfecit Ecclesiæ suæ doctores, dum connivent ad scelera, & secure prætereunt adulteria, & scortationes, & perjuria, & fraudes, & alias noxas: quia si vel minima gutta pietatis in cordibus ipsorum vigeret, certe moverentur, nec possent ad momentum unum tacere. Si enim illud valere debet in omnibus Dei filiis, Zelus domus tuæ voravit me, & opprobria exprobrantium tibi, ceciderunt super me: an excusabilis erit Prophetarum torpor, ubi vident nomen Dei ita exponi ludibrio, ubi vident omne scelerum genus grassari? Nunc videmus non tantum quid doceat hoc loco Propheta, sed quænam sit hujus doctrinæ utilitas, & quorsum accommodari debeat. Discamus igitur, quo plus sibi permittunt licentiæ homines, & quo audacius erumpit ipsorum impietas & contumacia adversus Deum, Prophetas & pios Doctores debere acrius instare: & hoc esse militandi tempus, ubi ita mundus temere & furiose consurgit adversus Deum. Species vero quasdam attingit Propheta, non omnes enumerat: sed sub adulteriis & perjuriis comprahendis etiam alia scelera. Quantum attinet ad vocem אָלָה, proprie significat jusjurandum: sed quoniam sæpe interponitur aliqua execratio, vertunt quidam hoc loco Execrationem. Sed potius arbitror notari hic perjuria, & in sinistram partem accipi jusjurandum pro omnibus fallaciis, ubi nomen Dei interponitur. *Luxit terra*, inquit, *& aruerunt pascua deserti.* Hic scite Propheta demonstrat quam pudendus sit torpor ille, de quo loquitur, quoniam terra ipsa clamabat, nec modo terra quæ magis erat culta, & habebat multitudinem hominum, sed montes ipsi, & recessus. Terram enim dicit luctu afflictam esse, quia Deus passim exerceret sua judicia tam in sterilitate agrorum, quam in aliis pœnis, quas solet infligere. Et loquutio hæc valde concinna est, quum Propheta luctum terræ assignat, quasi susciperet personam lugentis, ubi videt Deum infestum esse hominum sceleribus. Est igitur quædam prosopopœia, non quod inducat terram loquentem, sed quia hic pingit imaginem luctus in ipsa terræ sterilitate, deinde in grandinibus & procellis, in pluviis intempestivis, in siccitate, & in aliis calamitatibus. Quoties ergo Deus manum suam attollit ad sumendas de peccatis hominum pœnas, si non sentiant ipsi, terra ipsa quæ sensu caret, debet pudorem incutere ipsorum dementiæ. Luctus enim in terra ipsa apparet, quasi sentiret Deum sibi adversum. Quum ergo homines indormiunt suis peccatis, & ita negligunt Dei vindictam, hinc apparet quam prodigiosus sit eorum stupor. Jam si hoc est intolerabile in vulgo, quid nunc dicendum erit de ipsis Prophetis, in quorum ore debebant resonare illæ voces, Maledictus qui transgressus fuerit præcepta Legis hujus, Maledictus qui violaverit cultum Dei, vel qui versatus fuerit impie cum proximo suo, & quicquid tale est in Lege? Nunc ergo tenemus quam emphatica sit loquutio, ubi dicit Propheta *terram lugere.* Amplificat etiam hoc idem quum dicit *aruisse speciosa deserti:* quasi diceret in ipsis remotioribus locis conspici Dei judicia: non tantum in planitie, & ubi est major frequentia hominum, terram lugere: sed siquis conscendat montes ipsos, ubi tantum versantur pastores cum suis gregibus, illic etiam conspicua erit Dei ira, & montes ipsi clamabunt Deum esse iratum: & interea homines ipsi nunc sibi blandiuntur, qui tamen erant interpretes, qui erant ora Dei, & quibus mandaverat reprehensionum partes, quod illi obmutescant. Nunc ergo tenemus & quid verba contineant, & quis sit hujus doctrinæ usus. Addit *cursum eorum fuisse malum, & robur ipsorum non fuisse rectum.* Per Cursum haud dubie intelligit omnia studia, & omnes actiones, imo quem habuerunt vitæ finem sibi propositum. Nam vita nostra vocatur cursus, quia non creavit nos Deus, ut jaceamus uno in loco, sed proposuit nobis aliquem vivendi finem. Ideo per Cursum Scriptura significat omnes actiones, & ipsum vivendi institutum. Postea adjungit, *omnes vires fuisse perversas*, quod scilicet omnes suos conatus applicuerint ad nocendum. Hinc igitur apparet, nisi Prophetæ fuissent plusquam perfidi, tunc clamandi fuisse tempus, quum tanta scelerum audacia Deum provocarent homines. Sequitur,

Psalm 69. vers. 10.

Deut. 27. vers. 26.
Deut. 28. v. 47. 58.

11. Quia tam Propheta quam Sacerdos impie egerunt: etiam in domo mea deprehendi (*vel reperi*) malitiam ipsorum, dicit Jehovah.

Hic adjungit non debere tamen mirum videri, quod Prophetæ sileant quum esset fortiter clamandum: quia scilicet sibi erant male conscii. Unde autem libertas, nisi ex bona conscientia? Sæpe quidem hypocritæ, qui sibi indulgent, adversus alios sunt severi, imo plusquam oportet: sed nemo ingenue audebit vociferari adversus scelera, nisi qui innoxius est. Nam qui alios accusat, legem sibi indicere videtur, quemadmodum dicit profanus ille scriptor. Propheta igitur hic docet cur Prophetæ non tantum ignavi essent, sed similes truncis, vel lapidibus: quoniam si clamandum erat adversus scelera, necesse erat ipsos trahi in primum ordinem, quia vita eorum prorsus dissoluta erat. Quum ergo essent omnium sceleratissimi, non poterant libere adversus alios clamare: & ideo Propheta illis exprobrat, quod eorum impietas impediat quo minus fungantur officio. Potest enim fieri, ut quis caste & honeste, & innoxie se gerat, interea vero conniveat ad aliorum scelera. Sed Propheta hic duplici nomine objurgat Prophetas & Sacerdotes, quod scilicet muti essent, & non susciperent causam Dei, quum viderent terram pollutam esse omnibus inquinamentis. Postea ostendit fontem hujus mali, hoc est, quod ita essent ignavi, & prorsus socordes: quia non audebant verbum proferre adversus scelera, quorum erant ipsi sibi conscii, imo quorum congerie erant onusti magis quam reliquum vulgus. Nunc tenemus quo consilio addiderit Propheta *tam Sacerdotes quam Prophetas impie egisse*: quoniam scilicet contemptus Dei, quo referti erant, deinde improbitas abstulerat illis omnem libertatem. Jam adjungit, *Etiam in domo mea reperi malitiam ipsorum, inquit Jehovah.* Exaggerat quod dixit de impietate, quod non tantum in communi vita, & in officiis secundæ Tabulæ essent improbi & scelerati, sed etiam corrumperent totum Dei cultum, quod ab ipsis riderentur Prophetæ. quid enim est deprehendi in ipso Templo scelus Sacerdotum, nisi quia nundinationem exercent prætextu Sacerdotii? deinde vitiant & adulterant Dei cultum, & religio illis nihil aliud est quam occasio turpis lucri, vel quæstus? Dum ergo Prophetæ ita pessundant Dei cultum, Legis doctrinam corrumpunt & pervertunt, ut lucrum inde faciant, vel ut dominationem sibi acquirant: ipsorum impietas non tantum perspicitur in consuetudine vitæ communis, sed etiam in ipso Dei Templo, hoc est, in officio Sacerdotali. Jam si verum illud fuit sub Lege, non mirum est si hodie tam fœdum exemplum cernatur. Et hinc etiam detegitur stultitia Papistarum, qui existimant se ingeniose subterfugere quicquid objicitur de sceleribus & Papæ, & totius fœtidi illius cleri: quum respondent

Cicero in Sallustium.

Papam

Papam quidem posse esse sceleratum, ut sunt fere omnes: & idem etiam posse dici de cornutis Episcopis: sed Papam, quatenus est Papa, non posse errare: item Episcopos, quatenus sunt Episcopi, hoc est, in ipso regimine & officio, quoniam repræsentant Ecclesiam, regi Spiritu sancto. Sed an meliores sunt vetustis illis Sacerdotibus, quos Deus ore suo constituerat, & quibus volebat præstari obedientiam à toto populo? Hic autem Propheta non tantum dicit fuisse illos sceleratos, quod impie & scelerate agerent cum suis proximis, quod furtis & rapinis ad se traherent aliena, quod essent addicti violentiæ & rapacitati, quod essent projecti ad adulterium, & omne flagitium: sed dicit *ipsorum malitiam fuisse deprehensam in ipso Templo*, hoc est, in ipso sacro munere, quoniam non tantum vita ipsorum scelerata erat, sed etiam corruperant impie & perfide doctrinam Dei, & everterant ejus cultum.

Da omnipotens Deus, quando hodie dignatus es nobis proponere exemplar omnis perfectionis in Filio tuo unigenito, ut studeamus nos formare ad ejus imitationem, & ita sequi non tantum quod nobis præscripsit, sed etiam quod re ipsa præstitit, ut probemus nos vere esse ejus membra, & ita ratam faciamus adoptionem nostram: & sic pergamus in toto vitæ nostræ cursu, ut tandem colligamur in beatam illam quietem, quam nobis peperit idem unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA SEPTIMA
IN
J E R E M I A M.

12. Propterea erit via eorum ipsis tanquam lubricitates in caligine, impingent, & cadent in ea, quia inducam super eos malum, annum visitationis eorum, dicit Jehovah.

Hic denunciat falsis Prophetis, & improbis Sacerdotibus, instare illis judicium Domini, quoniam populum deceperint. Sed figurate loquitur, quum dicit *viam eorum fore illis tanquam lubricitas*. Per *viam* intelligit rationes, quas putabant bene esse compositas, quemadmodum alibi eodem fere sensu vocatur Mensa impiorum quicquid est ipsis delectabile, imo quicquid confert ad vitam sustinendam. Sensus igitur est: Quum putabunt sibi omnia prospere esse, acsi quis iter faceret per planitiem, tunc sentient se in lubrico versari. *Via* igitur *eorum erit illis tanquam lubricitates*, hoc est, ubi visi fuerint cepisse utile consilium, & omnia prudenter sic composuisse, ut nihil infeliciter contingere ipsis possit, *via hæc erit illis lubricitas*, idque in caligine. Duplicat figuram. Etsi enim quis in lubrico versatur, potest tamen sibi cavere quum aspiciet oculis periculum. Sed ubi accedit ad lubricitatem caligo, vix fieri potest, quin is qui nec stare potest, nec se movere, cadat in hanc, vel illam partem: ideo dicit, *impingent, & cadent in ea*. Sequitur causæ redditio: quia scilicet Dominus erit ipsis infensus. Non ergo effugient ruinam, quia erit ipsis negotium cum Deo. Sed quoniam impii ex Dei patientia colligunt materiam pravæ confidentiæ, ita ut in suis sceleribus gloriari audeant, adjungit, *Annum visitationis ipsorum*. Quamvis ergo non statim exerat Deus manum suam ad ipsos puniendos, adveniet tamen tempus: quia Annus visitationis accipitur pro tempore opportuno, quod Deus apud se statuit. Differt quidem pœnas, sed ubi diu abusi sunt hypocritæ & contemptores ejus tolerantia, incipit repente contra ipsos fulminare: hic est annus visitationis. Sequitur,

Psal. 69. vers. 23.

13. In Prophetis (*Et in Prophetis*) Samariæ vidi fatuitatem, (*vel insulsum, insulsitatem*) prophetant in Baal, & errare faciunt (*vel decipiunt*) populum meum Israël:

14. Et in Prophetis Jerusalem vidi pravitatem, adulterando, & ambulando in fallacia: & roborant manus improborum, ut non revertantur quisque à malitia sua: erunt mihi omnes tanquam Sodoma, & habitatores ejus tanquam Gomorrha.

Hi duo versus conjunctim legendi sunt, quia dubium non est, quin Propheta hic comparet falsos Prophetas, qui corruperant Dei cultum in regno Israël, cum iis qui Jerosolymæ volebant videri sanctiores, ac magis integri. Sic autem comparat ut eos pronunciet longe deteriores esse, qui volebant censeri fideles Dei ministri. Nam dicit *se deprehendisse in Prophetis Samariæ fatuitatem, in Prophetis vero Jerosolymæ pravitatem*. Ideo falluntur, meo judicio, qui תפלה accipiunt etiam pro pravitate. Neque enim considerant hic exaggerari per comparationem scelus eorum, qui putabant se esse majores omni exceptione, quemadmodum loquuntur. Quantum ad Prophetas Samariæ, hoc est, decem tribuum Israël, pridem damnati erant, nec Jerosolymæ quisquam ausus fuisset defendere eorum causam. aperte enim desciverant à Dei cultu, & abduxerant populum ab unico Templo & Altari. Ergo tunc in regno Jehudah habiti sunt apostatæ, & perfidi, & nebulones. Sed regnum Jehudah adhuc volebat censeri purum & innoxium: & Prophetæ qui illic erant, gloriabantur se esse incorruptos, & puros ab omni macula. Propheta igitur dicit *repertam fuisse fatuitatem in Prophetis Samariæ*, nempe qui decem tribus corruperant, & illic vitiaverant purum Dei cultum: sed plus esse sceleris in Prophetis Jerosolymæ, & regni Jehudah, quoniam non fuerint tantum insipidi, sed consulto everterint omnem pietatem, & permiserint licentiam omnium scelerum, ita ut quasi vexillum gestarent ad probandam omnem speciem nequitiæ. Videmus ergo quodnam sit Jeremiæ consilium, nempe Prophetas regni Jehudah superare impietate alios Prophetas, quos tamen superbe damnabant: quoniam non tantum insulsi fuerint, ac fatui, sed conspiraverint data opera adversus Deum, & fuerint manifesti hostes non tantum pietatis, sed legum omnium. Quantum ad verba spectat, dicit *se reperisse fatuitatem in Prophetis Samariæ*. Loquitur autem in persona Dei, qui solus est idoneus judex. Et causam insulsitatis adjungit, *Quoniam scilicet prophetaverint in Baal, & errare fecerint populum Israël*. Si tantum de ipsis loquutus esset Jeremias, haud dubie exaggerasset illorum crimina: sed quia opponit ipsos deterioribus, contentus est Fatuitatis nomine: quasi diceret, Si quis ipsos seorsum consideret, erunt quidem scelerati, & non poterunt satis atrociter puniri: verum si in comparationem veniant cum Prophetis Jehudah, erunt fatui duntaxat, vel insipidi. Ergo sic resolvi debet copula, *In Prophetis quidem Samariæ vidi fatuitatem*: aliter vero in sequenti membro, *sed in Prophetis Jerosolymæ vidi* pravi-

pravitatem: adversative legendus est hic versus, prior vero per concessionem. *In Prophetis ergo Jerosolymæ vidi pravitatem.* Sequitur, *Adulterium perpetrat, & ambulat in fallacia.* Interpretes existimant esse mutationem numeri. Sed quid si referantur istæ duæ voces ad populum? quasi diceret Jeremias, Si quis sit adulter, si quis ambulaverit in fallacia, hoc est, si quis sit fraudulentus, *roborant manus improborum.* Et certe sensus hic videtur esse rectior. Ostendit igitur Jeremias, quomodo superent impietate alios Prophetas, nempe quoniam ubi vident grassari ab una parte adulteria, ab altera autem fraudes, rapinas, & perjuria, dissimulant: neque id tantum, sed suscipiunt patrocinium sceleratorum, & roborant manus improborum, & addunt audaciam perverso furori. Nam ut metus debilitat manus, ita etiam verecundia. Quum ergo isti Prophetæ non pudore quam metu tolerarent impios & sceleratos, *roborabant ipsorum manus*, hoc est, dabant ipsis plus fiduciæ, ut se liberius & majore licentia projicerent ad omne malum. *Ne revertantur quisque à malitia sua*, inquit. hoc ad explicationem additum est. Nam sicut dixi, vel Dei metus, vel hominum verecundia frangit ipsorum audaciam: ubi autem confirmantur, tunc perrumpunt, & sese obdurant ad obstinationem. *Ne ergo revertantur quisque à malitia sua*, tandem subjicit, *Erunt mihi omnes tanquam Sodoma, & habitatores ejus tanquam Gomorrha.* videmus restringi hanc sententiam ad cives Jerosolymæ. Dicit ergo Deus Prophetas illos similes fore Sodomitis, & cives Jerosolymæ fore similes civibus Gomorrhæ. Hoc non debet tantum de sceleribus intelligi, sed de pœna: quasi diceret, non plus sperandum esse veniæ, quam Sodomitis, quoniam ad extremum usque provocaverint iram Dei, ut jam illis parcere nequeat. Nunc sequitur,

15. Propterea sic dicit Jehovah exercituum super (*vel ad*) Prophetas istos, Ecce ego cibabo eos amaritudine, (*aut, veneno: alii vertunt, absinthio*, לענה: *sed nomen absinthii non videtur quadrare. ubicunque enim ponitur hæc vox, significat amaritudinem noxiam, & virulentam, & mortiferam*) & potabo eos aquis veneni: (*alii vertunt, fellis: diximus alibi de hac voce* ראש) quoniam à Prophetis Jerusalem egressa est impietas in totam terram.

Hic versus proprie dirigitur in Prophetas regni Jehudah, sicuti ex fine colligitur: & ita confirmatur expositio quam sequutus sum, nempe quod Deus culpam aliorum extenuet, dum loquitur de Prophetis Jerosolymæ, qui sibi arrogabant plus sanctitatis. Pronunciat autem venenum illis fore pro cibo, & fel pro potu: quasi diceret, Ego ipsos persequar omni genere pœnarum. Nec dubium est, quin idem exprimat quod nuper dixi, nempe mensam ipsis fore
Psal. 69. vers. 23. in laqueum. semper enim impii existimant se elabi posse suis artibus. Deus ex opposito pronunciat, quamvis parata sit ipsis mensa, nihil illic repertturos, nisi venenum tam in cibo, quam in potu. Nam sicuti filiis Dei & sinceris ejus cultoribus mala in salutem vertuntur, sic etiam impiis, ac sceleratis ejus contemptoribus necesse est omnia cedere in perniciem, cibum scilicet, & potum, & viam, & quicquid tale est. Sequitur causa, *quod scilicet egressa sit impietas in totam terram à Prophetis Jerusalem*: quibus verbis dicit, ipsos auctores esse omnium malorum, ita ut præ ipsis Prophetæ Samariæ possint censeri aliqua ex parte justi. Nec vero dubium est, quin duriter accepta fuerit hæc doctrina. Sed videmus qua necessitate fuerit coactus Jeremias sic loqui: nempe quoniam adhuc manebat lucerna Dei Jerosolymæ, sicuti pluribus locis dicitur, nec prorsus extincta erat lux sanæ doctrinæ: profitebantur se perstare in obedientia Legis, interea erant aliis multo pejores, quoniam scilicet non tantum corruptus erat Dei cultus in Templo, & Urbe, sed passim regnabant adulteria, fraudes, rapinæ, & alia genera scelerum. Addit,

16. Sic dicit Jehovah exercituum, Ne audiatis verba Prophetarum, qui prophetant vobis: evanescere faciunt ipsi vos, visionem cordis sui loquuntur, non ex ore Jehovæ.

Hæc etiam doctrina potuit videri asperior, & gravius offendere animos populi, quum vetaret Jeremias audire doctrinam Prophetarum. Concedit enim illis Propheticum nomen, quod sacrum erat: interea autem detrahit illis fidem, & abdicat omni dignitate. Non loquitur de magis, vel impostoribus, qui alieni essent à populo Dei: non loquitur de Ægyptiis, vel Chaldæis, vel similibus: non loquitur etiam de Prophetis Samariæ: sed qui quotidie sese ostentabant in Templo, & magnifice jactabant se divinitus electos esse, præditos spiritu revelationis, nihil afferre nisi quod Deus mandaverat. Quum ergo tales vetaret audire Jeremias, fieri non potuit, quin gravis perturbatio subiret præsertim animos simplicium: Quid hoc sibi vult? cur patitur Deus istos nebulones locum occupare in Templo, & illic exercere munus Propheticum: & tamen esse falsarios, & perjuros, & impostores? quemadmodum hodie videmus multos consternari propter dissidia, quibus hodie Ecclesia scinditur, & quasi lacerata est: cogimur adversus eos confligere, qui arrogant sibi nomen catholicæ Ecclesiæ, qui jactant se esse Episcopos, vicarios Christi, successores Apostolorum. Quum ergo rudes videant tam hostiles conflictus in medio sinu Ecclesiæ, fieri non potest, quin terreantur, & quin etiam hoc offendiculum graviter concutiat eorum fidem. Ideo locus hic apprime observandus est: quia etsi initio turbari potuit rude vulgus hac prohibitione: quisquis tamen serio timuit Deum, mentem suam collegit, ut discerneret inter veros & falsos Prophetas: & Deus nunquam electos suos destituet spiritu judicii, & discretionis, quum certabunt hinc inde doctores, & magni tumultus Ecclesiam fere pessundabunt: quin tunc quoque, ut dixi, semper retinebit electos suos, modo pie & humiliter studeamus nos subjicere ejus verbo: diriget etiam nos manu sua, ne fallamur. Ergo quum Jeremiam Deus instruxerit hoc mandato, ut vetaret pseudoprophetas audiri, hodie ne miremur, si probi doctores, & qui cupiunt asserere veram & sinceram pietatem, cogantur insurgere adversus titularios istos, qui sub larvis Pastorum & Præsulum & Episcoporum delitescunt, ut fucum faciant miseris & rudibus. *Ne audiatis*, inquit, *verba Prophetarum, qui prophetant vobis.* Addit, *Quia evanescere vos faciunt*, hoc est, infatuant vos. Sed nondum hoc poterat sufficere, nisi addita fuisset certior confirmatio. Dicit igitur Jeremias *ipsos proferre visionem cordis sui, non autem loqui ex Dei ore.* Hæc nota fallere nunquam poterit, nisi quis sponte se projiciat in laqueos & insidias Satanæ: quemadmodum multi ultro appetunt decipi, imo accersunt sibi mendacia: verum quisquis animum suum ad studium veritatis adjiciet, nunquam poterit decipi, si hac nota, quæ nobis proponitur, discernat inter Prophetas. nam quisquis loquitur ex sensu proprio, impostor est.

Nemo

Nemo igitur censeri debet bonus doctor nisi qui loquitur ex ore Dei. Sed hic poterit moveri quæstio, Quomodo intelliget simplex vulgus, alios loqui ex Dei ore, alios autem proferre sua commenta? Respondeo, tunc Legis doctrinam satis valuisse ad dirigendas populi mentes, modo ne oculos clauderet. Quod si Lex sufficere potuit illo tempore, nunc certe Deus clarius nobis affulget tam per suos Prophetas, quam per Euangelium. Ergo ubi Deus semel testimonium reddidit, fieri non potest, quin quisquis cupit se addicere in ejus obsequium, simul cognoscat quid rectum sit, quid sequi vel fugere expediat. Nunc videmus quanta sit hujus loci utilitas. Nihil enim miserius est, quam imposturis hominum huc & illuc raptari, & abduci à via salutis. ergo nihil magis optabile est, quam certo tenere viam. Deus autem hic digito demonstrat viam, quum dicit posse tuto audiri quicunque loquuntur ex ejus ore; alios autem esse repudiandos, utcunque nomen Propheticum obtendent, & ita sub fuco auctoritatis velint sibi subjicere quasi captivas hominum mentes. Et hoc hodie poterit sufficere ad dirimendas omnes controversias. nam hinc certe pendet quicquid nunc quæstionum agitatur in mundo. Papistæ volunt recipi pro oraculis sua commenta, obtendunt nomen Ecclesiæ: nos autem ex opposito dicimus comprehendi perfectam sapientiam in Lege, Prophetis, & Euangelio. Ergo si attendere placeat ad os Dei, facile erit componere omnes lites. Et hinc etiam sequitur, Papistas ideo decipi, quoniam non dignantur interrogare os Dei, sed malunt sese mancipare hominibus, & eorum mendaciis, quam sciscitari quid Deo placeat. Loquutus est enim ipse, & non loquutus est in abscondito, hoc est, non per ambages, nec obscure. Nihil enim est clarius ejus doctrina, modo non malitiose cæcutiant homines. Postea addit, *Jesa. 45. vers. 19.*

17. Dicentes dicendo iis qui me contemnunt, Loquutus est Jehovah, Pax erit vobis: & omnibus qui ambulant (*cunctis ambulantibus: est quidem singularis numerus, ad verbum, cuique ambulanti*) in pravitate cordis sui, dicunt, Non veniet super vos malum.

18. Nam quis stetit in consilio Jehovæ, & vidit, & audivit sermonem ejus? quis attendit ad sermonem ejus, & audivit?

Aliam notam apponit Jeremias, qua dignosci possint falsi Prophetæ à veris, quod scilicet blandiantur improbis & sceleratis Dei contemptoribus. *sup. v. 14.* Repetit ergo quod nuper dixerat, nempe ipsos roborare manum improborum, ita ut obdurescerent in sua impietate, & abjicerent omne pœnitentiæ studium. Etsi enim aliis verbis utitur, summa tamen eodem redit, *quod promiserint pacem*, hoc est, prosperitatem, Dei contemptoribus. nam nomen שלום tantundem valet ac bene esse, ac feliciter. *Dicunt* igitur *iis qui me vilipendunt*, vel rejiciunt. nam נאץ, utrumque significat. duplicatio etiam non caret pondere, quum dicit אמור במרום. Scimus enim quanto fastu pseudoprophetæ audeant ingerere sua somnia. nam aguntur spiritu superbiæ, ut sunt filii diaboli. Hinc igitur illa securitas, ut pronuncient perinde acsi delapsi essent è cælo. *Dicunt* igitur *dicendo*, hoc est, promittunt, & quidem impudenter, pacem fore omnibus Dei contemptoribus: neque id modo, sed prætexunt Dei nomen, *Loquutus est Jehovah*. Volunt igitur censeri organa Spiritus sancti, quum tamen futiliter proferant suas imaginationes, ut prius dictum fuit. Et ideo improprie posuit Jeremias nomen Visionis, quum dicit, *Loquuntur visionem cordis sui*. Est in hac voce concessio. poterat enim simplicius dicere, Proferunt nugas duntaxat, nempe mendacia, quæ sibi fabricarunt. Sed ponit nomen חזון, quod per se debebat esse in pretio. Interea autem significat esse simias duntaxat Prophetarum, ubi garriunt de visionibus, & plenis buccis prædicant se afferre spiritus revelationes. Concedit igitur illis improprie, ipsos videre. sed quid? nempe *quod cor ipsorum somniavit*. Ita etiam nunc perstringit eorum arrogantiam, quum inducit ipsos utentes hac præfatione, *Loquutus est Jehovah, Pax erit vobis*. Deinde, *Promittunt*, inquit, *ambulantibus in pravitate cordis sui omnia feliciter cessura, Non veniet malum super vos*: quasi diceret, Promittunt impunitatem omnibus sceleratis. Versus qui sequitur, solet ita exponi, Quod Jeremias exprobret falsis doctoribus incuriam, quia non attendant ad Dei sermonem, ac pro nihilo ducant quicquid Lex continet. Sed videntur mihi certe hallucinari Interpretes. nam potius Jeremias uno contextu hic demonstret, quam insolenter & proterve sese efferrent falsi doctores, quum auderent sese opponere bonis & fidelibus Dei servis, *Quis stetit in consilio Jehovæ?* Non dubium est, quin per subsannationem ita loquuti sint de veris Prophetis: Quid? isti denunciant vobis pestem, bellum, famem, quasi essent Angeli, quos Deus è cælo misisset: *An steterunt in consilio Dei?* Contexo igitur hunc versum cum superiore: quia certo persuasus sum, hic referri petulantiam, qua usi sunt falsi doctores ad veros refutandos. Et exemplum nostri temporis poterit hunc locum familiariter nobis exponere. nam ubi Papistæ vident se redactos ad extreme, ut nihil obstrependo & mentiendo proficiant, decurrunt ad hoc cavillum, Ho, si oporteat statuere de religione tantum ex Lege, & Prophetis, & Euangelio, quid illic certum reperietur? nam Scriptura est quasi nasus cereus. est enim flexibilis in utramque partem, & nullus sensus potest certo elici: ita omnia manebunt perplexa & ambigua, si auctoritas sit duntaxat penes Scripturam. Videmus ergo ut hodie hostes veritatis, dum non possunt aliter tegere suam fœditatem, conentur omnia involvere, & detrahere verbo Dei fidem, & tales tenebras inducere, ut non differat album à nigro, ut lux permixta sit tenebris. Talis igitur fuit protervia in falsis illis doctoribus. nam Jeremias & similes quum in medium prodirent, denunciabant non posse amplius differri Dei vindictam, quoniam populus non desineret eam provocare: & profitebantur se esse præcones Dei, testes arcani consilii ejus: nebulones autem isti ut sopirent conscientias, imo obstupefacerent, dicebant, He, *Quis stetit in consilio Jehovæ? quis audivit? quis attendit? quis vidit?* omnia hæc sunt incerta: & quamvis severe minentur isti vobis pestem, bellum, & famem, tamen non est quod metuatis. sitis ergo securi, & placide ac suaviter indulgete vobis, quia non tenent consilium Dei. Et hunc sensum videbimus postea confirmari quum dicit Propheta, ואם עמדו בסודי, hoc est, Si stetissent in consilio meo, dicit Jehovah. Neque enim dubium est, quin retorqueat in ipsos quod perverse jactabant. Sed nunc sequitur,

19. Ecce turbo (*vel tempestas*) Jehovæ cum furore (*vel cum iracundia*) egredietur, & turbo impendens super caput impiorum cadet. *vel, turbo cadens cadet: est participium* התפעל, *& postea est simplex verbum: sed eadem est radix utriusque. Differam in proximam lectionem. Cras non legam, quia nos occupabunt promotiones, ut scitis.*

Da omnipotens Deus, quando plus satis propensi sumus ad captandas blanditias, quæ nos illaqueent: & ita accersimus nobis mortem, & ultimum exitium: da, inquam, ut tremere discamus ad Propheticas denunciationes, quibus iram tuam nobis proponis, ita ut excitemur ad veram pœnitentiam, ne nostra indulgentia obdurescamus in malo, & persequamur cursum nostrum, donec tandem exuti omnibus vitiis, ad eam integritatem reformati simus, in qua plene refulgeat imago tuæ sanctitatis, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA OCTAVA

IN

JEREMIAM.

Repetendus est nobis versus, quem postrema lectione cœperam interpretari, *Ecce tempestas* (vel turbo) *Jehovæ cum furore egredietur, & turbo impendens super caput impiorum residebit*, vel cadet. יחול enim utrumque significat. Vehementius insurgit Propheta contra falsos doctores: quia scilicet fere stupidi sunt. Nemo enim eo prorumpit audaciæ, ut se Deo opponat, nisi qui jam excæcatus est a Satana. Agit igitur Propheta noster cum falsis doctoribus, non secus ac cum phreneticis, vel lethargicis. dicit *iram Dei venturam instar turbinis*. Quamvis enim ponat priore loco nomen Turbinis, vel procellæ, in sensu tamen nihil est ambiguum. Et adjungit non posse ipsos effugere, quin ira Dei ipsis incumbat, & tandem in ipsis resideat. hic autem communis est Scripturæ usus, acrius agere cum hypocritis, præsertim cum falsis doctoribus: quia illic horrendum in modum regnat Satan. Et certe, quemadmodum jam dixi, nisi quis illis præstigiis esset fascinatus, nunquam auderet se Deo opponere. Non mirum igitur est, si Propheta noster fulminet adversus impios illos doctores: quoniam ludus & jocus illis erat abuti sacro Dei nomine ad fallendum populum. Postea addit,

20. Non revertetur iracundia Jehovæ usque dum fecerit, & usque dum stabilierit cogitationes cordis sui: in extremitate dierum intelligetis hoc intelligentia. *hoc est, intelligetis hujus rei intelligentiam, ad verbum.*

Confirmat proximam sententiam, ne existiment hypocritæ, quibuscum agit, fore levem aliquam castigationem, quæ cito pertranseat. Quanquam enim videant sæpe armatam Dei manum, fruuntur tamen hoc solatio, quod sperant brevem exitum. Ergo hic admonet Jeremias, ipsos longe decipi, si existiment posse discuti vindictam, quæ instat, tanquam nebulam: quia Deus non desinet ipsos persequi, donec prorsus consumpserit. Alia etiam securitas fallit impios. nam minis Propheticis non moventur. Existimant enim Deum quodammodo ludere, quoties interitum ipsis denunciat. Et certe quod tam secure sibi indulgent reprobi, non aliunde contingit, nisi quia non persuadent sibi Dei sermonem conjunctum esse cum effectu. Quoniam ergo terrorem non incutiunt hypocritis Dei minæ, Propheta hic pronunciat, non esse cur se vana spe decipiant, quasi Deus tantum verba profunderet, nulla autem esset vindictæ exequutio. *Non revertetur*, inquit, *furor Jehovæ, donec perfecerit, & stabilierit cogitationes cordis sui.* Ostendit Jeremias, Deum non futiliter loqui per servos suos, quemadmodum multa hominibus temere excidunt. lingua enim sæpe præit mentem. Sed hic admonet, longe Deum ab hominibus differre, quia serio loquitur: & sermo Propheticus certum est testimonium arcani ejus consilii, ut paulo post iterum dicetur. hæc ratio est, cur nominet *cogitationes cordis sui*. Interea non debemus imaginari Deum nobis esse similem, acsi animo hoc vel illud conciperet, & versaret multa consilia, & nunc unum, nunc aliud veniret in mentem: hæc nimis crassa sunt, nec possunt cadere in Dei naturam. Sed metaphorice *cogitationes Dei* vocat Jeremias consilium ejus certum & stabile, quod fideliter declarat per suos Prophetas. Interdum quidem minatur Deus, ut revocet homines ad pœnitentiam: sed hoc tenendum est, ipsum nec varium esse, nec mutare consilia. Quicquid ergo proferunt in ejus nomine Prophetæ, hoc manat ex arcano ejus consilio: & perinde est acsi cor suum nobis in medium proferret. Et hoc ad commendationem Propheticæ doctrinæ non parum valet, ubi Deus cor suum cum ore conjungit. Os Dei nomino ipsam doctrinam. dicit autem eam proficisci ex profundo cordis affectu. Sequitur ergo, nihil in sermone Dei esse frustratorium, ut loquuntur; quia hic pronunciat esse cogitationes cordis sui quæcunque mandavit servis suis. Stabilire autem hic ad exequutionem refertur. Summa est, Deum nunc pronunciare sententiam contra populum, quæ retractari nequeat, quoniam semel decreverit perdere tam obstinatos in suis sceleribus homines. Videtur autem respicere ad verbum יחול, quod posuerat: significat, ut dixi, Cadere, significat etiam Residere, vel incumbere. Eodem sensu nunc dicit *iram Dei non reversuram*, ut cursum scilicet reflectat, *quousque compleverit quod jam decretum est*, nempe quod Deus apud se statuit de interitu populi. Adjungit, *In extremitate dierum intelligetis in hac re intelligentiam*, est ad verbum. Simplicius reddere licebit, Percipietis hujus rei intelligentiam, vel, cognoscetis quid hoc sibi velit. Non dubium est, quin Propheta insultet eorum socordiæ, qui affici tam sanctis monitionibus non poterant. Scimus quanta sit impiorum durities, præsertim quum eorum mentes, & corda Satan occupat. Nullum igitur ferrum, nullus lapis tantam habet duritiem, quanta est in reprobis: & quodammodo incursant adversus Deum cum sua obstinatione, acsi victores essent spernendo omnes ejus admonitiones & minas. Ideo Propheta deridens hanc socordiam, vel potius hunc furorem, dicit, *intelligetis, sed sero.* nam per *extremitatem dierum*, intelligit tempus quod Deus iræ suæ destinaverat. Atqui Deus ipsos mature monebat, ut resipiscerent antequam venisset tempus judicii. Perinde igitur est acsi relinqueret eos in suo stupore, ac diceret, non posse tamen effugere manum Dei sua pertinacia: quemadmodum quum Paulus dicit, Qui ignorat, 1 Cor. 14.
ignoret. Non dubium est, quin pervicaciam eorum vers. 38.
refellat, qui non admittunt vel sanam doctrinam, vel recta consilia. Sic ergo Propheta hic docet, nihil lucri facturos hypocritas, quum Deo opposuerint & contumaciam, & improbitatem suam: quia sentient nimium sero Deum non frustra loquutum esse. Videmus ergo per *extremitatem dierum* intelligi tempus illud, quo clausa erit janua, quin scilicet Deo non responderint mature, quum ipsos ad se invitaret,

ret, & proponeret illis spem salutis. Nunc ergo tenenda est altera sententia, nempe, ut quæramus Deum dum joveniri potest, invocemus eum, dum prope est. Nam si abutimur ejus toleraotia, & hodie spernimus eum loquentem, sero sentiemus, & non sine gravissimo dolore, nos fuisse fascinatos à diabolo, quod non responderimus vocanti. Sequitur,

21. Non misi Prophetas, & ipsi cucurrerunt: non loquutus sum ad eos, & ipsi prophetarunt.

Iterum Propheta noster admonet Judæos, ne blanditiis falsorum doctorum corrupti, minas Dei pro nihilo ducant. Diximus enim sopitas tunc fuisse populi meotes, quum impunitatem falsi doctores promittesent: & nulla est pestis deterior, quam ubi sub Dei nomioe falsi doctores nobis delicias faciunt, & repellunt omnem metum & sollicitudinem. Morbus ille grassatus fuit in veteri populo, ut hodie quoque grassatur. Major enim pars mundi semper apperit adulatores: & Deus ubi videt homioes ita sibi parcere, & quodammodo accersere sibi decipulas, laxat frenum Satanæ, & ejus ministris, ut decipiant miseros, qui ita falli sponte cupiunt. Consilium igitur Jeremiæ fuit, sæpius reducere populo in memoriam, nihil aliud esse omnes blanditias, quam præstigias Satanæ, aut venenum aliquod mortiferum, quo obstupefiunt omnes sensus. Quemadmodum enim si quis venenum propinet, quod extinguat & sensus corporis, & intelligentiam animæ, actum est de misero qui ita fuerit suffocatus: hoc idem cernere licet in falsis doctoribus, ubi demulcent miseros peccatores, & promittunt, illis bene fore, quemadmodum postrema lectione vidimus. Quoniam autem difficile est, expergefacere homines ab illo torpore, qui fere iogenitus est à natura: deinde quia subinde Satan repetit easdem iosidias, necesse fuit sancto Prophetæ, insistere magis ac magis in hac doctrina. Dicit autem Deus, *se non misisse Prophetas, & tamen ipsos cucurrisse*. Nam hæc objectio poterat in speciem videri sufficere adversus Jeremiam, Quod unus esset: ex opposito autem starent Prophetæ in magno numero. Naturæ autem sensus hoc dictat, credendum esse centum hominibus potius, quam uni. Unus ergo erat Jeremias, magna autem pseudoprophetarum copia. deinde nomen Propheticum erat commune omnibus. Ita necesse fuit occurrare exceptioni, quæ poterat contemptibilem reddere sanctum Dei servum. Ergo discrimen ponit ioter falsos doctores, quibuscum certabat, & inter se: quasi diceret, Ego quidem uous sum, sed missus à Deo: & probe mihi sum conscius legitimæ vocationis: deinde re ipsa ostendere paratus sum, me non afferre commenta cerebri mei. Ne igitur vos fallat hæc perversa comparatio unius hominis cum magna multitudine. Nam hic non agitur de hominibus, nec de eorum auctoritate: sed quærendum est, quisnam illis sit auctor. Si Deus est mihi auctor functioois meæ, ego unus supero totum mundum: si illi non fundati sunt in vocatione Dei, etiamsi essent plures centuplo, tamen evanescit quicquid jactant. nam soli Deo habenda est fides. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, quum dicit *Prophetas currere, sed non fuisse missos: prophetare, sed non esse instructos ullis Dei mandatis*. Hic autem locus primo docet neminem dignum esse audientia, nisi qui Dei verus est minister. Duo autem necessaria sunt, ut quis se talem esse probet: nempe vocatio, deinde fides & integritas. Quisquis ergo se ingerit, quamvis obtendat nomen Propheticum, potest tuto repudiari, quia Deus sibi uni hoc proprium vendicat, nempe ut audiatur. Jam simplex & nuda vocatio noo sufficerat, nisi qui vocatus est, fideliter operam Deo suo impendat. Utrumque hic notatur, quia dicit *Prophetas currere, & tamen non esse missos*: deinde, *loqui, & destitui tamen Dei mandato*. Fateor quidem diversis verbis rem unam & eandem hic repeti ex communi linguæ Hebraicæ usu: tameo major est expressio in secundo membro, quia mittere proprie ad vocationem spectat, mandare autem ad ipsam exequutionem. Deus enim priore loco eligit Prophetas suos, & munus docendi illis injungit: postea præcipit quid dicturi sint, & quasi illis verba dictat, ne quid à se confictum afferant, sed tantum præcones sint, quemadmodum alibi visum fuit. Jam hinc etiam colligimus, non promiscue aures nostras debere apertas esse impostoribus, qui Dei nomen audacter obtenduot: sed discernendum esse inter veros & falsos doctores. Neque enim hic cum paucis hominibus disputat Jeremias, sed alloquitur totum populum. Et finis hujus doctrinæ est, frustra sub ignorantiæ prætextu velle elabi qui non attenti sunt ad puram doctrinam: quia nisi data opera & Deum & verbum ejus negligerent, poteraot cognoscere quibus habenda esset fides. Sequitur ergo frivolum esse effugium quod hodie quasi sacrum asylum multi esse putant, nempe dum causantur se deceptos fuisse à falsis doctoribus. Nam videndum est, & diligenter inquirendum quorsum Deus miserit: deinde, quinam prodeant ex ejus schola, ne quid aliud doceant, nisi quod acceperint ex sacro ejus ore. Hic de vocatione non disseram prolixius: si quis brevissimam definitionem quærat, est duplex vocatio, una interior, altera vero quæ ad ordinem pertioet, & ideo potest vocari externa, vel politica. Externa autem vocatio ounquam legitima erit, nisi præcedat illa interior. neque enim nostrum est creare vel Prophetas, vel Apostolos, vel Pastores. Hoc enim est speciale Spiritus sancti donum. Proinde ut centies quis vocatus fuerit, & electus homioum suffragiis, non tameo poterit censeri legitimus minister, nisi vocatus fuerit ipse à Deo: quia requiruntur præclaræ dotes ad munus Apostolicum, & Propheticum, & Pastorale, quæ noo sunt io hominum manu, vel arbitrio. Videmus itaque semper necessario requiri arcanam Dei vocationem ut quis sit vel Propheta, vel Apostolus, vel Pastor. Vocatio autem secunda ordini adjuncta est. Deus enim vult omnia inter nos geri rite, & non coofuse. [1 Cor. 14. vers. 40.] hic igitur mos eligendi. Sed sæpe continget, ut sufficiat, præsertim ad tempus, Dei vocatio. Nam ubi oulla est Ecclesia, nisi Deus excitet extra ordinem Doctores, nullum erit remedium malo. Ergo vocatio ordinaria, de qua nunc loquimur, pendet ex statu rite composito. Ubicunque igitur est Ecclesia Dei, habet suas leges, habet certam rationem gubernationis: illic nemo debet sese ingerere, etiamsi Angelos omnes æquaret sanctimonia, ad munus Propheticum vel Pastorale. Sed ubi nulla est Ecclesia, Deus singulari modo excitat Doctores, qui electi non sunt hominum suffragiis: quia hoc fieri non potest, ubi nulla est forma Ecclesiæ. Argumentum quidem hoc longe fusius tractari meretur: sed quia non soleo digredi in locos communes, satis est tenere quod ad præseotem locum utile est cognitu, nempe nullos debere agnosci pro Dei servis, & doctoribus Ecclesiæ, nisi qui missi sunt, hoc est, quibus Deus manum porrexit, ut has partes injungeret. Jam quia vocatio interior Dei non potest certo dignosci à nobis, videndum est, an qui loquitur sit organon Spiritus Dei. Quisquis enim sua commenta futiliter afferet, ille indignus est audientia. quare, qui loquitur, ostendat re ipsa se legatum esse Dei. quomodo autem ostendet? nempe si loquatur ex ipsius Dei ore, hoc est, nihil proprium iogerat, sed fideliter quasi de mano in manum tradat quod divinitus accepit. Sed quoniam adhuc esset in ea re aliqua perplexitas, sequitur,

22. Quod

22. Quod si stetissent in consilio meo, certe (*copula enim ita resolvi debet*) audire fecissent verba populum meum, (*hoc est, docuissent populum meum sermones meos*) & reduxissent eos à via sua mala, & à malitia studiorum ipsorum.

Hic versus est quasi explicatio proximi. Possent enim multi perplexi hærere, si tantum hoc diceretur, nullos esse idoneos vel legitimos Doctores, nisi qui missi sunt, & qui instructi sunt certis Dei præceptis. Ideo Propheta hic nos ad doctrinam revocat, quæ certa & manifesta esse debet. Deus enim tradiderat summam totius veræ doctrinæ in Lege sua. Quum ergo tota sapientiæ perfectio comprehensa esset in Lege, sicuti inde hauserunt Prophetæ quicquid in ipsorum scriptis legimus, non potuit illa excusatio admitti, Unde sciemus Prophetas loqui ex ore Dei? nihil afferre commentitium? habere mandata quæ Deus probat? Propheta igitur revocat Judæos ad Legem ipsam, acsi diceret, quemadmodum [Deut. 30. vers. 12, 13, 14. Rom. 10. vers. 6.] etiam Moses loquitur, Non opus esse transcendere nobes, vel descendere in abyssos, vel cursitare ultra mare. nam Lex, & Verbum prope est in ore tuo, hoc est, Deus vobis proposuit quicquid necessarium est, ac utile cognitu. Hoc ergo vobis satis superque patefactum est: nec jam ullius rei necessariæ obscura erit cognitio, si attenti estis ad Legem. Ergo ignaviæ vestræ non modo crassus error causa est, sed etiam contumacia, ubi præterita Lege ultro manetis [Deut. 5. vers. 33.] suspensi, & inquiritis, Ubinam est via? Hæc est via, dicebat Moses, ambulate in ea. Nunc ergo tenemus consilium Jeremiæ. dixerat non alios debere audiri, nisi qui missi essent, & qui loquerentur ex ore Dei: nunc autem explicat quid hoc sibi velit, nempe quia Lex contineat totam sapientiæ summam. Sed quia prius induxerat pseudoprophetas secure ridentes ve- [sup. v. 18.] ros & sinceros Dei servos, quum objicerent, Quis stetit in consilio Dei? fingunt isti se delapsos esse è nubibus, territant vos atrocibus minis: quasi vero essent Angeli cælestes. Quum ergo pseudoprophetæ ita contemptim loqui solerent de servis Dei, ac objicerent non stetisse in Dei consilio, nunc retorquet adversus eos Jeremias: *Si stetissent*, inquit, *in consilio meo, certe loquuti essent ex Lege mea:* quasi diceret, Detrahunt fidem servis meis, quia sunt homines, & non Angeli. negant igitur fuisse meos consiliarios: ita faciunt ut totus populus vilipendat salutis doctrinam. Atqui sunt tamen aliqui Prophetæ, quos ego misi: nunc si velint haberi tales, probent: quæ erit vera probatio? *Si stetissent in consilio meo, certe notum fecissent sermonem meum populo meo:* & quisnam est ille sermo? Sequitur etiam definitio, nempe sermo Legis: *Reduxissent à mala via populum errantem.* Videri posset locus hic obscurus, sed ex contextu ipso possumus colligere hanc fuisse genuinam Prophetæ mentem: quod scilicet voluerit coarguere falsos doctores, ne amplius jactarent Dei nomen, & falso prætexerent munus Propheticum, & titulo illo gloriarentur. dicit enim hinc facile probari, non esse Dei Prophetas, quoniam non doceant fideliter quod debuerant petere ex Lege. Certum quidem est, neminem fuisse Dei consiliarium, quemadmodum [Jesa. 40. vers. 13.] Scriptura pluribus locis dicit, dum vult refellere eorum arrogantiam, qui pro sua curiositate penetrant in arcana Dei judicia: & Paulus quum de æterna Dei electione loquitur, quia hoc est incomprehensibile [Rom. 11. vers. 34. 1 Cor. 2. vers. 16.] arcanum, exclamat, Quis consiliarius ejus fuit? Et similiter loquitur prioris ad Corinthios capite secundo. quorsum? nempe ut compescat humanæ mentis temeritatem, quæ perrumpit longius, quam fas sit. Sed postea per modum correctionis adjungit Paulus, Nos autem mentem Christi tenemus. quare? consilium enim suum patefecit nobis. Quum igitur negarent pseudoprophetæ servos Dei fuisse ejus consiliarios, poterant quidem simpliciter hoc dicere, quatenus erant homines mortales: sed interea consilium illorum fuit detrahere fidem verbo Dei, & abrogare: ita non homines ipsos, sed Deum potius cogebant in ordinem. hæc fuit intolerabilis contumelia adversus Deum. Cæterum, nunc Propheta retorquet adversus eos: Nullus ergo in mundo erit Dei Propheta? atqui fixum illud erat, Semper fuisse aliquos Dei Prophetas. & nemo apud Judæos negare ausus fuisset, Mosen loquutum esse divinitus. hoc igitur concesso, nunc oblique perstringit eos Jeremias, Ubi erunt Dei Prophetæ? quoniam sibi arrogabant hoc elogium, dicit, *Certe non steteru in consilio Dei.* quare? nam consilium Dei comprehensum est Lege ipsa. quia ergo disceditis à doctrina pietatis; quia nullum est ædificandi studium, quia doctrina vestra non instituit homines ad timorem Dei, & non adducit ad pœnitentiam, sequitur vos non esse Dei consiliarios, neque Prophetas. Ut autem hoc melius pateat, tenendum est illud Mosis, nempe esse Deo sua [Deut. 29. vers. 29.] arcana: sed quæcunque tradita sunt in Lege, spectare ad nos, & ad filios nostros. non est igitur per multas ambages quærendum; quisnam sit verus Dei Propheta. illi enim extra controversiam audiri merentur tanquam Angeli, qui fideles sunt Legis interpretes: qui autem nos abducunt à Lege, secure & audacter rejiciendi sunt. Sed definitio simul tenenda est quum dicit, *Reverti fecissent populum meum à via sua mala, & à malitia studiorum suorum.* nam scimus pessimos quosque proterve obtendere sermonem Dei: quemadmodum hodie Papistæ quamvis inebriaverint totum mundum impiis deliriis, jactant tamen se esse Dei servos. Ergo Propheta postquam in genere loquutus est de verbo Dei, addit specialem notam, nempe quod illa est Dei doctrina, quæ ædificat, quæ instituit, & format homines ad pœnitentiam, ad timorem Dei, sicuti Paulus dicit [2 Tim. 3. vers. 16.] Scripturam esse utilem. vult enim hoc verbo coarguere perversos omnes Scripturæ interpretes, ut multi tunc sese venditabant pro optimis doctoribus, quum tamen aures tantum pascerent, eas titillando. Quoniam ergo tunc multi ostentationi potius quam ædificationi operam dabant, Paulus dicit Scripturam esse utilem, & ideo conspuit adversus omnes expositiones, in quibus nulla est utilitas. Sic etiam hoc loco Propheta hunc rectum esse usum Scripturæ & legitimum demonstrat, si homines revocentur à via sua mala. Est quidem synecdoche in hac loquutione, quia si tantum hortemur homines ad pœnitentiam, non magnus erit profectus: & hoc esset mutilum, quia pœnitentiæ doctrina friget absque fide, & absque invocatione nominis Dei. Sed Propheta hic noluit singulas partes sanæ & utilis doctrinæ recensere: satis habuit refellere falsos doctores, quod vellent soli in pretio haberi: interea autem nullum esset ipsis ædificandi studium, quia videbant omnia pessum ire, videbant scelera passim grassari, videbant horribilem Dei contemptum: cæcutiebant ad hæc omnia. Ergo hinc facile colligi potuit, neque fideliter ipsos operam suam Deo impendere, neque probe salutem Ecclesiæ curare: quia ita prodebant miseras animas, quibus videbant instare interitum. Tenemus ergo nunc totum Prophetæ consilium. Non dubium autem est, quin *viæ malæ* addiderit *malitiam studiorum*, ut magis detegeret socordiam eorum, qui in tanta necessitate silebant, & manebant ignavi. aliquando opus erit mediocri correctione: sed ubi populus sibi permisit extremam licentiam malorum, ubi impunitas omnia occupat, ubi etiam tales sunt corruptelæ in communi vita, ut nihil prorsus maneat integrum, si cesset & constricta sit lingua Doctoris, nonna merito

dice-

dicetur ignavus canis, & mutus? Sic etiam Propheta exaggerat socordiam, cujus hic accusat falsos doctores, quod silerent tanquam rebus bene compositis, quum tamen non modo vulgaribus delictis offendi deberent, sed tanta scelerum congerie: quia scilicet populus non uno genere duntaxat, sed in omnibus partibus sese prostituerat ad contemptum Dei, & Legis. Postea sequitur,

23. An Deus è propinquo ego, dicit Jehovah? & non Deus è longinquo?
24. An absconderit vir in latebris, & ego non videbo eum, dicit Jehovah? an non cælos & terram impleo, dicit Jehovah?

Primum hic excusit hypocritis suas delicias, quoniam ideo torpebant in vitiis, quod putarent se quodammodo posse oblinere oculos Deo. non ita quidem loquuti sunt: sed nunquam tanta esset oscitantia in hominibus, si persuasi essent, Deo nihil esse absconditum, sed ipsum penetrare ad intimos quosque affectus cordis, discernere inter cogitationes & affectus, & non relinquere medullas ipsas intactas. Si ergo hoc infixum esset omnium cordibus, certe majore reverentia sese Deo subjicerent, deinde expavescerent ad ejus minas. Ergo quum tam secure torpeant, sequitur ipsos imaginari Deum hebetem, & qui tantum curat quæ propinqua sunt: quemadmodum si quis lippitudine laboret, poterit quidem hoc vel illud aspicere quum propius fuerit admotum: sed non poterit videre quæ procul sunt remota. Talem igitur Deum somniant hypocritæ, qui more hominum vel conniveat, vel cæcutiat, vel saltem non cernat, nisi quæ palpari possint manibus. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, quum Deus testatur se Deum esse è longinquo.

Da omnipotens Deus, quando nihil in sacris & cælestibus oraculis tuis nobis deest, quod utile sit cognitu ad salutem, ut nos sedulo & assidue etiam exerceamus, & sic studeamus proficere in timore nominis tui, in fide gratiæ, quæ nobis proposita est in Christo, ut referamus verum fructum ex lectione & auditu verbi tui: atque ita discamus convertere omnia ad ædificationem, ut vere nomen tuum glorificetur in nobis, & proficiamus toto vitæ nostræ cursu in fide & pœnitentia, donec tandem perveniamus ad solidam illam sanctitatem, ad quam nos quotidie invitas, ubi spoliati omnibus carnis nostræ sordibus, vere erimus reformati ad imaginem Filii tui Domini nostri, Amen.

PRÆLECTIO OCTOGESIMA NONA
IN
JEREMIAM.

AN Deus è propinquo ego sum, dicit Jehovah? & non Deus è longinquo? An latebit vir in tenebris, in latibulis, *& ego non videbo eum*, hoc est, ut non videam eum, *dicit Jehovah? An non cælum & terram ego impleo, dicit Jehovah?* Hic acrius invehitur Propheta contra hypocritas, qui putabant se nullo negotio cum Deo transacturos, quemadmodum semper faciunt sibi delicias in suis peccatis. etsi enim semper animos occupat princi-
Hebr. 12. vers. 23. 1 Petr. 4. vers. 5. pium illud, Deum esse mundi judicem, & coram eo rationem aliquando reddendam esse: postea tamen tergiversando existimant se elapsos, ut Deus ipsis ignoscat. denique solenne est hypocritis cum Deo quasi pueriliter ludere. Hac ratione irascitur Deus contra ipsos, & pronunciat se longe alium esse quam ipsi imaginentur. nam dum ita se constituunt arbitros, ut Deum subjiciant suis legibus, fingunt ipsum esse quasi hebetem, & nihil videre, vel parum. Dicit igitur *se non esse Deum è propinquo, sed è longinquo.* alii referunt ad tempus, quasi negaret se nuper esse natum, & ita existimant verum Deum & æternum conferri idolis, quæ homines temere sibi fabricant. Sed alter sensus longe melius quadrat, nempe *ipsum esse*
Psal. 102 vers. 20. *Deum è longinquo:* quoniam sicut alibi dicitur, in excelsis habitans conspicit tamen quicquid in terra geritur. Quoniam ergo nihil fugit Dei conspectum, ideo vocatur Deus è longinquo, quum hypocritæ existiment ipsum esse Deum è propinquo, hoc est, ut Gallice dicimus, *de courte veuë*, qui tantum cernat quæ prope adsunt, & quasi subjecta oculis. Sed interrogatio plus habet vehementiæ, quam si dixisset simpliciter se non esse Deum è propinquo. habet enim hæc loquutio vim objurgandi, quia nimium ejus majestati detrahunt hypocritæ, ubi ita pro sensu suo fingunt eum non plus videre, quam hominem mortalem. nunquam auderent ita loqui: sed si quis examinet omnia eorum consilia, & actiones, reperiet nunquam tantum illis fore audaciæ, nisi seipsos deciperent hoc figmento, Deum scilicet posse decipi. Et ideo non refert Jeremias eorum verba, sed detegit malitiam, quæ satis se prodebat in ipsis operibus, quamvis lingua aliud profiterentur. Hunc vero esse sensum melius liquet ex proximo versu, qui conjunctim legi debet: *An latebit vir in latebris*, inquit, *ut non videam eum?* Hic versus expositive additus est. itaque de Longinquo, & Propinquo, non est amplius dubitandum, quin Deus vocetur è longinquo, quoniam oculi ejus penetrent usque ad profundissimas abyssos, nec quicquam eum fugiat. Mirum est Græcos interpretes tam crasse fuisse hallucinatos, quia prorsus mutarunt sensum, quod sit Deus è propinquo & non è longinquo. Primo non expenderunt interrogationem: deinde, quia non videbant quorsum hoc tenderet, ideo excogitarunt ex cerebro suo quod prorsus remotum est à Prophetæ verbis. Hæc quidem sententia non male quadrat, Deum esse propinquum, & non longinquum: sed aliud sibi vult, nempe longe diversum esse numen Dei, quam hominum, quoniam optime perspiciat quæ longissime ab ipso distant, sicuti locum ex Psalmo citavimus: & alter etiam locus potest huc aptari ex Psalmo 139. ubi dicit Propheta, Psal. 102. vers. 20.
Quo fugiam à facie tua? nam si ascendero in cælum, Psal. 139. v. 7, 8, 9, 10, 11, & 12.
tu illic es: si jacuero in ipsis inferis, illuc extendes manum tuam: si sumpsero pennas auroræ, & volitavero usque ad nubes, etiam manus tua illic deprehendet me: si quæsiero latebras, etiam nox ipsa erit tanquam lux coram te, & tenebræ tanquam lux fulgebunt. Si ergo jungamus duos istos locos, nihil amplius ambiguum erit in verbis Jeremiæ, nempe quod Deus in profundissimas quasque abyssos penetret suo conspectu, ita ut nihil ipsum lateat. Jam non tantum explicat Jeremias sensum proximi versus, sed accommodat etiam ad communem usum: *An latebit*, inquit, *quispiam in latebris, ut ipsum non videam?* Dei enim conspectus pertinet ad judicium. ideo omittendæ sunt omnes frivolæ speculationes, ubi Scriptura dicit Deum omnia cernere: sed præcipue considerare oportet quorsum videat, nempe ut tandem vocet ad judicium quæcunque geruntur ab hominibus. Est igitur applicatio doctrinæ ad usum nostrum, ut quicquid agimus, quicquid cogitamus & loquimur, hoc totum referatur ad Dei cognitionem. Per

Latebras autem intelligit omnes occultas fraudes, quibus dum putant homines se posse tegere, nihil aliud proficiunt, nisi ut accersant sibi gravius judicium. Latebræ igitur sunt, omnes vanæ cogitationes, quibus sese hypocritæ involvunt, & ita existimant se occultari, ut Deus non perspiciat eorum mentes. Ridet igitur Deus hypocritas, ac dicit, Ingrediantur in suas latebras, sese abscondant, ut libuerit: ego tamen non minus in latebris clare video, quam si mihi proximi forent. Ad confirmationem adjungit, *An non impleo cælum & terram, dicit Jehovah?* Hoc etiam non debet subtiliter exponi de immensa Dei essentia. Verum quidem est, extendi essentiam Dei per cælum & terram, ut est infinita. sed Scriptura non vult nos pascere frivolis illis & infructuosis cogitationibus: tantum docet quod prodesse nobis possit ad pietatem. Ergo quod hic pronunciat Deus *se implere cælum & terram*, referri debet ad providentiam ejus, & potentiam: quasi diceret se non oblectari cælo, quemadmodum profani homines somniant vacare ipsum deliciis, & mundum non curare: sed dicitur implere cælum & terram, quatenus omnia gubernat, quatenus omnia veniunt coram ipso in rationem, quatenus denique est judex mundi. Nunc tenemus quid sibi velit Propheta. & hic locus observatu dignus est, quia fere nobis omnibus ingenitus est hic error, ut fingamus Deum nobis similem. Hinc fit ut tantum licentiæ sibi permittant homines: nam leve est illis defugi erga Deum, quod scilicet non reputant qualis sit, sed eum æstimant ex sensu suo, & natura. Quoniam ergo ita sumus crassi, expendere diligenter convenit hunc locum, ubi clamat Deus *se non esse è propinquo*, hoc est, se non esse nobis similem, obtuso scilicet intuitu: sed non minus videre in densis tenebris, quam in clara luce: ideo nihil proficere eos omnes, qui fodiunt sibi cavernas, quemadmodum dicitur apud Jesaiam, & qui *Jesa. 2*
sese demergunt in profundum labyrinthum ut ipsum *vers. 21.*
fallant. Negat igitur ipsos quicquam proficere, & rationem adjungit: *Quoniam impleat cælum & terram*, id est, quoniam & providentia ejus, & virtus, & justitia diffusa sit ubique, ut quocunque homines sese transferant, non possint tamen ab ejus oculis se abscondere. Sequitur,

25. Audivi quod dicunt (*vel quid dicant*) Prophetæ prophetantes in nomine meo mendaciter, dicendo, Somniavi, somniavi.

Iterum redit Jeremias ad illos impostores, qui suis blanditiis populum mulcebant. Quum ergo Jeremias & similes, qui fideliter exequebantur munus suum, severe cum populo agerent, & coarguerent scelera, & minitarentur, ex opposito surgebant illi nebulones, ac sub nomine Prophetico impiis Dei contemptoribus blandiebantur. Fuit, quemadmodum ante diximus, hæc gravissima tentatio, quum in ipsa Ecclesia sic ministri Satanæ, Dei nomen falso prætexerent. Poterant Judæi secure contemnere, & ridere quicquid jactabant vani prophetæ Gentium: sciebant enim nihil illis commune esse cum Deo: sed quum pseudoprophetæ illi, de quibus nunc agitur, locum occuparent in Ecclesia, & magnifice venditarent se pro Dei servis, potuit hoc percellere infirmos, & concutere eorum fidem, imo prorsus evertere, nisi Deus manum porrexisset. Itaque non mirum est, si hac in parte tantopere insistat Jeremias, quoniam morbus ille non potuit curari levi remedio: si tantum uno verbo dixisset pro nihilo ducendos esse illos, non acquievissent infirmi. Ergo sæpius iterari hanc doctrinam oportuit, ut statuerent omnes, delectu & judicio opus esse, nec debere promiscue admitti pro Dei Prophetis, qui nomen ejus obtenderent. Repetit igitur eandem quam prius vidimus sententiam, sed aliis verbis: *Audivi*, inquit Deus, *quid dicant Prophetæ prophetantes in nomine meo*. Est occupatio in his verbis, quia objici poterat, Quid hoc sibi vult quod Prophetæ inter se dissident? & quid opus est factu in istis dissensionibus? qui confligunt inter se, utrimque perstringunt nobis oculos titulo illo tam honorifico, ac fortiter affirmant se à Deo fuisse missos. quum igitur talis sit inter Prophetas conflictus, quid nobis agendum est? Deus occurrit huic dubitationi, & pronunciat sibi non esse incognitum quid jactent pseudoprophetæ. Addit *ipsos prophetare in nomine suo*. hoc fuit offendiculum, quod maxime turbare poterat debiles animos, audire illam profanationem nominis Dei. nam sicuti reverenter excipere nos oportet quicquid à Deo prodit, sic etiam non leve periculum est, ubi falso & mendaciter nobis objicitur Dei nomen. Quoniam ergo poterant maxime fallaci isto prætextu boni quoque turbari, ideo diserte hic exprimitur, quod scil. abusi fuerint nomine Dei: sed addit, *mendaciter*. Hinc colligimus quod dixi, non sine delectu recipiendos qui se Prophetas esse affirmant, & fastuose obtendunt Dei nomen: sed adhibendum esse judicium, quia scil. omnibus seculis Deus voluit probare servorum suorum fidem, quum permisit hanc licentiam Satanæ, & ejus ministris, ut obtruderent sacrum ejus nomen non sine mendacio. Et quoniam videmus huic malo semper obnoxiam fuisse Ecclesiam, non est quod hodie turbemur, si idem accidat, quia nihil est novum. Discamus itaque obdurescere ad istos insultus, & quoties pseudoprophetæ fidem nostram tentabunt, maneamus nihilominus firmi in hoc principio, Prudenter considerandum esse, an Deus ipse loquatur, an vero homines fallaciter se jactent pro ejus servis. Somniam hic accipitur in bonam partem: quia, ut alibi vidimus, solebat Deus se patefacere servis suis per somnia. non ergo quælibet somnia hic debent intelligi, sed quæ continent aliquod cæleste oraculum. fallebant quidem pseudoprophetæ sic loquendo: sed hoc perinde erat acsi testati essent se non afferre propria commenta, sed fideliter referre quod à Deo acceperant. Quemadmodum hodie Papa præfatur se esse vicarium Christi, successorem Petri, dum tyrannidem sibi in Ecclesia usurpat: sic etiam illi specioso prætextu fallebant simplices, quod scilicet non effutirent aliquid humanum, sed tantum testes essent oraculorum Dei. Sequitur,

26. Quousque erit in corde Prophetarum prophetantium mendacium, & Prophetarum doli cordis sui?

27. Cogitantes ut faciant oblivisci populum meum nominis mei per somnia sua, (*vel, in somniis suis, ad verbum*) quæ narrant quisque socio suo: quemadmodum obliti sunt patres eorum nominis mei in Baal.

Hic tam objurgat Deus pseudoprophetas, quam populo suo promittit quod maxime optandum erat, nempe se purgaturum Ecclesiam suam talibus inquinamentis. Ostendit igitur sibi cordi fore vindictam, quod tam impie & audacter abuti audeant sacro ejus nomine pseudoprophetæ. Nam semper illud in mentem venit, Qui fit, ut Deus hoc permittat? an quia salutem populi sui negligit? an quia eum delectat hic lusus, dum videt veritatem misceri mendacio, & lucem tenebris? Deus ergo hic

admo-

admonet se ad tempus ferre sacrilegam illam audaciam, quam sibi Prophetæ usurpant: sed tamen non ita connivere, quin tandem pœnam de illis sumpturus sit: *Quousque*, inquit? nam perinde est, acsi diceret, Non patiar in perpetuum: quamvis differam, tamen sentient se nimis perverse abusos esse mea patientia. Et aggravat etiam crimen, quum dicit, *Quousque erit in corde Prophetarum prophetantium mendacium?* Nam hac loquendi forma significat, eos non errore labi, quemadmodum multi per inscitiam proferunt quæ non tenent. sed hic conqueritur Deus, Prophetas illos quasi data opera surgere ad opprimendam veritatem. Ergo per *cor* intelligi debet meditatio, quasi diceret, eos consulto prætendere fallaciter nomen suum, idque habere in corde suo repositum, ut populum decipiant. Addit, *esse Prophetas doli cordis sui.* Opponitur hic dolus cordis puræ doctrinæ: & ita significat Deus, quicquid ex seipsis in medium proferunt homines, esse fraudulentum, quia scilicet nihil prodire ab ipsis possit nisi vanitas. Nec dubium tamen est, quin perstringat stultam persuasionem, qua superbiunt pseudoprophetæ, ac inflati sunt, ut existiment se solos sapere: quemadmodum hodie in Papatu quam arroganter blaterant nebulones illi, quoties garriunt de suis figmentis? Nihil est magis insipidum, sed tamen putant se superare Angelos & acumine, & altis speculationibus. Talis igitur fuit arrogantia in veteribus pseudoprophetis. Sed Deus pronunciat simpliciter *esse dolum cordis* quicquid fabricant homines, & quicquid excogitant, quod non acceperint ex ore ejus. Et hoc diligenter notandum est: quia plausibiles sunt multæ argutiæ, in quibus tamen nihil subest firmum: imo sunt nugæ duntaxat. Si quando igitur nobis arrideant inanes illæ cogitationes, teneamus quod hic dicit Jeremias, quicquid à Deo non est profectum *esse dolum cordis:* deinde, quamvis totus mundus applaudat mendaciis & imposturis, sciamus tamen esse dolum quicquid non habet Deum ipsum auctorem. Et sequitur clarior definitio, quod scilicet *populum suum oblivisci faciant nominis sui per somnia, quemadmodum patres eorum obliti fuerant per Baal.* Ex hoc versu colligere licet, non palam fuisse Legis hostes, cum quibus certamen habuit Jeremias. nam tenebant multa principia pietatis: hoc illis commune erat cum optimis & sinceris Dei cultoribus, nempe, Deum unum esse colendum: deinde, unum esse legitimum ejus Altare, sacrificandum esse ex præscripto Legis. de his ergo nulla erat controversia. Sed interim populum fallebant suis blanditiis, quia solebant quæstum facere ex munere Prophetico. ideo illis exprobrat Jeremias, quod *induxerint nomen Dei in oblivionem per sua somnia, sicuti patres eorum obliti fuerant nominis Dei in Baal:* quasi diceret, Somnia hæc sunt tanquam fictitii & adulterini cultus, quibus olim eversa fuit pietas. nam patres eorum coluerant Baal, & Baalim, hoc est, asciverant sibi illos falsos deos: ita obruerant gloriam Dei suis figmentis. Non fuit tam crassa impietas in pseudoprophetis, qui regnabant tempore Jeremiæ, sed fuit tamen obliqua defectio, quod scilicet ingererent sua somnia, & falso profiterentur se esse Dei servos, quum tamen nihil illis mandasset. Diximus autem alibi duplex fuisse cri- *sup. v. 21.* men: primum quod non vocati currerent, neque missi: deinde, quod sua commenta supponerent pro Dei verbo. Et hic locus diligenter nobis notandus est, ut sciamus non tantum apertam defectionem non posse ferri, sed obliquas etiam corruptelas, quæ nos furtim abstrahunt à Dei timore. Duæ igitur pestes diligenter cavendæ sunt in Ecclesia, si cupimus manere integri in Dei obsequio. una pestis est satis nota, quum scilicet quasi ex professo veritas convertitur in mendacium, ubi homines ad idololatriam & fœdas superstitiones trahuntur. Sic Jeremias dicit *veterem populum oblitum fuisse nominis Dei in Baal.* Sed altera pestis occultior est, ideoque magis periculosa, quum scilicet species aliqua pietatis retinetur, sed per insidias abducuntur homines à timore Dei, vel à simplici ejus cultu, & à pura doctrina: quemadmodum hodie videmus etiam in Ecclesiis, quæ profitentur se divortium fecisse à Papatu, ut amplectantur Evangelii doctrinam, esse tamen permultos, qui insidiose corrumpunt simplicem & genuinam doctrinam. videmus quam multi curiosi homines nunc omnia conturbent suis figmentis, & quam præpostere multi subtiles esse appetant: deinde, quam superbe multi pro oraculis vomant sua commenta. Ergo non tantum excubare nos oportet, ut cauti simus contra apertas abominationes, sed etiam ut retineamus purum & simplex Dei verbum, hoc est, ne permittamus falsis operariis quicquam per insidias vel corrumpere, vel vitiare. Sequitur,

28. Propheta apud quem est somnium, narrabit somnium; & apud quem est sermo meus, narrabit sermonem meum veritatis: quid paleæ ad triticum? dicit Jehovah.

Hic etiam versus attente legendus est, & continet certe doctrinam apprime utilem. Jam dixi hac machina posse labefactari multorum fidem, dum vident in Templo Dei esse conflictus non tantum in ipso vulgo, sed inter Prophetas. Deus è cælo non apparet, neque etiam mittit Angelos suos, sed vult audiri per homines. qui igitur accedunt in Templum, expectant dum illos doceant Prophetæ: illic apparent Satanæ ministri, qui omnia corrumpunt & pervertunt: pauci sunt, qui cordate afferant Dei veritatem, & qui fideliter etiam explicent quod Deus mandavit. quid hic facient miseri, qui parati sunt ad obsequium, & qui afferunt docilitatem? hinc fit, ut multi abjiciant omne pietatis studium, & in desperationem se præcipitent. Quid hoc sibi vult? quid tot dissensiones, tot controversiæ, tot contentiones, tot invectivæ? quo nos igitur nunc conferemus? satius est nihil curare amplius. Multi igitur hanc occasionem arripiunt socordiæ, ut malint non se fatigare amplius, nec quærere quid sit Deus, quid velit, ubi salus nobis sit posita, ubi spes figenda, quam se implicare molestis & spinosis disputationibus. talis tentatio obrepere potuit tempore Jeremiæ. Ergo remedium opportune adhibet quum dicit, *Propheta qui habet somnium*, hoc est, apud quem est somnium, *ille narrabit somnium:* deinde, *Propheta apud quem est sermo meus, ille sermonem meum perferet:* quasi diceret Deus hoc esse nimis iniquum, ut mendacium viam obstruat veritati. atqui hoc accidere ut plurimum solet, quemadmodum dixi: ubi enim diabolus habet sua flabella, videtur obstaculum nos retinere, ne pergamus amplius in via, nec curemus proficere in doctrina pietatis. nam qui sunt recte animati, ut diximus, quum vident ipsos Prophetas inter se litigare, & jurgari, & certare, illic subsistunt, imo flectunt retro cursum: Deus autem admonet hoc nimis absurdum esse. Tantundem igitur valet hic locus, acsi diceret, Ne impediant suis fallaciis mendaces Prophetæ, quo minus pergant servi Dei in cursu suo, & sermo ejus reverenter audiatur. Nisi attendimus ad hoc Prophetæ consilium, frigebit locus: sæpe citatur, sed circumstantia certe non fuit notata: ideo videndum est semper cur quidque dicatur. Pendet, inquam, hæc sententia ex superiore contextu, & Deus respondet quæstioni, quæ moveri poterat, Quid igitur nobis agendum, ubi mendacia confligunt cum veritate? respondet, inquam, Deus, hoc præjudicio non debere

bere gravari sermonem suum: quasi diceret, Ne quicquam impediat, quo minus Prophetæ mei fructuose doceant, jubeo ipsos audiri. Hinc ergo colligimus, injuriam facere Deo, qui dum objiciunt controversias, quibus scinditur, & quasi laceratur religio, putant hoc modo sibi concedi impietatis licentiam: quia non debet valere hæc ratio, ut deroget Satan cum omnibus suis ministris auctoritati Dei, & servorum ejus. Quamvis ergo pseudoprophetæ se insinuent, quamvis sese opponant veris & fidelibus Dei servis, nihilominus somnia, hoc est, revelationes Propheticæ obtineant suum pondus, *& apud quem est sermo Dei, ille loquatur sermonem Dei*, nempe ut audiatur. referri enim hoc debet ad ipsos auditores, ut non desistant ab obedientia Legis, utcunque Satan conetur ipsorum fidem evertere, dum ita conturbat unitatem fidei. Postea sequitur, *Quid paleæ ad triticum?* Hæc etiam additio valde fuit necessaria: nam iterum poterant multi excipere, non suppetere judicium, quo discernerent inter veros & falsos Prophetas. Deus hic respondet, non minus esse discriminis, si quis attente expenderit, inter veram & falsam doctrinam, quam inter paleam & triticum. Et hac similitudine ostendit quam stulte, & indigne etiam multi detrahant auctoritati Legis hoc prætextu, quoniam multi sint falsi interpretes. Si quis enim dicat se triticum repudiare, quoniam opertum sit palea, nonne dignus est, qui pereat fame? & quis ejus miserebitur, qui dicet se habere quidem in area triticum, sed permixtum paleæ, ideo cibum non suppetere? quid ergo nogator, cur non discernis paleam à tritico? tu igitur mavis perire inedia, quam purgare triticum, & habere quo vescaris? Sic etiam in Templo sæpe permixtum erit triticum paleæ, dum pura Dei veritas inquinatur multis commentis, & pravis figmentis: sed interea, nisi per nos steterit, poterimus discernere inter triticum & paleam. Quod si negligimus, & putamus hanc esse justam excusationem spernendi verbi Dei, quoniam ex opposito Satan ingerit suas fallacias, pereamus igitur in illa nostra ignavia, quemadmodum si quis non dignetur triticum seligere, & conficere sibi inde panem. Sed hora non permittit plura dicere.

Da omnipotens Deus, quando quotidie dignaris tam familiariter nobis proponere certam tuam voluntatem, ut aperiamus oculos & aures, & sensus omnes nostros erigamus ad eam attentionem, quæ nobis non tantum patefaciat quod rectum est, sed etiam confirmet in sano judicio, ut pergamus in cursu pietatis, neque unquam deflectamus, quicquid machinetur in nos Satan, & omnes ejus ministri, sed stemus firmi & constantes, donec defuncti nostra militia, tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA IN JEREMIAM.

Vidimus heri, quamvis pseudoprophetæ tanquam falsarii corrumpant veram doctrinam, tamen manere Propheticum munus in gradu suo, ne quid ex ejus fide decedat: ideo dicebat Jeremias fallacias omnes non debere esse obstaculo, quo minus pergerent in cursu vocationis suæ fideles Dei servi. & ne quis exciperet, in rebus tam confusis non posse statui quid fugiendum sit, vel sequendum, dicebat facile discrimen esse inter triticum & paleas, modo homines non sponte cæcutiant. Nunc adjungit,

29. An non ut sit sermo meus quasi ignis? (*hoc est, Annon sermo meus tanquam ignis?*) dicit Jehovah: & tanquam malleus conterens saxum? (*vel rupem.*)

Confirmat quod dixit de palea & tritico, sed aliis verbis. fuit apta illa similitudo, quum Jeremias conferret sermonem Dei tritico, figmenta autem humana paleæ: sed quoniam Judæi sua ingratitudine effecerant, ut fructum non perciperent ex verbo Dei, nempe ut esset illis in alimentum spirituale, ideo dicit Propheta *fore instar ignis, & instar mallei*: quasi diceret, privari quidem Judæos judicio, quoniam obstupuerint in sua malitia, sed verbum Dei tamen non posse exinaniri, vel saltem ejus efficaciam non posse tolli, quia, ut dicit Paulus, si non est
2 Cor. 2. vers. 16. odor vitæ in vitam, saltem est odor mortis in mortem his qui pereunt: & ideo etiam idem Apostolus
2 Cor. 10. vers. 5. alibi dicit vindictam esse in manu Dei servis, quia gladium spiritualem gestent, ut dejiciant omnem altitudinem, quæ sese effert contra Christum: sed adjungit, Postquam impleta fuerit piorum obedientia. nam hic est prior usus verbi Dei, & quasi naturalis, ut salutem hominibus afferat: ideo vocatur cibus: sed vertitur reprobis in venenum. & hæc ratio est tantæ diversitatis. Prius dixerat sermonem Dei esse triticum, quia scilicet eo pascuntur animæ in cælestem vitam. hoc epitheto nihil suavius quæri potest. Nunc vero *ignem & malleum esse* pronunciat. In his loquutionibus quædam est repugnantiæ species. verum distinguere oportet inter auditores. nam qui verbum Dei amplexantur reverenter, ut decet, & pia docilitate fidei, sentiunt sibi esse in cibum: sed reprobi, quia indigni sunt tanto beneficio, longe aliud experiuntur. Sermo enim ille, qui erat natura vivificus, vertitur in ignem, qui eos consumat, & devoret: deinde est instar mallei ad illos frangendos, & conterendos, & dispergendos. Summa est, verbo Dei semper constare suam dignitatem: quod si contingat vilipendi ab hominibus, tamen non posse spoliari vigore suo, & efficacia: quod si non sit in cibum salubrem, fore instar ignis, & instar mallei. Duæ ergo istæ comparationes ad reprobos pertinent: quia sermo Dei alio sensu vocatur ignis, quum fit mentio fidelium, nempe quia excoquit, & purgat cupiditates carnis, quemadmodum argentum & aurum igni purgantur. Sermo ergo Dei proprie, & apte semper vocatur ignis, etiam fidelium respectu: sed non est ignis devorans; potius est ignis purgatorius. Verum ubi ad reprobos pervenit, necesse est ut ipsos perdat, quia scilicet non admittunt gratiam, quæ illic offertur. deinde potest etiam proprie vocari sermo Dei malleus, quia subigit pravos carnis affectus, & qui Deo sunt rebelles, etiam in electis: sed non conterit electos. patiuntur enim se domari. Dicitur autem hic malleus confringere saxum, vel rupem, quia nunquam sustinent corrigi reprobi: necesse igitur est, ut frangantur, & dispergantur. Hac ratione

1 Cor. 14. vers. 38. etiam Paulus, dum sermonem dirigit ad præfractos, dicit, Qui ignorat ignoret. nam bis verbis intelligit sensuros tandem quanta sit durities ejus sermonis adversus quem audent confligere cordis sui contuma-
2 Cor. 2. vers. 16. cia. Sed locus ille quem citavi, optime explicat quod hic dicitur à Jeremia, nempe doctrinam natura salutiferam esse, sed verti in odorem mortis omnibus qui pereunt. Loquitur quidem illic Paulus de Euangelio, sed potest hoc vere ad Legem accommodari. Nunc sequitur,

30. Propterea ecce ego ad (*vel super*) Prophetas, dicit Jehovah, qui furantur sermones meos, quisque à socio suo.

31. Ecce ego ad (*vel super, vel contra*) Prophetas, dicit Jehovah, qui mollificant (*vel tollunt*) linguam suam, & dicunt, Sermo. (*vel Dictio.*)

32. Ecce ego super (*vel ad, vel contra*) prophetantes somnia mendacii, dicit Jehovah, & narrant illis, & decipiunt populum meum in mendaciis suis, & in levitate sua: & ego (*hoc est, quanquam ego*) non miserim ipsos, neque mandaverim illis: & utilitate non proderunt (*proficiendo non afferent utilitatem*) populo huic, dicit Jehovah.

Iterum revertitur Jeremias ad falsos doctores, qui malorum omnium auctores erant, quod scilicet fascinaverant populum suis blanditiis, ita ut fere extincta esset omnis reverentia sanæ & cælestis doctrinæ. Dum autem pronúnciat Deus se fore ultorem contra illos, non eximit populum à pœna. scimus enim justam mercedem rependi reprobis, dum laxat Deus frenum ministris Satanæ, ut ita impone decipiant. Sed quoniam populus acquiescebat in illis fallacibus illecebris, dum ita severe minatur Jeremias falsis doctoribus, simul admonet quam stulte populus ad illorum umbram confugiens, putet se fore incolumem. Primo dicit, *Ecce ego ad Prophetas, qui furantur sermones meos quisque à proximo suo.* Multi exponunt hunc versum, quasi perstringeret Deus pseudoprophetas, qui mutuabantur aliquid à veris, ut essent illorum æmuli, & quasi simiæ. Et certe ab initio semper aliquem prætextum captarunt impii doctores, ut censeri possent inter Dei servos. Sed videtur tamen illud coactum, quod furentur sermones à Prophetis Dei, quoniam aliud sonant verba, *Quod furentur quisque à socio suo.* Non vocaret Jeremias fideles Dei servos hoc nomine. Ego potius existimo hic notari clandestinas eorum artes, quod inter se furtim conspirarent, & ex composito: deinde huc & illuc spargerent sua figmenta, quemadmodum fieri solet. Nam impii & perfidi ut fidem sibi concilient apud simplices & imperitos, consultant inter se, & excogitant omnes astutias, quæ non possint statim deprehendi: & ita alius ab alio sumit quod deinde proferat. Vocat autem Jeremias hoc furari, quia sese occultant, & perinde ad populum divulgant quod inter ipsos statutum est, acsi quisque oraculum è cælo hausisset. Non dubium igitur mihi est quin Propheta perstringat occultas illas conspirationes, quum dicit, *Unumquemque furari à proximo suo.* Nam hoc idem videmus nunc in Papatu. Monachi enim & ejusmodi nebulones habent suas fallacias: deinde quum suggestus conscendunt, illic quisque perinde loquitur acsi speciali aliquo dono esset præditus. Sed tamen furati sunt quisque à socio suo. sunt enim tanquam Arupisces, vel Magi, qui fovent intus suas fraudes, & tantum inde decerpunt, quantum existimant esse utile ad fallendum miserum vulgus. Hoc igitur unum vitium demonstrat Propheta in falsis doctoribus, quod scilicet nemo attentus esset ad vocem Dei, sed quisque furtim acciperet à socio suo, quod palam deinde profiteretur. Secundo loco addit, *Ecce ego super Prophetas, qui mollificant linguam suam.* Omnes fere interpretes לקח accipiunt hoc loco pro Dulce reddere, vel mulce, & intelligunt damnari pseudoprophetas, quod adulentur reprobis, quia scilicet tantum lucrum captant: si vero eos offenderent, vel exacerbarent, non posse eos ad se allicere. Existimant igitur Mollificare linguam tantundem valere hoc loco, atque linguam formare ad blanditias, & adulationem. Alii autem secus exponunt, quod mollificent linguam suam, quia scilicet sese expoliant ad imitationem servorum Dei, ita ut sermo eorum melle sit dulcior. Sed quoniam לקח significat Accipere, & Tollere, atque etiam efferre in sublime, interdum & portare, ideo posset in propria significatione sumi, nec video quid repugnet. Certe video nullam esse causam cur torqueant ad illam metaphoram, quod simpliciter potest accipi, nempe quod tollant linguam suam, id est, sese efferant, & magnifice jactent sibi mandatum esse docendi munus. scimus enim quam fastuose falsi doctores sese attollant. Ergo posset ita sumi hæc sententia, Quod Deus pœnam sumpturus sit de illis impostoribus, qui linguam suam tollunt, id est, qui superbiunt, & audacter arripiunt sibi auctoritatem, quasi essent legati cælestes. Sequitur postea, *Et dicunt* נאם. Scimus hoc in communi usu esse omnibus Prophetis, ut adjiciant confirmationis causa se nihil pronunciare, nisi quod divinitus acceperint: נאם יהוה, dictum Jehovæ, aut sermo Jehovæ. Et si uno contextu legimus hunc versum, reperiemus verum esse quod dixi, nempe verbum לקח non tam lenitatem, vel blanditias hic notare, quam illam magniloquentiam, qua falsi doctores turgent, ubi scilicet volunt censeri organa Spiritus sancti, & transferunt ad se quicquid Dei est. Nam hæc est elatio, quod secure jactant Deum ipsum esse loquutum: *Sermo*, nempe ut careat controversia quicquid garriunt, quamvis satis constet eos perperam mentiri Dei nomen. Tertio addit, *Ecce ego ad prophetantes somnia mendacii.* Necesse autem fuit interponi illud, nempe quamvis falsi doctores sibi arrogent quod proprie competit in solos Dei servos, tameo esse mendaces. Postea addit, *Narrant ipsis, & errare faciunt populum meum in mendaciis suis, & in lenitate sua.* Summa est, quamlibet superbe obtendunt nomen Propheticum, esse tamen impostores, qui populum decipiant, nempe quia *somnia narrant mendacii.* Hic etiam nomen S. moit capitur in bonam partem: sed epitheton ostendit fallaciter eos jactare sua somnia. Et hoc iterum confirmatur ubi dicit Jeremias *eos decipere populum suis mendaciis.* Adjungit *lenitatem*: alii vertunt Blanditias. Sed non dubito quio potius designet eorum commenta, quæ futilia sunt, quoniam nascuntur tantum ex inani temeritate. Addit, *Quum eos non miserim, neque mandaverim ipsis.* Hæc adversativa notanda est, quia ostendit Deus unde fieri judicium debeat, ubi quæstio movetur de veris aut falsis doctoribus. Quicquid ergo est præter Dei mandatum, simile est vento, & sponte evanescit. Ergo nulla est nisi in Dei mandato soliditas. unde sequitur eos omnes, qui loquuntur ex proprio sensu, mendaces esse: deinde quicquid proferunt, nihil habere momenti, quia Deus hæc duo inter se opponit, ab una parte mendacium, & levitatem: ab altera autem mandatum suum, & vocationem. hinc

sequitur, nisi quis simpliciter pareat Deo, & fideliter proferat quod ab ipso accepit, nullo loco habendum esse, quia tota ejus gravitas levior erit pluma, & tota species sapientiæ erit mendacium. Tandem addit *non profuturos populo*: quibus verbis admonet, cavendum esse à tali peste. Nam videmus ut sibi mundus hac in parte indulgeat. Torpent enim qui volunt ignorantiæ prætextu absolvi, & rejiciunt culpam in suos Pastores: quasi vero ipsi extra noxam essent. Sed Dominus hic admonet, doctores pestiferos esse, dum eos recipit populus. quanquam alia etiam ratione inutiles esse testatur, nempe ut excutiat vanam confidentiam Judæis, qui solebant clypeum opponere omnibus Dei minis, quum falsi doctores mira illis promitterent. Sequitur,

33. Quod si interrogaverit te populus hic, vel Propheta, vel Sacerdos, dicendo, Quod onus Jehovæ? tunc dices illis, Quod onus Jehovæ? Derelinquam vos, inquit Jehovah.

Et hoc loco satis patet, tantam fuisse contumaciam in Judæis, ut sibi hinc inde accerserent materiam socordiæ, quasi possent impune spernere Deum, quum verbum ejus rejicerent. Nam hoc etiam artificio fascinat diabolus reprobos, ubi vel odiosum illis verbum Dei reddit, vel contemptibile: & ubi potest exacerbare eorum animos, ne sermonem Dei audiant, absque fastidio, & amarulentia, adeptus est quicquid captat. Huc ergo tracti fuerant Judæi, ut verbum Dei odioso titulo notarent, ut scilicet alienarent se ab omni docilitate, & ab omni pietatis studio. In summa, Prophetæ, ut satis notum est, passim usurpant hoc nomen משא, hoc est, Onus. Onus autem significat prophetiam, quæ terret Dei contemptores, dum illis vindictam minatur. Jam ut animos suos exasperarent, in odium verbi, quasi proverbiali figura cœperant vocare sermonem Dei, משא · משא, est Onus. Debuerant moveri ad Dei minas, & contremiscere quum audirent eum ipsis esse iratum. Ergo nomen Oneris debebat eorum animos dejicere: sed potius sese inflabant, primum fastu, deinde indomabili contumacia, tertio accendebant se rabie. Nunc ergo videmus unde ortus fuerit hic sermo, quum omnes prophetias vocarent Onera. Jam Deus severe invehitur contra furorem illum, quod scilicet non dubitarent impudentiam suam ita palam ostendere. Fuit certe illud pudendum, quasi per infamiam & dedecus sermonem Dei sic vocari in triviis ac compitis. nam hoc modo erant satis aperte in Deum contumeliosi. perinde enim erat acsi petulanter conspuerent contra ejus sermonem. Non mirum est igitur, quod tanta vehementia objurgat furorem illum quum dicit, *Si te interrogaverit populus, Quodnam est onus?* Hic enim mos sciscitandi erat plenus ludibriis, quum dicerent tam Jeremiæ quam reliquis Dei servis, Ubi est onus, hoc est, quidnam affers nobis, quod nos afficiat molestia? non tantum contemptim loquebantur de sermone Dei, sed, quemadmodum jam dixi, quasi non sufficeret ipsorum malitia, seipsos irritabant, & exasperabant. *Si ergo te interrogent, Quodnam est onus?* & non tantum de plebeiis loquitur, sed de Prophetis ipsis, & Sacerdotibus. Unde colligimus quantus Dei contemptus grassatus tunc fuerit, ita ut nulla esset integritas in ordine Sacerdotali vel Prophetico. Mirum quidem est, qua fronte ausi fuerint se jactare Dei servos, qui tamen sic petulanter obloquebantur: sed idem hodie etiam mundo contingit. Videmus enim ut Satanæ ministri non alia ratione devinctum sibi mundum teneant, nisi quia deliniunt impiorum animos: & interea verbum Dei causantur esse plenum tristitia, & afferre non tantum molestias, sed etiam cruciatus. Ergo quum hodie suggestus occupant illi nebulones, qui ita gravant odio & dedecore veram doctrinam, ne miremur, quando videmus hoc idem factum fuisse in Ecclesia veteri. Sequitur, *Si te interrogaverit Propheta, vel Sacerdos, Quodnam est onus Jehovæ? dices ad eos, Quod onus? Derelinquam vos, inquit Jehovah.* Hæc est gravissima comminatio, sed quæ non satis probe expensa fuit. Subest enim antithesis quam interpretes negligunt, inter præsentiam Dei, & absentiam. Judæis nihil fuisset gratius, quam Dei silentium. Atqui non alia ratione melius declarat se nobis esse patrem, ut gerat curam salutis nostræ, quam dum familiariter nos alloquitur. Ergo quoties sermo Propheticus in medium affertur, habemus certum & clarum testimonium præsentiæ Dei, acsi vellet nobis conjunctus esse. Ubi autem impii non tantum repudiant hoc tam singulare Dei beneficium, sed etiam quantum in se est, furiose à se repellunt, expetunt Dei absentiam. Dicit igitur Deus, Non potestis ferre sermonem meum, quo symbolo significo me adesse vobis præsentem, *Ego vos derelinquam*, hoc est, ego id non patiar amplius, sed discedam à vobis, nulla posthac erit prophetia. Primo intuitu non fuit hoc grave Judæis. quemadmodum enim dixi, impii nihil magis cupiunt quam Deum tacere, & existimant se adeptos esse summam felicitatem, ubi sopitis conscientiis sibi indulgent in suis sordibus. Ergo hoc est præcipuum votum impiis, ut Deus procul ab ipsis discedat. Sed tamen nihil est magis extimescendum. Propheta ergo hic ostendit eos plus nimio desipere, & prorsus fascinatos esse à diabolo, quoniam nihil magis cupiant quam quod erat summopere horrendum, ut scilicet Deus ab ipsis discedat: quasi diceret, Verbum meum est vobis fastidio, ego etiam vicissim nunc me ulciscar, quia tædio mihi est mea patientia, dum video vos non posse ullo modo sanari: & quum hactenus assiduus fuerim ad vos docendos, ubi experior indociles, jam vos relinquam vicissim. Sequitur,

34. Et Propheta, & Sacerdos, & populus qui dixerit, Onus Jehovæ, visitabo super virum illum, (*hoc est, quicunque fuerit, sive Propheta, sive Sacerdos, sive homo quispiam vulgaris, visitabo super virum illum*) & super domum ejus.

Potuit quidem vocari prophetia Onus, quum triste aliquid nunciabat: sed potuit ut homines sese expergefacerent ad Dei metum, deinde ut se hortarentur ad pœnitentiam: sed respicit Deus ad impiam illam consuetudinem, quod scilicet per ludibrium audebant vocare quamlibet prophetiam Onus. Et hinc apparet sic omnes fuisse addictos suis peccatis, ut nomen ipsum judicii Dei esset illis detestabile. Nunc tenemus quo sensu dicat Propheta, Deum sumpturum pœnam de omnibus qui vocaverint sermonem ejus Onus. Nam Prophetæ quoque ipsi ita loqui solebant: & videbimus multis locis Jeremiam hac voce fuisse usum. Non ergo hic indifferenter loquitur, sed vitium illud quasi digito monstrat, quod scilicet obduruerant ad odium sanæ doctrinæ Judæi, quum dicerent, Ho, Prophetæ isti nihil aliud quam nos territant, minitando & nobis denunciando exitium. & quis tandem erit finis? Dicit Deus pœnam se sumpturum de omnibus qui sic loquuti sint, & simul de ipsorum familiis.

liis. Unde apparet quantopere abominatus fuerit banc blasphemiam. Et binc etiam videmus quam pretiosus sit Deo bonos sermonis sui. Neque enim de quolibet peccato agitur, ubi extenditur Dei vindicta usque ad posteros. Perinde est igitur acsi diceret Jeremias, hoc esse prorsus intolerabile, quum homines sese irritant & exasperant adversus Dei verbum. Et tamen bic morbus non fuit unius tantum seculi. Videmus Israëlitas semper fuisse con-
Eze. 18. questos de rigore Dei: unde etiam illud, Non sunt
vers. 25. tortuosæ viæ Domini, sed vestræ potius, domus Israel. Et bic nosanda est pravitas bumani ingenii. nam Deus, quemadmodum ante dictum fuit, nihil aliud spectat nisi ut nos ad se vocando faciat participes æternæ viræ & salutis. Hoc igitur est Deo propositum, nos amplecti in salutem nostram: hic est finis omnium prophetiarum. ideo ante vocavit Propheta sermonem Dei triticum. Quid autem homines? Aspernantur gratiam illam: neque id modo, sed convertunt cibum io venenum, nec desinunt io se provocare iram Dei. Cogitur ergo ipsis minari. Si repererit nos dociles, etiam allicier nos ad se, & qoidem paterna lenitate. Nos autem illum ad iram provocamus, & cogimus ipsum quodammodo induere alienam personam, quemadmodum dicit se Psal. 18.
præfractum fore erga præfractos. Interea conque- vers. 27.
rimur si Deus rigida nobiscum agat: oon desinimus cum ipso bellum gerere: si autem reprimat & compescat illam nostram iosolentiam, statim expostulamus cum ipso, quasi esset nimium severus, quasi sermo ejus nos offenderet. unde offensio? oempe ex obstinata malitia. Si finem facerent homines peccandi, Dominus mutaret stylum, & ipsos leniter aleret, ac foveret sub alis suis quasi pullos. boc non patiuntur, imo rejiciunt quantum possunt. Hinc fit ut Dei nomen exborreant, & ejus sermonem. Quæ est igitur eacusatio querimoniæ, ubi dicunt Deum essa nimis rigidum, acsi ejus sermo esset Onus? Imo ipsi suot præfracti adversus Deum, & sermo ejus illis vertitur in malleum, qui confringat ipsorum capita, & ipsos disperdat, ac dissipet. Nunc tenemus cur noo tantum pronunciet Deus se infestum fore impiis illis contemptoribus verbi sui, sed etiam vindictam eandem denunciet eorum posteris.

35. Sic dicetis quisque ad socium suum, & quisque ad fratrem suum, Quid respondit Jehovah? & quid loquutus est Jehovah?

Hic clarius se explicat Propheta: ostendit cur nolit Deus vocari sermonem suum Onus. quare? quodammodo enim sibi obstruebant aditum, oe quid proficerent io sermone Dei, quum sese occuparent & fastidio, & odio. Nam nomen Oneris erat quasi obstaculum, ne darent accessum Deo, ne aperirent aures ad audiendum ejus sermonem. Deus ergo jubet ipsos venire vacuis & puris animis. Nam hæc est vera præparatio ad docilitatem, ubi scilicet cognoscimus verbo Dei fidem tribuendam esse: deinde, ubi non sumus occupati aliquo perverso affectu, qui præjudicium nobis afferat, & quodammodo nos constringat, ne simus liberi ad recte judicandum. Summa igitur huc tendit, ut Judæi valere jussis blasphemiis, sese comparent ad verbum Dei reverenter audiendum, quooiam scilicet danda est Deo audientia: deinde puris animis ita audiendus est ejus sermo, ne vel tædium, vel superbia, vel odium, vel quispiam pravus affectus impediat, quominus verbum obtineat fidem suam, & reverenter audiatur ab omnibus. Hoc igitur significat Propbeta, quum dicit, Posthac mutabitis impium illum sermonem, & dicetis, *Quid respondit Jehovah? & quid loquutus est Jehovah?* nempe ne sibi ipsi januam claudant, sed libere accedant ad scholam Dei mansueti ac dociles, ne quid ipsos impediat, quominus parati sint Deo tribuere bonorem, & amplecti ejus verbum, ut terreantur ejus minis: deinde promissionibus allecti se totos ei addicant.

Da omnipotens Deus, quando nibil nobis melius est, vel magis expetibile ad summam felicitatem, quam pendere ex ore tuo, quoniam illud est certum pignus paterni erga nos tui favoris: da, inquam, ut sicuti dignatus es nos hoc singulari beneficio, quod etiam quotidie prosequeris, ut attenti simus ad te audiendum, & subjiciamus nos tibi cum vero timore, modestia, & humilitate, ut spiritu mansuetudinis parati simus excipere quicquid abs te proficiscitur: atque ita verbum tuum non modo pretiosum nobis sit, sed dulce etiam, usque dum fruamur perfectiona beatæ illius vitæ, quam Filius tuus nobis peperit sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA PRIMA
IN
JEREMIAM.

36. Et oneris Jehovæ non recordabimini amplius, quia onus erit cuique sermo suus: & pervertistis sermones Dei vivi, Jehovæ exercituum Dei oostri.

PRosequitur Jeremias eandem sententiam, nempe dandam esse operam, ut quisque audiat placide, & mansueto animo Deum loquentem. Dicebat beri quærendum esse à Prophetis, quid loquutus sit Deus, & quid responderit: quibus verbis significat afferendam esse docilitatem, ut sermo Dei apud nos & fidem, & auctoritatem, & gratiam simul obtineat. Iterum repetit, vocem illam Oneris non posse ferri à Deo: nam heri exposuimus, tritum fuisse bunc sermonem Judæis, ut sibi opponerent materiam odii, vel fastidii, ne amplexarentur salutis doctrinam. Quod autem vetat *eos recordari oneris*, tantundem valet acsi dixisset, Ne amplius hæc loquendi forma sit in usu apud vos. Postea adjungit, *Nam cuique sermo suus erit onus:* quibus verbis significat, si quid sit acerbum in prophetiis, aliunde esse, vel accidentale. Nam Deus nibil aliud propositum habet, dum alloquitur homines, nisi ut eos vocet ad salutem. Ipse igitur sermo Dei per se suavis esse nobis debet. unde igitur vel amarulentia, vel odium? nempe ex sola hominum pravitate: quemadmodum si quis ægrotus etiamsi vescatur saluberrimis cibis, vertentur in venenum, quia causa mali in ipso est. sic etiam à nobis, & culpa nostra provenit quod sermo Dei vocatur Onus. Cæterum, Propbeta simpliciter hoc voluit, noo esse cur Judæi querantur graves sibi esse prophetias, & semper afferre aliquid molestiæ, quoniam Deus cupiat homines blande alloqui, & humaniter, sed cogatur eorum malitia asperius cum ipsis agere. Videtur tamen Propheta etiam longius progredi, acsi diceret, Quamvis cessent prophetiæ, tamen unumquemque sibi

sibi fore Prophetam, quia quum obstrepant Deo, & non possint ferre ejus judicium, utcunque sileant omnes Dei ministri, satis tamen condemnationis secum ferre qui audent ita adversus Deum insurgere. Nunc tenemus Prophetæ consilium. *Non recordabimini* ergo *amplius oneris Jehovæ*, hoc est, non versabitur amplius inter vos proverbium illud odiosum, & quod notam aliquam dedecoris inurit verbo Dei. Cesset igitur hæc perversa consuetudo. Nam alioqui *unicuique vestrum onus erit sermo suus*: ita proprie acciperetur particula causalis, Quia. sed si placeat alterum sensum sequi, non repugno, quod scilicet debeant expendere, cur Deus non agat mitius cum ipsis, quia scilicet sunt ingenii pervicaci: & ita non admittunt paternam illam dulcedinem, qua paratus esset uti, si modo ferre possent. Hic locus observatu dignus est. nam videmus ut major pars indigne ferat, toties inculcari minas, & terrores: hinc concipitur & contemptus, & odium cælestis doctrinæ. Atqui nemo reputat, cur Deus toties terreat, ac minetur in verbo suo. Nam si finem facerent homines peccandi, desineret eum ipsis litigare: sed quum assidue eum provocent, an obmutescet? deinde, an Prophetæ patientur impune violari omnem justitiam, & Deum ipsum contemni? Sciamus ergo culpam in nobis residere, ubi Deus videtur erga nos esse rigidior, quia non admittimus paternum illum loquendi morem, quo semper vellet uti, nisi in nobis esset obstaculum. Addit etiam Propheta, *Quia corrupistis*: nam copula debet ita resolvi. *Corrupistis* ergo *sermones Dei vivi, Jehovæ exercituum Dei nostri*, inquit. Hic merito eos accusat, quod perverterint sermones Dei, idque ob duas causas, nempe quoniam sua pravitate Deum coegerint aliter loqui, quam vellet: deinde quia præposteri essent interpretes. Nam quamvis Deus nos severe castiget, nostrum tamen est mansueto spiritu admittere ejus objurgationes, ut sunt nobis necessariæ. Quum autem obstrepimus, ut faciunt refractarii, tunc pervertimus Dei sermonem. Videmus ergo non uno tantum modo sermonem Dei perverti, sed ubi nos furiose opponimus, ne clementer & humaniter nobiscum agat: deinde ubi non possumus nos subjicere ejus objurgationibus, sed fremimus adversus ipsum, quoties ad judicium nos vocat. Et quoniam tanta est in hac parte hominum licentia, Propheta hic emphatice opponit Dei potentiam. Primo dicit *ipsum esse Deum vivum*: quo epitheto admonet non impune cessurum impiis, dum ita evomunt adversus eum suas blasphemias: Videte, inquit, quocum sit vobis negotium. nam certatis cum Deo vivo. Hæc audacia recidet in caput vestrum. ergo exitialiter pugnatis. Deinde adjungit *esse Jehovam exercituum*: qua voce iterum confirmat ejus potentiam. Postremo addit, *esse Deum illius populi*: quasi diceret, non modo furiosam esse illam impietatem, dum ita audent cum Deo confligere, sed cum ingratitudine esse conjunctam, quia Deus illos sibi in populum adoptaverat, & pollicitus fuerat se illis fore in Deum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. primo loco admonet, ne animos suos inficiant odio Propheticæ doctrinæ: secundo loco ostendit totam culpam in ipsis esse, quod Deus sit asperior: & adjungit eos pervertere sermonem Dei, quia sinistri sint interpretes: deinde quia januam claudant ejus humanitati, qua invitat omnes pios & dociles. Postremo attollit Dei potentiam, & commendat ejus bonitatem, ut ita crimen populi aggravet, ubi audet bellum cum Deo ipso gerere, & dum contemnit gratiam sibi oblatam. Sequitur,

37. Sic dices Prophetæ, Quid respondit tibi Jehovah? & quid loquutus est tibi Jehovah?

Repetit quod jam heri dixerat, & fere iisdem verbis. Summa est, si cupimus proficere in schola Dei, cavendum esse ne mentes nostræ occupatæ sint ullo perverso affectu. Unde enim fit ut verbum Dei nobis non sapiat, vel etiam ut nos ad amarulentiam provocet? nempe quia sumus infecti perversa aliqua cupiditate, quæ judicium nostrum prorsus corrumpit. Vult igitur Deus nos accedere puros omni vitio, & ita esse dociles, ut quæramus tantum audire quid doceat, quid respondeat nobis. Nam quisquis ita erit solutus & liber, haud dubie sentiet doctrinam Propheticam sibi esse salutarem. Una igitur causa est cur verbum Dei nobis non prosit, sed potius sit noxium & pestiferum, quia non quærimus quid loquatur Deus, hoc est, non sumus dociles, nec accedimus ad discendum, sed dominatur in nobis vel ignavia, vel contemptus, vel ingratitudo, vel pervicacia, vel aliquid tale. Hic autem dicit, *Rogandos esse Prophetas, quid Deus loquatur, & quid respondeat.* quibus verbis purgat fideles Dei servos: quia si auditor esset paratus ad obsequium, reperiret apud probum doctorem quod merito placeret. Denique ostendit in Prophetis nihil esse vitii, ubi eorum doctrina nobis non arridet, sed hoc esse accidentale: quia non spectamus quod hic admonet Jeremias, audiendum scilicet esse Deum, ut discamus, & ut obediamus ejus voci. Sequitur,

38. Quod si Onus Jehovæ dixeritis, propterea sic dicit Jehovah, Ne dicatis hoc verbum, (*hoc est, Ne proferatis hunc sermonem*) Onus Jehovæ: & misi ad vos, (*sed debet resolvi oratio, quum miserim ad vos*) & ne dicatis, Onus Jehovæ.

39. Propterea ecce ego, & tollam vos tollendo, (*vel obliviscar vestri obliviscendo, ut alii vertunt: tertia est sententia, obliviscar vestri, ut tollam, vel ad tollendum*) & evellam vos, (*vel projiciam, melius: alii vertunt, relinquam, male*) & urbem hanc quam dedi vobis, & patribus vestris, à facie mea.

Hic confirmat Propheta superiorem doctrinam. poterat enim videri Deus nimium excandescere, quod de verbulo uno ita graviter offensus esset. Nam sumpserant Judæi ab ipsis Prophetis, quum vocarent prophetias Onera, sicuti dictum fuit, & multis locis videbimus. Jam quia multa est linguæ lubricitas, etiamsi in una voce peccassent Judæi, tamen potuit videri non esse hæc satis justa ratio cur tam minaciter Deus pronunciet se de illis pœnas sumpturum. Sed Propheta hic ostendit, Deum merito tam infestum ipsis esse, nempe quoniam ad eos miserit, & sæpius admonuerit, ne uterentur hac loquendi forma, quæ scilicet apertum erat testimonium eorum impietatis. Quum ergo ita Deo & ejus monitionibus repugnarent, an fuit excusabilis error? In summa, ostendit Jeremias, non ipsos labi inconsiderate, quemadmodum sæpe solet accidere his qui temere & futiliter loquuntur: sed nasci hunc perversum loquendi morem ex destinata malitia, quod scilicet velint aspergere aliqua nota infamiæ Dei sermonem: & ita sint in ipsum contumeliosi. Hæc igitur summa est verborum. *Si dixeritis* ergo, quum ex opposito vos moneam, ne ita loquamini: si ergo perrexeritis in hac obstinatione, *Ecce ego.* Deus hic pronunciat se fore vindi-

vindicem. Jam quod ad sententiam spectat, interpretes fere deducunt à radice נשה, ut ה sit litera finalis. sed nescio an hoc conveniat. Si tamen placeat hæc expositio, tenendum nihilominus erit, Prophetam alludere ad verbum Tollendi, quod mox subjicitur. Sed ego magis inclino in diversam expositionem, quod scilicet *Deus tollendo ipsos tollet.* Jam notandum est, vocem משא, quæ toties jam posita fuit, deduci ab eadem radice. משא igitur quod Onus dicitur, venit à נשא, quod est Tollere. Proinde quum in ore volitaret proverbium illud, Propheticam doctrinam semper afferre aliquid oneris & molestiæ, Deus respondet: *Ego vos tollam*, inquit, hoc est, sentietis quam grave & onerosum sit mihi vestrum scelus: sed tamen recidet in capita vestra. vos oneratis & gravatis invidia verbum meum, ego autem vos gravabor: sed quomodo? *ego tollam vos*, vel, *tollendo vos.* Si cui magis arrideat verbum Obliviscendi, sequatur suum sensum: tamen videtur certe mihi illud frigidum, Obliviscar vestri, nisi secundo loco sumatur נשא, pro tollere, Obliviscar vestri, ut tollam vos, vel, ad tollendum vos. Addit, *& evellam.* qui enim vertunt Relinquam vos, non videntur assequi quod voluit dicere Propheta. Nam aliquid tristius, & magis formidolosum denunciat, quum dicit, *Ecce ego vos evellam.* & tamen mihi non satisfacit illa expositio. Verbum hoc נטש significat etiam Extendere, & metaphorice accipitur pro Longe projicere: & videtur huic loco optime quadrare hæc projectio: quod scilicet Deus non modo Judæos tollet è suo loco, vel auferet, sed etiam ejiciet procul in longinquas regiones. Denunciat igitur illis exilium illud quo tracti sunt quasi in alienum orbem. nam si habitassent in vicinia, fuisset hoc illis magis tolerabile. Sed dum rapiuntur quasi violenta procella in ultimos & remotissimos fines, hoc multo est atrocius. Postea addit, *Urbem quoque hanc quam dedi vobis, & patribus vestris.* Verbum Projiciendi, & Evellendi non satis quadraret lapidibus: sed quoad sensum spectat, optime hoc convenit, quod Deus tollet Urbem una cum incolis, quasi raperet in ventum. Et hoc consulto additum fuit,
quia Judæi promissione illa freti, Hæc requies mea *Psal. 132.*
in seculum, hic habitabo, putabant fieri non posse *vers. 14.*
ut unquam illud Dei Sanctuarium excideretur. Quum ergo deciperet illos vana fiducia, acsi semper statura esset Urbs, quam Deus sibi in domicilium elegerat, ideo diserte addit Propheta Urbem ipsam perituram. Et additur etiam, *quod data fuerit ipsis, & patribus eorum.* Prævenit omnes exceptiones, & excutit Judæis vanam illam spem, qua erant inebriati, nempe Urbem sibi esse datam, & Deum illic residere, ut eos tueretur: Non obstabit, inquit, hæc donatio, quominus & vos pereatis, & vobiscum etiam Urbs ipsa. Addit, *à facie mea*: quia solenne illis erat obtendere Dei nomen, quum vellent obstinare animos suos contra omnes minas Propheticas. Deus autem hic respondet de facie sua: quasi diceret, Vos frustra opinionem concipitis de perpetuitate Urbis & Templi. nam hoc positum est in meo arbitrio. Quoniam igitur vos statis mihi & caditis, pronuncio à facie mea vos ejectum iri, & sublatum iri penitus è medio. Sequitur,

40. Et ponam super vos opprobrium æternum, & opprobria (*est quidem aliud verbum, dedecora*) æterna, quod oblivioni non tradetur. (*potest referri ad utrumque membrum. nam in plurali numero ponit* כלמות, *& postea addit verbum singulare, oblivioni non tradetur: sed potest, quemadmodum dixi, hoc extendi ad totum complexum.*)

Summa est, quamvis merito ad tempus gloriati fuerint Judæi se esse peculiarem Dei populum, hoc tamen nihil illis profore, quoniam exuerint se ornamento illo, quo excelluerant, nempe post abnegationem veræ pietatis. Hic ergo Propheta eripit Judæis stultam illam jactantiam, qua inflati erant quum dicerent se esse Dei populum: & minatur Deum, ubi gloriam suam ab illis abstulerit, facturum ut jaceant sub perpetuo dedecore. Scimus autem tales minas restringi ad Christum usque. nam Ecclesia Dei non potuit obrui æterno opprobrio. Sed quantum ad hypocritas spectat, sicuti nulla fuit eorum resipiscentia, sic nullam veniam adepti sunt. Deus autem liberavit suos ab æterno illo opprobrio, quum Christus apparuit redemptor: sed intelligi debet quemadmodum dixi, & sermo etiam proprie dirigitur ad profanos Dei contemptores. Sequitur,

Cap. XXIV.

Videre me fecit (*Ostendit mihi visionem*) Jehovah, & ecce duo calathi ficuum positi coram Templo Jehovæ, postquam transtulerat Nabuchadnezer rex Babylonis Jechoniam filium Joakim regem Jehudah, & principes Jehudah, & artificem, & inclusorem (*vel sculptorem*) è Jerusalem, & abduxerat eos Babylonem.

2. Calathus unus ficuum bonarum valde, sicuti sunt ficus præcoces: & alter calathus ficuum malarum valde, quæ non comederentur propter malitiam. (*hoc est, adeo malæ erant.*)

Hujus visionis summa est, non esse cur sibi placeant impii, si persistent in suis sceleribus, quamvis ad tempus illos Deus toleret. Nam tunc abductus erat rex Jechoniah in exilium una cum primariis viris, & cum artificibus. Videri poterat tam regis quam aliorum conditio longe deterior, quoniam populus, qui in patria manebat, adhuc retinebat spem illam, quod posset restitui dignitas Regia, & iterum florere omni genere bonorum civitas, quæ fuerat prope exinanita: quicquid enim pretiosum illic fuerat, cesserat in prædam victori. nam scimus quanta fuerit avaritia & rapacitas Nabuchadnezer. Urbs igitur tunc quidem erat fere deformis, & vasta præ superiori nitore: qui tamen illic erant residui, poterant sperare aliquid melius: qui vero tracti erant in exilium, erant quasi mortua cadavera. Ergo in speciem miser ille Jechaniah, qui erat exul, & abdicatus regno, potuit videri subiisse longe graviorem pœnam, una cum suis comitibus, qui simul abducti fuerant. Nec dubium est quin Judæi qui manebant Jerosolymæ, sibi placuerint, acsi Deus cum ipsis mitius egisset. Poterant quidem, si tacti fuissent vera pœnitentia, gratias agere Deo, quod illis pepercisset. Verum quoniam abutebantur ejus indulgentia, oportuit illis proponi quod hoc caput continet, nempe stulte ipsos ratiocinari, dum existimant Deum sibi esse magis propitium quam reliquis fuerit. Sed hoc sub visione ostenditur: videt Propheta calathos duos, vel canistra duo, vel corbes, perinde est: videt ergo calathos plenos ficubus, idque coram Tem-

Templo Dei: ſed aliæ ficus erant dulces & ſapidæ: aliæ autem amaræ erant, ita ut guſtus eſſet intolerabilis. Per Ficus dulces Deus voluit notare Jechoniam, & reliquos exules, qui patria carebant. Comparat autem eos ficubus præcocibus. Nam ſicuti ficus præcoces ſunt ſuavis guſtus, aliæ autem repudiantur propter amaritudinem: ita quamvis Jechanias, & reliqui fuiſſent quaſi abſumpti, reſtarent autem aliæ ficus, dicit melius actum eſſe cum his, de quibus Deus mature ſumpſit pœnam: quia alii ſibi accumulent gravius judicium ſua obſtinatione. Ex quo enim Nabuchadnezer urbem ſpoliaverat, & abduxerat quicquid erat illic pretioſum, reliqui non deſtiterant peccata peccatis addere, ita ut eſſet major congeries vindictæ Dei, quæ inſtabat. Nunc ergo tenemus finem hujus viſionis. Dicit autem ſibi viſionem hanc oblatam eſſe à Deo, quia hoc valde fuit neceſſarium, ne doctrina ejus pondere ſuo careret apud populum. Deus quidem ſæpius loquutus eſt, viſione nulla interpoſita: ſed diximus alibi quorſum ſpectarent viſiones, nempe fuiſſe quaſi ſigilla. nam quo plus auctoritatis ſecum afferrent Prophetæ, non tantum ſimpliciter loquuti ſunt, ſed quaſi obſignarunt ſuam doctrinam, acſi Deus ſuo digito notam aliquam certam inſculpſiſſet. Sed quoniam alibi hoc prolixe tractatum fuit, nunc levius prætereo. *Ecce*, inquit, *calathi duo ficuum poſiti coram Templo.* circumſtantia loci notanda eſt. Potuit quidem fieri ut Propheta pedem non moverit ex ſuis ædibus. potuit etiam noctu in denſis tenebris offerri hæc viſio: ſed conſpectus Templi oſtendit partem populi non temere fuiſſe abreptam, & aliam partem relictam in orbe: ſed hoc profectum eſſe ab ipſo Deo, nam in Templo ſe Deus manifeſtabat: & ideo ſæpe ubi volunt percellere animos impiorum Prophetæ, dicunt, *Jeſa. 26. verſ. 21 Mich. 1. verſ. 3.* Egredietur Deus è Templo ſuo. Templum igitur hic accipitur quaſi Dei tribunal. Ideo dicit locatas fuiſſe corbes, vel calathos iſtos fuiſſe poſitos in Templo: quaſi diceret totum populum ſtare ad Dei tribunal: & qui in exilium jam ejecti ſunt, non tractos fuiſſe pro libidine hoſtium, ſed quoniam Deus in ipſos animadvertere voluerit. Additur etiam tempus, *Poſtquam abductus erat Jechaniah filius Joachim.* nam ſi hoc non fuiſſet adjunctum, fuiſſet obſcura viſio: & hodie nemo poſſet aſſequi cur Deus poſuiſſet calathos iſtos in conſpectu Jeremiæ. Diſtinctio igitur hic notatur inter exules, & inter eos qui adhuc fruebantur patria: & quanquam erant redacti in gravem penuriam, & carebat urbs ſuo ſplendore, nulla erat fere majeſtas in Templo, palatium ipſum erat ſpoliatum, & ſoboles Davidis nonniſi precario regnabat. Quanquam ergo gravis erat urbis & populi calamitas, tamen, ut jam dictum fuit, putabant ſe quodammodo beatos eſſe Judæi, qui in urbe manebant, præ fratribus ſuis qui erant mortuis ſimiles, quod ſcilicet Regem ipſum Deus ejecerat, & fuerat ſerviliter & contumelioſe tractatus: fuerat etiam deterior aliorum conditio. Hoc igitur diſcrimen notatur inter captivos, & inter eos qui manebant adhuc utcunque ſuperſtites. Jam addit, *unum ex calathis habuiſſe ficus valde bonas, & alterum habuiſſe ficus malas.* Si quæritur, an per ſe Jechaniah probatus fuerit Deo, facilis reſponſio eſt, pœnam dediſſe ſuorum ſcelerum. Ergo comparative hic loquitur Propheta, quum alios vocat booos, & alios malos. Deinde notandum eſt ipſum non tam loqui de perſonis ipſis, quam de pœna: quaſi diceret, Vos horretis quum mentio fit exulum, qui privati ſunt hæreditate ſibi divinitus promiſſa, videtur hoc vobis eſſe aſperum. atqui hoc ſuave eſt, ſi reſpicitis qualis exitus vos maneat. Ergo ficus bonas non vocat ſimpliciter Jechaniam, & alios captivos: ſed vocat ficus bonas, quia Deus illos caſtigaverit mitius quam Zedechiam, & reliquos in animo haberet caſtigare. Ita vocat ficus malas Judæos ſuperſtites, non hac ſolum de cauſa, quod aliis eſſent ſceleratiores: hæc quidem ratio valere debebat ex parte: ſed reſpicit pœnam quæ illis inſtabat, quoniam major futura erat Dei ſeveritas erga illos, quibus pepercerat, & contra quos non ſtatim exequutus fuiſſet ſuam vindictam. Tenemus conſilium Prophetæ. Reliqua differemus in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando tanta tolerantia differs quas meriti ſumus pœnas, & quotidie etiam nobis accerſimus, ne nobis ipſi indulgeamus, ſed probe reputemus quam ſæpe, & quot modis, & quam variis provocaverimus erga nos iram tuam, ut ita diſcamus nos tibi offerre ſuppliciter ad petendam veniam, & cum vero reſipiſcentiæ ſenſu ſic imploremus tuam miſericordiam, ut etiam cupiamus ex animo nos tibi totos ſubjicere, ut ſive nos caſtiges, ſive pro tua immenſa bonitate nobis ignoſcas, ſemper beata ſit noſtra conditio, non quia nobis placeamus in noſtro torpore, ſed quia ſentiamus te beneficum Patrem & liberalem, ex quo ſemel dignatus es nos tibi reconciliare in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

3. Et dixit Jehovah ad me, Quid tu vides Jeremia? & dixi, Ficus: ficus bonas, bonas
valde: & malas, malas valde, quæ non comedantur propter malitiam.
4. Et fuit ſermo Jehovæ ad me, dicendo,
5. Sic dicit Jehovah Deus Iſraël, Sicuti ficus bonæ iſtæ, ſic agnoſcam captivitatem
Jehudah, quam emiſi ex hoc loco in terram Chaldæorum ad beneficentiam.

POſtrema lectione cœpimus exponere quorſum tenderet viſio illa, quam Propheta recitavit. Diximus miſeros exules, quorum poterat videri deterior conditio, conferri tamen bonis ficubus: eos autem qui adhuc reſidebant in patria, conferri ficubus malis & amaris. Expoſuimus cur hanc viſionem Deus oſtenderit ſervo ſuo Jeremiæ, nempe quia poterant captivi deficere, præſertim ob moræ tædium, quia videbant fratres ſuos adhuc frui hæreditate ſibi divinitus promiſſa: ipſi autem abducti erant in longinquas terras, & quaſi exhæredati, ut nemo cenſeret ipſos in populo Dei. Quoniam itaque deſperatio poterat obruere illorum animos, voluit Deus aliquid ſolatii dare. Ex altera parte, qui adhuc reſidui manebant, non tantum inſultabant miſeris exulibus, ſed tolerantia Dei abutebantur, ut pervicaciter reſiſterent omnibus minis, atque ita magis ac magis obdureſcerent ad Dei judicium. Quod ergo remotiſſimum erat à communi ſenſu, Deus pronunciat magis optabilem eſſe eorum ſortem qui apud Babylonios captivi degunt, quam eorum qui adhuc quieti manent in ſuo nido. Diximus malitiam non debere exponi de culpa, ſed de pœna: & hoc ipſum confirmat Jeremias quum dicit,

Sicuti

Sicuti fuerunt ficus bonæ, ita agnoscam in bonum, vel in beneficentiam, טובה, *captivitatem.* Satis notum est nomen Captivitatis accipi pro ipsis hominibus: atque ita esse nomen collectivum. *Agnoscam* igitur *captivos Jehudah quos expuli ex hoc loco*, ita ut incipiam rursus ipsis benefacere. Jam quoniam doctrina hæc erat incredibilis, ideo revocat Deus Judæos ad finem ipsum: quasi diceret ipsos errare, quia subsisterent in præsenti rerum intuitu, non autem extenderent animos suos ad spem misericordiæ. Nam ita ratiocinabantur, Satius est manere in patria, ubi colitur Deus, ubi est Templum & Altara, quam degere inter Gentes profanas: satius est hic libertate aliqua frui quam esse sub tyrannide: satius est adhuc retinere aliquod nomen populi, quam esse dispersos huc atque illuc, ita ut nullum simus corpus. Ergo ex præsenti fortuna æstimabant quid esset melius. Deus corrigit hoc præposterum judicium, quia scilicet debuerant potius spectare finem, & quis maneret exitus tam exules & captivos, quam eos quibus rex Babylonis ad illud usque tempus pepercerat. Etsi autem Propheta voluit lenire eorum dolorem, qui traducti erant in Chaldæam, maxime tamen respexit eos quibus præfectus erat magister ac doctor. Tunc erat Jerosolymæ: jam scimus cum quibus ingeniis certandum illi fuerit. nibil enim pervicacius fuit gente illa. Et quoniam Deus pœnam distulerat, putabant se esse penitus elapsos, præsertim quum Rege captivo datus esset avunculus successor. Hinc igitur minarum contemptus, hinc ad peccandum major licentia, quod putabant Deum pœnam sumpsisse de exulibus, se vero fuisse servatos tanquam eximium florem. Propheta igitur ut frangeret hanc superbiam, quam flectere non poterat, exposuit hanc visionem, quæ oblata fuerat divinitus. Nunc ergo videmus doctrinam maxima positam esse in his verbis, *Quod Deus agnoscet ad beneficentiam captivos:* quasi diceret præpostera fieri judicium de calamitate paucorum annorum, sed expectandum esse finem. Sequitur,

6. Et ponam (*vel adjiciam*) oculum meum super eos in beneficentiam, & reducam eos ad terram hanc: & ædificabo eos, & non diruam, & plantabo eos, & non evellam.

Confirmat quod dixit proximo versu, & utitur aliis verbis: quia difficile fuit persuasu feliciores esse qui erant similes perditis, quam qui adhuc retinebant mediocrem statum. Dixerat prius, *Ego agnoscam eos:* nunc addit, *Ponam oculum meum super eos.* Utitur figura quæ frequenter in Scripturis occurrit. Dicitur enim Deus avertere faciem suam, ubi favorem suum abscondit: dicitur etiam eodem sensu oblivisci, recedere, non curare, spernere, abjicere. Quoniam ergo videri poterat Deus nullam amplius curam habere illius populi, dicit: *Ego oculos meos ponam in bonum*, inquit. Sed longius etiam progreditur, quia repetit sententiam, quam attigerat proximo versu: dixerat se auctorem esse exilii, Ego ejeci eos in terram Chaldæorum. Nunc ergo idem confirmat, sed aliis verbis, quum dicit, *Oculos meos ponam in bonum.* Dicitur enim visitare Deus homines non tantum quum suam gratiam erga ipsos exerit, sed ubi eos castigat, & ulciscitur eorum scelera. Posuerat igitur oculum suum ad infligendas pœnas: nunc dicit se alium fore, nempe ut clementer calamitosos illos respiciat. Postea addit, *Reducam eos.* Nam si ipse emiserat, fuit etiam in ejus arbitrio reducere. Quum ergo vulnus sanare posset manu sua inflictum, valere debuit hæc promissio, ut non dubitarent captivi de spe reditus: deinde ut Judæi, qui adhuc Jerosolymæ & in Judæa manebant, scirent frustra se gloriari in præsenti fortuna, acsi melius cum ipsis ageretur quam cum fratribus captivis, nempe quia hoc erat positum in manu & potestate Dei reducere quos expulerat. Dicit, *Ædificabo eos, & non diruam, plantabo eos, & non evellam.* hæc ratio loquendi esset asperior apud Latinos & Græcos: sed repetitio Hebraica in frequenti est usu, ut satis notum est. Debet autem sic resolvi oratio, quoties negatio adjicitur ad confirmationem: Adeo non evellam ipsos, ut plantare velim: adeo non diruam, ut velim ædificare: vel quum diruerim ipsos, nunc ædificabo: quum evellerim ipsos, nunc plantabo: vel interdum perpetuitas, vel continuatio gratiæ notatur: quasi diceret Deus, Ego plantabo eos, ut posthac non evellam: ædificabo eos, ut posthac non diruam: sed frequentior usus est ille quem dixi, Non diruam, sed potius ædificabo: non evellam, sed potius plantabo. Summa est, quamvis tristes essent ruinæ populi in Chaldæa, quoniam redacti erant exules in vastitatem: Deum tamen posse ipsos colligere, acsi quis arborem plantaret, vel domum ædificaret. Ædificandi metaphora satis etiam familiaris est Scripturæ, sicuti & plantandi. Dicitur enim Deus plantare homines quum aliquod regimen inter ipsos constituit, vel quum ipsis assignat certam stationem, vel quum promittit ipsis, idque efficaciter, aliquem tranquillum statum: Psal. 44. dicitur Deus *Psal. 44.*
plantasse populum. Sed non colligam testimonia *vers. 3.*
quæ passim occurrunt, sicuti sæpius dicit Deus se *Jesa. 5: 2.*
plantasse vineam suam. Deinde, notus est ille locus *Jerem. 2.*
Jesaiæ, Germen Domioi, & plantatio ad gloriam: *vers. 21.*
hoc dicitur de Ecclesiæ conservatione. Summa est, *Jesa. 60.*
quamvis durius castigaverit Deus exules, qui ab- *vers. 21.*
ducti erant in Chaldæam, tamen non debere fortunam eorum æstimari ex uno anno, vel mense, vel paucis annis: sed expectandum esse exitum. Quum autem Deus velit tandem se ostendere erga eos exorabilem, & propitium, sequitur, cladem quæ ipsis acciderat, leniorem esse quam quæ manebat reliquos qui obstinatis animis spernebant Deum, & ejus Prophetas, magisque & magis accumulabant vindictam, quæ jam pridem illis denunciata fuerat. Sequitur,

7. Et dabo illis cor ad cognoscendum me, quod ego sim Jehovah, & erunt mihi in populum, & ego ero ipsis in Deum: quia revertentur ad me in toto corde suo.

Hic additur præcipuum beneficium, quod Deus non tantum restituet captivos, ut habitent in terra promissa, sed intus etiam ipsos convertet. Nisi enim Dominus afficiat nos sensu malorum nostrorum, deinde ad resipiscentiam Spiritu suo adducat, quicquid beneficiorum conferet, cedet in gravius exitium. Hactenus loquutus est Propheta de levatione pœnæ: acsi dixisset, Deus porriget manum populo suo, ut in patriam redeat. Remissio igitur pœnæ hactenus promissa fuit: nunc concionatur Propheta de gratia multo excellentiore, quod scilicet Deus non tantum mitigabit externas pœnas, sed intus mutabit ac corriget corda, ut non tantum redituri sint in patriam Judæi, sed futuri sint vera Ecclesia, quum ante jactassent inane nomen. Quamvis enim electi essent in peculiarem populum, quia desciverant à vera pietate, erant duntaxat Ecclesia titularis, ut ita loquar. Nunc autem Deus promittit se facturum, ut non tantum fruantur temporalibus & caducis beneficiis, sed fruantur in æternam salutem: quia scilicet ipsum vere timebunt, & colent. Hoc autem diligenter notandum est, quia quo Deus liberalior est erga homines, eo magis accenditur ejus vindicta eorum ingratitudine. Quid igitur nobis prodesset affluere

bonis

bonia omnibus, nisi testimonia sint nobis paterni favoris, quo nos ampleaus est Deus, & prosequitur? Sed ubi respicimus in bunc finem, Deum scilicet testari se nobis esse in patrem, quum tam largus est erga nos, hic est legitimus bonorum omnium usus: & non aliter possunt Dei beneficia nobis utilis esse io salutem, nisi ubi accedit hoc condimentum, ut ira loquar. Ergo non frustra Jeremias, postquam de restitutione populi loquutus est, in summo gradu ponit hanc gratiam, quod populus resipiscet, ut non tantum ad satietatem percipiat quicquid potest expetere bonorum, sed sincere colat Deum. Dicit autem Deus *se daturum illis cor ut ipsum cognoscant.* Nomen Cordis hic accipitur pro mente, sicuti sæpe apud Hebræos. Sæpius quidem significat sedem affectuum, & tunc anima hominis distinguitur in rationem, vel intelligentiam, & in voluntatem. Cor igitur sæpe accipitur pro affectuum sede: sed transfertur ad alteram partem animæ, quemadmodum Deut. 29. Hactenus non dedit tibi Deus cor ad intelligendum. Et Latini etiam interdum hoc sensu accipiunt, quemadmodum Cicero ostendit dum citat versum Ennii, Egregie cordatus homo Catus Ælius Sextus. hoc loco igitur pro luce intelligentiæ ponitur nomen Cordis. Quanquam posset etiam altera ratio adduci, quod vera Dei cognitio non sit imaginativa duntaxat, ut loquuntur, sed conjuncta cum serio affectu. Jam colligimus ex his Prophetæ verbis, pœnitentiam singulara esse Dei donum. Si simpliciter dixisset Jeremias redituros ad sanam mentem, qui prius sua amentia fuerant abrepti in exitium, posset videri liberum arbitrium astruere, & ponere in homine ipso conversionem: quemadmodum Papistæ fingunt nos esse flexibiles in utramque partem, tam in bonum quam in malum: & ita putant nos sponte posse converti postquam à Deo defecimus. Sed Propheta clare ostendit hoc peculiare esse Dei donum. Quod enim sibi vendicat Deus, certe non aufert hominibus, quasi privare eos velit ullo jure, quod ad ipsos pertineat: quemadmodum Pelagiani existimant, prope Deum esse invidum, ubi pronunciat conversionem hominis esse in manu sua. sed diabolicus est ille furor. Satis igitur nobis sit, quod Deus sibi vendicat, id hominibus auferri, quia non est ipsorum. Quum ergo affirmat *se daturum illis cor ut intelligant*, hinc colligimus, homines natura cæcos esse; deinde ubi excæcati sunt à diabolo, non posse redire in viam, nec aliter lucis esse capaces, nisi dum mentes ipsorum Deus illuminat Spiritu suo. Videmus itaque hominem ex quo cecidit, non posse resurgere, donec manum porrigat illi Deus, non tantum ut adjuvet, (quemadmodum Papistæ, quoniam non audent sibi arrogare omnes pœnitentiæ partes, dimidiant inter se & Deum) sed ut à principio ad finem usque compleat: quandoquidem Deus hic non vocatur adjutor pœnitentiæ, sed auctor. Non dicit ergo Deus, Opem feram, ut quum ad me sustulerint oculos, habeant me statim obvium. hoc non dicit: sed *dabo illis cor ad intelligendum.* Quum autem intelligentia principium sit resipiscentiæ, sequitur hominem manere diabolo addictum, & quasi mancipatum, donec ipsum Deus è misera illa servitute extrahat. Denique statuendum est, simulatque diabolus nos abduxit à recta via salutis, non posse nobis quicquam venire in mentem, quod non magis nos demergat in exitium, donec Deus antevertat, & ita nos reducat nihil minus cogitantes. Locus etiam hic ostendit non aliter posse nos ad Deum sincere converti, nisi ubi agnoscimus ipsum esse judicem. nam donec peccator se sistat ad tribunal Dei, nunquam tangetur ulla pœnitentia. Sciamus igitur tunc nobis aperiri januam ad resipiscendum, ubi Deus cogit nos ad se respicere. Quanquam sub nomine *Jehovæ* plus comprehenditur quam Dei majestas. Nam sumit principium illud, quod debebat satis notum esse toti populo, Deum verum esse, qui semen Abrahæ sibi elegerat, qui Legem suam promulgaverat per manum Mosis, qui fœdus percusserat cum Abrahæ posteris. Non dubium igitur est quin Propheta intelligat, Judæos ubi illuminati fuerint, sensuros quod illis exciderat è memoria, nempe se defecisse à vero Deo. Tantundem igitur valet hæc loquutio, acsi diceret, Ego aperiam ipsorum oculos, ut tandem agnoscant se fuisse apostatas, & ita humilientur, quum senserint quam grave crimen sit illa impietas, quod scilicet me dereliquerunt fontem aquæ vivæ, quemadmodum prius vidimus. Postea addit, *illos fore sibi in populum, & se vicissim fore illis in Deum, quia revertentur ad ipsum toto corde.* His verbis clarius demonstrat Propheta quod nuper attigit, nempe tunc demum salutarem esse usum beneficiorum Dei, ubi recta ad ipsum auctorem nos dirigunt. Quamdiu ergo subsistimus in Dei beneficiis, torpor ille facit, ut quo liberalior est erga nos, eo minus simus excusabiles. Sed ubi gustum percipimus bonitatis Dei, & paternæ erga nos benevolentiæ, tunc vere fruimur ejus bonis. hoc sibi volunt Prophetæ verba, quum dicis, *Ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Jam quid hæc loquutio valeat, alibi dictum fuit. Tametsi enim dominatur Deus toti mundo, asserit tamen se Deum esse Ecclesiæ: & fideles, quos adoptavit, dignatur hoc elogio, Quod sint ejus populus, ut statuant in eo sibi repositam esse salutem, quemadmodum dicitur 1. cap. Habakuch, Tu Deus noster, non moriemur: nam Christus optimus est etiam interpres hujus sententiæ, quum dicit Deum non esse mortuorum, sed vivorum: probat ex testimonio Mosis, Abraham, Isaac, & Jacob post mortem fuisse superstites. quare? nisi enim Deo viverent, non pronunciaret se esse illorum Deum. Quum vero censeat ipsos ex populo suo, simul ostendit jam ipsis repositam apud se vitam. Denique videmus hic promitti à Deo non restitutionem exigui temporis, sed simul adjungi spem æternæ vitæ, & salutis: quia Judæi non tantum redibunt in patriam, quum exitus è Chaldæa promissus illis fuerit, & data libertas urbis ædificandæ, sed simul futuri sint vera Dei Ecclesia. Additur etiam ratio: *Quia convertentur*, inquit, *ad me in toto corde suo.* Repetit quod jam vidimus, nempe fore cordatos & intelligentes, quum fuissent diu stupidi, & quum eos excæcasset diabolus: ita ut non essent capaces sanæ doctrinæ. Cæterum, quamvis necessario res sint conjunctæ, Dei & hominum reconciliatio & pœnitentia: tamen non ideo pœnitentia debet existimari causa veniæ, aut reconciliationis: quemadmodum multi perverse imaginantur, homines mereri veniam, quia resipiscunt. Verum quidem est Deum nunquam nobis esse propitium, nisi ubi ad ipsum convertimur: sed conjunctio non facit ut pœnitentia causa sit veniæ, ut jam dictum fuit: imo docet satis aperte hic locus, ex gratia Dei & mera misericordia pendere ipsam pœnitentiam. Quod si verum est, sequitur ergo prævenire homines à gratuita Dei beneficentia. Jam rursus hinc colligimus Deum esse nobis propitium non aliter quam pro suo beneplacito, ut à seipso tantum causam sumat. Unde fit ut peccator in viam redeat, ac quærat Deum à quo fuerat alienatus? an quia proprio motu incitatur? imo quia Deus illuminat ejus mentem, quia cor ejus tangit, vel potius renovat. Qui fit ut Deus illuminet eum qui fuerat excæcatus? certe non possumus causam aliam reperire quam gratuitam Dei misericordiam. Si Deus igitur propitius est hominibus, ut eos ad se convertat, nonne prævenit eos sua gratia? quomodo igitur vocabitur pœnitentia causa reconciliationis, quum sit effectus? non potest esse simul effectus & causa. Diligenter ergo notandus est Prophetæ contextus. nam tametsi dicat Judæos ubi reversi fuerint, fore populum Dei, *quia sese convertent*

ad

Cicero 3. Tuscul.

Habak. 1. vers. 12. Luc. 20. vers. 38. Exod. 3. vers. 6.

ad ipsum toto corde: prius tamen exposuit unde fit illa conversio, nempe quia Deus ipsorum miserebitur. Sed qui locos tales detorquent ad suum illud commentum, non ita exercitati sunt in Scripturis, ut agnoscant bifariam nobis describi reconciliationem hominum cum Deo. Deus enim reconciliatur hominibus arcano modo, quoniam ubi ipsum contemnunt, prævenit sua gratia, & intus illuminat eorum mentes, & corda reformat. Hæc igitur prior est reconciliatio: quam illi non considerant. Altera autem est reconciliatio quoad sensum nostrum, ubi scilicet sentimus iram Dei erga nos placatam esse, & quidem sentimus experimentis, & effectu ipso.
Zach. 1. vers. 3. Et huc pertinent illa testimonia: Convertimini ad me, & ego convertar ad vos. hoc est, ego vobis videor severus ac rigidus: unde hoc? quia scilicet non desinitis me ad iram provocare: redite mecum in gratiam, & invenietis me facilem ad parcendum. Deus ergo non tunc primum incipit ignoscere peccatoribus, quum illis benefacit, sed quoniam ante placatus fuerat, exinde convertit eos ad se, & postea ostendit reipsa se esse placatum. Jam per *cor totum*, notatur integritas, sicuti per cor duplex, vel per cor & cor notatur simulatio. Certum est neminem ita ad Deum converti, ut pravos omnes carnis affectus exuat, ut renovetur uno die in imaginem Dei, ut purus sit ab omni macula. Talis ergo conversio nunquam invenietur in homine. Sed quum Scriptura de toto corde loquitur, opponit totum cor simula-
Psal. 119. tioni: Ex toto corde meo quæsivi te, inquit David, abscondi eloquia tua, & custodiam: precatus sum
Deut. 4. vers. 29. & 10:12. faciem tuam, inquiram, &c. Requirent me toto corde suo, dicitur apud Mosem: non quod David unquam exuerit quicquid erat in ipso vitiosum, qui fatetur pluribus locis se adhuc multis vitiis laborare, sed clarus est sensus, quod scilicet Deus requirat integritatem. Denique totum cor nihil aliud est quam simplicitas. ubi non agimus cum Deo simulate, sed cupimus ex animo nos illi addicere. Quemadmodum autem refutavimus eorum errorem qui putant pœnitentiam esse causam, cur Deus nos sibi reconciliet, ita tenendum est non posse aliter Deum nobis esse propitium, nisi dum ipsum quærimus. Est enim mutuum hoc vinculum conjunctionis, ut Deus nos præveniat sua gratia, deinde ut ad se nos vocet: denique ut trahat, & sentiamus in nobis opus illud Spiritus sancti. nos quidem non convertimur, nisi conversi, nec sponte, vel propria industria nos convertimus, sed hoc est opus Spiritus sancti. Interea quisquis sibi prætextu gratiæ indulget, & Deum non curat, nec ullo pœnitentiæ studio afficitur, non potest jactare se esse ex populo Dei. Requiritur enim pœnitentia, quemadmodum diximus. Sequitur: sed non possem hodie absolvere hanc partem. loquitur enim de malitia ficuum, & reliquiis, quæ adhuc manebant.

Da omnipotens Deus, quando locati sumus in hoc mundo, ut dum quotidie tot abs te percipimus beneficia, sic peregrinemur, ut spectemus nostrum finem, & festinemus ad metam nostram: da, inquam, ne beneficia quibus nos ad te invitas, nobis impedimenta sint, quæ nos in hoc mundo retineant: sed potius nos exstimulent tam ad timorem nominis tui, quam ad sensum misericordiæ tuæ, ut ita sentientes te nobis esse in Deum, studeamus nos tibi vicissim offerre in populum, & ita nos tibi & omnia nostra consecrare, ut glorificetur nomen tuum in nobis, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA TERTIA

IN

JEREMIAM.

8. Et sicut ficus malæ, quæ non comeduntur præ malitia, (*id est, amaritudine*) sic certe (*est* כי, *sed abundat: certe sic*) dicit Jehovah: ita ponam Zedekiam regem Jehudah, & reliquias, & Principes ejus, & reliquias Jerusalem, quæ residuæ sunt in terra hac, & eos qui habitant in terra Ægypti.

Postquam Deus se clementer acturum promisit cum captivis, nunc denunciat se graviores pœnas sumpturum de rege Zedekia, & toto populo, qui adhuc in patria manebat. Diximus cur Deus hanc visionem exhibuerit Prophetæ suo, nempe ut fulciret eorum animos, qui nihil cernebant præter materiam desperationis: deinde, ut etiam ex altera parte corrigeret eorum superbiam, qui placebant sibi in sua sorte, quoniam Deus vindictam suam erga ipsos distulerat. Postquam ergo Propheta solatium illud dedit miseris exulibus, nunc invehitur adversus Zedekiam, & ejus populum, qui gloriabantur Deum sibi fore propitium, & se fuisse non tantum felices, sed etiam prudentes, quoniam substiterint in patria sua. Dicit ergo *Zedekiam & Principes ejus, & quicquid residuum erat in Judæa, esse ficus malas, quæ non comeduntur propter amaritudinem.* Dixi hoc debere referri ad pœnam, non ad culpam. Gravius quidem peccaverant, fateor: sed spectandum nunc est quorsum tendat Propheta. Summa igitur est, quamvis in præsentia durior sit eorum conditio, qui in captivitatem sunt abducti, Deum tamen severius acturum esse cum reliquiis, quia ad tempus illis pepercerat, ipsi autem non resipuerant, sed magis ac magis obduruerant in suis sceleribus. Scimus autem Zedekiam fuisse impositum regno Jehudæ, quum Joakim sese dedidit regi Nabuchadnezer. Erat ille patruus Joakim, & regnavit undecim annis: tunc debebat saltem alieno malo sapere. nam castigatus fuerat Eliakim, qui idem vocatus fuit Joakim, neque id semel, sed quum Nabuchadnezer spoliato Templo, revertens in Chaldæam, fecisset sibi tributarium: tandem quum subinde non desineret fidem datam fallere, atrociter sæviit adversus ipsum: & filius ejus, qui regnaverat cum patre, tertio mense post illius mortem, voluntaria deditione transiit in potestatem & arbitrium victoris. Postea regnavit Mathania, de quo hic Propheta loquitur. *Sic ergo dabo Zedekiam*, qui prius nomen habuerat Mathaniæ, *regem Jehudah, & Principes ejus, & reliquias Jerusalem quæ residuæ sunt in terra hac*, quia scilicet major pars populi tracta fuerat in exilium: deinde *qui habitant in terra Ægypti* multi enim illuc confugerant, quia scimus fuisse Ægyptiis fœderatos, & perversa illa fiducia toties fuisse rebelles. Et hæc causa est etiam cur tam acriter Prophetæ ipsos increpent, quod recumbant in auxilium Ægypti, & lateant sub ejus umbra. Quum ergo viderent se expositos esse libidini hostium, in Ægyptum fugerunt.

gerunt. Atqui potitus est etiam Nabuchadnezer postea Ægypto, ut videbimus: ita factum est, ut ad tempus vix fuerint esse extra periculum. Sed quamadmodum servi fugitivi postea retrahuntur, & tunc durius tractantur à suis dominis, ita etiam crudelior fuit sævitia regis Nabuchadnezer adversus ipsos. Nunc sequitur,

9. Et ponam eos in commotionem (*vel strepitum, vel perturbationem: concussionem alii vertunt*) in malum omnibus regnis terræ: in probrum, & parabolam, & proverbium, & execrationem in omnibus locis quo ejecero ipsos. (*vel expulero.*)

Hic Propheta mutuatur verba ex Mosa, quo plus auctoritatis habeat vaticinium. Judæos enim pudebat rejicere Mosem, quia persuasi erant Legem à Deo profectam esse: saltem fuisset detestabile apud ipsos, detrahere fidem Legi. Interea secure repudiabant omnes Prophetas, qui tamen erant fidi Legis interpretes: quemadmodum hodie Papistæ quamvis non audeant negare Scripturam esse doctrinam cælestem, furiose tamen rejiciunt quicquid ex ea profertur in medium. talis fuit pervicacia apud Judæos. Ideo Prophetæ ut sibi & suis verbis plus fidei concilient, sæpe mutuantur verba ipsa ex Mose, quasi recitarent de scripto quod dictatum illis fuisset. Nam
Deut. 28. vers. 37. 1 Reg. 9. vers. 7. Deuter. 28. & aliis locis sic loquitur Moses de populo: Quod scilicet daturus illum esset Deus in concussionem, vel commotionem, in probrum, in proverbium, in fabulam omnibus populis terræ. Perinde igitur est acsi dixisset Jeremias, eo tandem ventum esse, ut sensuri sint Judæi, non frustra tot maledictiones fuisse à Mose prædictas. Legebant quidem Mosem, sed ut erant insipidi, nullus metus, nulla etiam religio ipsos tangebat, quum Deus terrorem istis verbis incuteret. Dicit igitur Propheta propinquum jam esse tempus, ut certo experimento agnoscant Deum non frustra minatum esse. *Ponam ergo eos in commotionem.* זוע significat movere & tumultuari. Multi accipiunt hoc nomen pro strepitu, alii autem pro perturbatione, alii pro concussione capitis. Nam per ludibrium solemus caput concutere. Utcunque sit, conjunctim hæc legenda sunt, *quod scilicet futuri sint Judæi in opprobrium, & terrorem, & fabulam, & execrationem cunctis gentibus.* Ideo dicitur, *in malum*, id est, propter malum. nam ל hic diversis modis capitur, quum dicit, *in commotionem*; postea, *in malum.* Secundo igitur loco ל causalis est particula, nempe propter malum, quia scilicet tam severa, & horribilis erit Dei vindicta, ut commoveat, ac perturbet omnes populos. Ponit *omnia regna*, sed eodem sensu. postea addit *probrum*, nempe ut subituri sint judicium omnium gentium. Noluerant acquiescere Dei judicio, & quum ipsos pudefaceret in salutem, improbe restiterant. Oportuit igitur exponi gentium omnium opprobrio. addit, *In proverbium, & in fabulam*, vel in parabolam, ut alii vertunt, & proverbium. משל significat Communem sententiam, sed hic transfertur ad dicteria: & eodem fere sensu adjungit לשנינה, fabulam. Utraque enim voce intelligit, quum volent increduli referre gravissimam aliquam cladem, sumpturos hoc exemplum: Sic actum est cum Judæis: nihil fuit miserius gente illa. Et eodem etiam refertur maledictio. Significat enim fore typum, & exemplar execrationis: Sic pereas quemadmodum Judæi: Deus in te exerceat suam vindictam, sicuti in Judæos. Postea addit *hoc fore in omnibus locis quocunque expulerit illos Deus*: quasi diceret Propheta Deum non fore contentum exilio, quod tamen per se grave & acerbum erat: sed quum tracti fuerint in longinquas terras, fore illic probrosos, ita ut omnes digito eos ostendant non sine ignominiæ nota, & sumpturi etiam sint illorum nomen in exemplar execrationis. Addit postea,

10. Et mittam in ipsos gladium, famem, & pestem, usque dum consumantur è superficie terræ, quam dedi ipsis, & patribus ipsorum.

Confirmat superiorem sententiam, quod scilicet tunc Deus quasi extremam manum apponet in exigendis pœnis, ubi permittet libidini hostium tam urbem, quam incolas, qui illic erant residui. Et adhoc loquitur Jeremias tanquam ex ore Mosis, ut gravius sit vaticinium, & magis percellat illos tam præfractos homines. Tria autem hæc genera subinde occurrunt, genera dico pœnarum, sub quibus alia etiam comprehenduntur per synecdochen. Sed quia ut plurimum Deus hominum scelera ulciscitur vel peste, vel fame, vel bello, ideo quum breviter vult complecti omnes pœnas, conjungit tres istas voces. Addit, *Usque dum consumantur è superficie terræ*: non dicit, usque dum consumantur in terra ipsa, sed dicit מעל, desuper. Neque enim consumpti sunt Judæi in patria, sed alibi paulatim ipsos confecit, ita ut tabescerent: deinde expulsi sunt in exilium, & fuit ille ultimus interitus. Quid sibi velit ultimum membrum alio loco exposui. addit Propheta, *Quam dedi illis, & patribus ipsorum.* Vult enim excutere Judæis stultam fiduciam, qua erant inebriati. Quum enim audirent terram in qua habitabant, esse Dei requiem, & scirent datam sibi esse jure hæreditario, sicuti Patribus olim promissa fuerat: non putabant sibi posse unquam eripi. perinde igitur torpebant in suis vitiis, acsi Deus illis esset obnoxius. Deridet Propheta hanc stultitiam, quum dicit non obstare promissionem & gratiam Dei, quin privet ipsos terra & ejus possessione, & abdicet etiam eos, ut sint tanquam extranei, quamvis ipsos prius adoptaverit in filios. Nunc tenemus summam utriusque membri. Propheta enim dolorem exulum lenire voluit quum diceret, tandem exitum fore meliorem, atque ita promitteret, Deum exorabilem fore, postquam illos ad tempus castigasset. Atqui hoc non mediocre solatium est in malis, ubi conjicimus oculos in finem. Nam sicuti dicit Apostolus 12. cap. ad Hebræos, dum ferulas Dei sentimus, semper dolor obstat, quo minus dulce sit pati. Ergo in præsentia semper castiga- Hebr. 12. vers. 11.
tio tristis, & acerba nobis erit, & odiosa. Necesse est igitur, si volumus patienter nos Deo subjicere, respicere ad exitum. Nam donec incipiat peccator gustare gratiam Dei, & misericordiam, fremet, & tumultuabitur, vel erit stupidus: certe nunquam sentiet quicquam solatii. Postea ex opposito ostendit Propheta, quamvis Deus nobis ad tempus parcat, non tamen ideo causam esse cur nobis placeamus, quoniam tandem pensabit moram gravitate pœnæ: & quo indulgentius nobiscum egerit, eo gravior, & magis horribilis erit ejus vindicta, ubi viderit nos tolerantia sua abusos esse. Nunc sequitur,

CAP.

CAP. XXV.

SErmo qui fuit ad Jeremiam, ad omnem populum, (*sed* על *accipitur etiam hic diverso sensu. Sermo enim directus fuit ad Jeremiam, ut esset illius testis ac præco: deinde ad populum, ut tandem perveniret ex ore Jeremiæ ad omnes Judæos quod uni dictum fuerat*) anno quarto Joakim filii Josiæ regis Jehudah: hic est annus primus Nabuchadnezer regis Babel.

Non dubium est, quin hoc vaticinium ordine præcedat visionem, quam nuper exposuimus, quæ quidem oblata fuit Jeremiæ, quum mortuus esset hic Jehoakim, & regnaret Zedecias loco Joakim, qui fuit Rex ultimus subrogatus in locum Joakim nepotis. Nunc autem refertur vaticinium, quod jussus est promulgare Jeremias anno quarto ipsius Jehojakim. Regnavit autem ipse quoque undecim annos, ut postea videbimus. Ergo colligimus confectum fuisse hunc librum ex variis concionibus, sed non fuisse semper ordinem temporis servatum. Summa autem est, quum videret Deus non posse ullis monitionibus populum sanari, & revocari ad bonam mentem, denunciasse ultimum interitum jam Judæis, quam omnibus vicinis gentibus. Cur autem complexus fuerit gentes profanas, videbimus suo loco. Dicit igitur *fuisse sibi mandatum hoc vaticinium, anno quarto Joakim:* dicit *hunc eundem annum fuisse primum regis Nabuchadnezer.* Videtur hoc pugnare cum aliis locis, ubi pro anno quarto Joakim ponitur tertius: deinde pro anno primo Nabuchadnezer ponitur longum tempus. Sed solutio non est difficilis, si quis consideret Nabuchadnezer subito reversum fuisse in Chaldæam, quum rumor allatus esset de patris morte, ut stabiliret res domesticas. Timebat enim, ne quis tumultus, ipso absente, ut sæpe solet fieri, exoriretur. Voluit igitur rebus suis consulere. Rebus autem compositis, redegit in ordinem ipsum Joakim, & quarto anno regni ejus coëgit aperire thesauros: deinde abduxit quoscunque voluit. Et tunc ipse Daniel una cum sodalibus suis tractus fuit in exilium, simul cum pretiosis vasis Templi. Quantum attinet ad annum primum regni Nabuchadnezer, prius regnaverat simul cum patre: postquam ad se traxit totam imperii summam, merito ponitur primus annus exordium quasi novi regni. Tametsi igitur Rex fuerat creatus, tamen quoniam non potiebatur imperio, nisi post patris mortem; tunc cœpit vocari Rex in solidum. hæc ratio est cur fiat mentio primi anni. Jam notandum est quod dicit Propheta *sibi datum fuisse sermonem*, sed non privatim ipsius causa: quin potius ut esset publicus Dei præco. Nunc sequitur,

2. Quem sermonem protulit Jeremias Propheta ad totum populum Jehudah, & ad omnes habitatores Jerosolymæ, dicendo,

Clarius hoc versu demonstrat quod nuper dixit, nempe non fuisse divinitus edoctum, ut supprimeret quod audierat, sed ut promulgaret tanquam ex ore Dei: & ideo se ornat elogio Prophetæ, quasi diceret se venire instructum certis Dei mandatis, & simul ornatum esse munere Prophetico, ne quis spernere audeat ejus doctrinam. Nunc sequitur ipsa concio:

3. A tertio decimo anno Josiæ filii Ammon regis Jehudah ad hunc diem, hic tertius & vicesimus annus est, loquutus est Jehovah ad me, & loquutus sum ad vos, surgens mane loquutus sum, & non audistis.

4. Et misit Jehovah ad vos, omnes servos suos Prophetas, mane surgens & mittens: & non audistis, & non inclinastis aurem vestram ad audiendum.

5. Dicendo, Revertimini agedum quisque à via sua mala, & à malitia operum vestrorum: & habitate super terram, quam dedit Jehovah vobis, & patribus vestris, à seculo & usque in seculum. (*& quæ sequuntur.*)

Nunc expostulat Jeremias cum Judæis, quod non tantum perfide à vero Dei cultu desciverint, & contempserint totam Legis doctrinam: sed quod excusserint jugum, & data opera, imo impia obstinatione repulerint omnes admonitiones, nec fuerint tandem commoti objurgationibus, vel minis. Ergo non simpliciter impietatem in illis accusat, & ingratitudinem, sed addit crimen contumaciæ, quod scilicet fuerint tanquam indomitæ bestiæ, nec potuerint ullis modis corrigi. Dicit igitur, *Ab anno decimo tertio Josiæ regis Jehudah usque ad hunc annum qui est vicesimus tertius*, non destiti exequi fideliter munus mihi injunctum: nihil autem profeci: hinc apparet, quam desperata sit vestra improbitas. Vidimus initio libri Prophetam fuisse vocatum à Deo anno illo decimo tertio regis Josiæ. Perrexerat autem in cursu vocationis suæ jam per annos viginti tres, quemadmodum commemorat: luserat operam, sine profectu consumpserat multum laboris. Non mirum igitur est, si nunc ipsorum contumaciam accuset, idque Dei nomine. Neque enim agit propriam causam, sed ostendit quid meriti sint Judæi, quum tantopere Deus laboraverit in ipsis sanandis, & tamen respuerint omnes ejus monitiones, nec locum dederint remedio. Ergo *ab anno decimo tertio Josiæ*, inquit, *usque ad diem hanc:* postea per parenthesin dicit jam se defunctum fuisse munere Prophetico per annos tres & viginti. Colligimus septendecim annis ante Urbis & Templi excidium Prophetam ita loquutum esse. Implevit enim 40 annos antequam populus traheretur in exilium, & misere perirent qui putabant se esse elapsos. Pervenit enim usque ad mortem Josiæ: deinde accesserunt anni 22, aut circiter, quia regnavit Joakim 11 annis: non numero tempus Joakim quod perbreve fuit: Mathania vero, qui & Zedechias, etiam anno 11. tractus fuit, & cum magno dedecore & probro occisus. Sic ergo constat, Prophetam fuisse in continuo labore per annos 40. Unde etiam colligimus, quam diabolicus fuerit populi illius furor, quod non resipuit toties admonitus. Et si conjungimus illud alterum, quod paulo ante attigi, nempe multis exemplis fuisse simul edoctos: hinc clarius adhuc apparet morbum impietatis fuisse prorsus insanabilem in populo illo. Sed hic locus obser-

supr. 1: 2.

observatu dignus est, ut discamus statim Deo occurrere, ubi nos invitat. fides enim habet suam promptitudinem. Ergo simulac loquutus est Deus, convenit nos esse attentos, ut mox sequamur. Quod si Deus toto anno non desinat monere nos, & hortari, ubi tunc quoque contemnitur ejus doctrina, hoc est crimen intolerabile. Meminerimus ergo hic numerari dies propemodum, ubi numerantur anni, ut secum reputent quot sint dies sub singulis annis. Sciamus ergo hac de causa annos supputari à Jeremia, ut Judæi sciant se omni excusatione privari, quod tam longo tempore Deus non destiterit ipsorum salutem curare: interea autem perstiterint in sua impietate, & fuerint ad extremum usque obstinati. Hæc ratio est, cur Propheta iterum commemoret quando cœperit exequi munus Propheticum, nempe *ab anno decimo tertio Josiæ*. Postea addit per se non stetisse, quo minus resipuerint: *Loquutus est*, inquit, *Dominus ad me, ego autem ad vos*, inquit. Quum dicit sermonem Dei fuisse apud se depositum, haud dubie vult suam auctoritatem asserere adversus incredulos, qui obstrepebant, ipsum temere prætexere Dei nomen, quum non esset ab illo missus. Vidimus enim alibi, tunc Ecclesiam fuisse misere laceratam, fuisse intestina dissidia, multos jactasse nomen Propheticum: & iterum pluribus locis idem videbimus. Sic ergo non erat Jeremias acceptus toti populo, neque extra controversiam erat ejus auctoritas. Quoniam ergo litigandum erat cum multis impiis, ideo hic testatur se non venisse sua sponte, sed quum mandatum ipsi fuisset Prophetæ munus. Jam postquam vocationis suæ fidem fecit, adjungit se fideliter servisse saluti populi. nam fidem ac diligentiam suam commendat quum dicit, *se loquutum esse, & mane surrexisse*. nam Mane surgere tantundem valet ac sedolo incumbere in opus. Propheta igitur ostendit se non fuisse tardum, vel ignavum, neque etiam defunctorie se fuisse loquutum, quemadmodum multi in speciem videntur præstare quod Deus præcepit: sed nullus est in ipsis fervor zeli, nulla etiam sedulitas. Propheta ergo postquam exposuit se divinitus missum esse, adjungit se adhibuisse fidem & diligentiam, ut Deo & ipsius Ecclesiæ strenue serviret: *Loquutus sum ad vos*, inquit, *sicuti ad me loquutus fuerat Dominus*: quomodo? *mane surgens*. postea, *Loquutus sum, & non audistis*. Hic conqueritur, quod opera sua fuerit inutilis, & simul demonstrat totam culpam residere in populo. Confirmat eandem sententiam, sed aliis verbis: *Misit Jehovah ad vos, omnes servos suos Prophetas, mane surgens*. Amplificat crimen, quod non tantum repudiaverint unum Prophetam, sed multos. Deus enim non tantum solo Jeremia usus est ad ipsos docendos, sed alios conjunxit, quo magis essent inexcusabiles. Videmus ergo in hoc versu exaggerari crimen, quia non tantum in persona unius hominis contempserint Judæi ipsum Deum, sed rejecerint etiam omnes ejus servos. Poterat quidem simpliciter dicere, Deum misisse servos suos, sed addit *Prophetas*, ut ingratitudo melius appareat. Fuit hoc quidem nimis impium, negligere servos Dei: sed quum Prophetia esset inæstimabilis thesaurus, & singulare gratiæ Dei pignus ac symbolum, duplicatum fuit crimen, quum ita spreverint Prophetas, quorum debebat illis sacrum esse nomen. Postea transfert ad Deum quod de se dixerat, *mane surgens*. Certum est, Deum non surgere, sicuti non dormit noctu; sed expressior est loquendi forma, & longe efficacior, quum *dicitur Deus ipse surgere*. Et non sine causa tam emphatice Propheta loquutus est. quamvis enim Judæi satis convicti essent ingratitudinis, quod pro nihilo duxerant omnes Dei servos: tamen hæc fuit quasi prodigiosa impietas, Deum non curare. Nam dum coarguuntur increduli, semper defigunt oculos in personas hominum: Hô, mihi negotium est cum homine mortali: absit ut ego unquam insurgam adversus Deum: sed quid tantopere hoc reprehenditur, si non statim paream: si non statim dejiciar ad nutum hominis? homo est qui loquitur: quid? non est liberum mihi, inquirere, & disputare mecum, & in utramque partem volvere quod dicitur? cur ita imperiose se gerunt erga nos Prophetæ, ut nefas sit ambigere de ipsorum verbis? Sic ergo impii loquuntur. Sed Deus occurrit ex opposito, & dicit se sperni: quemadmodum etiam dicit Christus, Qui vos audit, me audit: & qui vos spernit, me spernit. *Luce x. vers. 16.* Sic etiam nunc Propheta Deum ipsum proponit, qui surrexerit mane, qui hortatus fuerit populum, qui fuerit sollicitus de illius salute. Hæc igitur metaphoræ ratio est quum dicit *Deum misisse ad eos, & mane surrexisse. Misit ergo servos suos, mane surgens*. Jam sicuti fulminat Deus contra omnes doctrinæ suæ contemptores, ita ex his verbis colligere licet non mediocre solatium: quia certo statuimus, Deum excubare pro salute nostra: quoties in medium prodeunt sani & fidi Doctores, perinde est acsi descenderet ipse è cælo, acsi mane surgeret, acsi intentus esset ad curandam salutem nostram. Hoc ergo colligi debet ex verbis Prophetæ quum dicit *Deum mane surgere*. Sed quo hoc suavius est testimonium favoris Dei, & paternæ ejus erga nos curæ: ita horribilis vindicta manet eos, qui hoc negligunt, qui dormiunt vigilante Deo, qui non audiunt ipsum loquentem, qui morantur in sua tarditate, ac ignavia torpent ubi Deus ipsis sponte occurrit, & ipsos tam comiter & suaviter ad se invitat.

Da omnipotens Deus, quando à prima infantia dignatus es nos cooptare in populum tuum, deinde quum essemus miseri apostatæ, dignatus etiam es nos iterum revocare in viam, & manum nobis porrigere, ne surdi simus atque ignavi: in primis vero Spiritu tuo corrigere in cordibus nostris omnem contumaciam, ut præbeamus nos tibi dociles ac morigeros: & quemadmodum non desinis nos assidue vocare, ita vicissim tibi respondeamus: neque tantum lingua, sed etiam ipsis operibus prosequamur cursum, quem nobis destinasti, donec pertingamus ad metam, & fruamur beata illa gloria, quam nobis præparasti in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

COEpimus heri exponere querimoniam Dei, quod Judæos expertus esset tam præfractos & rebelles. Uno verbo dicit *eos non audisse*: sed adjungit postea *non inclinasse aurem ad audiendum*: qua loquendi forma melius exprimitur perversus affectus, quod scilicet ex professo aures obturaverint. plus enim est non inclinare aurem, quam non audire. Significat igitur Jeremias eos obduruisse adversus Propheticam doctrinam, ut data opera rejicerent quicquid propositum erat Dei nomine. Postea exponit quid ab ipsis postulaverit Deus, *Dicendo, Revertimini agedum quisque à via sua mala, & malitia operum vestrorum: & habitate in terra, quam dedit Jehovah vobis, & patribus vestris à seculo & usque in seculum*. Certe æquissima hæc erat Dei postulatio, quum à Judæis nihil aliud impetrare vellet,

let, quam ut resipiscerent. Accessit etiam promissio: non tantum hortatus est ipsos Deus ad pœnitentiam, sed voluit ipsis reconciliari, & deleta scelerum omnium memoria, prosequi suam erga ipsos beneficentiam: nisi fuissent plusquam saxei, oportuit tam blanda admonitione ipsos flecti ad obsequium. Poterat enim Deus graviter eos increpare, poterat minari, poterat denique præcidere omnem spem veniæ. atqui tantum exegit ab ipsis resipiscentiam, & quidem interposita veniæ promissione. Quum ergo talem gratiam aspernati fuerint, sequitur fuisse perdito ingenio, & desperatis moribus. Quod jubet *ipsos resipiscere à via sua mala, & malitia operum*, ad amplificationem valet. Propheta enim voluit tergiversandi ansam ipsis auferre, ne quærerent quænam esset illa malitia, quænam esset via mala. Ostendit igitur ipsos esse plusquam convictos. huc pertinet duplicatio. Per *viam* designatur continuus cursus vitæ: sed quoniam satis prodiderant se perversos esse multis operibus, fructus ipsos in medium profert: quasi diceret frustra ipsos litigare cum Deo, si forte inquirant quænam fuerit via mala, quoniam tota ipsorum vita satis clare testetur fuisse prorsus addictos malitiæ. Est autem concinna allusio in verbo שובו ושבו. nam שוב significat interdum Rebellare, significat Redire in viam, & significat Quiescere, vel habitare. Utitur eodem verbo, sed diversus tamen est sensus, quum dicit, *Redite à via, & quiescite.* Sed emphatice etiam ponit nomen איש, quisque: significat Virum proprie: sed Hebræi accipiunt pro Quisque, vel pro singulis: *Singuli à via sua mala.* Nam Propheta neminem eximit, ne forte putent culpam extenuari, quia sit aliquod commune malum. Dicit igitur *quemque pro se malitiæ fuisse deditum*: quasi diceret impietatem non modo grassatam fuisse in toto populo, ut sæpe fieri solet: verum etiam singulos fuisse corruptos, ita ut ne unus quidem sanus esset, vel integer in toto populo. Et hoc notatu dignum est, quia frigide solemus fateri nostra peccata, & Deo supplicare ubi sumus convicti; nisi quisque proprio sensu tangatur, & seorsum agnoscat se Dei judicio esse obnoxium. nam dum quisque se involvit in turba, sic fit, ut serio nullus agnoscat gravitatem malorum suorum. Ergo ad verum & sincerum pœnitentiæ studium requiritur hoc peculiare examen, ut quisque scilicet resipiscat, neque respiciat socios suos. Quum dicit, *Habitate in terra*, tametsi modus verbi est imperativus, tamen promissio est, qua Deus affirmat se paratum fore ad recipiendos Judæos in gratiam, modo ipsi ex animo redeant. Symbolum paterni sui favoris proponit terræ habitationem. nam terra illa erat quasi pignus adoptionis: & Judæi quum illic habitarent, poterant statuere Deum sibi esse patrem. Addit, *A seculo usque in seculum*: quasi diceret, Non uno tantum die, vel tempore exiguo paratus sum vobis benefacere, sed prosequar gratiam meam erga vos *à seculo usque in seculum.* Tantum ergo per vos stabit, quo minus felices sitis, & felicitas hæc transeat à vobis ad filios vestros, & nepotes. Quo autem dulcior est hæc invitatio, eo magis detestabilis fuit impietas populi, quemadmodum postea dicetur. Nunc adjungit,

6. Et ne ambuletis post deos alienos ad serviendum ipsis, & ad vos incurvandum coram ipsis, (*id est, ad eos adorandos*) & ne provocetis me in opere manuum vestrarum, & non malefaciam vobis.

Hic speciem unam Propheta ponit. tametsi enim Judæi pluribus modis, & prope infinitis iram Dei in se accenderant, tamen superstitionibus præcipue accersiverant sibi gravius juditium. Nam scortando, furando, & rapiendo prodebant quidem contemptum Dei, sed non tam directe. Quum autem sese ad superstitiones Gentium projicerent, hoc modo excutiebant jugum Dei, acsi palam testati essent non amplius sibi fore in Deum. Et scimus, Deo nihil esse pretiosius, quam purum & legitimum pietatis studium: & ideo priore Legis tabula ad ejus cultum instituitur Ecclesia. Hæc ratio igitur est cur Propheta maxime commemoret; Judæos hac in parte fuisse Deo rebelles, quod non poterat ipsos revocare à pravis superstitionibus. Interea non absolvit eos, quantum ad alia peccata spectat: sed speciem hanc sumit, ut intelligant non tantum aliqua in parte se fuisse Deo rebelles, sed in totum: quia prorsus ab ipso desciverint, quum ita vitiarunt ejus cultum impiis superstitionibus. Ergo hoc tenendum est, Judæos non damnari ob leve aliquod delictum, sed convictos esse gravissimi sceleris, quod fuerint fœdifragi, & apostatæ, & Deum ipsum reliquerint una cum ejus Lege. Dicit, *Ne ambuletis post deos alienos, ut serviatis ipsis, & ipsos adoretis.* Quasi digito demonstrat quam crassa fuerit eorum impietas, quod scilicet se prostituerint idolis in fœdam servitutem, quod ipsis se dediderint. Ergo non fuit error excusabilis, sed manifesta perfidia. addit, *Ne provocetis me in opere manuum vestrarum.* Non dubium est, quin hoc verbo confirmare voluerit Propheta quod dixi, nempe idololatriam esse coram Deo scelus intolerabile. Et simul ostendit eos non peccasse inscitia, quoniam fuerant in tempore admoniti de atrocitate sceleris. Quod ergo non destiterant à suis superstitionibus, in eo convicti fuerunt diabolici furoris, quando non veriti fuerunt Deum in se provocare. Dicit, *In opere manuum*: & ita contemptim, vel probrose potius loquitur de idolis. Deos vocabant, non quia nescirent esse statuas fabrefactas ex ligno, & lapide, vel alia materia: sed tamen putabant divinitatem illic esse inclusam, quoniam persuasum illis erat, Deum hoc modo rite coli. Nunc igitur vocat Propheta *opus manuum*, quasi diceret, Si Judæi ipsi nihil sint, idola esse minus quam nihil, quia sint opus manuum duntaxat. Et hic loquendi modus frequenter occurrit apud Prophetas: quo vult Deus excutere socordiam hominibus, qui obstupescunt in suis figmentis. quasi diceret, Si qua gutta sanæ intelligentiæ in vobis esset, an non sciretis hoc esse opus manuum vestrarum quod colitis? quid autem possunt manus vestræ? quinam estis vos? Nunc tenemus consilium Prophetæ in hoc verbo. Iterum promissio repetitur, *Non malefaciam vobis.* nam his verbis pronunciat Deus immunes fore ab omni molestia & incommodo, si maneant in vera pietatis regula: & ita significat, quicquid malorum antehac passi fuerant, & deinde passuri sunt, non posse imputari nisi eorum pervicaciæ: quia ultro pollicitus fuerat Deus se illis parsurum, modo desisterent à suis sceleribus. Hæc autem spes debet nos maxime animare ad resipiscentiam, ubi videmus Deum nobis occurrere, & quærere reconciliationem nobiscum: deinde velle oblivisci omnium scelerum nostrorum, modo ad ipsum redeamus ex animo; ut qui nonnisi invitus ad pœnas exigendas procedit. Ergo hinc iterum gravius convincitur populi impietas, quod non potuit admittere tam optabilem gratiam Dei. Sequitur,

7. Et non audistis me, (*non auscultastis mihi*) dicit Jehovah, ut provocaretis me (*hoc est, quia voluistis me irritare*) in opere manuum vestrarum, in malum vobis.

Incul-

Inculcat quod prius dixit, nempe Judæos fuisse prorsus immorigeros, quum Deus tam comiter se ipsis offerret, & ostenderet se fore ipsis placabilem, modo ex animo converterentur. Quod ergo hæc legatio non fuit admissa apud Judæos, signum fuit extremæ & prorsus deploratæ obstinationis. Et exaggerat crimen illud quum dicit, *Ut me irritaretis.* significat enim voluntario affectu raptos esse ad malum, quasi vellent Deum ipsum provocare. Deliberatam igitur ipsorum malitiam hic accusat Propheta quum dicit, *Ut me irritaretis.* Sæpe enim contingit, homines errore labi, neque attendere ad rem ipsam, quia nemo illos admonet. Verum, quum toties hortatus esset Deus Judæos ad pœnitentiam, non potuit aliud judicium de ipsis fieri, nisi quod tanquam destinato volebant non tantum Deum spernere, sed provocare ad certamen. Et hoc diligenter notandum est: quia quisquis edoctus fuit de voluntate Dei, nisi pareat, non potest à se repellere crimen voluntariæ obstinationis, quod scilicet in animum induxerit cum Deo bellum gerere. Hoc etsi impii non fatentur, res tamen ostendit: & Deus, qui idoneus est judex, pronunciavit quo loco habendi sint qui doctrinam Propheticam spernunt. Dicit autem, *In malum vobis*, ut sciant Deum non tam agere causam suam, acsi illorum obsequio indigeat, quam curare ipsorum salutem. Subest enim tacita antithesis, quasi dixisset Propheta, Quid damni passus est Deus hac vestra contumacia? Conati quidem estis illi detrahere suam gloriam: nam ornastis ejus spoliis vestra idola: sed non est in hominum arbitrio aliquid minuere ex jure Dei: manet semper integer. cessit igitur hoc totum vobis in perniciem, quum fuistis rebelles. Ergo quum Deus nunc vos coarguit, non prosequitur jus suum, quasi aliquid commodi vel damni à vobis percipiat: sed hoc signum est misericordiæ, quod non vult vos perire, tametsi videt rapi vesano impetu ad perniciem. Postea sequitur,

8. Propterea sic dicit Jehovah exercituum, eo quod non audistis ad sermones meos: (*hoc est, non attenti fuistis ad sermones meos*).

9. Ecce ego mittam, & accipiam (*vel assumam*) omnes cognationes (*vel familias*) Aquilonis, dicit Jehovah, & Nabuchadnezer regem Babylonis servum meum, & inducam eos in terram hanc, & in habitatores ejus, & in omnes gentes istas in circuitu, & perdam eas: & ponam eas in stuporem, & sibilum, & in vastitates seculi. (*id est, perpetuas.*)

Hic sequitur pœnæ denunciatio. Dicit igitur Propheta jam non acturum esse amplius Deum verbis, quia maturuit eorum iniquitas, sicuti dicitur Genesis sexto, Non litigabit Spiritus meus, vel non disceptabit amplius cum homine: ubi Deus sese accingit ad sumendam vindictam de hominum sceleribus, dicit jam non esse tempus disceptationis. Ergo hic notatur matura exequutio judicii: simul vero pœnam designat, postquam exposuit causam tantæ severitatis, nempe *quod non audierint sermones Dei:* addit, *Ecce ego mittam, & assumam omnes cognationes Aquilonis.* Mihi non dubium est, quin alludat Propheta ad edicta Regum. ubi enim volunt conficere aliquem exercitum, promulgant sua edicta, jubent undique convenire qui vel nomen dederunt, vel qui militiæ sunt adscripti. Ita Deus his verbis significat, sub manu sua esse Chaldæos, ita ut præsto futuri sint, simulatque signum ipsis dederit, quemadmodum alibi usurpat alios loquendi modos, sed eodem sensu: Sibilabo: deinde, Canam classicum. Scriptura referta est ejusmodi loquutionibus, quæ exprimunt, paratos esse cunctos mortales ad Dei obsequium, quoties vult opera ipsorum uti. non quod ipsis propositum sit Deo servire: sed quoniam arcano instinctu ita eos gubernat, & linguas ipsorum, & mentes, & animos, & manus, & pedes, ut cogantur velint nolint se illius arbitrio & voluntati addicere. Et eadem ratione vocat *servum suum Nabuchadnezer.* Neque enim voluit crudelis ille tyrannus Deo suum officium offerre: sed Deus usus est illius opera, acsi fuisset mercenarius. Et alibi etiam videbimus eundem vocari servum. Et hoc notandum est, quia hinc colligimus, multos esse Dei servos, qui tamen indigni sunt tam honorifico elogio: sed non vocantur ipsorum respectu. Nabuchadnezer putavit se bellum inferre Deo Israëlis quum invasit Judæam: & mera ambitio, & avaritia, & crudelitas ipsum impulit, ut tot bella susciperet. Ergo si consideramus ipsum, & consilium ejus, & omnes conatus, & studia, non dicemus esse servum Dei: sed hoc ad Deum solum refertur, qui scilicet tam diabolum, quam omnes impios gubernat potentia sua arcana, & incomprehensibili, ut inviti etiam exequantur quicquid apud se statuit. Magnum ergo inter illos discrimen est, & inter servos Dei, quibus ubi aliquid mandatum est, cupiunt obedientiam præstare quam debent: tales sunt omnes fideles. Ergo vocantur servi Dei merito, quoniam mutuus est consensus inter Deum, & ipsos: Deus præcipit, deinde ipsi obsequuntur. Sed hæc quasi mutila & dimidia est servitus, quum scilicet impii trahuntur præter animi sui propositum, & Deus tanquam instrumentis utitur, quum aliud cogitent, & studeant. Interea notandum est, honoris causa improprie adscribi nomen hoc Nabuchadnezer, ut pudefaciat Judæi. Fuit enim illis hoc valde contumeliosum, quod profanus homo electus à Deo fuit, & quod obtinuit nomen servi, quum ipsi alieni essent. Non dubium igitur est, quin Propheta voluerit pudorem ipsis incutere, quum extulit in hunc gradum honoris regem Babylonis. Deinde alia etiam fuit ratio, nempe ut quicquid passuri essent Judæi, scirent sibi infligi Dei manu, nec aliter sentirent de Nabuchadnezer, quam esse Dei flagellum, ut ita agnoscerent sua peccata, & humiliarentur. Nunc ergo tenemus sensum verborum. Dicit postea, *Inducam eos in terram hanc, & super habitatores ejus:* quibus verbis confirmat quod nuper attigi, nempe in promptu esse Deo vindictam, simulac voluerit Judæos pro merito tractare. Quemadmodum ergo dixit, Nabuchadnezer, & omnes Aquilonares populos sibi esse ad manum tanquam conductitios milites: ita nunc adjungit, victoriam esse in manu sua. *Inducam* igitur *eos,* inquit, *super terram:* deinde, *super omnes vicinas gentes, quæ sunt in circuitu.* Cur Propheta hic denunciet aliis etiam gentibus pœnam, videbimus suo loco. Judæi enim inter alias perversas fiducias, hanc solebant sibi objicere, quod si Nabuchadnezer invaderet alienas ditiones, omnes certatim contra eum insurgerent, & conspiratione facta, facile esset ipsum obruere. Quum ergo Judæi respicerent in omnes partes, & scirent Ægyptios sibi esse fœderatos: deinde persuasi essent Moabitas, & Tyrios, & Syrios, & alios omnes tractum iri in belli societatem, hanc securitas, qua se fallebant. Hæc itaque ratio est cur Propheta diserte minetur etiam gentibus, quæ erant per totum circuitum, non tam illarum causa, quam ut Judæi à stulta illa confidentia desisterent. Dicit Deus *se positurum gentes omnes una cum Judæis in stuporem, in sibilum, & vastitates perpetuas.* Significat horrendam fore cladem, quæ attonitos reddat solo rumore quicunque audierint: quemadmodum alibi dicitur, Solus auditus excitabit fremitum: ita hoc loco, *Ponam illas in stuporem.* Si qua mediocris calamitas nobis narratur, move-

mur

mur quidem ad misericordiam: verum si fidem superat gravitas mali, tunc manemus quasi stupidi, & sensus omnes nostri evanescunt. Significat igitur Propheta, cladem quam Deus infliget Judæis fore quasi prodigium, quod obstupefaciat omnes qui audient. & tandem addit, *vastitates perpetuas*. Mitigabit quidem duritiem hujus sententiæ paulo post, ubi restringet Dei vindictam ad annos septuaginta: sed hic modus loquendi etiam familiaris est Scripturis. opponitur enim עולם brevitati temporis: nam varie accipitur pro circumstantia locorum hæc dictio: interdum notatur perpetuitas, quemadmodum quum nuper dicebat Propheta, *A seculo usque in seculum*, id est, per continuas ætates, vel per seriem annorum, quæ perpetuo durabit: sed Seculum, vel עולם sæpe accipitur pro statu populi usque ad Christi adventum: aliquando significat simpliciter diuturnum tempus, quemadmodum hoc loco, & aliis pluribus. Sequitur,

10. Et transire faciam (*hoc est, auferam*) ab ipsis vocem gaudii, & vocem lætitiæ, vocem sponsi, & vocem sponsæ, vocem molarum, (*id est, strepitum molarum*) & lumen lucernæ.

Hic confirmat qood nuper dixi, nempe Judæos non vulgari modo castigandos, sed prorsus affligendos. nam quamvis non omnia prospere nobis fluant, & ex voto, celebrantur tamen nuptiæ, & manet aliqua hilaritas in hominibus: epulantur simul, & fruuntur hujus vitæ commodis, etiamsi à deliciis abstineant. Sed hic Propheta ostendit talem fore vastitatem terræ, ut cogitare de nuptiis non sit liberum, ut cessent omnis hilaritas & lætitia, ut non molant vel condimenta, vel esculenta, vel alia, vel triticum etiam, ut denique non celebrent convivia ad lucernam pro more. Ergo hic ad vivum describit illam vastitatem, cujus nuper facta fuit mentio. Nec dubium est, quin Propheta oblique perstringat socordiam illam, qua diabolus occupaverat mentes populi. quamvis enim assidue Prophetæ illis minitarentur, tamen nullus erat finis, vel modus exultandi: quemadmodum videmus Jesaiam conqueri de tali lascivia, quum dicerent, Epulemur, cras moriemur: *Jesa. 22. vers. 13.* deinde, Vocavi vos ad saccum & cinerem: vos autem ad citharam, & ad epulas profecti estis. Quum ergo Propheta hic *de voce lætitiæ & gaudii, de strepitu molarum, de lampadibus* verba facit, non dubium est, quin illis exprobret stupidam illam securitatem: quod scilicet nihil meruerent, & fingerent se esse extra omne periculum, quum tamen Deus quasi exerta manu se ostenderet ipsorum vindicem. Sequitur,

11. Et erit tota terra hæc in vastitatem, & in stuporem: & servient gentes hæ Regi Babylonis septuaginta annis.

Hic Propheta restrictionem illam adjungit, de qua nuper dixi, & ita mitigat pœnæ asperitatem: & ideo est quasi species correctionis, non quod quicquam mutet, sed tantum per modum correctionis exponit quid ante intellexisset per vastitates seculi, vel perpetuas. Ergo dicit, *Et erit tota terra hæc in vastitatem, & in stuporem:* alii vertunt, Et desolationem. nam שמם significat vastare, significat & obstupefacere: sed quia nuper hoc nomen posuit pro stupore, non video cur mutemus sensum, nisi quia conjungitur cum חרבה. Quod ad summam rei, non multum interest, quod terra futura sit in vastitatem, vel in stuporem: quia erit solitaria, quia erit redacta in desolationem, vel desertum. *Et servient gentes hæ Regi Babylonis septuaginta annis.* Hic claudit Propheta vaticinium illud de futura populi clade, quod scilicet terra in solitudinem redigenda esset, ut attonitos redderet quicunque per eam transirent, vel esset quasi formidabile spectaculum ob illam desolationem. Quod autem præfigitur numerus annorum 70, testimonium est paternæ Dei clementiæ erga populum, non promiscue erga totam multitudinem, sed reliquias de quibus alibi dictum est. Significat igitur Propheta, quamlibet graviter peccaverint Judæi, tamen Deum nonnisi temporales pœnas de ipsis sumpturum, quia post 70 annos, ut videbimus, reducet eos in patriam, & restituet quod perdiderant, nempe habitationem terræ promissæ, Urbem sanctam, & Templum. Et hoc melius exprimuur proximo versu, ubi dicit,

12. Et erit, quum impleti fuerint septuaginta anni, visitabo super Regem Babylonis, & super populum ejus, dicit Jehovah, iniquitatem ipsorum, & super terram Chaldæorum, & ponam eam in desolationes seculi. (*id est, perpetuas.*)

Quemadmodum dixi, nunc clarius ostendit Propheta quorsum definierit tempus captivitatis, & exilii, nempe ut scirent fideles, Deum non esse fœderis sui oblitum, quamvis populum hæreditate terræ privaret. Non dirigitur hic sermo promiscue ad totum populi corpus, quemadmodum ante aliquot locis admonuimus: sed Propheta voluit consulere electis Dei, qui retinebant semper aliquod pietatis studium: centies enim desperassent, nisi addita fuisset hæc promissio. Ergo specialis est hæc doctrina tanquam panis filiorum: quia Deus quasi seorsum alloquitur solos electos, & fideles. Dicit autem Deus *se visitaturum finitis annis 70, iniquitatem Regis Chaldæi, & totius populi.* Hinc colligimus Nabukadnezer non fuisse vocatum Dei servum, quasi aliquid meritus fuerit suo obsequio: sed quoniam Deus ipsum invitum, vel nihil tale sentientem rapuit ad incognitum obsequium una cum subditis ejus. Ergo quamvis Dominus utatur impiis ad exequenda sua judicia, tamen non ideo culpa eorum levatur, manent nihilominus obnoxii Dei judicio. Et hæc duo inter se optime conveniunt, quod diabolus & omnes impii Deo serviant, non sponte, sed quatenus ipsos trahit arcana sua potentia, & interea merito luant pœnas, etiamsi Deo servierint. quamvis enim compleverint ejus opus, tamen quia nihil illis mandatum est, ideo sunt damnabiles, quemadmodum hic docet Propheta.

Da omnipotens Deus, quando undique perspicimus iræ tuæ signa, & conscientia etiam unumquemque nostrum constringit, ut cogamur fateri nos omnes à primo usque ad ultimum esse reos ad tuum tribunal: da, inquam, ut mature in viam redeamus, & studeamus te nobis reconciliare, nec dubitemus te fore placabilem & exorabilem ubi deprecati fuerimus veniam in nomine unigeniti Filii tui: deinde sie tibi reconciliemur, ut sentiamus vere te nobis adesse tanquam Patrem, ubi nos gubernabis Spiritu tuo, quo scilicet nomen tuum in eodem Domino nostro Jesu Christo glorificetur usque in finem, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA QUINTA IN JEREMIAM.

EXposuimus postremæ lectione sententiam illam, ubi prædixit Deus se pœnas sumpturum de Rege Babylonio, & ejus populo propter sævitiam, qua usi fuerant contra Israëlitas. Diximus sermonem hunc peculiariter dirigi ad electos, quia multi ex populo perierunt absque ulla spe salutis: sed voluit Deus interea consulere reliquiis, & hac ratione finivit tempus exilii, & prædixit se hostem fore Babyloniis, quia populi sui causam suscipiet. Unum duntaxat non potui exponere, quia Propheta hic loquitur de opprobriis æternis. videtur autem hoc non fuisse impletum, quia etsi post annos septuaginta capta fuit Babylon, & redacta in servitutem, stetit tamen urbs ipsa salva, & nobilis, & multis post seculis fuit in maximo splendore. Videtur ergo Propheta modum excedere quum loquitur de vastitatibus istis, quia nihil tale apparuit quum urbs capta fuit à Medis & Persis. Sed alibi diximus, non debere restringi ad unum tempus quod passim occurrit apud Prophetas de interitu Babylonis. voluit enim Deus & diversis modis, & diversis temporibus vindictam suam exercere adversus populum illum. hoc autem constat ex historiis, magis fuisse optabile Babyloniis, semel perire, quam tot subire clades. nam aliquanto post defecit populus ille à Persis: urbs industria, & astu Zopyri recuperata fuit: suspensi tunc fuerunt in patibulo omnes fere nobiles, ita ut nulla residua esset dignitas: tandem occupata fuit ab Alexandro: postea Seleucus illic dominatus est: ejus tunc ruinis extructa fuit urbs Ctesiphon, donec paulatim vetustate contabuit. nulla autem contigit mutatio, quæ non multum imminueret ex opulentia urbis. Et nihil potuit accidere magis probrosum, quam ubi arrepti sunt quicunque pollebant aliqua auctoritate, & suspensi fuerunt in patibulis, ut refert Xenophon, & alii etiam historici. Nunc ergo tenemus quomodo locus hic intelligi debeat, ut alii similes: quia Deus non tantum de una vindicta loquitur, sed comprehendit tot judicia quibus ultus est injurias populo suo illatas. Nunc sequitur,

13. Et adducam super terram illam omnes sermones meos quos loquutus sum super eam, quicquid scriptum est in libro hoc, quod prophetavit Jeremias super omnes gentes. (*vel in quo prophetavit, si placeat referre ad librum.*)

Confirmat superiorem doctrinam, quod scilicet *adducet omnes suos sermones super Chaldæam*, hoc est, quod daturus sit effectum prophetiis omnibus, ut facile appareat neque Jeremiam temere quicquam prædixisse, neque etiam Deum ipsum per os servi sui frustra minatum. Hæc igitur summa est: ideo videmus quo sensu dicat Propheta *Deum adducere sermones suos.* nam tunc loquutus est. Sed quia impii existimant ludum esse & jocum quicquid profertur Dei nomine, & securi derident omnes minas: ideo *adducere sermones* tantundem valet, atque probare ipso experimento Deum non injicere terrorem absque effectu: denique sermonum adductio, est fidei probatio: & quemadmodum jam dixi, refertur hoc ad hominum socordiam, qui fidem detrahunt sermonibus Dei, donec convicti sint ipso eventu. existimant enim verberari aërem duntaxat, ita non tanguntur ullo timore: sed Deus profert efficaciam verbi sui, quum exequitur quicquid prædixit. Videmus ergo Prophetam nihil aliud velle hoc toto versu, quam ut confirmet quod paulo ante dixit. loquitur autem de Chaldæa: dicit, *Super terram hanc.* Et simul notanda est altera loquutio: dicit enim Deus *se pronunciasse hos sermones:* postea dicit ministrum sibi fuisse Jeremiam, & quasi præconem: deinde scribam simul nominat. Deus ergo hic asserit se esse auctorem totius doctrinæ, quam Jeremias pertulerat. Interea autem relinquit suas partes ministro, quia necesse est auctoritatem constare Prophetis: alioqui nisi Deus palam è cælo descendat, vel homines promiscue admittent quicquid dictum fuerit, & absque judicio recipient mendacium & veritatem, vel obdurescent prorsus, ita ut nulla sit apud eos fides Propheticæ doctrinæ. dicit, *Quicquid scriptum est in libro hoc.* Non dubium est, quin Propheta summas, & capita rerum complexus fuerit. nam alibi diximus, hunc fuisse Prophetis morem, postquam verba fecerant apud populum, & prolixe concionati fuerant, ut brevem summam affigerent ad valvas Templi. Librum igitur vocat Jeremias volumen illud, quod erat compositum ex ejus concionibus: vulgo dicerent Summarium. Jam adjungit, *In quo libro*, vel, quod prophetavit, ut idem significet quod prius dixerat, & ita subaudienda esset particula, Nempe Quod prophetavit: sed non male conveniet illa expositio, *In quo prophetavit Jeremias super omnes gentes.* Sequitur,

14. Quia fecerunt in illis (*vel quia coëgerunt eos*) ad servitutem etiam ipsi, gentes multæ, (*vel robustæ, vel validæ*) & Reges magni, & rependam illis secundum actionem suam, & secundum opus manuum ipsorum.

Initium versus obscurum est. עבד ubi construitur cum ב existimant active sumi pro adigere ad serviles operas: significat proprie servire: sed putant in hac syntaxi esse verbum transitivum. Quod verterunt quidam, Utentur illis, frigidum est, & nimis ambiguum: dicuntur enim amici uti alii aliis familiariter, ubi sunt mutua officia. ergo illi non satis exprimunt quod volunt: sed erit periphrastice reddendus sensus, quod scilicet cogent eos ad servitutem. nondum tamen clare patet quid velit Propheta: nam potest istud עבדו, vel in præterito, vel futuro tempore sumi: est quidem temporis præteriti, sed potest etiam sumi præteritum loco futuri: ita diversus esset sensus. si placeat retinere tempus præteritum, hoc non poterit referri nisi ad Babylonios: quia ipsi usi sunt serviliter, vel ipsi coëgerunt ad serviles operas ipsos Israëlitas. nam istud בם necesse erit intelligere de Israëlitis, & scimus relativum sæpe poni, ubi agitur de Ecclesia, vel de electo populo. Ita ergo vertenda essent Prophetæ verba, Quoniam serviliter dominati sunt illis, nempe Israëlitis, etiam ipsi, hoc est, vicissim Israëlitæ dominabuntur, subaudiendum esset. Mihi tamen simplicior videtur fore sensus, si uno contextu legamus, Quia dominabuntur

tur illis etiam ipsi, nempe gentibus validis & robustis, & Regibus magnis, *& rependam illis*, &c. hæc ratio me prope cogit ut ita interpreter. dixerat enim proximo versu Jeremiam vaticinatum fuisse contra omnes gentes. Ergo sequitur explicatio, & breviter ostendit Propheta, vel admonet quorsum tendant illa vaticinia, nempe quod illis etiam dominabuntur ipsi. ergo relativum בם designat, meo judicio, tam Babylonios, quam alias omnes profanas gentes: & hoc satis tritum est Prophetis, ubi loquuntur de restitutione veteris Ecclesiæ, & de Christi adventu, promittere imperium filiis Dei, ita ut teneant sub pedibus suis totum orbem: & optime fluet oratio, quod scilicet dominabuntur: erit quidem mutatio temporis, sed quæ satis usitata est Hebræis. dominabuntur ergo illis, id est, gentibus. Loquutus autem fuerat Jeremias de omnibus gentibus profanis. dixerat, Quicquid prophetavit super omnes gentes. & hoc erat incredibile: ideo ponitur particula גם, hoc est, Etiam ipsi Israëlitæ: quasi diceret, Tametsi accidet præter spem, ut videri possit absurdum & fabulosum, tamen Deus eventu ipso probabit se non frustra hoc mihi mandasse: ergo illi quoque habebunt suas vices dominandi, hoc est, Israëlitæ: quia cogent ad obsequium omnes gentes. Et quod sequitur confirmat meam sententiam: addit enim Gentes (nam facile repetitur litera ב). quum dicit גוים רבים, possemus vertere, Gentes multas: רבים enim utrumque significat: sed quia sequitur, & Reges magnos, ideo libenter accipio pro gentibus validis. ergo dominabuntur illis, nempe *gentibus validis, & Regibus magnis*. Tandem subjicit, *Et rependam illis*, nempe tam Regibus, quam populis, rependam, inquam, *secundum actionem suam, & secundum opus manuum*, quia scilicet exercuerant omne genus sævitiæ adversus miseros Israëlitas. Propheta ergo prosequitur eandem doctrinam, nempe quod Deus tandem re ipsa ostensurus sit, quum iratus fuit Ecclesiæ suæ, non tamen spem omnem misericordiæ fuisse ablatam, quia memor esset fœderis sui. Mitigat hoc modo asperitatem superioris doctrinæ, dum aliquid melius promittit quam possent miseri Judæi sperare in illis extremis cladibus. Iterum colligere licet ex Prophetæ verbis sic Deum usum fuisse opera Nabukadnezer, & aliorum, ut non præstiterint obsequium aliquod dignum laude. nam si fuissent extra culpam, Deus certe injuste pœnam de illis sumpsisset. Ergo docet hic locus, quum diabolus & reprobi exequuntur Dei judicia, nihil tamen laudis ea obsequio mereri, quia nihil tale illis propositum est. Nunc sequitur,

15. Quia sic dixit Jehovah Deus Israël ad me, Sume calicem vini furoris (*vel iracundiæ*) hujus è manu mea, & propina illum cunctis gentibus, ad quas ego mittam te ad eas. (*sed hoc secundum redundat.*)

Nunc pluribus verbis explicat Jeremias quod propter brevitatem poterat esse obscurum. loquutus fuerat de cunctis gentibus: sed abruptus fuerat sermo. nam hactenus non palam docuit se missum fuisse à Deo præconem, qui citaret omnes Reges & populos ad ejus tribunal, & denunciaret quid futurum esset. Quoniam ergo nihil tale attigerat Propheta, sermo ille poterat esse ambiguus. Nunc ergo affirmat sibi porrectum fuisse calicem è manu Dei, quem propinaret cunctis gentibus. Videmus ergo nihil hic novum dici, sed Prophetam esse quasi interpretem illius brevioris vaticinii. Porrò quo plus ponderis habeat doctrina, refertur visio. *Sic mihi dixit Jehovah Deus Israël*, inquit, *Sume calicem vini iracundiæ hujus è manu mea.* Diximus aliis locis non abs re commendari effectum doctrinæ Propheticæ: & ideo servos Dei ita armari, acsi parata esset eorum omnium quæ proferunt exequutio. dicuntur hac ratione expugnare urbes, dicuntur evertere regna, quoniam tantus est hominum stupor, ut Deo fidem abrogent, nisi quasi in rem præsentem adducti fuerint. Sed quoniam hæc alibi fusius tractavi, nunc tantum perstringo. Dicit igitur *sibi porrectum fuisse calicem è manu Dei*: quibus verbis significat se non prodire in medium, ut terreret suo arbitrio tam Judæos, quam alias gentes, sed fideliter promulget quod injunctum est. deinde significat Deum nihil nunc loquutum esse, quod non brevi exequi velit: & hoc intelligitur nomine Calicis. Vocat *calicem vini furoris*, vel iracundiæ. Hæc metaphora frequenter occurrit apud Prophetas, sed diverso sensu. dicitur enim aliquando inebriare Deus quum obstupefacit homines, & nunc adigit ad insaniam, nunc autem privat communi sensu, & intelligentia, ut similes sint pecudibus: sed dicitur externis cladibus ipsos inebriare, quum reddit attonitos. Sic nunc Propheta *vinum iracundiæ* vocat cladem, quæ poterat esse instar ignis ad inflammandos eorum omnium animos, qui sine profectu castigabantur. Primo insania nihil aliud significat, quam desperationem eorum, qui sentiunt manum Dei sibi esse infestam, atque ita fremunt, & tumultuantur, & maledicunt tam cælo, quam terræ, sibi, & Deo. hoc debet intelligi per nomen Iracundiæ. Vino comparat iracundiam illam, quia rapiuntur extra se qui ita percussi Dei manu, non resipiscunt, neque reputant sua peccata animo composito, sed sese projiciunt ad furorem. Tenemus nunc cur Propheta dicat *sibi datum fuisse calicem vini iracundiæ.* Postea addit, *Et tu propina illum cunctis gentibus, ad quas ego mittam te.* Hic rursus confirmat quod nuper attigi, nempe munus suum longius extendi, quam ut doceat in media Ecclesia, sed se quoque electum fuisse præconem, qui promulget Dei judicia contra omnes gentes. Fuit quidem aliter missus ad Judæos, quam ad profanas Gentes: quia præfectus fuit illis doctor, idque in salutem, nisi fuissent prorsus ingenio perdito: ad Gentes autem missus fuit, ut præcise minitaretur illis quod instabat: tamen missus fuit tam ad Judæos, quam ad reliquos omnes, quemadmodum paulo post ordine distinctius ostendet. Nunc videmus quis sit hujus doctrinæ finis, & quænam utilitas: ut conciliet fidem proximo vaticinio Jeremias, primo visionem, quæ oblata fuerat, proponit: deinde testatur se nihil afferre proprium, sed tantum morem Deo gerere, & fideliter perferre ejus mandata: tertio significat se non tantum præfectum esse doctorem, & magistrum Ecclesiæ Dei, sed testem vindictæ ejus adversus omnes populos. Sequitur,

16. Et bibant, & moveantur, & insaniant, (*ad verbum legendum esset, bibent, & inebriabuntur: est enim ubique ו conversivum. sed potius resolvi debet copula in particulam finalem, ut bibant, & inebrientur, & insaniant*) à facie gladii, quem ego mitto in medio ipsorum. (*inter ipsos.*)

Hic Propheta magis inculcat quod ante diximus, nempe non esse vanos terrores, quum prædicit Dei judicia contra omnes populos, sicuti vocamus minas pueriles, quæ non habent suum effectum. Sed Pro-

Propheta hic affirmat, quamlibet pervicaciter resistant & Judæi, & alii omnes, non posse tamen effugere hanc necessitatem, quin Deus vindex sit omnium. Jubetur ergo Propheta sumere calicem, & propinare. sed poterant adhuc objicere Judæi, Si quidem nobis placeat calicem sumere è manu tua: sed quid si respuimus? quid si projicimus quod nobis propinas? dicit igitur Propheta, velint nolint, tamen calicem sumpturos ut bibant, & exhauriant quicquid destinatum est illis Dei judicio. *Ut bibant* ergo. postea addit, *Ut moveantur & insaniant*. Duo hæc verba certum est referri ad pœnæ gravitatem. significat enim fore quasi exanimes. nam si Deus clementer nos castiget, ac moderatione paterna, poterimus tranquillis animis nos & subjicere, & simul confugere ad ejus misericordiam: ubi autem tumultuamur, & fere cogimur ad insaniam, illic necesse est sentiri immodicum rigorem, ita ut nulla sit spes veniæ. Exprimere igitur voluit Propheta tam atroces fore clades, ut populi, quibus iratus erit Deus, futuri sint attoniti, & fere exanimes. Sed plus exprimit per *motum*, vel tumultum, *& insaniam*: quod scilicet sentient mala sua: interea autem erunt similes phreneticis, quia desperatio opprimet eorum mentes & sensus, ut non possint quicquam salutis sperare, neque etiam sese subjicere Deo, ut solent omnes perditi contra Deum insurgere, & evomere suas blasphemias. Dicit, *A facie gladii quem ego mittam inter ipsos*. Videtur per vocem בינתם notare mutuos fore conflictus, ut alii alios perdant. Deus ergo mittet gladium suum: sed nunc porriget eum Chaldæis, nunc Ægyptiis, nunc Assyriis, nunc aliis populis, ita ut eodem gladio alii alios conficiant, donec ventum sit ad ultimam omnium internecionem. Jam sequitur,

17. Et sumpsi calicem è manu Jehovæ, & propinavi cunctis gentibus, ad quas misit me Jehovah ad eas. (*sed iterum supervacua est hæc repetitio.*)

Nunc Propheta adjungit se paruisse Dei mandato, quemadmodum antea aliquoties testatus est se fuisse coactum ad obeundum munus, quod libenter recusasset, si fuisset liberum: sed quia parendum fuit divinæ vocationi, ideo ostendit se esse extra culpam, & injuste etiam gravari à populo, si existimetur malorum auctor. nam scimus Prophetas flagrasse invidia, & infamia apud obstinatos, & Dei contemptores, acsi ipsis imputandæ essent omnes clades. Dicit Jeremias *se sumpsisse calicem, & propinasse*, hoc est, se nihil appetivisse, sed injunctam sibi fuisse hanc necessitatem obeundi muneris. Nunc ostendit quænam fuerint illæ gentes:

18. Jerosolymæ & urbibus Jehudah, & Regibus ejus, & Principibus ejus, ad ponendum eos in vastitatem, (*vel solitudinem*) in stuporem, in sibilum, & maledictionem, sicuti dies hæc.

1 Pet. 4. vers. 17. Incipit à Jerusolyma, quemadmodum alibi dicitur judicium incipere à domo Dei. neque ulla est repugnantia in Prophetæ contextu. quanquam enim nuper pollicitus est filiis Dei lætum finem malis, quæ paulo post passuri erant: hic tamen quasi in tabula enumerat gentes omnes, quibus volebat Deus vindictam suam denunciari. Primum igitur gradum obtinuit Ecclesia in hoc catalogo, quia quamvis Deus sit totius mundi judex, merito tamen ab Ecclesia sua incipit propter duas præcipue causas: nempe sicuti paterfamilias invigilat suis liberis, & servis, & si quid domi peccatur, intentia maxime illic est ejus sollicitudo: ita quoniam residet Deus in Ecclesia sua, non potest fieri, quin statim castiget suorum delicta. Deinde scimus minus excusabiles esse qui edocti de voluntate Dei, nihilominus pergunt obsequi suis cupiditatibus: neque enim licet illis prætexere ignorantiam. Ergo impletur quod Christus pronunciat, servos gravius vapulare, qui scientes domini voluntatem, nihilominus contumaciter eam rejiciunt. (Luca 12. vers. 47.) Duplex igitur culpa est in membris Ecclesiæ. neque enim possunt conferri incredulis, qui errant inter densas tenebras: quando Deus prælucet in Ecclesia sua, & ostendit viam, quemadmodum dicit Moses, Ecce vobis propono viam vitæ & mortis: testor igitur cælum & terram nihil vobis relinqui excusationis. (Deut. 30. c. 15, 19.) Hæc igitur secunda ratio est cur Deus maturius pœnam exigat de peccatis fidelium, vel qui fideles censentur. deinde pertinet ad exemplum, ut Deus ita filios suos castiget, ne videatur sua indulgentia ipsorum vitia alere & fovere. hæc tertia ratio est quodammodo accidentalis, ideo volui à duabus reliquis eam separare. Quum ergo Deus tam severe Ecclesiam suam retinet in officio, colligere debent increduli, Si hoc in viridi fiat, quid in arido fiet? (Luca 23. vers. 31.) Sed duæ illæ rationes, quas ante posui, sufficere nobis debent, cur scilicet Deus, dum suspendit suam vindictam adversus reprobos, pœnam sumat tam de electis, quam de his omnibus, qui profitentur se esse ex ejus Ecclesia. Nunc tenemus cur Jeremias primo loco commemoret sanctam Urbem, deinde omnes urbes Jehudah, Reges ejus, & Principes: quoniam scilicet eos porrecto sinu Deus ad se invitaverit: provocaverant autem quasi destinata malitia ejus iram ita spernendo & Legem, & Prophetas. Postea adjungit, *Ad ponendum ipsos in devastationem*, vel in solitudinem. Fuit hæc gravis denunciatio, nec dubium est, ut postea videbimus, quin excanduerint plerique adversus sanctum virum, & furiose etiam conati sint illum extinguere: sed intrepido animo protulit quod Deus jusserat. Addit, *In stuporem*: tertio, *In sibilum*, nempe ut essent detestabiles omnibus. Sibilum enim accipit pro indicio contemptus, & probri, & contumeliæ. Ponit quarto, *In maledictionem*. diximus quid per hanc vocem significent Prophetæ, nempe Judæos fore quasi exemplar maledictionis, ut quisquis volet aliis maledicere, sumat formulam ab ipsis, Deus te perdat quemadmodum perdidit Judæos. adjungit, *Sicuti dies hæc*. Non dubium est, quin Propheta designet tempus excidii Urbis. jam tunc cœperat Deus atterere populum: sed videbimus postea adhuc fuisse turgidos animos magnæ partis, ut cristas subinde erigerent, & circumspicerent ad res novas, & promitterent sibi auxilia ab Ægyptiis. Sed Propheta hic designat quod nondum erat completum, & tamen ostendit quasi digito, quasi jam ventum esset ad diem illum, quo Urbs excidenda erat, & Templum exurendum. Ergo ad certitudinem vaticinii hoc refertur. Quidam existimant hoc fuisse scriptum postquam Jeremias in exilium abductus esset. sed divinatio illa parum firma est. Mihi igitur sufficit, quod Judæos excitet à sua securitate, & ostendat instare brevi complementum eorum omnium, quæ prædicit, nec magis dubitandum esse, quam si clades ipsa vobis nunc esset in conspectu. Sequitur,

19. Pharaoni (*pendet enim à superiore versu, quod propinaverit calicem Pharaoni*) Regi Ægyptio, servis ejus; & Principibus ejus, & toti ejus populo.

Hic

Hic quæri potest cur Pharaonem Judæis conjungat, ac potius secundum & contiguum gradum assignet Ægyptiis quam aliis gentibus: sed ratio est in promptu, quia scilicet Judæi inde salutem sperabant: & hæc fuit causa tam perditæ obstinationis, quoniam corrigi non poterat perversa illa fiducia, qua semel diabolus ipsos fascinaverat. desciverant à Deo, quum vellent amici esse Ægyptiis: deinde quum viderent se Assyriis impares, potius converterant spem suam ad Ægyptios, quam ad Deum: clamabant Prophetæ, sed sine profectu. Quum ergo causa ruinæ electi populi profecta esset ex Ægypto, & Pharao esset quasi fons & causa interitus tam Jerosolymæ, quam totius populi, merito Propheta postquam de Jerosolyma & aliis urbibus Jehudah loquutus est, statim citat secundo loco Pharaonem, quia socius erat Judæis, & causa eorum sic erat implicita, ut necesse esset simul trahi in exitium: quoniam alii alios corruperant, & alii etiam alios accenderant ad impietatem, & simul quasi conjunctis animis, & conspiratione facta accenderant in se iram Dei. Non potuit igitur Propheta loqui seorsum de Judæis, sed necesse fuit Ægyptios adjungi, quia ratio utriusque populi erat communis.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus paterna tua clementia sic abuti, ut quum nobis ad tempus parcis, hæc nobis sit occasio majoris audaciæ & licentiæ: da, inquam, sic ferulis tuis domari ut statim redeamus ad nos, & quæramus tecum reconciliationem in sanguine unigeniti Filii tui: deinde sic nobis displiceamus in vitiis nostris, ut ex animo nos tibi subjiciamus, & gubernemur Spiritu tuo sancto, donec tandem purgati omni sorde, perveniamus ad beatam illam gloriam quam nobis in cælo præparasti, & quæ nobis acquisita est ejusdem Filii tui sanguine, Ameu.

PRÆLECTIO NONAGESIMA SEXTA

IN

J E R E M I A M.

20. Et promiscuæ multitudini, & cunctis Regibus terræ Uz, & cunctis Regibus terræ Philistim, & Ascalon, & Gazæ, & Echron, & reliquiis Asdoth.

Postquam de gente sua, & Ægyptiis loquutus est Jeremias, nunc recenset populos omnes, qui fama noti esse poterant apud Judæos. videbimus enim in catalogo notari quosdam procul dissitos. Non tantum ergo de vicinis gentibus loquitur, sed in summa docere vult, instare Dei vindictam, quæ sese diffundet huc & illuc, ita ut comprehendat totum orbem Judæis cognitum. hæc summa est. Diximus heri cur conjunxerit Judæis Ægyptios: nunc autem non potest de singulis gentibus reddi certa ratio: sed in genere hoc tenendum est, Judæos moneri non tantum ut agnoscant Dei judicium erga se, sed ut sensus suos longius extendant, & considerent, omnes calamitates, quæ accidunt tam propinquis, quam longinquis gentibus, testimonia esse iræ Dei, ut statuant non volvi res humanas fortuito casu, sed Deum esse justum judicem, & sedere in cælo, ut scelera hominum castiget. Vulgari proverbio dicitur, Solatium esse miseris quum vident sibi multos esse pares, ut loquuntur, vel socios: sed longe aliud spectavit Propheta. noluit enim lenire dolorem populi sui, quod nullæ usquam gentes immunes essent à cladibus: sed potius mature docere voluit, quicquid continget, proficisci à Deo. nam si hoc non fuisset prædictum, & Chaldæi potiti fuissent toto Oriente, dixissent vulgo ita mundum versari cæco impetu, & ita obduruissent magis ac magis in sua impietate. nam hæc causa est obstinationis, ubi homines imaginantur fortuito omnia contingere. Ex hac ratione Deus severe invehitur in eos, qui non agnoscunt ipsum esse auctorem omnium bellorum, famis & pestilentiæ: & nihil adversi accidere, nisi ex ejus judicio. Ergo docendi fuerunt Judæi ante tempus, ut quum Deus ipsos affligeret, & reliquas gentes, scirent hoc sibi fuisse prædictum: & ideo Deum esse auctorem cladium: deinde ut in seipsos descenderent, atque ita agnoscerent sua peccata. Nam qui somniant mundum temere volvi à fortuna, in rebus adversis non sentiunt Deum sibi iratum: ita nunquam statuent mala quæ patiuntur, esse justas pœnas. Multi quidem etsi fatentur Deum esse auctorem pœnarum, nihilominus ipsum accusant. Sed duo capita tenenda sunt, nempe nihil adversi fortuito accidere, sed Deum esse auctorem eorum omnium quæ existimant homines sibi esse mala, nempe quoniam justus est judex. & hoc est secundum caput. Deus ergo ubi sibi vendicat rerum omnium eventus, & pronunciat mundum gubernari suo arbitrio, non tantum prædicat summam penes se esse potentiam, & summum imperium: sed ultra progreditur, nempe quod res prosperæ documenta sint bonitatis & justitiæ ipsius: res autem adversæ declarent ipsum non posse ferre hominum scelera, quin de ipsis pœnas exigat. hoc fuit igitur consilium Prophetæ. Nunc dicit Deum *miscuram promiscuæ multitudini*. ערב significat apum examen, significat etiam quamlibet mixturam. & ideo 12. cap. Exodi, quum *Exod 12.*
dicit Moses cum populo profectos esse multos, utitur *vers. 38.*
hac voce, quod scilicet multæ hominum quisquiliæ sese adjunxerint populo Dei. Et Nehemias dicit *Nehem. 9.*
se tales mixturas segregasse à populo Dei, ne scilicet *vers. 2.*
qui degeneres erant, corrumperent veram pietatem. Ergo ut maneret vera & genuina Ecclesia, dicit se abstulisse ערב, hoc est, mixturam. Nunc quantum ad præsentem locum spectat, non dubito quin Propheta generaliter loquatur de vulgo ipso: & ideo extendo hoc nomen ad omnia regna de quibus postea loquetur. Addit continuo post, *Regibus omnibus terræ Uz*. Scimus illam esse terram Orientalem: nescio cur Hieronymus verterit Ausiditis potius quam in libro Job, quia idem nomen illic ponitur: atqui vi- *Job. 1. 1.*
demus Job fuisse natum in parte Orientali, quia spoliatus fuit à suis vicinis, qui omnes erant Orientales. Quidam putant esse partem Armeniæ: sed vix tam longinqua fuit regio. nam Cilicia respectu Judææ intermedia est. Existimo igitur potius Uz recta ad Orientem tendere respectu Judææ. Addit, *& cunctis Regibus terræ Philistim*. An Palæstina tunc habuerit plures Reges, incertum est. Videtur quidem esse credibile, sed quod mihi dubium est, in medio relinquo. Nec obstat quod vocat Omnes reges, quando & paulo post dicit Omnes reges Tyri & Sidonis. atqui Tyrus non habuit plures Reges, neque etiam Sidon. fuerunt enim duntaxat duæ urbes. Non dubium igitur est quin Propheta quum de cunctis Regibus terræ loquitur, intelligat etiamsi aliis succedant, tamen certo hoc esse in cælo decretum, ut pereant omnes isti populi. Voluit igitur dubitationi occurrere, quia non statim completum fuit hoc vaticinium, sed populi, de quibus nunc agitur, retinuerunt statum

tum aliquem mediocrem, ut videri posset mentitus esse Propheta. Ergo diserte exprimit *cunctos Reges*, ut fideles suspendant suum judicium, donec tempus opportunum vindictæ Dei acciderit. Dicit postea, *Ascalon*, quæ fuit urbs non maritima, sed tamen non procul remota à mari: deinde עזה, quam vocamus Gazam, quia ע sic Græci transtulerunt. Cæterum quod putarunt Græci & Latini scriptores Gazam fuisse vocatam, quod illic deposuerat Cyrus suos thesauros quum bellum huc & illuc circumferret, prorsus est absurdum, ac fuit frivola divinatio: quoniam Gaza est thesaurus, & Græci transtulerunt Aza, Gazam, ideo venit illis hoc in mentem: sed non satis considerate. notus est situs urbis. Deinde subjicit *Accaron*, quæ fuit urbs vicina, & non procul ab Azoto, quæ subjungitur. Sed Propheta dicit *Asdoth*, quod nomen Græci transtulerunt Azotum, & Latini eos imitati sunt. Videmus ergo Prophetam de tractu illo agere, qui tendebat versus Syriam. Sed quæritur cur nominet *reliquias Asdoth*. Existimant aliqui notari urbes vicinas, quæ non ita erant celebres, sicuti Geth, quæ alibi nominatur: sed fuit urbs minus nobilis. Verum illa expositio mihi videtur & coacta, & absurda. Probabilis conjectura est, Azotum fuisse expugnatam, sed tamen quia magna erat commoditas loci, non fuisse desertam prorsus. Nam שארית dicitur quod est residuum, vel relictum ex antiqua clade. Quod ergo remanserit ex Azoto, id gladio Dei adjudicat, idque periturum. Sequitur,

21. Edom, & Moab, & filiis Ammon.

Semper verbum repetendum est, quod scilicet propinet Jeremias calicem omnibus istis populis. Ponit *Idumæos*, qui fuerunt posteri Esau, ponit *Moabitas*, qui ducebant originem à Loth: sicuti etiam Ammonitæ. Aliqua erat cognatio inter tres istas gentes, & Israëlitas: ideo videtur Propheta consulto simul copulasse tres istos populos. Adjungit,

22. Et omnibus regibus Tyri, & omnibus regibus Sidonis, & omnibus regibus Insulæ, quæ est (*vel, qui sunt: nam verbum nullum ponitur. potest igitur hoc tam ad reges ipsos, quam ad Insulam referri. Qui sunt ergo*) ultra mare.

Et in nomine Insulæ mutatur numerus, quia Propheta non unam duntaxat insulam designat: sed regiones transmarinas. Quidam hoc restringunt ad Cyprum, & Cretam, & Mitylenem, & alias insulas mediterraneas. Sed linguæ Hebrææ trita est loquutio, omnes regiones transmare sitas vocari Insulas:
Psal. 72. Reges insularum venient. quosnam vocat illic Pro-
vers. 10. pheta Reges insularum? nempe qui navibus venturi erant in Judæam. Sic etiam hoc loco reges Insulæ possumus intelligere quicunque transmarini erant. Videmus nunc non unius tantum temporis Reges citari ad Dei judicium. quorsum enim diceret Propheta Omnes reges Tyri & omnes reges Sidonis? an duæ istæ urbes poterant habere quatuor vel decem reges? Sed ratio illa notanda est quam adduxi, nempe admonitos fuisse filios Dei, ne nimis fervido impetu optarent sibi complementum hujus prophetiæ monstrari. Perinde igitur est acsi dixisset, quamvis non eveniat in rege Tyri, vel Sidonis, qui hodie solio præsidet, tamen jam incumbit cunctis regibus Dei vindicta, quæ suo tempore patefiet. Scimus Tyrum & Sidonem fuisse urbes Phœniciæ, & quidem nobilissimas: & Tyrus plures longe colonias habuit, inter quas præcipua fuit Carthago: & illic quotannis etiam Carthaginenses munus offerebant honoris causa, ut agnoscerent se illinc oriundos. Tyrus autem erat colonia Sidonis, ut narrant historici: sed prævaluit, & ita filia voravit matrem. Cæterum, satis apparet Jesaiæ & Jeremiæ tempore fuisse illic reges: sed tempore Alexandri erat liber status utriusque urbis. nam multæ contigerant mutationes ab eo tempore. Nunc simpliciter dicit Propheta, Tyrum & Sidonem simul implicitas fuisse iisdem pœnis, quas denunciavit tam regibus, quam populis. Sequitur,

23. Et Dedan, & Thema, & Buz, & cunctis terminatis in angulo. (*alii vertunt, attonsos coma, sicuti etiam 9. cap. sed illic de hac voce dixi quantum ferebat locus.*)

Tantum nunc breviter perstringam, nempe vocari Extremos anguli, vel terminatos angulo qui fere incogniti erant Judæis propter locorum distantiam. Postquam igitur loquutus est de populis tam valde remotis, ne prolixo sermone tædium pariat, dicit *omnes extremos anguli*, hoc est, qui terminati sunt ultimis finibus. Quod ad *Dedan, & Thema, & Buz*, spectat, scimus regiones illas nomen sumpsisse à suis auctoribus. Quis fuerit Dedan tenendum est ex Mose, similiter quis fuerit Thema, & Buz. Nam fuerunt Genes. 25.
duo filii Abrahæ ex Cethura: & non opus est diu- v 3, 15.
tius insistere in his rebus, quia regiones illæ hodie 1 Chro. 5.
non possunt à nobis distingui, nec potest satis col- vers. 14.
ligi ex Geographis quanta, vel quam ampla fuerit unaquæque regio. Nam nullus fuit locus, quo tempore cœperunt scribere profani homines, qui non pridem nomen mutasset: colligimus tamen fuisse etiam Orientales populos. Sequitur,

24. Et omnibus regibus Arabiæ, & omnibus regibus, *vertunt iterum*, Arabiæ, *sed mihi non placet, neque unquam mihi persuadebunt Interpretes, qui tamen in hoc consentiunt, repeti proprium Arabiæ nomen: cunctos reges, potius vertam promiscui vulgi, vel gentium hinc inde collectarum*, qui habitant in deserto.

Nunc Propheta loquitur de regibus Arabiæ, qui vicini, sed alia ex parte, erant Judæis. nam hactenus recensuit populos, qui ad mare vergebant. Posuit enim multas urbes maritimas, deinde alias, quæ tametsi distabant aliquo spatio à mari, non tamen procul aberant. Nam erant intermediæ illæ urbes, vel regiones inter Judæam, & Syriam vel Ciliciam, vel ultra tendebant, nempe versus Ciliciam. Nunc loquitur de Arabia, quæ media erat inter Ægyptum & Babylonem respectu Judææ. Arabia autem quamvis sit triplex, tamen sterilis erat in illa vicinia. Ergo nulla fuit pars Arabiæ, quæ non posset vocari desertum. Cæterum, Propheta hic primo loco ponit *Reges Arabiæ*, deinde ponit *Reges illos miscellaneos*, ut ita loquar, hoc est, qui dominabantur in regionibus desertis, & nullo fere erant nomine. Scimus enim fuisse latrunculos: & Arabes vocati sunt in una parte Schenitæ, propterea quod habitabant in tabernaculis. Ego igitur per contemptum interpretor, hic vocari Reges promiscui vulgi, qui non pollebant magna dignitate, vel opulentia: & ideo adjungit Propheta, *qui habitant in deserto*, hoc est, qui sunt dispersi. Sequitur,

25. Et

25. **Et omnibus regibus Zimri, & omnibus regibus Elam, & omnibus regibus Medorum.**

Nunc commemorat populos remotiores, sed quorum fama erat magis celebris apud Judæos. Scimus enim Elamitas, qui medii fuerunt inter Mediam, & Persiden, fuisse semper magni nominis. quantum ad Medos spectat, fuit illud regnum valde amplum, & opulentum, refertum omnibus deliciis: deinde scimus quam sumptuosi fuerint Medi. Quantum ad Zimri spectat, fuit populus ille ignobilis, si confertur cum Elamitis, & cum Medis: tamen significat Propheta, quicquid terrarum vel exiguo aliquo regno cognitum erat Judæis, fore obnoxium judicio Dei, ita ut tota terra quaquaversum restis futura sit, Deum sedere in cælo judicem. Sequitur,

26. **Et omnibus regibus Aquilonis, tam iis qui propinqui sunt, quam qui remoti, viro (*hoc est, cuique*) contra fratrem suum; & omnibus regnis terræ, quæ sunt super faciem terræ: (*mutatur quidem nomen, ponit* הארץ, *ponit* האדמה) & rex Sesach bibet post eos.**

Nunc loquitur Propheta de regibus Septentrionis, qui vicini erant regi Babylonio. nam respectu Judææ, Babylon erat Septentrionalis. Vocat igitur omnes reges Aquilonares, qui tendebant ad partem illam, vel plagam Chaldææ. Postea dicit, *Sive propinqui sint, sive remoti, quisque erit contra fratrem suum: omnia denique regna terræ super faciem terræ.* Non dubium est quin Propheta ad ultimum locum rejecerit Chaldæos cum Rege suo, ut videbimus. Ergo probabile est, quicquid hic prædicit, fuisse completum manu & opera regis Babylonii, qui exequutus est Dei vindictam contra hos omnes populos. Deus ergo elegit sibi Regem Chaldææ tanquam flagellum, & manu sua direxit, ut pœnas exigeret de omnibus terris, quarum hic facta fuit mentio. Jam admonui non fuisse hoc prædictum Judæis, ut sentirent aliquam mitigationem doloris sui ex sociis, quia scilicet nihilo melior esset aliorum conditio: sed aliud fuisse Deo propositum, nempe ut in tanta rerum omnium perturbatione quum viderent cælum terræ misceri, ut ita loquar, scirent tamen nihil cæco fortunæ arbitrio versari. Deus enim quod facturus erat jam testatus fuerat per os servi sui: & ex ipso vaticinio colligere promptum erat, illas omnes conversiones, & turbulentos motus non aliunde proficisci quam à Dei judicio. Postquam autem Propheta docuit instare gravissimas clades populis omnibus, qui Judæis erant vicini, aut quorum fama ad eos pervenerat, postremo loco dicit, *Rex Sesach bibet post eos.* Hactenus Propheta visus est eximere ab omni molestia & periculo regem Babylonis: collegit omnes populos, & quidem non tantum loquutus est de vicinis, qui fere contigui erant Judææ: sed de Persis, & Medis, & reliquis. Quorsum igitur hoc tendebat, si præteritus fuisset rex Babylonis? nam poterat quæri, quomodo hoc esset consentaneum, ut tyrannus ille impune effugeret pœnam, quum tamen esset omnium crudelissimus, & maxime sceleratus. Ergo nunc Propheta dicit regem Babylonis, utcunque grassetur ejus violentia per omnes populos, & impune lasciviat: tamen venturum suo tempore ad reddendam rationem. Summa igitur est, Deum pœnam differre adversus Chaldæos, donec eorum opera usus fuerit ad perdendas omnes gentes, de quibus hactenus disseruit Jeremias. Cur autem vocet regem Babylonis *regem Sesach*, hic exoritur quæstio: & quidam malunt simpliciter accipere de rege ignoto, quoniam scimus proprium fuisse nomen viri: sicuti patet ex quibusdam Sacræ historiæ locis. (1 Reg. 11. vers. 40. 2 Chr. 12. vers. 2.) Sed sententia illa nihil habet firmi: quia non dubium est quin Propheta hic loquatur de insigni aliquo Rege: deinde, non dubium est quin moneat tanquam de re maxime seria, non esse cur mora contabescant piorum animi, si videant regem istum Sesach non statim una cum aliis trahi ad pœnas. Alii divinant Sesach fuisse urbem præclaram in Chaldæa. sed nulla necessitas cogit tam leves & frivolas conjecturas arripere. Non dubito igitur quin recta sit illa sententia, quam sequutus est Chaldæus interpres, quod scilicet Sesach sit Babel. Nam quod Alphabetum hodie Judæi nominant אתבש, non est novum commentum. Apparet ex Hieronymo fuisse illam diuturnam observationem. nam petit illud tanquam ex ultima vetustate, quod scilicet haberent Alphabetum retrogradum, ut ita loquar. Ponebant igitur loco א ultimam ת hoc est, primo loco literam ת, ut deinde ponerent ש loco ב. ב autem est in medio alphabeto: & ideo Sesach vocatur Babel: & hoc optime convenit, quod scilicet Propheta hic obscuro nomine designaverit Babylonem. Sed tollitur omnis ambiguitas ex alio Prophetæ loco. Nam 51. cap. dicit, Quomodo diruta est Sesach? quomodo hæc gloria, vel laus totius terræ intercidit? quomodo Babylon eversa est? (infra 51. vers. 41.) certe illic seipsum explicat Propheta. nec opus est igitur aliunde petere interpretationem: quia scimus hoc satis tritum esse Prophetis, ut aliis verbis idem repetant. Quoniam igitur priore membro posuerat Sesach, ne quid maneat ambiguum, ponit Babylonem. Sed hic exoritur alia quæstio, cur Propheta scilicet non aperte, & ingenue denunciaverit interitum tam regi quam populo Chaldaico. Multi existimant prudenter hoc fuisse factum, ne crearet invidiam populo suo. Et Hieronymus adducit locum Pauli, sed perperam, quum dicit ad Thess. *Donec venerit defectio:* (2 Thess. 2. vers. 3.) quoniam male intellexerat locum illum Pauli: putabat enim hic agi de Romano Imperio: & error traxit errorem, dum putavit Paulum fuisse cautum, ut non concitaret rabiem Imperatoris Romani adversus Ecclesiam. sed nihil tale est. Qui autem repudiant sententiam, quæ verissima est, quod scilicet Sesach nihil aliud sit quam Babylon, utuntur hoc argumento, nempe non fuisse Prophetam adeo timidum, quin de Babylonio diceret quod dicendum erat, sicuti ex aliis locis jam ante vidimus, & patebit iterum clarius. Ego autem non fatebor Prophetam fuisse timidum, quem videmus intrepide obtemperasse Deo, ita ut inter ipsas medias mortes, ut ita loquar, firmus tamen steterit: sed alia de causa potius factum fuisse arbitror, ut obscurius nomen poneret, nempe ut Judæi scirent non esse festinandum, quum prædicta fuisset pœna Babyloni, quia hoc esset vaticinium quasi sepultum. ita ut nomen ipsum Propheta reticeret. Noluit igitur consulere Ecclesiæ paci, neque reveritus est Chaldæos, ne scilicet eorum rabiem adversus Dei populum accenderet, nihil tale spectavit, sed potius voluit frenum injicere nimiæ festinationi: quia & ex contextu hoc apparet: *Bibet*, inquit, *rex Sesach post eos*, hoc est, necesse est omnes populos istos perire antequam Deus attingat regem Babylonis. Erit igitur non tantum otiosus spectator omnium cladium, sed grassabitur ejus sævitia per omnes terras, donec pervenerit usque ad cumulum. *Tunc* autem *bibet post reliquos.* Potuit autem videri hæc frigida esse consolatio, quod Deus tam longo tempore ignosceret regi Babylonio. Sed oportuit tamen in hac admonitione acquiescere omnes Dei filios, nempe ut quum reputarent ordine suo singulos populos manu Dei affligi, statuerent regi etiam Babylonio fore suas vices, & ita seipsos cohiberent, ne præcipiti desiderio ferrentur ad expetendam ejus pœnam, sed patienter tolerarent impositum sibi jugum tyrannidis, donec veniret maturum tempus, de quo admoniti fuerant. Sequitur,

27. Et dices ad eos, Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Bibite, & inebriamini, vomite, & cadite, & ne surgatis à facie gladii, quem ego mitto inter vos.

Hic redit Propheta ad superiorem sermonem. Dixerat calicem sibi fuisse porrectum è manu Dei, nempe ut eum propinaret cunctis gentibus. Idem ergo repetit nunc, & confirmat, non quod nuncium hunc pertulerit ad cunctas gentes. diximus enim utilitatam ex bis vaticiniis rediisse ad solos Judæos. Nunquam sciverunt vel Tyrii, vel Sidonii se tuoc affligi Dei manu, quum spoliati sunt ab hostibus, nunquam boc illis venit in mentem, neque etiam edocti fuerant: argo Propheta non fuit illis doctor ordinatus, sed tantum debuit geotem suam monere. Quo tamen major auctoritas constaret vaticiniis, bic introducitur Propbera tanquam Dei præco, qui denuncier cladem cunctis gentibus. *Tu* ergo *dices illis, Sic dicit Jebovah.* Incognitus erat verus Deus profanis illis populis, nisi quod audierant Deum coli in Judæa: sed interea spernebant, imo pessime nbominabantur veram religionem. Sed quemadmodum jam dixi, Propheta alloquitur suos gentiles, & solos Judæos, quamvis de exteris illis & remotis gentibus sermonem habeat. Non possem nunc ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot documenta nobis versantur ante oculos & judiciorum tuorum, & bonitatis tuæ, ut proficiamus in timore nominis tui, neque iram tuam pergamus in nos magis accendere: sed vera resipiscentia tacti quæramus reconciliari tecum: deinde ut miserti etiam tot malorum, quibus hodie mundus affligitur, studeamus revocare in viam eos, qui videntur devoti esse suo exitio, ut ita quum ad te conversi fuerint qui nunc sunt prorsus remoti & alieni, magis glorificetur nomen tuum, & prædicetur à nobis uno consensu, in eodem Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA SEPTIMA
IN
JEREMIAM.

COEpimus heri exponere sententiam Jeremiæ, ubi jubet *gentes omnes bibere ex calice usque ad ebrietatem.* De metaphora Calicis jam dictum fuit: ratio est, quia Deus pro immensa sua sapientia novit vel quid quisque sit meritus, vel quomodo rectum sit nunc levius, nunc gravius castigari. Quoniam ergo non est æqualis modus, aptissime convenit similitudo calicis. Cæterum, propinat Deus interdum calicem, ut tantum gustet qui non posset ferre gravius judicium. Scimus enim Deum erga robustos & pervicaces agere multo durius: si quis autem debilior sit, tractatur clementer, & tantum libat vel gustat ex calice. Sed Propheta hic dicit bibendum esse omnibus populis usque ad ebrietatem: quemadmodum alio loco dicitur, Etiam (*Abdiæ 1. vers. 16.*) fæces ipsas exhaurient, quum de profanis Gentibus agitur. Inebriat autem, ut ante dixi, homines Deus, vel quum illos excæcat, & mittit spiritum vertiginis, aut stuporis. Sed refertur nunc verbum inebriandi ad externas castigationes. *Bibite* ergo, *& inebriamini*, boc est, ne putetis vos defunctos esse, ubi cœperit Deus exigere pœnam de vobis: illa esset unica potio: sed Dominus vos penitus inebriabit: & ideo adjungit, *vomite, & cadite.* nam qui ita ebrii sunt, ut sese ingurgitaverint, & crapula fere sint turgidi, illos necesse est vomere. Vomitus autem generat concussionem cerebri: ita pedes officium suum amplius non faciunt, imo nulla corporis pars facultatem suam retinet. Summa est igitur, quia Deus longo tempore distulerat suum judicium, & populi omnes obduruerant quum sua patientia illos invitaret ad resipiscentiam, nunc gravissimam vindictam instare omnibus illis, quæ moram vel diuturnitatem compenset. Quod autem binc colligunt quidam Interpretes, nihil profuturas omnibus populis pœnas esse, de quibus nunc concionatur Propheta, hoc mihi firmum non videtur. Nam loquutus est de electo populo. Certum autem est, aliquos resipuisse, utcunque fuerint exiguus numerus. Deinde, videbimus promitti etiam Gentibus profanis veniam, & salutem, postquam sua judicia adversus illas Deus exercuerit. Simpliciter igitur interpretor hæc verba, quod non tantum gustabunt ex calice Domini, sed bibent ultra satietatem, ut similes futuri sint ebriis, imo attonitis, quia gravitas pœnarum illis mentem excutiet. Nihilo solidior est ratio Hieronymi, quum dicit tantum ad reprobos spectare Prophetæ sermonem, quoniam subjicit, *& ne surgatis.* Putat Hieronymus hoc verbo designari ultimam desperationem: sed Propheta, meo judicio, nihil aliud intelligit, quam fore adeo atrocem Dei vindictam adversus omnes populos, ut post diuturnum tempus maneant vestigia: quemadmodum si quis ebrius non possit tota nocte, & toto die exhalare crapulam, sed stupidus sit usque ad tædium, vel etiam phrenetide laboret. boc idem intelligit Propheta, quum dicit, *Ne surgatis.* Jam sequitur, *à facie gladii, quem ego mitto inter vos.* Sine figura nunc exprimit quod de ebrietate & vomitu dixerat, nempe quia tantus borror occupabit eorum mentes, ut jaceant prorsus attoniti. Sed gladium se pronunciat Deus missurum adversus illos, ut intelligant Judæi, quemadmodum jam ante dictum fuit, ubi omnia fere permixta fuerint, dominari tamen moderatum Dei judicium. Nunc sequitur,

28. Et erit, si renuerint ad sumendum (*hoc est, sumere*) calicem è manu tua ad bibendum, tunc dices ad eos, (*copula enim debet resolvi in adverbium temporis*) Sic dicit Jehovah exercituum, Bibendo bibetis.

Hoc versu significat Propheta, quantumvis refractariæ sint gentes, nihil tamen sua contumacia profecturas, quin velint nolint cogentur bibere ex calice. Sed ut vehementior sit oratio, inducit ipsas renuentes: *Si recusaverint accipere calicem*, inquit Deus, *dices, Bibendo bibetis.* Diximus antehac, Prophetam non fuisse præfectum Gentibus doctorem. Ergo hæc doctrina nihil ad exteros: sed tota ejus utilitas residere debuit in Ecclesia Dei: ideo respectu populi Dei boc dicitur, ut sciant, postquam Deus sumere de sceleribus hominum pœnam decrevit, omnes qui obnoxii sunt ejus judicio, non posse effugere. Sunt quidem sæpe homines equis pervicacibus similes, qui calcitrant, & ferociunt, & tumultuantur adversus sessorem suum, & mordent etiam: sed Propheta significat Deum instructum esse potentia, qua compescat talem contumaciam. Breviter tamen admonet quam sint immorigeri plerique, imo fere omnes, ubi castigantur Dei manu. Rarum enim est exemplum, ut qui peccavit, libenter & pla-

cide

fide subjiciat se Deo, & agnoscat se juste puniri. imo qui fatentur se gravius aliquid meritos, fremunt nihilominus adversus Deum, quia exhorrent vindictam ejus: non sentiunt autem misericordiam, neque quicquam sibi veniæ promittunt. Non mirum est igitur, quod Propheta hic tribuit profanis hominibus, tam Judæis quam exteris, ingenium durum & rebelle, ut calcitrent adversus Deum, & conentur se subtrahere ex ejus manu: denique modis omnibus studeant effugere judicium ejus. Hæc ratio est cur dicat, *Si renuant sumere calicem è manu tua.* Ergo hoc videmus non debere referri simpliciter ad verba. neque enim Propheta cum illis extraneis loquutus est, sed rem ipsam, vel affectum potius spectavit. Nam fuit in illis gentibus aliquid potentiæ: nec dubium est quin ferventer incubuerint ad defensionem suæ salutis. Hoc igitur fuit renuere, de quo nunc loquitur Propheta. nam quum hostis aggressus est Moabitas, non statim cesserunt: idem etiam aliis contigit. Tyrus erat fere inexpugnabilis. erat enim sita in medio mari: unde facillimum fuit arcere omnes hostes ab accessu. Quum igitur pertinaciter resisterent suis hostibus, dicuntur *renuisse calicem è manu Dei*, quia visi sunt sibi posse depellere malum quod instabat. Sed utcunque putarent se fore invictos, & confisi sua poteotia, acriter sese opponerent hostibus, dicit tamen Deus irritos fore conatus illos, & inutiles: *Bibendo*, inquit, *bibetis*. Sequitur ratio:

29. Quia ecce in urbe in qua invocatum est nomen meum super eam, ego incipio ad malefaciendum, (*ad malum inferendum*) & vos innoxii eritis? non eritis innoxii: quia gladium ego advoco super omnes incolas terræ, dicit Jehovah exercituum.

Probatio ex comparatione minoris & majoris additur. sic enim ratiocinatur Propheta, Si Deus sanctæ urbi non parcit, in qua sibi delegit Templum, & voluit nomen suum invocari, quomodo ignosceret extraneis, quibus nihil unquam pollicitus est: quia ducebat pro alienis? ergo si lignum viride consumitur, aridum non manebit salvum. hæc summa est. Idem argumentum aliis verbis exequitur Apostolus.
1 Pet. 4. vers. 17. Postquam enim dixit judicium incipere à domo Dei, continuo post subjicit, Quam horribilis ergo vindicta ipsius Dei apertos hostes manet? Atque hinc colligitur ntilis doctrina. Si enim Deus non tantum promiscue se vindicem scelerum fore assereret, sed citaret primo loco ad tribunal suum Ecclesiam, quam elegit, posset videri deterior ejus conditio quam aliarum gentium. Ergo possent piorum animi concidere, si ita secum reputarent, Videtur hoc singulare Dei beneficium esse, quod nos sibi propius adjunxit: atqui cedit hic honor in pœnam duntaxat. Deus enim connivet ad scelera Gentium, & videtur illa oblivione sepelire: simul autem atque lapsi sumus, sentimus signa iræ ejus. Præstaret igitur nos procul ab ipso distare, eumque non gerere tam sollicitam nostri curam. Fideles igitur hoc modo præferrent sibi incredulos. Sed hæc doctrina mitigat omnem acerbitatem doloris, qui alioqui posset nos ad amarulentiam provocare. Nam quum hoc nobis proponitur, Deum incipere ab Ecclesia, ut longe gravius sæviat contra incredulos, ubi diu ipsos toleraverit, atque ita longe gravius pereant quam ipsi fideles, quemadmodum lignum aridum citius consumitur quam viride: quum ergo hoc nobis proponitur, certe habemus materiam non parvi solatii, nec vulgaris. Videmus ergo quorsum hoc addiderit Jeremias, nempe quantumvis Gentes reluctentur adversus Deum, cessuras tamen velint nolint, quia Deus erit potentior: ratio? nempe quum Deus electo populo non parcat, quomodo impune illuderent ei profanæ Gentes, & non sentirent ipsum esse totius mundi judicem? Ergo veniat nobis in mentem hæc doctrina quoties caro nostra ad fremitum nos impellit, vel ad impatientiam, melius nobiscum agi, quod incipit Deus à nobis, quia tandem trahentur etiam suo ordine profanæ Gentes ad interitum: nos autem tantum temporalibus pœnis defungi, ut Deus tandem pro paterno suo favore nos erigat. Et ideo etiam
2 Thess. 1. vers. 4.5. Paulus dicit hanc esse demonstrationem justi judicii Dei, dum fideles subjiciuntur multis miseriis. quum enim Deus filios suos castiget, quorum tamen obsequium probat, nonne quasi in speculo licet contemplari quod adhuc occultum est? nempe horribilem pœnam incumbere omnibus incredulis. Deus ergo repræsentat hodie nobis interitum hostium suorum, dum nos paterno more castigat: & hæc est certa demonstratio, aut viva imago judicii ejus, quod increduli non metuunt, sed secure rident. Dicit autem, *Ecce incipio ad malum inferendum.* הרע est malefacere proprie: & dura esset loquutio, quum Deus dicitur malefacere, nisi quod debet communis usus eam mollire. Qui mediocriter exercitati sunt in Scriptura, sciunt vocari mala res adversas, nempe hominum sensu. Dicitur ergo Dominus malum inferre hominibus, non quod noceat ipsis, vel quod inique aut crudeliter sæviat in eos: sed quoniam quicquid adversum est hominum animo, sentiunt & vocant malum. *Incipio* igitur *malefacere in urbe, in qua invocatum est nomen meum super eam.* Dicitur invocari nomen Dei super aliquem populum, ubi se promisit fore custodem & tutorem illius populi: dicitur etiam invocari nomen ejus, quum homines ad ejus fidem & turelam se conferunt. Sed tenenda est genuina significatio, quod invocetur nomen Dei super aliquem populum, ubi populus censetur esse sub ejus fide & custodia: quemadmodum nomen Dei invocatum est super filios Abrahæ, quia pollicitus fuerat se illis fore in Deum, & gloriabantur se esse peculiarem ejus populum, nempe adoptionis gratia. Ita invocatum fuit nomen Dei super Jerosolymam, quoniam illic erat Templum & Altare, & quoniam Deus vocabat quietem suam vel domicilium, ideo nomen ejus fuit illic celebre. & hoc est quod Gallice dicimus, *Se reclamer: il se reclame d'un tel*: nempe qui hunc vel illum sibi patronum esse asserit, ut sub ejus præsidio lateat. Sic etiam Judæi olim invocarunt nomen Dei, quum dicerent se ab ipso electos esse in populum. imo etiam hoc refertur ad homines: invocatum fuit nomen Jacob, Isaac, & Abrahæ super duodecim Tribus, quia scilicet quum vellent recumbere in fœdus Dei, originem suam reputabant, & quia erant progeniti ex sanctis Patribus, cum quibus pepigerat fœdus suum Deus, & quibus pollicitus fuerat se semper fore illis in Deum: Israelitæ omnes invocabant Abraham: non quod cultum illi offerrent, sed quia quum essent ejus soboles, merito statuere poterant fœdus gratuitum, quo Deus illos sibi adoptaverat, transmissum ad se fuisse. Sed etiam alio sensu potest sumi invocatio, quoniam scilicet quotidie sacrificiis Deum placabant, & precibus: ubi salutem suam commendabant Deo, semper conjunctum erat sacrificium, & simul promissa erat illis expiatio. Posset igitur hoc modo sumi verbum Invocari, vel invocatum est, נקרא: quod scilicet Deum scirent sibi esse propitium, si ex animo resipiscerent. Quum ergo invocatum esset nomen Dei in urbe illa, qui fieri potuit, ut Gentes impune evaderent judicium, cui subjecta fuerat Sancta civitas? Sed prior expositio mihi magis placet. & non dubium est, quin Deus hic loquatur de gratuita adoptione, qua adoptaverat sibi populum illum: inde invocatio, vel gloriatio de qua nunc agitur. Quoniam

autem difficile erat persuadere Israëlitis quod dixerat Propheta, ideo inculcat: verbo eodem repetit rem satis per se claram: *Et vos*, inquit. non dicit tantum תנקו, sed ponit הנקה, *an innoxii essendo eritis innoxii?* & ita refellit perversam contumaciam, qua potemat turgere Gentes, quum & suas opes, & multitudinem, & alia spectarent: deinde quum spernerent quicquid Prophetæ Jerosolymæ clamabant. hoc enim nihil ad ipsos. Et interrogatio per se est emphatica, *Vosne? possetisne esse ullo modo innoxii?* נקה significat esse innoxium, sed transfertur ad pœnam, sicuti עון significat ipsam iniquitatem: sed à culpa ad pœnam transfertur. Sic dicitur non fore innoxius, qui non poterit se eximere à judicio Dei, neque immunis esse. Confirmat hanc sententiam quum dicit, *Quia gladium ego advoco super omnes incolas terræ, dicit Jehovah exercituum.* Hæc confirmatio minime supervacua est, quia creverat insolentia Gentium ex tolerantia Dei, quum longo tempore, imo multis jam seculis fuissent quieti, & deliciis suis vacassent, & dormiissent quasi in suis fæcibus, ut alibi dicitur. Propheta igitur nunc pronunciat *Deum advocare gladium super omnes incolas terræ.* Nam sæpius, & variis modis populum suum castigaverat, quum Gentes essent extra omne periculum, & extra omnem molestiam. Dicit autem nunc *se gladium advocare*, quo persequatur omnes illos, quibus visus fuerat ignoscere. Dicitur autem Deus advocare tam gladium, quam homines. nam dicitur Nabuchadnezer pugnasse sub Dei auspiciis: dicitur fuisse quasi conductitius miles. Sed de gladio nunc loquitur Deus, ut sciamus in arbitrio ejus esse, movere bella, & sedare, quoties visum est: & ita gladium, tametsi gestatur manu hominis, non moveri tamen hominis arbitrio, sed Dei arcano impulsu. Sequitur, Jere. 48. vers. 11.

30. Et tu prophetabis ad eos (*vel, contra eos*) omnia verba hæc: & dices illis, Jehovah ab excelso rugiet, & ex habitaculo sanctitatis suæ edet vocem suam: rugiendo rugiet super habitaculum suum, celeusma (*clamorem potius generaliter*) quasi prementium torcular respondebit super cunctos incolas terræ.

Nomen הידד vertunt Celeuma, vel celeusma: aliis magis placet vertere Lugubrem cantionem. sed sæpius occurrit quum agitur de vindemiis. Celeusma autem nauticum est, quemadmodum scitur. etymologia quidem est genemlis, & κελεύειν est hortari: & celeusma nihil est aliud quam exhortatio. Sed quoniam vox illa tantum de nautis reperitur, ideo mihi magis placuit ponere Clamoris nomen. Dicit igitur, *Tu propheta contra eos hos omnes sermones, dicendo ad eos.* Jam admonui Prophetæ non fuisse datum mandatum, ut descenderet ad gentes, & singulas alloqueretur: denique ut obiret munus Propheticum apud illas. Sed quamvis pedem urbe non moveret, effectus tamen prophetiæ penetravit ad omnes terræ plagas. Non fuit igitur præconium Jeremiæ vanum, quia intellexerunt Judæi ipso eventu in lingua sancti viri fuisse Spiritus potentiam in salutem omnium piorum, & ad perdendos omnes incredulos. Hoc sensu igitur iterum mandat Deus, ac præcipit, *ut prophetet contra gentes, & ipsis dicat*, non quod sermonem ad illas direxerit: sed quum Judæos doceret, habuit ejus doctrina effectum in omnibus populis. Dicit autem, *Deus ab excelso rugiet, & ex habitaculo sanctitatis suæ edet vocem suam.* Metaphora rugitus satis trita est. Videtur quidem duriter hoc pronunciari de ipso Deo: sed scimus quam tardi sint homines, & quam sibi indulgeant in sua socordia, quamvis Deus illis minetur. Ergo Deus hyperbolicas loquendi formas usurpans, coarguit hominum stuporem, quia non possit eos loquendo movere, nisi modum excedat. Hæc igitur ratio est cur se leoni comparet, non quod imaginari oporteat esse quicquam in eo truculentum, aut sævum: sed jam dixi, non posse aliter affici homines, nisi Deus alienam personam induat, & prodeat in medium tan-
Psal. 86. quam leo, qui tamen non frustra alibi asserit se tardum ad iram, propensum ad misericordiam, & longæ patientiæ, & quod sequitur. Sciamus itaque damnari impium contemptum, quo fere omnes fascinati sunt, ubi Deus ita se transfigurat, & cogitur se facere similem leoni. Dicit autem, *Rugiet Deus ab excelso, & ex habitaculo sanctitatis suæ dabit vocem suam.* Quum de Excelso loquitur, probabile est designari cælum. Habitaculum autem sanctitatis sæpe accipitur pro Sanctuario, vel Templo. sed aliis locis, ubi idem repetitur, vocatur etiam cælum habitatio sancta Dei, vel sanctitatis. Interea nihil erit absurdi, si dicamus Prophetam hoc loco alludere ad Templum, & ita alludere, ut Judæos attollat sursum, qui defixi erant in externo Templi conspectu. imo circumstantia loci id postulat. Perperam quidem putabant Deum sibi esse alligatum, quia dictum fuerat, Hæc requies mea in seculum seculi: Psal. 132.
hic residebit nomen meum, & virtus. Perperam putabant nullum esse Deum, nisi inclusus esset in illo vers. 14.
visibili & externo Sanctuario. Hinc illa superbia, quam objurgat Jesaias, & in quam severe invehitur quum dicit, Quisnam locus requieti meæ? cælum Jesa. 66.
est sedes mea, & terra scabellum pedum meorum. vers. 1.
Quem locum igitur mihi ædificabitis? illic Propheta non simpliciter contra superstitionem disputat, ut multi existimant: sed potius retundit stultam arrogantiam, quod scilicet populus putabat Deum non posse ab illo materiali Templo unquam avelli. Cæterum, modo tollantur vitia, non de nihilo Templum nomen obtinuit regiæ Dei sedis. Sic nunc Propheta, quamvis Deum supra cælos attollat, simul ad Sanctuarium visibile alludit, quum dicit, *Rugiet Deus ab excelso, & ex habitaculo sanctitatis suæ edet vocem suam:* hoc est, quamvis putent gentes, Deum in angulo sedere, & quiescere, solium tamen illius in cælo est. nec obstat terrestre quod sibi elegit domicilium, quin sit imperium totius terræ penes illum: ideoque extendet vindictæ suæ documenta adversus omnes populos: verum in gratiam Ecclesiæ suæ, acsi è Templo prodiret. & iterum repetit, *Rugiendo rugiet super habitaculum suum.* Hieronymus solet vertere nomen hoc, Decorem, pulchritudinem: & tamen locus hic satis convincit non posse aliter accipi, quam de habitaculo, ut multi alii. Postea descendit ad aliam figuram: quod scilicet *respondebit clamorem tanquam prementium torcular super cunctos habitatores terræ.* Hæc repetitio & varietas sermonis confirmat quod dixi, nempe Deum hyperbolice prædicare vehementiam suæ vocis, ut terrorem securis & torpidis incutiat. Et videtur hic Prophetam innuere, quamvis nullus hortator accedat, tamen satis violentam fore Dei vocem. Qui enim torcular premunt, invicem, & mutuo clamore sese incitant, alius alium advocat, & ita sese acuunt ad diligentiam. Est igitur mutuus aliquis consensus tam inter nautas, ubi canunt suum celeusma, quam inter operarios qui uvas premunt in torculari. Sed quamvis Deo nullus adsit hortator, ipse sibi sufficiet. *Respondebit* ergo. poterat Propheta aliud verbum ponere, sed dicit, *respondebit* & cui? nempe sibiipsi, hoc est, etiamsi omnes conspirent ad extinguendam Dei vindictam, tamen ipse superior evadet, neque opus habebit alieno subsidio. Tandem sequitur,

31. Per-

31. Pervenit (*hoc est, perveniet*) sonitus (*vel impetus*) ad extremitatem terræ: quia lis Jehovæ cum gentibus, judicium (*id est, contentio, vel disceptatio*) ei contra omnem carnem: impios dabit ipsos (*tradet*) ad gladium, dicit Jehovah.

Prosequitur eandem sententiam: dicit tam horribilem fore impetum, ut penetret usque ad extremas mundi partes. שאון significat Strepitum, vel sonitum: accipitur tamen pro violentia, & impetu: & uterque sensus non male quadrat præsenti loco. *Sonitus* ergo, vel impetus, *perveniet usque ad extremas partes terræ.* Jam sequitur, quod lis sit Deo cum omnibus populis: ubi videtur Propheta occurrere quæstioni quæ moveri poterat, Quid hoc sibi vult, Deum tam repente tumultuari, quum multis seculis fuerit quietus, nec signum aliquod dederit suæ vindictæ? Nam diximus gentes illas, quarum facta fuit mentio, diu fuisse tranquillas. Ergo respondet Propheta objectioni tacitæ, & dicit *nunc litem esse Deo.* Non semper est litigandi tempus: qui adversarium suum non statim apud judicem aggreditur, sed blande cum ipso agit, & cupit amice ab ipso impetrare quod rectum est, ille nihil remittit de jure suo. Nam ubi expertus fuerit talem contumaciam in adversario suo, ut nihil humaniter agendo proficiat, poterit tunc cum ipso litigare. Idem ergo nunc exprimitur à Propheta, quod scil. *Deus nunc litiget cum gentibus, & disceptet cum universa carne.* Deus quidem proprie loquendo judex est mundi, neque vel in cælo, vel in terra arbiter, aut judex reperietur coram quo disceptet: sed loquutio tamen hæc digna est notatu, quia Deus omnes querimonias refutat, quibus solent contra ipsum insurgere homines. Nam qui centies male conscii sibi erunt, tamen obstrepent Deo, si severius ipsos puniat, & dicent se plecti ultra meritum. Deus ergo hac ratione dicit, quum pœnam exigit, se non exercere potentiam tyrannicam, sed perinde esse acsi disceptaret cum peccatoribus. Interea commendat bonitatem suam à fine pœnarum, quod scilicet nihil aliud spectet, ubi rigidus est in puniendis sceleribus, nisi ut jus suum impetret: & quum non potest hoc blande agendo, extorqueat quasi legum auxilio. Notemus ergo nihil detrahi potentiæ vel summo imperio Dei, ubi dicit se disceptare vel litigare cum hominibus: sed ita refutari omnes obstreperas voces, quibus adversus ipsum fremunt impii, quasi sine modo in ipsos sæviret: deinde finis notatur omnium pœnarum, quod scilicet Deus descendat tanquam pars adversa, & non aliud habeat propositum, quam ut nos ad rationem & æquitatem adducat: quemadmodum qui experitur apud judicem, ille certe vellet transigere, si fieri posset, cum suo reo. Sed quia videt nihil esse spei, ideo ad remedium illud sese confert. Ita Deus nobiscum disceptat: quia nisi essemus prorsus desperati, possemus tandem cum ipso redire in gratiam, & parata nobis esset reconciliatio, si tantum jus illi suum permitteremus.

Da omnipotens Deus, quando tot modis nos ad te assidue reducere studes, da, inquam, ne indomita contumacia repellamus tam sanctas & humanas tuas admonitiones: deinde etiam ne torpeamus in nostro veterno, sed sollicite ad te confugiamus, & sic suppliciter deprecemur veniam, ut simul ostendamus serium & continuum resipiscendi studium, ut in modis omnibus nomen tuum in nobis glorificetur, donec perveniamus ad cælestem tuam gloriam, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA OCTAVA.

IN

J E R E M I A M.

32. Sic dicit Jehovah exercituum, Ecce malum egredietur à gente in gentem, & tempestas magna excitabitur à lateribus terræ.

Prosequitur Jeremias sententiam quam cœpimus exponere proxima lectione. Prius vaticinatus est de judiciis Dei, quæ instabant multis gentibus, ita ut comprehenderet fere omnes regiones Judæis vicinas & cognitas: imo nominavit gentes quasdam procul dissitas. Summa fuit, Deum qui diu pepercerat sceleribus hominum, nunc fore vindicem, ut palam appareat quando differt pœnas, non tamen ideo elapsos esse impios, quoniam trahentur tempore & loco ad rationem reddendam. Subjicit ergo in eundem sensum, *Egredietur malum à gente in gentem.* Exponunt, Quod gentes aliæ aliis bellum inferent, ut se conficiant mutuis vulneribus: & sensus hic esset tolerabilis. Videtur tamen aliud velle Propheta, nempe quod grassabitur vindicta Dei per omnes terras tanquam aliqua contagio. Et in eundem sensum subjicit metaphoram, aut similitudinem procellæ, aut turbinis, aut tempestatis. Nam si quando enormis est tempestas, non desinit in una regione, sed pervolando longe se diffundit: & ita docet Propheta, etiamsi non statim arripiat Deus cunctas gentes, ut pœnas de illis exigat, tamen fore omnium judicem, quia transibit longe & late ejus manus tanquam procella. Sic igitur interpretor, non quod gentes aliæ aliis bellum inferent: sed quod ubi Deus exequutus fuerit judicium suum in una gente, postea ad alteram transiliet, ut finem non sit facturus, donec compleverit quod ante vaticinatus est Jeremias. Et ex secundo membro versus hoc videtur clarius posse colligi. neque enim de bellis intestinis hoc exponi potest, *quod excitabitur tempestas magna à lateribus terræ.* Videmus ergo Deum aliud velle: quod scilicet non fatigabitur, quum cœperit vocare homines ad judicium, sed comprehendet hinc inde & ex terris remotis qui putabant se esse extra periculum. Sicuti quum exurgit tempestas, videtur tantum minitari exiguo spatio terræ, sed statim sese projicit, & occupat totum cælum: sic etiam Deus *vindictam suam* dicit *venturam à lateribus terræ*, hoc est, à locis remotissimis, ita ut nulla distantia impediat quo minus compleat quod prædixit per servum suum. Sed hoc etiam ad usum nostrum accommodari potest. Quoties enim videmus clade aliqua affligi hanc vel illam gentem, debet nobis venire in mentem hæc sententia, quod Deus tempestive nos admoneat, ne scilicet abutamur ejus patientia, sed eum præveniamus antequam ab uno latere terræ ad nos usque transeat flagellum ejus. Denique simulatque exerit Deus signum aliquod iræ suæ, statim nobis occurrat, posse uno momento diffundi per omnes terræ extremitates, ita ut nullus angulus futurus sit immunis. Nam si declarat suam potentiam in turbine, aut procella, quid fiet, ubi clarius & propius volet ostendere suum judicium, acsi manum suam visibili modo proferret? Hæc igitur summa est hujus versus. Postea sequitur,

33. Et erunt interfecti Jehovæ in die illa ab extremitate terræ ad extremitatem terræ. Non plangentur, & non colligentur, & non sepelientur: stercus in superficie terræ erunt. (*id est, pro stercore.*)

Hic versus exponit quod nunc dixi. Unde etiam rursus apparet Prophetam non fuisse loquutum de mutuis cladibus, quas gentes aliæ aliis intulerint: sed simpliciter denunciasse iram Dei instar procellæ diffusum iri, ut involveret omnes populos & terras. Non dubium est quin Propheta contiouet suam sententiam. videmus autem quid hic dicat: *Et interfecti Jehovæ erunt in die illa.* revocat nos ad solum Deum: postea aliter loquetur. hoc autem loco non proponit nobis ministros vindictæ Dei, sed Deum ipsum quasi per se agentem. *Erunt* ergo *interfecti Jehovæ*: alii ponunt Vulneratos, & חלל significat vulnerare, & occidere: melius convenit præsenti loco interitus. *Interfecti* igitur *Jehovæ erunt ab uno extremo terræ usque ad aliud extremum*: acsi diceret, Deum non contentum fore ubi pœnam sumpserit de tribus vel quatuor populis, donec per omnes terræ plagas sese ostenderit judicem. Hic autem locus dignus est notatu, quia sæpe miramur cur Deus conniveat ad tot hominum scelera, quæ nemo nostrum tolerat. Sed si expendimus quam horribilis fuerit tempestas, de qua nunc Propheta disserit, sciemus Deum quiescere ad tempus, quo magis inexcusabiles reddantur improbi & scelesti. Interea fuit certe hoc triste spectaculum, quum tot regiones & provinciæ continuo tenore paterentur diversas clades. putabat aliquis populus secum esse actum paulo melius quam cum vicinis: sed paulo post videbat crudelius se tractari. Interea hoc tamen fuit generale, iram Dei diffundi per omnes terræ extremitates. Atrocitatem amplificat tribus verbis, *quod non plangentur, neque colligentur, neque sepelientur, sed erunt tanquam stercus, & ita jacebunt in superficie terræ.* Diximus aliis locis luctum nihil mortuis prodesse: sed quoniam officium est humanitatis, merito censeri inter pœnas temporales: sicuti quum privatur aliquis sepultura, certe nihil conducet mortuo si ejus cadaver in sepulchro reconditum fuerit. Scimus enim sanctos Dei servos sæpe vel exustos fuisse, vel suspensos, vel expositos bestiis: & tota etiam Ecclesia conqueritur jacuisse cadavera in circuitu Jerosolymæ, & fuisse escam avibus cæli, & bestiis terræ. Sed hoc non obstat quominus sepultura sit testimonium paternæ Dei benevolentiæ erga homines. Cur enim voluit homines potius sepeliri, quam bruta animalia, nisi quod voluit extare specimen immortalis vitæ? Ergo, quum sepultura tale sit favoris Dei signum, non mirum est si denunciet sæpe reprobis cadavera ipsorum projectum iri, ut careant sepulchri honore. Sed tenendum est illud principium, pœnas temporales communes esse tam filiis Dei, quam extraneis: promiscue Deus extendit pœnas temporales tam ad filios suos, quam ad incredulos, ut appareat spem nostram non debere esse in terra defixam. Sed quicquid sit, quum Deus hoc genere pœnæ utitur adversus incredulos, simul addit aliquam notam, ex qua possit intelligi non frustra nec temere hoc accidere, quod priventur sepulchro qui digni sunt quos Deus exterminet è terra, & quorum deleat memoriam, ita ut non reputentur inter homines. Sed diximus etiam alibi has loquutiones admittere alium sensum, qui tamen non est diversus, sed conjunctus, nempe quod tanta futura sit strages, ut nemo supersit qui exhibeat officium hoc socio suo, aut vicino, aut fratri. Nam si moriantur quatuor, vel decem, vel centum, poterunt sepeliri: si autem Deus uno die ingentem multitudinem gladio interimat, nemo sufficiet ad curam sepulturæ, quia pauci erunt superstites, qui etiam metuent sibi ab hostibus. Ergo Prophetæ quum dicunt carituros luctu & sepulchro quos Deus interfecerit, intelligunt tantam fore turbam, ut jaceant omnes super terram, quia nemo audebit humanitatis officium erga mortuos præstare, & si omnes conferrent sua studia, non possent tamen sufficere, tanta erit multitudo. Ita confirmat Jeremias quod diximus, vindictam scilicet Dei comprehensuram esse omnes terras & populos, ut involvat nobiles cum vulgo, & vix relinquat exiguum numerum. Eodem pertinet quod addit, *futuros tanquam stercus in terra.* Ignominiose enim hoc additum est, quoniam vix credibile tunc fuisset posse tot splendidas & opulentas gentes, & robustas etiam, exiguo tempore ita consumi. Sed Propheta ut excutiat illam falsam opinionem, dicit fore instar stercoris. tametsi nunc magna sit eorum dignitas, & potentia, & magnæ opes, magnum robur: tamen non posse effugere manum Dei: quoniam potest totius mundi gloriam in nihilum redigere. Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ sensum. Jam sequitur,

34. Ululate Pastores, & clamate, & volutate vos eximii gregis: quia impleti sunt dies vestri ad mactandum, & dispersiones vestræ, (*vel afflictiones, confractiones*) & cadetis tanquam vas desiderii. (*id est, pretiosum.*)

Non dubium quin Propheta nunc peculiariter sermonem convertat ad gentem suam: quod Interpretes non observant, ita non possunt assequi consilium Prophetæ. Vaticinatus est de judiciis Dei, ut Judæi cognoscerent se frustra sperare impunitatem, quoniam Dominus veniam non erat daturus cæcis, & omnis doctrinæ expertibus, qui poterant ignorantiam obtendere: deinde ut solatium hoc fulciret pios animos, quum viderent profanas gentes, quæ erant in eadem noxa, subjici etiam simili judicio: tandem ut cognito discrimine, confugerent ad Dei misericordiam, & ad resipiscentiam animarentur, quum spem veniæ conciperent. Postquam ergo generalem illam doctrinam tractavit, nunc sese ad populum reducit, cui destinatus erat doctor. Potuit quidem quasi è sublimi pronunciare quicquid futurum erat in tota terra. nam eousque extendebatur quod Deus imposuerat præconis munus. Et scimus quid dictum illi fuerit, Ecce ego constituo te super gentes & regna: ergo pro ratione officii sui potuit denunciare cladem omnibus populis, sed non debuit omittere specialem curam electi populi. Et ita interpretor hunc locum, quod nunc iterum sermonem ad Judæos dirigat. dicit igitur, *Vos Pastores ululate, & clamate.* Per Pastores Regem & ejus consiliarios, Sacerdotes, & alios gubernatores intelligit: per *eximios gregis* videtur intelligere divites, quorum melior erat quam vulgi conditio. Quod subtiliter quidam exponunt vocari *eximios gregis*, qui carebant intelligentia, nec erant similes Scribis, & Sacerdotibus, & Regis consilio: videtur hoc non satis esse firmum. Retinen igitur quod certius est, nempe vocari *eximios in grege*, qui pollebant divitiis, & aliqua existimatione: neque tamen tenebant vel reipublicæ gubernacula, vel ipsius Ecclesiæ. Quicquid sit, ostendit Propheta simulac cœperit Deus exerere manum suam ad puniendos Judæos, nullum ordinem fore immunem à luctu, quia incipiet ab ipsis Pastoribus, & eximiis gregis. Addit *impletos esse dies ipsorum*, qua particula oblique prævenit impiam securitatem,

tem, quæ ipsos pridem obduraverat, ut spernerent omnes minas. Deus enim jam per annos complures clamitaverat, & submiserat Prophetas alios aliis: quum viderent suspendi exequutionem pœnarum, putabant fuisse vana terriculamenta. Age, ne desinant Prophetæ terrores suos projicere si libuerit: sed nullus erit effectus ita impii Dei tolerantiam convertunt ad materiam suæ obstinationis. Quoniam ergo vitium Judæis commune erat, nunc dicit Propheta per anticipationis modum, *impletos esse ipsorum dies*. Subaudienda est enim antithesis, quod Deus illis pepercerit, non quod clausos habuerit oculos, vel non animadverterit ipsorum scelera: sed quoniam voluerit dare spatium resipiscendi: quum autem videret malitiam eorum esse insanabilem, jam dicit *dies ipsorum esse completos*. Et addit, *ad mactandum*. Miror cur docti interpretes subaudiant, quo alii alios interficiant. Neque enim opus fuit quicquam addere, quia Propheta nihil tale exprimere voluit, neque restringere quod hic denunciat Judæis, ad bella domestica, & intestina. Potius enim scimus interfectos fuisse ab exteris, nempe à Chaldæis. Illud ergo coactum est, deinde repugnat historiæ. Addit, *Et dispersiones vestræ etiam completæ sunt*, val confractiones. פוץ non tantum significat dispergere, vel dissipare, sed significat affligere, & conterere: & mihi magis placet nomen Confractionis. Postea addit, *Cadetis tanquam vas pretiosum*. Videtur hæc similitudo parum apta esse. cur enim potius eos non comparat vasi testaceo, quod nullius est pretii, & facile projicitur? Cæterum, voluit notare diversitatem inter duos status: nempe quamvis dignatus esset Judæos longo tempore Deus ipse singularibus privilegiis, quod tota illa excellentia non præstabit ipsos salvos, quia sæpe continget vas quamlibet pretiosum frangi. Non loquitur autem de vasis aureis vel argenteis, sed de vasis fragilibus, quorum magna olim fuit æstimatio. Ergo ut gravius eos vulneret, dicit fuisse hactenus vasa pretiosa, aut vas pretiosum (loquitur enim in singulari numero de omnibus): tamen confractum iri. & hoc modo confirmat quod dixi proximo versu, nempe frustra hypocritas confidere præsenti fortuna, aut superioribus Dei beneficiis, quia poterit in ignominiam convertere quicquid gloriæ ipsis contulerat. Sequitur,

35. Et peribit fuga à Pastoribus, & evasio ab eximiis gregis.

Explicat quod nunc vidimus. Jubebat enim Pastores ululare, & eximios gregis sese versare aut prosternere in pulvere: nunc causam adjungit, quod scilicet non poterunt vitam suam ignominiosa fuga servare. Hoc jam plus satis miserum est, ubi non potest quispiam aliter consulere suæ vitæ, quam si exilium quærat, ubi futurus sit inops, & egenus, & contemptibilis. Sed hoc quoque denegat Propheta tam Regi & ejus Consiliariis, quam divitibus totius urbis & terræ. *Peribit* igitur *ab ipsis fuga*, inquit. Loquutio hæc satis trita est linguæ Hebraicæ: Periit fuga à me, dicit David, hoc est, non reperio Psal. 142.
ullum effugium. Sic etiam, *Peribit fuga*, hoc est, vers. 5.
dum spectabunt huc & illuc, ut sese eripiant à periculo, undique erunt constricti in tantis angustiis, ut necesse sit tandem porrigere jugulum hostibus. Sequitur,

36. Vox clamoris Pastorum, & ululatus eximiorum gregis, quia perdidit Jehovah pascua eorum.

Non tantum repetit eandem sententiam diversis verbis, sed aliquid etiam gravius adjungit, quod scilicer Deus in vastitatem rediget eorum pascua. Prosequitur suam metaphoram. Sicuti enim comparatione usus est, quum Regis consiliarios, & Sacerdotes vocavit Pastores, sic etiam nunc per *pascua* intelligit statum communem urbis & terræ: quasi diceret hactenus fuisse dominatos in terra illa, quæ opima erat, & fertilis, & in qua pollebant dignitate: sed nunc exutum iri bonis omnibus. Postea addit,

37. Et peribunt (*vel, succidentur, vertunt alii*) pascua pacis (*tuguria pacis, hoc est, tranquilla*) à facie excandescentiæ (*vel furoris*) iræ Jehovæ.

Eandem sententiam prosequitur, nempe quod tabernacula, quæ tranquilla prius fuerant, peribunt, vel perdentur. Consulto autem pacata vocat tuguria, quoniam Judæi quum viderent hostes non esse sibi infestos, pollicebantur sibi eandem fortunam in futurum tempus. Et fideles quidem hoc optimo jure faciunt, & recte ea superioribus Dei beneficiis colligunt eundem erga se fore, hoc est, beneficum, qualem se præstitit. Sed præpostere hypocritæ, qui sine ulla pœnitentia existimant Deum sibi esse obstrictum, & quum ejus iram quotidie provocent, tamen secure resident in fiducia pacis. Quoniam ergo Deus gravitatem iræ suæ ad illud usque tempus distulerat, Propheta dicit, quamvis pacata fuerint eorum tabernacula, tamen non posse eximi ab interitu simulac prodierit excandescentia iræ Dei. Poterat sufficere alterum ex duobus, חרון, vel אף: sed duplicavit Propheta Iram, vel excandescentiam Dei, quo plus terroris incuteret reprobis, qui ut sunt obstinati in sua malitia, sic non moventur nisi Deus ingeminet ictus, & iram suam magis ac magis exprimat. Sequitur,

38. Dereliquit tanquam leo tabernaculum suum: quia redacta est terra eorum in vastitatem à facie iræ oppressoris, (*aut prædonis*) & à facie excandescentiæ iræ ejus.

Hoc ultimo versu admonet Propheta, frustra Judæos confidere Dei præsidio, quoniam Templum suum deseret una cum Urbe. Hoc fuit quasi fabulo-
Psal. 132. sum. Dixerat enim, Hæc requies mea in seculum
vers. 14. seculi. Sed hypocritæ non reputabant posse ipsum stare suis promissis, ut tamen non relinqueret ipsos impunitos. Non poterant igitur hæc duo simul conjungere, Deum semper fore memorem fœderis sui, & tamen futurum esse Ecclesiæ judicem. Hæc ratio est cur nunc dicat Propheta, *Relinquet Deus quasi leo tabernaculum suum*. Quidam exponunt quod ad breve tempus egredietur, quemadmodum solent leones famelici. sed illud est nimis remotum Ego igitur non dubito quin Dei potentiam commendet sub nomine Leonis, quia formidabiles fuissent Judæi cunctis suis hostibus, si Deus stationem suam non mutasset. Verum quia eum suis sceleribus expulerant, ut apud ipsos non esset ei domicilium, hinc factum est ut obnoxii essent & expositi omnium gentium rapinis. Summa est igitur, Deum quamdiu habitavit in Templo fuisse instar leonis, ut solo fremitu procul abegerit omnes populos, & defenderit filios Abrahæ:

sed nunc quamvis naturam non mutet, nec quicquam detractum sit vel diminutum ex sua potentia, Judæos tamen non fore salvos, quoniam ipsos deseret. Et subjicitur ratio, quæ hoc clare confirmat, quod *terra eorum* (ad Judæos refertur. eorum igitur terra) *in solitudinem erit.* Unde autem hæc vastitas Judææ, nisi quia nudata fuit Dei auxilio? Si enim Deus illam protexisset, ut fecerat, poterat solo nutu longe hostes repellere. Sed quoniam alio migravit, hinc factum est ut aperti essent aditus: & ita redigeretur terra in solitudinem. Addit, *A facie excandescentiæ oppressoris:* alii vertunt, columbæ: sed non convenit. Interea excogitant argutum sensum, quod Deus vocetur columba propter clementiam & mansuetudinem: tamen tribuatur iracundia, quoniam cogatur alienam personam induere propter hominum pervicaciam, ubi videt se nihil proficere beneficiis erga ipsos. sed est speculatio longe petita. Et יָנָה significat opprimere, ac rapere: & quoniam sæpius accipitur in malam partem, malo hic referre ad hostes quam ad Deum ipsum. Multi quidem malunt exponere de Deo, sed non possum amplecti eorum sententiam: quoniam hæc duo membra conjungit Jeremias, quod scilicet Deus Templum suum deseret, quemadmodum si leo à caverna sua recederet: deinde quod venient hostes, qui reperient nudum & vacuum locum. Denique significat expositos fore hostium suorum libidini & rapinis, quoniam destituentur in tempore auxilio Dei. & sicuti nuper loquutus fuerat de excandescentia iræ Dei, idem nunc transfert ad hostes: & merito: quoniam exequuntur ejus judicia. Ipsis enim adscribitur quod Dei proprium est, eo respectu quod fiat ejus ministri.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos colligere sub tuam fidem & custodiam, & te offerre nobis Pastorem, atque etiam exhibere per manum unigeniti Filii tui: da, inquam, ut placide tibi obtemperemus, & vocem ejus Pastoris audiamus quem nobis præfecisti, ut conservemur usque in finem tua bonitate & potentia, neque unquam abs te evagemur, nec abripiamur post nostras cupiditates: sed sic nos contineamus sub umbra alarum tuarum ut semper nobis adsis, & te opponas hostibus nostris, ut integri salvi maneamus sub tuo præsidio tam in vita quam in morte, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO NONAGESIMA NONA IN JEREMIAM.

CAP. XXVI.

PRincipio regni Joakim filii Josiæ regis Jehudah fuit sermo hic à Jehovah, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah, Sta in atrio Templi Jehovæ, & loquere ad omnes urbes Jehudah, *id est, omnes cives urbium Jehudah*, qui veniunt ad orandum in Templum Jehovæ, hos omnes sermones quos mandavero tibi ad loquendum ad ipsos: (*hoc est, ut loquaris ipsis*) ne diminuas verbum.

CAput hoc continet memorabilem historiam, cui annexa est valde utilis doctrina, nempe quoniam concionatus est Jeremias de pœnitentia, quod est unum ex præcipuis capitibus pietatis, & simul ostendit populum rejici à Deo, quia præfracte contemneret omnes admonitiones, nec ullo modo posset reduci ad sanam mentem. Utrumque videbimus in hoc capite. Dicit autem *sibi datum fuisse sermonem principio regni Jehojakim*, de quo rege alibi diximus, ubi recitabat Prophete alias conciones habitas ipso regnante. Unde colligimus librum hunc non fuisse certa serie contextum, sed collecta fuisse capita, deinde volumen inde fuisse confectum. Neque tamen frustra hic repetitur tempus, quia scimus etiam miseros aliquid spei concipere ex novitate. Si diu homines afflicti fuerint, & prope contabuerint in suis malis, tamen ubi nova conditio offertur, existimant se fore beatos, & fingunt sibi spes vanas. Talis igitur potuit esse confidentia populi, quum cœpisset Jeojakim regnare, quoniam putabant posse res in melius ab illo restitui. Deinde alia etiam circumstantia notanda est, quod jam prope desperata erat populi conditio: tamen obduruerant contra Deum, ut contumaciter resisterent Prophetis. Unde apparet reprobos magis ac magis exasperari Dei flagellis, neque unquam vere & sincero affectu humiliari. Hæc igitur ratio fuit cur tam duriter loquutus fuerit Jeremias ex Dei mandato. Reliqua prætereo, *quod datus fuerit sermo à Jehovah.* Nam hoc modo nihil sibi arrogat, solum testatur ut necesse erat maxime apud illam præfractam gentem, se nihil afferre proprium, sed doctrinam suam è cælo profectam esse. Hic esset locus communis tractandus, Deum solum audiendum esse in Ecclesia sua: deinde neminem posse sibi asserere Prophetæ aut doctoris nomen, nisi quem Dominus creaverit & præfecerit, deinde cui mandaverit has partes. Sed hæc alibi & sæpius, & satis prolixe fuerunt tractata: & non libenter insisto in locis communibus. Satis est tenere quorsum dicat Jeremias *sermonem sibi datum fuisse à Jehovah*, nempe ut auctoritatem sibi conciliet. Atqui non jactat suam sapientiam, nec quicquam vel humanum, vel terrestre, sed tantum dicit se loqui quod Dominus præcepit. Subjicit, *Sic dicit Jehovah, Sta in atrio domus* (ad verbum, sed domus accipitur pro templo) *Sta ergo in atrio domus Jehovæ*, inquit. quia non licebat populo ingredi in Templum, ideo jubetur Prophete manere in eo loco, unde possit exaudiri ab omnibus. Erat, quemadmodum vidimus, ex ordine Sacerdotali: sed parum juvisset cum Levitis habere hunc sermonem. Oportuit igitur ipsum prodire in lucem, & perferre ad totum populum quæ hic recitantur Dei mandata, nec modo ad cives Jerosolymæ, sed etiam ad omnes Judæos. quod etiam diserte exprimitur: *Alloquere omnes cives urbium Jehudah*, inquit. postea addit, *Qui veniunt ut adorent in Templo Jehovæ.* Videtur consulto Deus occurrere superbiæ eorum, qui putassent sibi fieri injuriam, quod tam duriter objurgarentur: Quid? nos relictis uxoribus & liberis huc sumus profecti ad colendum Deum: deposuimus omnem curam privatæ utilitatis: hic incommode habitamus: possemus apud nos tranquille agere, & frui nostris bonis: facimus magnos sumptus: iter est laboriosum: deinde, afferimus huc sacrificia & fraudamus nos quotidiano cibo, ut Deus colatur à nobis. interea tu severe in nos inveheris, & nihil ex ore tuo audimus præter meros terrores: hocne æquum est? an Deus talem

talem mercedem rependit servis suis? poterant igitur ita litigare cum Propheta. Sed prævenit illas objectiones, & concedit illis quod poterant obtendere, venisse scilicet eos in Templum, ut sacrificia offerrent: sed aliud requiri à Deo: itaque non esse defunctos, quum in Templum venissent, nisi fideliter obedirent Deo, & ejus Legi. Nunc ergo videmus cur Propheta exprimat *se missum fuisse ad eos omnes qui ascenderant Jerosolymam*, nempe ut Deum adorarent. Ipsa quidem actio per se non potuit vituperari, imo non vulgari laude digna erat, quod scilicet ita sese exercerent in Dei cultu: sed quia non spectabant Judæi quorsum jussisset Deus sibi offerri sacrificia, & quorsum etiam mandasset omnes illos externos ritus: ideo necesse fuit illis eripi hunc errorem, quo nimis imbuti erant. *Loquere hos sermones, quos mandavi tibi ut loquaris ad eos.* Iterum confirmat Propheta se non esse auctorem hujus doctrinæ, sed ministrum duntaxat, qui fideliter perferat quod Deus mandavit. Atque ita non potuit objicere populus esse ejus commenta, quæ postea in medium protulit, quia repulit à se hanc calumniam. Poterunt etiam falsi Prophetæ idem jactare: sed Jeremias habuit certa insignia suæ vocationis, ut Judæi quum illum repudiarent, sibiipsis essent judices, quoniam conscientia tenebat ipsos satis superque convictos. Sed ex hoc loco & similibus semper colligere licet, neminem excellere vel ingenio, vel doctrina, vel sapientia, vel auctoritate, qui propterea sit audiendus, nisi ostendat se esse Dei ministrum. Postea addit, *Non diminues verbum.* Quod alii vertunt, Ne prohibeas, durius est: & גרע proprie significat Minui, atque consumi. Sed hoc eodem verbo utitur
Deut. 12. vers. 32. Moses duodecimo capite Deuteronomii, quum dicit, Non addes, neque diminues: ubi vult populum acquiescere Legi suæ, & prohibet eam corrumpi ullis commentis. Ergo minuere ex sermone est aliquid subtrahere. Atqui notandum est, cur hoc Jeremiæ dictum fuerit. neque enim unquam venisset in mentem sancto viro adulterare Dei sermonem: sed Deus hic hortatur ipsum ad fiduciam, ut intrepide peragat sua mandata. Minuere ergo aliquid ex sermone est mollire quod videri posset asperius, vel subticere quod offenderet, ubi oblique aut frigide proponeret quod non potest prodesse absque vehementia. Ergo non dubium est, quin hic Deus præveniat vitium, quo laborant maxima ex parte etiam probi Doctores, quia dum vident teneras esse & delicatas aures, non audent tam vehementer objurgare vitia, minari, damnare. Hæc ratio est cur Deus hoc addiderit, *ne scilicet quicquam subtraheret Jeremias ex sermone*: quasi diceret, Tu clausis oculis & intrepide proferas quicquid ex ore meo audieris, & despicias è sublimi quicquid posset tibi animum minuere. Nunc facile colligitur hujus doctrinæ utilitas. Mittitur Propheta non ad homines profanos, qui palam suam impietatem prodant, vel qui crassis flagitiis laborent: sed mittitur ad ipsos Dei cultores, qui externum ejus cultum in pretio habebant, & hac causa relictis uxoribus, & liberis, veniebant in Templum, neque labori, neque sumptibus parcebant. Ergo quum ad illos mittatur, videndum est, ne indormiamus nostris vitiis, & putemus transactum esse cum Deo, ubi in speciem aliqua pietatis signa dederimus: quia nisi vere & sincere obediamus Deo, reliqua omnia coram ipso evanescent. Sequitur ergo,

3. Si forte audiant, & convertantur quisque à via sua mala, & pœniteat me mali, quod ego cogitans ad faciendum (*id est, cogito facere*) ipsis, propter (*à facie, ad verbum*) malitiam actionum ipsorum.

Hoc versu breviter ostendit Deus in quem finem mittat Prophetam suum. Neque enim satis fuisset doctrinam ipsam proponere, nisi cognita fuisset Dei voluntas. Hic ergo asserit Deus se fore exorabilem populo, si obtineat quod ab ipsis exigit, nempe ut resipiscant. Ita hanc doctrinam testatur fore illis utilem, quia rationem habet ipsorum salutis. Non potest autem magis amabilis reddi doctrina, quam ubi cognoscimus eam tendere ad salutem nostram. Deus ergo quia videbat populum ruere cæca desperatione ad omnem impietatem, voluit periculum facere, an aliqui essent sanabiles: quasi diceret, Quid facitis miseri? neque enim de vobis prorsus actum est: tantum obtemperate mihi, & paratum erit remedium malis vestris. Nunc ergo tenemus consilium Dei, nempe voluit spem misericordiæ facere Judæis, qui tamen erant fere perditi, ne respuerent hanc doctrinam, quum audirent sibi esse salutarem. Sed hinc etiam colligi potest generalis doctrina, Ubi maxime excandescit Deus, tamen hoc signum esse paterni ejus favoris, quum dignatur nos Prophetica doctrina: neque enim vult ipsam fructu carere, nisi per nos steterit. Sed interea magis ac magis: eddimur inexcusabiles, si rejicimus illam medicinam, quæ certo nobis erit vivifica. Teneamus igitur quod hic Propheta dicit, nempe se missum fuisse, ut experiretur an Judæi resipiscerent, quia Deus paratus erat ipsos recipere in gratiam. Quod dicit, אולי, *si forte*, ex communi loquendi usu sumptum est. Nam Deus satis perspectos habet omnes eventus, neque dubitat quidnam futurum sit, quum Prophetæ officium suum peregerint. Sed hic notatur, & odiose etiam perstringitur obstinatio populi: quasi diceret, hoc quidem esse difficile, ut sanentur, qui ita computruerunt in suis malis: tamen se adhuc velle tentare. Et hoc modo testatur Deus inæstimabilem suam bonitatem; quod scilicet non prorsus abjiciat homines fere perditos, & quorum videntur insanabiles morbi. Confirmat etiam Prophetam suum, quia poterat ex longa experientia objicere supervacuum fore laborem. Deus ergo hoc addit ut non desinat tamen pergere in cursu suæ vocationis, quia quod videtur incredibile poterit tamen præter spem accidere. Nunc videmus cur dictum fuerit, *Si forte audiant*: postea additur, *& convertantur*. ex contextu discamus, proficisci à doctrina non minus pœnitentiam, quam fidem. Unde ergo fit, ut qui alienati fuerant à Deo, sese recipiant, & agnitis suis peccatis, mutent ingenium, mentem, animos? nempe hic est fructus doctrinæ: non quod doctrina in omnibus sit efficax, sed agitur hic de electis vel si omnes essent sanabiles, tamen Dominus ostendit hunc esse doctrinæ suæ usum, & fructum, ut scilicet homines convertat,
quemadmodum etiam dicitur apud Prophetam, & Malach. 4.
repetitur primo capite Lucæ, Convertet multos vers. 6.
filiorum Israël, &c. Quod addit, Quisque à via sua Luca 1
mala, pondere non caret. significat enim Deus non v. 16, 17.
satis esse si in speciem totus populus agnoscat se peccasse: sed requiri singulare examen in singulis. Quum enim turmatim quærimus Deum, & quisque alios sequitur, id sæpe fit nullo affectu. Pœnitentia igitur est tunc demum vera & seria ubi singuli descendunt in seipsos. ergo est interior & arcana ejus sedes in corde: hæc ratio est cur dicat, *Si vir*, id est, quisque, *resipiscat à via sua mala*. Quantum ad Dei pœnitentiam spectat, cujus hic fit mentio, non opus est longa expositione: non cadit ulla mutatio in Deum, sed
hoc ad sensum hominis refertur, quum dicitur Deus Psal. 85.
avertere iram suam: sicuti etiam quum occurrunt vers. 5.
istæ loquutiones, Pœnitebit eum. Interea satis patet Psal. 110.
quid velit hic Deus, nempe simulac vere conversi vers. 4.
fuerint homines ad ipsum, se fore placabilem: &

ita

ita videmus non posse vocari homines ad pœnitentiam, nisi proposita misericordia Dei. Unde etiam sequitur, res esse conjunctas, & perperam atque impio sacrilegio separari, nempe pœnitentiam, & fidem. neque enim potest timeri Deus, nisi sentiat peccator ipsum sibi fore propitium. Quamdiu enim concipimus iram Dei, horremus ejus judicium. ita tumultuamur adversus ipsum, & necesse est nos præcipitari usque in ultimas abyssos. Ita in Papatu non tantum insulse, sed etiam frigide concionantur de pœnitentia, quia relinquunt suspensas animas, & perplexas: imo tollunt omnem certitudinem. Teneamus ergo rationem Spiritus sancti in docendo, quod scilicet pœnitentia non possit recte doceri, nec cum fructu, nisi ubi hoc additum fuerit, Deum scilicet fore placabilem miseris hominibus, ubi ad ipsum conversi fuerint. Quantum ad verbum *cogitandi*, jam exposuimus Deum non agitare diversa consilia: sed hoc totum refertur ad homines ipsos qui digni erant horribili vindicta: perinde est acsi diceret, Maturuit jam ipsorum iniquitas: ego jam armatus sum ad ipsos ulciscendos: tamen redeant ad me, & sentient me Patrem. Ergo non est quod diffidant, quamvis jam protulero signa vindictæ meæ. hæc summa est: sed repetit se irasci *propter malitiam actionum ipsorum*, quoniam scimus fuisse & superbos & contumaces, ideo oportuit illis os occludi, ne obstreperent, Deum inique esse tam infestum, vel modum excedere. Ergo quicquid malorum instabat, Deus breviter ostendit esse ab ipsis, quoniam resideat causa in eorum sceleribus. Sequitur,

4. Dices ergo ad eos, Sic dicit Jehovah, Si non audieritis me, ut ambuletis in Lege mea, quam posui coram conspectu vestro,

5. Ad audiendum sermonem (*hoc est, Ut audiatis sermones*) servorum meorum Prophetarum, quos ego mitto ad vos, & mane surgendo, & mittendo, neque tamen audistis: (*hoc postremum lego per parenthesin*)

6. Et (*id est, Tunc*) ponam domum hanc (*id est, Templum*) sicuti Silo, & urbem hanc ponam in maledictionem cunctis gentibus terræ.

Nunc breviter comprehendit Propheta summam doctrinæ, quam jussus est perferre ad populum. Non dubium est, quin pluribus disseruerit, ut necesse erat: sed satis habuit paucis verbis ostendere quale fuisset mandatum illud. Summa autem est, nisi audire incipiant Judæi ut ambulent in Lege Dei: & nisi morigeri sint Prophetis: instare ultimam cladem & Templo & Urbi. hæc est summa. Sed singula expendere convenit. Quod dicitur, *Nisi audieritis me ut ambuletis in Lege mea*; ostendit his verbis Deus se summopere requirere obedien-
1 Sam. 15. tiam, & sibi nihil esse pluris: quemadmodum dicit
vers. 22. excellere præ omnibus sacrificiis. & hoc fusius tra-
supra 7. ctatum fuit cap. 7. ubi dicebat, An ego præcepi pa-
v. 22, 23. tribus vestris quum egressi sunt ex Ægypto, ut mihi offerrent sacrificia? hoc tantum volui, ut audiendo audirent vocem meam. Videmus ergo hanc esse unicam, pie, juste, sancte, perfecte vivendi regulam, ut sinamus nos gubernari à Domino. hoc est unum. deinde quod sequitur etiam notatu dignum est, *Ut ambuletis in Lege mea*. Deus enim hic testatur non ambiguam esse suam voluntatem, quia Lege sua præscripsit quid rectum sit. Si centies ergo descendat è cœlo Deus, non aliud afferet quam se loquutum esse quod utile fuit cognitu, & Legem suam esse perfectissimam sapientiam. Si hoc tantum dixisset, Ut audiatis me, poterant adhuc homines tergiversari, & profiteri se paratos esse ad discendum: Deus ergo hic hypocritas compescit, & dicit se nihil aliud dicturum, quam ut Legem suam sequantur. Eodem etiam spectat quod mox addit, *Quam posui coram facie vestra*. Hæc enim loquutio significat, Legis doctrinam minime esse ambiguam: sicuti dicebat Mo-
Deut. 30. ses, Testor hodie cælum & terram, me posuisse ante
vers. 19. oculos vestros vitam & mortem. Postea alio loco,
Rom. 10. Ne dicas apud te, Quis ascendet supra nubes? vel
v. 6, 7, 8. quis descendet in abyssos? quis trajiciet ultra mare?
Deut. 30. Verbum, inquit, est in corde tuo, & in ore tuo: hoc
vers. 12, 13, 14. est, Deus abstulit vobis omnem excusationem, quia nulla est dubitandi ratio postquam familiariter vobis loquutus est, & exposuit quicquid utile erat. Et hinc refellitur impia illa Papistarum blasphemia, qui non modo Legem blaterant obscuram esse, sed etiam
2 Cor. 4 Euangelium ipsum. Atqui Paulus clamat Euange-
vers. 3, 4. lium non esse obscurum, nisi his qui pereunt, & quibus velum objectum est, quia digni sunt tali excæcatione. Sed de Lege, in qua non tanta est claritas, ut in Euangelio, videmus quid hic affirmet Jeremias, nempe positam esse in oculis omnium, ut aperte ex ea discant quid Deo placeat, & quid rectum sit. Sed quod sequitur in proximo versu diligenter observandum est. Hæc enim necessario inter se cohærent, quod Deus non aliud postulet, quam ut homines obediant Legi suæ, & tamen velit Prophetas suos audiri; *Ut audiatis*, inquit, *sermonem servorum meorum Prophetarum quos ego mitto ad vos* (est in secunda persona). Hic videri posset aliqua esse species repugnantiæ. Nam si Lex Dei sufficit, quorsum igitur attinet Prophetas audire? Sed optime inter se conveniunt, quod Lex sola debeat audiri, & simul etiam Prophetæ, nempe quatenus sunt ejus interpretes. Deus enim Prophetas suos non misit, qui Legem corrigerent, qui aliquid in ea mutarent, qui adderent vel detrahe-
rent: fuit enim decretum illud inviolabile, Non ad- Deut. 12.
das, neque minuas. Quis ergo fuit Prophetiæ usus? vers. 32.
nempe ut Legem Dei magis ac magis patefacerent, deinde ut accommodarent ad usum populi. Quoniam ergo Prophetæ non fabricabant novam aliquam doctrinam, sed erant fidi Legis interpretes: ideo hæc duo non abs re Deus conjungit, se velle Legem suam audiri: tamen simul cum ea Prophetas, quia majestas Legis nihil derogat Prophetarum auctoritati. Prophetæ enim Legem sanciunt: tantum abest, ut aliquid ex ea detrahant. Imo hic locus docet, omnes eos qui repudiant quotidiana exercitia discendi, profanos esse homines, & extinguere quantum in ipsis est, Spiritus gratiam: ut nostro tempore fuerunt multi fanatici, inter Anabaptistas, qui spernerent omnem doctrinam. Jactabant enim hoc esse alphabetum: deinde somniabant fieri injuriam Spiritui sancto, quum homines ita attenti essent literæ. Et aliqui crassius audent suas blasphemias evomere, dicunt sufficere nobis Scripturam: imo hæc duo capita, Deum time, Ama proximum. Sed quemadmodum jam dixi, videndum est qualiter loquutus fuerit Deus per Legem, an ut sibi viam præcluderet, ne clarius exponeret suam voluntatem per Prophetas: neque accommodaret ad præsentem usum quod poterat alioqui frigidum esse? an vero ut doctrinam quæ manat ex illo fonte, per canales assidue derivaret? Atqui quum Deus Legem suam dederit, & addiderit Prophetas suos, quisquis Prophetas rejicit, ille certe nihil fidei tribuit Legi. Ita etiam qui non dignantur hodie proficere in Christi schola, & se exercere in auditu Verbi, non dubium est, quin Deum ipsum intus derideant, & pro nihilo ducant tam Legem, quam Prophetas, & Euangelium ipsum. Insignis est ergo hic locus, quum Dominus vult

vult Legem suam esse ducem, & magistram: & tamen simul adjungit suos Prophetas. Addit, *Quos misi ad vos, & mane surgendo, & mittendo.* quibus verbis exprobrat Judæis tarditatem, & socordiam, quia ipsos expergefecit satis mature: deinde non semel, sed sæpius: & tamen luserit operam. Nam *mane surgere* quum ad Deum transfertur, tantundem valet atque tempestive vocare ipsos homines: quasi diceret se non esse in culpa, quod Judæi ita à recta via salutis discesserint, quoniam sedulo curaverit ipsorum salutem, & tempestive ipsos admonuerit. Videmus ergo ut Propheta eorum tarditatem, & socordiam accuset: deinde & duritiem, quum dicit, *Mittendo.* Nam hic notatur repetitio, vel assiduitas. Dixerat prius, *Quos ego mitto ad vos, & mane surgendo*: nunc quum addit, *Mittendo*, intelligit se non misisse unum Prophetam, vel plures uno tempore, sed subinde alios aliis fuisse subrogatos, & tamen hoc caruisse omni profectu. Ego, quemadmodum dixi, finem versus per parenthesin lego (*Vos autem non audistis.*) Siquidem uno contextu postea addit Propheta, *Tunc dabo.* (nam copula resolvi debet in adverbium temporis.) Quod ergo nunc dicitur, *Vos autem non audistis*, est anticipatio: quoniam Judæi ut turgebant magna arrogantia, poterant statim excipere, He, quid affers novi? *Nisi audieritis vocem meam, inquit Jehovah, ut ambuletis in Lege mea, quam posui coram conspectu vestro:* quasi vero totum hoc apud nos pueris quoque notum non sit. tu autem hic simulas te esse præconem singularis vaticinii certe apud viros prudentes jactantia hæc censebitur puerilis. Poterant ergo in hunc modum loqui. Sed Propheta hic breviter retundit insolentiam illam stultæ censuræ, dicendo, *Vos autem non audistis:* quasi diceret se non frustra fuisse missum, qui de re tanquam nova & insolita verba faceret, quoniam scilicet Judæi totam Legem corruperant, dum fuerant immorigeri, & indociles, & increduli, & contempserant tam Legem Dei, quam Prophetas.

Da omnipotens Deus, quando non tantum dignatus es semel consignare tuam voluntatem Lege tua, sed plus lucis etiam addidisti per sanctos tuos Prophetas: deinde perfectam lucem in Euangelio nobis proposuisti, & quotidie nos ad discendum invitas eorum voce, quibus hoc mandasti: da, inquam, ne surdi simus, vel nimium tardi, sed ut prompto obsequio nos tibi subjiciamus, & ita sinamus nos regi verbo tuo, ut vita nostra testemur, te vere nobis esse in Deum, quia simus tibi populus, donec tandem colligamur in regnum illud cæleste, quod nobis peperit unigenitus Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA IN JEREMIAM.

NOn potuimus heri absolvere Prophetæ sententiam, quia obstabat angustia temporis. Diximus autem Prophetam sic denunciasse vindictam Dei populo, ut tamen aliqua dulcedine leniret illam asperitatem, ne scilicet desperatio redderet eos magis contumaces, quos volebat flectere ad obsequium: & diximus non aliter posse verbi ministros recte & cum fructu concionari de pœnitentia, nisi adjungant simul promissionem misericordiæ Dei. Sed quia negotium erat Prophetæ cum hominibus præfractis, & contemptoribus Dei, oportuit denunciare quod tandem subjicit, nempe excidium Urbi & Templo instare, nisi statim resipiscant. Dicit autem *domum illam fore instar Silo*, ut exemplum tangat ipsorum animos, quia arca Dei fuerat diu in Silo: & locus ille poterat videri nobilior propter vetustatem. Excelluit quidem Jerosolyma, sed præcesserat Silo: jam locus ille desertus erat: imo erat triste, & pudendum spectaculum. itaque ipsis proponit ante oculos exemplum vindictæ Dei, quod ipsos quoque manet. Et eandem sententiam vidimus cap. 7. Ite in Silo ubi fuit arca fœderis. *supra 7. vers. 12.* Nunc brevius loquitur Propheta: quia minime dubium est, quin sæpius hanc doctrinam iteraverit. Postea addit, *Ponam urbem hanc in maledictionem*, vel execrationem *cunctis gentibus terræ.* Hoc magis intolerabile fuit Judæis, quum diceret Jeremias Urbem illam tantam, quæ erat sacrarium Dei, & regia sedes, fore in maledictionem profanis Gentibus: & tamen quia Deus id mandaverat, libere functus est suo officio. Nunc sequitur quid mercedis retulerit.

7. Et audierunt Sacerdotes, & Prophetæ, & totus populus Jeremiam loquentem sermones hos in Templo Jehovæ.

8. Et factum est, quum finisset Jeremias loqui quæcunque mandaverat Jehovah, ut loqueretur toti populo, comprehenderunt ipsum Sacerdotes, & Prophetæ, & totus populus, dicendo, Morte morieris.

Hic recitat Propheta qualis eventus contigerit, postquam pertulit Dei mandata, & fideliter populum objurgavit minis additis, sicuti Deus jusserat. Dicit primo *se fuisse auditum*: quod non debet poni in lauda, acsi patienter Sacerdotes & Prophetæ audissent quod docebat. Nulla enim fuit in ipsis docilitas, neque etiam parati ad discendum venerant, sed pridem assueverant ad contumaciam, ut Jeremias illis esset tanquam professus hostis, & illi etiam audacter se opponerent omnibus ejus minis. Sed quia pudebat ipsos rejicere quod dicturus erat Propheta, ideo formam aliquam observant, quemadmodum hypocritis est solenne. Nam plus satis curiosi sunt in ipsa forma, ut loquuntur: sed quod præcipuum est negligunt. Notemus ergo, Sacerdotes & Prophetas non laudari quasi sese continuerint, donec perspecta causa proferrent suam sententiam: sed quoniam adstabat totus populus, ad tempus sibi moderati sunt: fuit tamen ficta illa modestia, quoniam turgebant eorum corda impietate, & contemptu Dei, quemadmodum reipsa patuit. Sed notandum est quod dicit *Sacerdotes & Prophetas audisse.* quantum attinet ad Sacerdotes, non mirum est, si fuerint modis omnibus scelerati. erat enim honor hæreditarius. Sed mirum est de Prophetis. Atqui Jeremias per concessionem ita nominat, qui jactabant se divinitus missos esse. Capite 23. prolixe invectus est contra eos: pluribus etiam locis perstrinxit eorum impudentiam, quod falso Dei nomen obtenderent. Tribuit ergo illis honorificum titulum, sed pro nihilo ducit: quemadmodum hodie possumus absque jactura vocare quasi per ludibrium Prælules, & Episcopos, & Pastores, qui tales volunt censeri in Papatu, modo simul larvam ipsis detrahamus.

Ipsi

ipsi autem arripiunt titulum, & volunt ita opprimere Dei veritatem, acsi vocari Episcopum pluris esset, quam Angelum è cælo ipso venire. Atqui si Angelus è cælo prodiret, tamen habendus esset nobis pro diabolo, si proferret fœdas & execrabiles blasphemias, quibus videmus mundum hodie contaminatum esse ab illis nebulonibus. Tenendus est igitur hic locus, ut similes, titulos non sufficere nisi qui eos obtendunt, demonstrent re ipsa tales se esse, hoc est, respondeant suæ vocationi. Promiscue itaque vocatus fuit Jeremias Propheta, & alii impostores, quibus tamen nulla erat religio, corrumpere, & pervertere Legis doctrinam. sed hoc dicitur respectu populi. Interea prudenter discernere convenit inter Prophetas & Doctores, quemadmodum etiam admonet Apostolus, nempe videndum esse an 1 Joan. 4. vers. 1.
Spiritus ex Deo sint necne. Tandem dicit *se fuisse damnatum à Sacerdotibus, & Prophetis, & toto populo:* interserit tamen illam particulam, *se loquutum esse quæcunque Deus mandaverat:* ita breviter perstringit injustitiam eorum, à quibus damnatus est, quod scilicet non spectaverint quid rectum esset, ut mox videbimus: sed ut attulerant conceptum odium, ita evomuerint quod non poterant diutius ferre. Postea sequitur,

9. Quare prophetasti nomine Jehovæ, dicendo, Tanquam Silo erit domus hæc, & urbs hæc perdetur, ut non sit habitator? Congregatus autem erat totus populus ad Jeremiam in Templo Jehovæ. (*hoc per parenthesin legendum est, & refertur ad sequentem contextum, ut suo loco dicemus.*)

Hic additur ratio damnationis, quod scilicet Jeremias ausus fuit tam duriter minitari & sanctæ Urbi, & Templo. Non quærunt an Deus mandaverit, an habuerit justam causam: sed sumunt illud principium, Injuriam fieri Deo, quum aliquid profertur contra Templi dignitatem: deinde Urbem esse sacrosanctam, ideoque nihil posse adversus illam dici, quin derogetur tot & tam eximiis Dei promissionibus, ubi testatur perpetuo fore incolumem, quia in medio ejus resideat. Videmus ergo quo jure aut prætextu damnaverint Jeremiam Sacerdotes & Prophetæ. Quod autem dicunt *In nomine Domini*, non dubium, quin accusent tanquam falsarium qui dixerit sibi hoc divinitus fuisse mandatum: quia ratiocinantur ab impossibili vel absurdo. Deus promiserat Jerosolymam fore sibi æternum domicilium: verba Jeremiæ erant, Urbem hanc ponam tanquam Silo.
Psal. 132. vers. 14. Posset videri Deus in speciem sibi contrarius, Hæc requies mea in seculum seculi: Hoc desertum erit. Videmus ergo non caruisse Sacerdotes & Prophetas illos aliquo specioso colore, ut Jeremiam damnarent. pondus est igitur in eorum verbis: dicunt, Tune facies Deum sibi contrarium? quod enim denuncias ejus nomine, aperte & directe confligit cum ejus promissionibus. Deus autem perpetuo sibi constat, tu igitur falsarius es, & mendax: & ita unus ex pseudoprophetis: quos Dominus non patitur in sua Ecclesia. Interea frivolum fuit quod jactabant: Deus enim non promiserat Templum illud sibi fore perpetuum, ut licentiam inde sumeret populus ad omne genus scelerum. Noluit ergo Deus se obstringere impiis, ut nomen suum exponeret palam ludibrio. Unde apparet Prophetas & Sacerdotes fucum duntaxat facere, quum sumunt pro confesso quod debebat intelligi addita exceptione, nempe si illic pure coleretur, quemadmodum jusserat. Neque enim fas fuit distrahere illa duo, quum Deus exigeret pietatem & obedientiam à populo, deinde promitteret se fore custodem Urbis, & Templum etiam fore salvum sub suo præsidio: Judæi autem sine fide & pœnitentia jactabant quod dictum erat de Templo: imo crepabant, ut alibi vidimus, verba mendacii: supr. 7. 4.
& ideo derisit ipsos Propheta quum tertio repeteret, Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini: quasi diceret, Hæc est vestra futilitas, subinde plenis buccis clamare Templum Dei: sed hoc totum nihil vobis proderit. Postea sequitur *populum fuisse congregatum.* hic sibi transitum facit Jeremias ad reliquam partem historiæ. nam admonet Principes & Regis Consiliarios non frustra commotos fuisse, ut ascenderent in Templum. Si res acta fuisset inter paucos, vel occisus esset Jeremias, vel aliquo modo interceptus: vel poterat etiam fieri, ut Principes, Regem & ejus Consiliarios circumvenirent; hoc modo clam oppressus fuisset sanctus vir. Sed hic interserit particulam, quod scilicet totus populus congregatus esset erga ipsum. Hinc ergo factum est ut rumor in aulam Regis perveniret: ita jussi sunt venire Principes & Consiliarii. In summa, breviter docet Jeremias cur Principes in Templum venerint, quoniam ubique tumultuabatur civitas, quum scilicet sparsus esset rumor, novum aliquid & intolerabile fuisse prolatum. Rex ergo non potuit negligere hunc motum, quoniam periculosum est in tumultu populari cessare. Itaque postea addit Jeremias,

10. Et audierunt Principes Jehudah sermones hos, & ascenderunt è domo Regis in domum Jehovæ, (*hoc est, è palatio Regis in Templum*) & sederunt in foribus portæ Templi Jehovæ novæ.

Diximus Principes fuisse commotos populari clamore: nec dubium est, quin Rex eos miserit, ut compescerent illum impetum. Primo notandum est, fuisse intentos aliis negotiis, ut solent homines aulici rarius dare operam audiendis Prophetis. Verum quidem est sacras esse eorum occupationes, qui curam gerunt reipublicæ, qui exercent judicia, & quibus curæ est publica utilitas: sed ita decebat tempus partiri, ut partem aliquam residuam Deo consecrarent. Atqui putant se quodam privilegio exemptos homines aulici, quum tamen magis necessaria sit illis doctrina quam vulgo hominum. Neque enim tantum cuique incumbit officium patrisfamilias, sed Dominus eos præfecit toti populo. Si ergo privati homines indigent quotidiana doctrina, ut se & familias suas probe gubernent, quid fiet ipsis judicibus, qui veluti patres sunt reipublicæ? sed quemadmodum jam dixi, solent se eximere à jugo fidelium. hinc ergo factum est, ut nullus Principum adesset, quum tamen Jeremias jussus fuisset prodire in medium: non eo tantum die, quo pauci in Templum venissent, sed quum ex cunctis urbibus Jehudah adessent, qui sacrificandi causa venerant Jerosolymam. Hoc igitur fuit nimis turpe, & signum crassi contemptus, neminem ex Regis Consiliariis in Templo apparere, quum ex multis locis remotis adessent, quos illuc religio & studium sacrificandi impulerat. Dicit autem venisse, ut cognoscerent de causa. Dicuntur enim *sedisse ad portam novam*, quam dicunt fuisse Orientalem: & divinant vocari novam, quod instaurata esset. quoniam palatium Regis ad Orientem vergebat, & porta Orientalis erat ejus tribunal: libenter amplector, *quod sederint ad portam Orientalem.* Nunc sequitur,

11. Et

11. Et dixerunt Sacerdotes & Prophetæ Principibus, & toti populo, dicendo, Judicium mortis est viro huic, quia prophetavit contra urbem hanc, quemadmodum audistis auribus vestris.

Hinc colligimus, populum quum subscriberet Sacerdotibus & Prophetis, non egisse quicquam suo judicio, sed turbulento motu cunctos omnium ordinum damnasse Jeremiam. Nunc vero ubi Sacerdotes & Prophetæ ad ipsum quoque dirigunt sermonem, hinc apparet, suspensum illic fuisse populum, quod scilicet temere ad inconsideratum assensum proruperant, ut in turba sæpe contigit clamare, Fiat, fiat, Amen, amen. Dixit quidem Jeremias se damnatum fuisse à toto populo, sed notandum est, populum esse instar maris, quod sponte tranquillum est: simul autem atque surrexit ventus aliquis, magna est commotio, & undæ inter se confligunt: sic etiam contingit populo, qui sine flabellis pacatus esset: verum seditio facile movetur, si quispiam commoveat homines leves, & flexibiles, & fluidos instar aquæ, ut retineamus illam similitudinem. Hoc ergo nunc demonstat Jeremias. sed alterum quoque notatu dignum est, nempe quod vulgus patitur se trahi in omnes partes. Cæterum, facile etiam reducitur ad suam mentem, quemadmodum ille dicit: Tunc pietate gravem, ac meritis si forte virum quem Conspexere, silent, arrectisque auribus adstant, & cætera. *Æneid. 1.* Describit illic Virgilius popularem motum, quem comparat tempestati, & loquitur proprie de tempestate: sed addit comparationem illam ex communi usu. Ergo idem nunc ostenditur nobis à Propheta? Sacerdotes & Prophetæ quum solis ipsis liceret magnifice jactare suam potentiam, & pro imperio loqui, cogebant quodammodo populum ad speciem consensus. Nunc ubi adsunt Regis Consiliarii, populus quasi mutatus est: & Sacerdotes hoc sentiunt. & videbimus ex eventu fuisse completum quod dicit idem Poeta, Ille regit dictis animos, & pectora mulcet. Nam facile fuit Consiliariis Regis uno verbo corrigere stultum illum impetum populi. Videbimus enim statim sine controversia dixisse, Non est judicium mortis huic viro. Unde palam fit quam facile secum pugnent miseri homines: sed hoc tribuendum est inconstantiæ. Deinde notandum est quod dixi, nullum fuisse consensum, sicuti nullum erat judicium. Premebat eos Sacerdotum auctoritas, ita serviliter confessi sunt quicquid videbant placere suis Principibus: quemadmodum asinus auribus annuit. Nunc ubi retexenda est causa, soli Sacerdotes & Prophetæ loquuntur tam ad Principes, quam ad totum populum Jeremiam esse reum mortis, quia prophetaverat contra Urbem. Diximus fundatos fuisse in illis promissionibus, quas perperam trahebant ad confirmandam suam impietatem, quod scilicet Deus Urbem illam elegerat, ut in ea coleretur. Falsum illud erat principium. & unde error? non ex mera inscitia, sed potius ex superbia, quemadmodum hypocritæ nunquam falluntur nisi quia illis decretum est non obtemperare Deo, & quantum in ipsis est, rejicere ejus judicia. Quum ergo ferantur illo perverso & scelerato affectu, semper reperiunt quod habeat aliquid coloris: sed fucus est, quemadmodum facile perspicimus ex hac historia. Sequitur,

12. Et dixit Jeremias cunctis Principibus, & toti populo, dicendo, Jehovah misit me ad prophetandum contra domum hanc, & contra urbem hanc cunctos sermones quos audistis.

Opponit duntaxat Jeremias vocationem, & mandatum Dei: & ita refellit præposterum illud commentum, quo videbat se gravari, & nimis impudenter. Non dubium est, quin pluribus verbis differuerit: sed satis habuit complecti summam defensionis suæ. Quod si texuisset longum sermonem, fuisset ipsa rei summa obscurior: nunc dilucide patet qualis fuerit utrimque status causæ. Sacerdotes damnabant hoc nomine Jeremiam, quod in nihilum redigeret promissiones Dei, quia minitabatur excidium Urbi & Templo: Jeremias autem ex opposito respondet se nihil protulisse, nisi quod Deus injunxerat. Opus fuit probatione, ut ostenderent Sacerdotes Deum sibi esse contrarium si denunciaret cladem Urbis, quam susceperat in fidem & tutelam suam. Sed refutatio fuit in promptu, quod scilicet Deus se non obligaverit hypocritis, & impiis: imo tota Urbis excellentia, & Templi majestas pendebat ab ejus cultu. nec dubium est quin Jeremias hæc protulerit. Sed quod præcipuum est, contentus fuit referre se divinitus fuisse missum. Ita oblique perstringit vanas eorum jactantias, quum dicerent Deum stare à parte sua: atqui non venio nisi mandato Dei, inquit. Quanquam autem breviter, & præcise dicit se à Domino fuisse missum, hic tamen offert se ad omnia probanda: & quemadmodum jam dixi, non dubium est quin solverit & discusserit frivolam illam quæstionem, in qua tamen fundati erant Sacerdotes. Cæterum, notatu etiam dignum est, quod compellat Principes & populum: quia hoc modo ostendit surdos esse Sacerdotes & Prophetas, neque se dignari eos alloqui, quoniam propositum illis sit Deum superbe despicere, & bellum gerere quasi ex professo cum ejus servis. Nam haud dubie libenter etiam ipsos conatus fuisset revocare in viam salutis. Sed quia videbat clausam sibi esse januam, ideo ipsos præteriit. Hæc ratio est, cur dicat *sermonem direxisse ad solos Principes & populum*, omissis illis, apud quos operam lusisset. Et certe quum dixissent illum esse reum mortis, tali superbia ostenderant se non fore discipulos: deinde, crudelitas etiam obstabat, quo minus mansuescerent. Sed fontem ipsum respexit Propheta, quod scilicet volebant contumaciter, & Deo, & omnibus Prophetis se opponere. Quum dicit *se missum fuisse ad prophetandum quæcunque ipsi audierant*, statuit ipsos judices, quanquam non loquutus fuerit cum Principibus. Vidimus enim ipsos fuisse in Regis palatio, & fuisse accitos quum metuerent sibi ab aliqua turba. Sed non dubium est, quin sermo de integro fuerit repetitus. Statuit ergo ipsos judices & arbitros Jeremias quum dicit se nihil retractare, sed quæcunque audierant, se fideliter pertulisse ex Dei mandato. Sequitur,

13. Et nunc bonificate (*bonas facite*) vias vestras, & studia vestra, & obtemperate voci Jehovæ Dei vestri, & pœnitebit Jehovam omnis mali quod pronunciavit contra vos.

Hic non tantum confirmat suam doctrinam, sed objurgat duritiem, & obstinatam malitiam Sacerdotum & Prophetarum. tametsi enim alloquitur Principes, & populum, tamen non dubium est, quin voluerit acrius pungere impios illos, qui sese ingerebant contra Deum. interea tamen extenditur sermo ad omnes, quum dicit, Quid peccavi? ego consului saluti vestræ: moriar igitur. Videmus ergo ut Pro-

pheta non tantum confirmet suam doctrinam, sed ultro accuset ac condemnet suos adversarios ingratitudinis, quia nihil debebat ipsis esse magis amabile, vel suavius, quam vocari ad pœnitentiam, ut Deus esset illis misericors. Quorsum spectat doctrina mea? nempe ut resipiscatis. resipiscentia quid affert? nempe salutem: Deus enim paratus est vobis ignoscere. nunc non potestis ferre, ut Deus sit vobis misericors: qualis est ista rabies? Jam ergo videmus quorsum tendat consilium Prophetæ. Et bic locus notandus est, quia omnibus impiis Deus mercedem rependet: non tantum quod obduruerint ad omnem doctrinam, sed quod fuerint manifesti & quasi jurati hostes propriæ salutis: ex quo non admiserunt remedium sibi necessarium, nec sustinuerunt se reduci in viam, ut ipsis ignosceret. Nunc ergo emphaticum est quod dicit, in doctrina sua nihil posse reprehendi, nisi quod vellicaverit impios vel pupugerit: sed interea posse ipsos placari, modo quærant reconciliationem cum Deo. Addit, *Audite vocem Jehovæ*, ut ostendat se nihil exigere novum à populo, se non imponere aliquod jugum durius: sed tantum revocare ipsos ad obedientiam Legis. Et addit, *Obtemperate voci Jehovæ Dei vestri*: ut tollat ipsis excusationem, ne scilicet objiciant, sibi incognitum esse quod profert Jeremias. Hic ergo magnifice proounciat se nihil alienum docuisse à Lege, & ideo inexcusabiles esse Judæos qui profitebantur Jehovam esse Deum suum, quum tamen non admitterent ejus vocem, quæ debuerat illis esse familiaris.

Da omnipotens Deus, quando non tantum semel nos vocasti in spem æternæ hæreditatis, sed quum assiduis peccatis non desinamus ab ea recedere, invitas nos assidue ad pœnitentiam, ne surdis auribus respuamus vocem tuam, sed tibi simus flexibiles, ac morigeri: deinde sic assuescamus ad ferendum jugum tuum, ut probemus toto vitæ nostræ cursu nos esse ex tuis ovibus, & Christum unigenitum Filium tuum, quem nobis præfecisti, vere nobis esse Pastorem, donec colligamur in regnum illud, quod nobis sanguine suo acquisivit, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA PRIMA

IN

JEREMIAM.

14. Et ego, Ecce ego in manu vestra, facite mihi sicuti bonum, vel sicuti rectum erit in oculis vestris.

15. Veruntamen sciendo scite, quod si vos occideritis me, sanguinem purum (*Vel innoxium*) vos ponetis super vos, & super urbem hanc, & super habitatores ejus: quia in veritate misit me Jehovah ad vos, ut loquerer in auribus vestris cunctos istos sermones.

Postquam hortatus est Jeremias Principes, & Sacerdotes, & totum populum ad pœnitentiam, & ostendit malo esse remedium, nisi sua obstinatione magis ac magis provocent iram Dei: nunc de se loquitur, & admonet, ut ne crudelitati suæ indulgeant, sicuti jam ipsis decretum erat eum occidere. protulerant enim sententiam, morte esse dignum. Videbat igitur rabiem ipsorum sic ardere, ut fere desperatum esset de ejus vita. Hic vero minatur Deum fore ultorem si injuste contra ipsum sæviant. Interea ostendit, se non adeo sollicitum esse de propria vita, ut negligat quod præcipuum est. permittit enim se eorum libidini: Statuite de me ut voletis, inquit: videte interea quid agatis: Dominus enim non sinet sanguinem innoxium impune fundi. Quum dicit *se esse in manu eorum*, non intelligit se esse extra curam Dei: sed Christus etiam
Mat. 10. vers. 28. sic loquitur, quum hortatur suos discipulos, ne metuant eos qui possunt corpus occidere. Non dubium est quin capilli nostri sint numerati coram Deo. ita fieri non potest, ut tyranni dum maxime sæviunt, attingant nos minimo digito: nisi quatenus illis permissum fuerit. Certum igitur est, vitam nostram nunquam esse in manu hominum, quia Deus est fidelis ejus custos, sed humanitus hoc dicit Jeremias *vitam suam esse in eorum manu*: quia Dei providentia nobis occulta est, neque possumus eam cernere nisi fidei oculis. Quum ergo hostes videntur sic nobis dominari, ut nullum sit effugium, per concessionem Scriptura dicit nos esse in eorum manu, nempe quatenus sensus noster apprehendit. Interea tenendum est, nos minime esse expositos improborum libidini, ut statuant de nobis quicquid visum fuerit. Deus enim illos occulto freno regit, & manus eorum, & animos gubernat: & sententia illa manere fixa debet, Vitam scilicet nostram esse in fide & custodia Dei. Nunc ergo videmus quo sensu dicat Jeremias *vitam suam esse in manu hostium*, non quod putet se abjectum esse à Deo, sed quia agnoscit eum laxasse habenas impiis, ut possint contra eum furere. Sed simul tenendum memoria est quorsum hoc dicat: postquam enim concessit vitam suam esse in eorum manu, addit, *Veruntamen sciendo sciatis, quod si occideritis me, ponetis sanguinem purum contra vos*, &c. interserit autem, *Ut statuant quicquid visum fuerit*. *Bonum*, & *rectum* accipitur pro judicio bene composito ad regulam æquitatis, sed pro injusta libidine: sic loquuntur Hebræi vulgariter. Ergo testatur Jeremias se non esse anxium de vita, quoniam paratus sit se offerre quasi in sacrificium, si hucusque progressa fuerit hostium sævitia. Quod autem admonet eos, ut sibi caveant à vindicta Dei: hoc facit non tam respectu propriæ salutis, quam ut eos ad pœnitentiam stimulet. Ingenue ergo dicit sibi mortem non esse metuendam, quia mox Dominus vindicem sese ostendet: interea sanguinem suum ita fore pretiosum Deo, ut tota Urbs una cum populo pœnam luat, si quid injuste contra ipsum egerint. Tenenda est autem ratio quam adjungit: nempe *quod in veritate ipsum Deus miserit*. Sumit autem hoc principium, Fieri non posse, ut Deus servos suos deserat, quibus pollicitus est se fore auxilio quum inique oppressi fuerint ab impiis. Deus quidem hortatur semper ministros verbi sui ad tolerantiam: vult etiam ad mortem paratos esse quoties opus fuerit: tamen promittit se opem laturum ubi laboraverint. Jeremias ergo huic promissioni innititur, & ita sibi persuadet fieri non posse, ut Deus ipsum deserat: quoniam non potest frustrari suos, vel fidem illis datam non præstare. Quoniam ergo sibi probe conscius est suæ vocationis, & Deum sibi esse auctorem cognoscit totius suæ prædicationis, ideo animose concludit, sanguinem suum non posse impune fundi. Hac fiducia omnes pii doctores se animare debent ad munus suum strenue obeundum, quod scilicet Deus, qui illis mandavit munus docendi, non possit ipsos destituere, quin opem ferat, quatenus utile fuerit. Nunc sequitur,

16. Et

16. Et dixerunt Principes, & universus populus Sacerdotibus, & Prophetis, Non est viro huic judicium mortis: quia in nomine Jehovæ Dei nostri loquutus est nobis.

Hic ostendit Jeremias repente fuisse mutatum quicquid decreverat Sacerdotes, & falsi Prophetæ. audierant quidem ipsum, & præbuerant speciem aliquam docilitatis, sicuti hypocritæ ad tempus auscultant: sed se exasperant adversus Deum, & quum prius essent virulentis animis, redduntur multo deteriores ipso auditu. Ita contigerat Sacerdotibus & falsis Prophetis, & in illo cæco furore addixerant morti sanctum Prophetam. Nunc dicit se absolutum fuisse à Proceribus, & Regis consiliariis: adjungit populi suffragia. atqui populus nuper ipsum damnaverat, nempe quoniam rapiebatur inani illo splendore: quum videbat Sacerdotes & Prophetas ita infestos esse Jeremiæ, non poterat in animum inducere, cognosceadum esse da causa. Vulgus ergo præjudiciis semper excæcatur, ita ut rem ipsam non audeat examinare: sic factum est, quum Jeremias fuit damnatus. Diximus vulgus per se quietum esse & pacatum: sed Prophetæ & Sacerdotes erant quasi flabella. Sic ergo factum est, ut populus statim subscriberet: sed ubi adsunt Principes, in contrariam partem descendunt. In summa, docet hic locus quam pestiferi sint gubernatores, ubi nulla est illis æquitatis, vel justitiæ cura, & ratio: docet etiam quam optabile sit, habere probos & moderatos gubernatores, qui tueantur bonas & justas causas, & succurrant miseris, & indigne oppressis. in vulgo autem videmus nihil esse firmum, & stabile, sed circumagi huc & illuc, prout ventus ab una vel altera parte surgit. Sed notandum est istud membrum, ubi dicunt *Jeremiam non esse reum mortis: quia loquutus sit in nomine Domini.* fatentur enim recipiendum esse quicquid à Deo profectum fuerit, & homines nimium insanire, ubi oppugnant servos Dei: quia in suam perniciem feruntur præcipites. Hinc igitur colligere licet utilem doctrinam, nempe sine exceptione reverenter esse excipiendum quicquid Dominus mandavit, & dignum esse ejus nomen hac reverentia, ut nihil tentemus contra ejus servos, & Prophetas. Loqui autem in nomine Domini, hic tantundem valet atque perferre fideliter Dei mandata: nam pseudoprophetæ obtendunt Dei nomen, sed falso. populus autem hic agnoscit Jeremiam pro vero Propheta, qui temere se non ingessit, neque abusus est Dei nomine, sed qui sincere functus est officio suo. Sequitur,

17. Et surrexerunt viri ex senioribus terræ, (*ex senibus terræ*) ac dixerunt ad totum cœtum populi, (*vel loquuti sunt*) dicendo, (*est quidem semper verbum* אמר. *loquuti sunt ergo ad totum cœtum, dicendo*)

18. Micha Morasthites fuit prophetans diebus Ezechiæ regis Jehudah, ac dixit ad totum populum Jehudah, dicendo, Sic dicit Jehovah exercituum, Sion ager (*sed subaudienda est particula similitudinis, Sion ut ager*) arabitur, & Jerusalem solitudines (*vel acervi*) erit, (*hoc est, erit in solitudines, vel in acervos, vel in ruinas*) & mons domus (*id est, Templi*) in excelsa sylvæ.

19. An occidendo occidit eum Ezechias rex Jehudah, & totus Jehudah? an non timuit Jehovam? & deprecatus est faciem Jehovæ, & pœnituit Jehovam mali, quod loquutus fuerat contra eos: & nos facimus malum grande adversus animas nostras.

Incertum est an quæ hic recitantur dicta fuerint ante absolutionem Jeremiæ. Scriptura enim non semper curiose servat ordinem in rebus narrandis: & tamen probabile est, quum adhuc deliberarent, nec dum satis pacati essent plebis animi, seniores interposuisse hunc sermonem, ut sedarent omnes turbas, & mitigarent iratos animos, ac reconciliarent Jeremiæ, qui prius stulte adversus eum excanduerant. Neque enim dubium est, quin Sacerdotes & falsi Prophetæ omni artificio conati fuerint stultum vulgus contra Prophetam irritare, ac proinde erat opus non uno genere remedii. Quum igitur viderent senes adhuc fervere iracundiam in populo, nec dum satis compositos esse ad benevolentiam animos, usi sunt hoc sermone. Argumentantur igitur ab exemplo, quod Jeremias non fuerit primus testis & præco tam horribilis vindictæ: quia Deus ante illud tempus, & pridem solitus fuerit loqui per alios Prophetas adversus Urbem & Templum. Gravabant enim Sacerdotes & Prophetæ Jeremiam colore novitatis, & interea fingebant se communi jure fretos tam acriter pugnare. dixerat Jeremias, Deum non parsurum neque sanctæ Urbi, neque Templo. hoc
Psal. 132. vers. 14. erat intolerabile: dictum enim fuerat de Templo, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo. Videmus ergo Jeremiam fuisse quasi uno verbo oppressum, quum falsi Prophetæ & Sacerdotes illi objicerent, Tu ergo irritas facis Dei promissiones? tu pro nihilo duces sanctitatem Templi? & interea fingebant neminem ex Prophetis unquam ita fuisse loquutum. Quid nunc autem respondent senes? nempe fuisse alios Prophetas, qui denunciaverint Urbi & Templo interitum: ergo nunc perperam gravari sanctum virum hac infamia, acsi primus protulisset hoc Dei judicium. Nunc ergo tenemus statum causæ. defenditur Jeremias quod neque solus, neque primus tam graviter fuerit minatus Urbi & Templo, sed habuerit alios auctores, ex quorum ore loquutus sit, & quidem certos & legitimos Dei servos, & quibus non possit fides detrahi, qualis erat Micha. Jam quod hic refertur etiam legitur tertio capite ejus Prophetæ. nam certamen simile erat Mi- Mich. 3. vers. 12.
chæ cum Sacerdotibus & Prophetis, quale postea Jeremiæ fuit. dicebant enim fieri non posse, ut Deus ita sæviret contra sanctam Urbem & Templum. Dicebant, הלא יהוה בקרבנו, An non Jehovah in medio nostri? לא תבוא עלינו רעה, dicebant, Non veniet super nos malum. Ergo erant ebrii tanta securitate, ut putarent se esse extra omne periculum, & despicerent omnes minas Propheticas: quoniam putabant Deum sibi esse obstrictum. Sciamus autem hypocritas semper confisos fuisse promissione illa, Psal. 132. vers. 14.
Hic habitabo: & sumunt etiam, ac mutuantur verba quasi ea ore Dei, sed pervertunt ut falsarii, Deus residet in medio nostri: non potest igitur quicquam adversi nobis contingere. dixit autem Propheta, (eadem sunt verba quæ nunc recitavimus) *Propter vos Sion ut ager arabitur, & Jerusalem in acervos erit, & mons domus hujus in excelsa sylvas.* Nunc singula expendamus: primo dicitur, *surrexisse senes ex populo terræ.* itaque probabile est non vocari senes, ut aliis compluribus locis, officii respectu, sed potius ætatis. Certum quidem est, præditos fuisse auctoritate, sed tamen non dubito quin provectæ fuerint ætatis, ut possent quæ multis annis ante contigerant referre ad populum. Quum addit *eos loquutos esse ad totum cœtum populi*, hinc colligimus quod nuper dicebam, nempe sic tumultuatum fuisse vulgus, ut

adhuc opus esset placida oratione ad mitigandum illum ardorem. & certe ubi semel exorta est atque effer buit seditio, non adeo facile est eam protinus sedare. Quum ergo viderent boni senes adhuc esse exulceratos vulgi animos, ideo usi sunt hac moderatione. Dicunt autem, *Micha Morasthites* (est nomen patriæ: Micheas ergo) *fuit prophetans in diebus Ezechiæ regis Jehudah.* Notanda est circumstantia temporis: quia mirum videri posset, quum sanctus ille Rex intentus esset toto studio ad promovendum Dei cultum, res adeo fuisse confusas, ut opus esset tam severa denunciatione. Si quis unquam ex piis Regibus vere & serio incubuit in studium pietatis, certe hic fuit quasi primum & præcipuum exemplar: nullis laboribus pepercit, nullum periculum, nullam molestiam unquam visus est refugere, quoties religio ita flagitabat: sed videmus quantumvis strenue laboraverit, tamen non potuisse consequi suo zelo, & perseverantia, ut totus populus sequeretur tam præclarum ducem quid ergo fiet, ubi frigidi sunt ac ignavi, qui aliis viam monstrare debent? interea exemplo Ezechiæ sese confirment boni Principes, ne labascant, vel deficiant animis quum vident successum non statim respondere suis laboribus, neque fructum extare. Est enim hæc gravis tentatio, & quæ concutit etiam cordatissimos quosque, dum existimant se frustra conari, & inutiles esse suos labores, imo se quasi operam ludere. sic enim fit ut multi cursum retroflectant: sed hoc exemplum Ezechiæ debet illis venire in mentem, ut pergant nihilominus, quamvis non affulgeat spes prosperi exitus. neque enim destitit Ezechias, quamvis Satan modis omnibus objecerit multa impedimenta, atque etiam in speciem everterit omnes ejus labores, ne quem fructum proferrent. hoc quantum ad tempus spectat, cujus hic fit mentio. Dicunt seniores, *loquutum fuisse Micheam ad totum populum, dicendo, Sic dicit Jehovah, Sion arabitur ut ager* Jam vidimus qua occasione ita aspere loquutus fuerit Micheas, quum scilicet opponerent hypocritæ perversam confidentiam, & falso objicerent Dei nomen, acsi illum tenerent sibi obstrictum: *Propter vos*, inquit, *Sion arabitur ut ager.* incipit ab ipso Templo: deinde adjungit, *Et Jerusalem erit in acervos*, vel in solitudines: postremo, *Et mons domus*, hoc est, Templi. Repetit quod jam dixerat. quid enim aliud est mons Templi, quam Sion? sed quia vaticinium hoc vix poterat à Judæis admitti, ideo Propheta bis idem dixit confirmationis gratia. unde colligimus non esse supervacuum sermonem, sed ita incuti terrorem hypocritis, qui obduruerant contra omnes Dei minas: & putabant se fore salvos, etiamsi totus mundus rueret. Nunc postquam retulerunt quod denunciaverat Micheas, adjungunt, *An occidendo occidit eum Ezechias rex Jehudah, & totus Jehudah?* Exemplo pii regis Ezechiæ hortantur populum ad mansuetudinem, & docilitatem, & ostendunt hoc honoris deberi tam Deo, quam ejus Prophetis, ut ne excandescamus contra ejus objurgationes & minas, utcunque acriter illis pungamur, atque etiam penitus vulneremur. Sed simul adjungunt, *An non timuit Jehovah? & deprecatus est faciem Jehovæ? & Jehovam pœnituit?* Confirmant quod ante dixerat Jeremias, non aliud superesse remedium, nisi ut se placide subjicerent doctrinæ Propheticæ, & simul confugerent ad Dei misericordiam. nam per Dei timorem hic designatur vere conversio. quid enim aliud est timor Dei, quam reverentia, qua ostendimus nos esse morigeros ejus placitis, quoniam & pater est, & dominus? quisquis ergo Deum agnoscit & patrem & dominum, fieri non potest quin ex animo se ejus arbitrio addicat. Ergo significant senes tam Ezechiam quam totum populum fuisse vere ad Deum conversos. Pœnitentia autem, ut satis notum esse debet, continet in se duas partes, nempe ut sibi displiceat peccator in suis vitiis, & postquam sese abdicavit pravis omnibus carnis cupiditatibus, ut cupiat formare totam suam vitam, & ejus actiones ad regulam justitiæ Dei. Sed adduot simul, *quod deprecati fuerint.* Tametsi enim utitur Jeremias singulari numero, tamen complectitur populum simul cum Rege: videtur tamen data opera singulari numero usus ad Regis commendationem: cujus eximia & fere incomparabilis fuit pietas. Nec dubium est, quin aliis viam monstraverit, ut resipiscerent: deinde ut suppliciter deprecarentur vindictam illam, quæ merito percellere debebat eorum animos. Tribuit quidem hoc præcipue sancto Regi: sed extenditur tamen idem studium ad Proceres ac totum corpus populi: ut paulo post videbimus. *An non ergo deprecatus est faciem Jehovæ?* Hoc secundum membrum notatu dignum est: quia non potest etiam peccator ad Deum converti, nisi cum spe veniæ & salutis. nam semper horrebimus ad conspectum Dei, donec proposita fuerit nobis spes reconciliationis. Ideo Scriptura quoties de pœnitentia loquitur, simul adjungit fidem. Sunt quidem res distinctæ, sed tamen non diversæ, nec separari debent, ut quidam parum considerate faciunt. nam pœnitentia est conversio totius vitæ, & quasi renovatio: fides autem reos confugere docet ad Dei misericordiam. Sed tamen ut notanda est distinctio inter pœnitentiam & fidem: ita cohærens inter se, ut qui alteram ab altera divellit, prorsus utramque relinquat. Hunc ordinem nunc sequitur Propheta quum dicit *Ezechiam deprecatum fuisse faciem Dei.* unde enim hic precandi affectus nisi ex fide? non sufficiet igitur, si quis tangatur odio & displicentia scelerum suorum, & cupiat se formare ad Dei voluntatem, nisi de reconciliatione & venia cogitet. Ostendunt igitur senes remedium, & quasi digito monstrant: quia si populus exemplo Ezechiæ & aliorum resipiscat, deinde simul ad misericordiam confugiat, & testetur fidem suam precibus, Deum fore exorabilem. Ideo sequitur, *Et pœnituit Jehovam mali, quod loquutus fuerat super eos.* nunc pluralem numerum usurpat Propheta. Unde colligimus sub persona unius regis Ezechiæ prius comprehendisse totum populum. *Pœnituit ergo Deum mali.* Quantum ad formam loquendi spectat, non prolixe de ipsa disseram. scimus in Deum non cadere mutationem. unde enim pœnitentia nisi quod multa eveniunt præter spem, quæ cogunt nos mutare consilium? aliquid agitaverat quispiam, sed putavit fore quod non est: ergo necesse est, ut retractet quod statuerat. pœnitentia igitur est comes ignorantiæ. Jam sicuti Deum nihil prorsus latet, ita fieri non potest, ut eum pœniteat. quare? nihil enim statuit nisi ex certa providentia: quoniam omnia sunt sub ejus oculis. sed refertur hæc loquutio ad sensus hominum, quod *Deum pœniteat*, ubi scilicet non exequitur quod pronunciaverat. Nec mirum est, si Deus ita balbutiat nobiscum. sed ubi molles & teneras aures offendit hæc asperitas, potius miremur Dei indulgentiam, quum ita ad nos usque descendere dignatur, & loqui pro captu nostræ ruditatis. Nunc tenemus quid sit Deum pœnitentia affici, nempe ubi non exequitur quod denunciaverat. interim manet fixum ejus consilium: neque enim obumbratio ulla in eum cadit, quemadmodum dixit Jacobus. Sed potest iterum *Jacob. 1. vers. 17.* objici quæstio, quomodo tunc Deum pœnituerit mali, quod minatus fuerat tam Regi quam populo? nempe quia vindictam suam distulit. neque enim simpliciter Deus abrogavit suum decretum, vel etiam promulgationem ejus, sed pepercit Ezechiæ, & populo qui tunc erat. Dilatio igitur vindictæ Dei vocatur pœnitentia, quoniam non expertus est Ezechias quod timuerat: neque enim vidit ruinas Urbis, & triste ac horribile illud spectaculum, de quo vaticinatus fuerat Micha. Jam hoc etiam notandum est, pium Regem hic laudari à Spiritu sancto, quod passus fuerit sese tam duriter

objur-

objurgari, quum tamen sibi non male esset conscius, quemadmodum nuper dicebam. certe tutur flagravit sancto zelo, & paratus fuit suscipere quaslibet molestias pro Dei cultu promovendo: tamen sustinuit placide, & æquo animo Prophetam, quum de ruinis Urbis & Templi loquutus est: quia scilicet videbat sibi opus esse tali adjutore. Nam quantumvis cordate sancti Principes studia omnia sua conferant ad promovendam Dei gloriam, tamen Satan illis obsistit: ergo semper cupiunt, sicuti optandum est, habere veros & sinceros Doctores, qui porrigant illis manum, & qui ipsos adjuvent, & qui confirment, & sese opponant eorum adversariis. nam si Doctores sileant & dissimulent, ita major invidia redundat in bonos Principes, & magistratus. nam si exerto gladio vindicent Dei gloriam & cultum, Doctores autem ipsi sint canes muti, omnes vociferantur, O, quid sibi vult ista severitas? parcunt auribus nostris Doctores: isti autem non parcunt etiam sanguini nostro. Optabile igitur semper erit bonis & sanctis Regibus, habere fortes & animosos Doctores, qui clament pleno gutture, & confirment studium ipsorum Principum. Talis igitur fuit affectus sancti Ezechiæ, quemadmodum colligere licet ex hoc loco. Reliqua differam.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos tibi colligere in populum, & promittere nos fore instar spiritualis templi, in quo resideas, ut domicilium tibi perpetuum apud nos consecremus, & ita studeamus totam vitam nostram tibi addicere, ne unquam à nobis discedat hæc tua gratia & benedictio: sed magis ac magis experiamur nunquam tuo præsidio destitui eos, qui in te vere & sine fictione recumbunt, ita ut magis ac magis glorificetur in nobis nomen tuum per unigenitum Filium tuum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SECUNDA

IN

JEREMIAM.

HEri vidimus exemplum quod protulerunt seniores, ut eriperent Jeremiam à morte, nempe quia non fuerat primus, qui tam atrociter minatus fuerat Urbi & Templo: quoniam sub regno Ezechiæ idem fecerat Micha, qui tamen non fuerat interfectus. nunc concludunt hoc esse grave scelus, si occiderint Jeremiam, quod non manebit impunitum. dicunt ergo populum obstrictum fore gravissimo reatu, si Jeremiam occiderit, & simul adjungunt instare ultionem, quia Dominus rependet dignam mercedem, si ita sævierint in sanctum Prophetam. Nunc sequitur,

20. Atque etiam vir fuit prophetans in nomine Jehovæ Urias filius Semeah ex Cariath-jarim, & prophetavit contra urbem hanc, & contra terram hanc secundum sermones Jeremiæ.

21. Et audivit rex Joakim, & omnes Magnates ejus, & Proceres sermones ejus, & quæsivit Rex interficere ipsum: & audivit Urias, & timuit, & fugit, & transivit (*vel concessit*) in Ægyptum.

22. Et misit rex Joakim viros in Ægyptum, Elnathan filium Achobor, & viros cum eo in Ægyptum:

23. Et eduxerunt Uriam ex Ægypto, & adduxerunt eum ad regem Joakim, qui percussit cum gladio, & projecit cadaver ejus in sepulchra populi. (*vel plebis potius.*)

Adducitur aliud exemplum partim diversum, partim simile: diversum, quoad Regem, simile quoad Prophetam: Urias enim cujus hic fit mentio, functus est sua legatione fideliter: non potuit liberam ejus prædicationem ferre Joakim, itaque eum interfecit. Quidam exponunt uno contextu quasi seniores voluerint ostendere impios nihil proficere, ubi adversantur Dei Prophetis, nisi quod litigando magis ac magis se constringunt. Alii autem existimant sermonem hunc fuisse inductum à parte adversa: & videtur illis suffragari particula וגם, *atque etiam*. nam potest sumi adversative, quasi dicerent, Atqui fuit alter Propheta qui non impune concionatus est de clade Urbis, & interitu Templi. Videtur etiam confirmare hanc sententiam quod sequitur ultimo versu cap. אך יד אחיקם. nam אך proprie significat veruntamen: aliquando sumitur pro saltem, vel tantum. Sed hoc loco, sicuti iterum paulo post dicam, retineo proprium sensum, quod scilicet affirmet Propheta, quamvis esset in magno discrimine, tamen Achicam fortiter pugnasse, ita ut tandem fuerit causa superior. Quantum vero pertinet ad præsentem locum, utraque expositio probabilis est, vel quod improbi objecerint mortem Uriæ, ut ita opprimerent Jeremiam, vel quod Dei cultores ostenderint non esse hanc agendi rationem: quia res lapsæ sint in deterius, ex quo tam crudeliter occiderat servum Dei rex Jehojakim. Sed in primis notandum est tempus. vidimus enim hoc vaticinium principio regni Jehojakim fuisse mandatum Jeremiæ, & simul promulgatum. Principium vero illud non debet restringi vel ad primum vel ad secundum annum. sed quia factus est tributarius regi Babylonio, postea conatus est jugum excutere, & tandem fuit misere dejectus: ideo principium regni accipitur pro statu adhuc integro. Quum itaque retineret suam dignitatem Jehojakim, jussus est hæc mandata perferre Jeremias. Quicquid sit, rex Jehojakim tum regno tranquillo potiebatur, erat Jerosolymæ: ideo hic non dicitur Uriam in diebus ejus minatum fuisse urbi; sed narratur historia tanquam de re præsenti. hoc igitur unum est, sermonem hunc fuisse habitum, quum non procul abesset rex Jehojakim. Erat enim palatium regis contiguum Templo; aderant ejus consiliarii, qui descenderant, quemadmodum vidimus, ob tumultum. Nam res non poterat esse occulta, quum ubique accenderent populi rabiem Sacerdotes & falsi Prophetæ. Ergo venerant Regis consiliarii ad turbas istas sedandas. Si hæc oratio tribuitur Jeremiæ defensoribus, certe oportuit illos instructos esse magna fortitudine animi & constantia, quod objicerent Regi nefandam cædem, & simul eum sacrilegii damnarent, quod non tantum injuriam fecisset sancto Prophetæ, sed oppugnasset ipsum Deum in ejus persona. Utrimque probabiles sunt conjecturæ: quia si sequimur sententiam hanc, nempe quod Dei cultores, qui favebant Jeremiæ, & volebant ipsum eripere ex periculo, ita loquuti sunt; poterit objici nihil tale exprimi. nam uno contextu addi-

additur, *Atque etiam fuit vir.* Ubi autem loquuntur diversi homines, deinde ubi alii aliis repugnant, solet notari aliquod discrimen. Videtur ergo uno contextu hoc legendum esse, quod iidem illi, qui prius exemplum Michææ recitaverint, ex opposito adjungant, Uriam dedisse quidem pœnas, sed ita scelus sceleri fuisse additum, ut nihil profecerit Jehojakim quum ita furiose persequutus est Dei Prophetam. Quod autem non loquuntur de exitu, non debet videri absurdum, quia tunc nota erat omnibus urbis & populi conditio, & periculum gravius instabat. Potuit igitur proferri ab ipsis simplex historia: & quoniam non audebant exacerbare Regis animum, ideo utilius fuit relinquere partem illam in suspenso. Si autem magis placeat contraria expositio, quod scilicet hostes Jeremiæ hic contra insurgant, & opponant exemplum Uriæ, etiam aliquis erit rationis color. Vivebat Rex, aderant ejus Consiliarii, quemadmodum diximus. Potuit igitur fieri ut qui volebant Jeremiam perditum, recenti hoc exemplo abuterentur ad ejus perniciem: Cur hic incolumis evadet, quum nuper occisus fuerit Urias, quando eadem prorsus est causa? Urias enim non longius progressus est quam Jeremias: visus est potius sumere sermones ex ore illius. Quum ergo Rex illum occiderit, an parcetur nunc Jeremiæ? cur pœnam effugiet, qua ille defunctus est, quum gravior sit ejus culpa? Hinc apparet posse non absurde defendi illam expositionem, quod scilicet hostes Jeremiæ præjudicio hoc gravare eum conati sint, quia jam Rex supplicium de Uria sumpserat, cujus non absimilis fuerat causa. & hanc quoque expositionem non rejicio. Si cui magis placeat, patronos Jeremiæ prosequi suum sermonem, facile admittam: sed non audeo tamen repudiare simpliciter sensum istum, quod scilicet gravatus fuerit Jeremias præjudicio, dum propositus est in exemplum Urias, qui ideo occisus fuerat à Rege, quoniam vaticinatus fuerat contra urbem & Templum. Nunc expendamus verba. *Fuit etiam vir prophetans in nomine Jehovæ.* Si recipimus eorum sententiam, qui putant hostes Jeremiæ loqui, nomen Jehovæ hic sumetur duntaxat pro fallaci prætextu, acsi dicerent, Hoc jam nimis vulgare est, obtendere nomen Dei. nemo enim qui sibi vendicat docendi munus non jactat se divinitus esse missum, & sibi mandatum esse à Deo quicquid loquitur. Sic ergo oblique perstringerent Jeremiam, quod non sufficiat obtendere nomen Dei, quia Urias de quo loquuntur, etiam professus sit pleno ore se esse Dei Prophetam, nec quicquam proprium afferre, sed habere certam vocationem. Quod si hic sermo tribuitur Dei cultoribus, & quibus propositum erat defendere ac tueri salutem Jeremiæ, jam heri diximus quid sit In nomine Jehovæ loqui, nempe non tantum gloriari de munere Prophetico, sed fidem facere fidei atque integritatis: ut re ipsa scilicet atque effectu probet se esse Dei Prophetam, qui vult talis censeri. Postea addunt, *Prophetavit contra urbem hanc, & contra terram hanc secundum sermones Jeremiæ.* Si adversarii Prophetæ loquuntur, videmus eum opprimi, quasi posthac supervacuum sit cognoscere de ejus causa, quum alter jam damnatus fuerit, qui tamen nihil habebat ab eo dissimile, vel separatum. *Loquutus est ergo secundum sermones Jeremiæ:* damnatus est: quid ergo dubitamus nunc de Jeremia? Videmus ut maligne torqueant in caput Jeremiæ hoc exemplum, acsi præjudicio jam esset damnatus in alterius persona. Si autem pii viri hunc sermonem habuerint, alia erit ratio, nempe quod si nunc interficiatur Jeremias, provocabitur vindicta Dei, quia plus satis fuit fundere innoxium sanguinem unius Prophetæ. Postea sequitur, *Et audivit rex Joakim, & omnes ejus magnates, & proceres sermones ejus.* Hic versus videtur suffragari eorum sententiæ, qui hic pios viros loquentes inducunt. Nam odiose loquuntur de Rege, & de ejus consiliariis: *Audivit Rex, & omnes ejus magnates,* (potentes, ad verbum) deinde *omnes Principes, & quæsivit Rex interficere ipsum.* Potest tamen etiam hic sermo quadrare improbis & sceleratis, nempe quia terrere volebant plebem, quum primo Regium nomen proferrent in medium, deinde magnates & proceres. Et istud quærere potest etiam excusari, nempe quod Rex non potuerit ferre tantam contumeliam, quin se ulcisceretur, dum videbat Prophetam sibi tantum licentiæ sumere, ut neque sanctæ Urbi neque Templo parceret. *Audivit ergo Rex, & cuncti ejus proceres & magnates:* deinde, *quæsivit Rex ipsum interficere: & audivit Urias, & timuit, & fugit.* Docet hic locus etiam probos Dei servos, & qui student munus suum bona fide exequi, non tamen semper ita esse animosos, ut intrepide contemnant omnia pericula. Dicitur enim Propheta timuisse, neque ideo damnatur. Non caruit quidem timor hic aliquo vitio, sed laboravit tali metu, ut tamen non desisteret à sua vocatione. poterat enim placare Regem: sed magis exhorruit talem perfidiam, quàm mortem. Sic igitur timuit, ut non deflexerit à recto cursu, neque abnegaverit veritatem, neque etiam indignum quicquam admiserit & gradu suo, & persona sibi imposita. Timor ergo tametsi vitiosus fuerit, non tamen abripuit Prophetam, quin semper in sua vocatione fidem Deo præstiterit. Sed quod restabat, *fugit & concessit in Ægyptum.* Hinc colligimus quanta fuerit Regis iracundia & crudelitas, quod non potuit sanctus vir reperire angulum in tota Judæa, ubi lateret. non potuit etiam in aliis regionibus. Ergo coactus est latebras quærere in Ægypto. postea additur, *misisse Regem viros,* nempe *Elnathan,* qui princeps fuit legationis: quia dubium non est, quin Jehojakim miserit ad regem Ægypti, & conquestus fuerit hominem turbulentum fugisse, & se ab ipso petere, ut traderet, quoniam esset fugitivus. Sic ergo retractus fuit non potentia, sed nefaria pactione, quoniam proditus fuit à rege Ægypti. Tandem additur, *Et eduxerunt Uriam ex Ægypto, & adduxerunt ad regem Jehojakim, qui eum interfecit gladio, postea ejus cadaver projecit in sepulchra plebis,* nempe ignominiæ causa. nam hic Sepulchra plebis vocat Jeremias quemadmodum Gallice dicimus Cœmeteria, *des charniers.* Honorifice divites, & splendide hodie sepeliuntur, & cuique est suum sepulchrum: sed in magna turba cadavera projiciuntur, quia nimius sumptus fieret, si singulis effoderetur sepulchrum. Videtur ergo talis fuisse consuetudo in Judæa: & ideo vulgari modo sepultum fuisse Dei Prophetam. Ita significant qui loquuntur, eousque exarsisse Regis iram, ut non tantum morte eum affecerit, sed prosequutus sit longius suam vindictam, ut etiam mortuo inureret novum dedecus, quia projectus est cum obscuro & ignobili vulgo. Hactenus exposui hunc locum ita ut relinquerem in suspenso, utrum probabilius sit, loquutos fuisse hostes Jeremiæ, an vero ejus patronos. Etsi autem, ut jam bis vel ter sum testatus, non rejicio diversam expositionem ab ea quam amplector: tamen mihi verisimilius est, habitum fuisse hunc sermonem à piis hominibus, qui causam Jeremiæ sustinebant. Singulas rationes quibus moveor, hic non adducam. potest enim quisque apud se satis reputare, cur hanc expositionem magis amplectar. Movet etiam me communis fere interpretum consensus, à quo non libenter discedo, nisi cogat necessitas, vel res ipsa ostendat illos errasse. Sed principio vidimus uno contextu referri hæc duo exempla, & nihil medium interponi, unde conjicere liceat, hostes Jeremiæ suas habuisse loquendi partes. Oratio igitur demonstrat eosdem, qui initio loquuti erant, sermonem suum prosequi. Quod autem non adjiciunt quorsum hoc exemplum protulerint, mirum non est. Erat enim impetus Regis formidabilis: & jam specimen non vulgare

edida-

evideret in persona sancti Prophetæ, quam impatienter ferret suæ dignitati quicquam detrahi. Ergo timide proponunt rem ipsam, & plus relinquunt colligendum singulis, quam ipsi exprimant. Sed facile fuit, ex eorum verbis statuere quidnam vellent, nempe timendam esse Dei vindictam, occisum fuisse Prophetam unum; quid si nullus sævitiæ sit finis? an Deus tandem non consurget in judicium, ubi tam indigne tractati fuerint ejus servi? Quoniam ergo hæc oratio est abrupta, mihi probabile est, Dei cultores sic fuisse loquutos verecunde & timide, quia non audebant palam exprimere quicquid erat in animo. Jam hæc etiam verba melius quadrant Jeremiæ defensoribus; quam improbis & sceleratis, *quod scilicet Rex quæsierit eum ad mortem*, deinde, *quod miserit viros*: & nominant Elnathan, ut eum perpetua ignominia apud posteros infament. Postremo addunt, *Prophetam fuisse eductum*. Indignitas certe videtur hic ante oculos repræsentari, quod extractus fuerit è terra illa, ad quam fugerat tanquam in asylum: deinde, quod adductus fuerit ad Regem, quod percusserit eum gladio, hoc est, quod crudeliter eum occiderit: deinde, quod non contentus hac sævitia, etiam sepulchrum ejus infamia notaverit. hæc, quemadmodum jam dixi, videntur magis competere in sanctos viros, qui causam Jeremiæ tuendam susceperant. Nunc sequitur,

24. Veruntamen manus Achicam filii Saphan fuit cum Jeremia, ne traderetur ipse (*vel ne traderent ipsum*) in manum populi ad interficiendum ipsum.

Quod hic adversativa particula ponitur, non fit absque justa causa. Notatur enim contentio, quæ ita efferbuerat, ut difficile fuerit sanctum Prophetam eximere discrimine. Colligimus ergo Jeremiam ita graviter periclitatum fuisse, ut non sine magno & arduo certamine illum servaverit Achicam. Hujus
2 Reg. 25. vers. 22. infr. 39. vers. 14. viri sæpius fit mentio in Sacra historia: & repetetur etiam postea aliis locis ejus nomen. relictus etiam fuit, ut præesset residuo populo post urbem dirutam. Et non dubium est quin perrexerit in studio pietatis, & fuerit vir integer, & cujus etiam virtutes in pretio essent apud Nabuchadnezer, qui eum dignatus est tali honore. Fuit paulo post occisus ab improbis, & sceleratis: sed nihil de ipso refertur nisi laude dignum. Hoc certe fuit eximium facinus, quod ita ausus fuit se opponere furori totius plebis, & compescere Sacerdotes & falsos Prophetas, qui conspiraverant in mortem sancti viri. Hæc igitur ratio est cur postremo addatur, *cum Jeremia fuisse manum Achicam*, hoc est, tametsi populus furebat, deinde Sacerdotes non poterant ullo modo placari quin persequerentur sanctum virum: Achicam tamen non flexum fuisse à sancto proposito, sed constanter defendisse bonam causam, donec salvus evaderet Jeremias. Ideo dicitur, *manum ejus fuisse cum Jeremia*. nam per nomen Manus Scriptum designat conatum. ubi enim est negotii, vel difficultatis, non usurpat Scriptum nomen Manus. Sed hoc loco, quoniam certavit usque ad extremum Achicam, nec tantum verbo uno opitulatus est sancto Prophetæ, sed furorem populi repressit; deinde restitit animose Sacerdotibus, & falsis Prophetis: *ideo manus ejus*, id est, auxilium, *fuit cum Jeremia, ne scilicet traderetur in manum plebis*. Hinc etiam apparet, quemadmodum heri diximus, non fuisse statim compositum tumultum, quoniam virulentiam suam ita sparserant falsi Prophetæ & Sacerdotes, ut fere implacabilis esset populus. Proponitur igitur hic nobis exemplum magnitudinis & constantiæ: quia non satis est ubi nobis erit tuto liberum & integrum, patrocinari bonis causis, nisi etiam contempta omni invidia, & spretis periculis, opponimus nos improborum furori, & suscipimus certamina & pericula pro Dei servis, quoties opus est. Deinde simul etiam docemur quantum momenti positum sit in gravitate unius viri, si modo intrepide sustineat bonam causam, neque cedat vesaniæ malorum, sed experiatur extrema quæque potius, quam ut prodat tam veritatem Dei, quam ejus ministros. Sequitur nunc,

Cap. XXVII.

PRincipio regni Jehojakim filii Josiæ regis Jehudah, fuit sermo hic ad Jeremiam à Jehovah, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah ad me, (*mihi*) Fac tibi vincula, & juga, & pone ea super collum tuum.

3. Et mitte ad regem Edom, & ad regem Moab, & ad regem filiorum Ammon, & ad regem Tyri, & ad regem Sidonis per manum nunciorum, qui venient Jerusalem ad Zedechiam regem Jehudah.

4. Et mandata dabis illis ad dominos suos, dicendo, Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Sic dicetis ad dominos vestros,

5. Ego feci terram, hominem, & jumentum quod super faciem terræ est in virtute mea magna, & brachio meo extento: & dedi eam illi qui placuit in oculis meis.

Præfatur Jeremias hoc vaticinium sibi fuisse commissum principio regni Jehojakim. Diximus autem principium hoc extendi ad statum regni prosperum & integrum. Quum ergo adhuc Jehojakim retineret tranquillam regni possessionem, tunc jussus est Jeremias perferre hoc mandatum, non ad ipsum Jehojakim, ut paulo post subjicitur tertio versu: sed ad Zedechiam, qui ne statim quidem suffectus fuit in ejus locum, sed tandem Rex fuit creatus post varias mutationes. Deposuit igitur Deus hanc prophetiam apud servum suum, nec voluit primo quoque die promulgari. Si quis roget, cur latere voluerit Deus tanto tempore quod tandem volebat in lucem proferri; responsio est, id fuisse factum in gratiam Prophetæ ipsius, quo scilicet alacrius perageret munus suum, quum certo cognosceret quod nemo unquam putasset posse accidere: & certe res erat incredibilis. Deus ergo voluit quasi seorsum Prophetæ suo in aurem hoc dicere, ut procul aspiceret quæ nemo unquam putasset, sicuti nuper dixi, posse fieri. Hæc ratio est, meo judicio, cur non statim hæc prophetia vulgata fuerit, sed instar thesauri deposita fuerit in sinum Prophetæ, donec maturum adesset tempus. Differam igitur in crastinum summam hujus vaticinii.

Da omnipotens Deus, ut si nobis aliquando gravius fueris, ne propterea excandescamus, sed discamus agnoscere peccata nostra, & vere nos sub manu tua forti humiliare, deprecari etiam iram tuam, & vera resipiscentia testari nos profecisse in verbo tuo, &

fidem habuisse tuis denunciationibus, ut ita participes fiamus ejus bonitatis, qua promittis te fore propitium omnibus, qui ad te conversi fuerint: atque ita magis ac magis proficiamus in recto & continuo cursu pœnitentiæ, donec tandem exuti omnibus carnis nostræ vitiis perveniamus ad perfectionem justitiæ, & ad fruitionem ejus gloriæ, quæ nobis reposita est in cælo, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TERTIA

IN

J E R E M I A M.

HEri exposuimus cur circiter initia regni Joakim datum fuerit maudatum Prophetæ, quod tamen non debuit prius exeqni, quam ad tempus Zedechiæ. Volebat enim Deus ipsum interea fulciri hoc vaticinin, ne deficeret in cursu. Nunc videndum est quorsum spectaverit hoc vaticinium, & quænam sit ejus summa. Videtur Propheta alloqui legatos, qui hinc inde à vicinis Regibus missi fuerant ad regem Zedechiam: & jubetur illis præcipere, ut denuncient singuli dominis suis, subeundum ipsis omnibus esse jugum regis Babylonii. Porro non dubium est, quin Deus præcipue & peculiariter voluerit Zedechiam & Judæos docere, quia legationes istæ, quarum fit mentio, sic recreare poterat eorum animos, ut contemptis omnibus prophetiis, putarent se esse extra periculum. Notandum enim est quorsum missæ fuerint legationes à rege Sidonis, à rege Tyri, à rege Moab, & Ammon: quum scilicet viderent regem Babylonium sibi fore intolerabilem, cœperunt vires suas conjungere. Principio quisque propriæ utilitati studebat, neque videbat sibi opus esse mutuo auxilio: ita factum est, ut Chaldæi facile dissipatos fregerint. Experientia tandem docuit, neque regem Jehudah, neque alium quempiam ex vicinis solum posse sustinere molem belli, nisi inter se coirent fœdus & societatem. Sic ergo factum est, ut rex Tyri, rex Sidonis, rex Moab, rex Ammon offerrent copias & pecuniam regi Jehudah: ipse etiam vicissim promitteret se præsto fore, si eos aggressus esset Chaldæus. Erat igitur nova occasio fiduciæ Judæis, ut spiritus colligerent, & ita sese animarent ad resistendum, freti scilicet tot Regibus vicinis. Hactenus superiores fuerant Chaldæi, nempe quoniam seorsum unumquemque oppugnaverant: sed quum omnes conjunctis viribus parati essent se opponere eorum potentiæ, & cohibere impetum, vix credibile erat omnes simul posse vinci. Voluit igitur Deus prosternere falsam hanc confidentiam, & monere Zedechiam & totum populum, ne talibus illecebris caperentur, sed scirent patienter sibi ferendam esse pœnam, quæ divinitus infligenda erat. Hæc igitur ratio est cur missus fuerit Propheta ad legatos, qui Jerosolymam venerant. Non fuit illis præfectus doctor, vel magister, sed factum est hoc respectu Zedechiæ & populi. Probabile tamen est, in conspectu Regis hæc mandata fuisse exposita, ut Rex cognosceret perperam se fuisse deceptum, & stulte adhuc se confidere subsidiis, quæ offerebantur. Colligere autem licet, quam durum fuerit Regi & populo, audire hanc prophetiam. Quodammodo enim violabantur legati: Reges, à quibus missi fuerant, poterant conqueri se affectos esse indigna contumelia. Rex igitur una cum populo graviter potuit excandescere adversus Jeremiam. Sed Propheta mandato Dei intrepide functus est, quoniam ita necesse erat. Et postea videbimus verba potius directa fuisse ad regem Zedechiam quam ad profanos illos homines. Tenemus nunc consilium Dei, cur Prophetam suum voluerit hæc mandata exponere legatis, qui à profanis Regibus missi fuerant ad regem Zedechiam, ut Rex cognosceret meras esse nugas, quod Reges illi sua auxilia pollicebantur: quoniam non erat negotium cum Rege Chaldæo, sed potius cum judicio Dei, quod insuperabile est, & cui frustra homines reluctantur. Quum jubetur Propheta præcipere legatis, *ut sic dicant Regibus, à quibus missi sunt, Deus Israel hoc vobis mandat*, poterant rejicere, & non sine stomacho, Quid? an ideo huc venimus, ut simus tui nuncii? deinde, quisnam es, ut nobis præcipias? adhæc, putasne adeo nos desipere, ut in gratiam tuam minemur regibus ac dominis nostris? denunciemus illis quod tu jubes, fore illos paulo post servos regis Chaldæi? Poterant igitur legati ablegare non sine risu & ludibrio sanctum Prophetam. Sed jam diximus hoc totum factum esse Zedechiæ & populi respectu, ut Propheta excuteret vanum illum splendorem & pompam, quibus videbat falli & Zedechiam, & omnes Judæos. Putabant enim quasi altos & densos montes oppositos esse regi Chaldæo, & ejus exercitui: Qua parte ad nos prorumpet, quum rex Tyri noster sit, rex Sidonis, rex Moab, rex Ammon? late illi dominabantur: & urbes quædam inexpugnabiles erant. Sic ergo Judæi statuebant se immunes fore ab omni molestia & incommodo. Atqui ne sese decipiant vana illa pompa, dicit Jeremias, Perferte vos legati ad dominos vestros quod Deus loquutus est, nempe ut subeant jugum regis Babylonis. Additur autem symbolum visibile ad confirmationem vaticinii. Propheta jubetur aptare collo jugum: in plurali numero loquitur. מוט significat vectem, significat jugum, significat lignum transversum. Non dubium autem est, quin ad collum ligna quædam applicuerit, quemadmodum jugum bobus imponitur: deinde ligaverit jugum illud, aut transversa ligna. Nam יסר significat vincire: ideo מוסרות vocantur vincula. מוסר vocatur etiam balteus interdum. Sed hic accipitur pro vinculis, aut ligaminibus. Fuit illud triste spectaculum, quoties in medium prodibat Jeremias, conspici in ejus collo servitutem regum omnium, & gentium. Erat igitur vice omnium captivus ante tempus. Quum autem Deus jugum imposuit & Judæis, & aliis omnibus gentibus, liber tunc fuit Jeremias: sicuti quum pertulit hoc insigne servitutis, securo tamen animo expectavit judicium Dei, quum alii negligerent. Porro hæc confirmatio magis inexcusabiles ipsos reddidit, quemadmodum ubi Deus ut fidem conciliet, verbo suo adjungit vel sacramenta, vel alia adminicula, quæ nos magis afficiant, ita ut non tantum aures nostras, sed etiam oculos doceat, atque omnes sensus. Quum ergo Deus nihil omittit quod valere queat ad fidem verbo suo adstruendam, gravior nos manet damnatio, si nihil prosint signa illa. Tenemus ergo cur Propheta applicuerit ad collum suum insigne illud futuræ servitutis: si qui fuerunt in populo dociles, utile illis fuit cernere oculis tale signum. Sed quoniam major pars ad contumaciam obduruerat, ideo cessit illis in gravius judicium quod debebat prodesse, ut scilicet mature sese humiliarent coram Deo, atque ita anteverterent ejus judicium. Sequuntur verba, *Ego feci* (nam heri transtuli hunc versum. *Ego feci*) *terram & hominem, & jumentum, quod super faciem terræ est, in virtute mea magna, & brachio exten-*

extento. Frigidum fuisset spectaculum, & fere inane, si tantum aptasset Jeremias collo suo jugum, nisi adjuncta simul fuisset doctrina. Scimus enim signa omnia esse quasi mortua, nisi verbo animentur. Quemadmodum ergo simulachrum non magnopere prodest: ita quicquid signorum posset objici oculis nostris, esset vel frivolum, vel frigidum, imo quasi mortuum, nisi accederet doctrina tanquam anima. Et hinc etiam convincitur Papistarum amentia, qui detinent plebis animos multis signis: sed nihil interea doctrinæ subest. unde sequitur mera esse figmenta, & quæ sine fructu evanescunt. Deus ergo perpetuo doctrinam suam signis adjunxit, quæ ideo potest vere conferri animæ, quæ inspirat corpus ipsum, quod alioqui motu & vigore careret. Hac ratione docet Jeremias quid sibi velit jugum. Præfatur autem de potentia Dei, & summo imperio, quoniam Reges, etsi fatentur Deum tenere mundi gubernacula, non tamen possunt animis concipere se momentu posse everti, & dejici è gradu. Nam videntur sibi affixi nidis suis: ita promittunt æternum statum, & imaginantur se non esse obnoxios communi sorti mortalium. Quoniam ergo ita inflati sunt Reges superbia, Dominus præfatur *se fecisse terram, & omnia animalia*: non loquitur de cælo, sed ponit *se fecisse terram, & hominem, & animalia quæ sunt in superficie terræ.* Adjungit, *In virtute mea magna, & brachio extento.* Quorsum hoc nisi ut expergiscantur homines, dum audiunt terram non manere in suo statu, nisi quatenus fulcitur eadem Dei virtute quia semel creata est? eandem simul virtutem tueri homines, & animalia, quoniam nihil salvum manere queat, nisi quatenus arcanam virtutem inspirat Deus è cælo? hæc igitur ratio est præfationis. Opponit Deus brachium suum, & virtutem eorum superbiæ, qui existimant se stare propria potentia: nec agnoscunt se pendere à solo Dei nutu, ut eos sustineat quantisper volet: deinde prosternat & redigat etiam in nihilum simulac visum fuerit. Ad praxin igitur revocari debet hæc doctrina. Neque enim generaliter & confuse concionatus est Jeremias de potentia Dei, sed accommodavit ad præsentem causam quod de potentia Dei dicebat, ut scilicet intelligerent homines nihil esse firmitatis in hoc mundo, sed Deum tueri & homines, & animalia: ea tamen lege, ut possit singulis momentis solo flatu in nihilum redigere quicquid sunt, & quicquid habent. Sequitur,

6. Et nunc ego dedi omnes terras istas in manum Nebuchadnezer regis Babylonis servi mei: atque etiam bestiam agri (*hoc est, bestias agrestes*) dedi illi ad serviendum ei.

7. Et servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus usque dum venerit tempus terræ ejus, atque etiam ipsius: & servient ei gentes multæ, (*vel magnæ*) & Reges magni.

Postquam asseruit Deus sibi imperium totius terræ, & ostendit sui arbitrii esse, transferre regna quoties ita placuerit: nunc pronunciat decretum suum, quod scilicet subjecerit regi Babylonio omnes vicinas terras, nempe Tyrum, Sidonem, regionem Moab, regionem Ammon, & regionem Edom, atque ipsam Judæam. Si hoc exorsus fuisset Jeremias, Deum dedisse regi Nabuchadnezer in potestatem terras illas, non tam facile admissum fuisset vaticinium, quoniam superbia fuisset quasi obstaculum ad observandas mentes & animos. Sed præfatio, ut dictum est, eo tendebat, ne putarent Reges se posse stare invito Deo. Postquam ergo subegit altitudinem illam, quæ infixa erat in eorum cordibus, nunc affirmat regem Nabuchadnezer fore dominum tam Judææ, quam omnium regionum quæ in circuitu erant, quoniam scilicet Deus illum terris illis præfecerit. Extendit autem subjectionem illam, de qua loquitur, ad bestias ipsas non sine causa. hoc enim modo oblique perstringit duritiem hominum, si perstent reluctari: quasi diceret, Quid vos juvabit præfractis animis conari jugum excutere? nam bestiæ ipsæ, tigres, lupi, leones, & quicquid est atrox & sævum in terra, sentient omnes illæ bestiæ regem Nabuchadnezer esse dominum, nempe arcano instinctu. Quum igitur bestiæ ipsæ pariturae essent regi Nabuchadnezer, quod divinitus erectus esset in illum gradum, quanta fuit hominum socordia, non agnoscere quod bestiæ ipsæ intelligebant? Videmus ergo quorsum spectet hæc comparatio. exprobrat enim Propheta hominibus suam vesaniam, si persistant ferociter resistere regi Nabuchadnezer, quod scilicet majore intelligentia polleant bestiæ sylvestres, quam ipsi. Unde enim bestiis terror, nisi quia Deus insculpsit certas notas Regibus, quemad-
Dan. 2. vers. 38. modum dicitur apud Danielem? Quoniam igitur majestas Dei refulget in Regibus, bestiæ ipsæ quamvis ratione & judicio careant, tamen arcano naturæ sensu sponte flectuntur ad obsequium. Ergo inexcusabilis est hominum superbia, si saltem non imitentur bestias ipsas. Postea vocatur Nabuchadnezer *servus Dei*, non quod dignus fuerit tali elogio, sicuti nunquam propositum illi fuit, Deo operam suam impendere: sed vocatur Servus, quoniam Deus volebat uti ejus ministerio: quemadmodum in Psalmo *Psal. 82.*
vocantur filii Dei, ad quos sermo Dei dirigitur, hoc *vers. 6.*
est, quibus datur auctoritas ad regendum. Sic etiam *Joan. 10.*
servus Dei fuit Nabuchadnezer, quia divinitus præ- *vers. 35.*
ditus erat imperio. hoc ipse non intellexit, neque hoc etiam in gloriam ejus dicitur, neque ornatur tam honorifico titulo, acsi Deus illum inter suos censeret: sed refertur hoc ad Judæos, & alias omnes gentes: quo scilicet certo persuasi sint se Deo parere, quum se humiliabunt, & jugum suscipient regis Babylonii, quoniam ita Deo placeat. Non enim est po- *Rom. 13.*
testas, nisi à Deo ipso, inquit Paulus: & sententia illa *vers. 1.*
ducta est ex hoc principio, Potestas omnis est à Deo, nempe quia Deus manum porrigit quibus vult, & placet ut regnent, ac dominentur. Quicunque ergo præditi sunt jure gladii, & publica potestate, illi sunt Dei servi, etiamsi tyrannidem exerceant, & sint latrones: servi, non ipsorum respectu, sed quoniam Deus ipsos vult agnosci pro suis ministris, donec tempus ipsorum advenerit, quemadmodum sequitur. *Servient ei omnes gentes, & filio ejus, & filio filii ejus.* Major pars existimat regi Nabuchadnezer fuisse tantum duos successores ex posteris, nempe Evilmerodah, & Bellazar: alii numerant quinque, & numerant duos medios inter Evilmerodah, & Belsazar. Qui non putant fuisse plures tribus, citant hoc testimonium Prophetæ, quia nominet duntaxat filium Regis, & nepotem. sed non esset satis firma ratio. Ego tamen libenter sequor quod magis receptum est, nempe Belsazar, qui fuit Rex ultimus Babylonis, & qui occisus est à Cyro, tertium fuisse à Nabuchadnezer. sed hoc non est præcipuum. Insistit enim Propheta in tempore tam monarchiæ Chaldaicæ, quam Regis, *Donec advenerit tempus ejus.* Tempus terræ vocat quod finitum erat cælitus quemadmodum enim cuique nostrum suus limes præfixus est quem nemo potest transgredi, & ita de regnis sentire oportet. Sicuti ergo finita est cujusque privati hominis vita, sic Deus statuit quid fieri velit de imperiis totius terræ. ita vita & interitus cujusque regni & gentis, est in Dei manu & arbitrio. Hac ratione nunc dicitur, *venturum esse tempus Chaldææ.* deinde addit, *& regis ipsius.*

Hoc

Hoc non debet restringi ad personam ipsius Nabuchadnezer: sed quoniam nepos ipsum repræsentabat, ideo quamvis improprie, apte tamen dicitur fuisse illud tempus, quod Deus terminaverat tam ei, quam ejus ditioni, quum scilicet capta fuit Babylon à Persis & Medis. hoc tamen simul ad solatium piorum valere debuit. Neque enim voluit Deus destitui fideles aliqua levatione molestiæ, ne ipsos opprimeret mœror: quum viderent se opprimi à Chaldæis, & quodammodo obrui, certa desperatio obrepere poterat: hinc fremitus, hinc blasphemiæ sequutæ essent adversus Deum. Ergo voluit Deus mitigare aliquam partem acerbitatis quum adjunxit *venturum tempus ipsius Nabuchadnezer*, quo scilicet periret. Ergo quum viderent fideles ipsum potiri terris omnibus, & esse cunctis gentibus formidabilem, quum viderent esse quasi terrenum Deum, nō tamen propterea despoonderent animos, sed potius sensus suos extenderent ad tempus illud, de quo vaticinatus erat Jeremias, ut perciperent aliquam levationem doloris sui, & ita æquioribus animis perferrent crucem sibi impositam. In hac igitur voce inclusa est promissio, quoniam spes exitus erat proposita, ut intelligant instare etiam suas vices regi Nabuchadnezer. Postea adjungit, *Servient illi gentes magnæ*, vel multæ, (רבים utrumque significat) *& Reges magni.* hoc diserte exprimitur, ne conspiratio illa fallat Judæos, & reliquas gentes, quoniam simul conjuncti existiment se pares fore ad resistendum: Accumulate, inquit Deus, vires vestras & conatus: tamen hoc totum dissipabitur, quia sic apud me decretum est, *ut Reges magni, & gentes multæ serviant Chaldæis.* Sequitur,

8. Erit autem ut gens, & regnum, quæ non servierint ei, *nempe* Nabuchadnezer regi Babylonis, & qui non posuerit collum suum sub jugo regis Babylonis, gladio & fame & peste visitabo super gentem illam, dicit Jehovah, donec interfecero ipsos in manu ejus.

Postquam promulgavit Deus suum decretum per os Jeremiæ, addit comminationem, ut scilicet placidis ac mansuetis animis ultro suscipiant jugum sibi impositum tam Judæi, quam alii. Proprie quidem respexit Judæos Propheta, ut diximus: sed per accidens extendit vaticinium ad extraneos. Videmus ergo cur adjuncta sit pœnæ denunciatio. Hoc quidem sufficere debebat, Nabuchadnezer Dei ministrum esse ad domandam Judæam: sed quia asperum erat Judæis, hostem illum admittere, nec poterant adduci, ut se subjicerent, oportuit addere hanc comminationem, Videte quid agatis: neque enim fortiores eritis Deo. Inclusa quidem erat hæc comminatio in superiore sententia, sed scimus quam tardi sint homines ad discendum, præsertim ubi perversus aliquis affectus occupat eorum animos. Quum ergo refugerent Judæi imperium Nabuchadnezer, quamvis testatus illis esset Propheta esse servum Dei: non tamen dubitassent adhuc subterfugere & refragari, nisi fracta fuisset durities & obstinatio hac comminatione. *Erit* ergo *ut gens, vel regnum quæ non servierint ipsi*, nempe *Nabuchadnezer, & non subjecerint collum suum jugo ejus*, accidet *ut visitem gentem illam.* Loquitur Deus promiscue de quibuslibet populis: sed ratiocinari debebant Judæi à minori ad majus. Si enim Deus tam severe ulturus erat superbiam Gentium, si se subducerent à jugo Nabuchadnezer, quanto gravior vindicta, & magis horribilis metuenda erat? si Judæi, qui admoniti fuerant à Propheta, qui certo tenebant hoc non contingere fortuito, sed justum esse Dei judicium, quo puniebantur eorum peccata: si præfracte conati fuissent jugum illud à collo suo depellere, nonne hoc erat palam belligerare cum Deo? Nunc ergo tenemus Prophetam sic loqui indifferenter de quibuslibet populis, ut tamen Judæos acriter pungat, & ostendat inexcusabilem fore eorum ferociam, nisi se sponte humilient. Quod bis repetitur, *Nabuchadnezer regis Babylonis*, videtur esse emphaticum. Poterant enim objicere, Quid nobis cum Rege tam longinquo? & quo jura nunc invadit nostras regiones? cur non contentus est suis finibus? cur non manet in sua urbe & terra? Et simul poterat odiosum esse nomen Babylonis, quoniam bellum gesserant cum multis gentibus, & sub jugum suum redegerant Assyrios, qui Judæis erant magis vicini: deinde Assyrii quodammodo conjuncti erant: & propter diuturna bella non dubium est quin fuerit detestabile illorum nomen Judæis. Ergo Deus hic occurrit, & ostendit quamvis odiosa sit Judæis Babylon, deinde quamvis Nabuchadnezer remotissimus sit à Judæa, tamen quoniam ita divinitus statutum esset, subeundum esse ejus jugum. Hæc mihi videtur esse ratio, cur repetat Jeremias epitheton istud, quod scilicet *Nabuchadnezer sit rex Babylonis.* Pœnæ autem denunciatio est, quod *Deus visitabit gentem illam peste, fame, & gladio.* Scimus has species passim occurrere in Scripturis, quum Deus vult signa iræ suæ proferre. Habet quidem varios modos & innumeros, quibus nos castiget: sed hæc sunt notissima ejus flagella, & familiariter cognita ipso usu, pestis, gladius, & fames. Dicit autem *se visitaturum gentes quæ non paruerint regi Nabuchadnezer, tribus istis flagellis*: & exitum simul demonstrat, *Donec*, inquit, *occidero*, vel consumpsero *eos sub ejus manu.* Non simpliciter ergo minatur pestem, & famem, & gladium: sed ostendit talem fore exitum, ut gentes quæ initio pervicaciter obstiterint, tamen cogantur subire jugum, & agnoscere Nabuchadnezer regem & dominum. Hæc ratio est igitur cur dicat, *in manu ejus.* Nam poterat mors videri levior, si saltem elapsi fuissent è tyrannide Nabuchadnezer. Sed quum utrumque illis contigerit, nempe tabescere sub fame, sub gladio, & sub peste: & interea non posse effugere necessitatem illam servitutis: hoc certe est miserrimum. Ergo nunc tenemus cur Deus loquatur de manu regis Nabuchadnezer, ut scilicet intelligant Judæi se nihil agere quum omnia effugia captabunt, quoniam tandem velint nolint, attrahentur sub manum, & sub jugum regis illius.

Da omnipotens Deus, quando tot modis non desinimus armare in nos manum tuam, ut saltem saoctis tuis admonitionibus tacti, nos humiliemus sub forti manu tua, & ita præveniamus judicium tuum, quo nobis occurras misericors, & propitius: & non tantum remittas nobis quas meriti sumus pœnas, sed etiam favore tuo paterno nos complexus, eundem erga nos prosequaris, donec perducti eadem tua manu, perveniamus in regnum tuum illud cæleste, quod nobis præparasti, & quod nobis acquisitum est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA QUARTA IN JEREMIAM.

9. Et vos ne audiatis Prophetas vestros, & divinos vestros, & somniatores vestros, & augures vestros, & incantatores vestros, qui dicunt vobis, (*loquuntur vobiscum*) dicendo, (*est quidem idem verbum, sed repetitio esset nimis dura*) Non servietis (*vel, Ne serviatis*) regi Babylonis. (*est verbum futuri temporis, sed quidam accipiunt in modo hortandi, ut satis tritum est in lingua Hebraica.*)

QUoniam prædixerat Jeremias tam Regi quam civibus non posse ipsos effugere pœnam, quæ instabat, nunc excutit illis vanam fiduciam, quæ veluti obstaculum erat, ne tangerentur minis, & admitterent sanas admonitiones. Pseudoprophetæ enim suis blanditiis eos fallebant, ac pollicebantur omnia prospere illis successura. Quoniam igitur videbat Propheta clausas esse aures tam Regis, quam populi, ideoque se parum aut nihil proficere hortando, & minando, adjungit quod necesse erat, nempe meras esse fallacias quicquid pseudoprophetæ jactabant. Dicit ergo, *Vos ne audiatis Prophetas vestros, & divinos*: nam קסם est divinare. Postea adjungit, *somniatores vestros*: quarto loco, *augures vestros*: quinto, *præstigiatores*, vel incantatores. Quanquam עננים quidam accipiunt pro observatoribus temporis: quoniam עונה est tempus statutum: ideo qui conjiciunt hoc vel illo die sibi aliquid esse agendum, & feliciter aliquid suscipi negotii: tales igitur putant vocari עננים, quod horas & temporum momenta superstitiose observent. Sed quoniam ענן significat nubem, etiam possunt vocari עננים, qui ex astris divinant, & inde capiunt consilium quid sibi sit agendum. Sed nunc videndum est an de somniatoribus, & reliquis loquatur Jeremias, qui erant in Judæa, vel etiam comprehendat qui dispersi erant inter vicinas gentes. Mihi probabile est, debere totum hunc sermonem restringi ad Judæos. emphatice enim accipio particulam Vos. *Vos* ergo *ne audiatis, dicendo*. Sequetur postea explicatio, Secundum hæc verba loquutus sum Regi. Deinde adjungit se loquutum fuisse Sacerdotibus, & populo. Hinc ergo probabili ratione colligimus totum hunc sermonem dirigi ad solos Judæos. Lege quidem prohibitæ erant divinationes, & auguria, & incantationes: verum satis cognoscimus quam sæpe Judæi se addixerint diabolicis præstigiis, contempta Dei Lege. Non mirum igitur est si tunc temporis fuerint tam magi quam augures, & divini, idque contra manifestam Legis prohibitionem. Possumus tamen interpretari has voces, quod Propheta comparaverit pseudoprophetas tam divinis quam auguribus, & præstigiatoribus. Primo loco statuit Prophetas ipsos: sed quum enumeras species, videtur ignominia eos notare, quod desciverint ab officio suo, & susceperint alienam personam, nempe ut populum decipiant, quemadmodum solebant decipi Gentes à suis auguribus, & magis, & divinis. Hoc quidem certum est, sicuti antea admonui, Prophetam concionatum fuisse non respectu aliarum gentium, sed ut Judæos redderet inexcusabiles: vel si qua spes esset resipiscentiæ, ut illos moneret, ne pergerent in cursu incepto. Tenemus ergo summam verborum, simul tenemus consilium Prophetæ, vel potius Spiritus sancti, qui per os ejus loquutus est. Primo dixi Prophetam occurrere objectioni, quæ poterat fidem abrogare, vel detrahere doctrinæ ejus. Erat enim hæc non levis tentatio, quod Prophetæ negabant quicquam instare mali. Propheticum enim nomen semper habitum fuit in pretio & reverentia apud Judæos. Sed videmus etiam hodie, & experientia satis docet quam propensiores sint homines ad errorem & vanitatem, quam ad Dei verbum sint attenti. & idem tunc etiam contigit. Fingebant Judæi se honorem illum deferre Deo, quod reverebantur ejus Prophetas. Sed si quis fideliter peragebat munus Propheticum, sæpe contemnebatur. Judæi ergo arripiebant duntaxat nudum nomen, & putabant se defunctos esse, si dicerent audiendos esse Prophetas, quum tamen secure despicerent veros Dei servos: sicuti hodie quum jactatur catholicæ Ecclesiæ nomen in Papatu, videtur hoc totum referri ad Deum. Sed ubi profertur sermo Dei, ubi ostenditur quid loquutus fuerit per Apostolos, & Prophetas, hoc fere pro nihilo ducitur. Videmus ergo ut Deum à seipso separent Papistæ, quemadmodum olim fecerunt Judæi. Et hinc etiam perspicimus quam necessarium fuerit Jeremiæ tollere tale offendiculum. Poterant enim pertinaciter insistere Judæi in hac exceptione, Tu unus nobis minitaris exilium: plures autem qui etiam gloriantur nomine Prophetico, securitatem nobis promittunt: visne potius fidem tibi uni haberi quam multis? Conflixit igitur Propheta quum esset solus, cum illis pseudoprophetis. Et hodie idem fere certamen nobis est cum Papistis. gloriantur enim sua multitudine: deinde objiciunt nihil fore certi, si cuique liceat obtendere Dei sermonem. Hinc igitur concludunt simpliciter credendum esse Ecclesiæ, & recipiendum esse quicquid etiam sub prætextu Scripturæ in medium adducitur. Sed Jeremias fidem fecerat suæ vocationis, & re ipsa demonstraverat se divinitus fuisse missum, deinde proferre se mandata quæ acceperat ex ore Dei. Quoniam igitur certa documenta suæ vocationis ediderat, liberum ei fuit insurgere adversus omnes pseudoprophetas, & eorum fallacias non tantum despicere, sed quodammodo calcare, sicuti facit. *Ne audiatis*, inquit, *Prophetas vestros*. Concedit illis nomen honorificum: sed abusive. Est igitur catachristica loquutio, quum Prophetas nominat: sed relinquit illis titulum, quia non litigandum est de vocibus. Interea autem ostendit minime dignos esse qui audiantur. Ergo nulla illis relinquitur auctoritas, ubi conceditur per abusum simplex & inane nomen: sicuti hodie possumus vocare & Sacerdotes, & Episcopos, & Presbyteros, qui larvis istis se obtegunt, interea ostendimus nihil esse in ipsis Episcopale, nihil Ecclesiasticum, nihil denique quod sapiat Christi doctrinam, vel ullum legitimum ordinem. Postea addit, *Qui dicunt vobis, dicendo, Non servietis regi Babylonis*. Diximus hoc membrum à quibusdam verti in modo hortativo, Ne serviatis, quasi Judæos animarent falsi illi Prophetæ ad jugum excutiendum. Sed potest etiam retineri propria verbi significatio, *Non servietis*. Scimus enim falsos illos Prophetas, quum in medium prodirent, fuisse quasi Dei legatos, qui pacem & quietem, & omnia prospera Judæis promitterent: sic fingebant, quum tamen, ut jam dictum fuit, & paulo post rursus videbimus, Deus testatus esset non aliud esse remedium, nisi ut populus se subjiceret regi Babylonio. Sequitur,

10. Quia

10. Quia mendacium ipsi prophetant vobis, ut procul abducant vos è terra vestra, & ejiciam vos, & pereatis.

Hic etiam versus confirmat quod dixi, sermonem hunc scilicet destinari Judæis, & esse peculiarem. hoc enim non poterat profanis Gentibus quadrare. Quicquid ergo nuper dictum est de auguribus, & magis, & divinis, haud dubie debuit intelligi de impostoribus illis qui sub nomine Prophetico miserum illum populum fallebant. Dicit *mendacium prophetare.* Non dubium est quin multi contra opposuerint sua subterfugia: Tibi igitur uni credetur? tu solus eris verax? unde probabis quicquid doces esse cæleste oraculum, istos autem fallere? Sic enim solent obstrepere impii: quemadmodum hodie videmus Papistas sese tegere sub hac umbra. Nam quicquid abominationum est occultant hac sola cavillatione, Quod Scriptura obscura est, & incertum sit discrimen: ideo nihil esse credendum, nisi quod Ecclesia decrevit; ita illis hominum determinatio, sicuti loquuntur, est unica fidei regula. unde etiam pessundatur ab illis tota Scripturæ auctoritas, quasi Deus frustra loquutus esset per suos Prophetas & Apostolos. Non dubium est quin obstreperis istis vocibus repulsa fuerit doctrina Jeremiæ: perrexit tameo in cursu officii sui, ac secure damnavit Prophetas, quod tantum suis mendaciis Judæos deciperent. Addit, *Ut procul vos abducant è terra vestra.* Dixi non posse extendi ad alias gentes: sed Deus spem misericordiæ fecerat populo, si tantum sponte pareret imperio regis Babylonis. Erat quidem hæc non plena indulgentia: sed tamen pars clementiæ, quod Deus non summo jure ageret cum Judæis, sed leniter & paterna moderatione ipsos castigaret. Fuit enim hæc pœna tolerabilis, io patria manere, & pendere aliquod tributum regi Babylonio. Deus ergo mitigasset pœnam populi, si tantum sponte subiisset jugum. Hoc est quod nunc dicit Jeremias. Pseudoprophetæ hoc tantum captant, ut procul vos abducant a patria vestra, hoc est, putatis vos fore immunes ab omni pœna: Deus autem paratus est vobiscum mitius agere, neque tameo vult in totum ignoscere vitiis vestris: sed hæc castigatio vobis erit facilis toleratu, quia manebitis in patria. si autem creditis impostoribus, trahent vos in longinquum exilium, *quia ejiciam vos*, inquit, *& peribitis.* Si rursum objicitur Judæos non potuisse certum judicium facere, potiusne Jeremiæ habenda esset fides, quam pluribus aliis: responsio est in promptu. Sibi enim erant male conscii, nec opus erat per longos circuitus inquirere quidnam esset verum. Unusquisque enim in se habebat Dei judicium. Nam defecerant à puro Dei cultu, & sese inquinaverant multis impiis superstitionibus: deinde grassata fuerat omnium scelerum licentia inter ipsos: admoniti fuerant non semel, nec uno die, sed à pluribus Prophetis, deinde assidue, & per longum tempus. Quum igitur ita provocassent obstinata malitia Dei vindictam, an poterant ambigere quin Jeremias vere quasi ex ore Dei, & cælestis præco ipsis denunciaret quod meriti erant? Et certe quoties obtendunt homines errore se labi, vel inscitia, semper poterunt dejici ab isto subterfugio: quia conscientia propria ipsos coarguit, & sufficit ad eos damnandos. Addit Deus *Judæos perituros*, nisi præveniant extremum judicium, hoc est, nisi sese subjiciant paternæ castigationi. Hic locus dignus est notatu, quemadmodum paulo post iterum videbimus: quia hinc docemur nihil nobis esse melius, quoties ostendit Deus signum aliquod iræ suæ, quam nos parare ad tolerantiam, si velit pœnam de nobis sumere, quia hoc modo dabimus semper locum & aditum misericordiæ ejus: pertinacia autem nihil aliud consequimur, nisi quod magis ac magis accendimus ejus iram. Hoc igitur nunc intelligit Jeremias, quum denunciat *perituros qui se non subjecerint imperio regis Babylonis.* Sequitur,

11. Gens autem quæ adduxerit cervicem suam sub jugum regis Babylonis, & servierit ei, relinquam eam in terra sua, dicit Jehovah: & colet eam, & habitabit in ea.

Videtur quidem promiscue loqui de cunctis gentibus: sed admonitio pertinet ad solos Judæos, quemadmodum diximus, & ex contextu etiam satis apparet. Videtur tamen Gentes ponere ut acrius pungat Judæos: quasi diceret, Quamvis Dei promissiones ad profanas usque Gentes non extendantur, Deus tamen Tyriis & Moabitis parcet, si transegerint placide cum rege Babylonis, & susceperint jugum. Si profanis Gentibus parcet Deus, quum tamen nihil illis fuerit pollicitus, quid sperandum est electo populo? Jam si pœnam sumpturus est de Gentibus, quæ tamen errant io tenebris, quid fiet populo, qui sciens & volens Deo & judicio ejus resistit? Obstinatio enim illa quæ fuit in Judæis, erat quasi furiosa impietas, acsi ex professo vellent cum Deo bellum gerere. sciebant enim Nabuchadnezer esse exequutorem vindictæ Dei. Quum ergo ferociter sese vellent eximere ab ejus imperio, hoc erat cum Deo pugnare, acsi non essent subjecti ejus ferulis. Nunc ergo tenemus cur Jeremias non tantum de Judæis, sed etiam generaliter de cunctis gentibus dixerit quod hic legimus, *Gens quæ collum suum adduxerit ad jugum regis Babylonis, & servierit ei, relinquam eam in terra sua.* Interea tenendum est quod paulo ante dixi, proprie id non spectare nisi ad Judæos. Deus ergo, si ejus beneficentiæ locum dedissent, clementer illis pepercisset, ac potiti semper fuissent sua hæreditate: sed obstinatio eorum fecit ut ejiceret procul in exilium: & ideo adjungit, *Relinquam eam in terra sua, & colet eam.* Est concinna allusio in verbo עבר, significat servire, & simul colere terram. Sed subest antithesis inter Culturam terræ, & inter Subjectionem, ad quam hortatus est Judæos: quasi diceret, Servite regi Babylonio, ut terra serviat vobis: hæc erit merces vestræ obedientiæ, si potestis vos subjicere imperio regis Babylonis, quod terra vobis etiam parebit: eamque cogetis ad obsequium, ut victum vobis proferat. Videmus ergo ut promittat Deus terram fore servam populo, si ipsi non detrectent servire regi Babylonis. Et hinc colligitur utilis doctrina, omnia scilicet elementa fore nobis morigera, si Deo libenter pareamus: cootra vero, cælum & terram, & omnia elementa nobis fore infensa, si contumaciter insurgimus adversus ipsum Deum. Sed proprie hic loquitur Jeremias de servitute, qua homines Deo se subjiciunt, ubi placide admittunt correctionem, & quum pœnas illis infligit, agnoscunt se merito eas perferre, neque detrectant castigari ejus manu. Ubi igitur ita Dei judicio homines se submittunt, conciliant apud Deum sibi gratiam, ut terra & cælum, & omnia elementa ipsis serviant. Quo autem protervius exultant homines, & cornua contra Deum attollunt, eo sentient plus servitutis, quia nihil aliud quam vincula sua fortius adstringunt, ubi ita luctantur cum Deo, nec se humiliant sub potenti ejus manu. Hoc idem confirmat clarius Propheta quum dicit,

12. Ad Zedekiam ergo regem Jehudah loquutus sum secundum cunctos sermones istos, dicendo, Adducite colla vestra ad jugum regis Babylonis, & servite ei, & populo ejus, & vivetis.

Hic versus satis aperte demonstrat, quicquid hactenus vidimus soli populo electo peculiariter fuisse dictum. Hic enim narrat Jeremias se loquutum fuisse cum rege Zedechia. tertio autem versu adjunget se loquutum fuisse cum Sacerdotibus & populo. Non fuit ergo missus doctor ad Moabitas, & Tyrios, & alias extraneas geotes, sed Deus præscripserat ei suos fines, iotra quos se continuit. Dicit ergo *se loquutum fuisse ad regem.* Unde colligimus quod nore dixerat, se præfectum fuisse regnis, & geotibus. omni enim terrena altitudine excelsior est doctrina Prophetica. Ipse quidem Jeremias fuit unus ex populo, & non exemit se ab imperio Regis, neque prætenuit se legibus solutum esse, quia pollebat summa illa dignitate, ut superior esset Regibus, quemadmodum clerus Papalis magnifice jactat suam immunitatem, quæ nihil aliud est quam scelerum licentia. Propheta igitur conisouit se in communi ordine: sed interea ubi Dei nomine exercenda spiritualis jurisdictio fuit, neque Regi, neque ejus Consiliariis pepercit, quia sciebat doctrinam suam superiorem esse ipsis Regibus. Supereminet ergo munus Propheticum omnem Regum altitudinem. Et scienter non minus quam cordate officium suum exercuit Propheta, quum aggressus est primo loco Regem, sicuti ad eum missus fuerat: hortatur tameo ipsum in plurali numero, *Adducite*, inquit, quooiam pendebat major pars populi à Regis sui arbitrio. Deinde addit, *Servitetis populo ejus.* Hoc fuit auditu valde asperum, ubi jussit Propheta Judæos non tantum se regi Babylonio subjicere, sed omnibus ejus subditis. Ipsa igitur indignitas poterat illos exasperare: sed hoc consulto adjecit, quia videbat sibi negotium esse cum hominibus præfractis & indomitis. Quoniam ergo non erant flexibiles, ideo durius cum ipsis agit, acsi vellet frangere stultam eorum superbiam. Non est igitur supervacua loquutio, quum jubet omnibus Chaldæis Judæos parere, quia sic excæcati fuerant perverso fastu, ut loogo tempore contra Deum & ejus Prophetas manereot quasi indomiti. Postea additur promissio, *Et vivetis*, quæ confirmat doctrioam illam quam ouper attigi, nempo hoc optimum esse remedium levandis malis, ubi agnoscimus oos merito plecti, & humiliamus nos sub forti Dei manu. Ita enim fit, ut pœnæ vertantur io medicinas, & hoc modo sint nobis salubres. Quicquid pœnarum nobis infligitur ob peccata, sicuti signum est iræ Dei, ita quodammodo mortem poount nobis aote oculos. Pœnæ igitur per se naturaliter oihil aliud possuot quam incutere terrorem, imo obruere nos desperatione. loquor vel de pœnis quibusque levissimis. Nihil enim patimur quod non admoneat nos de culpa, & reatu, quasi citaret nos Deus ad suum tribunal. Hoc vero quam horribile est sustioere, & incidere io maous Dei viventis? Hebr. 10. vers. 31.
Ergo si vel mioimo digito nos Deus attingat, merito præ pavore contidemus. Sed hoc solatium nobis additur, nempe pœnas nobis prodesse, quæ naturaliter noniæ erant, & quasi lethales: siquidem admittimus Deum judicem, & parati sumus perferre quicquid ei visum fuerit. Hoc significat Propheta, quum promittit *Judæos victuros*, si regi Babylonio se subjecerint: non quod sua obedientia vitam potuerint mereri, sed quoniam hæc una est ratio qua Deum reconciliemus, & reddamus nobis ipsum placatum, ubi sponte nosipsos judicamus. Hoc eoim est antevertere extremum ejus rigorem, quemadmodum dicit Paulus, 1 Cor. 11. vers. 31.
Si nos ipsos judicaremus, noo judicaremur à Deo. Unde enim fit ut Deus tantopere exardéat contra impios, nisi quia velleot absolvi io suis malis? hoc autem est detrahere ipsum è suo solio, quia non esset judex mundi si impuoe evaderent impii, & riderent omnes ejus minas. Sic etiam ex opposito ubi cum vera humilitate nos offerimus Deo castigandos, statim nobis placatur. hinc igitur vita cujus fit hic mentio. Sequitur,

13. Quare peribitis tu & populus tuus gladio, fame, & peste, quemadmodum loquutus est Jehovah super gentem, quæ non servierit regi Babylonis?

Hic additur comminatio: modis enim omnibus oportuit Judæos non tantum invitari, sed etiam stimulari ad resipiscentiam. Propheta obtulit illis veniam, si paterentur se clementer à Deo castigari. Hæc vobis erit vita, dicebat, si Dominus suo arbitrio pœnas de vobis sumat. Nunc quoniam non poterat illa dulcedioe satis movere, adjungit, Videte: nisi enim recipitis vitam quæ vobis offertur, pereundum vobis est sponte. Ergo tu Zedechia te præcipitas in æternum exitium cum populo tuo, si pergitis adversus Deum esse contumaces & obstinati. Videmus ergo oihil à Propheta fuisse omissum, ut Judæos flecteret ad obsequium Dei, & adduceret ad resipiscentiam. Quum loquitur de *gladio*, & *fame*, & *peste*, significat nullum fore modum, donec penitus consumpti fuerint Dei vindicta, nisi passi fuerint, quemadmodum diximus paterna ejus clementia se ita castigari, ut hoc fit ipsis salutare.

Da omnipotens Deus, quando non desioimus toties ac tam assidue io oos provocare iram tuam, ut sponte præveniamus tuum judicium: præsertim verò admoniti verbo tuo ne obdurescamus io vitiis nostris, sed mature resipiscamus: & sic subjiciamus nos tibi, ut quicquid de nobis statuas, ne dubitemus te fore nobis propitium, & interea confugiendo ad tuam misericordiam, non tamen refugiamus, quin prout oobis expedire videris, pœnis nos in viam reducas, donec tandem exuti omnibus nostris vitiis, fruamur æterna illa hæreditate, quæ nobis reposita est io cælo, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINTA

IN

J E R E M I A M.

Diximus heri, quia videbat Propheta magnam esse socordiam io Judæis, ut fere pro nibilo ducerent omnes Dei promissiones, conjunxisse terrorem una cum spe misericordiæ: ideo dicebat, *Ut quid peribitis tu & populus tuus?* Neque eoim dubium est, quin coactus illa necessitate fuerit ad hanc loqueodi formam, quæ est asperior, quando blanda illa exhortatio quæ prius

fuerat

fuerat usus, minus valebat: & tamen Deus minando simul ostendit quantopere diligat populum, quia condolet, sicuti etiam alibi dicitur, Ipsum nolle mortem peccatoris, sed quærere ut resipiscant qui erant fere perditi, atque ita vivant. Idem nunc colligere licet ex verbis Prophetæ, quum Deus suscipit hominis ad succurrendum parati personam & compatitur miseriis populi, quem videt ita in suum exitium ruere. Nunc sequitur,

14. Et ne audiatis verba Prophetarum, qui dicunt vobis, (*qui loquuntur vobiscum*) dicendo, Non servietis regi Babylonis: quia mendacium ipsi prophetant vobis.

Repetit eadem verba quæ ante vidimus: ideo non opus est hic longius insistere. Non est tamen supervacua repetitio, quia difficile ei certamen erat cum falsis Prophetis, qui jam adepti erant magnam auctoritatem. Quoniam ergo unus Jeremias turbam illam aggrediebatur, potuit major pars objicere in rebus perplexis, nihil esse certi, vel liquidi. Proinde quia non facile erat Judæis persuadere, qui potius credebant pseudoprophetis, ideo necesse fuit sæpius idem dicere, quemadmodum postea etiam videbimus. Nam subjicit,

15. Quia non misi eos, dicit Jehovah, & ipsi prophetant in nomine meo ad mendacium, (*id est, fallaciam*) ut vos ejiciam, & pereatis vos & Prophetæ qui prophetant vobis.

Confirmat suam exhortationem, quod non missi fuerint à Deo. Summa autem huc redit, ne Judæi quicquid illis propositum fuerit sub Dei nomine, temere excipiant, sed adhibito judicio & delectu. Est autem hic locus notatu dignus, quia semper diabolus falso prætexit Dei nomen: & quicquid unquam errorum & falsitatum fuit in mundo, hoc non aliter obtinuit fidem, quam fallaci illo prætextu. Et hodie videmus plures sponte cæcutire, quia putant se absolutum iri coram Deo, si obtendant simplicitatem, & dicant se fuisse non malitia credulos: sed quia non ausi fuerint curiose inquirere. Quoniam igitur multi sponte induunt laqueos, & cupiunt etiam decipi, notandum est quod hic dicit Propheta, nempe discernendos esse veros Prophetas à falsis: qua nota? nempe ut eos tantum amplectamur, & eorum dictis acquiescamus, qui à Domino missi fuerint. Nunc quæritur unde hæc discretio. Olim oportuit speciali privilegio excitari Prophetas, quoniam speciale munus erat prædicere res futuras & occultas. Non fuit igitur Propheticum munus ita ordinarium, sicuti Sacerdotale. Promissio quidem illa semper viguit,
Deut. 18. vers. 18. Prophetam suscitabo tibi è medio fratrum tuorum, Deuteronom. 18. capite. Sed quamvis perpetuum fuerit hoc Dei beneficium erga Israelitas, Prophetæ tamen specialiter semper vocati sunt: nec potuit quispiam sumere munus illud, nisi qui præditus esset dono singulari. Jeremias quamvis esset Sacerdos, non tamen fuisset Propheta, nisi Deus illum creasset, quemadmodum ante vidimus. Sed quantum ad nos spectat, diversa est ratio, quia hodie non prædicit Deus res occultas, sed vult nos esse contentos suo Euangelio, quia illic nobis patefacta est omnis perfectio sapientiæ. Quoniam ergo sumus in plenitudine temporis, ideo non utitur Deus vaticiniis, ut hoc vel illud nobis in specie designet. Jam tamen certum erit de doctrina, si ex Lege & Prophetis, & Euangelio judicium facimus. Opus quidem est spiritu discretionis, sed nunquam fallemur, si pendeamus ex ore Dei: & sequamur Thessalonicen-
Actor. 17. vers. 11. ses, de quibus loquitur in Actis Lucas, quos dicit Scripturas diligenter volvisse, & sciscitatos fuisse, an ita res haberet sicuti didicerant ex Paulo. Non fuit facta Paulo injuria, quum inquirerent discipuli ad fidem suam confirmandam, an consentanea esset ejus prædicatio Legi, & Prophetis. Ita etiam nunc examinandæ sunt nobis omnes doctrinæ. Et si hanc regulam sequamur, nunquam errabimus. Quod ad veterem populum spectat, non potuit etiam falli, quemadmodum heri dictum fuit, quia tantum Prophetæ erant Legis interpretes. Quod ad res futuras spectat, nunquam hoc vel illud prædictum fuit ab illis Prophetis, nisi conjuncta doctrina, quæ esset veluti condimentum, & saporem daret vaticiniis. Nam si quid lætum pollicebantur, erat fundata promissio in fœdere æterno Dei. Quum autem minitabantur populo, simul proferebant in medium scelera, ut necesse esset Deum paulo post exerere vindictam suam, quoniam malitia populi esset insanabilis. Ergo semper tenendum est quod etiam Deut. 13. cap. dicitur, Deut. 13. vers. 3.
Deum tentare populum suum, quoties habenas laxat pseudoprophetis: quia quisquis sincere, & absque fuco ipsum diliget, gubernabitur ab ejus Spiritu. Hæc est igitur certa experientia, quam Deus capit de suis fidelibus: sicuti etiam Paulus confirmat 1 Cor. 11. vers. 19.
testimonio Mosis, dum hæreses emergunt, ut qui probi sunt, & sinceri Dei cultores ostendant re ipsa suum affectum. Ubi non fluctuantur ad quamlibet auram doctrinæ, sed manent firmi & constantes in pura fidei obedientia. Merito igitur dicit Jeremias non missos fuisse à Domino, qui spem dabant populo impunitatis, quum tamen quisque haberet conscientiam suam judicem. Addit, *Ipsi prophetant in nomine meo mendaciter*. Videmus quam sedulo & prudenter cavendum sit, ne diabolus suis præstigiis nos fascinet, præsertim ubi obtenditur Dei nomen. Non satis est igitur audire, Sic loquutus est Deus, nisi certo simus persuasi eos qui sic præfantur, ab ipso esse vocatos, & proferre etiam certum testimonium suæ vocationis, ut possimus statuere esse quasi Spiritus organa. Profani homines hic obstrependi materiam reperient, quod scilicet Deus quodammodo lusum sibi faciat ex hominum anxietate. Posset enim mittere è cælis Angelos, posset per se loqui: quum autem utitur opera hominum, & permittit falsis Prophetis jactare hoc vel illud, quum tamen fucum faciant: videtur hoc modo quasi data opera miseros homines versare. Sed nihil nobis melius est quam agnoscere probari nostram obedientiam à Deo, ubi nos per homines alloquitur. Scimus enim nihil magis contrarium esse fidei, quam superbiam: sicuti etiam humilitas verum est principium credendi, & verus ingressus in Dei regnum. Hæc ratio est cur Deus hominum opera utatur. Interim dum sese insinuant impostores, & se venditant pro veris & legitimis Prophetis, quanquam hæc gravis est tentatio, & valde metuenda: Deus tamen nos semper expediet, quemadmodum dixi, modo ne confisi proprio ingenio, plus nobis sumamus quam licet, ac fas est, nempe ut velimus ipsum esse judicem, & sic subjiciamus omnes sensus nostros ejus verbo: deinde si patimur nos à Spiritu ejus regi, suggeret semper prudentiam: & satis erit hoc ad discernendos veros ac falsos Prophetas. Quicquid sit, videmus non esse novum, ut Satanæ ministri prophetent in Dei nomine, hoc est, falso usurpent inanem titulum, quum re ipsa & veritate sint vacui. Postea adjungit, *Ut ejiciam vos, & pereatis tam vos, quam ipsi*. Hic admonet Jeremias, Prophetas qui tam confidenter populo impunitatem promittunt, non posse tandem elabi, quin pœnas luant non modo suæ temeritatis, sed etiam eorum scelerum, quibus jam in se provo-

cavetant

caverent iram Dei cum toto populo. Duplex enim fuit illorum crimen, quod scilicet spreto Deo, sibi permiserant omnem licentiam peccandi: deinde quod ausi sunt prodire in medium, & obtendere nomen Dei: quum tamen neque vocati essent, neque mandatum ullum Dei proferrent, nisi falso, quemadmodum diximus: sed iterum repetit Propheta diaboli artificio tales Prophetas excitari, ut Dei judicium gravius sit, nempe quia populus lætitia inebriatus addebat peccata peccatis, sicuti securitas solet homines impellere ad omne flagitium. Nihil ergo magis exitiale est, quam ubi falsi doctores peccatoribus adulantur, & eos ita deliniunt, vel demulcent, ut nullum sibi existiment fore negotium cum Deo. Nam tunc vere regnat diabolus, ubi ita exitiali veterno sopitæ sunt conscientiæ. Postea adjungit,

16. Et ad Sacerdotes, & ad populum hunc loquutus sum, dicendo, Sic dicit Jehovah, Ne audiatis sermones Prophetarum vestrorum, qui prophetant vobis, dicendo, Ecce vasa domus Jehovæ reducentur è Babylone nunc cito: mendacium ipsi prophetant vobis.

Hactenus non privatim egit Jeremias cum solo Rege, sicuti vidimus. neque enim separabat illum à toto populo: sed quia sermo ad ipsum præcipue dirigebatur, ideo clarius nunc exprimitur quod poterat esse obscurum, nempe postquam à Rege exorsus est Propheta, complexum fuisse simul omnes Judæos. Oportuit autem ipsum à Rege incipere, quia scimus ut sibi in sua dignitate placeant terreni Reges: & pendebat etiam totus populus ab ejus arbitrio:
Osee 5. vers. 11. Mich. 6. vers. 16. sicuti exprobrat illis Oseas, quod nimis addicti fuerint edictis Regiis, & Deum coluerint prout & Regi & Consiliariis ejus visum fuerat dictare. Quoniam ergo Regium nomen tam erat noxium ad perstringendos simplicium oculos, ideo quasi seorsum jussus est Jeremias Regem ipsum alloqui. Nunc vero ostendit & Sacerdotes, & populum simul fuisse adjunctos. Fuit autem hoc quasi prodigio simile, Sacerdotes, quos Deus volebat esse interpretes Legis suæ, sic fuisse stupidos, ut una cum vulgo temere reciperent quicquid audierant à falsis Prophetis. Hoc certe minime convenit cum illo præclaro elogio, quo ornatus
Malach. 2. vers. 7. apud Malachiam, nempe labia Sacerdotis custodient scientiam, & inde Lex petetur, quia Angelus Dei exercituum est. Quum ergo essent custodes Legis, & scientiæ, quum legatione fungerentur pro ipso Deo apud populum, quid sibi vult prodigiosus hic stupor, ut non discernerent inter verum & falsum, sed una cum idiotis raperentur simulac loquuti erant pseudoprophetæ? hoc diligenter notandum est, ne hodie nimium turbemur ubi videbimus munus Pastorum occupari à rudibus asinis, & eos qui vocantur ac censeri etiam volunt ministri, adeo non esse in Scripturis exercitatos, ut in primis rudimentis deficiant. Et videmus idem hodie contingere in Papatu maxime, quod tunc impletum fuit in veteri populo. Nam Episcopi Papales maxima ex parte prorsus sunt stupidi & socordes. Multi reperiuntur vel agricolæ, vel opifices, qui etiamsi nihil unquam literaturæ gustaverint, sed audierint nescio quid confusum, tamen certius loquentur de generalibus principiis fidei, quam magnifici illi Præsules cum toto suo splendore. unde hoc? nempe rependitur illis justa merces suæ ignaviæ. Nesciunt enim se esse Episcopos, & tamen gloriantur illo titulo. Nempe dum Episcopatum non putant alibi situm esse, quam in proventu, deinde in vanis illis insignibus, si mitrati sint, & si gestent annulum Episcopalem, & reliquas nugas: ita existimant se esse semideos. Hinc fit igitur, ut Deus illos prostituat in summam ignominiam. Id contigit sub Lege Sacerdotibus, quemadmodum nunc ostendit Jeremias, quod scilicet non puduerit ipsos suæ ignorantiæ, sed populum hortati sint, ut pseudoprophetis fidem adjicerent: sicuti hodie Episcopi dum monachos suos emittunt & similes rabulas, qui cursitando decipiant miserum populum, audientiam illis conciliant. Quæ autem legationis summa? attendere jubent ad sanctam & catholicam Ecclesiam. quæ est illa catholica Ecclesia? si Papa cogat synodum, sedebunt quidem illic Mitrati: sed quorsum? ut quod libuerit rabulis illis, quibus mandatur disputandi officium, decernant. Ergo videmus in Papatu sic omnia hodie esse confusa, ut tamen hæc horribilis dissipatio nihil differat à veteri. Et hoc diximus notandum esse, ne fides nostra labefactetur quum videmus omnia esse permixta, & nullum fere esse residuum ordinem. Jam additur etiam clarior explicatio, quod scilicet admoniti fuerint Judæi, ne vaticinium illud reciperent de vasis Templi reportandis. Nam ut in posterum securi essent, hoc jactabant falsi Prophetæ, Brevi restituetur Templi splendor, quoniam vasa, quæ abstulit Nabuchadnezer, una cum captivis redibunt, & ita etiam restituetur quicquid collapsum est. Dicit ergo Jeremias falso id promittere. Ergo ne credatis, inquit, quum dicunt vobis, *Ecce vasa domus Jehovæ reportabuntur*, revertentur, hoc est, huc redibunt, quia scilicet vel rex Babylonis cogetur reddere quicquid rapuit, vel sponte restituet. Et addebant etiam, *Nunc cito*, ut brevitas ipsa temporis major esset illecebra ad capiendos animos. Nam si tempus longum præscriptum ab illis fuisset, non erat plausibile vaticinium, & fuisset minime gratum populo. sed dicebant, *Ecce, propediem vasa Templi huc referentur*. Jeremias etiam, quemadmodum ante vidimus, & paulo post repetet, non destituebat populum spe aliqua: sed assignaverat annos septuaginta exilio: illi autem ut discuterent metum illum, dicebant, Brevi restituentur vasa. Dicit autem *eos prophetare ipsis mendacium*. Sequitur,

17. Ne audiatis ipsos, servite regi Babylonis, & vivetis: ut quid erit Urbs hæc desolatio? (*hoc est, in vastitatem.*)

Non mirum est, si toties idem dicat Jeremias. nam ut vidimus, erat illi certandum cum pseudoprophetis. Si quis absque controversia concionetur, nec quisquam adversarius se opponat, poterit apud dociles placide agere, & transigere paucis verbis: sed ubi contentio exorta est, & nobis adversantur qui cupiunt eversum esse quicquid dicimus, illic majore cura agendum est, quia paucis verbis non essent contenti qui sic agitantur in diversas partes. Quoniam ergo videbat Jeremias populum fluctuari, ideo necesse fuit confirmare pluribus verbis: non quod per se ad persuadendum sermonis prolixitas sufficiat: sed minime dubium est, quin efficaciter loquutus sit Jeremias, ut aliquam saltem populi partem afficeret: deinde in materia non admodum plausibili accuratius fuit insistendum: pseudoprophetæ cum favore audiebantur, & major pars cupide vorabat quicquid ab illis erat propositum. nam spes impunitatis semper oblectat, & expetitur à mundo. Quid autem Jeremias? *Servite regi Babylonis*, hoc est, non vos alia manet conditio melior, quam ut tributum pendatis regi Babylonio, vos subjiciatis imperio illius, quicquid vobis præscripserit feratis patienter. Erat certe hic sermo asperrimus. nam subjectio non carebat

ignominia: deinde jubebat eos sese crudelissimo hosti dedere, acsi jugulum porrigerent: postremo periculum erat, ne spoliarentur omnibus suis fortunis. Doctrina igitur Jeremiæ valde odiosa erat, quum ita hortaretur populum ad omnia perferenda. Hæc igitur ratio fuit, cur non simpliciter, & uno verbo dixerit quod Deus mandaverat, quoniam difficile fuit illud persuasu, ut populus subiret jugum, atque adeo tyrannidem regis Babylonis. Videmus ergo fuisse duas justissimas causas, cur tantopere incubuerit Propheta in unam rem, & confirmaverit quod breviter dici poterat prolixo sermone. *Ne audiatis eos*, inquit, *servite regi Babylonis, & vivetis.* Iterum memoria tenendum est quod heri diximus, quum scilicet patienter humiliamur sub potenti Dei manu, hoc optimum esse remedium mitigandis pœnis, & hoc etiam modo converti pœnas in medicinam: sicuti ex opposito, ubi sumus tanquam equi refractarii & feroces, quicquid pœnarum infligit nobis Deus, præludium est æterni interitus. Teneamus ergo hanc doctrinam, & assidue eam meditemur, nempe vivificas nobis fore pœnas, si agnoscimus Deum esse justum judicem, & patimur nos ab ipso corrigi. Sed hoc breviter tantum attingo, quia heri disserui hac de re fusius. Adjungit, *Ut quid hæc Urbs erit in vastitatem?* Proponit illis urbem, in qua erat Dei Sanctuarium, & ejus conspectu studet eos flectere ad resipiscentiam: quoniam hoc erat nimis barbarum, obdurescere ad omnes Propheticas admonitiones, ut Templum Dei exscinderetur: deinde ut redigeretur in vastitatem sancta illa civitas, in qua Deus volebat habere suum domicilium, sicuti dixerat, Hæc requies mea in seculum seculi. In summa, Psal. 132. vers. 14.
denunciat Judæis gravissimam damnationem incumbere, si Urbem sua culpa perire sinant: fore autem auctores interitus, nisi collum suum offerant ad subeundum jugum regis Babylonis. Sequitur,

18. Quod si Prophetæ sunt, & si est sermo Jehovæ cum ipsis, (*id est, apud ipsos*) intercedant ipsi apud Jehovam exercituum, ne veniant vasa, quæ supersunt in Templo Jehovæ, & in domo regis Jehudah, & Jerosolymæ Babylonem.

Hic stultam confidentiam deridet Propheta, qua falsi Prophetæ turgebant, quum promitterent in tempus futurum omnia felicia. Dicit igitur, adeo ipsis non esse credendum de prospero illo successu, de quo vaticinabantur, ut potius metuenda esset longe gravior pœna. Dicit igitur, *Si sint Prophetæ, intercedant apud Jehovam, ne quod adhuc residuum manet Jerosolymæ auferatur.* promittunt vasa reditura, quæ Babylonem jam traducta sunt. Atqui quod adhuc restat in Templo, & in palatio Regis, & in tota Urbe, hoc totum asportabitur Babylonem. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Comparat enim futurum tempus cum præterito, & ostendit adeo stulte promittere illos impostores aliquid melius, ut impendeat gravius Dei judicium, quia scilicet Urbs cum Templo prorsus peribit. פגע significat Occurrere, obviam ire: & per metaphoram accipitur pro Intercedere. qui enim occurrit quasi intercessor, ille quodammodo cohibet eum cui se opponit. Et hoc verbo utitur Scriptura quum dicit Sanctos fuisse deprecatores apud Deum: proprium est verbum Intercedendi. Ex hoc autem loco discimus conjunctas esse duas istas partes, nempe docendi, & precandi. Ergo quem Deus Ecclesiæ suæ doctorem præfecit, illum etiam vult assiduum esse in precibus. Et hoc dicebant Apostoli quum agerent de creandis
Actor. 6. Diaconia, se non posse operam dare mensis. Dicunt
v. 2, 3, 4. enim se occupari satis superque in doctrina, sed adjungunt simul preces. Idem etiam colligimus ex hoc loco, ubi veris & probis Dei servis, qui fideliter munus docendi exercent, attribuit etiam partes intercedendi Jeremias. Si ergo *Prophetæ sunt*, inquit, *intercedant apud Jehovam, ne reliqua vasa asportentur.* simul notanda est definitio quam ponit. Nam hinc etiam ostendit quinam habendi sint pro veris Prophetis, nempe apud quos est sermo Dei: sicuti vidimus capite vigesimo tertio, Propheta penes quem est somnium, supr. 23,
& penes quem est sermo meus verus, ille loquitur vers. 28.
sermonem meum. Ex illis Prophetæ verbis diximus posse statui quinam mereantur nomen Propheticum, nempe apud quos est sermo Dei. Idem confirmat Jeremias hoc loco quum dicit, *Si sunt Prophetæ, & si est sermo Jehovæ apud ipsos:* hæc conjunctim legenda sunt, quia posterior pars est exegetica, id est, expositiva prioris. Sed non possum nunc omnia absolvere: differam igitur in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus tot vitiis nostris accersere nobis subinde novas pœnas, ut studeamus tibi reconciliari, & hoc modo prævenire judicium tuum, & cum vera humilitate nos ita tibi subjicere, ne simus indomiti reluctando, sed reatum nostrum fatendo, conciliemus nobis tuam gratiam, & te reperiamus placabilem, donec tandem exuti omnibus vitiis, perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXTA

IN

JEREMIAM.

19. Quia sic dicit Jehovah exercituum de columnis, & de mari, & de basibus, (המכנות) & de residuo vasorum, quæ supersunt in urbe hac,

20. Quæ non abstulit Nabuchadnezer rex Babylonis, quum adduxit captivum Jechaniam filium Jehojakim regem Jehudah è Jerusalem, Babylonem, & omnes Proceres Jehudah, & Jerusalem:

21. Certe sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël de vasis, quæ supersunt in domo Jehovæ, & in domo Regis, & in Jerusalem,

22. Babylonem transferentur, & illic erunt usque ad diem quo visitabo ea, (*vel, eos, quod mihi magis placet*) dicit Jehovah: & ascendere faciam eos, & reducam eos ad locum hunc.

Dixerat heri Jeremias potius optandum esse, ut quod residuum erat Jerosolymæ Deus servaret, quam ut restituerentur quæ ablata fuerant, quia nondum transierat pœnæ tempus: & ita exprobravarat falsis doctoribus, quod tam superbe & secure promitterent brevem reditum tam Regis, quam eorum, qui simul cum ipso tracti in exilium fuerant. Nunc confirmat eandem sententiam, ac dicit quicquid adhuc manebat residuum Jerosolymæ, jam destinatum esse hostibus Babyloniis, & illorum fore prædam. Pepercerat Nabuchadnezer aliqua ex parta Templo, & Urbi: abstulerat vasa maxime pretiosa, sed non spoliaverat prorsus Tamplum suo ornatu. Quum ergo adhuc illic conspiceretur aliquis splendor, poterant colligere Judæi clementer secum fuisse actum. Jam dicit Templum excisum iri, & simul Urbem, quia potest etiam hoc colligi ex ejus verbis, ubi dicit nihil prorsus fore residuum. *Sic ergo dicit Jehovah de columnis.* Non dubium est, quin magnos sumptus fecisset Solomo in columnis, sicuti atiam Scriptura commendat opus illud. Addit, *de mari.* Erat autam vas amplissimum, unde aquam sumebant Sacerdotes, qua se abluerent quoties Templum ingrediebantur ad peragenda sacra. Erat autam ex ære fabrefactum: sed propter magnitudinem erat non lavis aut vulgaris pretii: & ideo impositum fuerat Maris nomen. Addit tertio loco *bases.* Hieronymus vertit, Ad, quoniam hic ponitur אל. sed sumitur pro De, quemadmodum satis notum est. Pronunciat igitur sententiam Dei tam de columnis, quam de mari, & basibus. Erant quidem adhuc alia vasa, sed species istas commemorat, ut Rex una cum populo intalligat nihil fore prorsus reliquum in Templo. Et adjungit etiam *residuum vasorum, quæ adhuc supersunt in hac urbe.* Quum adjungit, *Quæ non abstulit Nabuchadnezer rex Babylonis*, hic oblique perstringit Judæos, quod non agnoscant temperatam fuisse sævitiam hostis divinitus. Scimus anim quam crudeles essent Babylonii: deinde quum inexplebilis esset eorum avaritia, an relictum quicquam fuisset in Tamplo, atsi quia constrictæ erant quodammodo ipsorum manus arcano Dei consilio? Debebant hoc secum expendere Judæi: & ideo Propheta hic ingratitudinem illis objicit, dum narrat *Nabuchadnezer vasa hæc non abstulisse*, quum tamen *traheret Regem captivum, & omnes Proceres tam Urbis, quam totius terræ.* Hic enim subest comparatio minoris & majoris: quasi diceret, Non fuisset tam mansuetus Nabuchadnezer, nisi Deus moderatus esset ajus affectum. nam Regi vastro non pepercit, traxit in axilium omnes Proceres vestros: qui factum est igitur, ut quicquam relictum fuerit in Urbe? ut non sublatæ fuerint columnæ? an eas contempsit? atqui sunt rero artificio politæ: materia etiam ipsa est pretiosissima. Videtis argo Deum adhuc locum dedisse suæ misericordiæ, quod aliquid salvum maneat tam in Urbe, quam in Templo. vos autem repudiatis tale tantumque Dei beneficium. quid argo tandem vobis continget? Tenemus consilium Prophetæ in hic verbis quum dicit *vasa non fuisse ablata*, quum tamen Rex esset captivus, & Proceres totius terræ in exilium essent tracti. Hinc etiam colligitur utilis doctrina, quoties Deus nos castigat, semper reputandum esse quid ad extremas afflictiones desit. Nam hinc fremitus adversus eum, & sæpe desperatio, quod putamus extremo rigore illum nobiscum agere. Sed hoc accidit maligno & perverso nostro judicio: quia nunquam Deus tam duriter nos affligit, quin semper appareat aliqua pars clementiæ, & moderationis: denique judicia ejus semper sunt condita bonitate. Si quisque argo prudenter in mentem revocaret quantum absit ab axtremis malis, certe hoc ad laniendos dolores non parum prodesset. Sed quia rejicimus omnem gustum bonitatis Dei, & tantum apprehendimus ejus severitatem, ideo vel obstrepimus, vel etiam furimus quodammodo adversus eum. Atqui docet hic locus, quum Deus aliquid residuum nobis facit, hoc testimonium essa paterni ejus favoris: & ideo plus aliquid sperandum, modo ax animo resipiscamus. In hunc igitur finem tendebat hæc Prophetæ admonitio, ut Judæi amplecterentur residuam illam Dei gratiam, nec pergerent in sua obstinatione, usque dum iterum Deus manum suam exereret ad illos perdendos. Secundo repetit, *Sic, inquam, dicis* (nam particula כה. hoc loco debet ita resolvi) Sic, inquam, *dicit Jehovah*: & emphatica inculcat quod satis erat per se clarum, ut penitus infigat eorum animis hanc Dei sententiam: atque ita penetret aliquis terror in eorum animos, qui sic erant obdurati, ut non facile esset quicquam proficere simplici doctrina. *Dicit ergo Jehovah de vasis, quæ adhuc supersunt tam in Templo Jehovæ, quam in palatio Regis, Babylonem asportabuntur, & illic manebunt.* Significat Jeremias nihil sperandum asse Judæis quum ita pervicaciter Deo resistant, nec sustineant ejus manu se castigari. Dicit, *Usque ad diem, quo visitabo illa.* Potest enim hoc ad vasa commode referri. Sed quia Judæis satis tritum est, relativum ponere ubi agitur de re nota, quamvis nullum nomen, vel subjectum, ut loquuntur, præcesserit: ideo libentius interpretor de ipsis hominibus. pendebat enim vasorum restitutio ab ipso reditu populi. Significat igitur vasa fore captiva, donec permiserit Deus liberum exitum populo: quod factum est edicto Cyri, postquam dominatus est in Chaldæa, & Assyria. Perinde igitur est ac si commonefierent Judæi de illo diuturno exilio, quod prædictum ipsis fuerat, & stulte eos sperare quod falsi Prophetæ de vasis pollicebantur, quia vasorum non fuisset major cura Deo, quam electi populi. vasa enim in gratiam populi accepta erant Deo. Hic igitur confirmat quod alibi dixit Jeremias, & sæpius, populum scilicet fore captivum usque ad diem visitationis, hoc est, usque ad finem septuaginta annorum. *Quum ergo visitabo ipsos Judæos*, inquit Deus, tunc quoque vasa secum referent, sicuti permissum fuit edicto Cyri. Nunc tenemus simplicem verborum sensum. Sequitur alia narratio:

CAP. XXVIII.

Factum est anno illo, principio regni Zedechiæ regis Jehudah, anno quarto, mense quinto, loquutus est ad me Chananiah filius Assur, Propheta qui erat è Gibeon, (*oriundus è Gibeon*) in Templo Jehovæ, coram oculis Sacerdotum & totius populi, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Confregi (*aut contrivi*) jugum regis Babylonis.

Narrat hic Propheta quanto fastu, atque etiam furore prosilierit falsus Propheta Chananiah ad fallendum, & spargendas suas nugas, quum tamen male sibi esset conscius. Hinc certe apparet quanta sit eorum rabies, qui à Deo excæcati trahuntur diabolico impetu. Primum circumstantia loci ostendit quantus fuerit contemptus Dei in hoc impostore. Venit anim in Templum, adsunt Sacerdotes: adest popu-

populus: & illic in sacro cœtu ante oculos habet Sanctuarium, & Arcam fœderis. Et scimus passim Arcam fœderis vocari Faciem Dei; quia Deus in illo symbolo quodammodo erat visibilis, quum certo testatam faceret præsentiam virtutis & gratiæ suæ in Templo. Quum ergo staret Chananiah ante Dei oculos, quanti stuporis fuit, ita sese ingerere, & mendacium impudenter proferre nomine ipsius Dei? non dubitat tamen fallaciter se jactare Dei Prophetam: & utitur Jeremiæ verbi, *Sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël.* Certe hæc verba debebant instar fulminis prosternere ejus contumaciam, quamvis esset plusquam ferreus. quid enim sonat Jehovah exercituum? nam complectitur hoc nomen non modo æternam Dei essentiam, sed potentiam ejus, quæ sese per cælum & terram diffundit. Annon igitur debuit contremiscere Chananiah, si quis alius nomen Dei protulisset? Nunc vero quum derideat, & ludibrio habeat tam munus Propheticum, quam sacrum Dei nomen: non dubitat tamen jactare se habere Deum auctorem hujus vaticinii, quod tamen erat mera impostura. Jam adjungit *Deum Israel*, ne hac etiam in parte sit inferior Jeremia. Fuit hæc gravis tentatio non modo ad concutiendos populi animos, sed ad frangendam constantiam sancti Prophetæ. Videbat populus nomen Dei committi veluti certamen: erat hic horribilis conflictus, Loquutus est mecum Deus: imo mecum: quum inter se essent contrarii Jeremias, & Chananiah: uterque obtendebat nomen Prophetæ: videre igitur talem conflictum, & nomen Dei trahi pro libidine, & projici à diabolo quasi per ludibrium. Quantum ad Jeremiam spectat, fieri non potest, quin graviter vulneratum fuerit cor ejus quum videret impium illum nebulonem tam audacter abuti Dei nomine. Sed, quemadmodum jam dixi, Deus interea fulcivit omnes piorum animos, ita ut non fuerint prorsus dejecti, quamvis acciderit aliqua turbatio. Scimus enim filios Dei non esse vacuos sensu, quin moveantur talibus objectis. Sed tamen sustinuit Deus eos omnes qui præditi erant vera pietate: quia facile illis fuit discernere inter Jeremiam & Chananiam, quum viderent Jeremiam præferre Dei mandata, illum vero nihil aliud captare, quam favorem & plausum. Sed quod ad ipsum Chananiam spectat, nobis est insigne speculum cæcitatis & amentiæ, ubi non formidat conspectum Dei ipsius, sed Templum ingreditur, ut illud suis mendaciis profanet, quum etiam ita contemptim usurpat Dei nomen, & gloriatur se esse ejus Prophetam, cum quo tamen nihil habebat commune. Ergo ne miremur si hodie multi conductitii rabulæ sine ullo pudore & metu, Dei nomen ferociter objiciant, & perinde nobis insultent, acsi Deus illis suggereret quicquid garriunt, quum tamen satis & super convicti sint, se nihil proferre nisi mendacia. Deus enim ipsos merito excæcavit, quum ita profanent sacrum ejus nomen. Nunc descendo ad verba ipsa: *Factum est*, inquit, *eodem anno*, nempe *anno quarto regni Zedechiæ.* Videtur improprie vocari annus quartus, principium. Diximus alibi potuisse fieri, ut Deus deponeret hoc vaticinium apud Jeremiam, nec statim vellet promulgari. Sed nihil etiam in eo absurdi erit, si vocetur initium regni ipsa confirmatio. nam Zedechias fuit impositus à rege Nabuchadnezer, quia populus non libenter tulisset Regem extraneum. Poterat enim unumquempiam è suis Satrapis præficere toti regioni: poterat etiam Regem constituere ex suis Proceribus: sed videbat illud nimis fore odiosum. Satis ergo habuit si Regem Jechaniam tolleret è medio, & substitueret in ejus locum, qui non polleret magna potentia, nec magnis opibus, & qui esset ejus tributarius, quemadmodum hæc etiam imposita fuit conditio Zedechiæ. Interea progressu temporis invaluit Zedechias, ut esset pacatus in statu regni sui. Scimus etiam fuisse præfectum vicinis regionibus, quum Nabuchadnezer putaret hoc sibi fore commodum, si devinctum illum haberet multis beneficiis. Ergo annus hic quartus non male potest censeri *principium regni*, quoniam res fuerant tribus annis sic turbatæ, ut nulla esset in ipso dignitas, vix auderet conscendere solium. hæc igitur probabilis est sententia. Postea dicit *Chananiam secum loquutum fuisse coram oculis Sacerdotum & totius populi.* Saltem debuerat Chananiah moveri quum videret Jeremiam ita loqui. Ipse nullum habebat suæ vocationis testimonium. imo erat impostor, & sciebat se nihil aliud agere quam ut populum deciperet: & tamen audacter persistit in suo proposito, & se quasi ex professo ingerit, ut conserat manum cum Propheta, acsi bellum susciperet cum Deo. Dicit *confractum esse jugum regis Babel*, hoc est, tyrannidem illam, qua populum oppresserat, *brevi fractum* vel contritum *iri*. Sed alludit ad jugum, quod induerat Jeremias, sicuti paulo post videbimus. Hoc est initium vaticinii, non esse cur formident Judæi præsentem regis Babylonis potentiam, quia Deus cito illum evertet. Neque enim spem concipere poterant restitutionis suæ, vel melioris status, donec pessundata esset illa Monarchia. Quantisper enim dominatus esset rex Babylonis, minime sperandum erat, ut sponte remitteret tributum, ut Judæis redderet omnia Templi vasa. Incipit igitur Chananiah ab hac parte, quod scilicet conterer Deus potentiam regis Babylonii, ut cogatur velit nolit dimittere liberum populum, vel ut populus ipse impune sese eripiat ex subjectione ejus. Postea adjungit,

3. Adhuc (*In adhuc, ad verbum*) anni duo dierum, (*hoc est, quum transierint anni dierum duo*) ego reducam ad locum hunc omnia vasa domus Jehovæ, (*id est, Templi*) quæ abstulit Nabuchadnezer rex Babylonis à loco hoc, & transportavit Babylonem.

Nunc videmus spectasse in hunc finem Chananiam, ut promitteret populo impunitatem: neque id modo, sed etiam lactaret eum vana fiducia, acsi brevi Regem suum recuperaturus esset populus una cum omnibus spoliis, quæ hostis abstulerat. Sed ideo exordium fecit à potentia Regis, ne conspectus ille terribilis occuparet populi animos, quo minus admitterent lætum illud vaticinium. Dicit ergo, *Adhuc quum præterierint anni duo, reducam ad hunc locum omnia vasa, quæ abstulit rex Nabuchadnezer.* Præfixerat Jeremias exilio populi annos septuaginta, ut ante dictum fuit, & posthac sæpius videbimus: hic autem pseudopropheta dicit post duos annos finem fore exilio Regis, & populi: deinde vasa esse reditura, quæ ablata fuerant. Subjicit etiam de ipso Rege:

4. Et Jechaniam filium Jehojakim regem Jehudah, & totam captivitatem (*hoc est, totam turbam captivam: est enim* גלות *nomen collectivum, ut alibi diximus. totam ergo turbam captivam*) Jehudah, quæ profecta est Babylonem, (*hoc est, qui abducti fuerunt, vel qui profecti sunt, sed violenter tracti tamen*) ego reducam ad hunc locum, dicit Jehovah: quia contrivi jugum regis Babylonis.

Pro-

Promittit Chananiah de ipso Rege quod nuper de vasis Templi & Palatii prædixerat. Sed quæritur, quomodo ausus fuerit spem facere restitutionis Jechaniæ, quum illud minime gratum esset Zedechiæ. Non poterat enim rursus adipisci Jechania quod perdiderat, nisi abdicato Zedechia. Nunquam autem fuisset hoc æquo animo passus, se cogi in ordinem, & fieri privatum hominem: eum vero qui abdicatus erat illo gradu honoris, iterum redire. Sed minime dubium est quin confisus fuerit populi gratia, deinde quin certo persuasus fuerit etiamsi indigne ferret Zedechias se ita diminui, tamen cogeretur alium affectum præ se ferre. Zedechias enim ipse sic regnabat, ut eum puderet suæ dignitatis, quia non sedebat in solio Davidis legitimo successionis jure. Impositus fuerat à tyranno, neque etiam audebat aliud signum dare populo, quam sese cupere ut rediret Jechania, & potiretur regno quo exutus fuerat. Quum ergo sciret iste impostor Regem nunquam esse ausurum ostendere aliquod iracundiæ signum, suam vero prophetiam fore populo jucundam, & plausibilem, ideo audacter promisit quod hic legimus de reditu Jechaniæ. Ergo dicit in Dei persona, *Jechaniam filium Jehojakim regem Jehudah, & omnem populum captivum, qui abducti sunt Babylonem, ego reducam ad hunc locum.* Videmus ut inflatus semper sit eadem arrogantia, atque ut Deum pro nihilo ducat, cujus nomen sic profanat per ludibrium. Sed hoc totum ex illo fonte amentiæ manat, quia excæcatus fuerat justo Dei judicio. Confirmat suum vaticinium, iterum repetens exordium illud, *Confregi jugum regis Babylonis.* Patefecerat sibi aditum quum diceret instare interitum monarchiæ Babylonis: nunc postquam effutivit quod libuit de tota re, iterum reducit idem principium in memoriam. Quum igitur promitteret non diutius quam biennio posse monarchiam illam stare, hinc poterant conjicere Judæi se fore liberos, & ita felicia omnia sperare. atque hoc quidem fuit consilium impostoris. Quid autem respondet Jeremias? sese ingenue & constanter opponit: sed quia videbat se gravari invidia, ideo voluit occurrere, & antequam repetat quæ de exilio septuaginta annorum prius dixerat, ostendit se non cupide amplexum fuisse mandatum illud acsi alienus esset à populo, vel pro nihilo duceret ejus salutem, vel etiam aliquo perverso affectu esset adductus, ut tristem illum & lugubrem nuncium afferret. Dicit igitur,

5. Tunc dixit Jeremias Propheta Chananiæ Prophetæ coram oculis Sacerdotum, & coram oculis totius populi, qui stabant in domo Jehovæ, (*hoc est, in Templo*)

6. Et dixit Jeremias Propheta, Amen, sic faciat Jehovah: stabiliat Jehovah sermones tuos, quos prophetasti ad reducendum (*hoc est, ut reducantur*) vasa Templi, & tota captivitas ex Babylone ad hunc locum.

Breviter admonui de Prophetæ consilio. Timendum enim erat, ne populus eum audire vellet: saltem vix poterat habere sibi propitios, quibus ita minitabatur, & quos duriter & aspere tractabat. scimus homines semper blanditias appetere, ideo adulationes semper suaviter solent recipi. Tanta est hominum superbia, ut non sustineant se vocari ad reddendam vitæ rationem: deinde ut graviter indignentur, dum vident sua crimina, & flagitia proferri in lucem. Adde quod sunt etiam delicati, ideo fugiunt quantum in se est, omnes adversos rumores: si quid illis terroris incutitur, statim contra insurgunt. Jeremias autem duplici mandato erat instructus, nempe ut traduceret scelera populi, & ostenderet indignos esse Judæos, quos terra aleret, quum essent fœdifragi, quum essent Dei contemptores, & Legis: deinde quum toties fuissent præfracti & contumaces. Alterum mandatum erat, non impune illis cessurum quod tam variis modis, & longo tempore non destiterant iram Dei in se provocare. hoc totum odiosissimum erat populo. Avertit igitur falsam suspicionem Jeremias, qua poterat premi, & testatur se nihil magis cupere, quam populi salutem: *Amen*, inquit, *sic eveniat*, utinam essem falsus Propheta: libenter ego facile retractarem cum magno pudore quicquid hactenus prædixi: tanta est mihi cura & sollicitudo publicæ salutis: præfero enim meæ æstimationi totius populi salutem. Sed postea adjungit, quemadmodum videbimus, quam vana sit illa promissio Chananiæ, & quam nihil populum sublevet à calamitate, quæ proxime instabat.

Da omnipotens Deus, quando non desistis nos ad te invitare, & subinde nobis revocare in memoriam nostra peccata, ut spem misericordiæ nobis propositam amplectamur: da, inquam, ne ingrati simus huic tanto, & tam inæstimabili beneficio: sed tibi occurramus cum vera humilitate & pœnitentia, & confisi immensa tua bonitate, non dubitemus te fore nobis propitium, ut ita accendamur ad studium pietatis, & totos nos dedamus obsequio verbi tui, ut glorificetur nomen tuum in nobis, donec tandem perveniamus ad cælestem gloriam, quam nobis acquisivit Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTIMA IN JEREMIAM.

POstrema lectione cœpimus exponere Jeremiæ responsum, quum dixit Chananiæ, *Utinam Deus stabiliat verba tua, & vasa Templi referantur in hunc locum, & redeant simul cum populo captivo.* Diximus breviter quod nunc iterum repetere necesse est, in Prophetis fuisse duos affectus in speciem contrarios, sed qui tamen facile inter se conveniunt. nam quicquid mandaverat Deus libere pronunciabant, & ita obliviscebantur gentis suæ, si quid denunciabant adversi. Quum ergo Prophetæ minitabantur populo, & dicebant instare vel bellum, vel famem, non dubium est quin præditi fuerint heroica magnitudine animi, ut posthabito populi respectu pergerent in officio suo: ita strenue exequuti sunt quicquid Deus illis præceperat. Sed non erant prorsus cauti humano affectu, quin condolescerent miseris: & quanquam denunciabant illis interitum, fieri tamen non potuit quin dolorem conciperent ex suis vaticiniis. Ergo nulla est repugnantia quum optat Jeremias ut vasa Templi referantur, & redeant exules, & tamen maneat semper in proposito, quemadmodum postea videbimus. Si quis excipiat non potuisse hoc fieri, quin Jeremias vanus esset ac falsus vates: responsio in promptu est, Prophetas non ita subtiliter fuisse ratiocinatos, quum raperentur vehementia zeli. quemadmodum videmus Mosen optare, *Exod. 32, vers. 32.*

Rom. 9. vers. 3. ut deleatur è libro vitæ: Paulum etiam concipera simile votum, ut fiat anathema à Christo pro fratribus. Si quis distincte sciscitatus à Mose esset, Vellesne perire, & alienus esse à spe salutis? responsum fuisset in promptu, nihil minus sibi esse in animo, quam abjicere immutabilem Dei gratiam: sed ubi intentus est in Dei gloriam, quæ exposita foret omnibus probris, si populus extinctus fuisset in deserto: deinde quum adjungit aliud studium, & sollicitus est de salute gentis suæ, illic seipsum obliviscitur, & quasi extra se raptus dicit, Potius deleas me è libro vitæ. talis etiam fuit sensus in Paulo. Et idem sentire oportet de Jeremia quum dicit, Cuperem me esse falsum vatem: te autem prædixisse populo quod eventu tandem verum comperiatur. Sed Jeremias noluit vel minimum quicquam detrahere verbo Dei quum hoc diceret: tantum concepit votum, & reliquit alteram curam Deo, nempe ut maneret salva, & integra fides, & auctoritas vaticinii. Hoc ergo non sumpsit quasi deberet præstare si eventus forte non responderet ejus vaticinio: sed deposuit hanc curam apud Deum, & ita sine obstaculo precatus est pro liberatione & reditu populi. Nunc autem sequitur,

7. Verum, audi nunc (*vel agedum, hortantis*) sermonem hunc, quem ego pronuncio (*pronuncians sum*) in auribus tuis, & in auribus totius populi:

8. Prophetæ qui fuerunt ante me, & ante te à seculo, & prophetarunt super terras multas, (*vel magnas*) & regna magna de prælio, de malo, & de peste:

9. Propheta qui prophetaverit de pace, (*hoc est, de rebus prosperis*) quum venerit sermo, (*id est, quum eventu comprobatus fuerit sermo Prophetæ*) cognoscetur Propheta quod miserit eum Jehovah in veritate.

Postquam testatus est Jeremias se non appetere quicquam adversi, sed ex animo populo suo bene cupere, jam adjungit esse tamen quod prædixit verissimum. Hic melius perspicitur quod dixi de duplici affectu. quamvis enim Propheta consultum optet saluti populi, non tamen ideo desinit strenue parere Deo, & perferre mandata illa, quæ tametsi tristia erant, non tamen Jeremias ideo tacere debuit, quin præco esset justæ Dei vindictæ adversus populum. Ab una igitur parte ostendit sibi nihil magis esse in votis, quam ut populus maneat incolumis & integer: interea non esse in suo arbitrio, vel cujusquam hominis mortalis, mutare decretum illud cæleste, quod pronunciaverat. Videmus ergo ut Deus sic moderatus sit mentes & animos servorum suorum, ut non fuerint crudeles, aut barbari: interea prætextu humanitatis non fuerint molles, vel flexibiles, sed animose pertulerint quicquid Deus jusserat. Hac ratione dicit, *Veruntamen audi sermonem hunc, quem ego pronuncio in auribus tuis, & in auribus totius populi.* His verbis oblique Jeremias perstringit vanitatem Chananiæ, qui volebat populo blandiri, & per suas adulationes venari gratiam & favorem, ut solent tales impostores. Dicit igitur eum nihil proficere, quum populo spem aliquam facit propinquæ liberationis: quoniam Deus consilium suum non mutaverat: & jam audacter & ingenue sese opponit Jeremias, quia satis repulit invidiam, qua poterat inique gravari: sicuti impostores semper reperiunt calumnias, quibus onerent fideles Dei servos. Initio poterat objici Jeremiæ, Tu alienus es à gente tua, non tangeris tot miseriis, quibus attriti antehac fuimus, neque etiam curas in futurum tempus quid de nobis fiet. poterat igitur conflari aliquod odium Jeremiæ, nisi se purgasset. Postquam autem testatus est se probe & humaniter esse affectum erga gentem suam, nunc insurgit contra impostorem illum: nec dubitat, quod asperius visum fuisset proferre, nempe populum fore captivum. Tamen videtur hic Jeremias metu aliquo fuisse perculsus, quia non confirmat suum vaticinium, sed causam relinquit quasi in suspenso. at vero minime dubium est, quin refutaverit mendacia Chananiæ. Sed scimus non recitari quæcunque dicta sunt à Prophetis, sed breviter notari duntaxat rerum summas, & capita: & tamen, ut paulo post dicemus, Jeremias in magno populi tumultu non potuit agere ut optasset: loquutus enim fuisset surdis. deinde quoniam Chananias occupaverat omnium fere animos, in illa perturbatione non fuisset auditus sanctus Propheta. Ergo contentus fuit hac brevitate, quod scilicet Deus brevi ostensurus esset mentitum fuisse Chananiam, quum falso tam celerem reditum captivis atque exulibus promitteret. Sed hic tantum ponitur generalis sententia: *Prophetæ qui fuerunt ante me, & ante te*, inquit, *& prophetarunt contra terras multas*, vel magnas, *contra regna magna, vaticinati sunt de bello, de rebus adversis, de peste.* רעב ponit in medio, & tamen est genus positum inter duas species. sed accipitur haud dubie hoc loco pro fame, quemadmodum ex aliis etiam locis satis patet. Deinde adjungit, mutato tamen numero, *Si quis etiam Propheta de pace loquutus est*, & eventus tandem ostendit quisnam fuisset verus Propheta: ipsa autem experientia brevi te coarguet mendacii: quia finito biennio, populus tamen, qui nunc est apud Babylonios, jacebit illic sub tyrannide, & nihilo erit melior residui populi conditio. nam qui adhuc in Urbe manent, & in tota Judæa, illi cum fratribus suis trahentur in exilium. Videtur autem Jeremias colligere eos solos habendos esse pro veris Prophetis, qui eventu demonstrant se missos fuisse divinitus: & non solum videtur hoc posse colligi ex verbis, sed posse quoque elici definitio veri Prophetæ, nempe ubi eventus vaticinio respondet, non esse dubitandum, quin missus à Deo fuerit qui prædixit quod tandem accidit. Sed tenendum est memoria quod habetur Deuteronomii 13. capite, ubi Deus populum admonet, etiamsi eventus *Deut. 13.* respondeat vaticinio, non tamen temere, vel promi- *vers. 1, 2.* scue habendam esse fidem Prophetis, qui vera prædixerint: Tentat enim te Deus tuus, inquit, hoc *Deut. 13.* est, examinat fidem tuam, an facile repiaris ad quam- *vers. 3.* libet auram doctrinæ. Sed etiam apud Mosen sunt duo loci, qui primo intuitu videri possent inter se pugnare: jam recitavimus priorem ex 13. capite: alter habetur 18. Propheta qui verum prædixerit, *Deut. 18.* ego illum misi: illic etiam videtur Deus agnoscere *vers. 22.* pro fidelibus servis quicunque verum aliquid prædicunt. atqui paulo ante admonuerat Moses etiam impostores aliquando verum dicere, neque ideo illis esse credendum. Sed tenendum quod sæpe Deus pronunciat apud Jesaiam, quum scilicet vendicat sibi *Jesa 44.* uni omnium rerum præscientiam: Ite, inquit, & in- *vers. 7.* quirite an dii Gentium respondeant de rebus futuris. Videmus ut sibi hoc Deus quasi proprium attribuat, nempe præcognoscere res futuras, & de illis testimonium reddere. Et certe nihil liquidius est, quam de rebus occultis solum Deum posse loqui. nam homines poterunt hoc vel illud conjicere: sed poterunt etiam sæpe falli. Quantum ad diabolum spectat, relinquo argutas disputationes, in quibus se fatigat præcipue Augustinus. nam præ aliis sudat hac in parte, quomodo diaboli patefaciant res futuras, & occultas: quemadmodum dixi, speculatur nimis argute, sed solutio difficultatis, in qua nunc sumus, longe expeditior est: primo statuamus res

futu-

futuras non posse nisi à solo Deo cognosci, & ideo sicuti penes ipsum solum est præscientia, ita non posse quicquam futurum vel occultum prædici, nisi ab ipso solo. Interea non sequitur, quin Deus hanc licentiam diabolo & ejus ministris permittat, ut scilicet verum aliquid prædicant. quomodo? sicuti
Num. 22. 23. & 24. Balaam fuit impostor qui paratus erat vaticinia sua locare aut vendere, quemadmodum satis notum est: erat tamen Propheta. sed hoc fuit donum particulare, ut de rebus certis prædiceret. unde hoc habuit? non habuit à diabolo, nisi quatenus ita Deo placuit: sed tamen ipsa veritas non alium habet fontem ex quo proveniat, quam Deum, & ejus Spiritum. Quum ergo diabolus aliquid veri pronunciat, hoc est quasi extraneum & adventitium. Jam quum diximus solum Deum esse veri auctorem, hinc sequitur Prophetas qui ab eo missi sunt, non posse falli: quia non egrediuntur metas vocationis suæ: itaque non futiliter loquuntur de rebus occultis, sed dum hoc, vel illud pronunciant, habent eum auctorem. Sed termini isti non sunt convertibiles, ut loquuntur, nempe verum prædicere, & esse verum Prophetam: quidam enim, quemadmodum dixi, prædicunt, quod postea usu & experimento deprehenditur verum esse, & tamen sunt impostores. nec Deus decimo illo octavo capite Deuteronomii voluit dare certam definitionem, qua designaret Prophetas suos: sed quoniam videbat Israelitas nimis fore credulos, ut cupide arriperent quicquid esset dictum, voluit frenare illam intemperiem, & corrigere fervorem illum immodicum. Jussit igitur eventum expectare: quasi diceret, Si inter vos surgant qui hoc vel illud promittant nomine meo ne statim amplectamini quicquid effutiverint: sed tamen eventus docebit an ego ipsos miserim. Ita etiam hoc loco Jeremias dicit efficaciter loquutos fuisse veros Prophetas Dei, ut nihil prædixerint quod non ratum habuerit Deus, & re ipsa ostenderit à se profectum. Ergo sic tenendum est, ἐπὶ τὸ πολὺ, hoc est, ut plurimum eos qui vera prædicunt, esse Dei Prophetas. hoc est generale quasi axioma: sed hinc non possumus inferre, quicunque hoc vel illud in specie prædicunt, esse à Deo missos, ut tota eorum doctrina vera sit. Speciale igitur unum vaticinium non sufficeret ad probationem totius doctrinæ, & ministerii: satis est quod Deus coarguit eorum vanitatem, qui ex proprio sensu vel cerebro loquuntur, ubi eventus non respondet. Interea insignit Prophetas suos hac nota, ut demonstret re ipsa se illis fuisse auctorem, ubi completur quicquid ab ipsis prædictum fuit. Quantum ad pseudoprophetas spectat, specialis est causa cur Deus tantum illis permittat licentiæ: quoniam scilicet dignus est mundus hac mercede, dum sponte sese offert decipiendum. Satan, qui pater est mendacii, tendit undique hominibus laqueos: illi autem obviam accurrunt, & appetunt sese projicere in ejus decipulas. digni igitur sunt qui obtemperent mendacio:
2 Thess. 2. v. 10, 11. quia nolunt credere veritati, quemadmodum dicit Paulus. Nunc ergo videmus quo spectet consilium Jeremiæ: non vult probare omnes esse veros Prophetas, qui veri aliquid prædicunt, neque enim id agitur: sed sumit contrarium membrum, nempe convinci falsitatis quicunque hoc vel illud promittunt, quod postea deprehenditur fuisse vanum. Si quis ergo prædixerit aliquid futurum, & res ipsa non evenerit, jam satis manifesta est ejus temeritas, hinc ergo apparet non fuisse missum à Deo, sicuti jactabat. Hoc est consilium Jeremiæ, neque ultra progreditur: non enim disputat an quicunque prædicunt vera sint divinitus missi, & an habenda sit fides eorum doctrinæ, ut sine exceptione illis credatur. de hac re non disputat Jeremias: sed ostendit Chananiam esse falsum Prophetam, quia completo biennio satis constabit illum futiliter loquutum fuisse quod non habuerat à Dei Spiritu. Et idem etiam vult Moses, quemadmodum nuper exposui. Quod autem dicit *Prophetas qui fuerunt omnibus seculis vaticinatos fuisse super terras multas, & super regna magna*, restringi debet ad veros Prophetas. tametsi enim profanis Gentibus fuerunt semper aliqui vates, non tamen dignatus fuisset Jeremias illos tanto honore. & hoc erat miscere sacra profanis, si eodem ordine locasset vanos illos prædictores, & veros Prophetas. Sed scimus omnes Dei servos ita sermonem direxisse ad electum populum, ut tamen verba facerent de regnis externis, de longinquis regionibus. Et hoc non absque expressum fuit: quia quum verba facerent de monarchia aliqua, non poterant conjicere quid futurum esset. ergo oportuit ipsos instinctu Spiritus sancti ita loqui. Si vellem mihi plus sumere quam liceat, & obtendere speciale aliquod donum vaticinandi, potero facilius mentiri & fallere, si loquar de urbe una duntaxat, & de statu qui est mihi sub oculis, quam si extendam mea vaticinia ad regiones longinquas. Quum ergo dicit Jeremias *Prophetas loquutos fuisse de terris diversis, & magnis, de regnis potentissimis*, significat eorum vaticinia non potuisse adscribi humanis conjecturis: quia si quis sit acutissimus, & superet ipsos Angelos perspicacia, non tamen poterit prædicere quid futurum sit in terris transmarinis. sed quicquid prædictum fuit à Prophetis hoc Deus sancivit ipso rerum successu. Sequitur ergo, inde simul sancitam fuisse eorum vocationem, quasi Deus ratum haberet è cælo quicquid ipsi loquuti fuerant in terra. Sive ergo Prophetæ loquuti fuerint de pace, hoc est, de rebus prosperis, sive de bello, & fame, & de peste, quum experientia docuit verum esse quicquid dixerant, simul eorum auctoritas fuit stabilita, quasi Deus ostenderet à se fuisse missos. Notanda est etiam particula באמת, *quod Deus*, inquit, *miserit eos in veritate*. perstringit enim audaciam, qua semper abusi sunt impostores, quia superabant fideles Dei servos hac jactantia, quod missi essent. Quum ergo ita insolescerent, & fallaci vocationis prætextu deciperent miseros homines, Propheta hic adjunxit particulam, Quod non omnes missi sint in veritate. Concedit ergo titulum vocationis erronibus, sed ostendit tamen quantopere differant à servis Dei, quorum vocatio à Deo ipso obsignatur. Sequitur,

10. Et abstulit Chananias Propheta ligamen illud (*vinculum*) è collo Jeremiæ Prophetæ, & confregit illud:

11. Et dixit Chananias in oculis totius populi, (*hoc est, coram toto populo loquutus est*) dicendo, Sic dicit Jehovah, In hunc modum confringam jugum Nabuchadnezer regis Babylonii quum adhuc (*id est, simulac*) fuerint duo anni dierum è collo omnium gentium. & profectus est Jeremias Propheta per viam suam.

Non satis fuit impostori in faciem resistere sancto Dei servo, nisi etiam sacrilegas manus injiceret signo visibili, quo Deus voluerat testari veram esse Prophetæ doctrinam. Quia enim tanta erat in populo tarditas, imo socordia, ut verbis parum moveretur, ideo adjunxit Deus signum illud. gestavit enim Jeremias vincula, aut ligamina in collo suo. & quanquam hoc erat ignominiosum coram hominibus, ut tamen populum afficeret, non recusavit suscipere hoc probrum. Ergo ligamen in collo Jeremiæ erat instar sacramenti, quoniam erat signum visibile ad stabiliendam doctrinæ fidem. Quid autem Chananias?

nias? postquam petulanter invectus est contra Jeremiam, & promisit populo liberationem post biennium, jam violenter confringit & dissipat vinculum illud, vel ligamen, quod gestabat Jeremias in collo suo. Videmus ergo quantus, & quam impetuosus sit eorum furor, quos impellit diabolus: quia ubi semel eo provecti sunt temeritatis, ut audeant sese opponere verbo Dei, si possent etiam detraherent eum è solio suo. non parcunt igitur ullis insignibus potentiæ ejus, & gloriæ. Notanda est primum hæc Chananiæ vesania, quod non tantum se opposuit servo Dei, & vaticinium ejus conatus est evertere, sed arripuit ligamen, ut opponeret fallaciam diaboli vero sacramento. diximus signum illud valuisse ad confirmationem vaticinii, de quo audivimus. Quid autem Chananias? non tantum tollit è medio signum illud, sed frangendo vinculum erigit hominum sensus, ut quasi in rem præsentem adducti, confidant se liberatum iri finito biennio. Duplex igitur fuit Chananiæ furor, quod scilicet violavit illud signum quod Jeremias in medium protulerat ex Dei mandato: deinde quod signum eripit, quasi vellet Deo esse superior, & veritatem ejus obruere acturus de illa triumphum: sicut etiam factum videmus in Papatu. Nam scimus quicquid Christus jusserat fuisse ab ipsis vel corruptum, vel obscuratum, vel deletum: postea excogitarunt fictitia sacramenta, & innumeras pompas, quibus fascinarent stultos homines, vel temere credulos. Idem fecit Chananias: & ideo discipuli ejus, & imitatores sunt Papistæ, qui non tantum rejiciunt vel extenuant testimonia à Deo profecta, sed insultant plane ejus sacramentis, quum sua commenta vel figmenta tam proterva obtrudunt. Et simul notandum est, quam callide sese insinuet hic impostor: videtur enim referre veros Dei Prophetas, quum signum statuit ante oculos, deinde adjungit ipsam doctrinam. Papistæ habent signa inania, atque ita duntaxat pascunt oculos: aurium autem nulla apud ipsos cura vel ratio. Sed Chananias propius accessit ad servos Dei, ita ut posset etiam non stupidos fallere. quid enim desideremus in hoc homine, qui signum proponit? deinde adjungit nomen Dei, pronunciat quid hoc sibi velit, quorsum spectaverit. *In hunc modum* igitur *confringam jugum Nabuchadnezer*: neque ex seipso loquitur, sed sumit personam Dei, *Sic dicit Jehovah confringam jugum Nabuchadnezer.* Sed quemadmodum alibi diximus, non debet hæc præpostera æmulatio diaboli turbare pias mentes, quia Deus semper suppeditat suis spiritum discretionis, modo ipsum reverenter invocent: & ideo toties repetit Jeremias Prophetæ nomen, quod non magis sibi usurpat, quam concedit Chananiæ: quoties de Chanania loquitur, ornat eum præclaro elogio, nempe quod fuerit Propheta. non latuit sanctum virum quanta sit hæc vel materia, vel occasio scandali, ubi Propheta qui agnoscitur in Ecclesia Dei, est tamen Satanæ minister, mendax & impostor. Sed voluit nos in tempore monere, ne ipsa novitas nos terreat, quum quispiam jactat titulum Prophetæ. Sic Papistæ crepant nomina Præsulum, & Episcoporum, seque successores Apostolorum gloriantur. diabolus autem ille eorum princeps vocat se Christi vicarium in terris. Ergo consulto Jeremias toties attribuit Prophetæ nomen Chananiæ, ut quum tale aliquid nobis acciderit, fides nostra non labascat quasi accideret aliquid novi. Non possem hodie absolvere postremam partem versus.

Da omnipotens Deus, quando vis constantiam fidei nostræ ita examinare ut diabolus mendacia sua sanctæ tuæ veritati permisceat, ne tamen unquam implicemur: sed attenti simus in eam lucem quam nobis proponis, & qua nos dirigis in viam salutis, atque ita spiritu docilitatis nos tibi offeramus regendos, ut etiam vicissim nobis præstes fidum & optimum ducem, donec tandem perveniamus ad vitam æternam, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTAVA

IN

J E R E M I A M.

Postquam Chananias abruptis vinculis Jeremiæ prædixit Deum exempturum esse tam Judæos, quam reliquas gentes jugo regis Nabuchadnezer, tandem additur *Jeremiam profectum fuisse via sua*: quibus verbis significat Prophetam se loco cessisse, quia nolebat contentiose pugnare cum homine violento, vel potius cum bellua. nam verisimile est, imo potest certo colligi Chananiam fuisse dominatum in Templo, quoniam plausibiles erant ejus prophetiæ. Nam ut homines semper appetunt blanditias, quum audirent sibi promitti quod erat maxime optabile, nempe finem impositum iri omnibus suis malis & calamitatibus post biennium, omnes cupide amplexi sunt quod dicebat ille impostor. deinde non lingua tantum pugnabat contra Jeremiam, sed manibus violenter etiam aggressus est sanctum virum, dum abrupit vincula. Non ergo aliter potuit agere Jeremias, quam ut paulisper deflecteret ab illa tempestate: neque hoc fecit metu, sed quia videbat rixando superiorem fore adversarium: deinde non sperabat audientiam sibi fore inter strepitus, & clamores. videbat enim statim exoriturum gravem in populo tumultum, si cœpisset loqui. ergo necesse habuit se subducere ex populi conspectu. Unde etiam monemur videndum esse prudenter quid ferat opportunitas. neque enim semper & ubique loqui necesse est, vel expedit. Si ergo Dominus os nobis aperiat, illic nullæ difficultates debent obstare, quo minus strenue loquamur: sed ubi nulla spes est profectus, melius est interdum tacere, quam movere magnas turbas absque ullo fructu. Verum quidem est illud Pauli, insistendum esse importune: 2 Tim. 4. vers. 2.
sed intelligit ministros Christi quamvis interdum offendant & exasperent multorum animos, non debere tamen à constantia desistere. Verum Jeremias nullos habuit auditores: & totus populus sic infestus erat, ut etiam morte sua non posset quicquam proficere adversus illum impostorem. Tacuit ergo, quoniam officio suo jam erat defunctus. deinde potuit etiam se subducere quo veniret novis mandatis instructus, atque ita præditus nova auctoritate: quemadmodum postea loquitur,

12. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam postquam confregit Chananiah Propheta jugum (*aut vinculum*) è collo Jeremiæ Prophetæ, dicendo,

13. Vade & loquere cum Chanania, dicendo, (*alloquere Chananiam, dicendo*) Sic dicit Jehovah, Vincula lignea fregisti: fac autem tibi loco illorum vincula ferrea.

Hinc

Hinc apparet Jeremiam spectasse duntaxat communem populi utilitatem: deinde prudenter tacuisse ad tempus, ne projiceret margaritas coram porcis, atque ita prostitueret quodammodo sacrum Dei nomen impiorum petulantiæ. Expectavit igitur dum posset rursus prodire cum novis mandatis, ut sibi plus fidei acquireret. nam si diutius pugnasset cum Chanania, hinc inde exarsissent contentiones, non fuisset auditus in illo tumultu, & Judæi etiam pro nihilo duxissent quicquid tunc fuisset loquutus. Sed dum se subducit è turba, & postea mittitur à Deo, non ita temere poterant vilipendere neque ipsum neque doctrinam Judæi. Hæc igitur fuit ratio cur ad breve tempus tacuerit. quod si trepidaret inter illos motus, Deus tempestive eum confirmavit quum daret nova mandata. *Factus est*, inquit, *sermo ad Jeremiam postquam confregit Chananiah vinculum è collo ejus.* His verbis significat, impios quantumvis proterve contra Deum insurgant, tamen semper discedere cum pudore, & opprobrio. nam Chanania non tantum oppugnaverat verbis & lingua Jeremiam, sed violenter fregerat, & detraxerat vincula, vel ligamina è collo ejus. Hoc ergo nunc repetit Propheta, ut digito ostendat Chananiam sua audacia nihil aliud esse adeptum, nisi ut vanitas ejus magis innotesceret. Est autem abruptus sermo quum dicit, *Vade*, proficiscere, *dic dicendo*, *Sic dicit Jehovah*, *Vincula lignea confregisti*, *& fac tibi*, neque enim continuo tenore prosequitur sermonem suum Jeremias: sed priore membro recitat quid jussus fuerit dicere Chananiæ: secundo autem membro recitat Dei jussu se fecisse vincula ferrea. Sed in sensu nulla est obscuritas: quia minime dubium est, quin Propheta sermonem hoc modo contexuerit, Tu fregisti ligamina è collo meo: Deus autem præcepit, ut conficerem mihi nova ex ferro. Quamvis ergo hic tantum narret Jeremias se jussu Dei fecisse vincula ferrea, facile tamen est inde colligere, quum de vinculis ligneis loquutus est, simul addidisse de vinculis ferreis quod refert, sed alio modo. Nunc sequitur expositio:

14. Quoniam sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Jugum ferreum imposui super collum omnium gentium istarum, ut serviant Nabuchadnezer regi Babylonis, & servient ei: atque etiam bestiam agri dedi illi.

Fuisset inane spectaculum, si Jeremias solummodo attulisset catenam ferream, qua collum suum obligaverat: sed quum simul expositionem signi addidit, potuit apud multos fidem acquirere suo vaticinio. alios autem reddidit inexcusabiles, qui obduruerant in sua malitia. Sed notatu dignum est quod Deus pro ligneis vinculis supponit ferrea: & ideo hoc facit, quoniam totus populus stulto & perverso suo consensu approbaverat dementiam illius impostoris, qui ausus fuerat violare signum illud, quo Deus testatus fuerat se non frustra, sed serio loquutum esse per os servi sui. Nam hinc elicitur utilis doctrina, impios scilicet adversus Deum latrando nihil aliud consequi, quam ut magis ac magis iram ejus accendant; atque ita duplicent sua mala: quemadmodum ubi canis est illaqueatus, si contumaciter se eximere conetur à laqueis, & illos excutere, sese strangulabit: ita etiam impii quo majore impetu Deo resistunt, hoc gravius judicium accersunt sibi. Et ideo quoties denunciat nobis Deus se esse offensum peccatis nostris, cavendum est ne dum cupimus confringere vincula lignea, ipse ferrea nobis contexat ac fabricet. Ergo semper deterior fiet nostra conditio, nisi suppliciter deprecemur iram Dei simulatque apparet: deinde patienter nos subjiciamus ejus ferulis, dum castigat nostra delicta. hoc ergo tenendum est de vinculis ligneis, & ferreis. Addit, *Super omnes gentes*, quia ut ante dictum fuit, Judæi sperabant uno momento posse Nabuchadnezer rejici ultra Euphratem, & missas facturum quas occupaverat alias ditiones: omnes autem gentes vicinæ inter se conspiraverant, ultro & citro mittebant nuncios, & quum Ammonitæ, & Moabitæ, & reliqui spem facerent Judæis, vicissim etiam animabantur ut uno impetu ruerent omnes adversus Babylonios. Quoniam ergo talis conspiratio secreta animos inflabat Judæis, hæc ratio est cur etiam de aliis gentibus loquatur Propheta. Dicit, *Et servient regi Nabuchadnezer*. atqui jam tunc subegerat omnes illas regiones. sed intelligit Propheta diuturnam fore dominationem regis Babylonii, quum diceret Chananias non staturam esse nisi ad biennium. Opponitur ergo diuturnitas exiguo tempori: quasi diceret Propheta, Frement quidem gentes, sed manebunt sub jugo regis Nabuchadnezer, & frustra tentabunt se eximere, *quoniam Deus addixit illas in servitutem.* quanquam potest etiam alio modo exponi servitus: tolerabilis enim erat illarum gentium conditio, quamdiu rex Nabuchadnezer tantum jubebat pendere tributum, & quum præfectos suos mitteret, non aliud erat consilium, nisi ut retineret certam possessionem. atqui quum vidit non posse aliter domari, quam duriori servitute, cœpit tyrannice sævire, quum antea fuisset tolerabilis dominus: quemadmodum etiam de Judæis potest dici. scimus enim tunc fuisse tributarios regi Babylonio: sed quoniam illis parcebat, ejus humanitas potuit censeri quædam species libertatis: ubi autem vidit non posse frangi durum illud lignum nisi duro cuneo, cœpit violentius ipsos premere: tunc cœpit servitus ista, cujus nunc fit mentio. Judæi ergo tunc vere cœperunt regi Babylonio servire, quum vidit eos non posse ferre tolerabile illud jugum, quod imposuerat, sed sua pertinacia & superbia semper obluctari. Adjungit Propheta, *Bestiam quoque agri ei dedi.* His verbis tacite exprobrat, quemadmodum ante admonuimus, Judæis suam pertinaciam, quod non sentirent factum esse justo Dei judicio, ut Nabuchadnezer tanquam victor illis leges imponeret. defensi enim fuissent cælesti auxilio nisi seipsos orbassent, quemadmodum dicitur apud Mosen. Deut. 29. vers. 25. Quoniam ergo Dei præsidium longe rejecerant, hinc factum est ut Nabuchadnezer illos invaderet, atque illis esset superior. Nunc quum non desinant frenum suum aut mordere aut rodere, Propheta perstringit illam dementiam, quod non sese humilient sub Dei manu, quum bestiæ agrestes, quæ tamen ratione carent & judicio, sentiant arcana & admirabili Dei providentia hoc esse factum, ut Nabuchadnezer occuparet illas terras. Hæc igitur ratio est cur Propheta diserte exprimat bestias agrestes: quasi diceret Judæos tam præfractos, ut minus sit in illis rationis, & modestiæ, & sollicitudinis, quam in leonibus, & ursis, & bestiis similibus: arcano enim Dei instinctu parebant bestiæ imperio regis Nabuchadnezer: interea Judæi magis ac magis insolescebant. hæc fuit summa dementia non agnoscere Dei judicium, cujus cognitio ad feras & sylvestres bestias pervenerat. Sequitur,

15. Et dixit Jeremias Propheta Chananiæ Prophetæ, Audi agedum Chanania, non misit te Jehovah, & tu confidere fecisti populum hunc super mendacio. (*vel in mendacio.*)

Non

Non satis ponderis fuisset in simplici doctrina Jeremiæ, nisi refutasset suum adversarium: quemadmodum hodie dum se protervi nebulones erigunt, & audent evomere suas blasphemias quibus obscurent aut infament pietatis doctrinam, necesse est manus cum ipsis conferere: alioqui frigeret quicquid docemus. Nam penderent multorum animi, simplices inquam, fluctuarentur, quum viderent magnum conflictum inter duas contrarias partes. Ergo necesse fuit sancto viro refellere mendacia Chananiæ, quoniam semper sese jactasset, ac fuisset gloriatus suis vaticiniis. Quid autem Jeremias? *Non misit te Deus*, inquit. notanda est hæc refutatio ubi confligere nos oportet cum Satanæ ministris, & falsis doctoribus. Nam quicquid obtendant, quocunque fuco sua mendacia obducant, hoc unum satis superque sufficere debet ad prosternendas eorum jactantias, quod non missi sint à Domino. Jeremias potuit longo sermone contendere cum Chanania. fuisset enim satis disertus Spiritu sancto suggerente ac dictante quicquid in rem fuisset. Cæterum, hæc concisa brevitas multo plus habuit efficaciæ, quam si magno splendore & longo circuitu verborum usus esset. Tenenda igitur est hæc ratio, quoties incidit dubitatio aliqua de religione, semper inquirendum esse, an missus sit à Deo qui loquitur. Quicquid enim blateret etiam qui videtur esse argutissimus, quamvis proferat mysteria quæ rapiant simplicium animos in admirationem, hoc totum nihil aliud est, quam fumus, ubi Deus non est auctor doctrinæ. Sic etiam nobis breviter hodie transigendum est cum omnibus mercenariis Papæ canibus, qui latrant adversus puram Euangelii doctrinam, nempe ut contenti simus hoc compendio, Deum non esse illis auctorem. Quia autem nunc alia est nostra conditio, quam veteris populi, nondum est, posse deprehendi quis missus fuerit à Domino, ubi exigitur ejus doctrina ad regulam Legis, & Prophetarum, & Euangelii. Si igitur scire cupimus quosnam Deus miserit, & quosnam approbet pro servis suis, veniamus ad Scripturam, & sit illud legitimum examen: quisquis loquetur ex Lege & Prophetis, & Euangelio, habebit certam & minime dubiam notam suæ vocationis. Qui autem non probabit se hausisse ex illis fontibus quod deinde in medium profert, quicquid ingesserit, repudiandos est tanquam pseudopropheta. Videmus ergo quam utilem doctrinam contineat hic locus. Postea adjungit, *Tu confidere fecisti populum hunc super mendacio.* Depravant sensum Prophetæ qui vertunt, Securum reddidisti populum hunc fallaciter: saltem extenuant dimidia ex parte quod voluit exprimere Propheta. Neque enim tantum damnatur Chananias, quod frustra & fallaciter obtenderit nomen Dei: sed hic שקר ponitur pro ipsa materia: quasi diceret, Tu populum hunc pascis vana spe, quam fabricasti ex tuo cerebro. Figmenta igitur tua suppeditant huic misero populo materiam errandi. Ergo non tantum accusat Jeremias illum impostorem, quod suis figmentis populum deceperit, sed quod vaticinia protulerit Dei nomine, quæ metum populo auferrent, & darent aliquid bonæ spei, ut populus in sua securitate torperet. Discamus itaque ex hoc loco, cavendum summopere esse, ubi agitur de materia fiduciæ, ne quid evanidum apprehendamus, quemadmodum miseri hypocritæ devorant umbras duntaxat, & nihil postea reperiunt solidum in suis figmentis. Sed ubi agitur de fiducia, sit aliqua soliditas, in qua possimus tuto acquiescere. Scimus autem nos minime posse falli, si omnia à Deo expetamus, si recumbamus in solam ejus misericordiam, si non alibi sit nobis quies & tranquillitas, quam in Christo. Retineamus igitur illam materiam fiduciæ; & sit hæc unica fultura. Sequitur,

16. Propterea sic dicit Jehovah, Ecce ego emitto te (*hoc est, projicio*) è superficie terræ hujus: (*vel terræ: potius indefinite accipitur hoc loco pro tota terra* השנה *videtur quidem paulo post notare certum annum: sed in voce* האדמה *puto exprimi specialiter Judæam, imo potius totum orbem: atque hoc facile colligitur, quia denunciat Jeremias sublatum iri Chananiam è medio, & non fore amplius superstitem in mundo*) morieris (*ergo*) hoc anno, quia defectionem loquutus es contra Jehovam.

Additur hic pœna quæ confirmet vaticinium Jeremiæ. voluit enim Deus consulere multorum ruditati, qui alioqui semper titubassent, vel captassent prætextum suæ ignorantiæ, quia non poterant statuere uter missus esset à Deo, Chananias an Jeremias. Deus ergo voluit paterna indulgentia porrigere illis manum: voluit etiam inexcusabiles reddere magna ex parte incredulos, qui jam addicti erant diabolo, quemadmodum contigit. nam major pars non fuit commota eventu isto tam memorabili. Sequitur enim paulo post,

17. Et mortuus est Chananias Propheta anno illo mense septimo.

Quodammodo ante oculos cernebant quicunque contempserant Jeremiam, judicium Dei. Ergo non potuit expeti certior obsignatio, si qua fuisset gutta intelligentiæ in Judæis, quam ubi viderunt sola voce Jeremiæ occisum fuisse impostorem. neque enim digito illum tetigit, neque effecit ut traheretur ad supplicium, sicuti dignus erat: sed tantum linguæ suæ sonitu ipsum expulit è mundo. Quum ergo in verbo sancti Prophetæ fuisset cælestis & divina efficacia, quasi Deus ipse palam fulminasset è cælo, vel manu armata occidisset illum impium, quantæ fuit cæcitatis non moveri? sed tamen non moti sunt. Ideo fingunt quidam Rabbini, dum volunt tegere more suo ignominiam suæ gentis, discipulos Chananiæ clanculum sustulisse ejus corpus, & ita populum celatum fuisse. Sed quid opus est tergiversari? neque enim hoc dicit Jeremias, sed loquitur tanquam de re vulgo satis cognita & perspecta, quod scilicet eventus fuerit certum testimonium vocationis ipsius. Unde sequitur, id non fuisse obscurum Judæis: tamen sic magnam partem eorum excæcavit diabolus, ut nihilo plus tribuerent sancto viro, quam ante, quin potius vilipenderent omnes minas, quarum erat testis & præco. Unde autem hoc apparet? quia sæpe surrexit magna pars populi adversus eum velut sceleratum: fuit accusatus tanquam regni proditor: & vix crudelis Regis clementia evasit, quum scilicet projectus est in foveam tanquam semimortuus. Quum ergo ita pertinaciter insanierint Judæi, hinc colligimus quod toties illis minati sunt Prophetæ de spiritu vertiginis, & furoris, & amentiæ, & stuporis, & ebrietatis. Cæterum, oportuit exiguam illam partem, quæ non prorsus erat desperata, reduci in viam, quod factum est illa tam manifesta probatione vocationis Jeremiæ. Oportuit etiam ex opposito incredulos magis constringi, ita ut damnati fuerint propria conscientia, quemadmodum Paulus αὐτοκατακρίτους vocat hæreticos, qui defixi sunt in sua pertinacia, & Tit.3:11.
sese diabolo sponte & quasi ex composito mancipant. Nunc sequitur,

CAP. XXIX.

HI ſunt ſermones libri (*vel epiſtolæ*) quem miſit Jeremias Propheta Jeruſalem ad reliquias ſeniorum captivitatis, & ad Sacerdotes, & ad Prophetas, & ad univerſum populum, quem captivum abduxerat Nabuchadnezer è Jeruſalem in Babylonem.

Hic novum ſermonem orditur Propheta, quod ſcilicet non tantum Jeroſolymæ aſſidue vociferatus ſit, ut reſipiſcerent Judæi, qui illic adhuc reſidui erant, ſed etiam mitigaverit exulum dolorem, & hortatus fuerit ad ſpem reditus, ſi patienter ferrent correctionem ſibi impoſitam. quanquam duplex fuit Prophetæ conſilium. Neque enim ſolatio duntaxat mitigare voluit triſtitiam exulum, ſed ſimul voluit frangere obſtinationem gentis ſuæ, ut qui adhuc erant ſuperſtites Jeroſolymæ, & in Judæa, ſcirent nihil ſibi eſſe melius, quam ſeſe aliis ſuis fratribus adjungere. Meditabantur autem Judæi, quemadmodum viſum fuit, & rurſus videbimus pluribus locis, intempeſtivam liberationem, idque invito Deo. Deus enim illis præfixerat annos 70: illi autem volebant ſtatim prorumpere, & frangere jugum ſibi impoſitum. Ergo Jeremias quum ſcriberet ad captivos & exules, voluit accommodare hanc doctrinam ad Judæos, qui adhuc manebant Jeroſolymæ, & putabant ſecum præclare eſſe actum, quod non ſimul abrepti eſſent cum Rege ſuo, & cum alia turba. Sed interim voluit etiam prodeſſe miſeris illis, qui poterant obrui deſperatione, niſi aliqua ex parte lenitus fuiſſet ipſorum dolor: Propheta, ut videbimus, jubet eos reſpicere ad finem captivitatis. Interea autem hortatur ad tolerantiam, & vult eſſe quietos & placidos, & non tumultuari, donec manus Dei ad ipſos liberandos apparuerit. Dicit autem *ſe ſcripſiſſe librum ad reſiduos ſenes*, quia in illa ætate plures erant mortui. Sic enim fert natura, ut ſenes qui propius acceſſerunt ad metam vitæ, priores moriantur. Dicit ergo *ſe ſcripſiſſe ad eos*, qui tunc manebant ſuperſtites. Unde etiam colligimus fuiſſe hanc prophetiam omnibus communem. Atqui poſtea dicit, Accipite vobis uxores, & generate. ſed hoc, ut videbimus, reſtringitur ad eos, qui tunc erant idonei per ætatem ad conjugium. Interea tamen noluit excludere ſenes à ſolatio, cujus volebat Deus ipſos eſſe participes, quum ſcirent proſperum fore exitum ſuæ captivitatis, ſi modo ſe tranquillis animis continerent, neque indigne ferrent ſe juſtas pœnas Deo pendere, quod toties & tam multis modis ipſum provocaſſent. addit ſimul *Sacerdotes & Prophetas*, poſtea adjungit *totum populum.* Sed hæc, & reliqua differam.

Da omnipotens Deus, quando nos tam benigne & comiter invitas ad pœnitentiam, ut ſic tangamur ſenſu iræ tuæ, ne obſtinatione noſtra magis ac magis accumulemos gravitatem tuæ vindictæ erga nos, ſed apprehendamus miſericordiam nobis oblatam, ut ita ſentiamus efficaciam & fructum tuæ doctrinæ in ſalutem noſtram, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA NONA

IN

JEREMIAM.

EXpoſui heri breviter Prophetæ conſilium, cur librum miſerit ad Judæos exules, nempe ut patienter tolerando crucem, darent locum miſericordiæ Dei: deinde ut Judæi qui in patria relicti fuerant, cognoſcerent diuturnum fore exilium, & mentiri pſeudoprophetas, qui poſt biennium pollicebantur illis omnia proſpera. Notandum autem eſt quod non plebem duntaxat hortatur ad patientiam, ſed Sacerdotes quoque & Prophetas. Etſi autem poſtea videbimus fuiſſe illic etiam impoſtores, qui falſo jactarent nomen Propheticum, probabile tamen eſt comprehendi hoc loco etiam qui præditi erant Spiritu Dei ad vaticinandum: ſive quia elangueret in illis ſpiritus, ſive quia Deus non ſemper largitus eſt omnibus omnia. Potuit ergo fieri ut docendi eſſent Prophetæ, quibus hoc Deus non patefecerat, vel quorum mentes erant malis ſuffocati. Quantum ad Sacerdotes pertinet, hinc colligimus fere à principio eos decidiſſe à ſuo munere, quoniam fuiſſent Prophetæ Dei, ſi fideliter exercuiſſent munus Sacerdotale: & fuit illud quaſi extraordinarium, quod Deus aliquos elegit Prophetas, nec ſine illorum ignominia, quum ſcilicet eſſent degeneres & ignavi, vel fuci, qui ſolo titulo gloriabantur, quum ipſa veritas eos deſtitueret. Hæc igitur ratio fuit cur docendi fuerint promiſcue ſimul cum vulgo hominum. Nunc ſequitur,

2. Poſtquam egreſſus fuerat Jechaniah rex, & domina, (*id eſt, regina mater ejus*) & proceres, principes Jehudah & Jeruſalem, & artifex, & ſculptor ex Jeruſalem.

Tempus etiam deſignat quo miſſus fuit liber, nempe paulo poſt calamitatem, quæ acciderat quum rex Jechaniah ſimul cum matre tractus fuit in exilium, & ſucceſſor Zedechias in ejus locum præfectus fuit, ut paulo poſt videbimus. Ergo inter ipſa principia mutationis ſcripſit Jeremias ad captivos. Tunc autem omnia ſic fervebant, ut alii pluſquam ſatis eſſet metuerent, alii vero conciperent vanas ſpes, ut ſolet fieri in rebus turbulentis. Ergo in illa recenti calamitate ſcripſit Jeremias: & hoc primum ſonant ejus verba. poterat enim, ut alibi fecit, annum notare. Sed quum ſimpliciter narrat hoc eſſe factum poſt egreſſum Jechaniæ, ſenſus ſatis liquet, nempe quod voluerit mature occurrere eorum mœrori, qui alioqui ſuccumbere poterant, niſi Deus quodammodo manum illis porrexiſſet. Scimus enim crudum dolorem eſſe difficilem toleratu: & hinc etiam tranſlatio, quum vocant dolorem acerbum. Erat enim novitas moleſta, quum violenter & ſubito extracti fuiſſent è quietis nidis. Tunc igitur voluit Jeremias ipſos ſolari: deinde videbat alios, qui relicti fuerant in Judæa, ſatagere, & multa conſilia identidem agitare. necdum enim ſtabilitum fuerat Zedechiæ regnum: & poterant eum contemnere, & appetere ſemper Regem ſuum. Quum ergo domi res eſſent adeo confuſæ, & miſeri exules in prima illa perturbatione gravius affligerentur, Jeremias adhibuit tempeſtivum remedium. Hæc igitur ratio eſt cur tempus hic deſignet. ſcimus matrem Jechaniæ ſimul cum eo fuiſſe abductam: & vocatur הגבירה, quia etſi non proprie Regina erat, dominabatur tamen ſimul cum filio. סריסים transferunt Eunuchos: ſed malui ver-

tere Proceres: & ideo additur nomen שׂר: hoc est, aulici vel proceres, qui populum gubernabant, neque urbem modo, sed totam Judæam. Addit etiam, *artifices & sculptores*, quia Nabuchadnezer florem deligerat. Spoliaverat enim urbem nobilibus, ne quis auctoritate polleret inter Judæos, qui auderet moliri res novas: deinde quicquid erat pretiosum, aut exquisitum abstulerat, ut ne sculptores quidem & artifices relinqueret. Nunc sequitur,

3. Per manum Eleasah filii Saphan, & Gamariæ filii Helchiæ, quos miserat Zedechias rex Jedudah ad Nabuchadnezer regem Babylonis, Babylonem, dicendo,

4. Sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël universæ captivitati quam captivam adduxi è Jerusalem Babylonem,

5. Ædificate domos, & inhabitate: plantate hortos, & comedite fructus eorum.

6. Accipite uxores, & generate filios & filias: & accipite filijs vestris uxores, & filias vestras date nuptum viris, & generent filios & filias: & crescite (*aut multiplicamini*) illic, & ne minuamini.

Hæc summa est legationis, quam haud dubie pluribus verbis explicuerat Propheta: sed breviter hic perstringitur quod scripsit ad captivos, nempe ut quietis animis perferrent exilium usque ad tempus liberationis, non quale imaginabantur multi, sed quod Deus præfixerat. Celebre enim tunc erat vaticinium Jeremiæ, neque tantum in Judæa, sed innotuerat etiam captivis, nempe exilium eorum non posse finiri breviori temporis spatio, quam septuaginta annis. Quod autem dicit *se epistolam misisse per manum legatorum Regis*, probabile est hoc factum fuisse ipsius Zedechiæ permissu. Neque enim dubium est, quin Legatos suos mittendo studuerit favorem acquirere apud regem Nabuchadnezer, cujus etiam nutu ad solium pervenerat. neque enim tantæ erat dignitatis, ut Rex constitueretur, quamvis esset ex semine Regio, nisi quia Nabuchadnezer putavit sibi hoc fore commodius. Nam si quem Satrapam imposuisset Judæis, facile concitata fuisset seditio. voluit igitur illorum animos aliqua ex parte placare, quia sciebat plus satis alioquin esse præfractos. Quicquid sit, Zedechias precario tantum dominabatur, non privata aliqua potentia, non propriis opibus, sed quoniam ita victori placuerat. Misit igitur suos Legatos, ut promitteret omnia obsequia, & experiretur quidnam sibi agendum esset in futurum tempus. Quoniam ergo non optabat reditum Jechaniæ, permisit ut Legati simul ferrent librum Jeremiæ, non quod libenter pareret Deo. Non fuit igitur hoc sincerum pietatis studium, sed quia putabat sibi fore utile, si Judæi manerent quieti in Chaldæa usque ad mortem Jechaniæ. Sic enim sperabat stabile fore sibi regnum, quando ille erat quasi æmulus. Nec dubium est, quin Nabuchadnezer voluerit quasi compede tenere religatum Zedechiam, quum posset singulis diebus restituere in pristinum statum Jechaniam, sicuti eum tenebat exulem. Nunc ergo intelligimus cur non prohibuerit Zedechias, ne ferretur hic liber Jeremiæ ad captivos. quia scilicet putabat illud sibi esse utile ad tranquillam regni conservationem. Aliud autem spectavit sanctus Propheta, quia voluit libere, non in gratiam Regis, sed quoniam Deus ita mandabat, ostendere quam diuturna futura esset captivitas. Optasset quidem Zedechias permitti liberum reditum exulibus, quia manebant duntaxat sordes & quisquiliæ in Judæa: hoc erat non satis honorificum: & forte etiam hoc captavit quum Legatos mitteret ad Nabuchadnezer, ne deformis maneret Jerosolyma, sed reverteretur saltem aliqua pars exulum: deinde ut essent qui terram colerent, quæ fere nudata erat suis colonis. Sed Jeremias quod minime gratum sciebat esse Regi, pronunciat, nempe frustra sperari reditum, nisi finitis septuaginta annis. Videmus ergo ut nihil loquutus sit in Regis gratiam: interea tamen Rex non ægre tulerit perferri ejus epistolam ad sedandos omnes motus, & frenandos omnes eorum impetus, qui alioqui fuissent nimium propensi ad res novas. Hæc ratio est circumstantiæ, quum dicit *se misisse librum*, vel epistolam, *per manum Eleasah & Gamariæ*. Et simul adjungit *missos fuisse à Zedechia Babylonem*, nempe ut placarent regem Nabuchadnezer, vel saltem ut foverent ejus amicitiam. Jam venio ad ipsam summam doctrinæ: Deus præcipit captivis, *ut domos ædificent in Chaldæa, hortos plantent*, deinde, *uxores ducant, generent filios & filias acsi essent domi*. Noluit quidem Deus animos suorum esse defixos in Chaldæa: quin potius oportuit ipsos semper intentos esse ad reditum: sed usque ad finem septuaginta annorum Deus quietos esse voluit, & non agitare hoc vel illud, sed perinde agere res suas, acsi essent in patria. Quantum ad spem igitur attinet, Deus voluit illorum mentes esse suspensas ad tempus liberationis. Pugnabant primo intuitu inter se, nempe Judæos transigere tempus septuaginta annorum acsi essent indigenæ illius loci, & nunquam mutanda esset habitatio, & tamen erectos semper expectare. sed hæc duo simul optime quadrabant. hoc enim erat testimonium obedientiæ quum agnoscerent se castigari manu Dei, & ita libenter se subjicerent usque ad 70 annos. Spes autem illorum, quemadmodum nuper attigi, debuit manere in suspenso, ita ut non agitarentur inquietudine, aut fervore aliquo raperentur: sed ita transigerent cum animis suis, ferendum esse exilium, quantisper Deo placeret: & tamen bonam esse spem reditus, modo expectarent 70 annos, quia sic Deo placeat. In hoc igitur argumento nunc versatur Jeremias quum dicit, *Ædificate domos, & inhabitate: plantate hortos, & comedite fructus eorum.* Nam hic totus sermo referri debet ad tempus exilij: postea de reditu loquetur, ut videbimus suo loco. Sed Judæi non poterant quicquam boni sperare, nisi fuissent compositi ad ferendam correctionem, & re ipsa etiam probassent se non rejicere correctionem sibi impositam. Videmus nunc quomodo non hortetur Jeremias Judæos ad delicias, nec suadeat illis ut sese demergant in Chaldæa: erat enim fertilis regio & amœna. non ergo suadet ut illic delicate agant, sibi indulgeant, & obliviscantur patriæ: minime: sed restringit hunc sermonem ad tempus captivitatis, hoc est, ad annos septuaginta. Illo igitur tempore vult frui Chaldæa & ejus commodis perinde acsi non essent exules, sed oriundi ex illo loco. In quem finem? non ut sese dederent ignaviæ, sed ne tumultuando offenderent Deum, & quodammodo præcluderent januam ejus gratiæ, quia expectandum erat tempus quod ille finierat. Nam ubi agimur præcipites fervore desiderii, quodammodo repellimus Dei gratiam, non patimur deinde ut agat prout decet. ubi autem eripimus ei jus suum, & arbitrium, perinde est acsi nollemus admittere ejus gratiam. Hoc factum esset nisi cladem quietis & tranquillis animis tulissent in Chaldæa usque ad tempus sibi divinitus præfixum. Nunc tenemus sermonem Prophetæ non spectare nisi ad tempus exilii: tenemus etiam non tendere in alium finem, nisi ut sese Deo subjiciant, & ita patientia sua ostendant se vera pœnitentia esse tactos, simul vero non aliunde sperare reditum, quam à

mera

mera Dei gratia. Quod jubet *filiis suis accipere uxores, & filias suas dare nuptum*, hoc est ex legitimo naturæ ordine, quia illud esset nimis præposterum, ut adolescentes & puellæ pro libidine sibi accersant vel sponsos vel sponsas. Deus ergo hic loquitur ex communi regula, quum jubet adolescentes non aliter conjungi matrimonio, quam mandato parentum: puellas etiam non nubere viris, nisi quibus datæ fuerint. Tandem addit, *Multiplicamini illic, & ne minuamini*: acsi diceret tam longum fore exilii tempus ut generanda esset soboles, nisi vellent statim deficere. Deus autem hoc expressit, quia nolebat intercidere genus Abrahæ. Fuit quidem species aliqua mortis, quum ita longe eos expulit, acsi abdicaret hæreditate, quam illis promiserat fore perpetuam: tamen hic solatium adhibet, quum vult eos propagari. Neque enim poterant eo esse animo, nisi oculos direxissent ad spem reditus. Ergo gustum aliquem præbet suæ misericordiæ, quum vetat eos minui in Chaldæa. Tandem adjungit,

7. Et quærite pacem urbis, ad quam transtuli vos illuc, (*sed abundat*) & orate pro ea Jehovam, quia in pace ejus erit vobis pax.

Ultra progreditur Jeremias, nempe Judæos hac lege traductos fuisse Babylonem, ut sponte subjicerent se imperio regis Nabuchadnezer, idque testatum facerent etiam suis precibus. Non tantum jubet eos patienter ferre pœnam sibi impositam, sed vult addictos esse victori: nec tantum vetat ne sint seditiosi, sed ex animo ita vult esse obsequentes, ut Deus testis sit spontaneæ eorum subjectionis & obedientiæ. Quum dicit, *Quærite pacem urbis*, possit hoc de precibus exponi. Nam דרש significat sæpe optare & precari: sed hoc loco commode, meo judicio, exponemus de studio populi: acsi diceret Judæos debere quantum in se erit, studium suum impendere, ne quid adversi monarchiæ Chaldaicæ accidat. nam subjicitur paulo post, *precamini*. Posset quidem repeti eadem sententia duobus verbis: sed si quis rem propius expendat, facile mihi, ut opinor, subscribet, quod priore membro jubeat Propheta ipsos esse fidos regi Nabuchadnezer, & ejus monarchiæ. *Quærite* ergo *pacem*. Nomine Pacis intelliguntur omnia prospera, quemadmodum satis notum est. Porro non contentus est externo studio, sed vult eos etiam coram Deo precari, ut prospere & feliciter succedat regi Babylonio, nempe usque ad finem exilii. Semper enim tenendus est scopus Prophetæ. Unde colligimus, non aliter hortatum fuisse exules ad ferendum jugum regis Babylonii, quam pro captivitatis tempore, quia hoc erat repugnare Deo, si quid temere tentassent: & eatenus præcipere ut placide sustineant tyrannicum illud imperium. Iterum repetit quod paulo ante dixerat, nempe *traductos fuisse*: omiseram verbum illud. Dixerat enim universæ captivitati, quam feci migrare è Hierusalem, vel transtuli, vel captivam abduxi. Nunc ergo iterum confirmat eandem sententiam, אשר הגליתי, quod scilicet non debeant duntaxat respicere avaritiam vel ambitionem, vel superbiam regis Nabuchadnezer, sed attollere in cælum oculos, & agnoscere Nabuchadnezer fuisse Dei flagellum, & exilio illo castigata fuisse eorum peccata. Deus ergo se auctorem exilii esse testatur, ne putent Judæi sibi negotium esse cum mortali homine, sed potius intelligant se calcitrare adversus stimulum, si nimium indignentur & fremant, quod ita degant sub tyrannide alieni Regis. Ergo ne turbentur vagis illis cogitationibus, Deus se statuit in medio, & dicit exilium justo suo judicio ipsis esse impositum, ut agnoscant se nihil profecturos sua contumacia, nec agitentur anxia inquietudine, neque audeant aggredi quicquam novum, quia scilicet hoc erat repugnare Deo, & quasi bellum gerere cum cælo. Hic finiam.

Da omnipotens Deus, ut magis ac magis assuescamus ad nos tibi subjiciendos, & quoties ferulis tuis nos castigabis, ut descendamus in nostras conscientias, & humiliter ac suppliciter deprecemur iram tuam: nec dubitemus te fore nobis propitium, ubi paterna tua manu nos castigaveris, atque ita recumbamus in tuam indulgentiam, ut semper placidis animis expectemus, donec appareat finis, quem nobis pollicitus es, & tandem finita hujus præsentis seculi militia, perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA IN JEREMIAM.

Postrema lectione non absolvimus versum septimum, ubi dicebat Propheta Judæos, quamdiu Deus volet ipsos esse exules, sic esse Babyloni affines, ut debeant omnia habere conjuncta, quoniam scilicet sint ex eodem corpore. Nam quum dicit *fore illis pacem in pace Babylonis*, significat non posse quicquam illis esse separatum, donec completum fuerit tempus septuaginta annorum. Jubet igitur *ipsos orare pro statu prospero Babylonis*. Hoc primo intuitu durum erat. nam scimus quam inhumaniter tractatus fuerit miser ille populus à Chaldæis. Orare igitur pro sævissimis hostibus, videri tunc potuit absurdum, & minime consentaneum. Sed Propheta mitigat illam asperitatem quum dicit fore ipsis utile, si pro felici statu Babylonis precati fuerint, quoniam socii sunt ejusdem fortunæ. Scimus quantopere ad persuadendum valeat utilitas, quum scilicet putamus nihil nos suscipere, nisi quod nobis bene succedet. Hac igitur ratione Propheta Judæos docet nihil ab ipsis exigi quod refugere debeant, quum Deus jubet ipsos orare pro Babylone, quia prosperitas illius regni sit in ipsorum salutem. Significat autem, quemadmodum nuper attigi, sic conjunctos esse Babyloniis, ut non debeant imaginari se fore immunes ab omni molestia & incommodo, si quid adversi Babyloniis acciderit, quoniam sint ex eodem corpore. Nunc tenemus Prophetæ sensum. Sed hinc colligere licet optimam doctrinam, non modo parendum esse Regibus, sub quorum sumus ditione, sed illis etiam optandam esse prosperitatem, ut Deus testis sit voluntariæ nostræ subjectionis. Nam si hac ratione oportuit Judæos bene precari Chaldæis, qui addicti erant illis ad certum tempus, ubi vivemus sub legitimo aliquo Principe, neque id ad paucos tantum dies, nulla erit excusatio, nisi coram Deo testemur voluntarium nostrum studium. Qui autem Deum precabitur pro felici statu ejus regionis, in qua vivit, certe non negliget reliqua officia. Hoc enim præcipuum est, ut testemur coram Deo qualis sit noster affectus: deinde accedant alia, quemadmodum promptitudo ad obsequia præstanda, & quicquid tale est. Nunc sequitur,

8. Quoniam sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Ne decipiant vos Prophetæ vestri, qui sunt in medio vestri, & divini vestri: & ne attendatis ad somnia vestra, quæ vos somniatis.

Quoniam occupati erant fere omnium animi, sicuti vidimus, vana illa & perversa fiducia, quam imbiberant ex falsis vaticiniis, quod scilicet redituri essent post secundum annum, occurrit Propheta, & admonet ut sibi à talibus imposturis caveant. Atque ita videmus non sufficere, si quis doceat simpliciter quod rectum est, nisi etiam revocet ab errore qui jam sunt decepti, vel qui periclitantur. Asserere enim est tantum dimidia pars doctrinæ, quia Satan semper excitat suos ministros, qui puram doctrinam mendaciis corrumpent. Non satis igitur erit, si veritas ipsa in medium producta fuerit, nisi discutiantur omnes fallaciæ diaboli, quemadmodum hodie exemplum satis manifestum est in Papatu. Nam quum illic inebriatæ sint omnium fere mentes multis pravis figmentis, si quis tantum ostendat hoc & illud rectum esse, certe nunquam hoc modo evellet errores ex cordibus hominum. Et ideo
Tit. 1:9. Paulus jubet Episcopos non tantum instructos esse doctrina, qua viam ostendant docilibus, sed simul armatos, ut resistant adversariis, & os illis occludant. Quoniam autem ab initio mundi non destitit Satan, quantum in se erat, omnia tentare, & moliri ut corrumperet Dei veritatem, vel obscuraret multis tenebris, ideo semper necesse fuit servos Dei paratos esse ad utrumque, nempe ut fideliter docerent morigeros: deinde ut se fortites opponerent hostibus veritatis, & eorum pervicaciam frangerent. Hanc regulam nunc sequitur Propheta: hortatus est Judæos ad tyrannidem illam patienter ferendam, quoniam erat jugum Dei: sed quia ex opposito pseudoprophetæ jactabant redituros esse elapso biennio, necesse fuit ipsum occurrere. in hoc igitur membro nunc insistit. Et quo plus ponderis habeat doctrina, rursus inducit personam Dei: *Ne decipiant vos*, inquit, *Prophetæ vestri qui sunt in medio vestri.* Nam quum Jerosolymæ haberet Jeremias multos adversarios, diabolus etiam miseros exules fallebat in Chaldæa. Admonet igitur non esse credendum illis impostoribus. Quoniam autem per concessionem nominat eos Prophetas, qui indigni prorsus erant honorifico illo elogio, postea per contumeliam divinos appellat. Ergo prius nomen refertur ad externam professionem qua se vendirabant, quum jactarent se divinitus missos esse, & perferre Dei mandata. Concedit ergo illis nomen Propheticum, sed catachristicôs, improprie, vel abusive, ut loquuntur: quemadmodum hodie non semper pugnamus de vocibus, & bestias illas, quæ non debent numerari inter homines, vocamus tamen Præsules, Episcopos, Prælatos: sic etiam, ut sæpius jam visum fuit, Prophetæ liberius loquuti sunt, nec dubitarunt Prophetas vocare, qui jam obtinuerunt gradum illum existimationis in populo. Sed ne superbiant fallaci illa jactantia, postea designat illos proprio nomine, & dicit esse *divinos.* deinde vocat *somniatores: Ne attendatis ad somnia vestra.* Alloquitur hic totum populum: erant autem pauci, qui sub specie & colore Prophetici spiritus vaticinia proferrent. Sed Jeremias non temere transfert ad totum populum, quod nonnisi paucorum erat. Scimus enim diaboli ministros foveri non tantum stulta credulitate hominum, sed perverso appetitu. Mundus enim nunquam fallitur nisi sponte, & homines quasi devoti essent exitio, accersunt sibi hinc & inde mendacia, & quum nolint decipi, tamen maxime appetunt. Si quis roget an mundus decipi velit, omnes à minimo usque ad maximum clamabunt nihil se magis fugere, aut metuere. Interea unde fit ut Satan simulatque signum aliquod dedit, attrahat magnas catervâs, nisi quia ad vanitatem natura sumus propensi? deinde accedit aliud vitium, quod scilicet tenebras luci præferimus. Non igitur facit injuriam populo Jeremias, quum dicit cavendum esse à somniis, quæ somniabant: quanquam istud מחלמים quidam accipiunt transitive, quoniam est in הפעיל, & hic debuerat scribi מחלימים potius: sed poterit etiam sumi in neutro genere. Quicquid sit, sensus Prophetæ minime ambiguus est, quia imputat omnibus Judæis quod inanibus somniis fallantur, neque posse culpam rejici in paucos impostores, quoniam omnibus commune sit illud vitium. Et emphaticum est pronomen אתם: Vos, inquit, somniatis. nam opponit hæc falsa somnia vaticiniis. Scimus enim Deum olim patefecisse suam voluntatem vel per visiones, vel per somnia. Erant igitur somnia quædam divina, quorum Deus ipse erat auctor. Sed hic ostendit populum sibi fabricare omnes illas imposturas, ita ut nihil juvet obtendere Prophetas esse Dei interpretes, & referre quod somniarunt. Multum enim interest, somnietne quispiam ex suo cerebro, an etiam Deus in somno patefaciat quod pro oraculo habendum est. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Sequitur,

9. Quoniam fallaciter (*vel, in mendacio*) ipsi prophetant vobis in nomine meo: non misi eos, dicit Jehovah.

Confirmat suam sententiam ratione, quod scilicet non vocati currant, sicuti vidimus cap. 23. Re-
supr. 23. vers. 21. pudiat igitur illos pseudoprophetas, quoniam non loquantur ex ore Dei. Sed fuit valde obscurum discrimen, quum magnifice proferrent nomen Dei, & profiterentur se nihil in medium adducere, nisi quod ab ipso didicissent. Cæterum, ut alibi diximus, nemo nisi volens & sciens potuit falli. Deus enim nunquam fideles suos destituit spiritu discretionis, modo ex animo & sincere se docendos offerant veris ejus & legitimis servis. Et tunc debebant Judæi examinare omnes doctrinas & omnia vaticinia ad regulam Legis. Quod si Lex illis fuisset difficilis intellectu, quemadmodum jam dixi, debebant à Deo petere spiritum prudentiæ & discretionis. Ergo non frustra Jeremias derisit quicquid jactabant pseudoprophetæ ad famam & plausum populi captandum, qui non erant divinitus missi, vel approbati. Sic etiam hodie quisquis certo discernere volet inter varias doctrinas, quibus mundus agitatur, imo concutitur, se non difficulter expediet, modo offerat se Christo discipulum, & conjungat Legem & Prophetas simul cum Evangelio, & hac amussi utatur ad probandas omnes doctrinas: interea non confidat proprio acumini, sed subjiciat se Deo, & petat ab ipso spiritum judicii & discretionis. Interea notandum est hac una ratione satis superque refelli pseudoprophetas, dum ostendimus non esse missos à Deo. Convincimus autem eos vanitatis, si doctrina eorum pugnet cum Evangelio, & cum Lege. Quicquid sit, principium hoc tenendum est, nullos esse audiendos, nisi qui ostendunt se afferre à Deo mandata, & instructos esse ejus verbo. Diximus alibi, ut quis censeri debeat missus à Deo, primo necessarium esse ut sit rite vocatus: deinde ut exequatur fideliter munus suum. Nam quisquis se ingeret

ingeret absque mandato Dei, etiamsi vere & pure loquatur, tamen non meretur nomen Prophetæ, aut doctoris. Deinde vocatio ipsa per se non sufficeret sine fide & integritate. Sed hoc loco præcipue insistit Jeremias in 2. capite, nempe quod non loquantur ex ore Dei qui populo tam brevem reditum pollicebantur. *Prophetant* igitur *fallaciter*, inquit, *in nomine meo*: quare? *quia non misi eos*. Sequitur,

10. Quia sic dicit Jehovah, secundum mensuram, *nam* מלאת *accipitur metaphorice pro mensura: sed adhuc aspera esset loquutio, ideo simplicius vertendum est*, quia ubi impleti fuerint in Babylone septuaginta anni, visitabo vos, & suscitabo super vos sermonem meum bonum, ut reducam vos ad locum hunc.

Ad refutationem somniorum, quibus falsi Prophetæ populum inebriaverant, iterum repetit quod dixerat, nempe finem exilii non prius esse expectandum, quam elapsis 70 annis. Et hæc ratio docendi observatu digna est, quia veritas Dei semper valebit ad discutiendas omnes nebulas quibus Satan non desinit involvere puram doctrinam. Quemadmodum ergo ante vidimus, quum populus imbutus est aliquo errore, fortiter esse resistendum: ita etiam nunc videmus quibus armis pugnare debeant omnes servi Dei, ad evertendas omnes fallacias, quibus impetitur pura doctrina, nempe opponant verbum. Hanc enim rationem nobis suo exemplo præscribit Jeremias. Loquutus est de falsis Prophetis, admonuit non esse illis credendum: sed quoniam poterant adhuc vacillare multorum animi confirmat suam sententiam, quod scilicet non fuerint divinitus missi, quia Deus nunquam varius est, neque instabilis, neque secum pugnat. Præfixit autem 70 annos vestro exilio. quisquis ergo labefactare conatur illam doctrinam, professus est & apertus hostis Dei. Nunc tenemus Prophetæ consilium. *Ubi ergo impleti fuerint 70 anni*. Propheta hic frenum injicit Judæis, ne ante tempus festinent: deinde spem etiam facit reditus, modo quiescant usque ad terminum à Deo præfixum. Duo igitur sunt membra hujus sententiæ, nempe populum male sibi consulere si festinet, ac sibi reditum promittat ante annos 70: deinde illo tempore finito, spem reditus certam fore, quia Deus ita promiserit. Addit, *Et excitabo super vos sermonem meum bonum*. Bonum sermonem nominat qui poterat lætitiam afferre Judæis. Nam sermo Dei etiamsi exitialis sit incredulis, non tamen mutat naturam,
2 Cor. 2. vers. 16. semper bonus manet: atque ideo dicit Paulus Euangelium esse mortiferum odorem multis, sed tamen suavem esse odorem illum coram Deo, quia transferri debet in eorum culpam qui pereunt, quod non percipiunt fructum ex doctrina Euangelii in suam salutem. Sermo igitur Dei semper bonus est: sed refertur hoc elogium ad ipsam experientiam, quum scilicet Deus re ipsa demonstrat se esse propitium. Et brevior definitio potest dari, quod bonus sermo promissiones denotet, quibus Deus testatur paternum suum favorem. Rursum alibi vidimus minas vocari malum sermonem. quomodo? non potest quidem quadrare hoc nomen sermoni Dei, ut nuper dictum est: ex sensus tamen nostri æstimatione vocatur malus sermo Dei, qui minatur exitium: quemadmodum dicit, Ego sum qui creo bonum & malum. Et Jesa. 45. vers. 7.
disputatio hæc prope supervacua est, si tenemus Deum voce mali percellere incredulos metu, nunc vero Prophetam nihil aliud velle quam Judæis testari Dei gratiam: & ideo dicit experientia sensuros esse, non frustra Deum fuisse pollicitum quod jam ante retulit. Dicitur autem Deus *excitare sermonem suum*, ubi ejus effectum producit ante oculos, quia ubi Deus tantum loquitur, & res ipsa nondum apparet, videtur quodammodo jacere sermo, & esse inutilis. Atqui per 70 annos Judæi nihil aliud concipere poterant, quam Deum esse infestum, & tra assidue terreri. Jacebat enim quasi otiosa promissio, quoniam effectus nondum parebat. Dicitur ergo Deus *sermonem suum excitare*, dum probat se non frustra aliquid fuisse pollicitum. Summa est, vaticinium quod retulit Jeremias, non esse vanum: quod si non statim hoc agnoscat populus, tamen Deum tandem ubi tempus advenerit, re ipsa probaturum quam non fallat suos, vel lactet ipsos vana spe ubi aliquid promittit. Et seipsum explicat Propheta, nempe *ut reducat ipsos in patriam*. hic enim bonus erat sermo, nempe promissio liberationis: sicuti sermo quoad sensum populi, malus erat, & acerbus, & durus, quum Deus minatus fuerat se abdicaturum reprobos. Sed hoc accidentale est, quemadmodum dixi, ut sentiant homines sermonem Dei sibi esse malum vel adversum. Provenit enim hoc ex ipsorum culpa, & non ex natura verbi. Sequitur,

11. Quia ego cognosco cogitationes meas, quas ego cogito super vos, dicit Jehovah, cogitationes pacis, & non in malum: ut dem vobis finem, & expectationem.

Confirmat pluribus verbis eandem sententiam, quia difficile erat collapsos animos erigere. Laborat enim semper mundus his duobus extremis vitiis, vel quod sese demergit in desperationem, vel se nimium attollit stulta superbia. Nulla, inquam, moderatio nisi ubi reguntur homines Dei Spiritu, & recumbunt in ejus sermonem, quia dum sibi fingunt vanas spes, statim rapiuntur supra nubes, volitant huc & illuc: denique putant se posse cælos transcendere. hic est excessus in vana & stolida hominum fiducia. Ubi autem dejecti sunt, tunc prorsus expavefacti concidunt, imo attoniti & exanimes carent omni sensu, non admittunt quicquam solatii, non possunt gustare quicquid promittit Deus. Et uterque morbus facile perspici potuit in Judæis. Vidimus quantopere laboraverint Prophetæ, ut illorum fastum & arrogantiam prosternerent. Ridebant enim omnes minas: securi semper manebant, quamvis Deus quasi armata manu, & gladio stricto ostenderet certam perniciem, tamen nihil eos movebat. Et quum jam tracti essent in exilium, tamen nimium creduli erant, quum pseudoprophetæ illis promitterent celerem reditum; interea quum Deus per servos suos se ostenderet fore illis placabilem, & finitis 70 annis se eorum liberatorem fore, erant surdi ad hæc omnia, imo respuebant cum magno fastidio illas promissiones, Quid? Deus scilicet suscitabit mortuos! quemad- Eze. 37. vers. 11.
modum videmus apud Ezechielem. Hæc igitur ratio est cur Propheta nunc prolixe concionetur de futura redemptione, quia difficile hoc erat persuasu Judæis. nam quamvis putarent se paulo post redituros in patriam, non tamen poterant moram ferre, quum Deus tolerantiam ipsis præciperet: interea nimium, ut diximus, audaces erant quum pseudoprophetæ eorum animos inflaverant vana fiducia. dicit igitur, *Ego novi cogitationes quas cogito super vos*. Quod quidam existimant Deum hic sibi vendicare tanquam proprium, omnia futura præscire, alienum est à Prophetæ sensu: est potius tacita antithesis inter certum Dei consilium, & vanas imaginationes quibus seipsos ludebant Judæi. Eodem sensu dicitur apud Jesaiam, Quantum distant cæli à terra, cogita- Jesa. 55.
tiones meæ distant à cogitationibus vestris, inquit vers. 9.
Dominus. solebant enim perperam Deum metiri

ex

ex proprio sensu. Nam quum aliquid promissum fuerat, disputabant apud se an illud firmum esset, & circumspiciebant huc & illuc. ita non ratiocinabantur, nisi ex proprio cerebro. Deus ergo ipsos objurgat, & ostendit quam præpostere id faciant, & dicit *cogitationes suas magis esse remotas ab eorum cogitationibus quam cælum à terra.* Sic etiam hoc loco, tametsi non exprimitur utrumque membrum: tamen non alio tendit Propheta, quam ut Judæi se permittant Deo, & non appetant nimium esse arguti, ut intelligant quomodo hoc vel illud fieri possit, sed statuant quod Deus decrevit, non posse mutari. Interea notandum est, Deum hic non loqui de arcano suo & incomprehensibili consilio. nam quænam sunt cogitationes de quibus nunc agit Jeremias? nempe liberatio postquam tempus impletum esset, quia pollicitus fuerat Deus tunc se fore propitium Ecclesiæ suæ. Videmus ergo hic non esse movendam quæstionem de arcanis Dei consiliis, sed simpliciter agi de sermone illo, qui jam innotuerat Judæis, vel de vaticinio Jeremiæ, quo prædixerat 70 annis Judæos fore exules, & tandem sensuros pœnam illam fuisse parvam duntaxat castigationem, quia esset temporalis. *Novi ergo cogitationes meas.* Sed interea oblique perstringit Judæos, quod non conciperent spem salutis, quia non cadebat hoc sub ipsorum sensus. Docet igitur hanc esse veram sapientiam, nos Deo subjicere, & permittere: & si non assequimur ejus consilium, quietis animis esse expectandum, donec maturum tempus advenerit. Dicit esse *cogitationes pacis*, hoc est, cogitationes benevolentiæ. Pax enim, quemadmodum sæpe dictum fuit, accipitur pro felicitate: ut nuper,
Supr. v.7. In pace Babylonis erit vobis pax: hoc est, si prospere fuerit Babyloniis, eritis participes ejusdem fortunæ. Ita etiam hoc loco Deus pronunciat *cogitationes suas esse pacis*, quia vellet re ipsa & effectu monstrare paterno se esse affectu erga populum. Postea adjungit, *ut dem vobis finem & expectationem.* Per אחרית, quod significat Hebræis postremum, hic finis intelligi debet: quasi diceret non esse habendum pro æterno interitu, quod populus in alienam terram raptus fuerit. Nam hæc non levis erat tentatio, quum Judæi privati essent terra illa, quæ erat quies & hæreditas Dei. perinde enim erat acsi resecti fuissent ab omni spe. Erat igitur externa quædam species abdicationis: abdicatio autem erat etiam species mortis. Sed hic pronunciat Deus se finem impositurum exilio, ut sit temporale. Unde colligitur populum non periisse quum ejectus fuit in exilium, sed castigatum leniter fuisse Dei manu. Addit *expectationem*, pro quo Hieronymus vertit patientiam, sed nimis coacte. Neque vero dubium est quin hac secunda voce melius & clarius expresserit Propheta quod volebat per vocem אחרית, nempe finem optatum. *Dabo* igitur *vobis finem*, ut scilicet illis promissionibus fruamini, sicuti optatis, & expectatis, hoc est, debetis hoc sperare, quum Deus ita promiserit. Hic finem faciam.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nobis familiariter ostendere paternum tuum amorem, & ejus testimonium nobis quotidie reddis in Euangelio, ne vagemur in obliquis & erraticis nostris cogitationibus: sed acquiescamus in simplici tua veritate: nec dubitemus, etiamsi multis certaminibus exerceamur in hoc mundo, ut vita nostra sit quasi continua militia, tamen nobis repositam esse certam quietem in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA UNDECIMA

IN

JEREMIAM.

12. Et invocabitis me, & ibitis: & orabitis me, & exaudiam vos.

Prosequitur Jeremias eandem sententiam, nempe quod Judæi postquam defuncti fuerint pœna divinitus imposita, tandem redibunt in patriam, & sentient Deum misericordem, unde colligere licebit castigationem exilii fuisse illis utilem. Hoc quidem jam satis aperte exposuerat proximo versu, sed modum nunc exprimit, quod scilicet invocabunt Deum. Quanquam utitur duobus verbis: *invocabitis me, & orabitis*, inquit. Verbum quod interponitur והלכתם, omnes fere referunt ad rectum vitæ cursum, quasi diceret Propheta eos qui prius vagati fuerant post suas concupiscentias, ambulaturos in via Dei, hoc est, in Lege. sed videtur mihi coacta expositio. Non dubito igitur quin Propheta hic tacite perstringat socordiam populi, qui non statim agnovit se castigari Dei manu, ut mature resipisceret. *Ire* ergo vel ambulare tantundem valet, meo judicio, acsi dixisset, Postquam pertuleritis non unius tantum anni exilium, sed 70, tunc incipietis sapere. Fuit hæc non tantum pigrities, sed stupiditas, quod non fuerint subacti Dei ferulis, ut ipsum invocarent. Sed quoniam tam rudi erant & præfracto ingenio, Propheta hic breviter admonet opus esse multis annis ad ipsos domandos, quia non sufficerent viginti, aut triginta. Nunc ergo intelligimus consilium Prophetæ, quantum ad verbum הלך, quod est ambulare. Summa est igitur, postquam profecerint in Dei ferulis, tunc venturos esse supplices, ut deprecentur iram ejus. Additur autem promissio, *quod Deus ipsos exaudiet*. Videri tamen posset etiam in priore membro Deus promittere conversionem: & certe pœnitentiæ fructus est oratio, quæ nascitur ex fide. Pœnitentia autem est donum Dei. Jam non possumus rite & pure invocare Deum, nisi Spiritu sancto duce & magistro. Ille enim est qui non tantum verba dictat, sed etiam gemitus format in cordibus nostris. Et ita Augustinus accipit contra Pelagianos, dum probat non esse in arbitrio hominis vel converti, vel orare. Frustra enim Deus promitteret quod esset in potestate hominis, inquit. Hæc autem est promissio, *Orabitis*. Sequitur ergo nos non proprio carnis impulsu orare, sed quum Spiritus sanctus corda nostra dirigit, & quodammodo orat in nobis. Ego tamen nescio an Propheta tam subtiliter loqui voluerit. Ex aliis locis Scripturæ probare facile est nostrum non esse Deum precari nisi nos Spiritu suo præveniat. Sed quoniam posset de hoc loco moveri controversia, malo simplicius accipere, quod scilicet *Deus exaudiet*, ubi ipsum precari inceperint: sed interea ostendit non fore tam brevi temporis spatio, quoniam scilicet fere erant indomiti, neque poterant resipiscere, nisi post multos annos. Sequitur,

13. Et quæretis me, & invenietis, quia quæretis in toto corde vestro.

Idem aliis verbis confirmat: neque tamen supervacuus est sermo, quemadmodum heri diximus: quia sicut pervicaciter Judæi respuerant omnes minas, sic difficile ipsis erat percipere aliquem gustum bonitatis Dei ex promissionibus. Hæc igitur ratio est cur Propheta pluribus verbis insistat in hoc capite.

pite. Quærendi verbo metaphorice significat preces & vota, quemadmodum proximo versu dictum fuit. Et Christus etiam quum suos discipulos ad orandum hortatur, dicit, Quærite, & invenietis: pulsate, & aperietur vobis. Non dubium est quin illic agat de precibus, tamen alios loquendi modos usurpat quos sumit à vulgari consuetudine. quærimus enim quod nobis utile est. Quærendi autem ratio, ubi opus habemus Dei gratia, non alia est quam precari. Dicit igitur Propheta, *Tunc quæretis me, & invenietis.* Quanquam autem Israelitas alloquitur, debet extendi hæc doctrina ad totam Ecclesiam, sicuti passim Deus testatur se exorabilem fore omnibus qui ad ipsum confugient. Sed quoniam hypocritæ satis sunt clamosi, & videntur sanctos ipsos superare zeli ardore, si tantum spectetur externa professio, addit Propheta, *quoniam quæretis me in toto corde vestro.* Neque enim dubium est quin Judæi millies singulis annis ingemuerint, quum tam duriter premerentur à Chaldæis. Patiebantur enim omnes contumelias, deinde nihil erat ipsis tutum vel salvum. Necesse igitur fuit, nisi essent plusquam ferrei, ipsos concipere aliquas preces. Sed ostendit Deus nondum fore maturum tempus, donec preces eorum nascantur ex serio affectu. Hoc intelligit per *totum cor.* Certum quidem est, nunquam toto corde converti homines ad Deum, neque etiam totum cor unquam ita esse addictum studio precandi, ut deceret; sed Propheta cor totum opponit duplici. Non ergo hic intelligitur perfectio, quæ nulla posset reperiri in hominibus, sed duntaxat integritas, vel sinceritas. Nunc tenemus summam verborum Prophetæ, nempe Judæos, ubi serio ad Deum confugere inceperint, sensuros ipsum propitium, modo id faciant recto affectu, & non simulato: deinde hoc non fore tam cito, quia major erat ipsorum durities & obstinatio, quam ut tempore exiguo resipiscerent. Ideo admonet Deus opus esse pluribus malis ut tandem flectantur, & exuant illam pervicaciam, cui nimium fuerant dediti. Hæc autem tota doctrina, ut nuper attigi, accommodari debet in usum Ecclesiæ. Promissio enim hæc extenditur ad omnes pios, quod ubi in miseriis Deum invocaverint, ipsos exaudiet. Et videtur sumpsisse Jeremias ex Jesaia hanc sententiam, Simulatque invocaveris me, inquit Jesaias, ego te exaudiam: *Jesa 58.*
antequam verba feceris, habebo manum extentam. *vers. 9.*
notanda est circumstantia: alloquitur enim Propheta Judæos, qui miserrime oppressi erant. Sciamus ergo sermonem hunc proprie dirigi ad calamitosos, qui videntur Deum habere adversum & infestum: & illud est opportunum etiam tempus, cujus fit mentio à Davide, Psalmo 32. Hic etiam locus *Psal. 32.*
docet non esse mirum si Dominus ingeminet sua *vers. 6.*
flagella, neque statim nobis ignoscat, quia non tam sumus flexibiles, ut primo quoque die ad ipsum redeamus. Ergo cogitur nostra contumacia diutius nos castigare: & tamen hæc promissio tenenda est, etiamsi sero resipiscamus, Deum tamen semper fore nobis exorabilem, modo ne sibi hoc prætextu indulgeant reprobi in suis vitiis, quemadmodum videmus jocose profanos homines illudere Deo, & ita scelerate abuti patientia ejus tolerantia. Cavendum est igitur ne peccator thesaurum vindictæ sibi accumulet, si expectet usque ad finem vitæ. Cæterum, spes tamen hæc proponitur his qui diu obtorpuerint in suis peccatis, si tandem veniant quamvis sero, tamen venturos opportune, quia Deus ipsos exaudiet. Sed diligenter observanda est hæc exceptio, Deum non fore propitium, nisi quæsitus fuerit ex toto corde, hoc est, sincero affectu. Ita non est quod miremur aures ejus sæpe clausas esse votis nostris, quia tantum simulamus nos ipsum quærere: nulla vero interim sinceritate nos esse præditos, ex vita apparet. Nunc sequitur,

14. Et inveniar à vobis, dicit Jehovah, & reducam captivitatem vestram, & colligam (*vel congregabo*) vos ex omnibus gentibus, & ex omnibus locis quo expulero vos illuc, dicit Jehovah: & redire faciam vos ad locum è quo expuli vos illinc. (*abundat.*)

Nunc ad rem ipsam accommodat Propheta quod visus est generaliter dixisse. Ostendit igitur fructum gratiæ Dei, postquam reconciliatus fuerit populo, nempe *quod reducet captivitatem ipsorum, & colliget vos ex omnibus locis.* Hoc specialiter Judæis dictum fuit, sed superiores duo versus, quemadmodum dixi, generalem doctrinam continent. Dixerat prius, *invenietis me*: nunc autem, *inveniar à vobis*, vel ostendam me vobis. Est tacita antithesis inter occultationem, & manifestationem. Deus enim sese quodammodo absconderat tempore exilii: subito autem illuxit ejus facies, & ita se manifestavit Patrem, quum ante visus fuisset oblitus populi sui. Proprie autem hic loquitur Propheta, quia etiamsi Dominus semper nos respiciat, non tamen vicissim ipsum respicimus: imo putamus procul abesse. Tunc vero demum apparet nobis, dum sentimus ipsum gerere curam salutis nostræ. Quum dicit, *ex omnibus gentibus, & ex omnibus locis*, non dubium est quin occurrat dubitationi, quæ alioqui obrepere poterat multorum animis, Qui fieri unquam poterit, ut Deus nos colligat, postquam ita sumus dispersi? neque enim data illis certa regio fuerat, in qua simul habitarent, ut species aliqua unius corporis illic appareret: sed disjecti fuerant quasi violento turbine, non secus ac quisquiliæ, & Deus ita ipsos dispulerat, ut nulla esset spes collectionis. Quoniam ergo res erat incredibilis, populum ita dispersum colligere, ideo Propheta dicit *ex cunctis gentibus, & ex cunctis locis.* Et eodem sensu etiam dicitur in Psalmo, Dispersiones Israëlis congregabit. *Psal. 147.*
Nam quum Judæi ante oculos statuerent illam hor- *vers. 2.*
rendam dissipationem, non poterant spem ullam concipere. Videmus ergo ut Propheta eos ad bene sperandum hortetur, & jubeat ipsos luctari adversus illam tentationem. Et videtur sumpta esse sententia ex Mose. nam dicit Deuteron. 30. Si dispersus fue- *Deut. 30.*
ris per extremas mundi plagas, Deus tamen tuus te *v. 1. 2. 3.*
colliget. Videmus Mosen diserte illic coarguere populi diffidentiam, si de misericordia Dei, & salute sua desperet, quia erit dispersus & laceratus. Ostendit igitur Dei potentiam satis superque valere ad ipsos conjungendos, etiamsi disjecti essent ad ultimos cælorum cardines. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Sed hinc etiam colligere licet utilem doctrinam, Deum scilicet mirabiliter Ecclesiam suam, si quando distracta fuerit, colligere, ut iterum coalescat in unum corpus, quamvis nomen ad tempus perdiderit & formam ipsam. Et hujus rei experimentum aliquod edidit nostro tempore. Quis enim unquam fore putasset quod nunc oculis nostris cernimus? nempe Deum occulta ratione congregaturum esse omnes suos electos, quum tamen ubique horrenda esset vastitas, & nullus esset angulus in mundo, ubi habitarent tres vel quatuor fideles. Videmus ergo non uno duntaxat tempore fuisse impletum hoc vaticinium, sed describi nobis Dei gratiam, quam sæpius ante hac exeruit, & nunc adhuc exerit in congreganda Ecclesia. Sequitur,

15. Quoniam dixistis, Excitabit nobis Jehovah Prophetas in Babylone,
16. Ideo sic dicit Jehovah regi sedenti super solium Davidis, & toti populo sedenti in

hac urbe, (*hoc est, habitanti: nam* יושב *hic diversis modis accipitur*) fratribus vestris, qui non egressi sunt vobiscum in exilium:

17. Sic dicit Jehovah exercituum, Ecce ego mitto in eos gladium, famem, pestem: & ponam eos tanquam ficus sordidas, (*aut fœtidas*) quæ non comeduntur præ malitia. (*id est, præ amaritudine.*)

Multi interpretes conjungunt hunc versum superioribus sententiis, Quia dixistis, Suscitabit, &c. Et videntur non temere ita sentire, quia non male convenit hæc causæ redditio si longius repetamus quod dixit Propheta, nempe reditum Judæis minime sperandum esse, nisi completis septuaginta annis. Sed sensus quem ego amplector, magis est probabilis: bis repetitur particula כי. priore loco est causalis, secundo autem est illativa: & ex communi Scripturæ usu judicium facient periti & exercitati, hunc genuinum esse Prophetæ sensum. Dicit igitur nimium desipere captivos, qui sperent finem instare suo exilio, quia habeant pseudoprophetas, qui ipsis promittant. *Dixistis ergo vobis in Chaldæa datos esse Prophetas*, & Deum illic misertum esse vestri, quoniam sunt qui vaticinentur de reditu ad breve tempus. Quoniam ergo tam stulte estis creduli, *Ideo sic dicit Jehovah fratribus vestris.* Postea convertet sermonem ad ipsos exules, & hortabitur ut desinant sponte errare. Sed hic oblique eos coarguit, quod non possunt ferre meliorem fortunam, quam sit residui populi: quasi diceret, Quid sibi vult hæc vestra intemperies, quod quum vobis omnes viæ sint clausæ, & tanta sit victoris potentia, ut non possitis digitum tollere, nisi ejus nutu, ut tamen putetis vos fore liberos post biennium? Certe etiamsi antehac fueritis securi, nunc calamitates debuerant vos humiliare. Atqui fratres vestri, qui adhuc videntur esse integri, quoniam habitant Jerosolymæ (solus enim ille populus tunc erat superstes) fratres ergo vestri patientur longe atrociora quam vos passi fueritis. Nunc tenemus quo consilio Propheta, postquam cœpit alloqui captivos, transferat sermonem suum ad regem Zedechiam, & ad Judæos qui adhuc domi manebant, vel in patria, nempe ut hinc agnoscant captivi quanta sit dementia reditum sibi promittere, postquam abrepti fuerant in longinquas terras, quum ultima clades immineat tam Regi quam populo, qui adhuc quiescebant Jerosolymæ. *Dicit ergo Jehovah ad Regem, qui sedet super solium Davidis, & ad totum populum qui sedet in hac urbe.* Sedere, quemadmodum dixi, hic sumitur diverso sensu. Rex enim dicitur sedere in solio dum suam dignitatem obtinet: populus autem dicitur sedere dum quiescit vel tranquille habitat in aliquo loco. Nec abs re hic exprimitur nomen Regis, quia exules semper hoc sibi proponere solebant ad spem reditus: Manet adhuc Templum, illic colitur Deus: deinde manet regnum: his salvis, non potest actum esse de gente nostra. Salus enim populi continebatur in Regno & Sacerdotio. Quum ergo sibi objicerent Regiam dignitatem ab una parte, deinde Sacerdotium & sacrificia ab altera, simul statuerant non posse fieri quin Deus ipsos paulo post restitueret. Nam promiserat Deus perpetuum fore regnum Davidis, quamdiu sol & luna in cælo fulgerent. *Psal. 89. vers. 37.* Nisi igitur extincto illo splendore, non poterant Israëlitæ prorsus humiliari: præsertim vero qui tracti fuerant in exilium ex tribu Jehudah. Nunc tenemus cur expressa fiat Regis mentio. tametsi ergo adhuc sederet Rex in solio Davidis, tamen duriorem ejus & totius populi conditionem fore affirmat, quam fuerit captivæ multitudinis. Dicit, *Persequar eos gladio, & fame, & peste.* Voluntaria fuerat Jechaniæ deditio, quemadmodum alibi vidimus, ideo clementius fuerat exceptus à rege Babylonio: tandem urbs expugnata fuit: & quum longa fuisset obsidio, gravius sævitum fuit adversus regem, & totum populum, quia Chaldæos sua pertinacia fatigaverant. Hinc igitur factum est, ut durius actum fuerit cum ipsis. Sed nihil accidit nisi justa Dei vindicta. Tametsi enim exasperarunt Chaldæos, non dubium tamen est quin Deus excæcaverit eorum mentes, ut ita accerserent sibi gravius judicium. Fuit igitur hæc pœna divinitus illis inflicta: ideo non immerito testatur Jeremias Deum fore auctorem harum calamitatum, quia alibi etiam vidimus Chaldæos fuisse ministros & exequutores vindictæ Dei. *Dicit* ergo *Jehovah exercituum*, *Ecce ego persequar:* deinde, *& ponam eos quasi ficus sordidas.* Hic ficus vocat שערים: capite autem 24. vocavit malas, sed eodem sensu. Non dubium vero est quin repetat memoria vaticinium quod illic exposuimus. Propheta enim in duobus canistris viderat ficus, quarum alteræ erant suaves gustu, alteræ autem amaræ: quæsivit Deus, Quid vides? dixit, Ficus malas, malas valde; ficus bonas, bonas valde. Postea Deus addidit, Ficus bonæ & suaves sunt fratres vestri captivi. ego enim tandem eorum miserebor, & dabitur illis redeundi libertas. Erunt igitur ficus bonæ, tametsi nunc aliud judicatur, quia putabant se præ illis felices, qui adhuc Jerosolymæ degebant. Ficus autem malæ & amaræ, inquit, populus hic qui superbit, propterea quod non fuerit tractus in captivitatem. Ego enim consumam eos fame, & peste, & gladio, dicebat illic Propheta. Nunc ergo iterum commemorat tam Zedechiam regem quam totum populum fore ficus amaras & fœtidas, quæ non comeduntur præ malitia. Postea addit,

18. Et persequar eos (*ad verbum est, post eos. persequar eos*) gladio, fame, & peste: & ponam eos in commotionem (*vel concussionem*) cunctis regnis terræ, in execrationem, & in stuporem, & in sibilum, & in probrum inter cunctas gentes ad quas expulero eos: (*vel quo expulero eos illuc*)

19. Propterea quod non audierunt sermones meos, inquit Jehovah, quos misi ad eos per servos meos Prophetas, mane surgendo, & mittendo: & non audistis, inquit Jehovah.

Prosequitur eandem sententiam, quod scilicet non desinet eos urgere tam peste, quam fame, & gladio, donec eos penitus consumpserit, quemadmodum habetur in fine illius cap. 24. Postea adhuc quædam repetit ex illo loco, & tamen quæ desumpta sunt ex 28. cap. Deuteron. & 29. Scimus enim Prophetas ex fonte illo Legis hausisse summam doctrinæ suæ: & proprie loquendo nihil novum protulerunt, sed accommodarunt Mosis doctrinam ad usum præsentem, quisque suo tempore. Ergo inter maledictiones Legis refertur hæc, *Ponam vos in commotionem*, vel concussionem. Duobus modis potest hoc nomen exponi, vel quod gentes trepidabunt ad illud triste spectaculum, vel quod caput concutient. Hæc secunda expositio, ut alibi dixi, mihi magis arridet. *Ponam* igitur *vos in commotionem*, hoc est, quisquis aspiciet vestras miserias, caput per ludibrium concutiet: quasi diceret, Omnes subscribent justæ Dei

vindi-

vindictæ, & eritis ignominiosi etiam apud incredulos. nemo enim erit qui non agnoscat vos justissimas scelerum pœnas dare. Deinde addit, *in execrationem.* אלה est proprie juramentum, sed accipitur multis locis pro execratione, quæ interponitur etiam vel subaudienda est quoties juramus. Sed quoniam sæpe homines sese offerunt ad dandam pœnam perjurii, ideo אלה ponitur pro execratione: & intelligitur exemplar execrationis, aut formula, quemadmodum alibi exprimitur: & vidimus quo sensu hoc dixerit Propheta, nempe quod quisquis volet vel sibi, vel aliis maledicere, vel concipere aliquas diras, ut loquuntur, sumet Judæos pro exemplo: Deus tibi maledicat tanquam Judæis: vel, Deus depromat suum rigorem in perniciem tuam, sicuti deprompsit contra Judæos. Dicit igitur *fore in execrationem*, hoc est, fore tam miseros, ut sint quasi in communem formulam jurandi. Postea addit, *& in stuporem*: quemadmodum loquutus est de concussione capitis, ita nunc addit *stuporem*, quod gravius est: quod scilicet ubi occurret tale spectaculum, omnes subsistent tanquam attoniti, quia consequi non poterunt quid hoc sibi velit. Ponitur *sibilum*, quemadmodum alibi dicitur fore ipsos משל, fabulam, deinde fore proverbium: ita hoc loco pronunciat Jeremias *ipsos fore in sibilum*, sicuti loquutus est de concussione capitis. Postremo addit *fore opprobrium* etiam cunctis *gentibus*, quia omnes dignos censebunt clade illa, quantumvis future sit gravis, ubi scilicet fiet comparatio scelerum cum ipsa Dei vindicta. Sequitur ratio, *quod non auscultaverint Deo*, sed quam non possumus nunc absolvere.

Da omnipotens Deus, quando tam insigne documentum & iræ tuæ, & paternæ clementiæ edidisti in veteri populo, ut ne iram tuam nostra obstinatione ad extremum provocemus, sed præveniamus mature tuum judicium, ut te reperiamus placabilem, neque dubitemus quin futurus sis nobis misericors, ubi serio ad te conversi fuerimus. Et quoniam ita propensi sumus, imo etiam præcipites ad omne malum, deinde tanta est nostra malitia & durities: da, inquam, nobis spiritum illum mansuetudinis, ut tibi nos subjiciamus ad omnia obsequia: & ita præstemus nos tibi filios, ut vicissim te etiam experiamur Patrem in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DUODECIMA

IN

JEREMIAM.

POstquam denunciavit Propheta judicium Dei tam exulibus, quam aliis qui residui manebant in patria, rationem subjicit, *quod scilicet non audierint sermonem Dei:* & hoc est crimen gravissimum. Quanquam enim nulla est ignorantiæ excusatio coram Deo, quin pereant qui Legem non habent: tamen servus, qui voluntate Domini sui cognita, non desinit tunc quoque proterve se gerere, merito vapulat in duplum, vel triplum. Et quo excellentior est Dei gratia, dum nos dignatur revocare in viam salutis, eo etiam fœdior est ingratitudo, si aures claudimus, & respuimus curam illam, quam ostendit se habere de salute nostra. Sciamus ergo nihil minus esse tolerabile, quam rejicere Propheticum sermonem. Et notandum est quod sequitur, *nempe sermonem illum fuisse missum per Prophetas:* alioqui promptum erat Judæis excipere, se non fuisse data opere rebelles Deo, quia multæ erant tunc contentiones inter Prophetas. Ergo ne tergiversentur hoc colore obducto, dicit sermonem quamvis ejus ministri & testes sint Prophetæ, non minore reverentia esse dignum, quam si Angeli è cælis ad nos descenderent. Et hic locus valet ad commendationem externæ doctrinæ, quam vilipendunt phrenetici homines qui dicunt sufficere arcanum sermonem, hoc est, quicquid somniant. Atqui Deus hoc modo probat fidei nostræ obedientiam, dum nos gubernat manu & opera hominum. Quisquis ergo rejicit fideles Doctores, ostendit se esse contemptorem ipsius Dei. hæc summa est, quum Deus sermonem definit non oraculum aliquod duntaxat, sed doctrinam quæ deposita fuit apud fidos Doctores. Postea adjungit, *Mane surgendo, & mittendo.* Metaphora est sumpta ab hominibus sedulis & promptis. scimus enim Deum non expergisci, neque mutare locum: sed non poterat aliter exprimere paternam suam curam erga populum, quam si diceret sedulo se intentum fuisse ad ipsos monendos: & ita magis inexcusabilis redditur ignavia populi, quod Deus accelerevit, quasi mane surgeret, ut qui labori non parcunt, sed libenter fraudant se aliqua parte somni, ut compleant iter suum. Quum ergo Deus tantam diligentiam in curanda hominum salute demonstrat, eo turpior est segnities si homines ipsi surdi sint, vel non moveantur, maneant denique in sua pigritia. Nunc sequitur,

20. Et vos audite sermonem Jehovæ cuncta captivitas, quam misi Jerosolyma Babylonem:

21. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël ad Achab filium Colajah, & ad Zedechiam filium Maassiæ prophetantes vobis in nomine meo mendacium: Ecce ego ponam eos (*vel tradam*) in manum Nabuchadnezer regis Babylonis: & percutiet eos coram oculis vestris.

Profert Jeremias speciale vaticinium, sed in confirmationem superioris doctrinæ. Idem igitur semper est finis, ne se blanditiis assuefaciant captivi quemadmodum cœperant, sed ut statuant ferendum sibi esse exilium usque ad annos 70. Cæterum hic de tribus impostoribus loquetur Jeremias: duos simul conjungit, tertii postea fiet seorsum mentio. Dirigit primo sermonem ad omnes captivos, quia nunquam dignatus esset verbum facere in eorum gratiam, qui professi erant Dei hostes, & se diabolo mancipaverent ad fallendum. supervacuum igitur erat erga illos operam consumere. Sed alloquitur totum populum, & simul prædicit quid futurum sit duobus pseudoprophetis, nempe Achab, & Zedechiæ. Alterum nominat filium Colajah, alterum filium Maassiæ: quia nomen Achab erat tunc in frequenti usu, & nomen Zedechiæ ob memoriam pii & sancti Regis erat tunc in pretio apud bonos. Ad tollendum igitur errorem, designat ipsorum genus. Hæc autem summa est vaticinii, paulo post venturos esse in judicium, ut occidantur à rege Nabuchadnezer. erant in exilio, sed tanta eos dementia corruperat, ut non dubitarent provocare in se iram tyranni, quem sciebant sævum esse, & sanguinarium. Ergo

Jere-

Jeremias pronunciat, quoniam ita populum deceperent, brevi daturos esse pœnas, quia Nabuchadnezer eos occidet. Neque tamen dubium est quin privato suo commodo prospexerit Nabuchadnezer; quia dum ad ipsum delati fuerunt, voluit compescere omnem materiam tumultus. Quum enim non cessarent hortari populum ad spem reditus, nisi obviam itum esset, non poterat aliter fieri, quin subinde exorirentur novæ turbæ. Nabuchadnezer igitur suæ utilitati consuluit, ut solent terreni Reges. Sed interea fuit minister Dei, quia ludibrio expositi fuerunt illi duo impostores, qui promiserant populo reditum. Mors igitur eorum refutavit ipsorum vanitatem, quia apparuit non esse divinitus missos. Verum quidem est, fideles Dei servos sæpe crudeliter tractari, imo etiam interfici ab impiis: sed alia fuit ratio in istis duobus. Neque enim convicti fuerunt falsitatis quia infeliciter illis cessit prophetasse, sed quia quum præferrent quasi vexillum, & dicerent populum mox rediturum in patriam, illic fuerunt occisi. Videmus ergo non temere prædici à Jeremia quod futurum erat, quoniam ex illorum morte colligere licuit, fuisse meras fallacias quicquid polliciti fuerant, quia fingebant se redituros. occisi autem fuerunt, & quidem ante illud tempus quod prædixerant populo. Nunc tenemus summam. quod ad verba spectat, dicit, *Audite tota captivitas sermonem Jehovæ.* Vult attentos esse Judæos, quia si occisi fuissent mille impostores, nunquam tamen abrogata fuisset fides eorum mendaciis, nisi ante tempus Jeremias pronunciasset quod futurum erat. Sedet igitur hic tanquam judex, quia etsi jussit eos interfici Nabuchadnezer, tamen satis apparet fuisse divinitus id ordinatum, & quidem ut populus resipiscere disceret. Videmus ergo Jeremiam fuisse ipsorum judicem, postea Nabuchadnezer fuisse exequutum quod Deus per os servi sui pronunciaverat: hæc ratio est cur sermonem destinet toti populo. Simul tamen adjungit *à Deo missos fuisse*, ut desinant imaginari fortuitum casum, vel adversam fortunam, & agnoscant justas pœnas sibi inflictas fuisse ob scelera, quum patria fuerunt orbati. Jam quod dicitur, *Dabo eos*, vel tradam, *in manum Nabuchadnezer:* clarius exprimit Propheta quod jam dixi, nempe sic occisum iri jussu Regis, ut Deus de ipsis statuerit quod volebat fieri. Et causam mortis assignat, ne scilicet Judæi oculos defigant in consilium regis Babylonii. quid spectavit Nabuchadnezer? nempe voluit habere pacatum imperium: videbat periculum esse tumultus si ignosceret duobus istis, qui populum conturbaverant. Ergo ne Judæi tantum respiciant in consilium Regis, Deus hic aliam causam altiorem proponit, nempe quia *prophetaverant in nomine ipsius fallaciter.* Sequitur clarior explicatio:

22. Et sumetur ab ipsis maledictio apud omnem captivitatem Jehudah, quæ est in Babylone, dicendo, Statuat te Jehovah ut Zedechiam & sicut Achab, quos combussit rex Babylonis igne. (*vel ustulavit, vel frixit etiam, ut alii vertunt:* קלה *non tantum significat comburere, sed ustulare, vel paulatim urere, quod idem est. sed Hieronymus vertit fuisse frictos*)

Hic circumstantias notare oportet, quia si tantum loquutus fuisset Jeremias de ipsorum morte, adhuc poterant Judæi ambigere an divinasset. Cæterum, ubi nunc adjungitur ipsa species supplicii, Jeremias quasi digito ostendit quod adhuc erat incognitum, imo incredibile. Potuit quidem accidere id captivis, ut Rex juberet illos occidi: sed non potuit hoc cadere sub sensum hominis mortalis quod affirmat Jeremias, nempe de frictione, *quod in igne ustulabuntur.* Videmus ergo Deum hic occurrere perversis ingeniis, ut nulla supersit tergiversandi occasio, quum speciem ipsam mortis designat. Sed primo loco dicit, *Sumetur ab ipsis maledictio*, hoc est, formula maledicendi. Ponebat heri אלה juramentum, nunc ponit קלל.קללה autem est maledicere. Itaque sensus est, fore ipsos in exemplar maledictionis omnibus captivis, quum dicent, *Ponat te Deus tanquam Zedechiam & tanquam Achab, quos rex Babylonis ustulavit.* Iterum repetitur causa mortis: & Propheta in hoc non temere incumbit, ut oculos populi avertat à propinqua causa, & quæ vulgo nota erat, quod scilicet Nabuchadnezer non fuerat passus aliquid turbarum moveri in sua ditione. Ut ergo agnoscant Deum esse auctorem hujus pœnæ, ideo dicit,

23. Propterea quod fecerunt (*vel patrarunt*) flagitium in Israël, & scortati sunt cum uxoribus sociorum suorum, & loquuti sunt sermonem in nomine meo mendaciter: quod (*vel quem sermonem*) non mandaveram ipsis. ego autem sum cognitor & testis, dicit Jehovah.

Tenemus quorsum tendat Propheta quum assignat causam mortis, ne scilicet Judæi pro suo captu æstiment quod factum fuerat, sed statuant Deum ultum esse impietatem eorum qui falso prætexuerant ejus nomen. Scimus enim semper nos circumspicere huc & illuc, & quum repetimus propinquam causam, negligere & pro nihilo ducere Dei judicia. Ergo ut pravitatem hanc corrigat Jeremias, iterum repetit Zedechiam & Achab pœnas daturos non regi Babylonio, sed Deo ipsi, *quia patraverant flagitium in Israël.* נבלה vertunt, Rem nefandam, vel abominationem: ego autem libenter accipio pro flagitio, hoc est, pro turpitudine, vel fœditate. *patrarunt* ergo *fœditatem.* Postea generi subjicit duas species, *quod scortati sunt cum uxoribus sociorum suorum:* deinde, *quod fallaciter prophetarunt Dei nomine.* In priore membro videmus quantus fuerit in populo stupor, qui non potuit animadvertere qualis esset eorum vita, qui fingebant se esse Dei testes, acsi essent Angeli è cælo delapsi. Potuit quidem eorum scelus occultum esse, sed minime dubium est, quin obstupefacti fuerint Judæi, quia libenter arripuerant vanas promissiones, quæ dabant causam lætitiæ. Quum ergo cupidi essent reditus, interea autem vellent quasi invito Deo restitui in patriam, vellent perstringere omnia obstacula suæ contumaciæ impetu: hæc fuit justa pœna, quod sic fuerint excæcati, ut non perspicerent quod tamen potuit satis esse manifestum, nempe magnificos istos Prophetas scortari, & tantam esse turpitudinem vitæ ipsorum, ut certum esset non habere quicquam divinum vel cæleste. Jam adjungitur altera species, nempe *quod prophetaverint fallaciter in Dei nomine.* Fuit hoc crimen atrocius, quia ut Deo pretiosa est sua veritas, sic sacrilegium istud est intolerabile, ubi veritas convertitur in mendacium. Sed quia sic corrupti erant omnium animi, ut nemo vellet aperire oculos, ideo testatur Deus, quamvis scortationes eorum non sint populo cognitæ, quamvis non deprehendatur eorum vanitas in falsis vaticiniis, hoc satis esse, *quod sit cognitor & testis.* Est autem hic locus notatu dignus, quia hypocritæ donec sentiant se constri-

constrictos coram hominibus, nihil metuunt, imo superbe sese efferunt, quando illis objiciuntur quæ fuit meriti. Quoniam ergo tanta est hypocritis duritiei, & improbitas, ideo necesse est revocare ipsos ad Dei tribunal, ut intelligant posse quidem ipsos centiee absolvi coram mundo, sed hoc nihil derogare judicio Dei. Nunc sequitur,

24. Et ad Semajah Nehelamitem dices, dicendo, (*sic dices*)
25. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, dicendo, Propterea quod tu misisti in nomioe meo literas ad totum populum, qui est Jerosolymæ, & ad Zephaniam filium Maassiæ Sacerdotem, & ad cunctos Sacerdotes, dicendo,
26. Jehovah posuit te (*constituit te*) Sacerdotem pro Jehojada Sacerdote, ut sitis præfecti domus Jehovæ super omnem virum insaoum, (*vel arreptitium*) & prophetantem, ut ponas ipsum in carcerem, (*alii vertunt, in cippum*) & in compedes. (*vel manicas, quod aliis magis placet*)
27. Et tu quare non increpuisti Jeremiam Anathotitem qui prophetat vobis?

Hic Jeremias vaticinatur de tertio, qui literas scripserat Sacerdotibus, & toti populo contra ipsum: deinde expostulaverat cum summo Sacerdote, & cum aliis, quod Jeremias impune diu hortatus esset populum ad ferendam longi exilii moram. Hæc igitur summa est: sed de pœna videbimus in fine capitis: nunc ulterius verba prosequi, quia non possem hodie absolvere hoc vaticinium. Sumpsi igitur priorem partem duntaxat, nempe quod iste Semajah non tantum aliorum more populum hortatus esset ad spem reditus, & simul ad aliquid movendum, sed etiam sparserat venenum suum Jerosolymæ, & conatus fuerat opprimere invidia Jeremiam, ut occideretur tandem quasi pseudopropheta, & hostis tam Legis & Templi, quam salutis publicæ. *Dices igitur ad Semajah*, vel de Semajah. אל enim utroque modo sumi potest. nunc recitatur crimen ejus: postea videbimus suo loco de pœna. Hoc autem fuit crimen: *Scripsisti in nomine meo*, inquit. Si tantum fuisset flabellum crudelitatis, hoc jam nulla venia dignum erat: sed crimen fuit duplicatum, quod ausus est prætendere Dei auctoritatem, & jactare se esse quasi ejus scribam, quasi assereret dictatas fuisse sibi literas à Spiritu sancto, se non proprio impulsu vel temeritate loquutum: sed Deum non posse ferre tantam licentiam in Jeremia, quod quum assidue concionaretur de longo exilio, Sacerdos tamen ignosceret: deinde in toto ordine Sacerdotali nemo se opponeret. & simul etiam accusat tolerantiam populi. Quod ergo hoc fecit Dei nomine, fuit longe gravius, quam si scripsisset instar privati hominis. Dicitur autem scripsisse ad totum populum, ut scilicet turmatim omnes conspirarent contra Jeremiam. Si enim tantum Sacerdotibus literas misisset, poterant excipere sibi non esse integrum tam violenter agere contra Jeremiam, quia posset excitari aliqua seditio. Videmus ergo astutiam hujus nebulonis, qui tametsi contempsit populum, ut tamen minimi quique adjutores essent Sacerdotibus ad sævitiam, & ut fieret omnium conspiratio, ideo totum populum complexus est suis literis. Postea, *ad Sacerdotem, & omnes Sacerdotes*. nomen Sacerdotis in singulari numero accipitur pro summo Sacerdote: postea כהנים vocantur non tantum qui genus ducebant ab Aaroo, sed etiam omnes Levitæ. Erat summus Sacerdos, deinde posteri Aaron erant præcipui & quasi collegæ summi Sacerdotis: Levitæ autem minores erant honoris gradu. Sed hic per הכהנים intelligit etiam ipsos Levitas. Sequitur argumentum epistolæ, *Jehovah posuit te Sacerdotem*, &c. Hic insimulat ille impostor Semajah summum Sacerdotem ingratitudinis, quia fuisset suffectus in alterius locum. Probabile enim est tunc adhuc vixisse Jehojadah, sed fuisse tractum in Chaldæam cum aliis exulibus. Quia ergo præter spem & ante tempus contigerat tanta dignitas summo Sacerdoti, eum objurgat pseudopropheta, quod male agnoscat hoc Dei beneficium, quasi diceret ipsum iniquam mercedem Deo rependere, qui eum in illud summum fastigium evexerat: *Deus*, inquit, *posuit te Sacerdotem loco Jehojadæ Sacerdotis*. Ita ministri Satanæ transfigurant se in Angelos lucis: & tamen non possunt tam dextre æmulari Dei servos, quin fraus ipsorum statim patefiat. multum enim astutia distat à recto & legitimo consilio. Deus instruit servos suos consilio & prudentia, Satan autem dolis & astu præditus est. Ergo tametsi primo intuitu appareat aliquod artificium in epistola pseudoprophetæ, tamen ea re ipsa colligitur, falso prætendi Dei oomen, falso in medium proponi quod suffectus fuerit summus Sacerdos in locum Jehojadæ. Jam, *ut sitis*, inquit: compellat initio summum Sacerdotem, sed postea simul comprehendit etiam alios: *ut sitis custodes domus Dei*, vel ut sitis præfecti. Etsi enim summa potestas erat penes unum Sacerdotem, quia tamen oon poterat unus subire omnia onera, necesse fuit alios etiam conjunctis studiis ipsum juvare. Hæc ratio est cur Semajah non tantum dicat summum Sacerdotem præfectum fuisse Templo Dei, sed postquam locavit eum in supremo gradu, simul addat socios. Dicit, *adversus omnem virum*: משגע vertit Hieronymus arreptitium, & non male meo judicio. proprie משגע significat insaoum: sed hoc nomen impositum fuit falsis doctoribus, qui jactabant se esse quasi entousiastas, hoc est, divina inspiratione correptos, ut non loquerentur ex proprio sensu. Hoc apparet ex nono capite Hoseæ, ubi dicit populum taodem agniturum Prophetas, qui ipsis blanditi fuerant, fuisse vesanos, & viros spiritus fuisse amentes. Concedit illis utrumque nomen, quod fuerint Prophetæ, & viri spiritus, hoc est, spirituales: sed demonstrat fuisse titulo tenus solum, non autem re ipsa. nam Prophetæ vocati sunt viri spiritus, quia Deus afflabat ipsos suo Spiritu. jam impii quum odiose vellent gravare veros Prophetas, vocabant etiam arreptitios. Nam ita loquuntur qui erant cum Jehu, dum venit Propheta ad ipsum ungendum, Quid sibi vult vesanus iste? etiam ponitur hoc nomen משגע: & probrose vocant arreptitium, qui tamen arcano Spiritus afflatu loquutus fuerat. sed ita impii rapiunt ad Dei contemptum quicquid reperitur in Scriptura. Nam, sicuti dictum est, necesse fuit discernere inter veros Dei servos, & titulares: quum multi gloriarentur se esse à Deo vocatos, & tamen impostores essent. Deus ergo vocavit illos vesanos, & arreptitios. jam quid impii? transferunt hoc probrum in legitimos Dei servos. Hoc autem loco iterum Semajah dicit Jeremiam esse arreptitium, qoi falso obtendat Dei nomen, & qui prophetet mendaciter. Adjungit, *Ut ponas eum in carcerem*, id est, conjicias in carcerem, vel cippum, ut alii vertunt: postea, *in manicas*, hoc est, ut eum constringas, donec fuerit cognitum de ejus impietate, ut tu eum in carcere detineas. Porro credibile est summos Sacerdotes hoc jurisdictionis sibi sumpsisse in rebus confusis. Hæc sententia quidem ducta est à bono principio. nam Deus semper

Hosea 9. vers. 7.

2 Reg. 9. vers. 11.

semper voluit bono ordine gubernari suam Ecclesiam: ideo præcepit in Lege, ut si qua exorta esset disputatio, vel quæstio, ut summus Sacerdos esset judex: sed quum hic fit carceris mentio, & manicarum, certe illud est præter Legem: ideo mihi credibile est fuisse hoc additum ad Legem Dei, quum res essent turbatæ, & status esset incompositus apud Judæos. unde autem origo mali? nempe ex inscitia, & desidia Sacerdotum. Debebant esse Angeli Dei exercituum, Legis interpretes, debebat peti doctrina ex eorum ore. Atqui erant canes muti: imo sic desciverant, ut nihil prorsus esset in ipsis Sacerdotale: obliti erant Legis, nulla apud eos vigebat religio. Quum ergo ipsi cessarent in officio, necesse fuit admittere alios Prophetas. Et quemadmodum alibi diximus, fuit illud accidentale, ut Deus passim excitaret Prophetas è media plebe. Oportuit quidem semper esse Prophetas in veteri Ecclesia: sed Deus sumpsisset eos ex Levitis, nisi consulto vellet eos infamia damnare coram toto populo, quum ipsos quoque bubulcos crearet Prophetas, quemadmodum vidimus de Amos. Quum ergo passi essent Sacerdotes transferri Propheticum munus ad alios volgares, excogitata fuit nova ratio, ne id fieret cum ipsorum jactura: quemadmodum in Papatu scimus Episcopos non alia ratione fuisse præfectos Ecclesiæ, nisi ut essent Pastores, & Doctores. Quid autem poterant asini illi, quos scimus ut plurimum esse prorsus expertes omnia liberalis doctrinæ? Quid fecissent etiam homines profani, & addicti suis deliciis, & voluptatibus? denique quid fecissent & aleatores, & lenones, ut omnes fere sunt Papales Episcopi? Ergo necesse fuit concedere rabulis & Monachis has partes, Vos docebitis: quia suggestus vobis resignamus. Sed retinuerunt interea sibi judicium: si qua controversia suborta esset, non poterant quidem vel rabulæ illi qui clamitabant, vel mutæ bestiæ per se judicare, quia alteros impediebat inscitia, alteris negata erat potestas. Quomodo autem Episcopi damnarunt olim hæreticos? & adhuc hodie damnant? nempe si quis erat Carmelita, advocarunt Franciscanos in judicium: si quis erat Augustinianos, vocati sunt Dominicani. Nam, quemadmodum jam dixi, nihil fuit vel ingenii, vel prudentiæ in illis bestiis. Sed tamen retenta fuit quædam majestas penes Episcopos, vel vicarios, qui proferrent sententiam, hæreticos damnando. Ita etiam probabile est factum fuisse in veteri populo, nempe accersitos fuisse eos qui munus Propheticum obtenderent, idque auctoritate summi Sacerdotis, prætextu Legis, sed non sine aliqua adventitia corruptione, quia scilicet neque compedes, neque manicas Deus tribuerat Sacerdotibus, ut hoc modo compescerent, si qui turbarent vel corrumperent puram doctrinam. Sed quæ supersunt differam in proximam lectionem.

Deut. 17. vers. 8, 9.

Da omnipotens Deus, quando omnes ad unum usque propensi sumus ad fallacias, & dediti etiam prorsus sumus vanitati, ut gubernati tuo Spiritu nihil aliud optemus, quam nos tibi subjicere: & quemadmodum nos tibi offerimus discipulos, da ut præeunte luce verbi tui sequamur viam quam ostendis: & sic perseveremus in recto cursu, donec perveniamus tandem ad beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-TERTIA

IN

J E R E M I A M.

Vidimus proxima lectione summam hujus epistolæ quam scripserat Semajah ad summum Sacerdotem. Reprehendebat ejus segnitiem, quod non compesceret Jeremiam pro jure & ratione officii sui. Habuit hoc aliquid coloris, sed falsum erat principium quod sumebat, nempe Jeremiam prætexere Dei nomen, quum tamen non esset missus, neque haberet mandatum prophetandi: hoc, sicut dixi, falsum erat. Ergo merito nunc contra ipsum insurgit Propheta, & denunciat quam meritus erat pœnam. Sequitur ergo,

28. Nempe quia misit (*vel quia ideo, ad verbum, quia ob id, vel propterea*) ad nos in Babylonem, dicendo, Longum est, (*tempus exilii:*) ædificate domos & habitate, plantate hortos, & comedite fructum eorum.

29. Legerat autem Zephania epistolam hanc in auribus Jeremiæ Prophetæ.

Crimen objicitur Jeremiæ, quod captivis induxerit torporem, ut abjecta spe liberationis patriam contemnerent. Atqui longe alio tendebat Prophetæ consilium, ne festinando anteverteret populus Dei promissiones, interea vero fiduciam suam protraheret usque ad finem præfixum. Quia duæ causales particulæ hic ponuntur, כִּי אֲשֶׁר כֵּן, sic vertunt quidam Interpretes, Quia ob hanc causam, nempe ut sibi acquireret Prophetæ nomen. Simplicior tamen sensus est, causam reddi cur segnitiem Sacerdoti exprobret Zephania, nempe propterea quod captivos assuefecerat ad tolerandum exilium. Odiose vero premit sanctum virum, quasi ex longa mora securitatem attulerit. Dixerat quidem Jeremias longum adhuc tempus restare: sed hæc præcisa loquutio, *Longum est*, aliud sonat, acsi vellet Jeremias oblivione sepelire reditus fiduciam: quia stultum esset tamdiu languere. Sequitur, *Legerat autem.* Præteritum enim plusquam perfectum hic melius convenit, quia per parenthesin versus hic inseritur, ut dubitationi occurrat Propheta, quæ alioqui obrepere poterat. Ostendit ergo unde sibi innotuerit vaticinium, quia unus fuerat ex auditoribus dum recitabatur epistola. Probabile autem est, Sacerdotem data opera vocasse Jeremiam, ut alio accusante reus fieret. Quicquid sit, voluit sanctum virum objicere populi odio, vel potius furori: quo majori laude digna fuit Jeremiæ constantia, dum intrepide refutavit eorum omnium arrogantiam, quibus propositum erat vi & tyrannide opprimere Dei veritatem.

30. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam, dicendo,

31. Mitte ad totam captivitatem, dicendo, Sic dicit Jehovah de Semajah Nehelamita, Propterea quod prophetavit vobis Semajah quum ego non miserim ipsum, & confidere vos fecit super mendacio:

32. Ideo sic dicit Jehovah, Ecce ego visitans (*id est, visitabo*) super Semajah Nehelamitam & super semen ejus, non erit illi vir, qui habitet in medio populi hujus: & non videbit bonum quod ego faciam populo meo, dicit Jehovah, quia aversionem (*vel defectionem*) loquutus est contra Jehovam.

Præcise denunciat Jeremias impostorem illum non impune laturum, quod ita ausus fuisset falso Dei nomen obtendere, & ex professo movere bellum contra Jeremiam. Hic ergo non longa disputatione utitur Propheta, sed potius ex efficacia Spiritus simpliciter pronunciat quid futurum sit. Sustinet enim personam ipsius Dei, quia missus fuerat tanquam præco, qui promulgaret hoc judicium. Hæc igitur causa est brevitatis, quia nulla debuit esse disceptatio, quum impostor ille ex opposito sese efferret, nec dubitaret labefactare apertam Dei veritatem, & quæ sancita fuerat satis multis testimoniis. Hæc autem summa est, Semajam non visurum esse gratiam Dei, nec quenquam fore superstitem ex ejus progenie. Fuit autem, ut satis notum est, hæc maledictio
Deut. 28. sub Lege, non relinquere ullum semen. Hanc igi-
vers. 18. tur pœnam denunciat Jeremias Semajæ, quod nemo ex ejus posteris superstes erit, sed orbus morietur. deinde excludit eum à fruitione beneficii, quod Dominus statuerat populo suo præstare: volebat ipse ante biennium redire in patriam: Jeremias jubebat populum ferre patienter exilium usque ad septuaginta annos, illud erat tempus liberationis. Quum ergo tempus legitimum contemneret Semajah, ideo privatus fuit conspectu illius beneficii. Additur etiam ratio: primum quod abusus fuerit Dei nomine: *Prophetavit, & non miseram ipsum*, inquit Deus: secunda ratio est, quod deceperit populum inani fiducia. mendacium per se dignum erat gravi pœna, sed quum esset exitiale toti Dei populo, accessit gravius crimen, ideo dignum etiam pœna duplici. Videmus autem ut pro nihilo ducat Jeremias se fuisse damnatum à Semajah: retinuit enim gradum suum, quia tametsi impostor ille conatus fuerat evertere ejus auctoritatem, loquitur tamen Propheta acsi esset integer, & si nunquam fuisset læsus, vel tactus ulla calumnia. Hanc animi magnitudinem debent retinere omnes pii Doctores, ut despiciant tanquam è sublimi omnes improbos, & eorum garritus, & maledicentiam, & pergant in cursu suo, tametsi petulanter contra insurgant Dei contemptores, & convitiis eos lacerent, vel obruant. Hoc ergo Prophetæ exemplum imitentur quicunque volunt operam suam Deo & Ecclesiæ impendere, ne scil. animis debilitentur, quum vident sibi esse cum improbis certamen. Jubetur autem Jeremias scribere ad omnes captivos: neque enim dignus erat Semajah qui objurgaretur, sed Deus consuluit publicæ saluti exulum, ubi eos admonet quid futurum sit. Probabile quidem est hoc vaticinium caruisse fructu, donec ipso eventu cognitum fuit Jeremiam non temere ita fuisse vaticinatum. Donec igitur mortuus est Semajah, & quidem in orbitate, quum nullus esset ei successor, populus contempsit quod prædictum fuerat. atqui tandem coacti fuerunt aliqui agnoscere Jeremiam non loquutum fuisse ex proprio sensu, sed instructum fuisse Dei mandato: quoniam Deus re ipsa complevit quod per os Prophetæ sui prædixerat. Sequuntur duæ illæ rationes cur Deus pœnam Semajæ infligere statuerit: prior est quod hoc vocatione sibi arripuerit Prophetæ officium, & munus. Et hinc colligimus, quod antea sæpe visum est, perverti ordinem divinitus constitutum, ubi quispiam se ingerit absque mandato. Sciamus ergo neminem debere censeri inter legitimos Doctores, nisi qui re ipsa monstrabit se esse divinitus vocatum. Dixi autem jam pluribus locis duas esse vocationis partes: nam vocatio interior præcipua fuit quum status Ecclesiæ esset confusus, ex quo Sacerdotes abjecerant curam docendi, & desciverant prorsus ab omni ordine. Quum ergo Ecclesia jam esset incomposita, Deus adhibuit remedium extraordinarium Prophetas excitando: sed ubi Ecclesia rite constituta est, nemo potest jactare se esse vel Pastorem, vel ministrum, vel Prophetam, nisi qui vocatus est etiam hominum suffragiis. Cæterum, quoniam fusius hac de re disserui in caput vigesimum tertium, ideo nunc leviter tantum attingo. Quod attinet ad præsentem locum, ubi exprobrat Deus Semajæ quod sese ingesserit non vocatus, intelligit protulisse sua somnia, quum nullo mandato esset præditus: tunc enim specialis fuit Prophetica vocatio. Ergo Semajah hic rejicitur tanquam impostor: quia ex suo cerebro duntaxat protulit vaticinia, quæ tamen fucavit Dei nomine, idque fallaciter. hoc vero crimen fuit plusquam damnabile. sacrilegium enim est, Dei nomine abuti: quod fecit Semajah. Sed atrocitatem sceleris Propheta amplificat quum dicit vanas ejus prophetias fuisse pestiferas & exitiales populo. Unde colligimus quantopere sollicitus sit Deus de salute populi sui, dum ita ulciscitur mendacia, quæ tendunt in perniciem fidelium. exitialem vero fuisse doctrinam Semajæ demonstrat Jeremias, quoniam populum inebriaverit perversa fiducia: *fecit vos confidere in mendacio*, inquit: pollicebatur enim brevem reditum quum Deus vellet Judæos perferre exilium patienter usque ad annos septuaginta. Sed elicere ex hoc loco possumus utilem doctrinam, nihil scilicet magis esse pestiferum in Ecclesia, quam ubi homines rapiuntur ad perversam aliquam fiduciam. hoc enim est fundamentum totius pietatis, pendere ex ore Domini, & idem est fundamentum salutis nostræ. Sicuti ergo in fide & ejus obedientia fundata est tam religio, quam salus hominum: ita etiam ubi abducimur ad aliquam perversam fiduciam, tota religio concidit, & simul evanescit omnis spes salutis. Hoc diligenter notandum est, ut discamus amplecti eam doctrinam quæ docet non fidendum esse nisi uni Deo, & repudiemus omnia commenta, quæ nos vel tantillum inde abducunt, nempe ut circumspiciamus & circumferamur huc vel illuc. Hac ratione, quemadmodum dixi, Propheta denunciat Semajæ orbitatem: deinde abdicat eum à fruitione beneficii, quod Deus statuerat præstare populo suo, & fuerat etiam pollicitus. Hoc autem totum, ut admonui, dicitur populi respectu: quia nihil profuit Semajæ, vel ejus posteris hoc vaticinium: sed debuit ejus pœna miseris illis exulibus prodesse, ut resipiscerent, quamvis sero. hæc summa est. Sequitur nunc caput trigesimum:

CAP. XXX.

SErmo qui fuit ad Jeremiam à Jehovah, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah Deus Israël, dicendo, Scribe tibi omnes sermones quos loquutus sum ad te in libro:

3. Quoniam ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & reducam captivitatem populi mei Israël & Jehudah, dicit Jehovah: & reducam eos in terram quam dedi patribus ipsorum, & possidebunt eam.

Hoc caput & proximum continent utilissimam doctrinam, ut videbimus, & ideo quo attentior esset populus, Deus voluit præfari in hæc vaticinia. multa loquutus est Jeremias quæ postea à Sacerdotibus & Levitis collecta fuerunt, & digesta in unum volumen, ut alibi visum fuit. Sed his verbis admonet Deus memorabiles fore prophetias, quæ postea sequentur de liberatione populi. simul tamen notanda est alia circumstantia. Vidimus enim tantam fuisse pervicaciam in populo illo, ut frustra Jeremias operam apud ipsos consumeret, quoniam surdos alloquebatur, vel potius truncos & lapides. erant enim quasi obruti stupore, ut nihil intelligerent: quia Deus etiam eos excæcaverat, sicuti erant digni. Talis fuit populi conditio: deinde tenenda est etiam comparatio inter doctrinam Jeremiæ, & figmenta eorum qui pascebant miserum populum blanditiis, quum spem facerent reditus post biennium. Deus sciebat quid futurum esset: nam usque ad præfixum tempus biennii populus non destitit bene sperare, & gloriari de reditu: ita contempsit Dei gratiam, quoniam tempus septuaginta annorum erat nimis serum: Quid? Deus promittit nobis reditum, sed post annum septuagesimum: quotusquisque nostrum tunc vivet? vix reperietur unus superstes: ergo nihil ad nos spectat tam frigida promissio. Interea, sicuti dixi, turgebant perversa confidentia tanquam vento, & insolescebant adversus Deum & ejus Prophetas, acsi propediem redituri in patriam essent salvi & incolumes. Sed quemadmodum semper homines profani laborant duobus extremis: nunc inflati sunt superbia, dum vel prospere illis succedit, vel ostenditur spes aliqua prosperitatis, seque fastuose efferunt adversus Deum, acsi nihil posset adversi accidere; rursum ubi spes eos & perversa opinio frustrata est, tunc prorsus exanimantur, ita nihil solatii admittunt, sed sese demergunt in profundum desperationis. videbat hoc Deus futurum in populo, nisi obviam ivisset. Ergo hic proponit optimum & aptissimum remedium, nempe ut Propheta, quoniam nihil profecerat loquendo, scribat, & redigat quasi in acta quæcunque loquutus fuerat, nempe ut biennio elapso colligant animos, & postquam agnoverint se fuisse deceptos à nebulonibus, & ita merito pœnas dedisse suæ levitatis, ut tunc saltem incipiant respicere ad Deum, & amplecti liberationem promissam, neque prorsus despondeant animos. Hæc igitur ratio est cur jussus fuerit Propheta scribere sermones, quos ore protulerat. Nunc quoniam tenemus Dei consilium, discamus si quando contigerit nobis errare, vagari post falsas imaginationes, non abjicere ideo spem salutis: quoniam videmus Deum hic manum porrigere errantibus, & qui sponte etiam sese projecerant in exitium. fuerant enim satis superque admoniti à veris & fidelibus Prophetis: aures illorum fuerant obstructæ, corda obstinata, & tamen quum voluerint perire quasi data opera, videmus ut Deus ipsos revocet nihilominus. Dicit autem Deum jussisse *ut scriberet in libro omnes sermones quos audierat*: & sequitur ratio, *Quoniam ecce veniunt dies, dicit Jehovah, quibus reducam captivitatem populi mei Israël, & Jehudah.* Subest antithesis inter restitutionem, cujus hic fit mentio, & illam de qua nugati fuerant pseudoprophetæ, quum populum animarent ad fiduciam celeris reditus. nam quemadmodum dixi, erat quædam mentis ebrietas illa præpostera fiducia, quum intempestive Judæi vellent redire in patriam. Nunc postquam viderunt se esse deceptos, tantum restabat desperatio. Hic ergo Propheta eos ad moderationem revocat, nempe ut sciant Deum fore veracem postquam experti sunt se temere fuisse amplexos quod impostores ex suo sensu protulerant. Videmus ergo hic fieri tacitam comparationem certæ liberationis, quam pollicitus fuerat Deus, & illius perversæ & stolidæ spei, qua imbutus fuerat populus. *veniunt* ergo *dies.* Nam biennium visum fuerat abripuisse omnem fiduciam, quia assiti erant fallacibus illis vaticiniis, Deus vos restituet post biennium. post finem illius temporis tota spes populi concidere poterat. Propheta igitur hic purgat errorem illum, quo occupatæ fuerant eorum mentes, & dicit *dies venturos, quibus Deus populum suum redimat*: & ita oblique deridet stultitiam populi, & perstringit eorum improbitatem qui ausi fuerant promittere tam celerem reditum. Nunc ergo videmus cur dicat *dies venturos*: quia extincta erat omnis spes post finem biennii, nisi occurrisset Deus. *Venient* ergo *dies quibus reducam captivitatem populi mei Israël, & Jehudah.* Scimus decem Tribus abductas fuisse in exilium: restabat Tribus Jehudah, & dimidia Tribus Benjamin. ponuntur ergo decem Tribus: & totum regnum Israël priore loco hic statuitur, quoniam longius fuerat exilium Israëlis, quam Jehudah. Postea sequitur,

4. Hi vero sunt sermones, quos loquutus est Jehovah de Israële, & Jehudah: *(vel ad Israëlem, & ad Jehudam)*

5. Certe ita dicit Jehovah, Vocem trepidationis audivimus, pavorem, & non pacem: *(vel pavoris, & non pacis)*

6. Inquirite, & aspicite an pariat masculus: quare vidi cunctos viros manibus suis super lumbos tanquam parturiens? *(solet mulier, subaudiendum est, vel sicuti solet mulier parturiens)* & conversæ sunt omnes facies in pallorem. *(vel in aurigmem, ut alii vertunt: sed nomen pavoris melius convenit.)*

Hunc locum tam Judæi, quam Christiani prorsus corrumpunt, quia torquent ad tempus Messiæ, & quum vix uno in loco Scripturæ inter se alias consentiant, hic tamen mire inter ipsos convenit. sed, quemadmodum jam dixi, longissime discedunt à genuino Prophetæ sensu. Referunt omnes hoc vaticinium ad tempus Messiæ: sed si quis prudenter expendat totum contextum, facile mihi subscribet, Prophetam scilicet complecti summam ejus doctrinæ, quam pridem populus ex ejus ore audierat. Priore igitur membro demonstrat se concionatum fuisse de vindicta Dei, quæ instabat populo. Breviter autem hoc membrum perstringit, quia præcipue volebat levare tristitiam populi afflicti: nam semper notandum est, quorsum Propheta jussus fuerit mandare literis hanc doctrinæ summam, nempe ut aliquid solatii suppeteret exulibus postquam experti fuerant se fuisse nimis obstinatos, quum tam longo tempore nunquam fuissent flexi, vel adducti ad resipiscentiam. Propheta antehac prolixe disseruit de sceleribus populi, & invectus est multis verbis adversus eorum obstinationem, & simul ostendit quam graves & horribiles pœnæ ipsos manerent. Increpuit igitur Propheta longo sermone populum, & quotidie jussus fuit repetere eandem cantilenam: sed non sibi, nec suæ ætati præcipue, neque senibus: sed postquam Deus exciderat Templum & Urbem, voluit miseras conscientias fulcire, quæ alioqui poterant desperatione obrui. Hæc igitur ratio est cur paucis tantum verbis attingat Propheta vindictam, quæ populum manebat. hæc tamen brevitas plena est vehementiæ, quemadmodum videbimus: sed longe uberior est in secunda parte, nempe ut populus non succumbat cladibus, sed in media morte bene speret: imo incipiat sperare postquam viderit se pœnas dedisse quibus dignus erat. Dicit autem, *Sic dicit Jehovah, Clamorem,*

vocem *trepidationis*, vel pavoris: sed חרדה proprie putant esse formidinem qua corpus ipsum contremiscit, ideo verti Trepidationem. Deus loquitur, & tamen persona populi. quorsum? nempe ut socordiam exprobret: quoniam populus, ut erat obstinatus in sua malitia, non fuerat territus tot & tam gravibus minis. Deus ergo dictat illis verba, quoniam prorsus erant stupidi. Videmus nunc cur Deus suscipiat eorum personam qui securi erant, quum tamen Jeremias quotidie illis objiceret quasi præsentem Dei vindictam. Summa est, quamvis populus indormiat suis vitiis, & existimet se esse extra omne periculum, etiam Deo infesto, tamen non fore irritas minas, quibus Deus conatus fuerat ipsos revocare ad pœnitentiam. Deus ergo dicit, *Audivimus vocem pavoris*, hoc est, ridete ut voletis, vel manete stupidi in vestris deliciis, ut ebrii susque deque habent quicquid dicatur: quoniam & sensu, & ratione, & memoria privati sunt: tamen Deus extorquebit vobis hanc confessionem, & vocem trepidationis, vel pavoris. deinde addit, *Et non est pax*: quod emphatice additum est, ut Propheta excuteret populo stultas delicias, quibus fuerat imbutus a pseudoprophetis. dicit igitur frustra eos sperare pacem: quoniam terrorem & formidinem non effugient. Exaggerat formidinem illam quum dicit, *Inquirite & videte an masculus pariat.* quidam nimis insulse vertit, An masculus generet? quo errore tam inscitiam prodidit, quam judicii defectum: erat vir peritus linguæ Hebraicæ, sed erat Latinæ expers: deinde vacuus judicio. Propheta quidem hic tanquam de prodigio loquitur: est autem naturale ut masculus generet: sed hic per ironiam interrogat an pariat masculus, nempe, inquit, quoniam Deus non aliter cruciabit omnes viros, quam si essent puerperæ. Quemadmodum ergo mulieres nervos omnes extendunt, & contorquent in illo extremo cruciatu, dum partus instat: sic etiam, inquit, viri omnes, & masculi manus suas habebunt extentas super lumbos præ horrore. deinde, *Omnes vultus vertentur in pallorem*, inquit, hoc est, Deus exanimabit omnes viros. Tenemus nunc Prophetæ sensum: nam quia Judæis incredibile erat judicium Dei, oportuit eorum duritiem percellere, quemadmodum facit hic Propheta. Etenim si usus fuisset communi loquendi forma, non fuissent commoti. ergo respexit eorum pervicaciam & ideo tantam vehementiam adhibuit. *Inquirite* ergo *& videte an pariat masculus*, inquit: atqui masculos omnes Deus coget ad gestum minime virilem, qualis solet conspici in puerperis, ubi in ultimo nixu sese torquent, sicut ille est summus & acerbissimus dolor. Prosilient ergo masculi ad indecorum gestum qui sit prodigii instar. Sequitur,

7. Heus, quia magnus hic dies à non esse sicut ipsum, (*hoc est, ut non sit similis, ut nunquam fuerit similis*) & tempus afflictionis (*vel angustiæ*) hoc ipsi Jacob, (*hoc est, populo Israelitico*) & ab ea servabitur.

Prosequitur usque ad finem versus Propheta atrocitatem pœnæ, de qua populus non erat sollicitus. nam vilipendebat omnes minas, sicut dixi, & jam multis annis obduruerat, ut pro nihilo duceret tot terrores. Hæc igitur ratio est cur pluribus verbis insistat in hac denunciatione. exclamat igitur, *Heus, magnus hic dies.* Magnum accipit pro formidabili, ut non sit similis: fuit enim horribile illud spectaculum, ubi Urbs fuit diruta, Templum partim excisum, partim igne consumptum: Rex cum tota nobilitate in exilium tractus fuit, eruti sunt ei oculi, liberi jugulati, postea tractus fuit cum maxima ignominia, ut optandum esset illi potius centies mori, quam subire talem fortunam. Ergo Propheta non abs re dicit *magnum fore hunc diem, ut nullus fuerit ei similis*, nempe ut excutiat torporem populo, qui putabat nunquam posse fieri, ut urbs illa sancta, ubi Deus sibi domicilium elegerat, excideretur, & Templum simul periret. dicit ergo *fore hoc tempus angustiæ populo.* Tandem in fine versus gustum aliquem dare incipit misericordiæ Dei, *quod scilicet ab ea liberabitur.* Nunc ergo videmus quorsum tendat hoc Prophetæ vaticinium. Cras non erit lectio propter Consistorium.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus tot modis, & tam contumaciter iram tuam in nos provocare, ut saltem blandis tuis monitionibus flectamur ad obsequium, & interea etiam subjiciamus nos justo tuo rigori, & si quando nos durius castiges, ut sciamus id merito nobis accidere. interea nunquam dejiciamur animis, sed confugiamus ad tuam misericordiam, non dubitantes quin etiam in media ira memor sis paterni tui amoris, modo recumbamus in eam gratiam, quam nobis pollicitus es in unigenito Filio tuo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-QUARTA

IN

J E R E M I A M.

8. Et erit die illo, dicit Jehovah exercituum, confringam jugum ejus è collo tuo, & vincula tua disrumpam, & non adigent amplius eum ad servitutem alieni.

PRosequitur Jeremias quod proxima lectione attigi, nempe postquam Dominus castigavit populum suum, tandem daturum esse vices misericordiæ suæ, ut eum recipiat in gratiam. Dicit autem in summa captivitatem non fore perpetuam. Sed tenendum est quod ante diximus, nempe liberationem promitti fidelibus, qui se patienter & placidis animis subjecerint Deo, & non recusaverint paternam ejus castigationem. Ergo si cupimus Deum nobis esse propitium, patiamur nos ab ipso paterne castigari: quia si calcitramus adversus stimulos, minime speranda est venia, quoniam velut data opera tunc provocamus Deum nostra duritie. Dicit igitur, *Die illo*, nempe postquam legitimum tempus completum fuerit: quia pseudoprophetæ inflabant populum perversa fiducia, acsi liberandus esset post biennium: Deus jubet fideles manere suspensis animis, & non ita festinare. diem igitur illis assignat, nempe annum septuagesimum, quemadmodum ante visum fuit. Dicit *jugum ejus*, nempe regis Babylonii: postea diverso sensu, *vincula tua.* Jugum ergo Nabuchadnezer vocatur quod imposuit Judæis: Vincula autem populi vocantur, quibus illum constrinxerat Nabuchadnezer. Tandem addit, *Et non dominabuntur amplius extranei* nam hic transitive capitur verbum עבר: constructio etiam hoc ostendit, & sensum penitus corrumpunt qui vertunt, Non servient alieni. Neque enim esset promissio, & prorsus hoc alienum est à contextu, neque opus habet refutatione propter crassam absurditatem. si placebat verbum

 ser-

serviendi, fuit dicendum in dativo casu, Alienis. Similis etiam loquutio ante visa est, nempe capite 25. (cap. 25. vers. 14.) ubi dicebat Propheta neque Reges, neque robustos populos amplius dominaturos esse Judæis: usus est hoc eodem verbo, & eadem forma loquendi. *Alieni ergo non facient eos amplius servire*, hoc est, non dominabuntur amplius illis, ut serviliter ipsos opprimant. Nunc tenemus consilium Prophetæ: hortatur enim Judæos ad tolerantiam: & ostendit, quamvis exilium sit diuturnum, tamen liberationem certam fore. Sequitur,

9. Et servient Jehovæ Deo suo, & Davidi Regi suo quem suscitabo ipsis.

Promissio superior fuisset quodammodo mutila, nisi additum fuisset hoc secundum membrum. neque enim sufficeret, homines vivere suo arbitrio, & libertatem ipsis promitti, nisi compositus esset eorum status. Præstaret enim nos esse feras bestias, & vagari in sylvis, quam absque regimine & legibus inter nos agere. scimus enim quam furiosæ sint hominum cupiditates. Ergo nisi frenum aliquod injiceretur, melior esset atque optabilior bestiarum conditio, quam nostra. libertas igitur secum semper afferet interitum, si sit effrenis, neque habeat moderationem adjunctam. Ideo dixi additum fuisse hoc membrum, ut scirent Judæi salutem suam curæ esse Deo: quia promittit nihil illis defore. Hæc igitur vera est ac solida felicitas, ubi non tantum nobis datur libertas, sed ubi Deus præscribit nobis certam regulam, & componit aliquem statum inter nos, ne omnia confuse misceantur. Postquam igitur pollicitus est Jeremias populo reditum in patriam, pollicitus est etiam fore, ut jugum excuteretur à cervice ejus: adjungit, quum prius servierint alienis, fore sub imperio Dei & Regis sui. Hæc autem subjectio melior est omnibus imperiis mundi, dum scilicet dignatur nobis præesse Deus, & suscipit curam salutis nostræ, & fungitur Gubernatoris officio. Videmus ergo hoc fuisse Prophetæ consilium, solari fideles non tantum promissa libertate, sed addito complemento, ut ad plenam felicitatem nihil desit, nempe quod illis Deus vellet præesse. *Servient* igitur *Deo suo*. Additur *Rex*, quoniam Deus volebat populum illum gubernare manu Regis, non quòd Rex ipse substitueretur in locum Dei, sed adjungitur quatenus erat ejus minister. Fuit autem hoc dictum longe post mortem Davidis. nam antequam natus esset Jeremias, pridem mortuus erat David, neque ab eo tempore revixit, ut dominaretur populo: sed nomen Davidis hic accipitur pro quolibet ejus successore. Quoniam autem pepigerat Deus fœdus suum cum Davide, & promiserat semper fore aliquem ex ejus posteris, qui sederet in solio, ideo hic sub Davidis persona Propheta designat omnes Reges usque ad Christum: & tamen nemo postea successit. nam abolitum fuit Regnum ante mortem Jeremiæ: & quum populus reversus est in patriam, nulla fuit Regia dignitas. Zerubabel enim obtinuit duntaxat precariam dignitatem: paulatim progenies illa regia evanuit: & tametsi delecti fuerunt septuaginta ex semine Davidis, tamen nullum fuit sceptrum, nullum diadema, nullum solium. Necesse igitur est vaticinium hoc referre ad Christum: quia oportuit confringi diadema, & calcari etiam pedibus, dum veniret Rex legitimus, quemadmodum dicit Ezechiel. Nam significat nullum fore regnum longo progressu temporis quum dicit, Projice, projice, projice diadema. Jubet igitur aboleri Regium nomen una cum suis insignibus, neque id ad breve tempus, sed aliquot seculis, donec in medium prodeat qui merito posset sibi vendicare diadema, vel cidarim Regiam. Videmus ergo non posse aliter hunc locum exponi, quam de Christo, & ipsum vocari Davidem, sicuti etiam usus passim obtinuerat apud Judæos antequam apparuerit Christus mundo. Messiam enim quem expectabant, vocabant Filium Davidis. Nunc tenemus Prophetæ sensum. sed hic colligitur apprime utilis doctrina, nihil scilicet nobis esse melius, quam Deo subjici: quia libertas nostra belluina esset, si Deus permitteret nobis agere quicquid ferret libido. Libertas igitur semper erit exitialis, donec suscipiat Deus curam nostri, & nos assuefaciat, ac formet ad ferendum jugum. ubi igitur obsequimur Deo, hæc solida est nostra felicitas. Itaque dum precamur discamus non separare hæc duo quæ necessario conjungi debent, nempe ut Deus liberet nos à tyrannide impiorum: deinde ut nobis dominetur. Et convenit hæc doctrina tempori nostro: quia nunc si tantum Deus confringeret Papæ tyrannidem, & inde eximeret suos, sineret autem vagari, ut cuique suum arbitrium esset instar legis, quam horribilis foret confusio? præstaret diabolum sub specie aliqua dominari hominibus, quam ipsos grassari sine lege, sine ratione ulla. Ergo tempus nostrum satis demonstrat quam non temere hæc duo conjuncta fuerint, Deum scilicet fore liberatorem populi sui, ut jugum miseræ servitutis excutiat, & disrumpat vincula: deinde fore Regem qui populum suum gubernet. Sed tertio etiam diligenter notandum est quod sequitur, Deum scilicet non aliter gubernare Ecclesiam suam, quam per manum Regis. Voluit hujus rei specimen, vel præludium aliquod dare sub Lege, quum elegit Davidem, & ejus posteros. Sed maxime ad nos pertinet hæc promissio, quia Judæi propter suam ingratitudinem non senserunt fructum hujus promissionis: Deus privavit eos inæstimabili beneficio, quod poterant jure & certo expectare. Nunc quia ad nos translata est gratia, à qua exciderunt, proprie, sicuti dixi, ad nos dirigitur quod hic docet Jeremias, nempe Deum non aliter esse Regem nostrum, nisi quum subjicimur Christo, quem loco suo præfecit, & per cujus manum vult nobis præesse. Quicunque igitur jactant se libenter passuros esse jugum Dei, interea Christi jugum rejiciunt, refelluntur hoc vaticinio Prophetæ: quia Deus non vult immediate, ut ita loquar, regere suam Ecclesiam, sed vult Christum esse interpositum, qui hic vocatur David. nisi enim velimus damnare mendacii Jeremiam, necesse est accommodare ad personam Christi nomen Davidis. Si ita est, Deus ergo usque ad finem mundi non aliter nobis præerit, quam si Christo pareamus, & offeramus nos in ejus obsequium. Addit, *Quem ego suscitabo*: quia hoc etiam proprium fuit officium Dei Christum excitare, quemadmodum dicitur Psalmo secundo, Ego (Psal. 2. vers. 6.) autem unxi Regem meum. nam semper veniendum est ad fontem misericordiæ Dei, si velimus frui Christi beneficiis, quemadmodum dicitur, Deus ita (Joan. 3. vers. 16.) dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Reperiemus quidem in Christo quicquid ad salutem nostram spectat: sed unde nobis Christus, nisi ex immensa Dei bonitate? qui dum nostri misertus est, voluit nos servare per Filium unigenitum. Salus igitur in Christo nobis reposita est, neque alibi quærenda: sed semper tenendum est, salutem illam manare à misericordia Dei, ita ut Christus nihil aliud sit quam testimonium & pignus paterni erga nos Dei favoris. Hæc ratio est, cur diserte addiderit Propheta *Deum suscitaturum esse Regem*, qui dominetur populo suo. Sequitur,

10. Et tu ne timeas Jacob serve mi, dicit Jehovah, & ne paveas Israël, quia ecce ego servans te è longinquo, & semen tuum è terra captivitatis eorum: & sedebit Jacob, & quiescet, & tranquillus erit, & nemo exterrebit. (*nemo exterrens, ad verbum.*)

Con-

Confirmat Propheta suam doctrinam exhortatione. neque enim sufficeret nos simpliciter certiores reddi de paterno Dei amore, & beneplacito, nisi animaremur ad sperandum: quia experientia docet quam simus difficiles & tardi ad amplexandas Dei promissiones. Hæc igitur ratio est cur Propheta hortetur atque animet fideles ad bene sperandum. si ea esset in nobis promptitudo & alacritas, quæ debebat, contenti essemus uno verbo: quid enim desiderari potest ultra testimonium gratiæ Dei? sed facit nostra socordia, ut opus sit multis stimulis. Quum ergo doctrina præcedit, necesse est accedere exhortationes quæ nos exstimulent, & quæ doctrinam ipsam confirment, ut efficaciter vigeat gratia Dei in cordibus nostris. Alloquitur Jacob & Israëlem eodem sensu, quemadmodum multis locis. scimus enim istas anadiploses, ut vocant, esse familiares linguæ Hebraicæ: repetit enim unam rem duobus verbis: sed emphaticῶs: ut hoc loco plus est vehementiæ quum duplex nomen ponit Jeremias, quam si dixisset simpliciter, Ne timeas Jacob, & ne metuas. dicit ergo, *Tu Jacob ne timeas, tu, inquam, Israël.* Et hoc ideo facit, ut revocent Judæi in memoriam Deum non semel duntaxat fuisse propitium patri suo Jacob, sed multis vicibus. nam ab utero attulit signum ejus primogenituræ, quam Deus ei destinaverat: deinde impositum fuit nomen Israël honoris causa. Quoniam ergo Deus tot modis, & continua serie ostenderat se beneficum erga Jacob, potuit inde plus spei concipere populus. Vocat *servum suum*, non quod digni essent Judæi tam honorifico titulo: sed Deus seipsum potius respicit, & gratuitam adoptionem, quam ipsorum merita. Non igitur vocat eos servos, quia fuerint morigeri: scimus enim quam contumaciter rejecerint & ipsum, & ejus Prophetas: sed quoniam illos sibi adoptaverat. Sic David quum dicit,

Psal. 116. vers. 16. Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ: non jactat sua obsequia, neque sibi vendicat quicquam virtutis ad merendum, sed potius declarat antequam creatus esset in utero, jam se fuisse servum Dei gratuita adoptione. Ideo addit, Ego sum ancillæ tuæ filius: quasi diceret, Ego ad te pertineo hæreditario jure, quoniam progenitus sum ex ea gente, quam eligere dignatus es in populum peculiarem. Nunc ergo videmus nomen servi non debere intelligi de populi meritis, neque hic laudari obedientiam, quasi probe & fideliter responderit vocationi Dei, sed tantum commendari gratuitam adoptionem. Addit, *Ego adsum, ut te servem è longinquo.* Primo denunciat se præsto fore, ubi advenerit opportunum tempus populi servandi. nam demonstrativum hoc pronomen certitudinis loco ponitur. Addit etiam, *è longinquo*, ne populus diffidat: quoniam fuerat abstractus in longinquum exilium. distantia enim locorum est nobis vice obstaculi. Si quis promittat nobis commodum hospitium, neque vocet in regionem aliquam incognitam, facilius amplectemur quod promissum fuerit: sed si quis dicat, Ego promitto tibi maximos reditus in Syria, & habebis illic quicquid ad vitam commode transigendam optari potest, Quid? ego trajiciam mare, ut illic vivam? mihi satius est hic tenuiter vivere, quam illic esse Regem. Ergo quoniam difficultas poterat Judæis obstare, quum viderent se abstractos esse in remotissimas plagas, ideo addit Propheta, id non fore impedimento, quo minus Deus servet populum suum. *Ego igitur te servabo è longinquo*: quasi diceret manus sibi esse satis longas, ut possit eas extendere usque in Chaldæam, & inde eos abstrahere. Postea addit, *Et semen tuum e terra captivitatis eorum*: quoniam longa erat expectatio septuaginta annorum, ideo Deus ad semen transfert quod promittit. Et minime dubium est quin Propheta admoneat Judæos, patienter expectandum esse tempus à Deo præfixum, sicut Abraham, & Isaac, & Jacob, quamvis scirent se fore inquilinos in terra quam Deus illis promiserat, tamen ideo non spreverunt, vel pro nihilo duxerunt beneficium illud. Amplexus est Abraham certa fide quod audierat ex ore Dei, Genes. 12.

Dabo tibi terram hanc: & tamen sciebat se fore illic vers. 7.

peregrinum & hospitem: eadem fuit patientia in ejus filiis. imo admonitus fuerat Abraham de longissima mora, quum Deus pronunciasset semen ejus Genes. 15.

fore captivum usque ad annos quadringentos. Ergo vers. 13.

hic hortatur Propheta populum ætatis suæ, ut bene speret exemplo patris sui, neque ideo vilipendat Dei gratiam, quia non statim appareat effectus. Abraham enim non potitus est terra, quamdiu vixit: & tamen prætulit eam patriæ suæ: idem fecit Isaac. sequutus est exemplum patrum suorum Jacob. Hæc igitur ratio est cur Propheta commemoret semen: quasi diceret, Etiamsi ad vos non perveniat effectus redemptionis, Deus tamen non fallet spem vestram, quia posteri vestri sentient ipsum fuisse veracem. Si quis tunc excepisset, Quid hoc ad me? erat absurda objectio. cur enim pollicitus fuerat Deus posteris reditum in patriam? nonne ut hoc modo testatum faceret amorem suum erga ipsos? unde etiam libertas illa? & unde paternus amor Dei nisi ex fœdere? Videmus ergo salutem patrum fuisse inclusam in hoc beneficio, quo potiti sunt filii ipsorum. ac proinde tametsi fruitio ipsa visibili modo non fuit penes patres, tamen partem fructus inde percipere poterant, quia hoc erat illis certum, Deum in ipsa morte fore populi sui liberatorem. Addit quod summum est in beata vita, nempe quietos fore & tranquillos, ut nemo exterreat. Nam reditus in patriam fuisset non magni momenti, nisi tranquilla fuisset ejus possessio. Postquam ergo dixit Propheta Deum venturum in salutem populi sui, & longinquam distantiam non fore obstaculo, quo minus præstet ac compleat quod promisit, nunc adjungit beneficium hoc fore stabile, quia Deus non amplius permittet ut alieni abducant Judæos in exilium, vel tyrannice illis dominentur, ut fecerant. Ergo continuationem gratiæ suæ hic promittit Deus. Sed quum hoc Judæis non contigerit, iterum colligimus non posse exponi vaticinium hoc nisi de Christi regno. Et Daniel optimus fuit hujus rei interpres. dicit enim populum fore obnoxium multis miseriis & calamitatibus postquam reversus fuerit, nec sperandum esse, ut Templum & Urbem ædificent, nisi in maximis angustiis. semper igitur exterriti fuerunt Judæi. Scimus etiam quum Templum ædificarent, tenuisse trullam una manu, gladium vero altera. nam subinde patiebantur incur- 2 Esdr. 4.

siones hostium. Quum igitur semper inquietudine vers. 17.

vexati fuerint Judæi usque ad Christi adventum, sequitur nunquam fuisse completam hanc promissionem usque ad Christi adventum. Ergo beneficium de quo hic vaticinatur Propheta, peculiare est regno Christi. nunc quoniam ex quo Christus exhibitus fuit mundo, videmus orbem fuisse agitatum multis procellis, imo omnia fere fuisse confusa: sequitur non posse hanc sententiam exponi de externa quiete, vel securitate terrena. Debet igitur accommodari ad naturam regni ipsius. Quum ergo spirituale sit Christi regnum, sequitur hic promitti statum tranquillum & quietum, non ut nulli sint hostes qui nos infestent, vel nobis sint molesti: sed quia maxime ea quiete fruemur apud Deum, & vita etiam nostra in tuto erit, quia protegetur manu & præsidio Dei. Spiritualis igitur tranquillitas hic intelligi debet, cujus fructum percipiunt fideles in suis conscientiis, quamvis semper mundus ipsos oppugnet: quemadmodum etiam Christus dicit, Pacem meam do vobis Joan. 14.

non qualem mundus dat. deinde, In mundo sustinebitis vers. 27.

multas molestias: sed confidite, ego vici & 16. 33.

mundum. Sequitur,

11. Quo-

11. Quoniam ego tecum, dicit Jehovah, ad servandum te: nam faciam consumptionem in cunctis Gentibus, ad quas dispergam te illuc: atqui tecum non faciam consumptionem, & castigabo te in judicio, & mundando non mundabo te. (*purgando non purgabo te, vel succidendo non succidam te: dicemus postea de verbo.*)

Repetit aliis verbis quod jam diximus: sed ut trepidos & vacillantes animos melius fulciat. Deus ergo promittit se fore præsentem populo suo, ut eum servet. Quoniam autem hoc erat difficile creditu, deinde si intuiti essent duntaxat præsentem statum Judæi, poterant prorsus deficere: ideo comparationem adjungit Propheta inter eos & profanas Gentes. Nam septuaginta annis florebant Chaldæi & Assyrii omni opulentia, deliciis, honore: denique nihil illis deerat ad felicitatem terrenam. Quid ergo poterant reputare apud se Judæi, nisi felices esse incredulos & Dei hostes, secum autem misere agi, quoniam premerentur dura illa servitute, obruti multis contumeliis? deinde victitarent tenuiter, & essent quasi oves mactationi destinatæ? Quum ergo hæc omnia occurrerent ipsis ante oculos, nonne poterat statim obrepere desperatio? Deus ergo huic malo occurrit, & dicit *se facturum esse consumptionem inter Gentes:* quasi diceret, Quum incipiam pœnas sumere de profanis Gentibus, perdam eas usque ad ultimum interitum, nihil spei residuum manebit. *Ego autem in te non faciam consumptionem*, inquit: ita discernit inter pœnas, quibus ulciscitur reprobos & impios, & quibus castigat peccata populi sui: quoniam pœnæ quas infligit reprobis, sunt exitiales: pœnæ autem quibus Ecclesiam suam castigat, temporales sunt: ideo cedunt in medicinam & salutem. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. mitigat acerbitatem doloris in fidelibus, quoniam Deus non abjecerit prorsus ipsos. Et ostendit patienter ferenda esse ejus flagella, quoniam finem sperare possint: sed aliud esse quum animadvertit in reprobos, quoniam illis nihil reliquum facit spei. In summa, judex severus est usque ad extremum contra incredulos: castigat autem suos ut pater. Videntur tamen pugnare alii loci, ubi pronunciat Deus se consumptionem facturum etiam in
Jesa. 10. vers. 23. ipso electo populo: sicuti Jesaiæ 10. & similibus. Sed solutio facilis est, quia illic respicit corpus ipsum populi, quod jam erat ab ipso alienum: sed hic peculiariter dirigitur sermo ad fideles, & reliquias gratiæ,
Rom. 11. vers. 5. ut Paulus nominat. Semper ergo tenendum est quosnam alloquantur Prophetæ, quia nunc respiciunt promiscuum vulgus, nunc autem quasi seorsum alloquantur fideles, promittunt salutem. Sic ergo antea vidimus Deum facturum fuisse consumptionem in populo, nempe in reprobis. Propheta autem hic sermonem convertit ad ipsam Ecclesiam & ad semen quod Deus volebat salvum manere etiam populo ipso in speciem perdito & exciso. Quoties ergo nos sollicitat diabolus ad desperationem, quoties etiam exasperamur in animis nostris quum Deus severius quam vellemus nos tractat, veniat in memoriam hæc consolatio, nempe Deum non facturum nobiscum consumptionem. nam quod hic dicitur de Ecclesia, etiam aptari potest ac debet ad singulos fideles. Deus enim illos duriter tractat prout videt ipsis esse utile: sed non consumit ipsos in totum. *Non faciam* ergo *consumptionem tecum*, inquit, *sed castigabo te in judicio.* Hic copula debet resolvi in adversativam particulam. Judicii vero nomen accipitur pro moderatione,
supra 10. vers. 24. sicuti Jeremiæ 10. vidimus, Castiga me Domine, sed non in ira tua. Castiga igitur me in judicio, dicebat. Eodem sensu nunc judicium ponitur pro ea moderatione qua utitur Deus erga electos suos, ubi semper memor est suæ clementiæ, nec respicit quid meriti sint, sed quid possint ferre. Ubi ergo Deus ita manum suam retrahit, & indulgenter castigat suos, dicitur illos punire in judicio, hoc est, moderate. Neque enim judicium hic pro rectitudine capitur, quia Deus nunquam modum excedit, ut possit damnari crudelitatis: sed judicium opponitur etiam justo rigori: sæpe judicium opponitur iniquitati: sed hoc loco tenenda est antithesis inter judicium, & inter justum Dei rigorem. Ergo judicium nihil aliud est quam iræ mitigatio. tandem addit, *& mundando non mundabo te*, vel succidendo non succidam te. Verbum נקה significat interdum purgare, vel innocentem reddere: significat etiam in neutro genere esse purum & innoxium. Sed hic transitive capitur. non potest igitur aliter verti quam *purgando non purgabo te*, vel non succidam te, quia significat etiam succidere: & uterque sensus satis bene quadrat. Si legere placeat, Non succidam te, erit contextus ejusdem sententiæ: Castigabo te in judicio, & ideo non succidam te, hoc est, non faciam consumptionem. erit igitur, ut videmus, optima series, & quæ apte fluet, si legamus, Non succidam te. Sed altera etiam versio probabilis est: quanquam recipit duplicem sensum. quidam enim adversative accipiunt, Quamvis non reddam te innoxium, hoc est, quamvis non parcam tibi, tamen castigabo te moderate. & hæc correctio valde est opportuna. caro enim semper appetit immunitatem. Deus autem videt non esse nobis utile ita impune nobis ignosci quum deliquimus. Ergo necesse est tenere hanc doctrinam, Quamvis Deus non reddat nos immunes à pœna, nec indulgeat nobis, sed ferulis suis nos percutiat, tamen ipsum esse moderatum in suis judiciis erga nos. Alii autem referunt ad sententiam illam Jesaiæ, Ego transire te feci per *Jesa. 48.*
fornacem, & excoxi te, non tamen tanquam argen- *vers. 10.*
tum, alioqui fuisses consumptus. Deus ergo examinat suos, vel purgat castigationibus: sed quomodo? vel quousque? non instar auri vel argenti, quia consumeret ipsos prorsus. Nam dum argentum purgatur à sua scoria, similiter & aurum, ita manet reliqua portio liquidior & purior: in hominibus autem quia nihil est præter vanitatem, ideo evanescerent prorsus, si Deus vellet eos examinare tanquam aurum & argentum. Sed quoniam illa interpretatio subtilior est, ego libentius retineo alteram ex duabus primis, nempe quod Deus non succidet in totum suos, quamvis castiget, vel quamvis eos non reddat prorsus immunes, neque ipsis indulgeat ut impune evadant ejus manum: tamen fore erga ipsos clementem & propitium, quia scilicet interponet castigationibus suis judicium, ne sint immoderatæ.

Da omnipotens Deus, quando nascimur prorsus alieni à regno tuo, & spe salutis: deinde horribilis dissipatio nos manet, nisi colligeres nos Spiritus tui virtute & gratia: da, inquam, postquam nos semel adoptasti in populum tuum, & nos voluisti colligere sub Christi jugum, ut maneamus in ejus obedientia, atque ita perseveremus sub tuo imperio, ut postquam impleverimus cursum præsentis vitæ, tandem perveniamus ad illud regnum, ubi fruemur bonis omnibus, quæ nunc tantum per spem gustamus in eodem Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-QUINTA

IN

J E R E M I A M.

12. Quoniam sic dicit Jehovah, Gravitas confractioni tuæ, (*vel fracturæ: alii vertunt contritionem, quod idem est: nam* שבר *significat etiam conterere*) ægra plaga tua.

PRimo notandum est Prophetæ consilium. pugnat enim cum illis impostoribus, qui spem dabant populo brevis reditus: quando expectandi erant septuaginta anni, ut dictum fuit. Propheta igitur voluit ostendere populo quam stulte speraret exitum malis suis tam exiguo tempore. Et hoc diligenter notandum est, quia non abs re insistit in hac parte Propheta. nihil enim difficilius est, quam homines adducere ad seriam cognitionem judicii Dei. Si quid adversi contingat, sunt quidem nimium teneri & molles in percipiendo sensu malorum: sed interea non respiciunt ad Deum, & solantur se vanis imaginationibus. Ergo necesse habuit Propheta pluribus verbis inculcare hanc doctrinam, quia videbat Israelitas sibi promittere reditum exacto biennio, quum tamen admoniti fuissent à Prophetis, ferendum esse flagellum Dei usque ad 70 annos. Hæc igitur ratio est cur Propheta hic de malorum gravitate concionetur, non quod Israëlitæ stupidi essent, sed quia nimium fuerant creduli, & adhuc erant in sperando reditu, ita ut se deciperent fallaci illo solatio. Dicit igitur *fracturam esse gravem.* Alii vertunt, Insanabilis vel desperata est tua contritio. Sed אנוש hic substantive accipitur, quia interponitur ל: nec potest aliter transferri quod dicit Propheta, nisi quod gravitas sit contritioni, vel fracturæ. postea adjungit *plagam esse ægram*, hoc est, difficilem curatu: sic enim interpretor. Sed finis sperandus est, ne populus existimet finem exilio suo adesse, quin potius se comparet ad tolerantiam usque dum finis à Deo præscriptus advenerit. Sequitur,

13. Nemo judicans (*hoc est, nemo est qui judicet*) judicium tuum, (*hoc est, qui suscipiat causam tuam*) ad sanitatem medelæ & curatio non sunt tibi. (*alii vertunt, Nemo judicans judicium tuum, ut emplastrum adhibeat: sed hoc durius: deinde, medela & curatio non sunt tibi: sed videtur mihi simplex esse verborum sensus, quod nemo judicet judicium; deinde quod nihil ad curationem remedii suppetat.*)

Primo sine figura loquitur Jeremias, deinde simplicem sententiam illustrat metaphorica loquutione. Dicit *neminem esse qui suscipiat causam populi*, quasi diceret omni auxilio nudatum esse. Hoc quidem jam aliqua ex parte conspicuum erat, sed tam supina fuit populi securitas, ut quotidie novas spes sibi fingeret. Prædixit igitur Jeremias quod jam contigerat ex parte, sed adhuc impendebat: & ita coarguit stultitiam populi, qui sibi blanditias adhuc faciat in malis prope desperatis: Tu vides, inquit, neminem esse qui tibi manum porrigat, aut juvare paratus sit auxilio suo: & tamen putas te fore propediem liberum: unde ista imaginatio? descendit postea ad metaphoram, *quod nemo sit ad obligandas medelas curationi.* Sub una specie comprehendit totum. Jesaias 1. cap. dum idem tractat, plenius explicat suam sententiam. Nihil tamen est obscuritatis quum dicit Propheta neminem esse qui medeatur malis populi. Tenendum semper est ejus consilium, nempe populum nimia facilitate decipi, dum sperat se brevi rediturum in patriam. Sed colligenda est generalis doctrina, nunquam scilicet homines posse gratiam Dei percipere, donec fuerint subacti multis & duris objurgationibus. Fugiunt enim semper Dei judicium, deinde cæcutiunt ad sua peccata, & sibi perperam blandiuntur. Postremo, si tantum uno verbo confessi fuerint se peccasse, existimant se esse satis superque defunctos. Ergo urgendi sunt ad meditationem & studium pœnitentiæ. Postea sequitur,

14. Omnes amici tui obliti sunt tui, & non requirunt: quia plaga tibi (*hoc est, percussi te*) castigatione crudelis *hominis*: (*aut sævi*) propter multitudinem iniquitatum tuarum, invaluerunt scelera tua.

Iterum repetit Propheta, Israëlitis nihil residuum esse apud homines, quia nemo se ad ferendas suppetias offerat. Quidam ita exponunt verba quasi ex communi more Propheta diceret amicos pudore latere, dum vident desperatum esse statum populi. Nam quamdiu possunt amici levare ægrotum, præsto adsunt, & sedulo impendunt sua officia: ubi autem vita prorsus desperata est, non amplius apparent. Sed non dubito quin Propheta hic exprobret Judæis perversam fiduciam, qua diu fuerant quasi fascinati. Scimus enim nunc spem posuisse in Ægyptiis, nunc in Assyriis: & ita factum est, ut sibi multas clades accerserent. Vidimus autem alibi & pluribus locis fœdera illa conferri impuris amoribus, quia quum populus nunc Ægyptios appeteret, nunc Assyrios, erat quædam scortationis species. Deus enim Judæos receperat in suam fidem & patrocinium: incredulitas autem eos abripiebat, ut munirent se aliis auxiliis. Ita passim apud Prophetas tam Ægyptii, quam Assyrii, & Chaldæi demum comparantur amatoribus. Et optime hic sensus conveniet, quoniam non satis erat ostendi populo suas miserias, nisi causa ipsa simul patefieret. Ergo Propheta hic producit in medium perversa illa consilia, quæ agitaverant Judæi quum putarent se tutos & salvos fore si nunc Ægyptii, nunc Assyrii, nunc Chaldæi illis propitii forent. Hac ratione dicit *omnes amicos oblitos esse populi*, deinde, *non requirere*, hoc est, abjecisse omnem curam illius. Et additur ratio, quod scilicet *Deus populum ipsum percusserit plaga hostili.* Ubi iterum Propheta eos citat ad Dei tribunal, ut discant expendere sibi hæc mala non accidere fortuito, sed justa esse testimonia Dei. Deus ergo hic in medium prodit, & affirmat se omnium calamitatum esse auctorem, quin sine profectu de miseriis populi concionatus esset Propheta, nisi hoc principium fuisset penitus infixum illorum animis, sibi cum Deo esse negotium. Quod autem *Deus se hostem vocat*, & simul comparat *se hosti crudeli*, vel sævo, non ita debet accipi quasi abolitum esset fœdus, quo filios Abrahæ sibi adoptaverat. semper

enim misericordia sua complexus est aliquas reliquias. Deinde non debemus etiam intelligere excessum aliquem in severitate Dei, quasi crudeliter in populum sævierit ubi exercuit sua judicia. sed hoc debet referri ad communem hominum sensum. Alibi
Jesa. 1. vers. 24. etiam Deus hostes suos nominat Israëlitas, sed non sine gemitu: Hei, inquit, jam vindicta mihi sumenda erit de hostibus meis. suscipit illic dolentis personam, quasi diceret se invitum progredi ad tantum rigorem, quia libenter populo parceret, nisi necessitas cogeret eum ad rigorem. Sed, quemadmodum jam dixi, ubi Deus se vocat hostem populi, hoc debet referri ad temporales pœnas, vel debet exponi de perditis & reprobis, qui se prorsus alienaverant à Dei gratia, & quos Deus etiam resecuerat à corpore Ecclesiæ, ut putrida membra. Sed quum Propheta hic dirigat sermonem ad fideles, minime dubium est, quin Deus hostem se nominet, quia ex præsenti rerum statu non aliud statuere poterant Judæi quam Deum sibi esse infestum. Quod ad sævitiam spectat, jam diximus hac voce notari excessum, quasi Deo ascribi debeat nimius rigor, vel crudelitas: sed non poterant aliter satis expergefieri Judæi ad peccata sua reputanda: neque etiam poterant satis terreri, ut inciperent serio agnoscere justum Dei judicium. Et Deus ipse continuo post satis demonstrat, dum se confert homini crudeli aut sævo, non tamen posse quicquam reprehendi in suis judiciis. Addit enim, *Propter multitudinem iniquitatis tuæ, quia invaluerunt scelera tua.* Nam quamvis Judæi existimarint Deum atrociter agere, quum diuturno exilio illos persequeretur, hic os illis obstruitur, dum objicit *multitudinem iniquitatis*: quasi diceret, Statuite in trutina ab una parte gravitatem pœnarum, de quibus conqueri voletis, & ab altera parte congeriem tot scelerum, quia subinde & tam longo tempore iram meam contra vos provocastis. Deus ergo per *multitudinem iniquitatis* ostendit sibi non posse vitio dari quod tam severe puniat Judæos, quia scilicet ita promeriti sint. Et eandem sententiam confirmat aliis verbis, non quod affet ambigua, sed quoniam videbat Propheta sibi negotium esse cum præfractis hominibus. Ergo ut corrigat eorum socordiam, dicit *invaluisse scelera eorum*. Sequitur,

15. Quid vociferaris propter confractionem tuam? æger est (*vel gravis*) dolor tuus: propter multitudinem iniquitatis tuæ, quoniam invaluerunt scelera tua, feci hæc tibi.

Jam Propheta occupat ne Judæi cum Deo expostulent, quemadmodum satis constat, semper conquestos fuisse de nimia Dei severitate, quoniam indulgebant suis vitiis. proinde simulac Deus illos tractabat pro merito, exardebant & fremebant adversus ipsum. Occurrit igitur nunc Propheta perversis illis & injustis querimoniis: & interrogat *cur clament super confractione*. quasi diceret clamores eorum nimis fore seros, ubi præterierit tempus resipiscentiæ. Deus enim suspenderat ultimas minas: donec populus tantam obstinationem prodidit, ut jam locus non restaret clementiæ. Ergo quum insanabilis esset populi malitia, tunc Propheta denunciavit exilium, sicuti vidimus. Jam vero deridet tardum illum clamorem, quoniam nimis diu torpuerant in contemptu Dei. Quid ergo *clamas super confractione tua? gravis est dolor tuus*: vel, gravitas dolori tuo. *sed propter multitudinem iniquitatis tuæ, & quoniam invaluerunt scelera tua, hæc feci tibi*, inquit. Hic Deus sese purgat à populi calumniis, & ostendit eos qui obmurmurant vel obstrepunt, injuste facere, quia non reputent quid meriti sint. Digni enim erant gravissimis pœnis, quoniam non uno tantum modo accersiverant sibi exitium, & magis ac magis accenderant vindictam Dei: sed tam longa annorum serie obduruerant in suis vitiis: deinde tot modis sese ad omne scelus prostituerant, ut merito illis exprobret Propheta *multitudinem iniquitatis*, deinde *congeriem scelerum*. Dicit ergo Deus se non excessisse modum in pœnis quas populo inflixit, quoniam ita cogebat desperata malitia & obstinatio. Sed subjicitur paulo post consolatio, ubi dicit,

16. Propterea omnes qui te devorant devorabuntur, & omnes hostes tui, omnes, inquam, in captivitatem ibunt: & erunt qui te diripiunt in direptionem, & omnes qui te prædantur erunt in prædam.

Hic rursus Propheta Deum promittit fore exorabilem populo suo, sed post longum tempus, ubi scilicet domita fuerit illa pervicacia, quæ non poterat tam cito curari. Ergo semper notandum est discrimen inter promissionem gratiæ, cujus testis fuit ac præco Jeremias, & inter inanes jactantias, quibus populum fallebant impostores quum animarent ad brevem reditum, & dicerent adesse tempus liberationis. Et ideo discrimen hoc notandum est, quia colligi potest utilissima doctrina. Habent enim hoc commune cum veris & sinceris Dei servis nebulones, qui falso prætexunt ejus nomen, quod utrique gratiam Dei proponunt. Sed qui Dei nomine abutuntur, sepeliunt doctrinam pœnitentiæ. volunt enim tantum populum mulcere fallacibus blanditiis: & quoniam favorem venantur, ideo doctrinam quæ offendere posset, ac est minime suavis & jucunda carni, prorsus omittunt. Jeremias non ita duriter egit cum populo, quin reliquam spem veniæ faceret, & semper leniret quicquid erat asperitatis in pœnitentiæ doctrina. Sed interim noluit populi vitia fovere indulgendo, quemadmodum fieri solet à pseudoprophetis. Quid autem alii? nempe jactabant Deum esse misericordem, tardum ad iram, & statim reconciliari peccatoribus: hinc colligere promptum erat, non fore diuturnum exilium. Sed interea, ut diximus, populo perfide adulabantur. Sic ergo tenendum est, nunquam nos esse idoneos ad amplexandam Dei gratiam, neque esse hujus capaces, ut ita loquar, donec vere subacta fuerit omnis carnis superbia, deinde correcta etiam & purgata omnis securitas. Nunc videmus cur Propheta subjiciat gratiæ promissionem postquam severe concionatus est de horribili illo Dei judicio. Sed videtur non quadrare illativa particula, לכן. quomodo enim conteni poterit cum minis quas vidimus? *Propterea qui te devorant devorabuntur.* Sed propterea repetit quod ante dixerat. Non mirum igitur est si inferat, postquam Deus ultionem sumpserit de sceleribus populi, fore etiam simul vindicem adversus hostes. Convenit igitur hæc illatio, quia maturum erat misericordiæ tempus, ex quo Judæi subacti fuerant, ut sese coram Deo humiliarent, & sibi displicerent in suis peccatis. Est autem hæc communis doctrina quæ passim occurrit apud Prophetas, Deum scilicet postquam initium fecerit ab Ecclesia sua, vicissim fore judicem omnium Gentium, quia si ne electis quidem suis & domesticis parcit, quomodo alienos relinqueret impunitos? Et hæc perpetua est Ecclesiæ consolatio, quod scilicet Deus quamvis reprobis utatur quasi flagellis ad suos castigandos, nihilo tamen melior sit illorum conditio, quia ubi triumphos suos ad momentum egerint, Deus ipsos simul ad judicium trahet. Non est igitur cur fideles invi-

deant

deant suis hostibus quum castigantur Dei manu, illi autem in deliciis suis exultant, quia hæc prosperitas statim diffluet, & eadem mensura Deus illis remetietur, ex quo inique tractaverint populum suum. *Quicunque* ergo *te devorant devorabuntur, & ibunt omnes hostes tui, omnes, inquam, in captivitatem.* postremo, *qui te prædantur:* alii vertunt, Qui te conculcant erunt in conculcationem. Sed quoniam verbum sumitur pro diripere, ne sit repetitio ejusdem sententiæ, ideo mihi magis placet prior sensus. *Qui ergo te spoliant erunt ipsi expositi in prædam, & qui te diripiunt erunt in direptionem.* Sequitur ratio:

17. Quia adducam sanationem tibi, & à doloribus tuis sanabo te, dicit Jehovah: quoniam expulsam vocarunt te Sion, quam nemo requirit.

Deus quum gratiam promitteret Judæis, exorsus est ab hostibus, quoniam gravis illa erat tentatio, & quæ alioqui non tantum turbasset & perculisset eorum animos, sed prorsus extinxisset omnem eorum fidem, quum viderent hostes suos ita potiri suis votis, & illis prospere succedere quicquid tentabant, nisi addita fuisset hæc consolatio, hostes tandem rationem tot scelerum in quibus gloriati fuerant reddituros: sed nunc exprimitur quod præcipuum est, nempe Deum quum fuerit reconciliatus populo suo, sanaturum plagas quas inflixerat. Ipse est enim qui vulnera nobis infligit, & ejusdem est nos sanare: judicium suum exercet in pœnis, postea suscipit personam medici, dum nos ab omnibus malis liberat. Perinde igitur est acsi diceret Propheta, ubi tempus justum transierit, quod scilicet Deus populo definierat, certo sperandam esse liberationem. quia Dominus decreverat tantum ad tempus pœnas de populo sumere, non autem ipsum prorsus abolere. *Adducam* igitur *tibi sanationem*, inquit, *& à plagis tuis sanabo te.* Et hæc admonitio valde fuit necessaria, quoniam Judæi fere computruerant in exilio, quum Deus illos redemit. Ergo tunc poterant centies obruti esse desperatione. Sed Deus jubet ipsos sursum attollere mentes suas, ut è cælo auxilium expectent quod nullum erat in terris. Et addit, *Quoniam vocarunt te expulsam Sion, quam nemo requirit*, hoc est, de qua, vel de cujus salute nemo est sollicitus. Confirmat quod nunc dixi, adeo scilicet non fore obstaculo extrema populi mala, quum Deus ipsum liberare volet, ut potius hæc materia futura sit gratiæ & misericordiæ. Ubi ergo populus ita demersus fuerit in malis, ut omnes putent de ejus salute actum esse, promittit Deus se tunc venturum Redemptorem. Et hoc diligenter notandum est, quia circumspicimus huc & illuc quoties sperandum est aliquid auxilii: Deus autem ostendit se tunc maxime nobis fore propitium, ubi communi omnium opinione damnati erimus. Sequitur,

18. Sic dicit Jehovah, Ecce ego reducens captivitatem tabernaculorum Jacob, & habitaculorum ejus miserebor: & ædificabitur Urbs super excelsum suum, (*vel, super acervum suum, aut culmen*) & palatium in sua statione (*vel regula*) sedebit.

Eandem sententiam prosequitur Jeremias, sed pluribus verbis insistit: quia ut difficile erat populum adducere ad seriam pœnitentiæ meditationem, ita difficile erat erigere collapsos animos, postquam cladium magnitudini succubuerant. Deus ergo iterum pronunciat se venturum, ut è captivitate reducat populum: *Ecce ego*, inquit, acsi jam exerta manu paratus esset ad liberationem populi. Notandum est Prophetam non frustra asserere talem Dei præsentiam: sed minime dubium est, quin respexerit ad populi diffidentiam, & eam voluerit corrigere. Quum ergo putarent Judæi se prorsus derelictos, testatur Propheta Deum adfore, & inducit ipsum loquentem, *Ecce ego*, quasi jam præsto esset populi liberator. Vocat *reductionem tabernaculorum, & habitationum*, quia diu fuerant hospites in Chaldæa, & aliis regionibus, ad quas dispersi fuerant. Quum ergo haberent sua domicilia, admonet Propheta, esse tamen inquilinos inter Gentes, quia Deus restituere velit ipsos in patriam, quæ erat vera eorum statio: hæc ratio est cur de tentoriis & tabernaculis loquatur. Simul causam assignat redemptionis, nempe misericordiam, ut discant tandem Judæi ad hoc unum asylum confugere, & sentiant nullum aliud remedium esse suis cladibus, quam si Deus ipsos respexerit pro sua misericordia, quoniam jure poterat in totum eos perdere. Denique admonet Propheta dignos esse æterno interitu, nisi quia tandem Dominus eorum miserebitur. Adjungit effectum pleniorem hujus gratiæ, quod scilicet iterum Jerosolyma extruetur super suum acervum: vertunt alii Collem, quoniam erat excelsior situs illius urbis, & eminebat supra reliquas partes Judææ. Sed videtur mihi Propheta aliud velle, quod scilicet Urbs extruetur supra sua fundamenta. acervos enim vel cumulos hic ponit pro reliquiis. Sic enim diruta fuerat civitas, ut tamen manerent aliquæ reliquiæ, & possent notari antiqua vestigia murorum. perinde est igitur acsi diceret urbem quamvis olim splendida & opulenta fuisset, tamen de integro sic restitutum iri, ut non minor foret ejus dignitas, quam olim. Sed de amplitudine verba facit quum dicit, *extructum iri Urbem super acervos*, id est, super vetusta fundamenta. Et hanc sententiam confirmat quod proxime sequitur: *Palatium*, inquit, *sedebit* אל־משפטו, *in sua regula*, vel statione. משפט proprie significat judicium, sed accipitur pro regula, pro mensura, pro more, pro consuetudine. Hic non dubito quin Propheta significet palatium Regis æque fore splendidum, sicuti fuerat, & in eodem loco. Quidam ארמון existimant pro Templo poni: & hunc sensum non repudio: sed quoniam ut plurimum hac voce significant Hebræi ædes splendidas, & sumptuosas, vel sublimes, ideo magis inclino in priorem sensum, quod loquatur de palatio Regio. *Stabit* igitur *palatium Regis in sua regula*, vel in suo loco acsi nunquam excisum fuisset. Denique talem & Urbis & Regni instaurationem promittit, ut non minor Dei gratia speranda sit in secundo illo Ecclesiæ statu, quam prius fuisset, quia Deus extinguet omnem memoriam cladium, ubi iterum Ecclesia florebit, & Regnum etiam in sua opulentia, honore, potentia & aliis præclaris dotibus sic eminebit, ut facile appareat Deum ad tempus duntaxat fuisse iratum Ecclesiæ suæ.

Da omnipotens Deus, quando ita tardi sumus ad reputanda tua judicia, & in vitiis nostris assidue obdurescimus: da, inquam, ut serio tacti tot monitionibus, quibus nos ad pœnitentiam non modo invitas, sed etiam exstimulas, discamus nos humiliare, & ita subjicere tuis castigationibus, ut capaces simus ejus misericordiæ, quæ quicquid malorum accidat, in bonum & salutem nostram convertat, donec tandem colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-SEXTA
IN
J E R E M I A M.

19. Et egredietur ab ipsis laus, & vox lætitiarum: & augebo eos, & non minuentur, & decorabo eos, nec attenuabuntur.

Confirmat Propheta superiorem doctrinam. Diximus enim Judæos quum adhuc aliquid spei reliquum foret, fuisse contumaces adversus Deum: postquam autem redacti sunt ad extrema, nimis fuisse dejectos: quia cœperunt diffidere rebus suis, & ita despondere animos, ut nihil consolationis admitterent: ideo non satis fuit leviter & brevibus verbis promitti restitutionem, nisi magis ac magis confirmarentur. In hac igitur parte nunc Propheta insistit: ideo promittit, *exituram laudem & vocem lætitiæ ab ipsis*. Hic notanda est antithesis inter suspiria, gemitus, querimonias, lamentationes, & inter gratiarum actionem. nam quantisper detenti fuerunt in exilio, non potuit audiri apud ipsos ulla laus insolita. Tristitia quidem non obstat quo minus benedicamus Deo, etiam in extremis miseriis, sed non possumus pleno ore, ut ita loquar, Deum benedicere, nisi dum offertur nobis lætitiæ materia: unde illud Jacobi, *Lætatur quis inter vos? canat.* Quum ergo de gratiarum actione loquitur Propheta, significat gratiam Dei tantam fore, ut aboleat quicquid fuit mœroris & tristitiæ apud Judæos. Sed oblique etiam hortatur fideles ad celebrandum Dei beneficium. Si dixisset simpliciter, Exibit ab illis vox lætitiæ, fuisset quidem plena sententia, sed oportuit simul moneri fideles in quem finem Deus tam clementer ageret cum populo suo, nempe ut prædicarent ejus bonitatem. nam ad hunc scopum referre oportet quicquid bonorum percipimus è manu Dei. Conjungi ergo solet gratiarum actio cum lætitia, ubi de Ecclesia fit mentio. Diximus autem fideles non posse tanta alacritate laudare Deum, ubi premontur angustiis, sicuti dum exhilarat Deus eorum corda. Nam dolor tenet omnes sensus hominum constrictos: gaudium vero ex sensu paterni Dei favoris quasi animos dilatat. Hinc etiam linguæ apertio: & hoc sensu dicitur Psal 51. Domine labia mea aperies, & os meum &c. Neque enim aliud significat David, quam se obmutuisse ad tempus, quum Deus absconderet ab ipso faciem suam, ita ut non posset gustare paternam ejus bonitatem. Tunc ergo David sicuti habuit cor constrictum, ita & os clausum: sed precatur ut Dominus os sibi aperiat, hoc est, ut porrigat materiam gratiarum actionis ex gaudio. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: significat, etiamsi ad tempus angantur Judæi, & gemant ac lugeant, non fore tamen illud perpetuum, quia Deus tandem ipsos consolabitur, ut non tantum gaudeant, sed prædicent ejus misericordiam ubi fuerint liberati. Adjungit, *Augebo eos, & non minuentur, decorabo eos*: alii vertunt etiam augere, sed tamen sunt verba diversa: & כבד significat interdum augere, & interdum decore vel honore afficere. Postea etiam sunt verba diversa מעט, & צער. Etsi autem eandem sententiam voluit repetere Propheta, minime tamen dubium est quin simul illustret Dei gratiam hac varietate: quasi diceret tam insignem fore Dei misericordiam, ut Judæi agnoscant in se compleri quod promissum fuerat patri eorum Abrahæ, Erit semen tuum sicut arena maris, & sicut stellæ cæli. Et perpetuitas etiam notatur vel continuatio gratiæ, quum dicit, *non minuentur, nec attenuabuntur*. Posset enim fieri ut populus quispiam cresceret exiguo tempore, sed illud sæpe non est longæ durationis, quemadmodum præterit figura hujus mundi. Ergo Deus promittit firmum & diuturnum statum Ecclesiæ, quoniam de die in diem, & ab anno in annum prosequetur suam gratiam. hæc summa est. Sequitur,

Jacob. 5. vers. 13.

Psal. 51. vers. 17.

Genes. 22. vers. 17.

20. Et erunt filii ejus sicut ab initio, & cœtus ejus coram facie mea stabilietur, (*vel dirigetur: nam* כון *utrumque significat*) & visitabo super omnes oppressores ejus.

Hæc copia verborum qua utitur Propheta, minime supervacua fuit, quoniam semper debemus revocare in memoriam quam duræ fuerint illæ tentationes, quum per annos septuaginta nullum signum gratiæ Dei appareret. Ergo necesse fuit animos malis obrutos multis fulturis sustineri, ne prorsus deficerent: & promissiones alias aliis adjungit, ut possint Judæi quasi ex profunda abysso aliquam lucis scintillam cernere. Et hinc etiam colligi debet utilis admonitio. Etsi enim Dominus hodie nobis indulget, ne exerceamur tam molestis tentationibus, quisque tamen propria experientia cognoscit, quam simus propensi ad diffidentiam: deinde ubi cœpimus semel labascere, quam difficile sit nos in bonam spem erigi. Ergo discamus promissiones alias aliis conjungere, si una non sufficit, vel altera. Dicit autem *filios ejus fore sicut ab initio*. Quidam subtiliter exponunt fore Ecclesiæ filios sicut ab initio, nempe ante Legem, quia fœdus gratuitum pepigerit Deus cum Abraham, antequam Lex fuerit promulgata. Existimant igitur hic notari abrogationem Legis: quasi diceret liberam fore Ecclesiam Christi adventu, & jugum illud Legis quod erat servile, sublatum iri. Sed hæc argutia mihi non placet, quia non existimo unquam venisse in mentem Prophetæ. Non dubito igitur quin ad regnum Davidis hoc debeat referri, quasi diceret statum Ecclesiæ non minus fore prosperum & felicem sub Christo, quam olim sub Davide floruerat. Siquis excipiat regnum Christi longe esse felicius, hoc fateor, sed Prophetæ semper comparant regnum Christi cum regno Davidis, & contenti sunt hac docendi ratione, quoniam hoc superabat spem populi. neque enim credibile erat posse unquam redire Judæos in pristinum statum. Ergo quum hic dicit fore filios Jehudah *sicut ab initio*, mihi dubium non est quin respiciat illam promissionem, ubi dictum erat semen Davidis fore semper in ejus solio, quamdiu lucebunt in cælo sol & luna. Summa est, quamvis horribili interitu regnum extinctum foret, & tota ejus dignitas, tamen Judæos Christi gratia recupereturos quod perdiderant suis sceleribus, sua ingratitudine, & contumacia. Postea adjungit, *Semen ejus stabilietur coram facie mea, & visitabo super omnes oppressores ejus*. Hic rursus confirmat Deus promissionem illam de perpetuitate Ecclesiæ. Dicit igitur *cœtum populi fore stabilem coram ipso*, qua voce Judæos jubet mentes suas sursum attollere, quia in mundo non potuit occurrere nisi mera desperatio. Deus ergo Judæos ad se attollit, quum dicit Ecclesiam fore stabilem coram facie sua.

Psal. 89. v. 37. 38.

Et

Et quoniam tanta erat potentia hostium, ut fideles possent merito objicere omnes aditus gratiæ Dei esse præclusos: ideo adjungit Deum satis ex opposito habere potentiæ, ut perdat & in nihilum redigat cunctos hostes. & *omnes* exprimit, quoniam longe lateque patebat monarchia Chaldaica, & constabat ex variis nationibus. Nulla autem pars erat quæ non esset infestissima Judæis. Ergo quum viderent miseri exules non tantum Chaldæos sibi esse inimicos, sed alias gentes, ita ut exosi essent fere toti mundo, Deus occurrit, & pronunciat se habere satis potentiæ ad omnes hostes perdendos. Hinc colligenda est nobis utilis doctrina, Ecclesiam sic esse perpetuam, ut tamen non sit æqualis ejus conditio. Visus enim est sæpe Deus cursum gratiæ suæ abrumpere ante Christi adventum. Quod tunc accidit accommodemus ad nostrum tempus. Quum ergo hic dicit Propheta *filios Ecclesiæ fore sicut ab initio*, ne miremur si aliquando contingat Ecclesiam dissipari, quemadmodum factum est in Papatu. Ecclesia enim non tantum mortua erat, sed sepulta: & erat non tantum putridum cadaver, sed quasi pulvis qui prorsus evanuerat. Quales enim reliquiæ poterant reperiri in tota terra ante quinquaginta annos? Videmus ergo compleri etiam sub regno Christi quod contigit sub Lege, nempe Ecclesiam aliquando obrui miseriis, & latere sine splendore & forma. Sed interea amplectamur hanc promissionem, Quod scilicet erunt filii piorum sicuti olim: quia ut aliquando floruit regnum Christi, sic etiam sperandum est satis esse virtutis in Deo, ut recuperet Ecclesia suum splendorem, ut regnum Christi iterum exurgat, & illic fulgeant omnes Dei benedictiones. Quoniam autem undique Ecclesiam obsident multi hostes, & diabolus omni ex parte semper excitat motus aliquos & turbas, discamus & hoc secundum membrum adjungere, nempe Deum fore vindicem populi sui: ita utcunque totus mundus conetur gratiam ejus calcare sub pedibus, ipsum tamen non passurum ut quicquam proficiant in suo furore, quia in manu ejus est non tantum compescere ipsorum impetus, sed prorsus eos delere, & totam eorum memoriam. hoc enim comprehenditur sub verbo Visitandi. Postea sequitur,

21. Et erit fortis ejus (*vel magnificus*) ab ipso, & dominator ejus è medio ejus exibit; & appropinquare eum faciam, & accedet ad me. nam (*vel certe*) quisnam hic qui applicet (*vel, qui adaptet*) cor suum, ut accedat ad me? (*alii vertunt, qui alliciat cor suum: dicemus postea de sensu*) dicit Jehovah.

Non dubium est, quin hic pluribus verbis explicet Propheta quod nuper dixit de Ecclesiæ instauratione. nam scimus ita Judæos fuisse edoctos, ut deberent totam salutis fiduciam reponere in Davide, nempe in Rege, quem Deus illis præfecerat. Ergo Ecclesiæ felicitas & salus semper fundata fuit in Rege, quo sublato actum erat de ipsa Ecclesia: sicuti
Lament. 4. vers. 20. dicitur, Christus Dominus, in cujus Spiritu erat spiritus noster. Ergo ab initio semper Deus voluit populum attentum esse ad Regem, ut inde penderet: non quia David potuerit suapte virtute populum servare, sed quatenus gestabat Christi personam sub figura. Hodie non habemus terrenum Regem, qui sit Christi imago: sed Christus per se Ecclesiam vivificat. Tunc autem illud fuit umbratile, quod Rex erat quasi anima communis vitæ. Et antea vidimus, quum Propheta Judæos ad spem bonam animaret, proposuisse Davidem, postea Filium Davidis. Eadem est ratio hujus loci. Dicit, *Erit fortis ejus*, vel magnificus, *ex ipso*. Nam tenenda est conditio miseri illius & calamitosi temporis quum Deus abstulit omnem gaudii materiam, ex qua privavit populum omni illa dignitate, qua fuerat ornatus. Perinde est igitur acsi promitteret Jeremias resurrectionem quum Judæi similes essent mortuis in exilio. conciderat enim spes publicæ salutis, Rege abolito. Ergo hic jubet ipsos bene sperare, quia Dominus poterat illos excitare è morte in vitam. Et certe fuit admirabilis resurrectio quum Judæi in patriam reversi sunt, postquam illis aperta fuit janua. Erant enim quasi in alienum orbem tracti. Deinde quis unquam putasset posse tot obstacula perfringi, quum Chaldæi usque in Judæam dominarentur? nullum certe refugium erat miseris exulibus. Ergo non frustra hic testatur Jeremias *fortem*, vel Regem fore ex populo, deinde *exiturum esse dominatorem è medio ipsius*. Exitus hic non debet accipi pro egressu, acsi Rex alio esset abiturus, sed exire tantundem valet ac prodire. *Exibit ergo*, hoc est, tandem emerget *dominator è medio populi*. quomodo hoc factum fuerit satis notum est. Sed Jesaias prædixerat quod hic confirmat ejus successor.
Jesa. 11. vers. 1. Dicit enim cap. 11. Et exibit surculus è radice Isai vel trunco, & virgula ascendet è radice arboris ejus. nominat illic domum Isai, quæ privata erat. poterat splendidiore elogio commendare gratiam illam, si posuisset nomen Davidis: sed quia tunc nullum erat regnum, ideo dicit, quemadmodum David prodiit ex caulis ovium quum esset ignobilis rusticus, ita etiam Dominus attollet surculum è trunco, ex arbore excisa. Videmus ergo quo sensu accipiat Jeremias verbum Exeundi, quia Christus emersit præter opinionem hominum, & emersit quasi surgeret surculus post arborem excisam, quum scilicet nulla esset species dignitatis in populo. Postea addit, *Appropinquare eum faciam, & accedet ad me*. Hoc vel ad caput restringi potest, vel ad totum corpus extendi: & hæc secunda expositio mihi magis probatur. Nam populus fuit diu quasi remotus à conspectu Dei, quantisper scilicet exulavit à patria. Deus ergo adjungit, *Iterum appropinquare eum faciam, & accedet ad me*. Si quis tamen de capite ipso, hoc est, de Rege interpretari malit, non contendo. Docemur autem ex hoc loco, quoties Deus de restitutione Ecclesiæ verba facit, quoties pronunciat se fore nobis exorabilem, denique quoties nos ad spem gratiæ & salutis invitat, semper debere nos in Christum respicere, quia nisi ad illum dirigimus omnes sensus nostros, evanescent omnes promissiones, quæ non possunt alibi esse ratæ. in Christo enim sunt Etiam & Amen, quem- *2 Cor. 1, v. 19.20.*
admodum dicit Paulus 2 ad Cor. 1. cap. Sed quoniam hæc doctrina sæpius occurrit in Prophetis, mihi satis est quod alibi fusius tractavi nunc obiter perstringere. Quantum ad secundam partem versus aliqua est ambiguitas. *Nam quis hic iste*: ponitur duplex pronomen demonstrativum זה, הוא, quisnam iste. Postea, ערב, *aptans cor suum*: ערב significat fidejubere: sed significat etiam aptare, vel accommodare, vel formare: aliquando significat suave reddere. hæc ratio est cur quidam transtulerint, Quis alliciet cor suum? Postea adjungit, *ut accedat ad me, dicit Jehovah*. Dixi hunc locum esse obscurum, & ideo torquetur in diversas partes ab interpretibus. Quidam de Christo accipiunt: quod ille unus sponte accesserit ad Patrem. Alii autem subaudiunt negativam, quasi dictum esset, neminem cor suum aptare, ut ad Deum accedat. Alii hortative legunt, Quisnam est iste qui cor suum applicet, ut accedat ad me? Verum si admirative legamus, hic solus sensus genuinus erit meo judicio. nescio an quispiam eum attigerit. sed non dubito Prophetam hoc in summa velle. Prius dixit, *faciam eum appropinquare ut ad me*

acce-

accedat. Jam exposui partem illam de populo, qui fuerat procul rejectus. Deus ergo collectionem hic promittit: quasi diceret, Ad tempus ego dispersi huc & illuc populum tanquam quisquilias: nunc rursus colligam hanc dispersionem, & erunt sub fide, mea & tutela, quemadmodum olim. Postquam hoc dixit, nunc perstringit hac interrogatione populi ingratitudinem, *Quis est qui ad me accedat?* qui formet cor suum ut mihi reconcilietur? Hæc igitur admiratio non in alium finem tendit, nisi ut sentiant Judæi damnari suam duritiem & socordiam, quod ubi Deus tam suaviter ipsos invitat, respuant ejus gratiam: quum cupiat ipsos amplecti suis ulnis, diffugiant procul. Sed posset objici quæstio, Cur ergo promisit Deus se facturum ut Judæi accedant? Respondeo, variis modis hoc Deum præstare, vel complere hanc promissionem. Potuit enim Judæos ad se vocare externa invitatione, sicuti fecit quum data fuit libertas redeundi: ac tunc pauci quidem ex Judæis hac gratia usi sunt, omnes vero Israëlitæ jam assuefacti deliciis illarum regionum pro nihilo duxerunt quod Deus promiserat: ita paucissimi reversi sunt in patriam, & contemptui fuit illa restitutio, de qua tantopere fuerant prius anxii: Deus tamen tunc appropinquare fecit ad se populum. Nam porrexit brachia quasi vellet ipsos colligere, & fovere sub alis suis. Interea quoniam major pars sprevit inæstimabilem illam gratiam, merito hic conqueritur Deus de tanta impietate, & quasi per admirationem exclamat, *Quisnam est iste qui cor suum formet, ut ad me accedat?* Si fuisset simpliciter dictum, Quisnam est iste qui ad me accedat, fuisset obscurior sensus propter brevitatem: sed Deus hic satis clare distinguit inter duos accessus. Nam prior accessus erat quum data fuit libertas populo, & edicto Cyri permissum fuit illis Templum & Urbem extruere. Deus ergo tunc appropinquare ipsos fecit, ut accederent. hic est prior accessus. Sed jam adjungit, Judæos non formasse cor suum: loquitur quidem de futuro tempore, sed tamen accusat ingratitudinem, quæ tandem suo tempore fuit patefacta. Dicit igitur, *Quis est iste, ut accedat?* hoc est, ego efficiam ut iterum coalescant in unum corpus, & me invocent, fruantur sua hæreditate. Sic igitur hoc præstabo, *ut ad me accedant*: sed interea multi residebunt in suis fæcibus, & præferent Chaldæam, & alias regiones Templo, & religioni. ergo multi erunt qui cor suum non formabunt ut ad me accedant. Nunc tenemus sensum Prophetæ. Jam vero simul tenendum est, quum nuper dictum fuit, *appropinquare faciam ipsum ut ad me accedat*, Deum non loquutum fuisse de arcana Spiritus sui efficacia. nam ejus est, ut statim iterum dicemus, simulac placuerit corda hominum ad se trahere. Sed quum diceret, *appropinquare ipsum faciam*, tantum de externa restitutione loquutus est: nunc autem adjungit querimoniam, quod scilicet Judæi maligne repudiabunt hanc gratiam, quia nemo cor suum aptabit. Interea videmus rejici totam culpam in Judæos, quod privandi essent patria. Non enim per Deum stetit quo minus restituerentur, sed ipsi, ut erant addicti terrenis suis voluptatibus, pro nihilo duxerunt redire, & censeri in populo Dei. Consilium igitur Prophetæ est, adscribere Judæis totam culpam, quod gratia Dei non penetraverit usque ad ipsos, vel non fuerit efficax in majori parte, quia scilicet non aptarent cor suum, vel formarent, ut ad Deum accederent, hoc est, ut compotes fierent inæstimabilis illius boni quod oblatum fuerat. Quod autem Papistæ arripiunt hunc locum, ut probent esse in libero hominis arbitrio ad Deum accedere, nimis ridiculum est. Nam quoties Deus damnat populi duritiem, certe non disputat quænam sit hominum facultas, an flexibiles sint ad bene agendum, an possint corda sua dirigere: illud est nimis stultum. Quum dicitur in Psalmo, Hodie si vocem ejus audieritis, ne *Psal. 95.*
obduretis corda vestra, sicut patres vestri in deserto: *vers. 8.*
an quia obdurant homines corda sua, dicemus esse flexibiles in ipsis motus, ut possint pro arbitrio suo eligere bonum, vel malum? illud est non dico puerile, sed nimis putidum. Videmus ergo Papistas esse indignos refutatione, quum talibus testimoniis volunt liberum suum arbitrium probare. Obtenderent quidem aliquid coloris si reciperetur eorum expositio. sic enim legunt, Quis est iste, quasi Deus laudaret hanc promptitudinem fidelium, qui sponte sese offerunt, & formant corda. Sed repugnat totus Prophetæ contextus. Unde apparet hoc esse remotissimum à consilio Jeremiæ, quod Deus laudet piorum obedientiam: quin potius hic per admirationem exclamat, quemadmodum quum dicit Jesaias, Quis *Jesa. 53.*
credidit auditui nostro, & brachium Domini cui re- *vers. 1.*
velatum est? certe non prædicat fidelium obsequium, quod prompto & alacri animo Euangelium suscipiant, sed potius quasi portentum exhorret, quod mundus fidem non habebit Euangelio, quum tamen illic offeratur æterna vita & salus. Sic etiam hoc loco, *Quisnam iste?* quid enim magis optandum fuit quam ut Deus quasi extentis brachiis Judæos ad se tandem colligeret? Ego volo ut ad me appropinquetis. fuistis ad tempus quasi à me exules, ego vos abjeceram in longinquas terras: atqui nunc paratus sum vos colligere. Quum ergo Deus tam suaviter & blande ipsos ad se alliceret, fuit certe detestabilis & prodigiosa hæc ingratitudo, quod potius alio discesserint, & tergum obverterint Deo tam comiter ipsos vocanti. Ergo quum Propheta hic duntaxat damnet talem socordiam, & obstinatam malitiam in Judæis, non est quod quæramus probationem liberi arbitrii. Cæterum, hoc eodem verbo utitur David Psal. 119. *Psal. 119.*
quum dicit, Appropinquare fac servum tuum ad te, *vers. 73.*
ut discat mandata tua: alii vertunt, Fidejube pro *125.*
servo tuo, quoniam est illic etiam verbum ערב. quod hic ponitur, ideo posset locus apte torqueri in Papistas, secundum quos penes hominis arbitrium est formare cor suum. Atqui David testatur proprium id esse Dei munus. Nam quod postulat ab eo, certe fatetur non esse in suo arbitrio nec facultate. Postea sequitur,

22. Et eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum. *quod postea confirmat primo versu capitis 31. quum dicit, In tempore illo, dicit Jehovah, ero in Deum cunctis cognationibus Israël: & ipsi erunt mihi in populum.*

Quoniam repetitio est ejusdem sententiæ, convenit simul exponi duos versus. Dicit ergo *Judæos fore Deo in populum, & Deum vicissim fore illis in Deum.* Hæc loquutio passim occurrit apud Prophetas, & non abs re, quia complectitur omnes beatitudinis partes. Ubi enim nobis vita, nisi quum sumus populus Dei? Et tenendum est etiam illud Psalmi elogium,
Psal. 144. Beatus populus cujus Jehovah Deus est. Confirmat
vers. 15. enim quod nuper dixi, nempe absolvi omnibus numeris beatam vitam, ubi Deus promittit se fore nobis in Deum, & nos vicissim in populum suscipit. Ergo non temere Prophetæ toties inculcant hanc sententiam: quia etiamsi nihil alioqui nobis desit, quod possit expeti, tamen donec certo persuasi simus Deum nobis esse Patrem, & nos illi esse in populum, quicquid est felicitatis cedet nobis in miseriam. Sed clarius se exprimit Propheta quum dicit, *Tempore illo*, nempe quum Deus Ecclesiam suam restituet, tunc *fore se in Deum cunctis cognationibus Israël.* Sic enim dispersi fuerant, ut non essent quasi unum cor-

pus:

pus: sed Deus promittit collectionem Ecclesiæ, à qua exciderant decem Tribus, quum defecerant ab obedientia familiæ Davidis. Non possem nunc ultra persequi.

Da omnipotens Deus, quando manifestasti in Filio tuo unigenito quicquid olim gustarunt Patres bonitatis tuæ paternæ, & ita in solidum exhibuisti, ut nihil amplius nobis optandum sit: da, inquam, ut defixi maneamus in hac fiducia, & sic adhæreamus verâ fide & sinceritate etiam cordis nostro Redemptori, ut ab ipso expectemus omnes salutis nostræ partes: & quicquid nobis contingat, sciamus tamen nos esse beatos, modo hoc singulari privilegio potiamur, nempe ut te invocemus Patrem in ejusdem Filii tui nomine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

HEri contulimus duos versus Prophetæ, ubi promittit Deus *se fore adhuc populo in Deum.* Diximus quid hæc promissio valeat. Sed posterior versus primo tempus præfigit, ut suspensis animis Israëlitæ expectent gratiam, quamvis nondum appareat. Ideo dicitur, *In tempore illo.* Postea additur, *Ero in Deum cunctis cognationibus Israël*, quia sic fuerant dissipati, ut non repræsentarent faciem populi unius, sed essent quasi diversæ gentes. Hic ergo promittitur collectio populi, ita ut rursum coalescant, & sint unum corpus sicuti ante dispersionem. Sequitur,

23. Ecce tempestas (*sed subaudienda est nota similitudinis* כ, *sicut tempestas*) Jehovæ furor (*iracundia*) egredietur, tempestas sese involvens, super caput impiorum residebit.

Videtur ex abrupto loqui Propheta, quoniam nihil suavius hac promissione, ubi Deus pronunciat *se fore in Patrem populo*, & continuo post dicit *exoriturum turbinem qui se involvat, & resideat super caput impiorum.* Hæc primo intuitu non conveniunt inter se. Posset hoc transferri ad Gentes, vel ad quoslibet hostes Ecclesiæ: quia quoties Deus apparet servator populi sui, vindicta ejus sese profert, atque exerit contra reprobos. Hinc sententiæ satis frequentes,
Jesa. 63. vers. 4. Dies ultionis meæ adest, & annus visitationis meæ: utrumque conjungit Jesaias, Dei gratiam cum ultione: & hoc est etiam aliis Prophetis familiare, ut videmus etiam misericordiam Dei non posse aliter clare & distincte perspici erga fideles, nisi ubi judicium ejus conspicitur ex opposito adversus reprobos. Posset etiam hic locus ita exponi: sed commode poterimus ita contexere Prophetæ verba, quod blande studuerit allicere populum quum offerret Dei gratiam: quia tamen videbat à majori parte contemptum iri, sicuti heri diximus, tempestive nunc minari si respuerint Judæi oblatam sibi gratiam, non posse ferri tantam ingratitudinem à Deo. Et hæc etiam docendi ratio satis trita est ac familiaris Scripturæ. Nam Deus ab una parte sic benevolentiam suam declarat, ut interea exstimulet homines: & quoniam videt non tantum pigros esse ac tardos, sed etiam malignos & ingratos, ideo denunciat non cessurum illis impune si gratiam suam contempserint. Bene ergo hoc conveniet superiori doctrinæ, quod nunc Propheta dicit *exorituram esse iram Dei instar procellæ tempestuosæ.* postea adjungit, *tempestas sese contorquens:* vel involvens, proprie sese congregans: est à גור, sed duplicatur litera ר: deinde est in יחול. Similis fere sententia alibi visa fuit cap. 23. sed tunc Propheta alio verbo usus est, sicuti res ferebat. Vertunt quidam, Corruet. Nam גור significat cadere: & quadrabit etiam ille sensus, quod procella corruet, hoc est, præceps dejicietur, *ut tandem resideat super impios.* Sed prior expositio magis recepta est, & ego libenter eam amplector, quia hoc pertinet ad incutiendum terrorem, ubi tempestas dicitur fore similis turbini, quia sese contorquet atque involvit, ita non potest discuti. Sensus igitur erit, vindictam Dei fore exitialem omnibus reprobis. Cæterum רשעים poterimus accipere tam de exteris, quam de contemptoribus Dei, qui tamen jactabant ejus nomen: & libenter extendo ad utrosque, nempe ad domesticos, & exteros Dei hostes, acsi diceret Propheta nullum superesse remedium, nisi ut confugiant ad Dei misericordiam. Postea sequitur,

24. Non revertetur (*vertunt*) furor iræ Jehovæ, donec exequatur ipsum, & donec surgere faciat (*attollat, vel stabiliat*) cogitationes cordis sui: in extremo dierum intelligetis in hac re.

Confirmat proximam sententiam, & comparat iram aut vindictam Dei nuncio, vel ministro, qui mittitur ut perferat mandatum, vel etiam ut peragat quod præceptum fuerit. De verbo Dei, hoc est, tam de minis quam de promissionibus ita loquitur Je-
Jesa. 55. vers. 11. saias, Verbum meum non revertetur ad me inane: sensus enim est, quicquid promittit aut minatur Deus, nunquam suo effectu carere. nam perperam intelligunt multi verbum Dei non reverti inane, quia fructificat. loquitur enim de ipso verbi effectu vel in salutem, vel in exitium. Sic etiam nunc Deus pronunciat vindictam suam, postquam emissa fuerit, non redituram donec compleverit quicquid mandatum est. Postea addit, *& donec statuerit Deus*: nam proprie ita reddi debet hoc verbum הקימו. Donec ergo statuerit, vel stabilierit Deus *cogitationes cordis sui.* Cogitationes cordis nominat decreta: sed sumitur hæc loquutio ab hominibus, & ideo est metaphorica, quoniam non competeret proprie in Deum, cogitare aut deliberare apud se. Sed quantum ad rem ipsam spectat, nulla est ambiguitas. significat enim Propheta ubi Deus vindictam suam emiserit, perituros omnes impios, quia ita decretum sit ab ipso Deo, cujus consilia nunquam sunt irrita. Probat igitur vindictam fore efficacem, quoniam Deus ita apud se statuerit. Sed hoc referri etiam debet ad doctrinam, quæ testimonium est cogitationum Dei. Neque enim Deus simulat quum salutem promittit hominibus, vel denunciat pœnas quas meriti sunt: sed in medium producit cordis sui decreta. Ergo Propheta hic perstringit stuporem omnium, qui putabant se posse effugere, quamvis toties audirent sese constringi tanto reatu, ut necesse foret tandem subire judicium. Quamvis ergo hoc subinde audirent, erant surdi ad omnes admonitiones: hac ratione Propheta loquitur de cogitationibus cordis Dei. Tandem addit, *In extremitate dierum intelligetis.* hoc potest aptari fidelibus non minus quam reprobis. Nam quamvis fide-

les amplexi fuissent Dei promissiones, atque illis inniterentur, tamen ut certandum erat assidue cum gravissimis tentationibus, necesse fuit ipsos stimulari & animari simul ad patientiam. Potuit igitur hoc opportune illis dici, *Intelligetis hoc in novissimo dierum*, ut sit loco exhortationis. ecsi diceret, Vos quidem putabitis impios felices, quia non statim prosiliet Deus, neque statim erumpet ejus vindicta, ut fulminet contra ipsos: sed patienter ferendo vestras miserias, tandem sentietis non frustra illis prædictum esse interitum: deinde mercedem referetis fidei & tolerantiæ vestræ, si ed extremum usque quieti perstiteritis. Sed convenit etiam incredulis hæc sententia, quooiam ex præsenti aspectu solebant judicium facere. Propheta igitur deridet præposteram hanc opinionem qua se decipiunt: & dicit sero intellecturos quod nolunt percipere. Ergo si de filiis Dei expooimus hanc sententiam, erit exhortatio, ut patienter ferant sua mala, donec appareat Deus vindex. Si autem accipimus de incredulis, erit subsannatio ipsorum socordiæ. quia enim pro fabulis ducebant omnes minas, Propheta ex opposito clamat, Sapietis tandem, sed sero, nempe experientia magistra, ubi non erit amplius locus resipiscendi. Ego omittam primum versum capitis 31. quia jam expositus fuit: Die illo, &c. Sequitur secundus versus. *Sup. v. 22.*

Cap. XXXI.

Sic dicit Jehovah, Invenit gratiam in deserto populus qui evaserant à gladio: proficiscendo donec quietem daret ipsi Israëli. (*vel profectus est Israel, donec se ad quietem conferret.*)

Quantum ad verba spectat, verbum הוליך, quod est infinitivi modi, accipitur præteriti loco: & in eo conveniunt interpretes. Sed quidam referunt ad Deum, quod præfectus sit dux populo suo, donec ad quietem ipsum adduceret: & quoniam verbum להרגיעו ad quietandum ipsum, ut ita loquar, est in Hiphil, ideo videtur debere hoc Deo ascribi. Sed poterimus simplicius accipere, Donec se ad quietem conferret. postea additur nomen Israëlis: & ita relativum vertemus per Se, non per Ipsum. *Donec ergo se ad quietem conferret.* Nunc veniamus ad summam doctrinæ, quam hic tractat Propheta. Non dubium est quin reducet populo in memoriam prisca Dei beneficia, ut spem concipiant miseri exules, nec dubitent quamvis sint quasi demersi in Chaldæa, & obruti quodam malorum diluvio, tamen Deum fore illis liberatorem. Hæc ratio est cur *deserti* fiat mentio: deinde cur etiam addat Jeremias eos *qui tunc servati sunt elapsos fuisse à gladio*. Nam populus quamvis habitaret in regione amœna & fertili, erat tamen quasi in deserto, quantum attinet ad patriam. Quum ergo longe projecti fuissent Israëlitæ in alienas terras, comparantur deserto omnes illæ regiones in quibus tunc habitabant. Et similis etiam loquutio est apud

Jesa. 40. vers. 3. Jesaiam cap. 40 quum dicit, Vox clamans in deserto, Parate viam Jehovæ, rectas facite in solitudine semitas. Quid intelligit illic per desertum? nempe fœcundissimas illas regiones, Chaldæam, Assyriam, & alias vicinas: sed respectu populi ita nominat, quia exilium semper miserum ac triste est. Sic igitur hoc loco Propheta, ut erigat animos exulum ad fiduciam, dicit, Quamvis sint ablegati in regiones incognitas, tameo non obstare Deo distantiam, & quicquid aliud poterat videri contrarium eorum liberationi, quin ipsos restituat: quia olim patres ipsorum liberavit quum essent in Ægypto. Jam quoniam poterant rursus objicere Judæi se esse numero paucos: deinde jugulum semper porrectum esse gladio, quoniam habitarent inter victores sævissimos, dicit patres ipsorum non aliter quam miraculo servatos esse, perinde acsi erepti essent ex media morte. Nunc tenemus Prophetæ consilium, & paucis verbis licebit complecti summam hujus sententiæ, non esse metuendum, quin Deus populum suum in tempore redimat, quia notissimum sit quum liberator fuit olim populi sui potentiam ejus variis modis fuisse illustrem, imo incomprehensibilem, quando per annos 40 populum aluit in deserto: deinde exitum ipsum fuisse acsi mortui è sepulchris resurgerent, quia facile Ægyptiis fuerit jugulare totum populum: ereptos igitur fuisse à morte, quum adducti sunt in terram, quæ promissa fuerat Abrahæ: ergo non esse dubitandum quin Deus mirabiliter adhuc ipsos eripiat, & eandem potentiam demonstret in ipsis liberandis, quæ olim clare apparuerat erga ipsorum patres. Hinc autem colligi debet utilis doctrina, quoties desperatio objicitur ante oculos, vel miseriæ nostræ ad eam nos sollicitant, reputanda esse beneficia Dei, non tantum quæ ipsi experti sumus, sed quæ contulit seculis omnibus erga Ecclesiam: sicuti etiam David Psalmo 143. dicit hoc unum sibi fuisse *Psal 143. vers. 5.*
solatium in suo mœrore, quum & extremis malis premeretur, & fere obrutus esset desperatione: Memor, inquit, fui dierum antiquorum. non igitur tantum recensuit Dei beneficia, quæ ipse senserat, sed quæ audierat à Patribus, quæ legerat apud Mosem. Sic etiam Propheta nos ad memoriam beneficiorum Dei revocat ubi videmur ab ipso esse derelicti, quia hæc una cogitatio potest nos levare, & attollere. hæc summa est. Jam sequitur,

3. Ab antiquo Jehovah apparuit mihi: atqui dilectione perpetua dilexi te; ideo protraham (*vel protraxi, vel extendi*) ad te clementiam.

Communiter vertunt, Ideo attraxi te in clementia: sed sensus ille est frigidus, & ineptus. Itaque non dubito quin potius intelligat misericordiam Dei non fore evanidam, quin populum ipsum prosequatur ab anno in annum omnibus seculis. Initio versus inducit Propheta Judæos obstrepentes, ut solent increduli, qui dum repellunt Dei gratiam, volunt tamen videri hoc cum ratione facere. Priore igitur loco narratus blasphemia populi. Nec dubium est, quin voces istæ impiæ & diabolicæ passim tunc auditæ fuerint: Ho, Deus apparuit nobis, sed è longinquo: quemadmodum hodie quoque profani homines, dum proferimus exempla gratiæ Dei è Lege & Prophetis & Euangelio, *Ho, c'est du temps jadis*: ita facete derident quicquid testatus est unquam Deus verbo suo, quasi vetustate obsoletum. Similiter ubi terrorem illis objicimus ex veteribus exemplis, Ho scilicet olim factum est, sed jam olim. Semper ergo redeunt ad illud diabolicum proverbium, *Le temps jadis* Et illud idem exprimere voluit Jeremias, *A longinquo apparuit nobis Deus*, hoc est, tu quidem magnifice prædicas redemptionem, qua patres liberati sunt; sed quid hoc ad nos? cur non potius ostendis nobis palam quid Deus velit? & cur non profers aliquam materiam præsentis lætitiæ? cur non re ipsa probas Deum nobis esse propitium? sed tu de antiqua liberatione verba facis: & ista narratio est quasi obsoleta. Videmus ergo ab initio semper homines Deo fuisse

ingratos, quia quantum in se fuit, sepelierunt Dei beneficia: neque in eo modo detecta fuit ipsorum impietas, sed quod ludibriu fuerunt omnes veteres historiæ, quæ tamen monumentis proditæ sunt in nostram salutem. Quicquid scriptum est, inquit
Rom. 15. vers. 4. Paulus, ad doctrinam nostram scriptum est, ut per patientiam & consolationem Scripturæ spem habeamus. Illic ostendit discendam esse nobis patientiam ab exemplis, quæ Scriptura continet, & hanc esse nobis materiam consolationis optimæ, ut foveamus spem nostram usque dum eripiat nos Deus ab omnibus miseriis. Quid autem profani homines? Ho, tu recitas quod scriptum est: sed hoc nimis remotum est à nobis, & longitudine temporis evanuit: antiquitas ista quid ad nos? Sed quum proruperint Judæi in sacrilegam hanc vocem, discamus amplecti quicquid proponitur nobis è Scriptura, dum nos invitat Deus ad spem misericordiæ, & simul etiam hortatur ad tolerantiam: neque unquam excidat nobis hæc blasphemia ex ore, imo ne animis quidem nostris obrepat, Deus apparuit ex longinquo. Ergo discamus execrari hanc ingratitudinem eorum, qui volunt Deum semper habere præsentem, & interea nihil tribuunt honoris veteribus ejus beneficiis. Ideo respondet Propheta, *Atqui:* nam copula ו hic ponitur loco particulæ adversativæ: quasi diceret, Imo, vel Etiam. Nam posset etiam accipi pro [illegible], Etiam *dilexi te dilectione perpetua.* Respondet igitur Deus impiis, & ostendit se, quod semel liberator fuerit populi, non id præstitisse aliquo momentaneo impetu, sed quia id promiserat Abrahæ, quia populum ipsum adoptaverat. Quoniam ergo fœdus Dei erat perpetuum, ideo hic refellit impiam illam calumniam, quod Deus tantum momento liberaliter egerit erga populum suum, & quod semel duntaxat illius miserias respexerit, ut succurreret: *Etiam*, inquit, *dilexi te dilectione perpetua.* Deus ergo hic redemptionem, in qua exhibuerat insigne documentum suæ misericordiæ, ostendit fundatam fuisse in adoptione gratuita, quæ non tantum unius anni erat, sed perpetuæ durationis. Videmus ergo ut corrigat illam detestabilem populi blasphemiam, nempe quod adoptio causa fuisset liberationis. Et hic locus diligenter notandus est. statim enim veniunt nobis in mentem perversæ istæ imaginationes quum legimus, vel audimus quam varie & quot modis fuerit Deus misericors erga populum suum: Ho, id factum fuit olim, sed nescimus an idem maneat Dei consilium: deinde hoc contulit veteri populo, sed nescimus an ad nos extendi vel possit vel debeat. Sic diabolus ingerit nobis sua astutia perversas illas imaginationes, quæ abripiant cursum gratiæ Dei, ne ad nos usque perveniat. Ergo suffocatur Dei gratia quum ita nos separamus à Patribus, & omnibus ejus servis, erga quos se ita clementem præstat. Ideo hæc doctrina apprime utilis est quum Propheta ostendit quicquid unquam Deus bonorum contulit veteri populo, hoc debere trahi ad fœdus gratuitum: fœdus autem illud esse æternum: & ideo non esse dubitandum, quin Deus hodie paratus sit ad salutem omnium piorum. Nam manet semper idem, neque mutabilis est: deinde vult suam fidem & constantiam lucere in fœdere, quod pepigit cum Ecclesia. Quum ergo fœdus Dei sit inviolabile, neque possit collabi, etiamsi cælum & terra misceantur, ideo certo persuasi simus semper Deum fore nobis liberatorem: quare? manet enim ejus fœdus: manebit igitur ejus potentia ad nos servandos. hic est usus hujus sententiæ. Postea sequitur confirmatio, *Ideo protraxi erga te clementiam.* Dixi aliter verti & exponi hunc locum: sed nihil est dilutius, quam si dicamus, Abstraxi te clementia. Quid hoc ad perpetuitatem amoris, vel ad continuum tractum & progressum? Sed optime conveniet alter sensus, quod scilicet Deus protraxerit ad Israëlem suam clementiam: subaudienda est tantum una litera: sed hoc sensum non impedit: & tales loquendi formæ passim alibi reperiuntur. Dicit igitur, Quia complexus sit Israëlem amore perpetuo, *ideo se traxisse*, vel extendisse *clementiam*, quia ex quo populum eripuerat è tyrannide Pharaonis, & aluerat 40 annis in deserto, fuerat multis aliis beneficiis prosequutus. Quibus enim victoriis ipsum donavit? deinde quoties misertus est ipsius? Non destitit igitur Deus à continuo tractu misericordiæ ex quo semel populo manum porrexerat. Et hoc sensu optime dicitur traxisse clementiam, quia non tantum uno die vel anno propitium se ostenderit Israëlitis, sed per quadringentos, quingentos, sexcentos annos se eundem exhibuerit: & ita etiam optime refellitur illa impietas populi, & blasphemia, quod olim apparuerat Deus: imo, inquit, nisi nimis maligne supprimas mea beneficia, intelliges longos & diuturnos, & multiplices fuisse progressus bonorum quæ patribus tuis contuli. Nunc tenemus genuinum sensum Prophetæ. Si quis præteritum tempus malit vertere in futurum non repugno, Ideo protraham vel extendam erga te meam clementiam: etiam ille sensus bene quadrabit. Sed ut sumantur simpliciter verba, videmus cur adjiciat Propheta Dei clementiam fuisse protractam, nempe ut Judæis ingratitudinem suam exprobret, quod beneficia tot seculis præstita non expendant. Sequitur,

4. Adhuc ædificabo te, & ædificaberis puella Israël: adhuc ornaberis tympanis tuis, & exibis in choros ludentium.

Hoc versu prosequitur Jeremias quod ante dixit, nempe quamvis longum esset tempus annorum 70, Deum tamen fore Ecclesiæ liberatorem. Nam poterat diuturnitas temporis extinguere populi fidem, ut fieri solet. ubi enim nihil nobis apparet præter nudum Verbum, & de die in diem repetit Deus easdem promissiones, putamus hoc esse nullius momenti: deinde quum malum aliquod invaluit, putamus jam omnes vias Deo esse præclusas, ne possit remedium afferre: metimur ejus potentiam nostro modulo. & quia sero ad nos occurrit, quia patitur hominem vel morbo, vel aliis malis diu confici, ita etiam imaginamur Deum nunquam venturum in tempore ubi diutius suspendit suam gratiam ac differt quam vellemus. Ergo Propheta hic dicit, *Adhuc ædificabo te, & ædificaberis virgo Israël:* postea, *adhuc ornaberis tuis tympanis.* Opponitur hic gaudium mœrori, quo populus opprimendus erat in exilio, & aliqua ex parte jam oppressus erat. fuerant enim multi in exilium abducti. Cæterum, figuratis loquendi formis gaudium & lætitiam exprimit Jeremias per *tympana*, & per *choros ludentium.* Nam ubi Prophetæ denunciant Dei vindictam, solent dicere, Cessabit omne gaudium inter vos, non ludetis amplius vel cythara, vel aliis musicis organis. Ita etiam hoc loco dicit Jeremias redituros esse ad tympana & choreas, ubi Deus ipsos restituerit in patriam. Interea non debemus torquere hoc Prophetæ testimonium ad excusandam profanam lasciviam, qua Dei beneficia corrumpunt profani homines. neque enim possunt servare ullam temperantiam in lætitia, sed sese projiciunt, & ita lasciviunt adversus Deum. Et huc tendunt omnes choreæ, omnes sonitus tympanorum, quod scilicet sese obstupefaciunt profani homines. Noluit igitur Propheta hanc licentiam dare populo. Nam semper memoria tenendum est quod heri dixit exituram esse vocem laudis in gaudio. per *tympana* igitur, *& choros*, intelligit castam lætitiam, & quæ conjuncta est cum laudibus Dei, & cum sacrificio gratiarum actionis. Postea sequitur,

5. Adhuc plantabis vites in montibus Samariæ, plantabunt plantatores, (*hoc est, plantabunt vinitores*) & profanabunt. (*id est, conferent ad usum communem.*)

חלל significat profanare: sed significat etiam accommodare ad usum, & sumpta est loquutio ex Lege, quia non licebat comedere ea fructu vitis, nisi post annos quatuor. (Lev. 19 vers. 23, 24, 25.) quia quasi præputium manebat in vite, ut fructus essent impuri. deinde primi fructus offerebantur Deo: postea quisque fruebatur suis vindemiis. Sed interea respicit Jeremias ad maledictiones quæ alibi leguntur, (Deut. 28. vers. 30.) Plantabis vineam, & alii comedent fructum. Quid ergo intelligit his verbis? nempe regionem ad tempus sic fore desertam ut in montibus optimis & fertilissimis nullæ sint vites. Nam montes Samariæ erant viniferi: & quum excisæ essent illinc vites, fuit horribilis vastitas. Quum ergo dicit Propheta, *adhuc plantabunt vineam*, significat ad tempus deformem fore terram: sicuti quum diceret *Adhuc ædificabo te*, monebat Judæos, ut æquis animis perferrent judicium Dei quum nihil conspicerent præter ruinas in tota terra. Hoc ergo significat voa *adhuc*: sed quum promisit adhuc fore vites in montibus Samariæ, adjungit fructu potituros qui eas plantaverint. Hic autem est cumulus benedictionis, alioqui nihil prodesset plantare vites, vel conserere, nisi accederet hæc Dei benedictio. Nam tristius longe privamur nostra possessione quam excoluimus, & in qua impendimus multum laboris. Qui ergo plantaverit magna diligentia vites, deinde qui coluerit terram, si ejicitur in exilium, ubi videt alienos potiri, hoc gravius ejus animum vulnerat. Ergo Propheta hic significat certam fore Dei gratiam, quia non modo dabitur otium Judæis quum reversi fuerint ad vites plantandas, sed etiam quieti & tranquilli potientur illo fructu. *profanabunt* igitur, hoc est, accommodabunt in usum suum quinto anno quum vites fructum suum protulerint: quasi diceret, Habitabunt absque molestia in sua hæreditate ubi semel reversi fuerint.

Da omnipotens Deus, quando semel testatus es, te nobis esse in Patrem per unigenitum Filium tuum, ut non tantum gustemus hanc promissionem, sed ea penitus satiemur, & in ea permaneamus constanter, donec defuncti malis omnibus, tandem perveniamus ad plenam manifestationem, ubi scilicet colliges nos in beatam illam hæreditatem, quæ fructus est æternæ tuæ adoptionis, in eodem Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-OCTAVA

IN

J E R E M I A M.

6. Quia erit dies, quo clamabunt (*sed subaudiendum est relativum*) custodes in monte Ephraim, Surgite, & ascendamus Sion ad Jehovam Deum nostrum.

PRopheta hic amplificat Dei beneficium, quia non tantum restituet Tribum Jehudah, sed decem quoque Tribus, quæ prius abductæ fuerant in exilium. Hic ergo promittit plenam & solidam restitutionem Ecclesiæ. Prophetæ non semper uno modo loquuntur de liberatione populi, aliquando restringunt suam doctrinam ad Tribum Jehudah, acsi reliqui fuissent desperati: sed sæpius extendunt sua vaticinia ad totum populi corpus. Sic etiam hoc loco Jeremias complectitur una cum Tribu Jehudah reliquas decem, & dimidiam Tribum Benjamin, quia fuerant quidam ea Tribu Benjamin residui, & qui nunquam desciverant à familia Davidis. Sed solent vocare regnum Israel decem Tribus, & regnum Jehudah designant per Tribum unam: sic absconditur Tribus Benjamin, quæ in duas partes erat divisa. Sensus ergo Prophetæ est, quum Deus redimet populum suum, non tantum Judæos in patriam esse redituros, sed simul alios Israelitas, de quibus fere desperatum erat, quoniam longo tempore habitaverant in exilio: deinde quia rejecerant purum & legitimum cultum Dei, poterant censeri prorsus extra corpus Ecclesiæ. nam sua perfidia sese abdicaverant, ut indigni essent tam honorifico titulo. Sic Propheta hic denunciat superiorem fore Dei gratiam malitia illa & obstinatione populi Israël. Dicit igitur *venturum diem quo clamabunt custodes in monte Ephraim*. Per nomen Ephraim, ut satis notum est, sæpe intelliguntur decem Tribus, propter Jarobeam, qui primus illic regnavit. Sed semper notandum est, sub una specie comprehendi totum genus. Ergo quum loquitur nunc Jeremias de monte Ephraim, intelligit omnes custodes qui locati erant in speculis per totum regnum Israël. Sed notandæ sunt antitheses, quia Jarobeam intercluserat aditum Israëlitis, ne ascenderent Jerosolymam. Timebat enim ne illic audirent de perpetuo Dei fœdere, quod pepigerat cum Davide, & ejus posteris. sibi male conscius erat, quod acquisierat sibi regnum malis artibus. Deus quidem jusserat illum ungi in Regem per manum Prophetæ sui: sed non sequitur, quod ad ipsum spectat, juste regnasse. Recte Deus voluit ulcisci Rechabeam, & simul etiam pœnas exigere de toto populo: perfidus vero ille qui fuerat auctor defectionis, quum vellet stabilire regnum apud posteros, vetuit ne quis Jerosolymam ascenderet: & ideo extruxit templa & altaria in Dan & Bethel (1 Reg. 12. v. 28, 29. 30, 31.) Quamobrem Propheta Hoseas conqueritur, quod obsiderent omnes vias instar latronum. (Hose. 6. vers. 9.) jugulabantur enim multi quum ascenderent Jerosolymam ad offerenda Deo sacrificia: alii diripiebantur, & remittebantur domum. Hæc igitur antithesis est digna notatu quum dicit Propheta, *Adhuc clamabunt custodes in monte Ephraim, Surgite, ascendamus in Sion ad Deum nostrum.* Nam quamvis in speciem tantum deferrent posteros Davidis, simul tamen abnegabant verum & purum Dei cultum: & fuit adulterina illa religio, quam sequuti sunt auctore Jarobeam, quia oportuit tantum uno in loco offerri Deo sacrificia, sicuti in Lege sæpius repetitur, Tu venies ad locum, quem Dominus Deus tuus elegerit. (Deut. 12. vers. 26.) Ipsi autem contempto loco, quem Deus sibi destinaverat, erexerant alibi altaria. Totus igitur ille cultus fuit mera superstitio: & quamvis cumularent multa sacrificia, nihil tamen aliud quam provocabant iram Dei, quia nihil fas est tentare præter regulam in Lege præscriptam. Ideo dicit Propheta, *Clamabunt custodes, Surgite, ascendamus in Sion*, hoc est, non erit tale dissidium in populo quale prius fuit. nam pauci Deum rite coluerunt in templo quod extructum erat ipsius jussu. Alii autem sese prostituerunt multis superstitionibus. nunc igitur iterum coalescent in unum corpus. Denique hic promittit Jeremias redituros omnes filios Abrahæ in fraternum consensum, & vinculum fore docet unitatem fidei, quia scilicet unanimes erunt in offerendis sacrificiis, nec finget sibi quisque Deum proprium.

Est

Est autem locus hic apprime utilis, quia hinc colligimus quisnam sit verus Ecclesiæ status, ubi scilicet consentiunt omnes in unam fidem. sed simul videndum est ubi fundata sit illa fides. Papistæ quidem gloriantur de suo consensu, sed interea prætermittunt quod debebat tenere primum gradum, nempe ut omnes in Deum unum respiciant, quemadmodum edocti sunt ejus verbo. Ergo Propheta hic nominat montem Sion, qui electus fuerat divinitus, ut ostendat non aliam unitatem Deo placere, nisi dum homines simul à minimo usque ad maximum obtemperant ejus verbo, neque sequuntur suas imaginationes, sed amplectuntur quod ille docet ac præscribit in Lege sua. hæc summa est hujus loci. Vocant igitur Israëlitæ *Deum suum*, à quo prius scelerate defecerant. Sequitur,

7. Quia sic dicit Jehovah, Exultate propter Jacob in lætitia, (*vel cum Jacob: nam* ל *potest utroque modo accipi*) & jubilate in capite Gentium: promulgate, laudate, & dicite, Serva Jehovah populum tuum, reliquias Israël.

Confirmat Propheta sententiam quam exposuimus: & necessarium fuit hoc addere, quia res erat fere incredibilis. pluribus ergo verbis eam prosequitur. *Sic dicit Jehovah*: præfatur hoc modo, quemadmodum sæpe admonui, ut doctrina plus obtineat ponderis. Nihil quidem unquam protulit Jeremias nisi quod didicerat ex ore Dei, & revelatione Spiritus: sed opus fuit diserte interdum id testatum facere propter auditores. jubet autem *eos exultare lætitia, & jubilare*. Notandum est hoc vaticinium fuisse prolatum quum jam non procul abesset extrema & populi, & Urbis, & Templi clades: sed voluit Propheta mortuos, ut ita loquar, consolari in sepulchris, ut patienter expectarent liberationem promissam, & certo statuerent nihilo difficilius esse Deo suscitare mortuos, quam ægrotos sanare. Ergo hæc prophetia habuit suum usum quum tracti essent in exilium Judæi, & misere dispersi, ut nulla spes esset liberationis. Sed quo efficacius penetret doctrina in ipsorum animos, hortatur eos ad lætitiam, & ad jubilum, & cantica, neque ipsos modo, sed etiam alienigenas. Etsi enim paulo post patebit non fuisse commune incredulis gaudium: videtur tamen Propheta sermonem data opera ad extraneos dirigere, ut pudeat ipsos Judæos non amplecti oblatam sibi promissionem. Quid enim dicit Propheta? *Vos gentes exteræ jubilate propter Jacob*: quid interea faciet Jacob ipse? Nunc ergo videmus quorsum spectet hæc Prophetæ vehementia dum jubet omnes lætari propter populi redemptionem, nempe ut non tantum hoc vaticinium solatii aliquid afferret miseris exulibus, sed ut in media morte sentirent se victuros coram Deo, modo ne desperarent. Denique non tantum mitigare ipsorum tristitiam voluit, sed condire spirituali gaudio, ut non desinerent bene sperare, & ita erectis animis stare: & hilariter, non tantum patienter ferre suas calamitates, quoniam Deus promitteret se fore illis propitium. Hæc ratio est cur jubeat *& exultare gaudio, & jubilare*. adjungit, *in capite Gentium*. Posset accipi hæc loquutio acsi dixisset Propheta Gentes fore ita contemptibiles, ut libere possint illis insultare filii Dei. sed simplicius interpretor, quod jubeat Propheta *exultare in capite Gentium* acsi dixisset palam, ita ut gaudium vestrum omnibus perspectum sit. Quamvis enim bene sperarent Judæi de reditu, vix tamen ausi fuissent signum aliquod fiduciæ suæ dare, quoniam hoc modo exacerbassent animos hostium suorum. Ergo oportuit prorsus jacere tacitos, & quasi exanimes. Nunc Propheta opponit manifestum hoc gaudium timori qui pene cogebat Judæos mutescere, ita ut neque gestu neque verbis auderent proferre quod didicerant à sanctis Dei servis. Denique significat Propheta liberationem fore ita splendidam, ut Judæi metuere non debeant quicquam periculi ubi prædicabunt quasi plenis buccis Dei beneficium. Hoc videtur notare per *caput Gentium*. Postea adjungit, *Publicate, laudate, & dicite, Serva*. Hoc ad fideles proprie spectat, quia scimus non posse Deum invocari ab incredulis. Fides enim sola nobis aperit januam: & non potest ulla esse legitima precatio, nisi quæ ex fide nascitur. Ergo compellat hic filios Dei Propheta quum dicit, *Promulgate, laudate*. Et certe quamvis omnes impii convicti fuerint certa experientia de admirabili Dei virtute, nullus tamen inter ipsos potuit esse gratiæ Dei præco. Hoc ergo munus proprie injungitur fidelibus, ut celebrent Dei gratiam. Et adjungitur etiam gratiarum actio, acsi diceret Propheta non posse rite promulgari Dei gratiam, nisi laudetur ejus bonitas, & offeratur sacrificium laudis. Sed hortatur simul ad precandum. Unde colligimus, promissionibus Dei sic debere nos animari ad fiduciam, ut tamen non torpeamus. Nam multi sese exhilarant quum audiunt lætum aliquem nuncium: sed hæc lætitia parit in ipsis securitatem: ita fit ut fides suffocata sit, nec proferat suos fructus. Nam præcipuum fidei exercitium est invocatio Dei: qui autem securi sunt, quia non cogitant de ullis periculis, ideo non confugiunt ad Deum, & ita prætermittunt officium illud pietatis, in quo præcipue debebant se exercere. Propheta igitur hic admonet sic laudandum esse Deum, ut tamen simul precentur fideles. Summa est, quum Deus promittit se nobis fore propitium, suppetere nobis satis amplam materiam gaudii. Contenti igitur simus nudo Dei verbo quum affirmat se nobis fore in Patrem, & quum promittit salutem nostram sibi curæ fore. Sed interea, quemadmodum dixi, lætitia non debet reddere nos securos, ut fides otiosa jaceat, sed debet potius nos stimulare ad preces. Hoc igitur verum est ac spirituale gaudium, quod concipimus ex verbo Dei, quum alacres sumus ad precandum: frigus autem ac securitas signum est non fidei, sed socordiæ: & promissiones Dei nunquam vere in nobis efficaces sunt, ut par est, nisi quum accenditur animus noster ad studium, imo ad fervorem precandi. Hæc igitur ratio est cur Propheta postquam jussit fideles laudare & celebrare Dei gratiam, simul addat precationem. *Dicite, Serva Jehovah populum tuum*. Ergo sic oportuit illos lætari, ut solliciti essent de restitutione Ecclesiæ. Et nunc etiam quoties Deus affulget nobis cum testimonio gratiæ suæ, sic nos exhilarari convenit, ut interea non omittamus illud primum fidei exercitium, nempe precationem. Interea addit *reliquias Israël*, quia oportuit impleri quod prædictum fuerat ab Jesaia, Si populus tuus fuerit sicut arena maris, reliquiæ tantum salvæ fient. (*Jesa. 10, vers. 22.*) Quamvis ergo Propheta loquutus fuerit generaliter de omnibus posteris Abrahæ, & comprehenderit decem Tribus, tamen hic per modum correctionis nominat *reliquias*, vel residuum Israël, ne desperent fideles ubi videbunt vix decimum, aut quinquagesimum etiam quemque redire ab exilio. Scimus enim præ ingenti multitudine paucos reversos fuisse in patriam. Ergo hic posuit *reliquias Israël*, ut fideles non abjicerent spem in posterum tempus, quamvis non statim restitueret Deus totam suam Ecclesiam. Deinde oportuit etiam hypocritas dejici ab inani confidentia, qua turgebant. Solebant enim arripere quicquid Deus promittebat per servos suos. Ergo Jeremias ipsos exclusit, ut scirent ad se nihil spectare hanc promissionem. quemadmodum etiam Paulus multis verbis insistit in hac causa: (*Rom. 9, vers. 27. & 11:5,7.*) & optimus est interpres hujus loci, & similium quum dicit Deum nunquam sic obstrictum fuisse populo Israelitico, quin potuerit libere ejicere quos volebat, ut tantum

reliquiæ incolumes manerent. Vocat autem reliquias illas gratiæ, quoniam non alia ratione servatæ sint, quam mera & gratuita bonitate Dei. Et hæc doctrina etiam debet accommodari ad tempus nostrum. Nam minime sperandum est, ut Deus ita constituat in mundo suam Ecclesiam, ut omnes ad unum Spiritu ejus regeniti consentiant in veram pietatem: sed colligit undique Ecclesiam suam, sic tamen ut semper appareat gratuita ejus misericordia, quoniam eruit reliquias duntaxat. Sequitur,

8. Ecce ego reducens ipsos è terra Aquilonis, & congregabo eos ex lateribus terræ: in ipsis erunt cæcus & claudus, prægnans & puerpera simul: cœtus magnus revertentur huc.

Confirmat rursus Propheta eandem sententiam, sed cum amplificatione. Neque enim tantum præfatur hoc oraculum profectum esse à Deo, sed ut oratio sit vehementior, inducit ipsum Deum loqueotem: *Ecce ego*, inquit, *reducam eos è terra Aquilonis.* Nam Babylon erat Septentrionalis respectu Judææ, ut satis notum est. Et quoties loquuntur Propbetæ de redemptione populi, semper nominant Aquilonem: sicuti etiam quum minantur populo, dicunt exercitum venturum, vel calamitatem ab Aquilone. Prius redempti fuerant à Meridie. nam talis erat situs Ægypti. Nunc autem Propheta significat Deum instructum esse potentia ad ipsos iterum liberandos è terra Septentrionis. Postea adjungit, *Et congregabo eos ex lateribus terræ.* Per *latera* intelligit extremas plagas, vel angulos, ut ita loquar: quasi diceret, dispersionem non præcludere viam Deo, quin populum suum colligeret. Et eadem fere promissio legitur apud Mo-
Deut. 30. vers. 4. sen, quanquam aliis verbis, Deuter. 30. capite, Si dispersus fueris per quatuor mundi cardines, ego tamen inde te colligam. illic significat Deus locorum distantiam non fore obstaculo, quo minus simulatque advenerit opportunum tempus, Ecclesiam suam rursus colligat ex dissipatione. Ergo videmus quid intelligat Propheta noster per *latera terræ.* Vult enim occurrere dubitationi, quæ constringere poterat populi animos, quum quisque videret corpus lacerum, & deforme: He, qui fieri potest, ut iterum coalescamus? Ergo Propheta ut medeatur huic dubitationi dicit Deum adfore, ut populum rursus congreget, non tantum ab uno angulo, sed ab omnibus extremis terræ plagis. Postea alio genere loquendi ostendit nullum impedimentum tam validum fore, quod non superetur Dei potentia, ubi volet populum suum redimere: *Cæcus*, inquit, *& claudus, prægnans & puerpera venient.* Cæcus non potest movere pedem, quin possit impingere vel cadere. Ergo cæci ad iter faciendum minime idonei sunt, quia nulla via illis aperta est: claudi autem ubi via ostensa est, non possunt progredi. Deus autem promittit talem fore liberationem, ut claudi etiam & cæci futuri sint ejus participes. Adjungit *prægnantes & puerperas.* Gravida mulier propter uteri pondus non potest longum iter suscipere: puerpera autem vix audet egredi ex lecto, quia debilitata est ex partu, deinde ex fluxu sanguinis. Deus autem promittit commonem fore reditum & mulieribus gravidis & puerperis: acsi diceret non esse metuendum, quin Deus restituat suam Ecclesiam, quia virtus ejus superior erit omnibus mundi impedimentis, ut confirmet debiles, ut dirigat cæcos, ut sustineat claudos, ut confirmet gravidas & puerperas. Etsi autem Propheta hunc sermonem direxit ad veterem populum, continet tamen perpetuam doctrinam. Nam hinc colligimus, præpostere facere eos qui æstimant Dei gratiam ex præsenti statu. Atqui hoc vitium fere ingenitum est nobis à natura, & occupat sensus omnes nostros: hinc tanta diffidentia: & hinc fit etiam, ut omnes Dei promissiones apud nos frigeant, vel saltem carrant justa æstimatione. Nam quum Deus aliquid promittit, circumspicimus quomodo fieri possit: & si mentes nostræ non comprehendunt modum & rationem, repudiamus quicquid profectum est ex ore Dei. Ergo assuescamus huic Propheticæ doctrinæ: & quum videtur Deus promittere quod omnem fidem superat, imo quod minime consentaneum nobis videtur, occurrat nobis hæc doctrina, quæ sit vice correctionis ad subigendas illas pravas cogitationes, ne præoccupati falso illo & præpostero judicio, injuriam faciamus Dei potentiæ. Ergo si salus quam Deus nobis promittit, est incredibilis quoad sensum nostrum, meminerimus in ejus manu esse positum, ut cæci videant, claudi ambulent, gravida & puerpera iter faciant, quia superabit sua virtute quicquid erit obstaculorum, ita ut sentiamus fidem nostram victricem, modo discamus inniti Dei promissionibus, & firmi in illis manere. Nunc intelligimus quisnam sit hujus vaticitiis usus. Postea adjungit,

9. Cum fletu venient, & in precationibus (*vel miserationibus*) adducam eos, deducam ad fluvios aquarum, in viam rectam, ubi non impingent: (*non impingent in ea, ad verbum, sed* בה *debet resolvi in relativum*) quoniam ero Israëli in Patrem, & Ephraim primogenitus meus ipse.

Prosequitur adhuc Propheta superiorem doctrinam, sed adjungit, quamvis cum fletu profecti sint in exilium, tamen id non fore impedimento, quo minus ipsos Deus iterum in patriam reducat. Nam adversative accipio principium hujus versus, *In fletu venient.* quidam exponunt fletum pro vehementia gaudii: nam gaudium sicuti dolor aliquando lachrymas elicit. Existimant igitur quidam hunc esse sensum Prophetæ, tantam fore populi lætitiam in reditu, ut lachrymæ ipsis defluant ex oculis. Sed potius existimo Prophetam docere quod postea repetitum fuit
Psal. 126. vers. 6. in Psalmo, Euntes ibant & flebant, venientes autem venient cum exultatione gestantes manipulos suos. Comparat enim Propheta sationi populi exilium, quia nisi granum quod projicitur in terram mortuum fuerit, manet aridum, & non germinat. interitus ergo grani causa est productionis. Sic etiam oportuit populum exilio ita projici in terram, ut illa calamitas esset species interitus. Dicit autem Judæos quum projicerent semen, hoc est, quum traherentur in exilium mortificandi illa Dei ferula, *venisse cum fletu*: postea autem reversos fuisse cum lætitia in melle, quum scilicet data illis fuit redeundi libertas. Sic etiam Propheta de Judæis adversative loquitur, meo judicio: ut subaudiatur particula *quamvis.* postea, *in precationibus* (vel, in miserationibus) *adducam eos.* תחנונים, quod fere semper legitur in numero plurali, significat precationes, sed nescio an sensus ille conveniat præsenti loco: & apud Zachariam, quia conjungitur Zach. 7. hoc nomen cum gratia, nec potest illic secus exponi, vers. 9. quam de misericordia, potius inclino in hanc sententiam, nempe fletum populi non fore obstaculo, quominus tandem Deus ejus misertus, fletum & lachrymas convertat in risum & gaudium. Si quis tamen malit vertere precationes, sensus non erit adeo absurdus, quod scilicet ubi inceperint supplices agnoscere peccata sua, & confugere ad Dei misericordiam, tunc venturum tempus lætitiæ. Sed fletus tunc restringi debebit ad dolorem cæcum, quia Judæi nondum subacti fuerant, ut se Deo subjicerent,

ut

ut humiliarentur, & ut resipiscerent. Fletus ergo accipiendus erit in malam partem pro dolore illo, qui mixtus erat contumaciæ, quum fremerent adversus Deum: precationes autem accipiet Propheta pro signo resipiscentiæ, quod scilicet ubi Judæi multis & diuturnis malis vere convicti fuerint, tunc incipient confugere ad Dei misericordiam. Sed videtur potius opponere Dei miserationes tristitiæ, qua constricti fuerant Judæi, quum Deus absconderet illis suam gratiam. Addit, *Adducam eos ad fontes aquarum*, Psal. 84. vers. 7. quemadmodum etiam dicitur in alio Psalmo, quod reperient fontes & puteos in itinere. Iter enim futurum erat Judæis per desertum, & per steriles arenas: ita putabant se esse in alio mundo quum agerent in Chaldæa. Tenebant enim memoria quam vasta esset illa solitudo, per quam transierant. Hinc ergo desperatio, ut non admitterent ullum solatium quoties Prophetæ ipsos hortabantur ad bene sperandum. Ergo promittit Deus se fore illis ducem itineris, ita ut non indigeant aqua in squalido deserto & arido. Et videmus Prophetam multis figuris unum & idem semper velle, nempe quæcunque obstacula nobis occurrent, quo minus gustemus Dei bonitatem, & amplectamur promissiones salutis nostræ, fore evanida, si reputemus immensam Dei potentiam. *Deducam* ergo *eos per fontem aquarum*: deinde, *per viam rectam in qua non impingent*, quemadmodum dicitur qua- Jesa. 40. vers. 3. dragesimo capite Jesaiæ, Vox clamans in deserto, Parate viam Jehovæ, rectas facite semitas Dei nostri: omnis vallis exaltetur, & mons humilietur, ut sint aspera in plana, & obliqua vel tortuosa in vias rectas. Videmus ergo ut conveniant inter se hæc vaticinia, & debeant referri in eundem finem: Deum scilicet fore superiorem omnibus impedimentis quum volet servare Ecclesiam suam, quia utcunque conspirent omnia elementa adversus salutem piorum, Deus tamen poterit uno flatu discutere omnia, & altissimos quoscunque montes qui occurrent dejicere, & dare fluvios per desertum & terram aridam, & ita quicquid videtur contrarium esse saluti Ecclesiæ poterit cogere in suum obsequium. Postea adjungit, *Quia ero Israëli in Patrem, & Ephraim primogenitus meus ipse*, vel erit: nam הוא accipitur loco verbi, ut satis notum est. Hic causam & quasi fontem demonstrat Jeremias liberationis, de qua hactenus disseruit, nempe quia Deus se reconciliabit populo. Significat autem simul causam exilii & omnium malorum hanc fuisse, & fore, quod Deum provocaverant suis sceleribus. Deus quidem adoptaverat sibi populum illum in persona Abrahæ, sed significat Propheta quandam interruptionem quum dicit, *Ero*, non quod abolitum fuerit unquam fœdus Dei. Fuit igitur semper Pater Ecclesiæ suæ, sed non apparuit effectus hujus adoptionis: & quantum attinet ad speciem externam, potuit videri populus quasi rejectus, sicuti etiam dictum fuit aliis locis: quo etiam spectat illud Hoseæ capite secundo, Dicam non con- Hosea 2. vers. 23. sequutæ misericordiam, Tu consequuta es misericordiam: dicam non dilecto, Tu es dilectus populus. nam nihil aliud potuit status de Judæis quum expulsi essent è sua hæreditate, nisi prorsus esse alienos à Deo. Tunc ergo non fuit illis Pater, hoc est, non apparuit: quia non comprobavit se Patrem esse re ipsa, & experimento. Ergo cœpit esse in Patrem quum populus reversus est in patriam, quia refulsit Dei gratia, quæ ad tempus quodammodo extincta fuerat.

Da omnipotens Deus, quando toties dignatus es recipere in gratiam veterem populum tuum, quamvis ejus obstinata malitia usque ad extremum provocatus, ut etiam hodie miserearis nostri, & quamvis dignissimi simus æterno interitu, tamen ut nobis manum porrigas, & affulgeas cum testimonio gratiæ tuæ, ut possimus hilari animo te invocare Patrem, & bene sperare semper de tua misericordia, donec colligamur in regnum illud ubi tibi in solidum reddemus sacrificium laudis, & nobis gratulabimur quum potiti fuerimus æterna illa vita, quæ parta nobis fuit sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA DECIMA-NONA

IN

J E R E M I A M.

HEri exposuimus quomodo cœpit Deus *esse Pater Israëlis* quum reduxit illum ab exilio. duravit quidem ipsius Dei respectu adoptio, quemadmodum dictum fuit, sed quoad opinionem hominum erat abolita. Cœpit igitur de integro ita colligere populum suum, ut omnes effectu ipso cognoscerent ipsum esse Patrem. Adjungit postea *Ephraim sibi fore primogenitum*. Minime dubium est, quin per synecdochen Ephraim hic sumatur pro toto populo. neque hic Propheta discernit inter duo regna, sed complectitur etiam Tribum Jehudah sub nomine Ephraim, ut multis locis hoc satis receptum est. Sed tamen hoc observare convenit, aliquando Ephraim sumi pro omnibus posteris Abrahæ, aliquando pro regno Israël, & ita etiam synecdochica est loquutio: aliquando proprie accipitur pro ipsa Tribu. ubi autem distinguitur regnum Jehudah à regno Israël, tunc Ephraim comprehendit decem Tribus. Sed hoc loco Propheta noluit ponere discrimen inter Tribum Jehudah, & alias decem Tribus: quia hoc esset absurdum, Ephraim primogenitum vocari. scimus enim rejectum fuisse Ephraim respectu Davidis: quemadmodum dicitur Psal. 78. v. 67, 68. Psalmo 78. Et detestatus est Deus Tribum Joseph, & tabernacula Ephraim rejecit: elegit Tribum Jehudah quam dilexit. illic fit comparatio inter regnum Jehudah, quod Deus ipse erexerat addita promissione, & inter regnum Jarobeam, quod erat quasi adulterinum. illa enim defectio à familia Davidis abruperat corpus Ecclesiæ, ita ut esset quasi mutilum. Hac ratione dicitur reprobatus fuisse Ephraim, quia scilicet Deus solum Davidem & ejus posteros paterno favore amplexus est: & de tota illa familia dictum fuit, Iple invocabit me, Psal. 89. vers. 27. Pater meus tu: ego vicissim dicam, Tu es filius meus. Hoc igitur loco Propheta generaliter de populo ipso loquitur, quasi diceret fuisse illud discrimen temporale quum decem Tribus crearunt sibi proprium Regem: nunc vero fore unicum populum, ita ut Ephraim nihil amplius differat à Jehudah. Hoc eodem sensu dicitur Hoseæ 11. ca- Hos. 11. vers. 1. pite, Quum puer esset Israël dilexi eum, & ex Ægypto vocavi filium meum: illic nominat Propheta Israëlem, tamen non designat solas decem Tribus: sed constituit in primo gradu Davidem cum suis posteris. Siquidem Prophetæ dum vaticinantur de restitutione Ecclesiæ, oculos suos dirigunt ad primam unitatem, quam Deus statuerat in populo illo. nam ille erat genuinus status, ut colerent fraternam societatem inter se Tribus duodecim. Nunc ergo tenemus cur Propheta dicat *Ephraim esse primogenitum Dei*. Sed posset hic quæri, quorum respectu ita vocetur: nam probabile est alios esse filios Deo, si Ephraim inter ipsos est primogenitus. Sed ratio illa non

Matth. 1. vers. 25. Rom. 8. vers. 29. satis firma est: dicitur enim Maria peperisse filium suum primogenitum, qui tamen fuit unicus. alibi vocatur Christus primogenitus respectu omnium fidelium, Ut esset primogenitus inter multos fratres. sed Maria unicum duntaxat filium peperit. Ergo nomen primogeniti non demonstrat alios deinde sequi, secundum, & tertium suo ordine, sed possemus dicere Ephraim vocari Dei primogenitum, Gentium respectu, quæ tandem consortes fuerunt gratuitæ adoptionis. sumus enim filii Abrahæ, quia insiti sumus per fidem in electum populum. sed illa etiam solutio videtur mihi arguta potius quam solida. Simpliciter igitur ita interpretor, Ephraim vocari primogenitum, quia posthabitis cunctis Gentibus, Deus populum illum dignatus fuerit eligere. Hoc ergo pertinet ad singulare privilegium seminis Abrahæ: quia quum unum esset humanum genus, Deus sibi Abraham & ejus posteros voluit eligere & adoptare. Nunc sequitur,

10. Audite sermonem Jehovæ Gentes, & annunciate in insulis è longinquo, & dicite: Qui dispersit Israël congregabit eum, & custodiet tanquam pastor gregem suum.

Pluribus verbis insistit Propheta in testanda redemptione, quæ erat omnium opinione incredibilis, præsertim quum tot anni elapsi essent. fuit enim quasi ætas humanæ vitæ, quum populus demersus esset in Chaldæa tanquam in sepulchro per septuaginta annos. Diuturnitas igitur ipsa potuit spem reditus præcidere: ideo non mirum est si Propheta noster ita magnifice prædicet reditum populi. Exclamat igitur, *Audite Gentes sermonem Jehovæ*: deinde quasi Dei mandato mitteret huc atque illuc præcones ad promulgandam illam gratiam, *Ite*, inquit, *& annunciate per insulas remotas*. His autem verbis significat liberationem populi fore insigne documentum potentiæ Dei, quod celebretur per omnes populos. nisi hoc fuisset dictum, spes populi sua debilitate fluxisset, ac redacta esset quasi in nihilum. Sed quum haberent vaticinium Jeremiæ de memorabili Dei gratia, hæc non vulgaris erat consolatio, Deum scilicet ita fore populi redemptorem, ut virtutem suam exereret quæ conspicua foret etiam remotis gentibus, imo cujus fama perveniret usque ad regiones longinquas. nam per Insulas Prophetæ significant regiones transmarinas: ita Judæis Italia, Hispania, Græcia, Gallia fuerunt insulæ. Ergo insulas remotas hic Propheta vocat omnes plagas mundi, quæ procul distabant à Judæa, & quæ erant etiam transmarinæ. Postea adjungit, *Qui dispersit Israëlem congregabit eum*. Hæc sententia confirmat spem liberationis: quoniam Deus potuit facile redimere populum suum, quum scil. exilium illud pœna esset inflicta ejus manu. Si Chaldæi adepti fuissent victoriam proprio Marte, poterat conjicere populus actum esse de salute sua. Deus ergo hic populum hortatur ad bene sperandum, quia possit sanare plagas quas ipse inflixit: quasi diceret, Ego sum qui vos expuli in exilium, an ego non potero vos reducere? si tracti essetis hostium virtute, nunc jaceretis absque fiducia salutis: sed quum nihil vobis acciderit nisi justo meo judicio, misericordia afferet remedium omnibus malis vestris. Colligit ergo Deus sibi facilem fore liberationem, quoniam Chaldæi non quicquam consequuti sint propria virtute, sed quantum ipsis permisit quum vellet castigare populum suum. Ratiocinatur igitur à contrariis, quod si dispersit, poterit ipse congregare. nam si arbitrio vel libidine hominum dispersi fuissent Israëlitæ, poterat videri eorum salus esse extra Dei manum: sed quum castigasset, poterat sicuti nuper dicebam, plagas manu sua inflictas sanare. Hinc autem colligitur utilis doctrina: quia Propheta invitat populum ad resipiscentiam ubi admonet Deum fuisse qui dispersit: nisi enim hoc cognitum fuisset, ac persuasum, non poterat confugere miser ille populus ad Dei misericordiam, nec poterat in ipsum respicere, nec adjicere animum ad fiduciam liberationis. necesse igitur fuit pœnitentiam ordine præcedere, ut posset amplecti populus oblatam sibi salutem. Hæc ratio est cur dicat Propheta *Deum fuisse qui dispersit Israëlem*. Ratiocinatur quidem, ut dixi, à contrariis: sed non dubium est quin hæc sententia exhortationem contineat, de qua nunc tracto, ut scilicet populus sentiat se justas pœnas dedisse: quoniam non fortuito, neque libidine hostium, sed justo Dei judicio in exilium fuerit ejectus. Sequitur, *Et custodiet tanquam pastor gregem suum*. Propheta his verbis docet non momentaneam fore Dei gratiam, sed liberationem fore initium continuæ salutis usque ad finem. & hoc cognitu valde necessarium est: quid enim prodest nobis, semel fuisse à Deo redemptos? nam hoc modo salus nostra esset evanida. Sed quum audimus in hunc finem nos liberari à Deo ex tyrannide hostium, ut prosequatur erga nos suam gratiam, & sit perpetuus custos, & pastor noster, hæc solida est materia fiduciæ. Hæc igitur ratio est cur Propheta postquam de redemptione populi disseruit, simul adjungat *Deum fore pastorem*, nempe ut populum perpetuo conservet. Sequitur,

11. Quia redimet Jehovah Jacob, & redimet è manu (*est quidem aliud verbum, sed idem significant* גאל *&* פדה *redimet è manu*) potentis (*vel robusti*) præ ipso.

Prosequitur eandem doctrinam: prius ostendit non fore difficile aut laboriosum Deo, populum suum redimere: nunc dicit, *Ipse ergo Jehovah populum suum redimet, & redimet è manu potentioris*. Rursus occurrit dubitationi Jeremias, quæ poterat dejicere animos piorum. nam semper hæc cogitatio versata fuit ante ipsorum oculos, Quomodo nos redimeret Deus? nam potuit compescere Chaldæos: atqui dominantur nunc in toto Oriente: hæc monarchia est veluti gurges quo absorptus fuit totus orbis noster. quum ergo eousque extulerit Deus Chaldaicam potentiam, sumus desperati. poterant ergò dum conferrent cum omnibus remediis malum illud, animos despondere. Sed Propheta hic confirmat quod nuper dixerat, Deum scilicet fore potentiorem Chaldæis, & omnibus aliis hostibus: acsi diceret, Quamvis robusti sint hostes vestri, & sitis oves in faucibus luporum, tamen nihil Deum impediet, quo minus vos redimat. Et in hunc finem sæpe Deus apud Prophetas suos dicit, Gratis venundati estis, & Psal. 52. vers. 3.
absque pretio redimemini: quasi diceret, Ego non sum obstrictus Chaldæis: neque enim vos vendidi quasi mihi certa sit cum illis pactio: sed vendidi vos propter peccata vestra: quantum ad ipsos, nullo pretio me obligarunt: ideo ne quid vos terreat, quasi me invito possint obstare vestræ liberationi. quare? nihil enim est penes ipsos juris: itaque modo tantum detis gratiæ meæ locum, hoc robur quod est tam formidabile, hostium vestrorum nihil morabitur vestram redemptionem. Hæc ratio est cur exprimat Chaldæos potentiores ac robustos esse præ Israëlitis. Et hæc etiam doctrina non parum utilis hodie nobis est: quia si respicimus quantæ sint vires hostium nostrorum, statim obruet animos nostros desperatio:

speratio: sed succurrat nobis hæc promissio, ubi testatur Deus se ita fore liberatorem populi sui, ut potentia hominum nihil obstet, neque moretur opus ejus. Sequitur,

12. Et venient, & laudabunt in excelso Sion, & confluent ad beneficentiam Jehovæ, ad triticum, & ad vinum, & ad oleum, & ad gregem pecudum (*ad verbum, filios ovium*) & armenti, (*vel pecoris: distinguit oves, & arietes à bobus, & vaccis*) & erit anima eorum quasi hortus irriguus, & non adjicient ad dolendum (*vel lugendum*) amplius.

Dicit venturos, *ut canant laudes in excelso Sion*, quibus verbis promittit Jeremias Templi restitutionem: & alioqui reditus in patriam Judæis non erat magni momenti, imo utilius illis fuisset manere in Chaldæa, si tantum attenti fuissent ad quietem, ad opes, ad delicias. scimus enim quanta fuerit & fœcunditas, & amœnitas Chaldææ. Ergo quantum attinet ad usum terrestris & caducæ vitæ, commodior erat Judæis illa habitatio: sed reditus in patriam maxime expetendus fuit, ut separati essent à profanis gentibus, & pure Deum colerent, & sic habitarent in hæreditate promissa, ut interea essent in mundo peregrini, & respicerent ad cælestem quietem. Ergo quicquid hactenus dictum fuit de populi reditu, fuisset frigidum, nisi addita fuisset promissio de restituendo Dei cultu. Et simul ad gratitudinem Israëlitas hortatur quum finem demonstrat liberationis, nempe *ut canant laudes in excelso Sion*. Scimus quidem Templum fuisse conditum in summitate illius collis: sed Propheta excelsum nominat, quoniam libera fuit gratiarum actio postquam reversi sunt Judæi in patriam. quum enim agerent in exilio, fuerunt tan-
Psal. 137. vers. 4. quam muti. Ideo dicitur in Psalmo, Quomodo cantabimus canticum Deo in terra aliena? & poterant esse adhuc timidi post reditum nisi data fuisset illis plenior libertas. Hoc igitur beneficium nunc designat Propheta quum dicit celebraturos *Dei gratiam in excelso Sion*, non in obscuro aliquo angulo, sed ita ut vox eorum possit longe & late exaudiri. Adjungit, *Et confluent ad beneficentiam Jehovæ, ad triticum, vinum, & oleum.* Notanda est loquendi forma, quæ passim occurrit apud Prophetas. describunt enim regnum Christi pro rudis populi captu, & ideo proponunt externas imagines: quemadmodum ubi agitur de regno Christi, fit mentio auri, argenti, omne genus opulentiæ, magni splendoris, & magnæ potentiæ. Scimus enim non posse humano sensu statim comprehendi quod est extra & supra mundum. nam sumus hic quasi in ergastulis inclusi: non loquor de corporibus nostris, sed dum peregrinamur in terra non possumus mentes nostras sursum attollere, ut penetremus usque ad cælestem Dei gloriam. Quum ergo regnum Christi spirituale sit ac cæleste, non potest comprehendi humanis mentibus nisi paulatim attollat suos, sicuti facit. Hæc igitur ratio est cur Prophetæ depinxerint regnum Christi ita ut conferant terrenis imperiis. deinde scimus hoc fuisse peculiare veteri Testamento, ut Deus obtegeret umbris quod postea in Euangelio clare patefactum est: in Christo aperti sunt nobis cæli. Ergo nunc hæc doctrinæ forma non tantum supervacua nobis esset, verum noxia: quia nos à cælesti felicitate retraheret. debemus enim distinguere inter nostrum & veteris populi statum. Paulus admonet illos fuisse tan-
Galat. 3. vers. 23, 24, 25. quam pueros sub pædagogo, & sub Legis custodia: nos autem esse jam ætatis adultæ, ideo servitutem illam cessasse adventu Christi, sub qua oportuit Patres degere. Quamvis David præditus esset singulari Spiritus gratia, tamen continuit se intra suas metas: quia sciebat Deum velle tunc gubernare Ecclesiam suam ita ut puerilis esset doctrinæ modus. Nunc autem postquam adolevimus in Christo, cessarunt figuræ istæ, & externæ imagines. etsi enim pietas habet
1 Tim 4. vers. 8. promissiones tam præsentis quam futuræ vitæ, teste Paulo, nos tamen supra elementarem illam doctrinam assurgere oportet. Ergo quum Prophetæ vinum, & oleum, & triticum fidelibus promittunt, volunt paulatim, & per gradus attollere eorum mentes pro ratione, vel pro captu puerilis ætatis. Et hoc diligenter notandum est, quia multi profani homines dum legunt tales sententias existimant populum illum addictum fuisse duntaxat præsentibus deliciis, & Judæos omnes fuisse tanquam ventris sui mancipia, & à Deo saginatos tanquam porcos, vel boves. Illa autem opinio prorsus detestabilis est, quia non modo facit gravem injuriam sanctis Patribus, quorum fuit eadem spes quæ nostra est: quoniam semper aspirarunt in æternam hæreditatem, sicuti admonet *Hebr. 11. vers. 13.*
Apostolus, dum peregrinati sunt in mundo: sed dissipat corpus Ecclesiæ: deinde extinguit gratiam Dei, quæ viguit jam olim à multis seculis, quasi demum Christi adventu Deus cœpisset hominibus proponere salutem æternam. Sed tenendum est, sanctos Patres non fuisse tam bruto sensu, ut metas sibi fingerent in hoc mundo. sciebant enim se ideo divinitus fuisse adoptatos, ut fruerentur tandem cælesti vita: ideo vocarunt se peregrinos. Jacob qui diu habitaverat in terra Chanaan, dicit tamen totam vi- *Genes 47. vers 9.*
tam suam fuisse peregrinationem continuam & Apo- *Hebr. 11. vers. 13.*
stolus hoc prudenter observat quum dicit ideo agnitos fuisse à Deo pro filiis, quia non erant defixi in hoc mundo. Sanctis ergo Patribus eadem [illegible] tiam erat quam hodie concipimus ex Euangelio, sicuti illis communis idem fuit Christus. Sed discrimen est, quia Deus tunc gratiam suam proposuit sub figuris visibilibus, ideoque fuit obscurior, nunc autem figuræ illæ cessarunt, & Christus prodiit in medium, & apparuit nobis clarius. Ideo dixi hanc doctrinam prudenter debere in usum nostrum accommodari, ne scilicet appetamus saginam quum Deus nos ad participationem gratiæ suæ invitat: sed sciamus nos miseriores esse cunctis hominibus, si spes nostra inclusa esset in mundo. & tamen illo tempore hæc ratio docendi fuit valde necessaria, quoniam hoc postulabat reditus populi, sicut dictum fuit. Nunc ergo quum dicit, *Confluent ad beneficentiam Jehovæ, ad vinum, triticum, & oleum*, sciamus promitti aliquid melius, & præstantius quam victum, & saturitatem: sed quod spirituale est describi sub figuris, ut per gradus populus conscenderet ad spirituale Christi regnum, quod erat adhuc quasi implicitum umbris, & obscuritate. Postea addit, *Replebitur anima, & anima eorum erit tanquam hortus irriguus.* significat opulentiam fore perpetuam. Si contingat annus fertilis, fruges quidem tunc exuberant, & major est copia vini & tritici, quam pro communi usu: sed si fertilis sit unus annus, postea sequetur sterilitas quæ absorbeat omnes copias. idque frequenter contingit: quia homines sua ingratitudine quasi à se depellunt Dei benedictionem, ne continuo fluxu ipsos prosequatur. Sed Deus promittit hic *animas populi fore tanquam hortos irriguos*: quia scilicet non satiabuntur duntaxat ad exiguum tempus, sed ut nunquam sentiant inediam, vel famem, vel defectum. Et adjungit simul, *Non adjicient amplius ad lugendum.* Diversis loquendi formis eandem rem confirmat: sed summa huc redit, ubi liberatus fuerit Dei populus, continuam fore Dei benedictionem, ita ut non obnoxii sint fideles communibus hominum miseriis. scimus enim qualis sit nostra conditio in hoc mundo: quia in singulas horas, imo fere in singula momenta mutatur gaudium in dolorem, risus in lachrymas.

Sed

Sed Deus hic promittit se ita fore propitium Ecclesiæ suæ ut habeat perpetuam materiam gaudii. quomodo autem hoc fiat non facile capimus: quia etsi Deus palam in Christo nobis explicuit thesauros cælestis vitæ, tamen semper reptamus in terra. hinc fit, ut non assequamur quid valeant sententiæ quæ loquuntur de vera & solida felicitate piorum. Sic tamen in summa habendum est, gaudium nostrum perpetuum esse: quia quicquid malorum nobis accidat, Deus tamen affulget nobis per suam gratiam, & ita cedunt omnia nobis in bonum, & fiunt adjumenta salutis nostræ, sicuti dicit Paulus 8. capite ad Romanos. Et ita non desinimus gloriari in miseriis & afflictionibus, ut idem tractat cap. 5. & audemus etiam insultare tam frigori, quam calori, nuditati, & aliis omnibus miseriis usque ad mortem ipsam. Sed tenendum etiam est, regnum Christi inchoatum esse duntaxat in nobis, & reliquo mundo: ideo non esse mirum, si tenuiter gustemus hæc beneficia, quæ tam magnifice Prophetæ extollunt. Ergo si tentatio nobis obrepat quoties Deus asperius nos tractat quam vellemus, Quid hoc sibi vult? si esses unus ex filiis Dei, an non ageret tecum indulgenter sicuti promisit? ubi illa copia tritici, vini & olei, quum tu sæpe esurias? tenuiter semper victites, nec tamen quicquam appareat melius tibi in crastinum, quum nunc spolieris, nunc venias in regionem aridam? & quæcunque possunt nos ad desperationem trahere: succurrat hæc doctrina, Quid, an regnum Dei in te perfectum est? si autem unusquisque nostrum videt se via ingressum esse regnum Dei, ne miretur nondum se esse participem omnium bonorum, quæ Deus pollicitus est suis. nam si debile est & infirmum Christi regnum in nobis, etiam æquum est, ut contenti simus illa tenuitate, quæ nos ad diffidentiam sollicitat. eadem est totius mundi ratio. Non mirum est igitur, si Deus non compleat quæ promisit sub Christi regno, quum homines non sint capaces tantæ beneficentiæ. scriptum enim est, Aperi os tuum, & implebo illud: nos autem constricti sumus nostris angustiis. hinc fit ut via tenues guttæ beneficentiæ Dei ad nos perveniant. Postea sequitur,

Rom. 8. vers. 28. Rom. 5. vers. 3. Psal. 81. vers. 11.

13. Tunc lætabitur virgo (*aut puella*) in choro, & adolescentes (*vel electi: sed significat proprie adolescentes*) & senes pariter, & convertam luctum eorum in gaudium, & consolabor eos, & exhilarabo à suo dolore.

Confirmatio est superioris sententiæ. dicit enim gaudium commune fore tam puellis, quam adolescentibus, & senibus ipsis. Loquutus est de perpetuitate gaudii: nunc autem extendit gaudium ad utrumque sexum, tam virilem quam muliebrem, & ad omnes ætates. De choro alibi diximus, non permitti scilicet lascivias in quibus sibi mundus indulget quum sese exhilarat. nulla enim est temperantia gaudii in profanis hominibus. Sed Prophetæ sumunt loquendi formas ex communi usu, & habebant etiam Israelitæ suos choros, ubi canebant Dei laudes: & hæc erat casta lætitia, imo etiam sacra: quia erat species cultus Dei. Cæterum, vulgariter loquitur Propheta hoc loco, ut multis aliis, quod tam puellæ, quam adolescentes gaudebunt in choro. Tandem subjicit, *Convertam luctum eorum in gaudium, consolabor eos & exhilarabo à suo dolore*. Hic Propheta avertit animos Israelitarum à præsenti malorum conspectu, ne scilicet dolor obtenebret eorum mentes, ita ut non gustent Dei bonitatem, quæ illis promittitur. Ergo ut sensus præsentium malorum non impediat ipsorum animos, quin occurrant Deo & amplexentur ejus gratiam: ideo loquitur de ipsorum dolore & luctu, & significat conversionem facilem fore in manu Dei, ubi placuerit ei populum suum redimere, & restituere in priorem statum, ita ut plena illi felicitas contingat sub Christo.

Da omnipotens Deus, quando adhuc sumus in cursu peregrinationis nostræ, quamvis nos participes facias tuæ bonitatis, quoad expedit nobis cognoscis, ut semper admoniti tuis beneficiis, longius aspiremus, & per omnes tentationes, quibuscum nobis certandum est, pergamus ad metam nobis propositam, ut scilicet speremus perfectam felicitatem in cælo, cujus scintillæ duntaxat exiguæ nunc ante oculos nostros emicant, & sic militemus sub vexillo Filii tui, ut non dubitemus paratum nobis esse triumphum in beata illa vita, quæ nobis parta est ejusdem sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA IN

JEREMIAM.

14. Et satiabo animam Sacerdotum pinguedine, & populus meus beneficentia mea salvabitur, dicit Jehovah.

Pendet hæc sententia à superiore. nam quod Propheta in genere de toto populo dixerat, nunc diserte exprimit de Sacerdotibus, quia erant quasi cor populi, & in illo ordine Deus repræsentabat gratiam suam ad vivum. Hæc ratio est cur Scriptura dum commendat benedictiones Dei erga electum populum, præcipue loquatur de Sacerdotibus, sicuti pluribus locis apparet. Significat igitur Propheta Deum promiscue quidem beneficum fore erga omnes Israelitas, sed peculiarem ejus gratiam fore conspicuam in Sacerdotibus, quia status populi absque Sacerdotio non erat perfectus. Sacerdotium enim erat quasi anima: vixissent ut Gentes profanæ, nisi Deus præscripsisset quomodo illic esset invocandus, & colendus. & quum fit mentio Sacerdotum, non tantum agitur de ipsis personis, sed extenditur gratia Dei ad totum populum. Non ergo simpliciter in gratiam Sacerdotum loquitur nunc Propheta, sed intelligit populum Dei beneficentia fore beatum, ut interim reluceat simul peculiare illud beneficium in Sacerdotio Levitico: quemadmodum in Psalmo legitur: specialis benedictio promittitur Sacerdotibus in communi piorum felicitate: & David quum sibi gratulatur de tot Dei beneficiis, quibus ornatus erat, commemorat quidem lautitias mensæ, & largam rerum omnium copiam: sed continuo post subjicit, Habitabo in domo Domini: qua clausula significat se pro nihilo ducere quicquid appetitur à profanis hominibus, nisi primas partes teneat cultus Dei. nam hæc etiam præcipua pars est nostræ felicitatis. quorsum enim vivimus, nisi ut dum percipimus tot beneficia ex Dei manu, discamus illum nobis esse Patrem & ejus liberalitate nos extimulari ad ipsum colendum, & simus prorsus addicti

Psal. 23. vers. 5. 6.

dicti verbo ejus? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ ubi dicit *Sacerdotes fore saturos pinguedine.* sicuti autem per vocem דשן, hoc est, pinguedinis, designat rerum omnium copiam, ita etiam quum dicit, *Satiabo*, hoc verbo comprehendit omnes partes liberalitatis divinæ. vertunt, Inebriabo: sed impropria esset ac nimis dura loquutio, inebriare pinguedine. sed רוה significat irrigare & satiare: unde etiam heri Propheta dicebat animam fidelium fore similem horto irriguo. nam illic erat רוה. Sic etiam nunc intelligit Deus se ita liberalem fore erga populum, ut nihil prorsus desit ad plenam affluentiam omnium bonorum. iterum de toto populo idem pronunciat, *Populus meus satiabitur beneficentia mea*, *inquit Jehovah.* Videmus ergo nihil promitti Sacerdotibus nisi respectu totius Ecclesiæ. Sequitur,

15. Sic dicit Jehovah, Vox in excelso audita est, lamentatio fletus amaritudinum, Rachel plorans super filiis suis noluit (*vel non admisit*) ad consolandum, (*hoc est, non admisit consolationem super filiis suis*) quia non ipsi: (*hoc est, quia non sunt*)

16. Sic dicit Jehovah, Prohibe vocem tuam à fletu, & oculos tuos à lachrymis, quia erit merces operi tuo, dicit Jehovah, & revertentur è terra hostis.

Hic priore loco describit Propheta orbitatem terræ quum spoliabitur omnibus suis incolis: deinde adjungit solatium, quod scilicet Deus captivos ab exilio reducet, ut terra iterum habitetur. Sed hæc est prosopopœia quam vocant, hoc est, fictio personæ: quia Propheta Rachelem excitat è sepulchro, & plorantem inducit. pridem erat mortua, & cadaver ejus consumptum, sed plus vehementiæ habet oratio quum tribuitur lamentatio fœminæ mortuæ, quam si dixisset Propheta fore tristem & lugubrem aspectum terræ, quoniam vasta erit & deserta: nam Rhetores inter præcipuas virtutes commemorant prosopopœiam, & Cicero ipse quum vult præcipere de summo splendore orationis, dicit nihil magis afficere auditores, quam dum excitantur ab inferis mortui. Propheta igitur quanquam non institutus fuerat in schola Rhetorum, Spiritus Dei instinctu sententiam hanc ornavit, ut scilicet efficacius penetraret in animos populi. Et hæc prosopopœia continet hypotyposin. adducit enim Judæos & reliquos Israëlitas in rem præsentem, neque tantum illis depingit calamitatem quæ instabat, & quæ jam aliqua ex parte contigerat: sed proponit ante oculos vindictam Dei quæ fuerat cognita in excidio regni Israël, quum primo quatuor Tribus in exilium fuissent abductæ, deinde totum Regnum perditum: & simul etiam proponit quod non putabant, neque metuebant Judæi, nempe cladem ultimam, & interitum regni Jehudah, & sanctæ Urbis. Dicit ergo, *Sic dicit Jehovah, Vox in excelso audita est, nempe lamentatio fletus amaritudinum.* Inducit Deum loquentem, quia Judæi quanquam viderant illam horrendam dissipationem fratrum suorum, securi
Amos 6. vers. 6. tamen manebant: & ideo conqueritur alius Propheta, quod nemo animum adjiciat ad cladem Joseph. videbant totam terram fere consumptam esse Dei vindicta, perinde acsi flagraret incendium omni ex parte: interea adhuc vacabant suis deliciis, quem-
Jesa. 22. admodum etiam illis exprobrat Jesaias. Hæc igitur ratio est cur Deus sententiam pronunciet: quia negotium erat cum hominibus prorsus stupidis. Ergo ut torporem illum expergefaciat Propheta, præfatur Deum esse qui hoc pronunciat. *Vox ergo audita est in excelso fletus:* quomodo? *Rachel*, inquit. Existimant interpretes hoc dictum fuisse, quia Rachel sepulta esset in Bethlehem: sed quia Joseph, hoc est, posteris ejus obtigerat sorte regio illa, mihi probabile est non respicere hic Prophetam ad sepulchrum Rachelis, sed ad sobolem: quia regio illa quam adepti erant qui ducebant originem ab ejus filio Benjamin vastata erat, ideo Rachelem inducit tanquam matrem totius regionis: & notum est, sub Tribu Ephraim comprehendi alias novem. nam frigidum est commentum de loco sepulturæ. *Rachel ergo plorans super filiis suis renuit consolationem, nempe quia non sunt*, hoc est, non potuit admittere consolationem. deerat enim argumentum quum deleta esset atque extincta ejus posteritas. Citatur hic locus à
Matth. 2. vers. 18. Matthæo, ubi narrat pueros infantes occisos fuisse jussu Herodis infra bimatum: dicit tunc fuisse impletum hoc vaticinium, nempe quod Rachel iterum fleverit super filiis suis. Sed facilis solutio est, quia Matthæus nihil aliud intelligit, quam idem accidisse adventu Christi quod pridem contigerat, quum scilicet redacta fuisset in vastitatem tota illa regio. Euangelistis enim propositum fuit tollere offendiculum quod nascitur ex novitate. scimus enim hominum mentes expavescere quum aliquid novum & inexpectatum, & nunquam ante auditum accidit. Ergo Euangelistæ in hanc partem sæpe incumbunt, ut quod Christi tempore accidit non terreat vel conturbet animos quasi novum & inopinatum: quia scilicet idem experti fuerant olim Patres. Et frustra se torquent interpretes, dum allegorice exponunt locum illum. nam Matthæus noluit quicquam detrahere ex vetusta historia: sciebat enim quo sensu hoc semel fuisset dictum. sed tantum voluit monere non esse causam cur Judæi expavescerent ad illam cædem, quia jam olim illa regio fuerat vastata & orbata omnibus suis incolis, acsi mater quæ fœcunda fuerat, omnes filios suos emitteret. Nunc ergo tenemus quomodo ad suum institutum accommodaverit Matthæus hanc sententiam Prophetæ. retinet proprium nomen Ramah, & locus etiam ita vocatus fuit: sed appellative potius sumitur, *quod vox audita fuerit in excelso*: quemadmodum heri vidimus, In excelso Sion. Editum igitur locum hic posuit Jeremias, quia luctus ille perventurus erat ad omnes plagas, quemadmodum vox edita in loco sublimi longius personat. Nunc etiam tenemus summam hujus sententiæ, quod scilicet regio quæ obtigerat filiis Benjamin redigenda esset in solitudinem, ita ut mater tanquam orbata filiis suis in luctu suo tabesceret, quia nihil poterat suppetere solatii quum totum illud genus esset deletum. Nunc sequitur promissio, quæ temperat gravitatem illius cladis. Et adversative legi debent duo isti versus, *Quamvis Rachel quum lugebit filios suos nullam habeat materiam solatii ad tempus*, tamen Deus ipsam consolabitur: & ita hortatur Judæos Propheta ad pœnitentiam priore versu, altero autem ad spem. oportuit enim Judæos præmoneri de horribili clade, ut agnoscerent Dei judicium: deinde oportuit erigi ipsorum animos fiducia. Nunc ergo Propheta jubet esse bono animo, quia ubi Rachel diu filios suos absque ullo solatio defleverit, tandem sensura sit Dei misericordiam. Deus ergo post diuturnum luctum sic consolabitur Rachelem, *Prohibe vocem tuam à fletu*: est deductum à בכה quemadmodum jam secundo loco posuerat hoc nomen, *lamentatio fletus amaritudinum*: sic etiam nunc repetit, *prohibe ergo vocem tuam à fletu*, hoc est, desinas conqueri, & flebiliter lugere mortem filiorum tuorum, *& oculos tuos à lachrymis.* sensus est, non fore perpetuum luctum Rachelis. Diximus induci personam mulieris mortuæ: sed hoc totum facere ad splendorem & vehementiam, ut scilicet Judæi quasi in rem præsentem adducti magis afficerentur. Sed si volumus reddere Prophetæ seorsum absque figura, sensus erit non fore perpetuum luctum, quia redibunt exules, & iterum habita-

habitabitur terra illa, quæ contigerat tam filiis Benjamio, quam filiis Joseph. Dicit, *Quia erit merces operi tuo*. Significat molestiam Rachelis tandem cessuram esse feliciter, ut aliquid utilitatis pariat. Apod Jesaiam dum queruntur fideles se absque spe ulla fuisse oppressos mœrore, Parturivimus, inquiunt, & peperimus ventum: significant his verbis gravissimos dolores se sensisse: postea adjungunt, absque fructu, quemadmodum si mulier parturiat cum maximo dolore & cruciatu, neque edat fœtum, sed abortum faciat, vel ejiciat molam, ut interdum contingit. Nam mulier quæ peperit lætatur, quemadmodum dicit Christus, quia natus est homo. Sed si mulier post longos dolores tantum ejiciat molam informem, aut aliquod monstrum, ille est cumulus doloris. Sic ex opposito dicit Propheta laborem Rachelis, hoc est, regionis illius non fore absque fructu. *Erit ergo merces operi tuo.* Hac eadem loquutione utitur Scriptura secundo libro Paralipomenon, ubi Azarias Propheta alloquitur regem Asa, Viriliter agite, & manus vestræ non debilitentur, quia merces erit operi vestro. Ergo per Opus intelligitur molestia, per Mercedem vero lætus & prosper successus. Summa est, quamvis tota regio ad tempus misere lugeat quum deserta erit, & nudata suis incolis, exitum tamen fore lætiorem, quia Dominus reducet exules, ut terra sit quasi mater numerosæ sobolis: atque ita se oblectet in liberis suis, vel in sobole. Si quis autem hoc ad satisfactiones trahere velit, prorsus se faciet ridiculum, quemadmodum Papistæ dicunt pœnis quas perpetimur redimi æternam mortem, & ita placari Dei vindictam, & satisfieri ejus judicio. Sed quum affirmat Propheta *mercedem fore operi*, non commendat fructum pœnarum quibus Deus castigavit populum, acsi essent satisfactoriæ, ut loquuntur: sed simpliciter admonet molestias non fore inutiles, quia tandem continget felicior exitus quam sperarent Judæi. Hoc autem est gratuitum Dei donum, ubi est merces operi nostro, hoc est, ubi miseriæ & clades quas nobis infligit, sunt adjumenta in salutem. Nam certe quicquid malorum perpetimur, testimonium est iræ Dei: paupertas, frigus, fames, sterilitas, morbus & alia omnia sunt totidem Dei maledictiones. Quum ergo merces est molestiis nostris, hoc est, dum pariunt nobis aliquam utilitatem & fructum, perinde est acsi Deus converteret tenebras in lucem. Nam naturaliter, ut jam dixi, omnes pœnæ sunt maledictiones. Deus autem promittit nobis se benedicturum, ita ut omnes pœnæ cessuræ sint in bonum & salutem, quemadmodum dicit Paulus 8. cap. ad Rom. Postea adjungit, *Redibunt è terra hostis*: quibus verbis significat restitutionem populi, ita ut Rachel iterum videat posteros suos habitare in terra promissa. Non est autem hic subtiliter disputandum an Rachel gavisa fuerit exilio suæ sobolis, an etiam luctuosa fuerit calamitas. neque enim Propheta, sicut dixi, vult hic docere an mortui conscii sint rerum nostrarum, sed figurate loquitur, quo vehementior sit oratio. Sequitur,

Joan. 16. vers. 21.

2. Chr. 15. vers. 7.

Rom. 8. vers. 28.

17. Et erit spes novissimo tuo, dicit Jehovah: & redibunt filii ad terminum suum. (*hoc est, in regionem suam*)

Explicat brevibus quidem verbis, sed satis aperte quod dixerat. nam semper memoria tenendus est ordo, quem notavi, quod scilicet posuerit Judæis ante oculos cladem ut sese humiliarent coram Deo: deinde spem fecerit reditus, ut certo statuerent Deum sibi fore propitium. Uno verbo utrumque nunc comprehendit, quum docet *spem fore novissimo* Nam vox ista duo membra in se complectitur, quod scilicet ad tempus lugebit tota regio: deinde quod vertentur lachrymæ in risum, & dolor in lætitiam. Si enim fluxisset continuo tractu felicitas populi, non quadraret vox ista Novissimi. refertur enim ad exitum. Ergo subest antithesis inter finem & inter principia. In summa, hic docet Jeremias triste illud tempus, quo Deus affliget populum suum patienter ferendum esse. Sed postquam jussit manere suspensis animis, proponit illis felicem exitum. Continet autem hic locus utilem doctrinam, ne metiamur gratiam Dei præsenti rerum aspectu: sed discamus suspendere mentes nostras & sensus, quum Dominus videtur nobis irasci, & quum objiciuntur nobis meri terrores, qui nos exanimente, ut scilicet foveamus in cordibus nostris spem ad quam nos hortatur Propheta, & distinguamus inter præsentem statum & inter finem. Et hac ratione etiam Apostolus in Epistola ad Hebræos dum hortatur fideles ad tolerantiam, dicit in præsentia semper ferulam esse asperam pueris, sed castigationem esse utilem, si finis spectetur: ita quum apprehendimus Deum nobis infestum, fieri non potest quin eum exhorrescamus, simul etiam cupiamus nos eripere ex ejus manu. Sed quemadmodum nuper dixi, debemus animos ad finem vel ad novissimum dirigere, sicuti hic locus docet. *Erit ergo spes novissimo tuo.* Sed posset hic moveri quæstio, an spes nulla fuerit intermedio tempore, quo Deus pœnam sumpsit de Judæis. Solutio facilis est, quia hic Propheta spem accipit pro materia spei. Si quis vocet spem actualem, vel in effectu positam, non repugno. Sed non dubium est quin significet omnes clades, quas perferent Judæi, tandem cessuras in salutem, & fore adjumento. Ita videmus spem accipi pro spei materia, ut diximus. Et seipsum Propheta explicat, quod scilicet *filii redibunt ad terminum suum*. Hic per synecdochen capitur terminus pro tota ditione: quasi diceret procul nunc abesse à patria, sed iterum redituros in patriam illam, quæ suis limitibus designata fuerat, nempe inter Euphratem, inter Ægyptum & mare, & Arabiam. erant enim illi quatuor termini. Postea sequitur,

Hebr. 12. vers. 11.

18. Audiendo audivi Ephraim transmigrantem, (*vel quum transmigravit, vel lamentantem, ut alii vertunt: dicemus postea de voce*) Castigasti me, & castigatus sum tanquam vitulus non edoctus: converte me, & convertar, quia tu Jehovah Deus meus.

Hic incipit clarius disserere Propheta de felici illo exitu: & ostendit pœnas quibus jam Deus castigaverat populum, & quibus adhuc paratus erat castigare tribum Jehudah, prorsus esse necessarias, acsi conferret medicinæ. Nam quamdiu proponimus nobis iram Dei, quemadmodum jam dictum est, necesse est nos refugere, quia cupimus bene nobis esse, & quicquid est adversum quantum in nobis est, procul rejicere conamur. Ergo nunquam pœnæ quas Deus infligit, nobis dulcescent, nunquam mitigabitur nostra tristitia in malis & rebus adversis, neque unquam placide subjiciemus nos Deo, nisi mentes nostras dirigamus ad fructum quem pariunt afflictiones & pœnæ. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium, quia Judæi semper obmurmurassent, Cur Deus non parcit nobis? cur non mitius nos tractat? Propheta igitur ostendit Deum consulere saluti suorum, ubi eos castigat: quia si indulgeret eorum peccatis, cresceret superbia & contumacia. Hæc igitur summa est verborum, & in hunc finem loquitur Propheta, ut agnoscant Judæi pœnas omnes, quæ alioqui acerbæ & graves erant, esse totidem medi-

medicinas, quibus necesse erat sanari spirituales eorum morbos. Dicit igitur, *Audiendo audivi Ephraim.* hoc participium מתנודד deducitur vel à נוד vel à נדד: est in Hithpael: sed vertunt simpliciter alii transmigrentem, alii lamentantem, Nam נוד significat moveri, significat errare, & transmigrare è loco in locum: significat etiam interdum conqueri, vel referre res adversas: quanquam sæpe refertur ad eos quibus propositum est solari miseros & lugentes. Siquis magis probet, Audivi Ephraim lamentantem, non contendo. nam sensus ille satis est probabilis. Sed potest etiam tam à נוד, quam à נדד sic deduci ut optime conveniat sensus iste, Postquam Ephreim in exilium ejectus fuit, hoc est, Factus est transmigrare, si ad verbum reddamus: hoc est, postquam Deus expulit Ephreim in exilium, id est, decem Tribus: postquam ergo Ephraim ita transmigravit, hoc est, tractus est in exilium, tunc cœpit dicere, *Castigasti me, & castigatus fui. eram enim vitulus indomitus. Ergo converte me, & convertar, quia tu Jehovah es Deus meus.* Non dubium est, quemadmodum jam dixi, quin Propheta hic velit compescere obstreperas illas voces quæ volitabant inter Judæos, quod Deus nimium rigidus esset ac severus. Ostendit non modo dignos esse gravissimis illis pœnis, quas patiebantur, sed hoc esse testimonium gratiæ Dei, quod velit purgare eorum vitia, quoniam alioqui in suis peccatis centies computruissent, nisi hoc modo Deus eos reduxisset ad sanam mentem. Interea proponit Ephraim in exemplum, ut Judæi placide sequantur fratres suos, neque tam iniquis animis ferant exilium, quia scilicet jam profuerat ipsorum fratribus. Quum ergo in reliquis Israelitis cernerent pœnam fuisse utilem, & protulisse optabilem fructum, debebant libenter se Deo subjicere, & non fremere adversus ipsum quum pœnas sumeret de ipsorum peccatis: sed scirent exilium illud esse quasi paternam ferulam. *Audivi* ergo *Ephraim*: quo tempore? notanda est circumstantia, nempe *postquam transmigravit*: quia quum essent quieti in patria, erant similes vitulis indomitis, ut sequitur. & Prophetæ etiam hac utuntur loquendi forma, quum loquuntur de Israelitis adhuc integris, vocant Boves saginatos & pingues, quia scilicet affluentia gignebat in ipsis luxuriam, & luxuria superbiam. Quum ergo ita calcitrarent adversus Deum,
Deut. 32. vers. 15. sicuti etiam dicitur in cantico Mosis, Populus meus postquam saginatus est, recalcitrevit. Quum ergo tales essent, oportuit ipsos domari: & huc tendit circumstantia temporis, quod scilicet Ephraim postquam violenter projectus fuit è patria, tunc cœpit agnoscere mala sua, & tangi aliquo studio resipiscentiæ: *Castigasti me*, dicit, *& fui eruditus.* יסר significat tam castigare quam erudire: dicitur enim de Principibus, de Consiliariis etiam, de patribus, de magistris. Castigandi verbum restrictius est apud Latinos: sed proprie יסר significat erudire: sæpe tamen accipitur pro castigare, quia illa est species erudiendi. Dicit ergo diverso sensu se fuisse castigatum, quia priore membro quum dicit *Castigasti me*, proprie hoc pertinet ad pœnas, quibus Deus humiliaverat populum suum. *Castigasti* igitur *me Domine*, deinde *eruditus fui*, hoc est, incipio nunc demum sapere: nam hæc est sapientia stultorum, saltem non obdurescere ad plagas: qui autem obdurescunt, illi sunt prorsus desperati. Illud est caput sapientiæ, agnoscere quid rectum sit ac sponte sequi. atqui nisi sponte nobis consulimus, tunc Deus nos castigat. Si autem morbi nostri sunt sanabiles, tunc convertimur ad Deum. Reprobi autem mordent & arrodunt frenum, & luctantur cum Dei judicio. Sed hic Propheta respicit solos fideles. nam pœnæ non habent eundem usum in omnibus indifferenter. Deus quidem homines ad resipiscentiam pœnis vocat, ita ut reprobi inexcusabiles reddantur, dum obstinant animos, nec proficiunt sub ferula. Sed peculiaris est usus pœnarum erga fideles, quia Deus non tantum ipsos verberat, sed simul Spiritu suo flectit eorum animos ad docilitatem, ut libenter se patiantur ab ipso corrigi. Ideo dixi hanc sententiam proprie spectare ad fideles, quum dicat Propheta *Ephraim fuisse eruditum* postquam pœnis admonitus fuerat, ut sese ad Deum converteret. Comperet se vitulo indomito: nam luxuriant vituli antequam assuefacti sint ad jugum. Talis est etiam hominum protervia donec eos subigat Deus variis pœnis, & reddat non tantum subjectos sibi, sed etiam morigeros. Proxima hebdomade ego legam Bezæ loco.

Da omnipotens Deus, quando semper abripimur post nostras vanitates, & ea est carnis nostræ & licentia, & insolentia, ut nunquam te sequamur, & nos subjiciamus tibi in obsequium: da, inquam, ut proficiamus magis ac magis sub tuis ferulis, neque obdurescamus pertinaciter, sed discamus etiam ubi rigidus appares, te prospicere saluti nostræ, ita ut ad te conversi studeamus in reliquum tempus glorificare nomen tuum, in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-PRIMA

IN

J E R E M I A M.

POstrema lectione Propheta narravit Ephreim donec castigatus fuit manu Dei, similem fuisse vitulo indomito, atque ita utile fuisse illi exilium. Jam adjungit, *Converte me, & convertar.* Videtur hoc secundum membrum male quadrare superiori. prius enim confessi sunt Israelitæ se fuisse conversos: nunc autem precantur ut Deus ipsos convertat. quorsum id? quia supervacuum videtur petere quod jam sumus adepti. Sed facilis est solutio. Primum responderi posset nunquam ita resipiscere homines, quin opus habeant continuo Dei auxilio. nam renovamur de die in diem, & paulatim renunciamus cupiditatibus carnis nostræ: neque uno die exuimus veterem hominem. Et quum de liberatione populi agit Propheta in Psalmo, dicit fuisse illud miraculum, quod præter
Psal. 126. vers. 1, 4. spem reductus esset populus, Facti sumus sicuti somniantes: postea addit, Converte Domine captivitatem nostram, nempe quia Deus non nisi exiguum numerum reduxerat ab exilio. Idem etiam contingit in spirituali conversione tam respectu totius corporis quam uniuscujusque membri. Convertimur, quemadmodum jam dixi, paulatim ad Deum, & per certos gradus: quia pœnitentia suos progressus habet. Itaque nihil erit absurdi, si dicamus Prophetam sub persona decem Tribuum petere à Deo, ut opus suum prosequatur. Sed quoniam solutio illa coacta esset, malo simpliciter ita interpretari, *Converte me, & convertar*: quasi diceret Propheta, Domine, hoc est tuum opus. Non igitur simpliciter in futurum tempus respicit, sed prædicat Dei gratiam: quasi diceret homines non proprio motu converti, sed Deum operari arcana Spiritus sui virtute, ut ipsos convertat. Prius confessi sunt Israelitæ se utiliter castigatos fuisse Dei manu, quia pœna ipsos erudierit: nunc autem adjungunt fuisse hoc singu-

lare Dei beneficium. Nam, ut tunc attigimus, pœnæ sunt electis & reprobis communes: sed finis & fructus pœnarum longe est diversus, quia reprobi magis ac magis obdurescunt, tantum abest ut se Deo subjiciant: electi autem subiguntur, quia Deus non tantum ferulis suis ipsos percutit, sed etiam intus ipsos domat, subigit eorum superbiam, denique flectit ad obsequium eorum corda suo Spiritu. Nunc ergo intelligimus consilium Prophetæ. nam sub nomine populi primum fatetur utilem fuisse pœnam, quæ divinitus fuerat inflicta: deinde adjungit hoc non factum esse hominum virtute, quia sponte redierint ad sanam mentem, sed Deum Spiritu suo flexisse eorum corda, ut non obdurescerent ad pœnas, neque contumaciter resisterent, ut plerumque fieri solet. hinc ergo colligimus pœnitentiam esse Spiritus sancti opus. Deus quidem nos invitat, atque etiam sollicitat externis mediis ad pœnitentiam. quorsum enim tendunt omnes pœnæ, nisi ut resipiscamus? Sed interea tenendum est, si tantum Deus nos castiget, nihil aliud quam reddi magis inexcusabiles, quia hoc modo nunquam poterit corrigi pervicacia nostra. Necesse igitur est accedere secundam gratiam, nempe ut intus subigat nos Deus, & revocet ad suam obedientiam. Hoc testatur Propheta noster quum dicit, *Converte me, & convertar:* quasi diceret, homines converti quidem ubi Deus ipsos admonet de suis peccatis, sed non facere id proprio motu, quia proprium est opus Dei. Et ideo adjungit, *Quoniam tu Jehovah Deus meus*, qua particula significat hoc privilegia Deum tantum suos electos dignari: quasi diceret non contingere hoc promiscue omnibus ut resipiscant, & se subjiciant Deo, ubi pœnas exigit de ipsorum peccatis, sed peculiare esse electo populo beneficium. Notanda igitur est ratio, qua sententiam suam Propheta confirmat: quia hinc colligimus discrimen manifestum esse inter electos & reprobos, quoniam alii calcitrant & ferociunt adversus stimulos, & obstinatis animis ruunt in suam perniciem: alii vero sese placide Deo subjiciunt: quia alii sunt reprobi, alii sunt electi. Nunc sequitur,

19. Quia postquam convertisti me, pœnituit me; & postquam cognitus sum mihi, (*vel ostensum fuit mihi, vel agnovi meipsum*) percussi femur meum: pudefactus sum, atque etiam confusus, quia tuli opprobrium adolescentiæ meæ.

Jam prosequitur Jeremias quod brevius attigerat, nempe ut ostendat pœnam quæ inflicta fuerat Israëlitis, non caruisse fructu. Et hæc doctrina apprime est utilis cognitu. Semper enim refugimus quicquid carni nostræ durum est: ita si esset in nostro arbitrio, nunquam nobis placerent Dei castigationes. Ergo necesse est respicere in finem, sicuti etiam
Hebr. 12. vers. 11. Apostolus in Epistola ad Hebræos nos admonet. Ubi autem perspicimus Deum consulere saluti nostræ, dum nos tractat paulo asperius, hinc mitescit ac lenitur dolor noster: præsertim ubi experientia hoc demonstrat, nobis utiles fuisse pœnas, gratulamur nobis, & gratias agimus Deo, quod non fuerit passus nos penitus in vitiis nostris perire. hæc ratio est cur pluribus verbis hanc doctrinam tractet Propheta. Dicit igitur, *Postquam convertisti me, egi pœnitentiam.* Confirmat quod jam dixit, nempe esse peculiare Dei opus quum resipiscit peccator, neque id posse humanis viribus adscribi: acsi homines proprio motu redirent in viam. Sed quomodo hoc factum est? *Postquam convertisti me.* Repetit ergo aliis verbis quod dixerat, sed ad confirmationem superioris sententiæ. Summa est, nunquam serio affectu nos tangi, ut displiceamus nobis in peccatis, donec converterit nos Deus ipse. Ergo hinc colligimus quam cæci fuerint Papistæ, qui dum loquuntur de pœnitentia, existimant hominem proprio arbitrio redire ad Deum: & hac de re maximum est nobis hodie certamen. Propheta autem totam hanc quæstionem breviter definivit. Nam quum ante dixisset non posse homines converti, donec eos convertat Deus, jam adjungit se hoc re ipsa expertum, quia scilicet nunquam sibi displicuerit populus, etiamsi graves pœnas Deus sumpserit de illius peccatis, donec conversus fuit non suo arbitrio, sed arcana operatione & instinctu Spiritus sancti. *Ex quo igitur convertisti me, pœnituit me.* Summa est, homines non posse concipere verum odium peccati, nisi Deus illuminet eorum mentes, & tangat animos. quid enim est conversio, de qua nunc loquitur Propheta? Renovatio mentis & cordis. nam petenda est definitio à contrario, ut loquuntur. Aversio quid est? nempe quum alienati à Deo sumus tam mente quam corde. Ergo sequitur nos converti ubi renovamur intelligentia, deinde corde, id est, affectibus. utrumque adscribit Propheta gratiæ Dei, quia dicit populum non ante sibi displicuisse in peccatis, quam fuerit conversus, id est, renovatus tam intelligentia quam corde. Quidam exponunt, Consolationem accepi: sed eorum error facile refellitur ex contextu, quia paulo post subjicitur, *Erubui, atque confusus sum.* Non dubium igitur est quin hic notetur displicentia, quum peccator terretur Dei judicio, ut vitiis suis renunciet. *Postquam cognitus sum mihi*, vel postquam mihi fuit ostensum, vel, postquam cognovi, simpliciter. Nam possumus accipere, Postquam datum fuit ipsi Ephraim, ut seipsum agnosceret, vel, postquam seipsum cognovit. Alii vertunt, Postquam cognitus sum: & ita idem esset sensus horum verborum, qui est verborum Pauli, Postquam agnovistis Deum, vel potius cogniti estis ab eo: ad Galatas. sed vereor ne illa expositio nimium sit arguta. Galat. 4. vers. 9. Malo igitur eos sequi qui exponunt, Postquam cognitus sum mihi, vel, postquam mihi res est patefacta. Non dubium est quin Propheta hic commendet Dei gratiam, quoniam fuerit ablatum velum oculis populi, vel quia sanatus fuerit à sua cæcitate: quasi diceret se diu fuisse excæcatum, quia placebat sibi in suis vitiis, & tota ejus anima demersa erat in stupore: quemadmodum scimus eos qui à Deo relicti sunt esse prorsus socordes, & quasi similes bestiis. Fatetur ergo Israël se ad tempus hoc modo fuisse stupidum, & mentem suam fuisse excæcatam. Ergo hic celebrat gratiam Dei, quod tandem oculos aperuerit. Neque enim hic prædicat suam virtutem, quemadmodum diximus, sed agnoscit hoc totum profectum esse à gratuita Dei bonitate quod resipuerit. Quemadmodum ergo sub nomine Conversionis complexus est renovationem totius animæ, ita nunc specialiter dicit se præditum esse recta intelligentia, quoniam Deus abstulerit velum quo obtecti erant ejus oculi, & lucem novam contulerit. Summa est, non ante fuisse tactum vero timore Dei, quam præditus fuit sana mente: sed interea testatur hoc se fuisse adeptum singulari Dei gratia. Videmus ergo ut Propheta sub nomine decem Tribuum agnoscat nihil esse positum in libero hominis arbitrio, sed sanam mentem & rectum cordis affectum esse opus Spiritus sancti. *Percussio femoris* significat mœrorem, qui contingit ex sensu timoris Dei. Quamdiu enim contemnimus Dei judicium, fieri non potest quin Satan nos deliniat suis illecebris. Sed ubi Deus ostendit se nobis judicem, & simul apparet nobis turpitudo nostra, tunc incipimus *femur percutere.* Et adjungit in eundem sensum, *Erubui, atque etiam sum confusus.* Miror cur interpretes multi neglexerint particulam [illegible]: vertunt confuso ordine, Confusus sum & erubui.

Atqui

Atqui particula hæc ostendit Prophetam exaggerare magnitudinem tristitiæ & pudoris sui quum dicit, *Erubui, atque etiam confusus sum.* Postea adjungit, *Quia tuli opprobrium adolescentiæ meæ.* Hic repetit quod ante dixerat, nempe profuisse Israëlitis pœnam divinitus inflictam. Nisi enim fuissent hoc modo pudefacti, semper sibi fecissent delicias in suis malis, quemadmodum videmus impios sibi blandiri, & applaudere quantisper illis Deus parcit atque indulget. Propheta igitur sub nomine populi dicit utilem sibi fuisse pœnam. Sed tenendum est quod diximus, totum hoc profectum fuisse à spirituali Dei gratia. Nam reprobi quamvis Deus edat horrenda exempla suæ vindictæ adversus eos, manent tamen obstinati: nec ferunt opprobrium suum, hoc est, non agnoscunt se peccasse. Ferre igitur opprobrium peculiare est electis Dei, qui regeniti sunt ejus Spiritu, quia perveniunt usque ad causam malorum: sicuti quum videmus duos ægrotos, quorum alter phrenetide laborat, & ita stupidus est in suo malo: alter autem sentit suum dolorem, & eo afficitur: videmus jam aliquod discrimen. Sed aliud discrimen videmus inter alios ægrotos. Ponamus igitur tertium gradum, quia sæpe contingет ut qui dolore suo afficitur, tamen non conscendat usque ad causam. Qui ergo sanabilis est, ille intelligit unde ortum sit malum, & ita paratus est ad obsequium, & facile ac libenter admittit omnia remedia. sic etiam multi furiose ruunt in suam perniciem: alii sentiunt quidem pœnas esse amaras, sed non reputant causam; quod scilicet provocaverint in se iram Dei Qui autem jam parati sunt ad recuperandam sanitatem, illi sciunt unde morbum acquisierint. Ergo Propheta hic dicit *populum tulisse opprobrium suum*, quia non tantum tristitia fuit affectus, sed fontem etiam simul reputavit, quod scilicet suis peccatis in se provocaverat iram Dei. Per *adolescentiam* metaphorice intelligit tempus quo luxuriati sunt Israëlitæ. scimus enim quantus sit ætatis illius fervor. Nam in senibus plus est moderationis, sed adolescentes adhuc intemperanter lasciviunt. Metaphorica igitur loquutio, qua designat Propheta Israëlitas ad tempus luxuriasse adversus Deum, quoniam scilicet nondum ipsorum petulantia fuerat subacta, quemadmodum ante dixit similes fuisse vitulis indomitis. Sequitur,

20. An filius pretiosus mihi Ephraim? an filius oblectationum? tamen ex quo tempore loquutus sum de eo, recordando recordabor illius: מדברי, (*vel, quia à tempore loquutus sum cum eo, recordando recordabor illius: dicemus postea de sensu*) propterea sonuerunt viscera mea illi, (*id est, super ipsum*) miserando miserebor illius, dicit Jehovah.

Conqueritur hic Deus de Israëlitis, quod parum apud ipsos profecerit immensa sua bonitate. Erat enim bonum inæstimabile adoptio qua ipsos dignatus fuerat. Atqui sua ingratitudine quodammodo exinanierant illam gratiam. Deus ergo hic interrogat quales fuerint Israëlitæ. Sed interrogatio magis affirmat, quoniam qui interrogat, ostendit se non loqui de re incerta, sed cujus cognitio magis conspicua sit omnibus quam ut negari queat. perinde igitur est acsi diceret Ephraim indignum fuisse ullo honore, vel pretio, nec fuisse delectabilem. Nunc ergo tenemus quid sibi velit Deus principio versus, nempe populum esse indignum ulla misericordia, quia quantum in se fuit, abolevisset gratiam adoptionis. Nam Filii nomine designat specialem illam fœderis gratiam, qua amplexus fuerat semen Abrahæ. Et priore loco vocat בן, filium: deinde ילד, quod deducitur à partu: sed tamen duplici nomine hic Deus significat populum illum fuisse sibi peculiarem, quemadmodum passim vocat filios suos quicunque genus ducebant ab Abraham. Circumcisio enim illis erat symbolum & pignus fœderis: & ita notanda est circumstantia temporis, quia Deus hic non ostendit quales fuerint Israëlitæ antequam ipsos sibi cooptasset in populum. Sed quemadmodum jam dixi, accusat eorum ingratitudinem ex quo fuerant ab ipso adoptati in filios. Filios ergo per concessionem vocat, & respectu fœderis: quemadmodum Jerosolyma vocatur Urbs sancta, quoniam Dei erat domicilium. Concessio igitur est in illo nomine: sed postea adjungit *non fuisse filium pretiosum*, hoc est, dignum ullo honore, *non fuisse oblectabilem.* quasi diceret fuisse tam perverso & maligno ingenio, ut non posset quicquam oblectationis ex ipsis capere: quemadmodum alia similitudine conqueritur apud eundem Prophetam, ut vidimus, amaros sibi fuisse
supra 2. vers. 21. Judæos, Vinea mea ego te plantavi: cur ergo conversa es mihi in amaritudinem? sic etiam nunc dicit filios quidem sibi esse Israelitas, sed filios pravi ingenii, filios immorigeros, filios qui tantum patrem exasperent, qui vulnerent ejus animum, qui mœrore ipsum conficiant. Postea adjungit, *Quia ex tempore loquutus sum in eo*, sic est ad verbum. Receptum est communi fere omnium consensu, uno contextu debere hæc legi, Quia ex quo tempore loquutus sum: & ita subaudiunt relativum אשר. sed ad verbum est, Quia à tempore loquutus sum cum eo. בו quoque vertunt, de eo, sed possumus etiam commode interpretari, *loquutus sum cum eo.* postea contexunt, *recordando adhuc recordabor ejus.* Locus hic propter brevitatem obscurus est, ideoque ambiguus. Sed opinio magis recepta est, Deum quamvis non esset puer delectabilis Ephraim, tamen fore erga eum misericordem: & ita particulam כי adversative accipiunt, tamen., An puer pretiosus Ephraim? an filius oblectationum? tamen adhuc recordando recordabor ejus: quasi diceret se non mutari populi malitiam, quia pro sua immensa bonitate adhuc illius miserebitur, vel malitiam ipsam bonitate superabit. Sensus hic probabilis est, sed adhuc potest dubitari quid sit loqui de eo. Quidam exponunt, Ex quo loquutus sum de eo, id est, dum facio nunc verba sed nescio an illud satis firmum sit. Potius igitur eorum sententiæ subscriberem, qui hoc ad minas referunt, quod scilicet ex quo tempore loquutus fuerit Deus contra Israelem, tamen ipsis reconciliatus fuerit, sicusi dicit Propheta Habacuc, In ira Hab. 3. vers. 2.
misericordiæ recordaberis. Sed potius hoc deberet intelligi de fœdere: quasi diceret Deus, Ex quo tempore loquutus sum cum eo, recordabor illius, ut scilicet causam ostendat cur tam clementer agat cum populo. Nam quia tanta fuit illius malitia & pravitas, jam posset obrepere dubitatio, cur ergo tam patienter illum tulerit Deus? Hic igitur revocamur ad fontem gratuitæ misericordiæ, quod scilicet Deus ignoscat populi illius peccatis, quoniam semel illum elegit. Sed dum omnia propius expendo, potius arbitror diversum esse Prophetæ sensum. Distinguo igitur hæc duo membra, *à tempore loquutus sum cum eo, recordando recordabor adhuc illius:* alioqui dura esset loquutio, A quo tempore loquutus sum, adhuc illius recordabor: quid hoc esset? Sed optime conveniet meo judicio hæc expositio, *à tempore loquutus sum cum eo:* ב significat cum. ergo *loquutus sum cum eo*, id est, non destiti continuo tractu illum hortari ad pœnitentiam, nihil tamen profeci, & tamen adhuc illius recordabor, hoc est, quamvis expertus fuerim populum hunc esse adeo perversum, & pridem multa experimenta dederit suæ contumaciæ, quia loquutus sum cum eo à longo tempore, adhuc tamen ejus

recordabor. Dignus erat populus, quum toties admonitus fuisset, æterno interitu: sed Deus pronunciat se adhuc fore propitium, *quamvis à tempore loquutus sit*, hoc est, longo temporis spatio non destiterit per suos Prophetas hortari populum illum, idque tentaverit absque fructu. Sic ergo distincte lego, *à tempore loquutus sum cum eo*, ut confirmet proximam sententiam, An filius pretiosus mihi, an filius oblectationum? quandoquidem potius fuisse conqueritur rebelles atque indomitos, ex quo non semel duntaxat voluerit ipsos adducere & lucrifacere, sed à multis seculis id tentaverit. Confirmat igitur in populo illo nihil esse bonæ spei, quoniam fuerint prorsus intractabiles à longo tempore. Adjungit, Adbuc, hoc est, quamvis ita sit, *adhuc recordando recordabor ejus.* Et amplificat beneficium hujus reconciliationis, *Propterea sonuerunt viscera mea super eum, miserando miserebor illius.* Hic transfert in se Deus humanos affectus. Viscera enim tumultuantur & strepunt immodico dolore, & trahimus suspiria & gemitus ex profundo, quum sumus constricti magna tristitia. Sic etiam ubi Deus suscipit in se teneri patris affectum, dicit *viscera sua sonuisse*, quoniam velit rursus populum ipsum recipere in gratiam. Hoc quidem proprie in Deum non competit, sed quia non potest aliter exprimere magnitudinem sui erga nos amoris, ideo crasse loquitur, ut se ruditati nostræ accommodet. Sequitur,

21. Statue tibi titulos, pone tibi acervos, adjice (*vel applica*) cor tuum ad semitam, ad viam per quam ambulasti: revertere virgo Israël, revertere ad urbes tuas istas.

Effectum misericordiæ describit, quod scilicet tandem restituet Deus captivos, & reducet ab exilio in patriam: prius tamen facta fuit gratiæ mentio, ut sciamus non alia de causa restitutum fuisse populum, nisi quia Deus gratis ejus misertus est. Fontem igitur redemptionis notavit Propheta: nunc vero transit ad externum effectum, quo Deus probavit se reconciliatum fuisse populo. dicit igitur, *Statue tibi titulos.* Prius tenendum est Prophetæ consilium cur ita loquatur. Quum enim abducti fuerunt Judæi in Chaldæam & alias regiones, putarunt reditum sibi clausum esse. Ergo deposita patriæ cura, habitarunt apud exteras gentes tanquam mortui essent terræ Chanaan. Sciebant se abdicatos fuisse ab illa terra, sed non tenebant quod toties illis dictum fuerat à Prophetis, nempe pœnam illam esse temporalem. Sicuti prius contempserant omnes minas, ita quum Deus cœpit adversus illos fulminare, animos ipsorum obruit desperatio, ut de reditu nihil vellent audire. Quoniam igitur putabant sibi nunquam esse redeundum in patriam, ideo obliti fuerant viæ: quemadmodum si quis migret in alium locum ubi habitare tota vita statuat, tantum quæret de via, transitus sui respectu: sed non observabit commoda hospitia, ut deinde utatur, nec curabit qua transeundum sit, an declinandum sit ad dexteram vel ad sinistram: satis erit pervenire ad locum quo tendit. Sic etiam Judæi statuerant sibi manendum esse in perpetuo exilio, proinde non erant solliciti de via, ut scilicet memoria tenerent qua transeundum esset. Ergo Propheta nunc dicit, *Statue tibi titulos*, quemadmodum qui aliquo peregrinantur, si de reditu cogitant, sciunt hoc esse commodum diversorium: deinde, tantum esse itineris inter hoc oppidum, vel inter hanc urbem, & pagum illum: similiter esse rectiorem hanc viam, vel declinandum esse ad partem illam. Quum ergo de reditu cogitant, etiam hæc omnia concipiunt. In hunc finem dicit Propheta, *Statue tibi titulos*, hoc est, adjuves tuam memoriam, ut solent viatores, qui volunt redire per idem iter. *Statue* igitur *titulos, & erige tibi acervos*, vel lapides, quos vocamus *monjoyes* lingua nostra: quasi diceret, Tu quidem hactenus putasti iter tibi esse clausum, ut nunquam redires in patriam: Deus vero tibi manum porriget, atq; restituet in priorem statum. Videmus ergo similitudinem sumptam esse à communi hominum usu, sed tendere in hunc finem, ut Judæi non desperent de liberationis gratia, sicuti ante fecerant. Dicit, *Adjice cor tuum.* seipsum nunc explicat: *adjice cor tuum ad semitam, ad viam per quam transiisti.* Videmus ergo Prophetam esse interpretem suorum verborum, quod scilicet populus rediturus esset eodem itinere: quamvis nihil tale animo conciperet. Et iterum confirmat aliis verbis eandem sententiam, *Revertere filia Israël, revertere ad has tuas urbes:* quasi diceret, quamvis terra ad tempus esset deserta, & redacta in solitudinem, manere tamen urbes, quæ iterum recipient suos incolas: & hoc fieri admirabili Dei gratia, ut terra adhuc expectaret populum: & quamvis ipsum evomeret ad tempus, non tamen fore perpetuum exilium, quia urbes quæ manebant, erant adhuc sub jure populi, non quia esset dignus, sed quia Deus tempus præfixerat exilio & pœnæ, quemadmodum alibi visum est.

Da omnipotens Deus, quando ea nobis ingenita est pervicacia, ut semper luctemur contra te, neque unquam possimus esse flexibiles, donec renovati fuerimus tuo Spiritu: da, inquam, ne pereant tuæ castigationes, quibus nos ad sanam mentem revocas, sed ita nos afficias intus Spiritu tuo, ut vere humiliati, agnoscamus te esse & judicem nostrum, & patrem: judicem, ut nobis displiceamus, ac tacti tuo judicio, damnemus nosipsos: & patrem, ut confugiamus nihilominus ad eam misericordiam quæ nobis quotidie offertur per Euangelium in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-SECUNDA IN J E R E M I A M.

22. Quousque vagaberis, (*aut circuibis*) filia rebellis? (*immorigera*) quia creavit Jehovah rem novam in terra: Fœmina circumdabit virum.

QUia pollicitus fuerat Propheta reditum populi, nunc objurgat præsertim Israëlitas, qui huc & illuc circumspectabant, & non poterant acquiescere verbo Dei. Hoc enim commune est fere omnibus incredulis, ut sibi molesti sint & quasi data opera concipiant multas inquietudines. Quum ergo Israëlitæ penderent ab eventis, & non possent quicquam sperare de reditu, nisi quum spes aliqua oblata erat, hoc vitium nunc Propheta reprehendit. Vocat primo populum *filiam immorigeram*, vel rebellem. nam sæpius minis correpti fuerant: deinde obtulerat illis Deus spem veniæ. Quum fuissent pervicaces quantisper Deus illis pepercit, deinde quum respuerent omnes promissiones,

non

non abs re Propheta ipsos vocat immorigeros, vel rebelles. Per *circuitus* autem intelligit vagas illas speculationes, quibus solent increduli seipsos fatigare, nam verbum proprie significat circumire. Possumus quidem accipere pro vagari: nam idem est: sed, quemadmodum jam dixi, Propheta aptissime vocat circuitus, obliquas illas & tortuosas speculationes, quibus increduli agitantur. Et videtur subesse tacita antithesis inter rectam viam, quæ nobis proponitur à Deo, & inter ambages, quibus miseri homines sese implicant, ubi Deum non sequuntur, sed rapiuntur post vanas suas conceptiones: quemadmodum Jesaias etiam utitur eadem similitudine. (*Jesa. 57. vers. 10.*) Dicit enim populum post suos errores sic abreptum fuisse, ut frustra fuerit lassus, quia non progressus fuerit per rectam viam. Et hinc colligitur utilis doctrina, nos scilicet semper accedere ad metam salutis, ubi Deo obtemperamus, & ambulamus per viam quæ nobis proponitur ejus verbo. Simul autem atque deflectimus à via, tantum per circuitus & errores huc & illuc distrahi, ut tandem labor noster sit inutilis, imo etiam noxius. Tenemus ergo nunc consilium Prophetæ. Quia enim incredulitas populi erat quasi janua obserata, ut non admitteret Dei promissiones de liberatione & reditu, hic vult corrigere vitium illud, & increpat Israëlitas, quod vagentur quia sunt immorigeri. Postea addit, *Quia ecce creabit*, ad verbum creavit, sed præteritum accipitur loco futuri: hoc vero ad certitudinem valet quum utitur tempore præterito, acsi concionaretur de re jam completa. *Creavit ergo Jehovah rem novam.* Significat perperam facere Israëlitas dum æstimant liberationem promissam ex suo sensu, deinde ex mediis quæ apparent. Dicit enim gratiam, quæ illis promittitur, fore admirabilem: hoc intelligi debet per *rem novam*: quasi diceret, Vos scilicet judicatis ex more & communi usu quod Deus promittit vobis de reditu. atqui erit miraculum. Ergo agitis perverse, dum vultis redigere Dei potentiam ad communem ordinem naturæ: Deus autem vult superare quicquid est usitatum inter homines. Et hoc etiam notandum est, quia quod semel dixit Jeremias de redemptione populi, extenditur ad æternam Ecclesiæ salutem. Deus enim mirabiliter excitat mortuos, mirabiliter etiam conservat & tuetur Ecclesiam suam, mirabiliter succurrit ejus miseriis. Ergo quoties Scriptura verba nobis facit de statu Ecclesiæ, conscendere oportet supra mundum, & supra sensus omnes nostros, & apprehendere miraculum quod nobis absconditum est. Jam sequitur miraculum; *Fœmina virum circumdabit.* Christiani fere uno consensu hoc interpretati sunt de Maria virgine: & movit eos nomen miraculi: deinde forte nimis cupide arripuerunt quæ visa sunt facere ad mysterium salutis nostræ. Dicunt igitur hanc esse rem novam, de qua loquitur Propheta, quod Virgo gestaverit utero suo Christum infantem, sed simul virum, quia scilicet plenus fuit divina fortitudine, quamvis secundum carnem creverit & statura, & sapientia, & virtute. Merito hoc ridetur à Judæis: tamen illi etiam, meo judicio, non tenent genuinam Prophetæ mentem. Interpretantur hoc de populo Israëlitico, quia erat tanquam mulier, quæ divortium fecerat à marito. Dicunt igitur, Fœmina virum amplexabitur, quæ scilicet alienata fuerat, & sese prostituerat multis adulteriis. Videntur Judæi sibi tenere quod voluit Propheta: ego autem aliter existimo. Nam hic est comparatio inter fœminam & virum, quam illi non expendunt. Neque enim simpliciter Propheta hic de viro loquitur, sed nominat virum robustum. גבר enim sumitur à fortitudine. Quum igitur fœminam viro comparet, non dubito quin significet Propheta Israëlitas, qui similes erant fœminis, hoc est, carebant viribus, destituti erant omni auxilio: quin ergo dicat fore superiores hostibus suis, quorum potentia poterat toti mundo terrorem incutere. scimus enim qualis fuerit monarchia Babylonis quo tempore Judæi tracti sunt in exilium. Ergo si consideremus quales fuerint Israëlitæ, dicemus fuisse fœminas debiles, quum hostes eorum essent robusti & bellicosi. *Fœmina igitur circumdabit virum.* Nam סבב significat non amplecti, sed obsidere sæpenumero: & accipitur compluribus Scripturæ locis in malam partem, Hostes circumdederunt me. Quum igitur notatur obsidio, Scriptura hoc verbum usurpat. perinde igitur est acsi dixisset Propheta, Redigent fœminæ viros in angustias, ita ut ipsos captivos teneant. Sed utitur singulari numero: quasi diceret, Fœmina una præstabit multis viris, hoc est, singuli Judæi præstabunt singulis Chaldæis: ita Judæi superiores erunt, quamvis magnum & terribile sit robur hostium. Ego hunc esse sensum Prophetæ existimo: & merito Propheta celebrat hoc Dei miraculum, quia fuit quædam mundi conversio, ubi ita Deus extulit servos suos ut qui ipsos subjugaverant, essent ipsis longe impares. Sequitur,

23. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Adhuc dicent hoc verbum (*hoc est, pronunciabunt hunc sermonem*) in terra Jehudah, & urbibus ejus, ubi convertero captivitatem ipsorum, Benedicat tibi Jehovah, habitaculum justitiæ, mons sanctitatis.

Confirmat aliis verbis eandem sententiam, nec supervacua est repetitio, quemadmodum alibi diximus. Difficile enim fuit, Judæis persuadere quod jam statuerant non posse fieri. nam sua obstinatione præcluserant omnes aditus Dei verbo. Quoniam ergo desperatio ita occupaverat & constrinxerat ipsorum animos, necesse fuit multis verbis insistere, ut tandem admitterent promissionem salutis. Hæc igitur ratio est cur Propheta eundem sermonem pluribus verbis contexuerit. Præfatur autem hoc se habere à Deo, & suscipit ejus personam, ut res incredibilis obtineat fidem apud Israëlitas & Judæos. *Adhuc ergo dicent in terra Jehudah, & in urbibus ejus*, nempe *ubi convertero captivitatem eorum.* Adducit his verbis Propheta Israëlitas & Judæos in rem præsentem, ut quod putabant non posse fieri, intueantur quasi positum esset ante ipsorum oculos. *Quum ergo reduxero eorum captivitatem, adhuc dicent, Benedicat tibi Deus, habitaculum justitiæ, mons sanctitatis.* Neque abs re his loquendi formis utitur Propheta. scimus enim Jerosalem funditus eversam fuisse, Templum dirutum & consumptum etiam incendio. Quum ergo spectaculum illud omnibus metum & horrorem incuteret, hic describitur mirabilis conversio, quod scilicet *iterum Sion erit mons sanctitatis, Jerusalem habitatio justitiæ*: quum illic esset solitudo & vastitas. Et hic locus diligenter notandus est, ut sciamus Deum restituere suam Ecclesiam acsi ipsam erueret ab inferis. Ubi ergo nulla species Ecclesiæ apparet, demus locum potentiæ Dei, ut eam excitet: Unde? nempe ab ipsis inferis, quemadmodum dictum fuit. Sequitur,

24. Et sedebunt (*vel habitabunt*) in ea, (*nempe in terra*) Jehudah, & omnes urbes ejus, (*id est, incolæ ejus*) simul agricolæ, & proficiscentur cum grege.

Prosequitur eandem sententiam, sed modum exprimit illius gratiæ, de qua nuper loquutus est: quoniam scilicet *sedebunt rursus Judæi in terra*, hoc est, quiescent & habebunt illic tranquillam stationem. Adjungit *urbes*, tantum ut amplificet gratiam Dei in numero & multitudine hominum: quasi diceret non

pau-

paucos tantum redituros esse, sed magnam hominum copiam, quæ urbes ipsas impleat. Id autem superabat spem omnium, quia videbant urbes desertas, & terram fere vacuam: quis putasset urbes adhuc fore populosas? Id autem confirmat Propheta quum dicit, *Habitabunt illic Jehudah, & omnes urbes ejus.* Addit, *Agricola* extendit Dei gratiam ad pagos, & villas: quasi diceret, terram fore refertam incolis, non tantum in munitis urbibus, sed etiam per agros. Sæpe continget urbes habitari, si quis immineat metus aut aliquod periculum ab hostibus. nam qui in urbibus habitant, habent muros oppositos, & fossas, & alias munitiones. Si ergo Propheta tantum loquutus fuisset de urbibus, non satis illustrasset Dei gratiam. Ideo adjungit *agricolas:* acsi diceret tutam fore habitationem in terra, etiamsi nullæ sint portæ, nulli muri, nullæ turres, quoniam agricolæ in suis tuguriis quiescent, non aliter acsi essent clausi mœnibus. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Quidam ita vertunt, Agricolæ, & qui ambulant cum grege, quasi distingueret Propheta agricolas à pecuariis hominibus: sed videtur mihi illud esse ineptum. Ego itaque non dubito, quin significet agricolas cum suis armentis & pecudibus fore securos, quia sibi non metuent ab hostium incursu, sed degent in terra sub Dei præsidio & fide, acsi nihil esset ipsis adversum, vel infestum. Summa est, talem fore restitutionem Ecclesiæ, ut conditio ejus non futura sit deterior, quam olim: deinde tranquillum fore ejus statum, ut non minus secure habitetur terra in pagis & villis, quam in urbibus. Si quis autem interroget quando hoc impletum fuerit, tenendum est quod alibi diximus, nempe Prophetas, dum concionantur de restitutione Ecclesiæ, complecti totum Christi regnum ab initio usque ad finem. Et in eo errant nostri, quod dum volunt restringere ad aliquod tempus istas promissiones, coguntur confugere ad allegorias, & ita torquere Prophetias omnes, imo pervertere. Atqui, sicuti dictum est, Prophetæ comprehendunt omnes progressus regni Christi, quum loquuntur de futura populi redemptione. Cœpit enim populus feliciter agere quum reversus est in patriam: sed paulo post angustiæ; sicuti Daniel prædixerat: ergo necesse fuit exspectare Christi adventum. Jam gustamus hæc Dei beneficia quamdiu versamur in mundo. Videmus ergo non compleri uno die, vel anno, imo etiam seculo hæc vaticinia, sed debere intelligi de initio & fine regni Christi. Sequitur,

25. Quia irrigabo (*vel inebriabo*) animam sitientem, & omnem animam quæ deficit implebo.

Hoc versu tollit dubitationem; ne quis ideo respuat quod promisit de restitutione populi, quoniam Judæi omnes & Israëlitæ erant tanquam mortui. Dicit igitur, *Irrigabo animam sitientem.* vertunt quidam lassam: sed metaphorice sæpe accipitur נפש עיפה
Psal. 143. vers. 6. pro anima sitiente. Ita Psalmo 143. dicitur, Ego tanquam terra arida: lassitudo non congrueret terræ. & Jesaiæ 29. Sicuti somnians putat se comedere,
Jesa. 29 vers. 8. postea ubi evigilavit, vacua est anima ejus: & sicuti putat se bibere. utitur eadem voce illic Propheta, quoniam vix unquam lassitudo est absque siti: contrahimus sitim ex lassitudine. Ergo per metaphoram vocatur anima עיפה, non lassa, sed potius siticulosa: & verbum respondet, quod significat inebriare, & irrigare, tanquam sæpe accipitur pro saturare. *Irrigabo* igitur, vel ad satietatem usque potabo *animam aridam, & omnem animam quæ deficit:* sed quum דאב significet deficere, significat etiam interdum lassari. hic defectum notat, quia sequitur; *Replebo animam quæ deficit.* accipitur ergo pro famelico. Summa est, quamvis Israëlitæ esuriant, & sitiant, & ad tempus privati sint cibo & potu, non tamen obstare eorum inopiam, quo minus illis Deus succurrat; quia in ejus manu est & arbitrio satiare famelicos, & Inebriare eos qui sitiunt, & deficiunt etiam præ siti. Nunc sequitur,

26. Propterea expergefactus sum, & vidi, & somnus meus dulcis fuit mihi. (*vel utilis.*)

Hic Propheta prodit in medium, & fidelis suo exemplo hortatur ad fiduciam, ut scilicet recumbant in Dei promissionem, acsi jam fruerentur re ipsa, quæ adhuc abscondita erat, imo incredibilis, ut dictum fuit. Dicit igitur *se fuisse expergefactum, & vidisse.* Hæc metaphora referri debet ad contrarium affectum, quo Propheta fuerat quasi attonitus. nam quamvis nondum abducti essent in exilium Judæi, decem tamen Tribus erant in misera illa servitute: regnum Israël conciderat ac perierat: instabat etiam ultima clades regno Jehudah. Quum igitur Propheta attentus esset ad horribiles illas Dei vindictas, fuit quasi somno obrutus. Nunc dicit *se fuisse expergefactum:* quemadmodum in tenebris mentes hominum vigorem suum amittunt, & somnus etiam prævalet, ita ut non distinguant inter nigrum & album: sic etiam Propheta fatetur se ad tempus fuisse quasi exanimem, postea dicit *se fuisse expergefactum*, ubi scil. illuxit Dei gratia non ipso effectu, sed in hoc vaticinio. Videmus ergo tanquam in speculo ipsum cognovisse quod adhuc longe aberat. Necdum enim inchoatum fuerat tempus septuaginta annorum: sed fides est visio rerum absconditarum, ut satis notum est, & hypostasis rerum absentium. nisi enim hanc certitudinem in cordibus nostris obtineat verbum Dei, prodimus nostram incredulitatem. Propheta igitur fidem suam probavit, quod certo agnosceret quicquid prædictum fuerat divinitus, quamvis adhuc longe abesset, completum iri suo tempore. Nunc tenemus cur dicat *se expergefactum.* Jam adjungit, *& somnus meus dulcis mihi fuit.* Postquam dixit se vidisse opus Dei, quod tamen comprehendi non poterat humano sensu, nunc adjungit *dulcem sibi fuisse somnum*, qui tamen tristis & formidolosus fuerat: sicut optimum condimentum omnis tristitiæ est spes. Nam diximus conferri somno illam mœstitiam, qua obruta fuerat ad tempus mens Prophetæ. Jam adjungit,

27. Ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & seminabo domum Israël, & domum Jehudah semine hominis, & semine animalis.

Videmus Prophetam nihil novum proferre, sed tantum animare Judæos ad fiduciam liberationis suæ, & reditus. Utitur autem alia similitudine, quod scilicet *Deus seminabit rursus in terra Jehudah*, ut producat tam homines, quam pecora, & omne genus animalium. Diximus terram ad tempus fuisse squalidam & desertam. Quum ergo Deus hoc modo terram damnasset, ut possent omnes putare addictam esse solitudini & vastitati, ideo dicit Propheta Deum facturum, ut rursus habitetur tam ab hominibus, quam à jumentis. Sed similitudo illa magis illustrat Dei gratiam. Tenenda est antithesis inter terram cultam & desertam: quemadmodum si quis dicat, Seretur in montibus, & metetur, ubi nunquam fuit ulla seges, ubi nunquam visum est aratrum. Si quis ergo promittat sationem & messem in terra illa deserta,

ſerta, hoc erit novum: & ideo vix poterit comprebendi: ſic etiam Propheta nunc dicit, *ſeminabo*: quaſi diceret, Terra quidem ad tempus erit maledicta, ut neque homines, neque jumenta ſuſtineat: ſed iterum ſeminabitur. *Seminabo*, inquit, *ſemine tam hominum quam animalium*; quibus verbis occurrit quæſtioni, quæ in medium produci poterat, Qui fiet ut terra rurſus habitetur, quum nunc deſerta ſit incolis? nempe *quia Deus illic ſeminabit*. Reſpondet igitur hic Propheta quæſtioni in huuc modum. Sed interea commendat Dei gratiam, acſi diceret non aliud fore remedium ſterilitatis, quam ſi Dominus ſua manu terram excolat, & in ea ſpargat ſemen: quaſi diceret reſtitutionem terræ non fore opus humanæ induſtriæ, aut virtutis, ſed admirabilis potentiæ Dei. Sequitur,

28. Et erit, ſicuti vigilavi ſuper eos ad evellendum, & conterendum, & ad confringendum, & ad perdendum, & ad affligendum, ſic vigilabo ſuper eos ad ædificandum, & ad plantandum, dicit Jehovah.

His verbis confirmat Propheta quod dixerat. poterant enim ſemper excipere Iſraelitæ & Judæi cur Deus promitteret ſe fore populi liberatorem, quem paſſus fuerat tot atrocibus malis opprimi: facilius enim fuerat antevertere. Poterant igitur Judæi obſtrepere, Tu nobis hic facis bonam ſpem reditus: ſed cur Deus paſſus eſt nos trahi in exilium? cur ergo non adhibuit remedium in tempore? nam ſero nunc pronunciat ſe fore nobis auxilio poſt interitum. Quoniam ergo Judæi putabant intempeſtive ſibi promitti reſtitutionem, ideo Propheta dicit Deum fuiſſe, qui ipſos caſtigavit, & qui ſumpſit pœnas de eorum ſceleribus: & ideo poſſe etiam ſuccurrere, ſimulac volet. Si enim Chaldæi pro ſua libidine dominati fuiſſent, & victoriam adepti fuiſſent de Judæis, quis unquam ſperaſſet poſſe Dei manu miſeros liberari, qui ita perditi fuerant? Sed nunc Propheta oſtendit non eſſe cur Judæi diffidant, acſi difficile eſſet Deo ipſos eripere ex tyrannide hoſtium, quia ſcilicet nihil ipſis accideret fortuitò, vel hoſtium potentia, ſed juſto Dei judicio. Tenemus ergo nunc conſilium Spiritus ſancti quum dicit Propheta, *ſicuti vigilavi contra eos ad evellendum & conterendum, & confringendum, & perdendum, & affligendum, ita vigilabo*. Deus ergo proponit ſe judicem, qui pœnas ſumpſerit de ipſorum peccatis, ut ſibi perſuadeant eundem quoque fore medicum: quaſi diceret, Ego ſum qui vulnus inflixi, potero igitur ſa-
1 Sam. 2. verſ. 6, nare: quemadmodum alibi dicitur, Deus eſt qui mortificat, & vivificat, deducit ad ſepulchrum, & reducit. utitur autem pluribus verbis: quia magna congeries tot miſeriarum poterat Judæos quaſi abyſſo deſperationis ſubmergere. Sed Propheta occupat, & oſtendit etiamſi ad extrema fuerint redacti, non poſſe tamen tot & tam duras calamitates obſtare Deo, quin ipſos reducat, ubi ita placuerit. Interea tamen ipſos admonet, non fruſtra tam gravia paſſos fuiſſe. Deus enim non delectatur populi ſui miſeriis. Ergo colligere debuit populus ſe multis ſceleribus fuiſſe obſtrictum, quia tam ſevere & duriter caſtigatus fuerat. Nunc ſubjicit, *Ita vigilabo ſuper eos ad ædificandum, & plantandum*. Quod ad verbum perdendi, ſi legamus להרם, vertendum erit, ad tollendum: nam verbum רום ſignificat elevare, ut ſatis notum eſt. Ergo metaphorice ſumetur pro tollere è medio Sed illa recepta eſt lectio, quemadmodum dixi ולהרם. Dicit *ſe vigilaturum ad ipſos ædificandos, & plantandos, ſicuti vigilaverat in ipſorum interitum*: quaſi diceret jam edoctos fuiſſe experientia, quanta ſit potentia manus Dei tam ad perdendum quam ad ſervandum. Minas contempſerant quantiſper illis Deus pepercerat, & putabant ſe impune peccare: & videmus quam petulanter rejecerint omnes Prophetas. Atqui Deus tandem oſtenderat duris experimentis quam metuenda eſſent ſua judicia. Nunc ergo erigit eorum animos in bonam fiduciam, quia ſcilicet ipſius vigilantia non minus valebit ad ſervandum. Sequitur,

29. In diebus illis non dicent amplius, Patres comederunt omphacium, (*uvam acerbam*) & dentes filiorum obſtupuerunt:

30. Quin potius vir (*hoc eſt, quiſque*) in ſua iniquitate morietur: omnis homo comedens (*hoc eſt, quiſquis comederit*) uvam acerbam, obſtupeſcent dentes ejus. (*aut omnis viri qui comederit, dentes obſtupeſcent*.)

Docet Ezechiel querimoniam illam vulgo fuiſſe jactatam in populo, quod luerent patrum ſuorum peccata. quemadmodum etiam loquitur Horatius
Hor. carmin. lib. 3. ode 6. ut homo profanus, & Dei contemptor: Delicta majorum immeritus lues, Romane. Talis ergo fuit arrogantia apud Judæos, ut quaſi litem Deo intenderent, acſi ipſos puniret innoxios: & proverbio hoc exprimebant, *Si patres noſtri comederunt omphacem*, quænam eſt iſta ratio, ut dentes noſtri hebetentur? nam ſcimus dentes obſtupeſcere, vel hebetari dum fructus immaturus comeditur. Sed proprie accipitur hoc nomen, quemadmodum patet ex aliis locis, de uva acerba, quam Græci vocant omphacem, *de l'aigret*. Dicit igitur Propheta, proverbium illud non fore amplius in uſu, quia ubi mali domiti fuerint, ſentient tandem Deum non fuiſſe adeo ſeverum abſque juſta cauſa. Nunc tenemus conſilium Prophetæ. Dicit autem, *In diebus illis*, nempe poſtquam ſumpſerit Deus juſtas pœnas de populo, deinde complexus ipſum fuerit ſua miſericordia. utrumque enim neceſſarium fuit, nempe ut ſubigeretur contumacia & faſtus populi, & deſinerent cum Deo expoſtulare: deinde ut gratuitus Dei favor illis manifeſtaretur. Tunc ergo, inquit, non utentur impio illo proverbio: *Patres comediſſe uvam acerbam, & dentes filiorum fuiſſe obſtupefactos: quin potius*, inquit, *ſinguli morientur in ſua iniquitate: & quiſquis comederit uvam acerbam, dentes ejus obſtupeſcent*, hoc eſt, tunc exaltabitur juſtum Dei judicium, ita ut jam locus non ſit obſtreperis illis vocibus & blaſphemiis; deinde miſericordia etiam Dei patefaciet, homines ſuo exitio dignos eſſe, neque aliter liberari, quam Dei bonitate gratuita.

Da omnipotens Deus, quando quotidie tot iræ tuæ documentis nos admones, ut mature reſipiſcamus, ne pigri ſimus ad conſiderandum opus tuum, & ſimul ad doctrinam quam adjungis: ſed præveniamus extremam tuam vindictam, & ita capaces ſimus miſericordiæ tuæ; ut ſicuti liberaliter eam nobis proponis, ita etiam cupide amplectamur: deinde ſic retineamus in cordibus noſtris vera fide, ut proſequaris ejus curſum erga nos, donec tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-TERTIA

IN

JEREMIAM.

31. Ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & percutiam cum domo Israël, & cum domo Jehudah fœdus novum:

32. Non secundum fœdus, quod percussi cum patribus eorum die quo apprehendi manum eorum, ut educerem eos è terra Ægypti, quod irritum fecerunt fœdus, *inquam*, & ego dominabar illis, dicit Jehovah.

PRosequitur Jeremias eandem sententiam, sed clarius demonstrat quanto uberior futura sit Dei gratia, & locupletior erga populum suum, quam olim. Non igitur simpliciter restitutionem promittit dignitatis & opulentiæ à qua exciderant, sed aliquid melius & præstantius. Videmus ergo necessario hoc spectare ad regnum Christi, quia extra Christum nihil potuit nec debuit sperari à populo, quod superaret Legem. Lex enim fuit regula perfectissimæ doctrinæ. Ergo si tollatur Christus, certum est, manendum esse in Lege. Hinc ergo colligimus, Prophetam vaticinari de Christi regno, quemadmodum etiam locus hic citatur ab Apostolis, ut est insignis & dignus notatu. Sed tenendus est ordo & modus docendi. Propheta enim confirmat quod ante dixit, quia incredibile erat Judæis quod vidimus. Quum ergo jam ante verba fecisset de beneficiis Dei, quæ vix poterant cadere sub sensum hominis, ut occurrat diffidentiæ, adjungit, Dominum novo & insolito modo fore misericordem erga suos. Videmus ergo cur Propheta hanc sententiam subjecerit superiori doctrinæ. Nisi enim loquutus esset de fœdere novo, semper vacillassent miseri illi, quos volebat erigere ad spem salutis: imo ut jam major pars erat obruta desperatione, nihil profecisset. Ergo hic proponit fœdus novum, acsi diceret debere ipsos longius, & altius spectare, nec metiri beneficium Dei, de quo concionatus est, ex rerum præsentium aspectu, *quia velit Deus percutere fœdus Novum*. Interea non dubium est, quin commendet Dei gratiam, quæ postea manifestanda erat, nempe in plenitudine temporis. Deinde semper illud tenendum est, ex quo reversus est populus in patriam, fuisse gravissimis tentationibus oppugnatam eorum fidem, qui amplexi fuerant gratiam redemptionis. Satius enim fuisset manere in perpetuo exilio, quam vexari hostiliter ab omnibus vicinis, & tot molestiis esse obnoxios. Si ergo tantum reductus fuisset populus ab exilio Babylonico, hoc erat non magni momenti: sed oportuit piorum animos adduci usque ad Christum. Et ideo videmus etiam Prophetas, qui functi sunt munere docendi post reditum, in hoc incumbere, ut sperent aliquid melius, quam appareat: neque propterea despondeant animos, quod videant se non frui quiete, & potius se tractos fuisse ad multa & gravia certamina quam liberatos à tyrannide. Scimus enim quid doceat Haggai de futuro Templo, quid etiam Zacharias, quid tandem Malachias. Et idem fuit consilium Prophetæ nostro quum de fœdere Novo loquutus est: ut scilicet fideles postquam potiti rursus essent patria, non obstreperent Deo, quod non conferret illam solitam felicitatem quam pollicitus fuerat. Hæc secunda ratio fuit cur Propheta ageret de novo fœdere. quemadmodum prius, ita nunc repetit *venturos esse dies, quibus percutiat Deus tam cum Israele, quam cum Jehudah fœdus suum*. Decem enim Tribus, quemadmodum satis notum est, abductæ fuerant quum adhuc staret regnum Jehudah: deinde quum discessionem fecerant à familia Davidis, transierant quasi in alienam gentem. Deus quidem non destitit illos aliquatenus agnoscere pro suo populo: sed quantum in ipsis erat, alienaverant se ab Ecclesia. Deus ergo promittit rursus fore unum corpus, quia ipsos colliget ut simul coalescant, neque sint quasi diversæ domus. Jam quod ad Novum fœdus spectat, non sic vocatur quia aliud sit à primo fœdere. Deus enim secum non pugnat: neque est dissimilis. Qui ergo semel percussit fœdus cum electo populo, non mutavit consilium, acsi oblitus esset suæ fidei. Sequitur ergo, primum fœdus fuisse inviolabile: deinde jam ante percusserat fœdus suum cum Abraham: & Lex fuit confirmatio illius fœderis. Quum ergo Lex pendeat à fœdere, quod Deus cum Abraham servo suo pepigit, sequitur fieri non posse ut Deus unquam potuerit pacisci fœdus novum, hoc est, aliud vel diversum. Unde enim salutem speramus, nisi à semine illo benedicto, quod promissum fuit Abrahæ? deinde, cur filii Abrahæ vocamur, nisi propter commune fidei vinculum? cur dicuntur fideles colligi in sinum Abrahæ? cur dicit Christus venturos esse ab Oriente & Occasu qui recumbant in regno cælorum cum Abraham, Isaac, & Jacob? Hæc certe omnia satis demonstrant Deum nunquam pepigisse aliud fœdus, quam quod initio percusserat cum Abraham, & tandem consignavit per manum Mosis. Posset hoc argumentum longe fusius tractari, sed satis est breviter tenere, fœdus Dei quod initio percussit, esse perpetuum. Nunc videndum est cur promittat fœdus Novum populo. Non dubium est quin hoc referatur ad formam, sicuti loquuntur. Forma autem hæc non tantum posita est in verbis, sed primum in Christo, deinde in gratia Spiritus sancti, & tota docendi ratione externa: substantia autem eadem manet. Substantiam intelligo doctrinam, quia Deus in Euangelio nihil profert, quod Lex non contineat. Videmus ergo Deum ab initio sic loquutum esse, ne syllabam quidem postea mutaverit, quantum attinet ad doctrinæ summam. Complexus est enim in Lege regulam perfecte vivendi: deinde ostendit quænam esset salutis via, & sub figuris populum adducit ad Christum, ut remissio peccatorum illic clare monstretur, & quiquid cognitu necessarium est. Quum igitur Euangelium nihil addiderit ad Legem, quantum attinet ad substantiam doctrinæ, veniendum est, sicuti jam dixi, ad formam ipsam: quoniam nondum patefactus erat Christus, percussit Deus fœdus Novum, ubi sancivit per Filium suum quicquid sub Lege adumbratum fuerat. Nam victimæ non poterant per se placare Deum, ut satis notum est, & quicquid Lex tradiderat de expiationibus per se fuisset inutile, & nullius momenti. Novum ergo fœdus percussum est, ubi Christus in aqua & sanguine apparuit, & complevit re ipsa quod Deus sub figuris monstraverat, ut fideles gustum aliquem caperent suæ salutis. Sed non satis erat Christum venisse nisi adjuncta fuisset regeneratio per Spiritum sanctum. Fuit igitur hæc quoque aliqua novitas, quod Deus regenuit fideles Spiritu suo, ita ut non esset literalis tantum doctrina, sed efficax, quæ non tantum verberaret aures, sed in animos penetraret, atque vere formaret in obsequium Dei. Ratio etiam externa docendi nova fuit, quemadmodum satis apparet. Nam si conferimus Legem cum

Rom. 11. vers. 27. Hebr. 8. vers. 8, 9, 10, 11, 12. & 10. vers. 16.

Luc. 16. vers. 22. Matth. 8. vers. 11.

cum Euangelio, loquitur hodie nobiscum Deus familiariter tanquam facie ad faciem, non sub velo, sicuti docet Paulus Mosen habuisse velum oppositum, obi prodibat verba facturus Dei nomine. Non sic est in
2 Cor. 3, vers. 13. Euangelio, inquit Paulus, sed velum ablatum est, & Deus in facie Christi se nobis conspiciendum proponit. Hæc igitur ratio est cur Propheta appellet *Novum fœdus*, sicut pluribus dicendum erit. Ego enim perstringo quæ non possunt simul dici, ut possit totus Prophetæ contextus melius comprehendi. Nunc ergo pergamus in verbis. Dicit *fœdus quod percutiet non fore quale fuerat illud quod percusserat cum patribus ipsorum*. Hic clare distinguit fœdus Novum à Lege. Antithesis hæc tenenda est: quia nemo ex Judæis putasset fieri posse ut Deus adderet aliquid melius Legi suæ. Tametsi enim fere pro nihilo ducebant Legem: scimus tamen, ut hypocritæ simulant magnum ardorem zeli, fuisse tantopere Legi addictos, ut putarent cælum potius terræ posse misceri, quam aliquid posse mutari ex Lege: & mordicus interea tenebant quæ Deus ad tempus duntaxat instituerat. Necesse igitur fuit Legem hic conferri cum Novo fœdere, ut scirent Judæi gratiam, quæ ipsos manebat, fore longe excellentiorem, quam quæ manifestata olim fuerat Patribus. Hæc igitur ratio est cur dicat *non secundum fœdus*. Postea addit, *quod percussi cum patribus eorum, quum apprehendi manum ipsorum*. Hic ostendit nunquam spem salutis fore firmum apud ipsos nisi Deus percutiat novum fœdus. Talis enim erat eorum superbia, ut vix admitterent Dei gratiam nisi convicti. Semper enim hoc illis fuisset in ore, Annon Deus Patrem se ostendit populo suo quum eum redemit? annon fuit illud testimonium paterni ejus favoris? annon erexit statum Ecclesiæ quem manere perpetuum vellet? Ergo repulissent Dei gratiam, nisi Propheta palam fecisset Legem fuisse illis inutilem, & fore adhuc: & ideo opus esse novo fœdere, aut alioqui esse ipsis percundum. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Et hoc diligenter observandum est, quia non satis esset scire qoid dicat Propheta, nisi etiam sciremus cur hoc vel illud dicat. Summa est igitur, non debere videri absurdum, quod Deus fœdus novum percutiat, quoniam primum fœdus fuerat inutile, & nihil profuturum esset. Jam hoc confirmat, quia Deus percussit fœdus illud primum, ubi porrexit manum veteri populo, & fuit ejus liberator. *Et tamen irritum fecerunt fœdus illud.* Circumstantia temporis notanda est, quia memoria recentis beneficii debuit esse acerrimus stimulus ad obediendum. Quam turpis enim ingratitudo fuit, quum redempti essent admirabili Dei potentia, rejicere fœdus, quando præventi fuerant misericordia Dei? Quum ergo tunc irritum fecerint Dei fœdus, hinc satis colligitur, nullum fuisse tempus, quo non prodiderint suam impietatem, & fuerint fœdifragi. Adjungit, *Ego tamen dominabar ipsis*. Quanquam verbum בעלתי, quidam restringunt ad imperium maritale: & hoc non male convenit, quia Deus non simpliciter dominatus est tunc populo, sed fuit etiam maritus, quemadmodum frequenter utitur hac similitudine. Nescio tamen an illud satis firmum sit: ideo contenti simus generali doctrina, quod Deus sibi acquisierat populum: quasi diceret se tantum usum fuisse jure suo quum illos vellet regere, & quum illis præscriberet rationem vivendi. Quanquam Fœderis nomen magis honorificum est populi respectu. nam si Rex quispiam populo suo aliquid imperet, vocatur illud edictum. Sed Deus agit humanius cum populo suo, quia descendit, & constituit se in medio, ut scilicet se populo vicissim obliget, quemadmodum sibi populum obstringit. Videmus ergo in summa cur dicat Deus *se fuisse dominatum populo*, nempe quia illum sibi acquisierat: & tamen non fuerit potitus jure suo propter indomitum & pervicax ingenium populi. Interea notandum est, hic rejici culpam in populum, cur Lex non fuerit firma neque satis valida. Voluit igitur Propheta hic Legem Dei ab omni nota infamiæ asserere: quemadmodum videmus idem facere
Paulum 7. ad Rom. cap. dicit, Lex sancta, &c. Si- *Rom. 7.*
mul enim ac sermo habetur de Legis infirmitate, ma- *vers. 12.*
jor pars aliquid sinistrum de Lege arripit, & ita redditur ipsa Lex contemptibilis. Ideo Propheta hic dicit *ipsos fecisse fœdus Dei irritum*: quasi diceret non in ipsa Lege quærendum esse vitium, quod opus sit novo fœdere, quia Lex satis superque sufficeret: sed populi tam levitatem quam perfidiam esse in culpa. Nunc ergo hoc quoque tenemus, nihil detrahi Legis honori quum dicitur esse infirma, & inefficax: quia accidentale est illud vitium, & provenit ab hominibus, qui mutuo non colunt fidem datam neque servant. Plura adhuc dicenda erunt, sed percurro nunc Prophetæ verba, ut dixi. Sequitur nunc,

33. Quia hoc fœdus quod percutiam cum domo Israël post dies illos, dicit Jehovah, ponam Legem meam in medio ipsorum, (*id est, in visceribus*) & in corde ipsorum scribam eam: & ego ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.

Discrimen nunc exprimit Legis & Euangelii, quia Euangelium secum afferat gratiam regenerationis, ideoque non sit literalis ejus doctrina, sed in corda ipsa penetret, ac omnes sensus reformet in obsequium justitiæ Dei. Jam tamen potest moveri quæstio, an sub Lege defuerit Patribus gratia regenerationis: hoc autem nimis absurdum est. Quid ergo sibi vult quod negat hic Deus Legem fuisse in cordibus scriptam ante Christi adventum? Respondeo, Patres qui olim regeniti fuerunt, id fuisse adeptos Christi gratia: ita possumus dicere illud fuisse quasi translatitium. Non igitur residebat in Lege hæc virtus, ut animos penetraret, sed fuit translatitium bonum ab Euangelio ad ipsam Legem. hoc unum est. deinde scimus raram & obscuram fuisse gratiam Dei sub Lege: in Euangelio autem effusa fuisse dona Spiritus, & Deum multo liberalius egisse cum Ecclesia sua. Sed tamen illud est præcipuum, nempe reputare quid Lex per se afferat, & quid proprium sit Euangelii. præsertim ubi fit comparatio Euangelii & Legis. Nam ubi cessat comparatio illa, hoc non posset proprie competere in Legem, sed respectu Euangelii hoc dictur, quod Lex sit literalis, sicuti
alibi vocatur: & hæc etiam ratio est cur Paulus vocet *Rom. 7.*
literam in 3. cap 2 ad Cor. dicit, Litera occidit. intel- *vers. 6.*
ligit per literam non sicuti Origenes deliravit, & cor- *2 Cor. 3.*
rupit etiam locum illum sicuti totam doctrinam Scri- *vers. 6.*
pturæ: non intelligit Paulus illic simplicem & genuinum sensum Legis, sed vocat literam alia ratione, quia tantum proposuerit hominum oculis quid rectum esset, deinde etiam aures ipsas docuerit. Sed nomen literæ refertur ad scriptum: quasi diceret, Scripta fuit Lex in lapidibus. fuit igitur litera. Euangelium autem quid? est spiritus, hoc est, Deus non tantum dirigit sermonem ad aures, & oculos hominum in Euangelio, sed intus etiam docet corda ipsa, & mentes. Hæc igitur solutio est quæstionis, Prophetam differere de Legis natura, ubi separatur ab Euangelio, quia Lex tunc mortua est, & caret regenerationis Spiritu. Dicit postea, *Ponam Legem meam in visceribus eorum*. Confirmat his verbis quod diximus, nempe novitatem cujus meminit antea, non in substantia esse positam, sed in forma duntaxat. Neque enim dicit hic Deus, Legem aliam dabo: sed, *Scribam Legem meam*: nempe eandem, quæ tradita olim fuerat Patribus. Nihil ergo diversum promittit

quod

quoad doctrinæ summam: sed tantum diversitatem locat in ipsa forma. Ponit autem duas loquutiones, *Quod Legem suam ponet in visceribus, & scribet in cordibus*, quia scimus quam difficile sit hominem sic formari in obedientiam justitiæ, ut consentiat ejus vita cum Lege Dei. omnes enim affectus carnis totidem sunt inimicitiæ, quemadmodum dicit Paulus
Rom. 8. vers. 7. 8. ad Rom. cap. quæ pugnant cum Deo. Quum igitur omnes sensus nostri ita bellum gerant cum Deo, est quædam mundi renovatio, ubi homines patiuntur se divinitus regi. Et scimus quid dicat Scriptura,
Matth. 6. vers. 24. Luc. 14. v. 26, 27. non fore nos Christi discipulos, donec renunciaverimus & nobis, & mundo, & abnegaverimus nosipsos. Hæc ratio est, cur Propheta non fuerit contentus una voce duntaxat, sed dixerit, *Ponam in visceribus, scribam in cordibus.* Cæterum hinc colligimus quam insulsi sint Papistæ in commento liberi arbitrii. Fatentur quidem, nisi adjuvante Dei gratia non esse nos idoneos ad implendam Legem: sed concedunt aliquid auxilii gratiæ, & Spiritus: interea non tantum fingunt cooperari liberum arbitrium, sed præcipuas partes ei tribuunt. Propheta autem hic testatur hoc esse proprium opus Dei, scribere Legem suam in cordibus nostris. Quod si Deus merito hoc beneficium esse suum pronunciat, & vendicat sibi ejus laudem, quanta est hominum arrogantia ad se illud idem trahere? & *scribere in cordibus* tantundem valet atque corda ipsa sic formare, ut Lex illic dominetur, & nullus sit affectus cordis, qui non ejus doctrinæ subscribat atque consentiat. Hinc igitur satis clare apparet, neminem posse flecti ad Legis obsequium, donec regenitus fuerit Dei Spiritu: imo nullum esse motum in homine ad recte agendum, nisi Deus cor ipsum præveniat sua gratia: denique literalem doctrinam fore semper mortuam, nisi eam Deus Spiritu suo vivificet. Addit, *Et ero illis in Deum, & ipsi erunt mihi in populum.* Generaliter hic Deus comprehendit summam fœderis sui. quorsum enim tendebat Lex, nisi ut populus ipsum invocaret, & ipse vicissim curam gereret populi sui? Quoties enim pronunciat Deus se nobis fore in Deum, simul offert paternum suum favorem, & declarat salutem nostram sibi fore curæ: dat nobis liberum aditum ad preces, jubet nos recumbere in sua gratia: denique hæc promissio sub se continet omnes partes salutis nostræ. Jam hodie idem etiam spectat in Euangelio. quia enim alieni sumus à regno cælorum, sese nobis illic reconciliat: & ideo testatur se nobis fore in Deum. Inde pendet posterius quod dicit, *Erunt mihi in populum.* neque enim alterum potest ab altero separari. Ergo his verbis breviter significat Propheta huc tendere summam fœderis Dei, ut sit nobis Pater, à quo salutem petamus & expectemus: & nos vicissim simus ejus populus. De his iterum plura dicenda erunt: sed exposui causam cur nunc celeriter perstringam quæ digna sunt majori explicatione. Addit,

34. Et non docebit amplius vir (*id est, quisque*) proximum suum, & quisque fratrem suum, dicendo, Cognoscite Jehovam: quia omnes cognoscent me à parvo ipsorum, & ad (*sed abundat copula*) magnum ipsorum, dicit Jehovah: quia ignoscam peccatis ipsorum, & iniquitatum ipsorum non recordabor amplius. (*Sed non possem longius pergere: quia sonat horologium.*)

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos hoc singulari privilegio, ut in manu Filii tui percusseris fœdus tuum quod ratum esset in salutem nostram, ut simus ejus participes, & sentiamus te ita nobiscum loqui, ut non tantum verbo tuo ostendas quid rectum sit, sed etiam Spiritu tuo intus loquaris, & nos ita dociles & morigeros reddas, ut testimonium illud sit adoptionis nostræ, quod nos gubernes, donec tandem vere & in solidum tibi uniamur per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-QUARTA

IN

J E R E M I A M.

ET non docebit amplius quisque proximum suum, & quisque fratrem suum, dicendo, Cognoscite Jehovam: quia omnes cognoscent me à parvo eorum usque ad magnum eorum, dicit Jehovah: quia ignoscam peccatis eorum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius. Hic statuitur aliud discrimen veteris & novi Testamenti, nempe quod Deus, qui obscurius se patefecerat sub Lege, plenum fulgorem emittet, ita ut ejus cognitio futura sit familiaris. Sed hyperbolice extollit hanc gratiam quum dicit neminem opus habiturum Doctore vel Magistro, quia quisque satis edoctus erit. Tenemus ergo in summa consilium Prophetæ, nempe tantam fore lucem Euangelii, ut satis appareat Deum liberalius agere cum populo suo, quoniam luceat ejus veritas tanquam sol
Jesa. 54. vers. 13. in meridie. Hoc idem promittit Jesaias quum dicit omnes fore discipulos Dei. Verum quidem illud fuerat etiam sub Lege, sed Deus præbuerat tenuem gustum duntaxat cælestis doctrinæ: Christi autem adventu explicuit thesauros sapientiæ, & intelligentiæ, ita ut in Euangelio perfectio sit initii, quia scimus veterem populum fuisse similem pueris: & ideo sub rudimentis continuit illum Deus: nunc quia adolevimus, dignatur nos pleniore doctrina, & quasi propius ad nos accedit. Dicit igitur, *Non docebit quisque amplius proximum suum, & vir fratrem suum.* Dixi Prophetam hic amplificare gratiam Dei. Et hinc colligimus quosdam fanaticos inscite, & perperam abusos fuisse hoc testimonio, quum vellent tollere omnem doctrinæ usum, sicuti nostro tempore quidam ex Anabaptistis rejecerunt omnem doctrinam: & quum sibi placerent in sua inscitia, tamen superbe jactabant se præditos esse Spiritu, & fieri Christo injuriam si adhuc simus discipuli, quia scriptum est inter laudes & encomia novi Testamenti, *Non docebit quisque amplius proximum suum.* hinc etiam factum est, ut horrendis deliriis fuerint inebriati. Diabolus enim quum turgerent tanta superbia, potuit eos fascinare pro suo arbitrio. deinde etiam unumquemque propria superbia impulit, ut fingerent sibi somnia. & multi nebulones traxerunt hunc locum ad privatam utilitatem. Nam quum se gloriarentur esse Prophetas, & etiam simplicibus hoc persuaderent, tenuerunt multos sibi obstrictos, & quæstum fecerunt ex illa jactantia. Atqui Propheta hic non designat enthousiasmum, qui excludat usum doctrinæ: sed, quemadmodum jam dixi, tantum promittit clariorem fore Euangelii lucem: sicuti

Deus

Deus sub Lege non ita perfecte populum suum docuit, sicut nos hodie. Et hinc etiam illud Christi, *Luc. 10. vers. 23.* Beati oculi, qui vident quæ vos videtis, & aures quæ audiunt quæ vos auditis: multi Reges & Prophetæ, &c. Christus ergo optimus est interpres hujus loci, nempe quod Deus affulserit plenius per Euangelii *Malach. 4. vers. 2.* doctrinam: & ideo vocatur Christus apud Malachiam Sol justitiæ. Significat enim illic Propheta fuisse quidem aliquid lucis Patribus, sed non uti nobis. Denique tenenda est comparatio, cujus heri mentio facta fuit, nempe quod Deus populum suum teneret suspensum expectatione melioris status. Et ne longius petenda sit expositio, satis erit verba probe expendere. Neque enim præcise, & sine exceptione dicitur, Non docebit quisque proximum suum, sed, *Dicendo, Cognoscite Jehovam.* Videmus ergo Prophetam promittere cognitionem, ut non sint amplius alphabetarii. nam hac particula, *Cognoscite Jehovam*, designat prima rudimenta fidei, vel cœlestis doctrinæ. Et certe si respicimus quanta fuerit veteris populi ruditas, erant tunc elementarii. Hodie autem qui minimus est inter fideles, eo usque progressus est, ut clarius multo cognoscat quicquid pertinet ad summam salutis, quam qui tunc fuerunt etiam non vulgares. Summa est igitur, omnes Dei electos fore etiam instructos dono intelligentiæ, ut non subsistant in primis elementis. Jam si quis pervicaciter urgeat duntaxat membrum illud, *Non* *Jesa. 2. vers. 3.* *docebit quisque*, opponere expediet Jesaiæ locum. Nam loquitur certe de regno Christi, ubi dicit, Apprehendet quisque manum proximi sui, & dicet, Venite, ascendamus in montem Domini, & docebit nos vias suas, &c. Nunc conciliemus hæc duo vaticinia. Propositum est utrique celebrare Dei gratiam, quæ manifestanda erat Christi adventu. Dicit unus, *Non docebit quisque:* alter autem, Apprehendet quisque manum proximi sui, & dicet, Venite, ascendamus in montem, ut Jehovah nos doceat. Hæc autem ratio est conciliandi, quod Jeremias negat fore tam rudem populum sub novo Testamento, ut indigeat principiis doctrinæ: Jesaias autem dicit unumquemque apprehensurum manum proximi sui, quia mutuo alii alios juvabunt, ut proficiant in cognitione Legis Dei. Nunc soluta est illa quæstio: & simul videmus quam singulare sit beneficium, quo Deus suos dignatus est, quum ita illis familiariter apparuit. Dicit, *Omnes me cognoscent, à minimo usque ad maximum.* non significat æqualem fore scientiæ mensuram in omnibus. Experientia enim coarguit hoc falsum esse: deinde scimus ab initio Deum *Rom. 12. vers. 2, 3.* id fecisse testatum, sicuti etiam Paulus inter alios admonet, & ostendit modum dispensationis esse pro Dei beneplacito. Sed intelligit Propheta eos qui minimi erunt in populo Dei, vel postremi, tamen fore præditos mediocri luce cognitionis, ut fere similes sint Doctoribus. Eodem etiam pertinet vaticinium *Joel. 2. vers. 28.* Joëlis, Prophetabunt filii vestri, filiæ vestræ visiones videbunt, & senes vestri somnia somniabunt. Promittit omnes passim fore Prophetas & Doctores, quia scilicet uberior hodie sit gratia Dei: & semper comparative hæc intelligi debent. Etsi igitur multi nunc rudes sunt etiam inter Dei filios, & qui sunt vere ex numero fidelium, tamen si respicimus quanta fuerit Legis obscuritas, qui hodie minimi sunt inter discipulos, sunt non secus ac Doctores & Magistri. Et ea- *Mat. 11. vers. 11.* dem ratione dicit Christus, Qui minimus est in regno cœlorum, esse majorem Joanne Baptista, qui tamen excelluit supra omnes Prophetas. Joannes Baptista in suo munere præstantior fuit omnibus Prophetis, & superavit eos intelligentia: & tamen minimus Euangelii professor & testis, major est Joanne Baptista, inquit Christus. Et hoc non tantum refertur ad personas, neque etiam ad eas restringi debet, sed potius ad claram & perspicuam docendi formam, quæ in Euangelio comprehenditur: quemadmodum heri citavimus locum ex 3. cap. 2 ad Cor. ubi dicit *2 Cor. 3. vers. 13.* Paulus jam velum non oppositum esse, quin conspicere liceat Deum facie ad faciem in persona Christi. Sequitur, *Quia propitiabor peccatis eorum, & iniquitatum eorum non recordabor amplius.* Non dubium est quin Propheta hic ostendat fundamentum hujus beneficii, quia scil. Deus redibit in gratiam cum populo suo, non imputando peccata. Ergo si originem novi Testamenti quærimus, est gratuita peccatorum remissio, quia Deus populo suo se reconciliat. Et hinc colligimus, non aliam nobis causam esse fingendam, cur Deus apparuerit in Filio suo unigenito, & usus fuerit tanta liberalitate: quia hic Propheta in nihilum redigit omnem carnis gloriam, & prosternit omnia merita, quum dicit Deum tam liberalem fore erga populum suum, quia propitiabitur, gratis remittet peccata, non recordabitur iniquitatum. Ergo proprie non potest hic locus accipi de continua peccatorum remissione. Comprehenditur quidem sub generali doctrina, sed tenendum est consilium Prophetæ, nempe quod ab initio Deus, ubi Ecclesiam suam respicit, non alia causa movetur, nisi quia peccata vult abolere. Apostolus in Epistola ad He- *Hebr. 10. v. 17, 18.* bræos hunc locum subtilius interpretatur, quia insistit in particula עוד, amplius. Dicit sub novo Testamento Deum propitium esse iniquitatibus, quia peracta sit expiatio, ut non opus sit in posterum sacrificiis. Nam sumit oppositum membrum, quod Deus iniquitatum recordatus sit donec pepigit novum fœdus. Si recordatus est, inquit, peccatorum donec pepigit novum fœdus, non mirum est, si tunc quotidianis sacrificiis oportuit ipsum placare. nunc sub novo Testamento non amplius recordatur. Ergo cessant sacrificia, quoniam ubi peccata remissa sunt, jam non opus est satisfactione. Hinc colligit, sanguine Christi ita nos fuisse purgatos, & ita reconciliatos Deo, ut fiducia salutis nostræ debeat illic penitus quiescere. Sed tenendum est quod dixi, nempe Prophetam proprie & primo loco differere de initio misericordiæ & gratiæ quam promittit: ideo pronunciat Deum fore tam benignum & beneficum erga suos, *quia non recordabitur iniquitatum.* Quid sibi vult ergo particula Amplius? nempe quia Deus ad tempus fuerat infensus populo suo, & vocabat ejus peccata in judicium. Dicitur enim revocare Deus peccata nostra in memoriam, dicitur nobis irasci, dicitur esse vindex iniquitatum nostrarum ubi pœnas exigit, ubi signa dat sui rigoris & vindictæ. Quantisper ergo Deus severe tractavit populum suum, visus est esse iniquitatum memor: ubi autem pepigit novum fœdus, tunc iniquitates omnes fuerunt sepultæ, & demersæ in profundum maris, sicuti loquitur alter Propheta. Ergo Apostolus abusus est *Mich. 7. vers. 19.* Prophetæ testimonio? minime. Nam scite accommodavit ad causam quam agebat, quia Deus promittit se non fore amplius memorem iniquitatum, dum novum fœdus percutiet cum populo suo: id factum est adventu Christi. Ergo Christus solus hoc præstitit, ut iniquitates nostræ non veniant amplius in memoriam coram Deo. Hinc optime colligitur quod etiam intendit Apostolus, nempe desinere sacrificia expiandis peccatis. Hæc profecto optime inter se conveniunt, & nihil est coactum, vel nimis argutum. Cæterum Propheta hic non instituit plenam disputationem de discrimine veteris & novi Testamenti, sed tantum illud sumit, uberiorem fore Dei gratiam, quam fuisset olim, ut fideles hac spe suffulti, patienter ferrent suas miserias, & gravissimas tentationes, cum quibus erat confligendum, neque animis deficerent usque ad Christi manifestationem, quemadmodum heri diximus. Hic ergo tractat de gratia regenerationis, tractat de dono intelligentiæ, & simul promittit Deum fore propitium suis alio modo, & perfectius quam olim fuerat. Quod autem Apostolus in illa Epistola videtur hoc aptare ad ceremonias,

id

id fit, quia sunt res conjunctæ, abrogatio ceremoniarum, & regeneratio Spiritus, quæ hic promittitur. Non ergo torquet Apostolus Prophetæ verba: sed quoniam commendat novum fœdus, quod futurum erat præstantius Lege, hinc colligit non esse mirum, si ceremoniæ non habeant nisi usum temporalem. Nam sumit illud principium, Novum fœdus succedet veteri: ergo fiet aliqua mutatio. deinde novum fœdus veteri opponitur: quod autem vetus est, tendit ad interitum. Non poterant ferre Judæi quicquam mutationis in figuris. volebant enim eas manere fixas. Apostolus autem dicit nihil esse absurdi, si aliquid decedat: Nam certe Deus non abs re, inquit, Testamentum, quod pepigit per manum Mo-
Hebr. 8. vers. 13. sis, nominat Vetus. ergo non semper manebit in suo vigore. Si ita est, nihil pugnat cum Dei veritate & constantia, ceremonias quoad usum desinere: & tamen Legem ipsam manere firmam. Nunc ergo videmus Apostolum fideliter interpretari consilium Prophetæ dum hoc testimonium ad ceremoniarum abrogationem accommodat. Quoniam autem interpretor duntaxat Prophetæ verba, non opus est hic longius differere de discrimine veteris & novi Testamenti, hoc est, quibus partibus inter se differant. nam differunt vetus & novum Testamentum etiam in aliis. Sed Propheta, quemadmodum dixi, satis habuit attingere, aliquid melius sperandum esse Christi adventu, quam experti fuerant Patres omnibus seculis. Et hoc modo, quemadmodum dixi, voluit lenire dolorem fidelium, quos Deus exercuit duris tentationibus antequam manifestatus fuit Christus in carne. Cæterum, Lex & Euangelium inter se conferuntur, sicuti Moses & Christus. Vocatur ergo novum Testamentum præstantius Lege, sicut Christus excelluit supra Mosen. Sed veniendum est ad illud Joannis, ut certius teneamus cur dicat Propheta aliam fore gratiam novi fœderis, quam veteris
Joan. 1. vers. 17. fuisset. Dicit ergo Joannes, Lex per Mosen data est, gratia autem & veritas per Jesum Christum facta est. Illic videtur Joannes nihil Legi relinquere præter umbram a vanidam. Nam si Christus demum veritatem nobis attulit, non fuit ergo in Lege veritas: deinde nulla in Lege etiam gratia. atqui videtur hoc esse contumeliosum in Legem. sed heri aliqua ex parte soluta fuit hæc quæstio. Nunc quia volo hunc locum absolvere, breviter tenendum est, quoties ita extenuatur Lex, tantum celebrari Christi beneficium, ut sciamus quam inæstimabilis fuerit Dei misericordia quum nobis apparuit in Filio suo unigenito. Nunc si objiciat quispiam, Sed cur Legem ante promulgaverat? & cur voluerat tam reverenter excipi, si gratia & veritate caruit? Respondeo, quemadmodum heri dixi, non caruisse prorsus Legem iisdem beneficiis, quæ hodie percipimus ex Euangelio: sed illa beneficia fuisse tunc quasi adventitia, & proprie non quadrare Legi: quia si separatur Lex ab Euangelio, perinde est acsi quispiam separet Mosen à Christo. Si Moses per se consideratur, non tanquam Christo oppositus, fuit præco & testis paternæ Dei benevolentiæ erga populum suum: doctrina ejus etiam continet promissiones gratuitæ salutis, & januam aperit fidelibus ad Deum invocandum. Si autem Moses Christo opponitur, jam minister erit mortis: doctrina ejus cedet in exitium, & erit mortifera litera, quemadmodum Pau- 2 Cor. 3. vers. 6.
lus eam nominat. quare? quicquid enim daretur Mosi, decederet Christo, quum Christus in solidum contineat in se omnium bonorum plenitudinem. Sequitur ergo in Mose nihil fuisse residuum, dum inter se comparantur: sed Deus promisit salutem veteri populo: deinde regenuit tunc suos, & illuxit per Spiritum suum: non fecit hoc adeo liberaliter ut nunc. Quum ergo hodie locupletior sit Dei gratia, merito extollitur tam magnifice ab omnibus Prophetis: deinde, quemadmodum jam dixi, quicquid tunc contulit Deus, fuit quasi adventitium. pendebant enim omnia illa beneficia à Christo, & Euangelii promulgatione. Nunc pergamus.

35. Sic dicit Jehovah, qui ponit solem (*vel posuit*) in lucem diei, & leges (*vel statuta, decreta*) lunæ & stellarum in lucem noctis: scindens mare, & resonant (*tumultuantur*) fluctus ejus: Jehovah exercituum nomen ejus.

36. Si remota fuerint decreta hæc à conspectu meo, dicit Jehovah, etiam semen Israël cessabit, (*vel deficiet*) ne sit gens coram facie mea cunctis diebus.

Confirmat promissiones, quas vidimus, quoniam difficile erat creditu, populum non modo recuperaturum esse quod perdiderat, sed fore longe beatiorem. Ecclesia enim erat prorsus desperata. Non ergo facile vel promptum fuit attollere quasi ex profundissima abysso miseros homines, & erigere ut possent superare horrendam illam tentationem: quoniam deformitas Ecclesiæ poterat singulis momentis centies iterum obruere mortuos, etiamsi resurrexissent centies à mortuis, & manebant adhuc ipsos gravium certamina in futurum tempus. Hæc igitur ratio est, cur Propheta pluribus verbis in ea re probanda insistat. Dicit in persona Dei, Ego sum qui Solem creavi, Lunam, & stellas: non cessavit continuus ordo à creatione mundi, quin Sol peragat suum cursum: deinde etiam Luna. Loquitur quidem de cursu diurno, quemadmodum scimus Prophetas fuisse loquutos populariter, & rudi stylo: quoniam si philosophati essent, quemadmodum Astrologi faciunt de menstruo cursu Lunæ, de annuo Solis, hoc non poterat ab omnibus capi. Ergo contentus est proponere quod pueri etiam ipsi cognoscunt, nempe Solem quotidie circuire totum mundum, idem facere Lunam, & stellas vicissim succedere, ita ut Luna quasi principatum noctu teneat cum stellis: deinde Sol regnet interdiu. *Ego sum*, inquit Dominus, *qui hunc ordinem posui*, qui firmus manet. deinde, *Ego scindo mare*, inquit, hoc est, moveo tempestates, *& tumultuantur*, vel resonant, *fluctus ejus*. Ponit res quasi contrarias, quæ tamen non pugnant: sed longe sunt diversæ. Cursus enim Solis & Lunæ, & stellarum est aliquid stabile: & ideo vocat חקת, & חקים. hoc est, decreta, quæ non mutantur. Ergo in cælis consideramus ordinem ita compositum & temperatum, ut nihil illic vel in hanc vel in illam partem declinet. Jam in tempestatibus videtur Deus velle mundum concutere, & evertere quicquid erat alioqui inviolabile. Nam rupes etiam ipsæ quasi contremiscunt ubi mare violenter concitatum est, & tamen Deus tranquillat mare ipsum, & sic finem imponit procellis & tempestatibus, ut semper appareat aliquid firmum esse & continuum in natura. Jam adjungit, *Si remotæ fuerint leges istæ à conspectu meo, semen etiam Israël deficiet*, hoc est, quam certa est ordinis naturæ stabilitas quæ conspicitur in cursu Solis & Lunæ, in mari ipso turbulento: tam certa erit salus Ecclesiæ meæ, neque finiri unquam poterit. tempestas maris videtur mundum concutere: manet tamen mundus. Sol & Luna dum ita assurgunt possent obruere totam terram. scimus enim quanto major sit Sol terra. Quum tantum corpus & fere immensum immineat capitibus nostris, & ita celeriter volvatur, quis non exhorreat? tamen Sol per suos gradus procedit. & terra manet in sua stabilitate: quoniam ita placet Deo. Non est igitur metuendum, ne unquam excidat salus Ecclesiæ,

quia

quia nunquam cessabunt naturæ leges, vel decreta, hoc est, Deus qui ab initio statuit mundum gubernare, non abjiciet Ecclesiæ suæ curam, in cujus favorem creatus est mundus. Nec vero mirum est, salutem Ecclesiæ hic ostendi tam firmam, quia potest merito præferri etiam & cursui Solis, & Lunæ, & aliis naturæ ordinibus. Sed Deus hoc loco contentus fuit hac similitudine: quemadmodum etiam dicitur
Psal. 89. vers. 38. in Psalmo, Testes in cælo fideles, nempe Luna & Sol. Agitur autem etiam illic de fœdere, quod Deus percussurus erat cum populo suo in manu unigeniti Filii. citat Lunam testem in cælo. Sed, quemadmodum jam dixi alibi, attollit nos longe supra mundum, & supra omnia elementa, imo supra Solem & Lunam ubi agitur de certitudine salutis nostræ. Et certe Ecclesiæ conditio non pendet à natura mundi.
Psal. 102. vers. 27. 28, 29. Dicitur enim alio loco, Ipsi veterascent, tu autem in æternum manebis, Psalm. 102. Et Propheta illic confert cælos vestibus, quæ usu atteruntur, & tandem putrescunt: Ecclesiæ autem, inquit, conditio, longe alia est. non exprimit quidem hæc verba; sed postquam dixit, Tu idem es, ex æternitate Dei, postea etiam descendit ad æternitatem Ecclesiæ, Filii filiorum tuorum manebunt. Nunc videmus Ecclesiam posse præferri toti mundo: sed Deus consuluit hoc loco populi sui infirmitati quum dixit tam stabilem fore gratiam suam erga populum, quam firma est ratio totius naturæ. Quod quidam referunt particulam extremam versus 35. ad mare Rubrum, quod Deus sciderit mare Rubrum, illud prorsus est alienum à Prophetæ sensu, nec dignum etiam refutatione: sed tamen breviter attingere volui, ne quis erraret.

Da omnipotens Deus, quando fruimur luce Solis & Lunæ nocte & interdiu: da, inquam, ut discamus altius attollere oculos, nec similes simus incredulis, quibus commune est nobiscum hoc beneficium, sed dirigamur in spem æternæ nostræ salutis, nec dubitemus, quin sicuti documentum nobis ponis ante oculos immobilis tuæ constantiæ in his creaturis, ita etiam futura sit firma nostra salus, quæ fundata est in veritate tua certissima, & quæ rerum omnium est certitudo, donec tandem perveniamus in beatum illud regnum, quod nobis partum est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-QUINTA IN JEREMIAM.

37. Sic dicit Jehovah, Si mensurentur cæli sursum, & investigentur fundamenta terræ deorsum, etiam ego rejiciam (*vel spernam*) totum semen Israel, propter omnia quæ fecerunt, dicit Jehovah.

Alia similitudine confirmat eandem sententiam quam vidimus, nempe fieri non posse, ut prorsus excidat memoria fœderis Dei, quin rursus colligat populum suum. Poterat enim exilium videri æternus interitus. ita in nihilum redacta fuisset Dei veritas. Fœdus enim irritum fieri non potuit, quin populus jure posset conqueri se fuisse deceptum. Scimus enim, quamvis adjecta fuerit conditio fœderi, tamen ipsum non fuisse fundatum in hominum probitate. & ideo dicitur,
Rom. 3. v. 3. 4. Deum non esse mendacem, quamvis omnes Judæi fuerint perfidi. Ergo Propheta hic docet quamvis Deus severe ultus fuerit scelera populi, & ulcisci statuerit in posterum usque ad excidium Urbis, fore tamen locum misericordiæ ubi populus castigatus fuerit. Prius dixerat non magis posse deficere fœdus Dei cum filiis Abrahæ, quam naturæ leges. Nunc dicit, *Si quis possit cælum metiri, & pervestigare fundamenta terræ*, hoc est, penetrare usque ad ipsum terræ centrum; *tunc rejiciam semen Israel.* Sed Deus res absurdas & impossibiles in medium proponit, ut sciamus tandem fore populo suo exorabilem ubi justas pœnas sumpserit. Hæc autem promissio non potuit quicquam afferre solatii hypocritis, quia Deus non complectitur totum semen Abrahæ, sed dicit se non passurum, ut totum semen Abrahæ intereat, quia scilicet manebit aliquid residuum: quemadmo-
Jesa. 10. vers. 22. dum dicitur apud Jesaiam, Si populus tuus fuerit tanquam arena maris, reliquiæ salvæ fient. Deus ergo hic non affirmat se omnibus fore propitium, sed tamen fore aliquos superstites, ut maneat nomen ipsum populi immortale: denique promittit salvam fore Ecclesiam, sed exiguo numero. Nunc tenemus Prophetæ sensum: nec dubium est quin respexerit fideles, qui poterant desperatione obrui quum viderent se procul abstractos à patria, & nullam esse spem reditus. Testatur ergo ita Deum curam gerere salutis fidelium, ut colligat dispersum semen. Sed tenendum est quod diximus, restringi scil. hanc promissionem ad solos electos, quia soli etiam capaces erant hujus gratiæ. quantum attinet ad incredulos qui obstinati fuerunt in sua malitia, Deus potuit illos prorsus excidere, & tamen servare gratiæ suæ reliquias. Non est autem hic opus subtili disputatione, an possit investigari centrum terræ. Philosophi enim rationes probabiles afferunt de magnitudine cælorum: dimensio etiam terræ ab illis colligitur. Sed rudi stylo & populari voluit simpliciter dicere Propheta æternam fore & immensam Dei misericordiam erga filios Abrahæ, sicuti immensitas terræ & cælorum superat captum humani ingenii. Addit, *propter omnia quæ fecerunt*, hoc est, quamvis meriti sint centum æternas mortes, ego tamen rationem potius habebo mei fœderis & misericordiæ. Consulto igitur Propheta hic proponit scelera populi, ut sciamus superiorem fore Dei clementiam, nec congeriem tot malorum fore obstaculo, quo minus Deus ignoscat. Hæc igitur ratio est cur dicat, *propter omnia quæ fecerunt.* Nunc sequitur,

38. Ecce dies, (*addunt alii* באים, *veniunt*) dicit Jehovah, & ædificabitur urbs Jehovæ à turri Chananeel usque ad portam anguli.

39. Et exibit adhuc funiculus mensuræ coram ipso, (*vel, coram ipsa porta*) & usque ad collem Gazeb, & circumdabit Goathath.

40. Et omnem vallem (*alii legunt in nominativo casu, Et omnis vallis*) cadaverum & cineris, & omnes regiones (*vel agri*) ad torrentem Kedron, usque ad angulum portæ equorum versus Orientem, sanctitas Jehovæ: non evelletur, & non destruetur amplius in perpetuum.

Hic concionatur Propheta de instauratione Urbis. Nec dubito quin ejus consilium sit, docere non minorem fore urbis amplitudinem & splendorem post reditum populi, quam fuisset sub Davide in illo beatissimo statu, in quo floruerat. Prius tamen aliquid de vocibus dicendum erit, postea veniemus ad summam rei. *Ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & ædificabitur civitas.* Nondum erat diruta, sed Propheta docuit instare ultimam cladem: ideo nunc spem facit reliquam duntaxat in misericordia Dei, nempe postquam liberatus fuerit populus ab exilio. *Ædificabitur* ergo *civitas Jehovæ à turri Chananeel.* non dubito turrim hanc fuisse positam in muro urbis. Idem fere vaticinium legitur Zachariæ
Zach. 14. vers. 10. 14. cap. tametsi aliqua est in verbis diversitas: sed eodem tamen spectat uterque Propheta. Zacharias populum animare voluit, quia principia non respondebant urbis pulchritudini, & opulentiæ, atque etiam latitudini, quæ olim visa fuerat. Promittit igitur tandem eandem fore urbis gloriam, quæ fuerat: & nominat illic turrim Chananeel. *Usque ad portam anguli.* vocatur in singulari numero הפנה, anguli: apud Zachariam plurali numero הפנים: & putant metaphorice ita vocari angulos, vel angulum, quia ostendit angulus duas facies dum eminet, & ita duæ partes apparent. sed sive fuerit porta anguli, sive angulorum, parum ad rem facit. Postea addit, *Adhuc egredietur funiculus mensuræ coram ipso* Quidam referunt hoc ad portam, quod ab ipsa porta funiculus extendetur *usque ad collem Gazeb, & circumdabit Goathath.* de propriis nominibus locorum non laboro vehementer, quia non tenemus antiquum Urbis situm, & Judæi etiam ipsi quum divinant de rebus incertis, produnt magis suam inscitiam: major tamen pars Interpretum intelligit Urbem fore amplam, acsi Deus promitteret se extensurum longius pomœria: & eliciunt hoc ex verbo יצא, *Egredietur funiculus mensuræ.* Sed quum Propheta dicit *adhuc*, potius comparat pristinam Urbis magnitudinem cum ea quam promittit adhuc fore. deinde videtur Zacharias non aliud promittere, quam talem fore Urbis positum, ut contineat eandem mensuram:
Zach. 12. vers. 6. quia dicit, Habitabitur Urbs subtus se, vel in loco suo. Quum ergo Zacharias promittat eundem fore Urbis locum qui fuerat olim, non aliud colligo ex Prophetæ nostri verbis, præsertim quum adverbium *adhuc* idem significet. Quum dicitur, *coram ipso*, magis refero ad Deum, quam ad portam: prius enim facta fuerat Dei ipsius mentio, *Ædificabitur Urbs Jehovæ.* deinde addit, *coram ipso.* Nec dubium mihi est quin Propheta hic jubeat Israëlitas oculos ad Deum attollere, ut ab eo expectent quod incredibile erat secundum hominum & carnis sensum. Ergo *coram ipso*, hoc est, quum Deus volet Urbem restituere, *tunc egredietur funiculus*, hoc est, extendet ipse funiculum *usque ad collem Gazeb, & circumdabit*, vel circuibit *Goathath.* Postea addit, *Et omnem vallem*: alii legunt, Omnis vallis erit *sanctitas Jehovæ*: & potest ita commode accipi, nempe loca omnia vicina urbi fore sacra Deo. sed potest pendere hic versus à superiori: quasi diceret, Extendetur funiculus *usque ad totam vallem cadaverum, & cineris.* דשן significat cinerem & pinguedinem, sed hic accipitur pro cinere: & existimant ita vocatum fuisse locum ubi reponi solebant cineres, qui collecti erant ab altari post combusta sacrificia. quoniam ergo magna erat illic congeries cinerum, inde etiam locus nomen sumpsit. Alter locus etiam vocatus fuit cadaverum, quia illic cæsus fuerat hostium exercitus ab
2 Reg 19. vers. 35. Angelo sub rege Ezechiah. Quum ergo magna illic & memorabilis edita fuisset strages, ideo existimant impositum fuisse loco nomen, ut Dei beneficium ad posteros maneret celebre. Si ergo nomen illud fuit monumentum gratiæ Dei, non dubito quin Ezechias ipse auctor fuerit. Jam additur, *Et omnes regiones usque ad torrentem Cedron.* Satis probabile est hic notari loca extra urbem, quia scimus torrentem Cedron non fuisse in urbe ipsa. Postea addit, *Usque ad angulum portæ equorum.* existimant hac porta egressos fuisse currus regios quum vellet equos suos exercere. potuit etiam esse forum equestre: & tantum hic conjecturæ locum habent, quia nemo potest pro certo asserere Regem illic habuisse ludos equestres, vel exercuisse suos currus. porta autem illa ad Orientem spectabat. Dicit hæc omnia *fore sanctitatem Jehovæ*: deinde promittit quietum & perpetuum statum, *Non excidetur, & non destruetur amplius usque in seculum*, pro quo dicitur apud Zachariam non fore amplius חרם, hoc est, excidium. Nunc videamus quorsum tendat Propheta. postquam loquutus est de reditu populi, simul etiam adjungit urbem iterum fore splendidam & opulentam, ut fuerat. nam terra ipsa semper fuit deformis usque ad urbis restitutionem: illic enim Deus elegerat sibi domicilium: & quoniam Templum illic extructum erat, debebant ubicunque habitarent Israëlitæ semper dirigere oculos ad Templum ipsum, & sacrarium Dei, ut sub ejus præsidio degerent. Nisi ergo Urbs rursum fuisset extructa, non erat solidum Dei beneficium. semper enim versata fuisset ante populi oculos quædam vastitas, quia Urbs erat quasi vexillum, sub quo Deus ipsos protegebat. Hæc igitur ratio est cur Propheta expressum vaticinium ediderit de futura Urbis instauratione. Jam quum dicit *Urbem ædificatum iri Jehovæ*, significat quod maxime expetendum erat Judæis, Urbem illam adhuc fore sanctam, quia si tantum floruisset opibus, & potentia instar aliarum urbium, hoc erat solatium tenue Israëlitis. Sed hic discrimen notat inter Jerosolymam, & alias profanas urbes. Deus enim voluit censeri Urbis illius architectus, quemadmodum dicitur in Psalmo, Ipse Psal. 87. vers. 5.
est qui fundavit eam: deinde, Fundamenta ejus in Psal. 87.
montibus sanctis. hoc etiam debet de ipso intelligi. vers. 1.
Summa est, Deum adhuc habiturum curam Urbis illius, ut Templum sit quasi sedes ejus regia, & terrestre Sacrarium. Porro dum affirmat Propheta non minorem fore Urbis amplitudinem quam fuerat, hinc statuimus vaticinium hoc necessario debere ad Christi regnum referri. etsi enim excelluit Jerosolyma ante Christi adventum, & triplici muro cincta fuit: deinde in toto Oriente fuit celeberrima, ut etiam profani Scriptores eam aliis præferant: tamen nunquam hoc completum fuit, ut scilicet Urbs floreret sicuti sub Davide, & Solomone. Ergo necesse est venire ad spiritualem Urbis statum, & exponi hanc promissionem de gratia, quæ contigit Christi adventu. Maxime vero notandum est quod dicitur *sanctitatem fore Jehovæ*: deinde non esse metuendum amplius exitium, vel excidium. si enim eadem fuisset populi electi conditio, quæ aliarum gentium, erat perquam exigua hæc promissio, & fere nullius momenti, quia satius illis fuisset habitare in exilio quum incolerent terram amœnam & fertilem. Sed Propheta hic commendat privilegium, quo Deus filios Abrahæ præ cunctis gentibus dignatus fuerat, quum scilicet eos adoptaverat in peculium. subest tamen tacita antithesis inter profanationem quæ tunc erat, & sanctificationem quæ promittitur. Judæi enim terram ita polluerant, ut nihil differret ab aliis regionibus: & Deus, quemadmodum etiam dicit Eze- Eze 8.
chiel, illinc migraverat. & scimus vocari à Prophe- vers. 6.
tis Templum speluncam latronum, adeoque Urbem Supr. 7.
ipsam conferri Sodomæ, & Gomorræ. Propheta vers. 11.
igitur hic promittit Urbem cum tota vicinia fore Jesa. 10.
Deo sacram, quia Deus purgabit eam ab omnibus vers. 10.
inquinamentis, quibus polluta fuerat. deinde eam sibi asseret, quia proprium ejus opus est sanctificare. Additur promissio de perpetua gratia, quemadmodum & apud Zachariam. neque enim sufficeret

ret promitti nobis Dei misericordiam ad breve tempus, nisi accederet etiam perpetuitas. Propheta igitur continuam fore seriem beneficiorum Dei nunc promittit. Jam quod Urbs à Tito rursus fuit excisa, deinde tandem nulla superficies relicta fuit ab Adriano, non pugnat cum hac promissione: quia sicuti diximus, præbuit Deus aliquem gustum hujus gratiæ in externo Urbis aspectu usque ad Christi adventum. postquam autem exhibitus fuit Christus, quærenda fuit cælestis Jerosolyma: quoniam umbræ illæ cessarunt & imagines. Hæc igitur perpetuitas est de qua concionatur Propheta, nempe quæ respondet naturæ regni Christi, ideoque spiritualis est. Cæterum, docet hic locus æternam fore Ecclesiam, & quamvis graviter Deus permittat ipsam concuti hinc inde, tamen semper aliquod semen fore residuum quantisper fulgebunt Sol & Luna in cælo, & vigebit ordo naturæ, ita ut omnia elementa, & quicquid oculis nostris conspicimus, testimonium reddant Ecclesiæ æternitati, quod scilicet nunquam desinet: quia etiamsi quotidie Satan, & totus mundus minetur ei interitum, Dominus tamen mirabiliter eam usque ad finem conservabit, ut non pereat in seculum. hæc igitur summa est. Sequitur aliud vaticinium;

CAP. XXXII.

SErmo qui datus fuit Jeremiæ à Jehovah anno decimo Zedechiæ regis Jehudah: hic annus est decimus octavus Nabuchadnezer:

2. Et tunc exercitus Regis Babylonii obsidebat Jerosolymam, & Jeremias Propheta erat inclusus in atrio custodiæ, quæ est in palatio Regis Jehudah:

3. Quia incluserat ipsum Zedechias rex Jehudah, dicendo, Quare tu prophetizas dicendo, Sic dicit Jehovah, Ecce ego trado urbem hanc in manum Regis Babylonii, & capiet eam?

Hic narrat Propheta, quamvis inclusus esset in carcere, sermonem Dei non fuisse alligatum, & se in illis angustiis non minus solutum & liberum fuisse quam si vagatus fuisset per totam urbem, & lustrasset omnes vias & compita. non ergo destitit ab officio Prophetæ, quamvis fuisset conjectus in carcerem. Et ita videmus non posse impediri cursum cælestis doctrinæ, utcunque sæviat mundus contra omnes ministros, & eos constringat, ut obmutescant. deinde hic etiam perspicimus invictam Prophetæ constantiam, quod non dejectus fuit metu, quamvis esset captivus, neque esset extra mortis periculum: quia videmus tunc quoque animose perrexisse in munere suo. Ergo circumstantias temporis non abs re designat quum dicit *se tunc fuisse clausum in carcere.* annum etiam ponit, nempe decimum Zedechiæ, & decimum octavum Regis Nabuchadnezer. Circiter finem anni noni ascendit Jerusolymam exercitus Nabuchadnezer: obsessa fuit Urbs duobus mensibus illius anni: sequutus est annus decimus, quo fuit oblata hæc visio Prophetæ. obsidio duravit usque ad sesquiannum: sed contigit aliqua interruptio: Ægyptii enim venerant in auxilium. ita ad breve tempus dum obviam illis profecti sunt Chaldæi, fuit aliqua libertas: sed cum ignominia redire coacti sunt Ægyptii: & postea dederunt pœnas suæ audaciæ, & temeritatis, ut videbimus suo loco. Ergo fuit hoc quasi medium obsidionis tempus quum Deus Prophetæ prædixit futurum reditum populi, ut videbimus. Sed quamvis miseris exulibus consulere Deus vellet, simul tamen confirmavit quod ante pronunciaverat de futura vindicta. neque enim restitui populus ante potuit, quam abductus fuisset in exilium. fuit autem hæc horribilis durities, & contumacia, quod jam tot flagellis percussi, tamen non profecissent quicquam. experti fuerant grave Dei judicium sub Jehojakim, deinde sub Joakim: sed memoria illarum cladium statim evanuerat, & perinde agebant securi acsi nunquam audivissent unum verbum ex ore Jeremiæ, quanquam non solus illis minatus fuerat, sed ante ipsum Jesaias, & alii: eodem etiam tempore Ezechiel qui exulabat in Chaldæa. Ergo ex numero annorum colligimus quanta fuerit populi obstinatio. Sed simul notandum est opportunum fuisse hoc vaticinium levandis piorum animis, quia non procul aberant ab ultima clade: anno enim undecimo Zedechiæ, mense quarto Urbs capta fuit, & excisa, & populus abductus, & Templum exustum: distabant tunc forte à suo interitu sex vel septem mensibus. hic enim nulla fit mentio quoto mense hanc visionem acceperit Propheta, sed tantum ponitur annus decimus: initio autem undecimi diximus captam fuisse Urbem. Hinc autem melius cognoscitur diabolica populi obstinatio, quod quum hostilis exercitus Urbem cingeret, tenebant tamen Jeremiam ipsum captivum: prædixerat jam tot annis quod tunc experientia docebat verum fuisse: per quadraginta annos non destiterat clamare, & monendo, atque hortando, ac minando periculum facere an possent adduci ad resipiscentiam. Quum ergo nihil illis novum accidisset, quin potius certo malorum eventu experirentur Jeremiam verum & fidelem fuisse servum Dei, quid hoc sibi voluit, tenere ipsum inclusum? an non erat palam cum Deo bellum gerere? quid enim illis negotii erat cum Jeremia? certe non egerat privatam causam, deinde non somniaverat quod toties illis prædixerat. ergo non pugnarunt cum homine mortali, sed potius Gigantum more ausi sunt cornua adversus Deum ipsum attollere. Et hac ratione etiam se ornat Prophetæ elogio. hoc quidem sæpe facit: sed non dubium est quin hic notetur indignitas: quod scilicet quo tempore Chaldæi Urbem cingebant suo exercitu, *Jeremias Propheta clausus erat in atrio custodiæ.* poterat simpliciter dicere, Jeremias tunc erat clausus: sed titulum Prophetæ honoris causa sibi assumit, ut inde magis appareat fœditas contumaciæ, quod populus quum sentiret Deum infestum, tamen non destiit à sua superbia. tenuit enim tunc Prophetam ipsum in carcere, acsi certaret cum Deo ipso. Scimus stultos, ut proverbio veteri dictum est, accepto malo sapere: ergo si qua fuisset mica vel gutta prudentiæ in Judæis, poterant suis malis & calamitatibus flecti, ut abjicerent fastum illum, & pervicaciam. Sed videmus ut fuerint indomiti, & vesano furore persttiterint in suis sceleribus, quod constricti ab hostibus voluerunt Deum in persona servi sui tenere quasi captivum. Quod dicitur hic *de atrio custodiæ*, non dubito quin fuerit carcer paulo humanior, quemadmodum alibi videbimus Prophetam fuisse deprecatum ne illinc iterum traheretur in obscurum alterum carcerem, ubi fuerat: petiit hoc non vulgaris beneficii loco, ut maneret in aliquo carcere, & tamen expositus fuit omnium ludibriis. Quicquid sit, videmus tunc populum nihilo fuisse meliorem, tametsi jam sæpius castigatus fuisset Dei ferulis. Interea memoria tenendum est quod dixi, dum impii modis omnibus conantur sermonem Dei prorsus extinguere, non consequi quod

optant: quia Deus perrumpit nihilominus, & continuat verbi sui cursum quicquid illi moliantur. Et hoc diligenter notandum est, quia hodie videmus machinas omnes admoveri à reprobis, ut cursum cælestis doctrinæ abrumpant. Veniat igitur nobis in mentem hæc historia, quum captivus esset Jeremias, liberum nihilominus fuisse ejus sermonem, & linguam solutam. quemadmodum etiam Paulus gloriatur: Etiamsi constrictus sim vinculis, sermo tamen Dei non est alligatus, inquit. (2 Tim. 2. vers. 9.) Jam subjicitur causa cur fuerit inclusus in carcere, quia scilicet ausus fuerat prophetare contra Urbem, & Regem ipsum. non mirum est si Regis animus fuerit exacerbatus quum intrepide diceret Jeremias venturum in manus hostium. neque enim tantum de Urbe ipsa, & ejus excidio concionatus fuerat, sed de Regis clade: dixerat enim tractum iri in conspectum regis Nabuchadnezer, & venturum Babylonem usque dum visitaret illum Deus. scimus quam delicatæ sint Regum aures: ergo nihil mirum si excanduerit Zedechias adversus Jeremiam; sed tandem debuit vel molliri, vel frangi quum videret hoc oraculum profectum fuisse à Deo. Quod ergo tenuit semper Prophetam captivum, hinc apparuit ejus vecordia, & stupor, quia in Deum non respexit. Cras reliqua prosequar.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus quotidie iram in nos tuam provocare, ut saltem admoniti verbo tuo, resipiscamus, & nos humiliemus in conspectu tuo, atque ita præveniamus rigorem tui judicii: deinde etiam ut castigati manu tua non obdurescamus, sed nos tibi subjiciamus, & præbeamus nos dociles, ac sic proficiamus sub tua disciplina ut tandem toti tibi addicti, nihil aliud habeamus propositum, quam sacrum tuum nomen glorificare, donec participes simus ejus gloriæ, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-SEXTA

IN

J E R E M I A M.

COEpimus heri tractare de superbia atque etiam furore regis Zedechiæ, quod teneret Prophetam in custodia, quum tamen obsideretur ab hostibus, sicuti prædictum fuerat. videbat Jeremiam loquutum esse quasi ex ore Dei. nam effectus vaticinii satis probabat non temere quicquam protulisse, sed quod divinitus fuerat mandatum: non tamen desinit à sua pertinacia. Jam verba etiam satis ostendunt fuisse prorsus excæcatum quum diceret, *Quare prophetas nobis, Venient Chaldæi, & capient Urbem?* non erat quidem propositum huic stulto Regi, ac vesano os Prophetæ obstruere, & simul fateri ipsum habere mandatum à Deo: sed ita solent reprobi. prosiliunt enim cæco impetu adversus Dei servos, nec quicquam discernunt. Siquis ipsos interroget, an velint aperte, & ex professo obstare, ne Deus sit ipsorum judex, negabunt: sed interea non sustinent se moneri, & coargui. Hic ergo quasi in speculo perspicimus quam furiose omnes reprobi Deo resistant, & conentur Spiritum ejus, quantum in se est, extinguere. denique possent quidem concedere aliquod imperium Deo, modo cum eo transigerent ne quid adversus ipsorum cupiditates loqueretur per suos Prophetas. Porro minime dubium est quin præcipue exasperatus fuerit his Prophetæ verbis,

4. Et Zedechias rex Jehudah non effugiet è manu Chaldæorum, quia tradendo tradam in manum regis Babel, & loquetur os ejus cum ore illius, & oculi ejus oculos ejus videbunt.

Quum ergo videret Rex se non eximi à communi judicio, hac de causa præcipue succensuit Jeremiæ. volunt enim Reges solvi legibus, atque ut permittant objurgari populum, tamen volunt esse sacrosancti. Quum ergo Jeremias regem Zedechiam una cum vulgo ipso ignobili involveret, hoc non fuit tolerabile Regi superbo. hinc tanta indignatio, ut includeret Jeremiam in carcere: deinde esset implacabilis, quum tamen urgeret eum manus Dei. Postea sequitur,

5. Et Babylonem abducet Zedechiam, & illic erit usque dum visitavero ipsum, dicit Jehovah: quando præliati fueritis adversus Chaldæos, non prospere vobis cedet.

Prosequitur eandem sententiam: *Abducet*, inquit, *rex Nabuchadnezer Zedechiam captivum, & manebit in exilio usque dum visitavero ipsum.* quidam hoc tempus visitationis intelligunt de morte. certum enim est mortuum fuisse Babylone. Et quia ejus conditio non legitur in melius conversa esse, sicuti Joakim è squalore carceris eductus ad mensam Regis accubuit, expositio illa primo intuitu probabilis est, ad mortem usque confectum fuisse egestate & ignominia. videtur tamen potius aliqua promitti levatio, nisi forte species mortis beneficii loco censeatur: quia gladio non interiit. Etsi autem non reversus est in patriam, nihil tamen absurdi est in hac loquendi forma, quod fuerit in exilio usque ad visitationem, quia nihil potest inde ferri: deinde videbimus postea datum fuisse hoc mortuo, ut honorifice & cum luctu sepeliretur. Non mirum igitur est quod Deus hic tempus gratiæ designat, tametsi nunquam in patriam reductus est Zedechias: & scimus erutos fuisse ejus oculos à Rege Nabuchadnezer. nam coactus fuit causam dicere, & damnatus. Cæterum, hoc Dei beneficium tamen non abs re commendatur, quod tandem eum Nabuchadnezer clementius tractavit, quantum ex sepultura conjicere licet. Dicit ergo, *Babylonem ducet eum Nabuchadnezer, & erit illic usque dum visitavero illum*, id est, manebit exul in pœdore carceris, & illic esuriet, & destituetur omni auxilio: erit quasi unus è postremis, denique trahet vitam ignominiose usque ad tempus visitationis meæ. Tandem addit, *Quum præliati fueritis adversus Chaldæos, non cedet vobis prospere.* Hic occurrit Propheta stultis cogitationibus, quæ adhuc poterant Judæos inflare ne se subjicerent Deo, & humiliarentur sub forti ejus manu. erat enim non parva hominum multitudo: Urbs autem habebat firmas munitiones. Quum ergo viderent se instructos esse viribus & copiis, adhuc superbiebant: deinde obduruerant ipsorum animi temporis progressu. nam sustinuerant longo tempore obsidionem. Quum primum irruunt hostes, omnium animos

animos occupat formido: sed si eventus hostes frustretur, tunc incipiunt qui ante trepidaverant colligere animos. id accidit Judæis: quum enim cincta fuisset Urbs ab exercitu Chaldaico, non dubium est quin miseri illi exhorruerint: sed postquam viderunt hostes subsistere, & nihil proficere suo conatu, tunc magis ac magis obstinarunt animos. Notandum enim est quod heri dixi, obsessos fuisse quo tempore oblata fuit Jeremiæ hæc visio, forte per sex vel octo menses. hinc igitur plus confidentiæ. Sed Propheta refellit hanc stultitiam quum dicit, *Præliamini adversus Chaldæos*, sed eventus semper erit infelix. Deus ergo semper vos prosternet coram hostibus, quia cum ipso vobis bellum est. Hæc summa est præfationis, quod scilicet Jeremias tunc clausus fuerit in carcere, nec Rex à sua contumacia destiterit, quanquam ipsum premebat Dei manus: deinde exprimitur causa, nempe quod libere minatus fuerit tam Regi, quam Urbi, & denunciaverit instare illis Dei vindictam, donec Rex ipse abductus esset in exilium, & Urbs capta esset ac direpta ab hostibus. Nunc sequitur,

6. Et dixit Jeremias, Fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

7. Ecce Chanameel filius Sallum patrui tui venit ad te, (*aut venturus est ad te*) qui dicet, Eme tibi agrum meum qui est in Anathoth: quia tibi jus affinitatis (*vertunt, jus redemptionis, sed redemptio illa refertur ad affinitatem, vel cognationem: jus igitur cognationis*) ad emendum.

8. Et venit ad me Chanameel filius patrui mei, sicuti loquutus fuerat Jehovah, ad atrium custodiæ, & dixit mihi, Eme, agedum, agrum meum qui est in Anathoth, quod oppidum est in terra Benjamin, quia tibi jus hæreditatis, (*vel possessionis.* ירש *significat proprie hæreditario jure possidere*) & tibi redemptio: eme tibi: tunc cognovi quod hic esset sermo Jehovæ.

9. Et emi agrum ab Chanameel filio patrui mei qui erat in Anathoth, & appendi ei pecuniam, septem siclos, & decem nummos argenteos.

10. Et scripsi in libro, & obsignavi: & contestatus sum testes, & appendi pecuniam in statera. (*vel, in lancibus: est In auribus: sed metaphorice trutinam in duali numero vocant aures.*)

11. Et sumpsi librum emptionis obsignatum ex præscripto, & ritu, (*vel, more, vel statuto*) & apertum.

12. Et dedi librum emptionis Baruch filio Neriæ filii Maassiæ coram oculis Chanameel patruelis mei, & coram oculis testium, qui scripti erant in libro emptionis, coram oculis omnium Judæorum qui sedebant in atrio custodiæ:

13. Et præcepi Baruch coram oculis ipsorum, dicendo,

14. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Sume libros istos, librum emptionis hunc & obsignatum, & librum apertum, (*hoc est, tam obsignatum, quam apertum hunc librum*) & pone eos in vase testaceo, ut perstent ad multos dies. (*nunc sequitur applicatio visionis:*)

15. Quia sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Adhuc ement domos, & agros, & vineas in terra hac.

Hæc omnia legenda fuerunt uno contextu, quia longo sermone exponit Propheta quomodo, vel quo symbolo obsignatum fuerit vaticinium. Summa autem huc tendit, postquam multum temporis transactum fuerit, redituros esse Judæos in patriam, quia eos Deus restituet, ac finem accipiet eorum captivitas. Spem ergo liberationis illis dare voluit Deus: sed interea admoniti fuerunt ut patienter expectarent finem exilii sui. Nunc veniendum est ad externum symbolum: jussus est Propheta agrum emere à fratre suo patruele. hoc erat valde ridiculum: hostes enim occupaverant partem illam regionis: nemo ex Judæis ausus fuisset tunc accedere ad suos agros. Quum ergo privati essent agrorum suorum conspectu, potuit videri Propheta desipere, quod emeret agrum cujus dominium erat penes hostes. Sed hoc modo voluit Deus ostendere, postquam Judæi ad tempus privati essent terræ habitatione, tandem redituros, ut quisque jus suum recuperaret, atque ita quasi postliminio omnia illis essent integra, nempe postquam ipsorum misertus esset Deus. Sed primo loco videndum est fueritne hæc nuda visio, ut loquuntur, an vero res gesta. quidam putant hoc spiritu Prophetico fuisse ostensum Jeremiæ: sed ex contextu colligere promptum est, re ipsa agrum fuisse emptum. Primo dicit *datum fuisse sermonem Jeremiæ*: sed aliquanto post subjicitur, postquam venit ille patruelis, tunc certiorem factum fuisse Jeremiam, gubernari hoc totum negotium divinitus. Prædixit ergo Deus Prophetæ quod futurum erat: *Ecce veniet Chanameel filius Sallum patrui tui*, & offeret tibi agrum venalem: ita loquutus est Deus Prophetæ suo: & hactenus licebit dicere vel per somnium, vel per visionem fuisse edoctum Jeremiam de re futura: sed quum postea addit ipsum Chanameel venisse, & Jeremias testatur *se tunc agnovisse hoc totum profectum esse à Deo*, minime dubium est quin historica sit narratio. Deus ergo voluit Chanameel venire ad Jeremiam, & proscribere agrum venalem, & ipsum rogare ut emeret, quoniam penes ipsum erat proxima hæreditas, ac proinde jus redemptionis ex cognatione. Tenemus ergo fuisse quoddam cæleste oraculum Prophetæ datum, sed rem simul fuisse conjunctam: quoniam venit Chanameel, & agrum vendidit coram testibus: idque necesse fuit non tam causa ipsius Jeremiæ, quam totius populi, & maxime fidelium, quibus hoc peculiare vaticinium fuit. Deus enim noluit hunc thesaurum esse vulgarem, sed deposuit apud suos electos, quemadmodum ex fine colligi potest. Antequam ergo veniret Chanameel, edoctus fuit Propheta nihil fieri in ea re temere, sed Deum esse auctorem. Jussus est ergo agrum emere, & quasi projicere pecuniam. quis enim non dixisset tantundem perire? deinde notanda est circumstantia temporis: Propheta tunc erat in vitæ periculo: quorsum igitur ager? deinde diximus non fuisse liberum accessum etiamsi non fuisset carcere inclusus: neque enim ausus fuisset exire portam Urbis. Fuit igitur hæc prorsus ridicula emptio pro carnis sensu: profudit enim pecuniam Jeremias, & imaginaria fuit agri possessio duntaxat. sed tamen quia sic Deo placebat non pepercit pecuniæ, & emit agrum à suo patruele. Dicit

ergo *venisse Chanameel filium patrui sui, sicuti loquutus fuerat Jehovah, venisse in atrium custodiæ, loquutum fuisse cum eo, sicuti Deus prædixerat.* Quantum ad clausulam versus pertinet, videri posset absurdum quod dicit Propheta *se tunc agnovisse hunc sermonem manare à Deo.* nam si prius dubitabat, ubi certitudo spiritus Prophetici? jam acceperat visionem. debuit amplecti quod sciebat divinitus sibi esse prædictum, idque absque ulla dubitatione. apparet autem fuisse suspensum & perplexum. ergo videtur hoc signum fuisse incredulitatis, quod non adhibuit plenam & solidam fidem Deo, neque persuasus fuit de oraculo cælesti, donec re ipsa vidit hoc totum esse completum. Sed distinguere convenit inter scientiam, qua præditus fuit ex revelatione Spiritus, & scientiam experimentalem, ut loquuntur. Propheta igitur non tunc primum didicit loquutum fuisse Deum, sed confirmatus fuit in fidei suæ certitudine: & in re nulla est absurditas. neque enim quicquam decedit ex fide, & auctoritate verbi Dei dum usus ipse & experientia nos confirmat, & Deus etiam sæpe hoc modo consulit suorum infirmitati. Jeremias ergo recubuit in Dei oraculum, & absque controversia persuasus fuit se divinitus fuisse edoctum de emendo agro. sed quum paulo post venit Chanameel ad ipsum, effectus ipse fuit quasi obsignatio visionis. ergo magis ac magis sancita fuit in corde Prophetæ Dei veritas. Hæc est, quemadmodum dixi, experimentalis notitia, quæ nihil detrahit verbi fidei: sed potius remedium est ac solatium humanæ infirmitatis. hoc sensu dicit *se tunc cognovisse:* & ita voluit etiam fidem facere vaticinii apud alios. Nam quum fideles visionem conferrent cum ipso effectu, non parum valuit hic consensus & hæc melodia, ut ita loquar, ad confirmandam eorum fidem, quum ab una parte audirent Deum fuisse loquutum, deinde scirent completum re ipsa fuisse quod Propheta edoctus fuerat. Postea adjungit *se emisse agrum à filio patrui sui Chanameel, qui erat in Anathoth, in terra Benjamin.* Nihil est in verbis supervacuum. tametsi enim ille locis satis vulgo notis loquitur Propheta, respicere tamen oportet ad tempus emptionis. nam terra Benjamin erat sub hostium potestate: redacti fuerant Judæi in tales angustias, ut non essent tuti Jerosolymæ. Anathoth autem erat vicus, quemadmodum satis notum est, expositus libidini hostium, & cesserat primo adventu in prædam. fuit igitur stultum emere agrum in vico illo qui jam transierat sub hostium potestatem. Addit, *In terra Benjamin*, quæ contigua erat finibus Jehudah: sed deserta erat ab indigenis, & omnes confugerant Jerosolymam. Quum igitur terra Benjamin jam nullum haberet incolam, fuit hoc minime consentaneum, ut Propheta etiam exiguam pecuniæ summam numeraret pro agro illo. Quæritur autem quomodo vendiderit agrum Chanameel qui erat ex ordine Levitico. scimus nihil
Num. 18. vers. 21. proprium fuisse Levitis, & decimas fuisse illis datas in hæreditatem. Sed debet hoc intelligi de agro suburbano: habebant enim suburbia, & quisque possidebat pratum aliquod. non arabant neque metebant, neque etiam ipsis fas erat ex Lege operam impendere agriculturæ: sed pascebant illic sua pecora & pecudes, & tenuitas summa hoc satis ostendit. quanti enim venditus fuit ager? septem siclis, & decem nummis argenteis. Videmus ergo non fuisse latifundium, sed duntaxat pratum horto simile: quia majus fuisset pretium, si fuissent aliquot agri jugera. Facilis igitur est hæc solutio, nempe quod pratulum aliquod vendiderit Chanameel Jeremiæ, sicuti quisque Levita habebat in suburbio pratum aliquod pascendis suis pecudibus vel armentis: quanquam non possidebant armenta singuli, sed habebat quisque vaccam unam, aut duas. sic ergo nomen Agri debet accipi. Addit Propheta *se scripsisse librum*, hoc est, tabulas venditionis. nam ספר vocant Hebræi non modo justum volumen, sed quod vulgo dicimus instrumentum, & quas Latini vocant tabulas. Dicit ergo tabulas emptionis fuisse confectas: deinde adjungit *fuisse obsignatas*, non more nostro quum sigillum appenditur: sed fuisse clausas, ut tunc ferebat mos & usus. Addit etiam, *ex ritu, & ex statuto.* tandem adjungit alias etiam tabulas fuisse confectas, quæ manebant apertæ. Putant per librum apertum notari quod lingua nostra vocamus *copiam*: & ita obsignatæ tabulæ fuerunt repositæ in arca, exemplar autem apertum potuit quotidie proferri. Etsi autem alludit Propheta ad morem tunc receptum, non tamen dubito quin vaticinium hoc scripserit in tabulis clausis & apertis, ut qui tunc vivebant jam perciperent aliquid utilitatis ex doctrina: deinde ut etiam exemplar authenticum, vel ipsum archetypum maneret ad posteros, quemadmodum postea videbimus. Et certe voluit Deus non tantum erigere spem fidelium post completum tempus exilii, ita ut hæc prophetia jaceret inutilis per septuaginta annos, sed voluit jam tunc prodesse, ut esset illis fultura ad patientiam. Interea fuit etiam altera utilitas vaticinii, nempe ut Judæi perfuncti exilio inciperent bene sperare, & memores hujus visionis statuerent Deum fore suum liberatorem, sicuti pollicitus fuerat. Hæc igitur ratio est cur duplices tabulæ confectæ fuerint hujus emptionis: tabulæ obsignatæ, & tabulæ apertæ. quæ apertæ erant, habebant præsentem usum, ut alacrius pergerent in exilium fideles, & placide subirent castigationem sibi divinitus impositam. Prophetia igitur jam tunc debuit omnibus esse aperta. deinde obsignata fuit, ut post annos septuaginta revocaret animos piorum, & ostenderet illis spem liberationis promissæ. Hæc igitur ratio est, meo judicio, cur Propheta commemoret se scripsisse tabulas & obsignasse: deinde scripsisse alias tabulas, quæ apertæ manerent. Postea addit, *se utrasque dedisse scribæ suo Baruch*, cujus postea fiet iterum mentio: & pluribus locis. *Dedi* igitur *eas Baruch filio Neriæ filii Maasiæ coram oculis Chanameel, & oculis testium, qui scripti erant in tabulis, & coram oculis omnium qui illic adstabant*, nempe *ad atrium custodiæ.* Hinc rursum colligere promptum est, narrari veram historiam, & non nudam visionem, quæ exhibita fuerit Prophetæ: adfuit igitur venditor Chanameel una cum testibus, & aliis Judæis. dicit *se librum dedisse cum mandatis.* nam alioqui fuisset inanis libri traditio: si tantum deposuisset in manibus Baruch tabulas illas, populus nihil didicisset. sed adduntur mandata: *Præcepi coram oculis ipsorum, dicendo.* hinc etiam statuere licet oraculum fuisse datum Prophetæ, non tantum quod apud posteros vigeret, nempe post completum tempus exilii: sed ut jam tunc esset celebre, & innotesceret omnibus Judæis. Dicit igitur *Jehovam ita loqui.* Nondum ostendit finem prophetiæ: sed quum pronunciat negotium hoc geri Dei mandato, jam attentos reddit omnium animos. *Sume ergo has tabulas*, inquit, *& repone eas in vase testaceo*, vel fictili. Mirum est cur non jubeat reponere potius in alio vase. nam poterat vas illud corrumpi, & ita periissent tabulæ. Sed scimus etiam pretiosissimos quosque thesauros in vasis fictilibus recondi. Non mirum igitur est, si Deus jusserit prophetiam hanc reponi in vase testaceo. Si quis subtilius malit accipere, vas testaceum erit promissio, quæ in speciem parum erat firma. Quid enim est fragilius, quam vox quæ in aërem spargitur? Judæi tracti fuerunt in exilium: audierant ex ore Jeremiæ finem præfixum esse ad septuaginta annos. Sed interea poterant concidere animis, quum tantum sonitus vocis perculisset ipsorum aures. Quicquid sit, etiamsi in vase testaceo repositum fuerit oraculum, quod erat pignus liberationis, salvum tamen stetit & incor-

incorruptum, quia ex Dei mandato illic reconditus fuerat ille thesaurus. Dicit, *Ut perstet ad multos dies.* quibus verbis significat non modo hoc vaticinium utile fore Judæis, qui paulo post trahendi erant in captivitatem, sed etiam eorum posteris, qui nondum nati erant: atque ut scirent, etiam se mortuis, firmum esse vaticinium: quia non debemus metiri fidem Dei vitæ nostræ modulo. Nihil enim magis caducum est vita nostra, quæ statim diffluit, veritas autem Dei æterna est. Hæc igitur ratio cur diserte addita fuerit hæc particula, debere hoc vaticinium servari in vasis testaceis, ut maneret salvum & integrum ad multos dies, hoc est, donec liberaret Deus populum suum.

Da omnipotens Deus, quando habemus hodie testimonium æternæ salutis obsignatum in vasis testaceis, & nos invitas ad spem illius beatæ hæreditatis voce hominum: da, inquam, ut non æstimemus firmitatem fidei tuæ eorum conspectu quos destinas nobis ministros, sed innitamur tuæ æternitati, non dubitemus salvam nobis fore eam vitam, quæ videtur singulis momentis evanescere, donec tandem ad ejus fruitionem perveniamus in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-SEPTIMA

IN

JEREMIAM.

QUanquam satis tenemus sensum superioris vaticinii, tamen breviter etiam perstringere conveniet ultimam sententiam, quæ est applicatio visionis ad rem ipsam: *Adhuc ementur domus, & agri, & vites in hac terra.* Voluit igitur Deus servum suum expendere pecuniam absque ulla utilitate privata, ut sumptu suo foveret spem fidelium usque ad tempus liberationis. Erat incredibile quod hic dicitur: quia nemo putasset posse accidere tantam mutationem, ut Judæis permitteretur reditus in patriam. nam inexpugnabilis erat potentia monarchiæ Chaldaicæ. oportuit vero illam funditus everti, ut populus Dei esset liber. hac igitur ratione oblata fuit visio, ut scirent Judæi non fore perpetuam cladem, quia Deus statuerat restituere populum, & terram ipsam. Cæterum, sub pratulo designatæ fuerunt omnes possessiones, quia non tantum nominat agros, sed dicit, *Adhuc ementur tam domus, quam agri, & vineæ.* Nunc sequitur,

16. Et precatus sum Jehovam postquam dedi librum emptionis Baruch filio Neriæ, dicendo,

Heu Domine Jehovah, Ecce tu fecisti cælos, & terram in potentia tua magna, & brachio tuo extento: non est ulla res abscondita à te. (*vel mirabilis*)

18. Faciens, (*tu facis*) clementiam erga mille, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum eorum post ipsos: Deus fortis, potens, Jehovah exercituum nomen ejus. (*& quæ sequuntur.*)

Tametsi defunctus erat officio suo Propheta, fatetur tamen se fuisse perplexum in visione. unde apparet, non fuisse omni ex parte semper Prophetis patefactum Dei consilium, sed quatenus expediebat: interea tamen non fuerunt ecstatici Prophetæ, quemadmodum profani vates finxerunt se rapi extra omnes suos sensus. Non fuit igitur fanaticus ille enthousiasmos in Prophetis, ut loquerentur sicut æs resonans, vel similes essent asinæ Balaam: sed Dominus illis manifestavit quod docerent. Fuerunt igitur discipuli, ut de manu in manum fideliter traderent populo quod fuerat apud ipsos depositum. Sed cognitio qua præditi fuerunt non pugnat cum aliqua parte ignorantiæ: sicuti Propheta quum diceret, *Adhuc ementur agri, domus, & vineæ*, sciebat Deum promittere restitutionem terræ & populi. Visio etiam ipsa non erat ænigma aliquod obscurum: sed interim causa ipsa eum latuit: & hinc perplexitas, de qua nunc dicit, quod scilicet attonitus re ista admirabili contulerit se ad preces, & confessus fuerit mentem suam implicitam teneri. Admiratio igitur Prophetæ ex ignorantia manavit: sed ignorantia illa non fuit contraria scientiæ Propheticæ. Nam quatenus utile erat, & ferebat etiam munus Doctoris, non dubium est quin Dei consilium intellexerit. sed tanta erat altitudo vel profunditas mysterii, ut coactus fuerit fateri hoc Dei opus superare omnes sensus suos. Nunc ergo tenemus quomodo inter se conveniant cognitio Prophetica, qua præditus fuit Jeremias, & ignorantia quæ eum impulit ad istam exclamationem. Sciebat certissimum esse quod in visione ostensum fuerat, sed quid hoc sibi vellet, & quomodo peragendum esset hoc Dei opus, id vero incomprehensibile fuit: & hinc admiratio. Dicit igitur se precatum fuisse: quo docemur quoties nobis obrepunt cogitationes, quæ nos huc & illuc agitent, confugiendum esse ad preces. Multi enim suas anxietates fomentis obdurant, dum scilicet sese torquent in omnes partes, & exercent omnes suos sensus ac fatigant sine ullo fructu. Quoties igitur aliqua anxietas nobis obrepit, sciamus hoc remedium mature esse adhibendum, nempe ut Deum precemur, quo nos expediat, nec sinat in profundum demergi, quemadmodum accidere solet omnibus curiosis, & qui habenas sibi laxant in suis imaginationibus. Jam videmus Prophetam sic fuisse quasi obstupefactum, ut tamen non sibi plus promiserit, quam utile erat, sed statim concesserit ad preces, ut Deus ostenderet quod ipsum angebat. Sequitur precatio, quæ tamen non statim explicat mentem Prophetæ. neque enim usque ad versum 25. declarat quorsum precatus fuerit. sed videtur hic congerere multa extra rem. Tenendum est ejus consilium ea summa precationis: Domine, inquit, quorsum jussisti ut agrum emerem, qui tamen est sub manu hostium? agrum possident Chaldæi: tu vero jubes me pecuniam profundere. hæc fuit summa postulationis. Sed videtur Jeremias vagari per longos circuitus quum dicit, *Tu fecisti cælum & terram in potentia tua, & brachio extento: nihil est tibi admirabile: tu facis misericordiam in mille generationes: rependis iniquitatem patrum in filios: nomen tuum est Jehovah exercituum: tu es magnus consilio, & excellens opere: oculi tui sunt aperti*, & quæ sequuntur: videntur hæc nihil ad præsentem causam facere. Sed minime dubium est quin Propheta seipsum quasi injecto freno cohibere voluerit, ut acquiesceret Dei consilio, quamvis esset absconditum, & incomprehensibile. nam si erupisset statim in suam precationem, poterat primo impetu fervoris cum Deo litigare. Ita enim fert hominis ingenium, ut subito

Deum compellat, ut ebulliat extra modum. Propheta igitur qui satis tenebat non esse tantam moderationem in hominibus, ut recte judicent de operibus Dei & sobrie, opposuit sibi hæc claustra, & quasi circumdedit sibi cancellos, ut ne sibi plus licentiæ concederet, quam fas erat. Sciamus ergo hæc omnia elogia, quibus Propheta Deum insignit, spectare in hunc finem, ut sibiipsi moderationem & modestiam imperet, atque ita compescat omnes vagos sensus, quibus titillari solent homines. Nunc veniamus ad verba ipsa: *Aha Adonai Jehovah*, inquit, *Heu Domine Deus, Ecce tu fecisti cælum & terram.* Si quis non attenderet ad circumstantiam loci, putaret hic Prophetam excurrere, & non contexere sermonem suum: ita hanc precationem esse quasi erraticam. Sed, quemadmodum jam dixi, quia sciebat Propheta homines nimis esse licentiosos ubi agitur de operibus Dei, seipsum frenavit in tempore, antequam descenderet ad rem ipsam. Præfatur ergo hoc modo, Domine non est meum rixari tecum. neque enim ad rationem reddendam licet te cogere: *Nam tu fecisti cælum & terram in potentia tua magna, & brachio extento.* Est igitur tacita comparatio inter Deum & hominem mortalem. Quisnam ego sum, ut audeam te ad disceptationem vocare? nam potentia tua merito nobis est formidabilis: dum attollimus oculos in cælum, dum respicimus terram, nihil est quod non debeat nos rapere in admirationem tuæ virtutis. nam apparet sursum & deorsum ejus immensitas. Videmus ergo ut Propheta hic extollat magnificis elogiis potentiam Dei, quo seipsum contineat sub modestia & humilitate, neque audeat obstrepere Deo, neque temere prorumpere ad ferendum judicium de ejus operibus. *Ecce*, inquit. proponit sibi ante oculos admirabile mundi opificium, in quo relucet immensa Dei virtus. Postea adjungit, *neque est ulla res abscondita à te.* Duplex potest esse sensus hujus particulæ. nam פלא significat esse admirabile, significat etiam absconditum esse. Jam major pars Interpretum exponit, quod Deum nihil lateat, quia omnia posita sint sub ejus oculis. penetrat enim ejus cognitio usque ad profundissimas abyssos. Esset igitur elogium sapientiæ Dei, sicuti præcessit elogium virtutis: & hic sensus non male quadrat. Non tamen repudio alteram sententiam, quæ est Hieronymi, quod scilicet nihil sit Deo difficile aut admirabile, quoniam omnia subjecta sint ejus arbitrio: ita uno contextu diceret Propheta potentiam Dei, quæ refulget in conspectu cæli & terræ, simul posse cognosci in continua mundi gubernatione. Nam qui cælum & terram creavit, potest etiam omnia, ut nihil sit admirabile, hoc est, ut nihil sit difficile ejus virtuti simulac hoc vel illud decrevit. Semper tamen in eundem scopum tendit Propheta. Jam adjungit, *Tu facis misericordiam in millia, & rependis iniquitatem patrum in sinum filiorum.* Hic Propheta agnoscit recta esse judicia Dei, etiamsi ipsorum causa fugiat humanas mentes. Et utrumque fuit necessarium, nempe ut proponeret sibi Jeremias formidabilem Dei potentiam: deinde simul expenderet omnia Dei judicia recta esse, quamvis sæpe aliud homines existiment. Deus enim habet absconditam rationem in suis judiciis: ita fit, ut sæpe sollicitent nos variæ cogitationes & libenter quisque se Deo opponeret. Ideo Propheta postquam de immensa Dei virtute disseruit, nunc simul pronunciat eum justum esse mundi judicem: & iterum altero freno se compescit, ne audeat judicium ferre de operibus Dei pro suo sensu, *Tu*, inquit, *clementiam exerces erga*

Exod. 20. vers. 6. *mille.* sumptum est hoc ex Lege Mosis, quemadmodum Prophetæ mutuantur præcipuas sententias ex Mose, cujus sunt interpretes. Quum autem Deus in Lege pronunciet se esse misericordem in mille generationes, quin hoc videtur nobis absurdum, nihil aliud superest, nisi ut reverenter suspicere discamus quod non possumus comprehendere. Propheta igitur hic fatetur modum quem tenet Deus in sua clementia, esse humanæ menti absconditum. Jam posterius membrum videtur minus consentaneum esse, *quod Deus rependat iniquitatem patrum in sinum filiorum.* Paulo ante vidimus impiam fuisse illam blasphemiam, quum jactarent patres comedisse uvas acerbas, & dentes filiorum obstupuisse. Nam verum est semper illud, Anima quæ peccaverit, ipsa morietur. Quod si Deus rependit patrum iniquitatem in filios, ita pœnam exiget de insontibus, & transferet ad filios quod patribus rependere debebat. Sed Propheta quoniam nefas erat contradicere, ubi Deus per Mosen ita loquutus erat: hic adorat mysterium illud, & ita sese ad humilitatem & modestiam format, ne scilicet prorumpat in nimiam licentiam ubi agitur de arcanis Dei operibus. Interea breviter notandum est non puniri innoxios, quum Deus involvit filios una cum patribus, & rejicit patrum iniquitatem in sinum filiorum. neque enim agitur de justis & innoxiis, sed de reprobis. Quidam quum viderent pugnare hanc sententiam cum sensu communi hominum, effugium captarunt, quod scilicet Deus temporalibus pœnis rependat filiis quod patres erant meriti. Sed sine exceptione loquitur Deus quum dicit *se rependere in sinum filiorum mercedem patribus debitam.* Quomodo autem hoc debet intelligi? nam pars ejus pœnæ est, quod Deus destituit eos Spiritu suo. Quum ergo vult punire scelera patrum in posteris, privat Spiritus sui luce & gratia ipsos posteros. Fieri igitur non potest quin semper accumulent mala malis, & ita teneantur impliciti patrum reatu. Procedit igitur Deus gradatim in puniendis sceleribus, quia si velit remittere pœnam filio, qua dignus erat simul cum patre, Spiritu suo ipsum ad se trahet: ita erit immunis à pœna. Quod si velit persequi vindictam suam in filiis & nepotibus, quemadmodum jam dixi, destituet eos Spiritus gratia, ut nihil aliud possint quam magis ac magis iram ejus provocare, & ita se in eundem cum patribus reatum demergent: inde communis erit pœna patribus & filiis. hoc quidem non videtur nobis consentaneum primo intuitu. sed meminerimus adeo abscondita nobis esse judicia Dei, ut nos exerceamus in modestia & humilitate, & discamus sobrie sapere, & sic fateamur Deum esse justum judicem, ut sciamus non posse mentes nostras penetrare usque ad profundam illam abyssum. Sed tamen solutio quam adduxi, satis facilis est, quod scilicet Deus nunquam punit innoxios. Quia si persequitur patrum scelera in filiis, pars pœnæ est, quemadmodum jam dixi, quod filios privat Spiritus sui luce: postquam ipsi excæcati sunt, ruunt semper in suum exitium, & ita novis subinde peccatis provocant Dei vindictam in sua capita. Quum ergo Deus rependit illis mercedem patribus debitam, simul pœnam exigit de ipsis qua digni sunt: nec est quod obmurmurent, quia communis est eorum culpa cum patribus. Non mirum igitur, si trahantur in societatem pœnæ: sed hoc tamen pendet ex arcana Dei clementia quod alios venia dignatur, & ita eripit ab interitu: alios autem deserit, & quia reprobi sunt, ideo merentur quicquid illis infligit pœnarum. *Tu rependis* igitur *in sinum filiorum post ipsos*, hoc est, post ipsorum mortem. postea exclamat, *Deus fortis, & potens, Jehovah exercituum nomen ejus.* Prædicat rursus magnitudinem potentiæ Dei, ut sibi temperet, neque temere prorumpat ad novam disquisitionem, quemadmodum curiosi homines sibi indulgent in suis speculationibus, & ita quasi Deum citant ad causam reddendam, quasi posset statui aliquod tribunal, coram quo reus fieret. Quoniam igitur tanta est petulantia humani ingenii, Propheta hic circumdedit sibi cancellos, ut se contineat in humilitate & sobrietate. Postea mutat personas, quod signum est vehementiæ & ardoris: nam precatio est, ut vidimus.

supr. 31. vers. 29. Eze. 18. vers. 2. Eze. 18. vers. 20. Deut. 24. vers. 16.

Atqui

Atqui nunc Deum recta non compellat: sed dicit, *Jehovah exercituum nomen ejus.* loquitur in tertia persona. continuo tenore dicendum erat, Tu es fortis & potens: sed dicit, *Jehovah exercituum nomen ejus.* Videmus ergo ut Propheta quasi alio se vertat: sed hæc mutatio personæ ex vehementia & ardore manat, quemadmodum dixi. Et hoc sæpe contingit fidelibus, ut abrumpant cursum vocationis, dum secum expendunt Dei opera, nunc potentiam, nunc bonitatem, nunc sapientiam. Non ergo semper precantur continuo tenore fideles, sed ut affectus illos impellit, ita nunc dirigunt sermonem ad Deum, nunc autem miscent apostrophas, & sese alio convertunt. Sequitur,

19. Magnus consilio, excellens opere, cujus oculi (*quandoquidem oculi.*) tui aperti sunt super vias filiorum hominum ad reddendum cuique secundum vias ejus, & secundum fructum operum ejus.

Prosequitur eandem sententiam. miratur enim secum Dei judicia. Primo pronunciat *Deum magnum esse consilio, & magnum opere.* Per Consilium intelligit Dei sapientiam, quæ sensus omnes nostros non tantum superat, sed etiam absorbet. Deinde adjungit exequutionem consilii, hoc est, testimonia illius sapientiæ, quæ nobis apparet. Ex operibus Dei colligimus quanta sit & quam incomparabilis ejus sapientia. Nam illa per se non posset comprehendi, imo ne minimum quidem ejus gustum perciperent homines, nisi conspicua esset in operibus. Opera igitur Dei propter suam excellentiam testimonia sunt immensæ ejus sapientiæ. hac ratione, & hoc sensu Propheta vocat Deum *magnum consilio & magnum opere.* Addit, *oculos ejus apertos esse super omnes vias hominum*: quibus verbis significat esse totius mundi judicem, & quicquid homines vel consultant vel loquuntur, vel etiam opere perpetrant, id venturum in rationem. Summa est, Dei providentiam sic extendi in omnes mundi partes, ut opera hominum minime eora lateant, nec quisquam possit effugere manum ejus. postquam enim loquutus est de oculis Dei, adjungit, *Ut reddat cuique secundum vias ejus, & secundum fructum operum ejus.* Hic ergo non disserit Propheta de aliqua otiosa speculatione, qualem fingunt profani homines. Fatentur enim omnia esse sub Dei conspectu: sed imaginantur ipsum contentum esse nuda illa & inani consideratione. Atqui hoc modo spoliaretur honore & officio judicis. Propheta ergo hic demonstrat finem providentiæ Dei, cur Deus habeat apertos oculos, nempe ut tandem ad tribunal suum vocet omnia hominum dicta & facta, imo etiam cogitationes. Cæterum, docemur his verbis non posse vitam nostram recte institui, nisi semper nobis in memoriam veniat Dei præsentia, ut sciamus nos esse sub ejus oculis, & nihil esse ei absconditum. unde enim tanta peccandi licentia, nisi quod homines quasi fugitivi lasciviunt? quemadmodum siquis filius contumax possit se subducere ab oculis patris, tunc toto impetu sese projicit ad peccandum, quia scilicet solutus est omni metu & verecundia: ita stupor noster similis est fugæ, quia putamus nos procul remotos esse à Deo. Ergo, sicuti jam dixi, semper illud tenendum est, Oculos Dei apertos esse super omnes vias nostras: & in quem finem? *ut scilicet rependat cuique secundum vias ejus, & quisque colligat fructum operum suorum.* Tametsi ergo Deus ad tempus conniveat, neque re ipsa demonstret se esse hominum judicem, non est tamen cur debeat nobis torpor obrepere, quasi elapsi essemus ex ejus manu: sed sciamus nunc ab ipso reputari omnia nostra opera & dicta, ut aliquando demonstret se non esse otiosum speculatorem, quemadmodum somniant profani homines, sed esse oculatum testem rerum omnium, ut tandem judex appareat. Quod autem hic locus à Papistis trahitur ad operum merita, nimis frivolum est. nam quoties Scriptura affirmat rependi cuique secundum opera sua, non excludit gratuitam Dei misericordiam: & quum Deus rependit mercedem fidelibus, hoc fundatum est in gratuita venia, quoniam illis ignoscit quicquid alioqui vitiaret bona eorum opera: & si exacte velimus loqui, Deus non rependit fidelibus secundum opera ipsorum, nisi quia gratuito illis ignoscit, & condonat quicquid peccaverint. Merces igitur pendet ex mera Dei misericordia. Quantum attinet ad reprobos, non mirum est si dicitur illis rependi justa merces operum, quia scimus dignos esse æterno interitu, & Deum esse justum judicem quum ulciscitur eorum scelera. Sequitur,

20. Qui edidisti signa & portenta in terra *Ægypti* usque ad diem hunc, & in Israële, & in hominibus: & fecisti (*hoc est, comparasti*) tibi nomen secundum diem hunc.

Specialiter hic commemorat Propheta insigne illud Dei beneficium, quo testatus fuerat paternum suum favorem erga Ecclesiam. Dicit ergo *edita fuisse ab ipso signa & portenta in terra Ægypti*, nempe in populi gratiam. Quorsum enim tot miracula, nisi ut probaret se curam gerere electi populi, & ita sanciret foedus suum? Videmus ergo hic celebrari Dei gratiam erga filios Abrahæ, ubi scilicet commemorat signa & portenta, quæ edita fuerant in terra Ægypti. Et ideo addit *in Israële.* Commendat igitur non modo Dei virtutem in miraculis, sed præcipue misericordiam, qua dignatus fuerat electum populum. Dicit autem, *usque ad diem hunc*, non quod Deus ediderit miracula tot seculis: sed intelligit digna esse quæ perpetuo celebrentur, & in omnes ætates. Ergo hoc ad memoriam & laudem potentiæ Dei refertur, quum dicit Propheta *usque ad hunc diem.* Deus quidem miracula ediderat certo tempore, sed ediderat ut in omnes ætates perveniret eorum memoria, ac posteri agnoscerent quam mirabiliter egisset cum ipsorum patribus. Quoniam ergo memoratu digna fuit virtus quam testatus est in Ægypto, dicuntur *edita fuisse miracula usque ad illum diem*: & dicuntur edita fuisse *in Israële*, quoniam Deus probare voluit certitudinem fidei suæ quum populum suum redemit sicuti pollicitus fuerat. Adjungit postea *in hominibus.* nam longius se extendit Propheta: postquam loquutus est de redemptione populi, quocunque se vertit, illic reputat & miratur documenta potentiæ Dei: quasi diceret, Domine tu quidem peculiariter testatum fecisti quam inæstimabilis esset tua virtus & bonitas: redemptio populi tui opus est insigne, & quod seculis omnibus meretur prædicari: sed quocunque nos vertamus, nullus est angulus in toto orbe, ubi non appareant quædam miracula, quæ nos movere debeant ad celebrandas tuas laudes. Videmus ergo ut à specie Propheta conscendat usque ad genus, & postquam expendit Dei potentiam & bonitatem in populi redemptione, mentem suam extendat in omnes mundi partes, & miracula Dei ubique consideret. Et hæc ratio sæpe occurrit in Scripturis, dum scilicet admoniti aliquo exemplo divinæ virtutis aut gratiæ, rapimur & transcendimus ad generalem considerationem. *Ut faceres tibi*, vel acquireres tibi, *nomen secundum diem hunc*, hoc est, ut nomen tuum esset perpetuum, quemadmodum adhuc hodie splendor ipse nobis ante oculos versatur.

Signi-

Significat igitur Propheta Deum tam potenter monstrasse suam virtutem, ut ejus cognitio perpetua sit, neque possit unquam sepeliri hominum ingratitudine.

Da omnipotens Deus, quando hæc tota nostra sapientia est, nos tibi subjicere, mirari tua judicia & suspicere, & reverenter adorare: ne lasciviamus in perversis carnis nostræ cogitationibus, sed ita discamus nobis frenum injicere, ut semper reddamus tibi debitam sapientiæ, & justitiæ, & fortitudinis laudem: & ita ambulemus in sobrietate dum peregrinamur in mundo: donec tandem facie ad faciem contemplemur tuam gloriam, facti scilicet ejus participes in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-OCTAVA IN JEREMIAM.

21. Et eduxisti populum tuum Israël è terra Ægypti in signis & portentis, & in manu robusta, & in brachio extento, & in terrore magno.

NUnc propius ad causam ipsam accedit Jeremias. postquam enim præfatus est de inæstimabili Dei potentia, nunc commendat justum ejus judicium, quod pœnas exigere statuerit de impio & scelerato populo. In hunc finem commemorat redemptionis beneficium: deinde adjungit, *terram fuisse datam* Israëlitis, quæ olim Patribus eorum fuerat promissa. Postea subjicit beneficium hoc fuisse locatum apud ingratos, quia statim excusserint jugum & contempserint Deum redemptorem una cum ejus Lege. Dicit igitur *populum fuisse eductum è terra Ægypti cum signis & portentis*. Hoc ad amplificationem pertinet, quia Deus insolitis modis satis testatum fecit non nisi sua gratia populum potuisse eripi ex Ægypto. Nam si non fuisset conspicua Dei virtus in miraculis & portentis, poterant Israëlitæ transferre Dei gratiam ad ipsos, vel terrena media: sed ita resplenduit gratia Dei in signis & prodigiis, ut non potuerit liberatio populi vel fortunæ, vel hominum industriæ, vel ullis mediis adscribi. Et eodem sensu adjungit *manum robustam, & brachium extentum*. Significat his verbis sic liberatum fuisse populum, ut palam apparuerit manus Dei, imo brachium extentum, hoc est, virtus quæ longe & late sese extendit, quemadmodum hanc similitudinem alibi exposuimus. postremo adjungit *terrorem magnum*, quia scilicet tanta erat hostium superbia, ut nunquam passuri fuerint populum exire, nisi magnus terror fuisset injectus. Quoniam ergo subacti fuerunt Ægyptii terrore, ideo amplificat etiam hac circumstantia Jeremias gratiam redemptionis: quasi diceret non esse obscuram Dei gratiam, quia insignibus documentis cognoverint Israëlitæ divinitus se eripi. Tanta enim erat hostium & potentia, & audacia, & crudelitas, ut nulla esset spes liberi exitus, nisi Deus manum suam è cælo exereret. Postea sequitur,

22. Et dedisti illis terram hanc quam juraveras Patribus eorum ad dandum ipsis, (*hoc est, te daturum ipsis*) terram fluentem lacte & melle.

Hic laudatur terræ fœcunditas, ut minus sit excusabilis populi ingratitudo in ipsa redemptione. Jam Deus satis superque ipsos sibi obstrinxerat: sed ubi accedit tanta opulentia & ubertas terræ, duplicatur liberalitas Dei: quæ arctiore vinculo & sanctiore populum ad obsequium devinciat. Ubi autem sepeliunt utrumque beneficium, hæc est extrema impietas, & tanto fœdior est eorum ingratitudo. Videmus ergo quorsum spectet Propheta ubi dicit *terram fuisse datam populo*. Causam simul exprimit, nempe quia olim promissa fuerat eorum Patribus. neque tamen hic imaginari convenit, Patres quicquam fuisse promeritos, sicut Hieronymus inscite corrumpit hunc locum. dicit enim non fuisse quicquam debitum populi meritis, sed Patres tamen fuisse dignos propter virtutes suas. Atqui scimus fœdus Dei fuisse ab initio gratuitum. Ergo hic significat Propheta terram non fuisse mercedem, quæ debuerit rependi populi operibus, sed ideo datam fuisse, quia gratis promissa fuerat. Jusjurandum vero ponit, quia Deus ut consuleret Abrahæ & Patrum infirmitati, interposito jurejurando sancivit suam promissionem. Sed quoniam alibi fusius disserui hac de re, nunc leviter tantum attingo. Quoties tamen jurisjurandi fit mentio, sciamus oblique perstringi hominum vanitatem, qui semper vacillant, nec possunt recumbere in Dei promissiones, nisi adjuti hac confirmatione. Quicquid sit, Propheta hic admonet, Deum fidem præstitisse quam olim Patribus dederat ubi populus terram ingressus est, quia non potuit eam adipisci virtute bellica, neque ullis aliis mediis. In summa, revocat Jeremias populum ad memoriam gratuiti fœderis, ut intelligat se non alio jure terræ esse dominum, nisi quia ultro pollicitus fuerat Deus Abrahæ, & semini ejus terram illam se daturum. Prædicat, sicut nuper dixi, terræ fœcunditatem, quia modis omnibus allicere voluit Deus populum illum, ut maneret in obsequio. Quum autem populus adeo liberaliter tractatus non agnovit Dei gratiam, hinc convincitur nimis turpis stupiditas. Hoc igitur est consilium Prophetæ, uberrimam fuisse hanc terram, in qua luxuriatus est populus, & Deum tanti beneficii auctorem contempsit, quemadmodum continuo post sequitur,

23. Et ingressi sunt, & hæreditate adepti sunt eam: & non audierunt vocem tuam, (*ad verbum, in voce tua*) & in Lege tua non ambulaverunt, (*hoc est, secundum Legem tuam*) quæcunque illis præcepisti ut facerent, non fecerunt: ideo occurrere fecisti illis totum malum hoc.

Hoc versu fatetur Propheta justam esse Dei vindictam, ubi populus è terra ejicitur in exilium, quia scilicet terram ingressos non obediverit voci Dei. ipse enim conspectus terræ debuerat populum subjicere Deo. Neque enim poterant comedere micam panis, quin semper illis veniret in mentem unde alimentum: quia scilicet Deus expulerat Gentes è terra illa. Ubi igitur satiantur omni genere bonorum, & interea Deum spernunt, nulla potest obtendi excusatio, quia si prætextum ex ignorantia captent, terra ipsa semper fuit ante eorum oculos, quæ illos revocaret ad Dei timorem. Hæc igitur ratio est, cur Pro-

pheta

pheta hæc simul contexat, *Israëlitas ingressos fuisse terram*, deinde, *non paruisse voci Dei.* Hac autem particula significat non errore fuisse lapsos, quia Deus satis apertum testimonium voluntatis suæ ediderat. Loquutus quidem fuerat Deus, sed surdis. Ergo hic Propheta ostendit non aliam peccandi causam fuisse populo, nisi quia contumaciter respuit Dei vocem. Deinde adjungit eodem sensu, *non ambulasse in Lege ejus.* Lex enim sæpe confertur viæ. Nisi enim Deus præscribat quid fieri velit, & omnes vitæ nostræ actiones formet ad certam regulam, perpetuo errabimus. Lex igitur Dei merito dicitur similis esse viæ, quemadmodum etiam Moses ipse loquitur. Hæc via est, ambulate in ea. Jeremias ergo postquam ostendit edoctum fuisse populum, adjungit, viam simul fuisse ostensam, ita ut sciens & volens erraverit: quia non potuit deflectere ad dextram vel sinistram, quin Legis doctrina revocaretur. Tertio dicit, *Quæcunque præcepisti ut facerent, non fecerunt.* Clarius eandem rem explicat, & absque figura, quod scilicet noluerint parere Deo, quum tamen satis tenerent quid rectum esset. Lex enim non patiebatur ipsos errare: & illic complexus fuerat Deus quicquid utile erat cognitu. Propheta igitur ostendit populum non nisi pertinacia deflexisse, quoniam sciebat quid Deus exigeret: quemadmodum Lacedæmonius illa dixit Athenienses scire quid rectum esset, nolle autem facere. Ita hoc loco discernit Propheta apertam impietatem, & contemptum populi ab ignorantia & errore, neque simpliciter intelligit populum non satisfecisse omnibus præceptis. Et hunc etiam locum perperam exponit Hieronymus. Dicit enim non stetisse Israëlitas promissis, quia dixerant se facturus quicquid Deus mandaret. Sed hic non una tantum in parte accusat eos Propheta, acsi diceret fuisse aliquem defectum, sed in totum dicit fuisse immorigeros, quia non unum modo præceptum Dei contempserint, sed quasi ex professo abjecerint totam Legem, & nullum ex Dei mandatis admiserint. Hæc igitur negativa exprimit populi defectionem in tota Lege, & singulis præceptis. Hic autem locus notatu dignus est, quia consulto repetit Propheta, *populum non ambulasse in Lege, non paruisse voci Dei, & nihil fecisse quod mandatum esset*, nempe quia gravior damnatio, & vindicta eos manet qui probe edocti quid placeat Deo, & quid rectum sit, libidinem tamen potius suam sequuntur, & rapiuntur post carnis affectus. In summa, cumulum impietatis demonstrat Jeremias, quod populus liquido & familiariter cognoverit quænam esset Dei voluntas: interea sese proripuerit, & excusserit jugum: & ita prodiderit manifestum totius Legis contemptum. Sequitur, *propterea occurrere fecisti illis omne hoc malum.* Propterea hic testatur quicquid populo acciderat, non esse fortuitum, sed rependi mercedem illius sceleribus. Aliqua ex parte agnoscunt homines Dei judicia: sed cognitio illa protinus evanescit. prudenter igitur Propheta hic expendit, conspicuam esse Dei vindictam in rebus adversis, & populum ita recipere quam meritus erat mercedem. Nunc sequitur,

Deut. 5. vers. 33. Josu. 30. vers. 21.

24. Ecce aggeres (*vel catapultæ, vel arietes*) venerunt ad urbem ad capiendum eam: & urbs tradita est in manum Chaldæorum oppugnantium eam, propter gladium, famem, & pestem: & quod tu loquutus es (*quicquid loquutus es*) evenit: & ecce tu vides.

25. Et tu dixisti mihi Domine Jehovah, Eme tibi agrum pecunia, & testare testes: quum tamen urbs tradita sit in manum Chaldæorum.

Hic tandem Propheta suam perplexitatem detegit. Diximus quorsum tam longa præfatione fuerit usus antequam ad rem ipsam descenderet. Necesse enim fuit ut sibi frenum injiceret, quia nisi mature compescimus sensus nostros, lasciviunt contra Deum, & ita nullus est modus. Propheta ergo ne proterve expostularet cum Deo, sibi proposuit immensam ejus potentiam: deinde adjunxit nihil accidere nisi justa ejus vindicta. Nunc tamen interrogat quid hoc sibi velit, quod jussus est agrum emere, quum urbs cum tota regione tradita esset hostibus. Ergo hic absurditatem in medium profert, ac fatetur mentem suam esse implicitam, quia non possit statuere cur Deus agrum emere jusserit: & tamen populum velit ejicere in exilium, & dispergere in terras procul remotas. Diximus autem Prophetam fuisse certo persuasum de veritate Dei: hinc etiam adeo voluntarius ac promptus fuit ad parendum. Neque enim moram fecit quin agrum emeret: deinde tabulas emptionis deponeret penes Baruch. Sed postquam defunctus est suo officio, querimonias suas attulit coram Deo: & quia res videri poterat absurda, ideo cupit sibi hunc nodum solvi. Dicit igitur, *Ecce aggeres*, vel catapultæ: utroque modo exponi potest hoc nomen. סללות enim accipiunt sæpe pro aggeribus: sed quia hic oppugnationis fit mentio, quemadmodum diximus sexto capite, videtur Propheta magis notare catapultas, vel arietes. Erant autem machinæ ad muros diruendos. Projiciebantur enim magni lapides, vel congeries lapidum: & ideo libenter eorum sententiæ subscribo qui vertunt, aut balistas, aut catapultas, aut arietes. *Ecce ergo admoti sunt arietes ad urbem*, inquit, *ad capiendum eam, & urbs jam tradita est Chaldæis.* Erat decimus annus Zedechiæ, sicuti visum est: initio autem mensis undecimi urbs tandem capta fuit. Sed interpres optimus erit Propheta verborum suorum: quod facile colligitur ex contextu. Dicit enim *urbem esse captam, à gladio, fame, & peste*: quasi diceret, quamvis nondum hostes ingressi essent urbem, tamen actum esse, neque quicquam restare spei, quoniam non tantum oppugnaretur armis & violentia, sed etiam haberet hostes domesticos, qui intus ipsam urgebant, nempe *famem & pestem.* Quoniam igitur jam magnus numerus consumptus erat peste & fame, Propheta dicit, etiamsi hostes cessant, neque vi perrumpant in urbem ipsam, tamen actum esse, quia sic grassentur pestis & fames, ut nulla sit spes salutis. Denique his verbis ultimam desperationem significat: & hinc etiam illa cogitatio, quæ torquebat animum Prophetæ propter absurditatis speciem, quod scilicet Deus juberet agrum emere, qui tamen jam sub hostium potestatem transierat. Addit, *quicquid loquutus es accidit*, vel contigit. *Et ecce tu vides.* Confirmat quod paulo ante dixerat, nempe cladem urbis non aliunde profectam esse quam ex Dei judicio. Confirmat autem, quia quicquid tunc acciderat, jam in tempore Prophetæ testati fuerant. Hinc autem apparuit non affligi urbem fortuito casu, quia nihil prædixerat Deus per servos suos nisi quod ipse decreverat. Fuit igitur opus Dei clades Jerosolymæ, de qua vaticinatus fuerat Deus per servos suos. Hæc enim simul conjungi debent, os Dei, & manus. Neque enim imaginari fas est quod faciunt quidam fanatici, Deum speculari è cælo quicquid in terra geritur, & interea jacere otiosum. Sed decernit quod rectum est: deinde ubi ita expedit, testatur per servos suos Prophetas. Quicquid sit, os Dei non potest separari ab ejus manu. Propheta igitur ostendit justum esse judicium Dei, cladem urbis, quia prius de ea loquuti fuerint Prophetæ. Quod dicit *Deum inspicere*, ad proximum versum referri debet, vel ad versum proxime sequentem: quia scil. hæc inter se videntur

pugnare

pugnare ut Propheta agrum emat Dei juſſu, & interea Deus non ignoret terram poſſideri ab hoſtibus, & populum eſſe addictum exilio. Quum igitur Deus ſtatuerit ejicere populum è terra, qui fit ut velit agrum emi à ſervo ſuo? ſi hoc Deum latuiſſet, non fuiſſet tanta abſurditas in repugnantia. Sed quum Deus ſatis intelligat non poſſe mutari quod toties per ſuos Prophetas promulgaverat de exilio, quid hoc ſibi velit, quod tamen jubet *agrum emere, & conteſtari teſtes*, quum tamen urbs ſit hoſtibus tradita? Poſtquam expoſuit Jeremias ſummam ſuæ precationis, nunc ſubjicit reſponſum quod accepit à Deo, ubi perſpicitur fructus precationis: quia ſcilicet de reditu & liberatione ſic edoctos fuit, ut omnes fideles ſpem conciperent; deinde innixi promiſſioni alacriter ferrent ſuum exilium uſque ad præfixum tempus. Verba ſunt,

26. Et fuit ſermo Jehovæ ad Jeremiam, dicendo,

27. Ecce ego Jehovah Deus univerſæ carnis: an à me abſcondita erit ulla res? (*vel an mihi difficilis erit ulla res?*)

Diximus enim duplici modo poſſe exponi verbum פלא יפלא enim ſignificat eſſe abſconditum & admirabile. Unde etiam per metaphoram accipitur pro difficili, & impoſſibili. multi ita exponunt, quod nihil Deum fugiat. Sed ego libentius, quemadmodum proxima lectione dixi, refero ad potentiam; quod ſcilicet omnia ſint in manu Dei & arbitrio, ita ut ſeſe ab omni difficultate expediat. Unde enim tanta hominum anxietas, niſi quia ſubſiſtunt in obſtaculis? Deus autem nullo negotio illa omnia ſuperat. Ergo ne mentes noſtræ ita perplexæ hæreant, merito objicitur nobis potentia Dei. Et hic ſenſus optime quadrat præſenti cauſæ. Jeremias enim quum occurreret repugnantiæ ſpecies, coactus eſt ſuam anxietatem conjicere in ſinum Dei. Deus ergo, ut eum expediat, dicit nihil ſibi eſſe difficile, nempe quia Deus eſt univerſæ carnis. Quanquam ſub hac voce interdum Scriptura comprehendit omne genus animalium, tamen ſæpius accipitur tantum de genere humano. Neque tamen ſubtiliter hunc locum interpretor acſi Deus profanas gentes opponeret Judæis, atque ita negaret ſe amplius Deum fore Abrahæ filiis, quoniam propter eorum ſcelera ipſos abdicaverat. Sed per excellentiam dicit ſe eſſe regem totius terræ, atque ita dominari generi humano. *Quum ergo Deus ſim univerſæ carnis*, inquit, *an quicquam erit mihi impoſſibile?*

28. Propterea ſic dicit Jehovah, Ecce ego trado urbem hanc in manum Chaldæorum, & in manum Nabuchadnezer regis Babylonis, & capiet eam.

29. Et ingredientur Chaldæi qui oppugnant urbem hanc, & ſuccendent urbem hanc igne, & exurent eam, & domus in quibus ſuffitum fecerunt ſuper tecta ipſarum Baal, & libamen libarunt diis alienis ad me provocandum.

Summa reſponſi eſt, quamvis Deus tempus exilii finierit 70 annis, non eſſe tamen cur hypocritæ inde animos colligant, quia hæc promiſſio nihil ad ipſos pertineat. Deus ergo hic priore loco de vindicta ſua differit, ut horrorem incutiat Legis ſuæ contemptoribus, & ſignificet eos excludi à redemptionis gratia. Poſtea adjungit ſe tandem propitium fore exulibus: ſed reſtringitur gratia illa ad ſolos electos & fideles. Notandæ igitur ſunt duæ partes reſponſi, quia videtur hic Deus res contrarias inter ſe opponere. Sed quemadmodum jam dixi, priore membro reſpicit hypocritas, qui ad ſe trahebant ſine fide & reſipiſcentia quod Prophetæ teſtati fuerant de reditu. Ergo hic Deus extremam ſeveritatem in medium proponit: deinde mitigat illam duritiem, ſed tunc convertit ſermonem ad ſuos electos, qui capaces erant hujus gratiæ. Veniamus nunc ad verba: *Ego trado urbem hanc in manum Chaldæorum, & regis Nabuchadnezer, & capiet eam.* Vult fixum manere quod Jeremias ipſe ex ejus mandato prædixerat, nempe urbem non poſſe eripi. Nam poterat hoc turbare Prophetæ animum, acſi paulo poſt liberandi eſſent Judæi, & ſolvenda eſſet urbis obſidio: ita deriſus fuiſſet cum ſuis vaticiniis, & objecta temeritas, quod auſus fuiſſet denunciare ex ore Dei quod ante vidimus. Hac ratione & hoc conſilio Deus aſſerit nihil poſſe mutari quin Chaldæi urbem capiant. & ita jubet Prophetam ſecuro eſſe animo, nec ideo cruciari, acſi vellet ſubjicere ludibrio ejus vaticinia. nam hoc etiam modo expoſitum fuiſſet ſacrum Dei nomen multis probris. Si enim convictus fuiſſet falſitatis Jeremias, quid reſtabat niſi ut Judæi petulanter Deo inſultarent? Ergo iterum pronuociat Deus urbem addictam eſſe excidio: & ideo adjungit, *Ingredientur Chaldæi qui oppugnant urbem.* nam non dicit venturos, ſed confirmat aliis verbis eandem ſententiam. *Perrumpent* igitur *Chaldæi in urbem* quæ videtur clauſa & munita eſſe: *& accendent urbem hanc.* Non fruſtra etiam inculcat ſæpius nomen urbis, quia quum eſſet ſacrarium Dei, & regia ſedes, putabant Judæi eſſe inexpugnabilem, & potius Solem poſſe eripi è cælo, quam ut hoſtes potirentur illa. Ergo ut perverſam hanc confidentiam refuter Deus, ſæpius ponit urbis nomen. Tandem adjungit, *Et ingredientur Chaldæi, & ſuccendent urbem igni, & exurent eam:* quaſi diceret certum fore quicquid prædixerat Jeremias, non tantum de urbis oppugnatione, ſed etiam excidio, ita ut non manet et lapis ſupra lapidem, quin illic eſſet horribilis vaſtitas uſque ad tempus reſtitutionis. Reliqua in craſtinum.

Da omnipotens Deus, quando ſic te oſtendis toti mundo dominari, ut peculiarem tamen noſtri curam geras, quos dignatus es colligere in Eccleſiæ tuæ ſinum: da, inquam, ut ſic contineamur formidabili tua potentia in officio, ut tamen ſemper ſimus perſuaſi te nobis fore in Deum & patrem: atque ita nos ſubjiciamus ſponte verbo tuo, & non tantum guſtemus bonitatem tuam, quæ repoſita eſt filiis tuis, ſed ſic ea paſcamur, ut tandem perveniamus ad beatum illud regnum cæleſte, ubi plena erit ſatietas & fruitio per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA VIGESIMA-NONA IN

J E R E M I A M.

PRoxima lectione non absolvi sententiam, ubi denunciabat Propheta urbem fore obnoxiam incendio. Postquam enim illic de urbe loquutus est, simul etiam adjunxit *domos super quas suffitum fecerant suis idolis, & libarant libamina.* Caussam igitur exprimit cur tam gravis Dei vindicta maneat urbem illam sanctam, quia scilicet domus omnes pollutæ erant superstitionibus. Dicit autem *factos fuisse suffitus idolis super tecta*, quoniam tecta, ut satis colligitur ex pluribus Scripturæ locis, erant quasi ambulationes. Scimus autem idololatras semper appetere excelsa loca, quoniam ita fingunt se propiores esse Deo. Summa autem est, non posse videri pœnam, de qua loquutus erat Propheta, nimis rigidam esse, quia omnes domus fuerant contaminatæ multis sacrilegiis. Nominat priore loco *Baal*, deinde ponit *deos alienos.* Scimus nomen Baal aliquando sumi specialiter, aliquando autem extendi ad omnia idola: plurali tamen numero sæpius vocarunt Prophetæ Baalim patronos, quibus putabant Judæi prius litandum esse, ut hoc modo placarent Deum. Neque enim superstitio contenta est unico Deo, sed multos sibi accersit. quemadmodum versu 35. iterum postea videbimus conjungi cum Baal Moloch. & hic Propheta dicit *libasse libamina diis alienis.* Videmus ergo sub nomine Baal comprehendi omne genus idola. Addit, *Ut provocarent me.* quibus verbis significat Deus, non posse obtendi à Judæis errorem, quia satis superque edocti erant ex Lege quomodo colendus esset Deus, & simul præscripta illis erat regula ut Deum unum colerent: plures autem colebant deinde fictitiis suis superstitionibus. Merito igitur Deus hic conqueritur se fuisse quasi data opera provocatum, quia ignorantiæ prætextus non erat, quum sufficeret doctrina Legis ad ipsos regendos. Nunc sequitur,

30. Quia fuerunt filii Israël & filii Jehudah tantummodo patrantes malum in oculis meis à pueritia sua: quia filii Israël tantummodo fuerunt provocantes me in opere manuum suarum, dicit Jehovah.

Amplificat crimen populi, quod nunquam destiterint à suis sceleribus. Ponit autem *decem Tribus*, deinde *Tribum Jehudah.* Scimus decem Tribus descivisse à puro Dei cultu quum adhuc staret integra religio Jerosolymæ. Ergo quum *filios Jehudah* nominat, non dubium est quin aggravet crimen ipsorum, quod scilicet prolapsi sint una cum Israëlitis, quum tamen ad tempus fuissent retenti. Degeneres fuerant Israëlitæ, postea totum semen Abrahæ pari defectione simul implicitum fuit, ut desererent verum Dei cultum. sed postea solos filios Israël nominat, & tunc comprehendit etiam Tribum Jehudah. nam hoc notandum est, dum Scriptura conjungit Israëlem cum Jehudah, priori voce notari decem Tribus, & honoris vel majoris ignominiæ caussa separari domum Jehudah à regno Israël. Sed ubi tantum ponitur nomen Israël, complectitur in genere omnes filios Abrahæ, & tunc nulla est exceptio. Sic etiam hoc loco quum dicit filios Israël & filios Jehudah nihil aliud quam Deum provocasse, postea simpliciter ponit nomen Israëlis, ita sub hac voce designat duodecim Tribus. Dicit autem *filios Jehudah & Israël provocasse ab adolescentia tantummodo.* אך aliquando affirmative capitur, aliquando adversative, Sed, vel, nihilominus: & quadraret hic sensus posterior, nisi quod contextus non patitur. Ego libenter eorum subscribo sententiæ qui vertunt *tantummodo:* & Propheta videtur etiam tollere omnem ambiguitatem, quia non tantum dicit fecisse, *sed fuisse facientes*, quæ loquutio significat continuum actum: *fuerunt*, inquit, *facientes malum*, hoc est, non cessarunt. Et confirmat hanc sententiam, quum dicit אך, tantummodo, hoc est, nihil aliud fuisse illis propositum, vel omnia eorum studia non alio spectarunt, quam ut me provocarent sine fine & modo. Videmus ergo tolli Judæis omnem materiam querimoniæ, quoniam Deus longa tolerantia distulerit suam vindictam. Poterat enim multis ante seculis pœnam de ipsis exigere. Quum ergo non destitissent, non potuit videri nimius rigor, quum Deus sua bonitate invitasset eos ad pœnitentiam, idque sine profectu. Et nomen Pueritiæ hic non refertur ad singulos homines, sed extenditur ad totum populum: ita pueritia sumitur pro tempore redemptionis, quemadmodum postea videbimus. Tunc enim quodammodo Ecclesia nata fuit. in deserto autem quum recens essent editi in lucem, quia Deus eripuerat eos ex tenebris mortis: in illa pueritia cœperunt Deum provocare: ab eo tempore semper fuerunt obstinati in sua malitia. Summa est igitur, populum Israël fuisse tam perverso ingenio, ut necesse fuerit tandem severe ipsum puniri, quia non destiterit mala malis addere. Et particula אך, auget crimen, quod scilicet applicuerunt omnia sua studia ad Deum provocandum, & fuerunt quasi ingeniosi ad excogitandas superstitiones quibus polluerant Dei cultum. *Tantummodo* ergo *fuerunt patrantes malum, & provocarunt me*, inquit, *in opere manuum suarum.* Explicatio additur, quia poterant obstrepere Israëlitæ quodnam esset illud malum. Deus quidem satis ostenderat eos nihil proficere suis subterfugiis, quia constituerat se judicem quum diceret, *in oculis meis.* nam hac particula significant Prophetæ non posse rectum judicium fieri de hominum operibus ex eorum sensu, quia velint nolint oportet eos stare & cadere Dei arbitrio. Quoties ergo Deus pronunciat homines peccasse in vel coram oculis suis, intelligit frustra eos tergiversari, dum obtendunt suas bonas intentiones, ut vulgo loqui solent, quoniam penes ipsum sit auctoritas judicandi. Sed confirmat doctrinam illam quum dicit *se fuisse provocatum in opere manuum ipsorum.* Per *Opus manuum* intelligit Propheta superstitiones, quas sibi excogitaverat populus. Et semper tenenda est antithesis inter Dei mandata, & opera manuum nostrarum. Quicquid ergo obtrudimus Deo præter Legem ipsius, vocatur opus manuum nostrarum: obedientia autem melior quam victimæ. Ergo hic præcise Deus omnia hominum commenta damnat: quasi diceret, quantumvis sibi homines placeant in suis superstitionibus, esse tamen impias & detestabiles, quia nefas sit quicquam fabricare. Nihil enim residuum nobis fecit Deus Lege data, nisi ut sequamur quod præcipit: ubi autem deflectimus, & aliquid addimus de nostro, nihil aliud est quam sacrilegium. Nunc sequitur,

31. Quia ad iram meam, & excandescentiam meam fuit mihi urbs ista ex quo die ædificarunt eam ad diem hunc usque, ad tollendum ipsam è conspectu meo.

Confirmat quod nunc diximus, Deum scilicet quantumvis severe puniat Judæos, non tamen modum excedere in suo judicio, quia ad cumulum usque pervenerit eorum iniquitas. Horribile erat judicium Dei quum urbs funditus fuit eversa, & ignis subjectus ædibus, Templum etiam excisum. Poterat igitur pœnæ atrocitas multos ad querimoniam impellere quasi nimis severus esset Deus: hic compescit omnes illas exprobrationes, ac dicit *urbem ex quo fuit condita, fuisse in hoc* quasi natam, ut ipsum provocaret: quemadmodum Gallice dicimus, *Elle a esté faite pour me despiter, pour me fascher*. Quidam vertunt, redacta mihi fuit urbs: sed corrumpunt sensum, vel obscurant. Posset commodius verti, Urbs fuit destinata mihi ad iram & excandescentiam meam. Sed sensus ille quem adduxi simplicior est; ita voces istæ אפי, & חמתי, *ira mea, & excandescentia mea*, passive sumi debent, quod scilicet urbs Jerusalem quodammodo fuerit devota huic amentiæ, ut non desineret accendere magis ac magis contra se iram & vindictam Dei. In summa, repetit aliis verbis quod prius dixerat, nempe filios Israël nihil aliud quam suis maleficiis provocasse iram Dei. Nihil enim hic novum dicitur, sed quoniam difficile illud erat persuasu, Propheta inculcat, urbem Jerusalem *fuisse ad iram Dei, & ad excandescentiam ex quo fundata fuerat*. Et ex fine versus colligere promptum est hunc esse genuinum sensum, quia dicit, *ad diem hunc usque, ad tollendum ipsam è conspectu meo*: quasi diceret nullum fecisse peccandi finem Judæos, jam maturum esse tempus quo ultio sumatur de illo desperato populo, cujus scilicet insanabilis erat impietas. Et perseverantiam designat quum dicit, *usque ad hunc diem*. Neque enim tantum cœperat populus in deserto peccare, sed assiduo, ut ita loquar, cursu prosequutus fuerat suam impietatem, ut nullo seculo, nullo anno, nullo etiam die à suis sceleribus destiterint. Ergo hic notatur peccandi assiduitas. Sequitur,

32. Super omne malum (*vel propter omne malum*) filiorum Israël, & filiorum Jehudah, quod patrarunt ad provocandum me, ipsi, Reges eorum, Proceres eorum, Sacerdotes & Prophetæ eorum, & vir Jehudah, & incolæ Jerusalem.

Pendet hic versus ex proximo. conquestus fuerat Deus urbem fuisse tam perverso ingenio ut videri posset in hoc fundata & extructa, ut peccando accerseret sibi exitium: confirmat sententiam illam quum addit, *Propter omne scelus filiorum Israël, & filiorum Jehudah*. per *omne scelus* intelligit quod ante dixerat, tantummodo ipsos fuisse patrantes malum, quia non tantum in parte una deliquerant, sed sese prostituerant ad impietatem, ut nihil esset in ipsis purum vel sincerum. addixerant enim se impietati, ut nihil omitterent quod faceret ad iram Dei provocandam. Extenditur enim universalis nota ad singulas vitæ partes: quasi diceret tanta malitia fuisse imbutos, ut nihil in ipsis sanum restaret. Fieri potest ut corpus laboret uno aut altero morbo: sed erit tamen sanitas in quibusdam membris. At vero Propheta intelligit Israëlitas sic computruisse, quemadmodum
Psal. 14. vers. 1. etiam Psalmus 14 loquitur, ut nihil prorsus integrum apud ipsos maneret. Jam hic Deus omnes ordines accusat. dicit enim Reges primo loco peccasse, quia non tantum deseruerint ipsi verum Dei cultum, sed aliis auctores fuerint defectionis, vel apostasiæ. Regibus subnectit *Proceres*, vel consiliarios: postea addit *Sacerdotes & Prophetas*. Et certe debuerant Reges cum suis consiliariis esse quasi alter oculus, Sacerdotes autem & Prophetæ alter. Duo enim oculi in vera & legitima gubernatione sunt judices, & pastores Ecclesiæ. Propheta autem dicit Reges & consiliarios fuisse impios: deinde societate criminis implicitos fuisse Sacerdotes & Prophetas. Hoc autem instar prodigii fuit, videre cæcitatem illam & amentiam in Sacerdotibus, quos Deus hæreditario jure præfecerat Ecclesiæ suæ quasi Legis suæ interpretes:
Mala. 2. vers. 7. quemadmodum dicitur, Labia Sacerdotis custodient scientiam, & Legem requirent ex ore ejus, quia nuncius vel legatus Dei exercituum est. Quum autem Sacerdotes in officio cessarent vel inscitia, vel ignavia, Deus substituit Prophetas in eorum locum, & hoc quasi adminiculo fulcire voluit Ecclesiæ suæ ruinam. Atqui Jeremias dicit Prophetas quoque similes fuisse Sacerdotibus. Notandus est diligenter hic locus, quia videmus quas sibi delicias multi faciant, dum Ecclesia turbatur dissidiis. Putant enim hoc modo se excusari, si abjiciant omnem curam, & studium pietatis: & multi sibi indulgent in hac mollitie. Quod si ita teneri fuissent fideles illo tempore, an non millies evanuisset religio, extincta prorsus fuisset atque abolita ex ipsorum cordibus? Discamus ergo etiamsi surgant pseudoprophetæ & obtenebrent puram doctrinam suis fallaciis: etiamsi sacrifici sint apostatæ, & quasi vexillum tollant ad dissipationem totius Ecclesiæ, discamus manere firmi: quia fides nostra non debet labefactari, quamvis totus mundus agitetur, imo quamvis Satan misceat cælum terræ. Denique hæc vera nostræ fidei probatio est, si constanter manemus in veritate Dei, ubi Satan nihil non tentat & machinatur, ut omnia permisceat. Jeremias enim hic non de Ægyptiis vel de Assyriis loquitur, sed de populo electo, de filiis Abrahæ, de sacra hæreditate Dei: & tamen dicit Sacerdotes, & Prophetas fuisse quasi duces populo ad peccandum, ut cultum Dei abjicerent, ut corrumperent Legem, denique desciscerent à pietate. Addit postea *virum Jehudah, & incolas Jerusalem*. Non loquitur de Israëlitis, qui pridem sese polluerant, & prostituerant ad impias superstitiones. erant enim quasi extranei à populo Dei: sed nominat tantum Judæos qui superstites manebant, ut restaret aliqua Dei Ecclesia in mundo. Jam gradatim procedit, quum ultimo loco ponit *incolas Jerusalem*. Hoc enim minus erat tolerabile, eos qui Templum habebant in conspectu, qui assidue revocabantur ad verum Dei cultum, esse apostatas, sicuti qui in pagis habitabant. nam in speciem excusabiles erant homines rustici, qui ter quotannis solebant venire in Templum. Sed quum cives Jerosolymæ haberent tot pietatis exercitia, quum assidue in ipsorum auribus Lex Dei personaret, quum sacrificia essent quasi tubæ quarum clangore revocarentur ad timorem Dei, fuit longe atrocius ipsorum crimen, sicuti diximus: & ideo Propheta majoris ignominiæ causa eos adjungit *viris Jehudah*. Sequitur,

33. Et verterunt mihi cervicem, & non faciem: & docendo eos, & mane surgendo, & docendo, & non audierunt (*& ipsi non audientes, ad verbum: sed non audierunt*) ut reciperent correctionem. (*vel disciplinam.*)

Hic

Hic clarius exprimit Jeremias pervicaciam populi, quasi diceret fuisse ipsis deliberatum rejicere omnem doctrinam, nec Deo morem gerere. qui enim tergum obvertit, hoc facit sciens & volens, & quidem non sine contemptu. Si quispiam me alloquitur, & in contrariam partem respicio, nonne hoc manifestum signum est ludibrii, vel fastidii? & qui loqui cœpit, annon videt se repudiari? Sic ergo Deus conqueritur non errore lapsos fuisse Judæos, sed quasi meditatos fuisse hanc contumaciam. *verterunt* igitur *mihi cervicem*, inquit, quum tamen deberent attenti esse ad audiendam Legis doctrinam. Deus enim faciem suam nobis ostendit quoties dignatur præcipere quid agendum sit, & monstrare salutis viam. Ubi nos respicit, nisi mutuo etiam in ipsum conjicimus oculos, quam detestabile est illud fastidium? Hoc igitur primum est, quod Judæi scientes & volentes contempserint Deum, & Legem ipsius. Deinde amplificat crimen quum dicit, *Et docui eos, mane surrexi, & docui, & ipsi non audierunt.* Si tantum Lex semel fuisset promulgata, Judæi poterant objicere se magna ex parte non esse literatos: sed nullus color superfuit quum subinde Prophetæ Legem interpretarentur, quemadmodum etiam pollicitus fuerat Deus per Mosen, Prophetam suscitabo tibi è medio fratrum tuorum. (Deut. 18. vers. 18.) Significat enim perpetuum hoc fore beneficium in Ecclesia, ut nunquam desint Prophetæ, qui populo viam ostendant. Opponit enim Prophetas aruspicibus, divinis, auguribus, & aliis omnibus diaboli ministris: quasi diceret non esse cur populus appetat illas Satanæ præstigias, quum sufficiant Prophetæ. Deus ergo hic ne Judæi obmurmurent secum nimis duriter agi, ostendit se docuisse. transfert enim in suam personam quod per Prophetas exercuerat docendi munus. Et certe Prophetæ & Doctores nihil aliud sunt quam Spiritus sancti organa. Neque enim quisquam ad docendum erit idoneus, nisi quatenus dirigitur à Spiritu Dei. Merito ergo Deus sibi vendicat has partes, & vult sibi manera integram laudem ædificationis Ecclesiæ suæ, tametsi utitur hominum opera. Dicit hoc sensu, *se docuisse.* deinde adjungit *se mane surrexisse*, hoc est, se fuisse sedulum: quemadmodum paterfamilias qui sollicitus est de suis, mane inquirit quomodo habeant, & circumspicit per totam domum: ita etiam Deus hic diligentiam suam prædicat in docendis Israëlitis: quasi diceret non modo versari Legem ante ipsorum oculos, ex qua discant quid rectum sit, sed etiam Prophetas accedere, qui non desinant ipsos monera, & hortari. Est autem hæc loquendi forma digna observatu, quia hinc colligimus quam fœda sit eorum ingratitudo qui respuunt doctrinam Propheticam. Neque enim in homines tantum sunt injurii, sed potius in Deum ipsum: quemadmodum Christus pronunciat, Qui vos audit, me audit; qui vos rejicit, me rejicit. (Luc. 10. vers. 16.) Commendat igitur hæc loquutio fidem Propheticæ doctrinæ, ubi Deus in medium prodit, & ostendit se agera per servos suos. Ab altera autem parte colligimus quam incomparabile bonum sit habere fidos & probos doctoras, quia Deus per eorum manum & operam certo declarat se curam gerera salutis nostræ, acsi vigilias ageret, acsi mane surgeret, acsi nos inviseret. Et prædicatio Euangelii non absre etiam vocatur Dei visitatio. Non est ergo cur quicquam melius expetamus, ubi Deus nobis adest per sermonem suum, quia habemus certum testimonium præsentiæ ejus quoties surgunt veri & fidi doctores. Addit, *ad recipiendam correctionem.* Significat per nomen מוסר Judæos non peccasse ignorantia, sed fuisse intractabiles, quia non sustinuerint corrigi. מוסר quidem accipitur pro doctrina interdum: sed proprie hic pro correctione sumitur, ubi scilicet quispiam, qui alioqui tenebat quid rectum esset, ubi deflexit à recta via postea resipiscit admonitus. Videmus ergo quid sibi velit Propheta, nempe Judæos non tantum oculos clausisse ad claram lucem quæ in Lege fulgebat: sed fuisse prorsus immorigeros, ita ut non potuerint subigi quum Deus ipsos ad resipiscentiam vocaret: quum vellet sanare ipsorum morbos, fuisse ea pervicacia ut abjecerint omnem correctionem & disciplinam. Hinc colligimus fuisse maturum vindictæ tempus, quia Deus omnia tentaverat, ut consuleret ipsorum saluti; & perdiderat operam & oleum, quemadmodum vulgo dicitur. Sequitur,

34. Et posuerunt abominationes suas in domo super quam invocatum est nomen meum, ad polluendum ipsam.

Hic fuit quasi extremus cumulus scelerum, quod Judæi Templum ipsum profanarunt. Hoc jam grave erat crimen, dum quisque habebat privata sacra domi suæ, quemadmodum vidimus fecisse ipsos suffitum super tecta, deinde libasse diis alienis: sed dum eo usque prorupit impietas, ut Templum quoque ipsum idolis fuerit pollutum, quænam spes erat resipiscentiæ? Dicit *posuisse suas abominationes in Templo.* Vocatur quidem Domus more Hebraico, sed postea distinguitur ab ædibus privatis quum dicit, *Super quam invocatum est nomen meum*: deinde *ut polluerent ipsam.* Deus hic ostendit Templum sibi fuisse dicatum. ergo sacrilega fuit illa profanatio quum offerrant sacrificia idolis privatim. Erant jam quidem apostatæ, sed tale sacrilegium non eminebat in privatis illis superstitionibus, sicuti in Templo. nam hoc erat eripera Deo suum honorem: etiamsi illis fas fuisset sese projicera ad omne flagitium quum essent ex Templo egressi, tamen Templum ipsum debuerat manere quasi salvum & intactum ab omni inquinamento. Hac igitur ratione dicit *invocatum illic fuisse nomen suum*: deinde *Templum ipsum fuisse pollutum*, ita ut sacro ejus nomini non parcerent. Reliqua differam in crastinum diem.

Da omnipotens Deus, quando nobis quotidie manum porrigis, & nos etiam sollicitas continuis exhortationibus ad pœnitentiam, ne tam ingrati simus, ut obstinatione nostra respuamus tale tantumque beneficium: sed si quando contigerit nobis à recta via deflectera, ut statim ad te convertamur, & simus tibi obsequentes: atque ita medicina, quam nobis proponis, valeat nobis in salutem, donec tandem vitiis omnibus puri, fruamur beata illa & immortali gloria, quam nobis in cælo præparasti per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA IN JEREMIAM.

35. Et ædificarunt excelsa ipsi Baal, qui erat in valle filii Hinnom, (*vel quæ erant*) ad trajiciendum filios suos & filias suas ipsi Moloch, (למלך, *idolo*) quod non mandavi ipsis,

& non ascendit in cor meum: ad faciendum abominationem hanc, ut peccaret Jehudah. (*vel ut peccare facerent Jehudah.*)

Postquam conquestus est Deus de Templi sui profanatione, nunc dicit etiam alio genere superstitionis peccasse Judæos, quod scilicet vallis filii Hinnom esset illis loco Templi. Vetuerat Deus in Lege sibi passim offerri sacrificia. Non sic facies Deo tuo, sed venies ad locum, ubi posuerit memoriam nominis sui. (Deut. 12. vers. 4. 5.) quum ergo diserte testatus esset Deus sibi non esse grata sacrificia nisi uno in Templo, & in uno altari, hic ostendit cultum Legalem fuisse à Judæis corruptum, quia scilicet traduxerint filios suos & filias per ignem in honorem Moloch. Et tamen priore loco nominat Baal: unde apparet, quemadmodum heri diximus, sub voce Baal comprehendi omnia idola. Neque enim dubium est quin Judæi dum colebant suos Baalim, semper voluerint manere uni Deo summum imperium: sed interea fingebant sibi patronos: & hinc deorum multitudo. Sed nomen Moloch speciale est, quemadmodum satis potest colligi ex pluribus Scripturæ locis. Tenemus nunc consilium Prophetæ, quod scilicet Judæi non fuerint contenti una specie idololatriæ, sed erexerint sibi excelsa, vel altaria. Quidam enim ita exponunt בָּמוֹת. בָּמָה significat Excelsum, & ubique accipitur pro lucis, quos vocant, hoc est, proceris arboribus. Et quia hic fit vallis mentio, existimant quidam non quadrare illud nomen Excelsorum: ideo accipiunt pro altaribus. Quantum ad summam rei pertinet, non dubium est quin Deus hic damnet Judæos, quod ausi fuerint alienum cultum erigere in valle Hinnom, quum tamen Lex diserte id vetaret. Quemadmodum dixi, relativum אֲשֶׁר potest referri tam ad altaria quam ad Baal. Sed videtur mihi aptior fore sensus, si dicamus Baal ipsum, hoc est, idolum fuisse in valle Hinnom. de trajectu qui solebat fieri per ignem, alibi diximus. erat species lustrationis. Neque tamen dubium est quin alii excesserint communem modum, qui scilicet volebant excellere eximio fervore zeli. nam filios & filias suas comburebant, quod fuit immane facinus. Sed putabant tamen hoc obsequium gratum esse Deo. Alii levius defuncti sunt sua superstitione, quia satis erat per ignem filios trajicere, idque in symbolum purgationis, quemadmodum & profanæ gentes solebant se lustrare. Loquitur autem *de filiis, & filiabus* Propheta, ut ostendat tantam fuisse intemperiem in Judæis, ut non tantum se eoram idolis prostituerent, sed posteros etiam contaminarent illis inquinamentis. Tandem subjicit *se nihil tale mandasse, neque id unquam sibi venisse in mentem.* Diximus alibi, quoties occurrit hæc loquutio, Deum ansam præcidere omnibus objectis, quia superstitiosi semper habent quod obtendant ubi vocantur ad judicium. Scimus Papistas quum obtrudunt nomen Bonæ intentionis, secure gloriari adversus Deum. Et putant hoc unum sufficere, ut procul à se rejiciant omnes objurgationes: & putant servos Dei ac Prophetas nimis esse morosos ubi non satisfacit illis hæc excusatio. sed Deus ne prolixius litiget cum superstitiosis, sumit hoc principium, quicquid tentant præter Legem, hoc esse adulterinum, & ideo non posse ullo colore fucati omnium hominum commenta. Sciamus ergo veram pietatem fundatam semper esse in obedientia. Itaque ubi nullum extat Dei præceptum, non modo frivolum est sed abominabile quicquid à seipsis confingunt homines, quemadmodum heri dictum fuit de opere manuum: ita etiam hic opponitur mandatum Dei omnibus hominum commentis. Sed quoniam sæpius occurrunt tales sententiæ, hunc locum nunc levius attingo. Est tamen doctrina hæc apprime notatu digna, non opus esse longis refutationibus ubi volumus coarguere fictitios cultus, quos sibi homines ex proprio sensu fabricant: quia postquam omnia dixerint, uno verbo respondet Deus quicquid non præcipit sua Lege, hoc esse vanum & perversum. Dicit igitur *hoc se non mandasse illis, nec unquam sibi venisse in mentem.* Transfert Deus ad se quod non potest competere nisi in homines. Dicitur enim hoc improprie de ipso Deo, non venisse hoc vel illud illi in mentem. Sed hic perstringit hominum superbiam, dum audent hoc vel illud comminisci, & existimant gratum fore Deo cultum, quem ipsi temere excogitarunt. Volunt enim hoc modo excellere sapientia supra Deum ipsum. Nam videmus etiam hodie Papistas, quum ostendimus nihil ex ore Dei profectum esse ex tota congerie observationum, in quibus religio ab ipsis statuitur, proferre semper in medium hoc non abs re fuisse mandatum à Patribus: quasi vero aliquid venerit hominibus in mentem quod Deum ipsum præterierit. Videmus ergo ut salse derideat hoc loco Deus eorum amentiam, qui proprio ingenio freti, fingunt sibi varios cultus. Volunt enim sapere supra ipsum, quemadmodum diximus. Nunc ergo tenemus quam emphatica sit ista loquutio, ubi negat Deus *sibi unquam venisse in mentem,* quod homines jactant non sine ratione fuisse excogitatum, & in quo acumen suum venditant, acsi aliquid melius statuere possent, quam Deus ipse. postea dicit, *Ut facerent abominationem hanc.* Jam ultra progreditur Deus. nam vocat abominationem, quicquid non præcepit. Et contextus hic confirmat quod nuper dixi, non opus scilicet esse longis argumentis, ubi quæstio agitatur de commentis hominum. nihil enim potest probari in cultu Dei nisi quod mandavit ipse. Ergo non modo inane ac frivolum, & inutile est quicquid profectum est ex hominum sensu, sed etiam abominatio. Deus enim ita definit hoc loco. ideo non satis est hodie repudiare & ludibrio habere fictitios cultus in quibus tantopere superbiunt Papistæ: sed si volumus probare verum pietatis notum, necesse est abominari omnia illa figmenta. Deus enim ita semel pronunciavit. Dicit, *Ut peccaret Jehudah*, vel ut peccare facerent. utrumque probabile est, & duplex est etiam lectio. Quicquid sit, pronunciat eos qui fundati non sunt in Lege, nihil aliud quam peccare etiamsi existiment se optimum præstare Deo obsequium, nempe quia debuerant incipere ab illo principio, ut scilicet nihil tentarent nisi ex præscripto Legis. Sequitur,

36. Et nunc propterea sic dicit Jehovah Deus Israël ad urbem hanc (*vel de urbe hac*) de qua vos dicitis, Tradita est in manum regis Babylonii in gladio, & fame, & peste:

37. Ecce ego congrego eos ex omnibus terris ad quas expulero eos in ira mea, & excandescentia mea, & indignatione magna: & reducam eos ad locum hunc, & habitare faciam secure.

Hacte-

Hactenus ostendit Deus dignos esse Judæos extremis quibusque pœnis, quas jam exegerat à regno Israël, nec posse de immodico rigore conqueri, etiamsi Urbe deleta & Templo exciso, in exilio putrescant. Polluerant enim terram, quæ debuerat Deo sacra esse, & ubique sparserant suas abominationes, ut ne Templum quidem immune esset à sordibus & inquinamentis: neque exiguo tantum tempore ita deliquerant, sed, quemadmodum vidimus, contempserant omnes admonitiones. Et quum Deus sollicitus esset de ipsorum salute, superbe rejecerant, atque etiam extinxerant ejus gratiam. Quum ergo tam perdito essent ingenio, & prorsus desperata esset eorum impietas propter tantam duritiem, ostendit Deus justam se mercedem rependere eorum operibus, quum illos prorsus rejicit. Sed nunc adjungit promissionem gratiæ, ut ostendat ita se fore vindicem scelerum, ut tamen semper habeat rationem gratuiti fœderis, quod pepigerat cum Abraham. Diximus autem jam sæpius, quoties Deus spe aliqua misericordiæ pœnarum acerbitatem mitigat, respicere peculiariter suos electos. Non igitur promiscue ad omnes dirigitur hic sermo quum Deus se tandem fore exorabilem & propitium affirmat: quia solos, quemadmodum dixi, electos suos ad bonam spem revocat. Quoniam ergo aliquod erat residuum semen piorum in populo, voluit Deus ipsis consulere ne animos penitus desponderent. Tenemus ergo nunc Prophetæ consilium. & hæc doctrina diligenter notanda est, quia alioqui semper aberrabimus in doctrina Prophetica, nisi sciamus postquam minati sunt reprobis, & Dei contemptoribus, postea sermonem convertere ad electos, quo patienter, & æquis animis ferant pœnas sibi impositas, quemadmodum Jeremias etiam suo exemplo fideles hortatur ut in pulvere os suum ponant: deinde, ut patienter exspectent Deum, quamvis ad tempus absconderit faciem suam à Jacob, hoc est, ab Ecclesia sua. Postquam igitur ostendit Jeremias Judæos non posse nimis duriter tractari quod essent prorsus indomiti: nunc subjicit, *Et nunc propterea sic dicit Jehovah Deus Israël de urbe hac*, vel ad urbem hanc, אל העיר, utrumque significat: sed proprie accipitur hic pro De: & aptius ita vertitur *De urbe hac de qua dixistis traditam esse in manum regis Babylonis.* Videtur hoc non esse consentaneum, quia non ipsi Judæi protulerant sententiam adversus Jerusalem; quin potius pervicaciter surgebant contra Prophetas, & tumultuabantur quoties Urbis clades denunciata fuerat. Quid ergo hoc sibi vult, quum exprobrat illis Deus sic fuisse loquutos? Respondeo, hoc quidem fuisse à Spiritu Dei profectum. deinde Prophetas fuisse hujus pœnæ testes ac praecones: sed quum Judæi viderent se non posse effugere, tunc cum horrore sic apprehenderunt Dei judicium, ut prorsus essent attoniti. Et id semper contingit Dei contemptoribus. nisi enim ipsos urgeat, subsannant omnes minas, vel existimant sibi fabulas narrari quum Deus denunciat se sumpturum de illis vindictam. Ubi autem ad extrema ventum est, obstupescunt, & sine ulla spe tantum agnoscunt Deum sibi esse infestum: hinc desperatio. Propheta ergo non abs re illis exprobrat, *quod dixerint Urbem esse traditam regi Chaldæo*, quum scilicet non tantum oppugnaret eam valido exercitu, sed haberet adjutores, & quasi socios gladium, famem & pestem. Nam antequam obsidio illos premeret, vidimus ut pro nihilo duxerint quicquid pronunciabat Jeremias. Nam lusit operam fere per annos 40. & quotidie tamen resonabat illud vaticinium de clade Urbis, de exilio & abdicatione populi, de interitu omnium sacrorum. Jam postquam viderunt serio rem agi, nec se posse Dei vindictam effugere, tunc prolapsi sunt ad aliud extremum, quod scilicet Deus vanus esset in suis promissis, quod fœdus ejus esset irritum & nullius momenti, quod frustra ipsum coluissent, quod verba dedisset, & eos lactasset inaniter, quum pollicitus fuisset se habitaturum in medio ipsorum. Hoc igitur sensu dicebant *Urbem esse traditam in manum regis Babylonis*, perinde ac si abscissa esset spes reditus. Abjiciebant enim prorsus Dei gratiam, & quicquid per Jeremiam pollicebatur dicebant vanum esse, quoniam terror occupaverat eorum mentes & sensus, ut scilicet nullum darent amplius locum misericordiæ Dei. Dixi hoc contingere omnibus reprobis, ut Deum irrideant ubi ipsis parcit & indulget: ubi autem sentiunt illum judicem, tunc non respiciunt ad misericordiam ejus, sed jacent sub desperatione quasi exanimes. Nunc tenemus consilium Prophetæ, ubi sermonem hunc Judæis adscribit, *quod dixerint Urbem esse traditam Chaldæis & Babyloniis*, quia scilicet liberatio promissa non poterat quicquam solatii illis afferre, ex quo sibi persuaserant actum esse de salute sua. *Dicitis* ergo *urbem hanc esse traditam: ego vero*, inquit, *colligam eos ex omnibus terris ad quas ejecero eos in ira mea, & excandescentia mea, & indignatione magna.* Hic promittit Deus temporale duntaxat fore exilium, quia tandem dispersos Israël, ut in Psalmo *Psal 147. vers. 2.* dicitur, congregabit. Hic nullum nomen exprimitur, sed pronomen relativum: nulla tamen est ambiguitas, quia satis patet de Judæis verba fieri quum dicit, *colligam ipsos.* Jam quia huc & illuc dispersi erant, collectio poterat videri incredibilis. nam si tantum fuissent è patria sua abducti, & datus fuisset locus exilio, ubi simul vixissent, poterant sperare aliquando se redituros. sed dissipatio tollebat omnem spem reditus quum in tam diversas & procul dissitas regiones essent distracti. Ergo ut huic diffidentiæ occurrat Deus, expresse dicit *redituros ex omnibus terris ad quas eos expulerit.* Nec dubium est quin alludat Propheta ad locum Mosis Deuter. 30. Etiamsi ad *Deut. 30. vers. 4.* quatuor mundi plagas dispersi fuerint, inde colligam eos. Quemadmodum ergo Deus per Mosen promiserat, etiamsi ejecti essent ad ultimos cardines mundi, sibi tamen non fore difficilem reductionem: ita Propheta locum hunc Mosis accommodat ad suum vaticinium, quod scilicet ex toto Oriente colliget Deus qui fuerant dissipati. Adjungit, *In ira mea, excandescentia mea, indignatione magna.* Hic Deus non loquitur de ira sua, nisi ut sentiant Judæi se dignos esse talibus pœnis. scimus enim, quia Deus mundi judex est, non posse quicquam iniquitatis in ipsum cadere. Ergo ubi magna est ira Dei, certo colligere promptum est magna esse hominum scelera: neque enim nobis irascitur nisi pro magnitudine scelerum, quibus offensus est. Tenemus ergo nunc cur Propheta hic ponat *iram Dei, & indignationem, & excandescentiam magnam*, nempe ut fideles statuant Deum sibi fore propitium, quamvis digni sint æterno interitu. In summa, docet Jeremias fore locum misericordiæ Dei, quamvis Judæi centum clades meriti essent sua obstinatione. Et adjungit continuam gratiam, *quod* scilicet *habitare ipsos faciet secure.* Postquam reditum illis promisit, simul adjungit tranquillum statum: alioqui satius fuisset Judæis semper manere in exilio, & externis regionibus, quam redire in patriam, & illic misere degere. Hæc ratio igitur est cur diserte addiderit Propheta fore illis tranquillam habitationem. Porro scimus hoc non fuisse completum simulatque reversi sunt Judæi in patriam. Duriter enim vexati fuerunt ab omnibus vicinis: & primum impedita fuit Templi ædificatio: deinde multas hinc inde molestias perpessi sunt: tandem oppressi sunt tyrannide à regibus Syriacis, & fere redacti ad extrema, ut exilium illis fuerit non modo tolerabile, sed etiam suave & jucundum, præ tot miseriis, quibus oppressi erant. Sed quemadmodum alibi dictum fuit, quoties vaticinantur Prophetæ de populi reditu, extendunt suam doctrinam ad totum Christi regnum. nam liberatio ab exilio

nihil aliud fuit quam initium gratiæ Dei. Exorsus est igitur Deus opus veræ & solidæ redemptionis quum populum in patriam reduxit: sed tenuem modo gustum præbuit suæ misericordiæ. Ergo hoc vaticinium una cum similibus debet ad Christi usque regnum extendi. Postea addit,

38. Et erunt mihi in populum, & ego ero ipsis in Deum.

Hæc promissio tenuit præcipuum gradum in Ecclesiæ restitutione. Nam quamvis Judæi ad satietatem usque referti essent opulentia, & copia, & varietate omnium bonorum, conditio tamen illa non fuisset magni momenti, nisi fuissent Dei populus. Nulla enim est hominum felicitas si tantum subsistant in terrenis & caducæ vitæ commodis, aut deliciis, & voluptatibus: quemadmodum etiam dicitur
Psal. 144. vers. 15. in Psalmo, Beatus populus cujus Jehovah Deus est. Quamvis enim commendet Deus suas benedictiones, & velit esse testimonia paterni sui favoris erga pios, non vult tamen ipsos illic subsistere: sed quasi per gradus ipsorum mentes attollit ad caput veræ felicitatis, & fontem ipsum, nempe ut agnoscant se esse sub manu ejus, & illum semper sibi fore Patrem. Videmus ergo Prophetam ubi loquutus est de restitutione populi, proponere quod summum & maxime desiderabile erat, nempe ut scirent se Deo reconciliatos esse, & ita se in ipsius populo censeri. Hinc colligimus, quamvis Deus pro sua indulgentia sustinuerit populi veteris infirmitatem, & ita protulerit in medium fœcunditatem terræ, & reliqua: tamen finem omnium promissionum fuisse spiritualem. neque enim vera esset hæc promissio, si tantum de terrenis Dei benedictionibus exponeretur. No-
Habac. 1. vers. 12. tandum enim est illud Prophetæ, Tu Deus noster, non moriemur. Et haud dubie Propheta in illo Psalmi loco quem nuper citavi, voluit distinguere Ecclesiam Dei, ab omnibus profanis gentibus: voluit etiam distinguere Ecclesiæ felicitatem ab omnibus deliciis, honoribus, commodis, in quibus homines persuadent se beatos esse, modo illis potiantur. Quum ergo discrimen illic statuat Propheta inter felicitatem Ecclesiæ, & omnia fluxa & evanida vota eorum qui non altius respiciunt quam ad mundum, & præsentem vitam, sequitur, quoties vox ista prodit in medium, *Ero Deus vester*, nobis proponi spem æternæ & cælestis vitæ. Jam aliud etiam notandum est, quicquid pro carnis sensu appetimus non posse nobis cedere in bonum, nisi Deo propitio. Ut ergo omnia nobis affluant, nihil desit ad omne genus voluptatum, suppetant omnes copiæ, detur nobis quies & securitas: tamen hoc totum, quemadmodum dixi, nobis exitiale erit, nisi Deus pro filiis suis nos agnoscat, & sit nobis in Patrem. Ideo quoties cupimus nobis bene esse, debemus erigere animos nostros ad principium illud, nempe ut reconciliati Deo, possimus intrepidis animis ipsum vocare Patrem nostrum, sperare ab eo salutem, & semper confugere ad ejus misericordiam. Profani homines appetunt hoc vel illud, prout sollicitat eorum unumquemque sua cupiditas. avarus cupiet largam copiam pecuniæ, cupiet latifundia, cupiet magnos reditus. ambitiosi autem volunt subigere totum mundum: qui dediti sunt voluptatibus, cupient explere suas libidines: & qui etiam videntur esse utcunque moderati, tamen arripiunt quod propius est ipsorum ingenio: ita negligitur Deus, & ejus gratia. Sciamus ergo præpostera esse hominum vota, ubi quicquam in mundo appetunt nisi fluat ex hoc fonte, nempe ex gratuito favore Dei: & præferant hoc singulare privilegium bonis omnibus, ut scilicet Deus illis propitius sit. Nunc tenemus summam verborum, ubi Deus pronunciat Judæos, postquam reversi fuerint in patriam fore sibi in populum, deinde se fore illis in Deum. Notemus interea, quamvis Deus imperium obtineat totius mundi, non tamen proprie vocari Deum, nisi electi populi: quia sicuti Ecclesiam colligit sibi tanquam peculium, ut passim loquitur: ita non potest stare hæc appellatio absque relatione mutua, ut homines sciant Deum sibi Deum esse, & simul persuasi sint se ab ipso censeri tanquam populum peculiarem. Sequitur nunc expositio hujus sententiæ, quæ propter brevitatem alioqui fuisset obscurior.

39. Et dabo illis cor unum, & viam unam, ut timeant me cunctis diebus, ut bene sit illis, & filiis eorum post ipsos.

Clarius exprimit proximam sententiam. producit enim effectus illius gratiæ cujus meminit. Hoc quidem uno verbo Deus complectitur omnia, quum pronunciat se nobis fore in Deum. nam ita nos adoptat in filios: hinc certa nobis est cælestis vitæ hæreditas: deinde misericordia ejus potior est quam vita. Nihil ergo desiderari potest ultra hoc beneficium, ubi Deus sese nobis offert, & dignatur nos recipere & amplecti in populum. Sed, quemadmodum jam dixi, non capimus quid valeat hæc doctrina. primum quia nimium tardi sumus & crassi, non percipimus quod Deus uno verbo significat: deinde scimus quantum ad diffidentiam propensa sit nostra natura. jam longa est distantia inter nos & Deum. Ergo doctrina illa opus habet explicatione: ideo nunc postquam Propheta notavit bonorum omnium causam, & principium, adjungit ipsos effectus, qui melius confirment quod dixerat. Dicit igitur, *Dabo illis cor unum, & viam unam, ut timeant me.* Neque enim aliter Deus pro suo populo nos agnoscit. neque etiam potest esse Pater, nisi Spiritu suo nos regeneret, de qua regeneratione hic loquitur Propheta. Sed reliqua differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando nobis proposita est terrena hæc vita in militiam, & necesse est continua inquietudine nos agitari quamdiu hic peregrinamur: da, inquam, ut semper intenti simus ad beatam illam quietem, ad quam nos invitas: interea autem quieti maneamus sub fiducia tutelæ tuæ, & fortiter militemus usque ad extremum, nec dubitemus quin te propitio omnia nobis feliciter cessura sint, donec tandem fruamur æterna illa & plena hæreditate, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-PRIMA
IN
J E R E M I A M.

HEri cœpimus exponere sententiam Jeremiæ, ubi promittitur *unum cor, & una via populo.* quod autem promittit Deus, certum est esse in ejus potestate, & non in arbitrio hominis. Hinc colligimus non esse penes hominem, ut sibi formet cor ad obsequium. Nam supervacua esset, imo absurda promissio, si diceret Deus se nobis daturum quod jam nostrum esset, &
quod

quod quisque sibi potest conferre. Promissiones igitur certa sunt testimonia gratiæ Dei non tantum quoad finem & effectum: sed ut sciamus Deum sibi eorum omnium laudem adscribere, quæ nobis promittit. Et hoc argumento sæpe Augustinus pugnat contra Pelagianos, & recte: quia mera esset fallacia, quemadmodum dixi, Deum aliquid promittere quod non esset positum in ejus gratia, sed in arbitrio hominis. jam quum loquitur *de corde uno* exprimit consensum, sed ejusmodi ut omnes Deo simul obediant. Sæpe enim conspirant homines inter se in malum: & coguntur filii Dei sæpe discedere ab impiis: & hinc etiam dissidia, quæ nunc regnant in mundo, quorum culpa in nos conjicitur. Sed quia necesse nobis est discedere à Papistis si velimus Deum sequi, præstat centies ab ipsis dissidere, quam omnes simul esse unanimes, ut impia sit & scelesta conspiratio contra Deum. Consensus quidem est singulare bonum, quia nihil melius est vel optabilius pace: sed tenendum semper est, ut inter se feliciter consentiant homines, debere initium fieri à verbi obedientia. Hoc est igitur vinculum legitimæ concordiæ inter nos, ut à primo ad ultimum pareamus Deo: alioqui maledictus sit omnis consensus, ubi nulla habetur Dei ratio, & verbi ejus. Hoc igitur notandum est, ubi promittit Deus *cor unum*. addit *viam unam*, quod de externis operibus intelligitur. Et videtur Paulus sumpsisse ex hoc loco quod dicit Deum
Philip. 2. vers. 13. esse qui dat nobis & velle, & perficere pro suo beneplacito. primo loco ponit velle, ubi apud Prophetam legimus nomen Cordis. scimus autem cor sedem esse omnium affectuum. Ergo per *cor unum* intelligit Propheta affectus consentientes: deinde, per *viam* intelligit quod Paulus dicit perficere. Neque enim satis affert velle, nisi accederet exequutio, quemadmodum opus externum per se nullius est momenti, nisi præcedat voluntas, & serius affectus. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. primo ostendit quomodo futurus sit Israëlitis in Deum, nempe quia *cor unum illis dabit, & viam unam.* Hinc colligimus, sicut dixi, non esse in hominis arbitrio animum mutare, exuere vel abjicere pravos affectus, quia est beneficium Dei. Jam non sufficeret nos formari ad obsequium, nisi simul adjungeret Deus alteram gratiam, nempe ut voluntatem ipsam ad effectum usque perduceret. Quod ad consensum spectat, diximus principium recti & legitimi consensus esse, ut respiciant homines in Deum, pendeant ab ejus verbo, & uno consensu ejus imperio obediant. Hoc quoque sensu mox addit, *Ut timeant me*, unde similiter apparet, non aliunde nasci timorem Dei, quam ex regeneratione Spiritus. Si enim propensi naturaliter essent homines ad Dei timorem, non adscriberet Deus hoc sibi, & gratiæ suæ: atqui Deus nihil sibi vendicat, nisi quod suum est: sequitur ergo principium timoris Dei esse regenerationem Spiritus. Sed notanda est loquutio quum dicit *se daturum cor & viam, ut timeant eum Israelitæ.* Neque enim dicit, ut possint Deum timere, vel ut libera sit optio, & tamen flexibilis voluntas: sed ponit actualem, ut ita loquar, Dei timorem, ubi format corda hominum. Dixi hoc notandum esse diligenter, quia Papistæ nobiscum fatentur nos inutiles prorsus esse ad bonum, & sic corruptos esse omnes sensus nostros, ut neque voluntas se movere queat, neque sequatur ullus effectus, nisi semper cooperante Spiritus sancti gratia, sed interea fingunt operari Spiritum sanctum in nobis dimidia ex parte: & ideo gratia Spiritus vocatur ab ipsis auxilium, vocatur cooperatio. Videmus ergo quia in re inter nos & Papistas conveniat. pudet enim ipsos negare, peccato originali sic corruptam esse hominum naturam, ut semper indigeant gratia Spiritus sancti. Sed quum in solidum Deus sibi vendicet quicquid est in nobis boni, Papistæ concedunt illi dimidiam partem, & fingunt duplicem Dei gratiam, gratiam præeuntem, & subsequentem. Quid est Papistis, vel quid significat illis gratia, quæ præit? nempe quum Deus inspirat nobis bonos & pios motus, ita ut si velimus, liberum sit nobis sequi quod rectum est. Nam, ut dixi, fatentur Papistæ nos addictos esse tyrannidi diaboli, & mancipatos peccato. Ergo nulla erit recta in hominibus voluntas, nisi præeunte gratia Spiritus sancti. Sed, quemadmodum jam dixi, de gratia Spiritus ita balbutiunt, esse motum quem Deus nobis inspirat, ita ut faciat nos sequi quod rectum est si velimus. Sic ergo gratia Dei secundum ipsos relinquit homines in suspenso, ita ut liberum sit ipsis amplecti Dei gratiam, vel respuere. Postea adjungunt gratiam subsequentem, quæ est merces secundum ipsos: quia si ego assentiar Deo, hoc est, si patiar me regi à Spiritu ipsius, & amplectar illam gratiam mihi oblatam, Deus postea rependit mihi alteram gratiam, quis confirmat me in recto proposito. Et ita fatentur perseverantiam aliqua ex parte esse Dei donum, sed semper imaginantur cooperatricem illam gratiam. Deinde quia perseverantia secundum ipsos est gratia Dei subsequens, & quasi ancilla, ideo desinit gratia esse, quia potius est præmium meriti. Jam autem quid dicit Propheta? *Dabo* inquit, *cor unum, & viam unam, ut timeant me.* Videmus ut gratia Dei per se sit efficax: deinde non dicit se daturum flexibilem aliquem motum, sed dicit *se daturum cor*, quemadmodum clarius deinde exprimitur eadem doctrina. Videmus ergo cor, id est, voluntatem esse opus Spiritus sancti, & merum Dei beneficium. hoc primo loco tenendum est. Videmus deinde hanc gratiam efficaciter operari in hominibus, nec modo dare illis optionem liberam, sed actuale opus, ut vulgo loquuntur, sequi, *ut timeant me.* jam additur, *cunctis diebus.* Hic etiam Deus pronunciat perseverantiam esse singulare Spiritus sancti donum. neque enim satis esset corda nostra semel formata esse in obsequium ejus, nisi nos retineret in officio. Singulis enim momentis, quæ nostra est levitas, excideremus ab ejus gratia. ergo opus est continuatione. Hinc apparet, non modo principium bonorum operum proficisci à Spiritu ejus, sed etiam usque ad finem ipsum pergere, quia alioqui nulla esset in nobis constantia in recto proposito. Addit, *Ut bene. sit ipsis, & filiis ipsorum post eos:* quibus verbis significat, Israelitas sibi auctores fuisse omnium malorum, quia non reveriti fuerint Deum, nec posse aliter feliciter agere, nisi contineantur sub Dei obedientia. Et confirmat Propheta quod heri diximus, nempe externam prosperitatem per se fluxam esse: ideo semper incipiendum est à gratia Dei. Quomodo autem Deus est nobis propitius? nempe si illum agnoscimus Patrem, & ejus mandatis obedimus, hoc est, vicissim præstamus nos ejus imperio morigeros, quemadmodum filios decet. Nunc sequitur,

40. Et percutiam (*vel, insculpam, feriam*) cum ipsis fœdus perpetuum, nempe, quod non discedam ab ipsis, (*ad verbum, de post ipsos*) ut benefaciam ipsis: & timorem mei ponam in cordibus ipsorum, ut non discedant à me.

Prosequitur eandem sententiam: sed repetitio emphatica est ad commendationem gratiæ. Scimus enim ut homines semper opprimere studeant laudem gratiæ Dei, idque pro sua superbia. Deus ergo ex opposito gratiam suam pluribus elogiis celebrat, ne eam maligne obscurent homines. dicit

primo,

primo, *Feriam cum ipsis fœdus perpetuum.* Notanda est antithesis inter fœdus Legis, & inter fœdus de quo nunc differit Propheta. Vocavit primo capite Fœdus novum, & causam adjecit, quia patres eorum subito defecerant quum Lex ipsis esset promulgata, nempe quia doctrina erat tantum literalis & mortua, ideoque mortifera. nunc autem vocat *fœdus perpetuum* eodem sensu. Quod fœdus Legis non fuit stabile, vitium illud accidentale fuit. nam Lex permanet, si eam duntaxat respicimus, sed hominum culpa accidit, ut fœdus Legale fuerit irritum, & statim evanuerit. Quum ergo Deus aliquid promittit, notatur manifestum discrimen. quale autem est? significat Deus, nullo profectu doctrinam suam hominibus proponi, quia in auribus tantum personet, non penetret usque in corda ipsorum. Opus est igitur gratia Spiritus sancti: nisi quia Deus intus loquatur, & corda nostra tangat, erit inanis sonitus, qui tantum verberabit aërem. Nunc ergo videmus cur vocetur Fœdus perpetuum, quod Deus nunc promittit. Jam tenendum est, hoc spectare peculiariter ad regnum Christi. Tametsi enim fuit hæc pars gratiæ Dei in liberando populo, tamen debuit extendi continua series gratiæ usque ad Christi adventum. Dubium igitur non est, quin Propheta simul cum novo fœdere Christum producat coram oculis, quia sine ipso minime sperandum fuit, ut Deus aliud fœdus percuteret, quemadmodum constat ex tota Lege & Prophetica doctrina. Ergo hic opponitur Christus Mosi, & Euangelium Legi: unde sequitur, Legem fuisse temporale fœdus, quia nulla fuit ejus stabilitas quum tantum esset literalis: Euangelium vero esse fœdus perpetuum, quia inscribitur cordibus. Et eadem ratione etiam vocatur Fœdus novum, quia oportuit Legem obsolescere, quum scilicet succederet hæc perpetuitas, de qua nunc Propheta loquitur. Jam sequitur explicatio: *quod non recedam.* אשר non est hic relativum, sed potius expletiva est vel exegetica particula. Formam ergo, vel naturam fœderis breviter designat, *quod scilicet Deus nunquam discedet ab ipsorum tergo.* Dicitur aliquando Deus præcedere fideles suos, ubi viam demonstrat: dicitur etiam eos regere à tergo. sicuti

Jesa. 30. vers. 21. trigesimo capite Jesaiæ quum dicitur, Audient vocem à tergo loquentis, Hæc via est, incedite in ea. Non dubium est, quin Deus illic testetur se fore semper Magistrum populo & Doctorem. Dicit autem se à tergo loqui, quemadmodum pædagogi sequuntur pueros sibi commissos, nempe ut observent, ac custodiant omnes eorum gestus, incessus, & verba, & quicquid est: ita Deus se comparat magistris, quibus traduntur pueri in disciplinam: & dicit se loqui à tergo. Posset hoc sensu exponi quod hic dicitur, *Non discedam de post ipsos:* sed possumus etiam simplicius accipere, *quod Deus non discedet ab ipsis,* quia scilicet prosequetur perpetuo favore & gratia ipsos, quemadmodum etiam continuo post subjicitur, *ut benefaciam ipsis.* denique ostendit Deus se fore populo æternum Patrem, qui nunquam ipsos deseret, vel abjiciet. Sed modus etiam exprimitur, *quod scil. timorem suo ponet in corda ipsorum, ne unquam discedant ab ipso.* Eadem doctrina quam nuper vidimus, nunc iterum repetitur, sed aliis verbis: & ita Deus, quemadmodum dixi, melius illustrat suam gratiam. Dicit ergo *se positurum timorem suum in cordibus hominum.* Jam videmus refelli puerile illud commentum, quo inebriati sunt Papistæ, quum dicunt cooperari gratiam Dei, quia scilicet Spiritus adjuvat infirmitatem hominum: quasi scilicet ipsi aliquid de suo conferrent, & essent cooperarii. Propheta autem hic testatur timorem Dei, esse opus & beneficium Spiritus sancti: non dicit, Dabo illis potestatem timendi me: sed, *ponam timorem meum,* inquit, *in cordibus eorum.* Videmus ergo ut rursus demonstret efficaciter operari Dei Spiritum in nobis, ut formet omnes affectus, non autem relinquat eos flexibiles vel suspensos, quemadmodum Ezechielis 36. cap. dicitur, Ezech. 36. vers. 27.

Et faciam ut timeant me: illic etiam confirmat Ezechiel eandem doctrinam quum dicit Deum facturum ut Israëlitæ eum timeant, non autem ut possint timere. videmus ut resideat effectus operis & complementum penes Deum ipsum, & Spiritum ejus. Rursus addit, *Ut non discedant à me.* Videmus clare illas ineptias refutari in media gratia, quæ tantum facultatem hominibus offert, quam postea liberum sit amplecti si libuerit. dicit enim Propheta, *ut non discedant.* & rursus docet perseverantiam non minus quam principium bene agendi esse Dei beneficium, & opus Spiritus sancti: & quemadmodum nuper dicebam, si tantum formaret semel Deus corda nostra, ut propensi essemus ad bene agendum, singulis momentis posset diabolus suis insidiis nos abducere à recto cursu, vel ut habet violentos impetus, posset nos abripere sursum & deorsum. nihil ergo nobis prodesset unius horæ gubernatio, nisi toto vitæ cursu Deus nobis manum teneret, & perduceret usque ad metam. hinc ergo sequitur, totum vitæ cursum dirigi à Spiritu Dei, ita ut non minus finis quam principium bonorum operum debeat adscribi ejus gratiæ. ergo quicquid meriti homines sibi arrogant, Deo auferunt, & hoc modo sunt sacrilegi. Posset tamen hic moveri quæstio: videmus fideles sæpe labi, nec decies tantum in vita, sed singulis diebus. quid ergo hoc sibi vult, ubi operatur Spiritus Dei esse ejus talem efficaciam, ut nunquam deflectant homines à recta via? Si quis respondeat, fideles labi quidem, sed non deficere prorsus, Deum autem hic defectionem notare, quæ excutiat omnem Dei timorem, non erit plena solutio. Videmus enim etiam electos ipsos interdum similes esse apostatis. suffocatur enim in illis Dei timor, & religio: non extinguitur quidem pietas, sed ne scintilla quidem Spiritus in ipsis apparet. Verum notandum est sic inflexibilem perseverantiam fidelibus dari, ut etiamsi labantur statim resipiscant. ergo non obstant interruptiones quo minus dirigat suos Deus à carceribus usque ad metam, donec conficiant totum spatium. Et ita verum est quod dicit Augustinus, Spiritum in nobis ita operari, ut indeclinabiliter bene velimus. nam comparat statum nostrum cum statu Adæ, qualis fuit in prima creatione. Scimus Adam caruisse omni labe, quia formatus fuit ad imaginem Dei. erat ergo integer ac purus ab omni vitio: hodie sumus adhuc vitiosi, etiamsi Deus nos regeneret suo Spiritu, manent tamen semper in nobis carnis reliquiæ, & non currimus alacriter ut decebat: imo cogimur exclamare cum Paulo Rom. 7. vers. 15.

nos esse miseros, & fateri nos non facere bonum quod volumus, sed malum quod nobis exosum est: videtur ergo melior fuisse Adæ conditio, quam hodie sit nostra. Respondet Augustinus, melius nobiscum & præstantius agi hodie, quam cum Adam primo parente tunc egerit Deus: tametsi enim ipsum creavit justum & innoxium, & sine ulla macula, tamen dedit naturam flexibilem, & ideo statim lapsus est Adam cum suo libero arbitrio. ad quid igitur valuit liberum arbitrium? nempe ut protinus homo caderet, & nos secum ageret præcipites eadem ruina. Hæc est laus liberi arbitrii, quod scilicet homo se dejecit in ultimas abyssos, unde nunquam posset surgere. nunc autem etsi claudicamus, deinde deflectimus sæpe à via, & cupiditates pravæ nos ad malum sollicitant, & vitiositas nostra obstaculo est ne curramus ut optandum esset: tamen longe excellit nostra conditio, quia Deus nos instruit virtute Spiritus sui inter omnia certamina, ut nunquam tamen vincamur, vel obruamur. Illa igitur indeclinabilis constantia, ut Augustinus nominat, longe præstantior est, quam fuerat prima Adæ excellentia & dignitas. Hoc clare ex Prophetæ verbis colligitur quum dicit *se positurum timorem nominis sui in cordibus, ita ut nunquam*

quam

quam populus deflectat ab ipso. Jam quæritur etiam cur hic nulla fiat mentio gratuitæ justitiæ. neque enim potest firmum esse Dei fœdus, nisi gratis nos sibi reconciliet. neque enim regeneratio sufficeret ad obtinendam Dei gratiam, quia ex parte duntaxat recte volumus, & recte agimus. Sed minime dubium est, quin Deus sub timore hominis sui etiam fidem comprehendat: ideo non excluditur remissio peccatorum, qua redeunt homines cum Deo in gratiam, ubi de regeneratione agitur. Quanquam potest hic locus exponi per synecdochen, quod scilicet Propheta à parte totum designet. Certe quemadmodum ante vidimus, duobus membris constat novum fœdus, nempe quod Deus ubi nos semel adoptavit in filios, nobis ignoscit, & dat veniam nostris infirmitatibus: deinde Spiritu suo nos gubernat: hic autem de secunda tantum parte agitur. Sed potest hæc sententia synecdochicôs exponi: quanquam, ut ante dictum fuit, Scriptura ubi de timore Dei loquitur, sæpe fidem conjungit, quia non potest etiam aliter Deus timeri, ut dicitur Psalmo 130., nisi quum gustamus ejus bonitatem, Apud te est propitiatio, ut timearis: nulla enim esset Dei reverentia, nisi præcederet cognitio paterni ejus favoris. Nunc sequitur, *Psal. 130. vers. 4.*

41. Et lætabor super ipsos benefaciendo ipsis, & plantabo eos in terra hac, in veritate, (*id est, fideliter*) in toto corde meo, & in tota anima mea.

Quum dicit Deus se voluptatem capturum ex sua erga populum beneficentia, iterum induit hominis personam. patres enim lætantur quum possunt filiis suis benefacere. Deus ergo quia non poterat aliter exprimi patris amor, quo populum suum amplectitur, usus est hac similitudine. Deinde notanda est etiam antithesis, quod scilicet Deus lætatus fuerat quum pœnas exigeret de populi sceleribus: Deum enim oblectat suum judicium, sicut misericordia. Deus ergo ad tempus lætatus est, quum pœnas exigeret de populo: quia ut rectum est ejus judicium, ita etiam ipsum oblectat: nunc autem dicit se ita fore paterno affectu, ut voluptatem capiat ex sua beneficentia. Adjungit, *Plantabo eos in terra hac.* plantaverat quidem ipsos quum per manum Josuæ tradita illis fuisset terræ possessio, quemadmodum Psalmo *Psal. 80. vers. 9.* etiam 80. hoc idem verbum ponitur, quod scilicet vitem suam traduxerit Deus ex Ægypto, & plantaverit in hæreditate promissa: sed postea evulsus fuit populus. ideo prior terræ possessio usque ad tempus exilii non proprie fuit plantatio: quia tunc populus non egit firmas radices. Deus ergo hic novum aliquid & insolitum promittit quum de plantatione loquitur. Nec dubium est quin semper notetur perpetuitas, cujus nuper facta fuit mentio. pendet enim hæc plantatio populi à fœdere: atqui fœdus non est temporale, ut fuerat ante exilium, sed perpetuæ durationis. Nunc ergo tenemus quid significet Propheta quum plantationi comparat restitutionem populi postquam reversus fuerit ab exilio. Scimus quidem populum ab eo tempore non fuisse expulsum, & semper Templum stetisse, quamvis multis miseriis fuerint oppressi fideles: sed plantationis solum figura fuit: ideoque necesse est transire usque ad Christum, si volumus habere complementum hujus promissionis. Initium, ut alibi diximus, & sæpe hoc repetere cogor, sumendum est ab ipso reditu: sed non debet excludi Christus ab ea liberatione, quæ tantum fuit instar auroræ, antequam ipse qui est Sol justitiæ, plenum suum fulgorem ostenderet. Christiani quum exponunt hunc locum, & similes, relinquunt liberationem populi ab exilio Babylonico, quasi hæc vaticinia nihil ad illud tempus: in eo falluntur. Judæi autem rejecto Christo, subsistunt in terrena illa liberatione. Atqui Prophetæ, quemadmodum dixi, incipiunt à reditu populi: sed statuunt simul Christum in medio, ut cognoscant fideles reditum illum fuisse tenuem duntaxat gustum plenæ gratiæ, quæ à Christo demum expectanda erat. tunc ergo Deus vere plantavit populum suum. Porro quod expulsi postea fuerunt Judæi è terra Chanaan, hoc quidem factum est eorum ingratitudine, & fuit illa ultima abdicatio: interim tamen Deus plantavit illic vitem suam usque dum Jerusalem propagaretur, & haberet suos fines in ultimis terræ plagis. Dicimur autem inseri in Christum & plantari, quum Deus in Ecclesiam suam nos adoptat: & hoc etiam illud Christi, Omnis arbor quam non plantaverit Pater meus, eradicabitur. *Mat. 15. vers. 13.* Sciamus ergo plantatam fuisse Ecclesiam in Judæa, quoniam superstes fuit usque ad Christi adventum. Quoniam autem Christus maceriem diruit, ut nullum jam sit discrimen inter Judæos, & Græcos, Deus plantat nos in terra sancta, dum inserit in corpus Christi. Dicit, *In veritate*, hoc est, fideliter, ita ut nunquam ipsos evellat. & addit, *In tota corde meo, & in tota anima mea.* Dura quidem est loquutio, quia Deus transfert ad se humanos affectus: sed necesse est ut se quodammodo transfiguret, quo possit à nobis intelligi. nisi enim balbutiat, ubi reperietur tantum acumen, quod ad illam immensam altitudinem sapientiæ ejus perveniat? Quum ergo incomprehensibilia sint mysteria, quibus nos dignatur, necesse est, ut sese modulo nostro accommodet. ideo per *totum cor* & per *totam animam* intelligit constantiam, quæ semper habebit suum effectum, usque dum fideles ad vitam æternam perveniant. Vocatur totum cor integrum in homine, quia potest esse duplex: hoc Deo & ejus naturæ minime potest convenire, verum est. Sed quemadmodum jam dixi, per similitudinem dicit sese facturum ex toto corde, quod ita perfecte faciet ut nihil desit ad omnes salutis numeros. & eodem etiam pertinet veritas: tametsi quidam hic subtilius philosophantur in hac voce: per veritatem intelligunt firmitatem promissionum. sed scimus ex usu linguæ Hebraicæ veritatem tantundem valere atque aliquid stabile & perpetuum. Significat ergo plantationem hanc ita fore firmam, ut periculum non sit, ne unquam populus alio transferatur, quia scilicet viva erit radix: quemadmodum exposuimus Ecclesiam fixam fuisse in Judæa, donec advenit Christus, qui attulit solidum effectum hujus plantationis, quia dum in ipsum inserimur, jam possidemus quodammodo vitam æternam, & cives sumus cælorum.

Da omnipotens Deus, quando natura prorsus sumus addicti malo, & ex utero nihil aliud afferimus quam pravitatem, ut Spiritu tuo regeniti studeamus nos tibi probare & obsequi: & quoniam ea est nostra fragilitas, ut singulis momentis deficere possimus, ut nos sustineas ea firmitudine & constantia, ne unquam in medio cursu deficiamus, sed ita constanter tibi obediamus, ut tandem fruamur beata illa quiete, quæ nobis parata est postquam defuncti fuerimus terrena militia, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-SECUNDA IN JEREMIAM.

42. Quia sic dicit Jehovah, Quemadmodum venire feci super populum hunc omne malum hoc grande, sic ego reducam super eos bonum quod ego pronuncio super eos.

Hic ostendit rursum Deus Prophetæ suo exilium fore temporale, quoad reliquias. scimus enim magnam populi partem fuisse prorsus rejectam: sed Dominus voluit Ecclesiam suam manere superstitem in aliquo numero quamvis exiguo. Promissio igitur hæc non extenditur indifferenter ad omnes duodecim Tribus, sed specialiter respicit electos, quemadmodum eventus rei satis docuit, & Paulus etiam hujus rei est fidelissimus interpres. Et hoc diligenter tenendum est, quia hypocritæ semper ad se rapiunt quicquid Deus suis fidelibus promittit, quum tamen falso prætendant ejus nomen. Ergo tenendum est consilium Dei, nempe quod voluerit fulcire bona fiducia suos electos, ne desperatio ipsis aditum clauderet ad precandum. Quoniam ergo aliqua pars populi residua fuit, ne penitus intercideret Ecclesia, sic completa fuit hæc promissio, quia nunquam amplecti possumus promissiones misericordiæ, nisi pœnitentia & agnitio culpæ nostræ præcedat: ideo utrumque membrum exprimitur à Propheta, *quod Deus venire fecerit*, hoc est, induxerit, *cladem illam horribilem*. Sequitur deinde: *Sic ego reducam*, inquit, *omne bonum*. His autem verbis significat Deus quod ante promiserat non fore sibi difficile, quia potuit sanare vulnus quod populo inflixerat. Si Chaldæi, quemadmodum alibi dictum fuit, pro sua libidine Urbem expugnassent, difficile erat remedium: sed quia Deus Chaldæis usus fuerat, & quasi militaverant sub ejus auspiciis, ideo potuit nullo negotio sanare Urbem, & revocare ab exilio qui illuc expulsi fuerant justa ejus vindicta. Notandum est quod dicitur, *Reddam super eos omne bonum, quod ego loquor super eos.* Deus enim ostendit qua fultura niti debeant fideles quum liberationem suam sperabunt, nempe jubet eos pendere ex ore suo, quia quicquid sibi homines pollicentur evanidum est, & sine effectu. Si ergo volumus spes nostras firmas esse, ut nos non frustrentur, discamus exordium facere à promissionibus Dei, ne quisquam sibi hoc vel illud temere fingat, quemadmodum nobis sæpe blandimur: sed acquiescamus in sermone Dei. ubi autem nos deficit testimonium gratiæ Dei, poterimus colligere multas fiducias, sed sine profectu. Nunc tenemus cur diserte hanc particulam addiderit Propheta de sermone Dei. Sequitur,

43. Et acquiretur ager in terra hac, de qua vos dicitis, Deserta est ab homine & jumento, tradita est in manum Chaldæorum.

44. Agros pecunia ement, scribendo in libro, & obsignando, & obtestando testes in terra Benjamin, & per circuitus Jerusalem, & in urbibus Jehudah, & in urbibus montanis, & in urbibus campestribus, (*quanquam alii volunt esse proprium nomen: sed hoc non convenit*) & in urbibus austri, (*hoc est, quæ respiciunt versus austrum*) quia reduco captivitatem eorum, dicit Jehovah.

Confirmat vaticinium de reditu populi, & accommodat visionem quæ fuerat Prophetæ oblata: jussus enim fuerat, ut vidimus, agrum emere in terra Benjamin. nunc ergo Deus signum illud annectit vaticinio, hic enim est signorum usus, ut fidem faciant doctrinæ, quæ tametsi satis meretur per se fidei, & est plane authentica, & αὐτόπιστος: tamen hoc conceditur nostræ infirmitati, ut signa quasi sigilla sint, quo promissiones magis stabiliantur in cordibus nostris, & ratæ sint. Hunc ordinem nunc sequitur Deus, ac dicit, *Adbuc acquiretur ager in terra hac.* קנה significat acquirere & possidere: sed quia proximo versu dicit, Acquirent pecunia agrum, mutanda non est verbi significatio. *Acquiretur* ergo *ager* (singularis numerus loco pluralis) *in terra hac, de qua vos dicitis, Deserta est ab homine & jumento* non primi hoc dixerant, quemadmodum alibi ostendimus, imo quum Jeremias illis denunciaret, male ab illis & crudeliter vexatus fuit: res enim erat difficilis persuasu terram quæ erat quasi sacrum domicilium Dei, vastatum iri à Chaldæis. Deus vocaverat sæpius requiem suam, & erat in hæreditatem data filiis Abrahæ. ergo Judæi non erant auctores hujus sententiæ, imo ipse Deus. Verum alibi soluta fuit hæc quæstio: neque enim eodem sensu vel modo loquuti sunt de terræ vastitate, quo Deus. nam quum minitati sunt illis Prophetæ terræ vastitatem, semper addita fuit spes liberationis, & reditus: ipsi autem quum occurreret clades ante oculos, abjecta omni fiducia sese prorsus in desperationem conjecerunt. Et hoc solenne est impiis, ridere omnes Dei minas quantisper illis parcit, vel differt pœnam: rursum ubi apparet Deum serio loquutum esse, tunc absorbet eos desperatio, & nihil sibi reliquum faciunt. Hoc ergo nunc exprobrat Jeremias suis, quod spem omnem sibi præciderint, quum tamen Deus tempus illis 70 annorum præfigeret. Quum ergo porrigeret illis Deus manum, malebant sese in abysso desperationis ita demergere, ut nihil levaret eorum animos. hanc ingratitudinem merito castigat Propheta, quod adjudicent terram suam æterno exitio, cujus tamen restitutio promissa fuerat. Perinde igitur ast acsi diceret, Superabit Dei misericordia & fides vestram malitiam: quantum in vobis est extinguitis ejus promissiones, aboletis ejus gratiam, neque datis locum promissionibus: ipse nihilominus complebit quod pollicitus est. quamvis enim terra vestro judicio præpostere damnata sit, Dominus tamen iterum efficiet ut habitetur à veris incolis, & legitimis suis hæredibus, nempe filiis Abrahæ. hæc ratio est cur commemoret Judæos terram addixisse æternæ vastitati. Subjungit eodem sensu, *Agros pecunia ementur, & scribendo* (verba sunt modi infiniti) *scribent in tabulis, & signabunt contestando etiam testes, nempe in terra Benjamin*, inquit. Hic designat Propheta omnes limites, quibus circumdata erat Jerusalem. scimus partem Urbis fuisse in sorte Benjamin, & una etiam porta sic vocata fuit. *In terra Benjamin*, inquit: deinde, *per circuitus Jerusalem*,

rusalem, nempe in urbibus Jehudah tam montanis quam campestribus, & in urbibus quæ respiciunt meridiem, vel Ægyptum. Additur ratio, *quia Deus reducet captivitatem ipsorum*, hoc est, restituet captivos ita ut rursus terram possideant. Nunc sequitur,

Cap. XXXIII.

ET fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam secundo, quum ipse adhuc captivus esset in atrio custodiæ, dicendo,

• 2. Sic dicit Jehovah faciens ipsam, Jehovah formans ipsam, ad stabiliendum ipsam: Jehovah nomen ejus:

3. Clama ad me, & respondebo tibi, & annunciabo tibi res magnificas, & reconditas, quas non novisti.

4. Quia sic dicit Jehovah Deus Israël super domibus urbis hujus, super domibus regum Jehudah, quæ dirutæ fuerunt catapultis, & gladio, (*vel balistis, vel machinis aliis. alii autem vertunt, ad catapultas, vel balistas, vel alias munitiones, & ad gladium: dicemus postea de sensu. hæc omnia legenda sunt uno contextu.*)

5. Venerunt ad præliandum cum Chaldæis, & ad replendas ipsas (*domos*) cadaveribus hominum, quos percussi in ira mea, & indignatione mea, & quia abscondi faciem meam ab hac urbe propter universam malitiam ipsorum:

6. Ecce ego adduco illi restitutionem, & sanationem, & sanabo eos, & aperiam ipsis multitudinem pacis, & veritatis. (*alii vertunt Orationem.*)

Eodem spectat boc vaticinium, nec mitum est Deum toties de eadem te verba fecisse, quia sic oportuit ineacusabiles reddi Judæos, quia sempee obtendunt ignorantiam, oisi Deus idem sæpius repetat. Et hac etiam ratione dicit Paulus, In ore duorum vel trium stabit omne negotium, quum dicit se venturum ad Corintbios secundo, & tertio, ostendit noo fore adventum inutilem, quia nisi resipuerint, non poterunt elabi ignoreotiæ subterfugiis, sicuti solent hypocritæ. Deus ergo voluit pluribus vaticiniis confirmare quod semel testatus fuerat de restitutione populi, sed præcipue habuit curem fidelium, oe deficerent, & succumberent tot tentationibus quæ ipsos manebant longo temporis successu. nam quum morituri quidam essent in exilio, poteraot abjicere omnem memoriam fœderis Dei: ita anima periisset simul cum corpore: qui autem redituri erant io patriam, opus habebant non vulgari fulture, ut constanter certarent per septuaginta annos, & semper starent animis erectis ad Dei misericordiam. Nunc ergo tenemus cur Deus iteraverit hanc doctrinam de populi reditu. dicitur autem *datum fuisse sermonem Jeremiæ quum adhuc esset in carcere*: ita jubetur Propheta consulere suis hostibus, & procurare eorum salutem quantumvis indigni sint propter ingratitudinem suam: tametsi enim non omnes illum postulaverant ad mortem, major tamen pars tumultuose ipsum damnaverat, & via fueret liberatus, jacebat in carcere. Hæc erat magna crudelitas, quum fideliter exequutus esset Propheticum munus, populum ita adversus eum furere: jubetue tamen adhoc prosequi munus suum & ipsos solari, & lenire eorum dolorem, & ostendere aliquam levationem in malir & miseriis. Interea dubium non est quin hoc etiam profuerit Jeremiæ, quia hæc eret iniquissima merces, quum pura & integra conscientia servisset Deo, ignominiose conjici in carcerem, & illic tamdiu manere captivum. Fuit igitur bæc aliqua mitigatio doloris, quod Deus apparuit illi in ipso carcere: nam hoc modo ostendit illum unum pluris esse quam omnes Judæos: in Templo non loquutus est Deus illo tempore, neque in Urbe tota. carcer igitur fuit sacrarium Dei, & illic Prophetæ suo respondit. quum ante ex area fœderis, & propitiatorio soleret. Videmus igitur quantus fuerit hic honor, quod Deus in carcerem quodammodo ingredi tunc dignatus est quum deseruisset Templum suum. Jam sequitur vaticinium: cujus summa est, quamvis Urbr tredenda sit in manum regis Babylonii, cladem non fore perpetuam, quia Deus tandem completo 70 annorum tempore, ipsam restituet. Quorsum vero hæc promissio data fuerit alibi diximus, nempe ut fideles patienter se Deo subjicerent, & placidis animis sinerent se castigari, neque obstreperent justo ejus judicio: deinde ut recumberent in spem promissionis, atque ita certo statuerent sic Dei manu se percuti, ut pœnæ ipsæ cederent io medicinam, & adjumentum salutir. Nunc ergo tenemus quid contineat Prophetia, deinde in quem finem tendat ac referenda sit. Sed antequam Deus promittat quicquam de reditu populi, præfatione erigit Prophetæ animum, & simul etiam pios bortatur atque animat ad bene sperendum. Hæc est præfatio, Deus opifex est Jerosolymæ, & formator: ergo dubium non est, quin tandem ipsam eripiat ea hostium manibus, imo quin ipsam excitet quasi ea inferis. boc ut probet, dicit *se esse Deum exercituum*. Videmus ergo cur Propheta antequam recitet promissionem, exornet Deum magnificis titulis. Cæterum dubium est an de præterito tempore intelligi debeat quod dicitur *Deus Jehovah faciens ipsam, Jehovah formans ipsam*: quia uterque sensus non male quadrabit, oempe quod Deus ab initio condiderit Jerosolymam, & sit ejus opifex, vel quod in animo habeat ipsam rursus ac de integro creare & formare. Si de præterito tempore hoc accipimus, sensus erit, fieri non posse, ut Urbs intereat quæ condita fuit à Deo, quia velit ipsam perpetuo manere. Et eadem sententia sæpius recurrit apud Prophetas, & in Psalmis etiam. Deus enim voluit censeri conditor Jerosolymæ, ut statum ejus discerneret à reliquo mundo. Scimus nihil esse sub Luna perpetuum: totus enim mundus obnoxius est variis agitatiooibus: imo præterit figure hujus mundi, ioquit Paulus, & evanescit. 1 Cor. 7. vers. 31. Quum ergo tot variæ conversiones cernantur in cuoctis urbibur, Deus singulari privilegio Jerosolymam exemit ab hac sorte: & ideo probe & scite ratiocinatur Propheta cladem Urbis non fore perpetuam, quia Deus ipsam condiderit. binc satis probatur ejus futura restitutio. Si quis trahere malit ad tempus futurum, sensus erit, Jehovah qui statuit creare Jerusalem, & formare, est Deur exercituum: nemo igitur opus ejus impediet. quoniam hic etiam sensus non male convenit, eum non repudio: quanquam priorem sequor. Interea tenendum est illud principium, promitti restitutionem Judæis, quia Jerosolyma delecta fuerit tanquam Dei sacrarium, utpote quam receperit in fidem suam ac patrocinium, ut perpetuo servaret. Sive ergo de præterito, sive de futuro tempore hoc dictum accipimus, quod Deus sit creator ac opifex Jerosolymæ, vide-

(Margin: 2 Cor. 13. vers. 1.)

videmus fundari promissionem liberationis in mera Dei bonitate: quoniam scilicet elegerat sibi in domicilium Jerosolymam, quemadmodum dicitur in Psalmo, Psal. 87. vers. 1. Fundamenta ejus in montibus sanctis. & illic etiam relativum ponitur suppresso Dei nomine, quemadmodum nunc Urbis, *Sic dicit Jehovah, qui creavit eam, qui formavit eam, ut stabiliat eam.* hic tacetur nomen Jerosolymæ: sed magis emphatica est ista relatio, quam si fuisset expressum, quemadmodum & in illo quem citavimus loco subauditur Dei nomen, & iterum Ecclesiæ, 37. cap. Jesaiæ, nisi fallor. Quum ergo dicit Propheta fundamenta ejus esse in montibus sanctis, non dubium est, quin Deum velit intelligi etiamsi nomen ejus non exprimitur. ita hic quum de Urbe verba facit, *Deus formavit eam, vel formabit*, addit, *Jehovah nomen ejus.* Hic commendat Dei potentiam ne Judæi sibi opponant quæ alioqui terrere poterant ipsos, & quasi exanimare, ut penitus deficerent. Ergo statuit illis ante oculos Dei potentiam, acsi diceret nullum obstaculum fore, quod Dei opus moretur, quia statuit Urbem suam iterum fingere, & creare postquam diruta fuerat. denique perinde est acsi juberet populum convertere oculos, & sensus suos ad Deum unum, & reputare immensam ejus potentiam, & ita bene sperare: atque ita quasi ex alto despicere omnia impedimenta, quæ alioqui fregissent ejus fiduciam. Postea adjungit, *Clama ad me, & ego respondebo tibi, & annunciabo tibi res magnificas, & reconditas, quas non novisti.* Non tam ipsius Prophetæ causa hoc dicitur quam aliorum. neque enim dubium est quin Propheta sedulo precatus sit: & carcer etiam debuit accendere ejus studium, ut assidue apud Deum intercederet. Deus ergo hic non castigat ejus torporem vel ignaviam quum jubet *eum clamare*, sed, quemadmodum dixi, ita dirigitur sermo ad Prophetam, ut Deus pios omnes excitet ad precandum. Subest enim hic tacita objurgatio: quasi diceret stare per ipsos quo minus Deus omnium animos exhilaret læto & felici nuncio. claudebant enim sibi januam, ne Deus solatium offerret, quod tamen maxime optabant: sed homines dum expetunt sibi propitium Deum, non admittunt ejus gratiam, quia obserant quasi animos suos incredulitate. Videmus ergo cur hoc dictum fuerit, *Clama ad me, & ego respondebo tibi.* Notandus est autem hic locus, quia ex eo colligere oportet, quoties tabescimus in dolore, vel ægritudine conficimur, hoc fieri nostra culpa, quia segnes sumus ac tardi ad precandum. quisquis enim clamat, agnoscet Deum semper esse propinquum omnibus qui ipsum vere invocant, sicuti promittit in Psalmo. Quod ergo conficimur interdum longo mœrore, nec quicquam solatii nobis offertur, sciamus id nobis accidere nostra socordia: quia non clamamus ad Deum, qui alioqui paratus esset respondere, quemadmodum hic promittit. Dicit, *Annunciabo tibi res magnas, & reconditas non nosti*, ad verbum: sed tamen non potest commode sic verti. *res ergo reconditas quas tu non novisti*, vel de rebus reconditis te certiorem faciam, *quæ tibi sunt incognitæ.* Quæritur tamen cur res incognitas vocet Deus de quibus jam vaticinatus fuerat Jeremias. responsio facilis est, quod scilicet quasi evanuerant omnes Dei promissiones, & sanctus vir poterat etiam animo turbari, quum videret sic repudiari Dei gratiam, colligere enim promptum erat, quia populus obstinate rejiceret spem salutis, ideo actum esse de ipso, & statum ejus esse quasi deploratum. Videmus ergo sæpe nobis recondita esse quæ Deus semel, & iterum, & tertio patefecerit: quia vel non statim penetrant in animos nostros, vel extinguitur eorum memoria, neque viget fides in nobis qualis debebat, vel objectis scandalis turbamur. Nunc exprimit quænam sint illa recondita, nempe *quoad domos*, inquit. ad verbum est, *Sic dicit Jehovah Deus Israel ad domos urbis hujus, & ad domos regum Jehudah*: sed על accipitur pro super, quum est particula causalis. *quantum ad domos Urbis & domos Regum*, inquit. Domos Regum vocat, quoniam reges Jehudah non erant contenti uno palatio, sicuti notum est, sed habebant plures domos extra Urbem. *Super domos*, inquit, *quæ dirutæ fuerant.* & id varie exponunt interpretes, vel quod domus dirutæ fuerant ad catapultas, hoc est, ut fierent machinæ bellicæ ex earum materia, & ad gladium. sensus tamen melius fluet, quod dirutæ fuerint balistis, & aliis machinis, deinde *gladio*, hoc est, hostium violentia. סללות, ut alibi dictum fuit, quidam vertunt, munitiones: sed ubi agitur de urbium expugnatione potius hoc nomen significat catapultas & machinas bellicas, & balistas sive arietes. nescimus cujus formæ fuerint apud Judæos, & Chaldæos. Jam duo sunt membra hujus vaticinii, nempe quod sua culpa Judæi perituri sint: deinde quod restituendi sint mera Dei gratia & bonitate. Hic ergo invehitur priore loco Propheta adversus perversam confidentiam populi, qui animose restitit Chaldæis. *Venerunt*, inquit, *ad præliandum cum Chaldæis*: sed quis exitus prælii? nempe *ad implendum*, inquit, *cadaveribus hominum domos ipsas.* Quum dicit *Judæos venisse*, loquitur quasi de re jam peracta. est quidem participium præsentis temporis, *venientes*: sed Propheta quod futurum erat hic ante oculos statuit: quasi diceret, Audacter erumpent Judæi, & putabunt se pares, imo superiores fore Chaldæis: ita sese accingent fortibus animis ad præliandum. ergo hoc pertinet ad ridendam populi audaciam. Sequitur tristis exitus prælii: *Et ad implendum ipsas domos cadaveribus hominum.* Copula redundat, vel debet expletive accipi, quasi interposita esset particula nempe. *Venient igitur ad præliandum, nempe ut impleant domos suas cadaveribus*, hoc est, ut magis ac magis inflamment rabiem hostium suorum. hinc enim factum est ut plus sanguinis effuderint Chaldæi, neque pepercerint magnæ turbæ hominum, quia scimus ubi expugnatur violenter urbs, illic exerceri plus sævitiæ, & fieri maximas cædes. Si sponte cessissent Judæi, experti fuissent plus humanitatis in victoribus: sed implacabiles fuerunt Chaldæi, quoniam accensus fuerat eorum furor pertinacia bellantis populi. interea ostendit Deus non fore victores Chaldæos propria virtute, sed *quia percutiet ipse Judæos.* Ergo adscribit justæ suæ vindictæ cladem illam quæ poterat videri profecta esse à Chaldæis: quia non poterat aliter hortari populum Jeremias ad resipiscentiam, nisi ostenderet justo judicio id factum esse, ut tam graviter in ipsos sævirent Chaldæi. Sed reliqua differemus in diem crastinum.

Da omnipotens Deus, ut sic discamus nos humiliare sub potenti tua manu quoties nos castigas, ne tamen deficiamus in miseriis nostris, sed confugiamus ad tuam misericordiam certa fiducia, & agnoscendo nostra peccata sic nobis in ipsis displiceamus, ut nunquam in nobis pereat gustus tuæ misericordiæ, quin accingamus nos ad bene sperandum, & ad te invocandum donec ipso successu tandem experiamur non fuisse irritas nostras preces: & ita solatium semper inveniamus in malis nostris, ut tandem fruamur perfecta illa beatitudine, quam nobis præparasti in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-TERTIA IN JEREMIAM.

HEri coactus fui subsistere in secundo membro versus quinti, ubi pronunciat Deus *percussos fuisse à se Judæos*, quum vires suas experti essent ad resistendum. Dicit igitur cladem illam ideo accidisse & urbi, & populo, quoniam in ipsum peccaverant. Sed primum dicit, *percussi eos:* deinde, *abscondi faciem meam ab urbe.* Demum causam adjungit, *propter universam malitiam ipsorum.* Significat igitur se fuisse auctorem cladis illius. deinde ostendit se justo judicio castigasse populi scelera. Quoniam enim non destiterant longo tempore provocare ejus vindictam, ideo hic docet meritos fuisse mercedem illam, nempe ut urbs expugnaretur à Chaldæis: deinde, ut passim fierent strages, & ita domus plenæ essent ac refertæ cadaveribus. Postea dicit, *Ecce ego instaurationem adducam & sanitatem, & sanabo eos.* hoc est principale verbum, ut loquuntur, siquidem hactenus ostendit meritos fuisse Judæos tam gravem pœnam, quia sua obstinatione non destiterant Deum in se provocare: sed promittit se fore illis placabilem, ubi eos moderate castigaverit. Diximus enim hunc esse finem vaticinii, ut Judæi non deficerent, sed sese fulcirent promissione gratiæ, quamvis exilium per se acerbum esset. *Ego*, inquit, *adducam instaurationem & sanitatem*, deinde, *aperiam illis multitudinem pacis & veritatis.* alii nomen עתרת accipiunt pro prece. Significat enim verbum עתר aliquando precari, significat etiam multiplicari. Potest igitur duplex esse sensus, quod Deus patefaciet illis aditum ad precandum. sic enim res erant desperatæ in populo illo, ut nemo auderet verbum facere. Nam & ipse Jeremias cap. 11. prohibitus fuit orare, quoniam scilicet statuerat Deus perdere miseros illos, in quibus nulla erat spes resipiscentiæ. Intelligunt ergo quidam hic promitti aditum, ut fideles ac servi Dei precentur pro urbis prosperitate. sed videtur illa expositio esse longe petita. Simplicius igitur interpretor, quod Deus dabit multitudinem pacis, vel prorogationem, quod adhuc magis placet. dabo prorogationem pacis: qua voce significat felicem statum, ut satis notum est. Quum ergo redacta esset Jerusalem in extremas miserias, promittit Deus lætiora, nempe ut prospere agat in posterum. Addit nomen *veritatis*, quod pro stabilitate hic accipitur, quemadmodum passim in Scriptura: quasi diceret prosperum urbis statum non fore unius mensis, vel exigui temporis, sed diuturnum, imo perpetuum, quemadmodum proximo etiam versu seipsum declarat. *supra 11. vers. 14.*

7. Et reducam captivitatem Jehudah, & captivitatem Israël: & ædificabo eos sicuti à principio.

Verbo ædificandi intelligit Deus redituros hac lege in patriam, ut illic securi maneant. Et fuit valde necessaria hæc promissio quum undique obsiderentur Judæi à suis hostibus. omnes enim vicini in ipsos conspiraverant, & erant infestissimi, ita ut non desinerent subinde novas molestias illis facessere, hac ratione ædificationis fit mentio: acsi diceret Propheta prosperitatem fore diuturnam, quia sic fundata erit, ut non labascat, aut vacillet ad quodlibet impetus. Promittit autem non tantum Tribui Jehudah, sed etiam toti regno Israël liberationem. Etsi enim perquam exigua portio reversa est, Deus tamen communiter omnibus obtulit beneficium quod pollicitus fuerat: deinde, ut sæpius dictum fuit, promissio hæc extenditur usque ad Christi adventum. Deus enim non restringit gratiam suam ad paucos annos, quibus permissa fuit Judæis libertas, ut redirent ab exilio Babylonico: sed complectitur simul æternam salutem quæ ipsos manebat, & cujus præludium erat reditus ille. Nunc pergamus.

8. Et purgabo eos ab omni iniquitate eorum, qua peccarunt mihi, (*hoc est, in me*) & ignoscam omnibus iniquitatibus eorum quibus peccarunt in me, & quibus scelerate egerunt contra me.

Primo dicit *se purgaturum eos ab omni iniquitate:* deinde, *se propitium fore omnibus iniquitatibus eorum.* Non dubium est, quin eandem sententiam bis repetat: sed non est supervacuus sermo, quia oportuit Judæos serio commonefieri de tot sceleribus, quorum tametsi erant conscii, tamen ipsos non pœnitebat. Quum ergo sibi delicias facerent, Propheta necesse habuit ipsos acriter pungere, ut sentirent se dignos esse æterno interitu, nisi succurreret Dei misericordia, & ea quidem non vulgaris. Hic ergo exaggerat magnitudinem scelerum, ut commendet ex opposito atque extollat misericordiam Dei. Per verbum *mundandi* posset quispiam intelligere regenerationem, & esset hoc probabile imperitis, qui non sunt exercitati in lingua: sed טהר significat expiare proprie. Ergo non ad regenerationem pertinet, sed potius ad veniam: ideo dixi Prophetam eodem sensu hæc duo simul conjungere, nempe quod Deus *purgabit ipsos ab iniquitate*, deinde quod *ignoscet omnibus iniquitatibus.* Jam habemus causam cur Propheta pluribus verbis testetur Deum fore misericordem, ut populo remittat peccata, quia scilicet quum onerati essent multis sceleribus, extenuabant eorum magnitudinem, ut solent hypocritæ. Nunquam igitur pretium suum adepta fuisset gratia Dei, nisi gravitas reatus Judæis ipsis fuisset ostensa. Et hæc etiam ratio est cur dicat, *Ignoscam omnibus iniquitatibus.* Dixerat, *Purgabo eos ab omni iniquitate.* postea addit, *Ignoscam omnibus iniquitatibus.* Mutatione enim hac numeri Propheta ostendit turbam & varietatem scelerum, quasi diceret multiplicem esse malorum congeriem, ita ut opus sit singulari Dei misericordia, ut ipsos recipiat in gratiam. Dicit rursus, *quibus peccarunt mihi, & quibus scelerate egerunt contra me.* Confirmat hoc membrum quod jam dixi, Judæos scilicet asperius objurgari à Propheta, ut primo reputent quid meriti sint, deinde magnificiant Dei gratiam pro sua dignitate. Interea notemus revocari Judæos ad primam fiduciæ causam, ut sperent aliquid de sua restitutione. hæc enim origo est omnium beneficiorum Dei, vel fons ex quo manant bona omnia, ubi scilicet Deus nobis est propitius.

tius. Poteſt quidem fieri ut largiter ſuppeditet nobis quicquid optamus, interea tamen alienus ſit à nobis: quemadmodum videmus impios ſæpe affluere bonis omnibus: & ideo gloriantur & ſuperbiunt acſi Deum haberent quodammodo ſibi obſtrictum. Sed quicquid confert Deus & largitur impiis proprie loquendo, non poteſt cenſeri teſtimonium favoris & gratiæ. nam hoc modo reddit eos magis inexcuſabiles, quum tractat adeo indulgenter. Nullum igitur ſalutare bonum aliunde fluit, quam à paterno Dei amore. Jam videndum eſt quomodo Deus nobis ſit propitius, nempe ubi peccata non imputat. Niſi enim præcedat venia, neceſſe eſt ipſum nobis eſſe adverſum. nam quamdiu reſpiciet quales ſumus, reperiet in nobis materiam vindictæ. Sumus igitur ſemper maledicti coram Deo, donec ſepeliat noſtra peccata: ideo dixi Judæis breviter hic oſtendi primum fontem bonorum omnium quæ ſperanda ſunt, nempe ſi Deus ipſos ſibi reconciliet gratuita venia. Diſcamus ergo dirigere ſenſus noſtros ad miſericordiam Dei quoties appetimus quod videtur nobis eſſe utile. Nam ſi arripimus Dei beneficia, & non conſideramus unde nobis prodeant, ineſcabimur. quemadmodum piſces ſua voracitate ſe ſtrangulant (arripiunt enim hamum pro eſca) ſic etiam impii dum beneficia Dei cupide arripiunt, & non ſtudent illum habere propitium, ſeſe ingurgitant in ſuam perniciem. Ergo ut omnia nobis cedant in ſalutem, ſemper diſcamus exordium facere à paterno amore Dei, & ſciamus cauſam illius amoris eſſe immenſam ejus bonitatem, qua fit ut nos ſibi gratis reconciliet, peccata ſcilicet non imputando. Colligimus etiam aliam doctrinam ex hoc loco, nempe ſi gravitas ſcelerum nos terreat, tamen ſuperandam eſſe omnem diffidentiam, quia Deus non modo peccatoribus qui leviter vel per inſcitiam & errorem lapſi ſunt, ſed qui cumularunt peccata peccatis, promittit tamen illis miſericordiam. Ergo non eſt cur nos obruat ſcelerum noſtrorum magnitudo, quin ſemper audeamus confugere ad ſpem veniæ, quando videmus eam offerri omnibus promiſcue, etiam qui pluſquam ſcelerati ſunt coram Deo, nec peccarunt modo, ſed fuerunt quaſi apoſtatæ, ita ut non ceſſaverint modis omnibus in ſe provocare vindictam Dei. Sequitur,

9. Et erit mihi in nomen, lætitiam, (*alii in conſtructione vertunt, in nomen lætitiæ*) in laudem & in decorem (*vel gloriam*) apud omnes gentes terræ, quæ audient omnem beneficentiam quam ego exercuero erga ipſos, (*quam ego facio ipſis, ad verbum*) & pavebunt & contremiſcent ſuper omni beneficentia, & ſuper omni pace, quam ego facio illi. (*mutat numerum: dixerat* אותם, *nunc dicit*, עשה לה: *& refertur hoc pronomen ad urbem ipſam.*

Hic Deus teſtatur talem fore ſuam gratiam, ut laude digna ſit per totum orbem, vel quod idem eſt, ſignificat beneficium fore memorabile: & ideo dicit *ſibi fore in nomen apud omnes gentes.* quoniam vero volebat extollere gloriæ ſuæ magnitudinem, adjunxit *laudem*, vel decorem, vel gloriam ſimul: ſed emphaticum eſt quod additur, *apud omnes gentes.* Et hic locus nobis oſtendit Prophetam non concionari de ſolo populi reditu, neque hoc vaticinium debere reſtringi ad ſtatum urbis qualis fuit ante Chriſti adventum: quia etſi celebrata fuerit gratia Dei apud Chaldæos & alias Gentes, tamen non fuit cognita per totum orbem, quemadmodum hic dicit, *apud omnes gentes terræ.* Neque enim dubium eſt quin comprehendat Deus omnes mundi plagas. hinc itaque colligimus gratiam de qua diſſerit Propheta, ſpectare ad regnum Chriſti. Neque enim Deus tunc peperit ſibi nomen apud omnes populos, ſed tantum in parte illa Orientali, ut ſatis notum eſt. Quum ergo dicit gratiam qua proſequitur populum ſuum, *fore ſibi in nomen*, non dubium eſt quin promittat liberationem, quæ tandem allata fuit à Chriſto. Et eodem etiam pertinet verbum Audiendi, *quia audient.* Nam relativum אשר hic cauſalis particulæ vice ponitur. modum enim hic exprimit Propheta gloriæ & laudis quam Deus ſibi acquiret ex liberatione populi ſui, nempe *quia audient gentes.* hoc autem factum eſt per Evangelii promulgationem, quia tunc demum paſſim celebrata fuit Dei bonitas erga Judæos, ubi Legis cognitio & doctrinæ Propheticæ ad exteros pervenit, qui prius nihil audierant de vera pietatis doctrina. Nunc ergo tenemus conſilium Spiritus ſancti. Cæterum, his verbis hortatur Deus omnes ad gratitudinem. Nam quoties oſtenditur nobis hic fons beneficiorum Dei, niſi prorſus ſumus ſocordes, debemus ſtimulari ad referendas ei gratias. Ergo ubi pronunciat Deus *ſibi redemptionem populi fore in nomen apud omnes populos*, ita oſtendit piis non eſſe torpendum, quin prædicent ejus bonitatem. Et interea hoc ad confirmationem valet, quum Deus ſignificat ſe fore redemptorem populi, ut nomen ſibi acquirat. Subeſt enim antitheſis, quod in hoc beneficio non reſpiciet
Eze. 36. quid meriti ſint Judæi, ſed petet à ſeipſo cauſam,
verſ. 22. quemadmodum alibi hoc melius exprimitur, Non propter vos hoc faciam, ſed propter me, domus
Iſraël: & viciſſim ſuccinunt fideles, Non propter Pſal. 79.
nos Domine, ſed propter nomen tuum. Videmus verſ. 9.
ergo ut Deus nomen ſuum in medium ſtatuat, ne de- & 115:1.
ſinant bene ſperare Judæi, quamvis ſibi male conſcii ſint & agnoſcant ſe dignos æterno exitio. Si legimus, Erit mihi in nomen gaudii, ſenſus erit, in nomen quo oblectabor. Si legimus, In nomen, & lætitiam ſeorſum, idem erit ſenſus. neque abſurdum videri debet quod Deus teſtatur ſibi fore in lætitiam. Etſi enim non afficitur more noſtro, tamen hæc loquendi forma alibi recepta eſt: quemadmodum
Pſal. 104. Lætabitur Deus in operibus ſuis. dicitur Pſal. 104.
ergo Deus ſe oblectare beneficentia, quoniam na- verſ. 31.
turaliter propenſus eſt ad bonitatem & miſericordiam. Poſtea adjungit, *Pavebunt & contremiſcent ſuper tota vel omni beneficentia.* Particula כל ſemper denotat magnitudinem, & emphatice accipitur. Poſſet tamen hoc videri durum primo intuitu, *contremiſcent & pavebunt ab omni beneficentia.* Neque enim conſentaneum eſt, ut paveant homines, dum agnoſcunt Dei bonitatem. eſt enim potius hilaritatis & fiduciæ materia. Aliquando hoc refertur ad impios. impii enim non poſſunt guſtum percipere gratiæ Dei, qui ipſos exhilaret, ſed potius fremunt ac frendunt, ubi Deus beneficus apparet erga ſuos. Illic enim cruciantur, quum vident ſe excludi à fruitione bonorum quæ abſcondita ſunt timentibus Deum, ſicut alibi dicitur. Sed minime dubium eſt quin hic Propheta ſignificet Gentium converſionem quum dicit, *pavebunt & contremiſcent à beneficentia.* quaſi diceret non fore modo celebre Dei nomen apud Gentes, ut prædicent ipſum fuiſſe miſericordem populo ſuo, ſed ſimul alium fore effectum hujus gratiæ, nempe ut Gentes ſe Deo ſubjiciant. Porro ſatis uſitatum eſt cultum & timorem Dei deſignari his verbis, *timendi, pavendi*, & *contremiſcendi.* Etſi enim fideles non exhorrent Dei conſpectum, ſed alacriter quoties ipſos invitat ſeſe offerunt; & firma fiducia ipſum invocant, tamen hæc non obſtant quin ſimul contremiſcant ubi occurrit ejus majeſtas. Sunt enim hæc duo inter ſe conjuncta, nempe pavor & tremor qui nos humiliet coram Deo, & fiducia quæ nos erigat, ut audeamus familiariter ad ipſum accedere. hic ergo notatur Gentium converſio: quaſi diceret Propheta non tan-

tantum in hoc valituram esse famam liberationis Ecclesiæ, ut Gentes prædicent Dei bonitatem, sed etiam sese ejus imperio subjiciant, & illum reverentur ut verum & unicum Deum. Rursum adjungit nomen *pacis*, sed eodem sensu quo nuper. ponit beneficentiam, quia hæc fuit causa prosperitatis: deinde pacem subjicit, id est, prosperitatem, pro effectu. Postea sequitur,

10. Sic dicit Jehovah, Adhuc audietur in loco hoc, de quo vos dicitis, Exterminatus est (*vel traditus exitio*) ab homine, *hoc est, ut non supersit homo*, neque supersit jumentum in urbibus Jehudah, & in compitis Jerusalem, quæ in solitudinem redacta sunt, ut non sit homo, & non sit habitator, & non sit animal, (*vel jumentum*)

11. Vox lætitiæ, & vox gaudii, vox sponsi, & vox sponsæ, vox dicentium Celebrate Jehovam exercituum, quia bonus Jehovah, quia in seculum misericordia (*vel clementia*) ejus, (*clementia proprie*) afferentium laudem (*hoc est, testimonium gratiarum actionis: pro sacrificio hic capitur*) in domum Jehovæ, quia reducam captivitatem terræ sicut ab initio, dicit Jehovah.

Duo versus simul cohærent: & perperam fuerunt divisi. nam nullum est verbum. est in primo, *Adhuc audietur*: quid? sequitur postea, *vox lætitiæ, & vox gaudii*. Pluribus verbis confirmat Jeremias quod docuit de populi reditu, quia multis & firmis fulturis opus fuit, ut fideles pergerent in cursu fiduciæ. Difficile enim ipsis erat, colligere animos in tanta calamitate: deinde etiamsi ad breve tempus respirassent, novæ subinde tentationes poterant rursus eorum animos dejicere & prosternere. Non mirum igitur est quod Propheta hic prolixe commendat gratiam illam quæ fere erat incredibilis: deinde quia ejus memoria non poterat semper vigere in cordibus fidelium, nisi addita fuisset talis confirmatio. Iterum inducit Deum loquentem, quo plus efficaciæ habeat promissio: *Adhuc audietur*, inquit, *in hoc loco, nempe in urbibus Jehudah, & compitis Jerusalem, vox lætitiæ*. Repetit quod heri vidimus, nempe Judæos quantum in se erat, obstaculum ponere, ne Deus ipsos reduceret. Scimus enim cordium nostrorum angustias quodammodo præcludere accessum gratiæ Dei: quia incredulitate referti, imo turgidi, non patimur Dei gratiam ad nos usque penetrare. Sic Judæi quum animos desponderent, & imaginarentur cladem suam esse incurabilem, nec sperandum esse ullum remedium, quantum in se erat procul rejiciebant gratiam liberationis. Hoc igitur exprobrat iterum illis Propheta, quod scilicet dicant totam regionem cum suis urbibus esse perditam, ut non supersit vel homo, vel jumentum. Hoc quidem verum fuit ad tempus, & vere loquuti fuissent Judæi: sed heri dictum fuit impios nunquam sentire Dei flagella, quin præcipites in desperationem ruant. Talis igitur sermo reprehenditur quod scilicet Judæi putaverint sibi pereundum esse absque ulla spe salutis. Ergo Propheta hic objurgat eorum incredulitatem: & simul hortatur eos ad bene sperandum: sed gratiam Dei testatur fore victricem super eorum malitiam. *Audietur* ergo *vox lætitiæ, & vox gaudii, vox sponsi, & vox sponsæ*, hoc est, adhuc nuptiæ celebrabuntur. Hæc etiam loquendi forma satis frequenter occurrit apud Prophetas, ubi significant lætum urbis & populi statum. nam in luctu nemo cogitat de uxore ducenda, & nuptiæ tunc cessant, sicuti omnes dies festi. Ergo Propheta breviter ostendit Deum finem malis populi impositurum ut suppeditet ipsis causam lætitiæ, ubi pœnam temporalem sumpserit de ipsorum peccatis. sed simul ostendit qualis futura sit lætitia. *Vox dicentium*, inquit, *Celebrate Jehovam exercituum*. hic discernit fideles à profanis hominibus, quia utrisque communis est lætitia, ubi prospere illis succedit. licet enim filiis Dei gaudere, quum Dominus re ipsa ostendit se illis beneficum Patrem. Sed profani exultant intemperantia gaudii, & interea nulla apud ipsos Dei mentio, quia subsistunt duntaxat in bonis præsentibus: fideles autem erigunt animos ad Deum, & nunquam lætantur sine gratiarum actione: ita consecrant & sanctificant suum gaudium, quum impii omnia Dei beneficia polluendo gaudium etiam suum contaminant. Notandum igitur est discrimen quod hic statuit Propheta inter piam & profanam lætitiam, quia filii hujus seculi exultant quidem, ut diximus, intemperanter in gaudio: sed Deo ingrati sunt, neque expendunt ejus bonitatem, imo avertunt dam opera oculos & sensus suos ab ejus intuitu: fideles autem semper in Deum respiciunt quoties prospere illis succedit, quia sciunt hoc totum sibi fluere ex mera Dei beneficentia. Dicit igitur, *Audietur vox dicentium, Celebrate Jehovam exercituum, quia bonus est*. hic alludit Propheta ad solennem canendi ritum, qui refertur in Sacra historia. Scimus enim quum Templum dicatum fuit, celebratas ita fuisse Dei laudes, ut accinerent semper Levitæ, *Quia in seculum misericordia ejus*. Primi hortabantur alios ad laudandum Deum, sed singulis sententiis subjiciebatur illa repetitio, *Quia in seculum clementia ejus*. Quod ergo in solenni usu pridem fuerat, nunc commemorat Propheta. *Audietur* ergo *solenne illud canticum, Celebrate Jehovam, quia in seculum misericordia ejus*. Deinde adjungit, *Adducentium laudem in domum Jehovæ, quoniam reducam captivitatem terræ*. Adjungit hostias, quia cultus Legalis postulabat ut hoc quoque testimonium gratitudinis accederet. Deus quidem non opus habuit victimis, neque etiam oblectatus est externa illa pompa: sed rudi populo & adhuc elementario hæc pietatis exercitia necessaria erant. Propheta igitur hic loquitur pro temporis sui ratione, quum adjungit victimas laudibus & gratiarum actioni. Interea ostendit in quem finem Deus sibi tunc vellet hostias offerri, ne Judæi putarent Deum placari quum cæsus fuisset vitulus ostendit ergo hoc totum ideo præscriptum illis & mandatum fuisse ut gratos se ostenderent. Ergo metonymica hæc loquutio diligenter notanda est, quoniam ex ea colligimus sacrificia per se nullius fuisse momenti, sed grata tantum & boni odoris fuisse Deo propter finem, quia scilicet testimonia erant gratitudinis. Addit igitur, *in Templum Jehovæ*. nunc etiam hoc postremo notandum est, non sufficere si quisque Deo gratus sit, sed simul requiri publicam gratiarum actionem, ut scilicet alii alios mutuo incitent. Deinde scimus confessionem non debere à fide separari. sicuti fides sedem suam in cordibus habet, ita etiam ex ea nascitur externa confessio: & ideo fieri non potest quin erumpat ex animo interior affectus, & lingua cordi conjuncta sit. unde sequitur omnes eos mentiri qui fidem testantur se intus habere, interea vero muti sunt, & quantum in se est indigne sepeliunt Dei beneficia: &, quemadmodum jam dixi, hic affectus requiritur à piis omnibus, ut sese ultro ac citro incitent ad laudandum Deum: quia hoc consilio, & hac ratione fit expressa Templi mentio, ut intelligant fideles non privatim modo & clausis ædibus colendum esse Deum, sed simul publicam professionem debere accedere, ita ut com-

communi consensu eum simul celebrent & agnoscant ejus beneficia.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus toties nos abs te separare, ut saltem sciamus reconciliationem nobis paratam esse, modo eam vera fide & sincera in Filio tuo unigenito quæramus, & sic ad te redeamus, ut vere nobis displiceamus in malis nostris, & freti immensa tua misericordia, non dubitemus te fore exorabilem, donec tandem defuncti præsenti hoc vitæ cursu, & purgati omnibus inquinamentis carnis, induamur illa cælesti gloria quam nobis Filius tuus acquisivit morte sua & resurrectione, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-QUARTA IN JEREMIAM.

12. Sic dicit Jehovah exercituum, Adhuc erit in loco hoc destructo, ut non sit homo & jumentum, & in omnibus urbibus ejus, habitaculum pastorum accubare facientium oves.

13. In urbibus montis, (*hoc est, montanis*) & in urbibus planitiei, (*campestribus*) & in urbibus Austri, (*id est, quæ vergunt ad Meridiem*) & in terra Benjamin, & per circuitus Jerusalem, & in urbibus Jehudah adhue transibunt oves per manus numerantis, dicit Jehovah.

ADhuc eandem sententiam prosequitur Jeremias: sed hic concionatur de stabili populi felicitate, quasi diceret non esse cur timeant Israëlitæ, quin Deus quum illis reditum aperuerit in patriam, simul eos conservet, ac tueatur, postquam reversi fuerint. Sed quum exprimere vult pacem & tranquillum statum, loquitur de pastoribus. scimus enim hoc signum esse pacis, dum secure ducuntur oves & armenta per agros. Hostes anim semper inhiant huic prædæ: & hoc ostendit experientia bellorum. Quoties enim fiunt incursiones ab hostibus, mittunt speculatum an sint pastores vel armentarii, vel bubulci: & tunc sciunt sibi prædam esse paratam. Quoniam ergo ubi metuitur incursio hostium, non audent pastores egredi, & nulla tunc est libertas, ideo Propheta ut significet Judæos fore tranquillos, dicit: *Adhuc erit in loco hoc habitaculum pastorum*, inquit, *qui facient accubare oves*, aut gregem. Tenemus nunc consilium Prophetæ. nam posset hic quispiam movere quæstionem, qui non esset satis exercitatus in Scriptura, An ad pastores ovium & bubulcos duntaxat restringitur hæc promissio? Verum, quemadmodum jam dixi, solutio in promptu est, generalem esse promissionem, sed exprimi hac figura, Deum fore custodem populi sui ut tum & absque metu ullius periculi pastores huc atque illuc deducant greges suos, vel armenta. Et proximo versu idem confirmat Jeremias, ubi enumerat sicuti prius, urbes montanas, urbes campestres, quæ scilicet in planitie jacebant: deinde urbes Australes; postea adjungit *terram Benjamin*, quæ erat diversa regio: & generaliter adjungit *circuitus Jerusalem, & urbes Jehudah*. quid autem? *transibunt*, inquit, *oves per manus numerantis*. hic adhuc exprimitur major securitas, quod non furtim oves suas deducent pastores, ut postea tumultuose eas colligant, sicuti fieri solet ubi aliquis est timor periculi: *transibunt*, inquit, *oves per manus numerantis*. hoc non potest fieri nisi in alta pace & otio. nam ubi est terror, vix pastores audent gregem suum emittere: deinde non audent numerare, sed includunt prius, & sæpe etiam coguntur abigere in sylvas & deserta greges suos, ut illic lateant. Quum ergo hic numerationem ponit Jeremias, significat pacatam fore totam regionem, sicuti aliis verbis, & absque figura paulo post exprimit: sed Prophetæ ita exornant beneficia Dei, & simul confirmant debiles animos: quia, ut dictum fuit, hæc gratia vix poterat gustari à Judæis in tanta desperatione. Propheta igitur crassum & popularem stylum adhibuit, ubi loquutus est de gregibus & armentis. Nunc sequitur,

14. Ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & excitabo (*vel stabiliam*) sermonem meum bonum, quem loquutus sum (*vel pronunciavi*) ad domum Israël, & ad domum Jehudah.

Nunc docet Jeremias quorsum Deus pollicitus fuerit *adhuc fore ita quietum habitaculum pastoribus*, ut nullus violenter greges ipsorum invadat. Promittit enim Deus promissionem suam non fore irritam, quia paulo post effectus patebit, ubi scilicet misericordia ejus fuerit cognita super decem Tribus, & super regnum Jehudah. Dicit ergo *dies venturos*, quia oportuit longius respicere fideles quam ad præsentem suam fortunam. Nam ut erant tunc fere expositi carnificinæ, tametsi increduli adhuc vanas spes conciperent, filii Dei videbant centum mortes: ita fieri non poterat quin fere exanimaret ipsos terror. Sed in exilio videbant se procul abstractos esse à patria, nec sperandum esse reditum. Ut ergo retineat ipsos Propheta, hic jubet eos extendere sensum suum in futurum tempus. Præfixerat autem 70 annos, ut ante vidimus. Perinde est igitur acsi diceret non posse apprehendi gratiam, de qua vaticinatur, nisi fideles ipsi teneant mentes suas suspensas: & patienter expectent donec tempus promissæ salutis advenerit. *Veniunt* ergo *dies*, *& suscitabo*: alii vertunt, stabiliam: & utraque etiam expositio convenit. קום enim significat surgere: sed hic in activa significatione vel transitive accipitur pro Faciam surgere. aliquando tamen tantundem valet ac stabilire: aliquando excitare, nempe ut appareat quod prius erat occultum. Hæc autem loquutio apte convenit promissionibus Dei, quia videntur jacere absque effectu: aut videntur dissipari aut evanescere. Stabilitas ergo promissionum tantundem valet atque conspectus, ubi ipsas Deus erigit, quum ante occultæ fuerint, ac latuerint fideles. Satis est tenere Prophetæ mentem, quod scilicet Deus efficiet ut tandem appareat vis & effectus sermonis sui. Sed ex hac loquendi forma colligitur doctrina utilis: quia hinc monemur promissiones Dei non ita semper vigere, ut earum effectus vel complementum nobis pateat, quin potius videri posse mortuas & inanes. Quum ita sit, discamus fidem nostram & patientiam ita exercere, ut non trepident nobis animi, quamvis Dei promissiones non proferant singulis momentis virtutem suam, neque habeant suum complementum. Denique hæc vera est praxis sententiæ

Pra-

Propheticæ, nos nunquam apprehendere & amplecti serio affectu Dei promissiones, nisi respicimus ad *dies venturos*, hoc est, nisi patienter expectamus tempus à Deo præfixum: deinde nisi fides nostra innititur promissionibus, quum videntur ipsæ jacere, non deprehenditur firma, neque habere ullas radices vel fundamentum. Sicuti enim radix quæ arborem sustinet, non conspicitur, sed latet sub terra: sicuti etiam fundamentum quo fulcitur domus, nullum ante oculos versatur: ita fidem nostram sic fundatam esse oportet, & radices altas agere in Dei promissionibus, ut ipsa firmitudo non sit in aëre, neque habeat conspicuam superficiem, sed lateat. hæc igitur summa est, & hic etiam verus usus præsentis doctrinæ. Vocat autem Deus sermonem suum *bonum*, quia pollicitus fuerat se fore liberatorem populi. Sermo Dei etiamsi omnes mortes denunciet, & nihil contineat præter meros terrores, semper bonus est, si bonitas accipitur pro rectitudine: & ideo apud Ezechielem objurgat Deus
Eze. 18. Judæos quibus sermo acerbus erat: & dicit, An obverſ. 25. liquæ & spinosæ sunt viæ Domini? Vos, inquit, estis perversi, & non sermo meus. Sed hic bonitas sermonis accipitur pro salute populi, quia ubi Deus incutit terrorem Legis suæ contemptoribus, sermo vocatur malus ab effectu. Interea, quemadmodum jam dixi, sive Deus offerat nobis favorem suum & misericordiam, sive denunciet vindictam adversus incredulos, semper erit bonus & rectus sermo ejus, non tamen erit suavis. Ergo hoc refertur ad sensus hominum quum dicitur, *suscitabo*, vel stabiliam, *sermonem meum bonum*. Postea adjungit, *quem loquutus sum*: quæ particula confirmat doctrinam Jeremiæ. Ostendit enim se esse ejus auctorem, nec Jeremiam quicquam protulisse ex suo sensu, sed fideliter testatum esse de misericordia sua & liberatione populi sicuti mandatum acceperat. Interea monemur non temere quicquam sperandum esse, nisi Deus loquutus sit. Ergo discamus amplecti ejus promissiones, ut nemo hoc vel illud sibi imaginetur: sed sciamus tunc demum [illegible] nobis fore propitium, si innitimur ejus sermoni. Loquitur postea de regno Israël, & de regno Jehudah, ut significet se fore misericordem erga totum populum, quamvis ad tempus separatæ fuissent decem Tribus à tribu Jehudah, & à dimidia tribu Benjamin, sicuti alibi dictum fuit. Sequitur,

15. Diebus illis, & tempore illo germinare faciam Davidi germen justitiæ: & faciet judicium & justitiam in terra.

2 Cor. 1. verſ. 20. Hic ostendit Propheta quod postea scripsit Paulus, in Christo omnes Dei promissiones esse Etiam, & Amen, hoc est, non aliter stare, nec posse ratas esse, quantum ad nos, nisi occurrat Christus, qui ipsas sanciat. Efficacia igitur promissionum Dei in solo Christo consistit. Et ideo Prophetæ dum concionantur de gratia Dei, tandem proponunt Christum, quia sine ipso evanescerent omnes promissiones. Deinde sciendum est, Judæos ita fuisse assuefactos, ut semper confugerent ad fœdus Dei. nam ex generali fœdere pendebant omnes speciales promissiones. Exempli gratia, hactenus Jeremias sæpe vaticinatus est de misericordia Dei postquam sumpsisset pœnam de sceleribus populi. Jam promissio illa erat specialis. Quomodo igitur statuere poterant Judæi & Israëlitæ se redituros in patriam? Illa specialis promissio nullius fuisset momenti, nisi quatenus appendix erat fœderis, quia scilicet Deus populum suum adoptaverat. Quum ergo scirent Judæi se electos esse in populum peculiarem, & Deum sibi esse in patrem, hinc fides omnium promissionum. Jam rursus tenendum est fœdus illud fuisse fundatum in solo Christo. neque enim tantum pollicitus fuerat Deus Abrahæ se fore ejus semini in patrem, sed addiderat arrham, vel pignus, nempe quod venturus esset Redemptor. Tenemus igitur nunc causam cur Prophetæ ubi volunt erigere animos fidelium ad spem salutis, proponant Christum, quia sine fœdere generali promissiones nihil haberent certitudinis. Deinde quia fœdus generale non potest stare nec habere firmitudinem suam nisi in Christo. hanc rationem nunc sequitur Jeremias, ut vidimus etiam aliis locis, præsertim cap. 23. ex quo repetitur hoc vaticinium. Promiserat ergo Deus populum fore reducem: deinde promiserat se fore ita propitium, ut populum ipsum incolumem tueretur. Jam adjungit, *Diebus illis, & tempore illo excitabo*, germinare faciam. nam 23. cap. ponitur illud verbum הקמתי, surgere faciam: hic autem *germinare faciam Davidi germen*: illic legitur germen justum, צמח צדיק. sed eodem sensu. Cur de semine Davidis nunc loquitur Propheta? non est sermo abruptus, sed quia semper animi fidelium vacillassent, nisi Christo in medium proposito, in quo æternum, & inviolabile Dei fœdus fundatum est. Atqui non poterant concipere ullum gratiæ Dei gustum, nisi cognoscerent se fuisse ab ipso gratis electos. Adoptio igitur ipsa fuit fundamentum fœderis, deinde Christus ipse fuit arrha & pignus tam fœderis quam adoptionis gratuitæ. hinc fit ergo, ut Propheta dum vult obsignare suum vaticinium, jubeat fideles in Christum aspicere. Ponit autem *dies illos, & tempus illud*, quia ut dicitur in proverbio, Etiam celeritas mora est ubi ardemus aliquo desiderio. Jam poterat longior mora afferre tædium Israëlitis. Ergo ut seipsos non præcipitent nimia festinatione, ponit *dies illos, & tempus illud*, nempe si differat Deus ut ipsi quoque seipsos cohibeant: *Faciam*, inquit, *germinare Davidi germen justum*. Non dubium est quin hic locus debeat intelligi de Christo. Scimus hoc fuisse satis tritum apud Judæos, quoties Prophetæ illis pollicebantur germen istud Davidis, se revocari ad Christum. Fuit ergo hæc ratio docendi familiariter Judæis cognita: imo Prophetæ interdum nominant Davidem ipsum, non autem filium ejus: Suscitabo Davidem: David autem erat mortuus, & Eze. 34. verſ. 23.
cadaver ejus erat in cineres ac pulverem redactum: sed sub ejus persona designant Prophetæ Christum. Ergo quantum ad hunc locum spectat, Judæi prodent suam impudentiam cum magno ludibrio, si tergiversentur, & conentur trahere locum hunc alio quam ad Christum. Hoc posito, si quis sciscitetur nunc à Judæis, quomodo completa fuerit hæc prophetia, necesse est ipsos agnoscere exhibitum fuisse Christum, vel abrogare omnem fidem tam Jeremiæ, quam Deo. Certum enim est Jeremiam hic celebrare gratiam liberationis hoc maxime nomine, quia paulo post venturus erat Redemptor. nam reditus ille in patriam qualis fuit per se? Scimus Judæos etiam inter prima exordia fuisse miseros: quanquam tunc maxime floruit eorum felicitas. tandem fuerunt crudeliter tractati sub Antiocho, & aliis regibus Syriæ: fuerunt omnibus impiis semper expositi, ut pro libidine ipsos diriperent ac vexarent. Ergo toto illo tempore quod præcessit Christi adventum, non præstitit Deus quod pollicitus fuerat per Jeremiam & alios servos suos. Qualis nunc est eorum conditio? dispersi sunt per totum mundum, jam elapsi sunt mille & quingenti anni postquam Christus resurrexit a mortuis: & videmus ipsos tabescere in suis malis, ita ut maledictio ipsorum omnibus formidabilis sit. Dixerat quidem Deut. 28.
Deus per Mosen, deinde repetivit per suos Pro- verſ. 37.
phetas, Eritis in sibilum, eritis in maledictionem ſupr. 24:9.

cunctis gentibus: sed semper illis fuit temporalis pœna. Non est igitur quod respondeant Judæi. Unde apparet ipsos prorsus vacuos esse omni fide, & tantum contumaciter præ se ferre nescio quid, ut mera sit ostentatio, & tamen hypocritice quicquid jactant. Quantum vero ad nos spectat, videmus non frustra fuisse hoc promissum de adventu Messiæ: deinde etiam cognoscimus admirabili Dei consilio factum esse, ut Judæi non fruerentur plena & solida felicitate, qualis promissa fuerat usque ad Christi adventum, ne scilicet putarent tunc completum fuisse quod prædixerant omnes servi Dei. Scimus enim ut libenter homines indormiant terrenis deliciis. putassent igitur Judæi completam esse suam felicitatem, nisi multis miseriis exercuisset ipsos Deus, ut cupide semper attenderent ad manifestationem Christi. Vocatur autem *germen justitiæ* per antithesin, quia filii Davidis fuerant degeneres: & Deus illis fere maledixerat. major enim pars regum caruit Dei gratia. Ergo unicum fuit germen justum, vel germen justitiæ, nempe Christus. Interea scimus latius patere Christi justitiam, quia nobiscum ipsam communicat: sed incipere oportet ab illa justitia quam dixi, quæ scilicet opponitur tot mutationibus, quæ contigerunt in posteris Davidis, quia res subinde prolapsæ sunt in deterius. Etsi autem לדוד sæpe accipitur acsi Latine quis diceret, Excitabo germen Davidis, tamen videtur hic respicere Deus ad promissionem, quæ deposita fuerat apud

Psal 89. vers. 4. & 132. vers. 11. Davidem ipsum, sicuti dicitur pluribus locis Deus jurasse servo suo Davidi. Sequitur, *Et faciet judicium & justitiam in terra.* His partibus continetur optima gubernatio. nam ubi simul junguntur duæ istæ voces, justitia pertinet ad servandos innoxios, judicium vero ad pœnas quibus coercetur improbitas eorum, qui nisi constricti essent legum metu, ordinem omnem violarent. Judicium quidem per se sumitur pro rectitudine: sed quemadmodum jam dixi, justitia & judicium tantundem valet ac bonorum conservatio, deinde severitas in cohibenda eorum libidine qui non libenter nec sponte essent morigeri. Summa est, Regem de quo nunc agitur, fore pium & justum, ut partibus suis respondeat, & exhibeat exemplar optimi regis. Et semper notanda est antithesis inter posteros alios Davidis, & Christum. Viderant enim Judæi tristissima spectacula in posteris Davidis quum multi essent apostatæ, & perverterent Dei cultum, alii sævirent adversus Prophetas & omnes bonos: essent etiam pleni avaritia & rapacitate. alii essent libidinosi. Quum ergo reges fœdati essent tot flagitiis, hic promittitur Rex, qui officium præstabit, ut scilicet agnosci possit verus Dei minister. Sed interea necesse est venire ad naturam regni Christi: quia scimus esse spiritualem: sed depingitur nobis sub imagine terreni & politici imperii. quoties enim Prophetæ loquuntur de Christi regno, proponunt nobis terrenam imaginem, quia sine ulla figura non poterat satis intelligi à rudi populo in illa pueritia spiritualis veritas. Non mirum igitur est, si Prophetæ quum vellent sermonem suum accommodare Judæis, de regno Christi dissererant, ita ut proponerent visibilem ejus imaginem in terreno & politico imperio, ut jam diximus. sed necesse est reputare quale sit Christi regnum. Quum ergo sit spirituale, justitia & judicium de quibus hic Propheta loquitur, non pertinent ad ordinem politicum, & externum duntaxat, sed potius ad rectitudinem, qua fit, ut reformentur homines ad imaginem Dei, quæ est in justitia & veritate. Dicitur ergo regnare Christus super nos in justitia & judicio, non tantum quia legibus nos continet in officio, & conservat bonos & innoxios, reprimit audaciam improborum: sed quia nos gubernat Spiritu suo. De Spiritu autem scimus quid Christus ipse pronunciet, Spiritus judicabit mundum de justitia & *Joan. 16.*
judicio, &c. Ergo necesse est venire ad illam spiri- *vers. 8.*
tualem jurisdictionem, si volumus tenere qualis sit justitia cujus nunc fit mentio, quale item judicium quod adjungitur. Postea sequitur,

16 **Diebus illis servabitur Jehudah, & Jerusalem habitabitur secure: & hoc nomen quo vocabitur ipsa, Jehovah justitia nostra.**

Hic extendit Propheta regni fructum ad omnes Judæos, & ostendit quanto opere expetendum sit Regnum illud quod pollicitus est: quia scilicet in ipso continebitur perfecta felicitas & salus. Nisi hoc fuisset additum, poterat frigere quod jam vidimus de justo Rege. Interdum enim contingit, ut Rex colat justitiam & æquitatem quantum in se erit, populus autem sub ipso sit miser. Sed Propheta hic testatur populum modis omnibus beatum fore ubi ab illo Rege gubernabitur quem promisit venturum. *Diebus* ergo *illis*, inquit, *servabitur Jehudah.* Promittit salutem Judæis: quanquam sub hoc nomine complectitur etiam decem Tribus, ut sæpe fieri solet. Adjungit Jerusalem, sed eodem sensu. *Jerusalem habitabitur secure*, inquit, hoc est, tranquilla erit. Hæc loquutio sumpta est ex Mose, sicuti Prophetæ ubi disserunt de benedictionibus Dei, mutuari solent ex fonte illo suam doctrinam. dicit ergo salvum fore populum: deinde tranquillum. Jam repetere memoria convenit quod nuper attigi, nempe salutem cujus fit mentio, referri ad naturam regni Christi. Si ageretur de terreno aliquo & temporali imperio, salus etiam posset esse temporalis. Sed quia hic promittitur spirituale & cæleste regnum Christi, salus quæ adjungitur penetrat usque ad cælos ipsos. Ergo latius patet quam totius mundi status. In summa, non debet includi salus de qua nunc vaticinatur Jeremias finibus caducæ vitæ, neque in hoc mundo quæri ubi stationem non habet: sed si volumus intelligere quænam sit, discamus animos nostros sursum attollere, & supra hunc mundum, & quicquid nunc nobis occurrit. Salus igitur est æterna. Interim Christus etiam nobis gustum aliquem præbet hujus salutis in præsenti vita, sicuti dicitur, Pietas habet *1 Tim. 4.*
promissiones tam præsentis vitæ quam futuræ. Sed *vers. 8.*
quia debet hæc promissio referri ad naturam regni Christi, non dubium est, quin sit perpetua, & quin debeat nos erigere usque ad ipsum cælum. Additur saluti securitas: quia si trepidarent semper fideles, qualis esset eorum salus? Et scimus non aliter posse nunc concipi felicitatem quæ nobis allata est à Christo, nisi ex pace, quemadmodum etiam toties docet Scriptura: Justificati per Christum habemus pacem apud Deum, inquit Paulus: deinde *Rom. 5:1.*
quum loquitur de regno Dei ejusdem Epistolæ *Rom. 14.*
cap. 14, dicit positum esse in gaudio, in pace Spi- *vers. 17.*
ritus: & alibi, Pax Dei quæ exuperat omnem sen- *Phil. 4.*
sum, palmam obtineat in cordibus vestris. Hæc igi- *vers. 7.*
tur inter se cohærent, nempe salus & tranquillitas: non quod in mundo fruamur læto & pacato statu. Se enim nimium fallunt qui imaginantur hic quietem, quia necesse est defungi perpetua militia, ut tandem colligat nos Deus in fruitionem beatæ quietis. Certandum igitur est in hoc mundo. Itaque fideles obnoxii semper erunt multis turbis: & ideo admonet suos discipulos Christus, In me pa- *Joan. 16.*
cem habetis: in mundo autem quid? turbas & mole- *vers. 33.*
stias. Nunc ergo videmus cur Propheta fiduciam vel securitatem conjunxerit saluti, nempe quia non aliter statuere possimus nos semper fore salvos, nisi hoc quoque nobis persuasum sit, Deum gerere curam salutis nostræ ita ut nos protegat virtute

sua,

fua, ut auxilium ejus semper nobis præsto futurum sit quoties opus erit. Tandem adjungit, *Et hoc nomen quo vocabunt eam, Jehovah justitia nostra*. Cap. 23. hoc nomen Christo datum fuit, & proprie etiam competit in ipsum solum: nunc autem transfertur ad Ecclesiam, nempe quicquid proprium est capiti, commune fit omnibus membris. Scimus enim Christo nihil esse suum, quia quum factus est justitia, hoc ad nos refertur, quemadmodum dicit Paulus,
1 Cor. 1. vers. 30. Factus est nobis justitia, & redemptio, & sanctificatio, & sapientia. Quum ergo contulerit Pater Filio suo justitiam nostra causa, non mirum est, si ad nos transfertur quod penes ipsum residet. Quod ergo vidimus capite 23. fuit proprie dictum, nam hoc est singulare Christo, ut sit Deus justitia nostra. Sed quia hanc justitiam percipimus quum admittit nos in societatem omnium bonorum, quibus ornatus & ditatus fuit à Patre, hinc fit, ut hoc etiam ad totam Ecclesiam pertineat, nempe quod Deus est justitia ipsius. Ergo hoc etiam scite dicitur à Propheta, nomen hoc fore totius Ecclesiæ, quod nonnisi Christo indiderat, nempe ut Deus illic regnet in justitia, quia diffunditur ad singulos fideles Christi justitia: & Christus etiam in ipsis habitat, ut sint non modo templa, sed quasi pars Christi. imo etiam vocatur Ecclesia à Paulo Christus: Quemadmodum, inquit, sunt multa membra in corpore humano, ita est Christus: hoc non convenit Christo, quoad ejus personam, sed metonymice nominat Ecclesiam propter illam quam dixi communicationem. 1 Cor. 12. vers. 12.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es ita Judæis præstare quod fueras pollicitus ut illis adveniret Servator: deinde voluisti diruta maceria nos quoque fieri tam inæstimabilis boni participes, ut ipsum vera fide amplectamur, & in ipso constanter maneamus, & sic agnoscamus nobis esse in Patrem, ut regeniti Filii tui Spiritu totos nos tibi tradamus, ac consecremus in obsequium justitiæ tuæ, donec tandem in nobis impleatur quod nunc inchoatum est: & repleamur illa cælesti gloria, ad quam nos quotidie invitat idem Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-QUINTA IN JEREMIAM.

17. Quia sic dicit Jehovah, Non excidetur Davidi vir qui sedeat super solium domus Israël.

18. Et sacerdotibus Levitis non excidetur vir coram facie mea, qui accendat holocaustum, adoleat oblationem, & faciat sacrificium cunctis diebus.

Loquutus est Propheta de restitutione Ecclesiæ: eam doctrinam nunc confirmat, quia promittit Regnum una cum Sacerdotio perpetuum fore. Continebatur autem salus populi, quemadmodum satis notum est, duabus istis partibus. nam sine Rege erat veluti corpus truncum aut mutilum: sine Sacerdote mera erat dissipatio. Nam Sacerdos erat quasi medius inter Deum & populum. Rex autem repræsentabat Dei personam. Jam ergo tenemus consilium Prophetæ, cur nunc specialiter de Regno & Sacerdotio disserat: quoniam scilicet non poterat aliter stare populus. Itaque confirmat totius populi statum fore incolumem, quia semper erunt ex posteris Davidis, qui succedant ad gubernandum, & semper etiam manebunt ex posteris Levi, qui sacrificia offerant. Est autem hic locus diligenter notandus, quia hinc colligimus, etiamsi reliqua omnia nobis ex animi voto suppetant, nos tamen semper esse miseros, nisi Christus sit caput nostrum, & fungatur tam Regis quam Sacerdotis officio. Hæc igitur unica est Ecclesiæ felicitas, subesse Christo, ita ut munus utrumque quod hic describitur exerceat. Unde etiam colligimus has esse notas veræ Ecclesiæ, quibus discernitur ab omnibus conventiculis, quæ falso obtendunt Dei nomen, & sese pro Ecclesiis venditant. Ubi enim conspicitur regnum & sacerdotium Christi, illic certum est esse Ecclesiam: ubi autem Christus non agnoscitur Rex & Sacerdos, nihil est aliud quam chaos. quemadmodum in Papatu, etiamsi Christi nomen prætexant, quia tamen neque subjiciunt se ejus imperio & legibus, neque contenti sunt ipso Sacerdote, sed innumeros sibi patronos fabricant: hinc patet, etiamsi magnus sit splendor Papatus, meram esse abominationem coram Deo. Ergo discamus incipere à Regno & Sacerdotio ubi de Ecclesiæ statu & gubernatione agitur. Scimus autem in Davide fuisse promissum spirituale regnum. quid enim aliud fuit David quam Christi typus? Quoniam ergo Deus illic insculpsit vivam imaginem unigeniti Filii sui, semper transitum facere oportet ab illo temporali regno ad æternum, ab illo visibili ad spirituale, à terreno ad cæleste. Idem etiam de Sacerdotio dicendum est. Neque enim potuit mortalis homo Deum reconciliare hominibus, & expiare peccata: deinde sanguis taurorum etiam non potuit placare iram Dei: Hebr. 10. vers. 4.
neque suffitus, neque aspersiones aquæ, & alia omnia quæ spectant ad Legem ceremonialem, poterant acquirere spem salutis ad sedandas trepidas conscientias. Sequitur ergo, Sacerdotium illud fuisse umbratile: & Levitas gestasse personam Christi usque ad ejus adventum. Sed Propheta hic pro temporis sui ratione loquitur quum dicit, *Non excidetur Davidi*, hoc est, à Davide, *vir qui sedeat super solium domus Israël*: hoc unum est: deinde, *non excidetur ex sacerdotibus Levitis vir qui accendat holocaustum, & adoleat oblationem*, &c. Cur non in genere loquitur de toto populo? cur non promittit duodecim Tribus fore incolumes. hoc enim majoris erat momenti. Sed quemadmodum diximus, tenere principium illud convenit, omnes beatitudinis numeros hic comprehendi: ut rursum semper miseri sunt homines nisi regantur à Christo, & habeant eum Sacerdotem. sed hic quæritur, quomodo conveniat hoc vaticinium cum ipsa experientia? nam ex quo talem statum pollicitus est Jeremias, nullus fuit Davidi successor. Verum quidem est Zerubabel fuisse ducem populi, sed caruit regio titulo, atque etiam splendore. Nullum fuit solium, nullum diadema, nullum sceptrum ex quo reversus est populus ab exilio Babylonico: & tamen Deus testatus fuerat per os Jeremiæ semper fore ex posteris Davidis qui continua serie populum gubernarent. Neque dicit fore Proceres, sed ornat regio titulo: Manebit semper aliquis successor qui solium occupet, inquit. Jam diximus nullum fuisse solium: sed tenendum est quod dicit Ezechiel, nempe

regni interruptionem non fuisse contrariam huic vaticinio de regni perpetuitate, vel de successione continua. Nam prædixerat cidarim projiciendam esse
Eze. 21. vers. 26. donec veniret legitimus successor Davidis. Oportuit igitur cidarim concidere, & projici in terram, vel transversam esse, quemadmodum loquitur Propheta, usque dum Christus exhiberetur. Quoniam ergo illud fuerat pronunciatum, nunc quum Propheta noster de Regibus disserit qui Davidi succedent, ita intelligere oportet quod tradit ut maneat etiam illud firmum de projecto diademate. Deus ergo projecit diadema, donec veniret legitimus successor. Neque tantum dicit Ezechiel, Transversum projicite, sed tertio hoc idem repetit, quibus verbis notatur longa interruptio & diuturna. Nulla igitur fuit causa offensionis, si ad tempus nulla esset regni species, vel dignitas, vel potentia: quia oportuit spectare legitimum illum Regem, cui restituenda erat cidaris, vel regium insigne. Ergo nunc videmus quomodo semper ex posteris Davidis fuerint qui tenuerunt solium, tametsi hoc occultum fuit, quemadmodum ex
Amos 9. vers. 11. aliis etiam Propheticis testimoniis colligitur. Amos etiam quum de Christi adventu concionatur pronunciat quod citatur: nempe, Veniet tempore illo qui erigat ruinas tabernaculi Davidis, inquit. Oportuit igitur regnum esse quasi dirutum quum Christus apparuit.
Jesa. 11. vers. 1. deinde scimus quid dicat Jesaias, Prodibit surculus ex radice Isai. non nominat illic Davidem sed privatum hominem, qui contentus fuit tenui & ignobili rusticanaque vita. Erat enim agricola & pecuarius (ut satis notum est) Isai, pater Davidis. In summa, quoties affirmant Prophetæ perpetuum fore regnum Davidis, non promittunt continuam seriem absque ulla interruptione, sed hoc ad perpetuitatem referri debet quæ in solo Christo tandem manifestata fuit. Diximus autem alibi quomodo conjungi debeat tempus reditus cum Christi adventu. Neque enim necesse est, neque expedit facere anagogen, sicuti solent interpretes, à reditu populi ad liberationem quæ exhibita fuit per Christum: sed unum censeri debuit hoc Dei beneficium, nempe quod populum suum reduxit ab exilio, ut tandem frueretur placida & solida felicitate, quum rursus erigeretur regnum Davidis. Quantum ad Sacerdotes spectat, eadem etiam difficultas posset objici, quia scimus corruptum fuisse Sacerdotium: imo majori ex parte non solum fuerunt degeneres, sed omnino sacrilegi. Titulus ergo ille Sacerdotalis nihil aliud fuit quam fœda & scelesta profanatio omnium sacrorum. Sed hoc modo testari voluit Deus expectandum esse alium Sacerdotem, neque ita manendum esse in figuris, quin mentes altius attollerent, nempe ad eum qui futurus esset unicus mediator ad placandum Deum. Dicendo autem, *qui accendat holocaustum*, enumerat quasdam species, vel partes officii, quia accommodant Prophetæ sermonem suæ ætatis hominibus, & describunt regnum & Sacerdotium Christi sub illis externis umbris, quæ tunc erant in usu. Ergo ceremonias Legis accipere convenit pro ipsa veritate. Christus enim non mactavit vitulos, neque suffitum fecit, sed implevit ea omnia, quæ tunc ostensa fuerunt populo sub figuris. Dicit autem *adolere* aut suffire מנחה, *oblationem*, quia tametsi oblatio ipsa integra manebat, fiebat tamen suffitus, hoc est, thus & interdum pugillus farinæ adolebatur. Ergo est synecdochica loqutio. Nunc sequitur,

19. **Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam, dicendo,**
20. **Sic dicit Jehovah, Si irritum feceritis fœdus meum diei, & fœdus meum noctis, ut non sint dies & nox suis temporibus:**
21. **Etiam fœdus meum abolebitur (*hoc est, irritum fiet*) cum Davide servo meo, ut non sit ei filius qui regnet super solium ejus, & cum Levitis sacerdotibus ministris meis.**

Confirmat eandem sententiam, sed interposita similitudine. Docet enim non minus firmum fore Dei fœdus cum populo Israëlitico, quam stabilis sit ordo naturæ. Continui sunt progressus Solis, Lunæ, & stellarum: continua est dierum & noctium successio. Hæc igitur stabilitas sic fixa est, ut in tanta & tam multiplici varietate non tamen mutetur quod perpetuum est. habemus nunc tempus pluvium, nunc serenum: habemus alias temporum vicissitudines: sed Sol interea peragit quotannis suum cursum: Luna singulis mensibus: deinde non cessat series, quam Deus statuit inter diem & noctem: & hic ordo inviolabilis prædicat, sicuti dicitur Psalmo 19, admirabilem Dei sapientiam. Proponit igitur hic Propheta ante oculos ordinem naturæ, & dicit non minus stabile fore Dei fœdus cum Ecclesia sua, quam sit cum humano genere quantum attinet ad mundi gubernationem. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ quum dicit, *Si irritum feceritis fœdus meum diei & noctis, tunc abolebitur fœdus meum cum Davide, & cum Levitis.* Oblique autem perstringit populi malitiam, quia quantum in Judæis erat, obstreperis suis vocibus pessundabant fœdus Dei. nam in rebus adversis statim illis in mentem & in linguam veniebat, Deum oblitum esse fœderis sui. Hæc igitur incredulitas notatur quum dicit Propheta, Quorsum vestræ istæ querimoniæ? perinde est acsi velletis Solem & Lunam detrahere è cælo, & tollere discrimen inter dies & noctes: & evertere totius naturæ legem: quia ego idem Deus qui volui noctem diei succedere, & diem nocti, etiam promisi æternum fore Ecclesiæ meæ statum. non minus ergo potestis labefactare fœdus meum cum Davide, quam generalem naturæ legem. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Neque vero sine objurgatione hoc dicitur, quia maligni & ingrati erant adversus Deum quum dubitarent de fide & constantia ipsius, quantum ad promissionem de perpetuo Ecclesiæ statu. Denique significat eos quasi cæco furore rapi, quum ita in dubitationem vocant fœdus Dei, acsi vellent totum mundum pervertere, ut non differrent amplius tenebræ à luce. Ergo *tunc*, inquit, *abolebitur fœdus meum cum Davide servo, ut non sit filius.* Repetit quod dixerat, nempe fieri non posse, quin posteritas Davidis regnum obtineat: quod scimus in Christo fuisse impletum. *Solium Davidis* nominat quod prius dixerat solium domus Israël: sed eodem sensu. Solium enim domus Israël vocatur, quia relative se habent Rex & populus: deinde quia in publicam salutem regnabant posteri Davidis, non autem sua causa. Addit, *& cum Levitis sacerdotibus ministris meis.* Vocaverat Davidem *servum suum*, nunc vocat etiam Levitas *suos ministros*. Sed שרת, verbum est satis vulgare & passim occurrit apud Mosen, ubi agitur de Levitico Sacerdotio: pro ministrare accipitur. Subjungit,

22. **Sicut non numeratur exercitus cælorum, & non mensuratur (*in futuro tempore ponuntur hæc verba, sed ita resolvi debent, Sicuti non potest numerari exercitus cælorum, & non potest modum habere.* מדד *significat metiri; mensurare non est Latinum verbum, quanquam cogimur uti: sicuti ergo non mensuratur*) arena maris: sic multiplicabo semen**

Da-

Davidis servi mei, & Levitarum ministrorum meorum. (*non dicit sicuti proximo versu uno verbo* משרתי: *sed dicit* אתי משרתי, *hoc est, qui ministrant mihi: sed idem est sensus.*)

Initio versus est aphæresis, quia particula similitudinis subaudienda est. אשר enim ponitur pro כאשר: *sicuti non potest numerari exercitus cælorum, neque arena maris*, ita promittit Deus *se multiplicaturum Davidis semen, & ipsis etiam Levitas*. Hæc promissio Abrahæ data ad totum populi corpus spectabat. Quum enim jussus est Abraham egredi, & cælum aspicere, sic promisit Deus, Numera stellas si potes, & arenas maris; sic erit semen tuum. Videmus ergo benedictionem illam spectasse ad totum Abrahæ semen, præsertim ad duodecim Tribus. Nunc autem restringitur ad familiam Davidis, & ad tribum Leviticam. Cæterum, notanda est ratio quam nuper attigi: salutem populi fuisse fundatam in Regno & Sacerdotio. Quoniam ergo non sibi privatim dominabantur Reges, neque Levitis data fuerat Sacerdotalis dignitas in privatum commodum, sed respectu totius populi: ita nunc per synecdochen designat Propheta totum populum fore salvum, quum florebit Regia dignitas & Sacerdotalis. Non ergo quicquam diminuitur ex Dei promissione acsi non essent multiplicandæ aliæ Tribus: sed quod testatur Jeremias de familia Davidis, & tribu Levitica, extenditur ad totam Ecclesiam promiscüe. Sed hic non abs re specialis fit mentio Davidis, & Levi: quia ut jam dictum fuit, fuisset misera Ecclesiæ dissipatio sine capite, & sine Mediatore. Interea non dubium est, quin alludat Jeremias ad locum Mosis, quem citavimus: & ita rursus castigat populi incredulitatem, quia non poterant dubitare de Ecclesiæ restitutione, quin Deum arguerent mendacii, acsi verba dedisset Abrahæ, quum diceret, Numera stellas cæli si potes, & arenas maris, sic erit semen tuum. Ostendit igitur Deum fore veracem in illa promissione, ut scilicet multiplicet Ecclesiam suam instar stellarum cæli, & arenæ maris. Sequitur,

Gen. 15. vers. 5. Rom. 4. vers. 18.

23. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam, dicendo,
24. An non vidisti quomodo populus hic loquantur? dicendo, Duas familias quas
elegit Jehovah in ipsis, reprobavit eas: (*sed abundat particula* בהם: *deinde copula etiam supervacua est, nisi vertatur in adverbium temporis Nunc. nunc ergo abjecit eas*) & populum meum spreverunt, ut non sit amplius gens in conspectu ipsorum. (*hoc est, ipsorum judicio.*)

Causam nunc assignat cur tam prolixe disseruerit de liberatione populi, & perpetua conservatione, quoniam scilicet vix apud incredulos poterat locum habere Dei benedictio. Porro non tantum admonet Prophetam suum Deus cur ipsum toties iterare rem unam jubeat, sed loquitur etiam ipsius populi respectu, ut sciant repetitionem hanc non esse supervacuam, quia necesse erat luctari cum obstinata eorum pravitate. Sic enim occupaverant suos animos & sensus desperatione, ut rejicerent omnes Dei promissiones, nec locum darent fiduciæ, aut spei. Sunt quidam qui hoc exponant de Chaldæis, apud quos contemptibilis erat populus: sed frigida est illa interpretatio. Mihi igitur dubium non est, quin hic Deus cum Israëlitis expostulet, quod scilicet sibi ipsi spem liberationis eriperent. neque enim sic loquutus esset Jeremias de Chaldæis, *An non vidisti populum hunc.* compellat Jeremiam, quia non migraverat ex Urbe. Ergo ostendit, quemadmodum nuper attigi, necessariam esse causam, cur toties confirmet quod satis aperte semel dictum fuerat de populi reditu. *An non vidisti*, inquit, *quomodo populus iste loquatur? dicendo, Jehovah nunc repudiat duas familias quas elegerat*, nempe regnum Israël, & regnum Jehudah. Hoc quidem erat accidentale, quod populus divisus fuerat in duas partes. oportuit enim unam esse gentem. Sed tametsi defectione decem tribuum contigerat ut corpus populi distractum esset, Propheta ex recepto jam usu dicit *duas familias esse electas*. Electio quidem Dei erat alia, nempe ut unicum esset Abrahæ semen. quemadmodum enim unum est caput, ita etiam unum corpus esse oportet. Sed Deus non abjecerat prorsus decem Tribus, tametsi perperam, & impie defecerant à familia Davidis. Pro more igitur recepto dicit *duas familias rejectas esse*, hoc est, regnum Israel, & regnum Jehudah. Jam populus dicebat utrosque esse rejectos: quod verum erat, sed non ex eorum sensu. nam sicuti prius dictum fuit, statuebant nullam spem esse residuam, acsi fœdus Dei penitus esset abolitum, quanquam temporalis duntaxat erat abdicatio. Videmus ergo quid reprehendat in communi sermone populi Deus, nempe quod nullam spem veniæ & misericordiæ concipere poterant, quia attoniti abjecerant omnem memoriam promissionum Dei, quum viderent se trahi in exilium. Sicuti enim prius obduruerant ad minas, ita desperatio statim corripuit eorum mentes, ut nullum caperent gustum bonitatis & misericordiæ Dei. Adjungit, *in ipsorum oculis populum esse contemptibilem, ut non sit amplius gens:* ideo tertio inculcat quod ante vidimus.

25. Sic dicit Jehovah, Si non fœdus meum diei & noctis, leges cælorum & terræ non
posuero: (*repetendum est* אם *si: si non posuero leges, vel statuta cælorum & terræ*)
26. Etiam semen Jacob, & Davidis servi mei reprobabo, ut non assumam ex semine
ejus qui dominetur super semine Abrahæ, Isaac, & Jacob: quia reducam captivitatem eorum, & miserebor eorum.

Opponit hic Deus constantiam fidei suæ perversis illis susurris, de quibus conquestus est, & iterum proponit similitudinem prius adductam. *Si ergo non statuo fœdus meum*, vel nullum est fœdus meum *cum die & nocte: si nulla sunt leges in cælo & terra, nunc abjecero semen Jacob, & semen Davidis.* Quod si conspicua semper est firmitas mea in legibus naturæ, qui fit ut mihi non tribuatis legitimum honorem? Ego enim idem sum Deus, qui creavi cælum & terram, qui constitui totius naturæ leges, quæ firmæ manent, & qui percussi etiam fœdus cum Ecclesia mea. Si non mutatur veritas mea in legibus naturæ, cur mutabitur in fœdere illo sacro, quod cum electo populo meo pepigi? Nunc ergo videmus ea primi causam cur toties confirmet Deus rem per se satis claram, quia scilicet difficile fuit certamen cum obstinata populi desperatione. Putabant enim se absque ulla spe liberationis abdicatos quum Deus tem-

temporalem duntaxat pœnam sumeret de ipsorum sceleribus, acsi exilium esset sine reditu scilicet. Ponit *semen Jacob* priore loco, quia dictum fuerat
Gen. 26. vers. 4. & 28:14. Abrahæ, In semine tuo: & eadem promissio repetita fuerat ipsi Jacob, quemadmodum constat ex vigesimo octavo cap. Geneseos. Postea additur *semen Davidis*, quia specialis promissio tandem data fuit
2 Sam. 7. v. 12, 13. Davidi. *Semen* ergo *Davidis reprobabo, ut non assumam*, inquit, *ex ejus semine qui dominentur super semen Abrahæ, Isaac, & Jacob.* nunc optime conjungit quæ videri poterant diversa. Dicit enim semper fore aliquos ex posteris Davidis, qui dominentur super omnes Tribus. Ergo hoc modo Deus servavit Ecclesiam suam quum Regem præfecit toti populo, quia non poterat regnum separari, ut diximus, à populi salute. Tandem addit, *Ego enim reducam captivitatem eorum.* Hic occurrit diffidentiæ populi. nam in promptu erat objectio, Quid ergo sibi vult, quod decem Tribus jam abductæ sunt in longinquas regiones & dispersæ? deinde quod pars etiam regni Jehudah abscisa est, & quod manet reliquum non procul abest ab interitu? Deus ergo revocat eos ad spem liberationis, acsi diceret ipsos perperam agere, quod ita festinent, quia debeat manere suspensa eorum expectatio usque ad finem præscriptum, nempe usque ad septuaginta annos, quemadmodum antea vidimus. nam antehac Propheta adversus impostores concionatus est, qui celerem reditum jactabant. Dicit igitur patienter ipsis ferendum esse exilium, donec tempus maturum liberationis advenerit. Et fontem ipsum, vel causam denotat quum dicit, *ipsorum miserebor*: acsi diceret pendere hanc ipsam salutem quam promittit populo, à gratuita sua misericordia.

Da omnipotens Deus, quando quotidie proponis nobis illustre spectaculum tuæ non modo potentiæ, & sapientiæ, sed etiam bonitatis, & fidei in cælo & terra, ut discamus altius attollere animos nostros, nempe ad spem illam, quæ nobis in cælo reposita est: & sic nos sinamus agitari per varias hujus mundi conversiones, ut tamen spes nostra fixa in te maneat, & quicquid accidat, semper certo persuasi simus, te sic nobis fore in Patrem, ut tandem fruamur beata illa quiete, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-SEXTA IN JEREMIAM.

Cap. XXXIV.

SErmo qui fuit ad Jeremiam à Jehovah, quum Nabuchadnezer rex Babylonis, & totus exercitus ejus, & omnia regna terræ, quæ sub dominatione manus ejus erant, & omnes populi pugnarent contra Jerusalem, (*hoc est, oppugnarent Jerosolymam*) & cunctas urbes, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah Deus Israël, Vade, & dices Zedechiæ regi Jehudah, dices, inquam, illi, Sic dicit Jehovah, Ecce ego trado Urbem hanc in manum regis Babylonis, & incendet eam igni.

NOn mirum est, neque etiam debet censeri inutile, quod Propheta sæpius eadem repetit, quia scimus quanta fuerit durities populi, quocum negotium habebat. Hic igitur narrat se missum fuisse ad regem Zedechiam, quum Urbs obsideretur à Nabuchadnezer, & toto ejus exercitu. Adjungit Propheta circumstantias, ex quibus colligere licet quam formidabilis fuerit illa obsidio, quia non mediocres tantum copias adduxerat Nabuchadnezer, sed armaverat multos populos, & diversos: ideo hic Propheta diserte exprimit *regna terræ, & populos qui erant sub dominatione ejus.* tunc autem Zedechias erat rex Jerosolymæ. Manebant quidem adhuc salvæ duæ urbes, ut postea videbimus: sed videmus quam impar fuerit tanto & tam valido hosti. Nabuchadnezer erat monarcha: deinde regnum Israël ceciderat, quod floruerat multitudine hominum longe supra regnum Jehudah: domuerat etiam omnes vicinos populos. Talis igitur obsidio potuit statim miseris Judæis spem omnem salutis abscindere: & tamen Propheta docet Regem fuisse adhuc præfractum. atqui in populo ipso major fuit contumacia. Nam Zedechias erat tolerabilis. Non videmus fuisse tam superbum & crudelem, ut solent tyranni. Quum ergo non esset tam feroci ingenio, hinc colligimus quanta fuerit totius populi superbia & pervicacia etiam adversus Deum, quum Rex ipse excanduerit adversus Prophetam. Atqui conditio illa quæ describitur, debuerat jam domare ejus animum. Nam sicuti inflantur profani homines rebus prosperis, ita etiam necesse est ipsos dejici, ubi rebus adversis premuntur. Redactus erat in maximas angustias tam Rex ipse, quam populus: & tamen non sustinent moneri à Dei Propheta: & ideo secundo libro Chronicon hoc emphatice dicitur, 2 Chr. 36. vers. 12.
quod non reveritus fuerit Zedechias sermonem Prophetæ, quum tamen loqueretur ex ore ipsius Domini à quo missus erat. hæc igitur summa est hujus vaticinii. Primo dicit *sibi mandatum fuisse sermonem à Jehovah*: secundo designat tempus: diximus qua ratione. Nam si aggressus fuisset Zedechiam, quum tranquillus erat, & quum nihil metuebat periculi, poterat Rex ipse facilius, ut fieri solet, excandescere adversus Prophetam. Sed quum videat urbem suam undique obsessam esse à tam copioso & valido exercitu, quum videat collecta esse multa regna terræ, multos populos, ut vix millesimam partem attingat potentiæ hostium suorum: quod adhuc non potest se Deo subjicere, & agnoscere justam ejus vindictam, hoc bruta est cæcitatis. apparet igitur fuisse quasi mente alienatum. Sed Deus ita eum excæcavit, quemadmodum alibi dicitur, quia volebat extremam pœnam exigere de populo. Cæcitas ergo & amentia Regis fuit testimonium iræ Dei adversus totum populum: quia poterat Zedechias Deum placare si resipuisset. Voluit ergo Deus ipsum esse intractabili ingenio, ut sibi accerseret ultimum interitum tali pervicacia, & obstinatione. *Tunc ergo Nabuchadnezer*, inquit, *cum toto exercitu suo*: postea exercitum describit per partes, nempe *cum cunctis regnis quæ erant sub ejus dominatione, cum populis.* Quum ergo tali in statu esset Jerosolyma, missus est Propheta ad Regem ipsum. Sequitur summa legationis, nempe Urbem jam esse addictam exitio, quia Do-

Dominus ipsam tradere statuerit in manum hostis. Fuit hic nuncius admodum tristis Zedechiæ. Scimus ut hypocritæ cupiant sibi blanditias fieri in rebus calamitosis. dum parcit illis, non sustinent moneri, & repudiant sana consilia, imo etiam exacerbantur, si Dei Prophetæ ipsos hortentur ad resipiscentiam. Quum autem Deus cœpit ipsos percutere, vellent suam fortunam esse omnibus miserabilem. Et tunc etiam accusant crudelitatis Dei servos quasi insultarent ipsorum miseriis, si illis objiciant sua peccata. quotidiana experientia hoc docet: si quis ex vulgo dum neque morbo, neque paupertate, neque aliis rebus adversis ipsum Deus castigat, moneatur, insurgit petulanter, Quid tibi vis? qua in re reprehensione sum dignus? ego mihi nullius mali conscius sum. Sic ergo exultant hypocritæ quantisper ipsos Deus sustinet, & indulgentia sua eos tolerat. Jam si quid adversi illis accidat, si unus in lecto decumbat, alter orbatus fuerit filio, aut viduatus uxore, alius clade hac vel illa affectus, si tunc proponitur illis Dei judicium, existimant sibi fieri gravem injuriam: Quid? annon mihi jam satis malorum est, nisi severitas accedat? ego expecto consolationem à servis Dei: ipsi autem exaggerant meas calamitates. denique nunquam idonei sunt hypocritæ admittendis Dei castigationibus. Ergo non dubium est, quin sciverit Jeremias fore hoc mandatum intolerabile regi Zedechiæ, & ejus populo: constanter tamen, ut videbimus, professus est quod Deus mandabat. Et interea perspicimus iterum quam stupidus fuerit Zedechias, quod Dei Prophetam non dubitaverit conjicere in carcerem, quum tamen ad extrema ventum esset: perinde erat acsi Deus extento brachio, & exerto gladio ostenderet se hostem. Interea non destitit adversus Deum fremere: & quia nihil deterius poterat, conjecit servum Dei in carcerem: & tametsi hoc non tam fecit animi sui motu, quam impulsu alieno, non tamen potuit excusari à culpa. Dicit autem Propheta, *Ecce ego tradidi Urbem hanc in manum regis Babylonis.* Si simpliciter dixisset Urbem expugnatum iri paulo post, fuisset generalis doctrina parum efficax, imo frigida. Ergo necesse fuit hoc adjungere, cladem Urbis esse justam Dei vindictam: & monendus etiam fuit Zedechias, quamvis superior esset hoste suo, tamen non posse ad extremum resistere, quoniam bellum illud geratur auspiciis Dei. quasi diceret, Putas te certare cum hominibus: jam satis superque tibi difficultatis esset contra monarcham Orientis, contra tot populos, & regna. cæterum Deus ipse hostis tuus est: ad illum respice, ut discas expavescere ejus judicium. Et quo plus vehementiæ habeat sermo, Deus ipse in persona sua loquitur: *Ecce ego*, inquit, *trado Urbem hanc in manum regis Babylonis, & succendet eam igni.* hæc gravis fuit exaggeratio. Sæpe enim contingit, ut capiantur urbes, & victores contenti sint direptione & præda. Quum ergo Nabuchadnezer grassatus est contra urbem Jerosolymam tanta sævitia, ut illam exureret, hoc signum fuit horribilis Dei vindictæ. Nunc sequitur,

3. Et tu non liberaberis è manu ejus, quia comprehendendo comprehenderis & in manum ejus traderis: & oculi tui videbunt oculos regis Babylonii, & os ejus loquetur ad os tuum, (*vel cum ore tuo*) & Babylonem migrabis.

Quoniam videbat Zedechias populum adhuc manere in officio, spernebat hostem suum. nam quum Urbs esset valde munita, sperabat se posse eam aliquantisper servare: hinc spes falsa liberationis: quia putabat hostem postquam fatigatus esset, rediturum in Chaldæam. deceptus fuit hac opinione. Et Propheta etiam ipsum cominus aggreditur, & pronunciat captivum fore. id quidem meritus erat sua ingratitudine Zedechias. Nam Nabuchadnezer subrogaverat ipsum in locum nepotis, quum abductus fuit Joakim Babylonem, & regem creaverat: postea defecit à rege Babylonio, cui fidem suam obstrinxerat, & cujus erat tributarius. Atqui Propheta non respexit medias istas causas, sed primum fontem, nempe quod populus non destiterat scelere addere sceleribus, quod fuerat prorsus indocilis, & respuerat omnes promissiones: deinde aures clauserat sanis consiliis. Deus ergo quum vellet extremam pœnam sumere de populo tam perverso & desperato, excæcavit Regem ipsum, quemadmodum ante diximus, ut deficeret à rege Babylonio, & accerseret sibi, & Urbi, & toti patriæ cladem: ita Deus temperat medias causas, quæ nobis appareat, sed habet ipse occultum suum consilium quod exequitur per externa media. Dicit igitur, *Tu non liberaberis è manu ejus, quia comprehenderis*, inquit: deinde, *traderis in manum ejus.* Poterat quidem uno verbo complecti quod pluribus dicit: sed necesse fuit excutere Regi socordiam, qua erat quasi inebriatus, ut expergefieret ad timendam pœnam quæ instabat. quod tamen factum non est: sed redditus fuit magis inexcusabilis. Ita minæ, quas Deus per servos suos ingeminat, nunquam sunt inutiles: quia si surdæ sint aures eorum qui objurgantur, tamen quod Deus pronunciavit cedit illis in testimonium, ut tollatur omnis excusatio ignorantiæ. Dicit postea, *Oculi tui videbunt oculos regis Babylonis.* quod factum est: sed postea eruti sunt ejus oculi. Fuit enim insigni ignominia notatus, quia tractus fuit in Reblatha, ubi capitis causam dixit. Non habitus igitur est loco Regis, neque ullum vestigium retinuit pristinæ dignitatis: sed tractus fuit ad tribunal regis Babylonii tanquam latro, vel sceleratus quispiam. Deinde postquam convictus fuit ingratitudinis & perfidiæ, rex Chaldæus jussit filios ejus jugulari in ejus conspectu, & omnes ejus Proceres ac Consiliarios, & tandem vinciri catenis, & erui illi oculos: & traxit Babylonem. Fuit igitur illa sævissima pœna quam exercuit rex Babylonius adversus Zedechiam. Et videtur hic Propheta oblique perstringere quod accidit: *Oculi tui*, inquit, *videbunt oculos regis Babylonii.* Coactus est enim aspicere oculis superbum victorem: deinde oculi eruti sunt: vidit etiam liberos suos jugulari. Addit, *Et os ejus loquetur ad os tuum*, hoc est, audies in te proferri atrocem sententiam, postquam convictus fueris capitali judicio, Rex ipse quanta poterit contumelia te dejiciet. Hoc autem longe durius est, quam si Zedechias in aliquo angulo fuisset jugulatus. sed tractus fuit in lucem: deinde subiit multos terrores quum adductus fuit in conspectum hostis sui. Hæc igitur commemorat Propheta, ut intelligat Zedechias se frustra Urbem tueri, quia infelix tandem erit exitus. Postea subjicit,

4. Tamen audi sermonem Jehovæ Zedechia rex Jehudah: sic dicit Jehovah de te, Non morieris gladio:

5. In pace morieris, combustionibus patrum tuorum Regum superiorum, qui fuerunt ante te, sic comburent te, &, Heus domine, plangent super te: quia sermonem ego loquutus sum, dicit Jehovah.

Hic adjungit Jeremias aliquid solatii, quod scilicet Zedechias ipse non occidetur gladio, sed in lecto suo morietur, & fato suo concedet, ut vulgo dicunt. Fuit autem hæc aliqua pœnæ mitigatio, quod Deus protraxit ejus vitam, neque passus est ipsum statim gladio feriri. Et tamen si expendimus omnes circumstantias, levius fuit semel obire mortem, quam prorogari hac lege vitam, ut tabesceret in continuis miseriis. Scimus ubi eruti sunt oculi, præcipuam vitæ partem amissam esse. Quum igitur inflicta fuit Zedechiæ hæc pœna, annon optanda erat mors? deinde non tantum privatus fuit dignitate regia, sed orbatus tota sobole, & deinde vinctus compedibus. Videmus ergo quod residuum vitæ datum illi fuit, adeo non fuisse optabile ut præstiterit vel decies, vel centies mori: Deus tamen hoc beneficii loco censeri vult, quod non percussus est gladio. Jam hic moveri quæstio potest, an mors violenta tantopere metuenda sit. Scimus enim profanos quosdam homines eam optasse: narrant etiam de Julio Cæsare, pridie quam confossus fuit, disputasse super cœnam, quænam mors esset melior? censuit tunc [illegible] esse, si quis repente esset occisus, quod postridie contigit: & visus est fuisse compos voti sui. dixerat enim felicem esse mortis speciem, subito extingui. Tamen minime dubium est quin mors naturalis semper sit tolerabilior, si fiat justa comparatio aliis paribus, ut loquuntur. nam sensus naturæ hoc dictavit, ut semper abominati sint homines cruentam mortem: & hoc etiam est quasi prodigii instar, ubi sanguis humanus effunditur. Si quis autem placide morbo extinguitur, quia illud magis commune est, non tantopere exhorrescimus. Deinde conceditur ægrotis otium, ut secum agnoscant manum Domini, colligant etiam se ad spem melioris vitæ: deinde confugiant ad misericordiam Dei. quod non sæpe contingit in morte violenta. Ergo omnibus hinc inde rite expensis, non debet videri mirum, quod Dominus mitigationem pœnæ Zedechiæ promittere volens, dicit, *Non morieris gladio, sed morieris in pace.* Mori in pace est mori naturaliter, quum scilicet nulla vis infertur, sed Deus ipse homines evocat, acsi manum illis porrigeret. Certum quidem est, quibusdam multo esse melius occidi gladio, quam si morbo deficerent. Videmus enim plurimos vel phrenetide corripi in lecto, vel contra Deum fremere, vel manere obstinatos: sunt denique horrenda exempla, quæ quotidie cernunt, ubi non viget nec regnat Spiritus Dei: quia nulla tunc est in homine mansuetudo: præsertim ubi concipit mortis metum, tunc accenditur quasi in rabiem adversus Deum. Contra vero, multi qui ducuntur ad supplicium, agnoscunt se merito damnatos esse, & simul agnoscunt pœnam illam quæ infligitur esse loco medicinæ, ut obtineant misericordiam coram Deo. Multis ergo longe optabilius est, violenter mori, quam in pace: sed hoc accidit culpa hominum. Interea, quemadmodum dixi, mors naturalis longe merito præfertur morti violentæ, & sanguinolentæ: & breviter ostendi rationem. Res quidem posset pluribus tractari, sed satis est breviter attingere quantum locus postulat, summam ipsam. *In pace* ergo *morieris*, inquit. deinde, *combustionibus patrum tuorum comburent te, & plangent super te, Heus Domine.* Hic alterum solatium adjungitur, nempe postquam mortuus fuerit Zedechias, fore qui ipsum sepeliant, non tantum humaniter, sed etiam honorifice. Et sepultura etiam pluribus locis numeratur inter beneficia Dei, quemadmodum in vitæ nostræ cursu Deus se beneficum ostendit quum bene valemus & vigemus. Nam ut sanitas & victus qui ad tolerandam vitam satis sit, sunt testimonia amoris Dei, ita sepultum post mortem. Nam sepultum distinguit inter homines & bruta animalia. Si fera bestia moritur, relinquitur ejus cadaver. Cur sepeliuntur homines, nisi in spem resurrectionis, quasi deponerentur in custodia usque ad tempus restitutionis? Ergo sepultura quum symbolum sit immortalitatis nostræ, discernit nos à brutis animalibus post mortem. In ipsa morte nihil differimus: mors hominis & mors canis non habent certas notas, quæ alterum ab altero distinguant. Ergo post mortem voluit Deus aliquod monumentum restare, ut intelligerent homines quam excellentior sit sua conditio, quam brutorum animalium. Hinc fit ergo, ut quum Deus sepulchro nos dignatur, declaret paternum erga nos favorem. Ex adverso, si projicitur alicujus cadaver, signum est iræ Dei per se, sicuti antea *supra 22.*
visum fuit, quum dicebat Propheta, Sepultura *vers. 19.*
asini sepelietur, de Jechania. Sicuti ergo minatus fuit Jechaniæ sepulturam asini, ita nunc promittit Zedechiæ sepulturam. Dixi hoc esse verum ubi res per se æstimatur. Nam continget interdum ut sceleratissimus sepeliatur cum honore, & magna pompa: filii autem Dei vel exurantur, vel lacerentur à feris bestiis. Nota est illa Psalmi querimonia, projecta *Psal. 79.*
fuisse cadavera Sanctorum, fuisse escam bestiis & *vers. 2.*
avibus. Dicitur etiam de illo splendido Divite, mor- *Luc. 16.*
tuum esse, & sepultum: nulla fit mentio sepulturæ *vers. 22.*
Lazari. Non debemus ergo simpliciter statuere miseros esse qui non sepeliuntur, beatos autem qui obtinent sepulchri honorem. Sed quemadmodum scimus Deum promiscue benefacere bonis & malis: sicuti Sol ejus dicitur oriri super filios, & super extraneos: ita etiam post mortem sepultum quum temporale sit Dei beneficium, potest promiscue competere bonis & malis. Contra vero potest fieri, ut Deus privet sepulchro filios suos, sed tamen maneat illud fixum, sepulturam per se testimonium esse favoris Dei: contra, ubi quis projicitur, & negatur ei sepulchrum, hoc signum esse iræ Dei. Interea ubi descendimus ad personas, convertit Dominus pœnam temporalem suis in salutis adjumentum: deinde beneficia ejus temporalia cedunt in graviorem damnationem omnibus reprobis & impiis. Ergo barbari fuerunt qui ludibrio habere ausi sunt sepulturam, sicuti videmus etiam Cynicos fuisse gloriatos contemptu sepulchri: illa fuit inhumanitas. Sed hæc principia tenenda nobis sunt, sicuti quum Deus suppeditat nobis panem, vinum, aquam, & reliqua alimenta, quum nos vegetat, & conservat incolumes, testari suum erga nos favorem: idem sentiendum esse de sepultura. Cæterum, si quando esuriant fideles, si frigore etiam aut nuditate pereant, si obnoxii sint aliis omnibus miseriis, si & in morte & post mortem ignominiose tractentur, hoc totum illis cedere in salutem, quia Dominus ipsis consulit etiam dum videtur rebus adversis ipsos affligere. Hæc igitur ratio est cur Propheta ut mitiget aliqua ex parte dolorem Zedechiæ, nunc dicat, *Sepelient te, & combustionibus patrum tuorum comburent te.* hæc fuit non vulgaris ratio sepeliendi, sed regia. Promittit ergo postquam multis contumeliis & probris fuerit obrutus, tandem mortuo Deum fore propitium. Et quid hoc profuit Zedechiæ? dicet quispiam, nihil, quia tunc corpus ejus carebat sensu: sed profuit audire hanc Dei clementiam, quia inde colligere potuit Deum tandem fore misericordem, si vere se & serio humiliaret. Non dubium igitur est, quin spes veniæ illi promissa fuerit, tametsi usque ad mortem ipsam tam duriter & aspere fuerit castigatus. Deus ergo hoc symbolum voluit manere in ejus animo, ne prorsus desperaret. Nunc ergo intelligimus quorsum Propheta hoc pollicitus fuerit Zedechiæ, non quod ipsius referret cum honore sepeliri, sed ut gustum aliquem inde perciperet divinæ bonitatis & clementiæ. Scimus autem combusta fuisse Regum cadavera magno sumptu, quum scilicet concervarentur multi pretiosi odores, & accenderetur ignis, & ustularentur corpora: non

quod

quod redigereot in cineres. illud enim non fuit consuetum, sicuti Romanis, & aliis gentibus: nam comburebant cadavera mortuorum, deinde colligebant cineres. Sed ounquam cadaver hominis fuit combustum apud Judæos, tanmm accendebant ignem super cadaver, ita ut tabes amplius non posset dominari in ipso cadavere. Siccabant igitur lenta ustulatinne corpora mortuorum: neque id fiebat vulgo, sed in Regum sepulturis, quemadmodum apparet in exemplo Aza, & aliorum. Dicitur igitur, 2 Chr. 16. vers. 13. *Combustionibus patrum tuorum comburent te, & plangent, Heus Domine.* Hic posset quæri, an istæ lamentationes Deo probentur: facilis est responsio, Prophetam hic non laudare immodicum luctum, & clamores, & ejulatus quum dicit, *plangent te:* sed sumpsisse hunc sermonem ex more communi: quasi diceret, Præstabunt tibi humanitatis officium in tuis exequiis quale præstari solet Regibus adhuc integris, & quum illis maneret adhuc prospera fortuna. Deus ergo quum loquitur hic de luctu & querimoniis, non commemorat tanquam virtutes quæ placeant vel sint laude dignæ: sed refert quod erat tunc in communi usu. Cæterum scimus, quid Paulus præcipue doceat, 1 Thes. 4. vers. 13. nempe sic temperandum nobis esse à luctu, ut non simus incredulis similes, qui spem non habent. Illi enim putant mortem esse interitum animi & corporis: ita lugent suos mortuos, quasi perditos: deinde etiam obstrepunt Deo, & crepant interdum horrendas blasphemias. Paulus ergo vult nos esse moderatos in luctu. Non damnat prorsus omnem luctum, tantum exigit eam moderationem, ut ostendamus quid valeat apud nos spes resurrectionis. Interea fieri non potest, quin in hac parte modum excedant homines: & hoc fuit vitium commune fere omnibus seculis, quod scilicet in mortuis lugendis fuerunt ambitiosi. Neque enim tantum feruntur genuino affectu, qui amicos, vel cognatos lugent, sed quædam etiam ambitio impellit ipsos ut sepeliant cum magno strepitu mortuos suos. quamdiu soli sunt quietos se continent, aut saltem non tumultuantur: ubi autem prodeunt in conspectum hominum, impetus suos projiciunt. hinc ergo apparet, quod dixi, luctum ipsum esse ambitiosum. Sed quia ab initio mundi hac in parte peccarunt homines, ideo major adhibenda est diligentia, ut quisque se contineat & cohibeat. Interea, quemadmodum dixi, naturale est deflere mortuos: sed certe ejulatio de qua hic loquitur Propheta, non potest probari. quorsum enim attinet clamare *Heus Domine*, periit Rex noster, & quæ erant ejusmodi? Interea notandum est, populos Orientales semper hac in parte fuisse nimios, quemadmodum hodie adhuc cernimus, quo quæque natio magis accedit ad calorem, illic plus esse gestuum & ceremoniarum. In his frigidis regionibus insulsæ essent & ineptæ gesticulationes, ita vociferari, *Heus Domine*, heus pater: sed ubi lacerant capillos, & etiam se conscindunt, neque tantum unguibus discerpunt genas suas, sed cultellis: ubi igitur hæc faciunt, etiam edunt istos ejulatus, de quibus nunc agit Propheta.

Da omnipotens Deus, quando nobis etiam expedit castigari sæpius tua manu, ut discamus patienter, & placidis animis ferre tuas ferulas: & ita agnoscamus nostra peccata, ut tamen non dubitemus te nobis fore propitium, atque hac fiducia semper confugiamus ad petendam veniam, & prosit hoc etiam nobis ad studium resipiscentiæ, ut magis ac magis studeamus exuere nos omnibus carnis vitiis, & induere novum hominem ut instauretur in nobis imago tua, donec tandem perveniamus ad æternæ gloriæ participationem, quam nobis præparasti in cælo, per Christum Filium tuum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

6. Et loquutus est Jeremias Propheta ad Zedechiam regem Jehudah omnes sermones istos in Jerusalem.

7. Et exercitus regis Babylonij pugnabant (*hoc est, oppugnabat*) Jerusalem & omnes urbes Jehudah, quæ residuæ erant, nempe Lachis, & Azekah, quoniam ipsæ restabant in urbibus Jerusalem urbes munitionis. (*id est, munitæ.*)

Hic tantum recitat Jeremias se perfunctum esse legatione sibi commissa. & hic perspicitur Prophetæ magnanimitas: quia ut heri visum est, odiosus erat nuncius, & poterat creare periculum ipsi Jeremiæ: tameo officium peregit, quia sciebat Deum non passurum, ut Rex quicquam in eum tentaret, nisi ita esset utile. Non dubium igitur est, quin vitam suam deposuerit in manum Dei, & se obtulerit quasi in sacrificium, ubi ausus est ultro Regi minari, quod fieri oon potuit quin graviter offenderet ejus animum. ira autem Regis, ut Prov. 16. vers. 14. dicit Solomo, nuncius est mortis. Ergo hic laudatur constantia Prophetæ, quod non exhorruit periculum, ubi videbat necessitatem hanc sibi esse impositam à Deo. Iterum repetit *Jerusalem tunc fuisse obsessam ab exercitu regis Babylonii & reliquas omnes urbes Jehudah*, quas hic nominat, nempe Lachis, & Azekah. Itaque videtur oblique perstringere arrogantiam Zedechiæ, quod adhuc retinuerit altos spiritus quum tamen redactus esset in tales angustias: omnes urbes Judææ quot erant? duæ, inquit Propheta. Hoc igitur non male conveniet, oblique rideri Regis confidentiam, qui adhuc existimet se fore victurem hostis, quum tamen dominus esset trium urbium duntaxat, nempe Jerosolymæ, Lachis, & Azekah. Reddit autem Propheta causam cur urbes illæ non statim venerint in ditionem regis Babylonii, quia scilicet erant *urbes munitæ*. Unde sequitur alias urbes fuisse nullo negotio captas, vel subiisse voluntariam deditionem. Imperio igitur suo jam spoliatus erat rex Zedechias: tamen non deposuit animi sui ferociam, neque territus fuit minis Prophetæ. quod signum est extremæ dementiæ. Hinc enim apparet, fuisse mente alienatum, quum formidabilis manus Dei contra ipsum exerta esset: ipse autem rueret in suam perniciem tanquam bellua, quæ ratione destituitur. Pergamus.

8. Sermo qui factus fuit ad Jeremiam à Jehovah postquam percussit rex Zedechias fœdus cum toto populo, qui erat in Jerusalem, ad promulgandam ipsis (*hoc est, inter ipsos*) libertatem:

9. Ut dimitteret quisque servum suum, & quisque ancillam suam, (*vir. vir ad verbum,*

bum, sed significat, quisque indefinite) Hebræum vel Hebræam liberos, ut ne ultra servirent ipsis (*vel transitive, ut alii malunt, & bene quadrat, ut non haberent eos servos*) inter Judæos vir fratrem suum.

10. Et audierunt omnes Principes & totus populus, qui venerant ad fœdus, ut dimitteret quisque servum suum, & ancillam suam liberos, ut ne servirent amplius ipsis, (*vel ut ne dominarentur*) & obedierunt, & dimiserunt.

11. Et reversi sunt (*hoc est, mutarunt consilium*) postea, & reduxerunt servos suos & ancillas suas quos dimiserant liberos, & subegerunt eos in servos & ancillas.

12. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam à Jehovah, dicendo, (*hæc necessario contexere oportet*)

13. Sic dicit Jehovah Deus Israël, Ego percussi fœdus cum patribus vestris die quo eduxi ipsos è terra Ægypti, è domo servorum, dicendo,

14. A fine septem annorum dimittetis quisque fratrem suum Hebræum qui venditus tibi fuerit, & servierit tibi sex annis, & dimittes liberum ab esse tecum, (*hoc est, ut non sit amplius tecum, vel apud te*) & non audierunt patres vestri me, & non inclinarunt aurem suam.

15. Et conversi estis vos hodie, & fecistis quod rectum erat in oculis meis promulgando libertatem quisque proximo suo, & pepigistis fœdus coram facie mea in domo super quam invocatum est nomen meum.

16. Et reversi estis, (*hoc est, mutastis consilium*) & profanastis nomen meum, & reduxistis quisque servum suum & quisque ancillam suam quos dimiseratis liberos animæ suæ, (*hoc est, ad arbitrium suum*) & subegistis ipsos ut essent vobis in servos & ancillas.

17. Propterea sic dicit Jehovah, Vos non audistis ad promulgandum libertatem quisque fratri suo, & quisque proximo suo: ecce ego promulgo contra vos libertatem, dicit Jehovah, gladio, & pesti, & fami, & dabo vos in commotionem (*vel concussionem*) cunctis regnis terræ.

Tametsi non legimus quod hic recitat Propheta factum fuisse Dei mandato, colligere tamen promptum est admonitum fuisse regem Zedechiam, ut servi manumitterentur ex præscripto Legis. id enim
Exod. 21. scribitur Exodi 21. voluit Deus extare aliquod dis-
vers. 2. crimen inter populum quem adoptaverat, & reliquas gentes. nam Deus elegerat genus Abrahæ quasi in peculium: aliæ autem gentes ejus respectu erant extraneæ. Ergo voluit hoc jus speciale statuere inter Israëlitas, ne perpetua esset servitus, nisi quis forte ultro se addiceret tota vita, quemadmodum legitur
Deut. 15. 15. Deuteronomii. nam si quis ignobili animo se
v. 16. 17. privaret beneficio legis, Dominus perforabat ejus aurem subula, & stigmate illo notatus non poterat amplius fieri liber, nisi forte incideret in annum jubileum. Ex his verbis Prophetæ colligitur contemptum fuisse mandatum illud Legis: nam quum transactus esset septimus annus, non manumittebantur servi. Rex ergo Zedechias admonitus populum vocavit, & ex omnium consensu factum est, ut libertas promulgaretur, quemadmodum Deus præceperat. sed id factum est mala fide: statim enim retracti fuerunt servi, & ita accessit ad crudelitatem etiam perfidia, quoniam ante oppresserant inique fratres suos, sed perjurium cumulavit scelus. nam ex quo in Templo sancte jurarunt se bona fide manumittere servos, & hac in re parere imperio Dei, non servarunt fidem. Videmus ergo non tantum injuriam fecisse fratribus suis quum eos opprimerent perpetua servitute, sed scelestè abusos fuisse sacro nomine Dei, quum scilicet solenne sacramentum ita violarunt. Nunc dicit Jeremias *se missum fuisse* ex quo populus impia illo perjurio rursus cœpit opprimere servos & ancillas. Dicit ergo *sibi mandatum fuisse sermonem à Deo post fœdus illud percussum.* Fœdus vocat pactum illud solenne, postquam revocata fuit in usum Lex Dei, ut non esset perpetua servitus inter Israëlitas. Et seipsum exprimit *percussum fuisse fœdus cum toto populo, qui erat in Jerusalem, ad promulgandam libertatem ipsis.* quidam חפש referunt ad servos & ancillas: sed possumus exponere inter ipsos promulgatam fuisse libertatem, non tantum in præsentia, sed etiam ut postero tempore Lex etiam vigeret. Sequitur qualis fuerit illa libertas: nempe *ut quisque dimitteret servum suum, & quisque dimitteret ancillam suam Hebræum vel Hebræam liberos, ut ne servirent.* quidam עבר accipiunt in neutro genere, alii autem transitive accipiunt, quemadmodum Gallice dicimus, *Qu'ils ne leur fussent plus serfs, ou qu'ils ne se servissent plus d'eux.* Quod ad summam spectat parum refert. si accipimus verbum עבר pro servire, ita legemus, Ne servirent, vel ne essent servi ipsorum: si autem accipimus עבר pro dominari, sic legendum erit, *ut ne vir*, non quemadmodum prius in fine versus, ne vir, hoc est, ne quisquam dominaretur in ipsis, nempe in Judæo fratre suo, vel ne inter ipsos vir serviret, nempe Judæo fratri suo. Hic quæritur, an perpetua servitus Deo sic displicuerit, ne debeat censere inter res licitas. facilis solutio est, Abraham, & alios Patres servis usus fuisse pro communi & recepto more: & tamen non fuisse in illis hoc vitiosum. ergo ante Legem scriptam nulla ratio vetuit quin si quis servos haberet vel ancillas, in totam vitam illis dominaretur: deinde Lex cujus fit nunc mentio, non lata fuit promiscue & generaliter, sed fuit quasi singulare privilegium in favorem electi populi. Hinc ergo perperam inferret quispiam, non esse licitum dominari in servos & ancillas: nam potius sic ratiocinari convenit, quum Deus patribus ante Legem permiserit habere servos & ancillas, rem esse liberam: deinde quum Judæis quoque permiserit Deus sub Lege dominari in exteros, & habere addictos perpetuo qui servi erant, sequitur etiam hoc non posse improbari. Et clarior etiam ratio adduci potest: nam ex quo Gentes adscitæ sunt in spem salu-
tis, nihil mutatum fuit hac in parte. Apostoli enim Ephes. 6.
non cogunt dominos ad manumissionem servorum vers. 9.
suorum, sed tantum hortantur ut mansuetudinem Coloss. 4.
erga ipsos colant, & humaniter ipsos tractent tan- vers. 1.
quam conservos suos. ergo si servitus esset res illicita, Apostoli nunquam ipsam tulissent, sed fortiter vociferati essent adversus profanum morem, si fuisset talis. Nunc dum præcipiunt dominis ut se humanos tantum exhibeant, neque opprimant violenter & contumeliose servos suos, sequitur permitti quod non negatur, nempe ut retineant servos suos. Vide-
mus etiam ut Paulus Onesimum remittat Philemoni: Phil. v. 10
Philemon non modo erat ex numero piorum, sed

erat

erat pastor Ecclesiæ. debuit igitur aliis esse exemplo: aufugerat ab ipso servus: Paulus remittit, & commendat domino, & pro ipso deprecatur, ut dominus furtum illi condonet. videmus ergo per se rem non esse illicitam. Quod apud nos abolitæ sunt servitutes, hoc est, misera illa conditio, ut quis non sit sui juris, sed ut dominus in ipsum habeat vitæ & necis potestatem: quod ergo cessavit ille usus, non debet vituperari. potuit initio aliqua superstitio fuisse, & certe ita conjicio, principium mutandi illius moris fuisse natum à superstitione: sed tamen minime optandum est ut sint mancipia inter nos, sicuti olim fuerunt inter omnes gentes, & sunt etiam hodie apud Barbaros. Hispani norunt quid sit servitus, quia scilicet vicini sunt Aphris & Turcis: deinde quos accipiunt in bello vendunt, & sicuti malum ex malo nascitur, ita etiam habent sibi miseros homines mancipatos in totam vitam. Sed quoniam nulla necessitas apud nos cogit, quemadmodum dixi, ratio nostra melior est, nempe ut sint mercenarii, nulli autem servi. nam qui hodie vocantur servi, sunt mercenarii duntaxat. Quum profani homines commendant humanitatem & clementiam erga servos, dicunt, Ne tractentur ut servi, sed ut mercenarii: sic etiam Cicero ipse loquitur: distinguit inter servos & mercenarios. servos vocat mancipia, nempe eos omnes qui erant sub jure alieno: mercenarios autem, qui operas suas locant, sicuti apud nos fieri solet. Sed, quemadmodum jam dixi, peculiaris fuit electi populi ratio. Dominus enim voluit quos redemerat manere liberos, & frui beneficio liberationis hac in parte. Ergo ut memoria gratiæ Dei extaret apud Israëlitas, voluit Dominus temporariam illic esse servitutem, sex duntaxat annorum scilicet. quoniam autem lex illa neglecta fuerat, hortatus est Zedechias ut servi manumitterentur. Nec vero dubium est, quin simul Deus ostenderit, merito hostes externos sævire in populum, quoniam ipsi non parcerent suis propriis visceribus. quum enim ita pro libidine sua dominarentur in servos, frustra conquerebantur de Chaldæis, vel Assyriis, frustra jactabant injuste opprimi, aut gravari violenta tyrannide Dei populum. nam primi auctores sævitiæ ipsi erant, non autem Assyrii, & Chaldæi. Hac igitur ratione inductus fuit Zedechias, ut populum vocaret, & publico edicto manumitterentur omnes servi. dicit, *omnes Principes audisse, & totum populum, qui venerant ad fœdus, ut dimitteret quisque servum suum*, &c. deinde adjungit, *Et obedierant.* שמע duplici sensu accipitur: initio versus refertur ad simplicem auditum, secundo autem loco accipitur pro obsequio, vel obedientia. dicit ergo *ipsos obedivisse, & unumquemque dimisisse servos suos.* Quum dicit tam Principes, quam totum populum audivisse, hoc verbo tollit omnem ignorantiæ prætextum, ne scilicet excusent se errore fuisse lapsos, vel per incogitantiam. quare? *audierant* enim. neque dubium est quin lex Dei quam recitavimus, proposita illis fuerit, ut puderet ipsos tantæ iniquitatis, ac tyrannicæ violentiæ, quam exercuerant erga fratres suos. audiens igitur cujus sit mentio, ostendit Judæos prorsus fuisse inexcusabiles: quia videbant longo temporis spatio contemptam fuisse Legem Dei. Et hinc colligimus gravius quemque peccare dum edoctus est quid rectum sit, & quasi data opera excutit jugum: sicuti

Luc. 12. vers. 47. etiam dicit Christus, Servus qui novit voluntatem domini sui, & non facit; gravius vapulabit, quam si quis per ignorantiam delinquat. Postea addit, *Et reversi sunt post hoc*, nempe postquam audierant & obediverant tum *reversi sunt.* hoc Reverti ad mutationem consilii refertur, quia scilicet eos statim pœnituit suæ clementiæ: tacti enim fuerant aliquo Dei timore: deinde valuerat apud ipsos æquitas & moderatio: paulo post reversi sunt. nam aliquando verbum hoc accipitur in bonam, aliquando in malam partem. Nunc ergo dicit *reversos esse*: quia retrocesserint quum ingressi essent rectum iter, *& quum retraxissent.* est allusio in verbis ישבו & ישובו, *retraxerant, vel reverti fecerant servos & ancillas quos dimiserant liberos, & subegerant in servos & ancillas.* Non dubium est quin aliquid coloris obtenderint Judæi quum ita retraherent servos suos, & fraudarent beneficio manumissionis. sed Deus voluit ipsos sincere agere & absque fuco. Quicquid ergo excogitent astuti homines dum miseros opprimunt, & utcunque tergiversentur apud homines, Deus tamen cui placet integritas, non admittit fucos illos, quia vult nos simpliciter agere cum proximis nostris: ita damnatur coram ipso omnis calliditas. Jam sequitur summa legationis: dixerat quidem Propheta sermonem Dei fuisse apud se depositum, sed interposuit narrationem hanc, ut sciremus qua de causa Deus ipsum miserit ad Judæos. Nam si ita exorsus esset, Fuit sermo ad Jeremiam à Jehovah, deinde additum hoc fuisset, *Sic dicit Jehovah Deus Israël, Ego pepigi fœdus*, res fuisset obscurior. Oportuit igitur historiam priore loco narrari, quia hinc pendebat legatio Prophetæ, quod scilicet Judæi addiderant sævitiæ perjurium, & ita venerant ad extremum iniquitatis. Nunc ergo ipsos cominus aggreditur Propheta, & ita inducit Deum loquentem, *Pepigi fœdus meum cum patribus vestris qua die eduxi eos è terra Ægypti, è domo servorum.* Deus revocat Judæos ad Legem suam, & quanquam poterat jure mandare quicquid visum esset, ostendit tamen Israëlitas fuisse obstrictos, *quoniam eduxerat eos è domo servorum.* quis audeat sibi arrogare dominium in alios, qui ipse servus est? neque enim potest esse dominium ubi non est libertas. potest quispiam esse liber qui tamen carebit servo: sed tamen nemo potest esse dominus nisi ipse liber sit: jam pronunciat Deus Israëlitas non fuisse liberos. erant enim sub miserrima servitute quum illis manum porrexit. unde igitur Israëlitis libertas? nempe ex gratuita Dei misericordia, qui eos manumisit, hoc est, qui eduxit à tyrannide Ægyptiaca. hinc ergo sequitur, non potuisse aliis dominari quum servi essent. Hæc ratio est cur dicat *se pepigisse fœdus quo die eduxit ipsos è domo servorum*: quasi diceret ipsos egressos fuisse ex ergastulis suis, quia dignatus est ipsos extrahere. Adjungit fœdus, quia sanctius eos devinxit ad colendam humanitatem quum hac lege voluit esse liberos, ut non dominarentur perpetuo in fratres sed tantum ad tempus. Recitat hic legem quæ extat apud Mosen vigesimo illo primo capite Exodi, ut diximus. *A fine ergo septem annorum quisque dimittet fratrem suum Hebræum, qui venditus tibi fuerit, & qui servierit tibi sex annis dimittes eum liberum abs te*, hoc est, ne sit apud te: *& non audierunt patres vestri me, & non inclinarunt aurem suam.* Non dubium est quin amplexi sint Israëlitæ quod jubebat Deus, sed paulo post lex illa fuit quasi sepulta. Quum ergo hic conqueritur vocem suam non fuisse auditam, non debet ita generaliter exponi acsi omnibus seculis lex fuisset spreta, sed perinde est acsi diceret, Jam olim patres vestri immorigeri fuerunt, quia non manumiserunt servos præscripto tempore, hoc est, completo sexennio. Hic locus, ut complures alii, satis docet quanta fuerit illius populi contumacia. Lex certe de qua nunc agimus, debuit Judæis esse jucunda quum viderent se privilegio quodam eximi à communi jure & præferri cunctis Gentibus. Quum ergo viderent hoc testimonium esse insignis Dei benevolentiæ erga Abrahæ semen, debebat hæc cognitio ipsos allicere ad servandum legem, quum in ea agnoscerent quod maxime optandum ipsis erat. sed ut quisque addictus erat privatæ utilitati, ita factum est ut pauperculi opprimerentur, & servitus temporalis mutata fuerit in perpetuam. Ergo non mirum est si statim homines obliviscantur quod

rectum sit etiamsi ad momentum visi fuerint aurem præbere Deo. hoc fuit commune vitium omnibus seculis, ut leges Dei venerint statim in oblivionem, & contemptum, sicuti lex manumissionis quæ tamen maxime erat favorabilis, obsolevit, ut vidimus. Addit, *Neque inclinarunt aurem suam.* Diximus alibi emphaticam esse hanc loquutionem ubi subjicitur verbo Non audiendi. nam exprimitur quasi professa malitia, dum scilicet homines aures suas obturant, neque admittunt quod rectum est. fieri potest ut quis negligat quod dicitur vel non intelligat: sed ubi quis data opera claudit aures, hoc signum est perditæ contumaciæ. Deus ergo exprimere solet hac loquendi forma pervicaciam & duritiem, quæ fuit in veteri populo, quod scilicet respuerint omnem sanam doctrinam. Hoc autem diligenter notandum est, quia ubi clare personat vox Dei, frustra jactamus non assequi nos quid velit: neque enim obscure loquitur, quemadmodum dicit apud Jesaiam. unde igitur fit, ne doctrina fructum suum apud nos proferat? nempe quia eam sponte respuimus, & claudimus aures, neque admittimus Deum ipsum loquentem. Quod autem accusat Deus patres, ratio est, quia comparatio magis amplificat scelus filiorum, qui postquam finxerunt se tangi & studio pietatis, & sensu misericordiæ, statim redierunt ad ingenium, quemadmodum sequitur, *Vos autem conversi estis hodie, & fecistis quod rectum erat in oculis meis promulgando libertatem quisque proximo suo.* Videtur Deus principio laudare populum: & certe hoc in laude ducendum fuit, quod scilicet populus postquam admonitus fuit, Legem Dei perverse fuisse contemptam, se obtulit ad præstandum officium: sed quia resipiscentiæ signum dedit fallaciter, & non præstitit re ipsa quod pollicitus fuerat, hinc crimen magis amplificatur ut dictum est. Sic ergo Deus laudat resipiscentiam populi, ut ostendat hypocrisin esse detestabilem: quia ad momentum præ se tulerint aliquem affectum humanitatis, paulo post autem ostenderint se mera simulatione usos esse. dicit ergo *fecisse quod rectum erat promulgando libertatem.* Et hinc etiam patet non fuisse errore lapsos: Deus enim expresserat ab ipsis hanc clementiam ut scilicet restituerent quod impie ablatum fuerat servis & ancillis, & eos rursus manumitterent: nisi coacti fuissent manifesto Legis testimonio, nunquam ita renunciassent privatis commodis. atqui simulac finxerunt se Deo velle obsequium præstare, retrahunt ad se servos & ancillas. apparet igitur ipsos lusisse cum Deo, & meram fuisse fraudem quod ad breve tempus manumiserunt servos suos. Dicit *pepigisse fœdus in domo super quam invocatum fuerat ejus nomen:* deinde, *profanasse nomen suum.* Adjungit ad cumulum sceleris, quod scilicet non tantum promulgata fuerit libertas, & sancita fuerit jurejurando: sed quod id in Templo factum fuerit. ergo à circumstantia alia aggravat populi culpam, quod scilicet in conspectu Dei fœdus pepigerint quod postea violarunt. Etsi enim oculi Dei penetrant in omnes latebras, tamen hæc major fuit improbitas populi, & hoc etiam signum fuit perditæ impudentiæ, quod ausi sint fallere datam fidem, & hoc etiam modo nullam habere curam Templi, acsi nulla Dei reverentia, & religio ipsos tangeret. Hinc etiam appatet quam fuerint profani, quod ausi fuerint in Templum venire, & coram Deo jurare: deinde non fidem suam abnegaverint.

Jesa. 45. vers. 19.

Da omnipotens Deus, quando sic redempti semel fuimus manu unigeniti Filii tui non tantum à temporali servitute, sed etiam à misera tyrannide diaboli & mortis, ut te agnoscamus nostrum liberatorem, & nos totos sic tibi addicamus, ut etiam studeamus alii aliis servire, & mutuis officiis ita fovere inter nos fraternam charitatem, ut appareat te vere inter nos dominari, & nos tibi omnes esse subjectos sub manu ejusdem Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-OCTAVA

IN

J E R E M I A M.

16. Et reversi estis, & polluistis nomen meum, & reduxistis quisque servum suum, & quisque ancillam suam, quos dimiseratis liberos animæ suæ, (*id est, arbitrio suo*) & subegistis eos, ut essent vobis in servos, & in ancillas.

HIc expostulat Propheta, ut proxima lectione diximus, cum Judæis de perjurio, quia solenni ritu fœdus pepigerant in Templo Dei, ut manumitterent servos suos ex præscripto legis. Nihil opus fuerat tali ceremonia, si observassent quod ex Lege didicerant: sed neque ipsi neque patres eorum coluerant æquitatem divinitus præscriptam. opus igitur fuit nova promissione, quæ sancita fuit sacrificio. Laudavit Propheta quod obtemperassent Dei præscripto, sed nunc ostendit eo minus esse excusabiles, quod paulo post reversi sint ad ingenium. dicit *reversos esse* in malam partem, quod scilicet statim ipsos pœnituerit obedientiæ quam Deo præstiterant. Digna laude fuit promptitudo quum polliciti sunt se paratos fore ad obsequium: sed quod mala fide egerunt, hinc apparet eos lusisse cum Deo. Adjungit *pollutum fuisse Dei nomen:* unde colligimus quoties abutimur Dei nomine, speciem esse sacrilegii: quia Deo nihil magis pretiosum est quam veritas: imo quum ipse veritas sit & vocetur, nihil magis adversum est ejus naturæ, quam fallacia & mendacium. Ergo intolerabilis est nominis Dei profanatio quoties falso obtenditur: & ita omne perjurium cum sacrilegio conjunctum est. Polluitur quidem aliquo modo Dei nomen etiamsi quis non pejeret, sed tantum nomen Dei temere & promiscue vel absque delectu usurpet: sed hæc gravissima est pollutio, ubi veritas convertitur in mendacium. Continet igitur hic locus utilem doctrinam, ut discamus bona fide agere, præsertim ubi interponitur Dei nomen. Postea adjungit, *Reduxistis quisque servum suum & quisque ancillam suam quos dimiseratis liberos.* Duplicatur crimen hac circumstantia, quod manumiserint servos, deinde retraxerint in eandem servitutem. nam si nihil simulassent, obstinatio quidem minime ferenda erat: sed turpior fuit defectio, ubi finxerunt se Deo parere, & paulo post reipsa cognitum fuit perfide pollicitos fuisse libertatem servis suis. Dicit *dimissos fuisse animæ suæ*, hoc est, arbitrio: nam vocamus homines liberos sui juris, quia penes ipsos est deligere quicquid placet. qui autem sub manu aliena sunt, illis nulla est propria voluntas, nullum arbitrium. Et indignitas augetur, quod servi qui facti erant sui juris, postea privati fuerint tanto illo beneficio. nihil enim magis optabile quam libertas, ut etiam profani homines loquuti sunt. adjungit hoc factum fuisse violenta oppressione, *subegistis eos.* כבש significat aliquando subigere, & opprimere. Ostendit igitur Propheta eos qui fuerant manumissi, non sponte fuisse reversos ad mise-

Joan. 14. vers. 6.

miseram illam fortunam, neque etiam aliqua specie juris coactos fuisse ad recipiendum jugum, sed tyrannice fuisse coactos. unde apparet non modo fraude usos fuisse dominos illorum, sed etiam tyrannica & crudeli violentia: ita ad perjurium simul inhumanitas accessit, quæ illud crimen magis augeret. Nunc sequitur,

17. Propterea sic dicit Jehovah, Vos non audistis me ad promulgandam (*hoc est, ut promulgaretis*) libertatem quisque fratri suo, & quisque proximo suo: (*vel propinquo, vel sodali suo*) ecce promulgo contra vos libertatem, dicit Jehovah, gladio, pesti, & fami, & dabo vos in commotionem cunctis regnis terræ. (*alii vertunt, ecce promulgo vobis libertatem ad gladium, & ad pestem, & ad famem. quantum ad summam rei pertinet, non multum est discriminis utrumvis legamus, nempe promulgo vobis libertatem ad, vel promulgo contra vos libertatem gladio, &c. ut videbimus.*)

Hic Propheta ostendit justam mercedem paratam esse Judæis, qui beneficio libertatis fraudaverant fratres suos, quia scilicet ipsi quoque vicissim misere servient postquam Dominus ipsos dimiserit. Alludit autem ad formam manumissionis, quæ tunc in usu erat, ac dicit, *Non promulgastis libertatem*: promulgaverant quidem ut vidimus, sed non sincere, quia mox coacti sunt servire qui liberi fuerant duntaxat ad momentum. Deus ergo hic non respicit externum ritum quo defuncti fuerant Judæi, sed ostendit sibi fidem & integritatem ita placere, ut nihil moretur ceremonias. promulgatio igitur libertatis non est verbalis coram Deo, sed conjuncta est cum suo effectu. Apud homines satis est aliquid profiteri, sed Deus pro nihilo ducit tales fallacias: ideo conqueritur Judæos non obtemperasse verbo suo. diximus autem jam ex præscripto Legis non licuisse diutius uti servorum opera quam sexennio: nam anno septimo jubebat Lex manumitti qui se in servitutem addixerant. sed Deus legem illam quasi postliminio reduxit quum esset fere obsoleta. Et hoc sensu etiam dicit *se non fuisse auditum*: quia non tantum per manum Mosis docuerat quid liceret, sed ostenderat per Jeremiam Judæos impie & scelerate contemnere præceptum illud humanitatis. Hinc colligimus quid sit obedire verbo Dei, nempe ubi non tantum amplectimur quod pronunciat, sed ubi perseveramus in obsequio: quia non sufficit etiam aliquam speciem recti affectus dare exiguo temporis spatio, nisi constanter perstemus in obedientia. Nam Judæi & ore professi fuerant, & ostenderant se fore morigeros: servi potiebantur sua libertate: sed quia paulo post conversi sunt rursus domini ad suam pravitatem, videmus quid pronunciet Deus, nempe *se non fuisse auditum*. dicit *se promulgare illis libertatem*, vel contra illos. Si legimus, Ecce promulgo vobis libertatem, sensus erit, ego vos manumitto, hoc est, jam nihil mihi vobiscum erit negotii, ite & fruimini libertate vestra: sed statim incidetis in alios dominos, nempe in gladium, in pestem, & in famem. & hic sensus non male conveniet, quia hæc erat unica felicitas veteris populi, esse sub Dei tutela. Quum autem essent immorigeri, dimisit illos & noluit amplius habere sub clientela sua. nihil autem miserius est tali manumissione, ubi scilicet Deus ablegat homines quibus dignatus est præesse, & quorum fuit aliquando patronus. nam statim occurrent genera omnia malorum: Deus vero manum suam non opponet. Hæc igitur eorum est libertas, qui non ferunt placide, & quo decet obsequio jugum Dei, nempe ut sint expositi malis omnibus, quoniam tantum umbra ejus defendimur. Videmus ergo optime constare sententiam si legamus, Ecce promulgo vobis libertatem, sed ad gladium, ad pestem, & ad famem. Possumus tamen accipere diverso sensu, Ecce promulgo vobis, hoc est, contra vos: ל enim id significat. promulgo igitur contra vos libertatem; quomodo? ad gladium; hoc est, ego pronuncio ut gladius potestatem suam contra vos exerceat, deinde permitto tantundem juris pesti, permitto etiam tale dominium fami. regnent igitur super vos gladius, & pestis, & fames: quia non fertis meum imperium. tametsi enim Judæi se jactabant esse electum Dei populum, quum tamen ita præfracti essent ut spernerent Legem & Prophetas, hinc satis patebat ipsos appetere effrenem licentiam. Deus ergo hic juri suo renunciat, & dicit per se non stare quo minus sint liberi; quia ipsos amplius non defendet, quemadmodum patronus clientes suos, vel herus servos suos. sic etiam in Psalmo dicitur, Ecce oculi nostri ad Deum, sicuti oculi servorum qui ad dominos suos respiciunt, sicuti oculus ancillæ ad dominam suam. *Psal. 123. vers. 1.2.* scimus enim servos olim fuisse expositos omnibus injuriis: qui non audebant digitum movere, etiamsi essent graviter vulnerati: sed si quis servus violatus fuerat, dominus erat vindex, & suscipiebat illam causam. Confert igitur Propheta fideles servis vel mancipiis, & dicit totam eorum salutem positam esse in Dei auxilio. jam pronunciat Deus se non fore amplius custodem illius populi, quia ubi ipsos dimiserit, occurrent omnia genera malorum ut diximus, *pestis, & gladius, & fames*. Tandem subjicit, *Et dabo vos in commotionem omnibus regnis terræ*. Potest duplex verborum esse sensus; quidam enim sic accipiunt, quasi minetur Deus ipsos fore instabiles & vagos per omnia regna terræ: alii autem fore in commotionem, quia quisquis vel aspexerit, vel audierit quam misera sit eorum conditio, contremiscet. Locus sumptus est ex Mose: nam inter maledictiones Deuteronomii 28. capite hæc narratur, Dabo te in commotionem omnibus regnis. *Deut. 28. vers. 25.* posterior expositio mihi magis probatur, *Judæos fore in commotionem*, quia horribilis erit vindicta quam exiget de ipsis Deus, ut sese omnes moveant: quemadmodum dicitur apud Jesaiam, Ipsa commotio erit in stuporem. *Jesa. 28.* Ergo tenemus quid velit Propheta, nempe Deum ita severum fore vindicem perjurii & perfidiæ, ut Judæi sint futuri exemplo omnibus populis, quia triste erit spectaculum, quum aspicient omnes gentes filios Abrahæ quos Deus adoptaverat esse omnium miserrimos. Conditio igitur illorum tunc fuit horrori, & hoc nunc denunciat ac minatur Propheta. Sequitur,

18. Et dabo viros qui transgressi sunt fœdus meum, qui non stabilierunt sermones fœderis, quod inciderunt coram me, vitulo quem conciderunt in duo, & transierunt inter partes ejus:

19. Principes Jehudah, & Principes Jerusalem, Proceres, (*Eunuchos*) & Sacerdotes, & totum populum terræ, qui transierunt inter partes vituli.

Prosequitur eandem sententiam, perjurium scilicet non fore impunitum. sed describitur hic ritus jurandi, nempe *quod vitulum conciderint in duas partes, & inter illas partes transierint*. Scimus jam tem-

pore Abrahæ morem hunc fuisse receptum. dicitur enim quum sacrificium offerret Deo, in signum fœderis concidisse victimam, & transiisse per medias partes. Historici etiam referunt in lustrando exercitu Macedonas usos fuisse eadem ceremonia: & probabile est apud omnes gentes passim fuisse consuetudinem hanc receptam. Romani quum volebant fœdus icere, mactabant porcam: non scindebant in partes, sed feriebant lapide, & illa erat forma execrationis, Ita feriat eum Jupiter qui fœdus violaverit: si ego fœdus hoc violavero, ita me feriat Jupiter, ut ego hanc porcam nunc percutio. Sed apud Orientales videmus scissas fuisse victimas, & aliam fuisse execrationis formam, nempe ut discerperetur quisquis inique & mala fide violasset fidem illic datam. Hunc igitur ritum nunc attingit Propheta, & dicit: *Dabo viros qui transgressi sunt fœdus meum, nempe vitulo, quem conciderunt in partes*, inquit, *& transierunt per medias partes.* Sed Deus causam assignat, cur tam horribilem pœnam sumere statuerit de perjurio. dixit nuper nomen suum profanatum esse, nunc adjungit *violatum fuisse suum fœdus.* Non loquitur hic de Lege: fœdus Dei in Scriptura ut plurimum *Lex* vocatur: sed alio sensu nomen hoc usurpat Jeremias, nempe fœdus in quo interpositum fuit Dei nomen: vel quod sancitum fuit adhibito Dei testimonio: quemadmodum κατ' ἐξοχὴν Solomo vocat fœdus Dei conjugium, quia illa est præcipua pactio inter homines. Sed quoniam Judæi in Dei conspectu polliciti fuerant se paratos esse ad obsequium, quum præciperet Jeremias servos manumitti, quoniam solenni ritu confirmata fuerat illa pactio, dicitur hic promissio data hominibus fœdus Dei propter illam sanctionem quam diximus. Meminerimus ergo quoties fidem non præstamus, non tantum fieri hominibus injuriam, sed ipsi Deo, & sacrilegium esse, & quidem multo atrocius quam sit furtum, vel fraus, vel crudelitas. Ergo discamus ex hoc loco bona fide agere, præsertim ubi nomen Dei invocatur, & ubi adhibetur medius tanquam testis ac judex. Postquam dixit *transgressos esse fœdus suum*, seipsum paulo post exprimit, *quia non stabiliverunt sermones fœderis quod inciderant coram ipso.* Stabilire sermones est constanter perstare in suis promissis. nam ad breve tempus Judæi signum dederant humanitatis: sed fuit mera & fallax ostentatio. Hac ratione igitur dicit Propheta *eos non stabilisse*, hoc est, non habuisse ratos *sermones fœderis quod inciderant.* Sequitur nunc illa externa ceremonia *quod scilicet vitulum conciderint in duas partes & transierint inter illas partes*, ut scilicet transitus ipse penetraret in ipsorum animos, & ita horrerent fidem violatam. Scimus enim externa signa referri ad eum finem, ut expergefiant homines, qui alioqui tardi sunt & lenti: idem etiam est omnium sacrorum signorum usus, quibus Deus vult sensus omnes nostros afficere. & hinc apparet quanta fuerit populi socordia, quod postea neglexerint illam diram obtestationem: *transierant enim per partes vituli*, & imprecati sibi fuerant talem interitum si fallerent: postea non dubitarunt tamen fallere. Videmus ergo ut diabolico furore correpti fuerint ad spernendum Dei judicium. Adjungit *Principes Jehudah, & Principes Jerusalem:* non hic nominat quasi diversos, sed per amplificationem loquitur. dicit ergo se pœnam sumpturum de ipsis Proceribus, ne existiment se fore immunes, quia excellant aliquo honoris gradu: scimus enim qui dignitate præstant in hoc mundo, superbia inflari, ut existiment se esse solutos omni lege. Hæc ratio est igitur cur diserte exprimat Deus *ipsos Principes & Eunuchos:* non autem intelligit eunuchos qui castrati fuerint, sicuti diximus jam plurimis locis, סריסים vocari quoslibet Proceres. Postea adjungit *Proceres Jerusalem*, quia illi etiam superbiebant privilegio Urbis suæ: quoniam erat Regia sedes, quoniam erat Dei sacrarium. Denunciat igitur Propheta nihilo meliorem fore eorum conditionem quam vulgi, quoniam Deus non pateretur ita ludibrio haberi sacrum suum nomen, & violari omnem æquitatem, præsertim pro nihilo duci & irritum fieri fœdus, quod percussum fuerat ejus nomine. Tandem adjungit *totum populum: quicunque*, inquit, *transierunt inter partes vituli, dabunt pœnas.* Sequitur,

20. Et dabo illos in manum inimicorum ipsorum & in manum quærentium animam ipsorum, & erit cadaver ipsorum in cibum avi (*hoc est, avibus*) cælorum (*est heterosis numeri*) & bestiæ (*hoc est, bestiis*) terræ.

Confirmat quod nuper dixit, & explicat modum quoque vindictæ exprimit, *quod* scilicet *tradentur in manum hostium.* sed adjungit, *Qui quærent animam ipsorum*, ut ostendat non fore quoslibet hostes qui contenti sint præda, vel mediocri aliqua pœna, sed hostes capitales: qui non satiabuntur donec ipsos occiderint. Docet autem hic locus etiam impios esse Dei flagella, quoniam quas vult pœnas sumere de Legis suæ transgressoribus, per eos exequitur. Ergo tametsi aliud Chaldæis erat propositum quam ut Dei ministri essent in puniendis Judæis, oportuit tamen ipsos præstare Deo suam operam, acsi essent ejus mercenarii, quos ageret pro suo arbitrio. Nec dubium est quin exacerbati fuerint eorum animi adversus Judæos, ut promiscue sanguinem funderent absque ulla misericordia. nam sic sæpe dicit Deus,

Exod. 3. vers. 21. & 11. vers. 3. Dabo vobis clementiam coram hostibus vestris. ita ex adverso pronunciat si hostes atrociter sævierint, hoc fieri arcano suo instinctu, ubi vult duriores pœnas sumere. Hæc igitur ratio est, cur dicat se daturum esse Judæos *in manum eorum qui quærent ipsorum animam*, hoc est, qui neque intenti erunt ad prædam vel spolia, neque etiam contenti erunt mediocri aliqua pœna: sed erunt hostes implacabiles, donec populum illum perdiderint. Sequitur alia species pœnæ, *quod cadaver illorum erit in cibum bestiis terræ & avibus cæli*, quasi diceret conspicuam fore vindictam Dei contra Judæos etiam post mortem. Diximus autem proxima hebdomade nihil jacturæ nos facere, si jacemus insepulti, quia nihil affert nobis sepultura: sed tenendum est hoc signum esse vindictæ Dei. Quemadmodum igitur fames, & nuditas, & frigus, & morbi, & aliæ miseriæ judicia sunt iræ Dei contra homines: ita quum mortui hominis projicitur cadaver, laniatur à feris bestiis, aut comeditur ab avibus. Si quis objiciat id interdum contingere optimis & sanctissimis Dei cultoribus, respondimus tunc pœnas temporales communes esse bonis & malis: sed quum Deus fame, & inopia, deinde morbis, vel exilio, vel carcere, vel aliis malis exercet atque affligit servos suos, hoc totum illis esse adjumento in salutem. Interea non obstat hæc specialis Dei misericordia erga fideles, quæ est instar privilegii, quin omnes miseriæ per se signa sint iræ Dei, quia vocantur ubique maledictiones. Deinde scimus ex eodem fonte manare quicquid malorum patiuntur homines in hac vita, nempe ex justo Dei judicio qui hoc modo pœnas infligit. Ergo non abs re Propheta hic denunciat tam severum & horribile fore Dei judicium erga Judæos, ut ultra mortem ipsam progrediatur, quia *expositi erunt in cibum bestiis terræ & avibus cælorum.* Sequitur,

21. Et Zedechiam regem Jehudah, & Principes ejus dabo in manum inimicorum ipsorum, & in manum quærentium animam eorum, & in manum exercitus regis Babylonii, qui ascenderunt à vobis.

Repetit fere eadem verba, sed interea propius ad rem accedit, quia nominat hostes illos, de quibus indefinite loquutus fuerat. Dixerat quidem fore hostes sanguinarios, qui mortem appeterent, neque aliter possent saturari: hoc iterum repetit confirmationis causa: sed continuo post adjungit fore hostes illos milites regis Babylonii, nempe Chaldæos. Ergo velut digito ostendit Judæis cladem suam, ne secure indulgeant sibi ut facere solebant. Non igitur tantum generaliter pronunciat pœnas daturos, & venturos esse hostes qui crudeliter ipsos interficiant, sed designat exercitum regis Babylonii, nempe Chaldæos adesse, & tam instructos esse à Deo, & militare sub ejus vexillo, ut Urbem expugnent, ac perdant totum regnum. sed quia discesserant Chaldæi, hinc nata fuerat confidentia Judæis, & securitas, quandoquidem putabant se liberatus esse periculo. Hic autem discessus inde habuit causam, quod Ægyptii ut opem ferrent Judæis collegerant exercitum, vel potius, ut antevertendo sibi consulerent. Scimus fœdus fuisse illo tempore inter Judæos, & Ægyptios. Consilium autem utriusque populi fuerat sese munire contra regem Babylonium: Ægyptii non magnopere curassent Judæos, nisi alia ipsos ratio impulisset. Nam hoc satis notum erat, simulac bello Judaico perfuncti fuissent Chaldæi, irruptionem facturos esse in Ægyptum. Putabant autem hoc sibi fore utilius, si confligerent cum exercitu Babylonico adjuti ab ipsis Judæis: nam soli pugnassent si Nabuchadnezer potitus fuisset victoria: imo Judæi ipsi coacti fuissent præstare operas in subigenda Ægypto. Quum ergo ad secum expenderent Ægyptii, collegerant magnas copias. Babylonii audito rumore profecti sunt: ita relicta fuit Urbis obsidio. Judæi exultarunt quasi evanuisset totum periculum. Ergo Propheta deridet eorum stultitiam, quod putent se jam fore in pace & otio, quoniam *ascenderunt ab ipsis* Chaldæi, hoc est, Urbem ad tempus reliquerint, & ascenderint in Ægyptum. *Quamvis* ergo (nam adversative legenda est hæc particula) *ascenderint à vobis*: tamen Deus tradet vos in eorum manum. Videmus autem neque Regi, neque Proceribus parcere Jeremiam: & ita observanda est virtus Spiritus sancti quæ viguit in Prophetarum cordibus, quia intrepide aggressi sunt non tantum vulgus, sed Reges ipsos & qui pollebant summa auctoritate. Quum ergo Prophetam videmus tanta magnitudine animi Regi & Proceribus denunciare Dei judicium, sciamus nullos esse idoneos ad regendam Ecclesiam, nisi qui præditi erunt hac constantia, ut neminem formident, ut nullius potentia exanimentur, quo minus summos cum infimis audeant aggredi. Sequitur,

22. Ecce ego præcipio, dicit Jehovah, & reducam eos ad urbem hanc, & expugnabunt eam, & capient eam, (*vel oppugnabunt eam, & capient eam*) & comburent eam igni: & urbes Jehudah ponent vastitatem absque habitatore.

Aliis verbis idem docet, sed non est supervacua repetitio, quia quod hic legimus incredibile erat Judæis. Extulerant enim cornua quum viderent regem Nabuchadnezer recessisse ab urbe. Ne igitur inanis hæc fiducia ipsos decipiat, iterum proponit illis Deum præesse bello. quasi diceret Chaldæos non temere arma sumpsisse, sed quoniam Deus ita statuerit, & quoniam ipsis præceperit. non loquitur autem de manifesto præcepto, quia animus non fuit Chaldæis Deo obedire, vel impendere obsequium: sed loquitur de arcana providentia. Deus ergo dicitur præcipere quum ejus instinctu moventur etiam impii, quos potest quocunque vult flectere: quemadmodum alibi dicitur, Sibilabo Ægyptiis, vel Assyriis, aut Chaldæis, ita etiam hoc loco, *Ecce ego præcipio.* Denique præcipit Deus impiis, præcipit morbis, præcipit gladio, præcipit fami & pesti: & tamen nullus est sensus in peste, in gladio, in fame: verum est, sed Scriptura docet omnia hæc ita subesse ejus imperio, ut attingere nos nequeant, nisi quatenus Deus ipsis vult nos castigare, vel humiliare. Et in eundem finem spectat particula הנני, *Ecce ego.* Deus ergo ostendit se adesse, quamvis Chaldæi jam non conspicerentur in terra Jehudah. Modum præsentiæ exprimit quum dicit, *Reducam eos ad urbem hanc, & oppugnabunt eam, & capient eam, & accendent eam igni.* Hæc alibi fuerunt exposita, ideo nunc levius prætereo.

Da omnipotens Deus, quando non cessamus assidue iram in nos tuam provocare, da, inquam, ut tuis admonitionibus territi, pareamus etiam sanis consiliis, & ita præveniendo vindictam tuam, quæ alioqui nos maneret, studeamus ita tibi reconciliari, ut vere experiamur te Patrem, & custodem salutis nostræ, donec tandem absoluto hujus vitæ cursu, perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis præparasti in cælo, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA TRIGESIMA-NONA IN JEREMIAM.

PRoxima lectione vidimus quod denunciabat Propheta Judæis, nempe sicuti perfide egerant cum servis suis, ita etiam Deum pœnas sumpturum, quia perpetuo futuri essent servi. Quod Nabuchadnezer progressus obviam fuerit Ægyptiis, erat quædam manumissionis species: putabant enim Judæi se postea fore liberos. sed quemadmodum luserant cum servis suis, ita Propheta ostendit eos longe falli, dum putant se perpetuo fore liberos: quia paulo post redibit Nabuchadnezer. ita denunciat sic addictos esse in servitutem, ut libertas illa, in qua gloriabantur, futura sit lusoria. Nunc sequitur,

Cap. XXXV.

SErmo qui factus fuit ad Jeremiam à Jehovah diebus Jehojakim filii Josiæ regis Jehudah, dicendo,

2. Vade ad domum Rechabitarum, & dices illis, *& loquere cum ipsis*, & adducas eos in domum Jehovæ ad unum cubiculorum, & propina illis vinum.

3. Et sumpsi Jaazaniah filium Jeremiæ filii Habazanijæ, & fratres ejus, (*hoc est, cognatos*) & omnes filios ejus, totam domum Rechabitarum:

4. Et adduxi eos in domum Jehovæ ad cubiculum filiorum Chanan filii Jigdaliæ viri Dei, quod erat juxta cubiculum Principum, quod erat è super cubiculo Maassajæ filii Sellum custodis thesauri. (*alii vertunt, liminis, sed sine ratione, ut mihi videtur.*)

5. Et posui in conspectu filiorum domus Rechabitarum (*vel coram filiis domus Rechabitarum*) scyphos plenos vino, & calices: & dixi, Bibite vinum.

6. Et dixerunt, Non bibimus vinum, quia Jonadab filius Rechab pater noster (*vel patris nostri*) præcepit nobis, dicendo, Non bibetis vinum vos, & filii vestri usque in seculum:

7. Et domos non ædificabitis, & semen non seretis, & vitem non plantabitis, & non erit vobis quicquam: quia (*hoc est, quin potius*) habitabitis in tabernaculis, cunctis diebus vestris, ut vivatis dies multos in superficie terræ in qua vos peregrini estis.

Primo notandum est prophetias non scriptas fuisse servato ordine temporis, quemadmodum ubi scribitur historia, oportet perpetuam seriem annorum & dierum fluere: sed alia est ratio in libris Propheticis, quemadmodum aliquando admonui. Prophetæ quum enim essent contionati postea, redigebant in summam quod pluribus verbis disseruerant. hæc charta solebat affigi Templi valvis, & ut quisque studiosus erat cælestis doctrinæ, describebat exemplar, & postea reponebantur chartæ illæ in archivis. hinc confecti sont libri qui nunc extant. Et quod dico potest certis & firmis rationibus colligi. Sed ne plura nunc nobis dicenda sint, hic locus ostendit vaticinium Jeremiæ, quod hic inseritur, non subsequutum esse proximam concionem: quia recitat quid jussus fuerit dicere, & facere tempore Jehojakim, hoc est, quindecim annis ante Urbis cladem. unde apparet quod dixi, Jeremiam non scripsisse librum qualis nunc extat, sed collectas fuisse ejus conciones & in unum volumen fuisse congestas, non adhibita temporum distinctione. Idem etiam colligere licebit ex vaticiniis quæ postea videbimus à cap 45. usque ad quinquagesimi finem. Nondum sub rege Jehojakim sic attritæ erant opes regni Jehudah, quin adhuc superbia inflati essent. quoniam ergo tunc securitas impediebat, quo minus attenti essent ad verba Prophetæ, oportuit visibile signum illis proponi, quo pudefierent. Deus ergo voluit ostendere quam inexcusabilis esset eorum pervicacia: hic fuit vaticinii finis, & Propheta hoc consilio jussus est vocare Rechabitas & vinum illis bibendum proponere, ut magis probrosa esset populi pervicacia, quod non posset adduci ad legitimum Dei obsequium, quum tamen Rechabitæ tam morigeri essent patri suo, homini mortali & qui jam fere tribus ante seculis mortuus fuerat. Rechabitas existimant genus duxisse ab Obad & Jethro socero Mosis. Sunt tamen qui existimant eundem fuisse Obad & Jethro. Sed conjectura illa mihi non videtur probabilis. quicquid sit, putant Interpretes Rechabitas fuisse posteros Obad, qui sequutus est Mosen, & Israëlitas. Et videtur eorum opinio confirmari, quia hic in persona Jonadab dicitur illos peregrinatos fuisse in terra. Promissa quidem illis fuit hæreditas, sed ex plurimis Scripturæ locis apparet mala fide cum illis fuisse actum, quia dispersi fuerunt huc illuc per singulas Tribus. Ergo non potiti sunt hæreditate sicuti par erat, & meriti erant. Et videmus etiam fuisse versatos inter gentes exteras. Quantum attinet ad Jonadab cujus hic fit mentio, legimus libro secundo Regum, cap. 10. fuisse virum magnæ au-

2 Reg 10. vers. 15.

ctoritatis, quia Jehu quum regnare inciperet, habuit tanquam socium regni, quamvis esset peregrinus. Oportet igitur fuisse in maxima gratia, & præditum etiam potentia fuisse, & opibus inter Israëlitas. Et certum est eundem fuisse illum Jonadab, de quo illic loquitur Sacra historia, quoniam vocatur filius Rechab: & tamen fluxerunt anni trecenti, vel circiter ab illo tempore usque ad regnum Jehojakim. Hoc de origine hujus familiæ aut generis, quod scilicet primus auctor fuerit Obad, ex eo fuit progenitus Rechab cujus filius Jonadab vixit tempore regis Jehu, & sublatus in currum fuit tanquam ab ipso secundus, quum scilicet nondum Jehu haberet opes suas bene stabilitas. Tunc autem concesserant Jerosolymam propter assiduas calamitates terræ Israël: erat enim exposita continuis rapinis, & id postea videbimus in contextu. habitabant igitur filii Rechab in regno Israël. Sed quum multæ incursiones hostium vastassent terram illam, & instaret etiam ultima clades, Jerosolymam profecti sunt relictis tuguriis. Neque enim licebat illis colere aut agros, aut vites, quemadmodum postea videbimus. habitabant igitur Rechabitæ in urbe Jerusalem, quæ ipsos protegeret ab incursu & violentia hostili: sed tamen retinebant priscum morem, ut essent abstemii, deinde ut neque agros neque vites colerent. Licebat quidem ipsis habitare in ædibus, quoniam non reperissent locum vacuum in Urbe, ubi fixissent sua tentoria, vel tuguria. Sed hoc pro temporis necessitate factum erat. Interea parebant mandato patris sui Jonadab, quamvis trecentis jam annis mortuus fuisset. Sed tamen sic reverebantur patris sui memoriam, ut sponte abstinerent à vino, & colerent non modo frugalem vitam, sed austeram. Nunc jubetur Propheta *ipsos adducere in Templum, & vinum illis propinare.* Breviter exposui Dei consilium hac in re, nempe quod voluerit Judæis objicere Rechabitas in probrum, quod familia illa patri suo obsequebatur post mortem: Judæi autem non poterant adduci ut sese imperio Dei vivi subjicerent, qui tamen erat unicus omnium Pater. Jubetur ergo Propheta *eos adducere in Templum, & calices ac scyphos vino plenos porrigere ut bibant.* Dicit *eos recusasse*, & ratione adducta, quod scilicet *Jonadab pater ipsorum id vetuisset.* Postea videbimus applicationem exempli. neque vero possunt omnia simul dici. Expendamus igitur Prophetæ verba. dicit *sibi datum fuisse sermonem diebus Jehojakim:* quum scilicet jam pluribus annis expertus esset quam indomiti essent Judæi, & quanta esset ipsorum ferocia. Multum ergo laboris insumpserat Propheta, neque tamen subacti

suo-

fuerant, ut Dei jugum susciperent. Quum ergo jam per annos complures dedissent multa signa suæ contumaciæ, Deus Rechabitas excitat tanquam testes, qui exemplo suo demonstrent inexcusabiles esse, quod tam rebelles & immorigeri essent Prophetæ mandatis. *Vade ergo ad domum Rechab*, inquit, (diximus tunc ipsos habitasse Jerosolymæ, & postea id clarius patebit) *& adducas eos in domum Jehovæ.* Nunc videndum est cur Propheta potius jussus fuerit vinum Rechabitis porrigere in Templo quam in privato loco. Sed ratio in promptu est. Deus enim voluit ostendere quam pravo ingenio essent Judæi, quia ne ipsi quidem Sacerdotes à vino abstinebant. Non semper quidem, sed quum peragerent vices

Levit. 10. vers. 9.

suas, Lex jubebat sibi à vino temperare: atqui Levitæ qui excubias agebant in Templo, deinde Sacerdotes qui non erant in ordine suæ functionis, vinum libere bibebant. Quum ergo sibi permitterent Sacerdotes vinum bibere etiam in Templo, hoc est, in cubiculis quæ adjacebant atrio Sacerdotali: quænam excusatio prætexi potuit quum Rechabitæ, qui tamen erant ex vulgo, imo erant quasi peregrini inter Judæos, vinum rejicerent ex præcepto Jonadab patris sui? Si Deus usum vini abstulisset toti populo, poterat videri hæc esse lex nimis rigida: sed Deus non modo permisit populo vinum bibere, sed ipsis Sacerdotibus: imo nulla religio vetabat, quin vinum prope Templum biberent si non obibant vices suas. Nunc ergo tenemus cur expressa fuerit circumstantia loci, dum scilicet recitat Propheta se adduxisse Rechabitas in Templum. *Vade ergo, & adducas eos in domum Jehovæ ad unum ex cubiculis, & propina illis vinum.* Diximus atrio Sacerdotali annexa fuisse cubicula. nam multi semper Levitæ excubias agebant ad custodiam Templi; deinde quidam ex Sacerdotibus. Sacerdos qui habebat proprias vices abstinebat solus à vino: sed Levitis per Legem concessum erat vinum bibere, & quidem in ipsis cubiculis, quæ tamen erant tanquam Templi appendices ab utroque latere scilicet. Jam adjungit Propheta *se sumpsisse Jaazaniam*, qui præcipuus erat, & tanquam caput gentis. Et nominat ejus patrem, nempe *Jeremiam filium Habazanijæ.* postea adjungit *totam domum.* Dicit *se adduxisse ipsos in Templum ad cubiculum filiorum Chanan filii Jigdaliæ viri Dei.* Non dubium est quin Propheta locum celebrem elegerit; ut fama per totam Urbem manaret, atque etiam totam Judæam; deinde ut ipsa loci dignitas fidem faceret. Scimus enim quod in obscuro aliquo angulo geritur, posse repudiari tanquam dubium aut fabulosum. Sed Propheta adduxit Rechabitas in locum nobilem, nempe *in cubiculum filiorum Chanan.* Et postea adjungit *illum fuisse filium Jigdaliæ viri Dei.* Non dubium est quin tanta fuerit hujus viri reverentia, ut nemo tunc auderet revocare in dubium, quod illic gestum fuerat. Deinde adjungit *cubiculum illud fuisse contiguum Principum cubiculo, quod erat supra cubiculum custodis Thesauri.* quidam vertunt, Limen, ut dixi: sed proprie Vas significat. hic autem accipitur pro sacra supellectile: & mutatio est numeri. comprehendit enim hoc nomen omnia Templi vasa. Videmus ergo locum fuisse delectum, qui præ aliis excelleret, ut esset quasi illustre theatrum, & ita prophetia plus haberet fidei apud omnes Judæos. Dicit *se posuisse vinum coram ipsis, & hortatum fuisse ut biberent, quum appositi essent pleni scyphi & calices.* Postea adjungit ipsos recusasse, *Non bibemus vinum, quia Jonadab pater noster præcepit nobis, dicendo, Ne bibatis vinum, ne ædificetis domos, ne semen seminetis, & vites ne plantetis, nec quicquam sit vobis proprium.* Videmus quatuor mandata fuisse Rechabitis à patre, *Ne biberent vinum, ne agros aut vites colerent.* hæc tria sunt: quartum vero, *ne domos extruerent*, sed contenti essent tuguriis. hic additur promissio etiam, *ut vivatis longo tempore super terram in qua estis peregrini.* Promittit ergo filiis suis & posteris Jonadab longam vitam si paruerint suis præceptis, ut sint tota vita abstemii, & nihil possideant, neque domos ædificent. Quod dicunt se obedientes fuisse patris præcepto, postea excutietur, quandoquidem non possumus omnia semel complecti. Sed nunc videndum est, an Jonadab recte fecerit qui abstulit usum vini suis posteris, & vetuit agros colere. Nam agricultura per se ratio vivendi est non modo pura & innoxia, sed etiam quæ remota est ab ambitione, à fraudibus, à rapinis: denique inter genera vivendi hoc videtur esse in primis simplex & sincerum. posset igitur hic reprehendi consilium Jonadab, qui filios suos retraxit ab agricultura. Sed probabile est quum videret Judæos & Israëlitas Legem Dei sui contemnere, cogitasse de vindicta, quæ tametsi longo post tempore sequuta est, tunc jam metuenda fuit. Deinde videbat fontes vitiorum, nempe quod Israëlitæ præcipue lautitiis essent deditis, & sine fine & modo luxuriarentur, quemadmodum satis ex Prophetis apparet. Quum ergo videret terræ corruptelas ab una parte, & simul timeret à pœna, voluit suos posteros assuefacere ad rationem vivendi austeram, quod scilicet facilius huc vel illuc migrarent: deinde ut æquiore animo ferrent siquid adversi contingeret, quod scilicet neque essent divites, neque assueti deliciis. Jonadab ergo non damnavit agriculturam, neque etiam usum vini, neque commodas habitationes, dum suos posteros jussit contentos esse tuguriis & aqua, & voluit ipsos triticum emere, & tantum colere pastoralem vitam; sed aliud spectavit, quemadmodum diximus. Hoc igitur primo loco tenendum est. Sed simul observemus posteros Jonadab non vixisse ex rapinis, vel obtorpuisse in suo otio. Erant enim pastores qui magno labore & multis vigiliis victum sibi acquirebant. Sed voluit pater Jonadab ipsos quodammodo segregatos esse à communi vita propter corruptelas quæ invaluerant, & quas videbat sic ante oculos suos grassari ut in posterum non dubitaret, quin magis ac magis se Israëlitæ projicerent ad omnem luxuriem: atque ita pessum iret omnis integritas. Hæc igitur ratio est cur Jonadab retraxerit à communi vivendi ratione suos posteros. Neque tamen laudatur ejus consilium, sed tantum obedientia quam filii præstiterunt, hic in exemplum proponitur, ut pudeat Judæos, quod tam pervicaciter respuant Dei Legem, & Propheticam doctrinam. Est autem argumentum sumptum à minori ad majus. Nam si tantum valuit hominis mortalis auctoritas apud posteros, ut à vino abstinuerint, deinde non tantum frugaliter vixerint, sed pertulerint multas miserias, frigus scilicet, deinde inopiam multarum rerum: quales decuit Judæos esse, quum Deus illis præciperet quod rectum & facile erat? hoc unum est, nempe quod confertur Deus cum homine mortali; deinde altera comparatio, quod valuerit trecentis annis præceptum illud, & retinuerit posteros in officio: Dei autem Lex quæ assidue in auribus populi resonabat, nihil habuerit vigoris ad ipsos movendos. hæc est altera comparatio. Tertia, quod Deus adhibuerit æquitatem, ne scilicet nimis urgeret Judæos, ita ut rigor ipse posset gignere Legis odium vel tædium parendi. Quum ergo Deus moderatus sibi fuerit in Lege sua, ne quid flagitaret à populo nisi quod erat facile toleratu: dicit Jonadab fuisse rigidum & austerum, quia scilicet vetuerit usum vini: deinde non permiserit suis posteris agros colere, neque etiam ædes habitare. Hæc igitur triplex comparatio tenenda est, vel tres istæ partes similitudinis expendi debent, quod scilicet Deus non extorserit à populo suo, quod Jonadab obtinuit à suis posteris: deinde quod Deus assidue clami-

clamitans nihil profecerit, quum reverentia hominis mortui continuerit posteros in officio: adhæc quod Lex Dei quæ tamen non flagitabat nisi quod esset tolerabile, à Judæis tam contumaciter rejecta fuerit, quum Rechabitæ in honorem patris mortui sustinuerint se privari omnibus deliciis, & non exhorruerint austerum & agreste & quasi immane vitæ genus, non tantum quod essent abstemii, sed quod etiam non auderent frigus arcere aliqua commoditate ædium, & quod prohiberentur ab omnibus vitæ commodis. Quod autem jubetur Propheta illis vinum porrigere, & recusant, hic quæritur, an laudabilis fuerit hæc in parte eorum continentia. Visi enim sunt ita præferre Jonadab Deo, quia sciebant Jeremiam divinitus esse missum, qui ipsis vinum offerret. Sed minime dubium est, quin Rechabitæ se modeste excusaverint, quum dicerent sibi non esse fas vinum gustare, quod à patre suo prohibiti essent. Non fuit igitur illis propositum plus deferre honoris patri suo, quam Deo, vel ejus Prophetæ: sed simpliciter responderunt excusationis causa, se jam annis trecentis fuisse abstemios, hoc est, totam illam familiam abstinuisse à vino. hæc igitur solutio est quæstionis. Quod autem Papistæ nobis Rechabitas objiciunt, primum ut tyrannicas suas leges confirment, deinde ut liceat ipsis miseras conscientias pro libidine tractare, nimis frivolum est: quemadmodum jam dixi, non laudatur consilium Jonadab, acsi recte prohibuisset filios suos ab usu vini: sed tantum de filiis ipsius agitur, quod reverenter & modeste paruerint mortui patris imperio. Ergo non suffragatur hic locus Papistis, acsi ejus finis esset obstringere conscientias fidelium suis legibus: quia tantum hoc agitur, Rechabitas sua obedientia testatos esse, quam turpis & scelerata esset pervicacia populi, quod minus scilicet reverentiæ & honoris deferret Deo vivo, quam illi homini mortuo. Sed tamen Papistæ in altero capite insistunt, nempe quicquid traditum est à Patribus, esse servandum: & ita ratiocinantur, Major est totius Ecclesiæ auctoritas, quam hominis privati: atqui laudantur Rechabitæ quod privati hominis mandato obsequuti sint: ergo multo magis obediendum est legibus Ecclesiæ. Respondeo, parendum esse Patribus, & toti Ecclesiæ: neque hac de re litigamus cum ipsis. Nam non simpliciter dicimus, quicquid homines tradiderint rejiciendum esse: sed negamus obediendum esse legibus hominum, si conscientias ligent ulla necessitate. Ubi ergo injicitur nobis religio, jam homines ad se rapiunt quod proprium est unius Dei. Ita violatur Dei imperium ubi homines tantum sibi arrogant, ut velint conscientias suis legibus obstringere. Distinguendum igitur est inter leges politicas, hoc est, quæ feruntur tantum ordinis servandi causa, vel propter alium finem, & leges spirituales, quæ feruntur ad Dei cultum, & ex quibus injicitur religio, & necessitas conscientiis. Sed non possem nunc absolvere, quia video jam horam præteriisse.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos adoptare in filios, deinde etiam ostendere quid tibi placeat, ut simus tibi per omnia morigeri, neque unquam deflectamus vel ad dextram, vel ad sinistram: & quum etiam assidue nos ad obsequium horteris, atque exstimules, da ut placida Spiritus mansuetudine nos tibi regendos sic tradamus, ut hoc modo probemus nos esse filios tuos, & glorificemus te ut Patrem, donec potiamur æterna illa hæreditate, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA

IN

JEREMIAM.

Diximus proxima lectione proponi exemplum Rechabitarum, non ut simpliciter laudetur eorum obedientia, acsi esset eximia quædam virtus, sed tantum ut Propheta Judæis exprobret, Deo viventi minus honoris haberi apud ipsos, quam Rechabitæ detulerint patri suo mortuo. Et certe hæc comparatio potuit reddere detestabiles Judæos, quod non possent adduci ad Dei obsequium, quum tamen ante ipsorum oculos essent Rechabitæ. Diximus etiam non eo consilio Jonadab interdixisse posteris suis, ne vinum biberent, ne sererent agros, aut plantarent vites quasi vellet instituere novum aliquem Dei cultum, vel obstringere ipsorum conscientias: sed hoc ideo fecisse, quia utile erat ejus posteris sic peregrinari in terra, ut non essent affixi suis possessionibus, & inter varias mutationes semper attenti essent & quasi accincti ad migrandum. Hinc ostendimus inscite Papistas torquere hunc locum ad stabiliendas tyrannicas leges, quibus fingunt contineri spiritualem Dei cultum, & quibus etiam miseras animas opprimunt, quia nulla est similitudo vel affinitas inter mandatum Jonadab, & inter leges illas, quæ feruntur ad spiritualem Dei cultum instituendum. Nam præceptum Jonadab primo non eo spectavit, ut à posteris suis exigeret abstinentiam vini quasi rem necessariam, sed alio respexit. Jam quod præcipitur in alium finem, sicuti non est necessarium, ita non opponitur Dei verbo. Neque enim tunc libertas conscientiis eripitur. deinde Jonadab non voluit ad se trahere jus & imperium Dei, acsi esset spiritualis *Legislator*: sed politicum fuit præceptum duntaxat. Hinc apparet quam dissimilis sit ratio inter hoc præceptum, & inter tyrannicas leges, quibus oppressa fuit libertas sub Papatu. Quod si jocari libeat, mirum est tantopere Papistas gloriari hoc exemplo, quod tamen nullus eorum unquam imitatus est. nam etsi habent Monachi apud ipsos leges rigidas & austeras in victu & potu, sanctissimi tamen quique eorum nunquam voluerunt observare hoc præceptum, & nullus etiam fuit Chartusianus, vel Cælestinus qui vellet se subjicere huic necessitati, ut esset abstemius. Si ergo illis tantopere placeat hæc virtus Rechabitarum, cur non abjiciunt usum vini? sed hoc serio non dixi: quantum attinet ad rem ipsam, solutio certa est & expedita, non laudari Rechabitas acsi patri suo obtemperassent tanquam Deo: sed quia obedienter amplexi sunt quod pater ipsis mandaverat, quoniam erat civile duntaxat præceptum: deinde spectabat in alium finem: neque exigebat abstinentiam vini, & aliarum rerum propter se. Et uno etiam verbo Paulus definit hanc controversiam. *Ephes. 6.*
quum enim liberos hortatur, ut pareant suis patribus, temperat sententiam illam, addita particula, *vers. 1.*
In Domino. Videmus ergo ut Paulus non generaliter, vel absque exceptione jubeat filios obedire parentibus, sed ita ut Deus, qui summus est & unicus omnium Pater, retineat suum imperium: & patres terreni non tantum sibi imperii usurpent, ut conscendant ipsius Dei tribunal, acsi essent *Legislatores* in animas. Nunc pergamus.

8. Et

8. Et audivimus in voce (*hoc est, obedivimus voci*) Jonadab filii Rechab patris nostri, secundum omnia quæ mandavit nobis, ne biberemus vinum cunctis diebus nostris, nos, uxores nostræ, filii nostri, & filiæ nostræ:

9. Et ne ædificaremus domos in quibus habitaremus, & ne vitis, vel ager, vel semen nobis esset: (*ad verbum, & vitis, & ager, & semen non erunt nobis*)

10. Et habitavimus (*Quin potius: est enim copula resolvenda in adversativam particulam. Quin potius habitavimus*) in tabernaculis, & obedivimus, & fecimus secundum omnia quæ præcepit nobis Jonadab pater noster.

Pluribus verbis explicat Jeremias quod potuit breviter perstringi, nempe ut amplificet constantiam Rechabitarum. fieri enim potest, ut quispiam patri suo obediat, sed non ita fixuerit in proposito, quin levi aliqua occasione possit abripi, ut ab officio suo deficiat. Jeremias hic ostendit talem fuisse perseverandi alacritatem in Rechabitis, ut vino proposito non fuerint tamen illecti: sed acsi nulla tentatio illis esset objecta, retulerint mandatum patris sui, qui tamen aliquot ante seculis mortuus fuerat, quemadmodum ante visum fuit. Dicunt igitur *se audivisse vocem Jonadab filii Rechab patris sui*: deinde addunt, *secundum omnia quæ præcepit nobis*. Iterum commemorant quid mandaverit Jonadab. & huc pertinet membrum istud, *secundum omnia*. Nam si tantum jussisset esse abstemios, erat illud difficile & asperum: sed voluit ipsos adstringere ad vitam erraticam, ut tantum tegerentur tuguriis: deinde ne quid possiderent. Quum igitur non uno in genere probaverit Jonadab obsequium domus suæ, hinc clarius apparet quanta fuerit in ipsis parendi alacritas & constantia. Primum ergo dicunt, *ne biberemus vinum*: deinde addunt, *cunctis diebus*. Scimus enim
Num. 6. vers. 4. Nazarenos fuisse prohibitos à potu vini, sed ad tempus, donec perfuncti essent suo voto. Scimus etiam, quum vices suas perageret aliquis Sacerdos, ad tempus caruisse vino. Sed postea redibant tam Sacerdotes quam Nazaræi ad communem victum. Fuit igitur hoc longe difficilius tota vita non gustare vinum. Nec dubium est quin Propheta collegerit istas particulas ut majore odio premeret Judæos, qui in re æquissima, nec tam molesta, Deo tamen essent immorigeri ut videbimus. Dicunt, *nos, uxores nostræ, filii nostri, filiæ nostræ*: quasi dicerent, Præceptum hoc viguit semper in familia nostra, & quod nobis per manus traditum fuit à patribus, hoc sumus sequuti ad hunc usque diem, sicuti etiam patres nostri obedierunt mandato hominis mortui, quia voluntas ejus illis fuit exposita. Addunt, *ne domos ædificaremus*, ad verbum, ad inhabitandum nos, hoc est, in quibus habitaremus. Licuit ergo Rechabitis domos extruere, hoc est, operas suas locare aliis: sed oportuit suis tuguriis esse contentos, & tenuiter illic victitare. Poterant igitur extruere aliis splendida palatia, ut victum sibi acquirerent ex suo labore: sed non licuit ædes incolere, quoniam hoc unum erat ex præceptis. Addunt, *& vitis, & ager, & semen ne sit nobis*. Si expendimus quam dura fuerit hæc conditio, non abs re laudabimus constantiam in Rechabitis, quod absterriti non fuerint quum viderent se in tam angustas miserias adigi. Sed tamen præcipue attendere convenit ad Prophetæ consilium, nempe nimis turpem esse contumaciam in Judæis, qui Dei præcepta audeant spernere, & pro nihilo ducere, quum tanta fuerit hominis mortalis, atque etiam mortui auctoritas apud posteros. Dicunt ergo *se habitasse in tabernaculis, & paruisse secundum omnia quæ præceperat Jonadab pater ipsorum*. Sequitur,

11. Et factum est quum ascendit Nabuchadnezer rex Babylonis in terram, tunc diximus, Venite, ingrediamur Jerusalem à facie exercitus Chaldæorum, & à facie exercitus Assyriorum, (*alii vertunt Syriæ, sed* ארם. *quamvis aliquando restringatur ad Syriam, comprehendit tamen Mesopotamiam, & alias regiones*) & habitavimus Jerusalem.

Hinc apparet fuisse utile Rechabitis quod pater ipsis mandaverat. nam fuissent affixi suis possessionibus: & ita tracti fuissent in exilium cum reliquis, ubi scilicet regnum Israël periit, & abductæ sunt in alias regiones decem Tribus: idem factum esset Rechabitis. Quia autem nihil erat ipsis proprium, hinc liberior fuit migratio. neque enim illis triste fuit relinquere suas possessiones, quæ nullæ erant. Scimus multos ita addictos esse suis ædibus, & agris, & vitibus, & pratis, ut malint centies occidi, quam inde avelli. Pluris siquidem sunt illis amœnæ possessiones, & fertiles agri, quam propria viscera. Bene ergo posteris suis consuluit Jonadab filius Rechab, quum voluit agere sub tuguriis, ita ut uno die traherent sua omnia secum, quemadmodum celebratur dictum illud Biantis. Paupertas igitur illis fuit valde utilis: deinde austeritas vitæ ipsos adjuvit, ne molestum esset Jerosolymæ habitare, neque enim opus fuit multis lautitiis. Si assueti fuissent vino & aliis deliciis, poterant secum disputare an præstaret semel mori quam esurire in urbe obsessa. Cæterum, quoniam frugaliter vixerant, imo fuerant semper assueti austeræ vitæ, ideo nulla anxietas ipsos tenuit quo minus secure venirent Jerosolymam. Putarunt enim se tenuem & sordidum victum posse acquirere suo labore. Hinc ergo apparet quid spectaverit Jonadab, quum interdixit posteris suis tam vini potum, quam agros & vineas. Jam enim tunc potuit prospicere quam duræ conversiones instarent. Ergo voluit sponte ita exerceri suos posteros, ut quum urgeret necessitas ne succumberent oneri: sed patienter ferrent esuriem, & alia incommoda, quæ aliis intolerabilia fuerunt, quum scilicet semper illis in mentem venirent pristinæ deliciæ. Diximus ergo, *Venite, & ingrediamur Jerosolymam à facie utriusque exercitus*. Quum ergo retenti fuerint Israëlitæ suis agris, & copiis domesticis, Rechabitæ profecti sunt Jerosolymam & ita fuerunt exempti periculo. Nunc sequitur,

12. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam, dicendo,

13. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Vade, & dic viro Jehudah, & incolis Jerusalem, Annon recipietis disciplinam, (*vel correctionem*) ad obediendum sermonibus meis, dicit Jehovah?

14. Stabiliti sunt sermones Jonadab filii Rechab, quos mandavit filiis suis ne biberent vinum: & non biberunt usque ad hunc diem: quia obedierunt mandato patris sui: ego

ego autem loquutus sum ad vos mane surgens, *vel mane surgendo*, & loquendo, & non obtemperastis mihi.

15. Et misi ad vos omnes servos meos Prophetas, mane surgendo & mittendo, (*mane surgens & mittens*) dicendo, Convertimini agedum quisque à via sua mala, & bonas facite actiones vestras: & ne ambuletis post deos alienos ad serviendum ipsis, (*ut serviatis ipsis*) & habitabitis in terra quam dedi vobis, & patribus vestris, & non inclinastis aurem vestram, & non obedivistis mihi.

Hic accommodat Jeremias exemplum quod narravit, ad causam præsentem. Subjicitur anim Dei querimonia, quod minore in pretio sit apud populum suum, quam fuerit Jonadab apud suos posteros. Dicit igitur, *Vade, & alloquere viros Jehudah, & incolas Jerusalem.* Quo efficacior sit objurgatio, inducit Propheta Deum loquentem. Vult igitur denunciari hoc Judæis Deus suo nomine, & quasi in sua persona: *Annon*, inquit, *recipietis disciplinam, ut obediatis mihi?* מוסר interdum simpliciter accipitur pro regimine, vel gubernatione: sed interdum significat correctiooem. Minime autem dubium est quin Deus hic reprehendat in Judæis ferociam illam, in qua pridem obduruerant: quasi diceret, Nunquam vobis libebit redire ad sanam meotem? Quoniam ergo fuerant longo tempore indomiti, & vagati post suas concupiscentias tanquam effrenes bestiæ: ideo ponitur hæc correctio: quasi diceret, Semperne intemperanter lasciviet hic populus, ut jugum non suscipiat? Dicit, *ad obediendum mihi.* Deus ostendit se nihil iniquum postulare à Judæis, ut honesta excusatio prætendi queat, acsi nimium esset rigidus: Ego tantum, inquit, postulo, ut mihi obediatis: hæc scilicet est mea severitas. nam amabilis regula mansuetudinis qua erga vos utor. Quum igitur nihil aliud exigam, nisi quod ultro debent filii suis patribus, etiamsi non moneantur, qui fit ut hæc moderatio vobis tantopere displiceat, neque ullo modo possit à vobis admitti? Postea adjungit, *Stabilita fuerunt verba Jonadab apud filios: populus autem hic non paret mihi.* Sed quemadmodum proxima lectione diximus, specialiter attingit Propheta circumstantias quasdam, quod scilicet obedierint Rechabitæ imperio patris sui, quum vetaret vinum bibere: hoc fuit durum: *non biberunt*, inquit, *usque ad hunc diem.* Quid autem ipse à filiis suis postulabat? tantum ut Legem suam amplecterentur, non errarent post deos alienos, quemadmodum subjicit. Ergo subest antithesis inter difficile illud præceptum Jonadab, & inter æquitatem Legis, quum Deus nihil aliud populo suo mandavit, nisi ut inter ipsos pure coleretur. Dicit, *Non biberunt illi vinum usque ad hunc diem*: quare? *nam obedierunt*, inquit, hoc est, nulla fuit religio in vini potu, sed tantum valuit apud ipsos mortui auctoritas, ut libenter usum vini rejicerent. Quoniam ergo simplex obedientia, hoc ast, studium pietatis tantum valuit apud Rechabitas, qui fit nunc, ut ego non audiar? *nam loquutus sum*, inquit, hoc est, non excusabile est peccatum populi ignorantiæ prætextu. *Ego enim loquutus sum.* Sed adjungit, *mane surgens & loquens.* Hic notatur assiduitas & diligentia. Jonadab semel hoc filiis suis mandavit: imperium illud quod poterat evanescere, perpetuo viguit in ipsorum cordibus, ita ut filii nepotes suos docerent. Atqui non semel tantum præcepit Deus quod rectum erat, sed *surrexit mane*, hoc est, sedulo ipsos prævenit. hac enim metaphora significat se non expectasse dum post diuturnam licentiam essent magis addicti suis vitiis. Scimus enim eos quibus permissa fuit ad multos annos libertas, non libenter postea cogi in ordinem, sed consuetudine fieri refractarios. Et hinc fit etiam ut necesse sit formare quasi ab infantia eos qui à nobis regendi sunt. nam si liberum illis esset pro libidine sua agere, postea nullis legibus posset coërceri lascivia. Deus ergo dicit *se mane surrexisse*, quia scilicet prævenit Judæos, ut una cum lacte imbiberent pietatem. Deinde adjungit se assiduum fuisse in illis docendis: *mane surgens & loquens.* Hoc participio significat se quotidie repetivisse eadem, ne scilicet oblivio à Judæis posset obtendi: *loquutus sum* ergo, nempe *mane surgens & loquens, & non obedierunt mihi.* Postea sequitur explicatio, quod scilicet Deus *miserit Prophetas.* alioqui promptum fuisset Judæis excipere, Deum nunquam ipsis apparuisse. Dicit igitur *se loquutum per suos Prophetas: Misi*, inquit, & quidem plures. Dicit, *cunctos servos suos*, quia si unus tantum Moses mandasset Judæis quod rectum erat, poterant tergiversari Legem fuisse sepultam, & se non tenere memoria quidnam Moses docuisset. Ergo ut talibus cavillis occurrat, dicit breviter *se misisse cunctos servos suos*, hoc est, misisse complures Prophetas ro numero, & ea multitudine, ut assidue personuerit in auribus populi Legis doctrina. Iterum repetit, *mane surgens & mittens dicendo:* quod scilicet nunquam destiterit illos & monere & hortari. qui autem alioqui tardi sunt, atque etiam refractarii, mansuescunt tamen ubi singulis diebus & horis revocantur ad officium. Quum ergo Deus ita institerit per suos Prophetas, hinc perspicitur furiosa contumacia populi, quod nunquam paruerit. Jam sequitur ipsa facilitas, quæ rursus aggravat ipsorum crimen. *Dicendo*, inquit, *Convertimini agedum quisque à via sua mala, & recta facite* (ad verbum bonificate) *opera vestra.* Hic ostendit Deus Legem suam in hoc differre à præceptis Jonadab, quia simpliciter à Judæis postulaverit quod ultro debuerant præstare. nam ut nulla Lex unquam fuisset scripta, dictabat tamen Judæis naturæ sensus, parendum esse Deo. nam Lex pietatis ita insculpta est cordibus nostris, quoad testimonium, ut nemo jure obtendat errorem, vel ignorantiam. Deus ergo hic commemorat se nihil postulasse, nisi quod natura ipsa dictabat, nempe ut resipiscerent Judæi, & vitam suam formarent ad regulam pietatis. etiamsi nemo fuisset apud eos Propheta, debuit tamen hac in parte sibi quisque esse doctor & magister. Sequitur, *Ne ambuletis post deos alienos ut serviatis illis.* Hæc admonitio clarius adhuc exprimit quanta fuerit Dei moderatio, nempe quia nihil aliud voluit quam retinere Judæos sub jure suo, & tutela, ut esset ipsis in patrem. Jonadab potuit exigere pietatis officia à suis posteris, & tamen permittere illis liberum potum vini, permittere agros & vites: voluit autem ipsos quasi abscindere è genere humano, ut deterior esset eorum conditio quam omnium gentium, & populorum, inter quos habitabant. Minime enim dubium est quin ludibrio fuerint vicinis suis, quin pertulerint multas contumelias, quin fuerint graviter vexati: Deus ostendit se abstinuisse ab illo rigido imperio & servitute intolerabili, nec aliud postulasse à populo suo, nisi ut illic agnosceretur pater. Quod ergo à Judæis non extorsit obsequium, & tamen Lex ejus ita moderata erat, hinc, quemadmodum dixi, clarius patet quam indomabilis fuerit malitia & pravitas illius populi. Rursus adjungit promissionem, quæ allicere ipsos sua dulcedine poterat, ut promptiores essent ad parendum. Si pro imperio mandasset, Convertimini à superstitionibus vestris, & pure me colite: jam hæc erat plena æquitatis doctrina. Sed ubi dignatur promissionem addere, qua Judæos inclinet ad studium parendi, & tamen nihil ab ipsis impe-

impetrat, iterum hac circumstantia detestabilius redditur crimen ipsorum. Videmus ergo singulis membris subesse pondus, & non esse supervacuum quod hic additur, *habitabitis in terra quam dedi vobis, & patribus vestris.* Deus hic beneficium suum commendat: deinde promittit perpetuam ejus fruitionem, si pareant Judæi. Dicit *se dedisse terram illam ipsis, & eorum patribus.* Si nunquam gustassent Dei bonitatem, sola tamen promissio debebat ipsos accendere, ut ejus imperio se subjicerent. sed Deus jam liberalis erga ipsos fuerat. Ergo experientia potuit illos convincere, quia sciebant se non alio jure adeptos fuisse terram promissam nisi quoniam divinitus promissa fuerat. Sciebant valida Dei manu dejectas fuisse omnes gentes, in quarum locum ingressi fuerant. Quum ergo experti essent Deum tam beneficum, & promitteret in posterum se eundem fore qui fuerat, quanta fuit & quam belluina hæc rabies non posse flecti ad obedientiam? *Est* igitur hæc quoque circumstantia magni ponderis, quum exprobrat Deus se terram ipsis & eorum patribus dedisse. Adjungit, *Non inclinastis aurem vestram, & non obedivistis mihi.* Diximus alibi quid valeat hæc loquutio, Non inclinare aurem. opponitur enim inscitiæ & errori. Deus ergo hic deliberatæ malitiæ damnat Judæos, quia obstinato animo rejecerint Legis doctrinam, & omnes admonitiones Propheticas. nam ubi proponitur doctrina ipsa, & Deus familiariter dignatur populum aliquem docere, hinc magis cognoscitur pervicacia, dum nihil proficitur. Ergo hic significat Deus non errore lapsos fuisse Judæos, quia satis tenebant quid rectum esset. Unde igitur tanta durities? nempe quia aures suas data opera obturaverint, hoc est, quia malitiose negaverint Deo obsequium, & fuerint quasi longa meditatione præfracti, ita ut nunquam reduci possent ad sanam mentem. Postea iterum sequitur,

16. Quoniam stabilierunt filii Jonadab filii Rechab mandatum patris sui, quod mandaverat ipsis: populus autem hic non audierunt ad me. (*hoc est, non obedivierunt mihi*)

Nihil novum hic dicit Propheta, sed confirmat superiorem sententiam, idque facit quo magis appareat rei indignitas, ubi scilicet ab una parte mortalis homo, & quidem vita defunctus, retinet posteros suos in officio, quia semel imposuit illis frenum in re ardua & molesta, Deus autem qui assidue compellat populum suum, & hortatur, mittit Prophetas, & non desinit ipsos ad se vocare, imo non tantum invitat eos, sed etiam blande allicit, proponit sua beneficia, spem facit in posterum: ubi ergo Deus omnia experitur, & sine profectu, hinc apparet desperata populi pravitas. Hæc est summa.

Da omnipotens Deus, quando non tantum semel nobis ac sæpius etiam testatus es per servos tuos quænam esset recta salutis via, sed Filium tuum unigenitum misisti, qui nobis esset doctor perfectæ sapientiæ: da, inquam, ut sic nos tibi subjiciamus, & ita consecremus tibi vitam nostram, ut qui mortuus est propter salutem nostram, & resurrexit, nos placide regat Euangelii sui doctrina: & sic studeamus te glorificare in hoc mundo, ut tandem participes simus cælestis gloriæ, quam nobis acquisivit idem Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-PRIMA

I N

J E R E M I A M.

17. Propterea sic dicit Jehovah Deus exercituum, Deus Israël, Ecce ego adducam super Jehudah, & super incolas Jerusalem omne malum quod pronunciavi contra eos: quia loquutus sum ad eos, & non audierunt: & vocavi eos, & non responderunt.

Postquam ostendit Propheta Judæos exemplo Rechabitarum sic esse damnatos, ut nihil restaret ad defensionem, jam subjicit, quia inutile fuit apud ipsos verbum Dei, fore efficax contra ipsos. hæc summa est. *Loquutus sum ad vos*, inquit Deus, jam non amplius vos alloquar, sed loquar contra vos, hoc est, mandabo Chaldæis ut ministri sint atque exequutores meæ vindictæ. Videmus ergo quem ordinem teneat Propheta: non protulit hanc ultimam sententiam, quæ est instar fulminis, donec convicti essent Judæi: in eum finem spectavit comparatio quum diceret Rechabitas fuisse morigeros patri suo: Judæos autem sprevisse Legem Dei, & omnes Propheticas admonitiones. *Ego*, inquit, *adducam super Jehudam & super incolas Jerusalem omne malum quod loquutus sum adversus eos: quia loquutus eram ad ipsos & non audierunt.* Hic distinguit Propheta inter duas loquendi species. Deus enim Judæos fuerat alloquutus: sed simul etiam loquutus fuerat super eos vel contra eos. nam hic ponuntur duæ particulæ, quæ sunt inter se affines, sed tamen altera scribitur per א, altera per ע. Ergo sub una specie designat Propheta doctrinam, exhortationes & quæcunque faciunt ad pœnitentiam, nempe ut homines vel revocentur ad officium, vel retineantur in officio. Hic itaque unus est modus loquendi, quum Deus nos compellat, & ad se invitat. Alter autem modus restringitur ad minas, ubi Deus postquam expertus est se nihil proficere docendo & monendo, minatur & ostendit qualis vindicta nos maneat. Hic igitur locus apprime dignus est observatu, quia hinc colligimus, ubi homines repudiant sermonem quo docendi erant, non posse tamen effugere quin alter sermo, qui scilicet denunciat judicium Dei, sit efficax. Doctrina videbitur inutilis quando non recipietur ab hominibus, sed quisquis contempserit sermonem illum, sentiet tandem cum suo exitio non posse irritas fieri denunciationes, quibus confirmat & sancit Deus fidem sermonis sui. *Quoniam ergo non audierunt sermonem quem loquutus fueram ad ipsos, evenient quæcunque prædixi adversus eos.* Quod addit, *vocavi & non responderunt*, amplificat criminis atrocitatem, quia scilicet non simpliciter tantum ostenderit Deus quod utile erat in salutem, sed ipsos ad se vocaverit, imo inclamaverit: sed verba fecerit apud surdos, quia ipsi non responderint. Sequitur,

28 Domui autem Rechabitarum dixit Jeremias, Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Propterea quod audistis (*vel obedivistis*) mandato Jonadab patris vestri, & servastis omnia ejus mandata, & fecistis secundum omnia quæ præceperat vobis:

19. Propterea sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Non excidetur vir ex Jonadab filio Rochab, quin stet coram facie mea cunctis diebus.

Hic quo magis afficiat Judæos Propheta, mercedem promittit filiis Jonadab, quod patri suo ita obedierint. Promittit autem benedictionem à Deo: nec
Ephes. 6. vers. 2. mirum est, quia mandatum hoc, ut inquit Paulus, primum est, cui annexa sit promissio. Deus remunerationem generaliter promittit omnibus qui Legem observant: singula etiam mandata in genere spem habent ramunerationis: sed speciale hoc habet quintum Legis præceptum, Honora patrem tuum, & matrem tuam, ut vitam proroges, &c. Mirum igitur non est si Deus mercedem promittat Rechabitis, quia obsequentes fuerint patris sui mandato, quoniam id pollicitus fuerat in Lege. Sed quod Papistæ objiciunt, placere igitur Deo obedientiam, quæ Ecclesiæ præstatur, facile refellitur eorum commentum, sicuti diximus, quia si obsequuti fuissent Rechabitæ patri suo in re illicita, digni pœna erant; sed quia præceptom illud, quemadmodum ostendimus, non pugnabat cum Lege Dei, hinc factum est ut Deus probaret illam obedientiam. Leges autem quæ feruntur ad fabricandos commentitios cultus, sunt prorsus impiæ; nam continent in se idololatriam. Deus enim præscripsit qualiter velit à nobis coli. Quicquid ergo ex se proferunt homines, prorsus est impium, quia purum Dei cultum adulterat. deinde ubi necessitas conscientiis imponitur, servitus est tyrannica, ut diximus. Tale non fuit consilium Jonadab, quia mandavit posteris suis quod ipsis erat utile, & spectavit duntaxat usum præsentis vitæ, deinde non obstrinxit eorum conscientias, quia licuit ipsis migrara Jerosolymam, & habitara communi more in ædibus. Neque enim erexerunt sibi tuguria Jerosolymæ, sed usi sunt libere ædibus conductitiis: & tamen observarunt patris mandatum, nempe quia non præcise jusserat habitara in tuguriis, sed voluerat tantum ipsos manere expeditos, ut semper parati essent ad migrandum. Videmus ergo quam stulte torqueant Papistæ bunc locum ad tyrannicas suas leges. Maneat itaque sententia, placuisse Deo obedientiam Rechabitarum, quia naturæ sensus etiam hoc dictat, ut liberi parentibus suis subjecti sint: deinde scimus Deum sæpe mercedem rependere umbris virtutum, ut ostendat sibi placere virtutes ipsas. Nec dubium est quin hæc promissio, quemadmodum ante dixi, consulto data fuerit ut pungeret Judæos, quemadmodum dicitur in cantico Mosis, Provocabo eos in gente Deut. 32.
stulta: quia me provocarunt in iis qui non erant dii, vers. 21.
etiam vicissim me ulciscar, quia producam gentes, quæ ante non erant. Sic igitur nunc Deus ut magis exasperet Judæos, promittit se benedicturum Rechabitas, quia morigeri fuerint patri suo. *Non excidetur vir ipsi Jonadab*, hoc est, non excidetur vir ex progenie Jonadab, *stans* (ad verbum) *coram facie mea.* Sed quoniam obscura esset & ambigua illa brevitas, ideo interposui particulam, *quin stet coram facie mea.* Dicit autem *staturos coram facie sua*, non ut sint Sacerdotes vel Levitæ, quemadmodum quidam ex Rabbinis bunc locum restringunt ad sacerdotium, quia sæpe in Scriptura hoc Levitis tribuitur vel Sacerdotibus, quod stent coram facie Dei: ideo putant idem pronunciari de Rechabitis. sed illud est nimis coactum. Simpliciter ergo intelligit Deus superstites semper fore aliquos ex progenie Jonadab, idque singulari suo beneficio, ut appareat illorum obedientiam non carere justa mercede. hæc summa est. Sequitur,

Cap XXXVI.

ET fuit anno Joakim filii Josiæ regis Jehudah, fuit (*inquam*) sermo hic ad Jeremiam à Jehovab, dicendo,

2. Sume tibi volumen libri, & scribe in eo cunctos sermones quos loquutus sum ad te contra Israël, & contra Jebudah, & contra cunctas gentes à die quo loquutus sum ad te, à diebus scilicet Josiæ usque ad hunc diem.

Hoc capite narrat Propheta historiam memoratu dignam, & valde nobis utilem. dicit enim se Dei jussu scripsisse quæ in Templo prius docuerat: deinde summam illam se misisse per manum Baruch ut recitaretur in Templo, famam fuisse sparsam, & consiliarios Regis vocasse Baruch: & quum audiissent quæ scripta erant in volumine, retulisse ad Regem, tamen admonitum ab ipsis fuisse Baruch, ut se occultaret simul cũm Jeremia, ne Rex contra ipsos excandesceret, sicuti accidit. Rex enim indignatione statim compulsus, jussit abripi Jeremiam & Baruch, nempe ut tolleret eos è medio, sed fuerunt absconditi & protecti Dei gratia. Postea videbimus quid Rex sua contumacia profecerit, nempe quod audacius cœpit Propheta contra ipsum vociferari. Initio igitur capitis dicit Propheta *sibi datum fuisse à Deo sermonem, ut scriberet in volumine libri quæcunque prius loquutus fuerat.* Per Volumen libri intelligit volumen in quo scripturus erat. Neque enim hic ספר accipitur pro libro scripto, quia volumen illud erat nudum. oportuit igitur Prophetam dictare ministro suo Baruch. Et hæc ratio lo-
Psal. 40. vers. 8. quendi alibi etiam occurrit, sicuti Psalmo 40. Cæterum מגלה vocant Hebræi volumen ex veteri consuetudine. Neque enim habebant libros concinnatos, quales hodie habemus: sed habebant sua volumina. Et hoc nomen Latino etiam respondet. Sicuti enim מגלה vocant quod est implicitum, à גלל quod est volvere, ita etiam deductum est Latinum nomen à volvendo: vocamus *rolle*: & in Gallia etiam usi sunt hac scribendi forma. nam olim omnia vetera instrumenta, deinde actiones judiciariæ solebant scribi in voluminibus: & in veteribus archivis nihil reperitur quod non scriptum sit in volumine. Jubet igitur Deus Prophetam suum accipera volumen *ubi scribat*: deinde jubet *scribere sermones quos audierat ex ore ipsius Dei, & quos pronunciaverat super Israel, & super Jehudah*, & super alias etiam gentes. Hic primo loco videmus quisnam usus sit scripturæ, nempe ut quod alioqui evanesceret vel excideret ex memoria hominum, maneat & tradatur per manus: deinde ut etiam legatur: quoniam quod scriptum est, potest melius expendi per otium. Si quis loquatur duntaxat, quisque pro suo captu & pro attentione sua aliquid percipiet: verum quoniam labuntur sermones ex ore hominis, ideo major est scripturæ utilitas: quia si quod statim non fuerit intellectum repetitur, plus habet lucis: deinde quod hodie quispiam legerit, cras iterum poterit legera, & post annum, & plures annos. Quoniam ergo videbat Deus se quodammodo aerem verberasse quum loquutus fuerat per suum Prophetam, ideo vult eadem illa scribi quæ frustra Jeremias fuerat loquutus. Nec dubium est quin hoc modo &

Regem

Regem & Consiliarios & totum vulgus non solum ignaviæ, sed etiam socordiæ damnare voluerit, quod scilicet fructu caruerat omnis doctrina, quum tamen Jeremias tantum sumpsisset apud ipsos laboris, & tam fuisset assiduus & sedulus in officio docendi. Nunc ergo tenemus Dei consilium quum dicit, *Accipe tibi volumen, & scribe in eo.* Dicit, *cunctos sermones quos loquutus sum ad te.* Hoc ideo exprimitur ut intelligant Judæi Jeremiam non proferre sua commenta, sed fideliter tradere quæ ex ore Dei audierat. Dicit *super Israël, & super Jehudah.* Initio enim vaticinatus fuerat Jeremias contra decem Tribus: sed postquam excisum fuit regnum Israël, ab eo tempore cœpit duntaxat curam gerere residui populi: ita doctrina ejus specialiter directa fuit ad Judæos. Adjungit, *super cunctas gentes*, ut postea videbimus. Et inde etiam apparet prophetias non certo ordine temporis scriptas fuisse, ut nuper admonui: sed volumen fuisse compositum non servata serie: sic tamen ut liber hic contineat summam totius doctrinæ quam Jeremias toto functionis suæ cursu pertulit. Dicit, *à die quo cœpi tecum loqui: nempe à diebus*, inquit, *Josiæ usque ad diem hunc.* Functus autem fuerat Propheta docendi officio non tantum decem aut viginti aut triginta annis, sed quadraginta. Sequitur,

3. Si forte audiant domus Jehudah omne malum quod ego cogito ad faciendum (*hoc est, facere*) ipsis, ut revertantur quisque à via sua mala: & propitius sim iniquitati eorum, & peccato eorum.

Hic Deus finem consilii sui exponit, nempe ut periculum rursus faciat an sanabiles sint Judæi, quo doctrina Prophetica ipsis utilis sit in salutem. Utitur autem particula אולי, quæ est dubitantis, quia jam toties, & tam longo tempore, & tam diversis modis ostenderant se præfractos, ut vix ulla spes resipiscentiæ posset concipi. Deus tamen ostendit se non fatigari, modo aliqua adhuc gutta pietatis apud ipsos maneat. *Si* igitur *forte audiant*, inquit, *domus Jehudah omne malum.* Vidimus quomodo Propheta studuerit non modo minis terrere suos populares, sed suaviter adducere ad obsequium Dei. Cæterum hic loquitur Deus tanquam de hominibus perversis, & qui fere sunt intractabiles; quemad-
Psal. 18. modum dicitur in Psalmo, cum præfractis Deum
vers. 27. fore durum. tractat enim Deus homines prout fert cujusque ingenium. Quoniam ergo Judæi indigni erant quos Deus pro sua mansuetudine doceret tanquam filios, ideo hoc duntaxat facit illis residuum, ut minis territi aliquando resipiscant. *Si forte* igitur *audiant omne malum*, inquit. Nunc videmus cur tantum minas Deus attingat, quoniam hoc unum restabat apud homines tam obstinatos. Dicit *malum quod cogito facere.* transfert hic Deus in se quod nonnisi in homines competit. Neque enim apud se cogitat, vel deliberat, sed quia non possumus capere incomprehensibile ejus consilium, ideo interdum suscipit hominis personam: & hoc passim tritum est in Scripturis. Dicit autem *se cogitare quod pronunciat* verbo suo. nam quantisper Deus hortatur homines ad resipiscendum, quasi manum suam tenet suspensam, & locum pœnitentiæ relinquit. Dicit igitur se esse quasi in media deliberatione: quemadmodum si quis expectet an pareat qui offendit, ita Deus se transformat quodammodo in hominem quum dicit, *Ego cogito*, hoc est, Sciant non frustra sibi denunciari vindictam verbo meo: quia exequar quicquid nunc minatus sum, nisi resipiscant. Dicit, *ut convertantur quisque à via sua mala*, hoc est illud *audire*, cujus meminit, nempe ubi serio tanguntur homines, ita ut sibi displiceant in suis vitiis, & ex animo cupiant se Deo addicere. Adjungit promissionem, quia sine spe veniæ minime sperandum est ut homines resipiscant; quemadmodum sæpius dictum fuit. Sed repetendum est, quia pauci intelligunt non posse fidem separari à pœnitentia: atqui nunquam adduci poterit peccator ut vere ad Deum convertatur, nisi concepta spe veniæ, quia caput hoc est præcipuum: quemadmodum
dicitur in Psal., Apud te est misericordia, ut timea- Psal. 130.
ris. Ergo secundum communem usum dicit Pro- vers. 4.
pheta, si conversi fuerint Judæi, Deum illis fore propitium: quasi diceret non posse falli homines ubi resipiscunt, quia Deus sponte illis occurret, & erit ipsis placabilis. hoc enim unum est, quemadmodum diximus, quod animare nos potest ad studium resipiscentiæ, ubi statuimus Deum paratum esse ad dandam veniam. Dicit, *iniquitati & peccato.* Non dubium est quin Propheta duobus istis nominibus usus fuerit, ut ostenderet minime desperandum esse de gratia Dei, quamvis peccata peccatis cumulassent. Sequitur,

4. Et vocavit Jeremias Baruch filium Neriæ, & scripsit Baruch ex ore Jeremiæ cunctos sermones Jehovæ, quos loquutus est ad ipsum, in volumine libri.

5. Et præcepit Jeremias ipsi Baruch, dicendo, Ego detineor, (*vel sum conclusus*) non potero venire in domum Jehovæ. (*hoc est, in Templum.*)

6. Tu autem vade, & lege in volumine quod scripseris ex ore meo, sermones Jehovæ in auribus populi, in domo Jehovæ, in die jejunii: atque etiam in auribus totius Jehudah qui venerint (*hoc est, omnium Judæorum qui venerint*) ex urbibus suis, tu leges ipsis.

Hic narrat Propheta se dictasse servo Dei Baruch quæcunque prius docuerat. Minime autem dubium est quin suggesserit illo momento Deus quæ poterant alioqui deleta esse ex memoria Prophetæ. Neque enim semper omnia etiam quæ aliquando diximus occurrunt. Ergo ex tam multis sermonibus major pars fugisset Prophetam, nisi Deus rursum illi dictasset. Fuit igitur Jeremias medius inter Deum & Baruch, quia Deus Spiritu suo præivit, & gubernavit Prophetæ mentem ac linguam. Propheta autem duce Spiritu & magistro, recitavit quæ Deus jubebat. Baruch autem scripsit, & deinde promulgavit totam Propheticæ doctrinæ summam. Dicit igitur *se vocasse Baruch filium Neriæ, qui scriberet ex ore ipsius*, sed scriberet *cunctos sermones Jehovæ.* Iterum repetit Jeremias nihil ex sensu suo esse profectum. Videmus ergo non dictasse pro arbitrio quæ venirent in mentem, sed Deum suggessisse quicquid voluit scribi per manum Baruch. Adjungit postea *se mandasse ut Baruch recitaret in Templo quæ scripserat, quia detinebatur.* Existimant quidam fuisse clausum in carcere. & antehac eadem voce usus est, ubi narrabat se in carcerem fuisse conjectum à Zedechia. Verum quoniam Sacra historia nihil tale passum fuisse docet sub Jojakim, facile admitto divinitus fuisse prohibitum: non tamen ad certum oraculum restringo. Potuit enim id accidere vel Dei jussu, vel humanis impedimentis. si fuisse Prophetam in carcere credamus, quamvis posset egredi, abstinuit tamen. Quo enim major dabatur liber-

libertas, eo majori religione obstrictus fuit, ne scilicet violaret jus publicum. Sed quia alterum magis probabile, quoniam Dei manu detinebatur: quocunque id modo fieret, dicit *se non posse egredi*. & causam hanc adducit ne videatur privatim sibi cavere, & metu periculi transferre partes illas in Baruch. Ostendit igitur se non refugere hoc munus, quia sit odiosum, sed quia liber egressus non detur. Tu igitur, inquit, *vade, & recita in volumine*. Hic paratus est Propheta suscipere quicquid invidiæ erat, quia non jubet Baruch memoriter referre quæ ab ipso audierat, sed jubet proferre volumen & testari à quo fuerit scriptum, quemadmodum postea videbimus. Propheta igitur non declinat hic à periculo, nec substituit Baruch loco suo, ut pœnam subeat: sed diserte jubet ipsum recitare ex scripto. *Quæ ergo scripsisti ex ore meo*, inquit, *& quæ loquutus est Jehovah, tu hæc referas ad populum in Templo, in die jejunii*. dies hic electus fuit, primum quia tunc major erat populi frequentia, quemadmodum paulo post subjicitur, Referes non tantum in auribus civium sed totius populi: quia solebant confluere in Urbem festis diebus ad sacrificandum, ut satis notum est. Voluit igitur Deus promulgari has minas non tantum civibus Jerusalem, sed aliis etiam Judæis, ut fama perveniret ad omnes plagas terræ. deinde dies ille multo fuit aptior ad hanc doctrinam. quorsum enim jejunium, nisi ut suppliciter confugerent ad Dei misericordiam, & iram ejus deprecarentur? Quum ergo hic finis esset jejunii, oportuit Judæos tunc esse quasi subactos, ut admitterent placidius minas istas & in ipsis proficerent. Videmus ergo duas fuisse causas cur Propheta Dei mandato hunc diem eligeret, primum quia celebrior erat populi conventus: deinde quia jejunium debebat ipsos comparare ad docilitatem, ut se Deo facilius subjicerent, agnoscerent sua peccata: deinde ut etiam minus territi confugerent ad misericordiam Dei, & ita sibi displicerent in suis peccatis. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus subinde iram tuam in nos provocare, ut saltem redeamus ad nos, & quisque ita vitam suam examinet, ut sensu iræ tuæ prostrati ad unicum remedium nos conferamus, nempe ut te exoremus, & consequamur veniam, & tu etiam ita nobis placidus occurras, ut possimus certa fide te invocare, & experiamur interim etiam re ipsa non fuisse vanas nostras preces, donec tandem fruamur plena cognitione misericordiæ in regno tuo cælesti, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA SECUNDA IN JEREMIAM.

7. Si forte cadat precatio ipsorum coram facie Jehovæ, & convertantur quisque à via sua mala: quia magna est excandescentia, & magna iracundia quam loquutus est Jehovah contra populum hunc.

POstquam Jeremias dictavit scribæ suo Baruch quæ ante concionatus fuerat ad populum hunc, finem illum repetit de quo ante vidimus. Voluit enim Deus periculum facere an populus ad sanam mentem ullo modo posset revocari. Id quidem frustra longo tempore tentatum fuerat, sed vult tamen Deus ad extremum pergere in sua misericordia. Jeremias ergo nunc dicit in quem finem recitari librum velit populo. Nec dubium est quin hac de re admonitus fuerit Baruch, ut populum quasi ex ore Prophetæ hortaretur ad pœnitentiam. Porro ad veniam impetrandam duo ponuntur, precatio, & conversio. nam si quis verbis duntaxat velit Deo reconciliari, nihil proficiet. Jam ipsa conversio non potest separari à precibus. Deinde si millies resipiscat peccator, manet tamen obnoxius Dei judicio: quia reconciliatio qua absolvimur, non pendet à pœnitentia, sed à gratuito Dei favore. Neque enim ideo nos recepit Deus in gratiam, quoniam videt mutatos esse in melius, acsi conversio causa esset veniæ: sed nos amplectitur pro sua gratuita misericordia. Hæc igitur ratio est, cur hæc duo simul conjungat Jeremias, nempe precationem, & pœnitentiam, quia ut dixi, hypocritæ verbis fatentur culpam, & veniam postulant: sed faciunt hoc ficto corde, vel duplici. Ergo ut vera sit precatio, necesse est accedere pœnitentiam, quæ testetur homines sibi displicere. deinde ex opposito non sufficeret converti, nisi peccator ad Dei misericordiam confugiat, quoniam ex hoc fonte manat venia. Neque enim Deus ignoscit nobis, quemadmodum dictum fuit, ullo nostro merito: sed quia dignatur sepelire nostra peccata. Summa est, Deum prophetias Jeremiæ velle recitari coram toto populo, ut sint utiles in salutem. Modus describitur, si populus suppliciter veniam precetur: deinde serio etiam affectu resipiscat. quod ad modum loquendi pertinet, *Si oratio cadat*, alibi exposuimus quid velit. Scriptura dicit ascendere orationem, & cadere: optime utrumque convenit, licet diverso respectu. nam precatio rite non potest concipi, quin homo ascendat & cadat. Videntur hæc contraria, sed inter se consentiunt, imo non possunt separari. Nam in precibus duo necessaria sunt, fides & humilitas: fide assurgimus ad Deum, humilitate autem prosternimur. Hæc ratio est cur Scriptura sæpe dicat orationem ascendere, quia non precamur rite ut decet nisi tollamus sursum animos: *Actor. 10. vers. 4.* & fides promissionibus fulta nos supra totum mundum erigat. Sic igitur fide attollitur sursum oratio, humilitate autem cadit deorsum in terram, quia timor debet conjungi cum fide: & quemadmodum fides generat in animis nostris alacritatem ex fiducia, sic etiam conscientia nos dejicit ac prosternit. Nunc ergo tenemus rationem hujus formæ loquendi. Addit, *Quia magna est ira & excandescentia quam pronunciavit*, vel loquutus est (ad verbum) *Jehovah contra populum hunc*. Iram & excandescentiam accipit pro Dei vindicta: ita causam ponit pro effectu. Sed Propheta intelligit, nisi prorsus excæcati sint homines, & quasi alienati mente, debere magis affici, quum Deus horribile aliquod judicium proponit. Si Deus leve aliquod delictum castigat, etiamsi non adeo graviter minetur, nos tamen moveri oportet: sed ubi Deus ostendit iram suam sic accensam esse, ut metuendum sit ab ultimo interitu, nimium sumus stupidi, nisi talis comminatio nos magis terreat. Dicit igitur Propheta non esse locum cessandi, quia Deus non levem aut vulgarem pœnam denunciat populo: sed ostendit se armatum esse ad totam gentem perdendam, sicuti Judæi extrema quæque meriti erant. Sequitur,

8. Et

8. Et fecit Baruch filius Neriæ secundum omnia quæ præceperat ei Jeremias Propheta, legendo in libro sermones Jehovæ in domo Jehovæ.

Hic laodatur promptitudo Baruch, quod non refragatus est Prophetæ Dei, sed provinciam sibi injunctam libenter suscepit. non carebat hæc libertas periculo, ut diximos. Quoniam igitur legatio arat minime plausibilis, imo plus quam odiosa, hinc perspicitur pietas Baruch, quod nihil recusaverit, quoniam sciebat sibi non frustra impositum esse hoc onus. Dicit igitur Jeremias *illum fecisse sicuti jussus fuerat, legendo in Templo sermones Jehovæ.* Paulo post vocabit sermones Jeremiæ, sed eodem sensu. Nam sicuti Deus se repræsentat in suis ministris, ita sæpe ad eos transfert quod est ipsius proprium. Vocatur doctrina Jeremiæ, quæ tamen proprie loquendo, non alium habet auctorem, quam Deum. Sic Paulus Evangelium suum nominat, cujus fuerat præco & testis. neque tamen fabricaverat ipse Evangelium, sed acceperat à Christo, & fideliter tradiderat ex ejus manu. Ergo notanda est ratio loquendi, quæ passim in Scriptura occurrit, dum communiter idem & unum tribuitur Deo, & servis ejus. Sic quod videri posset durius, Apostoli dicuntur remittere peccata, dicuntur afferre salutem, nempe quia ministri sunt gratiæ Dei, & hortantur Christi nomine, ut reconcilientur homines Deo. sic ergo absolvunt, quia testes sunt absolutionis. Ita etiam sermones Jaremiæ vocantur quos servo suo dictavit Deus: interea proprie loquendo non sunt hominis sermones, quia non profecti sunt ab homine murtali, sed ab uno vero Deo. Sequitur,

Rom. 2. vers. 16. & 16:25. 2 Tim. 2. vers. 8.

Joan. 20. vers. 23.

9. Et fuit anno quinto Jehojakim filii Josiæ regis Jehudah mense nono indixerunt jejunium coram Jehovah toti populo (*qui erat, subaudiendum est*) Jerosolymæ, & toti populo qui venerunt ex urbibus Jehudah Jerosolymam.

10. Et legit Baruch in libro sermones Jeremiæ in domo Jehovæ, (*hoc est, in Templo*) in cubiculo Gamariæ filii Saphan scribæ, in atrio superiori, in introitu (*vel ingressu*) portæ novæ domus Jehovæ, (*portæ novæ Templi*) in auribus totius populi.

* Hic additur clarior explicatio. Naque enim aliquid novum narrat Propheta, sed ex communi linguæ Hebraicæ usu pluribus verbis exprimit quod breviter attigerat. Dixerat enim Baruch legisse in Templo verba Dei sicuti jussus fuerat: nunc quando, & quomodo id factum fuerit refert, nempe *quum anno quinto Jehojakim indictum esset jejunium mense nono.* Nunc ergo videmus quorsum tendat repetitio, nempe ut circumstantia temporis melius notetur. Dicit ergo tunc lectum fuisse librum, vel recitatum, quando indictum fuit jejunium quinto anno Jehojakim. Minime dubium est quin tunc Judæi cognoverint instare grave aliquid, quia hæc indictio fuit extraordinaria. Scimus autem quum aliquid calamitatis instaret, solitos fuissa confugere ad hoc remedium, non quod jejunium per se Deo placando sufficiat, sed quia signum ast bumilitatis: deinde homines melius comparat ad precandum. Nec temere obrepsit hic ritus, sed Deus voluit ita populum suum assuefacere ad pœnitentiam. Quum ergo signa aliqua iræ suæ ederet Deus, tunc necesse fuit Judæos non tantum petere veniam, sed addere etiam jejunium precibus, quemadmodum videmus tam secundo capite Joëlis, quam aliis pluribus locis. Erat autem hæc quasi solennis confessio culpæ, & reatus, quia jejunio confessi sunt se obstrictos esse Dei judicio, quemadmodum & sacco, & cinera. Solebant anim abjicere vestes pretiosas, & saccum induere, dainde aspergere capita pulvere, vel terra: & illæ erant quasi reorum sordes: in illo squalore petebant à Deo veniam, primum ut agnoscerent suam fœditatem in istis externis symbolis, deinde ut coram Deo, & Angelis profiterentur se dignos esse morte, & nihil spei esse residuum, nisi Deus illis ignosceret. Quum ergo scribit hoc loco Jeremias indictum fuisse jejunium, minime dubium est, quin jam tunc apparuerint signa aliqua vindictæ Dei. Etsi autem Jojakim provocaverat in se regem Nabuchadnezer, quod tributum negasset: tamen hoc semper valuit apud Judæos, nihil accidere nisi justa Dei vindicta. Quum ergo scirent sibi cum Deo essa negotium, hinc factum est, ut cogitarent de ipso placando. Postea adjungit *indictum fuisse jejunium coram Jehovah*, non quod opus esset meritorium, vel quod inda speranda esset expiatio, quemadmodum Papistæ suis jejuniis axistimant sua peccata redimere, & ideo vocant satisfactiones: sed dicit Propheta indictum fuisse jejunium coram Deo, quia appendix erat precationis. Quum ergo indictus esset solennis conventus ad supplicandum, jejunium tanquam pars accessit, ut scilicet se magis externo symbolo coram Deo dejicerent, & simul restatam facerent suam pœnitentiam. dicit *indictum fuisse toti populo, qui erat Jerosolymæ, & reliquis Judæis qui ex urbibus aliis venerunt*, ut in Templo precarentur. Unde etiam colligimus jejunium per se nullius fuissa momenti, sed testimonium fuisse pœnitentiæ, & ideo conjunctum cum precibus: quemadmodum Christus quum loquitur de precibus, addit jejunium, non quod jejunium à quotidianis precibus non possit separati. nam assidue nos precari oportet. atqui non jejunabimus & mane, & vesperi: imo precamur dum parata est mensa & cibi sunt nobis appositi: deinde ubi pransi sumus, & cœnati, Deum precamur. Sed hoc intelligi debet de precibus magis seriis, ubi scilicet, quemadmodum jam dixi, Deus quasi ad tribunal suum nos citat, & ostendit manifesta iræ suæ signa. Et hac ratione etiam Paulus se primo capite ad Corinthios, quum jubet viros babitare cum suis uxoribus, adjungit: Nisi forte ad tempus, inquit. quando? nempe ut totos sese impendant jejunio & precibus. Videmus itaque hoc non esse ordinarium, sed quum urget aliqua necessitas durior. Ergo hoc quoque notandum est indictum fuisse jejunium aliis Judæis, qui venerant Jerosolymam. Cur eoim necesse fuit Jerosolymam venire, nisi ut Deum suppliciter deprecarentur? Dicit *tunc recitatum fuisse volumen in Templo, in cubiculo Gamariæ filii Saphan scribæ.* Cubicula, ut alibi diximus, annexa erant atrio Sacerdotum. Levitæ enim semper aliqui erant Templi custodes: deinde quispiam ea Sacerdotibus in ordina suæ functionis manebat in Templo. quod pertinet ad Saphan, Scriba vocatur, non ut paulo post eodem nomine vocatur Cancellarius Regis: sed hic accipio pro actuario. Nam ספרים vocarunt Scribas: sed aliquando hac voce notantur Legis interpretes, aliquando autem actuarii, quibus curæ erat prophetias colligera, vel qui præfecti erant publicis actis colligendis. Habuit igitur cubiculum suum in Templo Gamaias filius Saphan scribæ. dicit *in atrio superiori.* Unde colligimus quod jam dixi, partes atrii fuissa illa cubicula. dicit *in portæ novæ Templi introitu.* Quidam existimant fuisse portam Orientalem: & illic solebat esse major frequentia populi. Videmus ergo Baruch intrepide functum foisse officio suo, quum volumen illud recitavit, cujus tamen lectio poterat graviter exasperare totius populi animos. Sequitur,

Mat. 17. vers. 21.

1 Cor. 7. vers. 5.

11. Et audivit Michas filius Gamariæ filii Saphan omnes sermones Jehovæ, de super libro. (*hoc est, ut recitabantur ex libro.*)

12. Et descendit in domum Regis ad cubiculum Scribæ: & ecce illic omnes Principes sedentes, (*hoc est, sedebant*) Elisama scriba, & Dalajah filius Semajah, & Elnathan filius Achobor, & Gamarias filius Saphan, & Zedechias filius Chananiæ, & omnes Proceres.

13. Et nunciavit (*indicavit*) ipsis Michas omnes sermones, quos audierat quum legeret Baruch in libro (*hoc est, recitabat ex libro*) in auribus populi.

Nescitur quo animo hic Michas venerit ad Proceres & Consiliarios Regis. Potuit esse delator qui in animo habebat gravare Prophetam invidia, vel captare favorem à Proceribus, ut solent aulici. Si ita est, ex hoc exemplo discamus non omnes qui audiunt ita esse dociles, & paratos ad obsequium, ut proficiant in pia & sancta doctrina, quemadmodum videmus multos patienter quidem audire, & dare signum aliquod docilitatis: interea fovere in animis suis contumaciam: deinde trahere ad calumnias quicquid audierunt. talis potuit esse affectus Michæ, de quo hic agitur. Sed fieri etiam potest, ut admiratione correptus rem novam & quasi incredibilem detulerit ad Regis Consiliarios. hoc in medio relinquo, quia nihil certi habemus. *Venit igitur ille in palatium Regis* ubi sedebant omnes Principes. dicit *venisse in cubiculum Scribæ.* hunc Scribam probabile est fuisse Regis Cancellarium apud quem erant omnes aulici Proceres. Nominat aliquos, sed postea adjungit *omnes illic fuisse*, deinde *Michæam narrasse illis sermones quos audierat ex ore Baruch quum legeret toti populo.* Hoc autem non absque admirabili Dei consilio factum est, quod Rex tandem intellexit quid actum esset in Templo, ut detegeret suam pervicaciam adversus Deum, quemadmodum postea videbimus. Creavit quidem hic nuncius aliquod periculum tam Jeremiæ quam ejus ministro Baruch: sed Dominus eos protexit: interea detecta fuit Regis impietas & obstinatio, quod quum omnes essent territi, contempserit Deum, & accensus fuerit iracundia adversus Prophetam, librum combusserit, & voluerit etiam auctorem ipsum extinguere. Sequitur nunc,

14. Et miserunt omnes Proceres ad Baruch, Jehudi filium Nathaniæ filii Selemiæ, filii Cussi, dicendo, Volumen in quo legisti in auribus populi sume in manum tuam, & veni. Et sumpsit Baruch filius Neriæ volumen in manum suam & venit ad ipsos.

Debuerant quidem ipsi statim ascendere in Templum, sed quamvis non essent prorsus impii, spirabant tamen aliquid superbiæ, quemadmodum faciunt qui aliquo splendore sunt præditi. Nam non libenter sese demittunt: quemadmodum videmus omnes aulicos ita inflatos esse ut existiment sibi fieri contumeliam, si misceantur cum vulgo. volunt igitur gradum aliquem sibi præcipuum manere. Hæc ratio fuit cur non ascenderint in Templum discendi causa, sed vocaverint ad se Baruch. hoc jam illis obstitit, ne ex animo resipiscerent. Videbimus quidem fuisse perculsos metu, & quasi attonitos: deinde videbimus sic rem tulisse ad Regem, ut consultum tamen optarent Prophetæ, & ejus ministro: sed progredi longius decebat, nempe ut se conjungerent reliquo populo, & in Templo profiterentur suam pœnitentiam. Hoc cur non fuerit factum diximus, quia scilicet semper in opibus & potentia simul regnat superbia, & vanitas, & ambitio. Accersitur ergo Baruch, sed honorifice, quia mittunt hominem non obscurum: & ideo hic narratur genealogia ipsius: non tantum exprimitur patris nomen, sed etiam avi, & proavi. unde colligimus fuisse hominem aliquem eximium. jubent ipsum venire. Sequitur, *ipsum accepto volumine venisse ad eos:* ubi laudatur ejus constantia. Promptitudo jam ante laudata fuit, quod scilicet ausus fuerit prodire in Templum, & publice recitare quod tamen poterat accendere furorem totius populi. Sicuti initio alacriter suscepit munus sibi injunctum, ita etiam nunc in officio perseverat. Venit igitur ad Principes, non occultat volumen, tametsi mortem suam secum gestaret, sed libere etiam ad ipsos prodit, quia intelligit divinitus gubernari totum hoc negotium. Sequitur.

15. Et dixerunt, Sede agedum, & lege ipsum (*volumen*) in auribus nostris: & legit Baruch in auribus ipsorum.

16. Et factum est quum audirent cunctos sermones, expaverunt quisque ad propinquum suum: & dixerunt ipsi Baruch, Indicando indicabimus Regi omnes hos sermones.

Videbimus in Proceribus fuisse aliquod studium pietatis. componunt enim se ad audiendum & reverenter excipiunt ministrum Prophetæ. Haud dubia si venisset ipse Jeremias, fuisset acceptus tanquam Dei Propheta: quum tribuitur tantum honoris ejus ministro, ut Principes jubeant ipsum esse in suo consessu, certe aliquid hoc fuit: unde apparet non fuisse profanos Dei contemptores. Jam sequitur altera confirmatio, quod scilicet *timore fuerint omnes commoti, ut quisque propinquum suum respiceret.* Ergo quantum ad Regis Consiliarios spectat: videmus etiam sic fuisse animatos, ut libenter audirent & expavescerent ad minas Dei. Sed minime dubium est quin evanidus fuerit hic timor. Et quod dicit Propheta *unumquemque timuisse ad propinquum suum*, signum est vacillationis. Nam qui timet ut oportet, ille sese intus colligit, & coram Deo se examinat. sed ubi animi alternant, quisque alterum respicit. Ergo signum hoc fuit non firmæ & solidæ pœnitentiæ, ita metuere, ut alii alios vicissim respicerent: quia potius debebant singuli in Deum respicere, ut arcano conscientiæ sensu agnoscerent se peccasse, & ita confugerent ad remedium. Sequitur, *etiam ipsos dixisse, Indicando indicabimus Regi.* unde colligimus sic timuisse, ut tamen noluerint Regis offendere animum. Deferunt igitur rem ad ipsum, quia volunt gratificari. Hæc est religio aulica, nempe Deum ita timere, ut tamen nemo velit excidere à gratia, quin potius appetant omnes ad ultimum usque perfungi suo officio, ne postea objici criminis vice illis possit cessasse, nec satis fuisse diligentes, vel attentos in curanda Regis utilitate. Denique Propheta sic nobis tanquam in speculo repræsentat aliquam pietatem in Regis Consiliariis, ut ostendat tamen ambitione corruptos fuisse eorum animos, & ambitionem sic prævaluisse, ut Regem mortalem vero & unico Regi cælorum præferrent.

Da omnipotens Deus, quando dignaris nos quotidie ad te invitare, ut tibi vicissim respondeamus Spiritu mansuetudinis & obedientiæ: deinde etiam affice nos serio sensu, ut non tantum agnoscamus pec-

peccata nostra, sed in illis ita nobis displiceamus, ut statim quæramus remedium, & freti tua misericordia, sic resipiscamus, ut in posterum glorificetur nomen tuum in nobis, donec tandem participes simus ejus gloriæ, quam nobis acquisivit Filius tuus suo sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-TERTIA

IN

J E R E M I A M.

17. Baruch autem interrogarunt, dicendo, Indica agedum nobis, quomodo scripseris cunctos sermones istos ex ore ejus.

18. Et dixit illis Baruch, Ex ore suo pronunciavit mihi cunctos sermones istos: & ego scripsi super librum cum atramento.

Non dubium est quin Regis Consiliarii sic mirati fuerint quum audirent minas illas conscriptas sicuti dictaverat Propheta, ut interea agitati fuerint in diversas partes, quemadmodum solent increduli, & qui non ita ut decebat excipiunt cælestem doctrinam. vacillant enim & non possunt consistere. Talis igitur fuit ambiguitas in mentibus Procerum: quia vix poterant credere memoriter dictatos fuisse istos sermones, sed suspicabantur aliquid esse astutiæ. Quemadmodum increduli multa comminiscuntur de servis Dei. Et hoc videntur facere data opera, ut obscurent Dei gratiam, quæ illis occurrit ante oculos. Hoc igitur consilio dicuntur interrogasse Baruch *quomodo excepisset sermones ex ore Jeremiæ.* Respondet simpliciter *Jeremiam protulisse sermones istos.* unde colligere poterant Jeremiam non habuisse chartas repositas, nec fuisse longo tempore meditatum, quæ volebat perferri à scriba suo Baruch. Etsi autem nihil minus videtur dicere quam quod possit satisfacere Proceribus, huc tamen summa tendit, Jeremiam non protulisse ex abaco, vel arca sua volumen illud, sed quemadmodum suggerebat Spiritus Dei, ita celeriter pronunciasse. Hinc potuit crescere admiratio, ut scirent Regis Consiliarii hæc mandata non prodire ab homine mortali, sed potius Deum loqui per os Prophetæ, & per manum Baruch. Sequitur,

19. Et dixerunt Principes ipsi Baruch, Vade, & abscondere, tu & Jeremias, & vir nesciat (*hoc est, nesciat quisquam*) ubinam sitis.

Videmus Proceres istos aulicos fluctuasse, ut sentirent quidem manum Dei, & tamen manerent in suo stupore. Et Deus ita sæpe profanos homines terret, ut semper redeant ad suam socordiam. Videtur quidem ad momentum expergefieri, & serio agnoscere Dei judicium: sed mox evanescunt illæ omnes cogitationes. Ita fit, ut sinant Deum loqui, & nihil proficiant, acsi loqueretur apud surdos, quemadmodum paulo post videbimus. Non proficiunt igitur Consiliarii Regis: sed non sunt crudeles. cupiunt enim Prophetam occultari, ut Rex nihil durius in ipsum statuat. Tales hodie plerosque videmus, qui non tanguntur cælesti doctrina. Annuunt quidem, ut asini movent aures. Nam fatentur ore verum & rectum esse quod proponitur: sed quemadmodum dixi, vel claudunt oculos, vel saltem non attendunt, ut sentiant Deum esse qui loquitur. Interea per ipsos non staret, quo minus doctrina Euangelii faceret suos progressus: atqui sibi placent, imo gloriantur quod sint medii, & neque in hanc neque in illam partem nimis inclinent. Tales apparet fuisse Regis Consiliarios, de quibus quid Spiritus Dei pronunciet, videbimus paulo post. Hortantur igitur Baruch, ut se occultet, deinde ut Jeremiam simul admoneat, quia videbant instare illis periculum, nisi fuga sibi consulerent. Postea sequitur,

20. Et venerunt ad Regem in atrium, & volumen deposuerunt in cubiculo Elisama scribæ, & nunciarunt in auribus Regis omnes sermones.

21. Et misit Rex Jehudi ad tollendum volumen, & accepit ex cubiculo Elisamæ scribæ: & legit illud Jehudi in auribus Regis, & in auribus cunctorum Principum, qui stabant à conspectu Regis.

Jam narrat Propheta venisse Proceres ad Regem, sed volumine deposito apud Elisama scribam: quia ut teneræ sunt Regum aures, nolebant jam odiosum munus statim proferre. Et ita suis blanditiis dementant Reges qui ipsis adsunt, & qui aures illorum occupant. nulla enim est in aulis libertas; sed ut quisque maximus est adulator, ita etiam maximo in pretio habetur. Certatim igitur excogitant omnes Consiliarii quomodo delicias Regibus faciant, ita sedulo cavent, ne vel inconsiderate offendant ipsorum animos. Hæc ratio fuit cur Proceres volumen deposuerint apud Elisama. Hinc colligimus, vel frigidam ac tenuem fuisse apud ipsos Dei reverentiam. Nam si persuasi fuissent, Jeremiam dictasse scribæ suo quæ acceperat à Spiritu Dei, certe non tanti fuisset illis Regis offensio. Cur ergo non audent statim volumen proferre? hortari Regem ut audiat, nisi quod, sicuti jam dixi, adulatio semper est timida? Hinc fit ergo ut non audeant Regi volumen ostendere, sed tantum narrent se legisse quædam horrenda dictu, ita ut Rex cum illis non expostulet, quod nimis audacter coram ipso protulerint quæ audire ipse nollet. hoc est igitur unum. Jam sequitur, *Regem misisse Jehudi, ut volumen acciperet ex cubiculo Elisamæ scribæ.* In Zedechiæ persona conspicere licet, ut increduli Deum fugiant, & quærant simul, sed turbulento quodam impetu, ut nesciant quid velint. Rex potuit secure contemnere quod allatum erat. Si enim volebat immunis esse à molestia, cur jussit volumen sibi afferri & recitari aliquam partem? Videmus ergo ut increduli, quamvis à Deo cupiant longissime recedere, tamen currant quodam cæco motu in ipsum. sed non faciunt hoc sponte. Deus enim ipsos arcano instinctu ad se trahit, ut magis reddat inexcusabiles. Hinc fit, ut multos impellat curiositas ad doctrinam audiendam.

Alii autem furiose inquirant quid sibi velit hæc doctrina: quemadmodum feræ bestiæ sæpe incurrunt in gladios. Tale igitur fuit ingenium Zedechiæ, quia optasset sepultas esse omnes Jeremiæ Prophetias: tamen non potuit sibi temperare, quin scire vellet summam vel partem aliquam. *Misit* igitur *Jehudi qui volumen afferret.* deinde addit *Jehudi legisse volumen coram Rege, & coram ejus Consiliariis.* Hinc factum est, ut clarius se proderet Regis impietas, quod scilicet non fuit commotus auditis tot vaticiniis. Non sustinuit quidem audire recitationem: sed finitis quibusdam capitibus, statim abreptus furore, ut mox videbimus, conjecit volumen in ignem, & illic consumpsit. Quicquid sit, Deus voluit excutere tam Regi quam ejus Consiliariis omnem prætextum, ne postea jactarent se ignorantia fuisse lapsos, quia post oblatum illis volumen nonnisi per eos stetit, quo minus revocarentur ad salutem, à qua jam exciderant. Nunc subjicit,

22. Rex autem sedebat in domo hyemali, mense nono: & focus coram facie ejus accensus. (*vel ardebat*)

23. Et factum est, quum legisset Jehudi tres paginas, & quatuor, (*hoc est, tres vel quatuor*) scidit cultello scribæ, (*vel graphio*) & projecit in ignem qui erat in foco, usque dum consumeret volumen totum super ignem, qui erat in foco.

Hic ostendit Jeremias quam parum profecerit, quia Rex non tantum abjecit, aut laceravit volumen, sed postquam conscidit, voluit perire ejus memoriam. consumpsit enim in igne. Hæc tentatio potuit graviter percutere Prophetæ animum. Dei mandato dictaverat volumen illud: nunc videt se operam lusisse. Potuit igitur apud Deum conqueri, quod frustra tantum laboris fuisset impensum sine fructu. Quorsum enim jubebat Deus scribi volumen, nisi ut Rex cum suis Consiliariis resipisceret? Quantum attinet ad populum, non potuit certo Propheta cognoscere fecissetne operæpretium mittendo scribam suum Baruch. Neque enim legitur qualis fuerit attentio populi: sed tractus fuit Baruch in palatium Regis: ita suspensæ fuerunt omnium mentes, jam quis exitus? Rex librum comburit. Non dubium igitur est quin graviter perculsus fuerit animus Prophetæ: sed ita servos suos Deus exercet quum jubet apud surdos loqui, vel lucem proferre cæcis. Discamus igitur Deo simpliciter obsequi, etiamsi inutilis videtur labor quem à nobis exi-
2 Cor. 2. v. 15.16. git. Et ideo Paulus exurgit contra mundi ingratitudinem, & dicit ministros Evangelii bonum & suavem odorem esse Deo sive in mortem, sive in vitam: quia ut major pars reddatur deterior audito Evangelio, tamen obsequium quod reddunt ministri Deo per se gratum est, neque spectandus est eventus. Videt igitur Jeremias exasperatum esse Regis animum, sed non ideo ipsum pœnitet obedientiæ, quia sciebat eventus debere relinqui penes Deum, & in ejus arbitrio, sed interea hominum partes esse exequi quicquid Deus mandat, etiamsi nullus appareat fructus laboris. hoc igitur unum est. Nunc quod ad Regem ipsum pertinet, in ejus persona quasi in speculo videmus quam prodigiosa sit eorum cæcitas, qui sunt Satanæ mancipati. Certe debuit Rex quum Deus ita tonaret in ejus auribus, aliquo modo percelli: nec vero potest ludibrio habere sermonem, sed excandescit, & tanquam rabiosa bellua sese præcipitat. exercet igitur suam iracundiam contra volumen. Si putabat Jeremiam auctorem esse, cur non despexit hominem nullius auctoritatis, quantum attinet ad publicum statum? Jeremias enim nihil potuit Regi detrahere. Non dubium igitur est quin senserit etiam invitus negotium sibi esse cum Deo. cur ergo ita exardet? quid sperat se posse consequi, ut tota rabie contra Deum feratur? sed illa est, quam dixi, horribilis cæcitas, quæ cernitur in omnibus reprobis, quorum mentes fascinavit diabolus: quia ab una parte velint nolint sentiunt Deum adesse, & se quodammodo citari ad ejus tribunal: deinde quasi obliti insaniunt contra ipsum Deum. Sic ergo de rege Zedechia narratur, quod *quum esset in domo hyemali, & sederet ad focum*, simulac lectæ fuerunt tres vel quatuor paginæ, volumen confoderit graphio, vel cultello scribæ. תער significat sæpe novaculam: sed hic accipitur pro cultello, quo utuntur scribæ, *un canivet.* Primo Rex non sustinuit donec Jehudi volumen absolveret: postquam audivit tres vel quatuor aperturas, hoc est, rotulas ut vocamus, statim arripuit volumen, & scidit: deinde non contentus hoc sacrilegio combussit volumen ipsum, acsi posset judicium Dei simul abolere cum libro. Sed videbimus postea quid adeptus fuerit hac intemperie: *usque dum*, inquit, *consumeret volumen illud super ignem.* Jam sequitur,

24. Et non timuerunt, & non sciderunt vestes suas Rex, & cuncti servi ejus quum audissent cunctos sermones istos.

Jam Propheta admiscet doctrinam narrationi, quia per se frigeret quod hactenus vidimus nisi adjuncta fuisset hæc admonitio. Ostendit igitur Propheta cur hactenus retulerit quod vidimus de impia Regis obstinatione. Sed plus subest vehementiæ simplicibus verbis, quam si magno verborum sonitu invectus fuisset Propheta tam in Regem, quam in ejus Consiliarios. hic enim quasi attonitus loquitur: *Non sciderunt*, inquit, *vestimenta sua, & non timuerunt quum audirent tam atroces minas.* Et certe hoc inter monstra merito censeri potest, quod miseri homines ita contemptim prætereunt Dei minas, ad quas tamen expavescere non secus atque ad præsentem interitum debebant. Quod igitur mortales dum adversus illos suis minis Deus fulminat, non moventur, imo magis obdurescunt, hoc signum est diabolici furoris. Non igitur abs re Propheta quasi attonitus hic breviter dicit *Regem non timuisse cum suis Consiliariis, & non scidisse vestes suas.* Docemur autem hoc loco hoc signum esse reprobationis, ubi non terremur quum Deus se nobis judicem fore minatur, & denunciat: quum etiam proponit in medium nostra scelera, & ab altera parte ostendit quid simus meriti. Ubi ergo hæc omnia apud nos nihil prosunt, signum est desperatæ amentiæ. Hoc intelligit Propheta his verbis: *Non timuerunt*, inquit. vult enim omnes secum rapere in admirationem, quod Rex, & ejus Consiliarii potuerint ad Dei minas ita intrepidi consistere. Quantum attinet ad vestes, signum hic ponitur pro re ipsa: deinde synecdoche est, quia pars accipitur pro toto. primo, vestes sciodere non magni esset momenti, nisi corda primum scinderentur, quemadmodum dicit Joël capite 2. sed quamvis hypocritæ ostentent pœnitentiam signis fallacibus: ubi tamen agitur de vero & sincero pœnitentiæ affectu, signum substituitur in locum rei, quemadmodum hoc loco, *Non sciderunt vestimenta sua*, hoc est, non professi sunt metum aliquem. Et quoniam hoc solebat fieri scissura vestium, ideo dicit, *Non sciderunt vestes suas*, quum Deus per

on

os Jeremiæ, & per manum Baruch sic fulminaret. Deinde synecdoche etiam notanda est, quia solebant induere saccos, & aspergere capita pulvere. hic tantum de vestibus fit mentio: sed alia etiam signa comprebenduntur. dicit, *quum audisset hos cunctos sermones*, non quod totum volumen Rex audierit, sed tria vel quatuor capita sufficere poterant ad ipsum damnandum. Neque enim dubium est quin satis superque convictus fuerit, & quia exhorrebat judicium Dei, sese projecerit ad istam rabiem, ut scil. volumen scinderet, & non vestimenta. Est autem paronomasia satis concinna inter קרע, & קרא. nam primum scribitur per א finale, alterum vero per ע. Ante dixit, *Quum legisset Jehudi partem libri, scidit Rex librum ipsum.* alter legebat, Rex scindebat: eadem fere est vox. Hic autem dicit, Rex non scidit vestes suas: antea, Rex scidit volumen, & laceravit: interea debebant potius vestes suas discerpere ac seipsos, si fieri posset, quum Deus terrorem illis iocuteret tam gravibus minis. Sequitur,

25. Quin etiam Elnathan, & Dlaja, & Gamaria intercesserunt Regi, (*vel prohibuerunt Regem, vel rogarunt. nam* פגע *omnia hæc significat, occurrere vel deprecari, vel prohibere, & se interponere. Illi ergo conati sunt Regi occurrere*) ne combureret volumen, & non audivit ipsos.

Aggravat Propheta crimen Regis hac circumstantia, quod tres se opposuerint: quod haud dubie non poterent sine mortis discrimine. videbant Regis animum ferri præcipiti violentia: & quum ita petulanter contra Deum insurgeret, quid non ausus fuisset in ipsos? Quod ergo non dubitarunt intercedere, hoc virtutis fuit. sed hinc apparuit desperata Regis impietas, quod non paruit eorum consilio. Particula גם vertenda est, *Quin etiam.* Multi interpretes hic non attendunt ad emphasin, ideoque corrumpunt Prophetæ sensum, vel saltem ita extenuant ut non sit fideliter reddere quod voluit Propheta. est enim, quemadmodum dixi, valde emphatica exaggeratio quum dicit, *Quin etiam.* Discamus autem ex hoc loco, ubi Deus nos retrahit ab impiis consiliis, minus esse nos excusabiles si perseveramus exequimur quod palam ostendit fugiendum esse. Conscientia quidem semper nobis erit instar mille testium: & quamvis nemo adsit testis, nec hortator, vel monitor, tamen frustra conabimur elabi coram Deo prætextu inscitiæ, vel erroris, vel incogitantiæ. Sed ubi Dominus per manus hominum nos revocat ne pergamus in maleficiis: si non persuadet, tunc detegitur magis ac magis indomabilis nostre pervicacia, quemadmodum Propheta dicit. Denique sciamus eo gravius unumquemque peccare, quo pluribus adjumentis ipsum Deus à maleficiis retrahit, quasi manum porrigeret. Quum autem videmus tam obstinatum fuisse regem Zedechiam, non est quod hodie miremur si multi superbe pergant, utcunque Deus quasi ipsis occurrat, ut saltem homines mittat, qui sint obstaculo. Sciamus ergo hoc esse vetus exemplum, ne conturbet nos tam superbus impiorum contemptus. Interea notandum est simul hoc exemplum liberæ admonitionis: quia hodie miraculi instar esset reperire in aulis Principum qui tam audacter se opponerent cum maximo periculo. nam, uti nuper diximus, quisque ingeniosus est ad excogitandas blanditias. Et quoniam hoc est optimum compendium emergendi, ideo omnes certatim se ad hanc artem totos applicant. dixeret quidem paulo ante Propheta Regem, & ejus consiliarios non scidisse vestes suas: & tamen tres nunc commemorat, qui strenue professi sunt se Deum timere. sed quum nuper loqnutus est de cunctis Proceribus, hoc referri debuit ad corpus ipsum. Tres igitur quorum nunc fit mentio, excipiendi sunt ab illo communi grege. Nec dubium est quin sibi conflaverint invidiam apud omnes aulicos, quia totidem habebant adversarios, quum ipsos puderet suæ ignaviæ: sed ausi sunt tam Regem, quam omnes reliquos in se provocare, quia scilicet videbant agi Dei causam. Sequitur,

26. Et præcepit Rex Jerameel filio Hamelek, (*vel Regis: sed existimant esse nomen proprium, & est probabile*) & Serajæ filio Azriel, & Selemiæ filio Abdeel, ut acciperent Baruch scribam, & Jeremiam Prophetam: sed abscondit eos Jehovah.

Hic narratur major Regis væsania, quod jusserit in Prophetam, & ejus scribam sævire. non dubium est quin delegerit quos putabat fore sibi morigeros ad præstandum obsequium. nunquam sumpsisset ministros vel Elnathan, vel Dlajam, vel Gamariam, quia sciebat quantopere abhorrerent ab illo immani facinore: sed quos putavit esse appositos ad tale obsequium misit ut interficerent Jeremiam, & Baruch. Ex hoc loco & superiori non male conjicitur Jeremiam non fuisse detentum in carcere, sed fuisse divinitus prohibitum, ne perferret istas prophetias in conspectum Regis, vel etiam legeret coram populo. Sed quoniam vocem עצר alibi usurpat pro captivo, aut vincto, fieri etiam potest conjectura in diversam partem. Quanquam autem de hac re pertinaciter non contendo: jam tamen quid mihi magis placeat exposui, nempe Jeremiam fuisse prohibitum

Act. 16. vers. 7. arcana revelatione, sicuti Paulus prohibitus fuit ne iret in Bithyniam. Certe verisimile est non posse ipsum aufugere ex Regis custodia, nisi forte dicatur non sic fuisse constrictum quin liberum fuerit effugere quum vidit ita placere Deo: vel quamvis Jeremias non discesserit à carcere, tamen clanculum effugisse præsentem Regis iracundiam: quod esset coactum. quicquid sit, notanda est ista loquutio, *quod Deus ipsos absconderit.* Non dubium est quin amplexus fuerit Jeremias consilium sibi datum, ut sibi & vitæ suæ consuleret: tamen nunc agnoscit se beneficio Dei fuisse protectum: quasi diceret, quamvis multæ fugiendi rationes nos eripiant ex præsentibus periculis, tamen vitam nostram sic esse in manu Dei, ut nos ipse occultet & abscondat: quia alioqui rueremus ipsi sponte in mortem, nisi quasi umbram manûs suæ opponeret ad nos tegendos. Sed reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando quotidie vel blande nos ad te invitas, vel etiam terres ut corrigas nostram tarditatem & ignaviam: da, inquam, ne contumaciter tibi, & verbo tuo resistamus: sed sic humanitate tua illiciamur, & subigamur minis, ut cum vero timore confugiamus ad tuam misericordiam, neque aliud speremus nobis esse remedium, quam ut te placado salutem recuperemus, & ita te quæramus vero pœnitentiæ sensu, & vera fide, ut nobis etiam occurras, & te exorabilem præbeas in Filio tuo unigenito Domino nostro, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-QUARTA IN JEREMIAM.

27. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam postquam combusserat Rex librum, & sermones quos scripserat Baruch ex ore Jeremiæ, dicendo,

28. Conversus accipe tibi volumen aliud, & scribe in ipso cunctos sermones prioris, qui fuerunt in volumine priori, & quod combussit Jojakim rex Jehudah.

His verbis ostendit Propheta quid proficiant impii dum luctantur adversus Deum. necesse enim est ipsos quamlibet duri sint ac præfracti, frangi ipsius Dei virtute. hoc contigit regi Jojakim. Vidimus hesterna lectione quam furiosus fuerit ejus impetus, dum volumen conscidit, & exussit, quum etiam jussit Prophetam tolli è medio. sed nunc sequitur *scriptum fuisse aliud volumen*. Deus autem diversis modis agit cum rebellibus: nunc enim ipsos omittit ubi videt se frustra consumere operam in ipsis monendis. Ergo non mittit amplius suos Prophetas qui reprehendant vel minentur, sed exequitur tacitus sua judicia. Et hac etiam ratione dicitur, Non disceptabit amplius spiritus meus cum homine, quia caro est. (*Genes. 6. vers. 3.*) Et ejusmodi exempla passim occurrunt, quod scilicet Deus ubi videt sperni Propheticam doctrinam, manum attollat contra impios, & interea cesset cum ipsis loqui. Sed hic diverso modo voluit frangere impetum Jojakim, quia *scriptum est secundum volumen*. putavit stultus ille manum Dei quodammodo abscissam, vel igne extinctam esse, quia liber in cinerem erat redactus. Deus autem ostendit sermonem suum non fuisse alligatum. De integro igitur incipit minari, non quia speret quicquam utilitatis ex hac repetitione: sed quia oportuit ludibrio exponi impii Regis ferociam, qui tam superbe ausus fuerat & Deum & sanctum ejus Prophetam pro nihilo ducere. Hoc igitur primum est, *quod jussus fuerit Propheta scribere aliud volumen postquam rex Jojakim ita sævierat contra volumen sibi propositum*: & ideo tam diligenter repetit, *Sume aliud volumen pro illo, scribe eadem verba quæ fuerant in libro priori*: acsi diceret, Ne ulla quidem syllaba intercidat, quin maneat firmum quod semel per os tuum protuli, atque ita sciant reprobi omnes te fideliter retulisse quæ ex ore meo acceperas. Sequitur,

29. Et ad Jojakim regem Jehudah dices, Sic dicit Jehovah, Tu combussisti librum hunc dicendo, Quare scripsisti in ipso, dicendo, Veniendo veniet rex Babel, (*Babylonis*) & perdet terram hanc, & perdet ex ea hominem & animal? (*vel bestiam*)

30. Propterea sic dicit Jehovah ad Jojakim (*vel de Jojakim*) regem Jehudah, Non erit ei qui succedat per solium Davidis, & cadaver ejus projectum erit in æstum per diem, & in gelu per noctem.

Nunc videmus quam impietatis & contumaciæ suæ mercedem retulerit Jojakim. sed duo sunt membra: priore ipsum Deus castigat, quod ita petulanter ausus fuerit indicere Prophetæ silentium: deinde adjungit pœnam, *Dices ad Jojakim*. על hic accipitur pro אל, ut apparet ex contextu. proprie quidem significat de, vel super, quemadmodum proximo versu de Jojakim ita pronunciat Deus: sed quia in secunda persona jubetur Propheta ipsum alloqui, ideo altera expositio magis probatur, continuum scilicet mandatum esse aggrediendi Regem, & ipsum nomina compellandi. *Tu ergo dices ad Jojakim regem Jehudah*. Ponitur nomen Regis non tam honoris causa, quam ut Deus ostendat frustra eum superbire honore, & titulo: quia, sicuti ante vidimus, Propheta missus fuerat, ut objurgaret montes & colles, (*Mich. 6. vers. 1. supra 1. vers. 10.*) non parceret etiam ipsis Regibus & regnis: ideo dictum fuit, Ecce constitui te super gentes & regna. Quoniam ergo potuit Jojakim ita se efferre superbia, ut putaret sibi quidvis esse licitum, ideo significat Deus non esse cur splendor Regius mentem & sensus ejus perstringat, quia nihil moretur istas larvas, neque impediat ulla mundi altitudo liberum Propheticæ doctrinæ cursum. In summa, hic animatur Jeremias ad constantiam, ne personæ excellentia ipsum terreat, vel emolliat ejus animum, quo minus strenue perferat Dei mandata. Et hinc etiam colligi potest duplex admonitio: prior dirigitur ad Reges, & eos qui excellunt vel opibus vel potentia in terris, ut se verbo Dei reverenter subjiciant, neque existiment se communi lege esse exemptos, vel solutos propter suam magnitudinem: quia Deus personas non respicit. altera autem admonitio ad ipsos Doctores spectat, ut scilicet tanquam clausis oculis exequantur absque ullo personæ respectu quicquid Deus præcipit, atque ita nullas timeant offensiones, neque ipsum Regium nomen, neque gladii terrori, nec ulla pericula ipsos dejiciant è gradu. Refertur priore loco crimen: *Tu*, inquit, *exussisti librum hunc, dicendo, Quare scripsisti in eo, Veniendo veniet rex Babylonis & perdet hanc urbem?* Hic ostendit Deus quæ maxime causa impulerit regem Jojakim, ut librum in ignem conjiceret, nempe quia non poterat ferre liberas objurgationes simul cum minis. Hypocritæ si Deus ipsis indulgeat, vel non attingat ipsorum vitia, utcunque ferent Propheticam doctrinam: sed ubi eorum scabies attingitur, statim furere incipiunt. & hoc fuit continuum certamen Prophetis Dei cum impiis: nam si blanditi fuissent, & suaves fuissent eorum conciones, semper fuissent aliquid lætum & prosperum impiis polliciti, excepti fuissent cum magno favore & plausu: sed odiosus fuit & acerbus Dei sermo, & exasperavit impiorum animos, quum audirent Deum sibi esse infestum. Hic ergo locus diligenter notandus est, quia Spiritus Dei quasi digito hic monstrat fontem omnis contumaciæ, quia scilicet vellent hypocritæ transigere aut pacisci cum Deo, ne cum ipsis durius ageret, sed frigide tantum loquerentur Prophetæ. atqui necesse est ut Dei sermo respondeat auctoris sui naturæ. Sicuti enim Deus cordium est cognitor, penetrat in absconditos sensus, ita etiam sermo ejus gladius est anceps, & ita homines transfigit usque ad ipsas medullas, discernit inter cogitationes & affectus, quemadmodum Apostolus docet. (*Actor. 1. vers. 24. & 15. vers. 8. Hebr. 4. vers. 12.*) Hinc fit ut hypocritæ insaniant quum Deus ipsos ad judicium vocat: quemadmodum si quis demulceat hominem ulcerosum, nullum signum dabit amarulentiæ: sed si chirurgus premat ulcera,

ulcere, tunc fremit dentibus, deinde etiam quicquid prius latebat egreditur, ubi chirurgus lanceola examinat quod prius erat occultum. Idem ergo contingit hypocritis: quia, sicuti dictum fuit, non tumultuantur adversus Deum, neque etiam fremunt ubi simplex proponitur doctrina: sed dum urgentur tam reprehensionibus, quam minis, tunc accenditur eorum furor, tunc virulentiam suam omni ex parte ejiciunt. Hoc ergo exprimitur quum hic refert Propheta *exustum ideo fuisse librum, quia in ipso scriptum erat venturum regem Babylonis qui perderet*, hoc est, vastaret *terram, & deleret, ex illa tam hominem quam jumentum*. Sic videmus ut prophetia Micheæ exasperaverit omnes Judæos quum diceret, Jerusalem in acervos lapidum redigetur.

Mich. 3. vers. 12.

Sed statim ostendit Propheta frustra impios sic ferri adversus Deum, quia contra stimulum calcitrant, & tandem necesse est ipsos conteri à lapide, cum quo confligunt, quia ipsorum durities non potest facere, quin Deus pergat nihilominus in suis judiciis. Ideo additur, *Sic dicit Jehovah de Rege Jojakim, Non erit ei qui succedat super thronum*, vel super solium *Davidis*. Quum negat fore successorem, intelligit, ex ejus posteris: tametsi enim filius Jechania creatus fuit rex in ejus locum, quia tamen exiguo tempore, hoc est, tribus duntaxat mensibus dominatus est, tempus illud non venit in rationem. Pronunciat ergo Jeremias ex mandato Dei non fore legitimum successorem Regi Jojakim, quia scilicet tractus etiam in exilium fuit filius ejus Jechania finito tertio mense. Zedechias autem non censetur legitimus successor, quia erat patruus. deinde non dubium est quin ejus odio Nabuchadnezer ipsum extulerit. quod enim impositus fuit solio, factum est in ignominiam Jojakim, & Jechaniæ. Nunc ergo tenemus quo sensu minetur Deus non fore qui succedat Regi Jojakim. ideo non simpliciter dicitur לא יהיה ישב על כסא דוד. non erit qui sedeat super solium Davidis: sed לא יהיה לו, *non erit illi*, nempe ex liberis, vel ex sobole nemo erit qui occupet solium Davidis. Nam ultimus Rex fuit Zedechias: ille autem, quemadmodum dixi, erat patruus: ita tota posteritas regia dejecta fuit, ut nemo inde unquam perveniret ad successionem regni. Sed quæritur quomodo conveniat hoc vaticinium cum promissione, Quamdiu Sol & Luna fulgebunt in cælo, erunt mihi testes fideles, quod posteritas Davidis semper manebit superstes.

Psal. 89. v. 37, 38.

Deus promittit regnum Devidis fore perpetuum, & ex ejus posteris semper fore aliquos, qui dominentur quamdiu Sol & Luna in cælo fulgebunt. quid autem hic Propheta noster? *Non erit qui succedat*. restringitur quidem hoc ad posteros Jojakim. Sed interea tenendum est quod alibi vidimus, nempe hic agi de interruptione quæ non pugnat cum perpetuo statu. regni enim perpetuitas, quæ Davidi fuit promissa, talis fuit, ut ad tempus regnum collapsum fuerit, & quasi pessundatum: sed tandem iterum exortus est surculus ex radice Isai, & Christus qui vere unicus & æternus est filius Davidis, ille sic regnare incepit, ut regni ejus nullus sit finis. Ergo quum Prophetæ negant fore qui sedeant in solio Davidis, non simpliciter intelligunt hoc, sed restringunt ad pœnam illam temporalem, qua regnum sic eversum fuit, ut tandem suo tempore illud Deus restituerit, quemadmodum dicitur apud Amos. Nam veniet tempus, inquit, quo Deus eriget ruinas ex tabernaculo Davidis.

Amos 9. vers. 11.

Nunc tenemus quomodo firma steterit promissio de regni perpetuitate, & tamen cessaverit regnum illud ad tempus, donec scilicet Christus veniret, cujus capiti imponeretur cidaris, vel diadema Regium, quemadmodum dicit Ezechiel.

Eze. 21. vers. 26.

Interea minime dubium est quin objecta fuerit hæc magna absurditas Jeremiæ, Quid? fierine potest, ut solium Davidis careat legitimo hærede? potesne detrahere Solem & Lunam è cælo? quemadmodum quum Prophetæ concionabantur de vastando Jerusalem, Quid? an non dictum est, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo? fierine potest, ut Deus careat domicilio suo in terris, præsertim quum vocet requiem suam?

Psal. 132. vers. 14.

sed facilis fuit solutio, nempe Deum manere veracem in suis promissis, quamvis ad tempus occultaret gratiam suam, ita ut vastitas illa horribilis omnibus exemplo esset, vastitas, inquam, tam Urbis quam Regni. Non dubium igitur est quin Prophetæ ostenderint regnum fore occultum quasi esset thesaurus sub terra defossus: interea tempus venturum quo tam Urbem, quam solium ipsum Deus rursus eligeret, ac restitueret pristinæ dignitati: quemadmodum quum Papistæ magnifice jactant quicquid legitur in Scriptura de conservatione perpetua Ecclesiæ: promittit Christus se adfuturum suis usque ad finem seculi, se fore in medio duorum vel trium qui convenerint in ipsius nomine, Ecclesiam esse columnam & firmamentum veritatis: congerunt illa omnia, ut ostendant Deum quodammodo esse sibi obstrictum.

Mat. 28. vers. 20. Mat. 18. vers. 20. 1 Tim. 3. vers. 15.

Sed facile diluimus frivolas illas objectiones: quia scilicet Deus mirabiliter, & non visibili forma conservat suam Ecclesiam in mundo: deinde quod non semper eminet Ecclesiæ superficies, sed interdum abscondita est, & postea emergit, & recuperat suam dignitatem quæ ad tempus poterat videri extincta. Ergo idem nunc Papistis respondemus quod olim Prophetæ veteri pupulo, Deum scilicet fidelem esse custodem Ecclesiæ suæ, sed non pro carnis sensu, quia mirabiliter Ecclesia à Deo sustinetur, & non communi more, aut ordine usitato, sicuti loquuntur. Dicit *cadaver Jojakim iri projectum, ut noctu sit expositum frigori, interdiu autem calori*. posset hoc videri frigidum, quemadmodum pueris dum minamur, proponimus illis spectra. quid enim potuit hoc nocere Jojakim, si ejus cadaver gelu nocturnum perferret? neque enim ulla noxa, vel ullus doloris sensus perveniebat ad cadaver ipsum: nullus est enim sensus hominis mortui, quoad corpus. Videtur ergo hoc quodammodo esse puerile quum dicit Propheta, *Cadaver ejus erit per dies expositum calori, & per noctes expositum frigori*. sed refertur hoc ad communem naturæ legem, de qua alibi diximus. est enim fœdum & triste, imo etiam horrendum spectaculum, quum videmus homines jacere insepultos: naturæ enim sensus hoc dictat, quum mortui sunt homines, sepeliendos esse: & religio sepulturæ ab initio mundi viguit in hominum cordibus, & fuit testimonium futuræ resurrectionis, quemadmodum alibi dictum fuit. Quum ergo jacet cadaver hominis insepultum, omnes tale spectaculum refugiunt atque exhorrent: & si frigore rigescat cadaver, deinde si putrescat æstu diurno, hoc auget indignitatem. Deus ergo voluit describere ignominiam Jojakim, non quod aliqua noxa ad eum perveniret, dum cadaver ejus projectum fuit, & caruit sepulchri honore: sed quia hoc testimonium fuit vindictæ Dei, quum Rex esset, tamen projici instar asini, vel canis, quemadmodum alibi vidimus, Sepultura asini sepelietur, hoc est, indignus censebitur communi honore, quia hoc etiam adipiscuntur postremi homines ex vulgo, ut reperiant fossas, in quibus lateant ipsorum corpora: quum autem Rex jacet expositus avibus, & bestiis, illic palam apparet quædam rara & insolita Dei vindicta. Scimus quid dicat Jehu de Jezabel, Sepeliatur canis ista, est enim filia Regis. erat digna quæ centies discerperetur, projecta etiam fuerat ex cœnaculo: deinde canes lambebant ejus sanguinem, sicuti dictum fuerat: hostis tamen jubet ut sepeliatur.

2 Reg. 9. vers. 34. 1 Reg. 21. vers. 23.

quare? quia est filia Regis, inquit, vel ex genere Regio: sepeliatur ergo. Nunc igitur tenemus consilium Prophetæ imo Spiritus sancti potius, nempe fore singularem hanc Dei vindictam, quod cadaver Regis Jojakim jacebit noctu & interdiu expositum

tam

tam frigori, quam calori. Contigit hoc etiam interdum sanctis, ut diximus: sed temporales pœnæ sunt communes bonis, & malis. interea attendere semper convenit ad Dei judicium. nam si quis pius careat sepulchro, omnia filiis Dei in bonum cedunt,
Rom. 8. vers. 28. quemadmodum dicit Paulus, sive mors, sive vita, & sunt adjumenta salutis. sed si Deus edat aliquod insigne documentum iræ suæ adversus hominem impium, aperiendi sunt oculi. nam cæcutire fas non est ad tam aperta Dei judicia. neque enim frustra admonet Paulus judicium Dei venire super impios: sed vult nos diligenter reputare quomodo Deus tam in vita quam in morte, atque etiam post mortem pœnas exigat de reprobis. Talis igitur fuit ratio Jojakim. Sequitur,

31. Et visitabo super eum, & super semen ejus, & super servos ejus iniquitatem eorum: & evenire faciam illis, (*super eos, ad verbum*) & super habitatores Jerusalem, & super virum Jehudah omne malum, quod pronunciavi adversus eos, & non audierunt.

Hic ratio exprimitur superioris sententiæ. nam si tantum dixisset Propheta, Cadaver Regis manebit insepultum, & projicietur cum dedecore, ut sit noctu & interdiu expositum frigori & calori, hæc narratio non satis habuisset efficaciæ. sed ostendit Deus causam, nempe quia præmonuerat regem Jojakim, & omnes ejus consiliarios (qui hic designantur nomine Servorum) deinde cives Jerusalem, & omnes Judæos in genere. Quum ergo mature edocti fuissent quantæ ipsis clades instarent, nemo tamen resipuerat: propter tantam obstinationem dicit Deus se vindicem fore. *Visitabo* igitur *super eum, & super semen ejus, & super totum populum iniquitatem eorum.* qualis est iniquitas? nempe quod quum tam graviter, & tot modis provocassent Deum, adeo tamen non redierunt ad sanam mentem, quum essent castigati à Propheta, ut magis ac magis obdurescerent. Extremum ergo iniquitatis hic notat Propheta, *quod non audierint minas illas*, quibus voluerat Deus ipsos eripere à præsenti interitu. erat enim aliqua spes salutis, si deprecati fuissent iram Dei. sed quia minæ illis contemptui fuerunt, hæc est, sicuti dixi, gravissima eorum iniquitas. Et videmus quantopere detestetur alibi Deus hanc diabolicam hominum superbiam: Vocavi ad saccum, & cinerem, vos Jesa. 22.
autem vocastis ad citharam, & lætitiam, & dixistis, v. 12.13.
Epulemur & bibamus, cras enim moriemur: sicuti ego vivo, ita nunquam delebitur hæc iniquitas. Deus jurat per seipsum hoc peccatum fore inexpiabile, quod scilicet Judæi non conversi fuerint quum illos minaciter ad se vocaret, & ostenderet non posse effugere extremam pœnam. Itaque non mirum est quod etiam hoc loco Deus tanquam summum cumulum iniquitatis statuit obstinatam malitiam, quod scilicet *non audierint Judæi objurgationes, quæ prolatæ fuerant ore Jeremiæ.* Sequitur,

32. Et (*tunc*) Jeremias scripsit volumen aliud, & dedit Baruch filio Neriæ scribæ, qui scripsit in ipso ex ore Jeremiæ cunctos sermones libri, quem combusserat Jojakim rex Jehudah igne, & adhuc additi sunt cum illis sermones multi similes illis.

Hic recitat Propheta se Deo fideliter paruisse in alio volumine scribendo: qua in re non vulgarem laudem meretur ejus constantia. nam trepide nuper aufugerat: sciebat à Rege sibi esse metuendum, quia jusserat tam ipsum, quam Baruch interfici. Quum ergo sciret Regem flagrare jam tanta iracundia, & odio, quomodo audet illum magis exasperare? sed videmus ut Prophetæ quamvis non caruerint sensu timoris, & sæpe anxii fuerint de suis periculis, tamen prætulisse semper propriæ vitæ functionem, quam Deus injunxerat. Minime dubium est quin trepidaverit Propheta: sed quia necesse erat parere Dei imperio, vitam suam contempsit quum alterutrum eligendum esset, nempe ut abnegaret onus sibi impositum, vel ut consuleret propriæ vitæ. Sic igitur quamvis non exuisset timorem & alias infirmitates, obtulit tamen vitam suam in sacrificium. hoc unum est. Nec vero dubito quin Baruch rursus sermones illos vulgaverit. qui factum est igitur ut Rex abstinuerit à sævitia? an forte mitigata erat ejus rabies? certe neque fuerat ipse mutatus neque clementer pepercit servis Dei: sed Deus cohibuit illius crudelitatem. quemadmodum ubi non vult animos impiorum mollire, frenat tamen ipsorum impetus, ne vel audeant, vel inveniant modum, etiamsi maxime conentur, quicquid mente conceperint manibus exequi. Sic igitur statuo retentum fuisse arcana Dei virtute regem Jojakim, ut non posset gravius quicquam statuere adversus Prophetam, & scribam ejus Baruch: interea diuturnam fuisse invictam animi magnitudinem tam ipsius Prophetæ, quam ejus scribæ: quia voluit Deus quasi consertis manibus certare cum impio illo Rege usque dum ignominiose dejectus esset è regno, quemadmodum paulo post contigit, sicuti videbimus.

Da omnipotens Deus, quando tam illustribus documentis nos admones, impios nihil aliud quam aggravare suam perniciem, dum tibi contumaciter resistunt, ut mansuetis animis suscipiamus Propheticas admonitiones, subjiciamus nos tibi, & sic humiliemur tuis minis, trepidemus etiam ad verbum tuum, ut quum fuerimus tacti vera pœnitentia, & fide tibi reconciliati, experiamur te optimum & suavissimum esse Patrem morigeris filiis, donec tandem fruamur æterna illa hæreditate, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-QUINTA IN JEREMIAM.

Cap. XXXVII.

Et regnavit rex Zedechias filius Josiæ pro Choniah (*Jechania*) filio Jojakim, quem constituit regem Nabuchadnezer rex Babylonis in terra Jehudah.

2. Et non audivit ipse, neque servi ejus, neque populus terræ sermones Jehovæ, quos loquutus est per manum Jeremiæ Prophetæ.

Hic

Hic narrat Propheta postquam tractus fuit rex Jehojakim in exilium, Judæos non ideo resipuisse, quum tamen Deus quasi violenter eos ad se traxisset. Fuit enim illa tam severa castigatio, ut prodigiosi fuerit stuporis in deterius prolabi. Dicit tamen Jeremias non fuisse correctos illa pœna, quoniam Zedechias, qui successerat in locum Jechaniæ, respuit sanam doctrinam, nec paruit Prophetæ consilio. Tenenda autem historia est, ut sciamus quid sibi velit Propheta. Judæi constituerunt regem Jechaniam in locum patris: sed tertio mense venit exercitus regis Babylonii: tunc Jechanias ultro se dedidit. Dixerat autem Propheta nullum fore successorem legitimum Jehojakim: & id completum fuit, quamvis solio impositus fuerit ejus filius. trimestre enim illud regnum fuit quasi ludicrum puerile: ideo pro nihilo ducitur. Quum autem videret Nabuchadnezer via posse cohiberi populum absque rege, constituit Mathathiam, quem ipse Zedechiam vocavit. Hic etiam statim defecit ad Ægyptios, & pepigit cum illis fœdus, ut excuteret jugum regis Babylonii. Dicit ergo Propheta, quum Zedechias edoctus fuisset exemplo nepotis sui Jojakim, & Jechaniæ, non tamen fuisse emendatum in melius. Non reprehendit simpliciter ingratitudinem: certum quidem est duriter reprehensum fuisse à Propheta quod perfide egisset cum rege Nabuchadnezer. debuerat enim fidem datam servare usque ad extremum. Ultro autem excogitavit rationem, qua ab ipso deficeret: nulla intercesserat nova causa, sed tantum ut se eximeret tributo: deinde, ne objicerent malevoli eum precario regnare, & esse mancipium alieni regis. Quoniam ergo videbat regnum suum obnoxium fore multis probris, nisi à Babylonio deficeret, pepigit fœdus cum Ægyptiis: illud reprehensione fuit dignum: sed Propheta hic generaliter loquitur de obstinata ejus pravitate, atque etiam totius populi. *Regnavit ergo Zedechias*, inquit, *filius Josiæ: & ita patruus Jehojakim regnavit pro Choniah* Hic truncatum est nomen Jechaniæ ignominiæ causa, sicuti probabile est, & communi etiam sententia esse receptum vidimus. Vocatur igitur per ludibrium Chaniah, quum nomen ejus integrum esset Jechanias. Dicit *constitutum regem à Nabuchadnezer*, ut inde manifesta fiat ejus perfidia & ingratitudo. Adjungit *ipsum non audisse sermonem Jehovæ, neque servos ejus, neque totum populum.* Dixi damnari Zedechiam, non simpliciter quia consilio Prophetæ non paruerit, ut fidem præstaret regi Nabuchadnezer: sed quia retinuit patrum superstitiones, quia corrupit ipse quoque verum Dei cultum, neque potuit revocari ad Legis doctrinam. Hæc igitur inobedientia cujus fit mentio, generaliter extenditur ad totam Legem Dei, vel ad duas tabulas, quod scilicet tunc degeneres fuerint Judæi cum Rege suo, nec pure Deum coluerint, sed contaminarint se & Templum impiis & fœdis superstitionibus: deinde quod libidinosi, avari, crudeles, violenti, fraudulenti fuerint, & ita abjecerint totam Legis doctrinam. Fuit autem hoc miræ cæcitatis, quum ante oculos versari deberet Urbis clades & contumelia Regi inflicta. Dicimus enim quum jugulati fuissent in ejus conspectu filii, erutos fuisse ei oculos, & catenis vinctum postquam damnatus est capitali judicio tanquam reus. Debuit igitur merito terrere & Zedechiam, & reliquos omnes tale exemplum, ut tandem saperent, & studerent se Deo reconciliare. Dicit autem Propheta *non auditum fuisse ab illis Dei sermonem* Ponit Regem, deinde ejus Consiliarios, & tertio totum populum: quasi diceret dementiam hanc non modo fuisse in Rege, sed grassatam in ejus Consiliariis, & in toto vulgo, ita ut nemo esset excusabilis. Incipit igitur à capite, nempe à Rege ipso, deinde ostendit ejus Consiliarios nihilo fuisse meliores: & tandem adjungit vulgus ipsum, in quo potuit videri minor esse culpa. Scimus enim imperitia & errore labi vulgares homines: sed Propheta hic pronunciat fuisse etiam infimos ex plebe Deo immorigeros. Notanda est loquutio, *quod non audierint sermonem Jehovæ quem loquutus fuerat per manum Jeremiæ.* Significat enim quamvis non appareat Deus è cælo, sufficere ad incredulos damnandos, si loquatur per Prophetas. Non est igitur cur tergiversentur impii, quemadmodum objiciunt sibi non esse in animo Deum & ejus doctrinam rejicere: sed se non tantum deferre mortalibus, ut illis se subjiciant, & hominum sermones non esse habendos pro cælestibus oraculis. nihil proficiunt hoc cavillo, quia Deus vult audiri in servis suis: quamvis se non ostendat è cælo, neque visibili forma loquatur, satis est quod semel testatus fuit post Legis promulgationem semper fore Prophetas in populo, & jussit eos reverenter audiri. Interea non poterant etiam Judæi effugia captare, quibus fere utuntur impii, nempe quod certo discernere nequeant inter veros & falsos Prophetas. Nam si examinassent doctrinam Jeremiæ, habebat certas notas, unde facile poterant perspicere prorsus Legi esse consentaneam. Ergo quod Prophetam respuerint cum doctrina cælesti, hoc factum fuit mera contumacia & contemptu, non autem errore. Sequitur,

3. Et misit rex Zedechias Juchal filium Selemiæ, & Zephaniam filium Maasliæ Sacerdotem (*vel Sacerdotis*) ad Jeremiam Prophetam, dicendo, Ora agedum pro nobis Jehovam Deum nostrum.

4. Et Jeremias (*autem*) ibat & egrediebatur in medio populi: necdum posuerant eum in domum clausuræ. (*vel carceris.*)

5. Et exercitus Pharaonis egressus erat ex Ægypto: & audierant Chaldæi qui oppugnabant Jerusalem famam de illis, & ascenderant à Jerusalem.

6. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam Prophetam, dicendo,

7. Sic dicit Jehovah Deus Israël, Ita dicetis regi Jehudah, qui misit vos ad me ut me interrogaretis, Ecce exercitus Pharaonis, qui egressus est vobis in auxilium, reversus est (*revertetur, potius*) in terram Ægypti:

8. Et redibunt Chaldæi, & oppugnabunt hanc urbem (*præliabuntur contra urbem hanc*) & capient eam, & comburent eam igni.

Exposuit breviter Jeremias qualis esset urbis & terræ status, nempe quod jam duriter castigati pluribus Dei ferulis, manerent tamen obstinati in sua malitia: nunc adjungit *missos fuisse legatos à Zedechia rege*, quum instaret à Chaldæis periculum. Probabile autem est hanc legationem venisse ad Jeremiam quo tempore jam soluta erat obsidio: vel si adhuc Urbs obsidebatur, minime dubium est quin spes aliqua oblata esset Judæis venturi auxilii: tamen videbant quanta esset potentia Regis Babylonii. Quamvis ergo aliquid sperarent ab Ægyptiis, perplexi tamen erant: & trepidatio Regem compulit ut mitteret legatos ad Prophetam Jeremiam. Ex responso autem apparet Ægyptios jam esse in armis, deinde egressos esse ut obsidionem solverent, & ejicerent Chaldæos è Judæa. Ergo videmus Regem fuisse ab una parte inflatum vana fiducia, quum videret Ægyptios ad ferendam opem venire cum valido exercitu: sed in-

terea fuisse sollicitum, quia necesse est impios, dum se ad securitatem confirmant, vacillare tamen, quia urget eos judicium Dei. Sunt igitur meticulosi, quamvis cupiant modis omnibus omnem metum excutere. Zedechias ergo quum putaret statim se liberatum iri ab omni periculo, non tamen potuit anxietatem prorsus cavere: & ideo misit ad Jeremiam: sicuti impii solent Deum quærere, sed non serio affectu. Defungi ergo cupiunt: sed interea neque fidem afferunt, neque pœnitentiam, quibus solis patet ad Deum accessus. Narrat autem Jeremias *se tunc fuisse liberum*. Fuerat jam forte in carcere: sed postquam deferbuerat iracundia vel Regis, vel populi, tunc poterat egredi. Ergo dicit tunc versatum *fuisse in medio populi*, hoc est, fuisse solutum, & sui juris, ut tuto per urbem incederet. venire enim & egredi accipitur de variis actionibus inter quas versamur. Dicitur ingredi & egredi qui nunc negotium hoc, nunc illud suscipit, ut scimus homines non semper unum aliquid agere, sed ferri ad varias actiones prout usus postulat. Talis ergo tunc fuit conditio Jeremiæ, nempe ut libertas esset vitæ communis. Adjungit causam, *Quia nondum conjectus fuerat in carcerem*, sicuti paulo post contigit. Secundo dicit *exercitum Pharaonis tunc fuisse egressum, ut Judæis auxiliaretur*, & ita solutam fuisse obsidionem ad tempus, quia profecti sunt obviam Ægyptiis Chaldæi, & commissum fuit prælium, ut vulgo existimant. Quicquid sit, satis constat reversos fuisse cum ignominia Ægyptios. Illo igitur tempore responsum accepit Jeremias à Deo. Ergo non videtur probabile, missos fuisse legatos quum rumor esset sparsus de adventu hostium, sed potius quum jam urbs esset semilibera. erat enim adhuc dubia populi conditio. Nam pendebat libertas urbis & terræ ab incerto belli eventu. nondum enim confixerant Chaldæi cum Ægyptiis. victoria Pharaonis pollicebatur prosperum & tranquillum statum Zedechiæ, & toti populo. Quod si superiores essent Chaldæi, videbant sibi instare gravius periculum, quia destituebantur tunc omni auxilio. In illo igitur dubio statu mittit Zedechias legatos ad Jeremiam, ut illum hortentur ad preces. Ita videmus hypocritas percelli Dei metu, quem tamen superbe contemnunt, ut cogantur ad ejus opem confugere: nec id coram hominibus simulant, sed quia Deus ipsos constrictos tenet, ut sentiant ipsi se opus habere ejus auxilio. Quemadmodum dixi, vellent abolitam esse omnem Dei memoriam: deinde si in ipsis esset, libenter eum spoliarent omni potentia & imperio: sed quia, velint nolint, coguntur sentire Deum sic regnare in cælo, ut ejus potentiæ subjectus sit totus orbis, ita necessitas eos trahit ut Deum perfunctorie orent, & concilient utcunque ejus gratiam, vel saltem hoc facere conentur. Sed, quemadmodum jam dixi, incipiendum erat à pœnitentia, & fide. Hypocritæ autem quantum in se est, sese subducunt tam à promissionibus Dei quam à doctrina pœnitentiæ. Sic ergo Deum quærunt, ut simul fugiant. Deinde notandum est, Zedechiam fuisse ita convictum, ut non posset ipse precari. Quum ergo sibi conscius esset propriæ indignitatis, Prophetam interposuit quasi medium, qui suppliciter coram Deo intercederet. Hoc etiam sæpe agunt fideles. nam accersunt hinc inde subsidia ut facilius exaudiantur à Deo: idque faciunt Deo præcipiente. Verum magnum est discrimen inter pios & hypocritas. Sinceri Dei cultores, ut dixi, non erunt contenti suis precibus, sed alios etiam rogabunt ut adjungant sua vota: Deum tamen ipsi quoque precabuntur. hypocritæ autem quid? quia putant se prohiberi ab accessu, & sentiunt se indignos qui Dei opem implorent, alios substituunt suo loco tanquam vicarios: ita non tentant an Deus futurus sit illis placabilis, & quamvis cuperent totum mundum precari, interea ipsi cessant. Talis igitur fuit socordia Zedechiæ, qui sanctum Dei Prophetam rogavit ut preces suas interponeret apud Deum: ipse autem in suis fæcibus obtorpuit, quia non agnovit se justas dare pœnas: deinde non consuluit sibi legitimo remedio, nempe ut studeret cum Deo in gratiam redire, amplecteretque gratiæ & salutis promissiones. quæ igitur præcipua erant omisit: tantum arripuit hoc accessorium, ut loquuntur. Jam in circumstantia temporis diligenter notandum est venisse Ægyptios, ut suo periculo solverent obsidionem. Ita Deus ad tempus permittit prospero eventu falli hypocritas. Tunc enim cœperunt Judæi suam prudentiam laudare, quod fœdus pepigissent cum Ægyptiis. erat enim regnum illud opulentum, ut satis notum est: simulque populosum, unde poterant educi magnæ copiæ. Quum ergo viderent feliciter sibi cessisse fœdus illud, minime dubium est quin sibi plausum dederint, atque ita creverit illis audacia. Sed Deus tamen sic pupugit eorum animos, ut manerent suspensi: deinde ut per vices sibi timerent. neque enim Zedechias misisset ad Jeremiam nisi compulsus magna necessitate: & tamen, ut dictum fuit, prosperitas poterat illum inebriare, verum est: sed interea Deus reddidit illum sollicitum, ut sciret sibi necessariam esse Prophetæ deprecationem. Jam sequitur responsio. dicit Jeremias sibi datum fuisse sermonem à Deo, ut renunciaret legatis Zedechiæ, brevi redituros esse Chaldæos. Dicit igitur, *Ecce exercitus Pharaonis qui egressus fuerat ad vos liberandos, redibit in terram suam*, nempe coactus, sive prælio victi fuerint Ægyptii, sive perculsi timore sponte se receperint, & delituerint in suis urbibus. Dicit Propheta nihil utilitatis sperandum esse ab illo Ægyptiaco auxilio, quia scilicet redibunt milites Pharaonis in terram suam. Deinde adjungit, *& revertentur Chaldæi, & prœliabuntur contra hanc urbem, donec eam capiant, & exurant.* Fuit hoc durum responsum: nec dubium est quin magnopere exasperatus fuerit Zedechias audito hoc nuncio, & graviter etiam excanduerit adversus Prophetam, qui tam libere audebat ultimam cladem Urbi & populo minari. Sed hic Propheta despicit superbiam Regis quia necesse habet obsequi Dei mandato. Fungitur itaque vocatione sua intrepide: & simul perstringit regem Zedechiam, *Dicite Regi qui vos misit ad me interrogandum.* דרש significat quidem quærere generaliter, sed Propheta hic intelligit se fuisse interrogatum: & tamen illud non fuerat dictum ante. Duntaxat enim retulit missos fuisse legatos, qui peterent ut pro Regis & populi salute precaretur. Sed scimus Scripturam sæpe alteram partem ex duabus prætermittere. & colligere licet Regem non tantum misisse, ut deprecator esset Jeremias, sed ut aliquod lætum vaticinium afferret à Domino. Cur enim potius ad ipsum se confert quam ad summum Sacerdotem, vel ad alios quoslibet, nisi quia verum esse Dei Prophetam agnoscit? voluit ergo Zedechias Jeremiam precari, sed simul elicere tentavit aliquod lætum vaticinium, quo sublevaretur. Jeremias ergo oblique exprobrat quod ficte ad eum se conferat, quasi paratus sit audire quicquid pronunciaverit Deus per os servi sui: *misit vos ad interrogandum me*, decipitur. neque enim adipiscetur quod capiat. Sic enim Deus loquitur, Ægyptii nihil vobis proderunt, & redibunt Chaldæi, qui Urbem capiant & comburant. Nunc ergo tenemus, dum hypocritæ per suos circuitus simulant se Deum quærere, non consequi quod optarent. Deus enim merito ipsos frustratur, quia sincere mentes suas, & affectus, & sensus ad eum non dirigunt. vellent enim Deum transformare in naturam suam, & mores: neque sese flectunt in ejus obsequium nec se subjiciunt ejus Verbo. Ita fit ut Deus non respondeat ipsorum votis. fideles qui Deum sincere ex animo quærunt, semper reperient illum propitium etiamsi non statim ipsos exaudiat, vel saltem si re ipsa non ostendat sibi curæ esse ipsorum salutem.

Sed

Sed digni sunt hypocritæ, quorum fiduciam, ut est inanis & ventosa, Deus ludibrio habeat. Hæc igitur ratio est cur tam duriter respondeat Propheta Zedechiæ, & ejus legatis. Jam sequitur,

9. Sic dicit Jehovah, Ne efferatis animas vestras, (*vel, cum puncto diverso, Ne decipiatis: quia duæ sunt lectiones, תשאו, aut תשיאו. Ne ergo efferatis vos, vel ne decipiatis animas vestras*) dicendo, Proficiscendo proficiscentur à nobis Chaldæi: quia non proficiscentur.

10. Quia si percusseritis totum exercitum Chaldæorum, qui præliantur vobiscum, (*vel qui vos oppugnant*) & residui fuerint ex illis viri transfixi, (*hoc est, vulnerati*) quisque è tabernaculo suo consurgent, (*hoc est, singuli ex tabernaculo suo*) & exurent hanc urbem igni.

Confirmat Propheta superiorem sententiam necesse enim fuit hoc adjungere: quia tametsi non poterat Zedechias se eavere omni cura & metu, fuisset tamen commotus illo vaticinio, & ita obduruisset ad majorem contumaciam: quemadmodum hypocritæ ubi vident se nihil proficere, ut optabant, tunc furiose contra Deum ruunt, & sese præcipitant. hoc ergo poterat accendere tam Zedechiam quam Judæos: ideo Jeremias adjungit confirmationis causa, *Ne efferant animos suos*, vel ne se decipiant, quia sparsa fuerat fama de Ægyptiaco exercitu. Dicit igitur non esse cur Judæi quicquam levationis expectent. Adjungitur ratio: *Etiam*, inquit, *si percusseritis Chaldæos, ita ut pauci fuerint residui, illi tamen surgent è suis tabernaculis, & exurent hanc urbem.* Significat Propheta stulte & perperam facere Judæos, dum oculos conjiciunt in prosperos eventus, & inde etiam faciunt judicium. Hortatur ergo ut desinant pendere à tali fiducia, quæ ipsos decipiet, quia dicit quamvis multis præliis sint superiores, ut fortuna belli ipsis arrideat, tamen ipsos non posse effugere ultimam cladem, quia negotium sit illis cum Deo. Perinde igitur est acsi diceret non debere æstimari ex præsenti statu quid futurum sit, quia Deus cum ipsis suscepit bellum: ac proinde si Deus statuit eos perdere, quamvis nemo sit hostis, posse tamen solo flatu eos omnes interficere. Ergo eadem ratione colligit posse impellere Chaldæos, *etiamsi pauci numero supersint, & quidem vulnerati, ut surgant tamen è suis tabernaculis*, ut incendium subjiciant ædibus Jerosolymæ. Urbs igitur hæc comburetur. ne quærita à quibus, vel quando. Deus enim utetur hac in re Chaldæorum opera, quoniam ita statuit. Hinc etiam conjicere promptum est Judæos aliquando fuisse victores, saltem fortiter repulisse hostes suos quum urbem oppugnarent. Neque enim hoc diceret Propheta, nisi quia videbat Judæos spem liberationis concipere, dum aliquoties experti fuerant fortunam belli sibi esse propitiam. Dicit igitur hoc totum esse frivolum, quia tandem urbs eorum peribit incendio. Sed principium quod dixi, tenendum est. Sumit enim pro confesso Jeremias cladem urbis Jerosolymæ non pendere à viribus regis Nabuchadnezer, neque à potentia ejus exercitus, aut multitudine, aut militum audacia, sed pendere à judicio Dei. Quum ita sit, *quamvis pauci*, inquit, *maneant superstites, & sint vulnerati*, hoc est, jaceant quasi semimortui, *surgent tamen vir è tabernaculo suo*, hoc est, non turmatim neque acie disposita, neque sub vexillo, ut solent milites: sed vir, hoc est, singuli, quamvis nemo adsit socius, quamvis sint dispersi, tamen animose *surgent ex suis tabernaculis*. Denique significat etiamsi tantum cum umbris sit certamen, non posse tamen effugere ultimam illam vindictam, quam Deus minatus fuerat. Hoc sensu dicit, *surgent vir*, hoc est, quisque *è tabernaculo suo, & urbem hanc accendent.* Jam non dicit urbe potituros esse Chaldæos: non loquitur de expugnatione, sed tantum de incendio. Significat igitur, quamvis in Chaldæis nullæ sint vires ad nocendum, sufficere quod armati sint divinitus, ut subjiciant ædibus incendium: quemadmodum mulieres & pueri sæpe totas urbes exurent, vel pagos. Neque enim opus est illic vel fortitudine, vel magna industria. Sic ergo pronunciat Deus quamvis Chaldæi ad pugnam instructi non sint, fore tamen validiores, etiamsi decumbant & jaceant quasi exanimes post accepta vulnera. Hæc summa est.

Da omnipotens Deus, quando dignaris nos comiter ad te invitare, & nobis reconciliationem proponis in Filio tuo unigenito, ne pergamus nostris sceleribus te magis ac magis in nos provocare, & accendere ignem vindictæ tuæ in capita nostra: sed ita nos tibi subjiciamus, ut sincero pœnitentiæ affectu, vera etiam fide confugiamus ad tuam misericordiam, ut te experiamur nobis placabilem: & ita materiam nobis suppedites glorificandi nominis tui, postquam nostri misertus fueris, in eodem Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-SEXTA

IN

JEREMIAM.

11. Et accidit postquam ascenderat exercitus Chaldæorum ab Jerosolyma propter exercitum Pharaonis,

12. Tunc egressus est Jeremias Jerosolyma, ut proficisceretur in terram Benjamin, ut divideret illinc in medio populi.

13. Quum esset in porta Benjamin, illic erat magister custodiæ, cujus nomen Jiria filius Selemiæ, filii Chananiæ, qui apprehendit Jeremiam Prophetam, dicendo, Ad Chaldæos tu cadis. (*aut dilaberis: hoc enim significat verbum נפל.*)

14. Et dixit Jeremias, Mendacium, non dilabor ad Chaldæos. sed non audivit eum: & apprehendit Jiria Jeremiam, & deduxit eum ad Principes.

Hic enarrat Jeremias quomodo & qua occasione conjectus fuerit in carcerem. dixerat paulo ante se versatum fuisse in medio populi: nunc autem describit sævitiam Principum, quod non modo eum conjecerint in carcerem, sed potius in sepulchrum, quia projectus fuit in lacunam, ut videbimus, ut mirabiliter ereptus fuerat à morte: neque id semel factum est: sed videbimus tamen ante finem capitis fuisse crudeliter tractatum, ut non secus timeret redire in eum locum, acsi trahe-

heretur ad mortem. describit tempus, quo id factum est, nempe quum exercitus Chaldæorum profectus esset obviam Ægyptiis: tunc liber fuit egressus ab urbe: nemo ante poterat egredi, quum portæ essent clausæ: deinde quum urbs undique obsessa esset ab hostibus. Tunc ergo dicit *se egressum, ut veniret in terram Benjamin*, è qua erat oriundus, quemadmodum alibi visum fuit. Sed postea addit *se fuisse exceptum à præfecto custodiæ*, quum esset *in porta Benjamin*. Porta illa nomen sumpserat à situ. nam pars Jerosolymæ fuit in tribu Benjamin. Et ideo non mirum est, portam quæ tendebat versus hæreditatem tribus Benjamin sic fuisse vocatam. Illic ergo exceptus fuit Jeremias à Jiria, qui præfectus erat custodiæ: nec sine gravi calumnia, quasi transfugeret ad Chaldæos. Propheta purgare se tentavit, sed absque profectu: quia invaluerat opinio illum jam pepigisse cum hostibus. Itaque nihil adeptus est sua excusatione, sed tractus fuit ad Proceres, vel Regis consiliarios. Hic locus docet non posse effugere servos Dei, quin multis & calumniis & sinistris suspicionibus obnoxii sint. Potuit hoc ab initio Jeremias conjicere, & pro carnis sensu fuisset hæc legitima exemptio vel immunitas, quia jam ante oculos objiciebatur periculum non modo vitæ, sed famæ & existimationis: quod pluris est apud homines ingenuos & cordatos. Potuit igitur Jeremias si vellet tergiversari, obtendere hunc colorem, Ego quidem paratus sum centies vitam hanc offerre in sacrificium: sed quid proderit, si habear pro transfuga? sic enim objiceretur ipsum Dei nomen multis blasphemiis: dicent, Hic est ille Propheta qui gloriatus est se divinitus fuisse missum: atqui est perfidus & proditor suæ patriæ, & conatus est tradere urbem in manus hostium. Poterat ergo ita Jeremias onus sibi impositum excutere: sed oportuit subire hanc ignominiam, qua falso gravatus fuit. Debent quidem pii doctores quantum in se est, occurrere omnibus calumniis, & compescere improbos ac maledicos, ne qua sit illis occasio maledicendi, sed ubi omnia præstiterint, nunquam tamen se prorsus eximent ab hac necessitate: quin scilicet eorum dicta & facta trahantur in sinistram partem. Sic ergo Jeremias oneratus fuit falsis præjudiciis: quandoquidem ita omnes sibi persuaserant, quum tantopere extolleret potentiam regis Nabuchadnezer, ipsum quasi mercede emptum esse, ut populum terrore dejiceret: forte etiam falsis delationibus eum apud imperitos gravaverant improbi scientes & volentes. Quum ergo sic de ipso passim essent persuasi, statim comprehensus fuit pro transfuga, quum vellet egredi urbe. Dicit autem *sibi fuisse in animo proficisci in terram Benjamin*, ut separaret se. חלק significat dividere, & dispergere, & dissipare: ideo quidam accipiunt alio sensu, quod hæreditatis dividendæ causa profectus fuerit in terram Benjamin. sed illud est durum & coactum. Addunt, In medio populi, acsi Jeremias vellet communem facere agrum suum, & dare populo. sed in hac expositione nihil est probabile, vel consentaneum. Ego igitur non dubito quin Jeremias quæsierit locum pacatum, sicuti major pars interpretum accipit. *Egressus est* ergo *versus terram Benjamin, ut divideret*, hoc est, ut se subduceret illinc in medio populi. Est quidem dura loquutio, sed sensus non est ambiguus, *ut illic esset*, quo scilicet distantia locorum separaret ipsum à populo. Tædebat enim ipsum Urbis, quia videbat se frustra operam consumere. Quidam intelligunt eum timuisse ne conjiceretur in carcerem, quia odiosum nuper mandatum pertulerat. sed magis probabile est tædio fuisse confectum, quia videbat se nihil consequi apud homines tam duros & refractarios. hinc ergo factum est ut cuperet se subtrahere à conspectu totius populi. Jam sequitur quod diximus, *ipsum fuisse exceptum in porta à custode Jiria*, quasi transfugeret ad Chaldæos. Diximus unde suborta fuerit suspicio, quia scilicet bona fide exposuerat mandata Dei. Ergo videmus ut Deus exercuerit servum, ubi coëgit sic loqui, quo incideret in sinistros sermones. Hinc autem colligitur quam penitus infixa fuerit animis hominum falsa illa opinio, quod Jeremias se purgando non fuerit auditus. Libere quidem dixit se non transfugere, imo hoc esse falso confictum. *Mendacium est*, inquit, *non fugio ad Chaldæos*. Jam admonui verbi נפל, quod hic ponitur, propriam significationem esse cadere: sed per metaphoram accipitur pro dilabi, vel inclinare in aliquam partem. *Tu ergo cadis*, vel inclinas, *ad Chaldæos*, quod tantundem valet atque transfugere. Videmus Prophetam non vulgari crimine hic onerari. Fuisset enim hoc summum scelus, relicta patria ad hostes transire: præstabat centies mori. Sed quemadmodum jam dixi, servos Dei sic animosos esse oportet, ut contemnant improborum maledicentiam: & quia sic placet Deo, sese ad tolerantiam comparent, ubi subeundum est aliquod dedecus, modo bona conscientia ipsorum semper coram Deo, & Angelis respondeat: deinde ut eorum etiam integritas refellat omnes obtrectationes, modo sint qui ipsos audire sustineant. Quod si non semper admittitur defensio, hanc quoque indignitatem devorent. Et hoc etiam notandum est, servos Dei etiamsi parati sint crimina sibi objecta diluere, & capitis sui periculo tueri suam innocentiam, tamen repelli & damnari inauditos. Hoc quidem est indignum, sed tamen quia Jeremiæ accidit, non debet hodie nobis durum aut novum videri. Nunc sequitur,

15. Et ebullierunt (*iracundia*) Principes (*nam* קצף *hoc significat: vel, efferbuerunt Principes*) contra Jeremiam: & percusserunt eum: (*alii vertunt transitive, percutere fecerunt: sed proprie est percutere, aut verberare. percusserunt ergo eum*) & posuerunt ipsum in domum carceris, in domum Jonathan scribæ, quia ipsam fecerant (*id est, constituerant*) in domum carceris.

Hic prosequitur Jeremias eandem narrationem, & exponit quam injuste fuerit oppressus, quia nihilo plus æquitatis expertus est in ipsis Proceribus, quam in custode portæ, vel præfecto. Non dubium est quin apud ipsos quoque paratus fuerit causam suam defendere: & satisfactio erat in promptu, modo loquutus non esset apud surdos. Sed hic uno verbo ostendit sibi præclusam fuisse copiam loquendi, quoniam fervor illos abripuit ut non audirent. Et hinc etiam observandum est quantopere adversetur iracundia justis & pacatis judiciis. nam si volumus recti & æqui esse judices, necessaria est in primis moderatio. ubi igitur animi accensi sunt iracundia, fieri non potest ut vigeat ulla rectitudo vel humanitas. Sic Jeremias conqueritur se fuisse oppressum, quia scilicet efferbuit Principum iracundia, ut non sustinuerint locum dare justæ excusationi, quæ parata erat. Postea addit, *Et percusserunt eum*. Minime dubium est quin ministris suis percutiendum dederint. fuisset enim hoc nimis absurdum, Proceres surgere, & pugnis verberare Prophetam, vel incutere colaphos. Probabile igitur est percussum fuisse ipsorum imperio, & jussu. Hæc ratio est, nisi fallor, cur verterint quidam interpretes, Percutere fecerunt. Sed sæpe dicitur occidisse hominem, qui jussit occidere, quamvis non attigerit ipsum digito. Sic etiam percussus fuit Jeremias à consiliariis Regis, quia mandarunt ut percuteretur. Et hic etiam locus quasi in speculo ostendit quam misera sit conditio servorum Dei, nisi ipsos sustineret Spiritus sui virtute.

tute. Nam hic obruitur sanctus Propheta injustis criminibus, deinde contumeliis: & non abstinent Principes à verberibus: tandem projicitur in lacunam. Quoties ergo nobis tale aliquid ferendum erit, conjiciamus oculos in exemplum Jeremiæ, & ne pigeat nos sequi sancti Prophetæ vestigia, neque indigne feramus nobis eadem objici certamina, quibus Deus ipsum exercere voluit. *Posuerunt*, inquit, *ipsum in domum custodiæ*: deinde mutatur nomen, ponitur nunc אסור, sed eodem sensu. Sequitur nunc qualis fuerit ille carcer.

16. Ex quo venit (*nam* כי *accipitur pro adverbio temporis, meo judicio, quanquam hoc non observant interpretes. Ex quo, inquit, venit*) Jeremias in domum lacus, (*vel custodiæ. aliquando etiam* בור *significat sepulchrum: sed accipitur pro fovea, vel pro loco profundo: intelligit obscurum fuisse & tetrum illum carcerem*) & ad mansiones, (*nescio cur vertant quidam cauponarias domos, proprie enim* החנות *accipit pro angustis carceribus, quos vocamus hodie* Cachots. *Fuit igitur projectus in lacum vel cisternam, ubi erant angusta loca, ne scilicet posset sanctus vir vel spatiari, vel libere surgere, & stare, & sedere, & cubare: nam angustia loci est instar equulei interdum. ergo Propheta ostendit se fuisse constrictum angusto loco, ita ut vix posset vel sedere, vel cubare, vel manere in statu. Dicit se fuisse illic dies multos*) fuit ibi Jeremias diebus multis.

Notanda est hæc circumstantia. Jam quidem illud per se erat crudele, hominem innoxium postquam verberibus fuerat affectus, in carcerem detrudi: sed ubi eligitur carcer obscurus, & profundus, deinde ubi constringitur in locum angustum acsi esset in compedibus, hoc auget indignitatem. Quum ergo tam atrociter vexatus fuerit sanctus Propheta, ne miremur si hodie idem patiendum sit Dei filiis propter causam communem, nempe propter testimonium cælestis doctrinæ. Et diuturnitas etiam accessit, quæ augeret molestiam. Neque enim ad triduum, vel unum mensem duntaxat, sed usque dum capta fuit urbs, retentus fuit in carcere. non in illo quidem: Rex enim transtulit eum, ut mox videbimus, in atrium custodiæ: secundo tamen iterum conjectus fuit in fœtidum carcerem, acsi morti esset destinatus: illinc postea retractus est etiam jussu Regis. Sed Propheta dicit *se fuisse etiam in illa fovea per dies multos*. Nunc sequitur,

17. Et misit Rex Zedechias, & sustulit eum: & interrogavit eum rex domi suæ in secreto loco, (*hoc est, seorsum*) & dixit, Estne sermo à Jehovah? Tunc dixit Jeremias, Est: & dixit, In manum regis Babylonis traderis.

Ex his verbis colligimus regem Zedechiam, quamvis non obtemperaret bonis & sanis consiliis, imo non pareret Deo, & ejus doctrinæ: tamen non fuisse ex pessimis, quia vocavit ultro ad se Prophetam, & voluit expiscari an posset aliquo modo Deum placare. Denique hic nobis exprimitur quale fuerit Zedechiæ ingenium. nolebat se Deo subjicere, & ejus verbo: interea non erat crudelis, ut sæviret adversus Prophetam: deinde non prorsus abjecerat omnem timorem Dei, omne studium pietatis, omnem denique reverentiam Propheticæ doctrinæ. Neque enim dubium est quin acciverit ad se Jeremiam ut sanctum Dei servum, & detulerit aliquid honoris, & optaverit Deum sibi esse propitium. Sed ita solent hypocritæ: libenter paciscerentur cum Deo: interea volunt manere integri, hoc est, semper retinent pravos suos affectus. Denique vellent ita transigere, ut Deus cederet jure suo, & permitteret illis omnem peccandi licentiam. Talis fuit Zedechias, & tamen non pervenerat usque ad cumulum impietatis, quia adhuc Prophetam reverebatur, nec tam sævus erat & crudelis, ut omnes ejus Consiliarii. Vocat igitur eum ad se, & interrogat clanculum, ne quid scilicet decedat Regiæ dignitati, quemadmodum alio loco videbimus. Rogat enim simpliciter Prophetam, ne palam loquatur, quia perderet hoc modo auctoritatem suam. *Interrogat* igitur *in secreto*, quia perplexus erat. Optabat quidem sibi dari aliquod lætum responsum: sed vix audebat illud sperare, ideo Prophetam abducit in locum secretum, & interrogat absque teste: *Estne*, inquit, *verbum à Deo?* Quidam ita exponunt, acsi Zedechias sciscitatus esset an vera essent vaticinia Jeremiæ, quasi diceret, Quod loquutus es hactenus an à Deo profectum fuit? sed inepte ita exponunt: potius interrogat an aliquid nuper acceperit Propheta. Ergo cuperet afferri sibi recentem nuncium, & audire aliquid de futura urbis liberatione. Neque enim dubium est quin persuasus fuerit Jeremiam hactenus defunctum fuisse Prophetæ officio, ut decebat, quandoquidem non interrogat ut hominem vulgarem, neque ipsum habet pro impostore, sed quærit an sit aliquis sermo à Deo. hoc est quod nuper dicebam, hypocritas scilicet semper captare Dei gratiam, sed stulta ratione, quia vellent Deum morigerum esse pravis cupiditatibus. Deus autem seipsum abnegare non potest. Ergo stulte Zedechias, quamvis in speciem ostentet aliquem affectum pietatis, interrogat *an sit sermo à Jehovah*, hoc est, an aliquid nuper patefactum fuerit Jeremiæ. Respondet Propheta, *Est*: nempe, *Traderis in manum Chaldæorum*. Hic notanda est Prophetæ libertas, quod tantis malis non fuerit subactus, quin semper exequeretur munus sibi injunctum. Respondet igitur cordate Regi, nec sine periculo. *Traderis*, inquit, *in manum Chaldæorum*. Vix enim egressus erat à carcere, illic fuerat demersus quasi in sepulchro: & videbimus carcerem illum fuisse instar mortis. & Propheta non fuit exutus infirmitate & metu, quemadmodum mox testabitur: tamen timor non obstitit, quo minus constanter perageret munus sibi mandatum. Quamvis ergo exhorreat Propheta carceris molestiam, quamvis mortem quoque metuat, superat tamen omnes affectus, & offert vitam suam in sacrificium, quum ita libere respondet Regi, Chaldæos scilicet paulo post fore victores, & ipsum fore captivum. Postea sequitur expostulatio, qua usus est Propheta apud Regem.

18. Et dixit Jeremias regi Zedechiæ, Quid peccavi tibi, & servis tuis, (*hoc est, Quid sceleris in te admisi, & in servos tuos*) & in populum hunc, quod tradidistis me in domum carceris?

Propheta quamvis odiose loquutus erat apud Regem, conqueritur tamen sibi factam fuisse injuriam, quod in carcerem conjectus fuerit: & ita ostendit se injuste damnari, quod minitetur cladem urbi, & in-

& interitum regno, quoniam scilicet ita cogatur pro officii sui necessitate. Ergo Propheta ostendit in eo se non peccare, quod proferat Dei mandata, quantumvis acerba sint & Regi & populo. Dignus est observatu hic locus, quia ut superbi sunt terreni Principes, volunt omitti omnem juris disquisitionem, simulatque aliquid jusserunt. nam volunt haberi sua placita pro legibus, & sua decreta pro certo & sacrosancto jure. Et tamen scimus pro libidine decernere sæpius quod perquam iniquum est, & alienum ab omni ratione. Ergo hic locus, quemadmodum dixi, notandus est diligenter, quia libere pronunciat Jeremias se non peccasse, quod Regi minatus fuerit, quod displicuerit ejus Consiliariis, quod invectus fuerit in populi impietatem, quod denunciaverit Urbi & Templo cladem ultimam. Negat igitur in eo quicquam posse reprehendi. Ita etiam & Daniel, Dan. 6. vers. 22.
Nihil in Deum, & Regem peccavi. atqui contempserat Regis edictum, & constanter recusaverat impia assentatione Regem substituere in Dei locum: negat tamen se quicquam deliquisse adversus Regem, quia scilicet injustum erat illud edictum, & impium. Notemus igitur, quamvis Principes indigne ferant sua placita à nobis contemni, tamen nos absolvi coram Deo & Angelis: deinde posse libere, & palam, & pleno ore, ut loquuntur, profiteri nostram innocentiam, si nos cogit pietas, & si nefas fuit parere impiis & iniquis Regum edictis. Postea adjungit,

19. Et ubi Prophetæ vestri, qui prophetarunt vobis, dicendo, Non veniet rex Babylonis contra vos, & contra hanc terram?

Hic quasi sumpta fiducia Jeremias altius provehitur. exprobrat enim regi Zedechiæ stultitiam, quia aurem præbuerit falsis Prophetis & eorum blanditiis. Hoc autem facit, ut melius confirmet innocentiæ suæ testimonium: quasi diceret, Ego quidem graviter accusor, quia minatus fuerim Urbi & Templo interitum, sed quid si Dominus coëgit me ita loqui? patet autem me instructum fuisse Dei mandato, neque temere quicquam protulisse. semper enim denunciavi quod accidit: & eventus comprobavit me divinitus fuisse excitatum, qui vobis prædiceram quod futurum erat. Ubi enim sunt Prophetæ? nam semper blanditi sunt vobis: & ita factum est eorum fallaciis, ut non reversi fueritis in viam. Adhuc integrum erat vos reconciliari Deo, quum vos initio admonui: & huc etiam tendebat totus labor meus, & omnes conatus, ut iram Dei præveniretis voluntaria pœnitentia. Quum ergo Prophetæ vestri vos deceperint, & eventus nunc hoc clare demonstret, cognosce Rex me divinitus esse missum. Videmus itaque ut Jeremias non ita sollicitus sit de vita sua, quin rationem præcipuam habeat doctrinæ. Neque enim sic mitigat Regis iram, quin maneat semper constanter in suo proposito: & ita non deflectit ab ingenua veritatis professione, ut sibi consulat, quemadmodum qui nimis meticulosi sunt, putant se prudenter agere, si sint flexiloqui, & conentur placare homines sibi infestos cum dispendio veritatis: hoc non facit Jeremias. Habet quidem rationem vitæ suæ: ut nunc videbimus. sed pergit in cursu officii sui, & potiorem habet doctrinam sibi divinitus commissam, quam centum vitas. Huc igitur pertinet quod dicit, *Ubinam sunt illi Prophetæ vestri?* quasi diceret, Vides vos omnes fuisse deceptos eorum fallacibus vaticiniis. Sequitur,

20. Et tu audi obsecro (*vel nunc, vel agedum*) domine mi Rex, cadat precatio mea coram facie tua, ut ne (*ad verbum, & non, sed potius, ut ne*) remittas me (*vel redire me facias*) in domum Jonathæ scribæ, neque moriar illic.

Hic versus ostendit Jeremiam non fuisse privatum omni humano sensu, quin mortem horreret, ut reliqui homines. Sed ita sibi temperare potuit, ut nullo metu deflecteret ab officio. Terror igitur non reddit ipsum exanimem, quia libertas de qua hactenus vidimus, manifestum fuit documentum constantiæ. Superavit igitur Propheta, quatenus opus erat, omnem curam, & timorem mortis: interea non neglexit vitam suam, & studuit, quantum in se erat, quærere remedia suis malis. Petiit levationem aliquam à Rege. Videmus ergo ut Prophetæ non fuerint stipites, neque ferrea pectora: sed quum obnoxii essent humanis affectibus, tamen sese extulerunt ad invictam fortitudinem, quatenus opus erat, ut officio suo satisfacerent. Quantum ad verba spectat, dicitur cadere precatio coram homine, ubi suppliciter rogatur. Hoc ad humanitatem referri debet, quemadmodum alio loco vidimus: & transfertur ab ipso Deo ad homines mortales. Rogat igitur Propheta, ne iterum conjiciatur in carcerem illum horridum, ubi fuerat inclusus. quare? *ne moriar illic*, inquit. Videmus ut mortem refugerit, quia hoc etiam naturale est: & tamen paratus fuerit mori, quatenus opus fuisset, potius quam vel minimum deflectere à sua functione quam Deus ipsi imposuerat.

Da omnipotens Deus, quando variis modis in terra nobis militandum est, ut animati Spiritus tui virtute, pergamus per ignem & aquam, & nos semper ita tibi subjiciamus, ut freti auxilio tuo, non dubitemus subire omnia mortis pericula, omnes molestias, omnia odia, & terrores hominum, donec tandem potiti ultima victoria, perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-SEPTIMA IN JEREMIAM.

21. Et præcepit rex Zedechias, & posuerunt Jeremiam in atrio custodiæ, & dederunt ei frustum panis quotidie è platea pistorum, usque dum consumptus esset totus panis ex Urbe: & habitavit Jeremias in atrio custodiæ.

Narrat Propheta Deum respexisse miserias, quibus ipse fuerat injuste oppressus. Neque enim dubium est, quin Rex humanus fuerit erga Jeremiam, quia Deus flexit ejus animum ad hanc æquitatem. Diximus quidem heri Regem non fuisse crudelem, vel sanguinarium, tamen non tam facile exoratus fuisset à Propheta, nisi arcano Spiritus Dei instinctu. Videmus ergo ut Deus servis suis indulgeat, & rationem habeat ipsorum infirmitatis quum opus est. Videmus tamen

simul

simul non fuisse tam liberaliter actum cum Prophera, ut domum liber rediret: sed traductus fuit in alterum carcerem, ubi tolerabilis erat vivendi ratio. *Fuit* igitur *in atrio custodiæ*. dicit *datum sibi fuisse quotidie*, vel in singulos dies *frustum panis*. ככר, alii vertunt massam, & aliquando accipitur hoc nomen pro pane largo. Sed probabile est, in tanta penuria datum fuisse Prophetæ, ex quo tenuiter victitaret. *habuit* igitur *frustum panis in singulos dies*. Videmus quam asper fuerit illius victus: sed Deus sæpe exercet servos suos hac ratione, dum privat eos omnibus mundi lautitiis. Quod additur, *ex platea pistorum*, existimo his verbis notari panem cibarium, quod scilicet non fuerit panis delicatus ex simila gine, quemadmodum lauti homines florem ipsum sibi eligunt, quia fursur non ferret eorum guttur. Contentus igitur fuit sanctus Dei Propheta vulgari pane, nam Rex & ejus Consiliarii habebant suos pistores: sed panem dicit Propheta allatum fuisse *ex platea*, ex loco communi. Panis autem qui tunc venalis prostabat, haud dubie fuit niger, sicuti in tanta inopia. videmus ergo notari panis speciem, quod scilicet fuerit venalis ut esset in communi usu plebis. Sic ostendit Propheta, quamvis data esset aliqua relaxatio, tamen adhuc se fuisse conclusum in custodia: deinde neque carnem, neque alias delicias sibi fuisse appositas, sed duntaxat frustum panis. Commendat tamen Dei gratiam, quod in maxima penuria ipse non indiguerit pane. Habuit igitur panem diarium, donec deficeret annona. Et hinc colligimus Deum sæpe ita consulere servis suis, ut in speciem videri possit eos deseruisse: & tamen tunc maxime ipsorum curam gerat, suppeditet quæcunque sunt ad victum necessaria. Si domi suæ fuisset Jeremias, poterat singulis momentis lapidari à populo. neque enim deerant qui moverent contra ipsum homines famelicos. Ergo in singula momenta fuisset periclitatus domi suæ. Nunc ubi carcere tenetur, habitat in tuto, & nemo ipsum aggreditur. Deinde si fuisset domi, multi poterant irrumpere, nec quicquam fuisset illic salvum: in carcere autem habet quotidianum panem. Sic ergo Deus mirabiliter & præter rationem communis sensus servos suos gubernat, & interim fungitur officio patrisfamilias in ipsis alendis. In summa, hic significat Propheta se divinitus fuisse respectum, ut in fame, vel inedia totius populi, panis tamen ei daretur, quum victum non posset mendicare: quum neque labore, neque industria, neque precibus, neque pecunia posset panem sibi parare, ostendit Deum fuisse sollicitum, ut aleretur in illa tanta necessitate. Adjungit tamen *se fuisse in atrio custodiæ*, ut ostendat experimentum suæ patientiæ captum fuisse à Deo, quia ignominiosus erat carcer. Expositus erat ipse Propheta omnium ludibriis: deinde poterant Consiliarii sæpius renovare periculum: adhæc transferre in alium locum, ut paulo post videbimus. Media igitur fuit ratio qua Deus Prophetæ suo opitulatus est, quia neque voluit ipsum prorsus liberari, & tamen non passus est ipsum redigi ad extrema. Nunc sequitur,

Cap. XXXVIII.

Et audivit Saphatias filius Mattam, & Gedalias filius Pashur, & Juchal filius Selemiæ, & Pashur filius Malkiæ, sermones quos Jeremias loquutus fuerat ad totum populum, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah, Qui manebit in urbe hac, morietur gladio, fame, & peste: qui autem egressus fuerit ad Chaldæos, vivet, & erit ei anima sua in spolium, & vivet.

3. Sic dicit Jehovah, Ecce tradendo tradetur hæc urbs in manum exercitus regis Babylonis, & capiet eam.

4. Et dixerunt Principes ad Regem, Moriatur nunc (*vel agedum: est hortantis particula*, נא) vir iste, quoniam propterea (*vel hoc modo*) solvit manus virorum bellicosorum, qui residui sunt in urbe hac, & manus totius populi, loquendo ad ipsos secundum istos sermones: quoniam hic vir non quærit pacem (*hoc est, non spectat ad pacem*) populo huic, (*populi hujus*) quin potius ad malum.

Nunc docet Propheta se rursus tractum fuisse ab illa custodia liberiore in alium carcerem teterrimum, & qui similis esset sepulchro. Causam simul recitat, quod scilicet quatuor ex Proceribus audierint ejus sermonem. probabile est complures ex populo illuc venisse audiendi causa, & Prophetam, ut mandatum acceperat, loquutum fuisse cum obviis quibusque. Quamvis ergo clausus esset in carcere, non debuit sermo Dei esse alligatus, quemadmodum
2 Tim. 2. vers. 9. Paulus gloriatur doctrinam suam longe lateque sonare, quamvis ipse sit in vinculis. Ita etiam Jeremias quum retineretur captivus, non tamen destitit à sua functione: & tamen dubium non est, quin consilium Regis fuerit, hoc modo ipsum cohibere. Carcer igitur erat tanquam captivitas doctrinæ Propheticæ. Sed deceptus fuit Rex cum suis Consiliariis, quia non minus liber fuit Jeremias in atrio illo, quam si toto die vagatus esset per Urbem, imo habuisset multos præcones. Captarunt autem ipsum quatuor isti, quorum fit mentio, nempe *Saphatias*, deinde *Gedalias*, *& Juchal*, *& Pashur*. Quatuor igitur Proceres, quos nominat, per insidias excepto ejus sermone, statim concitarunt incendium. Nec dubium est, quin antequam venirent in conspectum Regis, machinati fuerint exitium Prophetæ. Scimus enim ut improbi & scelerati homines agitent omnia dum intenti sunt ad nocendum: deinde artes aulicæ nobis reputandæ sunt. Quum essent igitur isti quatuor in aliqua auctoritate, minime dubium est quin traxerint magnam partem Regii consilii in suam sectam, & corruperint leves homines, vel qui per se jam plus satis propensi erant ad malum. Res tandem ad Regem delata fuit. ideo addit Propheta *ipsos ad Regem venisse*. Sed prius exponit summam doctrinæ, cujus prætextu quatuor isti nebulones conflarunt tantam invidiam, & vitæ etiam discrimen. Dicit igitur se minatum fuisse omnibus civibus Jerusalem: pollicitum vero fuisse vitam omnibus qui egressi essent: *Quisquis in urbe manebit, morietur gladio, fame, & peste: quisquis ultro se dediderit Chaldæis, redimet vitam suam*. Hæc fuit summa. Alibi vidimus Prophetam sic loquutum fuisse. Non erat igitur res nova. nam decem & viginti annis ante extremum illud tempus, de quo nunc agitur, in Templo sonora voce idem promulgaverat: deinde scripta fuerant vaticinia, & affixa valvis Templi. Nihil igitur novum tunc auditum fuit ex ore Jeremiæ: sed, quemadmodum jam dixi, putabat Rex, & ejus Consiliarii, malis esse subactum, ut vix auderet hiscere. Denique putabant linguam quodammodo fuisse exemptam sancto viro, quum teneretur in custodia. Hæc igitur ratio est cur nunc accusent eum graviter apud Regem, & pronuncient dignum esse morte. Jam mortem viginti ante annis promeritus fuerat, si hoc fuit crimen capitale. Sed quemadmodum jam dixi, existimant Prophetam data opera spernere Regis imperium,

perium, & indignantur eum non posse frangi, quum tamen sit captivus, & videat sibi instare singulis horis aliquod periculum. Hæc igitur ratio est cur tanquam rem novam deferent, quod Jeremias dixerit, *Quisquis manebit in urbe, peribit*, &c. Quantum attinet ad has minas, alibi diximus eos omnes, qui sperabant auxilium ab Ægyptiis, fuisse data opera contemptores Dei, quia sæpius hortatus fuerat Propheta ipsos omnes, ut æquis & placidis animis subirent temporalem illam pœnam, quam Deus ipsis statuerat infligere. Volebant contumacia sua judicium Dei procul abigere: deinde quum viderent Deum sibi esse infestum, satis erat, si propitios haberent Ægyptios. nihil igitur mirum est, si Propheta gladium, & famem, & pestem illis proposuerit. Jam addit, *Qui transierit ad Chaldæos, vivet.* conditio tamen satis dure apponitur: *Anima*, inquit, *ejus erit in spolium.* quasi diceret, Qui transfugient ad Chaldæos, vitam duntaxat servabunt: sed facient jacturam rerum omnium: quemadmodum ubi naufragium metuitur, nemo est qui vitam non redimere paratus sit jactura omnium bonorum: & ideo solent in extremo discrimine mercatores projicere in mare quicquid habent. malunt enim pervenire inopes, & rerum omnium egeni ad portum, quam perire cum suis opibus. Dura igitur erat illa conditio: sed ostendit Propheta non posse aliter salvos evadere, quam si & patria, & rebus aliis cedant, & tantum eripiant vitem suam è morte præsenti. Hoc sensu dicit *vitam illis fore in spolium*: quemadmodum ubi ex incendio aliquid rapitur: vel quum omnia sunt exposita in prædam, si quis potest furtim aliquid auferre contentus est, quia alioqui dimicandum esset cum multis hostibus, si vellet plure accipere. Significat igitur Propheta non posse aliter à morte eripi Judæos, quam si omnia sua abjiciant, & tantum solliciti sint de vita servanda. Iterum repetit, *vivet.* Et hac repetitione magis & acrius ipsos urget, & vehementius hortatur, ut vita sua contenti sint. Sequitur confirmatio, *Tradetur urbs hæc in manus exercitus regis Babylonii, & capiet eam.* Necessitatem demonstrat Propheta, cur hortetur Judæos ad fugam, quia tandem Urbs capietur. Hæc summa est sermonis. Jam addunt Proceres, *Moriatur hic vir, quia hoc modo*, vel propterea, id est, maligno consilio *dissolvit manus virorum bellicosorum.* Manus hic accipit pro robore. nam actiones præcipuæ exercentur manibus. Ergo manus dissolvere tantundem valet, atque homines reddere vel inertes, vel ita ignavos ut ne digitum quidem moveant. Accusant igitur Proceres Jeremiam hoc nomine, quod *terreat viros bellicosos*, & ita ignavos reddat. Speciosum fuit hoc crimen: hæc inquam delatio nonnihil habebat coloris, quia Jeremias potuit judicari publicus hostis patriæ suæ quum assidue concionaretur de fuga, & omnem spem præcideret populo, ut salute desperata omnes se ultro dederent. Et potest moveri quæstio, An liceat homini privato suadere ut subditi violent jusjurandum Regi, vel Principi suo præstitum. Privatos homines nunc voco etiam Prophetas. respicio enim ordinem politicum: Jeremias sustinuit publicam personam, quia erat Dei Propheta: sed quod ad gubernationem Urbis, erat homo privatus, & unus ex vulgo. Videtur ergo Propheta transgressus fuisse justos fines, quum populo suasit defectionem: id enim fieri non poterat, quin fallerent fidem Regi datam. Respondeo Prophetam fuisse præditum speciali mandato: & ideo nihil temere tentasse. Quamvis ergo populus fidem usque ad extremum Regi fuisset pollicitus: tamen quia Deus jam Urbem tradiderat Chaldæis, nulla fuit obligatio jurisjurandi. quum enim mutantur imperia, cessat quicquid polliciti fuerant subditi. Exempli gratia, Si qua regio habeat Principem, ille adstringet totum populum jurejurando, ut omnes in officio permaneant. Si quis regionem illam invadat, subditi incurrent crimen perfidiæ, nisi obviam eant, & ferant opem suo Principi, sicuti polliciti sunt. Cæterum si alienus ille hostis occupet totam illam ditionem: jam soluta est obligatio jurisjurandi: quia non est in arbitrio populi constituere Principes. Dei enim est mutare imperia prout libuerit. Quum igitur potestas ista sit penes unum Deum, ubi regnat aliquis Princeps, populus non debet pertinaciter insistere, quin se subjiciat Principi tanquam legitimo, qui divinitus præfectus est. Talis fuit tunc ratio Judaici populi. quamvis enim nondum Chaldæi Urbem ingressi essent, tamen Deus pronunciaverat ipsos esse dominos Urbis. Non expectandum igitur fuit populo dum irrumperent Chaldæi, & ignem subjicerent ædibus, & jugularent obvios quosque: sed debuit sufficere Prophetæ vaticinium. erat enim Dei sententia, qua addixerat populum Judaicum Chaldæis. Nunc ergo soluta est quæstio, quod attinet ad Jeremiam, & alios quoque similes. nam si quis videat instare extrema quæque, non tamen suadere debet populo, ut deficiat à legitimo Principe. Sed qui volet se probare fidelem Dei servum, vitam suam opponet pro tuendo suo Principe. Si vocatus fuerit in ejus consilium, ostendet quid utile sit & rectum: sed non movebit turbas, neque tumultus, quin morietur potius centies, quam ut ejus consilio, vel impulsu deficiant subditi. Sed peculiaris, ut dictum est, ratio fuit Jeremiæ, quia Deus ostenderat suum decretum quantum ad Chaldæos. Ergo Jeremias non tantum prudenter suasit populo quod utile cernebat, sed functus est munere Prophetico, neque aliud consilii dedit, quam quod jussus fuerat dare: imo pro imperio mandavit, ut transirent ad Chaldæos, quoniam ita Deo placebat. Proceres tamen ipsum accusant, *quod dissolvat manus*: & addunt, *hoc modo ipsum non quærere bonum populi quum ita loquitur*: (Pax enim accipitur pro utilitate) *sed quærere potius malum.* hoc calumniose adjiciunt, quia Jeremias, quantum in se erat studuit publicæ utilitati. optavit Urbem manere salvam: si fuisset in ejus arbitrio, profligasset omnes Chaldæos: sed non potuit bellum cum Deo suscipere, cujus auspiciis militabant Chaldæi. Quæsivit igitur Jeremias populi bonum, sed non potuit repugnare Deo: ac proinde cessit decreto cælesti; quoniam videbat non aliud esse remedium, quam ut subirent omnes Judæi pœnam illam temporalem, & tantum exilio castigarentur, ut postea redirent salvi in patriam. Si integrum fuisset, quemadmodum dixi, servasset populum immunem ab omni incommodo & molestia: sed jam hoc erat ablatum. Deus enim pronunciaverat actum esse de statu regni & Urbis, donec Judæi exilio septuaginta annorum mulctati essent. Erat igitur secundus gradus utilitatis, ut tolerabile esset miseris illis exilium, vel captivitas esset mitior: quod futurum erat, si ultro venissent ad regem Nabuchadnezer, & passi fuissent se abduci in Chaldæam. erat hæc secunda utilitas. Jeremias ergo quum videret non posse stare Urbem, & Regnum, & Templum, quod restabat voluit urgere toto conatu, nempe ut saltem maneret Urbs in suo statu, & migrarent incolæ in aliam terram: deinde daretur libertas reditus. Hæc erat optima salus populi: quia statueret Deus illos omnes abducere in exilium. Ergo perperam hic gravatur injusta calumnia, quod *non quæsierit bonum populi, sed perniciem.* Cæterum, sicuti heri diximus, omnia sanctorum dicta & facta semper obnoxia fuerunt sinistris judiciis. Et si idem hodie nobis contingat, patienter nobis ferendum est. Interea videmus hoc semper fuisse crimen objectum Prophetis, & piis Doctoribus, quod scilicet male consuluerint bono publico: quemadmodum eandem hodie tragœdiam contra nos agunt omnes homines profani: & præsertim aulici, quia sumunt illud pro confesso, materiam fore omnium turba-

rum,

rum, si quid movetur, & suam religionem ideo non putant labefactari posse absque publico interitu. Hinc fit igitur, ut illis exosa sit libera Euangelii prædicatio, quasi afferret secum publicam cladem. Ideo vocant nos turbulentos: dicunt imperitia labi etiamsi non ex professo simus hostes publicæ salutis: quia scilicet non tenemus quomodo gubernanda sint regna: & ideo moveamus temere maximos tumultus. Hæc omnia probra nobis devoranda sunt, quemadmodum Jeremiam placido animo ferre oportuit, quum falso conflarent ei Proceres invidiam ex doctrina, quam tamen non nisi Dei mandato pertulerat, & quæ erat necessaria in salutem Urbis & populi: neque anim poterant invito Deo Judæi manere in urbe sua, ex quo Deus statuerat eos alio transferre. Quum ergo videret Jeremias Urbem non posse defendi à Chaldæis, etiamsi fuisset tantum regis Consiliarius, & non Dei Propheta, quid potuit melius vel utilius afferre, quam prævenendam esse ultimam cladem hostium, & saltem dandam operam, ne Urbem incendio perderent, ne passim fieret cædes populi? sed ut salvi manerent, & diriperentur duntaxat eorum fortunæ? Non potuit igitur utilius afferri consilium. Sed, quemadmodum jam dixi, profanis hominibus nihil est utile, nisi ut contumaciter Deo resistant. Hæc ratio est cur tam indigne accusent Dei Prophetam. Sequitur,

5. Et dixit rex Zedechias, Ecce ipse in manibus vestris: quia Rex non potest erga vos quicquam.

Haud dubie Zedechias cognovit injuriam fieri sancto Prophetæ. quamvis enim optasset manere integer, tamen sciebat Prophetam non malo animo, neque hostili sic minitatum fuisse populo: & sibi jam ita erat conscius, ut sentiret sibi negotium esse cum Deo potius, quam cum homine mortali. Quicquid sit, agnovit Jeremiam non adversari publicæ saluti, quemadmodum hoc crimen objecerant ei Proceres. Optasset igitur eripere Prophetam ex illorum manibus: sed obtemperat eorum furori: quia scilicet exutus jam erat omni Regia potestate, & erat quasi mancipatus suis Consiliariis, à quibus pendebat status regni. male exponunt hunc locum qui existimant Regem honorifice loqui de suis Consiliariis, acsi diceret ea esse prudentia & gravitate, ut nihil eis sit negandum: corrumpunt sensum Prophetæ. nam Rex potius hic agnoscit se redactum in ordinem, acsi asset homo privatus. Fatetur in summa se esse servum servorum. Jam video me, inquit, non esse Regem, sed vos ita dominari ut, velim nolim, cogar vobis cedere etiam in optima causa. Non dubium igitur est quin amarulenta sit Regis querimonia, quum dicit, *Rex non potest quicquam erga vos.* Cæterum, dignus fuit Zedechias hac ignominia. Debuerat enim à principio docilis esse, & se subjicere Deo. Sed primum, ut vidimus, contempserat Propheticam doctrinam, neque audierat vocem Dei: & deinde perfide à Rege Chaldæo defecerat: ita reus erat ingratitudinis: quia dejectus fuerat nepos ejus Mathathias è solio, hoc est, Jechanias, vel Coniah: ipse autem precario regnum tenebat gratia regis Babylonii. Fuerat igitur ingratus, negando tributum. sed impietas erat præcipua causa omnium malorum. Quum argo Deo fuisset tam rebellis, dignus fuit erga quem immorigeri essent etiam Proceres. Tunc igitur seipsum in ordinem coëgit, & se abdicavit auctoritate Regia, ubi Dei verbo se non subjecit, deinde negavit tributum regi Babylonio. Non mirum igitur fuit, quod Deus ita subjecit eum Proceribus & Consiliariis, qui tamen erant servi. quantum attinet ad ipsos Consiliarios, inexcusabilis fuit eorum arrogantia, quod ausi sunt addicere Jeremiam morti: nam hoc erat excludere Regem à jure suo. *Moriatur hic vir*, dignus enim est. Cur non accusant duntaxat, sed volunt soli esse judices? Quum igitur tam præfracte agunt cum Rege suo, non dubium est, quin ut Dei erant contemptores, ita pro nihilo duxerint dignitatem Regiam. Sed quantum ad Regem ipsum spectat, ut dixi, mercedem retulit suæ impietatis, quia non detulerit honorem legitimum Deo, ut amplecteretur doctrinam Propheticam. Oportuit igitur ita indigne ipsum & contumeliose tractari, ut ne verbum quidem pro justa & bona causa facere auderet. Hæc ratio est cur dicat, *In manibus vestris est, accipite eum: quia Rex non potest quicquam.*

Da omnipotens Deus, quando tanta mansuetudine nos quotidie ad te invitas, & das etiam nobis resipiscendi tempus, deinde offers spem misericordiæ & salutis, si ad te redierimus, ne surdis auribus prætereamus tam salubres admonitiones, sed mature etiam occurramus tibi, & cum vera & seria omnium scelerum nostrorum agnitione nos tibi sic tradamus, ut experiamur te propitium: & ubi ad te redierimus, sic perstemus in tuo obsequio, ut capaces simus assiduæ tuæ beneficentiæ, donec tandem plena fruitio nobis contingat in regno tuo cælesti, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-OCTAVA IN JEREMIAM.

6. Et tulerunt Jeremiam, & demiserunt eum in puteum Malchiæ filii Hammelech, (*in lacum, proprie*) qui erat in atrio custodiæ: & (*itaque*) demiserunt Jeremiam funibus: & in lacu non erat aqua, sed cœnum, & demersus fuit Jeremias in cœno.

Hic narratur extrema tam superbia, quam crudelitas Procerum, quia projecerint sanctum Prophetam in lacum, ubi jacuit tanquam in luto demersus. Fuit hoc perditæ impietatis signum, non parcere tam eximio Dei servo: sed fuit etiam immanis sævitia, quum nulla illis excandescendi causa esset, nisi quod paruerat Jeremias Deo, & exequutus fuerat bona fide munus sibi injunctum. Interea discamus hoc exemplo, si Dominus velit aliquando probare nostram patientiam, non ferre iniquis animis, quod videmus sanctum Prophetam tulisse: neque anim æquum est, ut hodie melior sit nostra conditio. Ergo si quando crucis horrore vacillemus, ita ut durum sit nobis subire persequutionem, veniat in memoriam hoc Prophetæ exemplum. Denique ab una parte hic nobis tanquam in pictura ostenditur mundi pravitas: ab altera autem parte refulget mira constantia, & simul singularis mansuetudo in servo Dei. Dicit ergo Jeremias, *se fuisse sublatum à Proceribus, & projectum in foveam quæ erat in atrio custodiæ: sed in illa parte habitabat unus ex Consiliariis*, nempe *Malchiah filius Hammelech*. Et simul describit faciem loci, quod scilicet fovea esset cœnosa, ita ut demersus fuerit in cœno. Non intelligit se fuisse obrutum cœno, sed fuisse defixum, quod etiam verbum Hebraicum sonat: & possemus commode reddere, Defixus in cœno jacuit. Nunc sequitur,

7. Au-

7. Audivit autem Ebedmelech Æthiops vir eunuchus, (*vel unus ex numero Procerum. סרסים enim, ut alibi dictum fuit, non tantum eunuchos vocant, sed etiam Proceres, & Consiliarios Regis*) ipse autem erat in domo Regis, (*per parenthesin hoc legendum est. Audivit ergo*) quod posuissent Jeremiam in lacum: Rex autem sedebat in porta Benjamin.

8. Et egressus est Ebedmelech è domo (*vel palatio*) Regis, & loquutus est ad Regem, dicendo,

9. Dumine mi Rex, perverse egerunt viri isti in omnibus quæ fecerunt Jeremiæ Prophetæ quando eum demiserunt in foveam, (*vel lacum*) ubi subtus se morietur à fame, (*hoc est, præ fame*) quia nullus panis amplius est in urbe.

Hic refert Jeremias quomodo à morte liberatus fuerit. neque enim diu poterat illic vitam trahere in cœno. partim fame confectus esset, partim etiam obriguisset frigore, & contabuisset in fœtore illo lacus. Mirabiliter autem Deus ipsum eripuit per manum Ebedmelech Æthiopis. Erat hic alienigena: & hoc diserte exprimitur, ut sciamus inter Regis Consiliarios neminem fuisse qui tanto sceleri se opposuerit. Unus ergo repertus est Æthiops, qui succurreret Prophetæ Dei. Ergo subest tacita comparatio inter Æthiopem, hominem extraneum, & inter omnes Judæos, qui profitebantur se esse ex sancto Abrahæ genere. erant circumcisi: jactabant plenis buccis Legem, & Dei fœdus: inter ipsos nemo extitit, qui porrigeret manum sancto Dei servo. Fieri quidem potest, ut miserti fuerint quidam, sed defuit animus, ita ut nemo ipsorum ausus fuerit hiscere. erat enim odiosum patrocinari sancto viro. Ergo præferunt gratiam impiorum officio suo. unus autem Æthiops ita animosus est, ut audeat accusare omnes Regis Consiliarios, ac aulæ Proceres. Non dubium igitur est, quin Spiritus per os Æthiopis inflixerit perpetuam dedecoris notam omnibus Regis Proceribus, qui se venditabant pro Abrahæ filiis, & jactabant
Luc. 10. vers. 31, 32, 33. magnifice Dei fœdus: quemadmodum ubi Christus in parabola dicit Levitam præteriisse post Sacerdotem, & hominem illum saucium fuisse ab illis contemptum, ab uno autem Samaritano opem fuisse latam. Minime dubium est, quin exprobret Judæis, adeoque ipsis Levitis, & Sacerdotibus barbariem suam, quod vitam miseri hominis in extremo discrimine non curaverint. Ita & hoc loco Æthiops nobis proponitur in exemplum, quod solus & pietatis, & humanitatis affectu tactus fuit, ut auxilium ferat sancto Prophetæ, & illum quasi à præsenti morte, & sepulchro eriperet. Omnes autem alios Regis Consiliarios videmus vel obtorpuisse vel fuisse eadem sævitia imbutos, ut sancto viro essent capitales inimici, quia libere pertulerat Dei mandatum. Dicit autem Jeremias *Ebedmelech audivisse*. Unde conjicere licet, fuisse sollicitum de sancti Prophetæ periculo, & habuisse suos nuncios, qui perspicerent quid ageretur, deinde referrent. Dicit *illum fuisse in palatio*, *Regem vero sedisse in porta Benjamin*, ut solebant Reges in portis jus dicere, & habere illic suum tribunal. nam illic erant celebres & legitimi conventus populi. *Rex ergo sedebat in porta Benjamin* sed interea palatium ejus crudelis erat carnificina, vel caverna latronum. Videmus ergo hic notari Regis ignaviam, quia in speciem exercuerit quod erat Regis proprium munus: sed neglexerit præcipuam officii partem, quia passus est sanctum virum dejici in foveam. Quum ergo ita Procerum libidini exposuerit Prophetæ vitam, hinc apparet fuisse inane simulachrum, quod illic stabat tanquam populi judex, & habebat sacrum tribunal. Jam sequitur, *egressum fuisse Ebedmelech è palatio*, *& venisse ad Regis tribunal*, ut illic causam Prophetæ ageret. Circumstantias notare convenit tam unius quam alterius loci. nam si per occasionem obvius fuisset Regi Ebedmelech, poterat verbum aliquod in transitu facere: sed ubi egreditur è palatio, hinc patet meditatum fuisse quod acturus erat, neque duntaxat subito impulsu fuisse tactum misericordia, sed quum posset in palatio quiescere, venisse ultro ad Regem, ut querimoniam suam perferret. Deinde non alloquitur Regem in cubiculo, neque in obscuro aliquo angulo palatii, sed alloquitur in porta, hoc est, publico conventu. Videmus ergo ut prior circumstantia commendet nobis hujus viri constantiam, quia non tantum subito impulsus fuit, sed perseveravit in sancto proposito: secunda vero circumstantia commendat nobis magnitudinem animi, quia invidiam non refugerit, sed palam & libere loquutus fuerit pro Jeremia coram populo. Et virtutem illius Propheta amplificat quum dicit eum accusasse Proceres. Non dubium est quin agnoverit sibi posse conflari periculum: sed propriæ vitæ non pepercit, ut Prophetæ auxiliaretur. Dicit igitur *scelerate agere Consiliarios Regis in omnibus quæ patrarunt adversus Jeremiam Prophetam*, quod eum demiserint in lacum; & addit, *Illic morietur subtus se*: alii vertunt, In loco suo, & recte, sed est emphatica loquutio, quæ non potest satis exprimi lingua nostra. Significat enim Ebedmelech Jeremiam moriturum, etiamsi nemo sit ei molestus, etiamsi non aliunde creatum fuerit aliquid mali. *Morietur ergo subtus se*, vel in suo loco, hoc est, morietur etiamsi illic relictus fuerit, quia jacebat ut visum fuit, demersus in cœno. Dicit autem, *Morietur fame*, quia conjectus fuerat in foveam illam, quasi in sepulchrum. Quum autem penuria esset in toto populo, non poterat sperare Jeremias ullum auxilium. quomodo enim projectus fuisset panis, ut postea videbimus? Ergo Ebedmelech hic primo dicit indigne tractatum fuisse Jeremiam, *quia sit Dei Propheta*. Ornat enim ipsum tali elogio, ut impietatem Procerum coarguat: deinde ostendit quam misere jaceat in fovea, quoniam nemo victum suppeditet, non sit autem amplius panis in urbe. Nunc sequitur,

10. Et præcepit Rex ipsi Ebedmelech Æthiopi, dicendo, Sume ad manum tuam hinc triginta viros, & educas Jeremiam Prophetam è fovea antequam moriatur.

Videmus quod jam dixi, liberationem Prophetæ fuisse prorsus divinam. Nuper Rex perculsus metu
versu 5. permiserat sanctum Prophetam sævitiæ Procerum suorum, & confessus fuerat se nulla auctoritate amplius esse præditum: Quoniam non est Rex qui vobis imperet, dixerat. Quum ergo Rex non ausus fuisset pertinacius contendere adversus Proceres suos, qui fit nunc ut audeat Jeremiam extrahere è fovea? Videmus ergo mutatum fuisse Regis animum, quia nuper trepidatione sic erat attonitus, ut non auderet causam sancti viri suscipere. Nunc autem præcipit Æthiopi, *ut ipsum è fovea educat*. apparet igitur hoc negotium divinitus fuisse gubernatum. Sed hinc etiam discamus animosi esse, ubi necessitas postulat, quamvis nulla sit spes prosperi eventus. Poterat Ebedmelech apud se reputare conatum suum fore irritum,

irritum, quantumvis strenue ageret pro Jeremia. Poterat igitur hoc modo objicere omne illud consilium, quod fortiter exequutus est. sic enim qui nimis sapiunt sæpe seipsos quasi ad torporem inducunt, Quid proficies? nam tu unus es, illi autem multi: deinde, res est peracta. Si rex ipse coactus fuit cedere eorum furori, tu homo privatus qua fiducia contra ipsos insurges? deinde, orietur tumultus, & tibi erit pereundum: interea obruent forte lapidibus miserum illum hominem, cui tu optas consultum esse. Poterat hæc omnia colligere Ebedmelech: ita cessasset ab officio. sed videmus fundatum fuisse in fiducia gratiæ Dei. Ergo ejus exemplo meminerimus sperandum esse supra spem, ubi Deus aliquid à nobis exigit, hoc est, ubi fides, religio officii nostri aliquid postulat. quod fiet si claudamus oculos ad omnia obstacula, & pergamus in actione. Eventus enim sunt penes unum Deum: ille reperiet quos voluerit exitus. Interea nostrum est simpliciter pergere in cursu nostro, quamvis putemus labores nostros fore evanidos, & carituros omni fructu. Feliciter ipsi successit Ebedmelech: quare? præstitit enim quod pii & justi hominis erat. Sic Deus porriget nobis manum: ut quæcunque occurrent nobis difficultates, eas superemus ejus virtute & auxilio. *Præcepit* ergo *ipse Rex Ebedmelech Æthiops, ut tolleret triginta viros, & extraheret Jeremiam è fovea.* Poterat etiam tunc subsistere Ebedmelech. neque enim par fuisset cum triginta viris ad tantam potentiam superandam. Conspiraverant enim omnes Regis Consiliarii: nec dubium est, quin traxerint post se multos satellites. Videmus itaque Ebedmelech non humano auxilio fretum, sed erectum invicta fiducia suscepisse hanc provinciam, ut auderet Jeremiam è fovea extrahere. Sequitur ergo,

11. Et sumpsit Ebedmelech homines illos in manum suam, (*hoc est, sub sua potestate*) & venit in domum Regis, nempe in locum sub thesauris: & sumpsit illinc veteramenta tractorum, & veteramenta (*ad verbum*) corruptorum, & demisit ad Jeremiam in lacum per funes.

Hic prosequitur Jeremias historiam suæ liberationis. Notanda est semper nobis fortitudo Ebedmelech, quod statim venerit ad sanctum Prophetam. Dicit autem *sumpsisse ex hoc loco occulto veteramenta quædam, De vieux baillons*, ut vocamus: est enim proprie nomen substantivum. Sed si displicet asperitas, poterimus sic vertere, Vetustos pannos, qui tracti fuerant, & vetustos pannos, qui erant corrupti. Quanquam vertunt quidam, Pannos detritos, & pannos corruptos. Sed illa est magis propria significatio. nam סחב significat trahere, & Gallice vertendum esset, *Vieux baillons trainez, ou qui avoyent trainé.* Deinde pannos מלחים. corruptos, *usez.*, quia מלח significat salire, sed verbum in Hophal, quod inde deducitur, significat corrumpere. Erant igitur laceri vel putridi panni: *de vieux baillons à demi pourris.* Dicit ergo *Ebedmelech sumpsisse vetustos illos pannos laceros, & putridos, & qui tracti fuerant.* Quod diligenter notandum est. Apparet enim Ebedmelech timuisse à Procerum violentia, non tam ut privatim vitæ suæ consuleret, quam ne impediretur in officio. Nam si quæsisset alia adminicula, poterat deprehendi: poterat rumor deferri ad ipsos Proceres: statim convolassent, & abrupta fuisset actio. Minime igitur dubium est quin Ebedmelech, in quo satis erat confidentiæ, prudenter circumspexerit quid obstare & nocere posset quo minus opitularetur sancto Prophetæ. Hinc igitur factum est, ut pannos detritos & corruptos furtim acciperet è loco occulto. hoc est unum. Interea videmus quo redactus fuerit sanctus Propheta. Jacebat semidemersus in cœno: nunc extrahitur funibus, & fulcitur pannis laceris, & detritis. Postea autem exprimitur quorsum demissi fuerint illi panni.

12. Et dixit Ebedmelech Æthiops Jeremiæ, Pone nunc veteramenta (*eædem sunt voces quæ repetuntur*) tractorum, & corruptorum sub axillis manuum tuarum, (*hoc improprie dicitur Latina lingua sed Hebræis non est dura loquutio: pone ergo sub axillis tuis*) subtus funes: (*ne scilicet Propheta læderetur. nam extrahendus erat funibus: erat autem defixus in cœno. Hoc fieri non poterat quin scinderentur venæ, & vulneraretur in axillis. scimus enim partem illam esse teneram. ergo jubet Ebedmelech Prophetam accipere vetustos istos pannos, & opponere funibus, ita ut minore noxa sursum tollatur manibus hominum. fuit igitur hoc consilium Ebedmelech. Postea adjungit Propheta se ita fecisse*) & fecit Jeremias ita.

Tametsi autem Deus mirabiliter Prophetam suum à morte eripuit: videmus tamen quam miserabilis fuerit illa species, quod Propheta non aliter potuit mortem effugere, nisi sese fulciret putridis & laceris pannis, & extraheretur funibus. Minime autem dubium est, quin difficultatem conceperit animo. nam fuerat illic jam aliquo tempore: non erat autem adeo robustus, ut brachiis suis confideret, ac persuasus esset manus suas satis fore validas, ad funes retinendos. Sed minime dubium est, quin rejecerit omnes suas curas in Deum, & ejus providentiam. Tametsi itaque breviter commemorat se fecisse ut fuerat jussus, considerandum tamen nobis relinquit quanta fiducia fuerit præditus, quum statim obsequutus est, neque objecerit quod merito timere poterat, nempe se esse hominem imbecillum: deinde se nescire an satis robustæ essent sibi manus ad funes tenendos. Præterea se non tenere quomodo applicandi essent funes illi humeris. Fecit igitur quod monuerat Ebedmelech, quia cognovit hoc consilium profectum esse à Deo. Postea sequitur,

13. Et extraxerunt Jeremiam funibus, & extulerunt ipsum è fovea, (*vel lacu*) & habitavit Jeremias in atrio custodiæ.

Hic videmus Prophetam fuisse ereptum à morte, ut tamen non fuerit sibi redditus, neque remissus domum, quia hoc etiam non fuisset utile. abreptus enim fuisset iterum à Consiliariis Regis. Non potuit igitur aliter ejus vitæ parcere Ebedmelech, quam si eum includeret in alium carcerem. Optasset haud dubie illum habere conviva[illegible] consortem ejusdem tecti. non dubium est quin plus optaverit, quam præstare poterat. Sed laudanda est ejus prudentia, quod Prophetam iterum in carcerem conjecerit, quia aliter non poterat mitigari Principum furor, & crudelitas. *Habitavit* ergo *Jeremias in atrio custodiæ.*

custodiæ. non dubium est quin eo deductus fuerit ab ipso Ebedmelech. Si quis objiciat hoc fuisse signum nimiæ timiditatis, facilis est solutio, Ebedmelech non fuisse timidum sua causa, sed quia videbat sibi negotium esse cum feris bestiis, & simul videbat non posse aliter sedari eorum rabiem, quam si Jeremias inclusus esset in carcerem. Tota autem urbs tunc erat instar carceris, ut satis notum est. ubique enim laborabant inedia: deinde via quisquam audebat suis ædibus egredi. Ergo hæc ratio prudenter excogitata fuit ab Ebedmelech, quia tantum curas omnes suas, & studium adjecit ad servandum Dei Prophetam. Interea si Deus aliquando nos sublevet à miseriis, neque tamen liberet nos in totum primo quoque momento, patienter feramus, & veniat nobis in mentem hoc Jeremiæ exemplum. Deus enim exeruit suam virtutem in ipso liberando: & tamen voluit ipsum adhuc jacere in carcere. nempe ita interdum opus suum lensim peragit, & per certos gradus. Ergo si non statim plenus fulgor gratiæ Dei nobis appareat, vel perfectio salutis nostræ nobis nondum constet, sinamus Deum progredi paulatim, & minima quæque levatio nobis ad solatium, & moderationem, & patientiam sufficiat. Nunc sequitur,

14. Et misit rex Zedechias, & tulit (*hoc est, accersivit*) Jeremiam Prophetam ad se ad ingressum tertium, qui erat in domo Jehovæ: (*hoc est, in ipso Templo*) & dixit Rex ad Jeremiam, Ego interrogo te verbum, ne celes à me verbum. (*hoc est, ego rem unam abs te quæro, ne quicquam celes.*)

Hic subjicitur alia narratio, quod scilicet rex Zedechias iterum advocaverit ad se Jeremiam in Templum, hoc est, in atrium Templi. Neque enim Regi licebat in Sanctuarium ipsum penetrare, sed atrium sæpe comprehenditur sub nomine ipsius Templi. Erant autem plures ingressus, quemadmodum satis notum est. Erat enim maxima porta versus Orientem: sed erant portæ à lateribus: deinde plures erant atrii partes, & distinctæ. Zedechias ergo ut liberius posset colloqui cum Propheta, venit ad tertium ingressum atrii, & illic Prophetam rogavit, ut bona fide exponeret quod à Deo acceperat. Minime dubium est, quin Zedechias progressu temporis magis reveritus fuerit Jeremiam tanquam fidelem Dei servum. Interea diximus non fuisse serio addictum Propheticæ doctrinæ. Fuit igitur quasi dubius animus Regis: quemadmodum hypocritæ, in quibus residuum est aliquod semen timoris Dei, fluctuantur & alternant, & nihil habent solidum vel firmum. Non audent quidem spernere vel Deum vel ejus servos: imo agnoscunt se subesse Dei imperio, & verbum etiam ejus non esse evanidum: interea subterfugiunt, quantum in se est, aut cuperent Deum transformare. talis fuit Zedechiæ conditio. Neque enim erat ex crassis & professis Dei contemptoribus, ut hodie videmus mundum refertum esse Epicureis hominibus, quibus tota religio est instar fabulæ. Non fuit ergo talis Zedechias, sed retinuit aliquem Dei metum, imo etiam Prophetam veneratus est: & tamen noluit se addicere Deo, neque obsequi Prophetæ consiliis. fuit igitur ita quasi suspensus in dubio. Probabile autem est sperasse aliqoid quoniam pepercerat ipsi Jeremiæ. Ergo potuit imaginari Deum esse placatum, vel saltem aliquid remissum esse ex summo illo rigore, quemadmodum hypocritæ semper sibi blandiuntur. Nam si vel minimum quippiam egerint, existimant se esse promeritos à Deo nescio quid favoris. Ergo Zedechias quum sublevasset sanctum Prophetam, & quum ipsum aleret in summa penuria, putavit hoc obsequium esse Deo gratum; & gratum quidem erat ex parte, sed in eo deceptus est, quod putavit esse aliquod genus expiationis. Hinc ergo factum est ut accerseret Prophetam, quia expectabat lætius aliquod responsum, nempe de placata, vel mitigata ira Dei. Sed reliqua differemus in crastinum,

Da omnipotens Deus, quando nobis pretiosa esse debet servorum tuorum vita, ut quisque pro sua facultate studeat operam in hac parte suam impendere, & interea sic mutuo inter nos versemur, ut alii aliis in necessitate subsidium ferant: deinde ut ita simus officiosi erga servos tuos, ut omnia studia nostra, omnes operas, & omnia obsequia tibi consecremus, & studeamus nostra tibi probare, ut omnes actiones nostræ dirigantur in eum finem, donec tandem perfuncti cursu præsentis militiæ, perveniamus in quietem illam cælestis tui regni, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUADRAGESIMA-NONA IN JEREMIAM.

15. Et dixit Jeremias ad Zedechiam, Si annunciavero tibi, an non interficiendo interficies me? & si consilium dedero tibi, non auscultabis mihi. (*non audies ad me, ad verbum.*)

Videtur hic Propheta parum cordate se gerere, quia quum ultro deberet prædicere Regi cladem Urbis, rogatus abnuit, vel saltem antequam verbum proferat, cavet vitæ suæ, & vult securus esse à periculo. Scimus autem Prophetas, posthabita vitæ suæ cura, debere perferre mandata Dei: quemadmodum etiam sæpius vidimus Jeremiam neglecto vitæ suæ respectu intrepide promulgasse vaticinia, quæ poterant conflare odium totius populi, & creare periculum capitis. Videtur ergo male profecisse, quum nunc velut in extremo vocationis suæ actu deficit, vel saltem non audet se objicere discrimini. Sed notandum est, Prophetas non semper habuisse expressum loquendi mandatum. Si enim Jeremiam Deus jussisset dicere quæ postea videbimus, nunquam fuisset tergiversatus. sic enim sese exercuerat longo tempore, ut non timeret ita sibi quod deflecteret à recto officii sui cursu. Quod ergo nunc videtur refugere, hoc iden facit, quia Deus nondum mandaverat, ut iterum Regi exponeret quæ videbimus. Nam sine profectu id facturus erat, & sæpius admonuerat fideliter Regem, viderat consilium suum sperni. Non mirum igitur est, si nolit periclitari de vita absque ullo fructu. Si quis objiciat idem ergo nobis licere, respondeo, non temere projiciendas esse margaritas porcis: sed donec omnia simus experti, bene sperandum esse, & ideo confidenter esse agendum. Sed Jeremias defunctus erat suis partibus. Rex enim non poterat obtendere errorem, vel ignorantiam, quum toties testatus esset

Pro-

Propheta nullum esse malo remedium, nisi ut transiret ad Chaldæos. Quoniam ergo Propheta toties Regem admonuerat, potuit tacere, & excusatione ista uti, *Tu me interficies, interea non credes mihi*, vel non obtemperabis, *si consilium tibi dedero*. Conjunctim hæc duo legenda sunt, quia si aliquod operæ suæ pretium vidisset Jeremias, haud dubie obtulisset vitam suam in sacrificium. Sed quia inutilis erat doctrina, & instabat vitæ discrimen, noluit vitam suam temere projicere, quum nihil utilitatis ex libera prædicatione sperandum esset. Non igitur respexit Propheta solum periculum, sed noluit exponere ludibrio cælestem doctrinam. sæpius enim jam contempta fuerat. Ergo non respondet ad postulationem Regis, quia persuasus est illum fore immorigerum, ut solitus fuerat usque ad illud tempus. Sequitur,

16. Et juravit rex Zedechias Jeremiæ in secreto, dicens, Vivit Jehovah, qui fecit nobis animam hanc, si interfecero te, & si tradidero te in manum istorum, qui quærunt animam tuam.

Rex qui cupidus erat novæ revelationis, Prophetam reddit securum, interposito jurejurando. Jurat igitur se non sumpturum vindictam, quamvis responso Prophetæ possit exacerbari. Nam potuit conjicere, etiamsi diserte nihil expresserat Jeremias, triste fore responsum, & minime ex voto animi sui. Nam si Prophetæ datum fuisset lætum & plausibile aliquod oraculum, non præfatus fuisset de suo periculo, & de iracundia Regis, & simul de ejus obstinatione. Potuit igitur colligere Zedechias, nihil esse expectandum nisi triste: hac ratione jurat qualecunque fuerit responsum, se tamen non ita offensum iri, ut quicquam gravius statuat contra Prophetam. Dicit, *Neque interficiam te, neque tradam te in manus istorum hominum, qui quærunt animam tuam*, hoc est, qui vitæ tuæ sunt inimici. Quærere enim animam tantundem valet atque persequi ad mortem: & hæc
Psal. 38. vers. 13. & 40. vers. 15. loquutio frequenter occurrit, præsertim in Psalmis. Capitales ergo Jeremiæ inimicos notat: & interea promittit se æquo animo accepturum quicquid audierit ex Propheta. Notanda est forma jurisjurandi quum dicit, *Vivit Jehovah, qui fecit nobis animam hanc*. primum jurat per vitam Dei, hoc est, per Deum immortalem. Quanquam verbum istud חיה quum refertur ad Deum, aliam vitam designat quam quæ cernitur in hominibus, vel in animalibus brutis: vivunt enim homines precario, quatenus vitam illis Deus inspirat. Sicut ergo esse est proprium unius Dei, ita etiam vivere: quoniam non vivimus, non movemur, neque etiam sumus, nisi in ipso, quemadmodum loquitur Paulus decimo septimo capite Actorum. Et ideo Paulus idem alibi docet solum Deum esse immortalem. Interea sub hac voce comprehenditur quicquid in Deum competit. Neque enim vivit Deus, ut deliciis indulgeat, vel ut jaceat in otio, sed ut mundum gubernet, ut diffundat suam virtutem per cælum & terram, ut sit hominum judex, ut rependat cuique justam mercedem. Vita igitur Dei non est otiosa, ut imaginantur profani homines, sed in se continet immensam Dei potentiam, continet justitiam, sapientiam, & quicquid tale est. Quoties ergo loquimur de vita Dei, sciamus nos nonnisi in ipso vivere: deinde ipsum non sedere otiosum, & securum, sed præesse toti mundo, & esse hominum judicem. Hoc igitur sensu quum jurare vult Zedechias, dicit, *Vivit Jehovah*. deinde adjungit, *qui fecit nobis hanc animam*. Clarius exprimit quod jam dixi, & perinde est acsi vitam suam coram Deo in sponsionem offerret. Perjurii ergo pœnam sibi ipse precatur, quia quum jurat per Deum auctorem vitæ suæ tantundem hoc est acsi diceret, Vita mea respondeat si ego fallam vel mentiar. Ergo videmus quis sit finis jurisjurandi, nempe ut sacrum Dei nomen sit nobis instar pignoris quo fides habeatur sermoni nostro. Unde sequitur non impune sumi Dei nomen quoties juramus. Nam objicimus ejus judicio vitam nostram, ut scilicet injuriam sibi factam ulciscatur, quia profanatur ejus nomen perjuriis, quemadmodum satis notum est. Nunc sequitur,

Actor. 17. vers. 28. 1 Tim. 6. vers. 16.

17. Tunc dixit Jeremias ad Zedechiam, Sic dicit Jehovah Deus exercituum, Deus Israël, Si egrediendo egressus fueris ad Proceres regis Babylonis, vivet anima tua, & urbs ista non consumetur (*non incendetur*) igni, sed vives tu, & domus tua.

Posset hoc loco moveri quæstio, an Deus Prophetæ suo mandaverit iterum repetere quod frustra sæpius concionatus fuerat. Non possumus quicquam certi asserere, nisi quod probabile est, Prophetam non aperuisse os, nisi duce Spiritu sancto. Quamvis ergo novum mandatum non acceperit, Spiritus tamen Dei impulit ipsum, & gubernavit tam cor ejus, quam linguam. Paulo post enim videbimus ostensum ei divinitus fuisse quid instaret, neque id pridem, sed ut nova confirmatio superiori doctrinæ accederet. Cæterum hæc probabilis est conjectura duntaxat. fruatur igitur quisque suo sensu. Jam ut fidem responso conciliet, præfatur se non loqui nisi ex ore Dei. Jam sæpius hoc prædixerat, & testatus fuerat sibi à Deo esse patefactum. Nunc vero nescitur an jussus fuerit eadem repetere, nisi quod non abutitur nomine Dei, neque temere jactat Deum hoc pronunciare. Ideo dixi fuisse Spiritum moderatorem, quamvis demus non fuisse instructum speciali aliquo mandato. Vocat *Deum exercituum*, & *Deum Israel*: priore elogio notatur omnipotentia Dei, altero autem fœdus, quod cum Judæis pepigerat. Commendat igitur immensam Dei potentiam, ut metum incutiat ipsi Zedechiæ. Nam hypocritæ etiamsi cogantur expavescere ad nomen Dei, postea tamen quodammodo obdurescunt. necesse igitur est, illos expergefieri, quemadmodum hic facit Propheta. Sed postea perstringit impietatem Zedechiæ, quod non tantum profiteretur se esse unum ex electo populo, sed esset Rex & caput, dominaretur in ipsa Domini hæreditate, & tamen incredulus esset omnibus vaticiniis. Ergo subest obliqua exprobratio quum Propheta ponit nomen *Dei Israel*. Jam adjungitur pœnæ mitigatio, si Zedechias ultro collum jugo submittat. Hæc autem non vulgaris fuit Dei misericordia, quod poterat adhuc ultimam pœnam effugere: nam indignus erat qui ita respiceretur à Deo. quandoquidem aliquot ante annis audierat ex ore Jeremiæ nullum fore veniæ locum, nisi Chaldæis se, & populum suum, & Urbem dederet. Abnuerat, imo fuerat præfractus & contumax adversus Deum. Videmus ergo indignum fuisse ulla levatione, & tamen Deus adhuc paratus est ei ignoscere, quoad vitam, modo transeat sponte ad Chaldæos. Et hoc modo redditus fuit magis inexcusabilis, quod quum audiret Deum fore propitium, si debitæ pœnæ se subjiceret, noluit tamen obsequi, quemadmodum postea videbimus. Et ita videmus non frustra dixisse Jeremiam, Si consilium vers. 15.
tibi dedero, non au[illegible], neque obtemperabis mihi:

eventus enim id comprobavit. hoc unum est. *Tu*, inquit, *vives*: priore loco dicit, *Vivet anima tua*: deinde, *Urbs ista non comburetur sed tu vives*, repetit alio genere dicendi. *Tu vives, tu, & domus tua.* Nunc sequitur comminatio:

18. Si vero non egressus fueris ad Proceres regis Babylonis, tradetur urbs ista in manum Chaldæorum, & exurent eam igni, & tu non evades è manu ipsorum.

Spem veniæ dederat regi Propheta, non ut impunitatem promitteret, sed ut saltem posset Rex sperare Deum clementer acturum si ultimam ejus vindictam anteverteret. Sed quia hypocritæ non facile moventur quum Deus allicit eos promissionum dulcedine, ideo additur comminatio: *Nisi te Chaldæis tradas*, inquit Propheta, *non effugies tamen*, *& Urbs capietur atque incendetur à Chaldæis.* Potuit ab una parte spem concipere Zedechias, & ita aperiri debuit clementiam Dei sibi oblatam. Ex quo nihil profecerat hac in parte, debuit saltem ex opposito expavescere quum audiret nuncium de clade Urbis, & de suo interitu: atqui neque metu, neque spe adductus fuit, ut pareret Prophetæ consilio. Videmus ergo quamvis data opera non contemneret Deum, tamen neque frigidum neque calidum fuisse, sed voluisse sibi in totum parci. Hinc igitur factum est, ut repodiaverit gratiam sibi oblatam à Propheta. Sequitur tamen excusatio:

19. Et dixit rex Zedechias ad Jeremiam, Ego metuo (*vel crucior*) oh Judæos qui defecerunt ad Chaldæos, (*vel sollicitus sum, vel timeo, & metuo Judæos ipsos*) ne forte tradant me in manum ipsorum, & contumelia me afficiant. (*alii vertunt, illudant mihi.*)

Hic videtur justam habere rationem Zedechias cur non statim obtemperet Prophetæ. Et sæpe familiariter optimi quique ex fidelibus exponunt suas sollicitudines: & vidimus etiam aliquoties Prophetam, quum aliqua dubitatio occurreret, eam protulisse in medium. Non videtur itaque hoc reprehensione dignum esse, quod Zedechias ingenue fatetur sibi obstare metum eorum qui defecerunt ad Chaldæos. Scimus enim ut proterve insultent subditi quum semel jugum excusserunt, & violarunt fidem promissam. Sciunt enim sibi fore implacabiles eos, quibus non præstiterunt suum officium. Ergo Zedechias merito fuit anxius, & videtur excusatione digna esse hæc simplicitas, quod metum suum explicat Prophetæ. videtur enim adhuc signum aliquod dare obedientiæ. Sed tandem eventus docebit ipsum fuisse ita constrictum metu, ut respuerit consilium Dei, & Prophetæ. Fidelibus, ut nuper dixi, sæpe contingit timere, & ita vacillant aut subsistunt quum Deus aliquid præcipit difficile & arduum, & libenter se subducerent: sed tandem obtemperant Deo, & valedicunt suis cogitationibus, & eas etiam subigunt in obsequium Dei. Zedechias autem sic timuit, ut non potuerit gustare bonitatem Dei sibi promissam. Videmus ergo nunc quid simile habeant fideles cum reprobis, & quatenus alii ab aliis differant. Principio tam fideles, quam increduli metuunt, sunt anxii, vacillant, & curas suas proferunt: interea increduli sibi indulgent & obdurescunt in perverso suo sensu: fideles autem secum ipsi pugnant, & redigunt in obsequium Dei suas cogitationes, & ita superant metum fiducia, deinde carnem suam domant, & se totos addicunt Deo. Id ante vidimus in Propheta, nunc autem cernitur illa quam dixi, obstinatio in Zedechia rege. Metuit ergo Zedechias, ne contumelia ipsum afficiant Judæi, qui jam defecerant ad Chaldæos. Respondet Propheta,

20. Tunc dixit Jeremias, Non tradent te, audi agedum vocem Jehovæ, quam tibi profero, (*quam ego loquor ad te*) & tibi erit bene, (*tibi bene cedet*) & vivet anima tua.

21. Quod si tu abnueris ad egrediendum, (*hoc est, recusaveris egredi*) hic est sermo quem ostendit mihi Jehovah:

22. Et ecce omnes mulieres, quæ relictæ fuerint in domo regis Jehudah, egredientur ad Proceres regis Babylonis, & ecce ipsæ dicent, Suaserunt tibi (*alii, deceperunt te, vel seduxerunt*) & prævaluerunt tibi viri pacis tuæ, defixi sunt in luto pedes tui, conversi sunt retrorsum.

Iterum hic confirmat Jeremias Zedechiam, ne dubitet periculum facere, quando Deus adhuc spem veniæ dabit, saltem ut castigatio nonnisi paterna sit, & levis. Promittit igitur Zedechiæ ipsum fore tutum ab omni contumelia, de qua erat anxius: *Non tradent te*, inquit: quasi diceret, Commenda hoc providentiæ Dei, resigna te ipsi Deo, & ne dobites quin salvum te conservet. Quemadmodum jam dixi, fidelibus Deus per indulgentiam permittit suas curas in sinum ejus projicere, sed interea ubi ipsos confirmat, si qui non pareant, signum est obstinatæ malitiæ, & socordia illa extinguit omnem lucem gratiæ. talis fuit Zedechiæ stupor, quia non admisit secundam hanc promissionem. potuit quidem fateri metum suum, sed simul debuit remedium amplecti: Propheta testatur vitam ejus fore in manu Dei salvam & incolumem: quid amplius volebat? sed hoc frustra dicitur, quia metus occupaverat ejus animum, ut nullus aditus esset promissioni. Et hoc diligenter notandum est, quia nemo est nostrum, quem non perturbent multæ curæ, & multi timores exagitent. sed dandus est [illegible]cus remedio. Deus succurrit nobis quum videt anxiis cogitationibus nos constringi: si autem ita prævalet timor, ut nihil prosint omnes promissiones quibus nos Deus erigit, hoc signum est perditæ incredulitatis. Postea sequitur, *Audi vocem Jehovæ, quam ego tibi profero, ut bene sit tibi, & vivat anima tua.* Iterum promissio additur, ut libentius Zedechias Deo se subjiciat. nam etsi agnoscimus non posse nos effugere ejus potentiam, tamen erit nobis formidabilis, nisi admisceat promissiones gratiæ. Hoc igitur modo conatur Propheta Zedechiam adducere in obsequium Dei: *Audi*, inquit, *vocem meam ut bene sit tibi.* Ostendit esse adhuc in arbitrio Zedechiæ sibi consulere, modo obtemperet verbo Dei. Hic autem locus docet Prophetam non temere, & futiliter loquutum esse, sed duce & magistro Spiritu Dei. quanquam enim fieri potest, ut novum mandatum non acceperit, tamen scivit ita placere Deo, ut confirmaret superiora oracula. neque enim usurpat falso Dei nomen, quum jubet Zedechiam *audire vocem Dei, quam ipse profert.* Etsi autem hic sermo specialiter ad Zedechiam dirigitur, colligimus tamen semper nobis

utile

utile esse amplecti quicquid Deus pronunciat, etiamsi in speciem durum sit & asperum, sicuti Zedechiæ minime jucundum fuit tradere se hostibus, spoliari Regia potestate, trahi in exilium, & fieri mancipium ex Rege: tamen nihil ad salutem fuit utilius, quam obtemperare Deo. Quamvis ergo contineant verba Dei aliquid carni nostræ adversum & infestum, tamen statuamus Deum utiliter semper loqui in salutem nostram. Fuisset igitur bene Zedechiæ, si obtemperasset Prophetæ consilio: quia in illa captivitate sensisset tamen Deum sibi esse placatum, & fuisset hoc instar inæstimabilis solatii: deinde revocatus forte ab exilio fuisset, saltem conservasset Urbem, & Templum: sua autem obstinatione Urbem hostibus prodidit, & hinc factum est etiam ut Templum incenderetur. Postea adjungit, *Si renueris tu egredi, hic est sermo quem ostendit mihi Deus.* Jam iterum pronunciat Jeremias frustra Zedechiam luctari, quia contra stimulum calcitrat, sicuti dicitur: neque enim fieri posse, quin veniat in manus hostium. quod si factum fuerit, jam Urbi & Templo non parcetur. Sed iterum repetit Propheta sibi ostensum fuisse quod dicturus est: loquitur itaque non in sua persona, sed ex Dei mandato, quod licet non fuerit tunc expressum, tamen sciebat Propheta decretum illud, cujus fuerat præco, non posse aboleri. Dicit igitur *ostensum sibi fuisse hunc sermonem à Deo*: nempe, *Ecce*, inquit, *mulieres quæ residuæ adhuc manent in palatio Regis, exibunt ad Proceres regis Babylonis*, hoc est, tandem Urbe relicta se hostibus tradent, *& dicent, Viri pacis tuæ te fefellerunt*, vel suaserunt tibi, *& nimium prævaluerunt, ita defixi sunt in luto pedes tui, & retrorsum conversi.* Synecdochica est loquutio, quia sub una specie comprehendit totam Urbis cladem. scimus enim sexum muliebrem non stare in ipsa acie, & quum urbes expugnantur, parcitur etiam vitæ mulierum. Quum ergo dicit Propheta, *Exibunt mulieres quæ adhuc manent in palatio Regis*, tantundem est acsi diceret, Cogentur mulieres ipsæ descendere ad hostes & se tradere in eorum potestatem: quid ergo viris fiet, si talis sit & tam dura mulierum conditio? Nunc tenemus Prophetæ consilium. *Venient* igitur *mulieres*, hoc est, Urbe capta mulieres *quæ erunt in latebris palatii extrahentur nihilominus*, & cogentur ferre hostium conspectum. Deinde adjungit, *Et ecce dicent.* bis utitur demonstrativa particula הנה, *Ecce*, ut adducat Zedechiam quasi in rem præsentem. sic enim necesse est affici eos qui torpent in sua ignavia. *Et ecce*, inquit, *ipsæ dicent.* hic pronunciat Jeremias mulieres fore testes stultitiæ Regis, deinde malitiæ, & impiæ obstinationis Procerum: quasi diceret, Hodie mihi non obtemperas, Consiliarii etiam tui pertinaciter resistunt. Deus jam tulit de vobis judicium: contemnitis & ducitis pro nihilo: Deus tandem excitabit mulieres, quæ palam promulgent & tuam stultitiam, ô Rex, & pervicaciam tui consilii, quia spernitis omnes prophetias.

Da omnipotens Deus, quando nos quotidie continuis exhortationibus ad pœnitentiam invitas, ut gustu serio tuæ bonitatis tacti, mature ad te redeamus, & nos tibi subjiciamus, neque etiam detrectemus subire quas nobis imposueris pœnas: interea vero non ita provocemus ultimam tuam vindictam, ut te nobis ostendas rigidum judicem, sed paternam tuam clementiam semper in ipsis quoque pœnis experiamur, donec tandem perveniamus ad plenitudinem ejus gaudii quod nobis in cælo reconditum est, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA

IN

J E R E M I A M.

Heri coacti fuimus abrumpere sententiam, ubi dicebat Propheta regi Zedechiæ mulieres fore judices, idque gravioris contumeliæ causa, quia fidem abrogaverat Dei oraculis: quum toties hortatus eum fuisset Propheta ad pœnitentiam, obstinate rejecerat omnes ejus admonitiones. Ergo hic pronunciat Jeremias pœnam daturum qualem fuerat meritus, nempe ut mulieres ipsæ de stultitia ejus, & perfidia omnium Procerum palam loquantur. *Dicent* ergo, *Suaserunt tibi*, vel seduxerunt te, ut alii vertunt: alii, impulerunt te, quod mihi placeret, si esset recepta hæc significatio, quia paulo post sequitur, *& prævaluerunt tibi.* sed possumus simpliciter accipere in genuino sensu, quod perfide Regem induxerint. Vocat autem *viros pacis*, à quibus omnia benevolentiæ officia speranda erant. scimus enim ita sæpe vocari amicos, & familiares ab Hebræis. nam Pax non tantum significat concordiam, sed aliquid majus, nempe vinculum amicitiæ, quale esse debet inter Regem, & Consiliarios. Nec dubium est quin Jeremias hic tentare voluerit an Rex adhuc esset sanabilis: prædicit enim mulieres hoc esse pronunciaturas quasi è solio judiciali. Sed, quemadmodum heri dictum fuit, & iterum nunc videbimus, surdo verba fecit. Tandem subjicit *defixos esse pedes ejus in cœno*: quod metaphorice capitur. nam poterat vitæ suæ consulere si transiisset ad hostes, & ita spontanea deditio fuisset quasi pretium liberationis: maluit autem degere in suo nido. Propheta autem dicit hunc torporem fore instar luti, in quo jacebit defixus. Quod sequitur, *conversi sunt retrorsum*, male quidam, meo judicio, ad Proceres referunt. Lego igitur uno contextu, nempe *defixos fuisse in luto pedes*, deinde *conversos fuisse retrorsum*, quia scilicet omnia Regi acciderint præter spem. Sequitur,

23. Et omnes uxores tuas, & filios tuos deducent ad Chaldæos, & tu non evades è manu eorum, quia in manu regis Babylonis comprehenderis, & urbem hanc combures igni.

Prosequitur Jeremias eandem sententiam, sed pluribus verbis cladem demonstrat, ut Rex saltem horrore fractus subjiciat se recto consilio. nam ubi uno verbo audimus mortem instare, hoc quidem nobis horrorem incutit, sed ubi enumerantur alia mala, necesse est nos magis affici: & minime dubium est quin hoc Propheta spectaverit. Dicit igitur Zedechiam venturum in manus hostium, sed adjungit alias indignitates, in quibus major erat acerbitas: *Uxores tuas*, inquit, *trahent hostes, & simul filios tuos.* si cordatus fuisset Zedechias, optabile erat decies potius mori, & ita defungi pro omnibus, quam esse causam tot malorum. Scimus enim quam multi se intrepide ad mortem objecerint pro tuenda uxorum pudicitia: & certe hæc contumelia longe durior est quam decem mortes viris ingenuis. Videmus ergo quale fuerit consilium Prophetæ: quia videbat Zedechiam non satis moveri simplici morte proposita,

ideo adjungit alias circumstantias, quæ magis ipsum percellerent. *Educent* igitur, inquit, *omnes uxores tuas, & filios.* Hinc colligimus quam impune tunc violata fuerit conjugalis fides. scimus fuisse vetus illud malum, sed jam transieret in consuetudinem, ut esset quasi lex communis: & tamen manet inviolabile quod semel Deus statuit, nempe ut cuique viro sit propria uxor. Quum ergo polygamia sic grassata fuerit, & tam licentiose apud Judæos, videmus proprie extinctum fuisse timorem Dei, & simul omnem honesti respectum. Regibus quidem plus licentiæ permissum fuit: sed non ideo sunt excusandi, quia eorum vita debebat esse exemplar, vel speculum integritatis, & pudicitiæ. Quum ergo sibi duxerint uxorum turbam, hoc prorsus fuit vitium intolerabile. Jam quum hic agitur de cunctis uxoribus, colligimus non fuisse tres vel quatuor duntaxat Regi uxores, vel concubinas, sed fuisse magnum numerum, prout ferebat libido. Hinc ergo colligimus quanta fuerit corruptela illius seculi: deinde mirum est Regem adhuc ita fuisse deditum suis voluptatibus, & non redactum fuisse ad aliquam moderationem quum necessitas ipsa eum cogeret. Videmus ergo plusquam fuisse stupidum, qui retinuit tot concubinas, quum tamen vix urbs una salva esset, tota autem regio occuparetur ab hostibus. Sed ita præfracti homines contemnunt & Deum, & ejus flagella. nam quamvis vulgari proverbio fateantur omnes, necessitatem esse dominam cui parere omnes cogantur, tamen major pars luctatur cum ipsa necessitate, sicuti videmus Zedechiam non fuisse flexum quamvis esses pauperculus & miser, neque passum esse quicquam diminui ex splendore, & pompis Regalibus. hinc igitur uxorum vel concubinarum turba, cujus nunc fit mentio. Postea sequitur, *Hanc urbem combures igni.* certum est non fuisse subjectam facem ab ipso Zedechia, neque ipsum fuisse ducem incendii: sed Propheta hic admonet posse meritò conferri malorum omnium culpam in ejus obstinationem: quasi diceret Chaldæos quidem auctores fore incendii, quia suis manibus ignem domibus subjicient, sed primam culpam & maximam fore in ipso Zedechia, quoniam pervicaciter Deo resistat. Quantum vero ad mulieres spectat, hoc quoque breviter notandum est: quia tam præfracti fuerant alii Reges, Deum tunc apposuisse quasi extremam manum, ubi aula purgata fuit suis illis vetustis sordibus. nam sub Jechania scimus collapsam fuisse Regiam dignitatem, scimus Urbem fuisse prædæ expositam, & tamen adhuc manebant aliquæ concubinæ: & hoc quasi hæreditario jure transibat ad alios Reges, acsi uxoribus quemadmodum regno succederant. Sed ubi insanabilis fuit malitia, simul ablatæ sunt omnes concubinæ. fuit igitur hoc signum ultimæ cladis. Sequitur,

24. Et dixit Zedechias ad Jeremiam, Vir nesciat (*hoc est, nemo sciat*) de sermonibus istis, & non morieris. (*hoc est, ne moriaris.*)

Hic perspicitur misere Regis conditio. nisi fidem haberet responso Jeremiæ, non ita trepidaret: sed agnoscit verum esse quod ex ore Prophetæ audivit: interea tempus prorogat, & extrahit quantum potest, & mavult in illa trepidatione animam trahere, quam statim liberari omni cura & molestia. fuit hoc minime Regium: nam si præditus fuisset aliqua virtute, non expectasset ultimam horam. scimus enim animosos homines occurrere libenter morti, ubi vident nullam spem dignitatis esse residuam. Zedechias spoliatus erat imperio. tenebat quidem Regis titulum, sed absque ulla dignitate: serviliter enim obsequi prius coactus fuerat suis Consiliariis, & nunc metuit umbram suam. quantum tamen potest, ut dixi, extrahit tempus, & hac ratione Prophetam rogat, ut colloquium illud maneat quasi sepultum. Quum dicit, *Ne moriaris*, non interminatur Prophetæ, sed ostendit hoc esse non minus Jeremiæ utile, quam sibi: Tu, inquit, statim concitabis omnium in te furorem, si verbum feceris de hac re: nemo enim sustinet audire quicquam de Urbis interitu. ergo si vis tibi consultum, fac ut tegatur sermo iste, & ne perveniat vel ad vulgus, vel ad meos Consiliarios. Prætextu igitur consilii dicit Jeremiæ, *Vide ne moriaris*, non autem loquitur minaciter. Sequitur,

25. Et si audierint Proceres quod loquutus fuerim tecum, & venerint ad te, & dixerint tibi, Expone (*vel narra*) nunc nobis quid loquutus fueris ad Regem, ne celes à nobis, (*hoc est, ne celes nos quicquam*) & non occidemus te, & quid loquutus sit tecum Rex:

26. Et (*Tunc: copula enim resolvi debet in adverbium temporis, tunc*) dices illis, Prostravi ego preces meas coram facie Regis, (*hoc est, suppliciter deprecatus sum Regem*) ne reduceret me in domum Jonathan, ut morerer illic.

Hic Zedechias iterum cavet ne Jeremias deprehendatur, si præter opinionem ipsum aggressi fuerint Proceres. nam poterat etiam hac in parte labi quamvis monitus. Rex igitur ostendit quid respondere expediat, si forte ad ipsum venerint Consiliarii, & sciscitati fuerint de colloquio. Hortatur ergo ut simpliciter dicat, *se rogasse, ne reduceretur in terram illam foveam*, ubi fere perierat. Clarius nunc patet quam misera fuerit Regis servitus, quia timet suos Consiliarios, ne ab ipso deficiant. libenter fecisset spontaneam deditionem, sed non audebat, ne à suis per tumultum interficeretur: & tamen simul metuebat ex opposito, ne eum despicerent Proceres, atque ita ejus vita seipsos redimerent. Videmus quantis angustiis fuerit constrictus, sed justam mercedem ejus obstinationi rependit Deus. hoc quidem auditu est miserabile, Regem ita undique premi: sed causa semper notanda est, quod scilicet contempserit Deum & ejus Prophetam: dignus ergo erat qui ita esset anxius, & qui undique mortem apprehenderet, nec se explicare posset tot curis & sollicitudinibus, quæ eum torquebant. Discamus igitur in Deum rejicere curas nostras, ut vita nostra sit in tuto, & nos simus pacatis & tranquillis animis: alioqui necesse est accidere quod habetur in Lege, nempe ut vita nostre pendeat è filo, *Deut. 28. v. 66, 67.* ut mane dicamus, Quis dabit videre vesperum? vespere autem, Quomodo poterimus pervenire usque ad aurorem? Ne igitur idem nobis accidat quod huic misero Regi, discamus in Deum recumbere: hæc enim est unica pacis obtinendæ ratio. quanquam enim Zedechias proponit Jeremiæ periculum quod poteret sibi accersere, si confessus esset de colloquio, tamen minime dubium est quin sibi prospiciat, quia non tanta erat Prophetæ cura. *Si ergo audierint Principes, quod loquutus fuerim tecum.* hic etiam videmus, quemadmodum Reges nimis curiose inquirunt in omnium dicta & facta, sic esse vicissim obnoxios innumeris custodibus, qui observant omnia ipsorum arcana. Zedechias, ut ante vidimus, relicto palatio quæsivit latebras, & in tertio ingressu ad se vocavit Jeremiam. hoc potuit aliquo modo esse occultum, tamen sciebat se observari etiam à propriis ministris. Ita Reges

dum

dum affectant immodicum splendorem, renunciant præcipuo bono, & quod aliis omnibus præferendum est. vulgo enim dicitur libertatem esse bonum inæstimabile, & hoc verissimum est: si autem quæritur libertas in toto genere humano, minime reperietur in aulis. nam omnes illic sunt servi, & servitus incipit ab ipsis capitibus. Reges ergo dum ita è sublimi volunt despicere totum humanum genus, sunt quasi collocati in theatro, & omnium oculi in ipsos conversi sunt, ita ut nulla illis maneat libertas: qui autem pendent ab ipsorum favore, etiam sunt in continuo metu. Notandum igitur hoc nobis est, quia nemo est qui non affectet splendorem, sed interea nescimus quam sollicita sit Principum vita: exterior quidem species multum blanditur, sed interea non videmus quanta tormenta ipsos crucient. Ergo quum dicitur de Zedechia, quod non potuerit habere secretum colloquium, hinc apparet ut Reges minime omnium sint liberi. dicit, Quamvis promittant tibi impunitatem, ne illis confidas. Timebat Zedechias ne Propheta nimium esset credulus, atque ita liberius referret Consiliariis quod dixerat. Sed minime dubium est quin secum reputaverit Prophetam hactenus promulgasse cladem Urbis. vix ergo audebat sperare quod poscebat silentium. hinc fit ergo ut tam sedulo cavere jubeat. & quamvis Consiliarii promittant nullum ei fore periculum, tamen jubet eum tacere. *Tunc ergo dices illis, Ego suppliciter deprecatus sum Regem, ne reduceret me in domum Jonathæ, ut illic morerer.* non fuit quidem hoc mendacium, sed non potest in totum excusari cavillum istud. Propheta merito sibi timebat, & ante vidimus fuisse perplexum, & anxium, quia horribilis erat carcer ille, & præstabat semel mori quam ita vivum defodi in terram. sed certum est non venisse hac de causa ad Regem: fuit enim accersitus. Ergo quamvis non fuerit diserte & expressis verbis mentitus Propheta, fuit tamen species mendacii, & non potest excusari quod sequitur, quum de seipso refert,

27. Et venerunt cuncti Proceres ad Jeremiam, & interrogarunt ipsum, & annunciavit illis (*hoc est, narravit illis*) secundum sermones istos, quemadmodum præceperat Rex: & siluerunt ab eo, quia sermo non fuit auditus.

Hic fatetur quidem Propheta se fecisse sicuti Rex præceperat, sed non commendat suas virtutes. Minime igitur dubium est, quin ab una parte nobis ponat ante oculos miserrimam Regis timiditatem, quod scilicet ingenuitatis oblitus, suos Consiliarios ita serviliter timeret: sed ab altera parte etiam exponit se non satis fuisse cordatum. dum enim venerunt Principes, etiamsi noluerit ipsos fallere, celavit tamen quod erat præcipuum, & dixit se ad Regem venisse, ut deprecaretur pro sua vita, quod tamen falsum erat. Ergo quamvis verum sit quod narrat, nempe se precatum fuisse, ne reduceretur in carcerem, tamen hoc cavillo non potuit se prorsus eximere à culpa. In summa, videmus etiam servos Dei interdum fuisse flexiloquos, quum urgeret eos gravior metus. Et ita monemur petendam esse magnitudinem animi, & constantiam à Deo: ille enim solus est qui nos erigit & sustinet ubi terremur aliquo metu periculi. Dicit *se fecisse quemadmodum Rex præceperat*: atqui potius audiendus erat sermo Dei, quo nobis præcipitur simplicitas. Dicit *Principes siluisse*, hoc est, discessisse cum silentio: quia nemo testis fuerat colloquii, & res non manaverat longius, hoc est, quando Rex timore siluerat, & Propheta etiam ipse non detexerat arcanum colloquium, hinc factum est ut Principes discesserint, & putaverint rem ita habere. In summa, significat Jeremias fuisse deceptos hoc prætextu. Tandem sequitur,

28. Et habitavit Jeremias in atrio custodiæ usque ad diem quo capta fuit Jerusalem. & accidit secundum quod capta fuit Jerusalem. (*ad verbum: sed quidam vertunt simpliciter, & accidit ut caperetur Jerusalem. alii connectunt sequentibus, factum est secundum quod capta fuit Jerusalem, sed illud etiam est durum. relativum alii accipiunt pro demonstrativo pronomine, & hic sensus mihi probatur: Accidit enim ut secundum hoc caperetur Jerusalem, inquit.*)

Primo dicit *se habitasse in atrio custodiæ*. unde apparet ne tunc quidem fuisse liberatum: quamvis enim Rex eum cuperet esse liberum, tamen non ausus est dimittere. hoc unum est. Dicit *se illic fuisse ad diem usque captæ Urbis*. videbimus autem postea fuisse servatum Regis mandato & eductum è carcere. *Usque ad diem illum* igitur *fuit in atrio custodiæ*: quasi diceret se fuisse captivum, donec Rex ipse esset captivus una cum suis Consiliariis: deinde usque dum Urbs tota capta esset. Et hic perspicere convenit quasi in viva effigie admirabile Dei judicium, quod scilicet Judæi quantisper jactarunt se offerre Deo sacrificia, tenebant Prophetam clausum in carcere, ita ut non fuerit liber: donec Rege capto Urbs ipsa perierit, & omnes fere tracti fuerint in exilium. Ego non dubito quin adjiciat explicandi causa, *Et accidit ut capta fuerit Jerusalem secundum hoc*, id est, quin admoneat lectores his verbis se non fuisse vanum Prophetam, sed verum & fidum testem judicii Dei: quia scilicet eventu comprobata fuerint omnia vaticinia. Dicit ergo *Urbem fuisse captam* non fortuito, sed quia ita Deus pronunciaverat. Nunc historice narrare incipit Urbis cladem & incendium. Dicit igitur,

CAP. XXXIX.

ANno nono Zedechiæ regis Jehudah, mense decimo venit Nabuchadnezer rex Babylonis, & totus exercitus ejus Jerosolymam, & obsederunt illam.
2. Undecimo anno Zedechiæ, mense quarto, nona mensis disrupta fuit Urbs.

Videtur quidem Jeremias hic suscipere partes historici magis quam defungi Prophetæ officio: sed obsignat superiores prophetias, & simul ostendit se nihil temere protulisse in medium. est igitur comprobatio totius superioris doctrinæ, quasi adduceret in rem præsentem, & ostenderet completum fuisse Dei manu, & incredibili modo quicquid ipse prædixerat. nunc tenemus summam hujus capitis. Dicit autem *venisse regem Nabuchadnezer*, quanquam statim discessit ab obsidione, quia paulo post videbimus fuisse in Riblathath, quam putant fuisse Antiochiam Syriæ: sed hac de re dicetur suo loco. Si igitur Rex ipse descendit cum suo exercitu, statim discessit, & voluit in otio & deliciis agere quantisper

tisper Urbs obsidebatur. Noluit igitur subire molestiam & tædium diuturnæ illius militiæ: sed tamen ut plus injiceret terroris, ipse ad Urbem accessit, & admonuit suum exercitum. Jam notanda est temporis circumstantia, quod *venerit anno nono, mense decimo*, hoc est, circiter finem anni. Non dubium est quin Zedechias etiamsi multi rumores volitarent de adventu exercitus Chaldaici, tamen bene speraverit: quia non tam cito Rex se ad bellum accinxerat. putavit igitur sibi impune cessuram esse defectionem à rege Babylonio. Sed Propheta hic admonet fuisse perversam illam fiduciam, quia etsi ad tempus pepercit Deus ejus sceleri, & sustinuit suum judicium, tandem justas pœnas dedit impiæ defectionis, cui etiam adjuncta erat ingratitudo, quemadmodum prius dictum fuit. hoc quantum attinet ad *nonum annum* & ad *decimum mensem*. Jam sequitur, *Anno undecimo, mense quarto disrupta fuit Civitas*. videmus ergo fuisse Urbem obsessam toto sesquianno. fuit enim decimus annus integer, deinde additi sunt duo menses anni noni, & quatuor menses anni undecimi, qui faciunt annum & dimidium. Hic etiam reputandum est quam multa pertulerint Judæi: quia hodie si urbs aliqua obsidionem paucorum mensium sustinet, videtur hoc esse raræ virtutis: Jerusalem obsessa fuit anno uno, & dimidio: nunc cogitandum est quanta illic multitudo hominum fuerit, & ante vidimus Prophetam illis famem fuisse minitatum. Quanta vero fuerit penuria in Urbe non modo alibi testatus est Propheta, sed in Lamentationibus clarius demonstrat: & fames etiam potuit inde cognosci, quod statim sequuta est pestis. *Lam. 4. vers. 10.* Hinc colligitur quanta fuerit Regis ferocia, quod quum videret turmatim miseros homines concidere, tamen perstiterit in sua obstinatione. Nec dubium est quin vulgus etiam ipsum fuerit contumax pro sua parte, & tandem fuerit attonitum suis malis. nemo enim fere erat à minimo usque ad maximum, qui non sprevisset doctrinam Propheticam. ergo erant omnes excæcati amentia, & stupore. Hoc notandum quum dicitur tulisse obsidionem per annum unum, & sex menses, ac ne sic quidem adductos fuisse ut se dederent, donec Urbs fuit disrupta: quoniam scilicet muri fuerunt diruti ariete, & aliis machinis: disrupta enim fuit Urbs quoniam murus ariete percussus conciderit; denique fuit Civitas expugnata. hoc intelligit, & clarius id exprimitur. Sed non possem nunc ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quum circumdati simus tot periculis, deinde etiam accersamus vitiis nostris quotidie tot miserias, ut saltem cedamus minis tuis, & discamus mature tibi occurrere, & antevertere judicium tuum, & ita humiliari sub potenti manu tua, ut sentiamus te esse miseris peccatoribus exorabilem, qui ad tuam misericordiam confugiunt, donec tandem omni culpa soluti, compareamus ad tribunal tuum, & illic recipiamus fidei nostræ præmium, beatam scilicet immortalitatem, quam nobis peperit sanguine suo unigenitus Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-PRIMA

IN

JEREMIAM.

3. Et ingressi sunt omnes duces regis Babylonis, & sederunt in porta media, Neregal, Sarezer, Samegar, Nebusarsechin, Rabsaris, Neregal, Sarezer, Rabmag, & residuum ducum (*hoc est, & alii duces*) regis Babylonis.

4. Et factum est quum vidisset eos Zedechias rex Jehudah, & omnes viri militares, tunc aufugerunt, & egressi sunt ex Urbe noctu per viam horti Regis ad portam inter duos muros, & egressus est per viam deserti.

Hic ostenditur completum fuisse vaticinium Jeremiæ, ut reipsa palam fieret non temere loquutum, sed ex ore Dei: atque ita simul impletum est quod vulgari proverbio dicitur, sero stultos sapere: quia nunquam obtemperant bonis & sanis consiliis dum opus est, sed tandem suo malo & duce experientia cognoscunt sine profectu verum fuisse quod spreverunt. hoc igitur accidit Zedechiæ, qui toties admonitus fuerat à Propheta, ut se dederet regi Nabuchadnezer. Quoniam ergo obstinate refugerat jugum, ideo necesse fuit tandem mercedem recipere suæ obstinationis. Dicit autem Jeremias *duces regis Nabuchadnezer*, hoc est, quos præfecerat suis copiis, *ingressos fuisse Urbem, muro perrupto, & sedisse in porta media*: nam fuit cavendum, ne subessent insidiæ, & victores etiam non statim penetrant in omnes partes post urbem aliquam captam, sed explorant an omnia loca vacua sint hostibus: id ergo fecerunt præfecti exercitus Babylonii, *quia substiterunt in porta media*, ut scilicet Urbi dominarentur, & tamen tuti essent ab omnibus insidiis. Commemorat aliquos Jeremias, & incertum est an adscribat quibusdam epitheta: sed quia hoc ambiguum est, & non trahit multum momenti, ideo nobis sufficiat nominari præcipuos ex ducibus ad historiæ certitudinem. Jam adjungit, *Postquam eos vidit Zedechias*, non quod accessisset ad partem illam, sed postquam intellexit partem illam Urbis occupatam esse ab hostibus, quia ventum erat ad extrema, *tunc fugit cum viris bellicosis*. Et hic nobis describitur tristis facies: relicti sunt in Urbe homines minime exercitati in re bellica, relictæ sunt etiam fœminæ cum pueris, fugerunt viri bellicosi, utpote quorum deterior erat conditio, quoniam morati fuerant expugnationem Urbis. hoc igitur ex communi more factum est, quod illi fugerunt. Interea videmus profanos homines, postquam diu contempserint cælestem doctrinam, fugere, & terrore ita concitari, ut sese projiciant in multas mortes. hæc justa est eorum merces, qui non terrentur Dei minis, sed ad eas obdurescunt, ut sero agnoscant sibi fuisse metuendum, & attoniti non videant quid expediat, neque possint capere ullum certum consilium. Jam quod narrat Propheta *illos fugisse, & quidem noctu*: deinde, *egressos esse per viam horti Regis*: postremo, *venisse ad portam quæ erat inter duos muros*: in hoc contextu nihil est supervacuum, quia docere vult quamvis Rex putaret se elapsum ex hostium manibus, fuisse tamen deprehensum in angustiis illis: sicuti Deus prædixerat. nam si capta Urbe ultro venisset supplex, forte adeptus esset misericordiam: & scimus datum fuisse illud consilium rebus adhuc integris. sed nihil fidei adhibet Dei verbo: interea existimat se posse fallere hostes, si celeriter aufugiat occulta via. Existimant fuisse hanc viam subterraneam quæ ostium haberet in medio horto, & deinde haberet oppositum egressum in planitie Jericho, ut videbimus: erat autem regio illa sterilis, ideo solitaria.

taria. hinc ergo Rex fiduciam conceperat: sed expertus est tandem quam certa esset fides Propheticæ doctrinæ. dicitur enim paulo post Chaldæos sequutos esse, & illum apprehendisse. Sed, quemadmodum dixi, circumstantia hæc diligenter notanda est, ubi narrat Propheta occulto itinere Regem inter noctis tenebras fugisse, & fuisse egressum. Nunc sequitur,

5. Et persequuti sunt exercitus Chaldæorum ipsos, & apprehenderunt Zedechiam in desertis Jericho: (*alii vertunt, in planitie: & fuit planities: cæterum ut dixi, inculta & squalida, & vacua etiam incolis*) & tulerunt ipsum, & adduxerunt ad Nabuchadnezer regem Babylonis Riblathah, (*urbem*) in terra Chemath, qui loquutus est cum ipso judicia.

Non dubium est quin arcano Dei instinctu Chaldæi persequuti sint Regem fugitivum. Credibile quidem est, fuisse proditum à suis, & hoc solet in rebus turbatis accidere: sed tamen poterat effugere, nisi traditus fuisset quasi Dei manu. Hæc igitur omnia narrantur, ut sciamus impios tergiversando nihil aliud consequi, quam ut reipsa agnoscant Deum veracem esse tam in minis suis, quam in promissionibus. verbo non credunt: ergo experimentis convinci necesse est. Proponitur itaque hic nobis Zedechias in exemplum, ut sciamus simulac Deus aliquid adversi denunciat trepidandum esse, ut humiliemur sub potenti ejus manu quia tenebit nos undique conclusos, ut si pateant latebræ & effugia, nihil tamen nobis prosint. Ideo narrat Propheta *illum deprehensum fuisse in desertis Jericho*. Hæc etiam circumstantia pondus habet, quia egressus erat extra conspectum hominum in solitudinem, quia planities illa non adeo frugifera erat, ut aleret multos incolas: ideo erat quasi deserta regio. Mirum est igitur quomodo occurrerunt Chaldæi in illa solitudine, sed habebant Deum quasi itineris sui ducem. Ita igitur factum est, ut Zedechias inciderit in manum exercitus Chaldaici. Dicit postea Propheta *adductum fuisse in Riblathah*, quam existimant fuisse Antiochiam. Interdum vocatur etiam Chemath. Sed hoc alterum nomen hic pro regione capitur, non
Amos 6. vers. 2. autem urbe. Quanquam capite sexto Amos urbem significat quum dicit, Ite Chalne, ite in Chemath magnam. Sed fieri potest ut nobilitas urbis postea dederit nomen regioni: & certe partem illam Syriæ Plinius libro quinto vocat Antiochenam: & quod paulo ante dicit versus Ciliciam, partem Syriæ vocari Antiochiam, videtur mihi locus esse corruptus. Lego igitur potius in casu genitivo, illam esse partem Syriæ, quia, ut jam dixi, vocat Antiochenam. Et hoc non male convenit urbem fuisse Chemath, & fuisse Riblathah, deinde nomen urbis impositum fuisse regioni. Interpretes quidem inter se consentiunt, Riblathah esse Antiochiam. Hieronymus dicit ætate sua primam stationem versus Chaldæam adhuc retinuisse antiquum nomen, quamvis literis quibusdam mutatis, dicebant enim Emmaus. Sed non dubitat esse illam Antiochiam quæ olim vocata fuit Epidaphne, & quæ habuit etiam nomen Chemath. *Illuc* ergo *adductus fuit Zedechias ad Nabuchadnezer, qui loquutus est cum eo judicia*: hoc est, qui reum adduxit ad suum tribunal, ut capitalem causam diceret. Loqui enim judicia tantundem valet atque agere jure, & disceptare ut feratur sententia. Hoc autem à Regia dignitate longe remotum fuit, quia etiamsi victor sæviat contra hostem suum, contentus tamen erit simplici morte. Non solent Reges hoc modo agere cum Regibus, quia respiciunt seipsos, & nolunt prostituere ad ignominiam splendorem Regium. Dicit autem Jeremias Zedechiam minime regaliter fuisse tractatum, quia coactus est causam capitalem dicere, & damnatus fuit solenni judicio. Ergo *loqui judicia* tantundem valet atque id quod Gallice dicimus *former procés criminel*. Et hæc indignitas auget gravitatem cladis & pœnæ, quod Zedechias non tantum sustinuit multa probra, dum scilicet expostulavit cum ipso rex Babylonius: sed quod tractus fuit ad judicium, ut more vulgari pœna de ipso exigeretur. Nam regem ipsum constituerat Nabuchadnezer, imposuerat tributum. Damnavit igitur illum perfidiæ & perjurii. hæc est ignominia quam Propheta notat quum dicit jure cum ipso fuisse actum: & eandem loquutionem postea repetet ultimo capite. Sequitur,

6. Et occidit rex Babylonis filios Zedechiæ in Riblathah coram oculis ejus, & omnes nobiles Jehudah occidit rex Babylonis.

Probabile est, fuisse regem Nabuchadnezer in urbe illa amœna, donec expugnaretur Jerusalem. nolebat enim ferre tædium longæ obsidionis: deinde volebat etiam procul abesse à periculo: satis erat si duces, quorum facta fuit mentio, ejus auspiciis militarent. Fuit igitur Nabuchadnezer extra jactum telorum: & interea terror injiciebatur Judæis, quia non receperat se domum, neque ad sedem præcipuam imperii, sed substiterat in vicinia: quoniam Antiochia Syriæ non procul à Judæa distabat. Jam narrat Propheta quam crudeliter sævierit Nabuchadnezer in Zedechiam. Fuit certe triste illud spectaculum, videre Regem, qui ante floruerat, qui erat ex nobilissimo genere, qui figura erat Christi, ita prostratum jacere ad pedes superbi victoris. Sed hoc multo acerbius, quod vidit filios suos jugulari in suo conspectu. Satius erat centies mori quam cogi ad cædem illam conspiciendam: coactus est tamen. Deinde ut spes omnis abscinderetur, etiam occisi sunt quicunque pollebant aliqua dignitate, & potentia in toto populo. Nam generaliter comprehendit sub hoc nomine Jeremias quicquid fuit floris, ita ut quicunque nomen aliquod obtinuerant in populo, jugularentur. Fuit illa horribilis carnificina, quum non modo filii Regis cum toto reliquo genere interficiuntur, sed omnes qui poterant statum Urbis & terræ in melius restituere. Voluit igitur rex Nabuchadnezer tollere spem omnem, quum ita mactaret tam sobolem Regiam, quam omnes nobiles. Postea sequitur,

7. Et oculos Zedechiæ excæcavit, & vinxit eum catenis, (*in duali numero, duabus catenis*) ut adduceret ipsum Babylonem.

Hic fuit cumulus miseriæ, quod eruti sunt Regis oculi postquam spectator fuit cædis omnium suorum. Vidit ergo coacervari tam generis sui quam omnium nobilium cadavera: post illam stragem fuit excæcatus. Nec dubium est quin prorogata fuerit illi vita, ut paulatim se mori sentiret quemadmodum dicebat tyrannus ille: atque ita centies ac millies voluit ipsum occidere Nabuchadnezer, non autem morte una defungi ad momentum. nam mors eripit hominem ab omnibus vitæ ter-

renæ miseriis. Quod ergo superstes fuit Zedechias, eo durior fuit ejus conditio. Et hoc etiam refertur, ut sciamus, quia tamdiu obstinatus fuerat adversus Deum, protractas fuisse pœnas quæ de illo sumptæ sunt. neque enim levitate vel incogitantia, vel impetu aliquo peccaverat, sed obduruerat ad omnem doctrinam, & ad omnia consilia. Oportuit igitur illum paulatim mori, & non interfici uno die. Hæc ratio est cur eruerit ejus oculos rex Babylonis. Tandem dicit Propheta, *vinctum fuisse catenis, & in hoc miserabili habitu tractum fuisse Babylonem.* hæc contumelia ad cæcitatem accessit, quod constrictus fuit catenis tanquam maleficus. præstabat statim trahi ad furcas, vel alio genere mortis tolli, sed voluit cum ignominia Nabuchadnezer illum trahere miseram vitam, & ita esse quasi publicum documentum perfidiæ. Sequitur,

8. Et domum Regis, & domum populi combusserunt Chaldæi igni, & muros Jerusalem diruerunt.

Hic etiam ostendit Propheta completum fuisse quicquid prædixerat, ita ut nihil ad plenam & solidam fidem defuerit. Dixerat autem, ut ante vidimus, nisi ultro se dederet Zedechias, domos omnes exustum iri cum Urbe. Putavit Zedechias hoc esse vanum, vel saltem obturavit aures: jam audivit quamvis esset cæcus, Deum nihil frustra denunciasse per os Jeremiæ, quia palatium ejus exustum fuit, deinde omnes aliæ ædes. Secundo loco ponitur בית, loco pluralis numeri, & ita est enallage, quia non tantum una domus populi combusta fuit, sed fuit subjectus ignis cunctis ædibus: tandem ventum est ad muros ipsos: & ita Urbs fuit eversa, quemadmodum prædixerat Jeremias. Sequitur,

9. Residuum vero populi qui superstites erant in Urbe, & elapsos (*hoc est, defectores*) qui defecerant ad ipsum, (*nempe ad Nabuchadnezer*) & residuum populi, qui relicti fuerant, (*qui fuerant superstites, idem nomen repetitur*) transtulit Nabuzardan princeps interfectorum Babylonem.

Jam narrat etiam Propheta quid aliis factum fuerit: qui scilicet residui erant in Urbe, & quibus pepercit Nabuchadnezer, & ejus exercitus: illos dicit *traductos fuisse Babylonem*, quum transfugissent qui defecerant ad Chaldæos ante Urbem captam. vidimus enim tantam fuisse desperationem, ut multi fuerint delapsi: & ab illis præcipue sibi timebat Zedechias, quemadmodum vidimus, ne ludibrio esset, si venisset ad Chaldæos, & facta fuisset deditio. Dicit nunc Jeremias, *illos quoque fuisse traductos in Chaldæam*. Potuit Nabuchadnezer hoc consilio eos transferre, quia proditoribus non satis fidebat: expertus fuerat eorum levitatem, defecerant enim à genuino & legitimo suo Rege. Quum ergo ita semel fidem violassent, suspectos merito habere potuit, & ita procul eos transferre, ne quid postea novarent, aut turbarent. Vel forte ipsis postulantibus id factum est: quia timendum erat ne post discessum exercitus Chaldaici, vulgus in ipsos sæviret, quia hostes adjuverant, & ita fuerant erga patriam suam perfidi & ingrati. Potest igitur fieri, ut hoc ultro petierint, & concessum etiam fuerit, ut tranquille viverent in longinqua regione, quia non fuissent tuti in Judæa. Quocunque tamen consilio id factum sit, Jeremias narrat ipsos cum reliquis fuisse tractos Babylonem, & in Chaldæam. Postea nominat ducem exercitus, nempe *Nabuzardan*, quem vocat *principem*, vel interfectorum, vel coquorum. nam Græci interpretati sunt ἀρχιμάγειρον, principem coquorum, qui hodie vocatur Magnus magister in aulis Principum. Sed magis probabilis est eorum sententia, qui transferunt, Principem interfectorum. טבח significat mactare & interficere, & tam de hominibus dicitur, quam de animalibus. Hæc ratio est cur quidam retulerint ad culinam. sed quia hic Nabuzardan ponitur inter duces militares tanquam præcipuus, probabile est fuisse præfectum rerum capitalium in exercitu. Illum ergo nominat Jeremias quum dicit *translatos fuisse qui residui in Urbe manebant*. Sed videtur supervacua esse repetitio quum dicit יתר העם הנשארים, & paulo post eadem verba inculcat, nempe יתר העם הנשארים, est tamen aliquod discrimen, quia priore membro ponit בעיר, *in Urbe*. Intelligit ergo eos qui obsessi fuerant, & quibus ignoverat Nabuchadnezer, ut ad mortem usque in ipsos non sæviret. Posterius membrum latius patet, nempe ad omnes terræ incolas. Multi enim erant dispersi, in quos poterat sævire Nabuchadnezer, sed transtulit in Chaldæam tanquam mancipia. Duas igitur turmas hic recenset Propheta noster. dicit enim fuisse quosdam in Urbe residuos: dicit alios fuisse residuos, nempe qui dispersi erant per varias terræ plagas, & non fuerant obsessi ab exercitu Chaldaico. Postea adjungit,

10. Et ex populo pauperes, quibus nihil quicquam erat, reliquos fecit Nabuzardan princeps interfectorum in terra Jehudah, & dedit illis vites & agros in die illo.

Nunc addit quosdam fuisse relictos, qui terram incolerent, nempe *pauperrimos, & quibus nihil prorsus erat*. dicit enim *nihil quicquam*: eos dicit fuisse quasi terræ dominos quum redirent Chaldæi in patriam. Hic videmus quam sæpe optabilis sit paupertas, quia nobiles vidimus fuisse jugulatos: deinde multos etiam ex media plebe fuisse occisos in expugnatione Urbis: qui vero tractati sunt paulo humanius, fuerunt tamen miseri exules, & tracti sunt in terram longinquam absque spe reditus. Jam terra illa solis pauperibus relicta fuit, & qui ante pedem agri non possederant, nunc habitant satis commode. Neque enim fuit tanta multitudo, quin singulis esset aliquod terræ spatium, quemadmodum postea iterum videbimus. Quum ergo manerant miseri illi qui tenuiter ante victitaverant, & forte mendicaverant, quum manerent salvi in terra Jehudah, avulsi sunt agrorum possessores: deinde quum assignat singulis agros & vites Nabuzardan, hinc apparet quanto illis fuerit melius ad tempus esuriisse: fuisse ignobiles, & quasi sub aliorum pedibus calcatos: quam vixisse in splendida fortuna. Ita sæpe Deus rationem nostri habet, ubi non patitur nos altius assurgere, sed continet in sorte obscura & contemptibili: & tandem exitus demonstrat ipsum ita consulere saluti nostræ. Interea hic nobis ante oculos ponitur miserabilis conversio, quum Rex trahitur vinctus catenis & excæcatus: quum omnes alii relicta patria, in exilium trahuntur: soli autem pauperes & desperati homines, quibus ne obolus quidem erat, large habitare incipiunt tanquam in suo. Quum ergo illic quietas sedes obtinent & latifundia, imo fruuntur terra illa tam fertili & opima: jam minime dubium est, quin voluerit Nabuzar-

dan

dan hoc modo stomachum movere exulibus, quum viderent egenos homines & perditos habitare in ea terra, ex qua profligati erant. Ergo aucta fuit eorum indignatio, qui videbant se durius & inhumanius tractari, quam illos homines postremos. Sequitur,

11. Præcepit autem Nabuchadnezer rex Babylonis de Jeremia per manum Nabuzardan Principis interfectorum, dicendo,

12. Tolle ipsum, & oculos tuos pone super eum: & ne facias ei quicquam mali: sed prout loquutus fuerit tecum, fac cum eo.

Jam commendat nobis Propheta paternam Dei curam, quam expertus est in vitæ & salutis suæ custodia. Scimus sæpe in tumultu interfici insontes, & expugnationes urbium esse turbulentas, ut multa illic gerantur absque consilio: imo etiam ut duces ipsi moderari nequeant suæ victoriæ. Potuit igitur quum exurerent palatium Chaldæi, Jeremias simul perire, & suffocari ipso fumo incendii. Scimus quid acciderit quum captæ fuerunt Syracusæ. Nolebat Marcellus interfici Archimedem: imo jusserat ipsum asservari: volebat enim propter singularem industriam, & ob ingenium tam nobile servare virum illum: tamen quum circulos scriberet in terra, jugulatus fuit à gregario milite. etiamsi nemo accessisset ad Jeremiam, quemadmodum dixi, potuit sepeliri sub palatii ruinis, quum subjectum esset incendium Regis atrio. Dicit autem se mirabiliter fuisse servatum, *quia Nabuchadnezer de ipso mandavit ne quicquam molestiæ subiret*, sed ut eum servaret incolumem, tam Nabuzardan quam totus exercitus. Probabile quidem est regem Babylonium aliquid audiisse de Jeremia, & quamvis esset in carcere, tamen non alligatus erat sermo Dei, quem libere promulgaverat. Potuit igitur fama usque ad regem Babylonium manare: & hinc factum est, ut propensus esset ad ipsum servandum, quia fidele consilium dederat regi Zedechiæ. Cæterum quamvis suam utilitatem spectaret Nabuchadnezer, consideranda nobis est incomparabilis Dei bonitas, qui protexit manu sua Prophetam, ne in rebus illis extremis quispiam ipsum attingeret, sed ut maneret integer, & quietus, quemadmodum videbimus. Sed reliqua differemus in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando tam horribile documentum iræ tuæ semel edidisti in expugnatione sanctæ illius Urbis, quam elegeras, & in qua habebas sacrum tuum domicilium: da, inquam, ut discamus ita nos tibi subjicere cum vera humilitate & obsequio, ut non provocemus ad extremum usque iram tuam, sed potius eam præveniamus sera pœnitentia, & sic minis tuis territi, nos tibi subjiciamus, ut obtineamus abs te misericordiam: atque ita sentiamus te Patrem semper exorabilem erga omnes qui ad te confugiunt, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

13. Et misit Nabuzardan Princeps interfectorum, & Nebusazban, Rabsaris, (*diximus quosdam has voces interpretari, quod sit princeps Eunuchus, sed aliis magis placere esse proprium nomen, quos ego sequor*) & Neregal, Sarezer, Rabmag, & alii Principes regis Babel: (*Babylonis*)

14. Miserunt, *inquam*, & tulerunt Jeremiam ex atrio custodiæ, & dederunt eum (*hoc est, commiserunt eum*) Godoliæ filio Achikam filii Saphan, ut deduceret eum domum: & ita habitavit in medio populi.

Hic absolvit Jeremias quod heri cœpimus exponere, nempe mandato regis Nabuchadnezer ipsum fuisse liberatum ex carcere. Diximus autem, quamvis profanus ille Rex suam utilitatem respiceret, fuisse tamen gubernatum ejus animum arcano Dei consilio, qui hoc modo voluit eripere ex mortis periculo servum suum. Deus enim ita operari solet etiam per impios qui aliud cogitant. Neque enim opus est semper voluntatis affectu, ut homines Deo serviant, quia multi præter animi propositum exequuntur quod Deus statuit: & ita huc & illuc ipsos flectit atque impellit, ut cogantur velint nolint parere ejus imperio. Sic ergo Nabuchadnezer Jeremiam liberavit. Et interea Propheta certo persuasus fuit se vitam non debere regi Nabuchadnezer, quia mirabiliter servatus fuisset Dei gratia: & in hunc finem etiam hoc totum narratur. Dicit ergo omnes duces exercitus Chaldaici misisse, ut tolleretur ex atrio custodiæ, & ita se traditum fuisse in custodiam Godoliæ, non ut observaretur more solito: sed quoniam sciebant Principes illi conflatum fuisse odium populi sancto Prophetæ, ideo volebant ab omni violentia ipsum esse tutum. Hæc igitur ratio fuit cur commendaverint Godoliæ, quem postea videbimus fuisse in gratia, & non vulgari pretio apud Chaldæos. Tandem subjicit *se habitasse in medio populi*: qua loquutione exprimitur plena libertas, quemadmodum dicimus lingua nostra, *aller & venir*. Dicit igitur, *se versatum fuisse in medio populi*, quia ante conclusus fuerat in carcere. Nunc sequitur,

15. Ad Jeremiam vero fuit sermo Jehovæ quum adhuc esset clausus in atrio custodiæ, dicendo,

16. Vade, & dic Ebedmelech Æthiopi, (*hoc est, alloquere Ebedmelech*) dicendo, Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Ecce adduco sermones meos super urbem hanc in malum, & non in bonum: & erunt coram facie tua in die illo.

17. Et eripiam te in die illo, dicit Jehovah, & non traderis in manum hominum, à quorum facie tu expavescis. (*ad verbum est, quos tu expavescis ab eorum facie.*)

18. Quia

18. Quia liberando liberabo te, in gladium non cades, & erit tibi anima tua in spolium, quia sperasti in me, dicit Jehovah.

Hic narrat Propheta Deum non fuisse immemorem illius Æthiopis, à quo fuerat servatus: quamvis esset extraneus, & ex gente barbara, vidimus tamen ut solus susceperit causam Prophetæ, quum alii metu territi quiescerent, vel ex professo infesti etiam essent servo Dei. Solus igitur Ebedmelech in tanta desperatione ausus est prodire in medium, & fulcipere patrocinium sancti viri. Jam dicit Propheta hoc officium sic fuisse gratum, ut non caruerit sua mercede. Diximus Ebedmelech non absque manifesto discrimine ita fuisse professum sibi curæ esse Prophetæ vitam. sciebat enim qualis esset omnium Procerum conspiratio, & traxerant improbi illi in suas partes magnam partem aulæ, & vulgus etiam promiscuum. Concitavit ergo Ebedmelech in se magnos & parvos, sed Deus auxiliatus est, ne ipsum obruerent adversarii. In ipso igitur periculo expertus est Dei gratiam, qua protectus fuit & liberatus à periculo. Sed nunc sentit se operam non male locasse, quia non tantum humanus fuerit & misericors erga hominem mortalem, sed Deo etiam impenderit suam operam. Quicquid enim præstamus Dei servis, hoc ipse agnoscit sibi esse præstitum, & vult censeri in suis rationibus: quemadmodum notæ sunt
Mat. 10. vers. 42. sententiæ illæ Christi, Qui dederit poculum aquæ frigidæ uni ex minimis discipulis, ille non perdet mercedem suam, &c. Ergo dubium non est quin exemplo Ebedmelech velit nos animare Spiritus Dei ad humanitatis officia, ut scilicet discamus succurrere miseris & opitulari quantum in nobis est: neque refugiamus odia hominum, neque pericula ob hanc causam. Et quoniam sumus nimium torpidi ad bene agendum, ideo proponitur nobis merces, quæ reddita fuit Æthiopi, ut sciamus quamvis nihil sperandum sit à mortalibus quum sumus benefici & liberales, nos tamen non ludere operam, quia Deus satis dives est qui nobis rependat plusquam optari possit à toto mundo. hæc igitur summa est. sed notandæ sunt circumstantiæ. Dicit Propheta *sibi fuisse mandatum* ut promitteret salutem ipsi Ebedmelech, quum tamen esset constrictus in atrio custodiæ. Fuit hoc primo intuitu ridiculum. poterat enim excipere Propheta, Tu jubes me proficisci: cur ergo non aperis mihi januas carceris? deinde tu vis me esse præconem gratiæ tuæ: interea hæc mea conditio tam misera detrahet fidem omnibus meis dictis. quomodo enim credet Ebedmelech me fuisse missum? quoniam hic constringor, & in singulas horas obsideor à multis mortibus. Sed hinc discamus non exigere verbum Dei ad nostrum judicium, ubi aliquid supra opinionem nostram & omnes sensus promittitur. Quamvis ergo visus fuerit Deus illudere servo suo quum jussit captivum ire ad Ebedmelech: tamen hoc mandatum excepit atque amplexus est Propheta, & pertulit etiam haud dubie, quamvis hoc secundum non exprimat. Hæc ratio est cur dicat *sermonem divinitus sibi fuisse mandatum, quum adhuc esset in atrio custodiæ.* Jam repetitur nomen Æthiopis, quia Deus oblique voluit in persona hominis extranei perstringere omnes Judæos. neque enim dubium est, quin ipsum superbe despicerent, quod non esset ex sancto genere Abrahæ. Deus autem ostendit se peculiarem ejus habere curam, quum abjecerit omnes illos larvatos Abrahæ filios, qui secundum carnem erant duntaxat ex eo progeniti, sed se abdicaverant sua impietate, ita ut indigni essent tam honorifica gratia. Dicit autem, *Vade, & dic, Ecce adduco sermones meos super hanc urbem in malum, & non in bonum: & erunt in conspectu tuo in die illa.* Colligimus ex his verbis hoc fuisse dictum ipsi Ebedmelech antequam Urbs esset capta à Chaldæis, ut scil. maneret tranquillus domi: neque esset socius fugæ: quum Rex relicta Urbe quæreret exitum, quemadmodum ante vidimus. Voluit igitur Deus Ebedmelech hortari ad fiduciam, ne trepidaret una cum aliis, & se projiceret in mortem, quum vellet consulere suæ saluti. Nam huc tendunt etiam omnes Dei promissiones, ne scilicet tumultuemur, sed simus compositis animis, & placide expectemus opem nobis promissam. Scimus enim ubi metus occupat mentes nostras, nihil esse consilii, sed nos vexari inquietudine, & quasi torqueri in diversas partes. Ergo Deus voluit occurrere ne Ebedmelech una cum aliis raperetur ad desperationem. Ideo dicit, *Ecce adduco.* Hic confirmat Deus Ebedmelech, quia sit auctor cladis. si enim fortuito capta fuisset Jerusalem, poterat Ebedmelech sibi timere: sed quum edoctus esset non accidere illud nisi justo Dei judicio, potuit certo statuere se fore salvum: quia in ejusdem Dei arbitrio sit servare unum hominem, & plures, quum totum populum perderet. Hæc igitur ratio est cur Deus pronunciet *se adducere sermones suos in malum & non in bonum*, quia nisi persuasus fuisset Ebedmelech Urbem & incolas esse in Dei manu & potestate, nunquam adductus fuisset ad bene sperandum. Sed quum sciret justa Dei vindicta Urbem perire, hinc potuit concipere certam fiduciam salutis, quia Deus pollicebatur ipsum fore salvum in communi omnium interitu. Dicit, *Tu vides: sermones mei erunt in conspectu tuo:* quasi diceret, Tu eris oculatus testis meæ potentiæ: siquidem necesse fuit, quemadmodum dixi, Ebedmelech spectare manum Dei in Urbis & populi exitio, quia semper vacillasset, & nulla erat certa ratio quietis, nisi ante oculos fuisset manus & vindicta Dei. hoc est unum. Quantum attinet ad loquendi formam, *adduco sermones meos in malum, & non in bonum*, alibi exposuimus quorsum tendat. *Mali* nomen hic non capitur pro culpa, sed vulgari usu Malum dicitur quicquid homines sibi adversum sentiunt: ita quascunque pœnas nobis infligit Deus, vocat Mala: quemadmodum apud Jesaiam, Ego sum *Jesa. 45.*
Deus qui creo lucem & tenebras, vitam & mortem, *vers. 7.*
malum & bonum. Jam addit, *Ego autem eripiam te die illo, & non traderis in manum hominum, à quorum facie tu expavescis.* Hic singulari privilegio Deus promittit salvum fore Ebedmelech: & simul ostendit Propheta non abs re vaticinium hoc fuisse editum: quia tametsi Ebedmelech forti animo susceperat causam Jeremiæ, & intrepide ac constanter se opposuerat omnibus improbis: tamen non exuerat carnis affectus, quin timeret, præsertim ubi videbat timendi causam sibi proponi. Dicit igitur Propheta *ipsum timuisse à facie hostium.* & simul potuit hoc valere ad excitandum hominem illum, ut alacrius susciperet hanc promissionem sibi oblatam. Scimus enim Dei beneficia nobis vilescere quodammodo, ubi non satis agnoscimus quam sint nobis necessaria. Præsertim prophetiæ & promissiones quibus nos Deus solatur, & ad patientiam & spem animat, quasi sordescunt, donec serio nobis Dominus ostendat quam miseri simus nisi nobis hoc modo succurreret. Ergo gustum voluit dare Propheta ipsi Ebedmelech, quum dicit *ipsum expavescere: tu metuis*, inquit. Nam si Ebedmelech nullo fuisset tactus sensu, poterat despicere hanc prophetiam quasi supervacuam. Sed quum sibi conscius esset sui timoris & anxietatis, hinc factum est, ut cupidius susciperet quod promittebatur. Dicit ergo ipsum fore salvum, *quia Dominus cum eritur in die illo.* Et rursus confirmat hanc sententiam, *Ego enim eripiendo eripiam te, & non cades in gladium.* Iterum revocat Propheta Ebedmelech ad Deum ipsum, quia scimus quam omnia tumultuose gerantur in urbibus expugnandis. Nisi ergo defixus fuisset animus Ebedmelech in Dei potentia,

rentia, nunquam concepisset ullam spem salutis: ideo rursus inculcat Propheta Deum fore ejus liberatorem. Addit, *Anima tua erit tibi in spolium.* De hac loquutione etiam alibi dictum fuit. Comparatio est sumpta ab iis qui ducunt in magno lucro quod tamen exiguum est. si præter spem nacti fuerint: quemadmodum si quis reperiat prædam quam minime speravit: repente ditatus vel auctus, etiamsi lucrum non adeo magnum sit, summopere lætatur: ita qui salvi evadunt ex præsenti morte, habent non minimam gaudii materiam, quia vita eorum erepta est. Interea alludit Deus ad eos, quibus satis est mortem effugere, quamvis exuantur bonis omnibus: sicuti qui in naufragio projiciunt merces suas, & pecuniam, & quicquid habent, modo ad portum perveniant, satis habent, & malunt tota vita mendicare, quam demergi in medio mari: ita quamvis dura sit & acerba pauperies, tamen quoniam apud nos tantus est horror mortis, qui potest salvus effugere, ille in magno lucro ducit vitam suam, quamvis exutus sit omnibus fortunis. Sequitur ratio, *quod in Deo speraverit*: potius alia ratio assignanda erat, quod scilicet non defuerat sancto viro, quin manum porrigeret in extrema miseria: sed quoniam officium illud humanitatis manabat à fide & pietate, ideo Deus hic exprimit præcipuam causam. Quum igitur misericordia quam exercuit Ebedmelech erga Prophetam, testimonium fuerit pietatis ejus & fiduciæ: ideo hic comprehenditur fructus ipse in arbore sua, vel radice. Et certum est, nunquam futurum adeo humanum fuisse Ebedmelech erga Prophetam, nisi innixus fuisset Deo, & auxilio ejus. nam incredulitas semper est timida. Ergo minime dubium est, quin vigor iste qui apparuit in Ebedmelech, quum vitam suam exposuit periculo, ut Prophetæ auxilium ferret, ostendat ejus fiduciam quæ nunc laudatur. *Quia ergo sperasti in me, ideo liberando liberabo te*, inquit Deus. Jam dubium non est quin Emedmelech tantum rudimenta quædam fidei & pietatis haberet. Ergo si Deus nobis ulterius progredi dederit, certo persuasi simus ipsum nobis fore liberatorem, quia gratia ejus, & virtus semper superabit fiduciam nostram, quantacunque fuerit. Sequitur,

Cap. XL.

SErmo qui fuit ad Jeremiam à Jehovah postquam dimisit eum Nabuzardan princeps interfectorum è Ramah, quum sustulisset ipsum: & ipse vinctus erat catenis (*vel manicis*) in medio captivitatis (*hoc est, multitudinis captivæ*) Jerusalem, & Jehudah, qui transferebantur Babylonem.

2. Et sumpsit Princeps interfectorum Jeremiam, & dixit ad eum, Jehovah Deus tuus loquutus est malum hoc super locum hunc.

3. Et adduxit, & fecit Jehovah sicuti loquutus fuerat, quia peccastis Jehovæ, & non audiistis vocem ejus: & fuit vobis res hæc. (*hoc est, accidit vobis hæc res.*)

4. Et tu ecce, (*hoc est, quantum ad te, ego ecce*) solvi te hodie à manicis (*vel catenis, sed potius à manicis, quoniam addit*) quæ erant super manus tuas: (*ideo perperam alii vertunt, compedes, quia non ligantur manus compedibus*) si bonum in oculis tuis fuerit, ut venias (*hoc est, si tibi placuerit venire*) Babylonem, venias: ego autem ponam oculum meum super te: si autem malum in oculis tuis fuerit, ut venias Babylonem, desine: (*cessa, vel supersedeas*) ecce tota regio coram facie tua est ad bonum & rectum in oculis tuis, ad proficiscendum, *hoc est, quod fuerit bonum & rectum in oculis tuis*, ut illic eas, eas.

Hic fusius prosequitur Jeremias quod breviter attigit. nam solent Hebræi paucis verbis summam rei exponere, deinde explicant longo & prolixo sermone quod breviter dixerant. Jeremias nuper retulit missos fuisse à ducibus Babylonicis, qui ipsum educerent è carcere. Addidit se fuisse traditum Godoliæ, qui præfectus etiam fuit pauperibus terræ: nunc narrat se adhuc vinctum manicis, productum fuisse in Ramah in illo miserabili habitu. Videntur hæc inter se pugnare, sed, quemadmodum jam dixi, notanda est prolepsis in illo compendio quod vidimus: quia uno verbo testatus est Jeremias, se fuisse liberatum à vinculis: nunc autem modum distincte explicat, & quasi per partes. hæc igitur series primo loco notanda est. Cæterum ita orditur hoc caput, ut tamen videatur in toto capite oblitus suæ præfationis. Dicit *sermonem sibi fuisse datum*: postea historice declarat quomodo adductus fuerit in Ramah, deinde illinc dimissus, quomodo etiam præfectus fuerit Godolias reliquiis populi: denique in longo contextu nulla fiet mentio ullius prophetiæ: sed infertur tota illa historica narratio antequam Propheta exprimat quid Deus mandaverit post Urbem captam, & postquam redditus fuerat pristinæ libertati. Quum ergo hic dicit *sermonem sibi fuisse datum*, expectemus dum compleverit quod postea videbimus toto capite: redibit enim deinde ad hoc vaticinium. Nunc expendamus quæ transtuli: *Postquam*, inquit, *dimisit eum Nabuzardan è Ramah*, in quem locum adductus fuerat à custodibus, quum adhuc esset vinctus manicis, vel catenis. Non dubium est ergo quin jusserint duces exercitus adduci Jeremiam postquam tractus fuit ex atrio custodiæ, & adduci in totius populi conspectum. nam probabile est etiam illic adductos fuisse omnes Judæos qui trahendi erant in exilium, & illic fuisse recognitos, ne quis posset effugere: nam fuissent huc & illuc dilapsi, nisi traditi fuissent custodibus. Quum ergo illic essent omnes captivi, jussit Nabuzardan adduci Jeremiam, non ignominiæ causa. nam, quemadmodum vidimus, Rex fuerat de ejus vita sollicitus: & haud dubie voluit hic aulicus Regi suo in omnibus gratificari. Sed potius fuit tacita exprobratio ad totum populum, quasi proferret servum Dei, qui tam fideliter ipsos admonuerat, & tam longo tempore, hoc est, ultra annos quadraginta: & illis objiceret suam pravitatem, & ingratitudinem etiam, quod tam crudeliter tractassent Dei servum. Hæc igitur ratio fuit cur Nabuzardan voluerit Jeremiam venire vinctum catenis, & ita prodire in conspectum totius populi, ut tandem Judæos pudere inciperet suæ superbiæ, & suæ impietatis erga Deum, & ingratitudinis erga sanctum Prophetam. Non fuit ergo Nabuzardan contumeliosus in servum Dei, sed produxit in hoc habitu Jeremiam, ut crimen totius gentis esset in propatulo. Dicit *sibi datam fuisse optionem à Nabuzardan*, ut si vellet, maneret in patria, & eligeret sibi locum optimum, & sedem quæ maxime placeret: sin vero mallet proficisci Babylonem, ut illuc iret. Hæc certe fuit liberalis conditio. neque enim tantum exemptus fuit à carcere Propheta, & solutus suis catenis, sed libertas ita reddita, ut unus fuerit liber tota gente captiva. Nam qui residui manebant, non erat illis liberum alio proficisci. atqui Nabuzardan hic Jeremiæ defert liberam optionem, ut scilicet sit in ejus arbitrio, aut vivere in Chaldæa, aut manere

in quocunque volet loco, & in quacunque regione terræ. Sed priusquam hoc dicat, incipit ab increpatione ipsius populi. Dicit igitur, *Jehovah Deus tuus loquutus est malum super hanc urbem, & adduxit, & venire fecit.* Hic Nabuzardan suscipit munus Propheticum, & concionatur magnifice de justa Dei vindicta adversus populum. Nec dubium est quin Deus excitaverit talem doctorem Judæis. nam per annos quadraginta & plures obstinate respuerant cælestem doctrinam. Deus non destiterat illos benigne invitare ad pœnitentiam, & promittere illis veniam, & salutem, si resipiscerent. Quum ergo Deus tam longo tempore, & continuo pro sua paterna bonitate illos alloqui non destitisset: interea autem verba fecisset surdis, digni fuerunt qui audirent Nabuzardan, quemadmodum nunc illis contumeliose exprobrat, quod sibi conflaverint hoc malum, quoniam immorigeri fuerunt, & rebelles Deo, qui non obtemperaverint ejus verbis. Insigne exemplum hic nobis proponitur, ut discamus quum Deus nos alloquitur per servos suos, statim nos offerre in obsequium: discamus etiam timere, dum nobis minatur, discamus bene sperare quum nobis gratiam suam offert. nam si repudiamus Prophetas dum ad nos mittuntur, exurgent postea alii doctores qui nos conspuant, & quamvis similiter sint ipsi quoque impii, tamen exprobrent nobis impietatem. Hæc igitur doctrina colligi debet ex hoc loco, ubi videmus Nabuzardan quasi spiritu Prophetico donatus esset, populum severe castigare. Alloquitur quidem Jeremiam, & videtur illum includere sub populo quum dicit, *Deus tuus loquutus est, quia peccastis, & rebelles fuistis.* Sed minime dubium est quin ita commendaverit Nabuzardan fidem Jeremiæ, quod scilicet integer fuisset in sua vocatione & officio. Non igitur hic facit eum quemlibet ex populo, nec intelligit cum aliis peccasse, vel fuisse Deo rebellem: sed primo loco dirigit sermonem suum ad Jeremiam, *Deus tuus*, inquit. Et hoc honoris causa exprimitur, nempe *Deum esse Deum Jeremiæ*, quia quamvis jactaret totus populus se esse sacrum, tamen Nabuzardan hic oblique perstringit stultas eorum jactantias, quum dicit unum esse Jeremiam qui dignus sit censeri inter Dei servos: quasi diceret indignos esse Judæos qui glorientur Dei nomine, vel illud obtendant. *Deus ergo tuus loquutus est.* Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando pollicitus es nos tibi fore instar pupillæ oculi, da, inquam, ut confugiamus semper in umbram misericordiæ tuæ, & hæc nobis unica sit tranquillitas in rebus miseris & turbidis: & interea sic recumbamus in auxilii tui fiduciam, ut sincere præstemus quod nobis præcipis, & quod officii nostri est, ut scilicet experiamur vere sustineri tua manu quicunque voci tuæ obtemperant, & nunquam eos etiam falli qui expectant certam abs te obsequii sui mercedem: & ita constanter militemus in hac vita, ut mercedem sciamus nobis repositam esse in cælo quum apparuerit Christus unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-TERTIA

IN

JEREMIAM.

COEpimus heri exponere sermonem Nabuzardan, quem habuit coram omnibus Judæis. Diximus quamvis principio verba dirigat ad Jeremiam, tamen summam orationis spectare ad totum populum. nam loquitur in laudem Prophetæ, & subscribit ejus vaticiniis: hinc populum colligit extrema quæque fuisse meritum. Dicit *Deum loquutum esse*, non quod simpliciter fidem haberet Jeremiæ dictis, sed quatenus videbat facere ad suum commodum, libenter arripuit quod erat optabile: sicuti profani homines quamvis de Lege Dei & Prophetis non ita reverenter sentiant, tamen quum illic profertur aliquid quod ipsis est utile, amplectuntur, & simulant nescio quod studium pietatis. Sic etiam Nabuzardan quum victoriam adeptus esset de Judæis, gloriatur se fuisse ministrum Dei: *Jehovah*, inquit, *loquutus est:* quasi diceret Judæos pœnas dare quales erant meriti, quoniam Deus longo ante tempore id se facturum pronunciaverat. Deinde adjungit, *Deum fecisse quemadmodum loquutus erat, quoniam peccaverant, & non audierant vocem ipsius.* Nihilo ipse melior erat, sed, quemadmodum jam dixi, secure invehitur contra alios. Et hoc est ordinarium hypocritis, & omnibus Dei contemptoribus, ut sint judices in aliena causa, & non respiciant partem manticæ, quemadmodum ille dicit, quæ est à tergo. Sunt igitur omnes satis acuti in aliis damnandis. Et hujus rei exemplum nobis hic statuitur in Nabuzardan, quia tanquam legitimus esset populi judex, pronunciat cladem Urbis & Templi non accidisse fortuito, sed fuisse hanc pœnam divinitus inflictam sceleratis, quoniam obstinate rejecerint Propheticam doctrinam, & fuerint indociles & immorigeri. Nec vero dubium est, quemadmodum heri attigimus, quin Deus ut majore ignominia afficeret Judæos, excitaverit illis talem Prophetam. nam quum apud ipsos concionaretur Jeremias, idque in ipsorum salutem, quum adhuc esset resipiscendi tempus, contumaciter repudiaverat illam Dei gratiam. Ergo digni erant alieno magistro, qui ipsis insultaret, atque id sine profectu, quemadmodum hic facit incredulus iste & profanus. Quantum ad optionem Prophetæ datam, heri exposuimus hoc quoque palam factum esse, Judæis spectantibus, ut magis vulneraret Nabuzardan ipsorum animos. Sed interea voluit Deus constantiam servi sui producere in exemplum, quemadmodum paulo post videbimus. Pergamus ergo in verbis.

5. Adhuc autem non reversus erat: (*hoc per parenthesin legendum est*) & revertere ad Godoliam filium Achikam filii Saphan, quem præfecit rex Babylonis urbibus Jehudah, & habita cum eo in medio populi, vel ad quemcunque locum qui visus erit in oculis tuis ad proficiscendum illuc proficiscere: & dedit illi princeps interfectorum cibum, & munus, (*est enallage numeri, munera*) & dimisit eum.

Prosequitur Jeremias eundem sermonem, nempe quod Nabuzardan liberaliter cum eo egerit, & permiserit habitare ubicunque vellet. Unde colligimus Nabuchadnezer fuisse persuasum de probitate Jeremiæ. Sciebat enim quonam loco fuisset apud suos: & ita poterat movere multas turbas, nisi fuisset integer & quietus. Quoniam ergo Nabuchadnezer non dubitabat de animo Prophetæ, ideo voluit libertatem permitti, ut sibi domicilium eligeret in quacunque vellet urbe, vel ut migraret etiam quocunque

visum

visum esset. Invitatio proposita fuit, ut veniret Babylonem: promissa etiam fuit non mala conditio: sed plus fuit concessum, nempe ut maneret in patria. Dixi hoc divino consilio fuisse factum, ut Propheta experimentum daret suæ pietatis. nam si venisset in Chaldæam, poterat fieri ut multorum animi conciderent, & evanesceret fides omnium promissionum: putassent enim hoc esse signum ultimæ desperationis, quod Propheta illuc concessérat. Ergo ne turbaret debiles animas, oportuit ipsum in patria manere. Et ideo flexit Deus animum Nabuchadnezer, & ducum ejus, ut liberum esset sancto Prophetæ manere in Judæa, quasi tolleret vexillum captivis, & promitteret reditum post septuaginta annos. Videbimus tamen paulo post fuisse alio tractum: sed nihil illud obstitit ejus vaticiniis, quia captivum duxerunt homines turbulenti, & mortuus est tandem in Ægypto. Sed sponte non migravit è Judæa, quum tamen illic nihil cerneret præter materiam mœroris & luctus. Neque enim addictus erat sibi, neque poterat mulceri ullis deliciis, vel cibi & potus copia, & suavitate, quin semper fugeret cladem gentis suæ, & præsertim Templi excidium. Quum ergo prætulit Judæam aliis omnibus regionibus, & sustinuit tot miseriarum esse continuus spectator, edidit insigne documentum fidei & patientiæ: & ita confirmavit miseros exules, ut scirent Dominum adhuc fore misericordem, & propitium suo populo. Prosequitur sermonem Nabuzardan, sed ponit tria verba, *nondum reversus erat*, hoc est, quia nondum ipse reversus erat: sic loquutus est Nabuzardan, *revertere ad Godoliam*, hoc est, si malueris hic subsistere quam me sequi, *tunc eas ad Godoliam*. Ostendit hic Nabuzardan quomodo possit tuto agere Jeremias in terra illa quæ tamen erat quasi caverna latronum, nempe *si ad Godoliam se conferat*. Et videmus quam sollicitus fuerit Nabuzardan de Prophetæ vita, quod voluerit Godoliam esse ejus custodem, quemadmodum illud breviter prius attigerat. Sed nunc plenius & prolixius rem totam ponit ante oculos. *Revertere*, inquit, *ad Godoliam quem præfecit rex Babylonis urbibus Jehudah, & habita cum eo*: significat Jeremiam fore sine periculo, si habitet cum Godolia, quoniam præfectus fuerat Judææ à rege Babylonio. Interea reperitur quod ante vidimus, nempe ut sit penes arbitrium Prophetæ, vel manere apud Godoliam, vel alio se conferre: *Quicunque*, inquit, *locus erit rectus in oculis tuis ad proficiscendum illuc proficiscere*. Non assignat igitur certum locum, sed liberum facit locum quemlibet: tantum ut Propheta sibi habitationem deligat, vel in Judæa ipsa, vel extra Judæam. Sequitur postea *dedisse cibum*. nam ita interpretor nomen ארחה. alii vertunt, Munus, sed accipitur pro cibo, ut videbimus etiam postea cap. 51. ubi de cibo quotidiano loquitur Jeremias. Secundum nomen accipio pro munere, משאת. Prosequutus est igitur Nabuzardan servum Dei tam viatico quam aliis muneribus. Quod ad viaticum spectat, potuit libere Propheta accipere, quia scimus capta Urbe, fuisse inopem rerum omnium. Jam ante tenuiter & misere victitaverat: quotidie dabatur frustulum panis. nunc autem quum Nabuzardan cibum suppeditat, nihil potuit sancto viro objici, cur in tali penuria reciperet quod dabatur. Sed quantum ad munera spectat, videri posset sui oblitus Jeremias. nam hoc modo aspergebatur aliqua ignominiæ nota, quum acciperet ab hoste populi Dei, munera quasi præmium suæ doctrinæ. Unde enim tanta hæc benevolentia & liberalitas ergæ Prophetam, nisi quia Nabuzardan sciebat illum vaticinatum fuisse de gentis interitu? Visus est igitur hoc modo velle præmium solvere sancto viro. ergo rejicere debuit munera illa. Sed probabile est non fuisse ditatum larga pecunia, aut rebus sumptuosis: tantum ostendit aliquod signum benevolentiæ Nabuzardan: & Propheta absque suspicione potuit recipere non mercedem doctrinæ suæ, sed potius confirmationem divinitus oblatam, quia Judæi infesti fuerant ejus vitæ, quamdiu fideliter illis impendebat suam operam. quum enim acerbe ipsos objurgaret, non alio tendebat quam ut consuleret ipsorum saluti. Quum vero tam inhumaniter tractatus fuisset à Judæis, voluit ostendere Deus plus esse humanitatis in gente profana & barbara, quam in filiis Abrahæ, qui jactabant se esse sacrum Dei populum. Hac igitur ratione accepit ex manu Nabuzardan munera Jeremias. Sequitur,

6. Et venit Jeremias ad Godoliam filium Achikam in Mispath: & habitavit cum eo in medio populi, qui residui erant in terra.

Hic ostenditur nobis constantia Prophetæ, quod non dubitaverit rejicere quod benigne obtulerat Nabuzardan, & tamen potuit incurrere in magnam offensionem, quum sperneret Chaldæam. Erat enim, ut scimus, amœnissima regio, & fœcundissima: & non libenter tyranni ferunt contemni suam liberalitatem. nam ubi dignantur aliquem honore, ut tantillum offerant, si recusat ille, existimant sibi injuriam fieri. Potuit igitur pudore & metu Propheta vinci, ut migraret in Chaldæam. Quod ausus est simpliciter negare & petere ut in patria habitaret, certe in eo ostendit se pluris facere studium pietatis & curam Ecclesiæ Dei, quam omnes hominum gratias, & quicquid sperare poterat ex affluentia Babylonis, & Chaldææ. Videmus ergo ut Propheta quum munera accepit, non admiserit quicquam, nisi quod sciret Ecclesiæ Dei prodesse. Interea sprevit offendiculum, quum sedem elegit sibi in patria. nam, quemadmodum diximus, perinde erat acsi erecto signo invitaret Judæos ad spem reditus, quod ita sanciret suum vaticinium de temporali exilio, cujus finis sperandus esset post septuaginta annos. Hac ratione dicit *se venisse ad Godoliam, & habitasse in medio populi*, nempe eorum qui residui erant in terra. Sequitur,

7. Et audierunt omnes Principes exercituum qui erant in agro, ipsi & viri eorum, quod præfecisset rex Babylonis Godoliam filium Achikam in terra: & quod commiserat ei viros & mulieres, & parvulum, (*hoc est, parvulos: sed fere in singulari numero hoc nomen legitur tam singulari quam plurali significatione*) & ex paupertate terræ, ex his qui non fuerant translati Babylonem.

8. Et venerunt ad Godoliam in Mispath Ismaël filius Nathaniæ, & Jochanan, (*Joannes*) & Jonathan filii Chareah, & Serajah filius Thanekumeth, & filii Ophi, qui erat Nethophites, & Jazanias filius Maachati, ipsi & viri eorum.

Prius facta fuit mentio Godoliæ. Vidimus Prophetam semel fuisse ereptum à morte, ejus beneficio. ipse enim intercessit, quum uno fere consensu omnes addicerent morti sanctum Prophetam. Deus autem non vulgari ipsum honore dignatus est, quod quum nihil ambiret, ultro Nebuchadnezer eum terræ præfecit. Non obtinuit quidem diuturnum imperium: sed Deus tamen voluit porrigere ma-

num

oom pio viro, ut saltem ad tempus ederet aliquod specimen gratiæ suæ in ipso. Tandem per insidias, ut videbimus, fuit interfectus. Nunc refert Propheta duces copiarum qui dispersi erant una cum suis turmis ad eum venisse. Quum dicit Propheta *fuisse in agro*, non existimo fugisse demum ex Urbe quum esset expugnata, quemadmodum alii sentiunt. Sed fieri potest ut fuerint coacti fugere ex urbibus primo statim ingressu exercitus Chaldaici. Neque enim mihi probabile est elapsos fuisse quum omnes Regii comites fuerint excepti, & deprehensi in planitie Jericho, ut ante visum fuit. Existimo igitur dispersos fuisse huc & illuc, quia primo adventu hostium urbes deseruerint, quæ illis fuerant commissæ. Quum ergo essent profugi è patria, & exules, reversi sunt ad Godoliam. Quum dicit *audisse copiarum duces*, non intelligit fuisse tunc exercitus illis paratos: sed fuerant præfecti urbibus & oppidis Judææ cum suis turmis. *Ipsi ergo & viri eorum quum audissent regem Babylonis præfecisse Godoliam filium Achikam Judææ, & commissos fuisse ejus imperio*, vel custodiæ, *tam viros quam mulieres, & parvulos*, venerunt. Et adjungit tandem, *ex paupertate*, hoc est, ex quisquiliis populi, nempe *ex iis qui non fuerant translati Babylonem. tunc*, inquit, *venerunt ad eum*, nempe *Ismael*, quem postea videbimus fuisse hominem perfidum: erat ex genere Regio, quemadmodum dicet Propheta: spirabat adhuc altos spiritus, & invidia fuit compulsus ad occidendum Godoliam, à quo tamen humaniter receptus fuerat: quanquam & præmium accepit proditionis à rege Ammon. Sed omnia hæc videbimus suis locis. Enumerat igitur hic duces fugitivos, & inter eos ponit primum Ismaël: ponit etiam filios Chareah, qui fidem præstiterant Godoliæ, sed nimis credulus fuit: & interea habuit aures clausas sanis eorum consiliis, & monitionibus. Nunc narrat Propheta ut fuerit Godolias affectus erga gentem suam:

9. Et juravit illis Godolias filius Achikam filii Saphan, & viris eorum, dicendo, Ne metuatis à serviendo (*hoc est, ne metuatis servire, ne impediat vos timor quo minus serviatis*) Chaldæis: sed subjicite vos, & servite regi Babylonis, & bene erit vobis.

10. Et ego, ecce ego maneo in Mispath, ut stem coram facie Chaldæorum (*hoc est, ut occurram Chaldæis*) qui venient ad nos: & vos colligite vinum, & fructus æstivos, (קיץ *significat æstatem, sed transfertur metaphorice ad æstivos fructus*) & oleum, & reponite in vasis vestris, & habitate in urbibus quas apprehenderitis.

Hic, quemadmodum attigi, exponitur summa humanitas Godoliæ, & pia etiam sollicitudo pro gente sua, ut magis reddatur detestabilis perfidia, & crudelitas filii Nathaniæ, qui virum tam bene de se & aliis meritum mercede adductus occidit: deinde compulsus invidia. dicit Propheta *ipsum jurasse*. Nec mirum est interpositum fuisse jusjurandum in rebus adeo turbatis. Vix poterant fidere Ismaël & reliqui, quum ad extremum usque fuissent hostes Chaldæis. poterant igitur esse in maxima trepidatione. Ergo opus fuit remedio, nempe ut Godolias fidem faceret suæ erga illos probitatis. Hæc fuit ratio jurisjurandi. nam si loquutus esset in rebus tranquillis, supervacuum erat jusjurandum. Sed quia vita illorum pendebat è filo, & undique cernebant multa pericula, opus fuit confirmatione. neque ipsos absque periculo recepit Godolias. Erat enim odiosum Chaldæis tales habitare in terra. Vidimus enim ideo proceres fuisse jugulatos: deinde quicquid floris erat & nobilium in populo, fuisse traductum in Chaldæam, ne quis auderet res novas moliri. Voluit igitur Nabuchadnezer habere tranquillam illam regionem: & hæc fuit optima ratio, ne quis posset movere tumultum. Ergo videbat haud dubie Godolias parum id fore gratum Chaldæis: & tamen prævaluit in animo ejus humanitas, & cura gentis suæ, ut non tantum ipsos hospitio reciperet, sed etiam jurejurando interposito promitteret ipsos fore incolumes. Hortatur ergo ipsos ut bono sint animo, sed simul ut serviant Chaldæis. Hoc vero apprime expetendum erat, ut se dederent quum omnia essent perdita. Promittit ergo Godolias Chaldæos fore contentos voluntaria subjectione. Interea promittit securam habitationem in terra: & jubet *ipsos colligere vinum, & messem, & fructus, & reponere*, acsi nullum fuisset bellum: deinde jubet *ipsos habitare in urbibus quas apprehenderint*, hoc est, ad quas appulerint. Verbum Capiendi ambiguum esset hoc loco: ideo malo retinere propriam significationem, *quas apprehenderitis*. Neque enim vi & armis poterant urbes capere: habebant exiguas turmas duntaxat: nunquam autem fuissent pares hostibus. Ergo non intelligitur expugnatio urbium: sed significat Godolias posse ipsos tuto manere quocunque venerint; & quæcunque urbs illis prima occurrerit, posse illic eligere domicilium, si voluerint. Jam hoc etiam magnum est quum dicit, *se pro illis staturum*. opponit enim hic vitam suam: quasi diceret se fore vadem, ne quid accideret illis gravius. Et hinc melius perspicitur quam non sibi fuerit addictus, sed in bonum publicum usus fuerit potestate sibi permissa. nam si in animo ejus viguisset ambitio, haud dubie diligentius captasset gratiam regis Babylonici: deinde finxisset se non minus infensum esse tam duro & præfracto populo, quam essent ipsi hostes. Ubi autem extendit alas tanquam gallina, ut colligat reliquias gentis suæ tanquam pullos, hinc satis apparet illum minime habere curam privatæ salutis, sed quicquid imperii datum fuerat à rege Nabuchadnezer, id totum contulisse ad utilitatem publicam. Ergo verba hæc diligenter notanda sunt: *Ecce ego, ego*, inquit, *habito in Mispath, ut stem*, hoc est, ut occurram *Chaldæis qui ad nos venient*, ne scilicet incurrant in vos, & quicquam hostile machinentur. Sequitur postea,

11. Atque etiam omnes Judæi qui erant in Moab, (*hoc est, apud Moabitas*) & apud filios Ammon, & apud Idumæos, (*& in Edom*) & quicunque erant in omnibus terris, (*hoc est, qui dispersi erant per varias regiones*) audierunt quod dimisisset rex Babylonis reliquias (*residuum aliquid*) Jehudah, & quod præfecisset illis Godoliam filium Achikam filii Saphan.

12. Et venerunt omnes Judæi (*Venerunt ergo omnes Judæi*) ex cunctis locis ad quæ expulsi fuerant, & venerunt (*reversi sunt*) in terram Jehudah ad Godoliam in Mispath: & collegerunt vinum, & fructus æstivos multos valde. (*hoc est, in magna copia.*)

Narrat hic Propheta nisi repente exortum esset intestinum scelus, fuisse tolerabilem statum populi usque dum elapsum esset exilii tempus. Præfixerat enim Deus septuaginta annos, ut ante dictum fuit. Jam Nabuchadnezer sic abduxerat florem populi ut tamen manerent aliqui incolæ, ne terra prorsus nudata

data & daserta maneret. nam præter pauperes qui relicti fuerant, jam dicit venisse cum suis turmis aliquos duces: adjungit nunc *venisse ad Godoliam omnes Judæos qui se receperant ad vicinas gentes*, quum alii laterent in ditione Ammon, alii autem in ditione Moab, *ut habitarent*. Ergo Deus ita hoc modo temperavit vindictæ gravitatem, ut manerent aliquæ reliquiæ in Judæa usque ad totius populi restitutionem. Sed pervicacia eorum, qui ante spreverant gratiam Dei, ex opposito nobis monstratur. Nec dubium est quin detegere voluerit Deus perditam ipsorum malitiam, quod scilicet non modo aspernati fuerint beneficium regis Nabuchadnezer, sed in suam perniciem fuerint abrepti. Egit enim eos præcipites amentia & furor, ut occiderent ducem suum, ut res turbarent. Hoc enim potuit rursus accendere indignationem victoris, ut tolleret è medio nomen illius populi, & interficeret tam captivos quam eos qui adhuc relicti fuerint in terra. Hoc igitur est consilium Prophetæ in hac parte. Dicit *Judæos omnes*. ponit particulam גם, augendi causa, *Atque etiam*, inquit, *Judæi omnes*: qui se contulerant vel ad Moabitas, vel ad filios Ammon, vel ad Idumæos, & quicunque erant in aliis regionibus. Non dubium autem est quin confecerint aliquem numerum. Jam ergo tota terra poterat habitari à multis incolis, atque ut non adeo esset populosa, tamen non acciderat miserabilis vastitas, quæ timenda fuerat: *venerunt*, inquam, *ad Godoliam*. postea adjungit *habitasse in terra*. Unde colligimus non fuisse quicquam fallaciæ quum promitteret Godolias securitatem ducibus copiarum, & turmis. Quum ergo juraret omnes fore salvos, non fefellit. nam reipsa probavit suam fidem, quia miseri illi exules, qui reversi erant in Judæam, habitarunt secure: deinde Deus illis uberem copiam fructuum dedit, ut commode agerent in patria. antequam Urbs caperetur, erant profugi: & non dubium est quin magna inopia & egestate pressi fuerint. Nunc autem Dominus ipsos sublevat, & victum suppeditat satis copiosum in anni illius proventu. Sed hinc clarius agnoscimus quanta fuerit impietas Ismaelis, & similium, quibus licebat non tantum commode habitare in patria sub fide & tutela Godoliæ, sed dabatur satis laute affluere bonis omnibus. nam certe quum tenerrimi quique colligerent magnam copiam fructuum, poterant illi frui magnis lautitiis. Ergo hinc apparet deterior ingratitudo, & magis detestabilis. Deinde apparet etiam quam fuerit desperata eorum contumacia, quod quum viderent Jerosolymam excisam, Templum exustum, quum viderent horrendam illam cladem, non fuerint commoti: præsertim quum scirent concionatum fuisse Nabuzardan de vindicta Dei, & functum fuisse partibus Prophetæ ad ipsos coarguendos. Quod ergo ita pertinaciter tam Dei bona respuerint, quam restiterint ejus manibus, hinc apparet fuisse prodigioso modo stupidos: & hoc etiam voluit Propheta, quemadmodum postea in contextu videbimus. Sed hic finem faciam.

Da omnipotens Deus, quando non satis attenti unquam sumus ad reputanda tua judicia, ut discamus aliorum exemplis sapere, & ita expendere quæ nobis tradis per servos tuos Prophetas, ut accommodemus in usum nostrum, & ita dociles nos tibi & morigeros offeramus: præsertim vero ubi castigati fuerimus tuis virgis, ne resistamus potentiæ tuæ, sed ita nos subjiciamus tibi, ut tandem etiam erigamur tua misericordia, & restituamur in plenam salutem, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-QUARTA IN JEREMIAM.

13. Et Jochanan (*Joannes*) filius Chareah, & omnes duces copiarum qui fuerant in agro, venerunt ad Godoliam in Mispath:

14. Ac dixerunt ei, An sciendo scis quod Baalis rex filiorum Ammon misit Ismaël filium Nathaniæ qui percutiat te in anima? Sed non credidit illis Godolias filius Achikam.

Hic narratur tristis historia, ex qua colligere licebit Iram Dei non fuisse erga populum sedatam, Urbe excisa, & Templo combusto. Hoc erat aliquod signum misericordiæ, Godoliam fuisse præfectum reliquiis populi & pauperibus, quibus concessum fuerat habitare in terra. Nunc interficitur Godolias, ex cujus cæde necesse fuit nasci miseram dissipationem. Sed accensa fuit ira regis Babylonii, quia simul interfecti sunt Chaldæi, qui dati fuerant quasi custodes. Voluit igitur Deus etiam exercere suum judicium adversus istas reliquias. Sed Propheta ostendit quomodo occisus fuerit Godolias, nempe quod vel mercede conductus fuerit Ismaël, vel saltem inductus consilio regis Ammon. Dicit tamen fuisse admonitum a filiis Chareah quorum facta fuit mentio, sed non habuisse illis fidem. Et hinc exordium facit Propheta, quod scilicet *ad ipsum venerint Joannes filius Chareah, & reliqui duces*, quos ipse exceperat, quemadmodum vidimus, & quibus juraverat se fore deprecatorem, ne quis eos læderet: susceperat in se omne periculum, & opposuerat caput suum tanquam pignus ne Chaldæi etiam aliquid contra eos tentarent. *Veniunt igitur ad eum*, quia cum ejus salute conjuncta erat publica utilitas: deinde ipsos sibi devinxerat non vulgari beneficio: & ipsi etiam erat utile, salvum & incolumem manere, quia gratus erat regi Babylonio. *Veniunt* igitur, *& dicunt subornatum esse à rege Ammon Ismaël filium Nathaniæ*. Fieri potest ut rex Ammon speraverit se fore præsidem Judææ, vel totam illam terram fore suam post discessum exercitus Chaldaici. Quum autem opinio ipsum frustrata esset, cepit aliud consilium, nempe ut rebus turbatis, vacua fieret terra. Hæc igitur ratio fuit cur impulerit Ismaël ad impiam & nefandam cædem Godoliæ. Quod autem fidem non habuit eorum verbis Godolias, posset hic quæri quomodo sanctum illum virum & cujus raræ fuerant virtutes, passus fuerit Deus tam indigne jugulari ab homine perfido, & sicario. Sed primo tenendum est, justa esse Dei judicia, quamvis non respondeant nostræ opinioni. Hoc quidem primo intuitu videtur absurdum, quod Godolias interficitur, qui tamen emerserat quasi ex morte, & qui adeptus fuerat favorem apud Chaldæos: sed Deus voluit ipsum ad se colligere, & interea usque in finem exercere suam vindictam adversus populum. Videbimus enim turbam illam quæ relicta fuerat, indignam fuisse Dei gratia. Videbimus etiam ut tanquam rabiosæ bestiæ sese conjecerint in mortem, neque desierint provocare in se iram Dei. Discamus igitur ex hoc loco, quum Deus ex hoc mundo evocat servos suos, consulere ipso-

rum saluti, ita ut mors illis sit utilis. Vidisset enim Godolias, si diutius fuisset superstes, quæ acerbiora fuissent centum mortibus: ergo Deus voluit illum mature eripere antequam obrueretur multis doloribus. Nam hæc erat non parvi mœroris causa, videre populum pertinaciter luctantem cum Dei bonitate, donec ultimus adesset interitus. Contumacia igitur illa fuisset materia incredibilis luctus sancto viro. ergo Dominus eum in tempore sustulit. Interea quemadmodum dixi, patefecit viam iræ suæ, ut postquam satis apparuit, reliquias, quæ salvæ fuerant, esse indignas misericordia, ut simul perirent cum reliquis. Interea videmus mixtam fuisse virtutem cum vitio in Godolia. Charitas quidem non est suspiciosa, ut
1 Cor. 13. vers. 5. inquit Paulus, & non debuit facile admittere accusationem. Sed debuit sibi prospicere: nec tantum privata sua causa: sed quia mors ejus trahebat cladem totius populi. debuit igitur attentior esse ad cavendum. Atque hinc colligimus quam difficile sit etiam optimis viris, & qui singulari virtute excellunt, ita sibi temperare, ut non declinent in hanc vel illam partem. Fuit hæc simplicitas laude digna, quod Godolias non suspicatus fuit Ismaëlem adeo fore perfidum, & sceleratum: verum quando non habuit rationem sui, neque etiam publicæ salutis, in eo lapsus est. Sed, quemadmodum dixi, voluit interea Deus ipsum recipere in suam quietem, quoniam si supervixisset, centies obrutus fuisset mœrore. Profani homines vexarent memoriam sancti viri, quod fuerit tam stupidus, sed, quemadmodum jam dixi, si oportuit in hanc vel in illam partem deflectere, præstabat Ismaëlem non gravari, donec convictus esset sceleris. Tantum lapsus est Godolias, quod insidias, de quibus fuerat admonitus, neglexit. Sequitur nunc,

15. Et Joannes filius Kareah dixit ad Godoliam in secreto in Mispath, dicendo, Ibo nunc, (*vel, agedum eam*) & percutiam Ismaël filium Nathaniæ ita ut nemo sciat. Quare percutiet te in anima, & dissipabuntur totus Jehudah, qui congregati sunt ad te, (*hoc est, dissipabuntur qui congregati sunt ad te ex toto Jehudah*) & peribit residuum Jehudah?
16. Et dixit Godolias filius Achikam Joanni filio Kareah, Ne feceris hanc rem, quia mendacium tu loqueris contra Ismaël.

Hic videmus excæcatum fuisse sanctum virum, ut non modo consilium sibi datum spreverit, sed respuerit opem præsentem. Hoc rursus laudandum est, quod noluerit temere, & causa incognita occidi Ismaël: sed debuit sedulo inquirere, & re comperta poterat se ulcisci, imo tollere è medio hominem impium, & pestem publicam. Erat armatus gladio, & poterat jure pœnam exigere de Ismael, si tantum fuisset attentus ad rem ipsam, hoc est, si non gravatus fuisset cognitionem suscipere. Quum ergo auctoritate esset præditus, quia ipsum terræ præfecerat Nabuchadnezer, hoc in eo non laudatur, quod abstineat à vindicta, (neque enim erat homo privatus) sed quod non crediderit tantum esse perfidiæ in Ismaële; quem putabat probum virum, & sibi amicum. Quandoquidem aliquid medium erat, ut dixi, inter hanc simplicitatem, & inter crudelitatem illam. Si statim accensus fuisset contra Ismaël, hæc credulitas fuisset vitiosa: neque enim debemus ita præcipites ferri, ut damnemus homines innoxios. nam si promiscue recipimus omnes delationes, nemo erit innocens. Sed, quemadmodum jam dixi, potuit ita sibi moderari Godolias, ut non faceret injuriam Ismaëli temere credendo: & tamen sibi ab ipso caveret. hoc fieri potuit, si causa cognita statuisset quidnam esset agendum. sed sponte clausit oculos. in eo igitur deliquit. Cæterum hinc perspicimus, quum alioqui non careret judicio & perspicacia, fuisse quasi mente alienatum: quia volebat Deus viam patefacere suo judicio ad delendas populi reliquias. Et simul videmus quam difficile sit non peccare ubi appetimus videri æqui, & tolerantes, & simplices. In summa, docemur quam difficilis res sit, & quam rara virtus, moderatio. Ismaël poterat statim convinci suæ perfidiæ, & sceleris. Hoc facere noluit Godolias: quare? nolebat enim quicquam suspicari de homine quem putabat sincerum & probum. bene, sed interea facit injuriam *Joanni filio Kareah, & reliquis ducibus copiarum*: veniunt ad ipsum non unus homo & alter, sed multi sunt digni fide, & idonei testes. Neque enim dicuntur fuisse ex fæce plebis, sed duces qui sub rege Zedechia præfuerant militibus. Veniunt autem ad ipsum ita ut probabilis sit eorum accusatio. Quid autem Godolias? *Mendacium*, inquit, *tu loqueris*: contumeliose repellit Jokanam filium Kareah, qui tamen erat erga ipsum optime animatus, & qui volebat suo periculo ipsum servare. hinc ergo perspicimus, nunquam sibi ita temperare optimos homines, quin specie æquitatis, & humanitatis declinent sæpe ad dissolutam ignaviam: & dum volunt esse humani erga unum, contumeliosi sint erga plures. Ita semper confugere ad Deum necesse est, ut nos gubernet Spiritu discretionis. Jam sequitur cædes ipsius Godoliæ:

Cap. XLI.

Et accidit mense septimo, ut venerit (*& venit*) Ismaël filius Nathaniæ filii Elisama, è semine Regio, & proceres Regis, & decem viri cum eo ad Godoliam filium Achikam in Mispath, & comederunt illic panem simul in Mispath.
2. Et surrexit Ismaël filius Nathaniæ & decem viri qui cum eo erant, & percussit Godoliam filium Achikam filii Saphan, gladio: & occidit eum quem præfecerat rex Babylonis in terra:
3. Et Judæos qui erant cum eo, cum Godolia, nempe in Mispath, & Chaldæos qui inventi sunt illic, viros bellicosos percussit Ismaël.

Fuit hæc detestabilis sævitia, & immanitas, quod Ismaël occidit Godoliam hospitem suum, & quem expertus fuerat paterno erga se affectu. Profani homines semper duxerunt sacrum esse jus hospitii, & illud violare summum fuit apud illos nefas: & Jupiter hospitalis semper habuit apud ipsos jus sumendæ vindictæ, si quis jusjurandum in mensa datum fregisset. atqui juraverat Ismaël se fidelem fore Godoliæ, quemadmodum vidimus. Iterum recipitur ab ipso, tractatur hospitaliter: & ex ipsa mensa surgit, ut occidat virum innoxium, & sibi amicum, & qui functus fuerat erga ipsum patris officio, ut dictum fuit. deinde non tantum parricida fuit, sed etiam patriæ suæ proditor. Sciebat enim non posse fieri, quin Nabu-

chadne-

chadnezer magis ac magis sæviret in miserum illud vulgus, cui pepercerat: sed neque fidei suæ rationem habet, neque respicit fratres suos, quos videbat quodammodo expositum iri ad carnificinam. Oblique autem hic notatur causa tanti furoris, quum dicit Propheta *ipsum fuisse ex semine Regio*. Erat quidem tunc genus Regium in summa ignominia: jugulati fuerant Regis filii: ipse vinctus pertractus fuerat Babylonem postquam ipsum excæcaverat Nabuchadnezer. Sed videmus, atqui semel fuerunt in aliqua dignitate, vix aut ægerrime demittant altos illos spiritus, quibus fuerant inflati. Ira si ad extremam inopiam, & mendicitatem redacti fuerint qui sunt ex Regio semine, semper tamen spirabunt aliquid regale: nunquam se subjiciunt potentiæ Dei. Fontem igitur amentiæ hic quasi digito ostendit Propheta quum dicit *Ismaël fuisse ex semine Regio*. nam putavit sibi hoc minime decorum, quod Godolias præfectus esset Judæis. Nec dubium est, quin imaginatus fuerit perpetuum regnum, quum toties pollicitus fuisset Deus per suos Prophetas, quamdiu
Psal. 89. manerent sol & luna in cœlo, staturum etiam Davi-
v. 37, 38. dis solium. Sed mera ambitio, & superbia ipsum rapuit ad hanc nefandam cædem. Et ita passus fuit se persuaderi à rege Ammon. *Venit* igitur *ipse cum ducibus Regis*, hoc est, qui aliquando fuerant in primo ordine quum adhuc regnaret Zedechias. Deinde addit Propheta *ipsos comedisse panem*. Hæc loquutio significat fuisse exceptos hospitio, & admissos ad mensam Godoliæ. Debuit autem hæc humanitas, & benevolentia flectere animum Ismaël, & sodalium, ita ut parcerent hospiti suo. Sed sequitur apud Prophetam, *ipsum surrexisse*. Circumstantia hæc temporis crimen amplificat, quod eodem fere temporis momento interfecerit Ismaël Godoliam, & ita polluerit manus suas sanguine innoxio in sacra mensa, neglecto scilicet jure hospitii. Jam ostendit Propheta id fuisse exitiale miseris reliquiis, quibus permissum fuerat habitare in terra. Nam primo non poterat hoc fieri sine summa indignatione regis Babylonii, quia præfecerat Godoliam terræ: neque enim hoc de nihilo exprimitur à Propheta, sed emphatice accipiendum est, quod hæc cædes concitaverit regem Babylonium, quia occisus fuit Godolias non sine ejus contemptu. Deinde accessit altera iracundiæ causa, quod scilicet occisi sunt Chaldæi qui erant in Mispath, & qui dati fuerant quasi præsidiarii milites. Exprimit enim Propheta fuisse viros bellicosos, ne quis putaret quosdam Chaldæos illic substitisse, ut aliquando in terra vacua manent calones, & simile hominum genus. Sed dicit *fuisse viros militares*, qui scilicet delecti fuerant ad custodiam, & præsidium Godoliæ. Ergo hoc modo accensa fuit ira regis Babylonii, ut sæviret adhuc in reliquias, quarum fuerat misertus. Nunc sequitur,

4. Et factum est die postero, ex quo occiderat Godoliam, ut nemo sciret.

5. Et venerunt viri ex Sichem, è Silo, & Samaria octoginta rasi barba, (*vel rasa barba*) & laceris vestibus, & scissi (*vel laniati*) in cute sua: oblatio autem & thus in manibus ipsorum, ut offerrent in domo Jehovæ.

Hic ostendit Propheta, postquam Ismaël cœpit polluere manus suas, nullum fecisse finem sævitiæ. Et ita obdurescunt improbi, quia etiamsi exhorreant initio homines innoxios perdere, tamen quum semel assueti sunt, perrumpunt per infinitas cædes. Id nunc exponit Propheta fuisse factum, quia postquam occisus fuit Godolias, dicit *venisse ex Sichem, è Silo & Samaria octoginta homines, qui thus & oblationem ferebant, ut offerrent in Templo*: illos per fraudem fuisse tractos in Mispath, & illic jugulatos, & projectos in lacum, ut videbimus suo loco. Nescitur qua de causa ad hoc tam immane & barbarum facinus fuerit impulsus Ismaël. neque enim bellum erat indictum: neque etiam potuit prætexere ullum colorem cur ita interficeret homines miseros, & nihil tale metuentes. Erant ex genere Abrahæ, erant Dei cultores: deinde non fuerat ab ipsis offensus, nihil machinati in ipsum fuerant. Cur ergo correptus fuerit tanto furore incertum est, nisi quod reprobi, quemadmodum diximus, nunquam modum sibi statuunt in sceleribus. Deus enim ipsos percutit spiritu vertiginis, ut ferantur cæca rabie. Probabile quidem est, fuisse occisos, quoniam putabat Ismaël venire ad Godoliam, ut degerent sub ejus tutela: non autem quicquam adeptus esset morte unius hominis, nisi ad se traxisset imperium terræ. Sola igitur suspicio, & quidem levis ipsum accendit ad tantam crudelitatem. Et atrocitas inde augetur quum dicit Propheta, *venisse ut offerrent Deo thus &* מנחה: deinde quum dicit *fuisse rasa barba, laceris vestibus*, & in maximo squalore. Ille enim habitus potuit elicere misericordiam etiam ab hostibus infestissimis. Scimus enim sensum hunc esse ingenitum, ut squalor, & lachrymæ, & lugubris species nos ad misericordiam inducant. Debuit igitur Ismaëlis furor etiamsi ante aliquid gravius statuisset de viris istis, ipso conspectu frangi, ut desineret vel ipsis irasci. Modis igitur omnibus videmus ipsum fuisse exutum omni æquitatis sensu, & crudeliorem qualibet bestia. Sed quæritur quomodo venerint homines isti, quum tamen de excidio Templi sparsa fuisset fama. neque enim dicuntur venisse ex Perside, vel ex transmarinis regionibus: venerunt ex ipsa vicinia. Qui respondent famam excisi Templi nondum fuisse perlatam, tantum elabi cupiunt, sed est illud frigidum responsum, vel cavillum potius. Mense quinto Templum fuit exustum: an potuit ejus clades ignorari in Judæa? Deinde scimus Silo non fuisse procul remotam à Jerusalem, sicuti nec Samaria fuit etiam longe dissita. Quum ergo distantia locorum non potuerit causam ignorantiæ dare, mihi probabile non videtur, hos homines venisse, quia putarent adhuc stare Templum: neque etiam adducunt victimas, sed thus, & mincha ad adolendum. Ego igitur existimo venisse, non ut offerrent ordinarium sacrificium, sed tantum ut in loco illo ubi solebant prius sacrificia offerri, testatam facerent suam pietatem. hæc conjectura nihil in se habet coactum. Nec dubium est, quin quum egressi sunt domo, jam induerint vestes sordidas, & laceras. Fuerunt hæc mœroris & luctus insignia apud Orientales populos, ut alibi vidimus. Tantum hic moveri potest quæstio, quum dicit Propheta *fuisse laniatos*. Referunt hoc ad cutem, vel ad corpus. Atqui illud Lege Dei vetitum erat. Respondent quidam ipsos fuisse oblitos Legis quum prævaleret tristitia: ita sine consilio lacerasse vel laniasse corpus suum. Sed prohibitio Legis videtur mihi habere aliquid speciale, quod scilicet Deus illic discernere voluerit populum suum à profanis gentibus. Colligitur autem ex Sacra historia fuisse aliquod artificium in idololatris quum corpus suum inciderent. Dicitur enim sacrificos Baal corpus suum incidisse secundum ritum, vel morem consuetum. Deus ergo populum suum retrahere volens ab omni corruptela, vetuit imitari ritus illos gentium. Deinde non dubium est, quin Deus voluerit corrigere excessum in dolore & luctu. Itaque non existimo quicquam factum fuisse contra Legem, quum isti homines laceratis vestibus, & cute incisa venerunt ad ruinas Templi, quia nihil

erat in ipsis affectatum: sed illa tam lamentabilis clades expresserat dolorem, ut neque sibi, neque vestibus suis parcerent. Dicit primo Jeremias, *fuisse occultam mortem Godoliæ, ita ut nemo sciverit*: tamen vix potuit sepeliri tale facinus: nam occisi fuerant cum Godolia multi ex Judæis, deinde præsidiarii milites, quos rex Nabuchadnezer dederat Godoliæ. Sed intelligit Propheta mortem fuisse absconditam, ut nondum rumor esset perlatus. hyperbolice igitur dicit, nemini hoc fuisse cognitum. Jam diximus quo consilio venerint ex Samaria, & aliis locis Jerusalem octoginta viri, non ut sacrificia offerrent quasi Templo integro, sed tantum ut lugerent excidium Templi, & Urbis: & ita quemadmodum attulerant domo summam tristitiam, sic post reditum suum sese humiliarent quum viderent tam gravem pœnam sumptam fuisse de peccatis populi.

Da omnipotens Deus, quando vita nostra innumeris periculis exposita est, & proponis nobis ante oculos quid acciderit optimis & selectissimis servis tuis, ut ad te confugiamus, & resignemus nos totos tibi, sciamus te ita esse custodem vitæ nostræ, ut non possit excidere capillus è capite nostro, nisi arcano tuo permissu: deinde discamus etiam abs te petere Spiritum prudentiæ, & discretionis, ut ipse dirigas gressus nostros, quoniam nostrum non est tueri vitam nostram à tot insidiis, quibus undique circumdati sumus, toto mundo nobis adversante, ut ita compleamus peregrinationis nostræ cursum sub fide tua & præsidio, donec colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-QUINTA IN JEREMIAM.

6. Et egressus est Ismaël filius Nathaniæ obviam ipsis è Mispath, ambulans ambulando, & flens. Et factum est quum occurrisset illis, tunc dixit ipsis, Venite ad Godoliam filium Achikam.

7. Et factum est quum venissent in medium Urbis, tunc jugulavit (*vel mactavit*) eos Ismaël filius Nathaniæ ad medium fossæ, ipse & viri qui erant cum eo.

Hic aliam circumstantiam exprimit Jeremias in scelere Ismaël, quod scilicet falsis blanditiis pellexerit simplices viros, & nihil metuentes: & sub prætextu benevolentiæ ipsos interfecerit. Cædes ipsa per se erat plus satis detestabilis: sed accessit pessimus dolus, ubi simulavit cum ipsis fletum, & officium obtulit, ut eos deduceret ad Godoliam: & ita eos proditorie interfecit. Videmus ergo hoc extremum fuisse scelus. Jam quod dicitur *flevisse*, non dubium est quin signum dederit pietatis fictæ. Videbat enim bonos illos viros in squalore & lachrymis propter excidium Templi. ergo finxit eodem se præditum animi affectu. Et hoc fuit falso Dei nomen obtendere: erant autem lachrymæ Crocodili. nam animal illud assimulat hominis fletum, & hoc modo viatores ad se trahit, & dum veniunt auxilii ferendi causa, repente insilit contra ipsos, & strangulat. Ita etiam Ismaël Crocodilus fuit. nam finxit lachrymas acsi lugeret excidium Templi & Urbis. Ita conciliavit sibi fidem apud homines incautos: deinde, postquam deduxit in medium Urbis, tunc ipsos mactavit. Locus etiam exprimitur, *ad medium foveæ*. sic enim interpretor potius, quam in medio, quia credibile non est ipsos fuisse jugulatos in fossa ipsa: sed quum deducti essent ad fossam, mactati fuerunt, deinde projecti, quemadmodum paulo post videbimus. eos igitur interfecit extra fossam, sed statim illuc projecit. Quæritur tamen an potuerit cum parva manu tot viros impune aggredi. videtur enim id absurdum, quum essent numero octoginta, non restitisse. poterant saltem terrere suos hostes. Sed primo cogitandum est, fuisse inermes, ut vidimus. Attulerant enim duntaxat sacram oblationem cum thure. alii autem erant armati, & exercitati etiam in cædibus. nam redacti fuerant ad summam desperationem: ita minime dubium est, quin jam contraxissent aliquid feritatis, ut solent qui assidue versantur in periculo sese assuefacere ad sævitiam. Ismaël ergo cum suis comitibus erat armatus: alii autem exuti omnibus armis: deinde erant homines simplices, & bello minime assueti. hinc factum est igitur, ut instar ovium mactati fuerint, quoniam Ismaël, & ejus sodales erant similes lupis, pleni truculentia. Jam sequitur,

8. Decem autem homines inventi sunt in ipsis, qui dixerunt (*& dixerunt, copulare solvi debet hoc modo. dixerunt ergo*) ad Ismaël, Ne interficias nos, quia sunt nobis opes reconditæ in agro, triticum, & hordeum, (*sunt pluralis numeri. sed durum esset Latine dicere tritica, & hordea*) & oleum, & mel: & cessavit, (*vel destitit*) & non occidit eos in medio fratrum suorum.

Hic videmus sævitiam Ismaëlis fuisse conjunctam cum avaritia. accensus quidem erat immani rabie quum interficeret simplices & innoxios viros: sed quum spes oblata esset lucri, pepercit aliquibus. Sic ergo videmus fuisse leonem vel lupum, vel ursum sævitia: sed interim fuisse hominem famelicum, quia simulac olfecit odorem prædæ, dimisit liberos decem ex octoginta, quos probabile est redemisse vitam quum venissent domum. Ita in uno homine videmus fuisse plura monstra, quoniam si oderat eos omnes qui faverent partibus Godoliæ, cur passus est abire istos incolumes? nempe quia prævaluit avaritia, & rapacitas. Jam additur *non fuisse occisos in medio fratrum*, hoc est, quum jam essent expositi ad mortem, & essent aliis permixti, ut non posset dissimilis esse eorum conditio, dicit Propheta fuisse liberatos, nempe quia Ismaël nihil aliud quærebat, quam lucrum facere. Et probabile est in rebus adeo turbatis non fuisse satis annona munitum, & aliis rebus. Quum ergo egestas ipsum premeret, ita sibi moderatus est, ne crudelitas esset damnosa. hic etiam admirabile Dei consilium nobis proponitur, quod miseros homines ita indigne passus fuerit occidi à latronibus. Domos suas reliquerant ut lugerent incendium Templi. Quum ergo pietatis zelus ipsos Jerosolymam traxisset, quam indignum fuit ita illos

objiti

objici sævitiæ Ismaëlis, & similium? Sed, quemadmodum heri dictum fuit, Deus habet arcanas rationes, quibus consulat suorum saluti. Eripuit Godoliam. fuit quidem tristis ejus exitus: quum eum interfecit Ismaël, quem hospitio receperat: sed Deus non passus est ipsum inter graves molestias jactari: quia Joannes filius Kareah, qui tamen erat fidelissimus, statim cœpisset sancto viro molestus esse, ut videbimus capite proximo. Fuit enim paulo post impiæ factionis dux, & antesignanus, & ferociter surrexit adversus Jeremiam. Si ergo superstes fuisset Godolias, undique fuisset oppugnatus à suis. Deus ergo voluit eum semel liberari ab illis miseriis curis. Idem etiam accidit viris septuaginta, qui fuerunt occisi. nam Dominus eos collegit in suam quietem, ne obnoxii essent gravissimis malis, & cladibus, quæ paulo post sequutæ sunt. nihil enim miserius fuit residuo illo populo, cui pepercerat Nabuchadnezer. Ergo hic suspicere convenit arcanum Dei consilium, ubi videmus jugulatos fuisse miseros homines, qui tamen profecti erant Jerosolymam testandæ pietatis suæ causa. Melius, in summa, cum ipsis actum est, quam si coacti fuissent iterum multas miserias perpeti. Nunc sequitur,

9. Fovea autem in quam projecit Ismaël illuc (*sed abundat*) omnia cadavera hominum, quos percussit in plaga Godoliæ, (*vel propter Godoliam, ut alii vertunt*) ipsa est quam fecerat rex Aza propter Baaza regem Israël: hanc replevit Ismaël filius Nathaniæ interfectis.

Obiter narrat Propheta foveam fuisse factam à rege Aza quum muniret Urbem adversus impetum regis Baazæ, sicuti refertur secundi Chronicôn decimo sexto capite. Baaza enim collecto exercitu, aggressus est terram Jehudah, & cœpit extruere urbem, ut ita teneret Judæos quasi obsessos, & quotidianas incursiones illinc faceret, & posset etiam tuto illuc recipere suas copias cum præda. Aza deinde conduxit regem Syriæ, & fecit ut fœdus irritum esset, quod duo Reges, Syriæ & Israël inter se pepigerant. Ita coactus est Baaza relinquere opus imperfectum, & illinc dicitur Aza lapides collectos asportasse, ut inde fovea extrueretur. Foveæ quidem illic nulla fit mentio: sed colligere licet, tunc fuisse extructam foveam, quæ interposita esset inter hostem & Urbem. Sed posset videri absurdum, foveam illam fuisse in medio Urbis, nisi quod forte propugnaculum aliquod extruxit Aza intra Urbem ipsam, si forte expugnaretur ab hoste ut se reciperet cum hominibus bellicosis, quemadmodum sæpe arces scimus extrui in mediis urbibus tanquam propugnacula, ut sint ultimi refugii loco. Hanc igitur fossam extruxit Aza, ut si forte rex Israël Urbem expugnaret, non posset tamen longius penetrare, sed subsisteret invitus, quia fossa esset interposita. sed in rebus incertis tantum conjecturas afferre licet. Auget autem Propheta indignitatem rei, quum dicit *foveam illam repletam fuisse interfectis*, quæ longe in alium finem & usum fuerat extructa, quum scilicet in maximas angustias redactus esset rex Jehudah, tunc foveam illam opposuit violentiæ hostis, nempe ut tueri posset regnum suum, & subditos: nunc autem prope foveam illam jugulantur non Syrii vel Israëlitæ, sed Judæi ipsi, & pii Dei cultores. Quod ergo factum erat in publicam utilitatem populi, convertit Ismaël in perniciem bonorum virorum. Et hinc etiam magis augetur atrocitas sceleris, ut dictum fuit. Postea sequitur,

10. Et captivum cepit Ismaël quod residuum erat populi, quod erat in Mispath, nempe filias Regis, & totum populum qui relictus fuerat in Mispath, quem commiserat Nabuzardan princeps interfectorum Godoliæ filio Achikam: (*vel, cui residuo populi præfecerat Godoliam, eodem sensu, filium Achikam*) accepit ergo Ismaël filius Nathaniæ, & profectus est, ut transiret ad filios Ammon.

Nescitur an ab initio consilium hoc ceperit Ismaël, an vero quum videret sibi non satis esse potentiæ ad resistendum, pro re nata traxerit secum captivos, ut habitaret apud regem Ammon. Probabile tamen est fuisse hoc factum ex composito, & antequam Ismael interficeret Godoliam fuisse hoc transactum, ut reliquiæ populi illuc traherentur. Voluit forte rex Ammon emittere ex suis, qui habitarent in Judæa: ita speravit fieri posse, ut dominaretur Judææ: & speravit se posse pacisci cum rege Babylonio si fieret tributarius. hoc tamen erat maximum, occupare terram admodum fertilem. Quicquid sit, minime dubium est, quin rex Ammon speraverit magnum aliquid, quum interfectus fuit Godolias. Et hac ratione probabile est, abductum fuisse populum, cui permissa erat habitatio in Judæa: hoc nunc Propheta narrat, *Ismaël captivos cepisse qui residui erant*. Apparet autem progressu temporis fuisse instructum majoribus copiis quam antea. Neque enim cum paucis hominibus poterat populum cogere: erat enim non parva multitudo eorum qui relicti fuerant, quemadmodum vidimus. Erant autem dispersi per multa oppida: non solo edicto adeptus fuisset Ismael ut migrarent in terram Ammon. Ergo postquam jugulavit Godoliam, deinde absterruit omnes sua sævitia, minime dubium est, quin multi ad ipsum transierint. semper enim impia factio reperit multos qui sequantur, quum spes aliqua oblata est. Quicunque ergo in populo perversi erant, sequuti sunt ducem illum: & ita potuit captivum ducere totum populum. Sed iterum hic oboritur quæstio de filiabus Regis. Relicti enim fuerant duntaxat pauperes & obscuri, quibus nullum erat nomen: Regium vero semen fuerat traductum, sicuti vidimus. Sed probabile est ex filiabus Regis aliquas fuisse ereptas quum Urbs obsideretur, quemadmodum Ismael ipse erat ex semine Regio: sed erat fugitivus quum Urbs fuit expugnata. non potuit igitur ipso potiri Nabuchadnezer. Idem etiam contigit filiabus Regis, quas potuit Zedechias deponere in tutis locis: eas autem postea collegit Godolias, quum videret sine discrimine & invidia id posse fieri. Imo quum id impetrasset à Nabuzardan, quemadmodum ante vidimus. Quanquam ergo præerat Godolias hominibus egenis, & nullius pretii, tamen filiæ Regis quæ translatæ fuerant in loca pacatiora postea cum ipso habitarunt, sicut ad eum se contulerunt Ismael, & Joannes filius Kareah, & alii duces exercituum. eadem igitur est ratio. sed iterum repetitur *populum*, nempe *residuos in Mispath, quos commiserat Nabuzardan Godoliæ*, vel quibus præfecerat Godoliam, quemadmodum ante vidimus. Repetitio autem non est supervacua, quoniam Jeremias quod notatu dignum erat rursus exprimit, fuisse cæcum furorem & impetum Ismaël, qui non viderit ita exasperari animum regis Nabuchadnezer, ut postea esset implacabilis. sed fuit quasi furialis illa amentia, ut neque sibi neque

aliis prospiceret. Dicit ergo *cepisse totum illum populum, & profectum fuisse, ut transiret ad filios Ammon.* Ita multo durior fuisset conditio eorum, quam si in longinquum exilium tracti essent. Ammonitæ enim nihilo fuissent clementiores Chaldæis, imo illic subjecti fuissent pluribus contumeliis, quemadmodum postea videbimus: denique utilius ipsis fuisset, vel magis tolerabile, semel occidi, quam ita transferri in illud exilium, quod miserrimum illis fuisset. Hinc apparet fuisse prorsus exutum humanitatis sensu Ismaël, qui potuit filios Abrahæ ita impie prodere. nam si qua fuisset æmulatio, hoc sæpe contigit ut imperii cupiditas homines impulerit ad nefanda facinora: sed ubi trahit miserum populum ad Ammonitas, hoc certe plusquam belluinum est. Quantum ad vulgus ipsum spectat, videbimus postea dignum fuisse & probris omnibus, & miseriis: neque vero hæc calamitas accidit nisi justa Dei providentia. tamets enim liberati sunt à filio Kareah, ut postea videbimus, statim profecti sunt in Ægyptum reclamante Propheta, & severe illis denunciante, ne illuc transirent. Ergo quanquam hic nobis describitur fœda & prodigiosa crudelitas Ismaël: sciamus tamen dignos fuisse Judæos qui traherentur per varia exilia, & qui subjicerentur omnibus miseriis. Omiseram particulam unam, ubi dicitur *interfectos fuisse septuaginta homines in manu Godoliæ.* quidam Manum vertunt, ut attigi, Propter Godoliam: alii autem, In loco Godoliæ. Sed quoniam illa expositio coacta videtur, possumus Manum accipere pro plaga, aut vulnere, & videtur magis convenire, quemadmodum sæpe manus in Scriptura accipitur. *Occisi* ergo *sunt in plaga Godoliæ*, hoc est, similiter cum ipso fuerant interfecti quasi super ejus vulnus. Nunc pergamus.

11. Et audivit Joannes filius Kareah, & omnes duces copiarum qui cum eo erant, omne malum quod perpetraverat Ismaël filius Nathaniæ:

12. Et sumpserunt omnes homines, & profecti sunt ad præliandum cum Ismaël filio Nathaniæ, & invenerunt (*vel assequuti sunt*) ipsum ad aquas magnas, (*alii vertunt, multas, sed non placet*) quæ sunt in Gibeon.

Hic narrat Propheta, Ismaël non fuisse potitum suis votis, quia statuerat populum quasi venundare regi Ammon: fuit autem interceptus in via. sed primo dicit *Joannem filium Kareah audito rumore, una cum aliis ducibus venisse obviam, ut iter abrumperet:* dicit *collegisse omnes homines*, nempe qui dispersi erant. Quoscunque igitur potuerunt nancisci, eos traxerunt in suas partes, & venerunt ut confligerent cum Ismaël. Dicit autem Propheta, *occursum fuisse factum apud aquas magnas:* & existimo sic vocatas fuisse, sive lacus fuerit, sive stagnum aliquod. non dubito igitur quin perpetuum fuerit hoc epitheton. alii dicunt aquas tunc fuisse multas, quia continuæ fuissent pluviæ. sed divinatio illa nimis est frigida. Simplicior est ille sensus, fuisse aquas illas sic vocatas, quoniam in illa parte non erat præ lacu illo magna aquarum copia. retentus igitur illic fuit Ismaël. Jam addit Propheta captivos fuisse lætatos conspecto Joanne, & ita statim transitionem fuisse factam. Dicit igitur,

13. Et accidit quum vidisset populus, qui erat cum Ismaël, Joannem filium Kareah, & omnes duces copiarum, qui erant cum eo, tunc lætati sunt.

14. Et conversus est totus populus quem abduxerat Ismaël è Mispath, & reversi sunt, & profecti sunt cum Joanne filio Kareah.

Fuit facile populo captivo transire ad Joannem, & ejus exercitum, quia venerant satis bene instructi Joannes & reliqui duces copiarum, & erant homines satis bellicosi, ut antea vidimus. non poterat autem Ismaël par esse, quum populus sese adjungeret Joanni, & ejus comitibus. Ita videmus impium hominem turpiter cessisse, quum putaret se gratissimum fore regi Ammon, si tot captivos adduceret, quia habitarent in ejus terra, ut posset ipse occupare Judæam. Finxerat igitur sibi multa, quibus Deus ipsum frustratus est: sed voluit Deus ipsum manere superstitem. aufugit enim, quemadmodum postea sequitur:

15. Et Ismaël (*Ismaël autem*) filius Nathaniæ servatus est (*vel evasit*) cum octo hominibus à facie Joannis, & profectus est ad filios Ammon.

Infeliciter quidem successit, quum fugit coram hoste, quum defecit ab ipso totus populus, quum perdidit suos milites, nec potuit sine maximo opprobrio venire in conspectum regis Ammon. Hoc tamen adhuc videtur absurdum, quod aufugerit. nam cur Deus non exequutus est celebrem illam sententiam? Mat. 26. vers. 52. Apoc. 13. vers. 10. Genes. 9. vers. 6. Qui gladio percusserit, gladio peribit: quisquis effuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. Non unum modo hominem occiderat Ismaël, sed ducem populi, & quidem eum ducem cujus fideli opera, & gratia servatæ fuerant reliquiæ, tanquam semen aliquod: deinde occiderat quoscunque cum ipso repererat. postremo occiderat 70 homines, quibuscum tamen nihil erat jurgii, nullum bellum, nulla rixa. Quum ergo Ismaël ita imbutus esset sanguine innoxio, & tot cædibus bonorum virorum pollutus, qui factum est ut evaserit? Quemadmodum jam dixi, non servat Deus æqualem mensuram in suis judiciis: prorogat enim sæpe vitam scelestissimis, ut sint quasi propositi in spectaculum: neque tamen interim evanescit veritas illius sententiæ, Qui fuderit sanguinem humanum, fundetur sanguis illius. sed Deus habet diversos modos quibus rependat homicidis, & sicariis justam mercedem. Et notandum est quod dicitur in Psalmo, Domine, ne occidas eos, ne forte obliviscatur populus meus. Psal. 59. vers. 12. Propheta illic Deum rogat ne impios statim extinguat. nam posset facile obrepere oblivio notabilis pœnæ, si Deus illam subito & uno momento exigeret. Sed quum Deus imprimit signum maledictionis suæ impiis & sceleratis, vitam autem illis prorogat, perinde est acsi locaret eos in theatro diu per otium considerandos. Conspicua igitur sunt signa vindictæ Dei adversus impios, quum lente ac pedetentim Deus ipsos prosequitur, & de die in diem ipsos quodammodo ad tribunal suum citat. Non dubium est igitur quin Deus hoc modo ultus fuerit sævitiam Ismaël. qui enim factum est, ut occiderit Godoliam? nempe quoniam erat ex semine Regio, adhuc turgebat stulta superbia, quum tamen Deus potenti sua manu fregisset quicquid erat dignitatis in Regio semine, imo contrivisset penitus: ipsa tamen adhuc ferociam suam aluit: & ideo Deus duplicem pœnam de ipso sumpsit, quum illum nudavit omni comitatu,

quia

quia venit ad regem Ammon, quem haud dubie impleverat magnificis promissis, & à quo etiam expectabat non vulgare præmium, ut cum suis octo comitibus fugitivus, & confusus etiam esset, & videret nullam esse spem reditus. hinc igitur factum est ut contemptus & rejectus fuerit. hoc haud dubie fuit acerbius quam si passus fuisset decem mortes. Ergo discamus judicium facere non ex præsenti rerum aspectu, sed ita ut patienter expectemus dum palam faciat Deus sibi esse diversas rationes in puniendis reprobis: imo hoc plurimum valere debet ad fidei nostræ confirmationem, quum videmus pios crudeliter interfici, scelestos autem homines manere salvos. nam hinc sequitur expectandum esse aliud Dei judicium, quod nondum apparet. nam si Deus rependeret singulis justam mercedem, tunc Sadducæi merito jactarent non esse aliam vitam: sed ubi res ita in mundo confusæ sunt, agnoscimus suspendi, & differri judicium Dei in aliud tempus. Ergo erigit hæc varietas, vel confusio, si ita placet, mentem nostram ad spem ultimi judicii, & beatæ resurrectionis. Ego nunc non progrediar ulterius.

Da omnipotens Deus, quando hic mundus refertus est colluvie improborum, & undique etiam circumdamur hostibus: da, inquam, ut discamus confugere sub fidem tuam, & ita lateamus sub umbra alarum tuarum, ut salutem non aliunde quam à tuo præsidio expectemus: deinde quicquid nobis accidat, ut sciamus tua admirabili providentia ita gubernari vitam & mortem nostram, ut quicquid nobis accidit, adjumentum sit in salutem, ut ita pergamus non tantum per multas calamitates, sed si opus sit, per medias cædes, usque dum perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-SEXTA IN JEREMIAM.

16. Et sumpsit Joannes filius Kareah, & cuncti Principes (*duces*) copiarum qui erant cum eo, omnes reliquias populi, quas reduxerant ab Ismaële filio Nathaniæ è Mispath, postquam percusserat Godoliam filium Achikam, viros fortes, viros belli, (*hoc est, bellicosos*) & mulieres, & pueritiam, & eunuchos quos reduxerat è Gibeon.

17. Et profecti sunt, & sederunt (*vel substiterunt*) in Geruth Chimeham quæ est prope Bethlehem, ut proficiscerentur ad ingrediendum in Ægyptum,

18 Propter Chaldæos, quia timebant ab ipsis, (*ad verbum, à facie ipsorum*) quia percusserat Ismaël filius Nathaniæ Godoliam filium Achikam, quem præfecerat rex Babylonis in terra.

JAm ostendit Propheta, quamvis species aliqua virtutis apparuerit in Joanne filio Kareah, non fuisse tamen recto animo. erat vir strenuus, & cordatus: sed detexit suam incredulitatem, quum traxit reliquias populi in Ægyptum, idque vetante Propheta: quanquam satis jam sciebat sibi hoc non licere, tamen contumacia ejus duplicata fuit quum Prophetæ consilium rejecit, ut videbimus. Hic igitur locus docet, quamvis duces copiarum, qui profligarunt Ismaël, & ulti sunt ejus perfidiam, fuerint animosi, & ostenderint studium publicæ salutis, tamen vacuos fuisse fide: ita defuit illis quod præcipuum erat, nempe pietas & timor Dei. Dicit igitur Propheta *Joannem & reliquos sumpsisse reliquias populi, quas reduxerant ab Ismaële ex Mispath*, non quod illuc reductæ essent, sed abduxerat è Mispath Ismaël miserum vulgus captivum, sicuti vidimus. reducti autem fuerunt omnes à Gibeon, quemadmodum sequitur in fine versus. Dicit autem fuisse viros fortes, גברים, (sic appellat à fortitudine: nam sequitur postea explicatio) אנשי המלחמה, homines bellicosos. Vocat igitur *fortes*, deinde explicat qualis fuerit illa virtus, nempe quod essent veri militares. dicit *mulieres etiam permixtas fuisse & pueros, atque eunuchos, qui floruerant aliquando in aula Regis*: & paulo ante vidimus fuisse etiam in ea turba Regis filias. Contraxerat igitur Godolias multitudinem hominum non tantum ex plebe, sed etiam ex viris nobilibus, & quorum non vulgaris fuerat fortuna & dignitas stante regno. Sed statim subjicit Propheta quale fuerit omnium consilium. dicit igitur *substitisse in Geruth*: alii appellative transferunt, In peregrinatione: sed mihi potius videtur proprium esse nomen, & subscribo eorum sententiæ, qui sic verterunt. Vocatur autem Geruth Chimeham, cujus fit
2 Sam. 19. mentio secundo libro Samuelis: fuit hic filius Ber-
v. 31, 37. sillai, qui Davidem recepit quum esset profugus è regno, & liberaliter tractavit: quum David vellet gratiam rependere, bonus ille vir excusavit senium, & dixit se jam decrepitum esse, ut cibum non gustaret: sed filium suum Davidi permisit, & probabile est locum Geruth fuisse datum locum mercedis: hinc vocatus fuit locus Geruth Chimeham, cui possessor nomen imposuit. dicit fuisse *prope Bethlehem*: & hoc etiam probabile est, quum David vellet remunerari hospitem suum, elegisse vicinum locum urbi suæ, & in qua erat natus. Subjicit, *ad proficiscendum*: ergo docet Propheta non fuisse illic fixam habitationem, sed cepisse consilium proficiscendi in Ægyptum. Id sciebant vetitum esse Lege Dei: sæpius etiam Prophetæ testati fuerant maledictum hoc fore consilium: atqui Deo prohibente, sese tamen ad iter accingunt: metus in causa est, sed utcunque merito timuerint, debebant tamen reputare quid Deus permitteret. nam si ægrotus toxicum accipiat loco remedii, pœnas dabit suæ temeritatis & insaniæ: ita qui volunt sibi prospicere invito Deo, consulunt in suam perniciem. Hoc factum narrat Propheta à reliquiis populi. dicit ergo fuisse ad tempus illic, sed spectasse in Ægyptum: *propter Chaldæos*, inquit, quia sibi timebant, *propterea quod interfecerat Ismaël Godoliam, quem rex Nabuchadnezer præfecerat terræ*. metus hic non fuit conceptus de nihilo: sed poterant mittere deprecatores ad regem Babylonium, & conjicere culpam in auctorem, & se purgare. & res satis comperta erat. Facile igitur impetrassent veniam à rege Nabuchadnezer. sed quia nullus apud ipsos viget timor Dei, neque expendunt quid sibi liceat, feruntur suo impetu in Ægyptum: ita metus non potuit ipsorum culpam levare, quoniam erat aliud remedium in promptu, & quod Deus benedixisset. Verum ubi neglecto Dei verbo, tantum sequuntur quod sensus proprius illis dictavit, hinc fit, ut sibi pessime consulant. Sed longe deterius est quod sequitur:

CAP. XLII.

Cap. XLII.

ET accesserunt cuncti duces copiarum, & Joannes filius Kareah, & Jezaniah filius Ozaniæ, & totus populus à parvo usque ad magnum:

2. Et dixerunt ad Jeremiam Prophetam, Cadat agedum precatio nostra coram facie tua, & ores pro nobis Jehovam Deum tuum pro omnibus reliquiis istis, quia relicti sumus exiguum è magno, sicuti oculi tui vident nos.

3. Et annunciet nobis Jehovah Deus tuus viam, per quam ambulemus, & rem quam faciamus.

Dixi improbius multo fecisse Joannem, & ejus sodales, & totum populum quum ad Prophetam venerunt, quam si ipso præterito recta petiissent Ægyptum. nam aut fallaciter venerunt, atque ex professo ita fuerunt mentiti, vel nimium stupidi fuerunt, & hypocrisis prorsus ademit illis omnem sensum. Veniunt ad Prophetam, nempe ut capiant consilium, imo ut sit ipse interpres Dei, & ita sciant quid sibi agendum sit: promittunt se obedientes fore, ut postea videbimus. quicquid sit, petunt oraculum cui acquiescere necesse erat, nisi vellent palam jugum excutere, & ostendere se crassos & profanos esse Dei contemptores. Veniunt ad Prophetam, & tamen jam illis fixum erat petere Ægyptum, quemadmodum vidimus. Qui consilium petit, in primis videre debet, ne quod afferat præjudicium, sed sit integer: atqui hoc tamen vitium nimis est vulgare, ut scilicet homines se deliberare fingant, quum tamen jam illis decretum sit quod facturi sunt: imo nihil magis tritum est in communi usu. neque enim ut plurimum consultores volunt discere quid rectum sit, sed volunt alios suffragari suis affectibus. Qui hoc vel illud statuit, fingit se ambigere, & teneri suspensum, rogat quidnam expediat. si responsum fuerit ex voto, amplectitur quod dictum est: sin vero is qui consulitur, dissuadeat quod ille jam statuit, repudiatur totum consilium. Talis ergo simulatio nobis describitur à Propheta, quod scilicet *venerint tam duces, quam totum vulgus ad Jeremiam*. Dicit primo loco *duces copiarum*, & adjungit *Joannem filium Kareah, & Jezaniam filium Ozaniæ*. duos adjungit non tanquam postremos, sed honoris causa:
Marc. 16. vers. 7. quemadmodum ubi dicit Angelus, Ite, & annunciate discipulis ejus, & Petro, non rejicit Petrum quasi aliis omnibus sit inferior, sed honoris causa ponit ejus nomen postquam in genere de omnibus loquutus erat. Sic etiam hoc loco generaliter Propheta nominat *duces*: sed quoniam præcipui erant Joannes filius Kareah, & Jezaniah, ideo diserte eorum nomina exprimit. Adjungit, *Et totus populus à parvo usque ad magnum*. hoc ad ætatem non refertur, sed intelligit cujuscunque essent ordinis, omnes venisse ad Jeremiam uno consensu. non fuit igitur paucorum hominum conspiratio, sed omnes à minimo usque ad maximum statuerant in Ægyptum proficisci: & tamen veniunt quasi integro animo ad Prophetam. quorsum? volebant scilicet approbari perversum suum consilium à Deo, & ita libidini suæ Deum subjicere, quia non patiebantur se gubernari ab ejus Spiritu, & audacter spernebant ejus verbum. Ostendit igitur Propheta omnes implicitos fuisse eodem crimine, & dicit *sic fuisse loquutos*, acsi parati essent ad obsequium, *Cadat deprecatio nostra coram te*. hoc quum ad Deum refertur, diximus esse signum humilitatis: sed transfertur hæc loquutio ad homines, & quum suppliciter rogant Hebræi, dicunt, Cadat oratio mea coram te, hoc est, exaudias quod abs te suppliciter & cum summa humilitate precor. *Ores*, inquiunt, *pro nobis Jehovam Deum tuum*. Deum Jeremiæ appellant non quasi velint se eximere ab ejus imperio. non significant igitur se à Dei subjectione alienos esse. sed hoc modo commendant Jeremiam, & agnoscunt esse verum & legitimum Dei Prophetam. In summa, hoc epitheton refertur ad Propheticum munus, acsi diceret Jeremiam hactenus fidem fecisse suæ vocationis, ita ut certo liqueat ipsum divinitus esse missum. Videmus ergo cur Jehovam appellent *Deum Jeremiæ*, non quasi Deum rejiciant, acsi non esset illis communis cum Jeremia, sed statuunt Prophetam ipsum superiori gradu, ut sit ejus fides & integritas extra controversiam. Hoc autem merito recidit in ipsorum caput. nam si Jeremias Dei Propheta erat, cur non statim obtemperant, postquam sciunt fideliter retulisse quod acceperat à Deo? cur etiam proterve & ferociter contra eum insurgunt, & arguunt eum mendacii? hæc igitur fuit servilis, sed fallax adulatio, quemadmodum hypocritæ nunquam sincere loquuntur. Postea adjungunt, *Pro cunctis reliquiis istis, quia relicti sumus exiguum è magno*. Miserabiliter hoc addunt quo facilius impetrent quod postulant à Jeremia. Neque tamen id erat difficile, sed quia sibi male erant conscii, ideo blanditiis conciliant sibi favorem apud Prophetam. si absque fuco eum rogassent, sciebant sponte propensum esse ad quærendam salutem populi: sed quia animo erant duplices, ideo objiciunt miseram suam fortunam, quæ poterat magis ac magis Prophetam incitare ut pro ipsis apud Deum intercederet. Et hac etiam ratione addunt, *Sicuti oculi tui nos vident*. Objiciunt etiam triste illud spectaculum, quod flectere Prophetam debebat ad sympathiam. Jam sequitur, *Et annunciet nobis Jehovah Deus tuus viam, per quam ambulemus*. Clarius exponunt cur velint precationem pro se concipi, nempe ut Deus illis respondeat, & demonstret quid facere ipsos velit. Veniunt ergo, sicuti dictum fuit, tanquam ad obsequium parati: deinde præ se ferunt modestiam, quod scilicet nihil temere aggredi velint, sed tantum sequi quo Deus vocabit. Si ex animo loquuti essent, hæc erat singularis virtus, confugere in rebus perplexis ad Deum, & se permittere regendos ejus verbo: sed videbimus meram fuisse simulationem. Hic tamen nobis ante oculos ponitur hypocrisis illius populi, ut discamus quoties sciscitamur quid placeat Deo, afferre cor purum & sincerum, ut nihil nos impediat vel moretur, quo minus statim amplectamur quicquid Deus præceperit. Sed detegitur adhuc fœdior ipsorum hypocrisis quum addit Propheta,

4. Et dixit illis Jeremias Propheta, Audivi, ecce ego orabo Jehovam Deum vestrum secundum sermones vestros, & erit, quemcunque sermonem responderit Jehovah vobis, annunciabo vobis, non celabo à vobis quicquam.

Ut melius præparet ipsos ad parendum, testatur se fidelem fore Dei nuncium. neque enim dubium est quin suspectos habuerit Propheta, ut postea videbimus. Ergo ut ipsos dociles & morigeros habeat postquam à Deo responsum acceperit, præfatur se officio probi & fidelis Prophetæ esse functurum. *Audivi*, inquit. hic ostendit quam proclivi sit affectu, & quam nihil detrectet quod conducat ipsis in salutem.

Audivi,

Audivi, inquit, *ecce ego precabor secundum sermones vestros.* Non dubium est quin ita significet se illis optime cupere, & poterat hoc adhuc ipsos reddere magis attentos ad oraculum, quum scirent Prophetam tali esse amoris affectu. Nec dubium est quin Propheta de sua erga ipsos charitate testatus fuerit, ut plus ponderis deinde haberet ejus doctrina. Quum dicit, *Quicquid responderit vobis Deus vester*, non intelligit oraculum fore omnibus manifestum: quia verba etiam non possunt aliter exponi, quam Prophetam quod audierit ex ore Dei, palam facturum toti populo. sed dicit *responderi omnibus* quod in omnium gratiam Deus responsurus erat: quemadmodum loquutus est quidem Deus Mosi, sed dicitur loquutus esse toti populo, quia communis erat omnium doctrina: & Moses Legem non accepit, neque ejus interpretationem privato suo nomine emisit, sed ut populus cognosceret quid esset rectum. Sic ergo Jeremias hic responsum Dei quod ipse erat accepturus, commune facit toti populo. Alio autem sensu vocat Deum populi: neque enim ipsis blanditur, neque laudat eorum pietatem, sed hortatur eos ut se totos Deo permittant, & addicant: quasi diceret negotium ipsis esse cum Deo, qui ipsos sibi devinxerat quum adoptasset in populum peculiarem, deinde quum tot beneficiis esset prosequutus. Quoniam ergo Deus se illis patefecerat, non poterant impune rejicere ejus consilium, quia nullus erat ignorantiæ prætextus. Videmus ergo pondus subesse huic particulæ, quia admonet Jeremias non posse ipsos impune illudere Deo, quia non sint sui juris, sed fuerint hac lege electi in populum ut Dei imperio prorsus subessent. Hæc igitur summa est, Prophetam bona fide relaturum esse ad Judæos quicquid Deus ipsis responderit, ut major auctoritas accedat ejus doctrinæ. Nunc sequitur,

5. Ipsi autem dixerunt ad Jeremiam, Erit Jehovah inter nos in testem (*vel testis*) fidei & veritatis, (*testis fidelis & verax*) nisi secundum omnem sermonem quem miserit (*id est, pro quo miserit*) Jehovah Deus tuus ad nos, sic facturi simus:

6. Sive bonum, sive malum, voci Jehovæ Dei nostri, pro qua nos mittimus te ad ipsum, obediemus, (*audiemus vocem, ad verbum: sed tantundem valet, audire vocem atque obedire voci*) ut bene sit nobis, quum obediverimus voci Dei nostri.

Hinc apparet populum intellexisse quo consilio Jeremias antequam Deum consuleret, reddiderit illos certiores suæ fidei, & sinceritatis. neque enim frustra promittunt se Deo fore morigeros: sed quia videbant se suspectos esse Jeremiæ, ideo quemadmodum profitetur se veracem & fidum fore Doctorem, ita etiam ex opposito, & vicissim affirmant se fore probos discipulos, & se amplexuros quicquid Deus illis mandaverit. Sed statim produnt suam perfidiam: quia ubi audiunt non placere Deo quod statuerant, non modo rejiciunt consilium Dei & Prophetæ, sed proterve insultant, & conviciis etiam onerant sanctum virum acsi mentitus esset. Interea hypocrisis eorum nobis exemplo esse debet, ut quum Deus dignatur nos singulari illo privilegio, ut viam recte agendi nobis monstret, quemadmodum dirigit nos per magistros & doctores probos, & idoneos: ut etiam simus dociles & prompti ad parendum, neque ore tantum hoc testemur, sed præstemus re ipsa. Dicit ergo Propheta *ipsos sic loquutos esse, Sit Deus testis fidelis & verax inter nos.* non contenti simplici affirmatione audent interponere nomen Dei. & ita videmus quam cæca sit hypocrisis. nam si expenderent apud se homines quid sit profanare sacrum Dei nomen, certe horrerent & abominarentur omne perjurium. Quum ergo tam audacter ad jurandum prosiliunt, hinc apparet ipsos esse quasi obstupefactos: & nulla est ebrietas quæ magis conturbet mentes hominum, & omnes sensus, quam hypocrisis. Jam addunt, *Quemcunque sermonem pro quo miserit Jehovah Deus tuus ad nos, sic faciemus*, hoc est, quicquid mandaverit Jehovah per manum tuam. nam mittere dicitur Deus ad aliquos, quum legatum suo nomine constituit qui perferat mandata. Jeremias ergo fuit quasi intermedius, qui populum alloqueretur Dei nomine, acsi fuisset è cælo missus. Dicunt igitur se facturos quicquid Deus præceperit. Sequitur major expressio, *Sive bonum sit, sive malum, voci Jehovæ Dei nostri parebimus.* non insimulant hic sermonem Dei pravitatis, quasi aliquid in ipso sit vitiosum: sed *bonum* accipiunt pro læto, *malum* autem pro tristi: perinde acsi dicerent se nihil aliud exposcere, quam ut declaret Deus quid sibi placeat, & ita esse subactos ut nihil recusent etiam quod adversetur carni. Si ex animo profecta fuisset hæc oratio, erat testimonium veræ pietatis: nam ita formatos esse decet piorum animos, ut Deo sine exceptione obediant, sive imperet quod adversetur eorum animo, sive alio quam velint trahat. nam qui volunt cum Deo pacisci, ut nihil exigat, nisi quod ipsis adlubescit, ostendunt se nescire quid sit colere Deum. Ergo obedientia fidei hoc in primis postulat, ut se abdicet homo propriis affectibus, non opponat sua vel consilia vel vota verbo Dei, non objiciat hoc sibi esse asperum, illud parum suave. *Sive igitur bonum, sive malum*, hoc est, quamvis repugnet sensus carnis, necesse est amplecti quicquid Deus mandat ac præcipit: hæc, inquam, est regula veræ pietatis. Quum ficte loquuti sunt Judæi sumendo alienam personam, abusi sunt Dei nomine: sed si cupimus probare fidem nostram Deo, hæc unica agendi ratio est, ut sermo ejus nos contineat in officio, sive gratus sit, sive asper, neque unquam obstrepamus: quemadmodum impii quum Deus vult ipsis jugum imponere, queruntur doctrinam ejus esse nimis duram & onerosam. Ergo facessant quæcunque poterunt nobis ingratum reddere Dei sermonem, si volumus certum fidei nostræ testimonium dare. hoc sensu dicunt, *Sive bonum sit, sive malum* quod proposuerit Deus, tamen obediemus ejus voci. Postea addunt, *Pro qua mittimus te ad ipsum.* Hic adhuc magis se conjiciunt in plagas. Jeremias non adigit illos conceptis verbis ad jurandum. jurant tamen, deinde multis circumstantiis se magis obstringunt si perjuri fuerint: quemadmodum nunc ostendunt duplex fore scelus, nisi obediant verbo Dei. quare? si missus fuisset ad eos Propheta, poterant afferre excusationes, quæ etsi vanæ fuissent, tamen habebant aliquid coloris: sed ubi ultro ipsi Deum interrogant, ubi sese offerunt, & promittunt fore obsequentes in omnibus, nisi postea præstent fidem datam, apparet magis esse inexcusabiles, quod scilicet tentaverint Deum. nam quis eos induxit, ut venirent ad Prophetam? Videmus ergo ut Deus illis extorqueat quod duplicabat ipsorum crimen. Sed hypocritæ quo magis fucare conantur occultam suam impietatem, eo gravius se constringunt, & magis ac magis accendunt in se iram Dei. postea addunt, *ut bene sit nobis quum obediverimus voci Jehovæ.* Hac etiam circumstantia aggravant suum crimen. nam si Propheta illis fuisset pollicitus prosperum eventum, poterant non credere. peccassent quidem in eo, sed fuisset magis tolerabile ipsorum scelus, quam dum ipsi loquuntur, quasi organa Spiritus sancti: proferunt hanc vocem, *Bene erit nobis*, hæc est tota nostra felicitas Deum vocantem sequi,

& illi

& illi parere. Quum ergo ita obtestantur Deum & Prophetam, quo magis affectant videri probi Dei cultores, eo majorem condemnationem in se suscipiunt. nam si persuasum ipsis erat nihil cessurum feliciter, nisi ex Dei mandato, cur non igitur se Deo subjiciunt? cur aspernantur quod postea dictum est à Propheta? Sed, quemadmodum jam dixi, quum illi improbe Deo mentiti seipsos fefellerint, dum abusi sunt sacro ejus nomine, discamus agnoscere non aliter expectandum esse felicem exitum in cunctis actionibus, quam ubi obedierimus voci Dei: quia quicquid tentabunt à seipsis homines, maledictum erit coram Deo. Hæc igitur unica nobis spes est, quum nihil tentabimus nisi ex ore Dei, fore bonum & lætum exitum, etiamsi multa interveniant præter spem, & præter sententiam animi nostri.

Da omnipotens Deus, quando hic circumagimur incerti & dubii, nisi regamur verbo tuo, & cæcutimus in crassis tenebris, dum illuces nobis per Legem tuam, & per Euangelium, ut simul illuminentur mentes nostræ Spiritu tuo, quo nos tibi totos tradamus, nec unquam deflectamus a recto itinere, quod nobis patefacis, sed ita peragamus cursum totius vitæ nostræ, ut tandem perveniamus ad beatam vitam, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

7. Et fuit, à fine decem dierum datus est sermo Jehovæ ad Jeremiam.
8. Et vocavit Joannem filium Kareah, & omnes duces copiarum, qui cum eo erant,
& totum populum à parvo usque ad magnum:
9. Et dixit illis, Sic dicit Jehovah Deus Israël, ad quem misistis me, (*ad verbum, ad*
quem misistis me ad ipsum) ut prosternerem precationem vestram coram facie ejus:
10. Si habitando habitaveritis in terra hac, tunc ædificabo vos, & non diruam, & plan-
tabo vos, & non evellam: quia pœnitet me mali, quod intuli vobis. (*vel satiatus sum*
malo.)

Hic narrat Jeremias quale responsum à Deo acceperit, & ejus nomine dederit ducibus copiarum, & toti populo. Summa hæc est, ut maneant in terra: hoc enim illis fore utile. postea videbimus fallaciter ipsos sciscitatos fuisse consilium Dei, cui statuerant non parere, & jam id aliqua ex parte dictum fuit. Sed iterum clarius ostendet Propheta quam contumaciter se gesserint postquam Deus præcepit ut quieti manerent, præsertim ne se conferrent in Ægyptum. Dicit autem, *quum ventum esset ad decimum diem, tunc Deum respondisse*: poterat quidem extemplo, sed distulit, ut vaticinium plus haberet ponderis. Si interrogatus fuisset Propheta de communi regula vivendi, ut erat fidelis Legis interpres, poterat exponere quid rectum esset: quia autem de speciali negotio interrogatus fuerat, non statim respondet: Deus etiam, quemadmodum dixi, tenet omnes suspensos ad aliquod tempus, non tantum ut Prophetæ responsum careret omni ostentatione, sed ut populus amplecteretur tanquam à Deo profectum quod Propheta dicturus erat. neque enim suspecta esse potuit ejus doctrina, quia non extemplo profert quod natum sit in ejus cerebro, sed suppliciter expectat dum intellexerit quid placeat Deo, & tandem profert Dei mandata. Nunc ergo tenemus causam moræ, cur Deus non statim suggesserit servo servi sui responsum quod narratur. Interea discamus ex hoc loco, si Deus non statim expediat nos ex omni perplexitate & cura, patienter id ferendum esse: quemadmodum *Philip. 3. vers. 15.* etiam ubi de ipsa doctrina agitur, Paulus admonet fideles ut quieti maneant, donec illis patefactum fuerit quod adhuc ignorant. Multo magis ubi de re aliqua consilium quærimus, si Deus non statim proferat quod cupimus, quemadmodum jam dixi, expectandum est placidis & tranquillis animis revelationis tempus & opportunitas. Dicit Jeremias *se vocasse Joannem & reliquos duces cum toto populo à minimo usque ad maximum*. Hoc autem exprimitur ut sciamus non unius vel alterius culpa factum esse, ut contemptum fuerit vaticinium, sed fuisse totius populi conspirationem. Non potuit igitur obtendere vulgus ipsum se esse extra culpam, quia videmus omnes fuisse implicitos. Duces seorsum ponuntur, ab altera autem parte statuitur populus, nempe ne duces excipiant se fuisse coactos tumultu populari, vel populus crimen rejiciat in duces ipsos. Propheta igitur ostendit omnes ad unum fuisse rebelles Deo, ut nulla sit exceptio. Deinde addit se fideliter retulisse quod Deus mandaverat. *Sic ergo dicit Jehovah, Deus Israël, ad quem misistis me.* Hac circumstantia ostendit eos magis obstrictos esse, quia si Deus Prophetam suum misisset, digni erat cujus voci obedirent: sed ubi ultro occurrunt, & precantur, & optant sibi patefieri quid Deo placeat, duplicatur eorum crimen ubi respuunt quod illis Dei nomine responsum est. Nunc ergo tenemus cur inserat Propheta hanc particulam, nempe se ab illis missum fuisse. Adjungit, *Ut prosternerem coram Deo*, vel ut cadere facerem *precationem vestram*. Diximus quid hæc loquutio valeat: sed discrimen notandum est, quia rogatus fuerat ut ipse Deum suppliciter rogaret: dicit autem hoc loco se non tantum precatum fuisse, sed obtulisse preces totius populi, nempe quia agebat causam publicam: deinde erat medius intercessor inter Deum & populum. Hac ratione dicit se missum fuisse, ut preces populi Deo offerret, quia nihil privatum sibi postulabat, sed sustinuit omnium personam, & Deum rogavit, ut populo responderet. Nunc addit, *Si manendo manseritis in terra hac, ædificabo vos, & plantabo, non diruam, neque evellam.* Hic testatur Propheta utile illis esse consilium, quod Dei nomine proponit. Utilitas autem inter homines plurimum valet in genere deliberativo, ut loquuntur. Debuit quidem sufficere simplex Dei auctoritas: si tantum uno verbo jussisset Deus ipsos manere, acquiescendum fuit imperio illius: sed Deus hic infirmitati eorum se accommodat, & dignatur se quodammodo submittere, ut eorum saluti consulat, non autem pro imperio & summa potestate mandet quod merito poterat. Videmus ergo quam humaniter agat Deus cum populo ubi non exigit quod poterat, sed proponit consilium, & testatur fore utile. Jam dum Rhetores, ut persuadeant, afferre volunt utilitatem in medium, utuntur conjecturis, colligunt humanas rationes: sed Propheta hic promittit Dei nomine

mine ipsis feliciter cessurum si maneant. Dei igitur promissio hic pro conjecturis & retionibus adducitur. Ergo non fuit excusabilis populi contumacia, ubi rejecit Dei imperium, deinde consilium sprevit, tandem promissioni etiam abrogavit fidem. Accessit igitur ad contemptum Dei simul incredulitas. Scimus autem non posse inferri majorem contumeliam Deo, quam ubi eum homines insimulant malæ fidei. Metaphoræ quæ hic ponuntur, frequenter occurrunt in Scripture. Dicitur enim Deus *ædificare homines*, dum confirmat eos in perpetuo statu: dicitur etiam eodem sensu plantare: sicuti alibi visum fuit, & no-
Psal. 44. vers. 3. minatim Psalmo 44. hoc dicitur de terra Chanaan, quod illic Deus plantaverit vineam suam, quam traduxerat ex Ægypto. Promittit igitur certum & tutum & perpetuum fore statum populi, si modo locum non mutent. Quod autem adjungit, *non diruam, & non evellam*, hoc est ex usu linguæ Hebraicæ. nam Latini & Græci non sic loquuntur: sed per negativas magis affirmant Hebræi: quasi diceret Propheta, Deus vos plantabit ita ut radix vestra maneat. Non igitur est periculum ab evulsione ubi plantati fueritis manu Dei, nec patietur vos omnes everti, aut dirui, quum vos etiam manu sua ædificaverit. Quod ergo maxime expetendum erat, ultro pollicitus illis fuit Deus, nempe fore tutos, & incolumes in terra: quia hoc tantum sibi Propheta voluit. Postea sequitur, *Quia pœnitet me mali, quod intuli vobis.* נחם significat interdum pœnitentia duci, sæpe autem consolationem accipere. Sed videtur prior significatio melius quadrare præsenti loco, quod scilicet Deum pœniteat mali: si autem transferre placeat, Quia consolationem accepi, sensus erit, Satiatus sum pœna quam sumpsi de peccatis vestris. Dicuntur enim consolationem accipere quibus satisfactum est. Quia ergo Deus contentus erat pœna quam inflixerat Judæis, posset ita verti, Consolationem accepi super malum, vel satiatus sum malo. Alter tamen sensus receptior est, quod scilicet Deum pœniteat mali. Est autem hæc loquendi forma paulo quidem asperior, sed tamen quæ nihil absurditatis in se continet. scimus enim Deum ad se transferre humanos affectus. Ergo pœnitentia Dei nihil aliud est quam quod placatus non persequitur ad extremum usque homines, ut quas meriti sunt pœnas exigat. Sic ergo *Deum pœnituit mali quod intulerat populo suo*, postquam satis habuit castigasse populi delicta: quemadmodum etiam Jesaiæ quadragesimo dicit *Jesa. 40. vers. 2.* Deus duplicia se exegisse. Vocat duplicem pœnam quam inflixerat populo, non quod modum excesserit: sed loquitur ex paterno affectu, quod scilicet durius tractaverit populum, quam vellet: quemadmodum pater sibi etiam indignatur si severior fuerit erga filios. Nunc ergo tenemus quid sibi velit hæc ratio, nempe non esse metuendum Judæis, si habitent in terra, quoniam Deus satis superque ipsos castigavit, & ita placatus est, ut nolit ulterius rigorem suum persequi. Interea admonet Jeremias, quicquid accidit malorum, hoc debere acceptum referri Dei judicio, non autem adversæ fortunæ. Videmus ergo his verbis populum ad pœnitentiam adduci, quia sicuti jubetur bene sperare quoniam salus ejus posita sit in Dei manu: sic etiam in præteritum tempus ostendit Propheta non fortuito quicquam ipsos esse passos, sed subiisse pœnas illas, quoniam provocaverant in se iram Dei. Sequitur,

11. Ne timeatis à facie regis Babylonis, quem vos timetis à facie ejus, (*hoc est, à cujus facie vos timetis*) ne timeatis ab ipso, dicit Jehovah: quia vobiscum ego sum ad servandum vos, & ad eripiendum vos è manu ejus.

12 Et dabo vobis misericordias: & miserebitur vestri, & habitare faciet vos in terra vestra.

Occurrit Propheta dubitationi, quæ poterat angere vel agitare populi animos. debebant quidem recumbere in solam Dei promissionem: sed difficile erat nihil ambigere in rebus adeo dubiis & confusis. nam graviter offensus fuerat rex Babylonius, ut dictum est, quum occisus esset Præfectus terræ. Rex enim acceperat injuriam à populo, & recenti victoria adhuc flagrebat ardor belli. merito igitur sibi timebant quum essent male conscii: deinde quia negotium erat cum hoste crudeli & superbo. Ergo Deus hanc dubitationem illis eximit: atque ita confirmat patetnam curam quam de ipsis gerit, quum familiariter liberat eos ab omni metu, & tollit materiam terroris. Quamvis enim rex Nabuchadnezer esset offensus, & posset ulcisci injuriam sibi factam, Deus tamen occurrit, & affirmat se non passurum, ut quicquam tristius statuat de Judæis: *Vos*, inquit, *timetis à facie Nabuchadnezer*, sed desinite, facessat hic metus. neque enim vobis nocebit. Et ratio additur: *Quia vobiscum sum*, inquit, *ad servandum, & ad liberandum vos ex ejus manu.* Hic jubet bene sperare Judæos, quia freti ejus præsidio in tuto erunt. neque enim hic amplius dubitandum est ubi Deus se staturum à parte nostre denunciat. Nam si noster est, audimus quid David suo exemplo nos
Psal. 23. vers. 4. doceat: Non timebo quid faciat mihi homo, quia tu Deus, inquit, mecum es. deinde, Non timebo
Psal. 27. vers. 3. etiamsi castra me undique circumstent. Certo igitur statuendum est, Dei auxilium esse superius omnibus creaturis; ita quamvis totus mundus in nos insurgat, possumus quasi ex alto & securo loco despicere omnes conatus, & apparatus, & copias.
Joan. 10. vers. 29. Hæc igitur summa est: quemadmodum etiam dicit Christus Joannis 10. Pater qui vos mihi dedit, major est omnibus. Si qua igitur fidei gutta fuisset in Judæis, debuerant arripere hanc promissionem: deinde sic tenaciter eam amplecti, ut esset quasi tabula in naufragio, quæ eos perduceret ad portum usque. Debuit igitur hoc sufficere ad excutiendas omnes curas, & abigendos omnes metus, & profligandam omnem diffidentiam, quum Deus promitteret se staturum ab eorum parte. *Ego*, inquit, *sum vobiscum*, nempe *ad servandum*: deinde addit, *& ad liberandum vos.* modum servandi exprimit: nam poterent adhuc excipere, Quænam erit ista salus, quum tamen Nabuchadnezer sit instar rabiosi leonis? quomodo igitur poterimus salvi esse, quando nihil aliud concipimus quam ut in nos sæviat? respondet Deus hunc fore salutis modum, quia poterit ipsos liberare ex ejus manu. Eandem sententiam aliis verbis confirmat, nempe *quod daturus sit illis misericordias.* Quidam hoc exponunt quod Deus futurus sit erga ipsos misericors: & fateor hanc esse primam causam cur deberent sperere Deum daturum misericordias. Sed non dubito quin hoc referat Propheta ad Nabuchadnezer: quasi diceret, Ego flectam animum regis Babylonii ad humanitatem, ut clementer vos tractet; neque enim dicitur Deus dare misericordias, quum ipse ignoscit, & quum sibi reconciliat eos qui peccarunt, sed dicitur dare misericordias quum inclinat hominum animos ad humanitatem. Qua ratione dicit Jacob, Dabit vobis Deus miseri- *Genes. 43. vers. 14.* cordias coram viro illo. sed à colligendis testimoniis supersedeo, quæ satis nota esse debent. Summa igitur est, Nabuchadnezer fore humanum & clementem erga Judæos, quia in Dei arbitrio est facere ut animus ejus mutetur. scimus enim Deum vertere quocunque placuit hominum corda: ideo

lupos sæpe convertit in oves. Summa igitur est, quamvis Nabuchadnezer ferveat odio populi, & paratus sit funditus perdere reliquias: tamen remedium esse in manu Dei, quia emolliet ejus duritiem, quia iram ejus placabit, quia ex immani bellua faciet patrem qui misericors arit mnquam erga filios. Docet autem hic locus regi divinitus aoimos, & affectus hominum, ita ut hostes etiam pessimi dum in nos sæviunt, non incitentur solum proprio impetu, sed arcano iostinctu Dei & consilio, dum ita vult probare fidem nostram. Nam si temperat Deus eos qui ebulliuot iracundia, & reddit nobis placatos: etiam frena laxat aliis sævientibus: neque id modo, sed incitat etiam ipsos, dum vult pœnam exigere de nostris peccatis, quemadmodum hæc doctrina passim in Scriptura occurrit. Sic in Psalmo 106. dicitur Deum vertisse animos Gentium, ut odio haberent populum. Sed hic ex opposito promittit Deus Nabuchadnezer fore facilem & humanum, ut parcat Judæis, quia cor ejus tenet, & daturus sit misericordiam, ita ut dirigat animum Regis ad ignoscendum populo. hoc autem diligenter tenendum est, quia quum videmus nos undique circumdari ab impiis, quos Satan adigit in rabiem, ut nihil aliud quærant quam nos pessundare: præsertim ubi præditi sunt potentia io nostram perniciem: nisi oobis certo persuasum esset ipsorum animos & affectus, & omnes seosus esse in manu Dei, & regi ejus voluntate, necesse esset nos concidere tanquam exanimes. Ergo hoc ad mitigandos omnes metus plurimum valet quum audimus flexibiles esse, & regi hominum animos pro Dei arbitrio. Nunc sequitur,

13. Quod si dixeritis vos, Non habitabimus in terra hac, non obediendo voci Jehovæ Dei vestri:

14. Dicendo, Non, quia (*vel, sed*) in terram Ægypti ibimus, (*nam* כי *potest hic adversative capi*) ubi non videbimus prælium, & vocem tubæ non audiemus, & ad panem non esuriemus, & habitabimus illic.

15. Nunc propterea audite sermonem Jehovæ residuum Jehudah, quia sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Si vos ponendo posueritis facies vestras ad ingrediendam Ægyptum, (*ut ingrediamini in Ægyptum*) & ingressi fueritis illuc ad peregrinandum:

16. Erit, (*accidet*) ut gladius quem vos timetis ab eo, (*hoc est, à quo metuitis*) illic apprehendat vos (*vel occurrat vobis illic, nempe*) in terra Ægypti: & fames à qua extimescitis, (*hoc est, propter quam estis anxii, vel quam expavescitis: nam* דאג *utrumque significat*) illic apprehendet vos (*vel adhærebit vobis: sed ad verbum est, apprehendet post vos, vel persequetur vos, nempe*) in terra Ægypti, & illic moriemini.

17. Et erunt omnes viri qui posuerint facies suas ut veniant in Ægyptum ad peregrinandum illuc, morientur gladio, fame, & peste: & non erit illis superstes aut evasor (*id est, qui evadat*) à facie mali quod ego adduco super eos.

Postquam Deus utile & tutum fore consilium quod dabat Judæis promisit, nunc ex opposito minatur, nisi paruerint, quicquid tentabunt cessurum illis infeliciter. non aperte quæsierant an ipsis esset utile proficisci in Ægyptum, & an ita Deo placeret: sed Deus qui penetrat usque ad omnes absconditos affectus, ipsos prævenit, & denunciat profectionem fore illis infaustam, si in Ægyptum confugiant. Videmus ergo ut modis omoibus studeat Propheta ipsos retinere in officio, vel potius Deus ipse, qui servo suo verba dictavit. Dicit igitur: *Si dixeritis, Non habitabimus in hac terra*, inquit, *male vobis cedet.* sed antequam denunciet pœnam, ostendit ipsos dignos esse exitio, si in Ægyptum se conferant: quia etiamsi res fuisset per se licita, Deo tamen prohibente, aliquid conari, scimus esse impiæ & diabolicæ superbiæ & temeritatis. Deus generaliter vetuerat in Lege sua, ne unquam animos adjicerent ad Ægyptum: sed sæpius hanc doctrinam confirmaverat per suos Prophetas: nunc postremo obsignat superiora vaticinia, quum disette ipsos excludit ab Ægypto. Propheta igitur ponit illis ante oculos hoc crimen: Si confugitis in Ægyptum, quænam causa vos impellit? nampe quia estis Deo immorigeri. Ergo poodus subest in his verbis, ubi dicit: *Non obediendo*, inquit, *voci Jehovæ Dei vestri*: quasi diceret ipsos non posse de Ægypto cogitare, nisi quasi ex professo rejiciant Dei authoritatem, & ejus consilio repugneot. Adjungit, *dicendo, Non, quia ibimus in terram Ægypti, ubi non videbimus bellum.* Hic fontem ipsum rebellionis demonstrat Propheta, quod scilicet nihil deferrent gratiæ Dei. Erant quidem expositi multis periculis io sua terra quæ trepidationem gignerent, & ipsa vastitas poterat etiam illis horrorem vel tædium incutere: sed quum Deus assereret sibi curæ fore ipsorum salutem, cujus, & quam fœdæ ingratitudinis fuit pro nihilo ducere illud auxilium, quod ultro pollicebatur? Ergo postquam damnavit Propheta eorum inobedientiam, simul causam ostendit, quod scilicet incredulitas ipsos à Dei obsequio subducat. *Si ergo dixeritis, Non.* hæc vox est testis contumaciæ ipsorum: sed addit, *Ibimus in Ægyptum, ubi non videbimus prælium, ubi non audiemus vocem tubæ.* Quasi vero promissio Dei fallax esset, vel irrita: sed hic Propheta detegit occultam eorum impietatem, quod scilicet non recumberent in promissiones Dei. Sibi ergo vitam in Ægypto tranquillam pollicebantur. An ipsorum erat hoc præstare? Deus autem quid? prooanciaverat fore tutos & incolumes in terra Chanaan: hoc erat arguere Deum mendacii, sperare quietem in Ægypto, & meras turbas imaginari io ea terra ubi jubebat Deus ipsos quietos manere. Nuoc ergo videmus cur dicat, *Ibimus in Ægyptum, ubi non videbimus prælium, & non audiemus vocem tubæ, & non esuriemus ad panem.* Promittunt etiam fore sibi rerum omnium copiam, quia regio Ægypti erat fertilis. Sed annon poterat etiam illic Deus ipsos affligere penuria? scimus Ægyptios etiam aliquando fuisse famelicos. Nunc ergo tenemus cur Deus tantopere improbet consilium populi de Ægyptiaca profectiona, quod scilicet vanas spes conciperent, & interea Deum ipsum tacite arguerent mendacii. Subjicit, *Propterea audite sermonem Jehovæ residuum Jehudah.* Dum hac voce ipsos compellat Jeremias, non dubium est quin studeat ipsos ad obsequium adducere. Nam rebus prosperis scimus homines esse quodammodo ebrios, ut non facile obtemperent bonis consiliis. uode enim fit, ut Reges & Principes mundi tantopere sibi indolgeant, & tantum licentiæ permittant suis libidinibus? nempe quoniam inebriat ipsos fortunæ suæ splendor. Ita etiam privati homines, ubi omnia illis ex voto succedunt, desident in sua fæce. hinc fit ut

Deut. 17. vers. 16. Jesa. 30. vers. 2. & 31: 1.

ut difficiles sint ad regendum. Propheta ex opposito hic ostendit non esse cur populus superbiat. *Vos*, inquit, *estis exiguus numerus*, & Deus mirabiliter vos servavit: *Audite* ergo *reliquiæ Jehudah*, inquit. denique revocatur illis in memoriam humilis & misera sua conditio, ut sint magis dociles. Sed hoc etiam factum est absque ullo profectu, sicuti videbimus. *Sic dicit Jehovah exercituum, Deus Israël.* De his vocibus alibi tractatum fuit, & sæpe Deus exercituum vocatur à potentia. ita hoc elogio Deus virtutem suam commendat. Postea quum vocatur *Deus Israël*, scimus hoc epitheto renovatum in animis populi fuisse beneficium adoptionis. peculiariter enim populum illum Deus elegerat, & sibi devinxerat. Debuit igitur sanctius esse vinculum fidei & obedientiæ. Ergo non tam honoris causa Propheta ita loquitur, quam ut Israelitis exprobret suam duritiem, & ingratitudinem adversus Deum. *Si ergo posueritis facies vestras ut ingrediamini Ægyptum, & ingressi fueritis illuc ad peregrinandum: erit*, inquit, *gladius quem vos metuitis, occurret vobis.* hic sequitur pœna: & in his verbis nihil est obscurum. Deus enim significat eos longe falli, si existiment sibi prospere fore in Ægypto: quia nulla prosperitas speranda est nisi à Dei favore & benedictione: Deus autem maledicit omnibus perversis consiliis, quum videt non posse nos frenari verbo suo. Ergo si quid tentemus contra Dei prohibitionem, necesse est hoc cedere infeliciter. quare? nam sicuti omnis prosperitatis causa est Dei favor, sic etiam maledictio semper affert tristes & infaustos exitus: ac utcunque initio arrideat quod aggredimur Deo vetante, tamen finis ipse erit maledictus, quemadmodum hic docet Propheta.

De omnipotens Deus, quando non semel tantum demonstrasti nobis viam & scopum ad quem tendere nos oportet, sed dignaris etiam quotidie nobis manum porrigere, & assiduis tuis exhortationibus nos invitas & stimulas ad pergendum: da, inquam, ut attenti simus ad vocem tuam: & sic renunciemus omnibus pravis cupiditatibus carnis nostræ, ne quid nos impediat quo minus nos totos tibi subjiciamus, & ita sequamur quocunque vocas, ut tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis reposuisti in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-OCTAVA IN JEREMIAM.

18. Quoniam sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Sicuti fusa est iracundia mea & excandescentia mea super habitatores Jerusalem, sic fundetur excandescentia mea super vos quum veneritis in Ægyptum: & eritis in execrationem, & in stuporem, & in maledictum, & in probrum; & non videbitis amplius locum hunc.

Confirmat Propheta quod jam dixerat exemplo vindictæ Dei quod nuper Judæis ostensum fuerat. nam quum toties prædicta fuisset illis clades Urbis & Templi: obtorpuerant tamen ad Dei minas. Deus tamen postquam diu ipsos expectavit, tandem exequutus est quod illis minatus fuerat. Viderant igitur horribile illud exemplum quod debebat non tantum ipsis, sed etiam posteris eorum incutere timorem. Ergo Propheta quoniam videt ita esse tardos & hebetes, ut secure derideant minas Dei, revocat in memoriam quod nuper viderant: Scitis, inquit, quemadmodum effusus fuerit furor Dei super habitatores Jerusalem. talis etiam fundetur super eos qui in Ægyptum confugient. Potuit autem Jeremias authentice loqui, quoniam præco fuerat illius vindictæ cujus nunc fit mentio. Si quis alius Dei nomine Judæis denunciasset quod acciderat, poterant excipere se quidem juste fuisse castigatos a Deo, sed non ideo protinus sequi verum esse quod ille dicerat: sed quoniam Propheta jam ante annos 44. toties, & quidem assidue illis denunciaverat quod tandem reipsa, & experimento senserunt divinitus fuisse sibi prædictum, potuit summa auctoritate repetere simile Dei judicium, quemadmodum nunc facit. *Sic ergo dicit Jehovah*, inquit, *Quemadmodum furor meus effusus est.* Similitudo ducta est vel ab aqua, vel à metallo: ideo quidam vertunt, Sicuti conflatus est furor meus: sed fusionem proprie significat verbum quo utitur Jeremias. Potest tamen, quemadmodum jam dixi, referri vel ad aquam, quæ fundendo se extendit; vel ad metallum, quod liquefactum se huc & illuc spargit. Significat igitur omnes qui in Ægyptum profecti fuerint fore miseros, quia utcunque subducere se conentur, reperiet tamen ipsos etiam exules vindicta Dei, quia instar diluvii grassabitur in omnes habitatores, ita ut frustra quærant sibi latebras. Tenemus ergo consilium Prophetæ. Summa est, quemadmodum Judæi suo malo cognoverant ipsum esse fidum & veracem Dei servum in clade Urbis & Templi denuncianda, ita sensuros, nisi resipiscant, nunc quoque à Deo profectum esse hoc mandatum, quo illis jam minatur secundam cladem: *Fundetur*, inquit, *excandescentia mea super vos quum veneritis in Ægyptum.* Postea adjungit sententiam ex Lege sumptam, quæ frequenter occurrit apud Prophetas, *ipsos* scilicet *fore in execrationem, & stuporem, & maledictum, & probrum.* אלה quod vertimus, Execrationem, proprie quidem significat jusjurandum: sed quia sæpe additur imprecatio ubi volumus nobis fidem haberi, accipitur etiam pro execratione. Dicit igitur *fore in execrationem*, id est, in formulam execrationis, quemadmodum alibi exposuimus. Quicunque ergo volent maledicere, Propheta dicit hanc loquendi formam fore instar vulgaris proverbii illis in ore, Maledicat tibi Deus sicuti Judæis: Peream ego sicuti perierunt Judæi. Denique significat horribile fore pœnæ genus, quod sument homines in vulgare execrationis proverbium. Addit *in stuporem*, hoc est, prodigiosam fore Dei vindictam erga ipsos, ut omnes obstupescant. Addit, *in maledictum & probrum.* Summa est, Deum non usitatam pœnam de Judæis sumpturum esse, sed quæ memorabilis fit apud omnes gentes, ut facile appareat non leve fuisse ipsorum crimen, quod pervicaciter respuerint sermonem Propheticum. Postremo addit, *nunquam visuros terram*, quia non erat Judæis consilium perpetuo habitare in Ægypto. Fingebant enim se manere in fiducia promissionis Dei firmos & constantes, & jactabant se bene sperare de reditu, quoniam exilium Deus tantum ad 70 annos definierat. Quum ergo ita stolide gloriarentur se à Deo sperare promissam gratiam, dicit excludi ipsos ab omni spe reditus, quia etiamsi alios captivos Deus restituat, qui dispersi erant per totum Orientem, Ægyptiacos tamen hospites morituros esse in exilio. Hoc autem fuit illis abscindere omnem spem, ut scirent se abdicari prorsus, nec sibi amplius locum fore in populo Dei: tamen censeri volebant inter primos. Sequitur,

 19. Lo-

19. Loquutus eſt Jehovah contra vos, reliquiæ Jehudah, ne eatis in Ægyptum: ſciendo ſciatis quod conteſtatus fuerim vos hodie.

20. Quoniam fefelliſtis animas veſtras, (*aut fallaces fuiſtis in animabus veſtris*) quando miſiſtis me ad Jehovam Deum veſtrum, dicendo, Ora pro nobis Jehovam Deum noſtrum: & ſecundum omnia quæ loquutus Jehovah Deus noſter fuerit, ſic annuncia nobis, & faciemus.

21. Ego autem annunciavi vobis hodie, & non audiviſtis vocem Jehovæ Dei veſtri, & ſecundum omnia propter quæ miſit me ad vos.

Hic Propheta crimen eorum melius explicat. nam poterat videri pœna atrocior, niſi detecta liquido fuiſſet eorum impietas. Dicit igitur non debere videri pœnam hanc nimis rigidam, quia Deus non ſemel conteſtatus fuerit Judæos, & quaſi ſolenni ritu & teſtibus adductis ipſos admonuerit: ipſi autem ad extremum uſque non tantum contempſerint ejus conſilium, & admonitiones, ſed ſuperbe rejecerint. Addit etiam *ipſos fallaciter & perfide egiſſe cum Deo*, quod ſimulaverint ſe fore morigeros ſimulatque perſpecta illis eſſet Dei voluntas: re autem ipſa prodiderint nihil ſibi tale eſſe in animo. Deprahenſa enim fuit eorum vanitas, & fallacia, ubi Propheta Dei nomine ipſis reſpondit, neque tamen libuit ipſis Deo obtemperare. Nunc verba expendamus: *Loquutus eſt Jehovah contra vos, reliquiæ Jehudah.* Iterum *reliquias* nominat, ut ſecum expendant non eſſe amplius ſuperbiendi cauſam. Rebus enim integris ſcimus ut deſpexerint Prophetas Judæi. erant enim quaſi ebrii proſpera fortuna. Deus autem illis excuſſerat hunc faſtum, quo prius turgebant. Deinde Propheta proponit illis gratiam, qua fuerant liberati, ut diſcant poſthac ſeſe Deo ſubjicere, & ejus verbo. Hac igitur de cauſa *reliquias* ipſos nominat, ut magis attentos reddat, & dociles. Sed hoc factum fuit abſque profectu. quamvis enim res ipſorum attritæ eſſent, imo fere in nihilum eſſent redacti: non tamen depoſuerant altos illos ſpiritus. Turgebant igitur adhuc perverſa confidentia: ſed valuit tamen hæc admonitio, ut magis eſſent inexcuſabiles. *Si ingreſſi fueritis Ægyptum*, inquit, *cognoſcendo cognoſcite*, vel cognoſcendo cognoſcetis. eſt verbum futuri temporis, ſed poteſt imperative accipi. Poterit bene convenire futurum tempus, *cognoſcendo cognoſcetis*, hoc eſt, tandem res ipſa docebit vos, ſed ſero, quemadmodum ſtulti nunquam niſi accepto malo ſapiunt, *Cognoſcendo cognoſcetis quod conteſtatus fuerim vos hodie.* Deus dicit ſe nihil prætermiſiſſe quo Judæos reduceret ad ſanam mentem. Conteſtatio enim tunc fieri ſolebat ritu ſolenni, adhibitis teſtibus, ne quis obtenderet ſe errore fuiſſe lapſum. Ergo ut tolleretur omnis excuſatio, ſolebant teſtes vocare. Deus ergo ex communi illo & forenſi more loquitur, ac dicit *ſe fuiſſe conteſtatum Judæos*, ne forte per inſcitiam delinquerent. Sequitur ergo, ipſos data opera periiſſe, acſi accerſiviſſent ſibi interitum. Jam adjungit alteram circumſtantiam, quod ſcilicet miſerint cum prætextu raræ pietatis, acſi modis omnibus parati eſſent ad Dei obſequium. Sed primum dicit ipſos fefelliſſe, vel fuiſſe deceptos. Et תעה quidem ſignificat errare, unde verbum hithpaël. atqui interpretes non conveniunt, quia ſic quidam reſolvunt, quod deceperint Prophetam in animabus ſuis, hoc eſt, quod aſtute apud ſe retinuerint perverſum illud conſilium, nempe proficiſcendi: interea profeſſi fuerint ſe paratos ad obediendum. Sed quoniam hic non ponitur Prophetæ nomen, videtur illa expoſitio eſſe durior. Ego igitur malo alteram amplecti, nempe quod ſeipſos deceperint: & כ hic ſupervacuum eſt, quemadmodum in multis locis. *Decepiſtis* ergo *animas veſtras, quando vos miſiſtis me*, inquit, *ad Jehovam.* Significat autem Propheta quum vellent callide agere fuiſſe deceptos, quia Deus ſolet deprehendere aſtutos, & dum excogitant hoc & illud, tantum nectunt ſibi decipulas, & videmus vafritiem impiis ſemper cedere in exitium. Propheta hoc ſenſu deridet perverſam illam affectationem aſtutiæ, dum impii volunt fucum Deo facere: & dicit ipſos decipi, quemadmodum etiam quotidie videmus. Dicit ergo ipſos ſibi fuiſſe mali auctores, quia aſtuto illo & vafro conſilio ſe conjecerint in ruinam, nempe *dum miſiſtis me*: כי accipitur hic pro adverbio temporis: *quando miſiſtis me ad Jehovam Deum veſtrum, dicendo, Ora pro nobis.* Ubi exprobrat non modo perfidiam, ſed ſacrilegium, quoniam ſcelerate abuſi fuerint Dei nomine. Hoc enim tolerabile non fuit, obtendere ſtudium pietatis, & teſtari ſe fore Deo obſequentes: interea autem foveri in animo perverſam illam cogitationem, quæ poſtea ab illis detecta fuit. Et ideo non tantum commemorat ſe fuiſſe miſſum, ſed ſe etiam rogatum ut apud Deum intercederet. Duplex igitur ſacrilegium fuit, nempe quod ſciſcitati ſunt quidnam Deo placeret, & poſtea ſpreverunt vaticinium: deinde adhibuerunt etiam preces: & quum Deus illis reſpondiſſet per ſervum ſuum, duxerunt id totum pro nihilo. Nunc tenemus cur hæc duo ita diſtincte exprimat Jeremias. *Ora ergo pro nobis ad Deum noſtrum, & ſecundum omnia quæ dixerit Jehovah Deus noſter, referas nobis.* Videtur populus mira ſinceritate agere, quum Prophetam hortatur ne quid diſſimulet, ne quid addat, vel minuat. quid enim poteſt melius optari quam ut homines rejiciant omnem ambiguitatem, omnes tergiverſationes, nec velint corrumpi Dei ſermonem? hoc autem magnifice prædicant Judæi, *Quicquid reſponderit Jehovah Deus noſter, annuncia nobis.* videntur hic meliore eſſe zelo quam ipſe Propheta. nam legem imponunt, ne quid addat, vel minuat, ſed fidelis ſit Dei interpres. Videntur ergo eſſe ſemiangeli: poſtea teſtantur *ſe facturos eſſe quicquid Deus præceperit.* Tandem adjungit: *Ego autem annunciavi vobis hodie*, inquit. Hic fidem ſuam accommodat, non jactantiæ cauſa, ſed ut coarguatur eorum impietas, qui tandem ſpreverunt Dei oraculum, cui tamen jactabant ſeeſſe parituros. *Non audiviſtis*, inquit, *vocem Jehovæ Dei veſtri, & ſecundum omnia propter quæ miſit me ad vos.* Iterum confirmat Propheta per ſe non ſtetiſſe quominus Judæi ſequerentur quod rectum erat, atque etiam utile, quia ſincere quod Deus mandaverat, ipſis retulerit. Nunc addit,

22. Et nunc ſciendo ſcitote, (*hic* תדעו *imperative ſumendum eſt ſine controverſia*) quod gladio, & fame, & peſte moriemini in loco ad quem appetitis ire, ad peregrinandum illic.

Concludit tandem Propheta ſuam ſententiam, interpoſitis cauſis, cur Deus tam ſevere cum illis acturus ſit, quoniam ſcilicet intolerabilis ſit eorum perfidia, & impietas, & ingratitudo, & obſtinatus contemptus. Poſtquam ergo oſtendit nullam fore illis expoſtulandi cauſam, acſi Deus nimium eſſet rigidus, tandem pronunciat qualis ipſos maneat exitus, nempe *morituros gladio, fame, & peſte*, hoc eſt, nullam ſpem fore ſalutis, quia ſi elapſi fuerint è gladio, obſeſſum iri fame: ſi etiam

famem

famem evaserint, tamen fore illis cum peste negotium. Hæc trita est loquendi ratio apud Prophetas, ut satis notum est, dum significant impios frustra sperare impunitatem, quandoquidem Deus armatus sit multis generibus pœnarum. *Moriemini* ergo *in loco*, inquit, *quem appetitis ad peregrinandum*. Hic rursus ostendit consilium populi. neque enim volebant perpetuo in Ægypto habitare, sed duntaxat ad tempus, donec liberum esset redire in patriam. Denique volebant restitui quasi invito Deo: & tamen non desinebant falso obtendere Dei nomen, qualiter hypocritæ semper Deo illudunt. Nunc sequitur,

CAP. XLIII.

ET factum est quum finiisset Jeremias loqui ad totum populum cunctos sermones Jehovæ Dei ipsorum, pro quibus miserat ipsum Jehovah Deus ipsorum ad ipsos, omnes (*inquam*) hos sermones:

2. Tunc dixit Azarias filius Osajæ, & Joannes filius Kareæ, & omnes duces, & omnes viri superbi, dicentes Jeremiæ, Mendacium tu loqueris, non misit te Jehovah Deus noster ad dicendum, Ne eatis in Ægyptum ad peregrinandum illic:

3. Sed Baruch filius Neriæ incitat te contra nos, ut tradat nos in manum Chaldæorum ad interficiendum nos, & transferendum nos Babylonem.

Hic prosequitur residuam partem historiæ Prophetæ: dicit *totum populum* contumaciter perseverasse in pravo suo consilio, ut nihil monendo & obtestando profecerit. Fuit autem hic prodigiosus populi stupor. nam experti erant fidem Prophetæ tam multis annis: deinde ad eum accesserant, quia persuasi erant esse fidelem & probatum Dei servum. Non simpliciter Dei nomine respondet, sed quia noverat eorum duritiem, addit obtestationes, quæ etiam lapides movere possent. Quod ergo apud surdos verba fecit, hinc apparet fuisse prorsus à diabolo fascinatos. Et ita discamus non illudere Deo, neque duplicem animum afferre, ubi de voluntate ejus inquirimus: sed nos permittere regendos ejus verbo. Dicit autem, *quum finiisset loqui ad totum populum, sicuti Deus præceperat, tunc Joannem filium Kareæ, & Azariam filium Osajæ primos reclamasse*. Quantum attinet ad Azariam, non possumus certo cognoscere qualis alioqui fuerit. Sed hic habemus exemplum notatu dignum in Joanne filio Kareæ. Vidimus fuisse hominem & strenuum, & cordatum, & prudentem, & recta etiam animo. Denique si quis expendat quæ ante narravit Propheta, dicet heroica natura ipsum fuisse: imo si ipsum compares cum Godolia, qui tamen fuit vir eximius, & quem Propheta ornavit magnificis elogiis: tamen hic longe excellit. Godolias fuit quidem ingenio mansueto: fuit animosus in tuenda salute populi, fuit vir integer: deinde fuit pater populi, qui in rebus desperatis ita se gessit, ut præter spem omnium colligeret reliquias populi. Videmus etiam Prophetam ejus opera fuisse ereptum à morte præsenti. Sed Joannes filius Kareæ fuit etiam insignis adjutor, quum ultro ad eum accessit, & quum obtulit suam operam: deinde fideliter ipsum & prudenter admonuit, ut sibi caveret à perfidia ejus nebulonis, à quo tandem fuit occisus. Godolias credulitate nimia lapsus est. Ergo Joannes filius Kareæ majorem habuit speciem virtutis, quam Godolias præ se tulerit. Quid autem nunc pronunciat Spiritus Dei tam de ipso quam de ejus similibus? Vocat homines superbos, & contumaces. Videmus ergo quosdam pollere animi magnitudine, qui tamen præfracto sunt ingenio: quemadmodum in rebus turbatis hoc ut plurimum contingit. Prodibunt enim quidam mirifice strenui: sed si res non respondeant eorum votis, tunc ferocient, & frement adversus Deum & homines: deinde nunquam sustinebunt se cogi in ordinem. Talis igitur fuit hic Joannes filius Kareæ. ab una parte in ipso refulsit eximia virtus: sed tandem re ipsa apparuit qualis esset. Et Propheta etiam pro auctoritate judicis pronunciat illum fuisse superbum cum similibus. *Dicit* ergo *Azarias filius Osajæ*, deinde *Joannes filius Kareæ, & reliqui homines superbi, Mendacium tu loqueris*. fuit hoc nimis contumeliosum: nam nuper testati fuerant se agnoscere Jeremiam pro fideli Dei servo, & se amplexuros quicquid dixisset pro certo oraculo Dei: nunc autem mendacii ipsum accusant: qualis est ista levitas? Sed hinc apparet quam alti ac multiplices sint recessus, & quam flexuosi in mentibus hominum. nunc enim verba proferunt mellita, postea evomunt meram virulentiam. Ita ex eodem ore quasi uno momento prodibit dulce & amarum. Hinc ergo discamus plenam esse multis fallaciis hominis mentem, donec purgata fuerit Spiritu Dei. Videmus etiam, ubi semel efferbuit impietas, quorsum prorumpat. neque enim tantum contumeliosi fuerunt adversus Jeremiam isti homines, sed in Deum ipsum. Et jam non tergiversantur, ut antea, neque exceptionibus utuntur, sed palam insaniunt adversus Prophetam. Ita hypocrisis habebit quidem sua integumenta ad tempus: sed ubi urgentur à Deo impii, tunc nullum modum servant. Quum ergo aliquam prætenderent modestiam Joannes filius Kareæ, & reliqui, ubi viderunt se frustra cavillari, tunc cœperunt palam, & vesano impetu furere adversus Deum, & servum ejus. *Tu* ergo *loqueris mendacium*. postea transferunt culpam in alterum, nempe in Baruch, qui tamen fuerat fidelis minister Prophetæ. Sed quia non reperiunt in ipso Jeremia causam cur mentiatur, ideo convertunt suum furorem contra Baruch. Non igitur parcunt Jeremiæ honoris causa, sed quia destituuntur omni colore ad maledicendum: hinc fit, ut convertant crimen in Baruch, qui tamen peræque erat innoxius ut Propheta. *Incitat* ergo *te Baruch contra nos*. Si Jeremias alterius impulsu ita vaticinatus erat, potuit saltem extenuari ejus crimen. Dixerunt autem ipsum esse mendacem, & meras imposturas proferre. Sed impii non respiciunt quid dicant, quia diabolus ipsos agit præcipites. Accusant autem maximo crimine Baruch, quod velit ipsos prodere Chaldæis, deinde exponere ad carnificinam, & tradere ut rapiantur in exilium. Fuisset hæc maxima crudelitas: deinde si reputamus qualis fuerit Baruch, & quam innoxie se gesserit: ut fuerit periclitatus pro vero Dei cultu, & pro defensione Propheticæ doctrinæ: certe nulla erat occasio cur tanta ignominia ipsum gravarent. Sed videmus servos Dei semper obnoxios fuisse extremis quibusque probris etiamsi summa integritate se gessissent. Ergo si hodie male audivimus, postquam studuimus bene agere, non debet videri nobis durum aut novum, quo minus feramus patienter. Danda quidem est opera, ut obstruatur os malevolis & improbis: non est danda occasio malignis, ut Paulus etiam alibi admonet. Cæterum, ubi fuerimus probe officio nostro defuncti, si tamen canes contra nos latrent, si

oneremur multis probris & criminibus, discamus hæc patienter ferre. Hoc igitur tenendum est nobis, quum videmus Baruch damnatum fuisse extremæ perfidiæ, & crudelitatis. Jam quid negotii erat ipsi Baruch cum Chaldæis? an ad ipsos transfugerat? an studuerat auctoritatem sibi acquirere? vel quicquam gratiæ aut favoris conciliare? nihil tale: sequutus semper fuerat Jeremiam quocunque proficisceretur. Jeremias quidem adeptus fuerat aliquid favoris: sed hoc oportuit gratuito Dei beneficio adscribere. Baruch ergo veniam obtinuerat à Chaldæis simul cum Propheta, quoniam causa ipsorum prorsus erat similis. Sed interea non sequutus fuerat Chaldæos, quum tamen daretur optio. Etenim quum offerrent Jeremiæ Chaldæi quietem & tranquillam stationem, potuit etiam Baruch concedere in regionem illam opimam. voluit autem in terra manere. Videmus ergo ut à se abstulerit omnem sinistrum sermonem: & tamen non potuerit os obstruere malevolis, quin obtrectarent, & ipsum calumniarentur. Sciamus igitur servos Dei probare suam constantiam, dum undique impetuntur hominum maledictis: & interea contenti testimonio suæ conscientiæ, pergunt in cursu suo, & respiciunt ad judicium Dei, & non morantur quid sentiant homines, vel loquantur, modo Deus ipsos probet, & sit eorum vindex in cælo.

Da omnipotens Deus, quando videmus quid olim minatus fueris omnibus verbi tui contemptoribus, ut discamus nos tibi regendos permittere, & ita dedamus omnes sensus nostros in obsequium, ut quicquid præceperis, hoc statim absque ulla controversia amplectamur, & sic probemus nostram sinceritatem, ut facta nostra dictis respondeant, & vita demonstret nos non falso obtendere sacrum tuum nomen, sed proferre quod in animo habemus, & quod tu ipse cognoscis, donec tandem illuceat dies ille postremus, quo libris apertis retegentur omnes hominum cogitationes, ut tunc integri appareamus in conspectu tuo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA QUINQUAGESIMA-NONA

IN

JEREMIAM.

4. Et non audivit Joannes filius Kareæ, neque omnes Principes (*duces*) copiarum, neque totus populus vocem Jehovæ, ut habitarent in terra Jehudah.

Propheta satis jam ostenderat Joannem filium Kareæ, & reliquos non bona fide sciscitatos fuisse ex Propheta quid Deo placeret. nam ubi viderunt Dei consilium non congruere cum prava sua & stulta cupiditate, surrexerunt adversus Prophetam. Sed nunc clarius damnat eorum contumaciam, quod Deo non paruerint. est autem hoc emphaticum, *non obedivisse voci Dei*, quia negaverant Deum loquutum esse. Quamvis ergo tergiversati essent, ex opposito Jeremias pronunciat se fuisse verum Dei interpretem, nec quicquam protulisse, quod non ab ipso Deo profectum esset. Deinde reos omnes peragit, tam duces quam totum vulgus, ne quis miretur innoxios homines fuisse tractos in Ægyptum, quum tamen parati essent se Deo subjicere. Propheta igitur hic ostendit omnes fuisse implicitos eadem culpa, quoniam non soli duces fuerint rebelles oraculo, sed etiam totus populus. Nunc sequitur,

5. Et assumpsit Joannes filius Kareæ, & cuncti duces copiarum reliquias Jehudah, quæ reversæ fuerant è cunctis gentibus, ad quas illuc expulsæ fuerant, (*sed abundat illuc*) ad habitandum in terra Jehudah:

6. Nempe viros, & mulieres, (*assumpsit tam viros, quam mulieres*) & pueritiam, & filias Regis, & omnem animam, quam reliquerat Nabuzardan princeps interfectorum apud Godoliam filium Achicam filii Saphan, & apud Jeremiam Prophetam, & apud Baruch filium Neriæ:

7. Et venerunt in terram Ægypti, quia non obedierunt voci Jehovæ, & venerunt usque ad Taphoees.

Nunc historice declarat Propheta quod breviter attigerat. Dicit igitur Joannem cum aliis ducibus sumpsisse omnes reliquias populi, quæ illic erant superstites: deinde quæ redierant ex variis regionibus. Multi enim profugi latuerant vel apud Moabitas, vel apud Idumæos, quum viderent urgeri potentia regis Nabuchadnezer Urbem ipsam. Ergo dilapsi erant huc atque illuc, ut fieri solet: & illic expectaverant belli eventum. Postquam autem discesserat Nabuchadnezer, & permissum fuerat Godoliæ colligere quicquid erat residuum, & locare in singulis urbibus, & oppidis, multi reversi fuerant in terram vacuam scilicet. nam habitaverant apud exteros, & misere illic fuerant tractati. Quum ergo nusquam possent pedem figere extra suam terram, neque reperirent quietum ullum tugurium, reversi sunt. ut solent homines famelici, quibus nulla est conditio. Reversi sunt igitur in terram Jehudah ut habitarent sub manu Godoliæ. Jam dicit Propheta *fuisse assumptos a Joanne, & traductos in Ægyptum.* Hic igitur est modus contumaciæ. Unde intelligimus quam audaces fuerint duces illi, quod scilicet non dubitarunt in Ægyptum proficisci, quum tamen illud esset capitale. Nullus tunc quidem erat exercitus Nabuchadnezer in Judæa, sed metuenda tamen vindicta erat. Deinde quum in Ægygtum confugerent, poterant illic male & parum hospitaliter excipi. Sed hinc colligimus, ubi semel cœperunt homines Dei jugum excutere, prorsus rapi furore diabolico, ita ut nihil illis sit difficile. Si recte agendum esset, objicerent mille argumenta ad excusationem: ubi autem sequuntur suam libidinem, quodammodo transiliunt nubes, ut ita loquar. ergo impietas semper plena est temeritatis, & audaciæ. Sed quum videmus ita præcipites ruere impios, ubi tamen Deus maledicit eorum tam consilia, quam conatus, discamus animos colligere, ubi parendum est Deo, qui semper lætum & felicem exitum nobis

bis promittit, ubi sequimur vias ab ipso propositas. *Sumpsit ergo Joannes, deinde reliqui duces copiarum quicquid residuum erat.* Deinde ostendit quam male sibi consuluerint illi exules, qui reversi fuerant in terram Jehudah, ut illic habitarent. Poterant enim adhuc tranquilli quiescere apud alias gentes, quæ ipsos receperant hospitio. in Ægypto autem statim Deus exeruit suum judicium adversus omnes tam indigenas quam inquilinos. Sed digni erant tali mercede, quoniam maluerant perverso imperio obedire, quam audire vocem ipsius Dei loquentis per Prophetam suum. Deinde species ipsas enumerat Propheta, *quod* scilicet *assumpserint tam mulieres, quam viros*, deinde *pueros*. neque enim placet vertere, Pubertatem, sicuti alii faciunt. quandoquidem de pueris ita loquitur Scriptura. Ergo *pueritiam*, vel pueros *assumpsit Joannes cum sociis*. Postea adjungit, *filias Regis*. quæsitum fuit antea quænam fuerint istæ Regis filiæ. Sed probabile est genitas fuisse ex concubinis: deinde fuisse depositas quasi in tuto, ut si quid gravius accideret, saltem ne venirent in manus hostium. Ergo reversæ erant etiam Regis filiæ cum aliis exulibus: sed postea traductæ sunt in Ægyptum. Tandem subjicit, *omnes animas quæ relictæ fuerant à Nabuzardan apud Godoliam, apud Jeremiam, & apud Baruch.* Alibi non fuerat hoc expressum, nempe Jeremiam & Baruch fuisse adjunctos comites Godoliæ, ut præessent reliquiis populi. Sed non fuit etiam propositum Jeremiæ narrare quicquid tunc accidit. Nunc igitur per occasionem dicit se una cum Baruch fuisse præfectum, & adjunctum Godoliæ. tandem subjicit *venisse omnes in Ægyptum*, vel ingressos fuisse Ægyptum. Nam prius verbum ויבאו potest exponi, quod ingressi fuerint Ægyptum, deinde ubi adjungitur, ויבאו עד תחפנחס, potest verti, quod progressi fuerint, vel quod *penetraverint usque ad Taphnees.* Fuit olim ex præcipuis urbibus Ægypti: sed perdidit nomen una cum opulentia. Nam apud scriptores profanos nullum fere est nomen hujus urbis. Celebrant quidem Taphnim urbem: sed de Taphnees non loquuntur. Itaque verisimile est, ut res in terra mutari solent, urbem illam paulatim obsolevisse, ita ut fuerit obscura, & ignobilis, ex quo aliæ urbes fuerunt conditæ, quæ obruerant illam sua opulentia. dicit ergo *venisse usque ad Taphnees.* Nunc sequitur,

8. Et fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam in Taphnees, dicendo,

9. Sume in manu tua (*Accipe in manu tua*) lapides grandes, (*vel magnos*) & absconde eos in luto (*vel cæmento*) in fornace laterum, (*vel lacuna, unde sumitur materia ad formandos lapides*) qui locus (*vel quæ fornax*) est in porta domus Pharaonis in Taphnees, in oculis hominum Judæorum:

10. Et dices ad eos, Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Ecce ego mitto, (*mittam*) & assumam Nabuchadnezer regem Babylonis servum meum, & ponam solium ejus super lapides istos, quos abscondi: & extendet tentorium suum super ipsos.

Hic locus docet Prophetam violenter fuisse tractum cum aliis, ita ut exulaverit præter animi sui sententiam in Ægypto. neque enim sponte illuc concessit: quia vidimus quam severe omnibus interdiceret, ne transirent in Ægyptum. Coactus tamen fuit illuc etiam proficisci, sed quemadmodum si vinctus fuisset catenis. non fecit igitur hoc consilio: neque etiam desperatione sequutus est miseros illos. maluisset enim centies fame & inedia mori in terra Jehudah, quam quærere vitæ prorogationem hoc modo. apparet igitur fuisse hostiliter illuc tractum. Sed quemadmodum nihil accidit nisi Dei consilio, ita ex hoc vaticinio apparet, Deum gubernasse profectionem servi sui, neque ita expositum fuisse libidini improborum, quin semper regeretur arcano Dei instinctu. Voluit enim etiam in media Ægypto Deus habere suum præconem, qui Judæis denuntiaret quod futurum erat. Non fuit quidem hæc doctrina ipsis utilis: sed voluit Deus quasi ad rabiem ipsos adigere, quum prorsus desperata esset ipsorum malitia. nam reprobis durius est audire vocem Dei, ubi illis minitatur vindictam, quam manum ejus sentire. Quum ergo fugiant increduli Dei verbum, coguntur tamen, velint nolint, audire quod libenter rejicerent, nempe Deum fore ipsorum judicem. Ergo Propheta arcano Dei consilio missus fuit in Ægyptum, ut illic quoque fungeretur solita legatione, & pergeret in cursu officii sui, atque illic exequeretur munus Propheticum. Fuit autem valde odiosa hæc prophetia: nam quum jam plus satis exasperati essent Judæi, poterat magis ac magis hæc comminatio accendere ipsorum furorem: deinde creabat sibi Jeremias periculum apud Ægyptios. neque enim Judæis tantum minitabatur, sed etiam toti regno Ægypti. Hinc ergo colligimus quam inexpugnabilis fuerit animi ejus fortitudo, quod per certas mortes perreait, & nullo unquam discrimine fuit territus, quin peageret munus sibi à Deo injunctum. Existimant quidam hac de causa lapidatum fuisse à Judæis, sed non est probabile: imo ex aliis locis conjicitur, fuisse defunctum sua & naturali morte. Quicquid sit, fuit tamen hæc admirabilis constantia, quod luctatus est usque ad finem, & absque fatigatione cum ferocibus illis bestiis, quarum truculentiam plus satis expertus fuerat. Nunc videamus hoc vaticinium: *Fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam.* Hæc autem summa est, quod non tantum Propheta jussus est prædicere vindictam Dei, sed illam sancire visibili symbolo, quoniam necesse est expergefieri homines incredulos. Tanta est enim ipsorum socordia, ut nisi Deus feriat omnes eorum sensus, nunquam attendant, surdi sunt. Ergo Dominus proponit ipsorum oculis quod nolunt ac recusant audire. Hac ratione jussus est Propheta addere externum signum suo vaticinio, quemadmodum etiam aliis locis diximus conjuncta sæpe fuisse signa doctrinæ propter hominum tarditatem, vel potius stuporem. Jubetur ergo *accipere lapides magnos, & defodere in luto*, vel cæmento, *in laterificina*, hoc est, in fornace ubi coquuntur lateres, vel in loco ubi solent confici, vel ex quo sumitur materia ad ipsos formandos. Fuit autem hic locus non procul à palatio Regis in urbe Taphnees, quemadmodum Propheta diserte exprimit: imo dicit fuisse prope portam. Quum ergo esset è regione palatii hic locus, Propheta jussus est illic defodere lapides, idque Judæis spectantibus. hoc fuit symbolum. Nunc ostenditur in quem finem Deus voluerit lapides illos conjici in lutum, vel in cæmentum. si enim duntaxat lapides illos Propheta volvisset magno labore, nullus fuisset profectus: & signa omnia scimus frigere, & nullius esse momenti absque Verbo. Sermo igitur Dei vivificat quodammodo signa & accommodat in usum hominum, & eruditionem. Ideo adjungitur Dei mandatum, ut loquatur ad Judæos. *Dices* igitur *illis, Sic dicit Jehovah.* Inducit Deum loquentem, ut efficacior sit comminatio, quemadmodum alibi dictum est. nam si retulisset verba Dei, non ita perculisset animos alioqui nimis tardos. Hæc igitur ratio est cur loquatur in persona ipsius Dei. *Ecce ego.* etiam emphaticum est hoc pronomen, & demonstrativa hæc particula הנני. *Ecce ego*, inquit, *mitto, ut adducam Nabuchadnezar*

zer regem Babylonis servum meum, & ponam solium ejus super lapides istos. Nunc colligimus quorsum tendat summa, nempe *lapides illos conjectos esse in cæmentum, ut Deus fundaret solium Nabuchadnezer.* Nondum quidem extruendi solii tempus advenerat, sed Deus voluit jacere fundamenta, ut occulta manerent usque ad tempus maturum. Propheta igitur fundavit solium Nabuchadnezer, quum lapides illos conjecit in latereficinam. Nunc expendamus singula ordine. dicit Deus *se missurum esse, ut adducat Nabuchadnezer regem Babylonis.* Missio hæc non aliter intelligenda est, quam de imperio occulto Dei. neque enim habuit satellites, per quos accerseret Nabuchadnezer: sed nutu suo illum vocavit. Porro translatitia est loquutio, sumpta ab hominibus, qui dum volunt aliquid peragi, significant quid placeat. deinde ubi possunt jubere, emittunt sua mandata: hoc faciunt Reges terreni, quia non possunt solo nutu complere quicquid venit illis in mentem. Sed Deus qui non indiget externis auxiliis, dicitur mittere, ubi exequitur suum decretum, idque virtute incomprehensibili. Cæterum, significat Deus quum veniet Nabuchadnezer in Ægyptum, id minime fortuitum fore, sed ut vindictam sumat de Judæis pervicacibus, qui speraverant tutum sibi fore recessum in Ægypto: quum tamen Deus promitteret quietam sedem in terra Jehudah si illic manerent. Pronunciat igitur Deus se fore ducem illius profectionis, quum scilicet veniet Nabuchadnezer in Ægyptum: acsi diceret bellum hoc gerendum esse suis auspiciis. Noluit quidem data opera Nabuchadnezer obsequium suum Deo impendere. nam ambitio & superbia illum traxit ut in Ægyptum veniret, quia toties ipsum irritaverant Ægyptii, ut sine contumeliæ nota non posset longius differre ultionem. hac igitur de causa venit, si spectemus ejus consilium. Sed Deus affirmat se præesse tam Regi, quam omnibus Babyloniis, ut eos armet pro suo arbitrio, & adducat in Ægyptum, & ipsorum manu bellum gerat contra Ægyptios. Eodem sensu vocat *servum suum*, non quod dignus fuerit Nabuchadnezer tam honorifico titulo. nihil enim minus propositum habuit, quam Deo servire, quemadmodum diximus. Sed vocatur Dei servus, quia scilicet exequutus fuerit quod Deus ipse apud se statuerat. nam Scriptura aliquando servos Dei vocat etiam ipsos diabolos: sed ubi proprie loquitur, Angelos & fideles ita appellat. Specialiter etiam vocantur Reges & Prophetæ servi Dei, quibus peculiare mandatum imperandi, vel docendi datum est. Sed hoc loco, quemadmodum aliis multis, Scriptura vocat Dei servos, quorum opera Deus utitur, etiam dum hoc minime volunt. Cæterum, respexit etiam haud dubie Propheta ad ipsos Judæos, ut scirent probari hoc bellum Deo, quoniam Nabuchadnezer non veniret nisi à Deo vocatus. Jam sequitur, *Et ponam solium ejus.* hoc etiam sibi Deus vendicat, nempe erigere solium regis Nabuchadnezer coram palatio regis Ægyptii. Minime dubium est, quin rex Babylonis putaret bellum confectum esse sua industria, virtute, & fortitudine militum: quin etiam sacrificaverit suæ fortunæ, ut solent profani homines: & ideo de Assyrio dicitur apud Jesaiam, Non ita putabit. (*Jesa. 10. vers. 7.*) Sed voluit Deus ante tempus hoc Judæis prædictum esse, ut scirent tunc sibi justam suæ contumaciæ mercedem rependi. neque enim utiliter docendi fuerunt, quemadmodum diximus. Sed quum jam essent inexcusabiles, voluit Deus illos magis ac magis pudefacere, ut sentirent sibi justam pœnam irrogari, quia tam contumaciter respuerant omne Dei consilium. *Erigam ergo solium ejus super lapides quos abscondi.* Hic confuse loquitur Propheta nunc in persona Dei, nunc in sua, sed ratione tamen hoc non caret. Diximus cur personam Dei interposuerit, nempe ut Judæos attentiores redderet. sciebat enim alioqui derisui fore omnes minas, nisi majestas Dei prodiret in medium. Sed nunc conjungit se cum Deo, acsi diceret, nihil sibi esse ab eo separatum. Hæc ratio est cur dicat, *super lapides quos abscondi.* Deus non absconderat lapides, sed Propheta ipse: loquitur tamen semper in persona Dei. Sed, quemadmodum jam dixi, connexio hæc demonstrat sermonem Propheticum ita conjunctum esse cum manu & potentia Dei, ut quum Propheta loquitur, perinde id habendum sit, acsi Deus palam tonaret è cælo. Et hæc loquendi ratio diligenter notanda est, ut discamus reverenter excipere quicquid probi Doctores pronunciant Dei nomine, ubi officio suo funguntur. neque enim spectandi sunt ut homines, quia alioqui posset despici quicquid ab ipsis proficiscitur: sed debemus revereri doctrinam quæ resonat in ipsorum ore, acsi Deus ipse è cælo descenderet. Postea addit, *Et extendet tabernaculum*, vel tentorium suum. nam שפריר à pulchritudine sumptum est: sed proprie accipitur pro tentorio regali: non ita vocant Hebræi tuguria pastorum, sed duntaxat tabernacula, quæ magnifico splendore excellunt, quemadmodum si Gallice quis diceret, *Le pavillon du Roy.* Jam sequitur,

11. Et veniet, & percutiet terram Ægypti: qui ad mortem, ad mortem: & qui ad exilium, ad exilium: & qui ad gladium, ad gladium.

Confirmat superiorem sententiam hoc versu & duobus aliis sequentibus usque ad finem capitis: quoniam Ægyptus habebat urbes valde munitas, quæ erant quasi invicta propugnacula, ideo Judæi nunquam putassent posse Chaldæos tam facile penetrare. nam primum regio illa sita est in planitie, deinde in paludibus: adhæc cingitur magna ex parte Nilo, atque mari Rubro. Quum ergo Ægyptus undique tam probe munita sit, putabant sibi fore illic tranquillum nidum. Sed Deus pronunciat regem Nabuchadnezer fore victorem totius terræ: & tollit omnes objectiones quum dicit, *Qui ad mortem, ad mortem: qui ad captivitatem, ad captivitatem: qui ad gladium, ad gladium:* quasi diceret, Etiamsi populosa sit Ægyptus, nihil tamen proderit immensa multitudo hominum, quin expugnetur ab hoste suo, *quia alii gladio peribunt, alii autem diversa specie mortis: alii vero trahentur in exilium:* sed spoliabitur Ægyptus, acsi nemo se opponeret ad ejus defensionem. Videmus ergo hoc fuisse additum, ut perversam fiduciam Judæis excuteret Propheta: quemadmodum eodem etiam tendunt alii duo versus.

12. Et accendam ignem in ædibus deorum Ægypti: & comburet eas, (*vel ipsos deos*) & captivos abducet: & involvet terram Ægypti, quemadmodum involvere solet pastor vestem suam: & egredietur illinc in pace.

Pergit in eadem sententia. tribuit autem hoc Deo, ignem succendere, ut cognoscant Judæi bellum illud geri divinitus: & Nabuchadnezer non venisse, nisi cælesti impulsu. Quamvis enim, ut dictum fuit, habuerit suas causas, tamen Deus pro admirabili sua providentia quasi manu illum attraxit, ut pœnam sumeret de Ægyptiis. Digni autem erant tali interitu, quoniam suis blanditiis deceperant mi-

seros Judæos, & ipsos corruperant: deinde fuerant virulentæ ipsorum illecebræ: quia hoc modo contemptum fuerat Dei auxilium, rejectæ omnes prophetiæ. Quum ergo auctores malorum omnium illi fuissent Judæis, hinc colligimus fuisse dignos horribili vindicta: & illud mature fuerat denunciatum Judæis: sed nunquam fidem habuerant. Ergo ad extremum Propheta confirmat quicquid aliis vaticiniis prædictum fuerat. *Accendam* ergo *ignem*, inquit Deus, *in templis deorum Ægypti.* Ponit autem templa, ut intelligant Judæi nullam terræ partem salvam, vel immunem à clade fore. nam ubi grassatur sævitia hostium, tamen sæpe templis parcitur. Religio enim habet suam venerationem. & idolis etiam exhibitus fuit hic honor, ut sæpe eorum templa manerent intacta, quum funditus omnia hostes diruerunt. Sed probabile est, Chaldæos tanta fuisse superbia, ut vellent delere templa omnia ne qua nisi apud ipsos esset religio. Et talis etiam fuit barbaries in Persis: quemadmodum Xerxes quum ingressus est Græciam, & Asiam, exussit & diruit templa omnia: atque etiam cum ludibrio dixit omnes deos in Græcia tenere captivos, & inclusos esse templis: atqui implere omnia sua virtute. Sed minime dubium est, quin ita proterve insultaverit Xerxes diis Græcorum. Et talis fuit insolentia fortasse in populo Chaldaico. Quicquid sit, Deus tamen ostendit nullum locum Ægypti fore sacrum: quia Chaldæi etiam templa omnia exurent. Sed interea voluit probrose Judæis objicere suam contumaciam, quia scilicet in Ægyptum se contulerant, cujus salus pendebat ab idolis. Ostendit igitur Deus illos fuisse plusquam cæcos, & prorsus mente alienatos, acsi essent brutæ pecudes, quum sperarent tranquillum portum in Ægypto, quæ sub tutela erat falsorum deorum. *Ego* igitur, inquit Deus, *accendam ignem quo exuram templa deorum Ægypti.* deinde addit, *& comburet.* potest referri hoc ad ignem: sed non dubium est, quin loquatur de rege Nabuchadnezer, quia sequitur postea, *& captivos abducet*: deinde *involvet terram Ægypti, sicut pastor solet vestem.* Verbum hoc significat tegere: sed significat etiam interdum colligere: hic proprie vertitur involvere, quod Gallice diceremus *trousser, & entortiller.* Significat autem, Nabuchadnezer pro suo arbitrio ita dominaturum in Ægypto, ut accumulet omnes opes totius terræ: quemadmodum quum pastor ducit gregem, si locum mutare velit, colligit vasa, & torquet vestem suam, vel penulam, vel sese in ea involvit: Sic etiam Nabuchadnezer, inquit Propheta, colliget, vel *involvet totam terram Ægypti.* Terræ nomen ponit pro ipsis opibus quas accumulavit Nabuchadnezer. Tandem subjicit, *Et illinc egredietur in pace.* Ostendit plenam fore victoriam, quia non audebunt mussitare Ægyptii, neque audebunt etiam persequi hostem suum, quum illinc egredietur, quemadmodum si esset in pacato loco, vel propria sua ditione.

Da omnipotens Deus, quando non semel viam, in qua ambulandum est, nobis demonstrasti, sed quotidie etiam nos invitas, ut in ea pergamus, & semper tendamus ad rectum scopum: da, inquam, ne unquam deflectamus, sed patiamur nos regi voce tua: & quamvis hinc inde tentationes nos abripiant, tamen ut præferamus semper tuum mandatum, & sic perseveremus in obedientia verbi tui, ut tandem experiamur hanc esse perfectam nostram felicitatem, nos tibi committere, & te sequi ducem, donec nos perducas in cæleste illud regnum, quod nobis repositum est in unigenito Filio tuo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA

IN

JEREMIAM.

13. Et conteret statuas Bethsemes, (*vel Heliopoleos*) quæ est in terra Ægypti, & domos deorum Ægypti (*hoc est, templa*) exuret igni.

Diximus heri cur præcipue loquatur de templis deorum Jeremias, nempe ut intelligant Judæi nihil intactum fore à clade, quoniam solebant etiam crudelissimi hostes manus abstinere a templis deorum. Si sanctitas ipsa, & religio templa non servat, quid fiet igitur ædibus privatis? In summa, significat tantam fore cladem Ægypti, ut nulla pars sit immunis. Sed quoniam Heliopolis tunc erat in maximo honore: ideo dicit *confractum iri statuas omnium deorum in urbe illa*, ubi scilicet præcipua erat deorum veneratio. Heliopolim vocarunt omnes profani scriptores, quod nomen Hebraico respondet. nam Bethsemes significat Urbem solis: Heliopolis etiam est Urbs solis. Quum ergo illa esset quasi primaria sedes deorum Ægypti, ideo Propheta, ut ostendat gravissimam fore cladem totius terræ, dicit nullum illic templum fore inviolatum. Sic etiam Jesaias quum vaticinatur de clade Ægypti, Ecce Deus veniet in Ægyptum, inquit, & concident à facie ejus omnia idola. Adventum Dei prædicit, quia ejus auspiciis illuc copias suas eduxit Nabuchadnezer, quemadmodum dictum fuit. Deus quidem non apparuit è cælo, sed exercitus Nabuchadnezer fuit viva imago potentiæ Dei, qui volebat pœnas exigere de Ægyptiis. Dicit autem, quum Deus veniet illuc armatus, & expeditionem bellicam suscipiet, tunc omnia idola cessura, quoniam scilicet Deus ostendet falsos deos, quibus confisi erant Ægyptii, mera esse figmenta, in quibus nihil est auxilii, ubi ventum est ad res extremas. Sequitur,

Jesa. 19. vers. 1.

CAP. XLIV.

SErmo qui fuit ad Jeremiam ad omnes Judæos, qui habitabant in terra Ægypti, qui habitabant Magdali, & in Taphnees, & Memphi, & in terra Pathros, dicendo,

2. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Vos vidistis omne malum quod adduxi super Jerusalem, & super omnes urbes Jehudah: & ecce sunt (*ipsæ*) vastitas hodie, & nullus in illis habitans:

3. Propter malitiam quam perpetrarunt ad irritandum me, ut proficiscerentur ad offerendum suffitum, & ad serviendum diis alienis, quos non cognoverant ipsi, neque vos, neque patres vestri.

4. Et

4. Et misi ad vos omnes servos meos Prophetas, mane surgens & mittens, dicendo, Agedum ne feceritis rem abominationis hujus, quam odi.

5. Et non audierunt, & non inclinarunt aurem suam, ut reverterentur à malitia sua, & non offerrent suffitum diis alienis.

6. Et effusa est excandescentia mea, & iracundia mea, & exarsit in urbibus Jehudah, & in compitis Jerusalem, & fuerunt in vastitatem, & in desolationem, (*sicuti*) secundum diem hunc.

7. Et nunc sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Quare vos facitis malum hoc grande contra animas vestras ad excidendum vobis virum & mulierem, parvulum, & lactentem è medio Jehudah, ut non faciatis residuas vobis reliquias?

Jam vaticinatus fuerat Jeremias contra Judæos, qui se abdiderant in Ægyptum, acsi tuta illis & tranquilla foret statio in terra opulenta, & fere inexpugnabili. Sed nunc alia de causa concionatur adversus ipsos, & aliquid gravius denunciat quam ante, quoniam scilicet non tantum repugnante Deo profecti fuerant in Ægyptum, sed quum illuc venissent, sese polluerant omni genere superstitionis. Nec dubium est quin Deus mature occurrere voluerit quum vetaret ipsos in Ægyptum ire. sciebat enim quam propensi essent ad idololatriam, & perversos atque adulterinos cultus. Nolebat igitur habitare in ea terra, ubi discerent pervertere ejus cultum. hoc autem contigerat, quemadmodum patet ex præsenti vaticinio. Quum ergo omni abjecto pudore, dediti essent Gentium superstitionibus, iterum Propheta testatus est Deum fore vindicem. Sed videbimus negotium illi fuisse cum hominibus tam præfractis, ut sine verecundia irruerint contra ipsum furioso impetu. Summa est igitur, Judæos, qui habitabant in Ægypto, indignos esse venia, quoniam ipsi tanquam ex professo procul rejecerint Dei gratiam, & fuerit plusquam desperata ipsorum obstinatio. Nunc verba expendamus. Dicitur *sermo datus fuisse ad Jeremiam, ad omnes Judæos*, sed diverso sensu loquutus est Deus ad Jeremiam, quia scilicet deposuit apud ipsum quæ volebat perferri mandata ad alios. Directus igitur hic fuit sermo ad Prophetam unum duntaxat. Sed quoniam Jeremias futurus erat Dei interpres ad populum, ideo extenditur ad omnes communiter hic sermo, qui tamen peculiari modo, sicuti dictum fuit, initio depositus fuerat apud Jeremiam. Neque enim dignatus est Judæos tanto honore, ut ipsos alloqueretur, sed Prophetam misit tanquam suum legatum. Dicit *ad Judæos qui habitabant in terra Ægypti*: & postea designat certa loca: primo nominat Migdol, deinde Taphnees, tertio Noph. Primum nomen vertunt Magdalo. Urbs ista non adeo fuit celebris quo tempore florebat Ægyptus: & celebrata etiam fuit à scriptoribus profanis. de Taphnees heri dictum fuit. Noph vocarunt Memphim, & satis convenit inter omnes, quæ Hebraice vocatur Noph, esse Memphim illam olim nobilem & famosam urbem, quam hodie existimant esse Cairum, *Le Caire*. Postremo adjungit regionem Pathros, quam existimant nonnulli fuisse vicinam Pelusio. Sed ea de re non multum laboro, quia etiam profani scriptores relinquunt hanc regionem quasi obscuram, vel nullius nominis. Pathros alibi ponitur pro urbe, & quidam existimant esse Petram Arabiæ. Sed minime dubium est, quia Propheta hic designet regionem, in qua tam Memphis sita erat, quam aliæ urbes, ubi habitabant Judæi. Hæc autem ideo dicit, quia poterat objici quæstio, Si habitabant Judæi in Ægypto, tanta fuit amplitudo terræ, ut Propheta non posset ad omnes perferre Dei mandata. Hac igitur ratione dicit non passim fuisse dispersos per totam Ægyptum ab una plaga usque ad oppositam, sed fuisse in parte una duntaxat, & ita sic fuisse collectos, ut potuerit ad omnes haberi sermo. Hæc igitur ratio est cur loca designet, ubi peregrinabantur Judæi. Jam incipit ab objurgatione, quod scilicet ad memorandam Dei vindictam, quam exercuerat contra ipsos, & totam gentem, obstupuerant. Atqui ideo relicti fuerant superstites, ut agnoscerent Dei judicium, atque ita redirent ad sanam mentem. Hic ergo socordiam illis exprobrat Propheta, quod nihil profecerint sub Dei flagellis. vulgo dicunt fatuos tandem sapere, acceptis plagis. Quum ergo Judæi non resipuerint ubi tam graviter ipsos castigaverat, fuit signum extremæ pervicaciæ. nam si quid fuisset residuum sanæ mentis, humiliati fuissent saltem ultima gentis suæ clade, & interitu Urbis, ac Templi. Quum ergo prosequuti fuerint eadem scelera, quibus Deus tam graves pœnas inflixerat, hinc apparet fuisse prorsus perditos, & alienatos ratione & judicio. huc ergo tendunt omnia Prophetæ verba, quæ recitavimus. Primo dicit, *Vidistis quantas clades intulerim vobis, & terræ*: deinde scitis merito vos fuisse perpessos quicquid malorum vobis accidit. neque enim inscitia peccastis, sed quum sedulo vos commonuerim per meos Prophetas, semper fuistis obstinati. digni igitur eratis talibus pœnis. Nunc quum Deus vobis pepercerit, & voluerit restare exiguum aliquem numerum, sicuti servatur semen: qui fit ut hæc mala, quæ adhuc fere in oculis omnium versantur, non veniant vobis in mentem? Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. sed expediet excutere singulas partes. *Vos*, inquit, *vidistis omne malum quod adduxi* (malum hic accipitur pro calamitate) *super Jerusalem, & super omnes civitates Jehudah*: *& ecce sunt nunc vastitas*, inquit, *& nemo est qui illic habitet*. Emphatica est comparatio inter Jerusalem, & inter Memphim, inter urbes Jehudah, & inter Heliopolim, & totam regionem Pathros. Si ergo non pepercerat Deus sanctæ civitati, in qua domicilium elegerat: si non pepercerat urbibus Jehudah, quæ erant sub tutela ipsius: quam stulte putarunt Judæi fore salvas Ægypti urbes? quo privilegio salvæ fuissent, quum redactæ essent urbes Jehudah in vastitatem? Nunc ergo tenemus cur Propheta Jerusalem, & urbes Jehudah nominet, nempe ut Judæis exprobret suum stuporem, quod putabant se fore incolumes in Ægypto, quam terram Deus semper abominatus fuerat. Postea addit, *Propter malum quod perpetraverunt ad irritandum me*. Designat scelera, quibus in se provocaverant Judæi iracundiam Dei ipsius. nam turba hæc quam alloquitur Jeremias, relapsa erat ad superstitiones, quæ causa fuerant exitii. Si generaliter dixisset Propheta mirum esse, quod Judæi memoria non tenerent pœnas divinitus inflictas toti genti, fuisset hæc doctrina frigidior. Sed dum ostendit quasi digito qua in re sibi accersiverint tot calamitates, magis premit ipsos atque urget, ut agnoscant suam amentiam, quod scilicet ita subinde provocent Deum, & non peccent errore, sed iisdem sceleribus ipsum offendant, quorum tamen senserant tam graves & atroces pœnas. Hæc ratio est cur dicat Propheta, *Propter malitiam quam perpetrarunt ad irritandum me*, nempe, inquit, *ut irent ad offerendum suffitum, & ad serviendum diis alienis*. Ire, vel proficisci hic significat nimis sedulum & actuosum & simul perversum studium.

Nam Deus Judæis certam viam ostenderat in Lege sua, quam sequi deceret. Si ergo se continuissent sub doctrina Legis, hoc fuisset tenere rectam viam, & tendere etiam ad scopum. Sed dicuntur esse profecti, quia neglecta Lege se huc & illuc projecerant, quemadmodum qui temere vagantur, & nesciunt quo tendant. Subest igitur antithesis inter proficisci, & inter manere sub Legis doctrina. In summa, Proficisci est erraticos cursu se fatigare, ubi negligitur sermo Dei, & deseritur via illa, quam proposuit. hoc unum est. Deinde adjungit, *Ad offerendum suffitum, & ad serviendum diis alienis.* Suffitus hic ponitur tanquam species, deinde additur genus ipsum. nam suffitus erat cultus testimonium, quemadmodum satis notum est. Reprehendit ergo idololatriam gentis suæ Propheta in una specie. Sed tandem ostendit fuisse aliis etiam abominationibus deditos, quod se addixerant diis alienis in perversum cultum. Hic locus, ut similes, dignus est notatu: quia hinc colligimus homines discedere à Deo, & se alienare à vero ejus cultu, quoties aliquid ex capite suo comminiscuntur, & hoc vel illud somniant suo arbitrio, quod diximus comprehendi sub verbo Proficiscendi, quo utitur Propheta. Ergo simulatque sibi fabricant homines cultus novos, perinde est acsi retro cursum flecterent, vel sponte errarent, quia non tenent viam rectam, & legitimam. Deinde colligimus etiam ex secundo verbo frustra obtendere idololatras varios colores, ut se excusent. Nam si alio transferant quod proprium est Deo, & quod ipse sibi vendicat, satis superque convicta est eorum idololatria: suffitus autem, quemadmodum dixi, erat symbolum divini cultus. Quum ergo offerrent suffitum idolis, hoc fuit verum Deum spoliare suo honore, & eligere novos deos, & illos ornare jure unius Dei. Itaque hodie frustra & stulte Papistæ tergiversantur, dum objicimus illis crassas idololatrias, quæ inter illos regnant, Hô, nobis non est animus transferre cultum, qui proprius est uni Deo, ad Sanctos, ad imagines: sed referimus hoc semper ad Deum. Quum suffitum faciunt Sanctis, & simulachris, & picturis: quum suffitum etiam faciunt mortuis: certe non est amplius disputandum: & ubi multum cavillati fuerint, refellitur quicquid obtendunt, uno Prophetæ verbo: quia ubi de suffitu loquitur, damnat idololatriæ Judæos. Sed, quemadmodum dixi, generaliter postea loquitur, & dicit, *Ut servirent diis alienis.* Jam sequitur, *Quos non noverant ipsi, neque vos, neque patres vestri.* Hic amplificat crimen gentis Propheta, quod scilicet applicuerint studia sua ad deos incognitos. Iterum subest hic antithesis inter Deum qui se manifestaverat per Legem suam, per Prophetas, per tot miracula, & beneficia: & inter fictitios deos, qui temere, & sine judicio fuerant à Judæis fabricati. Hoc autem signum fuit fœdæ, & minime ferendæ ingratitudinis, quod Judæi à vero Deo defecerint postquam se illis patefecerat. Nam si nunquam Lex data fuisset, si Deus passus fuisset illos semper implicitos teneri suis erroribus, ut alias gentes, fuisset levius delictum. Sed ita familiariter illis innotuerat Deus, ut Legem ferre dignatus fuerit, quæ erat certa pietatis regula: deinde suas virtutes exeruerat inter ipsos. Quum ergo tam illustris esset apud eos cognitio veri Dei, qualis & quam fœda ingratitudo fuit, ipsum rejicere, & ab ipso discedere, ut currerent post idola? ubi sibi fabricarunt vanos deos, & mera figmenta? Si quis sciscitatus esset quisnam Deus sit Baal, vel quinam sint tot Baalim, dixissent se habere Baalim tanquam patronos, & qui favorem illis coram summo Deo acquirerent. Sed unde sumpserant illud commentum? nempe nulla ratione fundata erat talis superstitio. Hoc igitur diligenter notandum est: quia hodie si quis interroget Papistas, quo jure excogitaverint sibi tam varios & multiplices cultus, illis sufficiet una devotio, ut loquuntur, vel bona intentio. Sciamus ergo religionem, dum à scientia distrahitur, merum esse ludibrium Satanæ. Ergo necesse est, ut certo statuant homines, quem Deum colant. Et Christus 4. cap. Joannis ita discernit legitimum Dei cultum à vanis idolis, Nos scimus, inquit, quid adoremus: loquitur *Joan 4.* de Judæis. Dicit ergo Judæos scire, nempe eos qui *vers. 22.* Deum colebant ex præscripto Legis: & dicit eos scire quid adorent. Ergo damnat omnes bonas intentiones, in quibus sibi placent superstitiosi: quia scilicet nesciunt quid colant. Et dixi non debere distrahi à religione scientiam: sed scientiam appello, non quæ nascitur in hominibus, vel quæ acquiritur industria: sed cognitionem, quæ nobis tradita est à Lege, & Prophetis. Nunc ergo tenemus cur dicat Propheta, *Judæos addictos fuisse diis alienis, quos ipsi non noverant, neque ipsorum patres.* Jam sequitur circumstantia, qua rursus exaggeratur ipsorum impietas, quod scilicet *Deus miserit Prophetas*, qui ipsis manum porrigerent, & retraherent ab erroribus. Nam si nunquam fuissent commoniti, justa nihilominus erat ipsorum damnatio, quod Deus semel Lege sua ostenderat quid rectum esset. debebat igitur doctrina Legis sufficere in omnes ætates. Sed quum Deus subinde non desineret Prophetas alios aliis submittere, fuit hoc nimis perditæ obstinationis rejicere tot & tam assiduas admonitiones. Deus ergo adjungit hanc circumstantiam ad crimen, ut appareat, Judæos prorsus esse inexcusabiles, & dignos centum ac mille exitiis, quod scilicet tam pervicaciter contempserint omnem salutis doctrinam. Dicit autem Deus *se misisse omnes servos suos.* Universalis nota habet suum pondus: quia si unus vel alter Propheta datus fuisset, jam convicti erant Judæi. nam Lex non postulat plusquam duos, vel tres testes *Deut. 17. vers. 6.* ad damnationem eorum qui peccarunt. Sed Deus hic ostendit ingentem fuisse eorum turbam, quibus si fuisset creditum, poterant salvi esse Judæi. Ergo non à tribus vel quatuor testibus convinci poterant, sed ab ingenti multitudine: quia Prophetæ alii aliis successerant. Et hoc etiam modo adjungit Propheta completum fuisse quod Deus in Lege pollicitus fuerat, Deuteronomii 18. Prophetam tibi excitabo è *Deut. 18.* medio fratrum tuorum, ipsum audies: erit autem *v. 18, 19.* quisquis non audierit Prophetam illum, exterminabitur è populo suo. Nam Lege promulgata ostendit Deus hunc fore cumulum suæ beneficentiæ, quod semper retinebit in officio Judæos, quia nunquam destituet ipsos Prophetis, & probis Doctoribus. Hic ergo ostendit se re ipsa præstitisse quod pollicitus fuerat per Mosen: neque vero se dicit misisse paucos duntaxat, sed, quemadmodum attigi, uberrimam copiam, quia uno seculo plures fuerunt Prophetæ, & alii aliis successerunt, sicuti utile erat. Jam quis profectus? conqueritur postea, Prophetas omnes fuisse repudiatos. Sed ut crimen reddat magis detestabile, dicit, *Mane surgens, & mittens*, de qua loquutione alibi dictum fuit. est metaphorica *supra 7.* loquutio. neque enim surgit Deus, neque locum mu- *vers. 13.* tat: sed hic transfert in se quod magis competit in *& 11.* homines. *vers. 7.* Nam quisquis erit attentus ad negotium, non expectabit dum Sol illuceat, sed præveniet ipsam auroram. sic etiam dicit Propheta Deum fuisse vigilem: quia sollicitus erat de salute populi. Cæterum, ex hac loquendi forma colligimus inæstimabile esse Dei beneficium, ubi excitat probos ac fidos Doctores. perinde enim est acsi paterfamilias surgeret è lecto, suos filios vocaret, & ipsos curaret. Sciamus ergo doctrinam, quum nobis annunciatur, esse signum paternæ erga nos Dei sollicitudinis: quia non vult nos perire, sed descendit ad nos, & prospicit quid nobis opus sit, acsi adesset, & tanquam pater filios, curaret nos, & res nostras. hæc igitur summa est. Jam addit quænam fuerit legationis summa,

Ne

Ne feceritis rem abominationis hujus, quam odi. Significat in summa Deus, per se non stetisse, quo minus Judæi à suis erroribus in viam redierint, quod manum illis porrigeret, & quasi suppliciter ipsos rogaret, ut sibi melius consulerent, neque scientes ac volentes accerserent sibi interitum: perinde acsi maritus uxorem hortari ad servandam fidem conjugalem volens, diceret, Ecce, tu scis me non posse ferre impudicitiam, ergo vide ne te prostituas adulteris. Sic igitur Deus ostendit se testatum esse per omnes servos suos, sibi displicere omnes idololatrias, ut ab illis Judæi desisterent. Et adjungit, *Sed non audierunt, & non inclinarunt aurem suam, ut reverterentur à malitia sua, nec suffitum offerrent diis alienis.* Hic accusat Deus Judæos perditæ obstinationis, quia neque Legis doctrina illos retinuerit in officio, nec commoniti à Prophetis tam sæpe & diversis temporibus tamen auscultaverint. Et pervicaciam clarius exprimit secundo verbo, quum dicit *non inclinasse aurem*, quemadmodum alibi attigi. Si dixisset, Non audierunt, hoc sufficere poterat: sed ubi adjungit, *non inclinarunt aurem suam*, exprimit, quemadmodum dixi, aliquid deterius quam contemptum, quod scilicet data opera repulerint Propheticam doctrinam, neque dignati fuerint audire Prophetas, vel eorum admonitiones, sed sponte obsurduerint, imo clauserint aures suas, quemadmodum rebelles alibi dicuntur cor suum obdurare. Nunc ergo tenemus quorsum pertineat hic versus. Jam adjungit, *Ideo effusa est iracundia mea, & excandescentia mea, & exarsit per urbes Jehudah, & per compita Jerusalem, & hodie sunt in vastitatem, & in desolationem*: שממה aliquando significat stuporem, ut ante dictum fuit: sed quoniam hic conjungitur cum חרבה, significat solitudinem, *secundum diem hunc.* Ergo horribilis vastitas apparet. Iterum redit ad principium illud, quod scilicet Judæi illustri illo & memorabili documento satis tangi debuerint, ne postea se projicerent ad novam idololatriam, postquam tam recenti pœnæ memoria debebant affici. Quum ergo pergunt in sua duritie, hoc signum est extremæ impietatis. Ideo dicit Propheta non impune cessisse Judæis suam pervicaciam, quod scilicet effusa fuerit iracundia Dei contra urbes Jehudah: imo contra ipsam Jerusalem, quæ erat Dei sanctuarium, ita ut omnia reducta essent in solitudinem. Ab una igitur parte debuerant reputare Judæi, quam inexcusabilis esset ipsorum impietas, quod ita Deum contempserant pertinaciter. Deinde debebant etiam concipere horrorem ab altera parte, quum viderent Deum tam fuisse severum vindicem contemptus suæ doctrinæ, & cultus violati. Jam adjungit, *Cur ergo nunc facitis malum hoc grande contra animas vestras, ut excidatis vobis virum, & mulierem, parvulum & lactentem è medio Jehudah, ne quicquam sit vobis residuum?* hic tandem sententia completur. nam quæ hactenus retulimus, tenerent suspensum lectorem nisi hoc esset additum. Dicit igitur, Quum & crimen patrum detestari oportuerit, & quum horribile Dei fuerit judicium, & pœna ipsa debeat hodie vos sub metu adhuc tenere, *qui fit*, ut accersatis vobis rursus Dei vindictam? *Cur ergo*, inquit, *& nunc*: hoc etiam emphatice dicitur, *nunc*, nempe post tot & tam insignia documenta, post tot admonitiones, post gravissimam pœnam, quæ tandem inflicta fuit obstinatis. Dicit, *Adversus animas vestras.* quo pungit eos acrius, admonens quicquid tentent, facere suo exitio: quasi diceret Deum nihil damni accipere ex eorum malitia, sed ipsos sibi esse auctores interitus. Significat quidem, ut jam attigi, non impune cessurum illis suam impietatem: sed simul ostendit Deum posse, si velit, despicere ipsorum impietates: quia maneat integer, etiamsi ipsi sint pessimi. Neque enim si fraudetur Deus justo & legitimo cultu inter homines, ideo quicquam decedit ejus magnitudini. manet enim semper sui similis, neque crescit, neque minuitur arbitrio hominum. Ergo Propheta ostendit, Judæos in suum interitum furere, quum dicit *perpetrare malum in animas suas.* Et hoc idem clarius explicat quum addit, *ut excidatis virum, & mulierem, parvulum & lactentem è medio Jehudah.* Significat Deum adhuc locum misericordiæ suæ dedisse, dum aliquid divinitus residuum semper fuit è populo. Poterant igitur manere in Judæa, hoc est, in sua hæreditate, & elapso tempore septuaginta annorum, quod Deus exilio præfixerat, fuisset regio habitata. Nunc ostendit Propheta ipsos pugnare adversus Dei bonitatem, quod scilicet volebant extingui populi nomen, & nihil manere residuum ex populo illo, cui tamen Deus reliquerat aliquod semen, ne prorsus interiret.

Da omnipotens Deus, quando non desinis assidue paternum tuum erga nos amorem, atque etiam curam testari: da, inquam, ne simus ipsi tam socordes, ut surdis auribus prætereamus tuam doctrinam, & admonitiones: sed quemadmodum vigilas pro salute nostra, ita vicissim sedulitas fidei nostræ & obedientiæ tibi respondeat, & ita reverenter excipiamus verbum tuum, ut patiamur nos eo regi, & sequamur viam quam ipse nobis proponis, donec tandem perveniamus ad summam salutis nostræ, & fruamur beata illa hæreditate, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-PRIMA

IN

JEREMIAM.

8. Ad provocandum me in operibus manuum vestrarum, ad offerendum suffitum diis alienis in terra Ægypti, ad quam vos profecti estis, ut habitetis illic, ut excidium paretis vobis, (*vel ut excidatis vos*) & ut sitis in maledictum & probrum inter cunctas gentes terræ.

Postrema lectione coactus fui abrumpere Prophetæ sententiam. pendet enim hic versus à proximo, & uno contextu legendus est. Rogabat Propheta cur Judæi sponte sibi abscinderent omnem spem salutis, & accerserent interitum. Nunc rem ipsam clarius exprimit, nempe quod provocent iram Dei suis superstitionibus. Causam igitur malorum omnium designat, quod verum Dei cultum polluerent suis idololatriis. Hic autem videmus nullum esse modum peccandi dum homines, contempto Deo, sibi licentiam male agendi permittunt. nolebat Deus Judæos concedere in Ægyptum. Statuerat enim ipsos quasi sub alis suis fovere: & hoc modo volebat illustrare suam misericordiam, quum in misera illa & tristi vastitate, salvi tamen manerent: sed posthabito ejus mandato profecti sunt in Ægyptum: quum illuc venerunt, ut favorem acquirerent, cœperunt una cum Ægyptiis sese vanis super-

perstitionibus polluere: poterant in terra Jehudah absque periculo pure colere Deum: nunc quia diffisi gratiæ Dei in Ægyptum fugerunt, metus hominum ipsos adigit ad fœdam pietatis abnegationem. Videmus ergo ut malum ex malo oatum sit, quum cœperunt Judæi in gratiam gentis illius profanæ sese polluere multis impiis superstitionibus. Hoc igitur crimen ounc attingit Propheta: *Ut provocetis*, inquit, *me in operibus manuum vestrarum.* Subest antithesis inter opera quæ Deus mandaverat, & quæ sibi homines ipsi confinxerant. Altare, & totum Templum erant quidem opera facta hominum manu, & artificio: sed quoniam Deus jusserat Altare illud erigi, & Templum quoque extrui, proprie loquendo Templum non erat humanum opus, sed divinum, respectu mandati scilicet. Verum quicquid homines sibi fabricant ad colendum Deum, illud vocatur opus manuum ipsorum: quia scilicet ipsi sibi sunt auctores, & sequuntur duntaxat sua figmenta, non attendunt quid Deo placeat, sed sibi licentiam omnem concedunt, ut pro arbitrio comminiscantur quoslibet cultus. Hac igitur ratione, & hoc sensu Propheta dicit *Judæos Deum provocare operibus manuum suarum*, quoniam scilicet corrumperent legitimum ejus cultum, & deficerant à pietate, quum se extraneis figmentis, & corruptelis addicerent. Postea adjungit, *Ad offerendum suffitum diis alienis.* Sub una specie, quemadmodum alibi dictum fuit, comprehendit Propheta genus ipsum. neque enim tantum in suffitu peccabant Judæi, sed etiam in aliis superstitionibus. Sed per synecdochen significat eos abnegare verum Deum, ubi sua idola colunt. Deinde adjungit: *In terra Ægypti, ad quam ingressi estis, ut habitetis illic*, inquit. Tollit excusationem quam objicere poterant, nempe se metu cogi, quoniam essent miseri exules, & viderent in superba illa gente non fore tolerabilem suam pietatem: dicit Propheta *ipsos venisse in Ægyptum*, quum Deus juberet manere in terra Jehudah. Non debuit igitur admitti illa defensio, quod scilicet periculo territi, Ægyptiis gratificarentur, quia in illam servitutem se ipsi conjecerant, quum liberum illis esset in terra Jehudah pure Deum colere. Hæc ratio est cur dicat *eos venisse, ut peregrinarentur illic.* tandem subjicit, *Ut vos excideretis*: est quidem alia constructio, sed sensus clarus est. In summa, significat, quemadmodum dixit proximo versu, eos sponte, & quasi data opera ruere in suam perniciem. Postea addit, *Et sitis in maledictum, & opprobrium inter cunctas gentes*, quibus verbis significat interitum ipsorum fore memorabilem: & hoc durius fuit quam si memoria ipsorum sepulta esset cum vita. Propheta autem dicit tale fore mortis exemplum, ut sint omnibus detestabiles. Denique denunciat fore obnoxios omnibus probris etiam post mortem. Sequitur,

9. An obliti estis malorum patrum vestrorum, & malorum regum Jehudah, malorum uxorum ejus, & malorum vestrorum, & malorum uxorum vestrarum, quæ fecerunt in terra Jehudah, & in compitis Jerusalem?

10. Et non humiliati sunt (*vel attriti*) usque ad hunc diem, & non timuerunt, & non ambulaverunt in Lege mea, & in statutis meis, quæ posueram coram facie vestra, & coram facie patrum vestrorum.

Quia nimium turpis socordia erat, oon agnoscere quam severe & graviter ultus fuisset Deus superstitiones, quibus se ante dediderant, hoc nunc explicat Propheta. Quanquam si vocem ipsam spectemus, non iotelligit pœnas per Mala, sed potius maleficia quibus vindictam Dei provocaverant. Et hoc notandum est, quia nonnulli Interpretes sic expoount, An obliti estis mala vestra, & patrum vestrorum, hoc est, quam duriter afflixerit vos Deus? Sed minime dubium est, quin per vocem רעות Propheta intelligat scelera quibus se obnoxios reddiderant judicio Dei. nam sequitur statim, *Quæ fecerunt*, vel patrarunt, *in terra Jehudah, & in compitis Jerusalem.* Sed quamvis hac voce significet scelera populi, oon dubium tamen est quin simul comprehendat pœnas, ex quibus agnoscere debuerant displicuisse Deo illam impietatem, in qua fuerunt plus satis obstinati. Quum ergo dicit Propheta, *An obliti estis mala vestra, & patrum*, sumit pro confesso quod satis notum erat, nempe Deum fuisse vindicem illorum scelerum. Neque enim alloquitur Judæos, rebus integris, sed profugos è terra sua, & maledictos divinitus. Quum ergo palam constaret à Deo esse damnatos, Propheta merito interrogat, *an obliti sint damnata fuisse scelera tam patrum, quam Regum*, & quæ ipsi designaverant. Hoc quærit, quoniam erat horribilis ipsorum stupor, quod Urbe excisa, & Templo incenso, tamen non destiterant à suis superstitionibus, præsertim quum tam insignis Dei vindicta deberet etiam ipsorum posteros usque ad decem secula retinere in timore & officio. Sic videmus pœnas sceleribus conjungi. dicit *regum Jehudah & uxorum ejus.* Non dubium est, quin relativum singulare ad populum spectet. Vertunt alii, Cujusque ipsorum: sed nihil opus est, quia singularis quidem est numerus, sed refertur ad oomen collectivum, nempe Jehudah. Postea addit, *Quæ fecerunt*: verbum hoc non debet restringi ad uxores, (neque enim quadraret) sed tam ad omnes Judæos, quam reges Jehudah, & ipsas quoque mulieres: sed proprie exponi hoc debet tam de Regibus, quam de toto populo. *Quæ ergo fecerunt in terra Jehudah, & in compitis Jerusalem.* scelus exaggerat quum nominat diserte compita Jerusalem. Scimus enim urbem illam fuisse quasi terrestre Dei sanctuarium. Ergo nimis fuit fœda impietas, polluere locum illum, quem Deus sibi consecraverat. Tota quidam terra Jehudah erat sub ejus jure, & ditione: sed singulari privilegio dignatus fuerat urbem illam cum monte Sion. ergo Propheta amplificat magnitudinem peccati quum dicit Jerusalem ipsam fuisse pollutam ipsorum superstitionibus. Postea adjungit quanta fuerit pertinacia ipsius populi: *Non humiliati sunt*, inquit, *usque ad hunc diem*, quum tamen tam duriter percussi essent Dei flagellis. Stulti etiam accepto malo incipiunt sapere, ut vulgati proverbio dicitur. Quum ergo Judæi tam duriter castigati essent Dei manu, & experti essent extremum ejus rigorem, an non debuerant sentire quidnam essent meriti? Sed ostendit Propheta desperatam fuisse ipsorum malitiam, quod etiam fracti oon tamen humiliati fuerant: quemadmodum qui perverso sunt iogenio, corrigi nequeunt etiamsi centies frangantur. Exprobrat ergo Propheta hanc contumaciam Judæis, quod ne ipsa quidem calamitas ipsos adduxerit in obsequium. *Non fuerunt* ergo *humiliati*, inquit, *usque ad hunc diem, & non timuerunt.* Timor hic etiam referri debet ad clades, quas experti fuerant. Deus enim satis clare ostenderat quam graviter esset offensus ipsorum impietate. Quum ergo horribile Dei judicium omnibus perspicuum esset, Propheta hic eorum socordiam accusat, quod noo fuerint revocati ad saoam mentem, ut Deum timerent. Jam adjungit aliud crimen obstinationis, quod scilicet noo ambulaverint in Lege Dei & mandatis. Ergo duplicem eorum contumaciam ostendit, quod scilicet nihil profuerit illis doctrina, neque etiam pœnis resipuerint.

Lex ipsa erat illis regula Dei pure colendi, nec debebant aliunde petere quid agendum esset. Quum ergo haberent testimonium veræ pietatis in Lege, hic contemptus tolerabilis non fuit, sponte recedere à via, & sese projicere in vagos errores. Sed Propheta ostendit plusquam indociles fuisse, quod non tantum abjecerint omne studium Legis, sed etiam contempserint manum ejus, neque correcti fuerint ullis pœnis. Jam quo melius ostendat malitia peccasse, dicit, *non ambularunt in Lege mea, & statutis.* Videtur hoc secundum membrum esse supervacuum: sed Propheta hic commendat perspicuam Legis doctrinam, acsi diceret Deus se non uno tantum verbo monstrasse quid verum ac rectum esset, sed pluribus statutis docuisse Judæos, ita ut nullius esset ignorantiæ prætextus: & idem aliis verbis confirmat, ubi dicit *se posuisse coram facie ipsorum statuta illa.* nam his verbis significat nihil in Lege fuisse obscurum, ideo Judæos non inscitia lapsos esse: sicuti homines semper tergiversando extenuant culpam ubi arguitur ipsorum impietas. Dicit igitur Propheta Judæos esse inexcusabiles, quoniam ante ipsorum oculos proposita fuerit pietatis regula. Hic autem locus testatur non ambiguam esse doctrinam Legis, quemadmodum profani homines dicunt Scripturam esse versatilem instar nasi cerei. sed Deus pronunciat se non loquutum esse ambigue. Ergo quum clamet Propheta Legem fuisse Judæis propositam ante oculos, ut certo cognoscerent quid Deo placeret: hodie tenendum est, in hac Evangelii claritate quæ exhibita fuit nobis Christi adventu, nihil esse obscurum: sed patefactos esse nobis thesauros omnis intelligentiæ, quantum scil. expedit, ita ut qui nunc errant, frustra obtendant se facere, quoniam Dei voluntas sit illis abscondita. non enim alia est illis peccandi ratio, nisi quia connivent, & oculos malitiose claudunt, ne ad ipsos perveniat Solis fulgor. Interea sciendum est, quo familiarius nobis innotuit Deus, eo nos gravius peccare, quum ab ejus cultu deflectimus: quia nihil omisit in verbo suo, quod ad perfectum ejus cultum spectet. Ergo quum versetur ante oculos nostros regula pie vivendi: nisi eam sequimur, hæc exprobratio in nos competit, quod scilicet ante oculos nostros proposuerit Deus statuta sua. Nunc sequitur,

11. Propterea sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Ecce ego pono faciem meam contra vos in malum, & ad excidendum totum Jehudah.

12. Et tollam reliquias Jehudah, quæ posuerunt faciem suam ut venirent in terram Ægypti ad peregrinandum illic, & consumentur omnes in terra Ægypti, cadent in gladio, fame consumentur à parvo usque ad magnum: in gladio & fame morientur, & erunt in execrationem, & stuporem, & in maledictum, & in opprobrium.

Rursus pœnam obstinatis denunciat. nec mirum est easdem minas sæpius repeti, quando negotium erat cum tam ferocibus, & præfractis capitibus. Hæc igitur causa est cur judicium Dei, quod secure ridebant, illis denunciet. & ex contextu melius patebit quam necessaria fuerit talis vehementia. ac primo quidem breviter Propheta ostendit omnes perituros, qui tamen falso imaginati fuerant se non aliter salvos posse evadere, nisi fugerent in Ægyptum. fallacem igitur & perversam eorum fiduciam hic coarguit & refellit Jeremias. Modum etiam simul explicat quum dicit, *Tollam omnes reliquias Jehudah quæ posuerunt faciem suam ut venirent in Ægyptum.* Quibus verbis & sequentibus significat Deus frustra Judæos captasse latebras in Ægypto, quia illic pœnam quam meriti sunt exiget. Nominat *gladium & famem*: tertium genus nunc omittit, sed paulo post etiam adjunget. Dicit ergo perituros partim gladio, partim fame: & utitur diversis verbis emphatice, *consumentur fame, cadent gladio, consumentur omnes*: deinde, *à parvo usque ad magnum*, inquit. tandem subjicit, *Et erunt in execrationem.* Diximus alibi nomen אלה sumi pro execratione, quamvis proprie sit jusjurandum, nempe quia jurando sæpe homines proferunt aliquam execrationem, Maledicat mihi Deus, Male dispeream. dicit ergo Judæos fore in formulam execrationis, quia ubi dejerandum erit, hæc erit quasi communis loquendi forma, Perdat me Deus sicut perdidit Judæos. Postea addit, *in stuporem*, quia scilicet solo cladis intuitu omnes horrebunt. postremo sequitur, *maledictum & probrum*, de quibus ante diximus. Pergamus nunc.

13. Et visitabo super eos qui habitant in terra Ægypti, quemadmodum visitavi super Jerusalem in gladio, & fame, & peste. (*hic exprimitur tertia species.*)

Confirmat autem hoc versu quod proximo dixerat, quoniam dicit se rursus fore vindicem impietatis, quemadmodum paulo ante fuerat. Antequam Judæi tam gravi clade affecti essent, inebriati erant rebus prosperis. sed nunc quum Deus excussisset illis omnem torporem, merito Propheta in memoriam revocat quas perpessi fuerant clades. *Sicut ergo visitavi super Jerusalem, ita visitabo super eos qui habitant in Ægypto.* Sed argumentum etiam est à majori ad minus: si enim Deus non pepercit sanctæ Urbi, in qua domicilium elegerat, quomodo parceret incolis Ægypti? neque enim Ægyptus digna erat quam Deus respiceret. scimus fuisse profanam & maledictam terram. Fuit igitur nimiæ amentiæ quum Judæi confiderent se in Ægypto fore tutos, quum tamen non fuissent in terra sancta, quæ erat Dei sanctuarium, quæ erat ipsorum hæreditas, quæ erat etiam Dei requies. Nunc videmus quorsum spectet Propheta. proponit enim illis cladem Urbis, & terræ Jehudah, ut sciant se non posse effugere manum Dei dum contra ejus interdictum habitant in Ægypto, quoniam futurus sit illic Deus severior vindex, quam ante fuisset in terra Jehudah. Sequitur,

14. Et non erit qui evadat (*qui sit residuus*) inter reliquias Jehudah quæ venerunt ad peregrinandum hic, (*nam erat Propheta in Ægypto*) nempe in terra Ægypti: & ad revertendum in terram Jehudah, ad quam ipsi elevant animam suam (*vel elevant animas suas*) ad revertendum ut habitent illic, quia non revertentur nisi qui evaserint.

Videtur Propheta secum pugnare, quia initio versus negat quicquam fore residuum, in fine autem addit exceptionem, paucos scilicet fore superstites qui effugerint, & quodam miraculo elapsi sint à morte. quidam ita accipiunt, nullos fore residuos ex impiis illis contemptoribus, sed aliquos tamen fore superstites, nempe qui illuc tracti fuerant præter animi sententiam, sicut Jeremias, & Baruch, & similes. Sed videri posset hæc expositio coacta primo intuitu: & tamen si loquitur Propheta de Judæis, qui in Ægyptum transfugerant, necesse est ita accipere: alioqui esset manifesta repugnantia, & absurditas. Sed possumus etiam quod in fine versus dicit, referre ad Babylonicos exules: quia hi qui se abdiderant in Ægyptum, pu-

putabant de omnibus esse actum, quoniam scilicet in longinquam regionem fuerent abducti. Quum ergo reditus illis in patriam clausus esset, putabant hi se solos fore terræ hæredes, quia ut Ægyptus non procul aberat à terra Jehudah, facilis erat reditus, deinde liber: quoniam fœdereti eraot Ægyptiis: adhæc contulerant se ad ipsos, ut fruerentur amico hospitio. ergo putabant qui habitabant in Ægypto, terram Jehudah fore suam. Deus autem dicit nullos in terram illam redituros, nisi qui evaseriot, nempe quibus permissa fuerit libertas redeuodi, quum finitum esset captivitatis & exilii tempus. פלטים igitur in fine versus accipio pro reliquiis quas sibi tandem Deus collegit, quum edicto Cyri data fuit Judæis libertas habitandi rursus in patria post annos septuaginta, quod tempus Propheta, ut dictum fuit, illis definierat. Et videtur hic sensus mihi simplicior, nullos fore residuos ex illis reliquiis quæ scilicet sesa in Ægyptum contulerant, & hoc etiam exprimitur, *quæ venerunt ad peregrinandum in terra Ægypti, & ad revertendum in terram Jehudah*: hoc anim erat ipsis consilium. Postea adjungit, *Ad quam elevant animas suas ad revertendum illuc.* Hic Propheta ridet fiduciam qua adhuc se fallebant Judæi. nam levatio hæc de qua loquitur, quum significet adspirare vel spem attollere, valet ad notandam superbiam: ita ubi dicit *elevare animas suas*, perstringit quod adhuc sint inflati stulta spe, & sibi persuadeant liberum paulo post fore reditum, quia vacua erit terra possessoribus. Quum igitur sese pascant talibus deliciis, sciant se nunquam illuc redituros: *Non revertentur*, inquit, *ipsi.* postea sequitur illa exceptio, hoc est, *nisi soli evaserint*, de quibus scilicet desperebant Judæi illi, qui putabant rebus suis bene & prudenter consultum esse, quia Ægyptus erat illis quietum latibulum ad tempus. Nunc sequitur,

15. Et responderunt Jeremiæ omnes viri, qui sciebant qnod suffitum offerrent uxores ipsorum diis alienis, & omnes mulieres quæ adstabant, cœtus magnus, & totus populus qui habitabant in terra Ægypti, in Pathros, dicendo,

16. In sermone (*subaudiendum est in, vel quoad sermonem*) quem loquutus es ad nos in nomine Jehovæ, non audiemus te.

Hic melius conspicitur perdita gentis illius obstinatio. nam satis multa suæ integritatis testimonia dederat illis Jeremias. debuerant igitur certo scire verum esse Dei Prophetam. Quod si illum contempseraot annis quadraginta, & diutius, tamen fidem fecerat suæ legationis quum de clada Urbis & Templi constanter vaticinatus esset usque ad extremum. suo igitur malo didicerant Jeremiam esse organum Spiritus sancti, & verum Dei interpretem. Hinc autem apparet quantopere fuerint excæcati, dum respuunt omnes ejus admonitiones, atque adeo minas ducunt pro fabulis. ita in speculo nobis proponit Spiritus Dei quanta sit hominum amentia, ubi mentes ipsorum semel occupavit Satan: sed simul discamus hanc rependi mercedem obstinationi, ubi spernuntur Dei Prophetæ. Fuit hoc nimis fœdum portentum, quod ausi sunt tam petulanter rejicere sanctum Prophetam, qui tamen ad extrema usque redacti erant, & rebus omnibus spoliati confugeraot in Ægyptum: illic serviliter agebant, quemadmodum vidimus. Quod ergo ita sunt adhuc feroces, & adhuc superbiunt contra Dei Prophetam, hinc apparet fuisse indomabiles. Dicit ergo *respondisse omnes viros quibus satis comperta erat uxorum impietas.* His verbis significat Propheta initium idololatriæ fuissa à mulieribus. Noodum ergo eo usque progressi eraot, ut omoes viri palam colereot idola, sed hanc licentiam sibi sumpserent mulieres, viri autem facile indulgebant. Verum cur Propheta paulo ante illos increpuit, acsi omnes suffitum facerant idolis? Colligimus certe ex hoc loco non eos tantum coram Deo reos essa qui scelus aperte perpetrant, sed qui connivendo tolerent. debuerant enim viri intercedere, ne uxores polluerent se impiis superstitionibus: atqui hoc patienter tulerunt. ergo consensus ipsorum pro opere accipitur, quemadmodum ex Prophetæ verbis statuere licet. Dicit ergo viros non quidem palam & suis manibus suffitum fecissa, sed fuissa conscios suis uxoribus, & eorum conseosu illam impietatem à mulieribus fuisse patratam. Reliqua non possem nunc absolvere: cras prosequar.

Da omnipotens Deus, quando fidem nostram probare vis multis experimentis, ut constanter perstemus in puro nominis tui cultu, & sincere invocatione, atque ut circumdati simus, & undique obsideamur multis inquinamentis, tamen ut puros nos & iotegros tibi conservemus & corpore & animo, & sic peragamus hujus vitæ cursum, ut tandem compareamus impolluti coram facie tua per Christum Dominum nostrum, Ameo.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

COEpimus heri exponere quod Propheta narrat sibi fuisse responsum à Judæis tam viris quam mulieribus. Summa est, non facturos quod jussit Propheta, quamvis loquatur Dei nomine. noo respondent præcise sermonem Dei, vel oraculum sibi nihili esse, sed fidem Jeremiæ derogant, acsi falso nomen Dei prætenderet. Dicit autem *viros ita respondisse qui sciebant uxores adolere incensum diis alienis*: postea addit, *Et mulieres quæ adstabant.* quidam vertunt, In cœtu magno: sed non dubito quin Propheta intelligat responsum fuissa commune tam viris quam mulieribus. dicit ergo *mulieres simul adfuisse.* postea subjicit, *cœtus magnus*: & quod tandem sequitur explicative positum est, *populus totus qui habitabant in terra Ægypti, in Pathros.* in terra Ægypti habitabant, & quidem in parte illa. diximus autem alibi de Pathros. Videmus in summa, rejectum fuisse Dei Prophetam, & tamen minime dubium est, quin Judæi præ se tulerint aliquam pietatem: sed oun putabant parendum esse hominis mandato. unde autem hic contemptus? nempe ex mera pervicacia. nam utcunque hypocritæ dissimulent se Deum spernere, & ejus sermonem, & dirigant verba ad ipsos ministros: impietas tamen eorum se prodit quum ab una parte simulant se Deum colere, ab altare autem repudiant quos suis mandatis instructos vult audiri. atqui Deus non vult neque potest separari à verbo suo. Nunc pergamus.

17. Quin potius (*vel quia: est particula causalis, sed accipitur interdum adversative*) faciemus quicquid (*ad verbum, omnem sermonem*) qui egredictur ab ore nostro, ut suffitum offeramus reginæ (*vel machinæ*) cælorum, & libemus ei libamina, quemadmodum fecimus nos, & patres nostri, Reges nostri, & duces nostri in urbibus Jehudah, & in compitis Jerusalem, & saturati sumus panibus, & fuimus boni, (*hoc est, hilares, felices*) & malum non vidimus.

Hic apertius suam contumaciam produnt: postquam enim dixeruoi se non habere fidem Jeremiæ, quia non missus fuerit à Deo, nunc subjiciunt se quidem fore Dei cultores, sed suo arbitrio. Atque hic nobis fons omnium superstitionum detegitur. hic ergo locus satis docet unde manarint, & ex quo principio omnes corruptelæ, quibus religio omnibus seculis vitiata fuit, nempe ex hominum libidine & superbia. Dum ergo tantum sibi arrogant homines, ut velint legem ferre de cultu Dei, necesse est omnia pessum ire: ideo dixi hanc esse originem omnium errorum. Quomodo igitur integra manebit religio? nempe si pendeamus ex ore Dei, subjiciamus nos ejus verbo, & frenum injiciamus nobis, ne quid tentemus nisi quod ipse præcipit ac probat. Hæc igitur vera est colendi Dei regula, nihil aliud audere nisi quod ipse præscribit. ex opposito religio prorsus vitiosa est, & in superstitionem degenerat simulatque homines volunt sibiipsis esse legislatores. dicunt, *Faciendo faciemus omnem sermonem, qui egressus fuerit ex ore nostro.* Hanc proterviam quidem modesti homines damnabunt, si modo consulant duntaxat naturæ sensum: sed malum hoc est ingenitum omnibus, nempe ut velint Deum colere prout ipsis libet. Sed Jeremias depingit hic nobis quasi in tabula principium omnium superstitionum, dum scilicet homines opponunt suam libidinem, & sua phantasmata Dei mandatis. Postea addunt, *Ut suffitum offeramus machinæ cælorum.* Vocem hanc varie exponunt Interpretes: aliquid diximus jam capite septimo: sed quia bona pars non aderat, ideo necesse est repetere quod tunc dictum fuit. quidam deducunt nomen hoc à מלך, quod est regnare, & ideo vertunt Reginam cælorum, & Hieronymus ita exponit: alii autem deducunt à radice לאך, & accipiunt pro opere: quidam durius vertunt Ministerium: alii vertunt Machinam. sunt etiam qui putent nomen hoc ductum esse ab הלך, quod est ambulare, & putant stellas omnes comprehendi hoc nomine, vel planetas: quanquam videmus coovanire astris omnibus ambulationem vel motum. Sed si à regnando nomen hoc originem ducit, Regina cælorum sumetur pro præcipua stella, quemadmodum vertit Chaldæus. Cæterum quidam Solem, quidam vero Lunam eaistimaot sic vocari. nam Sol apud Hebræos est fœminini generis, & ideo Sol vocari potest Regina proprie in illa lingua. si autem pro opere accipimus, deficiet litera una radicalis, א scilicet, quemadmodum & capite septimo. Videtur tamen Propheta hic ponere nomen hoc pro toto artificio cælorum: quasi dicerent improbi, quia illic conspicitur admirabilis gloria, ideo cultum hunc haud dubie placere Deo, ubi in stellis, & toto opificio cælorum colitur ejus majestas. Ego igitur non pro stella una duntaxat accipio, sed pro cælis ipsis, vel stellis omnibus: & quanquam nomen est singularis numeri, accipitur tamen pro ipsa militia etiam, ut vulgo loquuntur. Dicunt igitur, Nos pergemus more nostro, quia antehac *obtulimus suffitum operi cælorum*, vel artificio, *& fudimus*, vel libavimus *libamina*: ergo non desistemus ab hac consueta ratione. & dicunt, *Ita fecimus & nos, & patres nostri, & Reges nostri, & duces nostri.* hic opponunt majorum auctoritatem Dei imperio, quemadmodum fieri solet. videmus enim ut hodie Papistæ superciliose jactent Patres, & Ecclesiam catholicam, ubi profertur manifesta veritas: sed existimant tenebras obduci verbo Dei, & quasi redigi in nihilum quicquid ex Lege, ex Prophetis, ex Euangelio adducitur, si objecerint aliter factum esse, aliter loqoutos esse Patres, aliud fuisse receptum antiquo more. Videmus ergo Papistas hodie instructos iisdem armis pugnare quibus olim fuerunt iostructi idololatræ & quanquam diabolus sese transfigurat in multiplices formas, tamen semper huc recidunt superstitiosi homines, debere sanctum duci quicquid traditum est à majoribus. præsertim autem obdurescunt hypocritæ in errore illo dum possunt Reges & duces simul jactare, quemadmodum hic faciunt, non tantum promiscuum vulgus, sed Reges ipsos & duces sequutos esse hanc rationem. nam sumunt pro confesso, non posse cadere ignorantiam in Reges, & duces. magnitudo enim ipsa & splendor tegit Regum stultitiam. Ita dum simplices loquuntur de Regibus, dignitas ipsa obtenebrat eorum oculos, vel perstringit, ut existiment Reges absque controversia sapere, & refertos esse optimo consilio. hinc fit ergo ut Satan sæpe abuti soleat talibus larvis ad fallendos homines. Ideo discamus tribuere Deo hunc honorem in solidum, ut solus legem pietatis suo verbo præscribat, & ita nulla altitudo emineat quæ obscuret imperium Dei, sed potius Regum, & aliorum nomina cogantur in ordinem, ubi Deus apparet. Postea addunt, *In urbibus Jehudah, & in compitis Jerusalem.* Locum etiam adducunt, ut superstitiones suas confirment. nam sanctitas Jerosolymæ fuit illis quasi integumentum omnium vitiorum: quemadmodum hodie videmus Romam plenis buccis celebrari in Papatu, acsi larva quæ teterrimos fœtores in totum mundum exhalat, potissimum esset sanctuarium. quicquid ergo illinc profectum est volunt haberi pro cælesti oraculo: sic etiam miseri Judæi Jerosolymam ausi sunt Deo opponere. erat quidem magna Urbis dignitas, non qualis hodie est Romæ. neque enim Papistæ sumpserunt ea Deo elogia, quibus extollunt urbem illam, hoc est, fœtidum illud & abominabile lupanar. Jerosolyma habuit suam dignitatem ab ipso Deo: sed stulte Judæi abusi sunt nomine Jerosolymæ quum Legem corrumperent, & cultum Dei instituereot fictitium suo arbitrio: tamen videmus etiam hoc titulo armatos fuisse adversus Prophetam, quasi Deum ipsum committerent secum in certamen. nulla enim fuit Jerosolymæ dignitas, nisi qua dignatus ipsam fuerat Deus ipse: atqui jactant sanctam illam urbem, ut quicquid in ea gestum est, sanctum reputetur & legitimum, & careat omni controversia, acsi Lex Dei jaceret sub dignitate Urbis sepulta: Jerusalem autem mutuari debuit suum splendorem, & quicquid habuit honoris à sola Lege. Sed hæc est hominum pravitas, quemadmodum dixi, ut beneficia Dei corrumpant, ac pervertant. Jam addunt *saturatos se fuisse panibus quum adolerent operi* vel artificio *cælorum.* Et hoc familiare semper fuit Dei contemptoribus, nempe terrena felicitate inebriari, ut Deum ipsum spernerent, & sibi putarent impune cessuras omnes superstitiones. unde autem hic error? nempe quia sibi perperam indulgent, quum Deus ipsos patienter sustinet: Deus non statim ulciscitur profanationem nominis sui, non statim pœnam exigit de hypocritis, & idololatris, non statim fulminat contra impios & adulterinos cultus: tolerantia ejus videtur esse illecebra peccandi & quasi fomentum licentiæ. Quum ergo Judæi objiciunt *se fuisse saturatos panibus*, tantundem est acsi dicerent, Quantisper Deus nobis pepercit, & sustinuit judicium suum, nobis prospere fuit: sed non debuerunt abuti Dei tolerantia & sibi coacervare ejus judicium,

quem-

quemadmodum docet Paulus. Jam altera etiam causa est erroris, quod ubi Deus homines retraxit ab errore, postquam videt ipsos adhuc obstinatos, durius castigando ut digni sunt, tunc ita incipiunt sentire judicium Dei, ut perperam existiment causam profectam à religione mutata. Sic initio Evangelii videmus volitasse tales querimonias inter omnes impios. nam quicquid acciderat, quemadmodum veteres recitant, præsertim vero Tertullianus in Apologetico, si Tiberis exundaverat, si qua calamitas acciderat, si grando, si gelu, semper rejiciebatur culpa in Christi nomen, & ejus doctrinam. Ex quo mutata est religio, non desiimus esse miseri. Sed non expendebant quod decebat, nempe quum excæcati essent & demersi in suis erroribus, Deum ipsos tolerasse ad longum tempus: deinde postquam illuxerat Evangelii doctrina, tunc quoque improbe sequutos fuisse consuetam impietatem, quia excusari ante poterat inscitia: sed ex quo Deus viam salutis ostenderat, jam quasi data opera restiterant, ut gravioribus pœnis essent digni. Talis igitur fuit impietas veteris populi in hoc responso, *fuimus saturati panibus quum libavimus artificio cælorum*, nempe quia Deus non confestim pœnam de illorum impietate sumpsit, dicunt se fuisse beatos, nec vidisse malum: & tamen certum est fuisse mentitos. Deus enim sæpius illos castigaverat, & tunc erant seduli & attenti ad perversos suos cultus. ante Jeremiam natum defecerant ad idololatriam, imo antequam Jesaias inciperet officio Prophetæ fungi, scimus quam severe tunc punire inceperit Deus ipsorum scelera. nam tempore Jesaiæ regnum Israël afflictum, deinde prorsus deletum fuit, Jerosolyma fuit quasi tugurium, ut dicit Jesaias ipse, tota autem regio vastata *Jesa. 1:8.* erat: interim libarunt opificia cæli, & obtulerunt suffitum. Scimus quantus fuerit fervor in Achaz, & in aliis perversis Regibus. Ezechias quidem & Josias conati sunt restituere purum Dei cultum: sed statim Manasse filius & successor Ezechiæ omnia corrupit. Quum ergo tantopere ferverent in suis superstitionibus, an illis omnia fluxerunt ex voto, quemadmodum nunc jactant? atqui & gladio, & fame, & peste illos persequutus est Deus. quid ergo sibi vult hæc jactantia, *quod saturati fuerint panibus, & fuerint felices, nec viderint malum* quo tempore libarunt libamina? Sed hæc etiam amentia præcipitat impios, ut non sentiant manum Dei sibi adversam. Cæterum, etiamsi vere hoc dicerent, *se fuisse beatos* quo tempore se prostituebant idolis: diximus tamen non posse inde colligi, probari Deo vitiosum cultum: quia si tolerat hominum scelera ad tempus, non desinit tamen esse judex, ut tandem suo tempore ad tribunal citet impios, quibus diu pepercit. deinque hypocritæ primum ludunt cum Deo, & ita convertunt ad licentiam peccandi clementiam ipsius, acsi esset quædam impunitas. hoc unum est: deinde non expergefiunt ad Dei flagella, sed manent stupidi quum Deus ipsos castigat. Sequitur,

18. Ex quo autem desiimus suffitum offerre artificio cælorum, & libare ei libamina, destituti (*vel privati*) fuimus omnibus, & gladio & fame sumus consumpti.

Hic amplificant suam ingratitudinem, quod scilicet conferunt in Deum culpam omnium calamitatum: quum tamen, ut postea dicet Propheta, Deus ipsos quodammodo retraxisset è tenebris ad lucem, si fuissent sanabiles. Debuerant igitur revocari pœnis ad sanam mentem. sed tantum abest, ut profecerint sub Dei ferulis, ut redditi fuerint magis ac magis contumaces. Dicunt igitur, ex quo desierant colere sua idola se fuisse miseros, laborasse penuria rerum omnium, consumptos fuisse fame & gladio. Ante consumpti fuerant fame & gladio, ut satis notum est, & ut retulimus, ante etiam passi fuerant multas clades. cur ergo non commemorant pœnas illas, quum toties, & tam longo tempore calcitrassent adversus Deum? sed obruunt Dei judicia maligne: interea dicunt se fuisse modis omnibus miseros ex quo cessarunt ab impio cultu. Sed an ideo cœperunt esse miseri, quia non amplius libabant stellis & idolis? imo diversa fuit causa, quemadmodum mox Propheta respondet. sed necesse est contexere totum eorum sermonem. Veniemus postea ad refutationem Prophetæ.

19. Et quando nos suffitum fecimus artificio cælorum, & libavimus ei libamina, an absque viris nostris fecimus ei placentas ad exhilarandum illud, (*alii vertunt simulachrum*) & etiam libando ei libamina?

Proferunt aliud argumentum, quod scilicet non fuerint exigua hominum portio, sed totus populus, qui tunc integer florebat, quum suffitum idolis facerent. scimus paucos fuisse residuos ex illa ingenti multitudine, quæ erat incolumi adhuc Regni statu. Dicunt igitur se non fuisse solos auctores hujus superstitionis, sed fuisse ingentem hominum turbam, nempe totum populum, quum tunc referta esset incolis Jerosolyma, & tota etiam regio. Quidam hoc exponunt de ipsis fœminis, sed insulse, meo judicio. aliquando transfertur ad fœminas masculinum genus, sed raro, & illud est durum, deinde non respondet huic loco, ubi totus contextus sonat sermonem haberi de viris. sed ratio una ipsos coëgit sic sentire, quæ tamen frivola est. Dicitur, *An fecimus sine viris nostris?* quum ergo dicunt *se non fecisse absque suis viris*, statim venit hoc in mentem Interpretibus, mulieres loqui, sed masculino genere. אנשים nomen, ut satis notum est, aliquando capitur pro senibus, atque pro ipsis Proceribus qui regunt, ut patet ex aliis locis. Hic autem exigua illa manus quæ restabat, profert in medium suffragia populosæ multitudinis: quasi dicerent, Nos hic multi sumus contra te unum: sed si compares statum veterem Urbis & terræ cum misera nostra sorte, quum floreret Regnum, quum Urbs staret incolumis, quum tota regio incolis referta esset: an non tunc omnes uno consensu coluerunt stellas, & artificium cælorum? quum igitur tot suffragiis probata fuerit hæc religio, quid tibi vis, dum contendis eam nobis excutere, & eripere? Tenemus igitur Prophetæ consilium, vel potius tenemus sensum eorum, quos loquentes inducit. Dicunt igitur *se non obtulisse suffitum, & libamina absque viris suis*, hoc est, absque ingenti illa multitudine, quæ postea periit, vel consumpta fuit, & ita opponunt quasi nebulam, turbam illam hominum: quemadmodum hodie Papistæ tantum suffragiis pugnant ad obruendam Dei veritatem. sic etiam congressi sunt cum Jeremia miseri illi, & fuit illis pro clypeo hic prætextus, quod ante Urbem dirutam totus populus sequutus fuerat illas superstitiones. *Non fecimus ergo hoc sine viris nostris, neque libavimus libamina, nec suffitum obtulimus*, &c. Nunc sequitur,

20. Et dixit Jeremias ad totum populum, ad viros, & mulieres, & ad totum populum, qui responderant ipsi sermonem, dicendo,

21. An non suffitus quem vos suffiebatis (*vel adolebatis*) in urbibus Jehudah, & compitis Jerusalem, vos & patres vestri, Reges vestri, & duces vestri, & populus terræ, eorum (*hoc est, ejus suffumigationis, vel harum omnium superstitionum*) recordatus est Jehovah, & ascenderunt in cor ejus?

22. Et non potuit Jehovah amplius ferre propter malitiam operum vestrorum, propter abominationes quas fecistis, & redacta est terra vestra in vastitatem, & in stuporem, & in maledictum, (*vel execrationem*) ita ut nemo sit habitator, sicut dies hæc. (*hoc est, sicut hodie apparet*)

23. Propterea quod suffitum fecistis, & peccastis Jehovæ, (*vel impie vos gessistis contra Jehovam*) & non audivistis vocem Jehovæ, & in Lege ejus, & statutis, & testimoniis non ambulastis, propterea accidit vobis malum hoc, sicut dies hæc. (*hoc est, sicut hodie apparet.*)

Refellit Propheta impias illas objectiones, quibus conati fuerant Judæi ipsum obruere, & contemptibilem reddere ejus doctrinam. Retorquet igitur in eos quicquid falso jactaverant: nam principio dixerant, *Reges nostri, duces nostri, & patres nostri* jam usi fuerunt his ceremoniis, & nobis fuerunt quasi per illorum manus traditæ: respondet Jeremias, Hoc certe verum est, ideo Deus tam severus vindex fuit impietatis, quum patres vestros abstulit è mundo, quum Regnum ipsum prorsus abolevit, quum Urbem ipsam subvertit, & quum tandem vos afflixit omnibus malis. nisi enim & Reges vestri, & patres vestri, & duces vestri impii fuissent contra Deum, nunquam tam aspere vos tractasset. promi- Gen. 17. vers. 7. sit enim se fore Abrahæ filiis in patrem. ergo necesse est Deum graviter à vobis, & patribus, & Regibus vestris fuisse offensum, quum ita exarserit contra ipsos ejus ira. Ergo est antistrephon, quia, ut videmus, retorquet contra illos Propheta quicquid objecerant. hæc summa est. Dicit autem *se ita fuisse loquutum toti populo, tam viris quam mulieribus*: & repetit, Totum populum: quia scilicet omnes subscripserant huic tam impiæ calumniæ. Dicit igitur Deus, Ideo Urbem vestram, & vos perdidi, quia adolevistis suffitum idolis vestris. Confessio est dum fatetur verum esse quicquid jactaverant, sed in contrariam partem convertit, quam ipsi putabant. quoniam enim patres ipsorum, & Reges fuerant imbuti superstitionibus, putabant sibi non debere fieri aliquam molestiam. nam, ut diximus, apud hypocritas usus & consuetudo sufficit ad opprimendam Legem Dei. Ergo quantum ad factum ipsum, Propheta ipsis concedit verissimum esse quod dicunt, scilicet hanc fuisse causam omnium malorum. nisi enim Reges, & totus populus provocassent iram Dei, nunquam dirutum fuisset Templum, nunquam Regnum collapsum esset: denique nunquam Deus ita alienatus fuisset à suo populo, quem ipse adoptaverat. hic est sensus. *An non*, inquit, *suffitus vestri quem adolevistis in urbibus Jehudah, & compitis Jerusalem tam vos quam patres vestri, & Reges, & duces vestri, quam totus populus, an non recordatus est Jehovah?* unde, inquit, ista horribilis calamitas, quæ totum genus vestrum perdidit? nempe ex ira Dei. neque enim fortuito hoc vobis contigit, & Deus etiam per servos suos prædixerat quicquid postea opere completum fuit. sequitur ergo Urbem vestram deletam fuisse justo Dei judicio. Quæ autem causa tantæ vindictæ, & tam gravis? nempe *suffitus vestri.* Et ideo addit, *Non potuit ferre Jehovah malitiam operum vestrorum, & abominationes, quas fecistis: ideo*, inquam, *terra vestra redacta est in vastitatem.* In summa, Propheta ostendit nisi fuissent obnoxii Dei judicio, non fuisse perituros. Sumit enim illud principium, Deum non abs re irasci: deinde sumit alterum principium, Quoniam genus Abrahæ elegerat Deus, & semper fuerat propitius etiam indignis, ipsos participes futuros fuisse ejusdem beneficentiæ, nisi Deum jam prorsus à se alienassent. Sequitur ergo Dei vindictam non levi aliquo delicto, sed multis criminibus & diuturnis sic fuisse accensam, ut non posset differri. nam pœnæ atrocitas ostendit peccati magnitudinem: & ideo dicit, *Non potuit ferre Jehovah malitiam operum vestrorum, & abominationes quas patrastis. Redacta* igitur *ad hanc causam est terra vestra in vastitatem, in stuporem, & in probrum*, vel execrationem, *ita ut non sit habitator.* Tandem clarius explicat aliis verbis eandem sententiam: *propter suffitum vestrum*, inquit, *& quia impie egistis.* Primo dum nominat suffitum, per synecdochen designat omnes cultus vitiosos & degeneres, quemadmodum heri dictum fuit: sed pronunciat omnes fuisse abominabiles; *Impie*, inquit, *egistis in Deum.* Jam simul exaggerat eorum crimen, quia pias omnes admonitiones contempserint. *Non audivistis*, inquit, *vocem Jehovæ.* Refero hoc ad Propheticas conciones, quibus non destitit Deus ipsos hortari ad pœnitentiam. quotidie enim & assidue clamabat, ut tandem in viam salutis redirent. Exprobrat igitur illis Propheta *quod non audierint voces illas* Propheticas. deinde adjungit *non ambulasse in Lege Jehovæ, neque in statutis & testimoniis ejus.* Ostendit his verbis, etiamsi Prophetæ alii post alios missi fuissent, Legem debuisse illis sufficere. Sed non contentus solo Legis nomine, etiam addit, *statuta, & testimonia*: quibus verbis significat perspicuam & familiarem fuisse Legis doctrinam, ut heri diximus. tandem addit, *Propterea occurrit vobis totum hoc malum, quemadmodum apparet hodie.* Denique significat Propheta ipsos reatus sui satis teneri convictos, quia Deus tantopere illis infestus fuerit, & tam duriter afflicti fuerint: quoniam si justa sunt ejus judicia, sequitur justam fuisse pœnam quam inflixit Judæis. Unde etiam simul colligitur, ipsos palam fuisse rebelles, quoniam perverterant & corruperant verum ejus cultum.

Da omnipotens Deus, quando nobis non tantum Lege tua præscripsisti quid rectum sit, & viam pie vivendi nobis monstrasti, sed etiam clarius affulsisti nobis per Evangelii tui lucem, ubi respondet Christus Filius tuus Sol justitiæ: da, inquam, ut nos totos subjiciamus tibi, & adjiciamus animos ad tibi obediendum, illuc applicemus omnia studia nostra, illuc dirigamus omnes actiones nostras, ut peracto hujus vitæ cursu tandem perveniamus in beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-TERTIA IN JEREMIAM.

24. Et dixit Jeremias ad totum populum, & ad mulieres, Audite sermonem Jehovæ omnis Jehudah, qui estis in terra Ægypti.

25. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, dicendo, Vos, & uxores vestræ loquuti estis ore vestro, & implevistis manibus vestris, dicendo, Faciendo faciemus vota nostra, quæ vovimus ad suffitum adolendum artificio cæli, & ad fundendum ei libamina: stabiliendo stabilietis vota vestra, & faciendo facietis vota vestra.

26. Propterea audite sermonem Jehovæ totus Jehudah qui habitatis in terra Ægypti, Ecce juravi per nomen meum magnum, dicit Jehovah, si erit posthac nomen meum invocatum in ore (*per os*) viri Judæi dicentis, Vivit Adonai Jehovah in tota terra Ægypti.

PRosequitur Jeremias eandem sententiam, & non modo acerbe objurgat impios illos, qui tam pertinaciter spreverunt ejus doctrinam: sed ostendit eos sua audacia nihil proficere, quia tandem violenter frangentur, postquam non sustinent corrigi. Dicit autem initio, *Vos, & uxores vestræ loquuti estis.* quanquam viros simul comprehendit. *Loquuti ergo estis tam viri, quam mulieres: & manibus vestris implevistis*, hoc est, nihil defuit ad contumaciam, quia ut petulanter loquuti estis contra Deum, accessit etiam ipsa exequutio. per Manus enim effectum operis designat: ergo ostendit eos ad summam impietatem progressos esse, quia non dubitaverint evomere impiam illam vocem, *Non obediemus Deo*: & simul etiam manus conjunxerint cum ore, quia strenue exequuti sunt quod testati fuerant. Ipsa cogitatio jam plus satis valebat ad eorum damnationem: quum vero linguam ita exeruint, deinde manus adversus Deum, signum est desperatæ audaciæ, acsi ex professo vellent eum provocare. Sed ostendit quis tandem exitus maneat omnes impios, qui tam superbe contra Deum rebellant. Quum audire jubet quid Deus juraverit ex opposito, comparat Deum cum ipsis, acsi diceret, etiamsi centuplo magis insaniant, tamen Deum fore superiorem: esse vero adversarium, ut evertat ipsorum conatus. Sed antequam illuc veniat, recitat etiam eorum sermonem, *Faciendo faciemus vota nostra, quæ vovimus ad suffitum adolendum.* Hic commemorat Jeremias quod ante non vidimus, Judæos scilicet sub constantiæ prætextu ita fuisse Deo rebelles. Id intelligimus per nomen Voti: & solent superstitiosi dum urgentur, semper confugere ad hunc prætextum, nempe perseverare in proposito esse magnæ virtutis. Ergo dum notam levitatis fugiunt, sese obdurant adversus Deum. Sic videmus hodie in Papatu, quo quisque senior est, ita esse magis obstinatum, Quid? an non ab annis 40, vel 50, didici quid sit religio, & quid sit Deum colere? ego à puero sic fui edoctus, & longa consuetudine assuefactus sum. nunc igitur turpe mihi esset cursum mutare, & relinquere quam tot annis fidem sequutus sum. Non dubium igitur est, quin simili prætextu abusi fuerint Judæi contra Jeremiam quum objicerent *se vovisse*. nam hypocritæ non discernunt quum aliquid vovent, sed promiscue obtrudunt Deo quicquid illis venit in mentem: postea maneot defixi in stulta sua imaginatione: & interea dicunt inviolabile esse votum, rem esse sacram. talis fuit populi excusatio. Sed ex Prophetæ responso cognoscimus quam futiliter Deo objecerint sua vota, quæ absque judicio & ratione conceperant. Et hic locus diligenter notandus est, ut sciamus primum stultitiam hanc Deo minime placere, quum homines promiscue vovent ex animi sui sensu quicquid somniarunt. Deus ergo vult adhiberi sobrietatem & reverentiam in votis. Cæterum, si cui elapsum fuerit votum inconsiderate, etiam non minus displicet hæc contumacia Deo, ubi persistit in illa perversa imaginatione. Voverant Judæi: debuit ipsos admonitio Prophetæ cogere ad mutandam sententiam. Atqui quum levitatis culpam fugerent, constantiæ loco videmus eos Deo opposuisse suam pervicaciam, & diabolicam obstinationem. Ergo si temere exciderint nobis vota quæ Deo non probentur, nihil melius est, quam ea statim retractare, quia plus satis peccavimus quum abusi sumus sacro Dei nomine. Hac ratione dicit Propheta Judæos sic loquutos esse, *Faciendo faciemus vota quæ vovimus*. Qualia autem erant? nempe ut offerrent suffitum stellis & militiæ cælorum. Si quid Deo vovissent, non debebant fallere datam fidem: sed voverant diabolo. ergo statim eos oportuit retro cursum flectere. Quum dico solvenda esse vota quibus obstricti sumus Deo, intelligo vota legitima. neque enim Deo vovet qui usurpat ejus nomen absque judicio: sed quæ Deus rata habet vota, debent etiam nobis sancta esse. quæcunque autem vota Deus repudiat, illa ducenda sunt pro nihilo. Hinc igitur videmus juste damnatos fuisse Judæos, quod vota pertinaciter solverent idolis suis. Adjungit ironice, *Stabiliendo stabilietis vota vestra, faciendo*, inquam, *facietis vota vestra.* Hic acerbe mordet Propheta eorum insolentiam, quod ita sese Deo opponunt, acsi virtus esset perseverare in malo consilio. Non potestis, inquit, mutari, quia stabiliendo stabiliatis vota vestra: *Nunc audite*, inquit, *sermonem Jehovæ.* His verbis quemadmodum jam attigi, significat nihil aliud ipsos consequi sua petulantia, nisi ut Deum provocent, qui ex opposito illis objiciat suam potentiam. *Sic ergo dicit Jehovah, Ecce ego juravi per nomen meum magnum*: quoniam toties spreverunt Deum loquentem, jurejurando sancit nunc quod dicturus est. si enim simpliciter fuisset minatus, poterant suo more non curare, quasi futiliter loquutus esset Propheta. Hæc igitur ratio est cur Deum jurantem inducat. Et hoc notandum est, quoties confirmat Deus jurando sua verba, hoc facere vel quoniam videt sibi negotium esse cum hominibus lapideis, qui non tanguntur simplici doctrina: vel dum vult succurrere nostræ ignaviæ. Deus enim tam minas quam promissiones confirmat jurejurando. Ubi minas confirmat, tunc oblique perstringit obstinatam eorum malitiam, quos alloquitur. Quum autem jurando aliquid promittit, ostendit quanta sit nostra propensio ad vanitatem, & quanta sit fidei nostræ imbecillitas. contenti enim essemus uno verbulo, si ea in nobis esset fides, quæ debet esse. Ergo quum Deus nomen suum quasi pignus interponit, hinc apparet, nos naturaliter esse incredulos, vel tantam esse fidei imbecillitatem in nobis, ut hac fultura indigeat. Hic autem quia Deus minatur, & simul jurat, ostendit Judæos sic obstinatos esse in sua malitia, ut

necesse

necesse sit ipsos terrore percelli. *Jurat* autem *Deus per nomen suum magnum*. Hommes, quemadmodum
Hebr. 6. vers. 16. dicit Apostolus, per Deum jurant, quia advocatur & testis, & judex, quum nomen ejus interponitur. Sed epitheton minime supervacuum est, quum Deus non modo per seipsum jurat, sed per nomen suum magnum. Hoc enim modo significat Judæos longe falli, si existiment Deum non sumpturum esse vindictam, quia sibi ipsi indulgent. Est enim hoc plusquam usitatum hypocritis, metiri Deum suo sensu: quum autem extenuant ejus potentiam, putant illum esse instar pueri. Ergo ut excutiat Judæis perversam hanc imaginationem, dicit *nomen esse suum magnum*. subest ergo tacita antithesis inter magnitudinem nominis Dei, quæ minui non potest hominum arbitrio, & inter superbiam veteris populi, qui reddebat nomen Dei contemptibile. Postea addit, *si erit*; est loquutio imperfecta, quemadmodum sæpius diximus eam in frequenti usu esse, quo scilicet major sanctitas à nobis colatur, ubi juramus per Dei nomen. Jam veniendum est ad ipsam summam, *Non erit vir Judæus, qui amplius juret per nomen meum.* Jurat ipse Deus: quid autem jurat? neminem scilicet fore qui profanet nomen ejus: putabant enim hoc esse aliquod pietatis testimonium, quum jurabant per Jehovam. Interea erat mera & nimis indigna profanatio nominis Dei. Contaminabant se, ut visum est, Ægyptiacis superstitionibus. Ut autem differrent ab ipsis Ægyptiis, & haberent aliquid speciale, denique ut manerent gens sancta, adhuc retinebant jurandi formam, quæ distincta esset à vulgari Gentium sermone. Deus significat se non passurum, ut posthac nomen suum ita volitet in Ægypto sine ulla reverentia. *Non invocabitur*, inquit, *amplius nomen meum per os viri Judæi*. Quod autem de juramentis loquatur colligere licet ex proximis verbis, quum diceret, *Vivit Dominus in tota terra Ægypti*. nam, ut dictum est, Judæi adhuc gloriabantur se retinere Legem, quum nomen Dei adhuc volitaret in ipsorum ore & lingua. Deus autem dicit hoc ipsis ablatum iri, quia erat indigna pollutio nominis ejus, quum ita miscerent se Ægyptiis in omni genere superstitionum, & interea jactarent se esse populum Dei. Sequitur, [illegible]

27. Ecce ego vigilo super eos in malum, & non in bonum: & consumentur omnes viri (*omnis vir, ad verbum*) Jehudah quicunque sunt in terra Ægypti gladio & fame usque dum consumantur. (*est quidem aliud verbum, sed ejusdem significationis.*)

Hic clarius exprimit quod proximo versu dixerat, nempe nullos ex Judæis fore superstites in Ægypto. Modum ergo nunc designat: quia scilicet non desinet ipsos conficere, donec prorsus intereant, & redacti sint ad ultimum interitum. Dixerat, *Non amplius invocabitur nomen meum, neque jurabunt in Ægypto Judæi, Vivit Dominus*: quare? Ego enim omnes ipsos perdam, ita ut nemo in Ægypto sit residuus, qui nomen meum fallaci illo prætextu polluat. *Ego*, inquit, *vigilabo in malum super eos, & non in bonum*. Hanc loquendi formam alibi vidimus, & simul exposuimus cur ita loqui soleant Prophetæ, nempe quoniam hypocritæ etiamsi existiment Deum non curare res humanas, & fingant ipsum in cælo dormire, & ideo audacter ipsum provocent acsi essent fugitiva & abscondita essent Deo ipsorum consilia: tamen jactant Dei providentiam, & simulant se acquiescere in ejus fiducia. Hac de causa respondent Prophetæ, *Deum quidem vigilare, sed non in bonum*. Tenemus ergo Prophetæ mentem: deridet superbiam populi, qui putabat Deo curæ esse suam salutem. Dicit ergo Deum quidem non dormire, sed hoc nihil utilitatis adferre hypocritis, quia tametsi Deus vigilet ad suos servandos, ut pater, vigilet quoque ad perdendos omnes impios, ut judex. Sequitur,

28. Et qui evaserint è gladio, revertentur è terra Ægypti in terram Jehudah pauci numero: & cognoscent omnes reliquiæ Jehudah, quæ ingressæ sunt terram Ægypti, ut habitarent illic, sermo quis stabit, à me, an ab ipsis.

Tandem adjungit paucos fore qui effugient. Dixerat autem prius nullos fore: addiderat in fine versus, nisi qui evaserint. Diximus secundum illud membrum posse exponi de Judæis, qui fuerant abducti in exilium Babylonicum. Si autem placeat de exulibus Ægyptiacis exponere, diversus erit sensus. Tunc enim dicebat Propheta neminem fore qui evaderet, nec fore residuum vel superstitem: priore illo membro haud dubie tollebat spem omnem salutis, quantum spectabat ad Ægyptum. Addebat autem, nisi qui evadent, hoc est, qui furtim effugient è gladio, acsi nunquam in Ægyptum migrassent. Deinde hoc diverso etiam sensu necesse est accipere, quod nunc addit Propheta: *Qui* ergo *evaserint è gladio*, inquit, *revertentur*. Tenendum autem est, tales non fuisse residuos, vel superstites, acsi facerent aliquem numerum. Oportuit enim ipsos se ita subducere, ut jam desinerent esse pars illius populi: fuerunt fugitivi prius, sed quum recederent ex Ægypto, secunda illa fuga fecit ut non amplius fuerint in numero aliorum. Quum ergo negavit Propheta ullos fore residuos qui evaderent, sic intelligere necesse est verba illa, nullos fore amplius Judæos in Ægypto, quia delebitur memoria ipsorum. Quum autem secundo loco ponit פליטים, evasores, (est enim nomen, pro quo vertimus, Qui evadent) intelligit eos qui elapsi, jam censeri desierant in aliorum ordine, quia sponte seipsos quodammodo absciderant, ita ut non amplius essent ex illis fugitivis exulibus Ægyptiacis. Dicit ergo *eos qui evaserint è gladio, redituros in terram Jehudah*, quod scilicet longe alienum erat ab ipsorum animo. nunquam enim putabant fore, ut redirent in patriam, nisi quasi cum triumpho magnifico. Volebant quidem ad tempus duntaxat habitare in Ægypto: sed sperabant se postea venturos in vacuam possessionem, quum Chaldæi procul abessent. Ita sibi promiserant regnum aliquod novum, & nolebant redire nisi cum pompa. Quum ergo talis restitutio ab ipsis conficta esset, dicit Propheta *redituros in terram Jehudah non multos homines*: deinde redituros, non ut possideant terram, & ea fruantur tanquam propria hæreditate: sed redituros, quia alibi nusquam erit tutus angulus, in quo delitescant. Videmus ergo reditum hunc opponi falsæ imaginationi, quam sibi Judæi confixerant. Dicit autem *paucos fore numero* Et tandem adjungit, *Scient omnes reliquiæ Jehudah, quæ ingressæ sunt terram Ægypti, utrius sermo stabit, meusne, an ipsorum*: vel, stabit à me, an ab ipsis: hic tandem completur sententia. dixi enim hoc fuisse Prophetæ consilium, coarguere Judæos stultæ & impiæ vanitatis, quum adversus Deum confligerent sua pertinacia: quasi diceret, Miseri quid vobis vultis? scilicet succumbet Dei veritas, vel ipsum frangetis vestra amentia & obstinatione? atqui certe Deus ipse erit durior. Nunc ergo sententiam illam aperte explicat. Quum dicit, *scient omnes*, non refert hoc ad veram & sinceram intelligentiam, sed ad ipsum experi-

perimentom, hoc est, re ipsa tandem sentient utrius sermo stabilis sit, meosne, an ipsorum. Locus hic notatu dignus est, ut discamus acquiescere in Dei sermone, & illum amplecti: & præsertim nobis caveamus ab ista diabolica obstinatione, in quam nuoc invehitur Propheta: quia ubi ad extremum usque pugnaverimus, necesse tandem erit nos concidere: quia etiamsi centies crepemus, stabit tamen firma Dei veritas, neque nobis cedet. Sequitur,

29. Et hoc vobis signum, dicit Jehovah, quod visitabo ego super vos in loco hoc, ut sciatis quod stando stabunt sermones mei super vos in malum

30. Sic dicit Jehovah, Ecce ego trado Pharaonem Ophra regem Ægypti in manum inimicorum ejus, & in manum quærentium animam ejus: quemadmodum tradidi Zedechiam regem Jehudah in manum Nabuchadnezer regis Babylonis inimici ejus, & quærentis animam ejus.

Obsignat Jeremias suum vaticinium signo addito, quod tamen eodem tempore accidit. non fuit igitur signum præmonstrativum, ut loquuntur. Et certe indigni erant Judæi, quibus Deus præsagium aliquod ostenderet: sed tantum hoc signum additum fuit, ut scirent se frustra confidere præsidiis Ægypti: deinde ut excusatio omnis cessaret. hoc propter brevitatem forte esset obscurum: ideo clarius fiet distinctione adhibita. Signorum quædam tempore & ordine rem præcedunt, alia autem sunt cum ipso eventu conjuncta: signa quæ rem præcedunt, valent ad præparandos piorum animos, ut non dubitent Deum facturum quod pollicitus est: quem-
Judic. 6. vers. 36, 37. 38, 39. 40. admodum ubi Gedeon signum à Deo petiit, & obtinuit pro voto. Terra enim madida fuit rore, quum vellus maneret siccum: deinde vellus fuit irrigatum quum terra esset sicca. Hoc signo Gedeon animatus fuit ad pergendum, quum ante dubitatio ipsum quasi inutilem redderet. Torpebat Gedeon, sed ubi videt miraculo sibi ostensam esse victoriam, tunc audacter suscipit expeditionem sibi mandatam. & bona pars signorum talis est. Alia autem sunt signa quæ rem ipsam non præcedunt, sed tandem completo tempore ostendunt vere fuisse divinitus prædictum quod impletur: quemadmodum quum
Exod. 3. vers. 12. diceret Mosi Deus, Hoc vobis signum trado, postquam exieritis sacrificabitis mihi in monte hoc. Non potuit Moses ipse neque populus cognoscere quicquam, si spectassent signum ipsum antequam egressi essent ex Ægypto. Sed postquam liberati sunt, triduo post egerunt illic gratias Deo redemptori suo. Ergo usus signorum nunc ad præteritum tempus, nunc ad futurum spectat. ad futurum tempus spectat usus signorum, quæ diximus esse præmonstrativa: quemadmodum Gedeon alacriter arma cepit, quia sciebat se pugnare Dei auspiciis, & certo persuasus fuit de victoria, quum intelligeret Deum sibi esse ducem. Spectavit igitur usus illius signi in futurum tempus. Sed signum quod datum fuit Mosi, spectavit in tempus præteritum. Populus enim clarius agnovit Deum fuisse suum liberatorem, quoniam Mosi quum adhuc esset in deserto prædictum fuerit venturos illuc esse Israëlitas, & locus ille, nempe mons Sinai, jam erat destinatus ad cultum, qui postea exhibendus erat Deo. Tunc ergo populus collegit se, & quum repeteret memoria illud fuisse prædictom, magis ac magis confirmatus fuit in Dei gratia. Tale etiam fuit hoc signum, cujus nunc fit mentio. *hoc erit signum*, inquit Jeremias, nempe *quia tradet Pharaonem Ophra in manum Nabuchadnezer inimici sui*. Si quispiam tunc sciscitatus esset ex Propheta quorsum concionaretur de rege Ægypti? dixisset, Nunc quidem hoc signum quasi sepultum manet, nulla cernitur ejus utilitas, sed tempore opportuno ostendet Deus me fuisse instructum certis ejus mandatis: quia quicquid prædico de rege Ægypti implebitur. Signum autem hoc ideo additum fuit, quia res erat incredibilis, posse expugnari Ægyptum, quæ suis claustris undique munita erat. Quum ergo non pateret aditus hostibus, præsertim à Pelusio, putabant Judæi se habitare quasi in circulo Lunæ, ut loquuntur, & se positos esse extra omnem aleam, & extra telorum jactum. Quum ergo confiderent Ægypti præsidiis, & putarent terram illam esse inexpugnabilem, ideo derisa fuit illa confidentia: & Propheta diserte hic exprimit Pharaonis cognomen, nempe Ophra, cujus significatio mihi est incognita: & credibile est nomen esse Ægyptiacum, neque enim ulla est vox Hebraica quæ respondeat. unde autem cognomen illud adeptus fuerit ille Pharao, nescitur. Scimus omnes reges Ægypti vocatos fuisse Pharaones, quemadmodum hoc datum fuit memoriæ Julii Cæsaris, ut quicunque successerunt in ejus locum vocati fuerint Cæsares: ita etiam Pharaones erant omnes reges Ægypti. sed cuique erat cognomen proprium, quod distingueret alios ab aliis. Hic autem vocatus fuit Ophra. Jam quod Propheta prædixit, si creditur Josepho, impletum fuit anno quarto vel circiter, postquam discesserant in Ægyptum. Rursus enim descendit Nabuchadnezer in Ægyptum, postquam Moabitas atque Ammonitas spoliavit, & tandem potitus est regno illo. Fuit autem odiosa hæc legatio, quum Jeremias auderet prædicere interitum regni. Nec dubium est, quin versatum fuerit periculum ante ejus oculos, quum videret se alloqui impios homines, & qui optassent ipsum centies sublatum esse è medio. Quum ergo auderet vaticinari contra Regem, & totum populum, & terram, hinc perspicimus quanta fuerit ejus constantia, & fortitudo, atque ut strenue functus fuerit officio Doctoris: quia non fuit ullo periculo territus, quin promulgaverit quæcunque Deus mandaverat. Ergo habemus hic insigne exemplum magnitudinis animi, quum Propheta sibi mortem accersere non dubitavit, ut Deo pareret. Quum dicit, *tradam regem Ægypti in manum inimicorum ejus, & quærentium animam ejus*, significat hostes capitales fore: quanquam proprie de uno hoste loquitur: sed conjungit simul exercitum cum capite ipso. *Tradam* igitur *Pharaonem in manum Nabuchadnezar regis Babylonis, quemadmodum tradidi Zedechiam in manum inimici ejus, & quærentis animam ejus.* quasi diceret, non potest esse melior conditio regis Ægypti, quam fuerit regis Zedechiæ. Nam rex Zedechias tenebat sedem illam sacram, de qua testatus fuit Deus, Hic habitabo: deinde, Super solium Davidis semper manebit aliquis ex posteris. Videmus ergo Prophetam ratiocinari à majori ad minus, quia si Deus non pepercerat Zedechiæ regi, qui erat quasi sacrosanctus, nihil melius fuit sperandum de rege Ægypti, qui profano & vulgari modo tantum regnabat. Summa est, Judæos jam re ipsa satis edoctos esse, quam vera essent ejus vaticinia: prædixerat enim quod tandem accidit Zedechiæ. non fuerat ejus sermoni habita fides: dicit jam esse tempus, ut cognoscant Judæi ipsum esse fidelem Dei servum, quum documentum ediderit Deus in Zedechia, quod infixum esse debet eorum memoriæ. Jam si existimant regem Ægypti esse extra periculum, faciunt gravem Deo injuriam, qui non eripuit Zedechiam, qui unctus fuerat ejus nomine, & mandato. Hæc igitur summa est.

Da omnipotens Deus, quando nos adoptando, dignatus es hoc honore, ut invocemus nomen tuum: da, inquam, ut puro ore illud invocemus, quo glorificetur inter nos tota vita nostra: & ita dum studemus tibi pure præstare obsequium quod à nobis exigis, ut propagetur in nobis magis ac magis tua doctrina, & memoria etiam nominis tui magis floreat, donec tandem perveniamus ad eam gloriam, quam scimus nobis repositam esse in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-QUARTA

IN

J E R E M I A M.

Cap. XLV.

Sermo quem loquutus est Jeremias Propheta ad Baruch filium Neriæ quum scriberet sermones istos in libro ex ore Jeremiæ, anno quarto Jojakim filii Josiæ regis Jehudah, dicendo,
2. Sic dicit Jehovah Deus Israël ad te, (*vel de te*) Baruch:
3. Dixisti, Væ nunc mihi, quia addidit Jehovah mœrorem super dolorem meum, laboravi (*vel, defessus sum*) in gemitu meo, & requiem non inveni.
4. Sic dices ad eum, Sic dicit Jehovah, Ecce, quæ ædificavi ego diruo, & quæ plantavi ego evello, nempe totam terram hanc.
5. Et tu quæres tibi magnifica? Ne quæsieris: quia ecce ego adducam malum super universam carnem, dicit Jehovah: & dabo tibi animam tuam in spolium omnibus locis quocunque tu veneris.

Diximus libros Propheticos non fuisse scriptos ab ipsis auctoribus eo ordine quo nunc leguntur: sed quum Propheta concionatus erat, & scripto complexus fuerat summam suæ doctrinæ, affigebat valvis Templi. Erant autem scribæ qui colligerent summas illas: inde confecta sunt volumina quæ nunc extant. Nunc id repeto, quia posset quispiam mirari non servatum fuisse temporis ordinem à Jeremia: posthac enim incipiet vaticinari de Gentibus profanis. Certum vero est, hæc vaticinia fuisse edita ante principium regni Jojakim aliqua ex parte, alia autem regnante ipso Jojakim, alia vero sub regno Zedechiæ. Sed ratio quam attuli, tenenda est, nempe non scriptum fuisse librum hunc qui nunc versatur in manibus, ab ipso Jeremia, sed collectas tantum fuisse summas, deinde ex illis volumen fuisse confectum. Hic specialis prophetia narratur de Baruch, quem scimus fuisse ejus scribam: quanquam erat non tantum amanuensis, sed etiam discipulus. Hic autem narrat Jeremias fuisse graviter & severe objurgatum, quia non satis firmo animo fuerat, quum scribendus esset liber, quemadmodum vidimus capite 36. Quidam existimant justam fuisse causam dolori, quod Jeremias dictaret instare cladem Urbi & populo. Existimant ergo Baruch fuisse anxium, imo fuisse oppressum mœrore quum audiret instare tam horribile Dei judicium. neque enim dubium est, quin prosequutus fuerit qua decebat pietate suam patriam: & simul sollicitus fuerit de cultu Dei, & de ejus populi salute, quem Deus elegerat ex cunctis gentibus, & adoptaverat. Sed sicuti postea videbimus, potius seipsum respexit, & inductus fuit ad luctum & mœrorem privato affectu, & hanc ob causam severe increpitus fuit à Propheta. Alii afferunt commentum frigidius, quod scilicet appetiverit donum prophetiæ, quum videret Jeremiam quasi è sublimi pronunciare tam graves sententias, & esse organum Spiritus sancti quasi exerceret cæleste judicium. Existimant ergo Baruch fuisse stimulatum inani desiderio Prophetici muneris: & ideo objurgatum fuisse, quod plus sibi sumeret quam fas erat. Sed quemadmodum jam dixi, figmentum hoc nihil prorsus habet coloris. Ego igitur non dubito, quin privato magis periculo tactus fuerit, quia odiosa erat legatio quam Propheta mandaverat. Vidimus enim illo capite quod nuper citavi, Prophetam non venisse ad Regem, sed librum dictasse, & dedisse ipsi Baruch. Quum ergo videret non sine discrimine se functurum illis partibus, cœpit conqueri, & obstrepere: & hac de causa Propheta jussu Dei invectus fuit in ejus mollitiem. Summa igitur hæc sit, Baruch quia vitæ suæ timebat, fuisse dolore nimio confectum, ita ut cuperet se liberari omni molestia: Deum offensum fuisse perverso illo metu: & ideo dedisse mandatum Prophetæ suo, ut ipsum Baruch increparet, sicuti meritus erat. Nunc veniamus ad ipsa verba: *Sermo quem loquutus est Jeremias Propheta ad Baruch filium Neriæ*. Notandum est, sanctum virum non parcere suo discipulo, quem tamen haud dubie amabat. usus enim fuit ejus opera: & Baruch fideliter se gessit non tantum quia amanuensis erat Prophetæ, sed etiam adjutor. Quum ergo expertus fuisset Jeremias fidem, & diligentiam, & studium Baruch in multis rebus, optasset haud dubie eum humanius tractare. Sed quoniam Deus voluit detegi hanc culpam Baruch, Propheta exequutus est quod officii sui erat. Videmus ergo ipsum oblitum fuisse carnis & sanguinis quum suam operam Deo impenderet. Additur circumstantia temporis, unde colligere licet quod nuper dixi, nempe Baruch quum periclitaretur ejus vita, fuisse anxium, & conquestum fuisse de sorte sua, quasi Deus onus nimis grave & durum imponeret. Dicit ergo Propheta sibi datum fuisse hoc mandatum, *quum scriberet Baruch sermones istos in libro, nempe anno quarto Jojakim*. Retulimus breviter quomodo id acciderit. Sed hoc rursus addendum est, Baruch non frustra timuisse, quoniam Rex jam alienatus fuerat à Jeremia. Non erat quidem admodum crudelis, sed habebat malos Consiliarios, & qui erant veluti flabella ad sævitiam ejus inflammandam: & exitus probavit, non fuisse supervacuum timorem. Rex enim arripuit cultrum graphiarum, & librum concidit. Deinde projecit in ignem: & si tunc repertus fuisset Jeremias, haud dubie actum erat de ejus vita: imo à bonis viris ablegatus fuit Baruch, ut se occultaret cum Propheta ipso. Videmus ergo Baruch fuisse deterritum, quia tam odiosa erat legatio, & quæ posset Regis animum ad extrema quæque impellere, sicuti accidit, sed interea fuit nimium sibi addictus. debuit enim vitam suam offerre Deo in sacrificium. Nam quicunque vocantur ad officium illud, eos necesse est subire forti

animo

animo pericula, ut vitam despiciant quoties opus est, vel eam saltem Deo commendent: & quum vident instare discrimina, ut nihilominus pergant in cursu sui officii. Quanquam ergo Baruch fideliter optabat Deo servire, in ipso tamen conflictu victus est tentatione, ut magis vitæ suæ consultum vellet, quam esset animatus ad pergendum. Huc spectat circumstantia temporis quam designat Jeremias, quum dicit *Baruch fuisse increpitum quum scriberet sermones istos in libro.* Postea clarius exprimitur ratio vaticinii, *Sic dicit Jehovah de te Baruch.* Aggreditur & compellat ipsum Propheta, ut incutiat animo sanctum terrorem qui corrigat timorem illum perversum, quo impediebatur, ne strenue Deo serviret. *Dixisti.* causa objurgationis exprimitur: *Dixisti, Væ nunc mihi, quia adjecit Jehovah mœrorem super dolorem meum.* Non dubium est quin Baruch optaverit seipsum subducere, ut solent qui nimium premuntur, dum vident se impares esse oneri, quærunt latebras, & redduntur quasi fugitivi. Talis ergo fuit affectus in Baruch quum diceret, *Væ nunc mihi.* erat plusquam honorificum esse Prophetæ scribam: perinde enim erat acsi ex ore Angeli exciperet verba. Fuit igitur hoc turpe, & indignum sancto Dei servo, conqueri de sua miseria, quum tamen hoc testimonium esset singularis gratiæ, quod Deus dignatus esset illum sibi eligere amanuensem. Hic ergo perstringitur ingratitudo Baruch, dum se miserum exclamat; quum tamen ducendum esset eximiæ felicitatis loco, quod Deus illum adhibere volebat ad operam illam. Dicit, *Adjecit Jehovah mœrorem super dolorem meum.* Hic longius erumpit ingratitudo Baruch, quia cum Deo expostulat: acsi diceret parum humaniter se tractari. Subest autem obliquum probrum in hac querimonia. perinde enim est acsi Deum in jus vocaret, & objiceret nimium rigorem. Interea conqueritur etiam nullum modum fieri: quasi diceret se jam longo tempore nimis multa esse perpessum, & Deum non satis clementer agere, quod non desinat mala malis adjicere. *Adjecit*, inquit, *Jehovah mœrorem super dolorem meum.* Vide ut יגון plus esse quam מכאב, quoniam significat Baruch se jam doluisse prius, quoniam objiciebatur materia: nunc vero cumulum accedere tot doloribus, *mœrorem*, vel luctum. Hinc colligimus, Baruch non primo statim conflictu refugisse, quemadmodum solent ignavi homines: sed vacillasse tandem in medio cursu. Et hoc diligenter notandum est. nam qui animose semel aggressi sunt munus suum, putant se instructos quasi Angelica fortitudine. Hinc fit ut secure despiciant omnia pericula, quoniam persuasi sunt se fore inexpugnabiles. atqui videmus Baruch fuisse strenuum & animosum Dei militem ad tempus. Quum vero nullus finis appareret, tunc cœpit fatiscere. Discamus ergo assidue confugere ad Deum, & petere ab ipso nova gratiæ incrementa, ut nos sustineat virtute Spiritus sui, collapsos etiam erigat, quia singulis momentis alioqui possemus concidere, etiam ubi præclare nos gesserimus. Discamus vero memores nostræ infirmitatis petere, ut Dominus nos fulciat, & manum porrigat in singulos dies. Hoc notandum est in exemplo Baruch, quum dicit *adjectum fuisse mœrorem dolori suo.* Et clarius idem postea exprimit: *Laboravi in gemitu meo*, inquit, *& requiem non inveni.* His etiam verbis testatur se misere fuisse exercitatum variis malis, necdum laxari molestias, vel se expediri periculis, ideoque tandem succumbere, quoniam non detur ulla requies. Videmus ergo quod jam dixi, Baruch non statim ab ipsis carceribus fuisse refractarium, sed quum jam progressus esset, confecta parte studii, antequam pertingeret ad metam, fuisse victum tentationibus, & oppressum. Postea addit, *Sic dices.* Hic repetit Propheta se non fuisse commotum adversus Baruch privata aliqua indignatione, sed tantum retulisse Dei mandata. *Ecce ego quæ ædificavi diruo, & quæ plantavi evello.* Hic satis patet objurgationis hanc fuisse causam, quod Baruch seipsum nimis amaret, & ob sua pericula cuperet subterfugere, quum tamen Deus illum juberet descendere in certamen. Proponit enim Jeremias quid futurum sit toti populo. Hæc comparatio ostendit quod dixi, Baruch posthabita publica salute, fuisse nimis cautum, & vitæ suæ respectu fuisse ita ignavum, & mollem. Hæc ratio est cur Deus in medium statuat totum populum: quasi diceret, Cuperesne pluris esse toto populo? vel an vita tua habenda est pretiosior quam salus totius populi? Hoc indignum erat ut Baruch se & toti populo, imo & Templo etiam ac cultui Dei præferret. Quum ergo Dei severitas jam instaret ad perdendum totum populum, quamvis centies periclitatus esset Baruch, non debuit tamen vitam suam tanti facere. Ergo hic ostendit Propheta nimis esse delicatum Baruch, quia excæcatus amore sui, non respiciat publicam populi salutem: deinde non respiciat Templum, & terram sanctam. Satis frequenter occurrunt in Scriptura metaphoræ istæ plantandi & ædificandi, ideo non insisto. Sed notandum est quamvis Deus totius mundi sit creator, peculiari tamen ratione populum Israëliticum fuisse ejus opus, & simul terram Israel. Deus enim & terram ipsam dedicaverat sibi, ut in ea coleretur, & populum adoptaverat. Ideo sæpe populum illum comparat vineæ, Vinea mea ego te plantavi. non recito multa testi- *supra 2. vers. 21.*
monia, quoniam in re tam facili esset stulta ostentatio ea coacervare. Deus ergo ædificaverat popu- *Jesa. 5.*
lum illum, quia habitabat illic tanquam in suo domicilio: & terra vocata tunc fuit ejus requies. plantaverat etiam populum illum. Ergo in summa notemus, ædificium cujus fit mentio, & plantationem referri ad speciales gratias, quas Deus contulerat in populum illum. Quamvis enim plantasset totum orbem, & cunctas gentes, tamen populus Israël erat ejus plantatio, quemadmodum Jesaiæ 61. cap. dici- *Jesa. 61. vers. 3.*
tur, Plantatio Domini in gloriam, hoc est, plantatus fuit hic populus, ut in ipso Deus gloriam suam illustret. Nunc veniamus ad ipsum complexum. dicit, *Ego diruo quæ ædificavi, evello quæ plantavi*: quasi diceret, Hactenus ornavi populum hunc singularibus donis. elegi enim mihi in hæreditatem: est sanctum genus: est regnum sacerdotale: ego in medio ejus habito: ego ejus tuendi curam suscepi: ego sum ejus Pater: ipse est mihi non tantum filius, sed etiam primogenitus. deinde terra hæc sancta est, quoniam nomen meum in ipsa deposui. plantavi igitur & populum, & terram, & ædificavi: nunc *ego diruo & evello*, inquit. Postea sequitur, *Tu autem quæres tibi magnifica?* Videmus nunc satis aperte, ideo reprehendi Baruch, quod sibi nimium sedulo prospiceret, ac nimis timidus esset: & hoc modo impediretur à suo officio. Dicit igitur, *Et tu quæres tibi.* Emphatice ponitur hæc particula, לך, *tu tibi ipsi quæres.* nam hic quasi in trutina constituit Deus Baruch, & totum populum una cum Templo, & cultu. *An*, inquit, *tu præponderabis?* an tua vita pretiosior erit & Templo, & populi salute, & omnibus donis meis, quæ hic tantopere excellunt? Voluit igitur hoc modo Deus pudefacere Baruch, quia caducam vitam præferebat tot & tam præclaris rebus. *Tu*, ergo, *quæres tibi*, inquit, גדלות, *magnifica*, res magnas? hoc est, an tua conditio erit eximia, quum Templum flagrabit incendio? quum terra vastabitur? quum omnes homines peribunt, & reliquiæ trahentur in exilium & captivitatem? Tu ergo solus hic eris quasi sacrosanctus? tu eris immunis omni jactura, & molestiis? vide an hoc æquum sit. Hic ergo statuit ipsum judicem. Sed quia Baruch adhuc poterat sibi delicias facere, mox ipsum coërcet: *Ne quæsieris*, inquit. scimus enim ut homines sibi indulgeant in amore sui. Ergo ne Baruch persisteret in

suo

suo proposito, ideo Deus abrumpit omnes ejus affectus, *Ne quæsieris*, inquit. postea addit materiam solatii. Hactenus severe, ut dignus erat, castigatus fuit Baruch propter suam mollitiem: nunc autem Deus ignoscit, & addit solatium, quod mœrorem aliqua ex parte leniat, *Quia ecce ego*, inquit, *adducam malum super universam carnem, & dabo tibi vitam tuam in spolium in omnibus locis quocunque veneris.* Hic Deus liberat Baruch præpostero illo metu quo fuerat debditatus, ne qua decebat constantia sese ad opus accingeret. Dicit ergo, Ne metuas tibi, nam vita tua salva erit omnibus pereuntibus. Putabat Baruch se periturum salvo & incolumi populo: pronunciat autem Deus nullos ex populo fore salvos, & ipsum fore in tuto, quum omnes animæ perdentur. *Ego*, inquit, *adduco malum super universum carnem.* breviter quidem loquitur, sed debuit Baruch expendere quod exceperat ex ore Prophetæ. debuit enim persuasus esse de fide & immutabili constantia Dei. Deus ergo pro confesso illud sumit, Instare cladem toti populo, & aliis etiam exteris gentibus. Postea addit, *Animam suam dabo tibi in spolium*, de qua loquutione alibi dictum fuit. Dare alicui vitam in spolium, est eripere quasi ex præsenti morte: quemadmodum ubi omnia patent in prædam, & direptionem, si quis arripiat hoc vel illud, & aufugiat, habet aliquid salvum: quemadmodum etiam si quis ex incendio aliquid rapiat, habet saltem hoc apud se. Ita quum omnia sic miscentur, ut mors undique obsideat homines, qui potest salvus evadere, ille habet vitam suam quasi spolium, hoc est, vitam suam aufert procul à periculo. Jubet ergo Deus Baruch contentum esse hoc beneficio quod salvus evadet, aliis pereuntibus, quemadmodum dixi. Nunc sequitur,

CAP. XLVI.

QUi fuit sermo Jehovæ (*ita ad verbum*) ad Jeremiam Prophetam super cunctas Gentes.

2. Quantum ad Ægyptum, contra exercitum Pharaonis Necho regis Ægypti, qui erat super flumen Euphratem in Charchamis, quem percussit Nabuchadnezer rex Babylonis, anno quarto Jehnjakim filii Josiæ regis Jehudah.

Hic usque ad caput penultimum incipit vaticinari Jeremias contra exteras Gentes, non quod tunc primum cœperit oracula hæc proferre, sed quemadmodum jam dixi, confectum tandem fuit ex ejus prophetiis volumen, non servato ubique ordine temporis: nam capite 25. vidimus minatum fuisse profanis gentibus quas meritæ erant pœnas, etiam antequam Rex esset creatus Jojakim. Sed quemadmodum dixi, separata fuerant vaticinia quæ spectabant ad profanas gentes, quamvis pro temporis ratione prædixerat Jeremias quod postea contigit. Dicit ergo *se vaticinatum fuisse de clade exercitus Ægyptiaci, quem delevit rex Nabuchadnezer, anno quarto Jojakim.* Ergo ante illud tempus jam prædixerat Jeremias quod futurum erat. Quanquam fieri potest, ut antequam armaret Pharao Necho exercitum illum, Propheta prædixerit quod futurum erat. Sed probabile est editum fuisse vaticinium quo tempore profectus est Pharao Necho adversus Chaldæos. nam tunc pugnabat pro Assyriis. Quum enim Chaldæis essent impares, fœdus percusserant cum Ægyptiis. Venerat igitur subsidio, ut Babylonios arceret, & ita defenderet Assyrios contra vim ipsorum. Sed quanquam in principio satis feliciter expeditio illa successit, tandem completum fuit quod prædictum est à Propheta. Nescitur autem an voluerit lenire populi dolorem hoc vaticinio: & tamen libenter recipio quod etiam sequitur major pars Interpretum, nempe quum tunc in maximo luctu esset populus, fuisse datum hoc vaticinium, ut fideles cognoscerent Deum non abjecisse curam populi. Sed tenenda est primum historiæ veritas. quum enim Pharao Necho impulsus, ut dictum est, ab Assyriis, exercitum suum duceret ad Euphratem, occurrit pius rex Josias, qui tunc fœderatus erat Babyloniis, nempe quia post regnum Ezechiæ fuerat amicitia inter Chaldæos & Judæos. Quum ergo vellet Josias obsequium præstare Regi socio & amico, ipse opposuit exercitum Pharaoni: devictus autem fuit, & occisus. Felix autem & læta fuit expeditio Pharaonis quamdiu visus fuit hoste suo superior. Sed quum de victoria gloriari inciperet, repente dejectus fuit. Rex enim Nabuchadnezer non tantum repressit ejus audaciam, sed exercitu ejus profligato, coegit ipsum redire in Ægyptum: & totam illam ditionem occupavit, quæ erat ab Euphrate Pelusium usque. Nondum regio illa continuis mutationibus quæ post acciderunt erat exposita, quando scilicet prædones illi, qui successerant Alexandro magno, jactabant se esse Reges Regum, & quisque ad se omnia trahere conatus est. Hinc enim factum est ut nunc Ægyptii, nunc Asiatici reges pro sua potentia terram illam sæpe concusserint. Nondum id contigerat, quum vaticinatus est Jeremias, necdum natus erat Alexander. sed tamen apparet jam tunc versatas fuisse illas regiones, ut nihil esset certum vel stabile. Tenendum igitur est sic dubios fuisse bellorum eventus, ut nunc Ægyptii partem Asiæ raperent, nunc autem Assyrii minuerent illorum imperium, nunc autem Chaldæi. Tunc sic repulsus fuit Pharao Necho, ut nunquam postea ausus fuerit egredi, quemadmodum testatur Sacra historia, nempe secundo libro Regum capite 24. 2 Reg. 24. vers. 7.
Nunc veniamus ad vaticinium Jeremiæ: dicit *se prophetasse contra exercitum Pharaonis Necho, quum esset ad Euphratem*, hoc est, quum pugnaret, & putaret se fore victorem, ut jam longe lateque populatus fuerat terram hostilem, & sub ditionem suam redegerat multas urbes. Quum ergo tam prosperos haberet successus, tunc jussus est Jeremias contra ejus exercitum vaticinari, ut scilicet Judæi cognoscerent mortem pii Josiæ non fore inultam, quia Deus perdere statuerat totum illum exercitum, à quo Josias fuerat occisus, & ita frangere & prosternere Ægypti potentiam, ut rex Pharao maneret quasi inclusus in carcere, sicuti postea factum est. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos vocare ad tuam militiam, ne unquam defatigemur: & quoniam tanta est nostra imbecillitas, ut impares futuri simus certaminibus; da, inquam, ut suffulti virtute Spiritus tui, pergamus in cursu sanctæ tuæ vocationis; neque unquam frangamur quicquid accidat, sed per omnia pericula discamus sic perrumpere, ut commendemus vitam nostram in manus tuas: & interea ad vivendum & moriendum parati simus, donec tandem nos colligas in beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-QUINTA IN

JEREMIAM.

3. Præparate scutum & clypeum, & accedite ad prælium.
4. Ligate equos, & ascendite equites: & state (*statuite vos*) in galeis vestris, abstergite lanceas, induite loricas.
5. Quare vidi ipsos fractos, aversos retrorsum? Et fortes eorum percutientur, (*percussi sunt*) & fuga fugerunt, & non respexerunt: terror undique, dicit Jehovah.

NUnc Jeremias forma loquendi utitur, quæ satis est familiaris Prophetis, sed tamen remota à communi usu. Prophetæ enim quum judicia Dei & pœnas impiis denunciant, non loquuntur simpliciter, acsi aliquid narrarent, sed adhibent figuras, acsi vellent homines adducere in rem præsentem. Et quo efficacius penetret doctrina in animos hominum, induunt etiam varias personas. nunc inducunt Deum loquentem, nunc autem ex aliorum sensu hoc vel illud pronunciant, nunc recitant Dei mandata. Incipit ergo Jeremias hic citare Ægyptios, quasi esset præco Pharaonis: & ita mutuatur alienam personam. Dicit, *Parate*. ערך significat ordinare proprie: sed hic tantundem valet atque parare. *Parate* ergo *scutum & clypeum*. Videtur צנה esse clypeus majoris formæ, & מגן videtur esse scutum duntaxat quod gestant equites levis armaturæ: *& accedite ad prælium*. Postea addit, *ligate*, aut vincite, *equos*. Hodie non est similis ratio bellandi, ut fuit olim. nam pugnabant in curribus, quemadmodum etiam profani scriptores satis ostendunt. Ideo dicit, *ligate equos*, hoc est, aptate, vel copulate ipsos, ut currus trahant. *Ascendite equites, state in galeis, abstergite lanceas vestras, & induite loricas vestras.* Summa est, venturos Ægyptios bene instructos omnibus armis, ita ut possint esse hostibus formidabiles. Hinc autem clarius apparuit Dei vindicta, quod probe muniti erant, ita ut videri possent adepti victoriam antequam manus consererent cum hostibus. Hæc igitur ratio est cur Propheta enumeret integram panopliam, hoc est, nullam partem armaturæ omittat. Ponit *lanceas, galeas, loricas, currus, equos, clypeum etiam*: ita ut penes ipsos jam sit victoria quoad communem hominum sensum. hoc igitur primum est. Sed notandum est consilium Spiritus sancti. Voluit enim fidelibus auferre velamen ab oculis, quod solet nobis plerumque obstare, ne conspicua sit nobis Dei potentia, ut par est. nam dum sumus defixi in apparatu bellico non putamus quicquam Deo esse residuum. Qui enim optime sunt muniti, videntur esse extra omne periculum. Ut ergo Judæi cognoscerent Deo nihil fore negotii in sumenda vindicta de Ægyptiis: ideo commemorat hunc apparatum. Et species est concessionis quum dicit, Erunt quidem & galea, & lorica, & scuto, & gladio, & lancea instructi, sed hoc nihil proderit ubi ventum fuerit ad rem ipsam. Ergo ex hoc sermone Prophetico discamus non morari Deum omnia quæ sibi comparant homines, dum aliquid aggredi volunt. Fumus enim est quicquid perstringit nobis oculos: ita & copiæ, & arma coram Deo nihil habent momenti, quia solo flatu potest discutere tales nebulas. Et hæc doctrina valde utilis est, quia trahimur ad res externas, & ubi objicitur nobis aliquid speciosum, statim illuc rapimur, & spoliamus Deum omni virtute, quia transferimus ejus gloriam ad larvas istas quæ nobis sunt in conspectu. Nunc ergo tenemus cur Propheta hic loquatur de scutis, & clypeis, & lanceis, & curribus, & galeis, & loricis. nam sequitur continuo post, *Quare*, vel quomodo, *vidi eos fractos?* Hic Propheta ex opposito despicit quæcunque ante recensuit cum magnifico elogio. loquutus enim est tanquam ex communi hominum sensu. Et quemadmodum dixi, suscepit personam præconis, acsi Pharao ipse mandaret Ægyptiis, ut statim arma caperent. Hoc igitur in speciem erat formidabile. Sed Propheta nunc quasi locatus in sublimi, dicit, Quid hoc est? nam מדוע est particula admirantis, Quomodo. Transit igitur à communi opinione carnis ad spiritum Propheticum: quasi diceret, Si quis æstimet Ægyptios ab externo splendore, dicet fore victores suorum hostium: sed si quis altius conscendat, & judicium faciat non ex sensu carnis, sed ex Dei Spiritu, videbit hoc totum fluxum & caducum. Sed emphatice accipitur hæc interrogatio, *quomodo?* quia vix persuaderi poterat exercitum illum tam probe munitum fore in prædam Babylonis, & properare duntaxat ad stragem. Quoniam ergo hoc incredibile erat, si quis rem ipsam attenderet, ideo interrogat Propheta, *Quomodo vidi ipsos?* Dicit tamen *se vidisse*, nempe quia Deus statuerat eum quasi in specula, quemadmodum diximus. Hoc porro videre tam ad corpus quam ad animum referri potest. *Vidi aversos retrorsum*, quum tamen irruerent, ut postea diret, instar diluvii. *Fortes*, inquit, *eorum sunt percussi, & fuga fugerunt.* Denique significat non tantum fore animi in Ægyptiis, ut sustineant impetum hostium, quia frangentur arcana Dei virtute. Addit quoque trepidam fugam, ut non audeant respicere à tergo, adeo ipsos periculum urgebit ad festinationem. Tandem subjicit in Dei nomine, *terror undique, dicit Jehovah.* Hic tertio personam mutat, quoniam pronunciat quasi ex ore Dei *fore undique terrorem*: & ita sibi respondet ad illam interrogationem, Quomodo? nempe quia Deus exercet contra ipsos suum judicium, inquit. Quoties ergo videbimus nihil hostibus nostris, vel Ecclesiæ Dei ad victoriam deesse, veniat nobis in memoriam hæc Prophetæ sententia, non esse causam cur despondeamus animos, etiamsi admiratione aliqua tangamur: quia Deus tandem sic operabitur, ut frangat etiam absque hominum manu eos qui terrorem toti mundo incutiunt. Postea sequitur,

6. Ne effugiat velox, & ne servetur fortis in Aquilone, (*in Septentrione*) super ripam fluvii Euphratis impingent (*vel impegerunt, est præteriti temporis*) & ceciderunt כשל *significat etiam corruere, ideo vertunt alii corruerunt: sed videtur esse species gradationis.*

Primo igitur loco dicit eos imperaturos, mox vero subjicit casum, nisi magis placeat idem repeti. potest etiam legi affirmative principium versus, Non effugiet velox. Sed quoniam particula אל sæpe est prohibentis, ideo potest aperte hic etiam versus exponi in Dei persona, & ita erit hæc sententia legenda

genda uno conteatu cum superinre, *ne effugiat velox, & ne evadat fortis.* Deus enim hie pro imperio affirmat nihil profuturam celeritatem, vel fortitudinem Ægyptiis, quia velocissimi quique capientur ab hostibus, & fortes concident. Dicit, *in terra Aquilonis super ripam fluvii.* Scimus Babylonem, & Assyriam, & Chaldæam, & illas regiones sitas esse versus Aquilonem respectu Judææ: ideo quoties loquuntur Prophetæ de Babylonis, vocant eos Septentrionales: Ægyptus autem ad Meridiem vergebat, quemadmodum satis patet ex plurimis Scripturæ locis. Quoniam autem hic sermonem habet Propheta de Ægyptiis, merito Chaldæam facit Septentrionalem: Ergo *ad ripam fluvii Euphratis impingent, & corruent,* loquit. Summa est, in Dei arbitrio fore belli illius eventum, ut conterat Ægyptios, & prosternat, vel dissipet, quantumvis bene armati sint, & confidant suis viribus. Interea notandum est, quæcunque subsidia sibi accersunt homines ad tuendam salutem, nihili esse ubi Deum habent adversum. Ponit quidem duntaxat species duas Propheta, sed intelligit etiamsi polleant homines multis facultatibus, tamen perituros si ita Deo placeat, quia neque velocem servabit sua fuga, neque fortem robur suum. Sequitur,

7. Quis iste tanquam lacus ascendet, (*vel ascendit, ad verbum*) tanquam fluvii sese agitant (*aut moventur*) aquæ ejus?

8. Ægyptus tanquam lacus ascendit, (*ascendet, ad verbum: sed significat continuum actum*) & tanquam fluvii sese movent aquæ. dixit enim, Ascendam, & operiam terram: perdam urbem, & qui habitant in ea.

Rursus Propheta occurrit dubitationibus, quæ poterant retinere piorum mentes, ne exciperent hoc vaticinium qua decebat fide, & reverentia. diximus enim, ubi sensus nostri occupati sunt in rebus externis, Dei potentiam non magni fieri. Ergo quum sermo habetur de regno aliquo inexpugnabili, non potest hoc nobis venire in mentem, omnia munimenta coram Deo nihili esse: ideo necesse est magnifice extolli Dei potentiam, ubi concionantur Prophetæ de illius judiciis. Alioqui, quemadmodum diximus, dictabit carnis sensus, Qui bene muniti sunt, fore à malis immunes, & quasi extra jactum telorum, ideoque nihil ipsis metuendum esse. Et hac etiam imaginatione sese decipiunt superbi, quia opponunt Deo suas copias, sua auxilia, & quicquid valere existimant pro sensu carnis suæ ad salutem suam tuendam. Sic fit, ut secure contemnant omnes minas, quia scilicet existimant totidem sibi esse propugnacula ad omnem ejus vim repellendam, quot illis occurrunt subsidia. In hunc finem nunc dicit Propheta, *Quis est iste qui tanquam lacus surgit*, vel intumescit, *tanquam fluvii moventur*, vel sese agitant, *undæ ejus?* Loquitur autem ex communi sensu, quia solus aspectus poterat incutere hominibus metum, & ita Judæi nunquam putassent fore quod Propheta hic asserit. Ergo quasi inducit omnes libere sciscitantes ea sensu suo *quis est iste?* quasi Pharao non esset quispiam mortalis, sed superaret humanum modum. nam interrogatio huc spectat, Pharaonem esse quasi exemptum à communi hominum sorte, quia turget sua potentia, acsi fluvius exurgeret, vel intumesceret: *aquæ ejus tumultuantur*, inquit. Jam addit, *Ægyptus est instar fluvii, & instar lacus:* tumultuatur cum sua fortitudine acsi flumen aliquod undas suas projiceret. Sed hoc totum nihil erit, quemadmodum postea subjiciet. Adjungit, *Dixit, Ascendam, operiam terram, perdam urbem.* Est enim mutatio numeri quum ponit urbem singulari numero. *Perdam urbes, & quicunque in illis habitant*, inquit. Denique hic statuit in medio Pharaonem, qui jam triumphos suos agat ante pugnam, quoniam poterat multitudine peditum & equitum terram obruere. Nunc sequitur,

9. Ascendite equi, & (*quidam vertunt, insanite: sed dura esset metaphora, ideo simpliciter accipio*) jactate vos currus, (*ponit in singulari numero, quum tamen verbum sit pluralis numeri*) egredientur fortes, nempe Æthiopes, & Libes, qui tenent clypeum, & Lydi, qui tenent & tendunt arcum.

Prosequitur eandem sententiam, & enumerat quæcunque poterant fidem abrogare ejus vaticinio. nam quum fideles viderent Ægyptios non tantum proficisci ad illam expeditionem cum ingentibus copiis, sed habere etiam externa auxilia, nempe Æthiopes, & Libas, imo transmarinos milites ex Lydia: quum ergo viderent undique milites stipendiarios adjunctos esse Ægyptiis, vix erat credibile fieri posse ut tantus exercitus profligaretur. Ergo Propheta hic dicit, Etiamsi conducat Pharao Æthiopes, & Libas, & Lydos: tamen cum suis omnibus auxiliis peribit. Iterum loquitur in persona Pharaonis, *Ascendite equi*: postea, *jactate vos currus, & egrediantur fortes*. Egressus iste potest referri ad terras, unde accersebantur. Primo enim loco ponit Æthiopes, qui vicini quidem erant Ægyptiis, sed tamen distincti. Postea adjungit populos Libyæ, nempe Aphros, vel qui medii erant inter Ægyptum & Aphricam. Dicit autem *illos apprehendere scutum.* Designat formam armaturæ, non quod carerent galea, & gladio, & aliis armis: sed quia præcipua fiducia erat in clypeis: quemadmodum scimus Macedonas fuisse peltatos, & fuisse insignes illa armatura, sic etiam Propheta nunc dicit Æthiopes, & Libas esse præditos scutis, vel clypeis. Ponit Lydos, qui erant ab altera parte, imo qui erant ex opposito littore maris. scimus enim Lydos fuisse in Asia minore, quum Ægyptii essent medii inter Aphricam & Judæam. Mare ergo Mediterraneum erat interpositum. Unde apparet, procul & magnis sumptibus accita fuisse auxilia à Pharaone, quum bellum illud suscepit. Et probabile est etiam fuisse alias gentes conductitias: sed Propheta tantum ponit Æthiopes, & Libas, & Lydos, qui erant postremi. Dicit autem *illos apprehendere arcum*, quia erant optimi sagittarii. Nunc sequitur,

10. Verum (*copula enim hic adversative exponi debet, Atqui*) dies ille Domino Jehovæ exercituum, dies ultionis ad ulciscendum de adversariis suis: & vorabit gladius, & saturabitur, & inebriabitur sanguine ipsorum: quia victima Domino Jehovæ exercituum in terra Aquilonis ad fluvium Euphratem.

Postquam explicuit Propheta illas terribiles copias Pharaonis, quibus sic fidebat, ut gloriari auderet de certa victoria, nunc dicit longe alium fore eventum: *Atqui*, inquit, *dies ille erit dies ultionis Jehovæ*: quasi diceret Pharaonem tantum respicere currus suos, & equites, milites conductitios, eorum

arma,

arma, & omnes bellicos apparatus: interea non respicere Deum, qui non frustra Deus exercituum vocatur. Et quanquam Scriptura passim tribuit Deo hoc epitheton, hic tamen referri debet ad præsentem causam. Ridet igitur Propheta Pharaonem, quia putet eventum belli fore in manu sua, quasi penes Deum nulla esset moderatio. Dicit igitur in arbitrio Dei positam esse victoriam, neque id modo, sed pronunciat quid futurum sit: *Dies*, inquit, *ille erit dies vindictæ Deo nostro.* His verbis significat Deum infestum esse Ægyptiis: & causam heri retulimus, quoniam scilicet occiderat Pharao Necho in transitu pium regem Josiam. Ergo dignus erat cujus arrogantiam Deus prosterneret: deinde cujus sævitiam, & tyrannidem castigaret, ac reprimeret. Quum autem Ægyptios vocat *Dei adversarios*, hoc referri debet ad solatium electi populi, quod scilicet Deus suscepit ipsorum causam. unde enim factum est ut Ægyptius esset hostis? nempe quia pati noluit pium illum Regem impune esse cæsum. Ergo nunc tenemus quid sibi velint hæc verba, *diem illum fore diem vindictæ Deo exercituum*: quasi diceret Deum fore præsidem, & moderatorem illius belli, ita ut omnes copiæ Pharaonis nihil profuturæ sint. Postea clarius exprimit ad confirmationem quod dixerat, *Gladius*, inquit, *vorabit, & saturabitur, & inebriabitur sanguine ipsorum.* Sed in fine versus affirmat hoc fore justum Dei judicium. Deus enim sic extollit suam potentiam, ut tamen semper velit agnosci justus quoties infligit pœnas impiis. nam severitas ejus sæpe videtur nimia: & ideo Prophetæ ubi loquuntur de vindictis quas Deus sumpturus erat, simul adjungunt testimonium aliquod justi judicii, quemadmodum hoc loco, *victima est Deo exercituum.* sub nomine enim victimæ Propheta significat hanc cladem fore puram ab omni nota. nam perinde est acsi diceret, Deus glorificabitur in strage illa, quum Ægyptii omnes perdentur. Quorsum enim offerimus Deo victimas, nisi ut prædicetur ejus gloria, tam quia justus est, quam quia est misericors, & omnipotens, & fons omnis sapientiæ, & rectitudinis? Videmus ergo quorsum spectet nomen victimæ, ne quis scilicet trucidationem hanc reprehendere audeat, acsi Deus nimis esset rigidus, vel modum excederet in sanguine fundendo. Dicit igitur omnes illas cædes totidem fore sacrificia, in quibus Dei justitia, simul cum potentia fulgebit. Rursus locum designat in terra Aquilonis prope Euphratem, quo major sit fides & certitudo vaticinii. Nunc sequitur,

11. Ascende in Gilead, & sume resinam virgo filia Ægypti: frustra multiplicas medicamina: sanitas nulla tibi.

Hic nihil novum addit Propheta, sed confirmat alio genere figuræ superiorem sermonem. Dicit igitur stragem hanc fore instar plagæ letbalis, quemadmodum si Deus tolleret omnem spem Ægyptiis. Scimus quidem regnum Ægypti tunc non periisse. fuit igitur ipsa gens superstes, sed ita afflictum fuit regnum Ægypti, ut sicuti heri dictum fuit, sese tenuerint intra claustra, neque postea eduxerint suas copias. Et tamen scitur quanta fuerit superbia & audacia illius gentis: sed videbant se prorsus fractos, & attritos esse. Ideo Propheta non abs re cladem hanc dicit fore insanabile vulnus, quo Deus sic percutiet Ægyptum, ut non recuperet amplius pristinas vires. Post tempus enim illud nunquam floruit regnum Ægypti, & paucis post annis ut videbimus in secundo vaticinio, redactum fuit in potestatem regis Babylonii. Nunc sermonem convertit ad ipsam Ægyptum: vocat *puellam filiam Ægypti*: quæ loquendi ratio passim trita est apud Prophetas. Vocant Babylonem ipsam filiam Babylonis, vocant Judæam filiam Jehudah. Sed hoc intelligitur de populo, vel de regno. Puellam autem vocat ob delicias: quasi diceret teneros & molles fuisse Ægyptios, quoniam longa pace collegerant & vires, & omne genus opulentiæ. Quum ergo ita inebriati essent suis deliciis, puella vocatur Ægyptus per ludibrium. *Ascende Gilead*, inquit, *& sume resinam*: quanquam alii vertunt, Balsamum. Hieronymus alicubi transtulit Mel, sed sine ratione: & probabile est potius hac voce notari resinam, quam balsamum. Quanquam colligi potest ex aliis locis optimam resinam fuisse in monte Gilead, quemadmodum etiam diximus cap. 8. hujus libri. Resina autem est humor, qui defluit ex arboribus, præsertim ex terebintho: & ideo optimum resinæ genus est, terebinthina, quam vocamus *terebenthine*. Quanquam nascitur etiam resina in abietibus, & aliis arboribus. Sed, quemadmodum jam dixi, mons Gilead fuit resinosus: neque tantum laudatur ob copiam, sed etiam ob præstantiam: quemadmodum medicamina in quibusdam locis meliora & magis efficacia reperiuntur. Ex communi ergo loquendi usu dicit, *Filia Ægypti ascende Gilead, & illic accipe resinam: sed frustra*, inquit, hoc est, etiamsi studeas remedium quærere tuis malis, nusquam invenies. erit enim tua hæc plaga insanabilis: non quod perierit regnum Ægypti, vel prorsus deletum fuerit, sed quia conciderint vires, ut rex Chaldæus libere prædatus fuerit totam illam regionem Asiæ, quam occupaverant Ægyptii usque ad Pelusium, hoc est, usque ad ipsa claustra Nili. Tandem subjicit,

12. Audierunt Gentes opprobrium tuum, & clamore tuo repleta est terra: quia fortis contra fortem impegit, & simul ceciderunt ambo.

Concludit hoc vaticinium, ubi dicit famam hujus cladis ubique per omnes populos fore celebrem. Si exiguam duntaxat jacturam fecissent Ægyptii, poterat hoc latere, quemadmodum si leve prælium commissum fuerit, non perfertur rumor longe & late: sed ubi uno prælio gens aliqua sic devicta est, ut insignis aliqua contingat mutatio, hoc passim divulgatur. Propheta igitur his verbis intelligit fore non vulgarem plagam Ægypti, quemadmodum etiam ante dixit, quia rumor volitabit per omnes gentes. *Audierunt ergo omnes gentes opprobrium tuum*, quod scilicet Ægyptii turpiter devicti essent à Chaldæis, & non tantum in fugam conjecti, sed cæsi magna ex parte, ita ut regnum Ægypti prope amissum fuerit: redacti saltem fuerint in tales angustias, ut perdiderint optimas urbes, & amplissimam ditionem, nempe in tota Asia usque ad ripam Euphratis. Dicit, *clamore ejus plenam fuisse terram.* per vocem, vel clamorem intelligit lamentationes. tandem subjicit, *Quia fortis impegit in fortem.* Posset hoc ita exponi, Conflixit fortis cum forti, sed Chaldæus robustior fuit Ægyptio. Ego autem potius interpretor de Ægyptiis. & potest etiam hoc colligi ex fine versus, ubi dicit *ambos cecidisse.* Ita Propheta intelligit multitudinem, qua superbiebant Ægyptii, fore illis impedimento, quemadmodum solet fieri, ubi acies turbata est. Nam quo major est & copiosior exercitus, eo magis inter se tumultuantur, & alii alios perturbant. Si exiguus esset exercitus, possent vel paulatim diffugere, vel subsistere & retrahere pedem, donec haberent tutum effugium: sed in magna turba, est etiam magna trepidatio, & inde tumultus, ut

 omni-

omnia sint confusa. Id ergo designat Propheta hoc versu quum dicit, *Fortis contra fortem impegit, & simul ceciderunt ambo*, hoc est, quantumvis confligant, impingent tamen inter se, hoc est, collident inter se, & mutuo in tumultu, ita ut cadant simul, & corruant quasi mole sua.

Da omnipotens Deus, quando videmus opulentissima regna non effugisse manum tuam, ut discamus tantum recumbere in auxilium tuum, & nos tibi qua decet humilitate subjicere, ut protegamur manu tua, & hæc unica fiducia nos sustineat in omnibus periculis, quod susceperis salutis nostræ curam: & interea militemus sub vexillo tuo in sincera vitæ pietate: donec tandem potiamur fructu victoriæ nostræ in cœlesti tuo regno per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-SEXTA IN JEREMIAM.

13. Sermo quem loquutus est Jehovah ad Jeremiam Prophetam ad veniendum, *vel de veniendo, de adventu* Nabuchadnezer regis Babylonis ad percutiendam terram Ægypti.

Superius vaticinium fuit tantum de clade exercitus Ægyptiaci, quum Pharao vellet opem ferre Assyriis, quibus tunc erat fœderatus. hæc vero prophetia longius extenditur. Denunciat enim Jeremias fore etiam Ægypto suas vices, quemadmodum scimus ab aliis etiam Prophetis pœnas illis denunciatas fuisse. Et Ezechiel multis capitibus hoc argumentum prosequitur, quia suis illecebris deceperant populum Dei: & ideo pœnas de illis exegit Deus, non tantum ob scelera quibus provocaverant ejus iram intus, sed quia corruperant Judæos, & magis ac magis confirmaverant ipsos in sua obstinatione. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Summa est, postquam Deus judicium suum exercuerit contra Israëlitas, & Judæos, fore etiam judicem Ægypti, & aliarum gentium. Porrò notandum est, hoc vaticinium editum fuisse antequam Urbs caperetur. Quum ergo starent adhuc incolumes Ægyptii, & illorum auxilio freti Judæi putarent se fore tutos ab omni violentia Nabuchadnezer, tunc vaticinatus est Propheta. Atque iterum videmus non servari temporis ordinem in his vaticiniis: quia concionatus fuerat de clade exercitus quarto anno Jojakim. Probabile autem est, quamvis tempus hic non designetur, prædictum tunc fuisse exitium Ægyptiis. nam antequam inciperet Jeremias defungi munere Prophetico, Jesaias clamabat contra Ægyptum. Eodem etiam tempore Ezechiel quum exularet apud Chaldæos, subscripsit vaticiniis Jeremiæ, & multo etiam plura dixit contra Ægyptum. Notandum tamen est, Jeremiam non semel duntaxat prophetasse de hac clade Ægypti. postquam enim illuc tractus fuit, ut ante visum est, confirmavit quod prius dixerat. Multis ergo annis ante captam Urbem prædixerat Jeremias quod hic legimus. Sed quum Judæi spernerent quod prius docuerat, iterum illis confirmavit quum esset in Ægypto, neque id sine magno vitæ discrimine, quia neque Regi, neque etiam Genti parcebat. Dicit ergo *tunc sibi datum fuisse sermonem de adventu regis Nabuchadnezar ad percutiendam terram Ægypti.* Hactenus loquutus est de pœna quam Deus inflixit Ægyptiis, sed extra regnum prope ripam Euphratis. Nunc ergo alia Ægypti pœna memoratur, quum scilicet rex Nabuchadnezer non tantum progressus est obviam, ut Ægyptios arceret à suis finibus, sed perrupit in ipsum regnum, & spoliavit multas urbes, & ita afflixit totum regnum, ut postea Ægyptius quasi precario regnaverit. Sequitur,

14. Annunciate in Ægypto & promulgate in Migdol, promulgate in Noph, & in Taphnees: dicite, Sta, & para te, quia voravit (*vel consumpsit*) gladius circuitus tuos.

Prosequitur eandem loquendi formam quam heri vidimus: & ratio fuit exposita, quoniam ut homines parum attenti sunt ad judicia Dei, frigida fuisset Jeremiæ legatio, si familiariter & more vulgato loquutus esset. Oportuit igitur ipsum in sublime attolli, & proferre emphaticos sermones, quemadmodum facit. Rhetores affectant magniloquentiam: sed tantum ut suo strepitu plausum captent, vel afficiant hominum animos inani aut metu, aut gaudio. sed Prophetæ aliud spectant, nempe ut doceant, hortentur, reprehendant, minentur cum aliquo fructu. Dicit *Annunciate in Ægypto:* quasi hic ex tribunali proferret sententiam, quia præditus etiam erat divina auctoritate. jubet igitur hunc nuncium perferri ad Ægyptios. postea quasdam urbes nominat, Migdol, Noph, & Taphnees. Noph quidam existimant esse Alexandriam: sed probabile est esse Memphim, & id etiam satis liquet ex multis Scripturæ locis. Falluntur autem qui existimant eandem fuisse urbem Migdol, nam Propheta noster hic distinguit. de Taphnees alibi fuit dictum. Erant autem urbes istæ & celebres, & Judæis magis notæ propter viciniam. Scimus Memphim fuisse urbem famosam: sed major etiam erat illius cognitio apud Israëlitas, quoniam non procul aberat à transitu, quemadmodum colligitur etiam ex secundo libro Mosis, & aliis locis Scripturæ. Deinde vidimus Judæos habitasse in Taphnees, quum profugi essent à patria, & excepti fuissent hospitio. Perinde igitur est, acsi diceret Propheta, Deum jam armatum esse adversus Ægyptios. Sed quoniam non erat illis præfectus doctor, ideo loquitur tanquam de gentibus exteris: *Annunciate*, inquit, *in Ægypto*, hoc est, sciant hoc Ægyptii. *Dicite, Sta, & para te, quia voravit gladius fines tuos*, vel quicquid est in circuitu tuo. His verbis significat Propheta, etiamsi Ægyptii ante tempus & mature admoniti sibi caveant, tamen inutilem fore eorum diligentiam, quia non impedient quo minus exequatur Deus quod statuit. Loquitur tamen de re incredibili, quoniam Ægyptii putabant se procul abesse ab omni periculo, ideo dicit Propheta, quantumvis se parent, tamen frustra id facturos. deinde deridet eorum securitatem, quod scilicet existiment omnes suos fines esse extra jactum telorum. Sequitur,

15. Quomodo dispersus est fortis tuus? (*ad verbum est, fortes tui, est mutatio numeri*) non stabit, (*vel non stetit*) quia Jehovah impulit eum. (*iterum mutatur numerus, designat enim fortes illos.*)

His

His verbis clarius exprimit Propheta quod nunc attigi, Ægyptios ſcilicet non fore pares ad reſiſtendum, quamvis colligant undique auxilia, quoniam Deus contra ipſos bellum geret. Per admirationem interrogat, Qui factum eſt, vel qui fit, *ut fortes tui ita diſperſi ſint?* verbum enim ſignificat verrere: ſed hoc loco accipitur pro diſpergi. Statim reſpondet: *Nempe*, inquit, *quoniam Deus impulit ipſos, non potuerunt ſtare.* Quorſum ſpectet interrogatio heri diximus, quia ſcilicet increduli pro fabula ducunt quicquid audiunt ex Prophetis: & quamdiu proſpere illis res ſuccedunt, indormiunt quodammodo ſuæ fortunæ, ac inebriantur, ut non metuant quicquam, neque exiſtiment ſe fore obnoxios ullis incommodis. Quoniam ergo tam ſuperbe profani homines Deum contemnunt, ideo ex communi ſenſu Prophetæ interrogant, *Qui hoc fit?* quia ſcilicet Jeremias ſermonem habebat de rebus adhuc occultis, & quæ non poterant cadere ſub communem hominum ſenſum. Videmus ergo quid valeat admiratio, *Quomodo ceciderant fortes tui?* Nempe, inquit, *quia ipſos impulit Jehovah, non ſtabant.* Hic rurſus tenendum eſt quod heri breviter attigimus, nempe perverſa fiducia profanos homines ſeſe decipere, dum opponunt Dei potentiæ terrena ſubſidia, & exiſtimant ſe bene eſſe munitos quum habent multas copias, quum habent propugnacula. Deinde quum hinc inde etiam poſſunt ſibi accerſere auxilia: ſciamus nihil magis eſſe exitiale, quam confidere terrenis opibus, ubi Deus pronunciat ſe nobis eſſe infeſtum. Huc ſpectat quod dicit Propheta, *Non conſtiterunt, quia Jehovah impulit ipſos:* quaſi diceret negotium Ægyptiis fore non tantum cum rege Babylonio, ſed cum Deo ipſo, quem provocarunt. Sequitur,

16. Multiplicavit, impingent, etiam cecidit quiſque in ſocium ſuum: & dixerunt, Surge, & revertamur ad populum noſtrum, & ad terram nativitatis noſtræ, à facie gladii populantis.

Brevitas verborum facit, ut obſcura vel ambigua ſit ſententia: ſine ſubſtantivo ponitur hic verbum, הרבה, multiplicavit: ſed refertur ad Deum. Deus ergo multiplicavit. deinde mutatio eſt numeri. ſingularis enim vice pluralis accipitur quum dicit כושל Senſus eſt, multos fore qui impingant, quia ſcilicet impellet ipſos Deus, quemadmodum dictum fuit proximo verſu. Hinc pendet quod mox ſubjicitur, *Etiam cadet quiſque in ſocium ſuum*, hoc eſt, antequam hoſtis ipſos feriat, ultro tumultuando ſeſe collident, ut quiſque impulſu ſocii ſui corruat. Poſtea addit, *Et dicent, Surge* hic non de indigenis habetur ſermo: quidam exiſtimant hoc ſpectare ad exteros, qui in Ægyptum conceſſerant propter terræ fœcunditatem. erat enim illis perquam commoda habitatio in Ægypto, quam ſcimus fuiſſe opimam, & refertam omni copia. Quoniam ergo multos peregrinos, & hoſpites alebat Ægyptus, exiſtimant quidam interpretes Prophetam de illis loqui: quaſi diceret, Qui venerunt in Ægyptum, ut commode illic degerent propter rerum omnium affluentiam, videbunt nihil ſibi melius eſſe, quam procul illinc fugere. *Dicent* igitur, *Surge*, hoc eſt, quiſque hortabitur alterum, dicendo, *Eamus in terram nativitatis noſtræ*, hoc eſt, contenti ſimus ſolo noſtro natali. nam iſta Ægypti ubertas nobis erit mortifera ſi maneamus. Sed potius exiſtimo Prophetam reſpicere ad milites conductitios. Heri vidimus, quum Pharao militaret ad ripam Euphratis, fuiſſe in ejus exercitu Æthiopas, & Lydos, & multos etiam ex Libya: & paulo poſt videbimus iterum fuiſſe milites conductitios in Ægypto quum eam aggreſſus eſt Nabuchadnezer. Optime ergo convenit, Prophetam verba facere de militibus exteris, quos ſtipendiis ſuis alebat Pharao. nam initio verſus dixit, *Quiſque impinget in proximum ſuum:* deinde ſequitur, *Tunc dicent, Revertamur ad populum noſtrum, & in terram nativitatis noſtræ.* Quum dicit, *Impinget quiſque in proximum ſuum*, certe intelligit fortes illos, qui ad protegendam Ægyptum vocati fuerant. De iiſdem ergo continuat ſermonem quum dicit, *Surge, & revertamur in terram nativitatis noſtræ.* Dicit, *A facie gladii populantis:* quanquam היונה quidam deducunt à יין, hoc eſt, vino, & exponunt, Gladium inebriatum. Hieronymus vertit, Columbam, ſed abſque ratione. Ergo gladium populantem vocat, qui jam inebriatus erat multo ſanguine, & qui ediderat multas ſtrages. Intelligit autem gladios militum Nabuchadnezer. quidam vertunt Contriſtantem gladium: ſed illa expoſitio videtur mihi frigida. Dicunt igitur, Quia jam fracti ſumus, & videmus hoſtes graſſari impune per ſtrages, & occidere omnes obvios, nihil tutius eſt, quam redire in terram noſtram. Sequitur,

17. Clamarunt illic, Pharao rex Ægypti perturbationis, præteriit tempus ſtatutum. (*vel condictum.*)

Conjungi debet hic verſus cum ſuperiore. refert enim militum voces, qui decepti ſua opinione clamarunt tandem, *Pharao eſt nobis Rex perturbationis.* prædicit Propheta quod futurum erat: ſed in tempore præterito loquitur communi more. Prophetæ enim ſtatuunt res incognitas quaſi ante oculos, quo ſcilicet fidem ſuis vaticiniis concilient. Dicit ergo fore clamorem inter milites, *Pharao rex Ægypti eſt Rex perturbationis.* שאון enim in genitivo caſu legi debet: quaſi diceret Prophetæ milites re ipſa ſenſuros Pharaonem non reſponſurum ſuæ jactantiæ. Nomen Ægypti prius inflabat illum, & totam gentem arrogantia: deinde apud vicinas gentes etiam erat formidabile. Quum ergo venirent ad Pharaonem, putabant ſe venire ad quempiam Deum: Propheta deridet ſtultam illam perſuaſionem, & temere conceptam, ac dicit, Quemadmodum clamabunt illic, Pharao qui Rex eras magnificus, tu nunc es Rex tumultus, vel perturbationis. Quod ſequitur male exponunt Interpretes, meo judicio. omnes enim uno conſenſu exiſtimant rideri Pharaonem, quod tempus extraheret, quum tamen prius dixiſſet ſe venturum contra Nabuchadnezer: ſicuti terreni Reges ubi exiſtimant ſe ſatis eſſe inſtructos, non exſpectant dum immineat hoſtis, aut dum inveniat eos domi: ſed procul obviam eunt. alii putant fuiſſe condictum tempus ad prælium: quemadmodum olim ſolebant ſibi hinc inde condicere certum diem, quo deſcenderent ad conflictum. ſed ex proximo verſu colligere licet, Prophetam aliud velle. Ridet igitur, niſi fallor, ſtultitiam Pharaonis alia de cauſa, quod ſcilicet putaret fuiſſe vanas & frivolas minas, quæ ſparſæ fuerant apud Judæos. neque enim latebat Ægyptios quid prædictum eſſet à Prophetis. Jeſaias longo tempore vociferatus fuerat contra Judæos quum fœdus percuterent cum Ægyptiis, & illuc confugerent ad petendum auxilium. Non dubium eſt quin aulici ut ſibi gratiam acquirerent, dixerint, Ecce, Prophetæ noſtri impediunt quantum poſſunt, & cavendum eſt, ne populum avertant. dum ergo tempus eſt fœdus ſancite utile vobis erit non minus quam nobis. Quum ergo multis ante annis prædicta fuiſſet Ægypti clades, & poſt Judæam everſam, & vaſtatam manerent incolumes Ægy-

 ptii,

ptii, probabile est fuisse magis obduratos, quum scilicet putarent tempus elapsum esse: & hoc, quemadmodum dixi, confirmat contextus. Sequitur enim,

18. Vivo ego, dicit Rex (*cui nomen est Rex*) Jehovah exercituum: quoniam sicut Thabor in montibus, & sicut Carmelus in mari, veniet.

Quorsum hoc diceret Propheta, nisi quia Ægyptii propter moram temporis putabant se elapsos esse? Quum ergo diuturnitas illos falleret, dum putabant Deum mentitum esse, vel esse oblitum eorum quæ prædixerat per suos Prophetas, dicit, *Vivo ego, inquit Jehovah*, hoc est, per vitam meam: jurat hic Deus per vitam suam, venturum quicquid nunc denunciat. Hic videtur genuinus esse sensus: neque tantum propter Ægyptios ita loquutus est Propheta, sed propter Judæos. Scimus enim illis fuisse solenne, & nimis tritum, jactare vana esse terriculamenta quæcunque loquuti fuerant Prophetæ ex ore Dei.
Jesa. 22. vers. 13. hinc illa dicteria, Cras moriemur, edamus, & bibamus. deinde vocabant prophetias Onera, odiose scilicet, simul etiam per contemptum. Quum ergo impii sibi impunitatem promitterent ex Dei tolerantia, ideo necesse fuit illis testatum fieri quod hic legimus, nempe venturum esse quicquid minatus fuerat Deus, etiamsi ad tempus dissimulet. Suspendit enim pœnas: sed interea tandem erumpit ejus ultio, quum increduli putant omnia prospere cessura: imo
1 Thes 5. vers. 3. quum dicunt, Pax, & securitas, tunc repente illos obruit interitus. מועד ergo tempus intelligit à Prophetis præfixum, non quod diem certum notassent, sed quia loquuti fuerant de clade Ægypti, acsi jam Deus in medium produxisset vindex. Quoniam ergo dicebant tempus elapsum esse, Deus hic per vitam suam jurat: & ideo dicit, *Cui nomen est Rex Jehovah exercituum*. Opponit hic Deus suam magnitudinem potentiæ Pharaonis, & omnium aliorum Regum: quia felicitas superbiam fere secum trahit: & quicunque excellunt dignitate, & potentia, redduntur feroces: ideo ut reprimat Deus talem insolentiam, dicit non in alios quam in se unum competere nomen Regis æterni Dei exercituum. *Veniet*, inquit, *sicut Thabor est in montibus, & Carmelus in mari.* coacta est eorum expositio, qui dicunt, Sicuti feræ ut effugiant venatores transeunt in vicinos montes à monte Thabor: & sicuti arbores cæsæ in Carmelo vehuntur per mare: hoc nimis est coactum, nec potest etiam bene aptari præsenti loco. quorsum enim tendit Propheta? nempe quod nuper testatus est fore immutabile, & ita firmum ac fixum, ut non possit revelli: etiamsi totus mundus conetur labefactare quod Deus decrevit, tamen nihil facturum. Dicit ergo, *Sicut Thabor est in montibus*, id est, sicuti mons Thabor circumdatus est aliis montibus, & habet illic firmas suas radices, ita ut non possit avelli: sicuti etiam Carmelus est in mari. Carmelum vero hic Judæi intelligunt non montem illum ubi habitabat Nabal, sed montem qui prominet instar linguæ, non procul à Ptolemaide) Carmelus ergo ille cingitur, vel alluitur mari: ac proinde dicit, *Sicuti Carmelus est mons in mari, & sicut mons Thabor situs est in loco alto inter montes*, & tam Carmelus quam Thabor manent defixi, neque transferri queunt in alium locum: ita veniet, id est, firmum erit hoc vaticinium, neque carebit suo effectu: quasi diceret non posse rehgi decretum illud Dei immutabile, sicuti non potest rapi Carmelus, ut alio transeat, neque etiam Thabor. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Sequitur jam,

19. Vasa migrationis fac (*vel para*) tibi habitatrix Ægypti: quia Noph (*id est, Memphis*) in solitudinem erit, & vastabitur, ut non sit habitator.

Insultat Propheta Ægyptiis, ut magis ac magis confirmet suam doctrinam. diximus enim, & experientia nimis docet, parum moveri incredulos, quum Deus illos citat ad suum tribunal, & dat vindictæ suæ signa: manent enim stupidi, nisi violenter excutiatur illis torpor. Hæc ratio est cur Prophetæ gravius insultent reprobis, nempe ut illorum somnolentiam expergefaciant. Dicit igitur, *Sume tibi vasa transmigrationis*, hoc est, & vestes, & alia compara tibi ad migrandum. Ægyptii propter terræ fœcunditatem quieti manebant in patria, & quasi sedentariam vitam agebant. Nunc Propheta significat alio illis migrandum esse, & jubet ut se comparent ad longum iter, vel peregrinationem. *Fac* igitur *tibi vasa transmigrationis, quia Memphis in solitudinem redigetur & vastabitur ut non sit habitator.* Memphim iterum ponit, quam diximus urbem fuisse celeberrimam, & regiam sedem: illam dicit subjectam fore vastationi, quum tamen sciamus fuisse illic Pyramides, quæ numerantur inter orbis miracula. urbs erat populosa, & habebat multas commoditates: Propheta illi vastitatem denunciat. Si ergo manet talis solitudo urbem celeberrimam, quid fiet minoribus oppidis? quid fiet pagis ipsis? Nunc tenemus consilium Prophetæ, nempe quum irruptionem faciet Nabuchadnezer in Ægyptum, omnia ei fore exposita, ut pro libidine rapiat, spoliet, & totam terram devastet. Nunc sequitur,

20. Vitula formosa Ægyptus: afflictio ab Aquilone venit, venit.

Hic significat Jeremias quamvis lasciviat Ægyptus in suis deliciis, tamen non posse effugere Dei vindictam. Heri admonuimus cur Prophetæ commemorent opes, & divitias, & potentiam impiorum, quia scilicet excæcantur dum abundant omnibus bonis. Neque enim quicquam metuunt, nec solliciti sunt: sed falsa opinione se eximunt ab omni malo. quoniam ergo ita superbiunt increduli, Prophetæ ex opposito anticipant, & dicunt, Quantumvis exultent in suis viribus & copiis, tamen ubi Deo visum fuerit ipsos spoliare, fore omnium miserrimos. Propheta igitur in summa aufert falsam opinionem tam Ægyptiis, quam Judæis: quasi diceret, Ægyptii confidunt sua prosperitate, nempe quemadmodum si vitula in agris lasciviat: *sed calamitas*, inquit, *alunde venit, venit.* Repetit idem verbum, ut tollat omnem dubitationem. *Venit* ergo, *venit afflictio ab Aquilone*, nempe à Babyloniis, qui siti erant versus Septentrionem respectu Judææ, quemadmodum heri diximus.

21. Etiam mercenarii ejus in medio ejus tanquam vituli saginati: quia etiam ipsi vertent terga, fugient simul, non steterunt, quia dies calamitatis (*vel miseriæ*) venit super eos, tempus visitationis ipsorum.

Hic Propheta vocat mercenarios Ægypti, ut nuper diximus, cæteros milites, qui hinc inde conducti fuerant etiam ex regionibus longinquis, sicuti ex Lydia: quanquam fieri potest, ut eo tempore non

multi

molti mare trajecerint ad Ægyptios: sed habebant Æthiopes, quemadmodum etiam dicit Ezechiel multos venisse Chus, hoc est, Æthiopiam. deinde habebant alios ex Lybia, & vicinia terris. Illos ergo comprehendit Jeremias uno nomine, & dicit, *Etiam mercenarii ejus*. Qui autem ita conducunt suas operas videntur magis esse bellicosi. nam qui defendunt suam patriam, faciunt hoc necessitate. Sed qui ultro quærunt bellum, & discedunt procul à suis finibus, ut militent, illi videntur esse homines projecti ad omnem audaciam. Sed Propheta dicit גם, hoc est, *Etiam mercenarii ejus*, id est, non tantum Ægyptii, qui assueti sunt molli & teneræ vitæ, sed Æthiopes, & alii qui procul accersiti fuerint, *illi etiam in medio ejus sunt vituli saginati*, hoc est, replebunt se Ægypti abundantia: & hinc fiet, ut futuri sint præda hostium. scimus enim nihil magis contrarium esse militibus, quam si molliter, & laute vivant. Nam ea vetustis ducibus Hannibal celebratur. sed qui factum est, ut cum illo invicto exercitu, quo terruerat totam Italiam, conciderit? nempe quia Campania suis lautitiis illum fregit. illic enim vixit non militariter, sed habuit mensas opiparas cum toto exercitu. hinc factum est ergo, ut amplius non fuerint quales fuerant. Sic etiam Propheta dicit, Ægyptus perdet milites suos conductitios. nam ipsos saginabit suis lautitiis. Quid tandem accidit ipsis? comparat eos vitulis מרבק, hoc est, saginarii. vertunt quidam Vitulos pascui, sed non recte, רבק enim significat proprie saginare: ergo vocat vitulos saginarii qui saginantur ut contrahant pinguedinem, & statim mactentur. Dicit ergo, *Ipsi quoque vertent terga, & fugient simul.* tandem dicit, *Non stabunt, quia venit tempus calamitatis.* Non possem hoc nunc absolvere.

Da omnipotens Deus, si nobis indulgeas, ne abutamur tua patientia, ne etiam lasciviamus in prosperitate: sed discamus nos ita sponte subigere, ut tibi pareamus tota vita, & mortificare carnem nostram, ne ullo fastu, vel perversa fiducia efferamur, sed ita degamus sub metu tuo, ut semper te revereamur, quum reputabimus te esse justum mundi judicem, & tamen in te recumbamus, quum agnoscemus te esse nobis Patrem, quemadmodum nos adoptare dignatus es in Filio tuo unigenito Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-SEPTIMA

IN

JEREMIAM.

22. Vox ejus tanquam serpentis incedet: quia in potentia incedent, & cum securibus venient contra eam, sicuti cæsores lignorum.

NOn tam elegantiæ studet Propheta, quam ut confirmet quod ante docuerat. Pertinent igitur figuræ, quibus nunc utitur, non ad sermonis ornatum simpliciter, sed potius ad vehementiam: quia sicuti dictum fuit, vaticinia non satis haberent fidei apud homines stupidos, nisi adderentur tales stimuli. Dicit autem *vocem Ægypti ambulaturam quasi vocem serpentis:* alii vertunt, Quasi serpens: sed malo in genitivo casu legere, & melius convenit: quia significat Propheta obstreperas fore querelas Ægypti, quemadmodum serpentes reptando edunt suos susurros. & ita significat Ægyptios clade accepta, adeo fractos fore, ut non audeant liberas querimonias emittere sicuti qui palam vociferantur: sed qui erunt superstites eos terrore attonitos fore, ut obmurmurent, quemadmodum serpentes sibilando reptare dictum fuit. Nunc tenemus genuinum Prophetæ sensum. Dicit Ægyptios ita fore abjectos, ut non audeant pleno ore conqueri de suis miseriis, quia tantum obmurmurabunt, non secus atque obscuris sibilis utuntur serpentes in terra. *Vox ergo ejus*, inquit, *tanquam serpentis incedet*, hoc est, perget: & ita significat inquietudinem, quia quærent latebras, & fugient huc atque illuc, & nusquam audebunt consistere. Hoc vero signum est miserrimæ trepidationis, ubi qui malis succubuit, non reperit tamen locum ubi pedem figat, sed cogitur oberrare, quemadmodum serpentes. Hieronymus vertit Instar æris, quasi scriptum esset נחשת. sed jam ostendimus quid velit Propheta. Subjicit, *Venient enim cum exercitu*, vel cum potentia, חיל significat utrumque. loquitur nunc de Chaldæis. dicit trepidos fore Ægyptios, & ita contritos, ut ne liberos quidem gemitus audeant emittere. Nunc sequitur ratio: *Venient enim Chaldæi cum potentia*, vel cum exercitu: venient non tanquam milites ad præliandum, *sed tanquam cæsores lignorum cum securibus.* Significat minime dubium fore belli eventum, sed Chaldæos in Ægyptum venturos acsi ad cædendas arbores accederent homines conductitii. Milites enim armantur gladiis & lanceis: quia cum hostibus negotium est, nec possunt vincere sine periculo, vel saltem non vincunt sine sudore. Propheta autem dicit Chaldæos ea fiducia refertos fore ut non ducant Ægyptios pro hostibus: quia venient tanquam ad cædendas arbores, quæ non resistunt. *Venient ergo sicuti cæsores lignorum.* Tacita est antithesis inter gladios & lanceas, & inter secures, sicuti etiam inter milites, & cæsores lignorum. Sequitur,

23. Exciderunt sylvam ejus, dicit Jehovah, quia non investigabitur, quia multiplicati sunt præ locusta, (*plusquam locustæ*) & non illis numerus.

Hic prosequitur eandem sententiam: utitur quidem præterito tempore, sed scimus hoc usitatum esse Prophetis. Rursus comparat populum Ægypti sylvæ, quemadmodum singulos homines dixerat similes fore arboribus. *Exciderunt* ergo *sylvam ejus*, hoc est, excident, *inquit Jehovah.* Confirmandi causa tribuit Deo hunc sermonem: quasi diceret se nihil prædicere quod non statuerit Deus. Ergo vult tollere omnem dubitationem: quia poterant ab una parte Judæi quum expenderent Ægypti opulentiam, detrahere fidem huic vaticinio: Ægyptii etiam sprevissent, confisi suis viribus, minas istas: ideo Propheta inducit Deum loquentem, quasi diceret hoc decretum non posse revocari, quia Deus loquutus sit: & dicit, *multiplicatos esse plusquam locustas, ita ut non sit numerus.* Unum omisi quod præcessit: *Non investigabitur.* quoniam bis legitur particula כי, communiter utrumque de Chaldæis dictum esse volunt. vertunt alii, Non numerabitur. atqui verbum חקר proprie significat inquirere, & investigare. posset commode sic resolvi oratio, Ut non investigetur sylva. Quanquam alter sensus magis receptus est, quod scilicet non numerabuntur Chaldæi. Quod si hæc expositio placet, erit mu-

ratio numeri, quia paulo post sequitur, רבו, *multiplicabuntur*: deinde, *& non erit numerus* להם, *ipsis*. Verum, meo judicio, non male quadrat quod priore loco dixi, nempe nullam fore investigationem sylvæ Ægypti, id est, populi: quia quum sylvá aliqua cæsa est, apparet nuda planities, nec potest notari cujusque arboris locus. Quantum ad rei summam pertinet, parum est discriminis: denique intelligit Propheta cladem, de qua vaticinatur, tantam fore, ut Ægyptus in vastitatem redigenda sit, quoniam venient cum numeroso exercitu Chaldæi; & opponit hunc numerum copiis Ægyptiacis, ut intelligant hostes longe superiores fore. Sequitur,

24. Pudefacta est filia Ægypti, tradita in manum populi Aquilonis.

Dicit *pudefactam esse Ægyptum*, quia redigeretur in maximum dedecus: contumeliose enim ipsam tractabunt hostes. Per *populum Aquilonis* intelligit Chaldæos, quemadmodum & aliis pluribus locis. nam Babylon respectu Ægypti vergebat ad Septentrionem. denique significat superbos victores fore Chaldæos, ut contumeliose opprimant Ægyptios, ubi illis potiti fuerint. Nec mirum est eandem rem toties repeti à Propheta, quoniam res erat incredibilis eo tempore, ut ante diximus. Quoniam ergo difficile erat Judæis persuadere, Chaldæos fore victores illius gentis, & terræ, ideo hanc sententiam pluribus verbis confirmat Jeremias. nam hac fiducia luctatur cum obstinata incredulitate populi. Pergamus.

25. Dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Ecce ego visito super multitudinem quæ ab Alexandria, & super Pharaonem, & super Ægyptum, & super deos ejus, & super Reges ejus, & super Pharaonem, & super eos qui confidunt in ipso.

Iterum Propheta loquitur Ipsius Dei nomine, & opponit Dei gloriam pertinaciæ gentis suæ, quia ut dictum fuit, parum proficiebat quum minitaretur Ægyptiis. Judæi enim dum credebant terram illam esse inexpugnabilem, securi erant: quoniam putabant Ægyptios sibi venturos in subsidium, & ita persuasi erant se munitos esse contra omnem vim hostilem. Quoniam ergo inebriati erant perversa illa fiducia Judæi, cogitur Propheta non tantum pluribus verbis insistere, sed producere Deum quasi judicem. Non ergo hic concionatur suis verbis, sed dicit, *Jehovah exercituum Deus Israël loquutus est*, *Ecce ego*. plus vehementiæ fuit in hac loquendi forma quam si Propheta suo nomine recitasset quod Deus mandaverat, & tamen non commoti fuerunt Judæi, sed valuit tamen hæc oratio ad frangendam ipsorum contumaciam. Dicit ergo, *Ecce ego visito super multitudinem*. אמון hic accipitur pro המון: ponitur loco ה. quanquam sunt qui vertant, Regem, sed coacte. *Visitabo super multitudinem quæ est ab Alexandria*. scimus illam fuisse celeberrimam urbem Ægypti, quanquam nondum impositum erat hoc nomen. neque enim natus erat Alexander qui de suo nomine eam vocavit: sed retinebat nomen suum antiquum נא: sic enim vocatur apud Hebræos: postea cœpit vocari Alexandria, & mutatum fuit ejus nomen. Est autem synecdoche, quoniam complectitur Propheta totam Ægyptum, genus sub specie. Deus enim non pepercit reliquis urbibus Ægypti, & ex contextu facile apparet vaticinium extendi ad omnes plagas terræ illius, nec excipi vel minimum angulum. Sed quoniam poterat Alexandria manere salva, quum aliæ urbes expugnarentur, ideo producitur in medium, quasi diceret nihil tutum fore in Ægypto: *Ecce*, inquit, *visito super multitudinem*. erat urbs valde populosa, sicuti colligitur ex profanis scriptoribus: & hinc etiam plus superbiæ. putabant enim urbem satis fore tutam quum haberent quasi justum exercitum. Deridet vero Propheta hanc inanem gloriam, ac dicit nihil profore Alexandriæ ingentem populum, quin ipsa potiantur Chaldæi. *Visito* igitur *super totum populum*, deinde *super Pharaonem*, *& Ægyptum*. Nunc satis intelligimus fuisse nomen urbis quæ excellebat, & diserte expressam fuisse ejus multitudinem, ut scirent Ægyptii se non posse effugere cladem, quia bellum ipsis erat cum Deo, non autem cum hominibus. quantisper enim respiciebant solos Chaldæos, manebant securi: sed Propheta expergefacit illos à suo veterno, & dicit non spectandum esse quid valeant Chaldæi, quia militabunt sub Dei auspiciis, & eo duce penetrabunt nullo negotio per totam Ægyptum. ideo dicit, *Super Pharaonem*, *& super Ægyptum*. addit, *Et super deos ejus*. Scimus terram illam valde fuisse deditam superstitionibus, & imbuti fuerunt Ægyptii crassis ac pudendis erroribus quum alioqui pollerent ingenio & perspicacia. sed Deus amentia & furore illos percussit, ut similes fere essent brutis pecudibus. Cæterum, quia putabant sibi certam salutem fore in suis idolis, Propheta illis excutit hanc fiduciam, & Deum pronunciat fore judicem non hominum modo, sed etiam idolorum. nam scimus homines vel superstitione sese confirmare adversus Dei minas, vel fiducia suarum virium. quamdiu defixi sunt in mundo, semper colligunt hinc inde materiam bene sperandi, & hinc fit ut existiment se fore salvos quasi Deo invito. Propheta subegit illam stultitiam quum diceret, *Ecce ego visito super multitudinem Alexandriæ*. jam adjungit, *Visito super deos Ægypti*: quoniam increduli ubi sentiunt sibi non sufficere terrena præsidia, confugiunt quidem ad Deum, sed non aspirant recta via: quia evanescunt in stultis suis cogitationibus. Hæc igitur ratio est cur minetur etiam idolis Ægypti Propheta. Subjicit, *Super Reges ejus*. unus quidem erat rex Ægypti. cur ergo plurali numero utitur? posset exponi hoc de successoribus: sed malo Regum nomen accipere pro ipsis Satrapis, & Proceribus, sicuti scimus tam opulentum fuisse regnum, ut aleret quasi plures Reges. Ego itaque existimo Prophetam ornare tam magnifico titulo Proceres, & Satrapas Ægypti. Et confirmat hanc sententiam, quod continuo post sequitur, *super Pharaonem*, *& super eos qui confidunt in eo*. Repetit nomen Pharaonis, & quum dicit visitatum iri qui in ipso confidunt, non dubito quin designet Proceres illos, quos nuper insignierat Regum nomine. Tenemus ergo nunc genuinum sensum: quamvis præditus esset Pharao multis præsidiis, munitus ingenti multitudine hominum, haberet etiam maximos Satrapas: tamen hoc totum fore evanidum ubi bellandum erit cum ipso Deo. atqui Deus hic pronunciat se fore ducem totius belli qui dirigat Chaldæos. Nunc sequitur,

26. Et dabo illos in manum quærentium animam ipsorum, & in manum Nabuchadnezer regis Babylonis, & in manum servorum ejus, & postea habitabitur sicut diebus antiquis, dicit Jehovah.

Prose-

Prosequitur Jeremias eandem sententiam: continuat vero sermonem in ipsius Dei persona, ut vehementius percellat alioqui tardos animos: *Dabo*, inquit, *ipsos in manum hostium*, & quidem capitalium. Diximus enim alibi animam quærere, qui sanguini non parcunt. Ergo hic exprimitur sævitia exercitus Chaldaici: quasi diceret fore hostes capitales Ægyptiis. & seipsum explicat: nempe, inquit, *in manum regis Babylonis, & in manum servorum ejus*, quod magis probrosum fuit, non tantum Nabuchadnezer esse victorem Ægypti, sed etiam ejus servos. Tandem additur promissio, non in gratiam illius profanæ gentis, sed ut ostendat Deus se fore eatenus misericordem erga Ægyptios, ne prorsus eos absumat. *Habitabitur* ergo *sicut diebus antiquis*. Ezechiel capite 29. dicit regnum fore parvum & humile, vel abjectum. Propheta autem noster videtur eandem promittere fortunam, & statum Ægypti, postquam clade illa fuerit afflicta. Sed jam diximus promitti restitutionem Ægyptiis, non quia Deus erga ipsos placatus fuerit, sed voluit tamen suam clementiam patefieri in judiciis quæ exercebat etiam contra exteras gentes: deinde hoc etiam valuit ad certitudinem vaticinii, quum post Ægypti cladem sequuta fuerit restitutio, de qua concionatus fuerat Jeremias. Magis ergo perspecta fuit Prophetæ fides in illa duplici mutatione, quam si simpliciter dixisset, Affliget Deus Ægyptum. Nunc ergo tenemus quo consilio loquutus fuerit Propheta de futuro Ægypti statu. Sequitur,

Eze 29. v. 14, 15.

27. **Et tu ne timeas serve mi Jacob, & ne expavescas (*vel frangaris animo*: תחת *significat conteri, & frangi, sed magis refertur ad animum metaphorice. ne ergo frangaris animo*) Israël: quia ecce ego servo te è longinquo, & semen tuum è terra captivitatis ipsorum: & revertetur Jacob, & quiescet, & securus erit, & nemo exterrëbit. (*nemo qui exterreat, ad verbum.*)**

Nunc Propheta sermonem dirigit ad Israëlitas. diximus enim non fuisse profanis gentibus ordinatum doctorem. ergo quicquid de profanis gentibus concionatus est, hoc ad populi utilitatem spectavit. diximus enim quorsum Prophetæ extenderint vaticinia de judiciis Dei ad omnes populos: nam alioquin exanimati fuissent Israelitæ, acsi deterior fuisset eorum conditio quam alienorum. Quid hoc sibi vult? Deus nos elegit in populum peculiarem, interim soli sumus miseri, Deus totum suum rigorem in nos effundit, interea parcit incredulis: præstaret nos ab ipso in totum rejectos esse, quia fœdus quod nobiscum pepigit, hoc tantum affert ut simus aliis miseriores. Poterant ergo in desperationem ita ruere miseri Israëlitæ, nisi fuisset tempestive occursum. Deinde aliud etiam spectarunt Prophetæ, vel potius Spiritus Dei, qui per eos loquutus est. nam si nihil prædictum fuisset, quasi clausis oculis præteriissent judicia, quæ exercuit Deus in omnes eorum vicinos. impletum enim fuit quicquid prædixerat Jesaias, Jeremias, & Ezechiel. si tacuissent de clade Ægypti, & Philistinorum, & Moabitarum, populus, ut erat quasi obrutus socordia, non considerasset judicia Dei, sed putasset illa omnia accidere casu fortuito. Prophetæ igitur quasi in speculo repræsentarunt Dei potentiam, ut scirent Israëlitæ illam extendi ad totum orbem, & singulas gentes. Hæc igitur ratio est cur nunc sermonem suum convertat Jeremias ad populum electum: *Ne timeas*, inquit, *serve mi Jacob*. sustinet adhuc personam Dei quum ita loquitur. Deus autem vocat Jacob servum suum non ob obsequia, sed quoniam elegerat. Ergo sub hac voce commendat Deus gratiam suæ adoptionis, non autem officia populi. scimus enim quam fuerint præfracti & inobedientes, scimus ut jugum subinde excusserint, ut quasi Deum ipsum calcaverint pedibus, tantum abest ut se placide subjecerint ejus imperio, quemadmodum servos decebat. Hic ergo non laudatur obedientia in Israelitis, sed proponitur in medium electio, qua Deus ipsos segregaverat ab aliis gentibus. Cur ergo Jacob fuit servus Dei? non quod hunc honorem promeritus esset suis meritis, sed quia Deus gratis illum sibi eligere dignatus fuerat. Sic
Psal. 116. etiam David, Ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ:
vers. 16. significat se esse quasi vernam, vel servum hæreditarium, qui antequam conceptus esset in utero matris, jam fuerit addictus Deo. sed quia hæc ratio loquendi frequenter occurrit, levius eam prætereo. *Ne timeas* ergo, inquit, *Jacob, & ne animo frangaris Israel.* (Duplex quidem nomen ponitur, sed Deus populum suum more satis trito bis compellat.) quare? *quia ego servo te.* Nunc tenemus cur vocaverit Jacob servum Dei, quia scilicet salus electi populi pendebat ab hoc privilegio singulari, quod Deus illum sibi voluerit in populum eligere. *Ego*, inquit, *servo te è longinquo.* jam decem Tribus procul abactæ erant, ut satis notum est: pars etiam Jehudah in exilium tracta fuerat: distantia locorum spem reditus tollebat. Deus ergo hic pronunciat longum illud intervallum sibi non fore obstaculo quo minus populum suum reducat ubi ita visum fuerit. *Ecce ego servo te.* postea prævenit objectionem: Quid? cur ergo Deus ita patitur nos trahi in alienas terras? cur saltem non subsistimus in terra nostra? Deus, inquit, non minus facile te servabit in locis illis remotissimis, quam si tu maneres in natali solo, & propria tua quiete. *Et semen tuum*, inquit, *è terra captivitatis ipsorum.* Extendit Dei promissionem in futurum tempus, quia, ut jam visum fuit, præfixerat tempus septuaginta annorum exilio populi. pseudoprophetæ interea jactabant ante triennium redituros esse captivos. Propheta igitur ne vanas spes sibi fingant & imaginentur Judæi, jubet eos manere quietos, & patienter ferre longum tempus exilii, & amplecti hanc Dei promissionem, etiamsi effectus non appareat ante mortem ipsorum. hæc igitur ratio est cur dicat, *Deus servabit semen tuum è terra captivitatis.* Hinc autem colligimus, quamvis Propheta dissereret de temporali restitutione populi, longius tamen & altius ipsum respexisse, nempe ut recumberent captivi in Dei misericordiam, & statuerent illum sibi fore propitium etiam mortuis. Ostendit ergo hic locus spem filiorum Dei non includi in hac vita, sed extendi longius, nempe ut post mortem sciant Deum sibi fore propitium, & gustu gratiæ ejus se sustentent, quia alioqui ridicula fuisset hæc promissio, Deus restituet filios vestros, sed vobis mortuis: Et cur nobis ita est implacabilis? cur non revocat nos citius? poterant ergo ita excipere Judæi: sed Propheta admonet, quamvis non statim redituri sint in patriam, manere tamen firmum Dei fœdus, & manifestum fore ejus effectum post septuaginta annos. Nunc tenemus consilium Prophetæ. *Jacob revertetur, & quiescet, & securus erit.* miror cur alii vertant, Felix erit. nam שאנן significat securum esse & quiescere: deinde seipsum explicat Propheta, *nec erit qui exterreat.* scimus autem hanc esse præcipuam felicitatis partem ubi nullus terror nos sollicitat, sed sumus compositis & tranquillis animis. Cæterum his verbis significat perseverantiam gratiæ Dei: quasi diceret non in eo tantum fore conspicuam, quod populum incolumem reducet ab exilio, sed quia rursus miseros illos sic restituet, ut vigeat apud ipsos plena felicitas, & continua. Sequitur,

28. Tu

28. Tu ne timeas serve mi Jacob, dicit Jehovah, quia ego tecum: quia faciam consumptionem in cunctis Gentibus ad quas te expulero illuc, (*est supervacuum* שׁמ) & tecum non faciam consumptionem, & castigabo te in judicio, & excidendo non excidam te. (*alii vertunt, non faciam te innocentem, sed male, ut postea dicemus.*)

Repetit eandem sententiam, nec mirum: quia rebus ita desperatis non facile fuit erigere populi animos, deinde fulcire, ita ut patienter expectarent redemptionis tempus: oportuit quasi ab inferis ipsos attollere in lucem. nam captivitas parum à morte
Eze. 37. distabat: quemadmodum etiam Ezechiel ostendit tritas fuisse inter eos illas voces, Scilicet Deus excitabit mortuos è sepulchris, quoties pollicebantur Prophetæ Deum illis Redemptorem fore: Oh scilicet Deus suscitabit nos? hoc est fabulosum: & hac de causa etiam Deus jussit ossa mortua & arida surgere, & recipere cutem suam, & carnem: saltem illud ostensum fuit in visione sancto Prophetæ. Nunc ergo tenemus cur Propheta rem satis claram bis repetat, *Ne timeas serve mi Jacob*, quia scilicet non poterant gustare Dei misericordiam, nisi erumperent ex magnis difficultatibus, deinde non satis erat semel esse amplexos promissionem hanc nisi in eam constanter recumberent. Ergo Propheta ut eos animet ad bene sperandum, & simul ut eos retineat in constantia & confirmet, bis dicit, *Ne timeas serve mi Jacob*. Postea adjungit, *Ego sum tecum*: pendebat autem hæc promissio, ut dictum fuit, à gratuita adoptione, quia populum illum Deus sibi elegerat, ut esset regnum sacerdotale. Postea addit, *Quia faciam consumptionem in cunctis Gentibus*. Hac comparatione lenit omnem dolorem ac mitigat. nam quamvis per se acerba esset populi conditio, tamen quum expenderent Deum mitius cum ipsis agere, quam cum reliquis mortalibus, fuit hæc materia amplæ consolationis. Propheta ergo quoniam videbat fieri posse ut Judæi animis exasperatis, nullam Dei gratiam admitterent, ideo ostendit quantumvis severe Deus ipsos castiget, tamen clementem fore erga ipsos, si respiciant alias gentes. quare? *Consumptionem*, inquis, *faciam in aliis gentibus*, hoc est, perdentur sine remedio: quasi diceret lethale fore vulnus quod infliget aliis gentibus, se vero consumptionem non facturum in electo populo. Videtur hoc minime consentaneum esse cum proxima sententia ubi dixerat, *Postea rursus habitabitur Ægyptus, sicut diebus antiquis*: quomodo conveniat illa Ægypti restitutio cum his verbis Prophetæ? Respondeo, ubi Deus mitigat suum rigorem erga incredulos, non tamen illis esse propitium, nec indulgentiam qua utitur signum esse paterni favoris, quemadmodum etiam nuper attigi. Quamvis ergo superstites fuerint Ægyptii post cladem acceptam, Deus tamen consumptionem fecit in Ægypto, quia illic residebat ejus vindicta post illud tempus. Nunc si veniamus ad electum populum, dicit Deus pluribus aliis locis, *Consumptionem in te faciam*: videtur etiam hic esse aliqua species repugnantiæ: verum est, si quis verba tantum attendat: sed dicitur *Deus consumptionem facere in electo populo*, ubi corpus ipsum populi delet, & consumptio etiam illa est externa, interim manet semper occulta aliqua radix. In summa, quum Deus dicit se consumptionem facere in gentibus profanis, hoc intelligi debet, quoniam à radice Deus illis maledicit, quemadmodum si staret arbor, sed radix esset emortua: sic etiam profanæ gentes eminent: sed interea consumptæ sunt, quia Deus addixit eas æterno exitio. Consumptio autem dicitur fieri in filiis Dei, ubi nihil apparet in superficie terræ, nisi forte aridus truncus, sed manet viva radix, quæ deinde pullulat, & ex qua nascuntur surculi. Videmus ergo quomodo Deus faciat consumptionem in omnibus incredulis, & non faciat consumptionem in electo populo.

Da omnipotens Deus, quando semel testatus es te nobis fore in Patrem, & pignus tuæ adoptionis nobis dedisti Filium tuum unigenitum, ut hac promissione confisi non dubitemus etiamsi aliquando durius nos castiges, tamen te fore tandem misericordem, & ita non desinamus ad tuam clementiam confugere, & sic nos tibi subjiciamus, & patiamur abs te corrigi, ac interea spes ista nos fulciat, & leniat omnes nostros dolores, ut in omnibus nostris miseriis, tamen semper glorificemus nomen tuum in eodem Filio tuo Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-OCTAVA
IN
J E R E M I A M.

HEri exposuimus quid sibi velit non facere consumptionem. summa fuit, interdum sic vindictam Dei grassari contra Ecclesiam ut videri possit consumpta, manere tamen spem occultam: quia Deus quasi à morte excitat suos. Diximus hoc sensu intelligendum esse quod nunc promittit Jeremias electo populo: distinguit enim hic Deus Israëlitas ab extraneis, quia propter foedus quod cum ipsis pepigerat, sit illis parsurus, ita ut aliquid spei residuum faciat, etiamsi ad tempus videatur perdita esse ipsa Ecclesia. & seipsum exponit aliis verbis, *Castigabo te*, inquit, *in judicio*. nam in judicio castigare est sibi moderari ne rigor usque
cap. 10. ad interitum perveniat. sic Jeremiæ decimo, Castiga
vers. 24. me Jehovah, sed in judicio, non autem in furore tuo. Propheta illic in persona omnium fidelium subjicit se Dei ferulis, quia ipsis utile est corrigi: si enim Dominus illis parceret, possent abuti ejus indulgentia, & ita putrescere in suis vitiis. Ergo Propheta sese offert Deo castigandum, sed deprecatur extremam iram, quam opponit judicio. Nomen Judicii apud Hebræos varie accipitur: sed illic, quemadmodum & in loco præsenti, significat modum, vel moderationem. Deus ubi poenam de incredulis exigit, non potest damnari nimiæ severitatis, semper enim justus est, & modum tenet. atqui, sicut jam dixi, judicium non accipitur simpliciter pro rectitudine, sed pro paterno Dei affectu, ubi poenas temperat, ut cedant in medicinam & salutem electis. Moderate ergo promittit se poenas sumpturum de Ecclesia non tantum quia justus erit, sed etiam quia clementer suis parcet, ac respiciet quid ferre possint, & quid sit ipsis utile. Hic autem locus diligenter notandus est, ex quo petere licet præcipuam consolationem, nempe ubi docemur poenas quæ nobis divinitus infliguntur esse temporales, & Deum illis finem dare quem cognoscit nobis fore optimum. unde enim desperatio quæ obruit incredulos, nisi quia demersi in abysso non sentiunt Deum sibi fore misericordem, sed apprehendunt meram ejus iram? hinc fit igitur ut nihil solatii gustent in suis malis ac doloribus. Quoties igitur nimia anxietas nos constringit,

vel

vel etiam mala nostra ad desperationem sollicitant, discamus ad hoc solatium confugere, nempe pœnas quibus castigamur esse temporales. Postea adjungit, *Et excidendo non excidam te*. Diximus heri alios secus exponere, Non reddam te innocentem: & hoc sensu accipitur interdum hoc verbum נקה: sed non potest ferre contextus, nisi quis velit resolvere copulam, ut sit posita vice adversativæ particulæ, Quamvis non faciam te innocentem, castigabo tamen te paterna moderatione. Quia tamen illud coactum est, non dubito quin Propheta intelligat moderatam fore castigationem, quoniam Deus non prorsus excider populum electum, quemadmodum etiam exposuimus capite trigesimo bujus libri. & ita confirmat Propheta quod nuper dixi, Deum scilicet filiis suis parcere, quia porgat eos afflictionibus, quemadmodum aurum excoquitur & purgatur igne, ut pœnæ ad interitum non tendant. Sequitur nunc caput quadragesimum septimum.

CAP. XLVII.

QUi fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam Prophetam contra Philistim, antequam percuteret Pharao Azah.

Hic vaticinatur Jeremias contra Philistinos, qui hostes fuerant Israelitis, & multa crudeliter & inique contra ipsos machinati fuerant. Dubium igitur non est quin testari voluerit Deus hoc vaticinio amorem suum erga Israëlitas, quoniam susciperet ipsorum causam, & injurias, quæ ipsis illatæ fuerant, esset ulturus. Tenemus ergo nunc quorsum, vel in quem finem Deus prædixerit cladem Philistinorum, nempe ut agnoscerent Israëlitæ paternum erga se ejus amorem, quia sese opponeret eorum hostibus: & ita suggessit illis materiam tolerantiæ, quia ad tempus oportuit ipsos expectare, dum impleret Deus hoc vaticinium. notat autem tempus, *antequam Pharao percuteret Azah*, vel Gazam. fuit vetus Gaza, quantum licet colligere, maritima: sed post illam dirutam fuit alia ædificata, cujus fit mentio apud Lucam
Actor. 8. in Actis. urbem fuisse celebrem, & opulentam satis
vers. 26. apparet ex profanis scriptoribus; sed falluntur quod existiment nomen fuisse impositum à thesauris: dicunt nomen esse Persicum Gazah, & quum Cambyses exercitum moveret contra Ægyptum, illic deposuisse præcipuas suas opes. sed nomen עזה vetustissimum est, atque Hebraicum: deinde certissimum est, ע fuisse pronunciatum tanquam G nostrum. & hoc etiam cognoscitur ex aliis vocibus Hebraicis. nam Gomorra dicitur עמרה Hebraice: sed ע litera illa pronunciata olim fuit tanquam ג: non erat aspiratio, sed aliquid durius aspiratione. Sic etiam צער Segor verterunt Græci & Latini interpretes. Ergo Gaza non habuit nomen à divitiis, sed habuit nomen Hebraicum Azah potius à fortitudine. Dicit nunc Jeremias se vaticinatum fuisse contra Philistinos, *antequam Pharao percuteret urbem illam*, non autem dirueret. Atqui videmus Prophetam nihil illi minari ab Ægyptiis, sed potius à Chaldæis. cur ergo hic de Pharaone loquitur? tenenda est primum historia, deinde facile perspiciemus Spiritus sancti consilium. Quum venisset Pharao ad ferendas Judæis suppetias sub rege Zedechia, quemadmodum ante vidimus, coactus fuit statim se recipere in Ægyptum, quia Chaldæi soluta obsidione sese verterunt contra Ægyptios: quoniam illis deletis, facile sciebant se potituros esse tota Judæa. ergo ad tempus omissis Judæis venerunt contra Ægyptios. Pharao quum sibi diffideret, quemadmodum dixi, retro egit exercitum: sed spoliavit Gazam in itinere, quæ infestissima fuerat Judæis, & voluit ostendere se non venisse frustra, quamvis hoc ad levandos Judæos nihil faceret. Verum ita in rebus nihili sese ostentant terreni Reges. Pharao ergo tunc spoliavit Gazam, sed non tenuit eam. illo igitur tempore Jeremias clades majores prædixit. Et hoc diligenter notandum est, quia alioqui nulla esset ratio cur Propheta concionatus esset de Philistinis, nisi longius respexisset. Ergo veniamus ad secundum versum:

2. Sic dicit Jehovah, Ecce aquæ ascendunt ab Aquilone, & erunt in torrentem exundantem, & exundabunt terram & plenitudinem ejus, urbem & habitatores ejus: & clamabunt homo, (*hoc est, singuli homines clamabunt*) & ululabit omnis incola terræ.

Non dubium est quin Propheta monere voluerit Judæos hoc duntaxat esse præludium, quum direpta esset Gaza, & instare longe graviores pœnas impiæ genti, quæ tot injurias misero Dei populo intulerat. nam si Gaza tantum passa fuisset jacturam illam, poterant Judæi conqueri de sorte sua, quasi leviter defuncti essent impii illi qui tam scelerate se gesserant, & tot modis provocaverant Dei vindictam. poterant igitur excipere, Quid hoc sibi vult? Deus quidem leviter percussit Gazam, sed nos libenter redimeremus animas nostras, quemadmodum qui cupiunt effugere naufragium projiciunt merces, & quicquid habent pretiosum in mare: ita si tantum vivere nobis daretur, parati essemus abjicere omnes nostras facultates. poterant ergo Judæi ita deflere suam sortem: ideo Propheta dicit aliquid gravius manere urbem illam. Quum ergo videbitis Gazam spoliari, inquit, ne putetis hoc esse extremum Dei judicium, *quia ecce aquæ surgent ex Aquilone*, hoc est, Chaldæi extremam manum imponent in exequenda Dei vindicta: Ægyptii tantum diripient opes urbis, quod ipsis erit tolerabile: cæterum tandem advenient Chaldæi qui sævient absque modo, & erunt instar diluvii, quo obruetur Gaza, ita ut in totum pereat. Nunc ergo videmus quid sibi Propheta velit: tacita est comparatio inter illam spoliationem, quæ facta fuit ab Ægyptiis, & ultimam cladem quæ illata fuit à Chaldæis. *Aquas ascendere* metaphorica est loquutio, ut satis apparet. addit *fore in torrentem inundantem*, hoc est, erunt aquæ instar fluvii exundantis, *& inundabunt terram*: loquitur de terra Philistim, ubi situm erat illud oppidum. *Terram ergo & plenitudinem ejus*. Plenitudo accipitur apud Hebræos pro opulentia: arbores, & segetes, & animalia vocantur terræ plenitudo. nam si terra nullas fruges proferret, si non aleret animalia, esset nuda & inops. quoniam ergo Deus talibus ornamentis vestivit terram, ideo vocatur terra plena quum abundat suis copiis, quibus eam Deus locupletavit. Postea specialiter de hominibus loquitur, *Urbs*, inquit: non tantum de urbe Gaza nunc agitur, sed de tota regione. ergo singularis numerus accipitur loco pluralis. Tandem dicit, *Clamabunt homines, & ululabunt omnes incolæ terræ*. numeri etiam verborum hic mutantur, sed in sensu nulla est ambiguitas. His autem verbis significat Propheta gravissimas pœnas sumptum iri de Philistinis, ita ut non tantum vociferentur præ dolore, sed etiam ululent. Sequitur,

3. A voce

3. A voce ſtrepitus ungularum fortium ejus, à commotione currus ejus, à tumultu rotarum ejus, non reſpicient patres ad filios præ diſſolutione manuum.

Continuat eandem ſententiam. dicit igitur tam gravem fore cladem ut patres non reſpiciant ad filios, quod ſignum eſt extremi doloris. neque enim homines etiam in rebus adverſis exuunt ſuos affectus: pater ſi filios habet, libenter obiret decem mortes ut redimeret illorum vitam: ubi autem homines obliviſcuntur ſe patres eſſe, ſignum eſt, ut dixi, ſummi mœroris, acſi homines ipſi mutata natura redacti eſſent in ſtipites. ſed cauſam non doloris modo, ſed etiam anxietatis exprimit Propheta: *A voce*, inquit, *ſtrepitus ungularum fortium ejus.* non exprimit equorum nomen, ſed פרסות ſignificat equos. Ergo *ungulæ*, inquit, *tantum ſonitum edent ſuo ſtrepitu*, deinde *talis erit commotio dum agitabuntur currus, & tantum etiam tumultum excitabunt rotæ quum volventur, ut patres quaſi attoniti ad filios ſuos non reſpiciant.* Tandem addit, *præ diſſolutione manuum.* Per diſſolutionem manuum intelligit deliquium animi. nam ſicuti à corde vigor diffunditur in omnes corporis partes, ita etiam manus ſunt præcipua inſtrumenta omnium actionum. ubi ergo manus ſolvuntur & liqueſcunt, ſequitur homines ipſos eſſe quaſi exanimatos. hoc nunc intelligit Propheta, nempe Philiſtinos ſimiles fore mortuis, ita ut ne dignos quidem moveant. quare? quia concipient tantum terrorem ex ſtrepitu equorum, ex commotione curruum, & tumultu rotarum, ut non ſint compotes mentis ſuæ. Sequitur,

4. Propter diem qui venit ad perdendum omnes Philiſtinos, (*vel totam terram Philiſtinorum: loquitur de terra, & populo*) ad excidendam Tyrum & Sidonem, totas reliquias fortitudinis: quia devaſtat Jehovah Philiſtinos, reliquias inſulæ Caphthor.

Clarius & abſque figura docet Jeremias quid ſibi voluerit, nempe inſtare excidium Philiſtinis ubi tempus eorum impletum fuerit. Ponit autem *Tyrum & Sidonem*, quæ vicinæ erant urbes, quamvis olim fuerint ſui juris. nam Tyrus tempore Jeſaiæ habuit proprium Regem, ſed poſtea fuit urbs libera tempore magni Alexandri, quemadmodum ſatis notum eſt. Cæterum erant urbes Palæſtinæ, & populus qui tunc dictus fuit Philiſtim, erat contiguus urbibus illis, ita ut merito Propheta illas comprehendat quaſi in uno faſciculo. *Venit*, inquit, *dies ad perdendum populum Philiſtim*: deinde, *ad excidendas urbes opulentiſſimas*, nempe *Tyrum & Sidonem*. Sidon fuit vetuſtior Tyro: ſed filia voravit matrem, ut vulgari proverbio dicitur: Tyrus enim poſtea prævaluit, & Sidon fuit propemodum deſerta, illius comparatione: tamen ſemper retinuit & nomen, & aliquas etiam divitias ob commoditatem portus. ſed Tyrus erat inſula tempore Alexandri magni, & ideo fuit commodior appulſus navium, quia habebat complures portus. Conjungit autem duas illas urbes Propheta, quia tunc erant pars terræ Philiſtim. Nec dubium eſt quin excidium præſertim illis urbibus denunciet, ut ſciant Judæi nihil ſalvum fore in tota illa terra, quum perituræ ſint duæ illæ urbes, quæ erant quaſi duo propugnacula totius regionis. Addit præterea, *Propter diem qui venit contra omnes reliquias auxiliatrices: quia perdet Jehovah*: hoc eſt, perditurus eſt *Philiſtim, quæ reliquiæ ſunt* (eſt quidem aliud nomen, ſed idem ſignificat) *inſulæ Caphthor.* ubi idem aliis verbis confirmat, nempe manum Domini fore ſuper urbes illas & totam terram, quamvis advertant etiam externa auxilia, quæ vocat *omnes reliquias fortitudinis*, vel *auxiliatrices*, hoc eſt, quamvis habeant multos ſuperſtites amicos, qui parati ſint ad opem ferendam, tamen Dominus ſimul omnes evertet: quemadmodum ſequitur. *Quoniam periturus eſt Jehovah*, inquit, *Philiſtim, reliquias inſulæ Caphthor.* Per inſulam Caphthor haud dubie Palæſtinam intelligit, ſed dubium eſt qua ratione. Caphthorim vocant Hebræi Cappadoces. Sed quoniam vix credibile eſt ex regione tam longinqua veniſſe qui terram illam incolerent: ideo divinant interpretes alios hic vocari Caphthorim, quam Cappadoces. Et tamen Moſes Deut. 2. cap. ſignificat qui terram illam incolebant uſque ad Jordanem à Gaza, non fuiſſe indigenas, hoc eſt, qui nati eſſent in illis locis, ſed fuiſſe populum aliquem profugum. Dicit enim, Egreſſi ſunt Caphthorim, & pro indigenis illic habitarunt. *Deut. 2. verſ. 23.* Colligere licet ex loco illo Caphthorim fuiſſe homines extraneos, qui à patria profugi quæſierint alibi ſedes, & occupaverint terram illam. Fuerintne Cappadoces relinquo in medio: neque etiam de hac re anxie laborandum eſt. Sed quoniam migraverant Caphthorim in Palæſtinam, ideo Jeremias noſter vocat partem illam *reliquias inſulæ Caphthor.* Sequitur,

5. Venit calvitium ſuper Gazam, deſtructa eſt Aſcalon, reliquiæ vallis ipſorum: (*vel profunditatis potius, ut mihi videtur*) quouſque laniabis te?

Iterum redit Propheta ad figuras, ut magis illuſtret vaticinium, & vehementius etiam afficiat Judæos. Porro per *calvitium* intelligit ſignum luctus. Solebant enim vel laniare faciem ſuam unguibus, vel capillos ſibi evellere. Dicit igitur *veniſſe calvitium*, vel depilationem, *ſuper Gazam*: quia ut in rebus deſperatis fieri ſolet, incolæ vallis, & totius terræ evellent ſibi crines, *quia deſtructa eſt Aſcalon.* Scimus urbem etiam illam fuiſſe famoſam in terra Philiſtim, & vicinam Gazæ, quemadmodum apparet ex aliis Scripturæ locis. Dicit *reliquias vallis ipſorum*: quanquam à profunditate deductum eſt hoc nomen עמקם: & quamvis vallem ſignificet, mihi tamen dubium non eſt quin alludat Propheta ad ſitum regionis, quia abſconditi erant quaſi in tuto, & putabant ſe fore ſalvos, quemadmodum qui ſunt reconditi in latebris, ad quas non patet facilis acceſſus. deinde Tyrus & Sidon erant urbes maritimæ, ſicuti & Gaza. Quoniam ergo habitabant in locis illis profundis & abſconditis, putabant ſe procul abeſſe ab omni periculo & moleſtia: Propheta hanc fiduciam deridet, ac dicit *reliquias vallis ipſorum perituras*: quaſi diceret nihil fore tam profundum, vel reconditum, quo non penetret vindicta Dei. tandem compellat regionem ipſam: *Quouſque dilaniabis te?* inquit. per verbum lacerandi non dubium eſt quin luctum deſignet. nam unguibus, ut dictum eſt, laniabant ſibi faciem in maximo mœrore. Senſus eſt, nullum fore finem malis, quia perpetuo lugebunt Palæſtini. Alioqui enim qui vel graviſſime afflicti ſunt non perpetuo lugent, quia tempus mitigat dolorem & triſtitiam. Propheta igitur docet tam horribilem fore Dei vindictam, ut mala malis accumulet, atque ita renovetur quotidie materia luctus apud Palæſtinos. Poſtea ſubjicit,

6. Heus

6. Heus gladie Jehovæ, quousque non quiesces? collige te (*vel reconde te*) in vaginam tuam, quiesce, & sile.

7. Quomodo quiesces, quum Jehovah præceperit ei (*vel de ipsa: sed malo, præceperit ei*) super Ascalon, & super littus maris, illic contestatus sit ei?

Hic convertit Jeremias sermonem ad gladium Dei. Secunda igitur est apostrophe: & hoc valde emphaticum est, ubi Propheta nunc terram ipsam Philistim alloquitur, nunc gladium Dei: & nihil aliud habet propositum, quam ut vaticinium confirmet, de quo alioqui dubitare poterant Judæi. Dicit ergo, *Heus gladie Dei:* quanquam hic ponitur particula ל, & ita proprie esset dativus casus, sed sæpe abundat. Interea minime dubium est quin significet cladem de qua loquutus est, esse quasi Dei gladium, vel gladium conductum à Deo: ita significat Chaldæos operam Deo locaturos in perdenda terra Philistim. *Quousque*, inquit, *non quiesces? recondere falcem in vaginam tuam, quiesce, & sede.* Hic Propheta alienam personam suscipit, acsi gladium Dei vellet mulcere blanditiis, & mitigare ejus furorem. *Gladie*, loquit, parce illis, desinas ita sævire contra Philistinos. non fuit Propheta præditus tali affectu, certum est: sed diximus alibi, & hoc satis tritum est, Prophetas diversis personis uti, dum volunt doctrinam suam magis confirmare. Perinde est igitur, acsi hic repræsentaret Philistinos. Et Prophetæ etiam sæpe loquuntur in eorum persona, quibus Dei vindictam denunciant: quasi diceret, Philistini suppliciter veniam petent à gladio Dei, sed absque profectu. nam si conentur mitigare Dei furorem, responsio in promptu erit, *quomodo*, inquit, *quiesces?* Hic seipsum arguit Propheta, Ego stulte facio, qui volo compescere gladium Dei: *quomodo* enim *quiesceres?* Fieri non potest. quare? *Deus præcepit ei contra Ascalon*, inquit. mutat personam nunc, sed sine jactura sensus. *Deus* ergo *præcepit ei.* ergo frustra intercedet totus mundus, frustra etiam deprecabitur gens Philistim, quia non erit in eorum arbitrio sedare iram Dei, ubi exarserit contra ipsos, & contra Ascalon. Quidam לה accipiunt de terra ipsa, sed quia protinus sequitur, *Super Ascalon, & super littus maris*, ideo latius est simplicius exponere. per *littus maris* intelligunt quidam Jopen. Sed probabile est Prophetam complecti totum illum tractum: & ita adhuc de Sidone, & Tyro, & de Gaza loqui, tametsi nominet Ascalon, quæ paulo remotior erat à mari. Quum ergo Deus præceperit gladio suo contra Ascalon, & contra omnes urbes quæ sitæ sunt ad littus maris, & in illo tractu cohiberi non poterit judicii exequutio. deinde addit, *Et ei præcepit*, sed solenni ritu: ideo verti, *contestatus sit ei.* Significat ergo Deum non simpliciter mandasse gladio suo ut grassetur per cædes in tota terra, sed solenni contestatione obstrinxisse gladium suum: quasi diceret non posse hoc decretum revocari, quia Deus non tantum gladio suo denonciabit, ut vindictam suam exerceat, sed etiam dabit solenne præceptum: & obstringet ipsum quasi religione interposita, vel jurejurando, ne sævire unquam desinat, donec totum illum populum, & omnes urbes, & terram ipsam simul deleverit.

Da omnipotens Deus, quando voluisti extare monumentum inæstimabilis tuæ misericordiæ erga electum tuum populum, quum ita gravem pœnam sumpsisti de incredulis: da, inquam, ut hodie etiam ad te nos conferamus quoties hostes nostri nobis molesti sunt: nec dubitemus te sumpturum curam salutis nostræ: & ita recumbamus in tuam misericordiam, ut patienter expectemus tempus liberationis nostræ: & interea ex alto quasi ex specula videamus pœnas quæ paratæ sunt omnibus incredulis, ne eos imitemur, vel implicemur eorum sceleribus, sed separemus nos, ut tibi consecrati, militemus sub vexillo Filii tui unigeniti, donec colligat nos in regnum suum cæleste, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEXAGESIMA-NONA

IN

JEREMIAM.

CAP. XLVIII.

CONTRA Moab. Sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Væ super Nebo, quia in vastitatem redacta est, (*vastata est*) destructa est Kiriathaim, pudefacta est Misgab, & expavit. (*vel animo fracta est.*)

HOc vaticinium est contra Moabitas, qui tametsi originem ducebant à Loth, & consanguinei erant Israelitis, tamen semper eos infestaverant. Frigeret hoc vaticinium, nisi teneremus historiam, unde pendet applicatio doctrinæ & usus. Diximus Moabitas, quoniam auctor gentis ipsorum fuit Loth, conjunctos fuisse Israelitis. Debebant igitur colere fraternitatis memoriam, & humaniter se erga illos gerere. Deus enim ab illis abstinuerat, quum populus Israël ascendit in terram Chanaan. Scimus absque maleficio transiisse Israëlitas per fines Moab, quia Deus volebat in gratiam Loth ipsos servare ad tempus. Sed non destitit populus ille omnia machinari contra Dei populum: & quemadmodum postea videbimus, quum afflictæ essent res miseri illius populi, crudeliter insultarunt, & fuerunt contumeliosi plusquam professi hostes. Deus ergo contra eos vaticinatur, ut sciant Israelitæ, quemadmodum heri admonuimus, miserias suas à Deo respici: & quamvis ipsos castiget, tamen manere spem aliquam misericordiæ, quoniam suscipiat ipsorum causam, & velit esse cognitor & vindex. Non vulgare igitur solatium attulit hæc propheria fidelibus, quum scirent Deum sibi adhuc esse Patrem, quamvis in speciem esset tam severus. Tenemus nunc finem hujus doctrinæ. Alia fuit Moabitarum ratio quam Ægyptiorum. nam Ægyptii prorsus alieni erant ab electo populo: Moabitæ vero conjuncti, ut diximus. Ergo fuerunt hostes voluntarii, & quasi intestini, quum natura ipsa aliud dictaret, nempe ut agnoscerent Israelitas pro suis fratribus, & colerent cum illis mutuam benevolentiam. Hæc igitur sævitia & ingratitudo sic exosa fuit Deo, ut tandem sumpserit graves pœnas. Sed quia Moabitæ manebant tranquilli quum vastata fuit Judæa, & urbs Jerusalem periit, post deletum regnum Israel, & decem Tribus in longinquum exilium abductas: ideo oportuit fideles animari ad patientiam, quod non potuit fieri sine spe. Huc igitur spectat Jeremias, ut fulciat animos piorum expe-

ctatione judicii Dei, quod hic denunciat Moabitis. *Contra Moab* ergo. postea sequitur, *Sic dicit Deus exercituum, Deus Israël.* Priore epitheto designat immensam Dei potentiam, & admonet Deum esse judicem totius orbis, & extendi ejus regnum etiam ad exteras gentes. Secundo autem epitheto testatur amorem, quo complexus est filios Abrahæ, quia dignatus est sibi eligere in peculium & hæreditatem. *Væ*, inquit, *super Nebo*, (quæ fuit urbs terræ Moab) *quoniam vastata est: pudefacta, capta est Kiriathaim.* Nominat hic quasdam urbes, ut videbimus, & plures numerabit in ipso progressu. *Pudefacta est* igitur *& capta Kiriathaim*: deinde, *Misgab etiam pudefacta est, & contrita*, vel fracta animo. Sequitur,

2. Nulla amplius gloriatio Moab in Chesbon: cogitaverunt super eam malum: Venite, & excidamus eam, ne sit gens: etiam Madmen (*alloquitur urbem ipsam*) excisa es, (*ad verbum est, in solitudinem redacta: sed metaphorice accipitur pro interitu. interiit ergo Madmen*) post te proficiscetur gladius.

Propheta sicut antehac noo loquitur more vulgari, sed magnifice profert quod Deus mandavit, ita ut terrorem injiciat Moabitis: non quod exaudierint ejus minas, sed oportuit cum tali vehementia denunciari vindictam, ut scirent Judæi impune non cessuram esse crudelitatem Moabitis, & superbiam, de qua postea agetur. Dicit ergo, *Nulla amplius erit laus Moab*, vel gloriatio *super Chesbon.* Colligere licet ex hoc loco, sicuti etiam ex aliis, Chesbon receptam fuisse à Moabitis. nam fuit occupata à populo, quoniam perdiderant eam Moabitæ, ut refert Moses tam Numerorum 21. quam Deuteronomii 2. Sed (ut res mutantur) quum superiores essent Moabitæ, urbem illam rursus eripuerant Israelitis. Dicit igitur Propheta nullam fore amplius gloriationem, quod possideant urbem illam. addit enim, *Cogitaverunt.* Est concinna allusio. quia חשבון, deducitur à verbo חשב quod est consultare, quasi esset aliqua sedes consilii, vel cogitationum. Propheta dicit, *in Chesbon* חשבו עליה: *consultaverunt*, inquit. Utitur radice illa unde descendit nomen urbis. *Chesbon* ergo, quæ hactenus vocata fuit sedes consilii, habebit vel reperiet alios consiliarios, nempe qui machinabuntur ei exitium. *Venite*: refert hic Propheta consilium quod ceperunt Chaldæi: *Venite, excidamus eam, ne sit gens.* Postea conjungit aliam urbem, *Etiam tu Madmen excideris, quia gladius post te skit*, hoc est, te persequetur, quasi urbs ipsa fugeret gladium. non quod urbes moveantur loco: sed dum cives deliberant quomodo arceant hostes suos, & eorum impetus, dum sibi hinc inde accersunt auxilia, dum remedia sua opponunt, tunc dicuntur fugere. Dicit autem Propheta, *Tu nihil proficies fugiendo, quia gladius te persequetur.* Sequitur,

3. Vox clamoris (*id est, sonora*) è Choronaim, vastitas & contritio magna.

Dum enumerat plurium urbium nomina, significat totam terram exitio destinatam est, ut nullus angulus à clade sit immunis. Poterant enim Moabitæ perpeti aliquid damni absque summa molestia, nempe si mediocriter castigati essent. Sed Propheta significat sic redigendos esse sub imperium Nabuchadnezer, ut clades perventura sit ad omnes terræ plagas. Nunc ergo tenemus quorsum pertineat hic catalogus urbium. Per Vocem clamoris intelligit ululatum, hoc est, lamentationem altam, quæ longe lateque personaret. Dicit *vocem clamoris profecturam esse à Choronaim*, quam putant sic vocatam, quod urbs esset duplex, altera superior, altera inferior. Postea adjungit, *Vastitas & contritio magna.* Seipsum exponit, quod scilicet cives Choronaim non frustra clamabunt, quia coget eos vastitas, & contritio, vel afflictio, hoc est, exprimet illis clamorem, ut ejulent præ acerbitate doloris. Sequitur,

4. Afflicta est Moab: audire fecerunt clamorem parvuli ejus.

Generaliter iterum loquitur Propheta de tota regione. Dicitur ergo terram Moab esse afflictam, non quod tunc esset: verum ad certitudinem prophetiæ hoc facit, quod quasi de re manifesta loquitur. Prophetæ enim, ut satis notum est, quia loquuntur in persona Dei, res adhuc occultas proferunt in medium acsi completæ essent. Dicit *parvulos Moab sic clamasse*, ut fuerint exauditi. Hoc magis emphaticum est, quam si diceret, viros & mulieres clamasse: pueri enim non statim percipiunt quid agatur, quia nondum præditi sunt intelligentia: ejulant viri & mulieres quum etiam minæ duntaxat illos urgent: sed parvoli non moventur nisi ad præsentes ictus, ac nisi quis eos verberet non afficiuntur, deinde vix discernunt inter leve aliquod malum, & inter mortem. Quum ergo dicit Propheta parvulos Moab fuisse exauditos in suo clamore, significat extremam fore gravitatem cladis, ita ut parvuli ipsi, acsi per ætatem magis saperent, sensuri sint atrocem illam hostium sævitiam. Sequitur,

5. Quoniam in ascensu Luhith cum fletu ascendet fletus: quia in descensu Choronaim hostes clamorem contritionis audierunt. (*conjungi debet proximus versus.*)

6. Fugite, eripite animas vestras: & eritis quasi Aroër (*vel myrica*) in deserto.

Hic alia figura utitur Jeremias, quod scilicet fletus ubique personabit in ascensu Lubith. probabile est, & elicitur ex verbis Prophetæ urbem illam fuisse sitam in loco excelso. Dicit ergo, *In ascensu Lubith* in fletu ascensuros homines: ad verbum est, *In fletu ascendet fletus*: sed vertunt quidam acsi scriptum esset בכות, flens. nec dubium est, quin verbum יעלה referatur ad personas. Sed videtur duplicare Jeremias nomen fletus: quasi diceret non uno tantum in loco homines fletum edituros, sed quum longum esset iter in illo ascensu, continuum fore tractum fletus: quasi diceret, Qui propinqui erunt urbi, flebunt, qui erunt in medio itinere, qui etiam in radice montis: hoc est, nullus erit locus vacuus à fletu. Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum. Postea dicit, *In descensu Choronaim.* Unde apparet hanc urbem fuisse positam in loco submisso, vel in planitie. itaque nescio cur dicant alteram partem urbis fuisse superiorem. Potest quidem fieri ut pars urbis habuerit collem: sed situs ipse regionis fuit planus, & habuit montes vicinos, quemadmodum colligere promptum est ex Prophetæ verbis. *in descensu*, inquit, *Choronaim adversarii audient clamorem contritionis.* Quum dicit *hostes ipsos audituros esse clamorem*, significat præ dolore fore amentes cives Choronaim, & eorum vicinos. Nam metus ipse cohibet querimonias, & si quis videat hostem propinquum, aspectus ipse eum comprimit, ne audeat libere testari dolorem suum: deinde pudor etiam compescit tam lachrymas, quam gemitus, quia hostis deridet fletus nostros si

simus

simus miseri. Non dubium igitur est, quin Propheta hic amplificet gravitatem luctus quum dicit, Quamvis cives Choronaim habeant hostes ante oculos, tamen erumpet fletus & clamor ipsis, neque metuent sibi à contumelia & derisu hostium. Jam adjungit, *Fugite, eripite.* hic est clamor contritionis, nempe quod sese mutuo cohortabuntur miseri homines, ut solet fieri in extremis malis: *Fugite, eripite animas vestras.* Tandem comparat ipsos myricæ. ערוער fuit regio, ut probabile est: & fuerunt etiam duæ urbes hujus nominis. ערער tamen est Myrica,
versu 6. quemadmodum decimo septimo capite Jeremiæ jam ante vidimus. Quidam vertunt, Turrim, & torquentur etiam verba Jesaiæ capite decimo septimo
Jesa. 17. vers. 2. à quibusdam in hunc sensum. Vocari enim putant ערוער tugurium pastorum in deserto. sed mihi placet eorum sententia qui vertunt, Myricam vel juniperum. Quanquam mihi videtur Propheta alludere ad urbem Aroër, vel ad regionem. sed existimo potius fuisse nomen urbis. Dicit igitur, *Erit* ערער *tanquam in deserto*, hoc est, erit myrica: & Aroer fuisse in terra Moab ex aliis locis cognoscitur. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, nempe terram Moab fore sicuti juniperum in deserto, hoc est, arbustum sterile, & quod nunquam excrescit in justam magnitudinem: deinde arbustum aridum, quod non fovetur ulla irrigatione, neque alitur humore, & succo terræ. Nam & hoc sensu usurpavit similitudinem Propheta noster decimo septimo capite, ut diximus: dicit, Beatus homo, qui speraverit in Jehovah, erit enim tanquam arbor plantata juxta aquas. Maledictus homo qui confidit in homine, & qui ponit carnem brachium suum, & cor suum retrahit à Jehovah: quia erit tanquam myrica deserti, hoc est, erit arbustum sterile, & aridum sine succo & substantia, ut loquuntur. Jam sequitur, supra 17. vers. 5, 6, 7, 8.

7. Propterea quod fiducia tua fuit in operibus tuis, (*ad verbum*) & in thesauris tuis, etiam tu capieris: & egredietur Chamos in captivitatem, Sacerdotes ejus, & Principes ejus simul.

Causam hic assignat Jeremias cur Deus vindictam sumpturus sit de Moabitis: sed alias postea causas videbimus cur Deus illis tam infestus fuerit. Sciamus ergo hic non ex professo doceri quare Deus vastare decreverit terram Moab, & perdere. Nam una est hic tantum ratio: aliæ autem sunt majores, nempe quia insultaverant proterva miseris Judæis, quia in eos conspiraverant, quia prodiderant ipsos, quia denique bellum gesserant cum Deo ipsorum: sed hic breviter ostendit Jeremias, etiamsi nulla esset alia ratio, tamen dignos esse Moabitas, contra quos Deus exerceat iram suam, nempe quia confisi sint in suis operibus & thesauris. Per Opera quidam armenta & pecudes intelligunt. & hoc sensu aliquando accipitur, & probabilis est ista expositio. Possumus tamen per opera intelligere qualibet munitiones, quia adjungit thesauros. Dicit igitur dignos esse Moabitas, quos Deus expergefaciat, quoniam inebriati fuerant perversa fiducia suarum opum: & quia habebant magnos thesauros, ideo putabant se esse inexpugnabiles. Interea significat Propheta longe decipi Moabitas, dum se existimant sic tutos esse adversus Dei manum, quia muniti sint omnibus copiis, quia habeant ingentes thesauros reconditos. Dicit igitur hæc omnia nihil valitura esse, quoniam Deus nihilominus perdet totam terram. *Etiam tu capieris*, inquit. In particula גם est non parva emphasis, quia exprimit Propheta quod nunc attigi, nempe frustra Moabitas confidere suis thesauris, & opibus: quia Deus nihilominus ipsos perdet, & manus ejus penetrabit in eorum munitiones. Perinde ergo te inveniet Deus, acsi esses exposita omnibus periculis, inquit. nam qui abundant bellicis munitionibus, qui omnibus præsidiis sunt instructi, putant se esse exemptos à communi fortuna: ideo dicit, *Etiam tu*: perinde acsi esses aliquis pagus expositus ad hostium libidinem: *Tu etiam capieris*, inquit, *& exibit Chamos*: fuit Deus tutelaris terræ, quemadmodum satis notum est tam ex libro Judicum, quam ex aliis locis ex ipso etiam Mose. Quum ergo Moabitæ colerent idolum illud, putabant sibi certam fore salutem si quid mali instaret. Deridet igitur Propheta hanc quoque fiduciam. Diximus autem antehac impios Deo partim opponere terrenas opes, partim quæ sibi finxerunt ab idolis adjumenta. Ideo Prophetæ refellunt utrumque vitium, sicuti iterum apparet ex præsenti loco. Dicit Propheta, *quoniam confisa es in tuis munitionibus, & thesauris, tu quoque capieris*: deinde, quoniam putas præsidium certum & inexpugnabile esse Chamos, ideo etiam trahetur in exilium, & erit captivus. dicit hoc in opprobrium idoli. Adjungit, *Sacerdotes ejus, & Principes*, hoc est, Proceres qui videntur tuto latere sub ejus umbra, ipsi ergo pariter trahentur in exilium. Judic. 11. vers. 24. 1 Reg. 11. v. 7, 33. Num. 21. vers. 29.

8. Et veniet vastator ad omnem urbem, neque urbs eripietur: & peribit vallis, & perdetur planities, quod (*id est, quemadmodum*) loquutus est Jehovah.

Confirmat eandem sententiam: neque tamen verbosus censeri debet, quia vaticinium hoc non editum fuit, ut tantum foveret fidelium spem & patientiam ad paucos dies, sed longo tempore oportuit ipsos quiescere fretos hac promissione, quam Deus multis ante annis dederat. Hæc igitur ratio est, cur pluribus verbis confirmet Propheta sententiam per se satis claram: *Veniet*, inquit, *vastator ad omnes urbes.* Jam clarius patet cur nomina quædam urbium posuerit, sicuti plura deinde videbimus, nempe ut scirent Israëlitæ totam terram Moab vastationi esse addictam. *neque urbs eripietur*, hoc est, nulla urbs effugiet, *quia perdetur vallis & planities, sicuti dixit Jehovah.* Sequitur,

9. Date alam ipsi Moab, quia volando volabit: & urbes ejus in vastationem erunt, ut non sit qui habitet in illis.

Hic amarulenta est derisio, quoniam necesse fuit Moabitas non modo stimulari, sed prorsus confodi, quum scilicet tanta superbia inflati essent, deinde quum crudeliter sævitissent adversus Dei populum, ut fusius postea videbimus. Quum fugerent Israëlitæ, jaciebant sua dicteria impii illi, deinde prodebant ipsos hostibus. Dicit ergo nunc Propheta, *Date pennas Moab*: quanquam ציץ significat proprie florem: hic tamen exponitur pro penna, vel pro alis: quasi diceret non satis velocem fore cursum Moabitis, ut cladem effugiant, sed opus illis fore volatu. Denique quoniam ita superbe non modo contempserant, sed etiam insectati fuerant miseros suos fratres, ideo Propheta dicit, *Veniet tempus quum pedes vobis non sufficient ad currendum*, vel ad fugam, adeo hostes vos urgebunt: sed optabitis vobis alas. Dicet autem paulo post quietum fuisse Moab, & tranquillum in suis fæcibus, ut videbimus. Postea adjungit, *urbes ejus fore in vastitatem, ut non sit habitator.* Causam exprimit cur opus habeat alis

Moab, nempe quia nullum erit refugium: quocunque se conferat, tamen inde expelletur. urbes enim omnes capiet hostis: ita totus populus necesse habebit se alio conferre: denique significat nullam fore spem salutis Moabitis, nisi in fuga, & quidem celerrima. Tandem subjicit,

10. Maledictus qui facit opus Jehovæ fraudulenter, (*hoc est, non bona fide*) & maledictus qui prohibet gladium suum à sanguine.

Hic hortatur Propheta Chaldæos ad sævitiam, ut nullum faciant finem, donec perdiderint gentem illam. Diximus autem Prophetas ita suscipere diversas personas, quo efficacior sit eorum doctrina: Chaldæi quidem non fuerunt discipuli Jeremiæ, neque hæc exhortatio ad ipsos spectabat: sed ut Israëlitæ scirent certum esse quod audiebant ex ore Jeremiæ. Ideo convertit nunc sermonem ad Chaldæos, sicuti nuper alloquebatur quoslibet, Date pennas ipsi Moab: ita sequitur nunc alia apostrophe, *Maledictus:* ad quos pertinet hic sermo? ad Chaldæos: & tamen non ipsos compellat Propheta acsi quicquam proficeret: sed, quemadmodum dixi, respicit ipsos Judæos. Locus hic perperam fuit expositus, & citatur vulgo quasi Propheta diceret strenue dandam esse operam, ne quid omittamus ex Dei mandatis. sed ita corrumpunt genuinum sensum. Tenendum igitur est quod jam dixi, nempe sermonem hunc dirigi ad Chaldæos: quasi diceret, Ne parcatis, sed fundite sanguinem, & ne vos tangat ulla humanitas. *Est enim opus Dei*, hoc est, Deus vos armavit, ut strenue judicium ejus exequamini, neque sanguini parcatis. eritis ergo maledicti, nisi exequamini vindictam ejus. Est quidem vulgaris ratio loquendi, sed in re ipsa & sensu nulla est ambiguitas. Perinde est igitur, acsi diceret, Pergite forti animo, & strenue exequamini vindictam Dei, acsi denunciata esset illis pœna: quemadmodum ubi segniter cunctantur milites, si dux adsit, non tantum eos hortabitur, sed urgebit etiam convitiis & minis, ut alacritatem excitet: sic etiam statuit Propheta Deum in medio acsi adesset Chaldæis ad increpandam eorum segnitiem, Quid cessatis? maledictus sit quicunque non profundet sanguinem, & quicunque non perdet à minimo usque ad maximum. Cæterum, tota vis in hoc verbo sita est, quum vocat *opus Jehovæ* cladem illius impiæ gentis: quasi diceret, quamvis Chaldæi vastent terram Moab, & faciant id, non ut obediant Deo, sed pro sua avaritia & ambitione, tamen erit illud opus Dei, hoc est, Deus conduxit Chaldæos in hunc finem, ut perdant Moabitas, quamvis nihil tale cogitent. Sequitur,

11. Tranquillus fuit Moab à pueritia sua, & quietus, (*vel quietus fuit Moab*) & resedit ipse super fæces suas, & non mutatus fuit à vase in vas, & in captivitatem non profectus: (*aut non migravit*) propterea stetit sapor ejus in eo, & odor ejus non mutatus est.

Hic clarius exprimit quod ante vidimus: nempe Moab frustra sibi promittere perpetuam impunitatem, quia longo tempore prospere egerit. Dicit ergo Propheta repente perditum iri, ubi Deus conscenderit tribunal ad exequendum suum judicium. Primo dicit *quietum fuisse à pueritia sua*: quoniam quum sæpius vexati essent Israelitæ, gens illa fuerat intacta, nec senserat quicquam incommodi, acsi fuissent undique muniti suis claustris. Habitabant enim in montibus ex parte. sed habebant planitiem ultra Jordanem, ut satis notum est: erat terra mediocriter fertilis: ideo quum usi fuissent diuturna pace, collegerant maximas opes. Fuit autem hoc valde durum Israelitis, quum Deus ipsos variis cladibus afflixisset, cernere Moabitas securos, & incolumes ab omni molestia & damno. Quoniam igitur hæc cogitatio vulnerare graviter poterat fidelium animos, ideo Propheta hic eos hortatur, ne invideant felicitati Moab, quoniam tandem Deus manum suam contra ipsos proferet. Huc pertinet sententia, ne prosperitas illius gentis animos piorum ad impatientiam sollicitet: quemadmodum Psalmo 37. David etiam hortatur fideles, ut patienter expectent diem Domini, ubi vident impios frui omnibus deliciis, & pro voto omnia illis succedere. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Comparat Moab viro seni, qui totam ætatem secure, & absque ullo incommodo, absque ullo doloris sensu transegerit. *Fuit ergo tranquillus Moab*, vel quietus *à pueritia sua*, nempe ex quo cœpit esse gens. quæ enim fuit pueritia Moab? nempe ex quo expulerunt Gigantes ac veteres incolas, & habitarunt in eorum loco. Ergo semper illis prospere successit: & ideo dicit *fuisse quasi resides in suis fæcibus*, ut non fuerint mutati. Hic est alia metaphora, quemadmodum vinum quod manet in suo vase, neque transfertur, retinet suum saporem, vim suam, & odorem: ita etiam dicit Propheta Moab fuisse semper in flore perpetuæ felicitatis, quemadmodum vinum quod manet in suis fæcibus. Nam fæx conservat vinum, sicuti satis notum est: quia ubi vinum ablatum est à sua fæce, perdit magna ex parte suum vigorem, & tandem transit in vappam: vinum autem quod non mutatur, manet in suo vigore. Ergo videmus quam apta sit similitudo, quum dicit Propheta *non mutatum fuisse Moab à vase in vas, sed resedisse super fæces suas.* Et le- ipsum exponit absque figura quum addit *non fuisse profectum*, vel non migrasse in *captivitatem*. Ideo etiam eodem sensu dicit *saporem ejus in eo stetisse*, *& odorem ejus non mutatum fuisse.* Interea significat nihil profuturam hanc diuturnam pacem Moabitis, quia ubi statuerit Dominus eos perdere, faciet ut vigor ille concidat, & pereat, & redigantur omnes opes Moab in nihilum.

Da omnipotens Deus, quando ita proclives sumus ad ignaviam, imo ita dediti sumus rebus terrenis, ut facile obliviscamur vocationis tuæ sanctæ, nisi assidue nos stimules: da, inquam, ut afflictiones quibus nos exerces, sint nobis serii stimuli, ut relicto mundo conemur ad te accedere, & nos totos tibi addicere in obsequium. & ita militemus sub variis afflictionibus præsentis vitæ, ut semper defixæ sint mentes nostræ, & omnes sensus in spem æternæ & beatæ illius quietis, quam nobis repositam in cælo pollicitus est Filius tuus unigenitus Dominus noster, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA IN JEREMIAM.

12. Propterea ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & mittam ei abactores, qui abigant eum, & vasa ejus evacuent, & lagenas eorum dispergant.

POstrema lectione dixit Propheta Moabitas, quoniam diu prospere egerant, fuisse obduratos: sicuti impunitas est illecebra peccandi. impii enim dum illis Deus parcit, existimant se nonquam reddituros rationem. Nunc subjicit *venturos esse dies*, quibus repente Deus vindictam suam exerceat contra illos. sed prosequitur similitudinem qua usus fuerat. dixerat enim Moabitas similes esse vino, quod non fuit transfusum. retinebant igitur suum odorem, hoc est, erant inebriati suis deliciis, quoniam Deus illis longa pace & otio frui dederat. Nunc ergo ex opposito dicit Propheta *Deum illis missurum abactores qui ipsos abigant*, deinde *qui evacuent*, vel exinaniant *vasa ipsorum, & lagenas dispergant.* Continens est pro contento: quanquam non improbo aliorum sententiam, qui vertunt, Disperdant. nam hoc verbum accipitur interdum illo sensu. proprie significat spargere, & dissipare: sed plus interdum vehementiæ est in verbo illo נפץ, nempe disperdere, vel projicere cum violentia, ut frangatur ipso impetu quod projicimus. Quantum ad summam rei spectat parum interest. tenemus enim consilium Dei, nempe quod Moabitis missurus sit hostes, qui eos procul abigant in exilium, & ita excutiant illis suas delicias, in quibus nimis diu fuerant quasi sopiti. Hoc autem non tantum Moabitarum respectu dicitur, sed ut statuant Judæi, quamvis terra illa diu tranquilla fuisset, tamen non posse effugere Dei manum, quoniam continua illa felicitas non poterit irritum facere decretum ipsius Dei, de quo concionatus est Propheta. Nunc sequitur,

13. Et pudefiet Moab à Chamos, sicuti pudefacti sunt domus Israël à Bethel, suâ fiducia.

Licet ex hoc versu clarius cernere quod nuper dixi, Prophetam scil. non tam ad Moabitas, quam ad populum suum dirigere sermonem neque enim præfectus erat doctor Moabitis, ut illorum saluti consuleret: potius debuit referre summam totius suæ doctrinæ ad Judæos, quemadmodum etiam nunc facit. *Pudefiet*, inquit, *Moab à suo idolo.* diximus enim Chamos fuisse deum Moabitarum, sicuti singulæ gentes habebant suos peculiares deos, hoc est, sua figmenta. Jam comparatio ostendit Prophetam velle populum, cui ordinatus erat doctor, hortari ad pœnitentiam. proponit enim exemplum decem tribuum. Scimus autem quo tempore vaticinatus est Jeremias jam regnum Israël fuisse perditum. tracti ergo in exilium fuerant omnes Israelitæ, excepta tribu Jehudah, & dimidia tribu Benjamin. desciverant autem à puro Dei cultu decem Tribus sub Jarobeam, quemadmodum satis notum est, & extruxerant sibi altare in Bethel. Dicit igitur nunc Propheta, *Sicuti pudefacti sunt Israëlitæ à suis superstitionibus*, quas sibi fabricaverant, parem Dei ultionem manere populum Moab: & ita ostendit Judæis quid sit spem reponere in vero & unico Deo. Non erant impliciti tam crassis superstitionibus Judæi, ut idola colerent, saltem in publico. nam Ezechiel ostendit etiam contaminatos fuisse hoc genere pollutionis, & Sanctuarium quoque ipsum fuisse infectum idolis: sed palam manebat cultus Dei qualis continebatur in Lege. Cæterum, nihil habebant Judæi præter externam speciem: habebant quidem Templum & Altare, profitebantur se colere verum Deum: sed interea regnabat apud ipsos impietas & contemptus pietatis, & jam cœperant etiam sese involvere multis impiis superstitionibus, quemadmodum ante vidimus. Quid nunc ergo dicit Jeremias? proponit ante oculos decem Tribus, quas Deus perdiderat: atqui progeniti erant ex uno patre Abraham tam Israëlitæ, quam Judæi. Quum ergo Deus tam gravem sumpsisset pœnam de regno Israël, nunc Judæis ostendit non fore difficilius pœnam exigere de Moabitis. quare? *Nam habent*, inquit, *suum idolum.* Ostendit Deus hoc esse gravissimum scelus, quo provocaverant Moabitæ ejus iram, quia nihil minus tolerabile, quam ut transferant homines gloriam Dei ad sua figmenta, ad statuas, ad truncos ligneos, ad lapides, vel etiam ad idola aurea & argentea. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Sequitur,

14. Quomodo dicitis, Viri (*fortes*) nos, & viri robusti ad prælium?

15. Vastatus est Moab, civitates ejus excidit, (*alii vertunt, civitates ejus evanuerunt, ut sit mutatio numeri; alii, incola ascendit, vel discessit ab urbibus ejus*) & electio juvenum ejus descendit (*hoc est, electi juvenes, & est allusio ad nomen* בחוריו: *nam* בחורים *dicuntur apud Hebræos adolescentes, qui sunt in flore ætatis, sed nomen hoc deducitur à* בחר, *quod est eligere, unde est etiam nomen hoc quo utitur Propheta. electio igitur juvenum, vel electi juvenes descenderunt*) ad mactationem, dicit Rex, nomen ejus Jehovah exercituum. (*id est, cujus nomen est Jehovah exercituum.*)

Hic invehitur Propheta in superbiam Moabitarum, quod scilicet confisi suis viribus ludibrio haberent Deum, & quicquid denunciabant Prophetæ. scimus enim impios, ubi omnia illis prospere succedunt, nullo tangi metu, & exuere omnem sensum, & sese quasi demergere in socordiam, ita ut pro ludibrio habeant non modo verum Deum, sed quicquid de religione profertur. Talis ergo fiducia regnabat in Moabitis: ideo Propheta hic perstringit stolidam illam gloriationem, *Quomodo dicitis, Nos sumus robusti, nos sumus viri bellicosi?* quasi diceret, Jactantiæ istæ ubi serio Deus confliget vobiscum, erunt irritæ, & nihil vobis proderunt. putatis vos esse extra omnem aleam periculi, quoniam scilicet præditi estis magna fortitudine, & circumdati omnibus munimentis: sed quicquid putatis vobis esse præsidii, rediget Deus in nihilum. *Vastatus est* ergo *Moab.* opponit eorum arrogantiæ hanc comminationem: prædicit enim rem futuram, sed loquitur quasi de re jam completa. *Vastatus est* igitur *Moab, & hostis excidit*

cidit urbes ejus. עלה videtur hic transitive accipi: est quidem sæpe neutrum, sed convenit præsenti loco illa significatio, quod hostis exciderit urbes Moabitarum: quanquam facile etiam patiar aliter exponi, nempe quod simpliciter ascenderint ex urbibus ejus, vel abierint incolæ. nam metaphorice עלה quidem significat ascendere, accipitur & pro diffluere, vel abire in fumum, ut loquuntur: & si placet esse numeri enallagen (quæ satis trita est linguæ Hebraicæ) sensus erit, Et urbes ejus evanuerunt. conveniet etiam optime illa expositio, quia proxime sequitur, *Et adolescentes ejus descenderunt ad mactationem*, hoc est, qui videntur inter ipsos robustissimi trahentur ad cædem, vel ad mactationem descendent. quoniam autem res erat difficilis creditu, iterum producitur Deus ipse in medium. Dicit igitur Propheta se non loqui ex suo sensu, sed proferre quod Deus injunxit. Et adjungit epitheton, quo scil. Judæi magis attenti sint ad considerandam Dei potentiam. *Deus est*, inquit, *qui loquitur. Rex cujus nomen est Jehovah exercituum.* Opponit enim hoc Dei nomen opibus bellicis quibus superbiebant Moabitæ, quemadmodum vidimus: quasi diceret, si negotium esset cum mortalibus, posse quidem Moabitas jure gloriari: sed quia cum Deo vivo certamen est, omnes vires fore evanidas, quum Deus armatus fuerit ad vindictam. Sequitur,

16. Propinqua est calamitas Moab (איד *significat infortunium, & calamitatem, significat etiam interitum, ideo vertunt quidam, propinquus est interitus*) ad veniendum, (*ut veniat*) & malum ejus (*id est, calamitas*) festinat valde.

Hic plus exprimit Propheta, nempe vindictam illam de qua disseruit, propinquam esse & jam instare. Valuit hoc ad levandum dolorem fidelium quum intelligerent Moabitas brevi pœnam daturos: gravis enim est, & acerba tentatio, quum Deus castigat duriter filios suos, & interea reprobis indulget. Quum ergo differt sua judicia adversus reprobos, mora illa sollicitat animos fidelium ad desperationem, saltem non ferunt satis patienter ferulas Dei. Hæc ratio est cur nunc Propheta dicat *instare cladem Moabitis, & calamitatem eorum festinare.* etsi autem aliquanto adhuc tempore Deus sustinuit Moabitas, ita ut manerent tranquilli, & lascivirent etiam in suis voluptatibus: verum tamen fuit vaticinium. nam nota est illa regula, quæ semper occurrere nobis debet in promissionibus & minis, Mille annos esse instar unius diei coram Deo. Et hinc est sumpta sen-
Hab.2: 3. tentia illa Prophetæ Habacuch, Si moram fecerit prophetia, expecta illam, quia veniens veniet, & non morabitur: & hæc loquendi ratio passim occurrit apud Prophetas. Ubi ergo Deus pœnam denunciat reprobis, & Legis suæ contemptoribus, dicit, Ecce festinat dies vester, nempe ut expergefiant, & incipiant mature timere. Sed hic, quemadmodum admonui, respicit Jeremias populum suum. Quoniam autem poterant fideles excipere, Quando tandem illud fiet? quousque differet Deus pœnam quam minatur hostibus nostris? ideo dicit, Paulisper durate animis: nam mox Deus exeret manum suam, & ostendet se esse vindicem, qui curam habeat & vestri, & salutis vestræ: quia sese opponet Moabitis, quoniam fuerint vobis & improbi, & molesti. hac igitur ratione dicit *instare illis cladem, & festinare vindictam*, de qua loquutus est. Hinc autem colligi debet utilis doctrina: quoties aliquid promittit Deus, debere nos amplecti quasi rem præsentem, quæ tamen est abscondita, & quæ videtur valde remota esse. Nulla est igitur distantia quæ impedire debeat fidem nostram, quin statuamus jam nobis esse quasi ante oculos, & sub manu quicquid Deus promittit. Idem etiam valere debet in minis: quoties Deus denunciat aliquid durum & triste, perinde id nos afficiat acsi cerneremus manum ejus armatam gladio, & si ipsa exequutio vindictæ esset nobis ante oculos.
nam scimus quid alibi tradat Spiritus sanctus, Quum 1 Thess. 5.
dixerint impii, Pax & securitas, interitum illis in- vers. 3.
stare, quemadmodum dolor partus corripit mulierem quum nihil tale cogitat. Discamus igitur nobis semper proponere Dei gratiam quasi præsentem, & simul omnes pœnas, ut tangamur serio timore. Sequitur,

17. Commovemini illi (*id est, super Moab*) quicunque estis in circuitu ejus, & quicunque cognoscitis nomen ejus: dicite, Quomodo fractus est baculus fortis? virga pulchritudinis? (*vel excellentiæ: nam* התפארה *significat decorum pulchritudine.*)

Propheta videtur quidem hortari ad sympathiam omnes vicinos, sed diximus quo consilio id faciat. neque enim vult Moabitas censeri misericordia dignos, ita ut vicini condoleant eorum cladibus: sed exaggerat hac figura gravitatem malorum, quæ instabant Moabitis: quasi diceret, Erit hoc Dei judicium adeo horribile, ut omnes vicini contremiscant: quicunque prius cognoverant statum populi Moab, eos terrore perculsos gemere vult & condolere. Denique nihil aliud spectat Propheta, quam ut demonstret non minus rigidam & formidabilem Dei vindictam fore adversus Moabitas, quam fuerat adversus decem Tribus, & futura etiam erat contra tribum Jehudah. *Dicite*, inquit, *Quomodo fractus est baculus?* Hic inducit omnes vicinos quasi attonitos admiratione: & in eundem finem omnia referuntur, nempe prodigiosam fore cladem Moab, quia populus ille putabat se esse inexpugnabilem, & nemo unquam ausus fuerat quicquam adversus terram illam tentare. Hæc igitur ratio est cur Propheta hic per admirationem interroget, nempe in persona omnium gentium: *Qui factum est, ut fractus sit baculus? virga decora?* inquit. sunt metaphoricæ loquutiones, quæ tamen significant dignitatem Regiam, & statum totius populi. Sequitur,

18. Descende è gloria, sede in siti habitatrix filia Dibon: quia vastator Moab ascendit contra te, destructor munitionum tuarum. (*quia vastatus est Moab, & super te ascendet.*)

Hic Propheta sermonem convertit ad urbem Dibon, quæ celebris erat in illo populo. Loquendi forma satis nota est, quum filiam Dibon appellat populum urbis: sed vocat filiam illam *habitatricem*, quoniam, ut dictum fuit, Moabitæ semper quieverant tuto, & placide in suis sedibus: nemo enim illis erat molestus. perinde igitur est acsi diceret, Vos qui hactenus fuistis tranquilli, nunc *descendite è gloria, & habitate in siti.* per sitim significat rerum omnium inopiam. opponitur sitis gloriæ: sed plus est quam si Propheta dixisset ignominiam, vel pauperiem: multi enim quos alioqui rerum omnium egestas premit, tamen reperiunt fontes, vel fluvios: ubi autem ne gutta quidem aquæ suppetit, illa est extrema miseria. Videmus ergo ut Propheta exaggeret pœnam Moabitarum, quum dicit *cives Dibon sessuros in siti: quoniam*, inquit, *ascendit contra te vastator, & destructor munitionum tuarum.*

Hinc

Hinc colligimus urbem illam fuisse undique munitam, ut putaret sufficere sibi omnia præsidia ad hostes arcendos. Sed Propheta hanc superbiam deridet, quoniam advenient Chaldæi, qui perdant ac diruant omnes illas munitiones. Sequitur,

19. Super viam consiste, & speculare habitatrix Aroër, interroga fugientem, & eam quæ elapsa fuerit, dic, Quid factum est? (*quid accidit?*)

Diximus alibi cur Prophetæ in describendis cladibus ita stylum suum attollant: neque enim voluerunt appetere famam, vel laudem eloquentiæ. Non sunt igitur Rhetorici splendores quibus Prophetæ utuntur, sed necessario ita magnifice disserunt de pœnis quæ manent impios: quoniam tanta est animorum durities, ut non dubitent reprobi vel Dei minas respuere, vel ducere pro fabulis. ergo ut penetrent minæ Dei in hominum animos, necesse est eas exaggerari multis figuris, quemadmodum hic fit, & factum est aliis locis. Quanquam semper memoria tenendum est quod dixi, nempe Prophetam populi sui rationem habere: quoniam Moabitæ erant quasi thesaurus reconditus, ideo nunquam putassent Judæi posse fieri, ut tandem Chaldæi illuc perrumperent: sed denunciat Propheta rem perinde esse certam, acsi oculis conspiceretur. ergo ut in rem præsentem adducat Judæos, hic quasi pingit Dei judicia, non tantum describit. *Consiste*, inquit, *super viam, & speculare habitatrix Aroër.* fuit etiam illa urbs Moabitarum, cujus multis locis fit mentio: alias deinde adjungit, ut videbimus. *Interroga*, inquit, *fugientem, & eam quæ evaserit.* Mutat quidem genera nominum, sed ad amplificationem hoc facit quum ponit multos, deinde unum hominem, quia vult ab una parte ostendere tantam fore multitudinem exulum, ut tota terra vacua sit; deinde quum dicit unum vel alterum fugere, intelligit dispersos, ita ut turmatim non incedant, sed quemadmodum solet fieri in rebus trepidis, unum fugere ab una parte, alterum vero à parte altera remota. *Interroga* ergo *fugientem:* quanquam possumus simpliciter accipere, *interroga omnes fugientes:* deinde, *interroga eam quæ evaserit*, quoniam non tantum viri, sed etiam mulieres fugient, ita ut ne sexui quidem parcatur. Denique significat eos etiam qui habitant in urbibus probe munitis, fore anxios, ubi viderint hostes violenter per omnes plagas grassari.

20. Pudefactus est Moab, quia contritus est: ululate, & clamate, & annunciate in Arnon, quoniam vastatus est Moab. (*vel quod vastatus est Moab:* כי *enim hic explicative accipitur, non causaliter.*)

21. Et judicium perveniet ad terram planam, (*vel rectam, hoc est, ad ipsam planitiem*) ad Holon, & ad Jazar, & ad Mephaath.

22. Et super Dibon, & super Nebo, & super Bethdiblathaim. (*domum Diblathaim, sed est nomen proprium urbis.*)

23. Et ad Cariathaim, & ad Bethgamoul, & ad Bethmeon.

24. Et super Chirioth, & super Bozrah, & super omnes urbes terræ Moab remotas, & propinquas.

Diximus cur tam prolixe describat Propheta cladem Moabitarum, & tantopere in re non obscura insistat: neque enim satis fuit docere, & ostendere quod erat cognitu utile, sed oportuit etiam addere stimulos, ut attente exciperent hæc vaticinia Judæi, imo quasi malleo oportuit defigere in ipsorum mentes quod alioqui fuisset incredibile. nam habebant pro fabula, posse Moabitas ita conteri, & vastari, & in nihilum redigi. Propheta igitur lusisset operam, aut frigide loquutus fuisset, si verbis simplicibus descripsisset quod hic legimus: sed addidit etiam vehementiam sermoni suo, acsi malleo incuteret suos sermones, & defigeret in animos populi. Dicit ergo *Moab pudefactum esse, quia sit percussus.* deinde convertit rursus sermonem ad vicinos: *Ululate, clamate, & annunciate in Arnon*, inquit. Sed ironice Propheta hortatur ad clamorem, & ululatum alios. neque enim, quemadmodum diximus, vult ostendere dignos esse misericordia qui fuerunt crudelissimi hostes Ecclesiæ Dei, sed ostendit tam horribilem fore Dei vindictam, ut exprimat clamores, & ululatus per totam viciniam. Deinde adjungit, *Annunciate in Arnon.* Nunc multas urbes recenset: quasi diceret nullum angulum fore in terra illâ immunem à metu, & ab anxietate: quoniam hostes postquam irruptionem fecerint in unam partem, convertent se alio, ita ut finem nullum faciant sæviendi, donec perdiderint totam regionem, & totum populum. De urbibus istis, & earum situ nihil opus est longius tractare, quia non admodum utilis esset labor. Postremo autem satis ostendit Propheta se tendere in eum scopum quem dixi, ubi dicit, *Super omnes urbes Moab tam remotas, quam propinquas.* Significat enim nullam partem terræ illius fore expertem cladis, quoniam ubi cœperint hostes impetum facere, non cessabunt donec vagati fuerint per omnes plagas, easque vastatio comprehendat, quemadmodum si tota regio uno incendio flagraret. Sequitur,

25. Succisum est cornu Moab, & robur ejus confractum, dicit Jehovah.

Alia metaphora idem exprimit. Per cornu intelligit potentiam, quemadmodum qui aliquantulum exercitati sunt in Scripturis, satis sciunt hac voce significari vires, robur, & quicquid est præsidii ad tuendam aliquam gentem. Dicit igitur *cornu Moab esse succisum*, & adjungit postea explicationem, quod scilicet *robur ejus fractum sit.* Ergo ex hoc secundo membro intelligimus quid velit Propheta, quum dicit *succisum esse*, vel exectum, *cornu Moab.* sed rursus inducit Deum loquentem, quia putabant Moabitæ cornu suum non posse confringi. Quoniam ergo non satis auctoritatis habuisset Jeremias si loquutus esset in sua persona, ideo producit rursus Deum, & pronunciat hæc esse ejus verba. Nunc sequitur,

26. Inebriate ipsum, quia adversus Jehovam magnificatus est, & complosit Moab in vomitu suo, (*vel involvit se*) & ipse quoque in derisum. (*vel in ludibrium. adjungamus etiam alterum versum.*)

27. An non in risum fuit tibi Israël? an inter fures deprehensus fuit? quia ex quo sermo tuus de eo fuit, commovisti te.

Jam sermonem dirigit Propheta ad Chaldæos, qui futuri erant exequutores vindictæ Dei. Dicit igitur, *Inebriate illum, quia magnificatus est*, hoc est, sese extulit sua superbia contra Deum. Armat igitur Propheta tanquam præco Dei, aut fecialis ipsos Chaldæos, ut strenue exerceant judicium Dei, cujus ministri electi sunt. hoc autem plus habuit vehementiæ quum Propheta ostenderet sibi injunctum esse tale mandatum, quemadmodum alibi vidimus Prophetas ostendere quam efficax sit ipsorum doctrina, ubi urbes obsident, & oppugnant, ubi armant exercitus. Hanc igitur rationem nunc etiam sequitur Jeremias, quum tanquam præco Dei Chaldæos vocat, & præcipit ut strenue peragant quod placet Deo, & quod ipse decrevit, nempe *ut inebrient malis ipsos Moabitas.* Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, ut discamus non tantum expendere judicia tua dum oculis nostris apparent, sed etiam metuere quoties ea nobis denuncias, ut ita imploremus misericordiam tuam, deinde resipiscamus à sceleribus nostris, & patienter feramus paternas tuas castigationes, neque obmurmuremus si ad tempus indulges impiis, sed expectemus placidis & tranquillis animis, dum adveniat eorum tempus quo vindictam de ipsis exigas; & interim nos colligas in beatam quietem, peracto militiæ nostræ cursu, & des nobis frui æterna illa hæreditate, quam nobis præparasti in cælo, & quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui Domini nostri, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-PRIMA

IN

J E R E M I A M.

COEpimus heri exponere cur Propheta denuncians Moabitis quam meriti erant pœnam, dirigat sermonem suum ad Chaldæos, nempe ut plus efficaciæ habeat vaticinium. Jam metaphora inebriandi qua utitur, satis trita est: quum enim Scriptura significat aliquos fore miseros usque ad satietatem, ut loquuntur, imo plusquam ferre possint, ebrietati comparat. Sicuti enim ebrius mente alienatus est, ita qui miseriis sunt oppressi fere redduntur attoniti sensu malorum, ut privati sint ratione & judicio. hæc igitur est ebrietas cujus nunc fit mentio apud Prophetam. Subjicit in eundem sensum, *Et Moab involvatur in vomitu suo.* Quidam per vomitum intelligunt intemperantiam lætitiæ: ita vertendum esset in præterito tempore, Et complosit Moab in vomitu suo, hoc est, luxuriatus est in sua copia, & quum se vino ingurgitaret, hoc est, omnibus deliciis, dedit sibi plausum: *& ideo erit in opprobrium etiam ipse.* Non male quadraret hæc antithesis, quod Moab exultaverit sine ulla modestia quum prospere ageret, ideo brevi Deum sumpturum pœnas, ut sit ipse quoque ludibrio. Sed ego sequor receptiorem sententiam, quod scilicet Moab involvetur, aut complodet etiam in suo vomitu, ut per vomitum significet Propheta immodicum dolorem. ebrius enim sese oblectat potando: sed postea in ipso vomitu dat pœnam suæ intemperantiæ, dum & caput, & stomachus, crura, aliaque membra concutiuntur. sic etiam non male quadrat similitudo, quum dolorem ex calamitate Propheta vomitum appellat. Dicit ergo, *Quum complodet*, vel involvet se (varie enim transfertur hoc verbum) *Moab in suis miseriis, erit ipse quoque in ludibrium.* Cur dicat ipsum quoque fore derisui colligitur ex proximo versu: dicit enim, *An non derisus fuit tibi Israël?* Verum superior quoque ebrietatis causa cujus meminit, notanda est: quia se extulerit contra Deum. atqui postquam de superbia loquutus est qua exultaverant contra Deum Moabitæ, sequitur deinde explicatio, *An non derisus fuit tibi Israel?* En igitur quomodo superbierint Moabitæ contra Deum, quia scilicet contumeliosi fuerunt contra ejus Ecclesiam. Et hoc apprime notatu dignum est: significat enim his verbis Deus se ita conjunctum esse fidelibus, ut suscipiat eorum causam quasi sibi propriam, quemadmodum dicitur alibi, Quisquis vos tetigerit, tanget pupillam oculi mei. *Zach. 2. vers. 8.* sic igitur Deus in fidem suam recipit fideles, ut quicquid illis infertur injuriæ, sibi factum esse imputet. Hæc conjunctio optime exprimitur Prophetæ verbis, quum dicit *Moabitas sese extulisse contra Deum*: & modum simul ostendit, quod scilicet insultaverint Israëlitis. siquis exeipiat, Moabitas injuriam fecisse mortalibus, non autem Deo, responsio jam adducta est, quod scilicet Deus hac lege adoptaverit sibi Ecclesiam, ut nihil separatum ab ipsa habeat. Sciamus ergo Deum perinde affici ubi videt injuste nos aliquid pati, acsi injuria in ipsum directe tenderet. Ergo quoniam derisui fuerat populus Israël Moabitis, minatur Propheta illos pœnam suæ superbiæ daturos. deinde adjungit, *An inter fures deprehensus fuit?* Certum quidem est, populum Israël dignum fuisse gravioribus flagellis, & quum tot rebus adversis afflictus fuit, justam mercedem fuisse repensam ejus sceleribus. hoc certum est quantum ad Deum, sed quantum ad Moabitas, innocuus erat populus Israël. neque enim poterant objicere quicquam impii illi Israëlitis, quum prorsus essent similes, aut etiam deteriores. Deus ergo hic comparat electum suum populum cum extraneis, & dicit Israëlitas non fuisse fures. Sub una specie comprehendit totum genus: quasi diceret, Cujus sceleris rei fuerunt Israëlitæ, quod ita tumultuati estis contra eos? Videmus ergo quid sibi velint Prophetæ verba, nempe Moabitas mera crudelitate & fastu fuisse impulsos, ut tam indigne sævirent contra Israëlitas, & contumeliose ipsos opprimerent. neque enim, quemadmodum jam dixi, causa erat cur ita infesti essent Moabitæ misero populo. ita duplicatur eorum crimen, quod scilicet superbierint contra populum Dei, idque fecerint nulla causa: quoniam ipsorum respectu populus Dei erat innoxius. Quum dicit *commotos fuisse quoties verba facerent de Israëlitis*, significat fuisse impetu quodam malevolentiæ correptos, ut imprecarentur mala omnia miseris: deinde machinarentur quantum in se erat. Quoniam ergo ita furiose rapiebantur contra Israëlitas, id totum comprehendit Propheta per verbum Movendi, aut tumultuandi. Sequitur,

28. Deserite urbes, & habitate in petra (*hoc est, in rupibus*) habitatores Moab, & erunt quasi columba, quæ nidulatur in transgressionibus (*hoc est, trans os*) fissuræ.

Hic denunciat Jeremias exilium Moabitis: quasi diceret tantum fore vastitatem terræ ipsorum, ut cogantur huc & illuc profugi errare. Quod jubet *deserere urbes*, non id fit dicendi causa, quemadmodum Deus præcipit suis quod rectum est: tantum ostendit se armatum esse gladio Dei, ut non tantum loquatur ore, sed etiam compleat quicquid prædicit. nam exequutio ipsa non debet separari à vaticiniis; manus enim Dei cum ore ejus conjuncta est. Ergo dum pronunciat aliquid per servos suos, simul affectus sese profert, quemadmodum prius dictum est. Huc spectat sententia, *Deserite urbes, & habitate in rupibus*, hoc est, occultate vos in latebris, quia nulla terra habitabilis dabit vobis quietem, aut erit commodus locus profugii. *Et erunt*, inquit, *tanquam columba, quæ nidificat in locis remotis trans fissuras rupium*, vel petrarum. Significat desertissima loca: perinde acsi diceret non simplex fore exilium quo multabit Deus Moabitas, sed ut procul rapiantur, usque ad regiones incognitas, & quasi desertas ab hominibus. Sequitur,

29. Audivimus superbiam Moab: superbit valde: fastum ejus, (*vel arrogantiam ejus*) superbiam ejus, (*nomen est etiam ejusdem significationis, & ab eadem radice, quemadmodum si quis diceret ferocitatem & ferociam tantum pronunciatione differunt istæ voces*) & altitudinem cordis.

Hic per occupationem significat Propheta Moabitas quantumvis glorientur, non posse tamen consequi suis jactantiis, & sua superbia quin Deus vindex contra illos appareat. diximus enim, quoniam Moabitæ diu fuerant tranquilli, fuisse primo auditu quasi incredibile quod Propheta illis denunciabat. Est igitur anticipatio quum dicit *superbos esse Moabitas, & turgere fastu, & spirare multam arrogantiam*, denique gestare altos & inflatos animos. Quum hoc totum dicit Propheta, & subjicit nihil hoc illis profore, videmus eum occurrere dubitationibus quæ poterant retinere infirmas mentes, ne fidem haberent vaticinio. Quum autem utitur hoc verbo, *audivimus*, non tantum intelligit de fama, sed quod Moab intonuerit quemadmodum solent superbi homines. Nam reboant, ut ita loquar, & volunt etiam horrorem incutere sola lingua. Quum igitur prædicant suas opes, suam potentiam, volunt quodammodo aërem ipsum concutere, ut omnes contremiscant ad solam vocem. Hoc videtur exprimere Propheta per verbum *audivimus*. In summa, non intelligit Jeremias sparsim fuisse famam de superbia Moab, quemadmodum proverbia sæpe volitant de fastu & jactantia multorum hominum: sed dicit Moabitas fuisse præcones suæ potentiæ, ut magnifice triumphos suos canerent, atque ita sola lingua posset testari de eorum fastu & arrogantia: & ideo pluribus verbis hanc superbiam Propheta amplificat, *superbit valde*, inquit: *audivimus fastum ejus, superbiam ejus, & arrogantiam ejus*, quanquam est idem nomen, ut dixi, *& altitudinem cordis*: Latine potius dicendum esset, Et altos spiritus. Nunc sequitur,

30. Ego cognovi, dicit Jehovah, insolentiam ejus: & mendacia ejus non rectitudo: non sic facient.

Varie exponitur hic versus: saltem secundum membrum. nam vertunt quidam, Indignatio ejus, & non rectum: deinde seorsum adjungunt, Mendacia ejus: postremo, Non recte fecerunt. alii, Non facient quicquam stabile: quod melius convenit, & accedit ad expositionem quam attuli. Cæterum, hic non agitabo alias interpretationes, hoc est, pluribus non conabor refellere, quia satis erit tenere genuinum Prophetæ sensum. Primo loco hic inducitur Deus, *Cognovi*, inquit, *insolentiam ejus*: & pronomen אני, emphaticum est, quia proximo versu dixerat Propheta jactantias Moab fuisse terrori, quum ita personarent de suis viribus, & præsidiis. Quum ergo ita plenis buccis tonarent suas laudes, incutiebant omnibus vicinis terrorem; ideo dicebat Propheta, *Audivimus superbiam Moab*. Jam Deus etiam pro sua parte respondet, *Ego cognovi*, inquit, *insolentiam ejus*: quasi diceret, Non ita Moabitæ sese jactant, quin ego sim testis: omnia hæc ascendunt, inquit, ad tribunal meum. Postea adjungit in persona etiam ipsius Dei, *non rectitudo mendacia ejus*. Per vocem עברתו, quam alii vertunt indignationem ejus, intelligit, meo judicio, Propheta insolentiam. Significat proprie excessum, ab עבר, quod est transire. Metaphorice quidem sæpius accipitur hoc nomen pro indignatione, quia scilicet iracundia non tenet modum, sed est brevis quidam furor, ut ille loquitur. *Horatius.* Ego autem pro circumstantia loci interpretor insolentiam, & optime convenit. Postquam autem Deus asseruit perspectam sibi esse insolentiam Moab, conjungit etiam mendacia ejus. בדים sunt rami arborum, sunt etiam interdum filii, sunt membra totius corporis: ideo quidam hic exponunt filios: quasi diceret Propheta, postquam excisi fuerint Moabitæ, nullos fore superstites, qui nomen obtineant in mundo. Quia ergo nulla Moabitis futura erat posteritas, existimant hic בדים vocari filios. Sed non potest hoc quadrare, quia postea videbimus aliquid etiam fuisse residuum Moabitis. בדים ergo non possumus accipere nisi pro inanibus jactantiis nam sunt proprie mendacia. Sed debemus respicere quidnam hic agat Jeremias: כן significat rectum, ideo accipio appositive hæc duo, mendacia ejus non rectum, hoc est, nulla est stabilitas in ejus mendaciis. Nam quum resolvitur appositio, alterum nomen convertitur in adjectivum, vel inseritur præpositio. *Non rectitudo igitur mendacia ejus*, hoc est, in mendaciis ejus nulla est rectitudo, vel mendaciis ejus nulla est stabilitas. Rectitudo enim de qua nunc loquitur Propheta, non refertur ad justitiam vel æquitatem, sed pro stabilitate capitur. & hoc etiam satis colligitur ex aliis locis. Dicit ergo inanes esse jactantias, quas evomunt Moabitæ, quia Deus non stabiliet quod cogitant, & quod præsumunt, ut vulgo loquuntur. Deinde adjungit rationem. hic כן accipitur adverbialiter: est adverbium similitudinis, sic vel ita: *non sic facient*, nempe quemadmodum habent in animis suis conceptum. Confirmatio est proximi verbi. cur enim nulla erit stabilitas in mendaciis? quia scil. Deus franget ipsos Moabitas, ut consilia eorum irrita fiant & careant effectu. Nunc ergo tenemus summam verborum. Jesaias cap. 16. prope accedit ad hæc verba: sed non adjungit hanc confirmationem, non facturos quod prædicant. tantum dicit לא כן בדיו, hoc est, non erit rectitudo in ipsorum jactantiis, postquam loquutus est de altitudine cordis, & de fastu, & insolentia. Nam ponit hoc tertium nomen cum aliis duobus. Hic autem versus accommodari debet in usum nostrum quoties impii sese projiciunt ad jactantiam, & insolenter omnia sibi arrogant, ne scilicet contremiscamus, sed teneamus quod hic docet Propheta, cujus valde est utilis admonitio, nempe derisui fore apud Deum hanc superbiam, & quum detonuerint terribili modo impii, nullum fore effectum eorum mendaciis. Sequitur, *Jesa. 16. vers. 6.*

31. Pro-

31. Propterea super Moab ululabo, & ad Moab totum (*hoc est, penitus ad totam gentem*) clamabo, ad viros urbis testæ meditabor. (*ad verbum: sed existimant proprium esse nomen* קירחרש: *quanquam est illa etymologia, urbis testæ: & ideo quidam vertunt, ur-*
Jesa. 16. *bem fortem. Interea Jesaias vocat* קיר חרשה: *& extendit nomen longius, & addit tertiam*
vers. 7. *syllabam: sed tamen id nomen manet. Meditabor, inquit, ad viros Kircheres. proprie* הגה *significat conqueri, susurrare & obstrepere: & ideo quidam non improprie vertunt, mussitabo ad viros urbis testæ.*)

Hic Propheta non refert quid sit facturus, quemadmodum ante docui: sed ut ad vivum repræsentet cladem Moab, ponit ululatum, & clamorem, & querimonias. Dicit ergo, Ego ululabo, & vociferabor, & querulabor trepida voce, quemadmodum qui graviter premuntur malis, nunc conqueruntur, & projiciunt altos clamores, vel ululatus: nunc autem intus susurrant, & fremunt & obstrepunt. Ita etiam Propheta in se suscipit tales personas quo melius exprimat extremam fore cladem illius gentis. Postea descendit ad species ipsas.

32. A fletu Jaëzer flebo (*vel à planctu plangam*) tibi (*id est, super te*) vitis Sibmab, propagines tuæ penetrarunt ultra mare, (*trajecerunt mare*) usque ad mare Jaëzer (*hoc est, cives Jaëzer vel propagines*) attigerunt: super æstivales (*vel æstivas*) fructus tuos, (*vel messes proprie*) & super vindemias tuas irruit vastator.

Hic clarius designat Propheta quod in genere dixerat, nempe quod flebit super vineas Sibmah, postquam fleverit super Jaëzer. erant urbes terræ Moab, quemadmodum ex aliis locis patet. quidam vertunt, præ fletu, vel planctu: & מן, quemadmodum satis notum est, ponitur vice comparativi. Sed quoniam apud Jesaiam ב ponitur loco מן, in fletu, ideo dubium non est, quin Propheta hic continuationem fletus exprimat quum dicit, *A fletu Jaëzer flebo super te vitis Sibmab*, hoc est, nullus erit modus flendi, quia postquam eluxerint Moabitæ cladem urbis Jaëzer, nova materia doloris occurret, quoniam perdentur etiam aliæ urbes, & præsertim Sibmah. erat autem regio Sibmah admodum fertilis, præsertim ob copiam vinearum. Ergo Propheta totam opulentiam urbis comprehendit sub vitibus: imo etiam cives ipsos designat per *propagines*, vel palmites. Dicit, *Flebo super te vitis*, hoc est, regio vitifera, *Sibmab*. nam propagines tuæ, hoc est, illa opulentia trajecit ultra mare, & cives Jaëzer, qui erant vicini. postea repetit de urbe Jaezer quod dixerat, quoniam conjuncta erat, & fuerat eadem calamitas. Deus enim involverat duas illas urbes eodem exitio. *Jaëzer ergo venit usque ad mare. nunc irruit vastator.* apud Jesaiam habetur, הידד, quod nomen paulo post subjicietur. sed verbum illic sumitur diverso sensu, quod scilicet collapsum sit omne canticum. Hic quum dicitur שדד נפל, nomen ostendit aliam significationem verbi. *vastator* ergo *cecidit*, hoc est, toto impetu corruit super vineas tuas & messes: hoc est, ut omnia dissipet & consumat. Sequitur,

33. Et tolletur lætitia & exultatio ab agro fertili (*neque enim est hic proprium loci nomen. scio quidem montem Carmelum esse celebrem, sed hic accipitur appellative, quia agitur de regione Moab: sicut explicative continuo post additur proprium nomen regionis*) à terra Moab, (*inquit Propheta*) & vinum è torcularibus cessare faciam, (*loquitur adhuc in persona Dei*) non calcabit cum cantico cantico, non erit canticum.

Prosequitur suam similitudinem, vel metaphoram. dicit enim loca omnia vastata & squalida fore, quæ prius ob magnam ubertatem fuerant in honore & pretio. *Cessabit* igitur *omnis exultatio à terra Moab*, quantumvis fuerit fertilis. Deinde addit, *vinum cessare faciam à torcularibus*, hoc est, tollam omnes vindemias, ita ut vacua sint torcularia. præterea *non calcabit*, vel nemo erit qui premat uvas, ut inde vinum defluat. addit autem, הידד הידד, hoc est, *cum cantico cantico, quia non erit canticum.* הידד alii vertunt Celeuma, vel celeusma, quod est nomen Græcum, sed receptum etiam apud Latinos: *κέλευσμα* Græcis dicitur exhortatio nautarum, quum præsertim appellunt ad littus, tunc sese incitant ad remigandum, & sibi etiam gratulantur, quoniam propinqui sunt terræ. aspicere enim portum præcipua est nautis lætitia, acsi vitam & salutem illis quispiam restitueret. Sed nomen illud *κέλευσμα* transfertur ad alia: quemadmodum si quis diceret messores canere celeusma quum veniunt ad finem operis. Jam cultores vitium habebant sua cantica: & id etiam in usu fuit profanis Gentibus, quemadmodum dicit Virgilius, Jam canit extremos effœtus vinitor antes. per Antes videtur significare extremas lineas vinearum. Antes enim proprie sunt prominentiæ, vel eminentes lapides. Quum autem venerant ad finem, tunc canebant, & gratulabantur sibi de vindemiis. Fuit igitur mos ille vulgaris fere apud omnes gentes: ideo Propheta nunc ad nomen alludens, dicit, Qui calcabunt in torculari non erunt læti pro more, ut habeant suum הידד הידד: bis repetit nomen, quoniam in vindemiis exultant homines, & non satis moderati sunt in gaudio illo. Hæc igitur ratio est cur Propheta duplicet hoc nomen. Postea adjungit, לא הידד, non erit canticum, quia nullæ erunt vineæ scilicet. Aliis verbis utitur Jesaias, sed in eundem sensum. Nunc sequitur,

34. A clamore Hesebon usque ad Elealeh ad Jahaës edent (*ediderunt, ad verbum*) vocem suam, à Zoar ad Choronaim vitula triennis, (*aut, vitulam triennem*) quia etiam aquæ Nimrim in vastationem erunt. (*in ariditatem scilicet.*)

Continuat suum sermonem, sed pluribus & diversis verbis rem unam confirmat, quo scilicet agnoscant fideles serio prædici cladem hanc Moabitarum, & ita certius sibi persuadeant Deum nihil voce proferre quod non mox velit exequi. Ergo *à clamore Hesebon usque ad Elealeh edent vocem suam.* Significat, quemadmodum prius, continuos fore clamores & ululatus, qui personent hinc inde, & spargantur per omnes plagas. Postea addit, *A Zoar usque ad Choronaim.* Tenendus esset urbium situs: sed singamus Prophetam eas urbes eligere, quæ erant oppositæ. Ergo ab uno angulo usque ad alterum exaudietur

dietur continuus clamor, quia ubique erit vastatio & clades deinde descendit ad aliam regionem: ab illa urbe etiam usque ad alteram similis clamor erit. Denique significat nihil fore quietum, & immune à miseriis in tota terra Moab. hæc summa est. Sed comparat vel totam terram Moab, vel urbem Choronaim *vitulæ trienni*, propter lasciviam scilicet. Quidam restringunt ad urbem Choronaim, quia appositive leguot, Usque ad Choronaim vitulam triennem, & legunt in accusativo casu. Alii autem seorsum transferunt, Vitula triennis, nempe Moab. Et hoc mihi magis probatur, quia postea adjungit aliam urbem, Nimrim scilicet: quia tamen parum est momenti, nollem contendere, si quis malit diversum sensum sequi. Ergo vel urbs una, vel tota regio confertur *vitulæ trienni*, quia diu gens illa luxuriata fuerat in suis deliciis. Vitula autem triennis exultat, quemadmodum satis notum est, quia nescit quid sit ferre jugum: deinde non est effœta quemadmodum sunt vaccæ, quas debilitant multi partus: deinde, quoniam etiam lac, quod ab ipsis sugitur, exhaurit earum vires. sed vitula triennis est in ipso flore. Denique significat Propheta vegetos esse Moabitas, & quasi effrenes, quia scilicet exultaverant diu in suis copiis: & quoniam suppetebat vinum & panis, ideo sese projecerant in luxuriem. Postea adjungit, *Certe etiam aquæ Nimrim in desolationem erunt*. quidam existimant Nimrim esse urbem, & vocari alibi Nimra. Fit etiam aquarum istarum mentio apud Jesaiam, ubi adjungit torrentes salicum. unde colligimus aquas illas fuisse perpetuas, & jugiter fluxisse. Cæterum, metaphorice loquitur Propheta, sicuti prius, quia sensus est, nihil adeo tutum fore in terra Moab, quod non perdatur, nihil fore adeo fœcundum, quod non arescat. Ergo per *aquas Nimrim* intelligit abundantiam, quæ erat in tota regione. neque enim Chaldæi siccarunt fluvium illum, vel illos lacus, quia certo nescitur fueritne fluvius, an fuerit lacus. Sed satis probabile est illic fuisse magnam aquarum copiam, quæ non exaruerunt adventu exercitus hostilis. verum quemadmodum jam dixi, sub istis figuris describit totam terram Moab vastatum iri. Sequitur,

35. Et cessare faciam (*id est, profligabo*) ex Moab, inquit Jehovah, eum qui offert in excelso, & qui adolet (*aut suffitum facit*) diis suis.

Hoc postremo versu significat Propheta quod prius attigerat: nempe Deum ita vindicem fore superbiæ & crudelitatis Moabitarum, ut etiam pœnam exigat de ipsorum superstitionibus. Descenderant à sancto patre. erant enim ex progenie Loth. Atqui abjecerant cultum unius Dei, & sese polluerant Gentium inquinamentis. Merito igitur Deus pronunciat se fore ultorem idololatriæ, quum pœnas sumet de superbia & sævitia Moabitarum. Hic autem locus (ut alii innumeri) ostendit idololatriam, & omnem profanationem divini cultus, non posse tandem pœnam effugere. Ad tempus quidem dissimulat Deus, sed necesse est, ut tandem vindex appareat gloriæ suæ in puniendis superstitionibus. Quod si non pepercit Moabitis, quibus Lex non fuerat data, & qui per longos tractus annorum fuerant corrupti, quomodo nunc impune evadent quibus quotidie proponitur verbum Dei, & quorum auribus personat? Ergo teneamus non posse ferri superstitiones, quin Deus tandem vindicet gloriam suam ab illis inquinamentis: quia omnis superstitio nihil aliud est, quam profanatio gloriæ Dei, quæ hoc modo transfertur ad idola & figmenta.

Da omnipotens Deus, quando nos semel dignatus es recipere sub tuam protectionem ut te opponas hostibus nostris, & quo truculentiores sunt, ac magis ferociunt, eo etiam gravius illos castiges, ut ita sentiamus salutem nostram tibi esse curæ, & majore etiam fiducia ad te confugiamus, & quum experti fuerimus hanc clementiam, etiam magis alacriter tibi perpetuas agamus gratias in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-SECUNDA

IN

J E R E M I A M.

36. Propterea cor meum propter Moab tanquam tibiæ resonabit, & cor meum ad viros Kircheres (*vel urbis testaceæ, ut dictum fuit*) sicuti tibiæ resonabit, quoniam thesaurus quem fecerunt, perierunt (*ad verbum est, residuum fecit, perierunt: sed loquitur de thesauris reconditis, quemadmodum patet ex simili loco Jesaiæ capite 15.*)

HIc Propheta, ut antehac dictum fuit, non luget cladem populi Moab, sed induit alienam personam, ut res quasi ante oculos exposita melius pateat. diximus enim tantas fuisse illo tempore opes Moabitarum, ut oculos omnium perstringerent. Difficile igitur erat fidelibus, concipere hanc Dei vindictam animis. ideo transfert in se Propheta aliorum sensus: & recitat quid facturi sint Moabitæ, ubi Deus eos tam graviter afflixerit. *Cor meum*, inquit, *resonabit tanquam tibiæ*. Existimant quidam agi de tibiis lugubribus. sed nescio an talis fuerit hujus instrumenti forma: & sunt qui existimant חללים vocari *cornemuses*: ideo sensum illum, qui nimium argutus est, relinquo. Simpliciter intelligit Propheta, tantam fore trepidationem, ut corda Moabitarum perstrepant, quemadmodum tibiæ. Repetit eandem sententiam diversis verbis, *quod scilicet perstrepet*, vel sonabit, *cor ejus ad viros Kircheres*, de qua urbe heri dictum fuit. Nunc adjungit, *quoniam residuum quod fecerunt*, vel fecit Moab, verbum est singularis numeri: deinde, *perierunt*, ubi etiam est mutatio numeri. nam refertur ad nomen יתרה. diximus autem designari reconditos thesauros. Quicquid ergo acquisierant sibi Moabitæ, & quicquid putabant semper fore salvum, hoc Propheta periisse affirmat. Addit Jesaias פקדתם substantiam eorum, & dicit eam deferent ad salices, hoc est, exponent in locis desertis: quasi diceret omnes opes Moabitarum dissipatum iri, acsi essent pro derelicto, ut loquuntur. Nunc sequitur,

37. Quia omni capiti calvitium, & omni barbæ rasura, (*ad verbum diminutio*, גרע *significat diminuere: sed hic accipitur pro rasura*) & super omnes manus incisiones, & super lumbos saccus.

Pluribus verbis describit Propheta maximum luctum. Solebant capillos sibi evellere in magnis doloribus: deinde, radere barbam, & induere saccum, vel circumdare lumbis suis, & etiam incidere manus novacula, vel unguibus. Quoniam ergo hæc signa erant mœroris, omnia accumulat Jeremias, ut significet cladem Moab non fore vulgarem, sed quæ exprimat toti populo extremum luctum. *Depilabunt* ergo *capita sua*, inquit: deinde, *barbam suam aut vellent, aut radent*. Utrumque enim potest intelligi per nomen diminutionis. Jam addit de incisuris manuum. Lacerabant & faciem, & manus unguibus: alii adhibebant novaculam. Quantum ad saccum pertinet, erat etiam insigne luctus. Certum autem est, hoc fuisse olim quasi natura ingenitum, ut homines in maximis calamitatibus cinerem aspergerent capiti, & saccos induerent. Cæterum, excessus addidit etiam aliis quæ non satis conveniunt naturæ: neque enim humanum est, barbam vellere, neque depilare caput, neque etiam discerpere manus & faciem unguibus: hæc ostendunt intemperiem, quæ nec viris, nec mulieribus convenit: mulieribus propter verecundiam, viris autem propter magnitudinem & robur animi. Sed homines nunquam sibi moderantur: & ita sive doleant, sive lætentur, semper abripit eos quædam intemperies, ut nullum modum teneant. Fuit etiam aliud vitium in sacco & cinere, quia quum symbolis illis vellet Deus homines adducere, ut humiliati in rebus adversis, apud se expenderent sua peccata, & confugerent ad ejus misericordiam, symbola hæc tracta sunt in diversum finem, nempe ut qui lugebat, esset aliis miserabilis, & exprimeret etiam fletum, & lachrymas. Denique præter excessum fuit etiam alius vulgaris morbus, nempe hypocrisis: quia homines semper declinant ad vanitatem, & ficti sunt in omnibus rebus. Hoc autem loco non est opus disputare de luctu, quia tantum intelligit Propheta miserrimos fore Moabitas, ut colligant omnia insignia mœroris. Sequitur,

38. Super omnia tecta Moab, & in compitis ejus omnino planctus, (*hoc est, ubique:* כלה *sumitur adverbialiter*) quoniam confregi Moab tanquam vas quod non est in pretio, (*ad verbum, non desiderium in ipso: tanquam vas quod contemnitur, quod non appetitur*) dicit Jehovah.

Continuat Propheta initio versus suam sententiam, quod scilicet *per omnia tecta*, & in omnibus compitis lugebunt & plangent Moabitæ. additur secundo ratio, quoniam Deus exercebit durum judicium contra illam gentem. Quod dicit *planctum fore super tecta*, respicit ad morem illius temporis. nam ambulabant super tecta. Dicit igitur Moabitas, quo magis spectabiles sint, ac moveant misericordiam, *conscensuros super tecta*, ut illic *clament*, *ululent*, *& plangant*. Sed notandum est quod adjungit, nempe cladem venturam à Deo: quia non satis esset prædicere res adversas, nisi accederet hæc cognitio, nempe Deum conscendere tribunal, ut exerceat sua judicia quum ita castigat populos. Comparat autem *vasi contempto populum Moab*, ut discernat filios Dei à reprobis & extraneis, quia Deus etiam de suis pœnam sumit quum peccarunt: sed non desinit eos amare, & habere pretiosos. Dicit autem *Moab fore vas contemptum & rejectum*. Jam sequitur,

39. Quomodo contritus est? ululabunt: (*alii vertunt, ulularunt*) quomodo vertit cervicem Moab? pudefactus est: & fuit Moab in derisum, & in terrorem omnibus qui sunt in circuitu.

Contexit adhuc sermonem suum Propheta in aliorum persona, & loquitur ex eorum sensu, non autem suo. Dicit ergo *ululando dicturos* per admirationem: *Quomodo factum est, ut ita contritus fuerit Moab? ut omnes terga verterint? ut Moab sit pudefactus?* Oblique autem significat, etiamsi nemo tunc posset cognoscere judicium Dei, de quo nunc vaticinatur: tamen reipsa Deum comprobaturum se nihil nisi serio dixisse. Hæc igitur admiratio pertinet in eum finem, ut sciant Israelitæ, quamvis clades Moab redditura sit omnes fere attonitos, ut clament quasi de re prodigiosa, Quid hoc sibi vult? tamen certum fore eventum sui vaticinii. Hæc summa est verborum quum dicit, *Ululando clamabunt*, *Quomodo contritus est Moab? & quomodo vertit cervicem suam?* hoc est, terga dedit, ut loquuntur. *Moab pudefactus est*: deinde, *factus est in derisum*, quod ante vidimus. Adjungit, *in pavorem*: quanquam alii vertunt, In contritionem. Sed melius convenit nomen formidinis vel terroris. Significat enim Propheta, Moab aliis fore ludibrio, aliis autem fore horrori quum aspicient tale Dei judicium. Et dicit *terrorem fore ubique*, hoc est, per totum circuitum regionis, una cum risu, & subsannatione. Sequitur,

40. Quia sic dicit Jehovah, Ecce tanquam aquila volabit, & expandet alas suas super Moab.

Hic rursus assumit nomen Dei, quia necesse erat ejus auctoritate confirmari incredibile vaticinium: *Deus est*, inquit, *qui pronunciat* hostes venturos, qui transvolent per totam terram Moab. Comparat autem Chaldæos aquilis: & hic subaudiendum est nomen, quod non exprimitur, *volabit tanquam aquila*, nempe rex Babylonis cum suo exercitu. Summa est igitur, quamvis late pateat ditio Moabitarum, tamen nullum fore angulum, quo non penetrent Chaldæi, quia celeritate fere æquabunt aquilas. Ideo adjungit, *extendent alas suas*, non ad fovendum, quemadmodum aquilæ expandunt alas suas super pullos: sed extensionem intelligit, quæ corripiet totam terram Moab, ut scilicet frustra quærantur latebræ: quoniam ab una parte usque ad aliam occupabunt Chaldæi quicquid putabant Moabitæ esse valde remotum, & ideo sperabant tutum fore propter distantiam. Postea adjungit,

41. Captæ sunt urbes, (*est hic etiam mutatio numeri: sed dura esset translatio ad verbum: ideo satis est sensum tenere. Captæ ergo sunt urbes, hoc est, unaquæque urbs capta est: deinde*) arces, *vel propugnacula*, comprehensa sunt, (*est iterum mutatio numeri*) & fuit cor virorum Moab in die illa tanquam cor mulieris, quæ angitur. (*vel premitur anxietate.*)

Satis jam admonui, Prophetam non loquacem esse in isto prolixo sermone, quia necesse fuit pluribus verbis confirmare quod alioqui omnes repudiassent. Dicit igitur *captas esse urbes Moab, & apprehensa propugnacula.* Diserte hoc exprimit, quoniam regio Moab putabat se munitam esse urbibus & propugnaculis: & ita secum reputabat, Etiamsi venerint Chaldæi, & irruptionem fecerint, sunt tamen multæ urbes, quæ illis se opponent: consument longum tempus in illis obstaculis superandis. sic igitur fiet, ut tædio fracti redeant in patriam, & recuperemus quæ erunt perdita. Hac igitur fiducia se fallebant Moabitæ quum respicerent urbes tam bene munitas, & tam valida propugnacula: hanc ob causam nunc dicit Propheta, *Captæ sunt urbes, & apprehensa sunt propugnacula.* Jam alia etiam fiducia gloriabantur Moabitæ, quod scilicet essent præditi fortitudine bellica: & tamen pridem non experti fuerant suas vires, quia demersi fuerant in suo otio & deliciis. Sed quoniam olim gesserant res memoratu dignas, ideo quemadmodum dixi, spernebant hostes suos, quum nihil non arrogarent propriis viribus. Propheta autem ex opposito denunciat corda illorum fore evanida. *Cor,* inquit, *virorum Moab essæ amnatum erit in illo die, mollius quam cor mulieris,* & quidem angustiis oppressæ. Videri poterat plena comparatio quum dixisset viros Moab perinde fore molles atque fœminas. Sed voluit plus aliquid exprimere: & ideo addidit fore molliores fœminis, quæ sunt in summa angustia. His autem verbis significat, esse in manu Dei liquefacere corda hominum, & frangere omnem ferociam, ut qui fuerint quasi leones, reddantur similes damis. & hoc diligenter notandum est, quoniam non tantum speciale donum est fortitudo, sed necesse est ut quos Deus semel fortes reddidit, quotidie & singulis momentis confirmet: alioqui qui sunt magnanimi præ aliis, statim diffluent. Sequitur,

42. Et contritus est (*perditus, excisus*) Moab, ut non sit populus: quia adversus Jehovam sese extulit. (*magnificatus est, ad verbum.*)

Repetit sententiam quam vidimus. nempe cladem Moab fore justam mercedem superbiæ, & quidem sacrilegæ. Dicit igitur Propheta, quamvis hæc Dei vindicta videri possit nimium gravis, tamen esse æquissimam, quoniam Moabitæ non tantum crudeles fuerint adversus suos vicinos, sed etiam contumeliosi in Deum ipsum. Hic ergo damnat eos primum sævitiæ, deinde impiæ superbiæ, *quod sese contra Deum extulerint.* Sed tenenda est ratio quam prius notavi. Neque enim ex professo Moabitæ jactarunt se vel æquales esse vel superiores Deo, sed quum cristas attollerent contra populum Dei, erant in ipsum contumeliosi, qui pollicitus fuerat se fore illius populi præsidem & patrem. Quum ergo ita fidem & promissionem Dei contemnerent Moabitæ, merito hic damnantur à Propheta, *quod sese contra Deum extulerint.* Et hoc diligenter notandum est, ne quid injuriæ piis inferamus, quia tandem ostendet Deus se violari in eorum persona. Deinde hinc etiam colligi potest non vulgaris consolatio, quod scilicet contra Deum bellum gerunt quicunque nobis sunt molesti: & in ipsum sunt sacrilegi quicunque nobis injurias inferunt. Nam ante exposuit Propheta quomodo Moabitæ gloriati essent adversus Deum, nempe quia ludibrio illis fuerant filii Israël. Sequitur,

43. Terror, & fovea, & laqueus super te, habitator Moab, dicit Jehovah.

44. Qui fugerit à facie terroris, incidet in foveam: & qui ascenderit è fovea, laqueo capietur: quoniam adducam super eam, super Moab annum visitationis ipsorum, dicit Jehovah.

His verbis significat Propheta, quamvis ad multa effugia se conferant Moabitæ, tamen deprehensum ipsos iri, quia undique irretiet ipsos Dei manus. primo loco ponit *terrorem*, deinde *foveam*, tertio *laqueum*: hoc est, expavesces ita ut metus te impellat ad fugam. verum ubi voles fugere, occurrent foveæ, in quas decides: si autem surrexeris è foveis, laquei te circumdabunt, atque irretient. Videmus ergo per has similitudines nihil aliud notari, quam judicium Dei, quod impendet Moabitis, non posse ab illis averti ullo modo, neque fore ullas rationes quibus elabi queant, quoniam pavor ipse coget eos in fugam, & interea ut fieri solet, eripiet illis mentem & consilium: ita huc & illuc agitabuntur, neque poterunt se movere loco, quin foveæ illis occurrant, & post foveas laquei, sicut dictum fuit. Hoc autem non abs re expressum est, quia scimus quam multis illecebris soleant se lactare homines, ubi Deus eos ad judicium suum citat. Nam statim circumspiciunt huc & illuc, & promittunt sibi impunitatem: deinde sperant leves fore pœnas, acsi cum Deo paciscerentur. Sed obdurescunt increduli, quemadmodum dicit Jesaias, acsi haberent fœdus cum morte, & pactum cum inferno. Quoniam igitur eam securitatem opponunt Deo reprobi, Propheta hic significat in manu ejus esse multiplices rationes, quibus illaqueet fugitivos, & qui videntur sibi posse elabi sua astutia: & ideo subjicit, *Quisquis fugerit à terrore,* hoc est, à præsenti periculo, *cadet in foveam,* hoc est, ubi putabunt Moabitæ jam se esse defunctos, excipient eos nova pericula, & novæ mortes ipsos circumdabunt. Sed notandum est quod in fine versus additur, *Quia adducam super Moab annum visitationis ipsorum.* Hic Deus sustinet animos piorum, ne deficiant propter longiorem temporis moram. Quia ergo poterant fideles tædio confici, quum Deus prorogaret Moabitis tempus, ideo dicit Propheta, *Veniet tandem annus visitationis.* nam ut alibi dictum fuit, hac loquendi forma significat Deus se tandem fore mundi judicem quamvis dissimulet, & quasi conniveat. Vellemus semper Deum agere præcipitanter: & ideo quum nos hortatur ad patientiam, omnes sensus nostri repugnant: hoc fit, quia non cogitamus in arbitrio ejus esse opportunitates temporum: ideo nunc de *anno visitationis* loquitur: quasi diceret, quamvis ad tempus videar non aspicere res humanas, & negligere etiam meos, dum crudeliter affliguntur à reprobis: *tamen veniet tempus visitationis.* nam per hanc vocem significat Deus se habere certas vices, aut revolutiones, ut vulgo loquuntur. Nunc ergo tenemus consilium Dei quum dicit *se adducturum super Moabitas visitationem.* Sequitur,

Jesa. 28. vers. 15.

45. In umbra Hesbon steterunt à fortitudine (*aut violentia*) fugientes: quia ignis egressus est ex Hesbon, & flamma è medio Sion, & vorabit angulum Moab, & extremitatem (*& verticem*) filiorum tumultus.

Confirmat proximam sententiam, quod scilicet frustra Moabitæ se conferent ad urbes validissimas, sicuti *ad Hesbon, & ad Sihon,* quoniam illinc erumpet flamma, quæ devoret totam terram. Videmus

ergo

ergo eripiat Deus omnes inanes fiducias Moabitis, & ostendat nulla præsidia posse stare contra suam virtutem, ubi semel surrexerit ad judicium: *fugientes*, inquit, *consistent in umbra Hesbon*, hoc est, putabunt se habere certum perfugium in illa urbe, & aliis similibus. Sed hic non videtur mihi causalis esse particula כי, sed potius affirmativa, vel etiam adversativa: *atqui vel certe etiam ignis egressus est ex Hesbon, & flamma ex Sihon*, inquit. Non dubito quin Propheta mutuatus sit hæc verba ex Mose. dicit
Num. 21. v. 27,28. enim cap 21 4. libri, *ignem egressum esse ex Hesbon*, & illic commemorat proverbiale dicterium & vetus. Nec dubium est quin triumphos egerint hostes de urbe illa capta. nam totum illud canticum quod legitur apud Mosen, est ironicum; atqui ubi dicit illinc ignem erupisse, refert consilia eorum, qui putabant urbem illam satis fore validam ad hostes arcendos. nunc Propheta ostendit fuisse rursus completum quod olim de Hesbon dictum fuerat, nempe quod fuerit quasi principium incendii. Hic ergo sensus est meo judicio, Moabitæ quidem existimant sibi fore placidam & suavem umbram in præsidio urbis Hesbon & urbis Sihon. quid autem fiet? nempe, inquit, duæ illæ urbes erunt quasi principia incendii. unde? vel qua ratione? nempe quoniam credibile est fuisse illic sumpta consilia, quæ provocarunt Chaldæos. Scimus enim ut divitiæ, & potentia semper fastum afferant, & perversam confidentiam hominibus. nam in pagis, & exilibus oppidis non moventur bella: sed magnæ urbes colligunt lignum, & accendunt ignem, postea incendium per totam terram grassatur, & pervadit. Hoc ergo intelligit Propheta noster, *quod ignis egressus sit ex Hesbon*, nempe contra spem populi: quia putabant etiamsi omnia pessum irent, residuam tamen fore sibi salutem in urbe illa. *Egredietur*, inquit, *ignis ex urbe Hesbon, & è medio Sihon flamma, & vorabit angulum Moab, & omnes extremitates ejus.* nam per קדקד, intelligit omnes partes. alioqui extremitas accipitur pro parte. non autem intelligit ignem venturum ad partes, vel extremos angulos, ut lambat duntaxat: sed significat consumptum iri totam terram igne illo: ita sese diffundet usque ad omnes extremitates. Sed quemadmodum jam dixi, alludit Propheta ad vetus illud canticum, cujus fit mentio apud Mosen. Cæterum, minime dubium est, quin
tunc Hesbon, & Sihon essent sub ditione illius gentis. Eripuerant enim Israëlitis multas urbes, & totam fere illam partem: & ita redacti fuerant in angustum filii Israel. Tandem restabat sola tribus Jehudah post eversum regnum Israel. Quum enim abducti essent in Chaldæam, facile fuit Moabitis suum facere quod nullius erat. Deinde quoniam adjuverant Chaldæos, & prodiderant miserum populum, & ita perfide egerant cum fratribus suis, relata fuit illis merces. Sed quum tandem metuerent sibi à potentia Monarchiæ illius Babylonicæ, cœperunt alio se vertere, & conati sunt obstare, ne Chaldæi ulterius penetrarent. Hinc ergo commotum fuit bellum, & data occasio. Loquitur ergo de Hesbon & Sihon tanquam de urbibus notis. Et minime dubium est, quin urbs Sihon nomen habuerit à Rege. scimus enim nomen fuisse Regis. Sed quoniam hic agitur de loco, probabile est, & facile colligitur, impositum fuisse nomen urbi ad celebrandam Regis memoriam. Tandem addit, *Vorabit etiam ignis ille*, & flamma *verticem filiorum Saon*: sed vocat tumultuosos Moabitas, quod ante perstreperent, & essent vicinis suis formidabiles. Quoniam ergo quodammodo sola voce perculsi fuerant omnes vicini, ideo ab effectu vocat filios tumultus, vel tumultuosos homines. Sequitur,

Num. 21. v. 27,28.

46. Væ tibi Moab: periit populus Chamos, quia tracti sunt (*vel rapti*) filii tui in captivitatem, & filiæ tuæ in exilium.

Hic quia ad finem sui vaticinii accedit Propheta, abrupte exclamat, *Væ tibi*: quasi diceret verba sibi non suppetere, quæ satis exprimant vindictæ Dei gravitatem. Plus igitur efficaciæ est in hac particula, quam si multis verbis describeret miserias illius gentis. Postea addit *populum Chamos periisse*. iterum significat Propheta frustra confidere Moabitas idolo suo Chamos: putabant sibi certam fore salutem in suo deo, qui erat tutelaris, ut vulgo loquuntur. Propheta autem dicit superstitionem illorum nihil profore, quominus pereant una cum suo idolo. nam insultat fictitio deo, ut ex opposito extollat unius & veri Dei potentiam. Subest enim antithesis inter Deum Israel, & Chamos, quem colebat populus Moab. Postea adjungit, *filii tui, & filiæ tuæ rapientur in captivitatem*. Non videtur hic Propheta continuare sermonem, quia nuper dixit instare exitium; vel interitum populo Moab, nunc autem mitigat pœnam illam, & loquitur tantum de exilio. sed quoniam captivitas illa erat instar mortis, quæ aboleret gentis nomen, ideo proprie loquitur. Deinde notandum est, Deum sic ad tempus exercuisse vindictam suam contra Moabitas, ut in posterum reliquerit aliquid spei, quemadmodum ultimo versu sequitur:

47. Et reducam captivitatem Moab in fine dierum, (*hoc est, post longum tempus*) dicit Jehovah. Hactenus judicium Moab.

Hic ut videmus, dat locum misericordiæ suæ Deus, ne in totum pereant Moabitæ. Interea conveniunt hæc quæ videntur esse contraria, nempe instare interitum populo Moab, & tamen fore aliquos superstites, qui deinde instaurent nomen gentis, acsi Deus vellet restituere Moabitas in integrum: hæc dico primo intuitu pugnare, sed tamen posse facile conciliari, quoniam Deus voluit sic perdere Moabitas, ut qui moriebantur essent prorsus desperati: deinde, qui manebant superstites non jam censerentur inter vivos, sed essent similes mortuis in exilio. Deus enim fulciebat semper aliqua fiducia pios, etiam quum tracti essent Babylonem. Sed quantum ad Moabitas spectat, tam qui mortui erant, quam qui superstites, conjecti fuerunt in desperationem. Quorsum igitur tendit hæc promissio? non respicit Moabitas ipsos, sed ut Judæi sibi persuadeant Deum tandem fore sibi placabilem, promittit veniam Moabitis, quasi accidentaliter, ut ita loquar, & sic non data opera illis manum porrigit, sed vult in illa clementia Israëlitis dare gustum paterni sui favoris. Quod restat differemus in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando olim extendere dignatus es tuam misericordiam ad exteros, qui prorsus erant abs te alienati, ut spem inde salutis conciperent filii Abrahæ, quos adoptaveras: da, inquam, ut hodie etiam conjiciamus oculos in tot documenta tuæ bonitatis, quæ apparent erga impios & indignos, ut accommodemus in usum nostrum, nec dubitemus quamvis simus miseri, tamen te semper nobis fore propitium, quandoquidem dignatus es nos in populum peculiarem eligere, ac pollicitus es nobis te semper fore in Deum & Patrem, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-TERTIA

IN

JEREMIAM.

COEpimus postrema lectione exponere quod dicebat Propheta de restitutione gentis Moab. Diximus autem hic relinqui indignis spem aliquam misericordiæ. Etsi enim provocaverant multis modis iram Dei, noluit tamen ipsos in totum perdere: & ex ea gente etiam Christus redemptor mundi duxit originem. Hic ergo habemus memorabile specimen gratiæ Dei, quod gentem illam non prorsus deleverit, quæ tamen atrocissimas quasque pœnas merita fuerat. Diximus autem hoc fuisse accidentale, quod Propheta promisit Moabitis aliquam gratiam. Scimus enim tunc distinctum fuisse populum Israël à reliquis gentibus. Deus ergo ita partitus est gratiam suam, ut si guttæ aliquæ pervenerint ad profanas gentes, hoc fuerit quasi adventitium. Nec enim voluit panem quem filiis suis destinaverat, temere projicere, quemadmodum etiam Christus dicit non esse æquum, ut panis filiorum detur canibus. Deus tamen voluit præludia quædam ostendere misericordiæ suæ erga extraneas gentes quum sic direxit promissiones salutis ad electum populum, ut tamen non omni ex parte Gentes ad ultimum repudiaret, quemadmodum exemplum hic habemus in Moabitis. Videbimus etiam in Ammonitis postea. Nunc sequitur,

CAP. XLIX.

AD filios Ammon. Sic dicit Jehovah, An filii non sunt Israëli? an hæres non est ei? quare hæreditate possidet Rex eorum Gad, & populus ejus in urbibus ejus habitat?

Diximus Ammonitas non tantum vicinos fuisse Moabitis: sed progeniem duxisse à Loth, & ita fuisse sanguine conjunctos. Erat quidem turpis & fœda eorum origo, quoniam nati erant ex incesto coitu, sicuti notum est. Fuit tamen vinculum aliquod fraternæ societatis inter ipsos, quoniam habebant eundem auctorem utriusque gentis. Pepercerat illis Deus quum populum suum eduxit ex Ægypto. nam in memoriam sancti viri Loth voluit manere utrumque populum intactum ab omni injuria. Sed ingratitudo duplicavit crimen, quod impii illi non cessarunt varias molestias facessere filiis Abrahæ. Hac igitur de causa nunc etiam vaticinatur Jeremias contra ipsos. Et iterum hic perspicimus finem vaticinii, & consilium Spiritus sancti in illo edendo, nempe ut scirent Israelitæ non ita se prorsus à Deo abjectos, quin adhuc manerent quædam reliquiæ paterni favoris. nam si Moabitæ, & Ammonitæ fuissent immunes ab omni incommodo, erat ista gravissima tentatio, & quæ poterat obruere infirmos animos, quod viderent eum populum, quem Deus adoptaverat, ita misere & duriter affligi: profanas autem gentes manere quietas in suis deliciis, & gloriari etiam super aliorum clade. Deus ergo ut mitigaret dolorem, quem concipere poterant filii Israël ex suis ærumnis & cladibus, ostendit se adhuc complecti ipsos aliquo favore, quia scilicet bellum suscepturus sit contra ipsorum hostes, & vindex etiam futurus sit omnium injuriarum, quas pertulerant. Hæc consolatio non fuit vulgaris, quum audirent Israëlitæ se adhuc à Deo respici, qui tamen modis omnibus visus fuerat iram suam in ipsos effundere pleno impetu. Nunc ergo tenemus cur Jeremias hic denunciet exitium Ammonitis, sicuti ante Moabitis fecerat. *Ad filios* ergo *Ammon. An non filii sunt Israëli? an nullus est hæres?* inquit. Hæc tentatio poterat graviter vulnerare miseros Israëlitas quum viderent partem hæreditatis sibi à Deo promissæ abreptam sibi fuisse ab Ammonitis. quid enim poterat illis venire in mentem, nisi se fuisse delusos vanis promissionibus? Atqui hoc contigerat, nempe ut Ammonitæ spoliarent filios Israël parte aliqua suæ hæreditatis. Ergo Propheta hic docet, tametsi ad tempus conniveat Deus, & dissimulet illud latrocinium, tamen non cessurum impune Ammonitis quod ita jus alienum ad se traxerint. nam ratio subjicitur, *Quare hæreditate possidet Rex ipsorum Gad?* nescio cur Hieronymus reliquerit מלכם, acsi esset nomen idoli, quemadmodum etiam idem apud Prophetam Amos. Sed satis liquet, Jeremiam hic de Rege loqui, quoniam continuo post adjungit populum. *Rex*, inquit, *eorum possidet Gad.* non est nomen proprium loci, quemadmodum existimant quidam, sed mons Galaad obvenerat huic tribui. Dicit Propheta *possessos fuisse Gaaditas*, quoniam ejecti fuerant à sua sorte, & filii Ammon occupaverant quod divinitus ipsis fuerat datum. Et id confirmat Propheta Amos, quum dicit, Super tribus sceleribus Am- *Amos 1.*
mon, & super quatuor non ero propitius: quia disse- *vers. 13.*
cuerunt montem Gilead, inquit. Loquitur illic metaphorice, quia Deus fixerat terminos inter tribum Gad, & filios Ammon, ut populus uterque contentus esset sua hæreditate. Atqui filii Ammon perruperant, & expulerant tribum Gad ex urbibus montis Gilead. Hoc ergo nunc intelligit Propheta noster, quod scilicet traxerint ad se partem illam terræ, quæ obvenerat filiis Gad. nam sequitur postea, *Et populus ejus in urbibus illis habitat*, nempe in urbibus quas sortita fuerat tribus illa. scimus enim ultra Jordanem fuisse datam possessionem filiis Gad. Nunc tenemus summam verborum. Significat ergo Deus se non oblitum esse fœderis sui quum ad tempus passus est Ammonitas invadere hæreditatem, quam contulerat filiis Israël, quia scilicet tandem recuperabunt Gaaditæ quod injuste ab illis raptum fuerat. Fuit enim hoc non tolerabile latrocinium, quod ausi sunt Ammonitæ rapere ad se terram illam, quæ non hominum erat, sed potius ipsius Dei. vocaverat enim requiem suam, quia volebat illic populum suum habitare. Etsi autem justam pœnam inflixit Deus Gaaditis, quum eos expulit ex sua hæreditate, simul tamen voluit postea pœnam exigere de filiis Ammon, quemadmodum solet castigare filios suos manu reproborum, ac tandem his quoque rependere mercedem. Nunc sequitur,

2. Propterea ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & audire faciam (*vel faciam resonare*) super Rabbath filiorum (*vel super filios*) Ammon clangorem prælii, & erit in

acervum vastitatis, & filiæ ejus igne comburentur, & possidebit Israël possessores suos, dicit Jehovah.

Hic re ipsa testatur, Deus se non passurum, ut tandem potiantur injusta præda Ammonitæ. Dicit *diem venturum*, ut sustineat expectatione filiorum suorum mentes. Vaticinatus est enim Propheta quo tempore adhuc securi erant Ammonitæ. deinde aliquot anni elapsi sunt, quum populus ille frueretur suis spoliis. Ergo hic suspendit fidelium mentes, ut discant patienter expectare dum adveniat maturum tempus vindictæ Dei. Dicit ergo hac de causa *venturos dies, quibus Deus resonare faciet clangorem belli super Rabbath.* Loquitur quasi de re insolita. nam putabant Ammonitæ sibi nihil unquam fore periculi, ut videbimus. Quum ergo superbe confiderent suis opibus, Propheta hic loquitur de *clangore prælii super Rabbath*, quæ erat metropolis totius terræ. Existimant esse Philadelphiam, cui Ptolemæus nomen imposuit. Quanquam non consentiunt inter se omnes interpretes. sed tamen illa est magis recepta opinio, Rabbath esse Philadelphiam. Jam quod ad rem spectat, minime dubium est fuisse tunc præcipuam sedem regni, & caput totius gentis, quoniam per synecdochen Propheta complectitur totam terram ubi loquitur de hac urbe. Dicit *fore in acervum vastitatis.* Hoc vero prorsus fuit incredibile, quoniam Rabbath sic munita erat, ut nemo putaret posse unquam exscindi. Propheta autem denunciat totam urbem dirutum iri, ita ut neque muri, neque ædes privatæ maneant, sed tantum deformis congeries lapidum. Adjungit, *filiæ ejus igne exurentur.* Non dubium est quin oppida & pagos intelligat per filias: unde etiam confirmatur quod dixi, Rabbath fuisse tunc præcipuam urbem totius terræ Ammon. In fine versus sequitur, *Israël possidebit omnes qui ipsos possident*, quibus verbis iterum confirmat Jeremias quod prius attigi, nempe cladem Ammonitarum fore testimonium paternæ Dei benevolentiæ erga electum populum, quoniam scilicet eorum injurias tanquam sibi illatas ulcisci statuit. Quum ergo Deus suscipit causam Israëlitarum, acsi communis esset, satis declarat quo favore prosequatur populum illum, neque alio respectu, quam gratuitæ suæ electionis. Quæritur autem quando completum fuerit hoc vaticinium. Deus jam sub Davide aliquem gustum dederat futuræ subjectionis, sed nunquam Israel potitus fuit terra illa. Verum ab eo tempore non fuit afflictus Ammon, quin præcederet clades Israël. Sequitur ergo, quod hic prædixit Jeremias non fuisse omni ex parte completum, nisi sub regno Christi. David gentem illam afflixit, quoniam grave ludibrium passus fuerat à rege Ammon: expugnavit etiam Rabbath, sicuti ex Sacra historia patet. Interea contentus fuit populum 2 Sam. 12.
sibi facere tributarium. Ab eo tempore non tantum vers. 29.
excusserunt jugum, sed dominati sunt intra fines 30. 31.
Israelis. Quando autem recuperaverint Israëlitæ 1 Chr. 20.
quod perdiderant imperium, nusquam legitur. 0. 1. 2.
Tunc ergo cœpit Israel imperio potiri contra Ammonitas, ubi erectum fuit Christi regnum, quo non tantum in ordinem, & sub jugum conjectæ sunt omnes extraneæ gentes, sed in nihilum etiam redacti fuerunt quicunque indigni erant misericordia. Jam quod in fine versus additur, minime supervacuum est. Inducit enim Propheta Deum loquentem, quoniam verba facit de rebus maximis & quas difficile erat persuadere. Nunc sequitur,

3. Ulula Chesbon, quoniam vastata est Hai: vociferamini filiæ Rabbath, accingite vos saccis, plangite, discurrite per sepes, quoniam Rex eorum in captivitatem profectus est, & Sacerdotes ejus, & Principes simul cum ipso.

Jam Propheta quasi triumphum agit de terra Ammon, idque pro recepto more, quemadmodum ante vidimus: nam si absque figuris loquuti fuissent Prophetæ, & res de quibus agebant, simpliciter narrassent, frigidus fuisset eorum sermo, neque penetrasset in animos. Hæc igitur ratio est, cur Prophetæ stylum attollant, & magnifice exornent sua vaticinia. neque enim Rhetorum more affectarunt facundiam, sed necessitas ita urgebat, ut repræsentarent ante oculos, quæ non poterant satis aliter concipi animis. Hac de re jam sæpius dictum fuit: sed iterum cogor breviter etiam attingere, quia qui non sunt exercitati in Scripturis, & qui non tenent consilium Spiritus sancti, putarent hic profundi verba. Sed ubi reputabimus quod dixi, tunc facile erit cognoscere, Prophetam non abs re exaggerare quod prius dixit. *Ulula*, inquit, *Chesbon, quia Hai vastata est.* erant autem vicinæ urbes. ideo hortatur Chesbon ad ululatum, ubi viderit cladem vicinæ urbis. Postea adjungit, *Clamate*, aut vociferamini, *filiæ Rabbath.* Iterum repetit quod prius attigerat de urbe Rabbath. *Accingite*, inquit, *vos saccis*, vel induite saccos. Hic non hortatur ad pœnitentiam cives Rabbath: sed loquitur pro communi more, quemadmodum alibi dictum fuit. Saccus quidem erat symbolum pœnitentiæ: quum vellent miseri suppliciter confugere ad Dei misericordiam, & fateri sua peccata, conjiciebant saccos super corpus suum. Sed increduli imitantur fideles absque delectu, & judicio. hinc fit, ut cinerem capitibus aspergant, ut se induant saccis absque ulla ratione. Ergo quod vulgari usu receptum erat, nunc ponit Jeremias: *Induite*, inquit, *saccos, plangite, & discurrite per sepes.* postea in tertia persona adjungit, *Quoniam profectus est Rex eorum in captivitatem.* Hoc exprimit, ut sciant Israëlitæ, quamvis ad tempus floreat regnum illud, tamen diem de quo loquutus est Propheta, venturum esse, quo nihilo melior erit conditio Ammonitarum, quam fuerat prius Israelitarum. Rex, ut satis notum est, tractus fuit in exilium cum Sacerdotibus, & Principibus. Propheta autem eandem pœnam denunciat Ammonitis, quod non modo Rex ipsorum trahetur exul in alienam terram, sed cum ipso etiam Proceres, & Sacerdotes. Sequitur,

4. Quid gloriaris in reconditis tuis? defluxit profunditas tua, (*ad verbum, vallis tua: sed quoniam* עמק *significat profundum esse, ideo* עמקים *sunt profunditates: Cur ergo gloriaris in tuis profunditatibus? sed non repugno, quum transferamus, Quid gloriaris in vallibus tuis? defluxit vallis tua, est idem nomen*) filia aversatrix, quæ confidit in reconditis suis, (*in thesauris suis*) quis veniet ad me?

Hic Propheta quo tollat omnia obstacula, quæ poterant ambiguum reddere vaticinium, ut subinde vacillant hominum mentes, quia non satis expendunt immensam Dei potentiam: nunc dicit frustra gloriari Ammonitas in suis vallibus. Existimant per valles designari terram fertilem, quod esset irrigua. Sed Propheta, meo judicio, hoc potius ad munitionem locorum refert. Dicit igitur *frustra*

gloriari

gloriari in profundis vallibus, quoniam undique montibus cincti erant, ita ut non essent penetrabiles, suo judicio. Deridet perversam illam confidentiam; *Quid gloriaris*, inquit, *in vallibus tuis*, vel profunditatibus? *defluxit vallis tua.* Alludit ad situm quum dicit *fluxisse vallem*, aut profunditatem. nam si quis consideret regionem sitam inter montes, putabit terram fluxisse quemadmodum fluvius labitur inter suas ripas. Est igitur concinna allusio ad locum profundum, quum dicit *fluxisse vallem*. Perinde quidem est acsi diceret, Evanuit tua profunditas, vel non erit tibi in præsidium quale putas: sed summa est, quamvis Ammonitæ confisi suis præsidiis contemnant omnes hostium impetus, fore tamen expositos in prædam, quia nihil proderunt illis montes & valles, quemadmodum putant ita se munitos, ut sint inexpugnabiles. Vocat autem *filiam rebellem*, aut aver-
Eze. 25. Amos 1. v. 13,14. Zeph 2. vers. 9. satricem: sed speciem non exprimit. Atqui Ezechiel ostendit, atque etiam Amos, & Zephaniah, illi tres exprimunt cur Deus tam severus fuerit contra Ammonitas, quoniam scilicet evomuerant sacrilegas voces contra ipsum, & populum ejus: insultaverant miseriis & cladibus electi populi. deinde rapuerant ad se eorum spolia quum viderent ab hostibus devictos. Has igitur ob causas nunc Propheta noster vocat populum illum *rebellem*, quia scilicet contra Deum superbe se extulerat. Deinde exercuerat tyrannicam sævitiam contra miseros Israelitas, qui tamen conjuncti erant sanguine, ut etiam fuit dictum. *Quæ confidit in suis absconditis.* vertunt, Thesauros. Sed quoniam [illegible] significat recondere, ideo existimo etiam hoc referri ad munitionem. nam seipsum continuo post explicat Propheta, *Quis veniet ad me?* Apparet igitur Ammonitas fuisse ita securos, quoniam non erant expositi hostibus suis, sed ita protecti montibus, acsi essent in latebris. Hæc jactantia satis ostendit non tam fuisse confisos suis thesauris, quam locis absconditis, quoniam scilicet habitabant in recessu. Summa est, quamvis Ammonitæ glorientur se esse extra jactum telorum, tamen Deum fore ultorem crudelitatis, quam exercuerant erga suos consanguineos, nempe Israelitas. Sequitur,

5. Ecce ego adduco super te terrorem, dicit dominator Jehovah exercituum, ab omnibus circuitibus tuis, & expellemini quisque coram facie sua: & nullus erit qui colligat dispersos.

Tandem concludit Jeremias suum vaticinium, quod scilicet Deus refutabit stultam illam confidentiam, qua turgebant Ammonitæ, *quoniam adducet super ipsos terrorem.* Opponit terrorem securitati, in qua torpebant filii Ammon. Erant enim quasi ebrii in suis deliciis. Deinde, munitiones quibus putabant se protegi, ita obduraverant ipsorum animos, ut nihil sibi timerent ab ullo periculo. Deus ergo terrorem opponit perversæ arrogantiæ, qua fuerant inflati. *Adduco* igitur *terrorem ab omni circuitu tuo.* Hoc etiam non frustra additur, quia putabant Ammonitæ se posse saltem aliqua parte elabi, si urgerent hostes: quoniam erant multi exitus, non putabant fieri posse, ut deprehensi caderent sub manum hostium. Deus autem pronunciat fore omni ex parte timidos, ita ut ipsos formido circumdet atque obsideat, ne qua possint elabi. Tandem addit, *Expellemini quisque ad faciem suam*, vel coram facie sua. Hic est effectus terroris, quod scilicet Deus omni consilio ipsos destituet. ubi enim profugimus absque judicio, & tantum respicimus an pateat locus fugæ, hinc apparet, formidinem dominari. *il court devant soy:* sic enim Gallice loquimur: ita etiam Propheta dicit, *Expellemini quisque coram facie sua*, id est, quocunque patebit locus fugietis. Ostendit fore ita pavidos, ut non considerent quid sibi expediat, nec consultent de tuto recessu: denique nihil cogitent, nisi fugam. Et in eundem sensum dicit, *Nemo erit qui colligat dispersos.* nam ubi trepidatio invasit animos multitudinis, possunt tamen revocari, si quis sit animosior qui hortetur ad subsistendum: quemadmodum videmus multos exercitus fuisse servatos hac ratione. nam quum milites formidine aliqua correpti essent, potuit dux unus signum dare, ut eos ad se colligeret. ita Propheta hic quum dicit *neminem fore qui ipsos retrahat à fuga*, significat interitum. Tandem subjungit,

6. Et postea reducam captivitatem filiorum Ammon, dicit Jehovah.

Idem nunc tradit de filiis Ammon, quod ante vidimus de Moabitis, nempe fore adhuc spem aliquam residuam, quia Deus tandem miserebitur illius gentis. Diximus autem promissiones has fuisse quasi adventitias, quoniam Deus populum unum sibi adoptaverat, cui se ostenderet patrem: & oportuit discerni filios Abrahæ ab omnibus aliis gentibus. Sed quamvis Deus interposita maceria distinxerat populum illum ab extraneis, voluit tamen præludia quædam facere suæ gratiæ, & vocationis Gentium: ergo Propheta hic respicit ad regnum Christi. Nec dubium est quin hæc promissio se extendat usque ad ejus adventum, quia de Gentium vocatione verba facit, quam Deus distulit usque dum exhibuit Filium suum mundo. Perinde est igitur acsi diceret Propheta, tandem misericordiam Dei communem fore Ammonitis, quum scilicet Deus colliget Ecclesiam ex toto mundo, & faciet ut coalescant in corpus unum qui prius erant dissipati. Nec dubium est quin Propheta sub filiis Ammon ostendere voluerit quod exhibitum fuit per omnes mundi plagas. Et ita in vocatione fundata est nostra salus, quoniam videmus non temere fuisse Euangelium promulgatum in mundo: sed quia Deus ab initio id statuerat: quemadmodum videmus Jeremiam fuisse præconem nostræ adoptionis. hæc igitur summa est. Postea transit ad filios Edom. Sed non possem nunc ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando olim tam claris documentis testatus es quantus esset & quam singularis amor tuus erga filios Abrahæ, quos dignatus fueras tibi eligere in populum, ut eandem quoque gratiam nobis hodie exhibeas, quando asciti sumus in societatem ejusdem conjunctionis: & ita nos castiges, ut tamen nunquam auferas nobis spem misericordiæ, sed des nobis ut ejus gustu adducamur etiam ad regnum illud cæleste meditandum, quod nobis partum fuit sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-QUARTA IN JEREMIAM.

7. Ad Edom (*contra Edom*) sic dicit Jehovah exercituum, An non amplius sapientia in Theman? periitne consilium ab intelligentibus? computruit (*vel supervacua facta est*) sapientia ipsorum.

Hic se convertit Jeremias ad Idumæos, qui infestissimi fuerunt hostes electi populi, quum tamen memoria originis deberet eos ad humanitatem allicere. erent enim progeniti ex uno & eodem patre Abraham. deinde Idumæi gloriabantur illo sancto genere: communis erat inter utrosque Circumcisio. Fuit igitur hæc nimis impia crudelitas, quod tam acerbo odio prosequuti sint Idumæi proprium suum sanguinem. Interea asperius in eos invehitur Propheta noster, sicuti
Eze. 25. vers. 12, 13. 14. Abd. v 8. etiam Ezechiel, & Obadiah, vel Abdias. primo dicit, *An nulla est amplius sapientia in Theman?* quibus verbis significat, quamvis Idumæi existiment suis consiliis se fore tutos, quoniam pollebant rere astutia: tamen id nihil illis profore, quis Dominus excæcabit ipsos & alienabit à sana mente. nam quod hic interrogative legitur, Obadias aliter pronunciat,
Abd. v. 8. nempe in persona Dei: Auferam sapientiam à Theman, & nulla erit intelligentia in monte Esau. Sed quoniam Abdias præcesserat ætate Jeremiam, ideo necesse fuit ipsum loqui tanquam de re futura. Nunc autem Propheta noster quoniam instabat judicium illud, cujus testis & præco fuerat Abdias, audacter insultat ipsis Idumæis, & deridet eorum opprobrium, quod privati fuerint mente & intelligentia, quum tamen maxime opus esset consilio. Theman certum est fuisse nomen vel montis, vel regionis: & hoc col-
Habac. 3. vers. 3. ligitur ex Propheta Habacuc, Deus veniet è Theman, & sanctus è monte Pharen. Cæterum fuit etiam urbs præcipua, ut colligitur ex aliis locis. & Propheta noster designat sedem regni quum dicit, *Nullane est sapientia in Theman?* deinde, *periitne consilium ab intelligentibus?* Miror cur interpretes linguæ periti & in ea exercitati, vertant Filios, quia nullo modo convenit: sed certum est deduci hanc vocem à בין, quod est intelligere, non autem à בנה: unde בנים vocantur filii. nam quomodo hoc quadraret, *Nullane est amplius sapientia in Theman? periitne consilium à filiis?* subaudiunt, à filiis Esau. sed illud est frigidum & coactum. Optime autem respondent hæc duo membra inter se, *Nullane est amplius sapientia in Theman? periitne consilium ab intelligentibus?* hoc est, ab iis qui hactenus jactarunt suam perspicaciam, & suum acumen. Postea adjungit, *computruit.* סרח significat esse superfluum: sed vertunt hoc loco putrescere, quoniam est in Niphal. Nescio an quæsierint hoc effugium, quia nesciebant propriam verbi significationem posse aptari ad contextum Prophetæ: sed possemus commode interpretari, quod fuerit supervacua illorum sapientia, hoc est, inutilis. Possemus etiam alio modo, Sapientia eorum fuit hactenus superflua, hoc est, superabundavit. nam præditi erent sapientia, ut non tantum suis rebus consulerent, sed etiam aliis ostenderent quid rectum esset, atque utile. Quum ergo Idumæi pollerent tanta prudentia, ut alios dirigerent, non tantum privatim sibi saperent, potest hoc optime fluere, quod scilicet sapientia eorum abundaverit. sed erit ironica loqutio, quia videtur Propheta causam reddere suæ admirationis: & ego ita interpretor. primo igitur dicit, *Nullane amplius est sapientia in Theman?* Exclamat quasi de re prodigiosa: Quid hoc sibi vult, quod fons ille sapientiæ est exhaustus? quis putasset urbem illam quæ pollebat singulari perspicacia, ita fuisse fatuam, ut non cognoverit propinquam cladem, ut obviam iret, & adhiberet mature remedium? Et eodem sensu mox subjicit, *periisse consilium ab intelligentibus.* Tandem adjungit, *abundabat sapientia ipsorum*, ut ostendat causam admirationis. Cæterum, notanda est similitudo, & discrimen inter Prophetam nostrum, & Abdiam: ille vaticinatus fuerat de excæcatione illius gentis: nunc autem Propheta noster quasi expergefacere vellet à torpore eos qui non satis fuerant attenti ad illud vaticinium Abdiæ, exclamat, *Quomodo periit sapientia illa e Theman?* deinde, *quomodo periit consilium ab intelligentibus?* Interea notandum est, hanc Idumæis inflictam fuisse pœnam à Deo, quod omnes suos sensus applicuerant ad fraudes, & insidias, quemadmodum raro contingit, ut qui pollent aliquo acumine, non sint etiam nimis astuti, & fraudulenti. Quoniam ergo ita abuti solent homines ut plurimum sua intelligentia, ideo excæcat eos Deus, & ostendit homines per se non sapere, sed quatenus aliunde illis datur. Jam quemadmodum dixi, judicium hoc Dei Propheta amplificat, quo magis afficiat hominum mentes. nam si Idumæi fuissent homines rustici, quemadmodum habitabant inter montes: & si nulla fuisset opinio prudentiæ ipsorum, nemo miratus fuisset ipsos ita deprehendi. nam simplices homines, & incauti obnoxii sunt hostium suorum insidiis, nec possunt sibi cavere. Propheta autem ut admirabile reddat hoc Dei judicium, dicit eorum sapientiam fuisse quasi supervacuam, hoc est, fuisse instar copiosi thesauri. suggerebant enim aliis consilium. Quum ergo pollerent tanta perspicacia Idumæi, præsertim qui habitabant in urbe Theman, Propheta hac circumstantia ostendit excæcationem eorum profectam esse à manifesta Dei vindicta, quia scilicet non fortuito contigerat tanta mutatio. Sequitur,

8. Fugite, conversi sunt, profundaverunt habitationem, incolæ Dedan, quia interitum Esau adduxi super ipsum tempore visitationis ejus.

Hic Propheta ostendit quanta sit superbia illius gentis, & eam repræsentat quasi ante oculos: *Fugite*, inquit. Abruptæ sunt loquutiones: tamen sensus non est ambiguus. Hæc igitur summa est, Si quis præmoneat Idumæos ut fugiant, nemo se movebit: imo defixi manebunt in sua patria. putant enim illic sibi fore perpetuam quietem. *Profundaverunt suam habitationem cives Dedan.* Nominat aliam urbem, quæ non procul distabat à Theman. Postea subjicit in persona ipsius Dei, *Atqui ego interitum adducam super Esau tempore visitationis ejus.* Nunc tenemus Prophetæ consilium: nempe voluit oculis subjicere quam superbe confiderent Idumæi suis præsidiis, quia nunquam persuasi fuissent sibi esse fugiendum. Propheta igitur quasi Dei præco fuisset, denunciat ut fugiant. Quid autem illi? *Profundaverunt*, inquit, *habitationem suam*, hoc est, manebunt tranquilli in patria sua, acsi fundati essent in centro terræ, & ideo

ideo inexpugnabiles. Quum dicit *Profundaverunt*, hoc verbo exprimit eorum obstinationem, quod scilicet nemo terrere ipsos possit, quamvis denunciet extrema pericula. Sed hoc modo voluit fidem sui vaticinii confirmare, quoniam major pars fidelium non poterat judicium facere, nisi ex præsenti aspectu. atqui illi superbe ridebant omnes minas. Ergo ne fideles existiment Idumæos salvos fore, quoniam ita sunt obstinati, postea adjungit Dei nomine, *Ecce adducam interitum super Esau.* Ponit nomen primi auctoris. scimus autem Idumæos genus duxisse ab Esau primogenito filio Isaac. unde etiam consanguinei erant Israelitis. Sed minime dubium est, quin Propheta proponens nomen hominis reprobi in medium, renovet memoriam maledictionis. abdicatus enim fuerat Esau, & in ejus locum successerat minor frater, nempe Jacob. Ergo Propheta quo plus fidei conciliet suis verbis, proponit quod satis cognitum erat in populo, nempe Esau fuisse divinitus rejectum. nam electio & adoptio populi gratuita pendebat à rejectione illa Esau. Dicit autem *Deum fore vindicem illius gentis tempore visitationis ejus.* nam, quemadmodum ante admonui, non statim completum fuit quod nunc legimus. Ergo quum gravissimas clades passi essent Israelitæ, poterat centies labascere spes ipsorum, ubi videbant Idumæos adhuc manere quasi sopitos in suis deliciis: & illa Dei judicia esse quasi sepulta. Poterat enim illis venire in mentem quæcunque pronunciaverat Jeremias abiisse in fumum. Ergo ut sustineat eorum spem, & patientiam, illis proponit tempus visitationis: quasi diceret fore etiam Idumæis suas vices, ubi Deus patienter eorum impietatem tulerit, & illis pepercerit longo tempore. Sed de hac re postea videbimus. Cæterum quemadmodum alibi docui, notandæ sunt sententiæ, quæ nos revocant ad tempus visitationis Dei, ne scilicet properando ruamus præcipites, quemadmodum fieri solet. nam qui festinant, cadunt primo passu. Ergo ut discamus expectare tempus maturum, semper memoriæ nostræ infixum maneat Deo esse tempora certa visitationis. Nunc sequitur,

9. Si vindemiatores venissent contra te, non reliquissent uvas? si fures in nocte, nonne perdidissent quod sufficeret ipsis?

Hunc etiam versum non obscurant modo sed depravant Interpretes: & tantum obiter recitant verba: & interea longissime recedunt à Prophetæ sensu. Unde hoc? quia scilicet non venit illis in mentem conferre locum Abdiæ cum præsenti. Abdias fidelis est interpres: imo Propheta noster mutuatus est ex illo quæ nunc legimus. nam illic exprimitur interrogatio, Si fures venissent contra te, si prædones, שודדי, adjungit illic, quod omissum est à Jeremia, Si prædones nocte, quomodo in nihilum redacta es? Sed primo vertendum est, An fures venerint contra te, quomodo in nihilum redacta es? deinde subjicit, הלוא, An non furati essent quod sufficeret ipsis? postea addit secundum membrum, Si vindemiatores venissent contra te, an non reliquissent uvas? nulla est igitur ambiguitas nunc in Prophetæ verbis, modo hanc sententiam interrogative legamus. Est autem tacita antithesis inter cladem, qua deletus fuit ille populus, & inter alias vastationes. Si fur noctu prædetur alienam domum, discedet oneratus præda, & relinquet illic aliquid. semper enim in direptione aliquid manet residuum. Ita etiam fit in vindemiis: manent aliqui racemi, qui fugiunt vinitores. Ergo Propheta illic ostendit tam sævam fore cladem illius gentis, ut superet omnes direptiones. nam si quis vites eorum spoliaret, relinqueret saltem aliquos racemos: si fur perfoderet eorum domos, non omnia secum auferret, contentus esset sua præda. Atqui, inquit, nihil manebit residuum apud Idumæos. Videmus igitur cur Propheta duplicem hanc comparationem adferat, nempe vindemiatorum, & furum. Interea notandum est, sæpe quum Deus vindictam suam denunciat Israëlitis, has similitudines proferre, quia scilicet nihil fiet illis reliquum. Dum excutiuntur oleæ, manent tamen aliquæ olivæ in summitate arborum: tu autem exinanieris prorsus. Quum hæc diceret Deus, poterant excipere Israëlitæ, Qualis est nostra conditio? & quam misera? nam ad extremum usque sumus afflicti. quamvis Deus affligat Idumæos, tamen clementer cum ipsis agetur, quia minus sæviet ira Dei contra ipsos. Ergo ne fideles ita animos dejicerent, Propheta noster exponit Idumæos prorsus perditum iri, ut scilicet ne racemus quidem ipsis maneat, aut aliquid ex supellectile, quoniam hostes totam terram vastabunt. Nunc sequitur confirmatio illius sententiæ.

10. Quia ego discooperio Esau, retego abscondita ejus: & occultari non poterit: vastatum est semen ejus, (*aut vastabitur*) & fratres ejus, & vicini, & non ipse. (*quanquam alii vertunt, & nemo erit, & contexunt proximum versum.*)

11. Relinque pupillos tuos, ego vivificabo: (*hoc est, alam ipsos*) & viduæ tuæ in me sperent.

Quantum ad principium versus, non obscura est mens Prophetæ. significat enim talem fore cladem populi Edom, ut spolietur ab hostibus usque ad nuditatem plenam. Loquitur autem in persona Dei. *Ecce ego retego*, inquit, *Esau, & discooperio abscondita ejus.* per Abscondita intelligit thesauros, quemadmodum satis patet ex Abdia. Dicit ergo ita fore expositos in prædam Idumæos, ut nihil tam absconditum sit quin hostes prædentur, & rapiant. hæc summa est. Ideo confirmat quod dixi, hanc direptionem non fore similem vindemiis, aut furto, aut latrociniis vulgaribus, quia Deus exinaniet prorsus quicquid reperietur apud Idumæos, etiam quod erit sub terra defossum. Quantum attinet ad finem versus, sic exponunt quidam, Nemo erit qui dicat. Subaudietur igitur verbum aliquod, Qui dicat, vel qui soletur, *Relinque mihi pupillos tuos, ego ipsos alam, vel sustinebo, vel illis adero tanquam pater filiis:* deinde, *viduæ tuæ in me sperent*, vel *confidant*, aut *quiescant super me.* Est enim hoc non leve solatium pereuntibus, dum intelligunt viduas suas habere quo fugiant, similiter & pupillos. Si quis moritur, & videt suam viduam nudari omnibus subsidiis, si videt suos pupillos miseros esse & egentes, vulnerat paternus amor, & maritalis etiam graviter ejus animum. Hoc enim est ipsa morte acerbius, dum maritus non potest uxori suæ succurrere, dum suos pupillos non sublevat ullo modo. Ergo quidam interpretes existimant hoc modo exaggerari cladem populi illius, quia nemo erit qui solatium pereuntibus afferat, & quodammodo se substituat in vicem eorum qui moriuntur. Sed non male etiam conveniet ironia, si Propheta in persona Dei adhuc loquatur, *Mihi relinque pupillos tuos, ego ipsos nutriam: viduæ tuæ super me quiescant*, vel *in me confidant.* sequitur enim postea, Ecce quibus judicium non erat, biberunt calicem, &c. Sententia igitur hæc non male fluet, si Deus mordeat ipsos Idumæos, & ironice pronunciet se fore judi-

judicem contra ipsos, etiam postquam mortui fuerint. scimus enim graviorem esse Dei vindictam quum usque ad tertiam & quartam generationem transcendit. Ergo sicuti paulo ante pronunciavit Idumæos deletum iri, ipsorum semen, & fratres, & vicinos, ita nunc confirmat hanc sententiam, Quid? expectas an ego dum parer sim, vel tutor tuis pupillis? dum ego auxilium afferam tuæ viduæ? hoc frustra à me expectas. Breviter, pungit Propheta multo asperius animos Idumæorum, quum Deus hic se sistit, & per ludibrium dicit se fore tutorem pupillis & viduis. sævierant enim promiscue adversus parvulos & fœminas, non pepercerant neque sexui, neque ætati. Deus ergo hic ostendit non esse cur quicquam solatii expectent quoad suos posteros, quia futurus sit vindex in tertiam & quartam generationem. Et certe coactum est quod alii dicunt: saltem non video qui conveniat pronomen, *ego eos alam*, cum reliquo contextu. Hoc igitur refero ad ipsum Deum, quod scilicet ipsos absumet ejus vindicta una cum fratribus, & vicinis, & eorum semine. Et optime convenit ironica insectatio, quod scilicet Deus ostendat fieri non posse, ut succurrat pupillis, vel opem ferat viduis Idumæorum, quum ita crudeles fuerint contra omnes pupillos, & viduas. Sequitur deinde confirmatio:

12. Quia sic dicit Jehovah, Ecce, quibus non erat judicium (*ad verbum, quibus non judicium ipsorum*) ad bibendum calicem, bibendo bibent: tu vero ipse immunis eris? (*vel immunis immunitatem adipisceris? vel, tu vero immunis evades?*) non evades immunis, quia bibendo bibes.

Confirmat proximum versum, meo judicio, nempe vindictam Dei manere totum semen Esau, quia absurdum sit, durius tractari populum Dei, quam extraneos, & qui prorsus jugum excusserant. Ego enim de Ecclesia interpretor quod hic dicitur, *quibus judicium non erat ad bibendum calicem, illi bibent*. Quidam accipiunt de vicinis gentibus quæ non erant tam sceleratæ, quam Idumæi. Sed frigida est illa expositio, & semper nobis spectandum est consilium Prophetæ, ut alibi diximus. Quid enim voluit nisi fidelibus ostendere, non esse causam cur desponderent animos, quantumvis graviter ipsos Deus affligeret? quia scilicet nihilo mitior futura erat pœna, quam sumpturus erat de Idumæis. scimus enim nos valde torqueri invidia, quum videmus melius esse impiis, & reprobis, quam filiis Dei. [Psal. 37. vers. 1.] Et in hunc finem etiam compositus est Psal. 37. Ne æmuleris super reprobos, neque te excrucies ipsorum felicitas, quoniam statim peribunt, &c. Et David etiam Psal. 73. [Psal. 73. vers. 2. 3.] fatetur se quodammodo titubasse quum videret reprobos luxuriari in suis voluptatibus: interea filios Dei tractari miserrime. Propheta igitur noster hoc loco, ut sæpius alibi, respexit fideles, & voluit ipsos fulcire, ne succumberent oneri quum Deus tam ipsos affligeret quam Idumæos: ideo dicit, sermonem suum dirigens ad ipsos Idumæos, *Bibendo bibent calicem quibus non erat judicium ad bibendum: tu autem immunis evades?* hoc est, ego non parcam populo meo, & parcerem alienis? hoc non fiet. Videmus igitur propositam fuisse uberem materiam consolationis fidelibus, quum audirent non posse reprobos, qui palam & ex professo erant Dei contemptores, effugere illius judicium. Sed quæritur nunc, quomodo dicat non esse judicium Ecclesiæ, ut bibat ex calice iræ Dei? Loquitur comparative, & hæc solutio sufficere nobis debet. Certum est, meritos fuisse Israëlitas quicquid passi sunt malorum. Deus ergo juste ipsos castigavit. Deinde non fecit hoc temere, vel cæca iracundia: sed exequutus est quod apud se prius statuerat. Fuit igitur illud judicium Dei, hoc est, decretum. judicium enim hic accipitur pro decreto Dei, quo singulis suam sortem destinat. Non est igitur judicium Israëlitis ut bibant calicem, nempe si quis eos comparet cum Idumæis. Quare? Iterum hic oritur nova quæstio: nam Israëlitæ omnibus aliis pejores erant. Idumæi desciverant prorsus à Deo: sed extinctum fuerat apud ipsos omne lumen: deinde Lex illis non fuerat data antequam Jacob in Ægyptum descenderet: inde post tempus Abrahæ præsinum redimendus, habitabant in montibus à terra Canaan separatis. Ergo non tenebant quicquam de tota Dei Lege, nisi quod inane symbolum circumcisionis adhuc erat apud ipsos. Sed Israëlitæ quibus fulgebat semper doctrina Legis, erant prorsus inexcusabiles. Cur ergo dicit Propheta non fuisse illis judicium? Respondeo, hic non haberi respectum ad hominum personas, sed potius ad gratiam Dei qua dignatus fuerat complecti filios Israel. Quoniam igitur Deus gentem illam elegerat, respicitur hic specialis adoptio. nam æquum est ut Deus indulgeat filiis suis: æquum est etiam, ut illis condonet potius quam alienis. Si quis à filio suo offensus fuerit, reconciliabitur: sed alienus non reperiet veniam. Nunc ergo videmus Prophetam non attendere quid meritus sit populus, & quam detestabilis esset ejus impietas, & quanta pœnarum gravitate digna: sed potius mentem suam dirigit ad illam Dei gratiam, qua voluerat eligere genus Jacob. Prius quidem elegerat totum genus Abrahæ, sed sequuta fuerat abdicatio Esau: ergo solus Jacob fuerat superstes. Quum igitur Deus se exhibuisset patrem filiis Jacob, ideo Propheta dicit non fuisse illis judicium, ut biberent calicem: quia ratio hoc ferebat, & communis sensus, ut Deus illis potius ignosceret, quam extraneis, quos jam rejecerat, & qui erant veluti membra putrida. *Quibus ergo judicium non erat ad bibendum calicem, bibendo bibent: & tu immunis eris?* inquit. summa est, Si ita comburitur lignum viride, quid futurum est arido? quemadmodum dicebat Christus. [Luc. 23. vers. 31.] Similis est consolatio apud Petrum in 1. Cap. loquitur illic de afflictionibus, quibus nunc subjecta est Ecclesia Dei. Quoniam autem nos teneri sumus, & molles, & possent exasperari multorum animi, dicit Petrus, Si Deus tam [1 Petr. 4. vers. 27.] severus est contra suos, & domesticos, quid fiet reprobis? quam horribilis vindicta ipsos manet? Ergo nunc tenemus quorsum tendant Prophetæ verba, & qualis doctrina hinc colligi debeat, nempe ubi videmus judicium incipere à domo Dei, sicuti Propheta [Jer. 25. vers. 29.] alibi loquitur, & Petrus etiam ipse: ubi, inquam, Deus castigat suos filios, interea videtur ignuscere reprobis, patienter expectemus visitationem cujus ante facta fuit mentio. Et hoc semper nobis occurrat, Si hoc fit in viridi, quid in arido fiet? Tunc non invidebimus reprobis, si Deus differat ipsorum pœnas, neque statim exequatur. nam pœnæ quibus exercentur servi Dei sunt temporales duntaxat & finitæ: quoniam sunt totidem medicinæ. sunt enim salutis adjumenta quæcunque patimur, sicuti docet Paulus. [Rom. 8. vers. 28.] Ergo quum Deus paterne nos castiget, non refugiamus ejus paternam manum: & interea ne putemus melius agi cum reprobis, quia Deus suspendit sua judicia adversus ipsos: quoniam tandem ipsi trahentur in suum exitium, quemadmodum hic dicit Propheta. Quum autem loquitur de calice, usurpat formam loquendi satis familiarem Scripturæ. nam metaphorice calicem vocat Scriptura pœnam, quæ infligitur hominum peccatis, quia Deus singulis propinat pro justa mensura. Sumit igitur pro confesso, clades non esse fortuitas: sed provenire ex manu Dei, acsi calicem porrigeret bibendum. Nunc dum affligit suos, coguntur bi-

bere

bere iram ejus. Est ergo ille acerbus calix, & amarus. sed reprobi postea bibunt venenum. nam medicina etiamsi gustu displiceat, quoniam amara est, tamen est salubris. Venenum autem hominem suffocat, & nihilo melius sapit, quam medicina. Huc igitur spectat similitudo, quam usurpat Jeremias, *Bibendo bibent calicem domestici Dei*, qui tamen potius debuerant immunes esse singulari privilegio, quoniam Deus ipsos elegit in populum, & in peculium: *An tu immunis*, inquit, *eris à bibendo?* Alloquitur omnes extraneos. Ante vidimus aliam loquutionem, Bibent usque ad fæces: quasi diceret, Deus non tantum potabit te amaro calice, sed potius suffocabit te, & strangulabit ipsa amaritudo, quoniam coget te Deus ebibere ipsas fæces: Sed idem tamen est sensus, quamvis formæ loquendi sint diversæ. Negat igitur immunes fore Idumæos a judicio Dei: quare? quoniam scilicet ne filiis quidem suis parcat Deus. Ergo hic nobis suggeritur optima consolatio, ubi Deus nos variis modis affligit, ut sciamus fieri aliter non posse: cæterum hoc esse præludium extremi judicii, ubi salus nobis certo est reposita, quoniam Deus nos purgabit temporalibus pœnis, ut simus tunc immunes ab extrema vindicta. Quum autem impii sunt securi, sciamus occultum quidem esse Dei judicium, sed tamen certum, & brevi ipsis eventurum. Quum enim dixerint, Pax & securitas, tunc *1 Thess. 5. vers. 3.*
instabit repentinus interitus. Sed jam sonat horologium.

Da omnipotens Deus, quando non tantum æterno tuo consilio nos adoptasti in filios, sed etiam insculpsisti cordibus nostris certum signum & pignus paterni erga nos favoris: da, inquam, ut assuescamus ad ferendas tuas ferulas, & patienter eas excipiamus, neque obmurmuremus, vel obstrepamus: sed semper conjiciamus oculos in beatam illam quietem & hæreditatem, & interea exhorreamus pœnas, quæ reprobos manent: & ita fortiter perstemus in militia nostra, donec tandem nos colligas in regnum tuum cæleste, quod nobis acquisivit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-QUINTA IN JEREMIAM.

13. Quia per meipsum juravi, dicit Jehovah, quod in vastitatem, in opprobrium, in desertum, & in maledictionem erit Bosra, & omnes urbes ejus erunt in vastitates seculi. (*id est, perpetuas.*)

Hic confirmat Propheta quod jam vaticinatus est de Idumæis: sed ut tollatur omnis dubitatio, dicit *Deum jurasse*: imo Deum ipsum inducit loquentem, quo magis emphaticus sit sermo. Pronunciat igitur Deus se jurasse interitum Bosra. Species ponitur pro genere: nam complectitur totam gentem sub parte una, sub oppido scilicet. Neque simpliciter pronunciat Idumæos vastatum iri, ac perditum, sed accumulat plura verba: *Erit Bosra in vastitatem*, inquit: secundo *in opprobrium*, tertio *in solitudinem*, vel desertum, quarto *in maledictum*. Non dubium est quin difficile fuerit persuasu, quod docebat Propheta, quia Deus nomen suum non projicit temere. Quemadmodum enim vult nos ipso uti sobrie, & reverenter, ita etiam non interponit tale & tam pretiosum pignus, nisi ubi cogit maxima necessitas. Certum igitur est, fuisse gravem causam, cur Deus jurando testatus sit quod hic legimus de interitu populi Edom. Dixi autem vix credibile fuisse quod docebat Jeremias, quoniam nulla erat belli materia: deinde regio munita erat suis claustris. putabant enim Idumæi, ut visum est, se esse inexpugnabiles. Hæc igitur ratio fuit, cur Deus jusjurandum interponeret. Interea, quemadmodum ante admonui, consulere voluit suis fidelibus. Deus enim jurat, quo remedium adhibeat fidei nostræ infirmitati. Quia enim fere semper vacillamus, non sufficeret nobis simplex testimonium, nisi sancitum esset jurejurando. Hæc igitur fuit jurandi causa. Deus dicitur per seipsum jurare, quia
Hebr. 6. vers. 13. non habet majorem, per quem juret, ut dicit Apostolus. Homines in rebus obscuris & dubiis confugiunt ad Deum, qui cordium est cognitor, qui Ipse est veritas, deinde quem nihil prorsus latet. Et pars est etiam divini cultus jusjurandum, quemadmodum colligitur ex multis Scripturæ locis. Quoniam ergo hic honor peculiariter in illum competit, nempe ut juremus per ipsius nomen, ubi jurat ipse, non potest aliunde mutuari auctoritatem, quæ sua dicta confirmet. nam sibi faceret injuriam. Audimus autem quid
Jesa. 42. vers. 8. per Jesaiam pronuntier, Non dabo gloriam meam alii. Ergo Deus legitimam jurandi formam nobis præscribit ubi per seipsum jurat. aliquando dicitur Deus jurare per animam suam, vel per vitam, aliquando levare manum: hæc sunt impropria, & translatitia: sed ratio loquendi quam proponit Jeremias diligenter notanda est, quia videmus quomodo rite jurandum sit, nempe ut nomen Dei in medium prodeat. quia solus & idoneus est testis & judex in rebus dubiis & absconditis. Itaque in Papatu fœda est & minime tolerabilis idololatria, quod jurant per Sanctos mortuos. Hoc enim est Deum spoliare jure suo: quia, ut dictum fuit, sicuti Ipse solus est veritas, ita solus est idoneus judex, ubi res sunt occultæ, nec possunt definiri humano testimonio. Deinde notandæ sunt loquutiones, quæ exprimunt quid sit jurare, nempe ubi homines sese subjiciunt Dei judicio, & illum implorant judicem. Quisquis igitur per Sanctos mortuos jurat, perinde facit acsi substitueret ipsos in locum Dei, & faceret mundi judices, & tribueret illis omnem potentiam. Testis est mihi Deus *2 Cor. 1.*
in animam meam, inquit Paulus. Deinde, Hoc fa- *vers. 23.*
ciat mihi Deus, & hoc addat. His loquendi formis, *Ruth. 1.*
quemadmodum dixi, exprimitur vis & natura juris- *vers. 17.*
jurandi. In summa, tenendum est, ubi necessitas co- *1 Sam. 14. vers. 44.*
git ad jurandum, semper Deum manere solum judi- *2 Sam. 3.*
cem. & ideo profanari sacrum ejus nomen si per alios *vers. 35.*
juramus. Nunc ex aliis locis patet quid sit esse in *& alibi*
opprobrium, & in maledictionem, ubi scilicet quis- *passim.*
piam quasi in theatro statuitur, ut sit exemplar dedecoris. Deinde ubi clades aliqua dat materiam execrationibus, & maledictis, Deus te perdat sicut perdidit Idumæos. Hoc est igitur esse in maledictum, quemadmodum alibi vidimus. Adjungit *urbes*, ubi significat vastitatem hanc non restringi ad aliquam partem regionis, sed extendi ad omnes partes. Dicit autem *fore in vastitates perpetuas*, ut tollat spem restitutionis. nam quum antea aliquid admiscuerit solatii, ubi vaticinatus est contra Moabitas, & Ammonitas; quod pertinet ad gentem Edom, spes omnis illis abscinditur. Nec dubium est, quin meriti fuerint atrociorem vindictam, quia propior illis erat conjunctio cum Israelitis. ergo minus ferenda fuit eorum crudelitas. Deinde apparet fuisse magis intemperantes in sua sævitia, quam omnes alios populos. Neque
enim sine causa dicitur in Psal. Memento Domine *Psal. 137.*
filio- *vers. 7.*

filiorum Edom, qui dicebant in die Jerusalem, Excidatur, excidatur radicitus ad fundamentum. Hinc igitur colligimus Idumæos crudelius sæviisse contra proprium sanguinem. atque hæc causa est, cur pronunciet Deus ipsos cum urbibus fore in vastitates perpetuas. nam nomen עלם, ut satis notum est, quod vertunt Seculum, accipitur pro diuturno tempore, & sæpe etiam perpetuitatem designat. Sequitur,

14. Auditum (*hoc est, sermonem*) audivimus à Jehovah, & nuncius ad Gentes missus est, Congregamini, (*vel congregate vos*) & venite super eam, surgite ad prælium.

Iterum Propheta docet cladis de qua loquitur auctorem fore Deum. nam si humanitus res fuissent expensæ, nemo putasset fieri posse, ut Idumæi tam brevi tempore destruerentur. Ergo necesse fuit attolli fidelium animos sursum. Et huc Propheta spectat quum dicit hoc totum fore à Deo. Sed vehementior est sermo quum dicit, *Audivimus auditum*: alii vertunt Famam, sed improprie, meo judicio. nam quamvis שמועה sæpius sumatur pro fama, vel rumore, tamen hic potius intelligi debet de præconio, quod Deus promulgavit quasi per suos feciales. Similitudo enim est ab hominibus sumpta, qui bellum denunciant hostibus suis solenni ritu. Dicit igitur Jeremias, *auditam fuisse vocem* quæ fuerit divinitus emissa, quia scilicet Deus voluit publice, & palam hoc testatum fieri quod hic legimus de interitu gentis Edom. Nunc ergo tenemus sensum Prophetæ, ubi dicit, *Auditum audivimus à Jehovah*. nam sequitur paulo post confirmatio: *& nuncius*, vel legatus *missus est ad Gentes*, inquit. Deus quidem neminem habuit legatum, vel fecialem, cujus ore bellum denunciaret Idumæis, vel excitaret etiam Assyrios & Chaldæos: sed ita loqui solent Prophetæ, ut homines in rem præsentem adducti agnoscant serium esse quod dicitur, nec carere effectu suo: quemadmodum prophetiæ ipsæ sunt totidem legationes: & hoc sensu, ut alibi diximus, Prophetæ aliquando urbes obsident & oppugnant, aliquando classicum canunt, nempe ut sciatur conjunctam fore exequutionem cum eorum doctrina, quia Deus non frustra nec futiliter per ipsos loquatur. Interea Propheta admonet Chaldæos & Assyrios esse sub Dei manu, ut sibilo, vel nutu etiam ipsos concitet ad bellum movendum, quemadmodum alibi dicitur, Sibilabit Deus muscæ Ægypti. deinde Deus mandabit Assyriis & Chaldæis. Ergo Jesa. 7. vers. 18.
Propheta significat Chaldæos & Assyrios præsto fore ad Dei obsequium acsi conductitii essent milites, & nomen ipsi dedissent. Nunc videmus quam vim habuerit talis ratio loquendi. Inde enim discere poterant fideles, in Dei esse manu perficere quicquid per servum suum promulgabat: quoniam scilicet poterat uno verbo Assyrios, & Chaldæos movere, & attrahere, & armare, & committere in prælium, sicuti etiam dicit, *Congregamini, & venite contra eam, & surgite ad prælium*. Loquitur autem de multis gentibus, ne quis putaret Idumæos pares fore ad resistendum. neque enim statim victus est qui impetitur à suis hostibus. Sed Propheta occurrit huic dubitationi, & dicit multas fore gentes, quæ collectis viribus irruant contra gentem Edom, ut nullæ vires ad resistendum sufficiant. Eadem fere verba leguntur apud Abdiam. Nunc sequitur, Abd. v. 1.

15. Quia ecce parvum posui te inter Gentes, contemptum inter homines.

Interpretes magna ex parte sic exponunt, gentem Edom fore contemptibilem, quia Deus statuit illam dejicere ea sua dignitate, qua ad tempus prædita fuerat: & ita contexunt proximum versum ut sit causæ redditio, Terror tuus decepit te, superbia cordis tui quæ habitas in fissuris petræ, &c. sed potest etiam aliter locus accipi, nempe quod Deus subsannet superbiam illius gentis, quæ tamen debebat sibi temperare, quoniam pugnabat cum natura, ubi volebat se tantopere efferre. Et videtur mihi hic esse genuinus Prophetæ sensus. Ego quidem non inficior diversam expositionem: sed tamen dicendum est quid mihi magis probetur. Existimo igitur hic subesse obliquam comparationem inter Israëlitas, &
Mal. 1. v. 2. 3. filios Edom, quæ exprimitur clarius apud Malachiam primo capite: illic enim Deus extollit suam beneficentiam erga Israëlitas, quod dederit illis terram opimam & fertilem, & relegaverit posteros Esau, & incluserit asperis montibus. Quum ergo Idumæi ejecti ab illa tam amœna & desiderabili hæreditate, quæ data fuerat filiis Abrahæ, essent quasi constricti squalidis montibus: ideo Propheta deridet eorum superbiam, quod velut invita & repugnante natura, conentur sese efferre. *Ego*, inquit, *parvulum posui te inter Gentes, & contemptibilem inter homines*. Scimus autem minus posse ferri superbiam ubi nulla est gloriandi materia. Si quis obscurus e vulgo sese attollat supra nobilissimos quosque, omnes conspuent in ejus faciem. est enim monstrum. Hac igitur ratione nunc dicit Propheta, Quid vobis suppetit, cur ita superbiatis Idumæi? quænam est vestra facultas? quæ gloria? Deus enim vos humiliavit. Ergo perinde est acsi musca vellet elephantem vincere magnitudine. Si cui magis placeat diversa expositio, sensus erit, Ecce ponam te parvum & contemptibilem inter Gentes, quoniam fuisti nimium superbus. Sed dixi quid mihi placeat, nempe quod Deus hic objiciat Idumæis stultitiam, quia gloriari non dubitent absque ulla materia. *Ecce*, inquit. Digito ostendit quam vilis sit & abjecta eorum conditio. *Posui te parvum inter Gentes, & contemptibilem inter homines*. Et certe non esset hæc satis vehemens comminatio. Hactenus enim Propheta detonuit contra Idumæos, & postea rursus pergit. Si ergo nunc insereret quod legimus de parvitate, esset sermo frigidus. Non dubito igitur quin Propheta describat statum illius gentis, qualis ante fuerat, nempe comparatione electi populi: imo aliarum gentium: quin etsi referti erant opibus, semper immunes fuerant ab omni molestia, non pertulerant quicquam jacturæ: vivebant tamen in montibus parum fœcundis, ut dictum fuit. Jam sequitur,

16. Superbia cordis tui, terror tuus (*alii vertunt idolum tuum, alii, stultitia tua*) decepit te, (*est enim talis significatio verbi: quanquam diversa est lectio. quidam enim legunt punctum in cornu dextro, alii in sinistro: sed melius convenit hic sensus. Decepit ergo te terror tuus, superbia cordis tui*) quæ habitas in fissuris petræ, (*vel rupis*) quæ occupas altitudinem collis: (*id est, collium: mutatio est numeri, sicuti etiam in* סלע, *nam significat rupes, plurali numero*) quamvis extollas tanquam aquila nidum tuum, illinc detraham te, (*descendere faciam, ad verbum*) dicit Jehovah.

Qui

Qui nomen primum accipiunt pro idolo referunt hoc ad superstitionem, quod scilicet fefellerit gentem Edom perversa fiducia, quam locabant in suis idolis. sed illud videtur nimis coactum. cur alii transferant Stultitiam nescio. melius convenit nomen Terroris. פלץ significat terrere: unde nomen hoc est deductum. Et quum nomen hoc sumitur pro idolo, id fit per metaphoram: vel quod terrorem incutiunt idola hominibus, vel quod manet terribilis exitus omnes eorum cultores. sed retineo propriam significationem vocis. Quanquam terror hic accipitur active, quod scilicet Idumæi quia erant formidabiles aliis gentibus, fuerint excæcati superbia propter falsam opinionem potentiæ. Et expositive etiam additur, *superbia cordis*. nam qui alios despiciunt, sese inflant perverso fastu, & ita efferunt suos spiritus. Quoniam ergo Idumæi acquisierant sibi famam gentis bellicosæ, terror ille qui de illis conceptus fuerat, simul inflaverat eorum animos superbia: sed Propheta dicit *eos decipi* quum sibi tantum potentiæ arrogant. Interea continuat sermonem quem dixi: quasi diceret, Qui fit ut quum Deus contemptibilem te esse voluerit, ita sumas tibi principatum inter gentes? tu pugnas cum natura, nempe, inquit, quoniam frustra hactenus terruisti tuos vicinos, hinc factum est, ut turgeas superbia: sed hæc mera est impostura: tu nimium erras, & teipsum fallis quum ita existimas de tuis viribus: quum tamen debuerit tua conditio te ad humilitatem potius formare. Nunc videmus quam bene fluat contextus Prophetæ, & quam apte conveniant inter se hæc dicta. Ergo dicit stultam esse confidentiam, qua se decipit populus Edom, quem Deus contemptibilem reddiderat. Jam adjungit per concessionem: *Tu habitas in fissuris rupium*, inquit, *& occupas altitudinem montium*. quibus verbis concedit Propheta aliquid Idumæis: sed postea subjicit, munitiones, quibus putabant se protegi, fore evanidas: *quamvis attollas*, inquit, *tanquam aquila nidum tuum, ego te inde detraham, inquit Deus*. Videmus ergo Prophetam ita concedere Idumæis materiam gloriandi in suis munitionibus, quia undique erant oppositi montes ad arcendos hostium impetus: ut tamen simul demonstret hoc totum fore illis inutile. Ergo *quamvis extollas nidum tuum tanquam aquila*, hoc est, etiamsi transcendas nubes ipsas, quemadmodum vulgo loquuntur, *ego te illinc extraham*. Hic autem locus docet primo, decipi eos omnes qui terrenis suis præsidiis confidunt: deinde quicunque sibi plus æquo arrogant, quasi confligere adversus Deum: & ideo fieri non posse quin Deus ipsos prosternat. hac igitur doctrina instituimur ad modestiam. Humilitas habet suas radices fixas in imo: itaque qui sese ultro submittunt, eorum conditio firma & stabilis est. nam radix quæ non apparet in superficie, sustinet arborem: sic etiam humilitas quæ non cognoscitur ab hominibus, vera & solida est nostra fultura. Quisquis igitur volitat, & sua temeritate se extollere conatur, provocat Deum quasi data opera. Et hic demonstrat Propheta qualis maneat exitus eos omnes qui ita se sursum attollunt. Volunt enim locare nidum suum tanquam aquilæ in summitate. Sed Deus illos detrahit, & prosternit, quemadmodum Idumæis contigit. Nunc sequitur,

17. Et erit Edom in vastitatem: quisquis transierit super ipsam obstupescet, & sibilabit super omnes plagas ejus.

Hic rursus confirmat Propheta quod dixit. Diximus autem quam necessaria fuerit talis repetitio: quia nemo putasset tam propinquam cladem instare Idumæis. Repetit ergo non ut clarius explicet quod poterat alioqui esse obscurum: sed ut penitus defigat in animos fidelium quod alioqui erat incredibile. Dicit igitur *Edom fore in vastitatem*. postea, *quisquis transierit super ipsam obstupescet, & sibilabit super omnes plagas ejus*. hoc *sibilare* vel ad subsannationem referri potest, vel ad stuporem, aut saltem admirationem. Nam per ludibrium multi sibilant, aut concutiunt caput: alii autem sibilant præ admiratione dum occurrit res insolita. Quoniam autem prius dixerat, *quisquis transierit obstupescet super eam*, libenter etiam interpretor de admiratione. Postea sequitur,

18. Secundum subversionem Sodomæ, & Gomorræ, & vicinarum ejus, dicit Jehovah, non habitabit illic vir, & non manebit in ea filius hominis.

Exprimit pluribus verbis quod breviter complexus fuerat sub una voce. Dixerat Edom fore in vastitatem: nunc autem ostendit qualis futura sit hæc vastitas, qualis scilicet fuit *Sodomæ, & Gomorræ, &*
Gen. 19. *aliarum urbium*. Deus enim, ut satis notum est, per-
vers. 29. didit quinque urbes, contra quas fulminavit. Et hinc iterum colligimus, nihil spei fieri reliquum Idumæis: acsi diceret Propheta actum esse de ultimo ipsorum interitu: quia Deus vult ipsos prorsus esse deletos, & extinctam eorum memoriam. Probabile tamen est aliquas fuisse reliquias gentis. Sed hoc non pugnat cum vaticinio: quia qui fuerunt superstites post tempus illud, ita fuerunt dispersi, ut non efficerent populum unum, neque aliquod nomen. Et quamvis forte aliquos Deus elegerit ex illa gente, tamen fuit obscurior illa gratia, & quæ via potuit venire in rationem, quod esset incognita hominibus. Quicquid sit, tenendum est quod prius attigi, nempe Idumæos sic fuisse maledictos, ut clades eorum multo esset durior, quam aliarum Gentium. idque promeriti fuerant impia sua crudelitate, & tot contumeliis, quibus affecerant miseros Israelitas suos cognatos. Hæc igitur ratio est cur nunc Jeremias terram illam comparet *Sodomæ, & Gomorræ, & aliis urbibus vicinis*. *Non habitabit illic vir*, hoc est, regio erit deserta. Et tamen ex historiis patet, fuisse adhuc regionem illam postea habitatam. nam Romani etiam locarunt illic aliquod præsidium. Sed Propheta, quemadmodum jam dixi, intelligit nullos fore superstites ex Idumæis, qui terram possideant, & in quibus vigeat aliqua memoria populi. Quamvis ergo terram illam postea occupaverint alii incolæ, hoc nihil ad Idumæos. perierat enim ille populus, & ab eo tempore nulla sequuta est restitutio: hoc autem sufficit ad complementum vaticinii. Imo fuit hoc aliquanto asperius, quod terra ipsorum recepit homines extraneos & advenas, quam si fuisset deserta. Sed tenenda est etiam loquendi ratio Prophetis trita. quum enim proponunt in exemplum Sodomam & Gomorram, hyperbolice loquuntur. Et non opus est hic concervare multos locos ad id probandum. qui enim mediocriter versati sunt in Scripturis, satis tenent quoties fit mentio Sodomæ & Gomorræ, excludi omnem veniam ac pœnæ moderationem. Jesaias capite primo dum misericordiam Dei commendat erga electum populum, dicit, Nisi Deus reliquum nobis Jesa. 1: 9.
fecisset aliquod semen perquam exiguum, essemus instar Sodomæ & similes Gomorræ. Et illa sententia, quemadmodum dixi, subinde recurrit: imo aliquoties Propheta noster jam minatus fuit Israë- Jer. 23.
litis interitum Sodomæ & Gomorræ. Non dubium vers. 14.
est, quin modum excedant verba, quoniam Deus non fulminavit contra alias terras, vel Gentes, neque in abyssum demersit, quemadmodum Sodomam

mam & Gomorram. sed in comparatione non conveniunt omnes partes. Quorsum autem, dicet quispiam, Deus ita modum excedit loquendo? Respondeo, non fieri absque justa & necessaria ratione. nam videmus ut homines obtorpeant ad Dei judicia. Tanta enim est socordia in ipsorum animis, ut quasi leve aliquid prætereant, & pro nihilo etiam interdum ducant quicquid minatur Deus. Quoniam ergo adeo bardi sunt homines, neque moventur Dei comminationibus, ideo necesse est expergefieri talem socordiam. Proinde Sodomam & Gomorram ponit illis ante oculos. Et quemadmodum etiam dicit Ju-
Jud. v. 7. das, illic exemplar propositum fuit omnium pœnarum, quæ manent reprobos. Ergo quasi in speculo semel repræsentare voluit Deus quam formidabilis sit vindicta sua erga omnes reprobos. Quum ita sit, huc pertinet comminatio, quod scilicet tam Idumæos, quam alios similes Deus perditurus sit tanquam Sodomam & Gomorram, ut nulli sint superstites, tametsi superveniant alieni, qui succedant Idumæis, & occupent eorum hæreditatem. Non possem nunc absolvere: relinquemus alteram similitudinem.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nobis manum porrigere, ut fide quoque nos supra mundum sic attollas, atque sic vera humilitate nos subjicere tibi discamus, & agnoscere quam misera sit nostra conditio & vita, nisi toti in te unum recumbamus, quo aliquando participes simus ejus gloriæ, quam nobis præparasti in cælo, & quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-SEXTA

IN

J E R E M I A M.

19 Ecce tanquam leo ascendet ab elevatione Jordanis ad tabernaculum fortitudinis: postquam quiescere fecero faciam currere ab ea: & quis electus, super eam præficiam? nam quis sicut ego? & quis contestabitur mecum? & quis hic pastor, qui stet coram facie mea? (*vel contra faciem meam.*)

HIc confirmat Propheta tantam fore violentiam exercitus Chaldaici, ut Idumæi ad resistendum pares futuri non sint. Dicit igitur *venturos Chaldæos, quemadmodum leones conscendunt tanquam furiosi dum coguntur locum habitationis mutare:* sic enim interpretor quod dicitur de elevatione Jordanis. Variæ sunt expositiones. Sed mihi hæc una probatur, quod scilicet comparet Jeremias Chaldæos leonibus, qui quotannis, vel saltem ubi erat major inundatio, quærebant latebras in montibus vel locis excelsis, quia non licebat recumbere in planitie: elevatio itaque Jordanis pro tumore accipitur, quum scilicet fluvius ille excresceret. Circa Jordanem leones habitasse ex pluribus locis colligitur. Quum ergo agerent in regione plana, fluvio crescente, locum habitationis mutabant. Hoc autem non fit sine violento impetu: scimus enim quanta sit in illis belluis truculentia: respicit autem Jeremias situm Idumææ, quæ Jordane, & tota illa terra erat excelsior. Idem quoque postea dicet de Babyloniis capite proximo. Sed fieri potest ut hoc loco alluserit ad id quod erat satis tritum apud Idumæos, idque est probabile. Sensus itaque est, meo judicio, Quemadmodum leones conscendunt in loca excelsa, dum Jordanis exundat, & excrescit: ita venient Chaldæi contra Idumæos, & irrumpent tanquam furiosæ bestiæ. Hoc unum est. deinde adjungit, *ad habitaculum fortitudinis.* Hieronymus vertit, Ad pulchritudinem fortem, sicuti nomen hoc ita fere interpretatur ubique: sed accipitur pro habitaculo forti. Alludit autem ad situm illius terræ, quia potuit videri inexpugnabilis, propterea quod circumdata erat montibus, quemadmodum alibi visum fuit. Alia ratio Babylonis, quam multi rivi Euphratis cingebant. Quod sequitur obscurum est, *Ubi quiescere fecero faciam discurrere* ipsum ab ea: & etiam quidam exponunt particulam כי aliter. Est quidem causalis: sed sæpe accipitur pro adverbio temporis, ut satis notum est. Quoniam autem ambiguus erat Prophetæ sensus, quidam divinarunt verba fieri de electo populo: acsi intelligeret Propheta, quum Dominus quietem dabit populo suo, tunc fugere ipsos faciet è terra Edom. sed illa expositio prorsus extorta est. Et miror ita fuisse hallucinatos, quia non dubito quin Propheta hic intelligat longo tempore tranquillos fuisse Idumæos, sed subito venturam cladem, quæ eos dispergat huc & illuc, & cogat salutem fuga quærere: & ita poterimus elicere optimam sententiam. *Quum ergo quiescere fecero,* vel ea quo eam quiescere fecero, *faciam fugere ipsum ab ea:* quasi diceret, Hactenus passus sum Gentem illam deliciari in suis copiis: & ita quietos jacere. sed repente dispergam huc atque illuc incolas, quia videbunt terram suam occupari ab hostibus. Denique hic fit comparatio duplicis status. Idumæi enim diu in fæcibus suis jacuerant: quia nemo erat qui molestiam illis facesseret. Deus ergo concesserat illis diuturnam quietem: sed nunc pronunciat se facturum, ut singuli sese in fugam projiciant, atque id repente. hoc autem oportuit diserte exprimi, ne ex tranquillo suo statu Idumæi conciperent fiduciam in futurum tempus: quemadmodum hypocritæ abuti solent Dei indulgentia, & dum illos diu sustinet, existimant se elapsos esse ab omni periculo. Ergo ne mala fiducia decipiat Idumæos, dicit Propheta fugam fore ubi diu fuerant tranquilli. Quanquam potest etiam aliter exponi prius verbum: nam רגע significat scindere. posset igitur ita accipi, Ubi fecero scissuram, quia Idumæi, ut dictum fuit, claustris undique muniti erant. Nunc Deus significat se facturum irruptionem, quam comparat scissuræ: & ista expositio non male conveniet. Postea sequitur, *Et quis electus, ut super eam præficiam?* Nunc advocat Deus robustissimos quosque, ut Idumææ præficiat non tanquam pastores, vel qui curam gerant terræ illius, & saluti prospiciant: sed qui opprimant tyrannica sævitia. *Quis ergo electus?* Interea significat Deus in manu sua & arbitrio esse omnes bellicosos homines: quasi diceret, Si Idumæi putant se fortitudine & viribus superare alios omnes, longe falluntur: ego enim reperiam qui polleant majori virtute: nam præsto mihi erunt electissimi homines, ubi placuerit mihi eos præficere, & ita facile subigent Idumæos, quantumvis existiment se nunc excellere fortitudine bellica. Deus ergo hic non interrogat quasi de re dubia, *Quis electus, ut præficiam eum super ipsam?* sed ostendit sibi nihil fore negotii in perdendis Idumæis, quia scilicet poterit accersere ex quacunque parte mundi volet quosque electissimos, & præficere Idumææ non tanquam pastores,

res, ut dixi, sed tanquam crudeles tyrannos. postea addit, *Quisnam sicut ego?* Confirmat proximam particulam: Deus enim attollit suam potentiam, quæ solet contemni ab incredulis. Videtur quidem hæc vulgaris esse sententia, *quis sicut ego?* nam fatentur hoc omnes à minimo ad maximum. Videtur ergo Propheta aliquid nimis humile proferre quum dicit *nullum esse Deo similem.* Pessimi enim quique hoc agnoscunt, & minimus quisque puer hoc fatetur, & ita dictat naturæ sensus. Cæterum siquis expendat quanta sit hominum superbia, reperiet hanc potentiam non ita esse vulgarem. Vix enim centesimus quisque est, qui Deo tribuat quod suum est. Nam ubi prodit in medium quotusquisque movetur, sive promittat salutem, sive denunciet pœnas? imo qui tenent principium illud, Deum omnia posse: minimo tamen obstaculo statim rapiuntur ad vanas cogitationes, & prorsus evanescuot tandem. Si quis persuasus sit, Deum timendum esse; ubi occurrerit aliqua materia perversæ fiduciæ, suffocabitur primum illud quod jam meote cooceperat; deinde prorsus extinguetur. In summa, si diligeoter expendimus quam contemptim sentiant homines de Deo, intelligemus senteotiam hanc non frustra sæpius iterari in Scripturis, quod scilicet Deus nullum habeat similem. nam siquis sese efferre audeat contra Deum, statim iocutiet omoibus terrorem: interea potentia Dei pro nihilo ducitur. Videmus ergo ut fideles etiam ipsi minimum quemque Deo præferant: imo muscas & pulices (ut ita loquar) opponere Deo noo dubitent, imo & æquare: hoc quidem est plusquam pudendum, sed interea fieri solet, & ille fuit quasi perpetuus usus omnibus seculis. Tenemus ergo nunc cur Deus hic tanquam rem magnam, & quasi incredibilem proounciet, *nullum sibi esse parem.* Hinc autem colligimus quid voluerit proxima particula quum diceret, *Ubi electus quem ego præficiam?* subjicit eoim contiouo post, *nemo est similis mei:* quibus verbis ostendit in suo arbitrio esse totum mundum. Jam subjungit, *Et quis contestabitur mecum?* vertunt, quis mihi tempus præscribet? Sed qui ita vertunt obscurant Prophetæ sensum. Ego autem noo dubito quin Propheta significet neminem esse qui audeat litigare cum Deo, vel siquis tentare id ausit, tamen fore ridiculum, quia Deus omnes rixas quas movebunt homines, solo flatu discutiet. Quum ergo dicit, *quis contestabitur mecum?* perinde est acsi diceret, Quis constituet se partem adversum me? ut vulgo dicitur. Quis ergo sese mihi opponet? vel audebit mecum descendere in certamen? vel quis audeat mecum judicio disceptare? ideo verti, *quis contestabitur mecum?* Et videor hoc modo clare exprimere Prophetæ sensum. postea dicit, *Et quis hic pastor qui consistat ex adverso?* Quum nomen Pastoris usurpat, alludit ad similitudinem leonis. Hoc eoim modo comparat ovibus Idumæos. tametsi enim erant plus satis feroces, tamen hic perstringitur eorum debilitas. Quemadmodum ergo ovis non potest sa defendere contra leonem, ita Propheta docet, Idumæos non fore instructos virtute ad resistendum, ubi eos impetent Chaldæi. Io summa, intelligit Propheta quamvis Idumæi multos habeant protectores, nullum tamen fore qui consistat ex opposito quum Deus armatus prodibit, ut perdat gentem illam. Summa est, neminem fore vel jure, vel viribus parem Deo, qui vim ab Idumæis arceat. Dixit enim, *quis contestabitur mecum?* postea, *quis pastor consistet?* Nunc tenemus Prophetæ consilium, nempe quia Idumæis bellum est cum Deo, fieri non posse quin pereant, quia etiamsi undique sibi accersant auxilia, neque jure, neque viribus poterunt consistere adversus Deum. Sequitur,

20. Propterea audite consilium Jehovæ, quod consultavit contra Edom: & cogitationes ejus, quas cogitavit contra habitatores Theman: Si non minores gregis eos dejecerint, si non perdiderint super eos habitacula ipsorum. (*vel si non perdant super ipsos habitacula ipsorum.*)

Hic Propheta continuat quod cœpit dicere de Idumæis, & eorum interitu: sed præfatione utitur ad conciliaodam verbis suis fidem. Dicit igitur *hoc esse consilium Dei, & ejus cogitationes.* Humanitus loquitur. transfert enim ad Deum quod proprie ejus naturæ non convenit. Deus enim non deliberat, sed ante mundi creationem semel decrevit quicquid erat facturus: neque etiam in utramque partem agitat suas cogitationes, ut homines solent, quibus statim non occurrit quid rectum sit, vel opus factu. Nihil ergo tale in Deum cadit. Sed satis trim est ratio loquendi, dum transfertur quod hominibus proprium est, ad Deum ipsum. Interea notaodum est, non abs re id fieri, quia ubi Deus loquutus est per servos suos, semper revocamus in dubium, dicaturne id serio, & mutarioe possit, ac sit revocabile. Denique amplectimur quicquid leve est & frivolum, & statim illud oobis persuadetur. Ubi autem Deus aliquid pronunciat, hoc subjicimus nostris commeotis, & movemus centum controversias de singulis rebus, Ho, sed posset hoc vel illud accidere: sed fieri potest, ut Deus non serio loquatur. Quoniam ergo homines nunquam acquiescunt in verbo Dei, ut par erat, ideo Prophetæ ex communi usu mutuaotur has loquendi formas, quod Deus ita cogitaverit, quod ita decreverit. Summa est, quicquid hactenus vaticinatus est Jeremias de Idumæis, id non posse retractari, quoniam sit stabile decretum, quod perinde fixum est, acsi Deus centum & mille annis id apud se cogitasset. Nunc adjungit, Quantum *ad habitatores Theman.* intelligit Idumæos: sed nota est hæc repetitio: prius posuit nomen Edom, nunc addit habitatores Theman. Theman autem & Seir sunt synonyma interdum. *Si non dejecerint eos:* verbum significat proprie trahere, sed trahere per contumeliam, & opprobrium, quemadmodum ubi trahitur cadaver per lutum. Ergo hic dejectionem probrosam intelligit Propheta. Dicit autem, *Si non traxerint eos minimi gregis.* hic aliter loquitur quam paulo ante. vocavit enim Chaldæos electos, & celebravit eorum robur, nempe ut detraheret inanem fiduciam Idumæis: nuoc autem longius progreditur, quia scilicet non opus erit magna virtute ad profligandam gentem illam, quia minimi quique poterunt illos prosternere in terram, deinde cum ignominia per terram trahere. Etsi autem loquutiones diversæ sunt, seosus tamen idem manet, nempe quod Deus fortitudine armabit Chaldæos, ut facile terram Edom perdant: deinde etiamsi secundum carnem non pollereot tanta virtute Chaldæi, fore tamen superiores Idumæis, quia in manu Dei est victoria: & posset per muscas operari sicuti per homines: & per pueros sicuti per Gigantes. Est autem formula jurandi quum dicit, *Si non traxerint.* Nam est elliptica loquutio, ut sæpius visum fuit. Subaudiri autem debet obtestatio, Ne posthac adhibeatur mihi fides, Ne me existimetis Deum. Denique est jurisjurandi forma quæ magis affirmat, quam si simpliciter dixisset, Trahent eos minimi quique gregis. Quidam vertunt, Si non ponant, quasi deductum esset à שום, quod est ponere: sed est à [illegible], vel à [illegible], ut quidam existimant: quanquam potius est à [illegible]. Interea non dubium est, quin significet Propheta, Si non perdant, aut devastent super ipsos habitacula ipsorum. Sequitur,

21. A voce ruinæ ipsorum contremuit terra: clamor vocis eorum in mari Rubro auditus est.

Pluribus verbis insistit Propheta in una re, quæ satis per se erat facilis. Sed quoniam non ita promptum erat, Judæis persuadere quod hactenus visum fuit de interitu Idumæorum, Propheta continuat eandem sententiam. Dicit igitur *terram contremuisse à sonitu ruinæ ipsorum*: quibus verbis significat tantam fore cladem, ut concutiat omnes vicinas regiones. quemadmodum ubi moles aliqua concidit, terrà movetur, ita quum diu in sua opulentia gloriati essent Idumæi, clades eorum potuit terrore afficere omnes vicinos. Ergo ne existiment Judæi incredibile esse quod dictum fuit, dicit Propheta, Etiamsi terra contremiscere debeat, Deus tamen evertet hanc gentem. postea, *Clamor vocis eorum auditus est in mari Rubro.* Distabat autem mare סוף, quod vocant Rubrum, satis procul: quanquam proprie est caricosum, & à juncis impositum fuit Hebraicum nomen. Cæterum, quod ad rem spectat, intelligitur mare Rubrum. Dixi autem satis longam esse locorum distantiam: & hoc etiam vult Propheta, tantam & tam gravem fore concussionem terræ Edom, ut fragor ipse tremefaciat mare illud, quod tamen erat aliquo spatio remotum. Sequitur,

22. Ecce tanquam aquila ascendet, & volabit, & expandet alas suas super Bosra: & erit cor fortium Edom die illo sicuti cor mulieris anxiæ.

Iterum de celeri adventu Chaldæorum loquitur: quasi diceret, Ubi conditio illius gentis visa fuerit pacata, ut securi in nido suo quiescant, *tunc repente*, inquit, *venient*, aut volabunt potius Chaldæi. Comparat enim ipsos aquilis, ut significet celerrimam fore & pernicem expeditionem. Quo tempore hoc prædixit Propheta nemo fuisset suspicatus Chaldæos fore hostes Idumæis. nam optime inter se consentiebant: imo scimus fuisse modis omnibus attentos, ut sibi favorem apud Chaldæos acquirerent. *Psal. 137. vers. 7.* Ideo dicitur in Psalmo, Memento Deus filiorum Edom qui dicebant in die Jerusalem, Excidatur, excidatur: quibus verbis notatur impia conspiratio illius gentis cum Chaldæis. Nec dubium est, quin omnibus officiis prosequi studuerint Chaldæos, ut lucrum inde captarent: ideo Propheta hic subitam mutationem designat ubi dicit *similes fore aquilis Chaldæos, qui expandent alas suas super Bosra.* Vidimus alibi hanc fuisse primariam urbem gentis illius. *Et erit*, inquit, *cor fortium Edom die illo sicut cor mulieris anxiæ.* Vidimus etiam quanta superbia fuerint inflati Idumæi. Quum ergo putarent se pollere & virtute, & consilio, & aliis omnibus, Propheta hic ostendit *cor fortium tunc effœminatum fore*: quod non staret nisi corda hominum essent in Dei manu. Deus ergo unus est, qui sustinet nos & animat, & dat nobis constantiam: qui idem etiam ubi vult debilitat animos nostros: & id facit in singula momenta: & ideo non frustra exprimitur dies ille, quia Deus non tantum cuique nostrum partitur quantum virtutis vult, sed eripit etiam singulis momentis quam dederat fortitudinem. Hinc fit, ut mollescant corda fortium: deinde ut timidissimi interdum fortiores sint leonibus, nempe prout etiam Deo placuerit vel corda dejicere vel erigere. Notandum autem est, hic nihil spei residuum fieri Idumæis. Quum antehac Propheta de aliis Gentibus loquutus est, dedit illis aliquid consolationis. Hic autem non temperat vindictam Dei, sed adjudicat Idumæos æterno exitio, idque sine ulla spe, nempe quia Deus longo tempore eos sustinuerat: ipsi autem scelerate abusi fuerant ejus tolerantia: pepercerat ipsis ex quo venerant filii Israël ex Ægypto. nam negaverant illis transitum: & tamen filii Israël cum magna molestia longum circuitum fecerant potius quam ut attingerent eorum terram: ille fuit singularis favor erga ipsos. Et debuerant si qua fuisset in ipsis gutta humanitatis, agnoscere beneficium sibi præstitum. Atqui crudeliter sævierant contra fratres suos, neque unquam destiterant sæpius admoniti. Non mirum igitur est, si Deus nunc devovet eos exitio, & vaticinia profert desperationis plena: hoc diligenter notandum est, ut discamus ubi Deus nos tolerat, non habere ludibrio ejus patientiam, sed mature resipiscere, ne scilicet ubi cœperit surgere in judicium, prorsus nos consumat. Nunc sequitur,

23. Ad Damascum. Pudefacta est Chemath, & Arphad, quia rumorem malum audierunt: in mari pavoris ad quiescendum non potest. (*hoc est, quod quiescere non potest*)

Hic Jeremias disserit de regno Syriæ, quod intelligit per Damascum, quæ erat sedes Regia, quemadmodum satis notum est. Fuerant autem Syri infesti Israëlitis ab initio: & satis celebres ac notæ sunt historiæ, & continua bella per multos annos recitant. Jam cœperant reges Israël fœdus percutere cum Syris, ut aggrederentur fratres suos Judæos. Hinc factum est igitur, ut Syri multas molestias exhibuerint Judæis: & amici Israëlitis fuerint usque dum utrumque regnum deletum fuit à Chaldæis. Unde probabile est hoc vaticinium editum fuisse quum adhuc staret regnum Israël, vel saltem ante ultimam cladem. attritum enim fuit antequam prorsus excideretur, quemadmodum alibi dictum fuit. Hoc præfari necesse fuit, ut sciamus quo consilio Deus protulerit hanc sententiam contra Syros, nempe quia ab initio hostes fuerant Israëlitis: deinde vires suas cum illis conjunxerant ad opprimendos Judæos. Semper igitur fuerant quasi flabella Diaboli ad consumendam Dei Ecclesiam. Deus ergo hic ostendit cladem, quæ ipsos manebat, esse justam mercedem impiæ crudelitatis, quam exercuerant adversus electum populum. hoc tenendum est. Dicit autem *confusam esse Chemath*, quam existimant esse Antiochiam Syriæ. Plures Antiochiæ celebrantur, sed Chemath versus Ciliciam fuit valde famosa. Dicit igitur tam urbem illam Chemath, hoc est, Antiochiam, *esse pudefactam, quam Arphad*, quæ erat etiam urbs opulenta. Adjungit, *quia audierant sinistrum rumorem*, inquit, malum rumorem: quibus verbis significat territum iri regnum Syriæ sola fama. Nemo id putasset, quia quum essent conjuncti Israëlitis, putabant sibi satis esse potentiæ ad hostes suos arcendos. Quum ergo extra periculum ita fortes essent, Propheta deridet eorum confidentiam, & dicit solo rumore ita fore pavidos, ut pudefiant tanquam victi ab hostibus. Postea adjungit *liquefactos esse*. Nam מוג significat dissolvi & liquefieri: sed hic diversa est lectio, quoniam multi codices habent בים דאגה: & qui ita legunt coguntur torquere Prophetæ verba. Ad verbum est, Pudefacti sunt in mari pavor ad quiescendum, vel ut quiescere faciat non potest, vel non poterit. Videmus quam dura sit loquutio: eliciunt tamen hunc sensum, quod liquefactæ fuerint illæ urbes sicuti qui in mari navigat, & præ pavore non potest cor suum tranquillare: sed, quemadmodum jam dixi, ita torquentur Prophetæ verba. Si autem legimus pro ב, literam כ, quæ est nota similitudinis, sensus

optime

optime conveniet, *sicuti mare pavoris*, id est, turbulentum, (ita genitivus ponetur vice epitheti, & hic etiam est usus Scripturæ) *quod quiescere vel tranquillari non potest*. Quantum ad summam rei spectat, non multum interest: significat enim Propheta Syros similes fore mari turbulento, quod agitatur varie, ut undæ inter se confligant. si quis hoc ad personas referre malit, nempe ad navigantes, etiam eodem redibit sententia. Summa igitur est, quum Syri fuissent omnibus terribiles, fore pavidos ad solum rumorem belli, ita ut liquefiant, neque possint consistere: quemadmodum mare ubi tempestas aliqua dominatur, nullam habet quietem, sed movetur in omnes partes. Postea adjungit,

24. Remissa est (*vel debilitata*) Damascus: convertit se ad fugam, & tremor apprehendit eam: angustia, & dolores tenuerunt eam tanquam parturientem. (*Quia sonat horologium non prosequar ulterius.*)

Da omnipotens Deus, quando nobis ante oculos statuis memoranda judicia, quæ hodie nobis prodesse debent, ut contineamur sub jugo, & sub metu Legis tuæ, ne obdurescamus ad tales minas, sed præveniamus iram tuam, & ita nos tibi subjiciamus, ut quæcunque impiis denuncias vertantur in solatium nostrum, & in materiam gaudii, ubi sciemus ita promoveri salutem Ecclesiæ tuæ, cujus dignatus es nos censere & agnoscere membra in Filio tuo Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

Debilitata est Damascus, convertit se ad fugam, (*vel ad fugiendum*) terror apprehendit eam, angustia & dolores tenuit (*ad verbum, tenuerunt*) eam sicut parturientem.

PRosequitur eundem sermonem Propheta: nam quia floruerat regnum Syriæ, & excelluerat magnis opibus, vix credibile erat posse tam cito everti. Hæc igitur ratio est cur Propheta suo more cladem illius regni pluribus verbis describat, nempe ad confirmationem. Dicit ergo *remissam esse Damascum*, vel debilitatam. hoc enim verbum significat aliquando cessare. Ideo intelligit fractam viribus. Porro sub unius urbis nomine, quemadmodum heri dictum fuit, comprehendit totum illud Syriæ regnum, quod nobile fuit & divitiis, & amplitudine, & numero etiam hominum. *Convertit se ad fugiendum*, inquit. His verbis significat nullam fore salutem residuam Syris, nisi ut diffugiant in alienas regiones. Est autem hæc salus valde misera, ubi aliter homines sibi consulere non possunt, quam consciscendo sibi voluntarium exilium. Rationem adjungit, *Tremor apprehendit eam, angustia & dolores ipsam tenebunt sicut parturientem.* Quoties hæc similitudo ponitur in Scripturis, exprimitur subitum aliquod malum & inopinatum. Dubium igitur non est, quin Propheta intelligat repentinam fore cladem Syriæ, ne suis opibus confidant, vel etiam alii existiment esse extra periculum, ubi vident & hominum multitudine, & rerum omnium copia esse munitam. Nunc sequitur,

25. Quomodo non est relicta urbs laudis? civitas gaudii mei?

Quidam existimant esse supervacuum: ideo simpliciter vertunt, Gaudii. sed videntur adducti ratione parum firma: quod putabant esse absurdum, vocari urbem gaudii Prophetæ, quum tamen non deberet Damascum ullo amore vel benevolentia prosequi. Atqui scimus Prophetas non semper loqui ex proprio sensu, sed asciscere sibi alienas personas: ideo poterimus commode legere ut verba sonant, *civitas gaudii mei*. Porro Jeremias acrius insultat Damasco quum ita miratur ejus excidium: *Quis fieri potest*, inquit, *ut urbs laudis*, hoc est, urbs celebrata: deinde *urbs gaudii mei*, hoc est, quæ erat nobile spectaculum ad omnes exhilarandos: *quis fieri ergo potest, ut hæc urbs non fuerit derelicta*, hoc est, ut non fuerit ei parcitum? neque enim derelictam intelligit quæ deseritur à suis incolis, vel quæ redigitur in solitudinem: sed derelictam accipit pro intacta vel incolumi. Cæterum, semper tenendum est quod sæpius diximus, Prophetas ubi ita per admirationem loquuntur, non attollere stylum Rhetorico more, ut ostentent facundiam, sed respicere semper quid utile sit. Necesse erat violenter penetrare in animos ubi agebat Propheta de excidio tantæ urbis. Ergo hæc admiratio continet in se Occupationem quam vocant. Occurrit enim dubitationi, quæ poterat obstare quominus fides adhiberetur vaticinio. Statim singulis hoc poterat venire in mentem, Qui fieri potest ut pereat Damascus? Propheta igitur anticipat & ostendit, quamvis hoc alienum sit à communi sensu, tamen quia Dominus ita decrevit, certum fore interitum urbis illius. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Sequitur postea,

26. Propterea cadent electi ejus (*aut robusti juvenes: בחורים enim proprie sunt electi: sed transfertur hoc nomen ad eos qui sunt in pleno vigore, aut flore ætatis*) in compitis ejus: & viri militares silebunt (*alii vertunt, excidentur: & metaphorice accipitur illo sensu hoc verbum*) in die illo, inquit Jehovah exercituum.

Hic Propheta quodammodo seipsum corrigit, & pronunciat quamvis ruina Damasci attonitos reddat omnes, fore tamen certam: & ita interpretor particulam, לכן. est rationalis particula apud Hebræos, Propterea, propter hanc causam. Ideo existimant hic rationem exprimi cur Deus urbem illam perdere decreverit, quod scilicet jam olim cœperat bellum movere contra Israëlitas: deinde contra Judæos: & ita non destiterat persequi Dei Ecclesiam. Sed simpliciter hoc loco ponitur pro affirmatione, quemadmodum & aliis pluribus. Propheta igitur hic admirationem illam qua usus fuerat, compescit: quasi diceret, Quicquid sit, ita statutum est Deo. Quamvis ergo omnes obstupescant ad interitum Damasci, *cadent nihilominus adolescentes ejus*, &c. Summa est, nullam sub cælo tantam

esse

esse potentiam, quæ Deo resistat. Ergo Damascus quoniam erat devota exitio, non potuit judicium illud effugere, quamvis hominum opinione esset inexpugnabilis. Et contextus hic notandus est. ubi enim nos occupant quæ occurrunt, & exposita sunt sensibus nostris, semper objiciendum est ex adverso, Atqui necesse est impleri quicquid statuit Deus. Quamvis ergo videantur cælum & terra conspirasse ad impediendum cæleste decretum, sciamus acquiescendum esse in sermone Dei: & semper in memoriam nobis veniat hæc particula, [illegible]. diximus enim Jeremiæ fuisse propositum, quicquid poterunt mentibus suis concipere homines, quodammodo subigere: quia hoc unum sufficit, Deum statuisse quod pronunciat. Sequitur,

27. Et accendam ignem in muro Damasci, & consumet palatia Benhadad.

Hic Deus ipse loquitur, & pronunciat se fore auctorem hujus excidii, de quo vaticinatus est Jeremias. Utitur autem similitudine, quoniam nulla est major violentia, vel magis formidabilis, quam incendii. Scimus enim maximas quasque urbes statim absumi, vel redigi in cinerem, ubi ignis cœpit flagrare. Deus ergo comparat incendio cladem urbis, quamvis non fuerit ignis subjectus ad muros exurendos, & palatia Regis. Sed metaphorice intelligit Propheta tantam fore cladem urbis, acsi igne consumpta foret. Interea revocat fideles ad judicium Dei, ut sciant profectum esse ab ejus manu quicquid acciderat Syris, quia parum prodesset videre tales clades, nisi simul accederet hæc doctrina, justas pœnas divinitus inflictas sceleribus hominum. Porro quum loquitur de palatiis Benhadad, breviter causam designat cur tam severe acturus sit Deus cum Syris. Diximus autem semper fuisse molestos electo Dei populo. Nam initio conati sunt evertere regnum Israel, postea fœdus cum regibus Israël pepigerunt: sed ut terram Jehudah prorsus delerent: & multæ fuerunt ejusmodi conspirationes. Benhadad vero, sicuti legitur priore libro Regum, graviter afflixit Israëlitas. Colligitur quidem ex temporum supputatione plures fuisse Syriæ reges hoc nomine: quod fuerit commune nomen, sicuti reges Ægypti vocati sunt Phamones: & Reges alii etiam sumpserunt sibi nomen aliquod favorabile, sicuti Imperatores Romani vocarunt se Cæsares. Sed legimus ultimum Benhadad fuisse filium Asaël, qui etiam erat rex Syriæ: ideo dixi non fuisse commune nomen. Quum vero Historia sacra satis demonstret fuisse plures, qui vocati fuerint Benhadad, non dubito quin Propheta respiciat ad illum primum, qui cœperat gravis esse, & molestus Israëlitis. Ergo causam designat cur statuerit Deus perdere Damascum. Sustinuerat enim pro sua clementia Syros ad longum tempus; sed quum videret non resipiscere, quin potius adderet scelera sceleribus, nunc tandem ubi conscendit tribunal suum, dicit *ignem quem subjiciet muris Damasci*, consumpturum palatia Benhadad, hoc est, palatium illud, unde tot mala eruperant, & unde tanta crudelitas, quæ afflixerat miseram Ecclesiam. hæc summa est. Sequitur nunc,

28. Ad Kedar, & regna Hasor, quæ percussit Nabuchadrezar rex Babylonis. Sic dicit Jehovah, Surgite, ascendite adversus Kedar, & perdite filios Kedem. (*vel Orientis.*)

Subjicitur nunc aliud vaticinium adversus Kedaræenos, qui tenebant partem Arabiæ. Alibi etiam fit eorum mentio: & probabile est vicinos fuisse Syris, nec procul dissiros à Judæa. Conqueritur enim David (si tamen auctor est illius Psalmi) se habitasse *Psal. 120. vers. 5.* inter filios Kedar, Psalmo 120. Hei mihi, quia versari cogor apud Mesech, & cum filiis Kedar. Quisquis autem fuerit Propheta, qui Psalmum illum composuit, tamen probabilis est conjectura, Kedaræenos, quamvis non essent contigui Judææ, non fuisse tanta distantia remotos: & diximus fuisse Arabiæ incolas. Adjungit autem Propheta *filios Kedem.* ita vertunt quidam, acsi esset nomen proprium gen- *Gen. 25. vers. 12, 13. 15.* tis: & Moses docet Kedem fuisse unum ex filiis Ismaelis. Fieri ergo potest, ut populum illum adjunxerit Kedaræenis etiam Jeremias. Sed inclino potius in diversam sententiam, quod eosdem vocet filios Orientis, respectu Judææ, non quod essent propinqui vel Persis, vel aliis Orientalibus populis: sed tantum designat plagam illius terræ, Judææ respectu scilicet. Cur autem Deus vindictam de populo illo sumpserit, causa non exprimitur: sed fieri potest, ut olim multas injurias intulerit Israëlitis. Deus ergo qui diu illis pepercerat, tandem apparuit severus vindex. Etsi autem incognita fuerit ratio, profuit tamen Judæis agnoscere, extendi per omnes mundi plagas Dei manum ad sumendam vindictam. nam hinc ratiocinari poterant, merito se affligi, *Luce 12. vers. 47.* quod Deo rebelles fuerant. Scimus enim servum, qui sponte & quasi per contumeliam domino suo non paret, mereri pœnam duplicem. Judæi ergo quum viderent barbaros illos, & quasi similes feris, non tamen effugere Dei vindictam, poterant secum expendere quam justa essent contra ipsos Dei judicia, quem scienses & volentes spreverant. ergo hæc una fuit utilitas vaticinii. Deinde ut alibi diximus, tenenda est generalis regula, nempe quum accidunt mutationes in mundo, quia tunc quasi evanescunt hominum sensus, ideo necessariam esse hanc admonitionem, Deum in omnibus illis mutationibus sic dominari, ut fortuna nullum locum teneat. Nam quum instar diluvii clades grassantur per totum mundum, tunc sicuti dictum fuit, putamus fortuito, & temere tantam perturbationem contingere. Nam si partem aliquam orbis Deus affligeret, posset nos ad aliquam cognitionem deducere discrimen, Affligitur pars una, altera autem est immunis. sed ubi mala totum mundum obruunt, tunc sublato discrimine, putamus omnia esse confusa, nec possumus colligere mentes nostras, ut sciamus, Deum sic de omnibus pœnas sumere, ut tamen sua judicia temperet, prout æquum est, pro immensa & incomprehensibili sua sapientia, & æquitate. Quoniam ergo moderatio hæc quam tenet Deus in suis judiciis, non perspicitur hominum mente, & judicio: ideo necesse fuit, quum Deus vellet semel fulminare per totum orbem, præmoneri Judæos, ut semper attenti essent ad ejus nutum. Videbant se perditos: videbant idem contigisse Ægyptiis, deinde omnibus aliis vicinis gentibus: tandem habuit etiam Assyria suas vices: postea Chaldæa: tandem Medi, & Persæ simul fuerunt afflicti. Quum ergo nulla pars intacta maneret, quis non putasset omnia sursum & deorsum volvi quasi cæco & temerario impetu? Ergo non abs re præmonuit Deus fideles, ne in tanta rerum vicissitudine, & turbulentis mutationibus putarent omnia permixta esse, sed agnoscerent Deum è cælo moderari tales confusiones. Hæc igitur ratio est, cur Prophetæ tam diligenter concionati sint de cladibus omnium gentium. Nunc veniamus ad Kedaræenos. *Ad Kedar, inquit, & regna Hasor.* dubium non est, quin hæc fuerit ampla regio, quia vix credibile est fuisse nomen urbis. vocantur regna Hasor: quis diceret unam fuisse duntaxat urbem? Certum est, Hasor urbem fuisse,

fuisse, cujus fit mentio in historia Josuæ: sed hic Hasor vocatur ampladitio, quæ contigua fuit Kedarenis: Dicit autem *omnes alios populos fuisse percussos à Nabuchadnezar*, quia forte Judæis minus erant cognati barbari illi homines. Interea notandum, nondum fuisse percussos à Nabuchadnezar, quum de eorum interitu disseruit Propheta: sed hoc adjungitur ad confirmationem vaticinii: quasi diceret Jeremias, re ipsa fuisse completum tandem quod multi neglexerant, imo habuerant ludibrio. Nam quum minitaretur excidium illis remotis gentibus, credibile est fuisse derisum à suis popularibus. Jam autem dicit se non futiliter fuisse loquutum, sed eventu ipso comprobatam fuisse suam vocationem, quia percussi fuerint à Nabuchadnezar, sicuti prædixerat. Hæc autem summa est vaticinii, *Surgite, conscendite adversus Kedar, & perdite filios Orientis.* Hic alloquitur Propheta ipsos Babylonios, sed Dei nomine, sicuti erat præco. Et diximus servos Dei quasi pro summa potestate præcipere & jubere quicquid futurum est, ut scilicet plus reverentiæ & dignitatis sermoni, vel doctrinæ suæ concilient. contemnitur enim prophetia ab hominibus profanis: & jactant esse verba duntaxat. Ergo servi Dei ut ostendant effectum conjunctum esse cum sermone suo, suscipiunt Dei personam: ita audacter præcipiunt summis Regibus, quemadmodum nunc facit Jeremias. *Surgite*: quosnam hic compellat? regem Babylonium, summum illum monarcham: deinde tam Assyrios, quam Chaldæos alloquitur: jubet tamen *ut surgant & conscendant*, acsi haberet illos paratos ad suum obsequium, nempe quia non loquitur nisi ex Dei mandato. Et notandæ sunt diligenter tales loquendi formæ, ut discamus ita amplecti quicquid Dei nomine profertur, acsi res ipsa jam esset ante oculos: deinde sciamus ita subjectam esse Deo totius mundi potentiam, ut omnia regna terræ præsto sint ad implendum ejus sermonem. Ergo ubi Deus ipse loquitur, sic apprehendere oportet efficaciam sermonis, acsi cælum & terra jam præsto essent ad parendum, & complendum quicquid ipse mandaverit. Sequitur,

29. Tentoria ejus (*tabernacula ejus*) & greges ejus tollent, & cortinas ejus, & omnia vasa ejus, & camelos ejus sument sibi, & clamabunt, Terror undique. (*aut, vocabunt super eos terrorem ab omni circuitu.*)

Quum de tabernaculis & cortinis verba facit Propheta, respicit ad gentis illius morem. scimus enim Arabes habitasse in casis, & tentoriis, quemadmodum adhuc hodie. deinde erant homines pecuarii. Neque enim habebant agros fertiles, sed ducebant per deserta greges suos: deinde erat illic magna copia camelorum. Hæc igitur ratio est cur Propheta *tentoria, & cortinas, & camelos, & greges* nominet, quia scilicet disserit de Kedarænis, qui non habitabant in regione fertili, non habebant agros arabiles. neque enim referti erant aliis opibus, neque habebant urbes, & palatia. Summa est, adjudicatos esse exitio Kedarænos, ideoque expositos in prædam hostibus suis. Quia autem hoc difficile erat creditu, adjungit, *Clamabunt contra eos, Terror à circuitu.* significat his verbis Propheta tantum fore pavorem, ut sinant omnes opes suas diripi, neque audeant sese opponere, quoniam scilicet undique terror ipsos apprehendet. Qui legunt, Vocabunt undique terrorem, metaphorice putant hoc dici de militibus, qui terribiles erant. quidam etiam dicunt, Rex ipse Babylonis vocabit, aut accerset pavorem omni ex parte contra ipsos. Sed magis probabilis est altera expositio, quod ubi hostes clamabunt, *Terror, terror*, tanquam victores, sola voce prævalebunt. Hic, meo judicio, genuinus est Prophetæ sensus. Nunc sequitur,

30. Fugite, abite procul valde, profundaverunt ad habitandum incolæ Hasor, dicit Jehovah, quia consultavit super vos Nabuchadnezar rex Babylonis consilium, & cogitavit contra vos cogitationem.

Hic continuat Jeremias suum sermonem: sed clarius exprimit quod jam dixerat. *Fugite*, inquit, *& abite procul valde.* Quod sequitur per parenthesin lego, *Profundaverunt ad habitandum incolæ Hasor.* postea contexit sermonem suum Jeremias, *Quoniam consultavit super vos Nabuchadnezar & cepit consilium*, &c. *Jubet* ergo *ipsos fugere, & quidem procul, quoniam Nabuchadnezar statuerit ipsos perdere*: quanquam per *consilium* & *cogitationem* significat Propheta rationes occultas, quibus populum illum oppressit quum nihil tale metueret. Quum ergo pecuarii illi homines secure in suis montibus degerent, Nabuchadnezar copias suas paravit, deinde disposuit omnia: & ita fuerunt obruti ejus consilio, & astutis non minus quam viribus. Non igitur supervacuum est quod Propheta hic dicit *de consilio & cogitatione Nabuchadnezar*: quia perstringit oblique socordiam illius gentis, quæ sibi non cavebat, quæ putabat deserta sibi esse optimum latibulum. Quum ergo ita secure degerent, Propheta hic admonet negotium illis fore cum hoste vafro, qui agitabit, & coquet domi sua consilia: deinde quod diu meditatus fuerit tandem exequetur suo tempore. Sequitur autem parenthesis, *Profundaverunt.* ut clarior sit sensus, ideo subaudienda est adversativa particula, *Quamvis profundaverint ad habitandum.* nisi enim hæc exceptio fuisset interposita, minus credibile fuisset vaticinium. Erant enim Kedaræni undique muniti, quoniam nemo illis invidebat, quum non tantum frugi essent homines, sed etiam feri, & contenti austero & misero victu. Quum ergo putarent se hoc modo esse tutos, poterat quilibet excipere, Cur jubes ipsos fugere? quoniam fugient? quasi vero futurus sit quisquam tam stultus, ut eos invadat. Sic etiam Scythæ ridebant Alexandrum quum illos aggressus est, Quid tibi vis? putas tibi esse negotium cum hominibus: nos sumus bestiæ. deinde si quæris opes, & divitias, non reperies apud nos. Talis igitur erat conditio earum gentium, de quibus hic agitur. Ergo quum Propheta jubet ipsos fugere, quoniam repente eos invadet Nabuchadnezar, simul adjungit, *Quanquam profundaverint ad habitandum.* usus est prius hac loquutione. Profundare ad habitandum est habere stationem tutam & occultam, & remotam ab omni periculo. Dicuntur igitur profundi esse in suis habitaculis, vel qui habent urbes & munitiones, vel qui habitant inter deserta, vel qui latent in ignobili aliqua regione. tales erant Kedaræni, & eorum vicini. Dicit autem Propheta, hoc non fore obstaculo, quo minus perrumpant Babylonii, & occupent illorum terram. Sequitur,

31. Surgite, ascendite contra gentem securam, habitatorem (*eum qui habitat*) in fiducia, dicit Jehovah: non portæ nec vectes ei, solus habitat.

Confirmat proximam sententiam, repetendo quod jam dixerat, *Surgite, conscendite* sed subjicit alia verba, *Contra gentem quietam*: hæc est profunditas, de qua loquutus est, quod scilicet Kedaræni quoniam putabant se agere in alio mundo, securi erant; & ideo, *ad gentem securam* שליו significat gentem delicatam, sicuti alibi vidimus. sed hoc loco accipitur pro gente secura. Quamvis enim nullæ essent illic lautitiæ, dicitur tamen גוי שליו, gens quæ nihil sibi metuit. Deinde exprimit seipsum, quod scilicet *habitarent in fiducia*, id est, absque metu, & sollicitudine. Et causam adjungit, *Quia* scilicet *non opus habent portis aut vectibus, & soli habitant*. Existimant quidam interpretes hic notari superbiam Kedaræ-norum, quod non protegerent se consuetis munitionibus, & pro nihilo ducerent portas & vectes. Sed aliud est consilium Prophetæ, quod scilicet barbari illi, & pecuarii homines quum essent extra invidiam, putabant nullum sibi unquam fore hostem. Quæ enim est bellorum causa, nisi avaritia & ambitio? quis autem appeteret dominari gentibus barbaris, ubi quiescunt in montibus suis? deinde non quæruntur opes in regione deserta & squalida. Quum ergo tales essent Kedaræni, ideo dicit Propheta *habitasse eos secure*: quamvis neque portis, neque vectibus muniti essent, sed soli habitarent. Ergo solos habitare dicit, non quia sese ideo pluris facerent, quod essent solitarii, & putarent se solos esse Reges, quemadmodum solitudo sæpe parit superbiam & contumaciam: sed aliud nunc est consilium Prophetæ, ut dixi, quod scilicet non putarent Kedaræni se opus habere sociis, & adjutoribus, non penderent à suis vicinis, quasi futuri essent auxilio: sed contenti erant suis desertis. Et interea non existimabant ullum hostem sibi fore molestum: quia scilicet nulla erat causa, vel occasio. Nunc ergo rursus tenemus cur Propheta dicat eos *profundasse ad habitandum*, hoc est, profundam habuisse suam habitationem, quoniam scilicet paupertas, & rerum omnium inopia illis erat instar optimi propugnaculi, quia nullus erat splendor, nulla etiam dignitas: ideo erant quasi exempti ab aliorum hominum communi sorte. Sed interea dicit venturos nihilominus Chaldæos qui omnes eorum opes diripiant. Sequitur,

32. Et erunt cameli eorum in direptionem, & copia pecorum ipsorum in prædam: & dispergam eos ad omnem ventum, extremos anguli, & ab omnibus lateribus ejus adducam perditionem ipsorum, dicit Jehovah. (*Cras accedet explicatio.*)

Da omnipotens Deus, quamvis quæ nobis hodie recitantur ex tuis Prophetis de vetustis gentibus videri possint obsoleta, ut tamen tangamur serio quoties legimus te exercuisse tua judicia adversus mundum, ut discamus hodie nos totos tibi subjicere & confugere ad tuam misericordiam: & quicquid nobis accidat, tamen non dubitemus, quin propitius nobis futurus sis, si te sincero corde & pura fide quæsierimus in Christu Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-OCTAVA

IN

JEREMIAM.

IN eo versu quem heri recitavimus, iterum repetit Jeremias Kedarænos ita spoliatum iri à suis hostibus, ut nihil illis maneat residuum. Loquitur ergo iterum de camelis, & de pecoribus: dicit *copiam pecorum, & camelos fore in spoliationem & prædam*. Cur autem camelos potius, & pecora nominet, quam vel agros vel vineas, heri breviter exposui. Nam ubi agitur de regione aliqua fertili, sive copiam frumenti afferat, sive sit vitifera: tunc Prophetæ commemorant illas divitias. Sed nunc quoniam mentio fit regionis pecuariæ, deinde etiam asperæ, ideo Propheta tantum de camelis, & de pecoribus loquitur. Erat enim, ut dictum fuit, austerum & durum genus vivendi in illa gente: imo fere inhumanum. Si deerat pabulum pecoribus, alio cursitabant, & ferebant in plaustris totam suam supellectilem. Jam sequitur, *Dispergam eos ad omnem ventum*. hic prædicit Jeremias dissipationem illius gentis. Contingit interdum, ut spolietur aliqua regio ab hostibus, maneant tamen illic incolæ nudati suis bonis, & degant inopem vitam. Sed una cum egestate exilium denunciat Jeremias, nec vulgare exilium. est enim emphatica loquutio, *Dispergam eos ad omnem ventum*, cui subest tacita comparatio inter populum illum, & quisquilias. Nam ut quisquiliæ feruntur in quamlibet partem flatu venti, ita etiam talem fore dissipationem populi illius docet Propheta. Vocat autem simul קצוצי פאה. Hieronymus solet vertere Attonsos coma, sed perperam; quia nulla est ratio cur ita nominentur alii etiam populi, quorum ante facta fuit mentio. Nam 7. capite & 25. Jeremias non habebat sermonem de Kedarænis: & tamen vocavit multas gentes קצוצי פאה. קצץ (unde hæc vox ducta est) significat præcidere, פאה significat extremitatem cujusque rei. Ergo tantundem valet hoc epitheton acsi vocasset eos finitos extremitate, vel angulo. Optime autem convenit ad rem præsentem quod dicit. nam probabile non erat, ut qui habitabant in recessu ita dispergerentur. Si opulenta aliqua regio spolietur ab hostibus, diffugient illinc in varias partes. Exempli gratia, si pars Italiæ vastata esset, undique occurrunt regiones quæ possent excipere profugos. Sed si qua gens habitet in extremo angulo, quorsum se conferet, si profligata fuerit ab hostibus? Propheta igitur nunc amplificat miseriam exilii quum dicit populos extremos ita fore profugos, ut per omnes partes mundi sint dissipati. Adjungit, *Et ab omnibus lateribus ejus adducam interitum ipsorum*. Confirmat eandem sententiam, quia si malum ingrueret ab una parte possent vicini se alio recipere: sed ubi ab omni parte urget calamitas, tunc necesse est miseros homines dispergi, & quærere sibi longinquum exilium, quia nulla est pars, quæ ipsos recipiat hospitio. Hoc ergo totum ad dissipationem referri debet. Postea sequitur,

33. Et erit Hazor in habitationem draconum, vastitas usque in perpetuum: (*in seculum*) non habitabit illic vir, & non manebit illic (*aut peregrinabitur in ea*) filius hominis.

Concludit Jeremias vaticinium de Kedarænis. dicit terram illorum fore desertam. Prophetæ hac forma loquendi sæpe utuntur, nempe terram quæ ab incolis deseritur, fieri habitationem draconum. Hoc

autem

autem gravius est, quam si terra maneret nuda: sed quum dracones succedunt hominibus, hoc est formidabile. Ergo ut judicium Dei magis afficiat hominum sensus, Prophetæ sæpe pronunciant locum desertum, fore habitationem draconibus. Subjicit quod idem valet, *Erit vastitas*, inquit, *in seculum:* sed accipitur עולם pro perpetuitate. Et subjicitur, *Non habitabit illic vir, neque illic deget filius hominis.* Videtur quidem supervacuus esse sermo, quia satis erat uno verbo dixisse terram illam fore desertam, ut non habitetur. Sed primo loco eam assignat draconibus, deinde adjungit fore deformem vastitatem, vel solitudinem: postremo neminem illic habitaturum, nec tantum hoc simpliciter dicit, sed postquam loquutus est de viris, adjungit *filios hominum.* Quidam putant viros accipi pro nobilibus, filios autem Adam vocari obscuros & gregarios homines. sed illud est nimis argutum, ut alibi diximus. Repetitio est, quæ tamen magis auget: sed secundo membro generaliter loquitur, & clarius exprimit: quasi diceret neminem ex genere humano fore incolam illius terræ. Nunc sequitur,

34. Qui fuit sermo Jehovæ ad Jeremiam Prophetam contra Elam principio regni Zedechiæ regis Jehudah, dicendo,

35. Sic dicit Jehovah exercituum, Ecce ego frango arcum Elam, principium fortitudinis ipsorum.

Per Elam existimant quidam interpretes notari Persas, & illa est recepta expositio. Ego tamen magis existimo distingui à Persis Elamitas: potius dicerem esse Parthos, nisi quod Lucas etiam Actorum cap 2. ipsos à Parthis distinguit. *Actor. 2. vers. 9.* Interea non convenit, meo judicio, Persas generaliter intelligi sub nomine Elam. Persæ enim valde remoti erant à Judæis: deinde nunquam senserant quicquam injuriæ ab illo populo Judæi: non fuit igitur ratio cur Propheta illis pœnam denunciaret. Celebratur regio Elymais Medis contermina, & vicina Persis. Sed potuit ille populus se adjungere Assyriis & Chaldæis adversus Judæos. Quum ergo illinc haberent Babylonii auxiliares copias, Deus voluit ulcisci injuriam populo suo illatam. Deinde Plinius etiam celebrat Elamitas, quos dicit vicinos Nabathæis: sed erant quasi medii inter Persiden, & Judæam. Erant quidem maritimi, ut alibi ostendit. nam sæpius loquens de Elymaide, semel tantum nominat Elamitas. Quicquid sit, non erant tam Orientales, ut Persæ: deinde non tam remoti à Judæa: & quia ut dictum est, propinqui erant Medis, probabile est fuisse conjunctos hostibus Ecclesiæ, quum Nabuchadnezar traheret secum ingentes copias quas undique accersiverat, ut longe & late dominabatur. videbimus enim in contextu Deum graviter fuisse iratum Elamitis. Unde colligimus, fuisse infestos electo populo, cujus Deus susceperit hic causam. hoc quantum ad ipsam vocem. Quum ergo Jeremias hic verba facit de Elamitis, sciamus propriam gentem notari, & à Persis distinctam: deinde gentem, quæ suam operam locaverit Chaldæis ad Judæos affligendos. Nunc videamus quid Propheta ipse denunciet. Primo dicit *hunc sermonem sibi fuisse datum principio regni Zedechiæ.* Tunc Nabuchadnezar valde urgebat Judæos, quum tamen ipsi manerent obstinatis animis. Et credibile est, Elamitas fuisse in illo exercitu Chaldaico. Quum ergo Judæi secum reputarent tam varios sibi esse hostes, deinde quum nunquam pœnam daturos sperarent, potuit hæc tentatio graviter percellere animos piorum. Quod ergo nemo tunc putasset Jeremias affirmat, Elamitas non fore impunitos quod sub auspiciis regis Nabuchadnezar tam fuerint molesti electo populo. Hæc igitur ratio est cur tempus designet Propheta. *Datus* ergo *hic fuit sermo in principio regni Zedechiæ.* Postea initio pronunciat Deus *se fracturum arcum Elam.* Scimus Parthos & alios etiam Orientales populos fuisse optimos sagittarios, ut unaquæque natio propria virtute excellit etiam in re bellica. Quidam enim pollent uno genere armorum, alii alio. autea levis armatura celebrata fuit apud Italos, valebant Galli equitibus cataphractis: nunc etsi omnia permixta sunt, tamen exempli causa dico, variam esse bellandi artem singulis gentibus. Historiæ vero testantur fuisse Orientales populos valde peritos sagittandi, & optimos arcuarios. Non mirum igitur est, quod de arcu hujus populi loquitur Propheta: & eum vocat *principium fortitudinis ipsorum,* quia scilicet illo bellandi modo excelluerint. Nam fuerunt Parthi Romanis terribiles quum fugam simularent, deinde uno impetu se reflecterent adversus hostem. Habebant etiam sagittas suas infectas veneno: hac ratione devicti fuerunt magni exercitus. Romani enim jaciebant sua pila, deinde confertis manibus pugnabant, & gerebant prælium statarium, ut ita loquar. Quum ergo Parthi sagittis ipsos confoderent, hinc factum est, ut semper fere infeliciter contra ipsos pugnaverint. Hoc refero, ut sciamus non absre vocari *arcum Elam principium fortitudinis,* quoniam scilicet eo erant superiores aliis gentibus, tametsi manus non poterant conferere, neque exertis gladiis pugnabant. Postea sequitur,

36. Et adducam contra Elam quatuor ventos à quatuor finibus cælorum, & dispergam eos ad omnes ventos istos: & non erit gens ad quam non veniat quispiam profugus (*est mutatio numeri, sed quæ sensum non obscurat: quispiam ex iis qui expulsi fuerint*) ab Elam.

Nunc addit *venturos quatuor ventos*, qui dissipent totum populum. Loquitur Deus ipse, quo vehementior sit sermo, & plus habeat efficaciæ: *Excitabo,* inquit, *quatuor ventos.* Scimus autem turbari aërem uno momento, quoties ita Deo visum est: & ubi Scriptura extollit Dei potentiam, non sine causa ventos commemorat. est enim hoc non leve miraculum, subito percelli totum orbem. Jam erit tranquillum tempus: intra dimidiam horam venti consurgent, & simul confligent in medio aëre. Alludit autem Deus ad id quod usitatum est in natura. Sicuti ergo ventos subito excitat, qui totum mundum quasi tremefaciant: ita dicit se excitaturum esse quatuor ventos à quatuor finibus mundi. Sed metaphorice hoc dicit, per Ventos intelligens hostes, qui undique vires suas conferant ad opprimendos Elamitas. *Adducam*, inquit ergo, *super Elam quatuor ventos à quatuor plagis mundi.* hac particula clarius exprimit quod nuper dixi, Deum scilicet alludere ad formidabilem potentiam, quæ quotidie perspicitur oculis in ipsa natura. Quemadmodum igitur subita mutatio totam terram conturbat ubi oriuntur venti, ita pronunciat Deus se excitaturum quatuor ventos à quatuor plagis cælorum. Plagas autem cælorum nominat, quia quamvis originem ducant venti è terra, non tamen sentitur eorum flatus, donec conscenderint usque ad medium aërem: & interdum etiam videntur fabricari venti supra nubes: oriuntur tamen è terra. nam principium ventorum est exhalatio frigida & sicca. Jam intelligimus cur Propheta

de ventis loquatur. Interea dubium est, quosnam hostes designet per quatuor ventos, quia non impletum fuit hoc vaticinium quamdiu viguit Persarum monarchia & floruit. Probabile est igitur, denunciatam fuisse cladem à Propheta, quæ multis postea seculis contigit, quum scilicet certatum fuit inter milites Alexandri de primatu. Scimus enim quam graviter afflicti fuerint omnes Orientales populi quum irrupit illuc Alexander. Fuit quidem horribilis tempestas. sed quoniam exiguo tempore potitus est imperio totius Orientis, non fuit impletum quod hic dicitur à Propheta. Sed intestinis bellis sic misere lacerata fuit illa regio, ut non abs re Propheta comparet contrarios & oppositos insultus quatuor ventis. nam nulla fuit unquam crudelior æmulatio inter hostes: & quisque habebat firmos exercitus. Hinc ergo factum est, ut non ab uno tantum hoste affligeretur terra illa, sed exposita esset variis & fere innumeris cladibus. Hæc ratio me adducit, ut vaticinium hoc interpreter de cladibus quæ sequutæ sunt mortem Alexandri magni. *Dispergam*, inquit, *eos ad quatuor ventos istos*, hoc est, prout unus ventus nunc irrumpet, nunc alter, ita etiam fugient huc & illuc Elamitæ. Neque enim diu quisquam dominatus est tranquille in Oriente usque dum fere consumpti essent omnes Alexandri milites mutuis cædibus: tunc Syriam adeptus est Seleucus, qui & ipse tyrannidem valde sævam exercuit. Sed, quemadmodum jam dixi, antequam contingeret tranquilla possessio Seleuco, tota illa pars mundi quasi sanguine exundavit. Hæc ratio est cur dicat Propheta, *ad quatuor ventos istos dispersum iri Elamitas.* restat clausula versus, *Et non erit gens, ad quam non veniat quispiam è profugis.* Non possumus certo ex historiis ostendere quando hoc fuerit completum quod dicit Propheta, sed probabile est fuisse discerptum populum illum quo tempore certarunt de primatu Proceres, qui gratia & opibus floruerant sub Alexandro, & interim nihil erit absurdi si dicamus hyperbolica loqui Prophetam: & certe modum excedit quum dicit, *Nulla erit gens ad quam non perveniat aliquis ex profugis Elam.* Intelligit quidem gentes vicinas. verum interim fieri potest, ut non confugerint ad Asiaticos, quin potius recesserint ad mare Persicum, vel ad Indos etiam. Sed diximus cur interdum admisceant hyperbolas suæ doctrinæ servi Dei, quia scilicet negotium est cum hominibus nimium tardis, & qui Deum non audiunt loquentem, & vix moventur eo fulminante. Nunc sequitur,

37. Et expavefaciam Elam coram hostibus ipsorum, & coram his qui quærunt animam ipsorum: & adducam super eos malum excandescentiæ iræ meæ, dicit Jehovah: & emittam post eos gladium usque dum consumpsero ipsos.

Hic versus præcipue demonstrat Elamitas ex eorum fuisse numero, qui immaniter sævierant contra Dei populum. neque enim frustra tantam vindictæ suæ severitatem contra eos exprimit. Tenendum igitur est, Elamitas fuisse præcipuos ex Dei hostibus, vel saltem fuisse insignes sicarios, qui sese oblectaverint cædibus: ideo dicit, Consternabo, vel expavefaciam: חתת significat conterere, & ideo posset verti, Conteram. Qui vertunt Prosternam, non videntur tenuisse quid differat verbum consternere, à consternare: sed expositio prior melius convenit, quod scilicet Deus pavorem incutiet Elamitis. antehac enim loquutus est de ipsorum fuga, & exilio. Nunc addit causam, quia scilicet *expavefaciet illos Deus, & terrebit coram hostibus suis, ut non audeant consistere.* Significat autem his verbis, utcunque bellicosi fuissent Elamitæ, non tamen staturos ubi Deus volet mercedem illis rependere, quia in ejus manu sunt corda hominum. Quamvis ergo fortes essent Elamitæ, denunciat Propheta *fore pavidos ad conspectum hostium*, ita ut illos statim dispergant, quoniam scilicet Deus ipsos terrebit. deinde adjungit, *Mittam gladium post eos.* Significat hac particula se non fore contentum pavore illo, sed ubi cœperint fugere, se deprehensurum ipsos, quoniam urgebit à tergo, dum scilicet impellet hostes ipsorum. Est autem semper hoc notandum, tribui Deo quicquid videtur ab hominibus proficisci, quoniam homines utcunque id minime cogitent, exequuntur tamen ejus consilium: & sunt non tantum ministri iræ ejus, sed etiam organa. vocat deinde *malum excandescentiæ iræ suæ*. Videtur quidem hæc loquendi ratio aspera: sed alibi diximus, Prophetas non frustra conjungere istas voces, quæ videntur quodammodo esse duriores: improprie jam tribuitur Deo ira, in quem nulli cadunt affectus. sed ubi ardor iræ & excandescentia ponitur, hoc duplicat vehementiam. nempe quo excutiat hominibus torporem, qui alioqui, ut nuper dicebam, plus æquo sunt socordes. Denique Excandescentiæ nomine Propheta nihil aliud significat, quam horribilem vindictam, & quæ debeat attonitos reddere cunctos mortales, ita ut statim quasi exanimes concidant, simulac audiunt Deum iratum. Interea autem ostendit quod dixi, Deum graviter fuisse infensum huic populo, cui extrema quæque minatur. tandem dicit, *Donec ipsos consumpsero.* Videmus quod dixi, non leviter castigatum fuisse hunc populum, sicuti aliorum facta fuit mentio. unde sequitur scelera fuisse valde atrocia. Videntur tamen pugnare hæc membra, quod disperget Elamitas Deus per omnes gentes: deinde quod ipsos consumet. dispersio enim & consumptio inter se longe differunt. Sed consumptio referri debet ad corpus ipsum gentis, vel ad nomen: quasi diceret, nullos fore apud Elamitas superstites: quia transibunt in alienum nomen, & tanquam quisquiliæ evanescent. Sequitur,

38. Et statuam solium meum in Elam: & perdam illinc Regem, & Principes, dicit Jehovah.[a]

Confirmat quod nuper de consumptione attigit: sed simul adjungit Deum ita fore vindicem, acsi tribunal ejus esset erectum in illa terra. Minatur *se perditurum Regem, & Proceres.* hæc autem est illa consumptio, sicuti exposui, nempe quamvis aliqui privati superstites sint, nullum tamen fore populi nomen, perinde acsi prorsus esset extinctum genus illud. sed etiam hæc loquutio notanda est, *quod Deus illic solium suum eriget.* Dicitur autem Deus solium suum erigere ubi regnat. Sed regnum ejus non semper accipitur in bonam partem. Proprie dicitur regnare Deus apud fideles, quos Spiritu suo gubernat: ita regnum Dei incipit, & habet suum exordium à regeneratione. Sed aliquando, ut jam dixi, dicitur Deus regnare inter inimicos, sicuti vidimus antea de Ægyptiis. Tunc ergo erexit suum solium quum memorabile judicium edidit contra Elamitas, quia etiamsi cæcutierint Elamitæ, tamen re ipsa perspicua fuit Dei potestas, & effectu probavit se esse Regem illius populi, cujus scelera tam graviter ulciscebatur. breviter, quemadmodum dicitur cessare Deus, & dormire, vel jacere, ubi non exercet suas vindictas. ita hoc loco dicitur tribunal suum erigere, ubi exercet officium ac munus judicis. Sequitur,

39. Et

39. Et erit, in posteritate dierum (*hoc est, diebus sequentibus, vel successu dierum*) convertam (*vel reducam*) captivitatem Elam, dicit Jehovah.

Hic mitigat Deus asperitatem vaticinii, quia scilicet tandem colliget aliquos ex Elamitis, & restituet ita ut rursus obtineant aliquem locum vel gradum. Non dicit *in fine dierum*, sed intelligit post multos dies. *Erit* ergo, *successu temporis reducam captivitatem Elam.* si quæratur quando hoc impletum fuerit, certe nulla fuit illius gentis restitutio, de qua loquantur historiæ. Sed minime dubium est quin Propheta hic spem faciat Elamitis quam fecit antehac aliis gentibus, nempe ut coalescant rursus sub Christo capite. Quamvis ergo Elamitæ non fuerint postea celebres, tamen senserunt hoc non frustra fuisse dictum. Nec Spiritus sanctus abs re illos recenset per os Lucæ inter alios, qui ad Christum conversi fuerunt. *Act. 2. vers. 9.* quamvis enim Elamitæ essent fere incogniti, Lucas tamen ipsos Medis & Parthis conjungit: Parthi, & Medi, & Elamitæ, inquit. hoc igitur tempus fuit de quo vaticinatus fuerat Jeremias quum diceret rursum collectum iri Elamitas, ut non perpetuo essent captivi. Quamvis autem non tunc primum fuerint reversi in terram suam, fuit tamen longe melior & optabilior status, ubi adepti sunt nomen, & locum in Ecclesia, & regno spirituali, quam si omni genere bonorum floruissent in mundo. Et scimus has partes Christo tribui, quod Deus velit colligere sub ejus manu quicquid dissipatum est & in cælo, & in terra. *Coloss. 1. vers. 20.* Pars hujus dissipationis erat Dei vindicta contra Elam. Collecti igitur fuerunt una cum aliis Elamitæ, & ita quodammodo tunc per Christum mediatorem manum illis porrexit Deus, & januam illis aperuit in spem salutis æternæ.

Da omnipotens Deus, quando homines desperatos dignatus es aliqua consolatione quum merito in ipsos ad extremum usque excandesceret: da, inquam, ut hodie quoties iram tuam accendimus, simul gustemus paternam tuam misericordiam, & discamus ad te confugere, & spem ponere in Filio tuo unigenito, ne unquam ita despondeamus animos, quin semper aspiremus ad eam collectionem, cujus hodie cernuntur initia, & cujus ultimus & perfectissimus etiam effectus nos in cælo manet per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA SEPTUAGESIMA-NONA

IN

JEREMIAM.

CAP. L.

SErmo quem loquutus est Jehovah super Babylone, super terra Chaldæorum, in manu Jeremiæ Prophetæ.

HActenus Propheta noster disseruit de vicinis gentibus, quæ crudeliter vexaverant electum populum: fuit autem hæc aliqua consolatio quum intelligerent filii Abrahæ suscipi à Deo causam suæ salutis, & illum esse vindicem tot injuriarum, quas perpessi fuerant. sed consolatio illa erat mediocris duntaxat: imo poterat frigere apud multos, quia interim nulla erat spes restitutionis: est enim illa perquam tenuis consolatio, habere plures miseriæ socios. atqui si tantum docuisset Jeremias nullos ex populis qui molesti fuerant Ecclesiæ Dei fore impunitos, interea poterant objicere Judæi se non levari à suis calamitatibus, quoniam florebat Monarchia illa Babylonis, & erant absorpti quasi sepulchro perpetuo. necesse igitur fuit prædici quod hic legimus. Etsi autem hoc vaticinium postremo loco ponitur, notandum est, Prophetam statim ab initio libere disseruisse de clade & excidio Babylonis, quod ante visum fuit. Cæterum, hæc prophetia quasi clausula libri fuit, ut mitigaret dolorem apud miseros exules, quum audirent non fore perpetuam tyrannidem; qua fuerant oppressi, & sub qua jacebant tanquam exanimes. Nunc ergo tenemus cur Propheta concionatus fuerit de Babyloniis, & eorum interitu. Cæterum longius præfari de Babylone supervacuum esset, quia satis tenent qui sunt exercitati in Scriptura, Judæos tandem afflictos fuisse à Babyloniis, ut posset videri deletum eorum nomen. Quum ergo redacti essent ad extrema, non mirum est si Propheta hic affirmet Babylonios tandem daturos pœnas, idque non tantum ut Deus ergà ipsos se ostendat scelerum vindicem, sed ut miseri exules agnoscant se non prorsus esse rejectos, quin potius Deum gerere curam salutis suæ. Nunc tenemus finem hujus vaticinii. *Sermo*, inquit, *Jehovæ quem loquutus est super Babylone, super terra Chaldæorum, in manu Jeremiæ Prophetæ.* More suo testatur se non proferre sua figmenta, sed Deum esse auctorem hujus vaticinii: interea tamen gloriatur se esse Dei ministrum, quia Deus non semper descendit è cælo quoties voluit gratiam suam patefacere Judæis, sed quemadmodum habetur Deuteronomii decimo octavo, solitus fuit loqui per servos suos. *Deut. 18. vers. 18.* In summa, Jeremias commendat quæ postea dicturus est, ut reverenter excipiant Judæi non tanquam hominis commenta, sed oracula profecta è cælo. Nunc sequitur,

2. Nunciate in gentibus, audire facite, (*hoc est, promulgate*) & tollite signum, promulgate, ne taceatis: (*ad verbum, ne occultetis*) dicite, Capta est Babylon, pudefactus est Bel, contritus est Merodach; pudefacta sunt simulachra ejus, contrita sunt idola ejus.

Non simplicibus verbis prædicit Babylonis interitum, quia nihil fuit tunc magis absurdum, quam proferre quæ tandem ipso effectu Deus comprobavit. Sed quoniam Babylon erat caput Orientis, nemo putasset fieri unquam posse ut veniret sub alienam potestatem. de Persis nemo unquam id fuisset imaginatus: erant enim remoti. quantum ad Medos spectat qui propiores erant, scimus fuisse demersos in suis lautitiis, & tantum fuisse semiviros. Quum ergo tanta esset in Madis, & fere muliebris mollities, & Persæ etiam procul abessent, & inclusi suis montibus; Babylon tranquille potiebatur imperio totius Orientis;

tis. Hæc igitur ratio est cur Propheta rem quæ poterat uno verbo breviter exprimi, pluribus amplificet: *Nunciate inter Gentes*, inquit, *promulgate, tollite signum, promulgate* rursus. quorsum ista verborum congeries? nempe ut discant fideles sensus suos attollere supra mundum, & expectare quod tunc omnium judicio incredibile erat. hæc enim securitas ostendit Jeremiam non futiliter divinare quæ profert, sed tonare quasi è cælo, quoniam scit unde acceperit hoc vaticinium. Hæc autem est promulgatio, *Babylonem esse captam, Bel confusum esse, & Merodach contritum*. Nescio cur existiment quidam Merodach secundum fuisse idolum. nam quod ad Bel pertinet, scimus Babylonios illo deo fuisse confisos, vel potius illo figmento. Sed Propheta hic potius subjicit nomen Regis, quod erat perquam celebre apud Judæos, ut ostendat Babylonem cum suis præsidiis & opibus jam devotam esse suo exitio. scimus enim homines respicere partim ad Deum, partim vero ad humana vel terrena media. ita Babylonii jactabant se esse sub tutela Bel, & audebant illud idolum Deo vivo superbe opponere, quemadmodum faciunt increduli: deinde secundo loco inebriati erant fiducia suæ potentiæ. & hypocrisis semper regnat inter incredulos, ut plus sibi multo arrogent, quam suis idolis. Perinde igitur est ac si diceret Babylonem esse captam, Bel esse confusum, & regnum esse fractum, vel contritum. Dixi nomen Merodach fuisse satis vulgatum inter Judæos, & fit mentio tam patris quam filii apud Jesaiam, & in Sacra historia. Non *Jesa. 39. vers. 1. 2 Reg. 20. vers. 12.* mirum igitur est si Propheta usurpet nomen Regis mortui, quoniam fuerat in magna existimatione, quemadmodum vidimus quum actum fuit de regno Syriæ, poni nomen Benhadad: tamen nemo quantum conjicere licet, tunc erat superstes hoc nomine: sed quoniam Benhadad suis rebus gestis ita innotuerat, ut superaret omnes alios Syriæ reges, Propheta in medio posuit illud nomen. Eadem nunc est ratio Merodach, meo judicio. Summa est, quamvis Babylon existimet se fore tutam & salvam auxilio sui idoli: deinde opibus, & bellica potentia, & aliis præsidiis quibus pollebat: fiduciam ejus fore inanem & frivolam, quoniam Deus idolum ipsum pudefaciet, & Regem confringet. deinde iterum redit ad idola, neque id absque ratione. nam hoc modo revocat ad verum Deum suos populares. deinde admonuit quam detestabilis esset idololatria quæ tunc regnabat apud Chaldæos. Opus autem fuit, Judæis proponi hanc doctrinam, & inculcari, ne scilicet sese projicerent ad superstitiones Gentium, quemadmodum factum fuit. Sed Propheta consulto loquutus est de sculptilibus, & idolis, ut scirent Judæi unicum esse Deum, qui illos adoptaverat, & ita in ejus potentia acquiescerent, ac scirent vana esse figmenta, quæ magni fiebant in toto mundo apud Gentiles & incredulos. Nunc sequitur,

3. Quoniam ascendet contra eam gens ab Aquilone, quæ ponet terram in vastitatem, & (*ut*) non sit habitator in ea ab homine usque ad bestiam: fugerunt, abierunt.

Tenendum memoria est quod nuper dixi, Prophetam pluribus verbis insistere in describendo Babylonis interitu, quia non satis erat prædicere quod futurum erat: sed quoniam vacillassent infirmæ mentes, oportuit adjungi hanc confirmationem. Postquam ergo de potentia Babylonis, & de idolis loquutus est, nunc modum designat ipsius cladis: quia scilicet veniet gens ab Aquilone, respectu scilicet Chaldææ. significat autem Medos & Persas, ut communiter sentiunt Interpretes: & hoc probabile redditur, quia paulo post subjiciet tunc venturos esse Judæos. Quoniam ergo hæc duo simul conjungit Jeremias, nempe cladem Babylonis, & restitutionem Ecclesiæ Dei, probabile est verba fieri de Medis & Persis: tamen si propius omnia expendamus, non dubium est quin longius hoc vaticinium debeat extendi: & id melius patebit ex progressu. Simpliciter nunc dicit *venturam gentem ab Aquilone, quæ ponat terram in vastitatem*. Hæc particula ostendit non posse vaticinium hoc commode restringi ad tempus quo capta fuit Babylon à Cyro. nam scimus fuisse proditam à duobus Satrapis quum diuturna fuisset ejus obsidio: & tunc epulabantur tanquam in alta pace, & fuerunt hoc modo deprehensi, ut testatur Daniel, cui subscribunt & profani Scriptores. Jam Xenophon testatur Cyrum usum fuisse magna clementia & humanitate, & ita moderatum esse suam victoriam, ut Babylon videri posset non fuisse capta: mutaverat quidem dominos, sed talis fuit mutatio, quam facile perferrent cives. atqui postea durius tractata fuit quum eam recuperavit Darius opera Zopyri: defecerat enim Babylon à Persis, & jugum excusserat: Darius quum frustra oppugnasset, tandem unius hominis opera eam recepit: Zopyrus enim absciderat sibi nasum, mutilaverat aures & genas, & hoc deformi habitu simulavit se esse transfugam, & conquestus est de sævitia & barbarie Regis sui, cui tamen erat amicissimus: urbs nocturnis insidiis paulo post capta fuit: tunc suspensi fuerunt in medio foro circiter quatuor millia Procerum, neque Darius vulgo pepercit. Videtur ergo Propheta complecti secundam illam cladem quum prædicit vastatum iri totam terram. Neque hæc ratio videri debet absurda: Prophetæ enim sic disserunt de judiciis Dei, ut longius dirigant suam doctrinam, quam ad præludia, quale fuit de quo nunc loquuti sumus. Quum ergo capta fuit Babylon à Persis, recepit jugum, & quum dominaretur aliis omnibus populis, serviliter fuit subacta. fuit enim magna truculentia in Persis, quemadmodum satis notum est, & eam vehementer exaggerat Propheta Jesaias pluribus locis. Interea, quemadmodum dixi, stetit facies urbis: spoliati fuerunt cives auro & argento, & pretiosa supellectile, necesse fuit servire exteris. fuit hoc illis acerbum: sed ubi Darius ultus est eorum perfidiam, & suspendit tot Proceres, hoc est, circiter quatuor millia, deinde promiscue fudit sanguinem populi, & urbem ipsam prædæ militum subjecit: tunc certe fuit plenius repræsentatum quod nunc dicit Propheta. Interea voluit Deus præludere huic vindictæ quum subjecit Babylonios Medis, & Persis. Nunc sequitur,

4. Diebus illis, & tempore illo, (*sed* עת *proprie significat condictum aut præfixum tempus*) dicit Jehovah, venient filii Israël, ipsi, & filii Jehudah simul: eundo, & flendo venient, & Jehovam Deum suum quærent.

Nunc Propheta consilium Dei familiarius exponit, quod scilicet tam gravem pœnam sumendo de Chaldæis, consulere velit suæ Ecclesiæ. nam si tantum loquutus esset de ultione Jeremias, poterant Judæi adhuc excipere, Hoc non admodum nobis proderit, Deum esse severum vindicem erga hostes nostros, qui manebimus sub eorum tyrannide. Propheta igitur ostendit conjunctam fore cladem Babylonis cum liberatione electi populi, & ita quasi digito monstrat cur Babylon sit perdenda, nempe in gratiam electi populi, ut ita miseri exules animos colligant, nec dubitent Deum tandem propitium

fore

fore, quemadmodum illis testatus fuerat Jeremias. nam tempus septuaginta annorum præfixerat, ut vidimus. Derisus fuit à Judæis, qui ita assueverant ad duritiem, ut pro nihilo ducerent, vel saltem pro fabula haberent omnes Dei objurgationes, & minas. deinde, vidimus ipsis delicias fuisse factas à pseudoprophetis. Nunc Jeremias promittit Deum fore ipsorum liberatorem postquam transactum fuerit exilii tempus, de quo concionatus fuerat. Itaque tenemus rationem contextus ubi Propheta postquam attigit interitum Babylonis, statim transitum facit ad Dei misericordiam, quæ se exeret erga Judæos postquam defuncti fuerint justis pœnis. *Diebus ergo illis, & tempore illo.* Adjungit tempus illud condictum, ne dubitent Judæi pessum ituros esse Chaldæos, quoniam Deus eos exitio destinaverat. Dicit, *Venient filii Israël, ipsi, & filii Jehudah simul*, ut tamen sua desideria sustineant. Hic commendat magnitudinem gratiæ Dei, quoniam longe optabilior erit Ecclesiæ conditio post exilium, quam ante fuerat. scimus enim fuisse decem Tribus divisas à regno Jehudah: dissidium vero illud perinde fuit atque laceratio corporis. Deus enim hac lege semen Abrahæ adoptaverat, ut essent unum corpus sub uno capite: ipsi autem defectionem sponte fecerant, ita ut regnum utrumque esset mutilum: regnum vero Israël esset maledictum. defecerat enim à familia Davidis: illa vero erat quædam impia Dei abnegatio. Quum ergo se alienassent filii Israël ab Ecclesia, & regnum decem tribuum esset quasi adulterinum, certe conditio eorum (quamvis pariter tam Israëlitæ, quam Judæi essent inebriati suis voluptatibus) fuit misera. Quid autem nunc Propheta noster? *Redibunt*, inquit, *uno consensu filii Israël, & filii Jehudah*, hoc est, Deus non tantum dispersionem illam colliget, sed remedium adhibebit ut nulla sit amplius dissensio: quin potius fraterna vigebit concordia inter decem Tribus & inter Jehudah, ubi Deus iterum ipsos ad se recipiet. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: ita subest tacita comparatio inter priorem statum, & inter eum quem via poterant sperare, postquam reversi fuissent ab exilio. nihil enim melius est fraterno consensu: quemadmodum
Psal. 133. vers. 1. dicitur in Psalmo, Quam bonum & quam jucundum habitare fratres simul. nam Regnum & Sacerdotium, quæ erant quasi duo pignora salutis populi, non poterant consistere, nisi Judæi simul essent concordes cum Israëlitis. diu autem fuerant alienati alii ab aliis: ita extincta fuerat præcipua Dei gratia tristi illo divortio. Nunc Propheta dicit *simul venturos:* dicit, *Eundo, & flendo venient.* posset hoc videri contrarium sententiæ Psalmi ubi dicitur, Euntes ibant, Psal. 126. vers. 6.
& flebant tanquam seminantes: venientes autem venient cum lætitia gestantes manipulos suos. Propheta hic dicit *venturos esse cum lachrymis.* quomodo hæc inter se conveniunt? nempe possumus lachrymas accipere, quæ præ gaudio manabant, vel præ admiratione. scimus enim lachrymas erumpere non tantum ex tristitia, sed etiam ex gaudio: deinde ubi aliquid inopinatum nobis accidit, etiam defluunt ex oculis lachrymæ. possumus ergo sic accipere Prophetæ verba, venturos esse flendo, quia tunc sentient Deum sibi esse misericordem. Verum quia magis simpliciter ad mœrorem referre libet, poterunt conciliari hæc duo inter se, quod venturi essent Judæi cum gaudio, & simul cum tristitia, non solum quia non poterat tam cito obliterari ex eorum animis memoria exilii: sed quia scelerum suorum reminisci oportuit: videbant Templum dirutum, terram vastatam, quæ spectacula extorsissent centies lachrymas etiam durissimis. ab una igitur parte materia gaudii data illis fuit: interea scimus fuisse lachrymatos. & Propheta etiam Haggai hoc satis clare Hagg. 2.
exprimit, quod senes, qui viderant prius Templum, animos despondebant; quia nullus erat talis splendor, qualem ante conspexerant. Quicquid sit, Propheta significat, quamvis non careat reditus multis molestiis, Judæos tamen venturos esse. Dicit, *Venient veniendo*, hoc est, proficiscendo proficiscentur, *& flebunt*, quemadmodum dicitur in alio Psalmo Psal. 84. vers. 7.
venturos per loca deserta & arida. Sensus igitur est, quamvis arduum sit & laboriosum iter, Judæos tamen alacriter redituros in patriam, ut nulli labores ipsos fatigent, quin pergant in suo itinere. Adjungit quod præcipuum erat, nempe *venturos ut quærant Deum suum:* alioqui inutilis fuisset loci mutatio, nisi venissent animati ad Deum colendum. cultus enim Dei cessaverat exilii tempore, quemadmodum in alio Psalmo rursus dicitur, Quomodo Psal. 137. vers. 4.
cantabimus cantica Deo nostro in terra aliena? Ergo Propheta hic admonet, solidam & perfectam fore Dei gratiam, quia non tantum redibunt in patriam Judæi, ut ea potiantur, sed ut illic rursus erigant Dei cultum, & habitent quasi sub ejus custodia. Sequitur,

5. Sion interrogabunt viam, *(hoc est, interrogabunt de via, versus Sionem)* illuc facies eorum: Venite, & copulate vos Jehovæ fœdere perpetuo, quod oblivione non delebitur. *(subaudiendum est relativum pronomen, quod omissum est.)*

Seipsum pluribus verbis explicat, quod scilicet *interrogabunt obvios de via, quod facies ipsorum erunt defixæ versus Sionem*, quod etiam se mutuo cohortabuntur, ut Deum requirant, & sese ei adjungant fœdere perpetuo. nam utrumque membrum hic complectitur Propheta, quod scilicet Judæi cum Israëlitis non tantum in patriam redibunt, ut percipiant fructus opimæ & fœcundæ regionis, sed etiam ut Deo exhibeant debitum cultum: deinde nihil illis tam fore molestum quin superent omnes difficultates, & omnia obstacula. Primo dicit *interrogaturos de via:* hoc signum est perseverantiæ. *Sionem interrogabunt*, hoc est, interrogabunt qua eundum sit, ut perveniant Sionem. Quemadmodum jam dixi, his verbis Propheta designat constantiam, & studium infatigabile: quasi diceret, Quamvis iter facturi sint per incognitas terras, imo per multa loca devia, minime tamen fractum iri, quo minus interrogent quosque obvios, donec pervenerint Sionem. hoc est unum: deinde eodem sensu adjungit, *Illuc facies eorum.* Scimus enim sæpe mutari consilia ubi res adversæ nos impediunt. nam qui suscepit aliquam expeditionem, si videat iter sibi esse nimis difficile, retro cursum flectit. Propheta autem testatur nullam fore pœnitentiam, quæ Judæos avertat à reditu, *quoniam facies eorum erunt versus Sionem*, hoc est, oculos suos illuc convertent & conjicient, neque poterunt alio deflecti. Tertio adjungit exhortationis formam, *Venite, & copulabuntur Jehovæ Deo ipsorum fœdere perpetuo.* Hic Propheta primum ostendit Judæos ita animatos fore, ut alii aliis stimulos addant, & huc pertinet verbum *Venite.* deinde adjungit, *Adhærebunt* (illic est mutatio personæ) *ut adhæreant*, inquit, *Jehovæ fœdere perpetuo, quod oblivione non delebitur.* Iterum repetit quod dixerat, nempe non redituros esse in patriam exules ut tantum illic delicientur, sed proponit alium finem, ut scilicet Deo se conjungant. denique significat aliquid melius & præstantius Deum illis daturum, quam ut alliciat eos terrenis voluptatibus. Sed notandum est quod dicit, *Ut adhæreant* (adhærebunt, ad verbum) *Jehovæ fœdere perpetuo.* subest enim antithesis inter fœdus quod irritum fecerant, & fœdus novum, quod Deus cum ipsis paciscetur, de quo loquutus est Jeremias

remias cap. 31. fœdus quidem Dei sua natura semper fuit inviolabile: neque enim ad certos annos promisit se fore Deum Abrahæ: sed adoptio illa, quemad- Rom. 11. vers. 29. modum testatur Paulus, sine manet, neque unquam mutari potest. ergo ea parte Dei fœdus erat æternum: sed quia fœdifragi fuerant Judæi, ideo vocatur fœdus illud fragile. & hac ratione dicebat Pro- supra 31. v. 31, 32. pheta, Ultimis diebus fœdus feriam vobiscum non quale pepigi cum patribus vestris: ipsi enim irritum fecerunt, inquit. Idem nunc quamvis brevius repetit Jeremias, nempe Judæos in gratiam redituros cum Deo, non ad momentum duntaxat, sed ut semper vigeat fœdus ejus: ratio autem exprimitur illo supra 31. vers. 33. 31. capite, quia Deus Legem suam inscribet visceribus ipsorum, & insculpet in corda eorum. neque enim est in hominum arbitrio præstare se ita constantes, ut nunquam intercidat Dei fœdus: sed quod hic subjicit Propheta petendum ex illo superiore loco, nempe quum Judæi reversi fuerint, sic de integro validum fore & firmum erga ipsos Dei fœdus, ut nunquam possit intercidere, nempe quia renovabuntur ipsorum corda, ut fidem Deo servent, neque sint amplius apostatæ, quemadmodum ipsorum patres. Postea adjungit, *Non tradetur oblivioni fœdus illud.* unde colligimus, perpetuitatem de qua loquutus est, fuisse fundatam potius in mera Dei benevolentia, quam in ipsius populi virtute. Fœdus ergo perpetuum vocat, cujus nunquam obliviscetur Deus, quia scilicet recordabitur suæ misericordiæ erga electum populum: & quamvis indigni sint quos complectatur tanta gratia, & quos respiciat, tamen ut continuet suam misericordiam perpetuo usque ad Christi adventum. nam hic locus jam clare ostendit non posse aliter exponi hoc vaticinium, quam de spirituali Christi regno. Reversi quidem erant Judæi in patriam: sed erat exigua manus duntaxat. deinde vexati fuerant multis molestiis: Deus etiam affligerat eos terræ sterilitate, fuerunt etiam attriti variis cladibus bellorum. quomodo igitur Prophetæ ita extollunt tantopere gratiam Dei, quæ non ita resplenduit in illo populo? nempe quia comprehendunt Christi regnum: quoties enim de reditu populi verba faciunt, transcendunt usque ad præcipuam liberationem, quemadmodum diximus. Interea non sequor nostros Interpretes, qui allegorice exponunt tantum hæc vaticinia de spirituali Christi regno. simpliciter enim (vel secundum literam, ut loquuntur) debent sumi hæc verba, quod Deus nunquam tradet oblivioni fœdus suum, quia scilicet retinebit Judæos in possessione terræ. sed hoc esset nimis exile, nisi prodiret in medium Christus in quo fundata est vera fœderis perpetuitas, quia fœdus Dei non potest separari à felici statu: Beatus enim populus cui Deus ostendit se esse in Deum, ut dicitur in Psalmo. Psal. 144. vers. 15. nunc ergo quum tam miseri fuerint Judæi, sequitur non palam apparuisse, vel non conspicuum fuisse Dei fœdus. Ergo ad Christum usque transcendere necesse est, quemadmodum alibi vidimus hunc tritum esse morem Prophetis. Nunc ingreditur Propheta novum argumentum:

6. Grex perditus fuit populus meus, pastores eorum errare fecerunt ipsos, per montes abierunt, à monte in collem profecti sunt, obliti sunt accubitus sui. (*sed quia sonat horologium hic subsistam.*)

Da omnipotens Deus, ne inebriemur suavitate terrenæ benedictionis qua nos assidue prosequeris, sed discamus conscendere ad spem vitæ cælestis & beatitudinis æternæ: & interea sic gustum percipiamus omnium bonorum, ut discamus te esse unicum hunc fontem omnis felicitatis, ut tibi sincero corde, & perfecta integritate adhæreamus, donec tandem colligamur ad fruitionem illius regni, quod nobis peperit sanguine suo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA

IN

J E R E M I A M.

COmparat sexto versu Propheta Dei populum gregi perdito. dicit ergo Judæos *vagatos fuisse per montes, & profectos à monte in collem.* culpam rejicit in pastores, à quibus miser ille populus abductus fuerat in errorem. interea Deus non extenuat culpam populi, neque hoc consilio pastores accusat, acsi eorum scelus & perfidia populum absolveret: sed potius magnitudinem gratiæ suæ commendat hac circumstantia, quod misertus fuerit gregis perditi, & desperati. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem quum in persona Dei sic loquitur, *Populus meus fuit grex perditionis, & pastores seduxerunt eum, per montes errare fecerunt à monte in collem.* dicit *oblitos fuisse accubitus*, quia ubi nulla est certa statio, oves non habent locum ubi quiescant. scimus greges reverti ad suas caulas sub vesperum. Sed Propheta dicit Judæos quo tempore fuerunt dissipati, oblitos fuisse accubitus, quia scilicet nullum erat illis certum hospitium. Postea sequitur,

7. Omnes qui invenerunt eos comederunt, & adversarii eorum dixerunt, Non peccamus, quia scelerati fuerunt contra Jehovam: habitaculum justitiæ, & expectatio (*vel spes*) patrum ipsorum Jehovah.

Prosequitur Jeremias eandem doctrinam. narrat enim quam misera fuerit populi conditio donec cum respexit Deus ut succurreret ejus malis. Hæc enim comparatio, ut nuper dixi, magis illustrat Dei gratiam, quod scilicet populum suum quasi ab inferis excitaverit, quum esset usque ad desperationem afflictus. Primo dicit, *Quicunque invenerunt ipsos vorarunt*, hoc est, quicunque ipsos nacti sunt, putarunt sibi paratam esse prædam. denique significat expositos fuisse obviis quibuslibet: deinde hostes adeo illis non pepercisse, ut gloriarentur in sua sævitia. ideo adjungit *hostes eorum dixisse, Non peccamus, quia scelerati fuerunt in Jehovam:* quibus verbis intelligit Propheta eo majore licentia grassatos fuisse hostes, quia putabant se id impune facturos. Similis fere est sententia 11. cap. Zachariæ, ubi sic legitur, Quicunque Zach. 11. vers. 5. que comederunt ipsos non peccarunt, & qui ipsos vorabant dixerunt, Benedictus sit Dominus qui nos ditavit. sed propius expendere convenit Spiritus sancti consilium. Ostendit quidem Propheta Judæos ad extrema fuisse redactos, ut non tantum crudeliter afflicti fuerint à suis hostibus, sed cum maxima contumelia.

tumelia. interea tamen admonet ut resipiscant, quia quum totus mundus ipsos damnaret, non fuit consentaneum ut Deus non vocaret eorum scelera ad rationem. Quum ergo statuit cunctos mortales ipsis judices, oblique eos perstringit, & stimulat eorum conscientias, ut sciant tandem sibi negotium fore cum Deo. quum ergo dicit Zacharias, Qui ipsos vastarunt dixerunt, Benedictus sit Dominus, significat populi scelera adeo manifesta esse omnibus, ut profani etiam quique ipsos extrema pœna dignos judicent. nam his verbis, Benedictus sit Dominus qui nos ditavit, intelligit profanos homines, quum Judæos ita spoliaverint & diripuerint, adeo non iri tactum ullo pudore, ut potius superbiant, quasi è manu Dei essent locupletati illa præda: sic etiam hoc loco, *Quicunque invenerunt eos comederunt, & hostes eorum dixerunt, Non peccamus.* quare? *scelerati enim fuerunt in Jehovam.* Denique intelligit Propheta Judæos non tantum hostium rapacitati, & avaritiæ, & crudelitati fore obnoxios, sed maximis quibusque contumeliis. Interea ipsos hortatur ad pœnitentiam. si enim ita damnantur totius mundi judicio, absurdum est non attollere mentes ad cæleste Dei tribunal. Nec mirum est quod increduli nomen Dei usurpant: hoc enim satis tritum est omnibus Prophetis. & valuit semper illud principium apud cunctas gentes, Esse aliquod supremum numen. quamvis enim sibi fabricarent varios deos, tamen omnibus persuasum erat, esse aliquem summum Deum. ita nomen Jehovæ fuit commune omnibus populis: & hoc sensu etiam nunc inducit Chaldæos loquentes Propheta noster, *quod Judæi scelerate egerint contra Jehovam.* non quod tribuerent vero Deo suum honorem, sed quia infixa erat illa opinio in omnium animis, esse aliquem Deum, quem confuse omnes colerent; cuique placebat sua religio, sed confuse interea putabant se Deum colere. Quod sequitur sic exponunt Interpretes, acsi Propheta in persona hostium vellet exaggerare electi populi crimen. conjunctim ergo legunt, Scelerati fuerunt contra Jehovam, qui habitaculum est justitiæ, & spes Patrum ipsorum semper fuit. Si recipimus hunc sensum, non mirum erit amplificari crimen, quod Judæi non incognitum aliquem Deum, vel cujus gratiam & virtutem non essent experti deseruerint, sed quod fuerint perfidi erga Deum, qui tot documentis testatus fuerat paternum erga ipsos amorem. fuit igitur eo magis detestabilis impietas, quod ita ausi sunt Judæi à vero Deo deficere. Sed mihi placet diversus sensus, nempe quod Propheta excipiat, mandato Dei decipi hostes, dum ita secure proculcant electum populum, & existimant sibi omnia licere. Non dubito igitur quin Propheta licentiam illam de qua loquutus est, nunc cohibeat: quasi diceret, Putatis hunc populum penitus à me rejectum esse, & ideo nullus est sævitiæ vestræ modus: atqui sic eum adoptavi, ut non possit unquam irritum esse fœdus meum. Simili exemplo melius intelligemus quid sibi velit Jeremias. nam quum
Jesa. 37. vers. 24. respondet Jesaias regi Ezechiæ Deum fore custodem Urbis, ubi recitavit verba Sennacherib, vel Rapsacæ, qui pertulerat ejus mandatum, dicit, Atqui non cogitat quod fundaverim Sion. Correctio illa mihi prorsus videtur similis huic loco. nam dicebat Sennacherib, Ascendam, & potiar tam Urbe, quam Templo: denique triumphos suos agebat tanquam victor. Deus autem ex opposito compescit fiduciam illam his verbis, Atqui nescit impius iste & superbus hostis me creasse Sion, & ab initio esse ejus opificem: an ego igitur nunc adducerem super eam tantam cladem, ut prorsus excideret ejus memoria? quemadmodum multæ urbes perierunt, & nullus est locus tam illustris, qui non possit aliquando intercidere: diversa autem est conditio sanctæ Urbis, inquit Deus: & adjungit rationem, quod scilicet creaverit ipsam. Ita hoc loco, *Jehovah est habitaculum justitiæ, & spes Patrum ipsorum,* nam ex re præsenti fere semper judicium faciunt Dei hostes, quia in rebus prosperis tanta superbia inflantur, ut audeant suas blasphemias proterve evomere contra Deum. Nam quamvis ita loquuti fuerint Chaldæi se non peccare, quoniam Judæi scelerati fuerant, minime tamen dubium est, quin adversus Deum ipsum lascivierit eorum jactantia, quemadmodum illic dicitur, Contempsit te, & derisit, & protraxit linguam contra te virgo filia Sion; *Jesa. 37. v. 22. 23.* me, inquit, Deum exercituum contempsit. Significat illis verbis se fuisse derisum in persona Ecclesiæ suæ. Hac igitur ratione nunc prodit in medium ipse Deus, & pronunciat se esse habitaculum justitiæ, & spem electi sui populi, nempe ut desinant Chaldæi promittere sibi omnia prospera in perpetuum tempus. Videmus ergo sententias istas potius inter se opponi, quam sermonem contexi in persona impiorum. Hactenus loquuti sunt Chaldæi, Non peccamus, quia scelerati fuerunt contra Jehovam. Nunc Propheta exurgit, & ostendit ipsos falli si existiment fœdus Dei esse abolitum, quia ad tempus populum suum castiget: quemadmodum etiam alio Jesaiæ loco *Jesa. 14. vers. 32.* dicitur, Quid referent nuncii Gentium, vel quid narrabitur Gentium legatis? quod Deus fundaverit Sion. Ubi loquutus est de populi & Urbis liberatione subjicit illud epiphonema, nempe memorabile fore beneficium, cujus fama celebrabitur apud omnes populos, Deum scilicet fundasse Sion, quod mirabiliter erepta esset quasi à præsenti interitu. Primo vocat *Deum habitaculum justitiæ*, ubi meo judicio alludit ad tabernaculum: & clarius deinde exprimit, *Deum esse spem Patrum.* Indigni quidem erant Judæi, quos Deus protegeret, sed non agitur hic de ipsorum meritis, sed potius Deus ipse asserit fœderis sui perpetuitatem, & constantiam fidei adversus impios. Nam quum Chaldæi jam potiti essent maxima parte regionis, & expugnassent omnes urbes præter Jerosolymam, putabant populum illum à Deo suo esse derelictum. hoc autem vergebat in opprobrium ipsius Dei. Ergo hic pronunciat, quamvis scelerati sint Judæi, tamen fœdus suum non ideo extinctum esse, *quia sit habitaculum*, hoc est, quia sit illis instar refugii. Vocat autem *habitaculum justitiæ* habitaculum firmum aut fidele. Justitia enim hic non accipitur proprio sensu, sed quemadmodum pluribus Scripturæ locis significat firmitatem, vel rectitudinem; quasi diceret, Deus semel extendit alas suas, ut foveat populum suum, quemadmodum alibi dicitur: ergo semper erit habitaculum fidele. Deinde fuit spes Patrum, sicuti apud Jesaiam dicit *Jesa. 37. vers. 26.* se creasse Sion jam à tempore antiquo. Renovat enim fœderis sui memoriam: quasi diceret, Non hodie primum hunc populum complexus sum meo favore, sed pepigi fœdus meum cum patre ipsorum Abraham, quod manebit stabile. sic etiam hoc loco dicit *se fuisse spem Patrum*, quoniam adoptaverit totum genus Abrahæ, & prosequutus fuerit suam misericordiam per singulas ætates. Ergo tacite infert Propheta fieri non posse, ut hostes in perpetuum potiantur imperio, quia Deus ubi populum suum castigaverit, incipiet rursus colligere dispersionem, & ita mederi omnibus malis. Hinc autem colligitur utilis doctrina, quoties Ecclesia sic videtur oppressa ab hostibus, ut nulla spes sit restitutionis, semper hoc nobis esse proponendum: quia Deus eam semel elegit, fieri non posse, quin fidem suam declaret etiam in morte ipsa, & excitet è sepulchro eos qui jam visi sunt computruisse. Veniat igitur nobis in mentem hic locus, ubi Ecclesiæ clades minantur ultimam ruinam, & nihil præter materiam desperationis nobis occurrit: ubi etiam hostes ipsi insolenter sibi omnia arrogant, & jactant nos esse maledictos: Atqui *Deus est habitaculum justitiæ, & spes Patrum;*

nempe ut recumbamus in eam gratiam, quam semel pollicitus est, quum nos dignatus est sibi eligere, & adoptare in populum peculiarem. hæc est summa. Sequitur,

8. Fugite è medio Babylonis, & è Chaldæa egredimini, & sitis tanquam hirci ante gregem.

Confirmat hic versus expositionem quam attuli. Deus enim jam populum non objurgat, neque invebitur in eorum scelera: sed potius hortatur ad bene sperandum quamvis sint extremis miseriis obruti. Prosequitur ergo eundem sermonem quum jubet *fugere è Babylone, & egredi ex Chaldæa.* ubi liberationem promittit fidelibus, & simul admonet instare exitium Chaldaico imperio, ita ut qui longissime aberunt, optime sibi consulant. Significat enim Propheta, quicunque in Chaldæa reperientur, fore expositos violentiæ hostium: ideo jubet, *cito fugere & egredi.* sed quemadmodum nuper dixi, promittit liberum exitum Judæis, quia frustra hortatus esset ad discessum si inclusi fuissent, quemadmodum scimus constrictos fuisse quasi claustris. Si ergo fuissent ita captivi, non sine ludibrio sic loquutus esset Propheta, *fugite & egredimini.* Sed ostendit non fore perpetuam ipsorum captivitatem, quia Deus perfringet omnia obstacula, ut pateat miseris exulibus reditus in patriam. Jubet *esse tanquam hircos ante gregem*, ubi significat festinandum esse summo studio. Nam hirci prædíti sunt majore fiducia, quam oves, ideo gregem præcedunt, quia scilicet nullus metus eos retinet. Sic Deus eximit omnem metum periculi Judæis quum jubet *esse tanquam hircos ante gregem:* quasi diceret non esse amplius metuendum, ne Chaldæi de ipsis pœnas exigant si professi fuerint sibi fuisse animum redeundi in patriam. Fuisset enim capitale, verba facere de reditu quantisper Chaldæi dominati sunt Judæis. Nunc autem Deus promittit mutationem rerum ubi excutit terrorem, quo fuerant ad tempus retenti. Sequitur,

9. Quia ecce ego excito (*excitans, ad verbum, & adducens*) & adduco super Babylonem congregationem gentium magnarum è terra Aquilonis, & ordinabunt contra eam: (*aciem scilicet*) inde capietur. sagittæ ejus tanquam fortis prudenter agentis, (*alii vertunt orbantis, quia punctum alii locant in sinistro cornu, alii vero in dextro. שכל significat prudenter agere, vel prosperari: שכל significat orbari: sed potius eorum sententiæ subscribo, qui vertunt prudenter agentis, quia continuo post subjicitur*) non redibit frustra.

Hic rursus pronunciat Deus venturos hostes, qui pessundent monarchiam Babylonis. sed clarius exprimit quod ante brevius attigerat. Primo enim dicit se fore ducem illius belli, Persas & Medos militaturos esse sub suis auspiciis: *Ego*, inquit, *sum*, (nam pronomen אני emphatice hic legitur:) *ego sum*, inquit Deus, *qui excito & adduco.* postea adjungit *congregationem gentium magnarum*: quia Chaldæi, ut scimus, devoraverant multa regna: nam Babylon subjugaverat omnes vicinas gentes. Nisi ergo hoc diserte fuisset expressum, poterant spernere minas Propheticas. Sed hic loquitur Jeremias de congregatione magnarum gentium, ne Chaldæi sua potentia, & monarchiæ amplitudine, & copia etiam hominum freti, sibi victoriam promittant, & ita indormiant suæ felicitati. Deus ergo his verbis breviter significat sibi præsto vel ad manum fore qui & numero hominum, & potentia superent Chaldæos ipsos. Postea adjungit, *Ordinabunt contra eam.* hic supplendum est aliquid, nempe quod aciem instruent. Hoc autem verbo Propheta exprimit fiduciam Persarum & Medorum, qui statim parati erunt ad conflictum: non diu consultabunt, sed prosilient celeriter ad manus conferendas. Denique hoc ad celeritatem, & audaciam Persarum & Medorum refertur quum dicit, *Ordinabunt contra eam.* nam qui viribus suis diffidunt, captant loca opportuna, vel insidias componunt, vel ad tempus subsidunt donec exploraverint omnia hostium consilia. Propheta dicit Persas minime tales fore, quia primo impetu sese parabunt ad prælium, & habebunt instructam aciem contra Babylonios. Sequitur, *Inde rapietur Babylon* משם significat ab eo loco. Sed Propheta intelligit uno tantum prælio sic victores fore Persas, ut Chaldæi amplius non audeant quicquam movere. Scimus enim, etiam qui semel profligati sunt, rursus novas copias sibi parare, & instaurare bellum: hoc quidem fieri solet, & raro accidit ut uno prælio quispiam fuerit victus. Propheta autem hic affirmat Babylonem captum iri uno momento: Simulac hostes constiterint, inquit, non modo erunt superiores, sed uno impetu capient Babylonem, ita ut sit captiva. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Minime autem dubium est, quin ab incredulis fuerit derisum hoc vaticinium, quia visus est concionari de re impossibili: ita surdis cecinit fabulam. Sed Deus tamen non temere prædixit Babylonem captum iri, ita ut quasi momento veniat sub hostium potestatem. Diximus autem heri diu fuisse obsessam, & tandem fuisse captam nocturnis insidiis. sed simul etiam diximus non ad unum diem restringi hoc vaticinium. Sæpius enim Babylon capta fuit: & capta fuit industria Zopyri, ut heri etiam diximus, quum putaret se parem esse ad resistendum jam enim fere desperaverat Darius. Nihil igitur reperiemus absurdum in hoc vaticinio, si consideremus quanta fuerit populi illius, & quam supina securitas, quum repente oppressus fuit. Nunc adjungit, *Sagittæ ejus tanquam viri fortis:* qui vertunt Orbantis, intelligunt sagittas Persarum fore mortiferas vel lethales. Atqui contextus non respondet. additur enim quasi explicationis vice, *non revertetur frustra.* Ergo videtur per hoc participium notare Jeremias dexteritatem: quasi diceret tam peritos fore sagittandi Persas, ut nullam sagittam frustra emittant: quemadmodum jaculatores qui sunt exercitati in ea arte semper hostem suum recta impetunt, neque projiciunt frustra sagittas in hanc vel illam partem. Sic ergo dicit Propheta sagittas Persarum fore tanquam hominum prudenter jaculantium, hoc est, qui sciunt dirigere suos ictus. Vocat etiam ipsos *fortes*, vel robustos. Nam non satis esset sagittas recta in hostem tendere, nisi etiam accederet vis & robur. Sagittæ enim poterunt aliquem attingere, sed non penetrabunt in ejus corpus, imo vix cutem lædent. Sed Propheta utrumque exprimit, nempe quod sagittæ valido impetu ferient Chaldæos & confodient, deinde quod recta semper incident, ita ut nullus ictus sit inutilis. Postea sequitur,

10. Et erit Chaldæa in prædam; quicunque prædati fuerint ipsam, saturabuntur, dicit Jehovah.

Hic

Hic adjungit effectum victoriæ, quo melius confirmet quod dixit. nam fieri interdum potest, ut qui victi sunt confugiant in suas urbes. vastabitur quidem regio, sed hostes discedent cum sua præda. Hic autem Propheta dicit totam Chaldæam fore expositam prædæ. Adjungit præterea, *prædones iri satiatum:* quasi diceret, Non tantum rapient hinc inde hostes, ut interdum contingit, quod occurret ipsis ad manum, sed ad satietatem usque coacervabunt omnes thesauros Chaldææ. Denique significat Chaldæam exinanitum prorsus iri: quia hæc inter se opponi debent, *saturos fore hostes*, Chaldæos vero prorsus egenos. Saturitas ergo de qua loquitur Propheta, significat Chaldæos redactum iri ad ultimam inopiam. Sequitur,

11. Certe lætati estis, (*in futuro quidem tempore, lætabimini*) & exultabitis quum diripietis hæreditatem meam: multiplicabimini (*hoc est, augescetis*) tanquam vitula herbæ, (*quidam existimant poni pro* דשאה, *alii vertunt herbificatam, ut sit adjectivum: quanquam alii deducunt à* דוש. *postea adjungit*) & hinnietis ut equi fortes. (*vel mugietis tanquam tauri, ut alii vertunt. nam* אבירים *aliquando vocantur tauri, aliquando equi fortes. jam* צהל *significat vociferari: sed interdum accipitur pro hinnire, quemadmodum vidimus capite quinto, Quisque adhinnit uxori proximi sui, quum Propheta invectus est in libidines populi. qui vertunt, tauros, coguntur etiam mutare verbi significationem: mugitus enim non hinnitus tauris convenit. Nunc veniamus ad summam. sed debet contexi proximus versus*)

12. Pudefacta est mater vestra valde, erubuit genitrix vestra: ecce postremum gentium, desertum, vastitas, solitudo.

Hic significat Deus quamvis proterve ad tempus exultent Chaldæi, lætitiam tamen ipsorum non fore diuturnam. Et simul causam interitus ipsorum notat, quod scilicet tam insolenter sese gesserint adversus Dei populum. Dicit igitur priore membro, *Exultastis, & lætati estis rapiendo hæreditatem meam:* postea, *saginati estis* (Multiplicari enim hic accipitur pro saginari) tanquam vitula quæ bene pasta est: deinde, *adhinnistis tanquam equi fortes.* Duabus autem de causis necesse fuit, Prophetam ita loqui. vix enim credibile erat, posse Chaldæos post tot ac tam insignes victorias conteri & prosterni à novis hostibus. Nam terribiles erant toti mundo, subjugaverant omnes vicinos, extenderant huc & illuc suos fines: perinde igitur erat acsi nidum suum locassent in nubibus. Ergo Propheta hic dicit, quamvis exultent & effreni gaudio sese efferant, tamen illud non fore diuturnum, quia pudefient tandem. hoc est unum. Secunda autem ratio cur Prophetam sic loqui oportuerit, hæc est, quod Deus testatum esse voluit populo suo, quamvis permitteret tantum licentiæ Chaldæis, tamen non abjecisse fœderis sui memoriam: & ideo retinet nomen Hæreditatis. Quamvis ergo in speciem populi calamitas, esset quædam abdicatio acsi nihil amplius negotii Deus cum ipso habere vellet, tamen dicit esse suam hæreditatem: & ita ostendit Deum specimen editurum suæ gratiæ erga Judæos, ubi ita severe Chaldæos affliget. Hæc igitur ratio est cur dicat *rapiendo hæreditatem meam vos lætati estis, sed mater vestra pudefacta est.* Hic plus exprimit quam si dixisset, Tandem jacebitis confusi pudore: sed nominat ipsorum matrem, nempe ut significet interitum totius illius Monarchiæ, quæ adeo terribilis fuerat omnibus vicinis.

Da omnipotens Deus, quando non desinimus iram tuam quotidie in nos tot sceleribus provocare, ut saltem audacter ad tuam misericordiam confugiamus: & quamvis nos visus sis ad tempus abjicere, tamen ne abjiciamus spem quæ fundata est in æterno tuo verbo, sed freti eo Mediatore, in quo reperimus semper pretium expiationis, non dubitemus te invocare Patrem: & interea experiamur te erga nos talem, ut alacrius aspiremus ad hæreditatem cælestem, quæ nobis parta est ejusdem Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-PRIMA

IN

J E R E M I A M.

Expofuimus heri cur Propheta denunciet pudorem, & opprobrium Babyloniis, quia scilicet petulanter insultaverant filiis Dei. Dicit autem fore Babylonem *extremitatem gentium.* floruerant potentia, & opibus Chaldæi, & tenuerant monarchiam Orientis. Fuit igitur hæc admirabilis conversio, quod redacti sunt ad extrema; ut scilicet essent quasi fæx omnium gentium. Postea subjicit fore *terram squalidam, desertum, & solitudinem*, eodem sensu. Nunc sequitur,

13. Ab indignatione Jehovæ non habitabitur, (*hoc est, præ indignatione, aut propter indignationem*) & erit vastitas tota: quisquis transierit per Babylonem stupebit, & sibilabit super omnibus plagis ejus.

Iterum repetit Jeremias cladem Babylonis fore testimonium justæ Dei vindictæ, quia injuste sævierant Chaldæi contra Ecclesiam. Sed videtur etiam consulto proponere Dei nomen, ut vaticinium facilius recipiant fideles. Nam si humanitus tantum reputassent quæ dicebat Jeremias, vix poterant habere fidem ejus verbis, quia res non poterat capi hominum sensu. Ergo statuit Dei indignationem, ut fideles sentiant perperam fieri judicium de clade Babylonis ex præsenti intuitu, quia Deus illic præter communem modum operabitur. Dicit *fore vastitatem, ut quisquis illac transierit obstupeat*, & tamen non misereatur. Hæc loquutio frequenter occurrit apud Prophetas, ubi volunt describere vastitatem quæ superat communem sensum. Interea notanda est conjunctio, quod stupor nullam misericordiam afferet, sed potius ludibrium, quod Sibilandi verbo denotat Propheta. Postea sequitur,

 14. Ordi-

14. Ordinate contra Babel per circuitum: quicunque tenditis arcum, projicite (*vel jaculamini*) super eam, (*contra eam*) ne parcatis sagittæ: quia contra Jehovam scelerate egit.

Nunc Propheta sermonem convertit ad Medos & Persas, & illos instigat Dei nomine ad perdendam Babylonem. Diximus autem cur Prophetæ sumant sibi imperium contra omnes gentes, nempe ut ostendant conjunctam esse Dei potentiam cum verbo. Neque enim facile apprehendunt homines efficaciam verbi Dei, & existimant frustra verberari aërem inani sonitu: iden Prophetæ ostendunt Deum habere manum extentam quoties loquitur, ita ut nihil frustra proferat. Hac igitur ratione Jeremias nunc, sicuti antea, Persis & Medis præcipit, ut strenue se gerant in expugnanda Babylone. Dicit igitur primo, *Ordinate*, nempe prælium vel oppugnationem: ordinate igitur *contra Babel.* deinde, *per circuitum*, ita ut nullum effugium illis pateat. Dicit, *quicunque tenditis arcum*, quia illa militandi ratio trita erat Medis & Persis, quemadmodum alibi visum est: & populi Orientales adhuc sequuntur morem illum. jaculis enim potius impetunt hostem, & agitant sese in varias partes: non exercent statariam militiam. Postea dicit, *projicite*, vel jaculamini, *ne parcatis sagittæ.* est enallage numeri, quia singularis pro plurali accipitur. Addit rationem, *quod scelerate egerint contra Deum.* Etsi autem multiplex erat iniquitas Babylonis, minime tamen dubium est, quin Deus hic suscipiat causam Ecclesiæ suæ. Ergo inter omnia scelera hoc præcipuum fuit, quod Chaldæi oppresserant Dei Ecclesiam. scimus enim tanto favore Deum prosequi filios suos, ut quisquis eos læserit, tangat pupillam oculi ejus, quemadmodum alibi testatur. Hunc igitur singularem amoris effe- *Zach. 2.*
ctum exprimit Jeremias quum dicit *Chaldæos scelerate egisse contra Jehovam*, quia scilicet tyrannide *vers. 8.*
oppresserant Ecclesiam ipsius. Deus autem nihil vult habere à filiis suis separatum. Hinc colligitur utilis doctrina, tam pretiosam esse Deo salutem Ecclesiæ, ut sibi existimet fieri injuriam, quæ infertur fidelibus: ita non est cur adeo torqueamur, quum impii nobis molesti sunt, quia tandem re ipsa ostendit Deus salutem nostram sibi non minus charam fuisse, quam sunt hominibus proprii oculi. Postea sequitur,

15. Vociferamini contra eam per circuitum: dedit manum suam: cecidere fundamenta ejus, diruti sunt muri ejus, quia ultio Jehovæ hæc. ultionem sumite de ea: quemadmodum fecit, facite ei.

Pergit Jeremias in exhortandis Persis ac Medis, non quod unquam apud ipsos verba fecerit, sed hæc ratio loquendi, ut dictum fuit, valere debuit ad confirmandos piorum animos, ut certo statuerent, quæ prædicta erant per os Jeremiæ, non esse vana. Hic ergo sumit personam ipsius Dei, & pro imperio mandat Persis ac Medis quid facturi sint. Iterum dicit, *Clamate contra eam.* per Clamorem aut jubilum intelligit triumphos, quos agunt milites de urbe capta: vel potius, meo judicio, intelligit clamores exhortatorios, quibus impetum suum milites ultro & citro accendunt. nam prælia nunquam vociferatione carent, neque etiam urbium expugnationes. Jubet igitur Deus milites pro solito more se hortari ad strenuam exequutionem: *Clamate*, inquit: deinde, *per circuitum.* Adjungit, *dedit manum suam.* quibus verbis significat Babylonem non fore parem ad resistendum. Solent manus dari ad societatem coëundam: sed dicitur etiam manus dare qui se victum fatetur. Hoc sensu accipere licet verba Jeremiæ, *Babylonem dedisse manum*, quia scilicet non poterit se defendere adversus Medos & Persas. Verum quia scimus proditione captam fuisse, hoc quoque modo impletum fuit quod pronunciaverat Jeremias, dum illi duo Satrapæ, ut privatas injurias ulciscerentur, accersiverunt Cyrum. Ita enim factum est, ut manus ultro porrexerit Babylon: vel qui iotus erant. Addit *cecidisse ejus fundamenta, & muros esse dirutos*, non quod machinis urbem expugnaverit Cyrus. ingressus enim est per vada. sed interea facile fuit militibus transcendere muros. Figurate ergo loquitur Jeremias, quasi diceret falli Chaldæos, dum existimant sibi valida esse propugnacula, quoniam nihil proderunt muri quantumvis alti sint & lati. Scimus autem quid referant veteres historici de muris illis & turribus. fuit res fere incredibilis. Nemo igitur putasset fieri posse, ut urbs tot propugnaculis munita, unquam posset vi & impetu capi. Propheta autem hanc fiduciam deridet, ac pronunciat, *muros jam esse dirutos cum fundamentis suis.* Sed quia res erat difficilis creditu, rursus adjungit confirmationem, quod scilicet *hæc sit vindicta Jehovæ*: quasi diceret non esse æstimandam cladem Babylonis hominum sensu, quoniam Deus illic exeret admirabilem potentiam. Interea hortatur rursus Persas & Medos, ut sumant ultionem, & rependant Babyloniis quod meriti sunt. Denique significat Propheta armatos esse Persas & Medos, ut Dei judicium exerceant contra Babylonem. Sed notandum est postremum membrum, *Facite ei quemadmodum aliis fecit.* Nam hinc colligimus quod alibi etiam visum fuit, repositum esse cuique præmium, ut qui in alios crudeles fuerunt, sentiant quam horribile sit Dei judicium. Non semper vindictam suam exequitur Deus per homines: sed tamen illud
perpetuo est verum, Væ qui prædaris, quoniam ob- *Jesa. 33.*
noxius etiam eris prædæ. deinde, Judicium sine mi- *vers. 1.*
sericordia ei qui non fecerit misericordiam. item, *Jacob. 2.*
Qua mensura quisque mensus fuerit eadem repen- *vers. 13.*
detur ei. hæc igitur doctrina fixa manet. Sed Deus *Matth. 7.*
varie rependit impiis mercedem, quia aliquando *vers. 2.*
pœnas de ipsis exigit hominum manu: aliquando suum judicium suspendit. Hoc loco significat Persas & Medos fore exequutores suæ vindictæ, nempe quemadmodum Chaldæi ipsi fuerant quasi flagella, quum vellet castigare scelera populi sui. usus ergo fuerat Chaldæis quum bellum gererent contra Judæos. Sed Deus habet multas vicissitudines, ita ut quisque suo loco ad rationem vocetur. Sic tandem ultus est Chaldæos, quoniam tantum suæ avaritiæ & ambitioni indulserant quum affligerent Judæos. Neque enim illis fuit propositum, Judæos punire, sicuti digni erant. Sed, quemadmodum jam dixi, sua libido eos rapuit ad sævitiam, & cædes. iden æquum fuit suo ordine ipsos castigari Dei manu. Sequitur,

16. Excidite seminantem è Babylone, & qui apprehendit falcem tempore messis: coram gladio opprimente quisque ad populum suum respiciet, quisque ad terram suam fugiet.

Semper alloquitur Medos & Persas quum jubet *eos excidere è Babylone tam seminatores, quam messores.* Per synecdochen vero comprehendit etiam omnes alios. nam agricolæ sustinent quodammodo vitam hominum: quandoquidem aliæ artes non sufficerent ad conservationem humani generis. Si nulla esset satio, nec messis, necesse esset omnes statim perire. Quum ergo Propheta jubet è medio tolli eos qui seminant & metunt, perinde est acsi diceret, Percutite gladio, & occidite omnes incolas, ita ut nihil maneat residuum, sed terra in solitudinem redigatur. Jubet ergo sic occidi Chaldæos, ut nulli maneant agricolæ, qui seminent, vel metant. Hoc quidem non fuit impletum sub Cyro, quemadmodum alibi vidimus. Sed tenendum est etiam quod tunc admonui, Prophetam scilicet longius extendere suas minas, quia Babylon sæpius percussa fuit Dei manu, & tandem prorsus afflicta. Præludium fuit expugnatio Cyri, sed sequutæ sunt aliæ clades, ubi durius oppressa fuit. Adjungit, *A facie gladii opprimentis*, aut vastantis, *quisque fugiet ad populum suum, & in terram suam.* Quoniam opulenta erat illa regio, multi advenæ illuc se contulerant: deinde undique traxerant captivos. ita minime dubium est, quin multi hospites habitaverint in Chaldæa quum floreret imperium illud: erant multi agricolæ, multi opifices. Nam Chaldæi dominabantur: & tamen multi erant contenti exigua fortuna, atque etiam contemptibili, vel cogebant Chaldæi devictas gentes præstare serviles operas vel in agricultura vel in opificiis. Nunc Propheta dicit in mutatione quæ continget, *singulos respecturos ad terram suam*, ita ut desugiant, quia nulla erit oblectatio in terra deserta, & vastata. Ergo *à facie gladii opprimentis respiciet quisque ad populum suum, & ad terram suam*, & qui prius fingebant se penitus addictos esse Chaldæis, deserent ipsos in necessitate, quia nihil erit illis potius, quam consulere privatæ saluti. Sequitur,

17. Grex dispersus (*vel agnus dispersus aut hædus: שה significat interdum gregem; interdum etiam significat singulos agnos, vel singulas oves. Grex ergo dispersus fuit*) Israël; leones expulerunt eum: primus voravit eum rex Assyriæ, & hic postremus contrivit ossa ejus Nabuchadrezar rex Babylonis.

Hic clarius ostendit Propheta quod breviter attigerat, nempe Deum ita infensum esse Babyloniis quoniam susceperit curam populi sui quem elegerat. Ergo testari voluit fidelibus Jeremias, quamvis ad tempus severe ipsos Deus castigaret, tamen non exuere prorsus animum paternum erga ipsos, quia tandem re ipsa palam faciet, eos sibi charos fuisse, in quos adeo fuerat rigidus. Mitigat igitur asperitatem pœnarum, ne desperationi succumbant Judæi, sed Deum invocent in suis miseriis, & sperent sibi tandem fore propitium, ubi eos domuerit. Summa est, quascunque Deus Ecclesiæ infligit pœnas, esse temporales: deinde, esse utiles in salutem, & remedia ne pereant in suis vitiis. Discamus igitur has promissiones amplecti, quoties vulneramur nimio dolore, si Deus nos affligit: discamus, inquam, respicere in ejus misericordiam: & sit nobis hoc persuasum, quamvis undique appareant signa iræ ejus, non esse tamen exitiales pœnas quas patimur, sed esse potius medicinas. Hoc consilio Propheta hortatus est ad patientiam fideles sui temporis, quum ostendit Deum fore illis in patrem postquam fuisset judex. Dicit igitur *Israëlem fuisse quasi gregem dispersum*, vel ovem errantem, quod idem est. exprimit modum, *Primus voravit eum rex Assyriæ.* Scimus enim regnum Israël fuisse deletum ab Assyriis: deinde terram Jehudah fuisse fere expilatam. restabat exigua portio. Dicit igitur Deus cladibus quas intulerant Assyrii populum fuisse consumptum: sed quod restabat comparat ossibus, quemadmodum si bestia pecudem aliquam voraret, relinquet tamen ossa. Nulla igitur erat caro, vel cutis in Israële postquam Assyrii crudeliter sævierant, & quidem sæpius. Sed quoniam manebat regnum Jehudah, dicit *fuisse tantum ossa*: & ideo adjungit, *Iste postremus Nabuchadrezar rex Babylonis exossavit eum*, hoc est, contrivit & consumpsit ossa quæ restabant. Nunc tenemus Prophetæ sensum. Cæterum, exaggerat miserias electi populi, ut quodammodo viam patefaciat misericordiæ. Deus ergo hic suscipit affectum hominis, qui afficitur tristi spectaculo, quum videt vorari miseram & innoxiam ovem, deinde projici ossa: & videt aliam bestiam magis trucolentam, quæ ossa etiam ipsa conterat dentibus, & consumat. Quum Deus ergo ita loquitur, minime dubium est quin velit exprimere quam tenero affectu prosequatur electum populum: deinde quin velit etiam erigere pios in spem salutis. Postea sequitur,

18. Propterea sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Ecce ego visito super regem Babylonis, & super terram ejus, quemadmodum visitavi regem Assyriæ.

Hinc certius colligi potest quod nunc dixi, similitudinem qua usus est Deus, huc spectasse, ut indueret dolentis personam, & quasi oculis sympathiam suam repræsentaret. Significat igitur se fore vindicem crudelitatis quam exercuerant Chaldæi, sicuti jam fuerat vindex omnium malorum, quæ Assyrii populo intulerant. Tenenda est conditio temporum, quia sensus hujus loci pendet ex historia. Assyrii superiores erant Chaldæis quum regnum Israël afflixerunt. scimus enim etiam tempore Ezechiæ regem Babylonis misisse ad ipsum Ezechiam, ut captaret gratiam ejus, & eum alliceret ad fœdus. Quum ergo formidabilis esset Assyriæ Monarchia, tunc violenter sævierunt Assyrii ipsi contra Israëlitas, atque etiam contra Judæos: quid sequutum est? nempe eversa fuit Nineveh: Babylon successit in ejus locum, & ita qui dominati fuerant coacti sunt jugum suscipere: & ita Assyrios sibi mancipavit Babylon. jam proponit Deus judicium suum, quod omnibus notum erat. Ipsi quidem Assyrii non putabant Deum Israël ultorem fuisse populi sui. sed res tamen ita habebat. Deus ergo hic pronunciat se jam dedisse manifestum specimen suæ sollicitudinis, quam gerebat de salute electi populi. Quemadmodum ergo pœnam sumpserat de Assyria, ita pronunciat se ultorem fore contra Babylonios. Et ita exemplo confirmat quod poterat videri incredibile. Nam quis putasset Monarchiam illam tam subito posse corruere? atqui hoc acciderat præter omnium opinionem. Deus hic repetit quod gestum erat, ut fideles sibi persuadeant idem judicium manere Babylonios quod experti fuerant Assyrii. nunc plena est sententia Prophetæ. Sequitur,

19. Et reducam Israëlem ad caulas suas: & pascetur in (*monte*) Carmel, & Basan, & in monte Ephraim, & Gilead: satiabitur anima ejus.

Hic proſequitur Jeremias ſuam doctrinam, & fidelium animos ſuſtinet in miſeriis ne prorſus deficiant: perinde igitur eſt acſi porrigeret manum naufragis, vel daret aliquam ſulturam iis qui jacebant quaſi exanimes. nam fuit non ſolum triſte exilium filiis Dei, ſed inſtar mortis, quia apprehendebant Dei vindictam acſi prorſus ab eo rejecti eſſent. neceſſe igitur fuit ipſis dari aliquid ſolatii, ne prorſus deſponderent animos. Huc igitur Propheta noſter nunc intentus eſt, ut moderate perferant ſuas ærumnas Judæi, neque exiſtiment plagam quæ inflicta ipſis fuerat eſſe lethalem. Promittit igitur Deus reditum in patriam, qui teſtimonium eſſet veniæ & miſericordiæ. nam ubi Deus populum ſuum collegit, perinde hoc fuit acſi palam oſtenderet firmam manere ſuam adoptionem, & non eſſe mortuum fœdus illud, quod tamen ad tempus viſum fuerat intercidiſſe. Nunc ergo tenemus in quem finem verba faciat Jeremias de reſtitutione populi. Deinde adjungit, *ad caulas ſuas*, vel ad habitaculum ſuum. ſcimus hunc loquendi modum paſſim occurrere apud Prophetas, quia comparant Deum paſtori, & Eccleſiam gregi ovium. hæc igitur ſimilitudo ſatis & ſuper trita eſt. Nec Deus poteſt melius exprimere quantopere ſollicitus ſit de ſalute piorum, quam dum prodit in medium ſub perſona paſtoris, & teſtatur ſibi curæ fore gregem ſuum. Sed quemadmodum initio libri diximus, ſpecialis fuit ratio Jeremiæ. quia erat ex oppido pecuario, & verſatus fuerat à pueritia inter homines pecuarios: ideo non mirum eſt ſi frequenter adhibeat loquendi formas, quibus erat aſſuetus. educatio enim format linguas hominum magna ex parte. Quanquam ergo pro communi more Scripturæ loquitur Propheta, minime tamen dubium eſt, quin retineat conſuetudinem ſuam, quemadmodum alibi dictum fuit. Dicit igitur, poſtquam collectus fuerit populus, fore habitabiles montes opimos & pingues, nempe regionem Carmeli, regionem Baſan. Celebratur fœcunditas iſtorum montium aliis pluribus locis, quos non opus eſt recitare. Summa tamen eſt, Deum quaſi fidum fore paſtorem electo populo, ubi eum rurſus collegerit, nempe ut certo ſtatuant non-modo liberum ſibi fore reditum ab exilio in patriam, ſed Deum fore præſidem ſuæ ſalutis, ut eos perpetuo tueatur, ut eorum curam gerat, ut ipſos defendat contra omnes hoſtes. Quo autem melius exprimat Deus beneficium, addit, *Et ſatiabitur anima ejus.* anima hic accipitur pro deſiderio, quemadmodum pluribus aliis locis. Jam tenenda eſt illa ſuperior doctrina, Deum ſcilicet nunquam Eccleſiæ ſuæ ita iraſci, vel eſſe infenſum, quin ſemper retineat memoriam ſui fœderis. Ergo poſtquam defuncti ſunt fideles pœnis temporalibus, tandem Deus illis porrigit manum, neque ſemel eſt illis exorabilis duntaxat, ſed miſericordiam ſuam proſequitur, & ita fovet eos, ut non minus ſollicitus ſit de ipſorum ſalute, quam paſtor qui gregem ſuum non minus charum habet, quam propriam vitam, ita ut noctu vigilet, perferat frigus, & æſtum, deinde exponat ſe multis periculis & latronum, & beſtiarum, ut gregem ſuum tueatur. Sed fontem ipſum quaſi digito monſtrat Propheta quum adjungit,

20. In diebus illis & tempore illo, dicit Jehovah, quæretur iniquitas Iſraël, & nulla erit, ſcelus Jehudah, & non invenietur: quia propitius ero his quos fecero reſiduos.

Quemadmodum jam dixi, primam cauſam nunc Propheta oſtendit cur Deus tam clementer & humaniter agere velit cum ſuo populo, nempe quoniam peccata remittet. Et certe friget quicquid dicitur de pœnarum remiſſione, niſi primo hoc nobis ſit perſuaſum, nos eſſe Deo reconciliatos, & ipſum nobis eſſe propitium. Increduli quidem nihil aliud quærunt, quam levari ſuis malis: quemadmodum ægroti nihil aliud petunt à medico, quam ut tollat ſtatim dolorem: ſi ægrotus ſitiat, Tolle ſitim, dicet. denique reſpiciunt duntaxat ad *ſymptoma* illud, interea de morbo ipſo nunquam verbum faciunt: ſic etiam impii negligunt quod præcipuum eſt, nempe ut Deus ipſis ignoſcat, & recipiat eos in gratiam. modo ergo eximantur à pœnis, hoc illis ſatis eſt. Sed quantum ad fideles ſpectat, nunquam tranquilli eſſe poſſunt donec perſuaſi ſint, Deum illis eſſe propitium. Ergo ut liberet inquietudine & omnibus tormentis piorum animos, Propheta noſter dicit Deum fore propitium, ita ut peccata omnia Iſraël & Jehudah ſepeliat, ne in memoriam amplius veniant, vel judicium. Hic locus inſignis eſt: ac primo quidem ex eo colligitur optima doctrina, nempe ubi Deus ſevere nos caſtigat, non debere nos ſubſiſtere in ipſis pœnis, ut excutiamus præſentem ærumnarum ſenſum: ſed potius debere ad cauſam ipſam omnium malorum ſpectare, nempe ad peccata noſtra. Sic David pluribus locis ubi petit aliquam mali relaxationem à Deo, non dicit, Domine libera me ab hoſtibus meis, Domine reſtitue mihi ſanitatem, Domine eripe me à morte: non ſimpliciter ita loquitur, ſed familiariter ad Deum confugit, & implorat ejus miſericordiam: & viciſſim quum Deus promittit liberationem à pœnis, non ſimpliciter dicit, Reducam vos ab exilio, vel captivitate, reducam vos in patriam: ſed dicit, Ego remittam vobis peccata veſtra. nam ſublato morbo etiam ſymptomata quæ morbum comitantur evaneſcunt: ſic etiam contingit. nam ubi Deus exorabilem ſe nobis oſtendit tunc ſoluti ſumus à pœnis, vel quas ſumus perpeſſi ad tempus, vel quæ nos manebant, niſi Deus ita pro inæſtimabili ſua clementia & bonitate nobis parceret.

Da omnipotens Deus, quando erga veterem populum ita fuiſti exorabilis, & quantumvis graviter offenſus eſſes, tamen ſervaſti aliquas reliquias, erga quas tuæ miſericordiæ documenta proferres, ſic etiam digneris nos hodie allicere, & utcunque ſimus millies coram te merito damnati, tamen ut potius nos recipias in unigenito Filio tuo, & per ipſum nobis reconciliatus oſtendas uſque ad finem vitæ noſtræ, atque adeo in morte ipſa te nobis eſſe Patrem, ut ita vivamus & moriamur tibi, & agnoſcamus hanc eſſe unicam ſalutis viam, donec tandem fruamur hæreditate illa cæleſti, quæ nobis parta eſt ejuſdem Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-SECUNDA IN

J E R E M I A M.

Postrema lectione cœpimus exponere quod dicit Propheta, quum Deus volet redimere populum suum fore ita propitium, ut deleat omnia peccata. diximus autem Prophetam ostendere populum justis de causis fuisse tam severe tractatum. Hic ergo notanda est Dei justitia in omnibus ejus judiciis. Propheta enim admonet, Judæos non aliter posse Deo reconciliari, nisi agnoscant se pœnas dedisse quas meriti erant. Et hinc colligitur etiam utilis doctrina, quoties percutimur Dei ferulis, non tantum levationem ab externo malo, vel dolore petendam esse, sed ut Deus nobis ignoscat. notanda est etiam ratio, quia Propheta docet nullam fore iniquitatem populi, quia Deus erit propitius. Hinc colligimus, tunc quoque justas fuisse causas, cur Deus populum castigaret: sed quia voluit peccata remittere, ideo fuisse liberatorem populi sui. Sciamus ergo nos reputari justos coram Deo, non quia nullas iniquitates in nobis deprehendat, sed quia ultro ignoscit. denique hæc unica ratio est placandi Dei, si peccata nostra sepeliat, neque vocet in judicium. porro hanc gratiam proprie spectare ad Christi adventum colligitur ex capite trigesimo
supra 31. vers. 34. primo, ubi Propheta quum loquutus est de novo fœdere posuit hoc præcipuum caput, Parcam iniquitatibus eorum: & usus est eodem verbo. Promissio igitur hæc non debet restringi ad breve aliquod tempus, ex quo populus reversus est ab exilio Babylonico, sed potius extenditur ad regnum Christi, quia tunc vere demum completa fuit hæc prophetia: quoniam non apparent peccata nostra coram Deo, dum nobis propitius est. Interea significat Propheta hanc gratiam non fore generalem: adjungit enim Deus *se fore propitium reliquiis duntaxat*. & hoc necesse fuit exprimi, quia post reditum fideles poterant animos despondere alioqui, quum viderent nonnisi exiguam manum populi reversam esse. Si igitur promiscue restitutio fuisset promissa, poterat concidere piorum fides quum viderent totum fere populum negligere gratiam sibi oblatam. nam pars duntaxat tribus Jehudah usa est beneficio Cyri, & Darii: decem tribus maluerunt habitare in Chaldæa, & aliis locis. & non semel Deus restrinxit promissionem quæ hic legitur: quemadmodum Jesaiæ cap. 10. *Jesa. 10.*
dicitur, Si populus tuus sit tanquam arena maris, re- *v. 21, 22.*
liquiæ tantum salvæ erunt. populus enim gloriabatur sua multitudine, & jactabat quod dictum fuerat
Abrahæ, Numera si potes stellas cæli, & arenam *Genes. 15.*
maris, ita erit semen tuum. *vers. 5.* Deus ergo significat longe falli Judæos, quoniam existiment se semper fore incolumes. Ergo Propheta hic dicit Deum fore propitium non omnibus indifferenter, sed *his quos fecerit residuos*: & interea etiam significat Deus hoc debere gratuitæ suæ bonitati adscribi, quod aliqui
sint superstites, quemadmodum dicitur Jesaiæ ca- *Jesa. 1.*
pite primo, Nisi semen aliquod nobis relictum fuis- *vers. 9.*
set, essemus tanquam Gomorrha & similes Sodomæ. Deus ergo hic pronunciat reliquias fore salvas non aliter quam mera sua liberalitate, quemadmodum etiam Paulus undecimo capite ad Romanos dicit non sperandam esse salutem Judæis, nisi à gratuita Dei misericordia. Et diligenter notat hunc locum & similes, quia tunc quoque Judæi quum insurgerent adversus Euangelium, objiciebant se esse semen
Abrahæ, & electum genus. itaque respondet Pau- *Rom. 11.*
lus non esse novum ut Deus colligat tantum exiguas *vers. 5.*
reliquias è populo suo, & causam assignat gratuitam ejus electionem. Nunc sequitur,

21. Super terram exasperantium ascende super eam, (*sed abundat*) & super habitatores visitationis (*& habitatores visitationis*) occide, & disperde post eos, dicit Jehovah, & fac secundum omnia quæ præcepi tibi.

Propheta hic suscipit munus præconis, & alloquitur Persas, & Medos, ut bellum moveant contra Babylonem. non pervenit quidem unquam ad gentes illas hoc vaticinium: sed diximus cur Prophetæ bellum denuncient, deinde convertant sermonem nunc ad profanas gentes, nunc ad Judæos, nunc ad unum populum, nunc ad alium. volunt enim fideles adducere in rem præsentem dum effectum conjungunt cum suis verbis. Hac igitur forma loquendi Propheta docet se non spargere voces in aërem, sed conjunctam esse Dei potentiam cum sermone quem profert, acsi Deus ipse mandaret Medis & Persis, ut suam vindictam exequantur contra Babylonem. & certe Jeremias sicuti non loquitur ex proprio sensu, ita etiam non loquitur in persona hominis, sed inducit potius Deum loquentem, ut apparet ex fine versus. Dicit ergo, *Ascende super terram exasperantium*: alii vertunt, amaritudinem, sed improprie. vocat autem Deus Chaldæos rebelles, quia etsi ad tempus fuerant flagella iræ ipsius, tamen crudeliter sævierant contra multas gentes, impulsi duntaxat sua superbia & avaritia, merito vocat Exasperantes. deinde addit, *Occidite habitatores visitationis*. quidam relinquunt proprium nomen פקד: sed primo divinant fuisse in Chaldæa urbem hujus nominis, quod frivolum est: deinde friget illa expositio, si sermo fiat de urbe obscura & ignobili. Non dubium igitur est, quin Propheta vocet etiam Chaldæos *habitatores visitationis*, quoniam manebat eos vindicta Dei, imo jam instabat eorum capitibus, sicuti paulo post repetet. atque hic loquendi modus frequenter apud Prophetas occurrit. Postea addit, *Et perde post ipsos*. est allusio in verbis, חרום אחריהם. significat autem cladem fore extremam, ita ut non desinant sævire Medi & Persæ, donec extinxerint nomen Babylonis. Atqui scimus illud non fuisse impletum à Cyro & Dario. diximus enim jam aliquoties urbem fraude & nocturnis insidiis fuisse captam, deinde Regem cum suis Proceribus fuisse occisum: pepercit enim Darius reliquo populo, vel Cyrus potius. nam tametsi nomen imperii erat penes Darium, Cyrus tamen longe erat potior, ut erat strenuus miles, & tantum famæ causa ducebat suum socerum, & avunculum. Quum igitur Babylon capta fuerit, ut tamen gladius non persequeretur omnes Chaldæos, hinc colligimus Prophetas, quoties denunciant cladem & interitum Babyloni, non restringere suam doctrinam ad tempus illud, sed complecti etiam alias clades. sæpius enim capta fuit Babylon: nam defecit à Persis, & quum recuperata esset dedit graves pœnas, quia per ludibrium suspensi fuerunt qui auctoritate & potentia valebant: deinde passim etiam sævitum

fuit in viros & fœminas. Non dubium igitur est quin Prophetæ quum de excidio Babylonis loquuntur, respiciant ad diversa Dei judicia. Quicquid sit, colligimus quamvis diu conniveat Deus, vel extrema judicia suspendat, tamen impios non posse ejus manum effugere ubi diu fuerint tergiversati. Postea adjungit, *Fac illis quemadmodum præcepi tibi.* hæc etiam Prophetica loquendi ratio notanda est. neque enim Medi & Persæ putabant se militare sub Dei auspiciis. quorsum igitur ponitur nomen Præcepit? nempe quia Deus homines profanos regit arcana sua potentia, & impellit quocunque visum est, etiamsi nihil tale sit ipsis propositum. Quo res melius explicetur, notandum est duobus modis Deum præcipere: præcipit enim fidelibus quum ostendit quid rectum sit, & quid sequi ipsos oporteat: ita quotidie ubi Deus hortatur nos ad officium, ubi Legem suam nobis exponit, dicitur exercere suum imperium, vel jurisdictionem. Et hæc propria est ratio jubendi vel exercendæ potestatis, ubi scilicet agnoscimus quid Deus velit, aut quid à nobis exigat. Sed Deus alio modo præcipit incredulis, quia etsi non declaret quid facere ipsos velit, trahit tamen volentes nolentes quocunque vult: ita instinctu suo impulit Cyrum, & Darium ut arma sumerent contra Babylonem. Nunc ergo tenemus quid hoc verbo intelligat Propheta. neque enim intelligit Darium & Cyrum Deo ex animo paruisse, quia agnoscerent ipsum sibi esse ducem atque auctorem belli. nihil enim tale venit illis in mentem, & illa præcipiendi ratio, quemadmodum dixi, peculiaris est Ecclesiæ. Deus enim singulari quodam privilegio & gratia nos dignatur, quum ostendit nobis quid rectum sit, & præscribit Legem bene vivendi. Sed interea præcepti loco ponitur arcana ejus providentia, qua impellit profanos homines, sicuti dicitur Cor Regis in *Prov. 21. vers. 1.*
manu Dei esse. Loquitur autem Solomo de Rege potius quam de hominibus plebeiis, quia si qua sit libertas in toto genere humano, videntur esse Reges quasi exempti ab omni jugo. pronunciat autem Solomo regi corda totum à Deo, sic ut non sint sui arbitrii. Quamvis ergo Darius & Cyrus fuerint abrepti sua cupiditate quum bellum moverunt, tamen Deus illorum corda direxit, quemadmodum paulo post clarius videbimus. sic etiam dicitur præcipere cælo & terræ, non quod cælum (quod auribus caret & sensu) exaudiat ejus vocem: sed quia Deus efficaciter movet cælum. quum enim vult pœnas de nobis sumere, mandat cælo ne pluviam mittat: hoc Dei mandatum exequitur cælum: deinde terra etiam obtemperat Deo: sed nullus est illic sermo doctrinæ. quid igitur? nempe Dei providentia, quæ nobis abscondita est. Sequitur,

22. Vox prælii in terra, & contritio magna.

Continuat Propheta loquendi formam. dicit igitur fore *vocem prælii.* An potuit ipse concitare Medos & Persas? non propria quidem virtute, sed hic commendat efficaciam suæ doctrinæ: acsi diceret vindictam quam denunciat Babyloniis, fore in promptu, ubi tempus advenerit: quemadmodum dicit Paulus ministros Evangelii habere vindictam in manu adversus omnes contemptores. nunc ergo tenemus cur Propheta repetat, *vocem prælii*, *& contritionem*, vel afflictionem *magnam fore in terra.* Nunc sequitur,

23 Quomodo excisus est & contritus malleus universæ terræ? quomodo redacta est (*fuit*) in vastitatem Babylon inter gentes?

24. Illaqueavi te, atque etiam (*vel, atque ideo:* [illegible] *hic ponitur loco rationalis particulæ, ideo*) capta est Babylon, & tu nescivisti: inventa es, atque adeo deprehensa, quoniam contra Jehovam te miscuisti. (*litigasti.*)

Hic primo per admirationem interrogat Jeremias *qui factum sit, ut malleus totius terræ fuerit ipse fractus*, quum omnes populos antea frangeret: postea respondet Deus, nempe *Ego sum qui cepi Babylonem.* Interrogatio valuit, ut expergefaceret populum ad majorem attentionem. negligimus enim Dei judicia, vel ad ea cæcutimus, nempe quia non adjicimus studium nostrum. nam res parvæ sæpe nos excitant, interea Deus operabitur modo inusitato. id autem pro nihilo ducimus. Quoniam ergo tanta est nostra ignavia in operibus Dei considerandis, necesse est nos stimulari: & hoc nunc facit Jeremias quum per admirationem dicit, *Quomodo?* nam significat rem fore incredibilem quum exscindetur Babylon, nempe quia nemo putasset Monarchiam illam posse unquam labefactari: pervenerat enim usque ad summum, & undique tot munitionibus cincta erat, ut nihil esset periculi metuendum: denique omnes putassent Babylonem non posse moveri sine concussione cæli, & terræ. Ergo Propheta hic miratur rem illam insolitam, & dicit, *Quomodo malleus totius terræ fractus est, & contritus?* deinde, *quomodo Babylon fuit in vastitatem inter gentes?* nam subjugaverat sibi non tantum vicinos populos, sed etiam remotissimas terras. Et hoc etiam modo fideles ad bene sperandum animat, ne animos dejiciant, quoniam terribilis erat potentia illius Monarchiæ. Respondet igitur statim in persona Dei, *Illaqueavi te, atque ideo capta es Babylon.* Hic Deus pronunciat, quamvis humanitus fieri non possit, ut Babylon cadat cum suo imperio, interitum tamen illius esse in manu sua: *Tu*, inquit, *capta es*, nempe *quoniam te illaqueavi*: quasi diceret non fore Chaldæis negotium cum hominibus, quia ipse bellum geret, ac Persas & Medos diriget: deinde instruet sua potentia: in summa, pugnabit ipse, donec Babylonios vicerit. Quum dicit *nescivisse*, non tantum coarguit socordiam illius populi, sed simul deridet securitatem: quasi diceret, Quamvis putes te esse extra omnem aleam, senties tamen neminem posse effugere manum meam. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Verum quidem est, incredulos ubi Deus sumit pœnam de eorum sceleribus, non agnoscere ejus manum: sed aliud intelligit Propheta, nempe quamvis Babylon confisa suis opibus nihil sibi metuat, tamen deprehensum iri, quia non poterit laqueos effugere. Subjicit, *Inventa es, atque adeo deprehensa*: rationem adjungit, quoniam litigaverat contra Deum. Dicemus paulo post quomodo Babylon contra Deum litigaverit, nempe quia Deus susceperat in fidem suam & patrocinium Israëlitas. Hoc ergo dicitur respectu Ecclesiæ, ut paulo post fusius explicabo. Breviter hic notandum est, Deum ita suscipere populi sui causam acsi ipse læsus esset, quemadmodum promittit eum sibi fore tanquam pupillam oculi. Nunc se- *Zach. 2:8.*
quitur,

25. Aperuit Jehovah thesaurum suum, & protulit vasa iræ suæ, quia opus hoc Domini Jehovæ exercituum est in terra Chaldæorum.

Hic

His clarius exprimit Propheta quod attigerat, nempe bellum hoc non fore Persarum, sed ipsius Dei. Dicit igitur *Deum aperuisse thesaurum suum*, nempe quoniam habet varios & multiplices modos, qui humano sensu comprehendi nequeunt, ubi vult impios perdere. erat inexpugnabilis illa Monarchia, nempe humano sensu; sed Deus hic dicit se habere modum reconditum, quo Babylonem vastet, atque in nihilum redigat. per similitudinem ergo vocatur thesaurus Dei, ratio quæ superat humanæ mentis captum, ubi scilicet Deus judicia sua exequitur modis arcanis & inopinatis. Quoniam ergo vix poterant fideles animis concipere quod docebat Jeremias, ideo attollit eorum animos ad providentiam Dei, quæ non debet subjici humano ingenio. perperam enim homines pro sensu carnis suæ judicant de potentia Dei: perinde est acsi cælum & terram vellent pugillo includere. Deus ipse dicit, se cælum & terram capere pugillo. homines igitur dum volunt capere Dei potentiam, perinde est acsi musca vellet vorare omnes montes. Corrigit ergo Propheta illam pravitatem, ad quam natura sumus nimium propensi, dum scilicet statuimus pro captu mentis nostræ quid Deus sit facturus, acsi potentia ejus non esset infinita. Hæc ratio est cur dicat Propheta, *Aperuit Deus thesaurum suum*: deinde, *protulit inde vasa iræ suæ*, nempe ex thesauro, nempe ex ratione illa, quæ tunc erat incomprehensibilis. Et subjicitur ratio: *quia opus hoc*, inquit, *est Dei nostri*, *Dei exercituum in terra Chaldæorum*. Hic Propheta breviter sententiam claudit, quod scilicet fideles debeant placide expectare dum eveniat quod docuit, nempe *quia est opus Dei*. nihil autem magis perversum, quam homines velle metiri Dei potentiam proprio sensu, ut dictum fuit. Sequitur. sed ego non possem absolvere nunc.

Da omnipotens Deus, quando dignaris nobis judicia tua adversus incredulos proponere, ut non tantum timeamus re, sed etiam spem salutis nostræ in te rejicere discamus, ut sic proficiamus in hac doctrina, ne vel socordes simus ad tuas minas, vel etiam trepidemus in extremis nostris malis: sed sic discamus oculos nostros ad te attollere, ut perpetuo vitæ nostræ cursu te invocemus in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-TERTIA

IN

J E R E M I A M.

26. Venite contra eam à fine, aperite apothecas ejus, calcate eam tanquam acervos, & disperdite eam, ne sint ei reliquiæ.

ITerum Propheta Persas & Medos compellat, eosque hortatur ut veniant contra Babylonem. diximus autem heri Prophetas solere loqui pro imperio, quoniam sustinent Dei personam: & diximus quam utilis sit hæc loquendi forma, quia mundus non agnoscit Deum efficaciter loqui. Dicit igitur primum, *Venite contra eam*: deinde, *aperite apothecas ejus*. מאבס significat horreum, significat repositorium quodlibet: inde quidam vertunt horrea. sed videntur mihi nimis restringere hoc nomen, quia Propheta loquitur haud dubie de thesauris Babylonicis. Apothecas autem vocant Græci repositoria rerum omnium, non tantum vini, & olei, sed mercium, atque etiam pecuniæ. Apothecæ sunt quas Gallice vocamus *Arrieres boutiques, ou magasins*. sed hoc nomen etiam extenditur ad vinum, ad omne genus frumenti, deinde ad thesauros, ad arma etiam. nam apothecæ sunt repositoria armorum, armamentaria omne genus. Perinde igitur est acsi diceret Jeremias nihil tam fore reconditum apud Chaldæos, quod non excutiant Medi & Persæ. deinde adjungit, *Calcate eam tanquam acervos*. ערמים non sunt acervi lapidum, sed potius manipulorum. significat igitur Persas & Medos crudeliter sævituros esse, quemadmodum trituratur frumentum in area. Postremo dicit, *Disperdite eam, ne sint ei reliquiæ*. Videtur oblique opponere quod Deus promittit suis, semper aliquas fore reliquias scilicet. dicit igitur nihil fore residuum quum exeret Deus suam vindictam contra Chaldæos. Summa est, pœnam de qua loquitur Propheta, talem fore ut aboleat nomen ipsum Monarchiæ Babylonicæ. hoc quemadmodum heri diximus, & antehac etiam, completum non fuit uno die. sed ubi concionantur Prophetæ de judiciis Dei, non respiciunt tantum præludia, sed verba sua extendunt usque ad ultimum judicium, quod manet omnes reprobos. Nunc sequitur,

27. Occidite omnes juvencos ejus, descendant ad mactationem: væ illis, quia venit dies ipsorum, tempus visitationis eorum.

Prosequitur eandem sententiam: jubet Persas & Medos occidere quicquid est roboris in Chaldæa. nam juvencos haud dubie metaphorice vocat eos omnes qui florebant virtute, aut potentia, aut opibus. Summa est, vindictam de qua nunc loquitur, non fore duntaxat contra vulgus, sed contra selectissimos quosque. ergo comprehendit tam magnates, quam omnes homines bellicosos. neque enim robur corporis duntaxat intelligit, sed potentiam, & auctoritatem. *Occidite* ergo *omnes ejus juvencos*: id est, quicquid in Chaldæa pretiosissimum est, id peribit quum advenerit dies ultionis. postea, *descendant*, inquit, *ad mactationem*. Semper tenendum est quod dixi, Prophetam perinde jubere acsi haberet sub manu sua, & auctoritate Medos & Persas, nempe quoniam totus mundus subjicitur Dei verbo. dicit, *Væ illis, quia venit dies ipsorum, & tempus visitationis eorum*. hoc additum fuit, quia poterant fideles apud se disputare, quomodo fieri posset, ut tam cito periret Babylon. Deus enim visus fuit longo tempore Monarchiam illam fovere, acsi eam tueri vellet perpetuo. Ergo Propheta hic de tempore visitationis loquitur, ne ideo ambigant fideles de vaticinio præsenti, quia Deus nondum exeruerat manum suam. Admonet igitur Deum habere præfixa tempora, & non visitare quotidie singulas gentes, hoc est, non exerere sua judicia singulis momentis, sed quando apud se decrevit. Quoties igitur impii secure exultant, & agunt suos triumphos, semper nobis veniat in mentem hæc doctrina, nondum adesse tempus quo Deus judicium suum contra ipsos exequatur. quare? est enim certum tempus visitationis: id autem positum est in arbitrio Dei. Ergo discamus patienter ferre omnes tentationes donec visum fuerit Deo ostendere se nobis mundi judicem. Sequitur,

28. Vox

28. Vox fugientium, & qui evaserint è terra Babylonis, ad annunciandum in Sion vindictam Jehovæ Dei nostri, vindictam Templi ejus.

Iterum ostendit Propheta, Deum quum ulciscetur Babylonios, daturum esse certum specimen paterni favoris erga Ecclesiam. nam alioqui prophetia hæc poterat frigere apud fideles, nisi agnoscerent Deum fore hostem tantæ Monarchiæ, quoniam susceperat curam salutis ipsorum. Ergo Propheta sæpius ad hunc finem revocat fideles, ut vindicta Dei contra Babylonios certum illis documentum sit gratiæ Dei, qua semel complexus illos fuerat, & volebat prosequi usque ad finem. hoc est igitur consilium Prophetæ quum dicit, *Vox fugientium, & qui evaserint è terra Babylonis*: quasi diceret, Quamvis Babylon multis nominibus digna sit interitu, Deus tamen in ea perdenda respiciet populum suum: & reipsa ostendet se esse patrem ejus populi, quem adoptavit. postea hortatur etiam Jeremias fideles ad gratitudinem. Duo igitur sunt capita: prius est, quum Deus perdet Babylonios, populum hinc certo sensurum quantopere charus sit Deo: deinde ex hac doctrina fluit exhortatio, ne scilicet fideles obmutescant in tam singulari Dei beneficio, sed prædicent suam liberationem. ideo dicit, *Vox fugientium, & qui evaserint è terra Babylonis, ut annuncient in Sion.* Quum dicit, *in Sion*, ostendit in quem finem Deus colligere velit populum suum, nempe ut de integro colatur, sicut olim, in Templo suo. Adjungit, *Ut annuncient vindictam Dei nostri.* Vindicta Dei active hic sumitur pro vindicta quam Deus exercebit: paulo post vindicta Templi passive ponitur pro vindicta qua Deus ulciscetur contumeliam Templo suo illatam. Deus ergo est ultor, Templum vero Dei vindicatur à contumelis, & probro. Nunc tenemus summam hujus loci. primo loco docet Propheta, Deum habiturum rationem populi sui quum tam rigide puniet Babylonios: deinde adjungit exhortationem, ne fideles ingrati sint Deo ubi agnoverint in gratiam suæ salutis Deum suscepisse bellum contra illam Monarchiam: postremo finem ostendit, nempe ut iterum coalescat populus qui dispersus fuerat, quemadmodum dicitur in Psalmo, Deus est Psal. 147.
qui colligit dispersos Israëlis. Quoniam ergo erant vers. 2.
Judæi tanquam corpus lacerum apud Chaldæos, ostendit Propheta Monarchiam illam dissipatum iri, ut rursus in unum coëant fideles, & simul omnes Deum adorent in Templo, vel in monte Sion. Sequitur,

29. Convocate contra Babylonem potentes, omnes qui intendunt arcum: obsidete eam in circuitu, ne sit evasio: reddite ei secundum opus suum, secundum omnia quæ fecit facite ei: quia contra Jehovam superbe egit, contra Sanctum Israëlis.

Varius est Propheta in modis loquendi, nec sine causa, quoniam oportuit ipsum tonare magis quam loqui: deinde quoniam sermo erat de re incredibili, opus fuit non vulgari confirmatione. fideles etiam quum fere contabuissent in suis miseriis, vix poterant sese erigere ad bene sperandum. Hæc igitur ratio est cur Propheta tam diu & prolixe insistat in re per se non obscura. neque enim opus fuit tantum explicatione, sed vehementia etiam accedere debuit. Ergo acsi multos jam præcones haberet præsto ad obsequium, dicit, *Convocate contra Babylonem potentes.* quidam vertunt multos, & רבים utrumque significat. Sed existimo hic poni pro validis. Nescio cur quidam vertant sagittarios. sequitur quidem continuo post, כל-דרכי קשת, *omnes qui intendunt arcum*, sed nomen hoc sine adjectione nusquam capitur pro sagittario. Adducunt locum ex vigesimo
Gen. 21. primo capite Geneseos, ubi Ismaël dicitur factus
vers. 20. רבה, sed postea additur arcus. Ergo hic רבים non aliter possumus accipere quam pro multis aut validis. Posterior autem expositio melius convenit. Jubet ergo Propheta *convocari robustos & bellicosos homines*: deinde speciem adjungit, *omnes qui intendunt arcum*, hoc est, omnes sagittandi peritos. Persæ enim pollebant arte illa, erant optimi sagittarii: hoc commune fuit Orientalibus populis, sed Persæ omnes alios superabant. Propheta igitur designat eos quum jubet *convocari sagittarios*. Adjungit, *Circumdate eam*, vel obsidete, *in circuitu, ne sit evasio.* Hoc quoque difficile erat creditu. nam Babylon erat potius similis regioni, quam urbi. Vix ergo quisquam putasset posse obsideri in circuitu, & tandem capi sicuti factum fuit. Ergo Propheta hic testatur fore, quod superabat omnium opinionem. Cæterum, prius dixerat hoc fore opus Dei, ne scilicet fideles judicium facerent ex modulo suo, quia nihil magis perversum, quam metiri Dei potentiam nostro sensu, ut dictum fuit. Quoniam ergo ante testatus est Propheta obsidionem Babylonis fore opus Dei, nunc majore fiducia jubet *eam circumdari in circuitu, ne sit evasio.* Deinde adjungit, *Reddite ei secundum opus suum, secundum omnia quæ fecit facite ei.* His verbis significat Propheta justam fore vindictam quam exiget Deus de Chaldæia, quia nihil æquius est, quam rependi cuique sicuti erga alios fecit: Qua mensura aliis mensi fueritis, eadem re- Luc. 6.
pendetur vobis, inquit Christus. Quoniam igitur vers. 38.
naturæ sensus dictat justissimam esse pœnam quæ infligitur crudelibus, ideo Propheta hic admonet, Deum fore justum vindicem quum videbitur contra Babylonios sævire. Sed longius respicit. sumit enim principium illud, Deum esse judicem mundi. Quum Hebr. 12.
ita sit, sequitur fieri aliter non posse, quam ut qui vers. 23.
injuste alios opprimunt, tandem recipiant suam mercedem: sicuti etiam Paulus secundæ ad Thessa- 2 Thess. 1.
lonicenses primo, dicit in hoc conspicuum esse Dei v. 5, 6, 7.
judicium, quod alioqui obscurum esset, ubi dat relaxationem & quietem miseris, qui injuste affliguntur, & ubi mercedem rependit oppressoribus. Propheta igitur ex hoc principio sumit materiam fiduciæ, ut animet fideles ad bene sperandum. Quare? si Deus est judex mundi, poterant apud se reputare Judæi quales Babylonii fuerant: imo satis jam experti erant quam crudelis esset & barbarus ille populus. Quum ergo avaritia, & crudelitas, & superbia Chaldæorum satis comperta foret, Propheta hic admonet, Si Deus est in cælo, fieri aliter non posse, quam ut brevi in judicium ipsos vocet: quia alioqui non esset Deus. Atqui neque esset judex mundi, nisi respiceret miseros, qui injuste opprimuntur, & illis opem ferret, & manum porrigeret ad ipsos levandos: nisi etiam ex opposito pœnam exigeret de avaris, & superbis, & crudelibus. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Postremo adjungit, *Quia superbe egit contra Jehovam, contra Sanctum Israëlis.* Quum dicit Babylonios *superbe egisse*, significat non modo fuisse injurios hominibus, sed contra ipsum Deum contumeliosos. Nam opponitur hoc verbum delictis quæ per levitatem, & incogitantiam nobis accidunt. Si quis ergo inconsiderate peccet, dicitur errasse: qui autem deliberata malitia sese projicit ad peccandum, ille vocatur superbus. & hoc colligitur ex Psalmo decimo nono. Psal. 19.
David enim illic opponit superbiam erroribus: Er- v. 13, 14.
rores, inquit, quis intelliget? deinde petit ut Deus ipsum purget ab omni superbia. David quidem non

extu-

extulerat ex professo cornua adversus Deum: sed timebat tamen ne carnis lascivia ipsum impelleret ad superbiam. Quum ergo nunc Propheta dicit, *Chaldæos superbe egisse contra Deum*, perinde est acsi eos damnaret sacrilegæ superbiæ, quod scilicet voluerint in Deum ipsum esse probrosi, non tantum crudeles in ejus populum. Sed explicatio sequitur quum addit, *contra Sanctum Israëlis*. Poterant enim Babylonii excipere, sibi non fuisse propositum superbire contra Deum: sed Propheta hic in medium profert nomen Israëlis: quasi diceret, Si quis est Deus in cælo, religio nostra certa est. ergo nomen Dei apud nos residet. Quum ergo Babylonii indigne populum quem Deus elegit oppresserint, sequitur in illum fuisse sacrilegos. Et idem etiam sibi volebat quod paulo ante dixit, *vindicta Jehovæ Dei nostri*. Cur addebat illud epitheton? nempe ut scirent Judæi, quascunque perpessi fuerant injurias, Deum ipsum attingere acsi læsus esset in sua persona. Sic etiam hoc loco tollit omnes tergiversandi ansas Propheta Babyloniis, quum dicit *eos superbisse contra Sanctum Israëlis*. Ergo dum cavillantur impii sibi cum Deo non esse certamen, refellitur ille prætextus, si bellum gerant cum ejus Ecclesia, & oppugnent ejus fideles, quorum salutem suscepit tuendam. Neque enim potest Deus aliter esse patronus Ecclesiæ suæ, quin sese opponat instar clypei quoties videt suos injuste oppugnari à reprobis. Sequitur,

30. Propterea cadent electi ejus (*vel adolescentes*) in plateis ejus: & omnes viri militiæ ejus (*hoc est, omnes viri bellicosi*) redigentur ad silentium (*alii vertunt, compescentur: nam* ידמו *significat utrumque*) in die illo, dicit Jehovah.

Confirmat eandem sententiam, & ostendit talem fore cladem Babylonis, quæ aboleat quicquid erat existimatione dignum: *Cadent*, inquit, *robusti ejus per compita*. plus est quam si dixisset, Peribunt in prælio. Babylon sic capta fuit, ut fuerint in media urbe occisi omnes armati. Pepercit quidem Cyrus, ut dictum fuit, vulgo: sed Proceres omnes, & armatos milites occidit: quoniam deprehensi fuerunt Babylonii quum agitarent solenne convivium, sicuti apud Danielem legitur; Dan. 5. ideo *compita* hic nominat Jeremias. Postea adjungit,

31. Ecce ego contra te superbe, dicit Dominus Jehovah exercituum: quia venit dies tuus, tempus visitationis tuæ.

Quo melius confirmet Jeremias suam doctrinam, rursus inducit Deum ipsum loquentem. Diximus autem quantopere fuerit illud necessarium, quia vix alioqui fidem fecisset sui vaticinii. Quum ergo Deum producit, tollit omnem ambiguitatem. *Ecce ego*, inquit, *contra te superbe*. Rursum vocat Babylonios *superbos*, nempe qui non levitate, aut stultitia, aut inani aliqua cupiditate impulsi fuerint ad bellum, sed qui sese projecerint contra Deum, & homines, sine ulla pietate, & sine respectu humanitatis. Dicit *venisse tempus*, quia poterant fideles alioqui ipsum interpellare, Quid sibi vult, quod Deus tam longo tempore dissimulat? Ergo ut spem suam sustineant ac foveant usque ad tempus, quod Deus præscripserat suæ vindictæ, dicit *venisse diem & tempus visitationis*. Quoties hæc loquutio occurrit, sciamus compesci omnes carnis nostræ impetus, quia nemo est qui non statim prosiliat ad vindictam quum videmus fideles affligi, quum videmus multa indigne perpetrari contra nostros fratres, sanguinem innoxium fundi, & crudeliter vexari miseros ab improbis. Quum ergo hæc omnia sævitiæ experimenta accidunt, nemo nostrum se continet: ideo Deus injicit frenum, & hortatur nos ad tolerantiam quum dicit, nondum tempus suæ visitationis impletum esse. Quantisper ergo connivet Deus, sciamus nondum adesse tempus opportunum, quia habet certum diem visitationis qui nobis est incognitus. Sequitur,

32. Et impinget superbus, & cadet, & nemo qui eum erigat: & accendam ignem in urbibus ejus, qui consumet omnia quæ sunt in circuitu. (*per circuitus ejus, ad verbum*)

Continuat Propheta eandem sententiam. quoniam ergo pronunciaverat Dei nomine venturum tempus visitationis, quo Deus insurgeret contra Chaldæos, jam adjungit, *impinget & cadet*. כשל significat etiam cadere: sed quoniam adjicitur נפל, videtur hic debere exponi, quemadmodum feci. *Impinget* ergo *superbus*, *& cadet*. videtur enim duos gradus notare Propheta. Alii vertunt, cadet & corruet: sed melius quadrabit quod dixi, nempe quod *impinget superbus*, deinde *corruet: & nemo erit qui ipsum erigat*, inquit. Significat his verbis Deus, quamvis multas gentes haberet Babylon sub sua ditione, tamen nullum adfore subsidium, ubi advenerit tempus visitationis. Sæpe quidem continget, multos satagere, & movere omnes lapides ut succurrant impiis, sed absque profectu. Quum ergo pronunciet Deus neminem fore qui Babylonem attollat ubi collapsa fuerit; non intelligit defore omnibus animum, sed conatus omnium fore irritos; quia scilicet ubi prostrata fuerit Babylon, Deus incumbet adversus eam, ut si totus mundus conspiret ad ipsam levandam, tamen inutilis futura sit opera. Et hic eodem sensu subjicit, *Accendam ignem qui consumet*, vel vorabit, *omnes civitates ejus*. Metaphorice ignem vocat Deus cladem, quæ instar incendii flagravit, ita ut consumeret totam Monarchiam: non modo urbem ipsam, sed omnes vicinos populos. Bellum enim pervenit usque in Asiam. nam trajecit Cyrus mare; ut satis notum est, & populatus est Phrygiam. Deinde quamvis fuerit mitis victoria, tamen fieri non potuit, quin esset tanquam ignis, qui vorabat omnes vicinos populos. Sequitur,

33. Sic dicit Jehovah exercituum, Oppressi fuerunt filii Israël, & filii Jehudah pariter: & omnes qui captivos ceperunt prævaluerunt contra ipsos, (*alii vertunt, tenuerunt ipsos, quia* חזק *significat tenere & apprehendere: sed videtur aliud velle Propheta, nempe quod victores prævaluerint, ita ut secure dominarentur: ideo subjicitur*) renuerunt ipsos dimittere. (*idque ex versu colligimus ubi opponitur robur & potentia Dei potentiæ hostium*)

34. Redemptor (*inquit*) eorum fortis, Jehovah exercituum nomen ejus. Litem litigando litigabit, (*hoc est, disceptando disceptabit causam ipsorum*) ut terram ipsam reddat tranquillam, (*ut alii vertunt: sed ego potius ita interpretor, ut terram scindat*) & contremiscere faciat habitatores Babylonis.

Ite-

Iterum redit Propheta noster ad superiorem doctrinam, nempe quum Deus perdet Monarchiam Babylonicam, id facturum esse in gratiam populi electi. Sed comparatio quæ hic ponitur, magnum habet poodus. Priore enim loco objicit Propheta materiam diffidentiæ atque etiam despetationis, quæ poterat aditum præcludere omnibus vaticiniis. Nam semper fuisset in promptu hæc objectio, Nos tracti sumus in exilium, sumus in terra longinqua, & longa est distantia locorum: perinde acsi essemus in alio mundo: & vix movabimus pedem, quio statim victores contra nos sæviant. ita nihil aliud ex præsenti aspectu poterant statuere Judæi, quam desperandum esse de suo reditu. Hæc igitur tatio est cur Propheta bic dicat per modum concessionis, Verum quidem est, filios Jehudah & filios Israël violenta tyrannide esse oppressos: quemadmodum ubi volumus fidem facere, objicimus quæ nobis videntur adversari, & postea diluimus: sic etiam hoc luco Propheta: quasi diceret, Video quid dictet cuique proprius sansus, nempe tam filios Jebudah, quam filios Israël teneri captivos, & inclusos essa talibus claustris, ut nullus exitus pateat. Quum loquitur de filiis Israel, & de filiis Jebudah, tenendum est, decem Tribus fuisse in enilium abdoctas, neque id semel, sed postquam tres primo fueruot tractæ in enilium: deinde totum regnum periit. Tandem longo post tempore etiam potiti sunt regno Judaico Chaldæi. Hinc igitur factum est, ut tam Israelitæ quam Judæi violenter oppressi fuerint. Deinde adjungit, *Qui captivos duxerunt ipsos etiam prævaluerunt*, hoc est, si respicitur an aliqua ratio humanitus appareat liberandi populi, certe nulla est. Concedit igitur Propheta quæ poterant omnem fiduciam tollere fidelibus. sed continuo post diluit: *Redemptor*, inquit, *eorum fortis*. Opponit ergo istud חזק verbo quod antea usurpavit, החזיקו בם, dominati sunt in ipsis, ita ut essent fortiores. Jam en opposito dicit, Quis est redemptor Israelis? *Ipse est*, inquit, *fortis*. nam si tantum expenditis quanta sit Babylonis potentia, an Deus interea nihil poterit? An ullum est imperium in terra, quod illi duminati possit? ergo si redemptor eorum fortis est, superior erit Chaldæis. Postea adjungit in eundem finem, *nomen ejus est Jehovah exercituum*, hoc est, neque Babylon neque aliæ gentes tantum habent potentiæ, ut aliquid detrahant immensæ Dei virtuti, quia semper est sui similis & integer: bic est Deus exercituum. Tandem adjungit, *Litem eorum litigando litigabit*, vel disceptando disceptabit pro causa populi, nempe *ut scindat terram*. רגע significat quidem quiescere, & ideo vertunt fare omoes, Ut terram quiescere faciat: sed quoniam pro eodem accipio terram & habitatores Babylonis per repetitionem, non dubito quin debeat hoc verbum sumi in proprio sensu. *ut ergo terram scindat*: deinde *ut contremiscere faciat habitatores Babylonis*. Loquitur ergo de Chaldæa sub nomine terræ, & postea seipsum explicat quum addit habitatores Babylonis.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos in fidem tuam semel suscipere, ut semper nttollamus oculos in tuam immensam poteotiam, & quum videmus omnia non modo turbari, sed etiam pessundari in mundo, ne tamen dubitemus, quin virtus tua ad nos liberandos sufficiat: ut ita perpetuo te invocemus, certa constantia sic pugnemus contra omnes tentationes, ut tandem potiamur io cælesti tuo regno fructu nostræ victoriæ, per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-QUARTA

IN

J E R E M I A M.

35. Gladius super Chaldæos, & super habitatores Babylonis, & super Principes ejus, & super sapientes ejus.

PRosequitur eandem sententiam Propheta, & eodem etiam loquendi genere utitur. Denuociat Chaldæis bellum tanquam cælestis præco: deiode ut plus vehemeotiæ habeat doctrina & efficaciæ, statuit quasi in medio Persas & Medos, qui Babylonem expugnent ac devastent. Dicit igitur nunc, *Gladius super omnes Chaldæos*, in genere: secundo ponit *habitatores Babylonis*, quin erat urbs illa sedes & caput regni, ut satis notum est. Sed quoniam inexpugnabilis erat secundum homines potentia illius Monarchiæ, adjungit Propheta, quamvis Proceres excellant consilio, & viribus, & artibus bellicis, *gladium tamen fore super eos*: deinde quamvis Babylon habeat suos divinos, scientiam tamen illorum fore vanam. Utitur quidem honorifico nomine, non tamen dubito, quin designet Astrologos, & nriolos, & alios vates. scimus enim gentem illam deditam fuisse multis superstitionibus: sed jactabant se præcipuos omnium Astrologos: unde & nrioli qui enercent suas imposturas, vocantur Chaldæi: & nomen illud jam olim tritum fuit. Ergo Propheta iotelligit neque potentiam, vel artes bellicas, neque peritiam rerum fore præsidio Chaldæis, neque artes quibus gloriabantur, quum scilicet purarent se esse Deo familiates. Ex astris enim solebant divinare quicquid futurum etat. Sequitur,

36. Gladius super divinos ejus, & insatuabuntur: gladius super fortes ejus, & conterentur. (*vel expavescent.*)

Idem repetit, sed aliis verbis: & priore membro nunc recenset divinos, quos prius vocavit sapientes: nunc autem appellat eos vero & proprio nomine. בדים enim sunt tam mendaces, quam mendacia: vocat igitur nunc impostores, quibus concessit paulo ante nomen sapientum. Sed quum sapientes vocabat, loquutus est en communi sensu: deinde noluit certamen movere Chaldæis qualisnam esset eorum sapientia: interea tamen detegit eorum fallacias, qui jactabant se habere quasi familiare colloquium cum Deo, & Angelis, dum ex astris pronunciabant quicquid futurum erat. Ars quidem ipsa laude digna est si homines modum servarent: sed ut curiositas hominum est inexplebilis, ita vagantur huc & illuc, & transiliuot metas, & pervertuot ita totum ordinem naturæ. Non fuerunt igitur Chaldæi veri Astrologi sed adulterini potius. Hæc ratio est cur Propheta vocet eos mendaces. nam ante vidimus, meras fuisse præstigias, quum Chaldæi astris subjicetent vitam hominum. Ideo hortatus fuit fideles, ne sibi metuerent ab ullo periculo propter astra. Ergo mirum non est, si nunc Propheta damnet fallaciæ omnes divinos, qui tamen superbe nrrogabant sibi nomen sapientum: *insatuabuntur*, inquit. יאל quidem est

inci-

incipere, sed in hac conjugatione accipitur pro stultescere vel infatuari. Jam adjungit, *gladius super fortes ejus*: quos ante vocavit שרים Principes, nunc vocat גברים robustos, vel qui præstant fortitudine. Summa eodem redit, nempe quicquid sapientiæ sibi arrogat Babylon, fore meram stultitiam: & robur quo superbit, fore evanidum. Dicit enim, *conteretur*. חתת significat frangi, sed sæpe, ut alibi vidimus, refertur ad animum, & tunc accipitur pro expavescere, vel exanimari. Dicit igitur fortes non posse consistere, ubi gladius instabit, quoniam erunt velut exanimes, vel saltem ita erunt effœminati, ut tantum de fuga cogitent.

37. Gladius super equos ejus, & super currus ejus, & super multitudinem ejus (*aut vulgus promiscuum.* ערב *significat examen animalium, sicuti apum: & transfertur etiam ad homines, & tunc accipitur pro vulgo ignobili: super multitudinem ergo*) quæ est in medio ejus, & erunt in mulieres: (*hoc est, erunt similes mulieribus*) gladius super thesauros ejus, & spoliabuntur. (*expositi erunt in prædam.*)

In relativis mutat quidem Propheta genus, & videtur respicere ipsum Regem: sed in sensu nulla est ambiguitas. Denunciat igitur tam equos, quam currus perituros, quia gladius absumet omnia illa instrumenta bellica: & sicuti initio in genere pronunciavit cladem instare omnibus Chaldæis, ita nunc repetit, *Super promiscuam turbam*, aut totum vulgus, *quod est in medio Babylonis.* Dicit fore imbelles, quia Dominus ipsos exanimabit suo terrore, sicuti rursus postea dicetur. Postremo adjungit etiam *thesauros*, & dicit *fore in prædam hostibus.* Sequitur,

38. Siccitas super aquas ejus, & arescent: quia terra sculptilium est, & in idolis (*proprie in terroribus, vel terriculamentis*) gloriantur. (*vel insaniunt.*)

Hic est paronomasia, quia sæpius antea nominavit חרב gladium, nunc tantum mutato puncto, dicit חרב: est autem vastatio, aut siccitas. Sed quoniam nunc aquarum fit mentio, haud dubie Propheta siccitatem intelligit, nec sine causa hanc speciem enumerat, quia Euphrates alluebat urbem, ut satis notum est: deinde erat divisus in multos alveos, ut essent illic quasi multæ insulæ artificio & manu hominum factæ. Erat autem illa non vulgaris munitio, quia difficilis erat accessus, quum tanto fluvio urbs cincta esset ab una parte: deinde haberet fossas plenas, haberet etiam multos alveos. Atqui Cyrus (quemadmodum refert Xenophon) quum vellet urbem capere, usus est illa industria, & imitatus est eos, qui muniverant Babylonem: sed longe diverso consilio. deduxit enim multos rivos, ita ut fluvius potuerit transiri vado. Sic ergo exaruit magnum illud flumen, quod erat instar maris: & ita Babylon nullo negotio fuit expugnata. Ingressus est quidem noctu Cyrus, & Babylonem ex inopinato invasit quum secure epularetur & celebraret festum diem,
Dan. 5. quemadmodum retulimus ex Daniele, tamen hæc fuit ratio expugnandæ urbis, quod in multa brachia secuit Euphratem Cyrus ipse. Hinc factum est, ut perspicere potuerint oculis Judæi Prophetam nihil temere loquutum fuisse, qui non tantum prædixerat cladem & excidium urbis, sed modum ipsum ostenderat quasi esset in re præsenti. Subjicitur ratio, nempe *quod sit terra sculptilium.* Aliis quidem de causis vindictam sumpsit Deus de Babylone, ut antea visum est: sed Propheta hic de sculptilibus loquitur, ut Israëlitæ sciant nusquam alibi salutem esse certam nisi in uno Deo, qui se illis patefecerat. In summa, significat Jeremias, ubi destituitur aliqua regio auxilio Dei, etiamsi polleat & armis & multitudine, & aliis opibus & sapientia: tamen quicquid est sub cælo, esse nullius momenti, nisi adsit Dei benedictio & gratia. Quod autem de Proceribus loquutus est, deinde etiam de Magis, de tota multitudine: nominavit currus, & equos, & thesauros: hæc omnia in unum finem referri debent, quemadmodum nunc attigi, nempe etiamsi omnia suppetant quæ videntur facere ad nos tuendos, nisi Deus nos protegat, quicquid mundus offert esse frivolum; quia tandem experiemur nec arma, nec currus, nec sapientiam vel consilium, vel alia omnia adjumenta quicquam prodesse absque Deo. Sequitur, *gloriari Chaldæam in simulachris.* Diximus אימים esse terrores: & Gigantes etiam hoc nomine vocati sunt, ut
dicitur 2. cap. Deuteronomii vocatos fuisse אימים, Deut. 2. vers. 10.
quoniam scilicet formidinem incutiebant solo aspectu. Sed hoc nomen transfertur haud dubie ad simulachra, quoniam sunt terriculamenta duntaxat, *des espouvantails*, ut loquimur Gallice. quoniam ergo sunt mera ludibria, quæ pueros tantum territant, ideo vocantur אימים. Dicit autem *ipsos gloriari*, vel insanire. הלל enim utrumque significat etiam in conjugatione Hithpahel, ut hic sumitur: significat se jactare & efferre. Est igitur insanire: utrumque non male conveniet præsenti loco. nam gloriantur increduli in suis idolis, & simul insaniunt. quanquam prior expositio mihi magis placet, *quod scilicet glorientur in suis simulachris*: sicuti etiam dicitur Psal-
mo, Pereant qui confidunt in simulachris, & qui Psal. 97.
gloriantur in ipsis: ponitur quidem illic aliud ver- vers. 7.
bum, sed eodem sensu. Non autem sine causa exprobrat Propheta Chaldæis, quod sese in idolis jactaverint, quia hoc modo spoliabant Deum suo honore. Quicquid enim defertur idolis, Deo eripitur. Significat in summa, justam fore pœnam sacrilegii, quod Chaldæi gloriam Dei ad sua idola impie transtulerint. Docet autem hic locus, si pure inter nos Deus colatur, & vigeat sincera religio, hoc fore nobis optimum præsidium. Erimus ergo magis inexpugnabiles, quam si opes omnes mundi nobis affluerent: si Deo tribuamus justum honorem, & studeamus manere in sincero ejus cultu. Nunc sequitur,

39. Propterea habitabunt ציים cum עיים, (*vertunt quidam, satyri cum lamiis: sed potius tam* ציים, *quam* עיים *sunt vel aves, vel bestiæ sylvestres. quidam vertunt feles. Non disputo de his vocibus, liberum sit cuique judicium. sed quemadmodum alibi vidimus, Propheta intelligit potius sylvestres bestias, quam vel lamias, vel satyros. Postea adjungit*) & habitabunt filiæ struthionum: (*alii vertunt, ulularum: etiam de hoc nomine non contendo.* יענה, *ergo quidam vertunt, ululam. argute quidam exponunt filias exprimi, quoniam aves illæ deserant suos pullos, quando ululant inedia & fame. sed illud est fictitium. Ego igitur accipio pro recepto more linguæ, filias vel struthionum vel ululanum ac si dixisset ipsas ululas*) nec habitabitur amplius in seculum: non erit (*inquam*) in habitationem usque ad ætatem & ætatem.

Prophetæ ita loqui solent ubi nullam spem faciunt residuam. Diximus ante non fuisse vastatam Babylonem, quin illic habitaverint homines, qui etiam postea delicate vixerunt. Urbs enim semper populosa fuit sub Cyro, & filio ejus: deinde post defectionem, cœpit tamen rursus habitari: & quum Alexander subegit Asiam, tunc Babylon & multitudine, & deliciis, & opibus florebat. & quum illic mortuus est, reliquit urbem valde opulentam. Hinc ergo colligimus, non statim fuisse impletum quod hic pronunciat Jeremias. Sed quoniam pœnæ etiam leves aut mediocres, sunt quædam præludia æterni & ultimi exitii incredulis: ideò Prophetæ quum de vindicta Dei concionantur, semper extendunt suum sermonem usque ad ultimum interitum: & hoc etiam clarius apparet ex proximo versu ubi dicitur,

40. Secundum subversionem Dei in Sodomam & Gomorram, & vicinos ejus, dicit Jehovah, non habitabit illic vir, & non morabitur in ea filius hominis.

Hic versus confirmat superiorem sententiam, & explicat. Verum ut melius pateat consilium Prophetæ, tenendum est quod dicit Judas in sua Canonica, *Jud. v. 7.* nempe exitium Sodomæ esse quasi speculum, in quo perspicimus Dei vindictam contra omnes impios. Deus Sodomam subvertit: non eundem servat modum in aliis terris & gentibus: sed eadem tamen est ratio, quoniam omnes increduli & Dei contemptores, & reprobi tenentur impliciti ejus vindicta, quam non effugient etsi Deus ad tempus ipsam suspendat. Quum ergo nunc dicit Propheta Babylonem subversum iri, quemadmodum subversa fuit Sodoma, non intelligit hoc fore post 70 annos dum capta fuit à Cyro & Dario: neque etiam quum postea recepta fuit ea quo defecerat: neque quum fuit expugnata ab Alexandro. nam multo etiam post tempore fuit superstes, nempe usque ad imperium Augusti Cæsaris. Quum ergo ita sit, sequitur Prophetam nostrum non concionari de prima expugnatione, vel secunda vel tertia: sed respicere quod jam diximus, nempe ubi Deus reprobos ad judicium vocat, præludium quoddam esse æterni & ultimi interitus. Alia est piorum ratio. nam quamvis usque in sepulchrum, imo usque in centrum terræ Deus ipsos demergat, spes tamen illis relinquitur. quare nunquam ipsorum interitus respondet exitio Sodomæ. Et huc pertinet quod jam citavimus antea ex Jesaia, Nisi *Jesa. 1:9.* nobis relictum fuisset semen, eramus quasi Sodoma, & similes Gomorræ. Exceptio illa ostendit quid differant filii Dei à reprobis, nempe quia frequenter liberat ipsos ab interitu. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ quum dicit Babylonem fore vastam & solitariam, ita ut *non habitet illic quisquam hominum, neque moretur.* & quod etiam dicit, *à seculo usque in seculum*, vel ab ætate usque in ætatem. Cæterum, ex hac doctrina colligimus obrui desperatione incredulos, etiam in minimis pœnis, quia nihil apprehendunt præter Dei vindictam. Etsi enim Deus non statim ipsos occidit, tamen minima punctio denunciat quod impendet, imo infligit jam lethiferum vulnus, dum videtur ipsos leviter attingere. Unica igitur est consolatio, quæ nos sustineat in nostris miseriis, dum agnoscimus nos distingui pura Dei misericordia à Sodomitis, quoniam alioqui eodem digni essemus interitu, nisi Dominus pro inæstimabili sua bonitate nobis parceret. hæc est igitur summa. Sequitur,

41. Ecce populus venit ab Aquilone: & gens magna, & reges multi (*aut validi*) excitabuntur à lateribus terræ.

Rursum Propheta ostendit unde clades impendeat Babyloniis. Non exprimit quidem nomen *Jesa. 44. vers. 23. & 45: 1.* Cyri, quemadmodum facit Jesaias, neque etiam Persarum nomen: sed satis designat Medos, quum dicit, *populum venturum ab Aquilone.* Adjungit *gentem magnam & reges multos*, aut validos: postremo, *à lateribus terræ.* Certum quidem est, bellum gestum fuisse auspiciis & imperio Cyri & Darii. Cyrus superior erat, sed Darius ob reverentiam ætatis tenuit nomen summi Regis. Quosnam igitur intelligit Jeremias quum dicit *reges multos*, si ita exponimus? nempe intelligit Satrapas quorum magnam turbam secum traxit Darius. nam Cyrus venerat ex montibus remotis, & ex gente barbara: sed late patebat regnum Darii. Non dubium igitur est, quin traxerit secum multos reges, qui tamen parebant ejus imperio. Sed רבים possumus accipere pro validis. quicquid sit, intelligit Propheta non fore duntaxat cum una gente, & uno rege bellum Chaldæis, sed cum multis gentibus, & cum turba multorum regum, vel certe cum regibus potentissimis. Hæc summa est. Ideo ponit *latera terræ*, qua voce admonet, exercitum venturum non ab una certa regione sed à remotis partibus: & quamvis longa esset distantia, tamen dicit Propheta in unum collectum iri ipsos omnes, ut aggrediantur Chaldæos. Nunc videmus quasi in pictura repræsentari quod postea accidit, ut eventus ipse confirmaret Judæos non tantum in doctrina Jeremiæ, sed etiam in tota Lege Dei, & in toto cultu. nam hoc modo sancitum fuit vaticinium fidelibus, quum Jeremias Legis fidus interpres ita loquutus esset: deinde valuit etiam hæc doctrina in alium usum, nempe ut populus agnosceret se rebellem fuisse Deo quum ita obstinate restiterat sancto Prophetæ. scimus enim fuisse ad extremum immorigeros. Ergo ex eventu rerum fuerunt convicti se cum Deo pugnasse in illa tam pertinaci malitia, & contemptu. Postea fuit illis oblata materia certæ spei. Sicuti enim loquutus fuerat Jeremias de excidio Babylonis, ita ex opposito promiserat Judæis reditum. Ergo speranda illis fuit restitutio quum viderent completum fuisse quicquid loquutus fuerat Jeremias. Et verbo *excitandi* plus aliquid exprimit, quam *veniendi.* Dicit *venturum populum ab Aquilone*, sed addit יעורו, *excitabuntur.* Significat ergo non sponte venturos, sed arcano Dei impulsu: quoniam hoc bellum non humanitus gestum fuit. Cyrus quidem ut erat inexplebili avaritia & ambitione, correptus propria libidine fuit ad suscipiendum illud bellum: deinde nullum fecit finem sævitiæ, donec tandem infeliciter mortuus est, quum non desineret ubique fundere sanguinem innoxium. Sed interea Dominus usus est Regum illorum, & gentium opera, ut perderet Babylonem. Fuerunt igitur vere flagella Dei: & hoc sensu dicit *excitatos fuisse illos*, idque *à lateribus terræ*, hoc est, ex locis procul distantibus.

42. Arcum & scutum apprehendent, crudelis ipse, (*hoc est, omnes erunt crudeles*) & non tangentur misericordia: vox eorum tanquam mare sonabit, (*vel tumultuabitur*) & super equos ascendent, paratus est quisque tanquam vir (*hoc est, parati erunt ad prælium*) contra te filia Babylonis.

Iterum

Iterum de armatura loquitur Jeremias primum ut significet Babylonios non fore pares ad sustinendos illorum impetus. Dicit igitur *fore munitos arcu & clypeo:* deinde adjungit *crudeles fore.* Certum est, Persas fuisse valde sanguinarios. erat enim fera illa natio: & ubi dominatur barbaries, nullus est misericordiæ sensus. Volebat quidem Cyrus videri magnanimus Princeps, non sævus, sed satis apparet fuisse natura prorsus atrocem, quanquam in vita ejus aliter tradit Xenophon: sed in hoc non est historicus, quando large mentitur in gratiam Cyri. Verum si quis omnia colligat, facile statuet Cyrum fuisse hominem truculentum, & qui appeteret tantum cædes & strages. Quantum ad Medos spectat, erant dediti lautitiis, & non erat gens bellicosa. Darius tamen trahebat secum multos Satrapas vel quos devicerat in squalidis regionibus, vel qui etiam retinuerant aliquid vigoris. Quanquam ergo Rex ipse Medorum erat effœminatus una cum suis, habebat tamen secum multos bellicosos homines. Et idem
Jesa. 13. etiam exprimitur apud Jesaiam: & vestrum erit conferre hoc vaticinium cum vaticinio Jesaiæ. Optime enim inter se duo Prophetæ consentiunt: quanquam mortuus erat Jesaias, quo tempore Jeremias hanc prophetiam scripsit, & protulit etiam ore. Dicit *vocem eorum fore tumultuosam, sicut mare sonat & tumultuatur* ubi commotum est aliqua violenta procella. Hæc autem omnia dicuntur ut sciant Babylonii sua præsidia fore irrita, ubi Deus armaverit Persas & Medos in ipsorum exitium. nam si tantum humanitus gestum fuisset illud bellum, nunquam putassent Chaldæi hostes fore victores: neque etiam fuissent procul dubio, nisi quia Dominus ipsos excitaverat, & volebat eorum manu pœnam exigere de ipsis Chaldæis. Dicit *paratos fore ad prælium tanquam virum.* non videntur mihi interpretes assequi Prophetæ mentem, quia quamvis in singulari numero dicat Jeremias paratum fore, tamen loquitur de toto populo. Quomodo autem dicit fore paratum? nempe *instar viri.* Hic exprimit talem consensum fore in toto exercitu, ut simul ad prælium venturi sint omnes, acsi vir unus tantum rueret contra hostem suum. Difficile autem est, sic omnium animos gubernari in bello, ut uno impetu hostem invadant, & quasi manu una pugnent, & alii alios non respiciant: & tamen consentiant inter se. Hoc ergo intelligit Propheta quum dicit, *paratos fore Chaldæos tanquam virum.* deinde adjungit, *contra te filia Babylonis:* quo significat non tantum fore satis strenuos contra mediocres hostes, sed contra ipsam Urbem. Nisi enim hoc fuisset additum, semper Babylon videri potuit exempta esse communi numero. nam erat inexpugnabilis & hominum copia, & altitudine, & latitudine murorum, & turribus etiam, atque aliis omnibus munimentis. Nunc ergo significat Deus, quamvis Babylon superbe exultet in suis opibus, & putet se expertem fore omnis periculi: tamen instructos fore Persas & Medos virtute, qua facile ipsam superent. Sequitur, quod non possem hodie absolvere: ergo præstabit hic facere finem.

Da omnipotens Deus, quando impiorum exemplo nos erudis ad timorem nominis tui, ut discamus colla nostra subjicere verbo tuo, & libenter, atque etiam qua decet docilitate recipere jugum tuum, ut dum studemus glorificare nomen tuum, ita tuti tuo præsidio despiciamus omnes hostium impetus, & omnes insultus & conatus Satanæ, qui est caput omnium hostium, donec tandem perfruamur victoria nostra in cælesti tuo regno, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-QUINTA

IN

J E R E M I A M.

43. Audivit rex Babylonis famam ipsorum, & dissolutæ sunt manus ejus: anxietas apprehendit (*vel corripuit*) eum, dolor tanquam parturientem.

Significat his verbis Propheta, simulac fama belli ad Chaldæos pervenerit, terrore sic exanimatum iri, ut sint similes victis. quia enim multos populos sibi subjecerant, acquisierant sibi nomen gentis bellicosæ. Atqui Propheta hic denunciat, nihil ipsis fore animi, ideoque non opus fore magna confidentia ad ipsos aggrediendos, quoniam sponte cedent, & diffugient. Summa est, Persas & Medos victores fore antequam manus conserant, quia nullo conatu opus erit, dum hostes diffugient tanquam exanimes. Interea significat Propheta, in manu Dei esse corda hominum, quemadmodum sæpius jam dixi, ut qui visi sunt pollere magna audacia, liquescant uno momento. nam haud dubie non defuit Chaldæis animus ad bellandum, donec ipsos Deus effœminavit, ut evanuerint præ metu, simulatque de hostibus nunciatum fuit. Verum quidem est, non fuisse id statim completum: scimus enim diu sustinuisse obsidionem, & qua nocte Belsasar fuit interfectus, adhuc secure & laute epulabantur tanquam in alta pace: sed tandem deprehensi sunt, ita ut nihil in ipsis fuerit vel consilii, vel fiduciæ: quia Rex jugulatus fuit cum suis proceribus, & Urbs momento capta perinde acsi omnes homines conversi fuissent in truncos, vel in lapideas statuas. Sequitur,

44. Ecce tanquam leo ascendet (*ascendens*) à tumore Jordanis (*ab altitudine vel elevatione, proprie: גאון etiam significat metaphorice superbiam*) ad habitaculum forte: quum quiescere fecero, (*vel postquam irruptionem fecero*) currere faciam eos ab ipsa: & quis electus quem super eam præficiam? Quis enim similis mei? & quis contestabitur mecum? & quis ille pastor, qui consistat coram me? (*vel ad faciem meam.*)

Eadem prope verba exposuimus proximo capite. nam Propheta non tantum hac similitudine usus est contra Idumæos, sed adjecit omnes sententias, quæ hic etiam referuntur; imo usque ad finem capitis nihil novum adfert Propheta, sed tantum repetit quæ illic vidimus. Primo loco comparat vel Deum, vel Cyrum leoni, quum ab inundatione Jordanis alio se confert. Varie quidem exponitur hic locus, ut ille superior. quidam vertunt, Præ superbia Jordanis. Sed quoniam patet ex aliis locis leones circa ripam Jordanis habuisse suas latebras, mihi dubium non est quin Propheta hic comparet Cyrum leoni, dum cogitur suum domicilium relinquere, propterea quod fluvius exundavit. Scimus quam truculenta sit bestia leo. ubi autem cogitur mutare sedem, & migrare in alium locum, magis exardet ejus rabies.

rabies. Perinde est igitur acsi diceret non quemlibet fore leonem qui aggredietur Babylonios, sed leonem quasi rabiosum præ indignatione. Postea adjungit, *ad habitaculum forte*. Quum de Idumæis dissereret, potuit esse allusio ad ipsorum regionem quæ erat excelsior, deinde etiam habebat montes tanquam propugnacula. Sed quoniam Babylon etiam sita erat in loco munito, & prope inexpugnabili propter multos rivos Euphratis, bene etiam convenit quod dicit Propheta, *leonem venturum* etiamsi occurrant claustra, quæ impediant ejus cursum. nam si leo oberret non famelicus, nec coactus aliqua necessitate, poterit huc vel illuc deflectere. Ubi autem cogit rabies, atque impellit, tunc transcendit omnia obstacula. Sic etiam Propheta dicit, quamvis confidat Babylon suis munitionibus, Cyrum tamen illuc perrupturum, quia *erit tanquam leo, qui ab inundatione Jordanis sese alio transfert*, ubi non amplius reperit solitum domicilium. Jam tenemus summam verborum, quod negotium erit Babyloniis non cum hoste ignavo, sed terribili: deinde qui superabit omnia obstacula, quemadmodum si leonem incitet furor, ubi necessitas ipsum agit quasi præcipitem. Quod sequitur obscurum est. quidam enim vertunt, Ubi quiescere fecero Israelem, tunc fugere faciam ipsos ab ea. In superiori loco legitur numero singulari ארגיעה. hic

Jer. 49. vers. 19.

autem plurali numero Propheta utitur ארוצם, quanquam certum est, eundem esse sensum. Interea quidam hoc referunt ad Judæos, quod scilicet Deus ipsos abripiet ex Babylone, dum volet reddere illis quietem, nempe ut in patria secure habitent. Sed quoniam nulla fuit facta mentio populi, hoc est nimis coactum, & remotum. Omitto alias expositiones, quia videtur mihi hic simplex esse sensus Prophetæ, *Quum fecero irruptionem*, vel postquam ipsos quiescere fecero, *fugere faciam*. Loquitur, meo judicio, de Chaldæis. Particula autem כי accipitur pro adverbio temporis, quando, vel postquam. Sæpius quidem est causalis particula, sed sumitur etiam plerumque illo sensu: jam duæ possunt sententiæ elici, *quum irruptionem fecero*, vel quum quiescere fecero. nam רגע utrumque significat, scindere vel abrumpere, & quiescere. hic est in conjugatione activa. Ergo si legimus, Postquam quiescere eos fecero, sensus erit, Babylonios fuisse diu tranquillos, quia scilicet nemo erat qui ipsos infestaret, vel qui turbaret eorum pacem. Scimus autem homines, ubi diu quieverunt in suo otio, fere obstupescere, ut nullo metu tangantur. Deus ergo ostendit, Babylonios longe falli, si ea æstiment quietem, qua ante fruebantur, fore perpetuam: quia fugere faciet ipsos ab urbe, quamvis diu illic fuerint tranquilli. Potest etiam alter sensus non male quadrare, Ubi scidero, vel irruptionem fecero, tunc omnes diffugient, hoc est, relinquent urbem ipsam, quæ prius erat instar Paradisi. Interea mihi dubium non est, quin Propheta hic denunciet subitam cladem Babyloniis, quæ populum huc atque illuc dispellat in diversa exilia. Jam sequitur, *Quis electus ut præficiam eum?* Deus hic deliberat quodammodo quemnam debeat creare ducem belli contra Chaldæos. Significat autem his verbis sibi præsto fore optimum ducem, & maxime industrium, deinde exercitatum in rebus bellicis, ita ut excellat. Et scimus ad obsequium Dei trahi etiam invitos, ubi utitur impiis tanquam flagellis. In summa, significat Deus, quamvis Babylonii habeant strenuos duces, & rei bellicæ peritissimos, sibi tamen ex opposito fore paratos duces, quibus mandet partes expugnandæ urbis illius. Et hoc modo simul docet manu sua regi homines, ita ut pro arbitrio suo ipsos deligat, & applicet ad quodcunque vult opus. *Quis est electus ut præficiam contra eum?* inquit. deinde adjungit, *& quisnam similis mei?* Hic ostendit Propheta, frustra Babylonios confidere suis præsidiis, quia ubi omnia tentaverint, reperient merum esse fumum quicquid Deo opponitur, atque invictæ ejus virtuti. hæc sententia sæpe occurrit. Quanquam autem videtur esse vulgaris, tamen si nos ipsos excutimus, non frustra toties eam inculcat Spiritus sanctus. Postquam enim confessi sumus nullum esse Deo parem, vel ad ejus virtutem accedere, simulatque aliqua tentatio nos sollicitat evanescit illa cognitio, & perinde trepidamus acsi Deus nihil esset, & nulla polleret virtute ad opem nobis ferendam. Diffidentia igitur, quæ subinde nobis obrepit in rebus dubiis, vel in periculis, satis ostendit nos non tribuere Deo, potentiæ laudem sicuti par erat. Ergo non frustra exclamat hoc loco, sicuti aliis pluribus, *Quis similis mei?* quasi diceret, Babylonios stolide accersere hinc inde auxilia: quoniam ubi omnes suos conatus exequuti fuerint, quicquid putabunt sibi fore utile, hoc totum erit evanidum acsi destituti fuissent omnibus remediis. Adjungit, *& quis contestabitur mecum?* alii frigide vertunt, Quis præscribet mihi tempus? prorsus enim corrumpunt sensum Prophetæ, quia hoc loco Deus pronunciat, frustra homines secum litigaturos. Ergo perinde est acsi diceret, Quamvis omnes contra me insurgant, tamen non admittam ipsos, ut mecum litigent: & hoc frustra etiam sunt facturi. Denique significat Deus frustra homines obstrepere suis judiciis, quia nihilominus quod decrevit perficiet. Neque tamen sibi vendicat absolutam potentiam, de qua Sophistæ garriunt, dum eam excludunt à justitia: sed significat non semper manifestas esse causas hominibus, ubi judicia sua exercet. Neque enim Scriptura etiam abs re testatur judicia Dei esse profundam abyssum: sed sub illa voce non intelligit quicquam esse confusum, vel turbulentum in Dei judiciis. quid ergo? nempe Deum mirabiliter operari: & ideo judicia ejus abscondita esse hominibus interdum. Ergo breviter ostendit Deus, quamvis Babylonii disceptent, & multa obstrepant, hoc totum fore inutile, quia exequetur quod statuit, & id absque disceptatione. Discamus ergo ex his verbis, ubi opera Dei præ se ferunt aliquid absurditatis, ea humiliter suspicere, neque revocare ad calculum nostrum. Deus enim non est obnoxius nostro judicio. Ergo quemadmodum jam dixi, tunc demum sapiemus, si modeste revereamur ipsum in omnibus suis operibus, ne cum ipso disceptemus. nam ubi omnia adduxerimus, uno verbo nobis os occludet, atque compescet nostram protervіam: imo tacendo semper vincet, quia justitia ejus semper obruet quicquid nobis in mentem venerit. Cæterum, tenendum est memoria quod dixi, nempe Deum non ita agere absoluta potentia, ut separari debeat à justitia ejus. Hoc enim est quasi ipsum lacerare, quoniam res sunt individuæ, potentia ejus, & justitia: sed justitia sæpe non apparet. Quicquid sit, tunc sola & simplex ejus voluntas sit nobis tanquam regula omnis justitiæ. Sequitur, *& quis ille pastor qui consistat coram me?* Alludit ad similitudinem quam posuit. prius enim fecit se leoni similem. Nunc ubi dicit, Quum ego instar leonis grassabor contra Babylonem, *quis pastor audeat sese mihi opponere?* videmus subesse antithesin inter leonem & pastorem, quia Deus futurus erat leo ad perdendam Babylonem: ideo pastoris elogio quemlibet adversarium insignit, qui pro defensione gregis Chaldaici prodeat in medium. Sequitur,

Psal. 36. vers. 7.

45. Propterea audite consilium Jehovæ quod consultavit contra Babylonem, & cogitationes quas cogitavit contra terram Chaldæorum: Si non traxerint eos parvuli gregis, si non perdiderint super eos habitaculum.

Con-

Confirmat Propheta superiorem doctrinam: & utitur jurejurando, quia jam satis prolixe concionatus est de interitu Babylonis: & supervacuus potuit videri alioqui sermo, quoniam res plusquam dilucide erat exposita. Sed hic inducit Deum jurantem, quia particula אם-לא, *si non*, ostendit orationem esse ellipticam. Et scimus hanc formulam jurandi satis tritam esse in Scripturis. Jurat ergo Deus, Babylonios jam addictos esse exitio, *ut minimi etiam ex grege, futuri sint illis superiores*. Sed non frustra de consilio Dei, & ejus cogitationibus hic Propheta loquitur. Scimus enim homines pro sua vanitate semper teneri suspensos, ut non certo acquiescant in Dei verbo, vel saltem vacillare, ut nulla sit fidei stabilitas. Quoniam ergo homines secum agitant fieri posse, ut aliter res accidat, quam loquuti sint Prophetæ, hic Jeremias occurrit perversis illis imaginationibus, jubet *audire consilium Dei, & cogitationes*. Est quidem translatitia loquutio quum loquitur de cogitationibus Dei. scimus enim Deum non deliberare quid facturus sit, instar hominum: sed ratio hæc loquendi satis frequenter occurrit, ut nobis familiaris esse debeat. Quicquid sit, significat non frustra Deum terrorem injicere quum de Babylone loquitur: sed proferri decretum ejus irrevocabile, quod apud se statuit Deus. Ergo, inquit, ex quo consilium jam cepit, ne homines amplius deliberent, nec revocent in dubium quod fixum est ejus decretum, ne disceptent de cogitationibus ejus. Non est ergo quod secum volutent homines, & inclinent in partes diversas, quoniam necesse est ita compleri sicuti vaticinatus sum. Deus ergo jussit me hoc proferre, & educere è suo consilio, quod non potest ullo modo mutari. Hæc ratio est cur Dei consilium & cogitationes nominet. Adjungit, *Si non traxerint ipsos*: alii vertunt Dejecerint: sed סחב significat trahere. Et minime dubium est, quin ignominiam ac probrum designet Propheta hoc verbo, quemadmodum trahuntur cadavera per lutum, vel canis etiam mortuus trahitur, & tandem abjicitur in fluvium: ita nunc dicit, *Trahent Babylonios minimi gregis*. Sed quomodo hæc simul conveniunt, ducem fore electissimum, & tamen minimos ex grege fore victores? Significat Deus, quamvis instruet Cyrum virtute bellica, tamen si velit, in promptu esse rationem, qua perdat Babylonios, etiamsi oves duntaxat, vel agnos illis hostes immittat. Denique significat Babylonios fore imbelles, ubi exuerit Deus ipsos sua audacia. *Et si non everterint super ipsos tabernaculum*: alii quasi esset שים, vertunt, Si non posuerint: alii deducunt à ישם: sed potius est à שמם. *Si ergo non everterint super ipsos tabernaculum*: hoc est, ubi prostrati fuerint Babylonii, etiam domus ipsorum excidentur, ut obruant ipsos. Denique hic ultimam cladem exprimit Deus, & è qua nunquam possint restitui Babylonii: quoniam signum est ultimæ desperationis, ubi domus ipsæ evertuntur, ut obruant suos dominos. Sequitur,

46. A voce captæ Babylonis contremuit terra, & clamor in gentibus (*vel per gentes*) auditus est.

Est species occupationis. poterant enim multi excipere, qui fieri posset, ut Babylon ita rueret, in cujus Monarchia fundatæ erant tot & tam amplæ regiones? Quoniam ergo poterat hæc absurditas venire illis in mentem, occurrit Propheta, & respondet per modum occupationis, etiamsi terra contremiscat, tamen hoc certum fore. Interea ostendit gravitatem cladis, quæ totum orbem suo fragore concutiet. nam hoc modo potuit melius cognosci, quam gravis futura esset Dei ultio contra Babylonios, quoniam non erat futura sine concussione totius terræ. Nunc sequitur,

CAP. LI.

SIc dicit Jehovah, Ecce ego excitans contra Babylonem, & contra habitatores cordis qui insurgunt contra me, ventum corrumpentem. (*vel dissipantem.*)

Prosequitur eandem sententiam. Videtur quidem esse nimis verbosus Jeremias: sed ostendimus causam cur pluribus verbis insistat in re clara. Neque enim tantum vult docere, quia hoc poterat paucis verbis, & statim complexus est quicquid hactenus vidimus, & quod visuri sumus toto capite 51. Sed quia res erat difficilis persuasu, ideo necesse fuit multis figuris illustrari ejus vaticinium, multis repetitionibus etiam inculcari quod semel dictum erat. Deinde multis rationibus confirmari quod vix quisquam admittere poterat. Dicit igitur nunc, *Ecce ego*. inducit Deum loquentem, quo plus vehementiæ habeat sermo; *Ecce ego*, inquit, *excito ventum corrumpentem contra Chaldæos*. Similitudo venti optime convenit, quia breviter admonet Deus quam sibi facile sit evertere totum mundum, nempe solo flatu. Ventus enim tacite opponitur armis bellicis. nam si quis velit hostem suum vincere, colliget magnas & validas copias, & undique advocabit auxilia; denique nihil audebit tentare sine maximo apparatu. Quoniam ergo homines sine magno conatu non audent hostes suos aggredi, hic Deus potentiam suam extollit, quia satis habeat flare. Nunc ergo tenemus rationem similitudinis quum dicit *se excitaturum esse ventum, qui corrumpat Chaldæos*, vel qui dissipet. Jam in aliis verbis est aliqua obscuritas: ad verbum est, *habitatores cordis*. nam quia ישבי est in regimine; necesse omnino est sequi aliquid quod cohæreat, sicuti nomen regionis Casdim. Atqui jam præcessit, vel potius debuit poni relativum ה de Babylone. Porro ut verba sonant cogimur legere, *Et super habitatores cordis*. Quidam subaudiunt relativum אשר, id quoque dure: quia non constat ratio loquendi. sic tamen contexunt, אשר לב, *qui corde insurgunt contra me*. Sed, quid si metaphorice legamus *habitatores cordis*, qui superbiebant sua sapientia? Babylonii enim, ut satis notum est, putabant alios homines esse bardos, & sibi adeo placebant in sua astutia, acsi muniti essent undique claustris. *habitabant* ergo *in corde suo*, hoc est, putabant se optime esse circumdatos sua prudentia. Hoc sensu videtur Propheta Babylonios vocare *habitatores cordis*. Interea adjungit *ipsos insurgere contra Deum*, quoniam scilicet populum ejus crudeliter vexaverant, ac prope deleverant. Scimus autem Deum suscipere Ecclesiæ suæ causam: & ideo conqueritur bellum sibi inferri ab impiis, quoties fidelibus molesti sunt. Quanquam illud etiam generaliter verum est, insurgere contra Deum quicunque sibi arrogant sapientiam, quoniam spoliant Deum justo suo honore. Sed proprie hoc referri debet ad conjunctionem quam habet Deus cum sua Ecclesia, ubi Chaldæos accusat, *quod contra se insurrexerint*. Sequitur,

2. Et mittam contra Babylonem ventilatores, qui ventilent ipsam, (*ad verbum, & ventilabunt ipsam*) & exinanient terram ejus: (*vel spoliabunt.* בקק *enim significat proprie eximanire, evacuare, ut vulgo dicunt: & significat etiam spoliare, & prædari. qui ergo exinanient terram*) quia erunt contra eam in circuitu in die mali. (*hoc est, in die adversa.*)

Hic seipsum clarius explicat omissa figura: non utitur amplius metaphora venti, dum pronunciat *se missurum ventilatores*: quanquam זרים quidam accipiunt pro alienis, qui alienabunt ipsam. sed illud esset durum. Ego autem non dubito, quin Propheta ad ventum respiciat, cujus paulo ante meminit. Non continuat quidem suam figuram, sed interea respondet quod simpliciter dicit proximæ figuræ. Pro vento igitur nunc ponit ventilatores: sed hoc non potest intelligi, nisi de hostibus. Clarior est adhuc expressio in verbo *exinaniendi*, quum dicit Persas ac Medos ventilaturos esse Babylonem. Comparat haud dubie ipsam quisquiliis. Quemadmodum ergo quisquiliæ dum ventilantur cadunt in terram, ita dicit hoc impendêre Babyloniis: sed adjicit, *exinanient illi terram ejus*, terram Babylonis: dicit, Totam regionem ita spoliabunt, ut nihil residuum maneat. Et confirmat hanc sententiam, *Quoniam erunt in circuitu*, inquit: qua voce significat nullum fore effugium Chaldæis. nam furtim sæpe contingit homines elabi, dum urgentur à suis hostibus: quia hostes etiamsi teneant omnes transitus, tamen non observant multas latebras. atqui Propheta dicit hostes ita futuros in toto circuitu, ut Chaldæi nihil possint subducere quod servent ex eorum manibus. Addit, *in die mali.* qua voce iterum significat, Chaldæos jam divinitus addictos esse suo exitio. Ergo perinde est acsi diceret, simulatque advenerint hostes, actum fore de Babylone, & toto populo. quare? *erit enim dies ultima cladis.* Sequitur,

3. Ad tendentem qui tendit arcum suum, (ידרך, *est hic vox supervacua. Qui tendit igitur arcum suum*) & qui se extollit lorica sua, & (*copula hic abundat*) ne parcatis electis ejus, interficite omnem exercitum ejus.

Varie hunc versum exponunt interpretes. quidam per *eum qui tendit arcum*, intelligunt milites levis armaturæ: per eum vero *qui se attollit in lorica sua*, intelligunt milites cataphractos. deinde alia est etiam varietas: quidam accipiunt אל, pro אל, ubi dicitur ואל יתעל, quia sequitur copula: & non videtur bene contexi sermo, si ita legamus, Ad eum qui se attollit in lorica sua, & ne parcatis: ideo negative accipiunt particulam אל. pro אל. & ne extollat se in lorica sua. Sed probabile est secundo loco copulam esse supervacuam: ideo simplicior erit sensus, *ad eum qui arcum tendit, & ad eum qui se extollit in lorica sua.* Ego quidem non tam subtiliter interpretor, ut alii, de militibus levis & gravis armaturæ. Non dubito igitur quin hac voce designet loricatos, & sagittarios. tamen si cui magis placeat illa expositio, fruatur suo judicio. Quantum ad summam spectat, Propheta hortatur Persas & Medos, ne parcant electis gentis Chaldaicæ, sed perdant totum ejus exercitum, ita ut nihil residuum maneat.

Da omnipotens Deus, quando tantopere sollicitus fuisti olim de salute populi tui, ut bellum ejus causa susceperis contra potentissimam gentem, ut hodie etiam sentiamus nos salvos fore & incolumes sub præsidio manus tuæ: & ita experiamur tuam virtutem, ut justa sit nobis in te gloriandi materia, & hostes nostri confusi jaceant, quo magis ac magis refulgeat gloria tua, & hoc modo etiam propagetur regnum unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-SEXTA IN JEREMIAM.

4. Et cadent vulnerati in terra ejus, (*in terra Casdim*) & transfixi (*vel confossi*) in compitis ejus.

Prosequitur quod heri cœpimus tractare, nempe instare tempus, quo Deus vindictam sumat de Babyloniis. Quoniam autem id fieri non poterat sine magna strage in urbe usqueadeo populosa: deinde non poterat everti, quin calamitas sese extenderet per totam ditionem: ideo dicit, etiamsi opponant Babylonii magnos & validos exercitus, id fore vanum, *quia cadent passim in terra vulnerati.* Deinde adjungit, *transfixi in compitis cadent*: quibus verbis significat, non modo occisum iri Chaldæos in campis apertis, sed in media quoque urbe. Postea adjungit,

5. Quoniam non viduatus est Israël, & Jehudah à Deo suo, à Jehovah exercituum: quin potius (*eadem est particula* כי, *causalis, quæ tamen hic plus aliquid exprimit. ergo quin potius*) terra ipsorum plena est peccato propter Sanctum Israël.

Hic causam ostendit Propheta cur Deus tam severe ac duriter Babylonios tractare statuerit, quia scilicet vindex sit populi sui. Deinde occurrit dubitationi, quæ turbare poterat infirmas mentes. visus enim fuerat populo suo valedicere, quum passus est eum trahi in exilium. Quoniam igitur illa erat species repudii, ut etiam alibi vidimus, dicit nunc Propheta *non prorsus viduatum esse Israëlem, & Jehudah à Deo suo*: quasi diceret, fuisse quidem Judæos & Israëlitas ad tempus similes mulieribus viduis: sed hoc non esse perpetuum. nam ut diximus, fuerat temporale illud divortium, quum Templum suum, & Urbem Deus ita deseruit, ut miser ille populus expositus esset in prædam. Quantisper ergo grassata fuit hostium libido, Deus visus est populum deseruisse: fuit ille cælibatus de quo nunc loquitur Propheta: sed interea restatur *Israëlem non prorsus esse viduatum à Jehova Deo suo.* Alludit autem ad conjugium spirituale, cujus jam sæpius mentio fuit facta. Deus enim Ecclesiam ab initio sibi conjunxit quasi vinculo conjugali: populus autem ille, ut satis notum, sic receptus fuerat in fœdus, ut esset contractum spirituale conjugium. Ergo nunc Propheta dicit *non esse viduatum.* quibus verbis respicit

ad

ad spem liberationis: quia negari non potuit, quin Deus populum repudiasset. Cæterum ostendit castigationem illam non fore perpetuam, quia Deus tandem populum, à quo alienatus erat, sibi reconciliabit, & restituet io pristioum statum, ut sit loco uxoris. (Loquitur de utroque regno.) deinde adjungit, *à Jehovah exercituum:* quo epitheto extollit Dei potentiam: quasi diceret, Sicuti fidelis est Deus in suis promissis, & constanter fœdus suum servat, ita non destitui virtute, quin possit servare suos, & eripere à morte ipsa, ubi visum ita fuerit. Confirmat sententiam illam, *Quia terra Chaldæorum referta sit peccato propter Sanctum Israëlis:* quasi diceret terram illam abominabilem esse, quoniam bellum suscepit contra Deum. Nam ubi loquitur de *Sancto Israëlis*, ostendit Deum ita curam gerere illius populi, ut paratus sit se illius vindicem ostendere ubi advenerit tempus opportunum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ ubi dicit *refertam esse Chaldæam peccato*, quia scilicet Deum provocatit quum putaret se duntaxat hominibus injuriam facere. Sequitur,

6. Fugite è medio Babylonis, & servate quisque animam suam, (*vel eripite*) ne excidamini (*vel pereatis*) in iniquitate ejus: quia tempus hoc ultionis Jehovæ: mercedem ipse rependet ei.

Prosequitur eundem sermonem: sed variis figuris hanc doctrinam illustrat: quia alioqui nunquam penetrasset in animos piorum. hodie si quis vaticinaretur de excidio Romæ, via posset hoc admitti: & tamen ætate nostra scimus fuisse expugnatam, & nunc pendet quasi de filo: quamvis hactenus fundata fuerit & munita maximis opibus. Cæterum dignitas urbis ita obstupefecit omnium mentes, ut vix sit credibile posse tam cito everti. Quid ergo potuit tunc accidere? nam Babylon dominabatur in Oriente: Assyrii prius tenuerant Monarchiam: fuerant autem coacti in ordinem, & quasi subjugati. Jam quum Babylon ita floreret summa & invicta potentia, visus est fabulari Jeremias, quum dissereret de propinqua ejus clade. necesse igitur fuit, sermonem illum confirmari, quemadmodum facit. Et ideo nunc sese convertit ad exteros, & hospites, hortaturque ipsos, ut cito diffugiant, ne pereant in illa urbe maledicta. *Fugite*, ioquit, *è medio Babylonis.* Atqui nullus erat locus tunc in terra tutior. nam si concussæ fuissent omnes plagæ mundi, Babylon tamen erat quasi extra omne discrimen. Dicit autem *fugiendum esse è medio ejus si velint hospites servare animas suas.* postea adjungit, *Ne pereatis in iniquitate ejus.* Causam assignat cur aliter salvi esse non possint qui tunc habitabunt in Babylone, nisi fugiant, nempe quia Deus pœnam sumpturus est de illius urbis sceleribus. Ergo iniquitatem Babylonis opponit tam multitudini hominum, quam divitiis, & præsidiis, & aliis opibus. Babylon erat populosa: deinde poterat multis auxiliis juvari: & erant in promptu qui operas suas locarent. Quum ergo nihil urbem illam deficeret, Propheta hic ostendit nullius momenti fore & pecuniam, & hominum copias, & alia omnia adjumenta, quoniam Deus velit pœnam exigere de ejus iniquitate. Hæc igitur ratio est cur nunc dicat Jeremias, *ne pereatis in iniquitate ejus*, hoc est, ne permisceamini cum impiis illis quos Deus jam exitio addixit. Eodem sensu adjungit, *Quia tempus hoc vindictæ Jehovæ*, inquit. ubi iterum occurrit exceptioni. Nam quia suspenderat Deus judicium suum, nemo putasset fieri posse, ut statim, & quasi momento ignis accenderetur ad perdendam Babylonem. Dicit igitur Propheta *tempus esse:* qua voce significat quamvis Deus non semper exequatur sua judicia, tamen non jacere quasi socordem, ita ut obliviscatur suarum partium: sed habere sua tempora. Et hæc doctrina notatu digna est, quoniam pro fervore nostro semper tumultuamur, nisi Deus nobis succurrat simulatque sumus læsi. Quod si vel pauxillum dissimulet, fremimus, & putamus illum oblitum esse nostræ salutis. Et sancti etiam ubi familiariter deponunt in ejus sinum suas curas & anxietates, ita loquuntur, Surge Domine, quare obdormis? Psal. 44. vers. 24. Quoniam ergo ita natura propensi sumus ad impatientiam, notandum est quod toties Scriptura inculcat; nempe Deo esse certa & sua tempora quum vult pœnam exigere de reprobis. hoc sensu nunc docet Jeremias *adesse tempus vindictæ Dei.* Postea adjungit; *mercedem ei rependet:* quasi diceret quamvis non statim Babylon dederit pœnas, non tamen elapsam esse ex manu Dei, quia merces parata est, quam Deus rependet ei. Sumpta autem est hæc doctrina ex principio generali, nempe Deum non cessare, quin unicuique rependat justam mercedem. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Diximus autem sermonem hunc dirigi ad peregrinos & hospites, qui tunc agebant in Chaldæa, vel etiam in urbe ipsa Babylonis. Ergo locum hunc torquent qui existimant fideles stimulari, ut statim discedant è Babylone, hoc est, procul à superstitionibus se subducant, & totius mundi inquinamentis, quia nihil tale voluit Propheta: potest tamen transitus fieri ab una sententia ad alteram. Nunc sequitur,

7. Calix aureus Babylon in manu Jehovæ, inebrians totam terram: è vino ejus biberunt gentes, propterea insanierunt gentes.

Hic rursus prævenit objectionem, quæ moveri poterat. Nam scimus regna mundi neque surgere neque stare, nisi Dei arbitrio. Quum ergo Propheta minatur excidium Babyloni, in promptu erat objectio, Qui factum est igitur, ut urbs illa, quam tu dicis esse maledictam, hactenus ita floruerit? quis enim ornavit Babylonem tanto honore? tot divitiis? tot etiam victoriis? neque enim fortuito contigit, ut hæc Monarchia in sublime evecta fuerit. Jam non modo tota Assyria sub jugum redacta est, sed etiam regnum Israël, & regnum Jehudah etiam non longe abest ab ultima sua clade. Respondet igitur Propheta *Babylonem fuisse calicem in manu Dei ad inebriandam terram:* quasi diceret, Deum minime secum pugnare, dum usus fuit Babylonii tanquam flagellis, & nunc ipsos vicissim castigat. Et simul ostendit, quum res ita volvuntur in mundo, id non accidere cæco impetu fortunæ, sed arcanis Dei judiciis, qui ita totum mundum gubernat, ut etiam impios extollat sæpe ad maximam potentiam quum vult per ipsos exercere sua judicia. Nunc ergo tenemus rationem contextus, quia alioqui videri posset abruptus Prophetæ sermo. Dixit enim, jam venisse tempus vindictæ Dei. nunc subjicit, *Calix aureus in manu Dei.* quorsum hoc? Sed nunc satis liquet quam apte fluant verba, sententiæ quæ videntur procul differre, probe cohæreant: quia scilicet poterat obrepere dubitatio, qui fieri posset ut Deus ita beneficia sua conferat in aliquam urbem: deinde statim ipsam perdat. Quoniam ergo videtur id esse absurdum, Deum ita variare, quasi sibi non constaret, Propheta ex opposito admonet, quum tales vices contingunt, Deum tamen minime mutare consilium: quia sic temperat mundi gubernationem, ut quos prosequutus est insignibus beneficiis, postea evertat, quia digni sunt pœna propter suam ingratitudinem: deinde

non abs re, nec temere uti illis ad tempus, dum scilicet arripit eos tanquam flagella, quibus castiget scelera aliorum. Et hac ratione, ut arbitror, vocat *aureum calicem*. Deus enim visus est quasi plena manu effundere suam beneficentiam erga Babylonios. Quum ergo tantus esset splendor illius urbis, & Monarchiæ, omnia illic fuerunt quasi aurea. Dicit igitur *calicem fuisse aureum*, sed *in manu Dei*. quum dicit *in manu Dei*, significat non fortuito dominatos fuisse Babylonios, sed quoniam ita Deo placuit: deinde potentiam illorum quamvis fuerit immensa, tamen fuisse divinitus frenatam, ut nihil exequuti sint nisi Dei permissu, imo mandato. Postea adjungit quomodo Deus voluerit calicem hunc manu sua gestare, & calicem tam splendidum, acsi esser aureus, nempe quia volebat *inebriare totam terram*. Sunt metaphoricæ loquutiones. neque enim dubium est quin Propheta hic loquatur de pœnarum exemplis quæ fuerunt quasi species quædam vesaniæ. Quum ergo Deus vellet de omnibus illis populis sumere vindictam, inebriavit ipsos malis: id fecit per Babylonios. Ergo hac ratione dicitur Babylon fuisse *calix aureus*, quem Deus manu sua porrexit, ac propinavit omnibus populis. Hæc similitudo etiam alibi visa fuit quum diceret Jeremias de Idumæis, Biberunt omnes ex calice, imo biberunt usque ad fæces, ita ut inebriarentur. Illic etiam vocabat calicem furoris terribilem pœnam quæ Idumæis instabat. Sic ergo inebriatæ fuerunt multæ gentes per Babylonios, quoniam afflictæ ita fuerunt, ut ærumnis fuerint quasi fascinatæ eorum mentes. scimus enim homines obstupefieri rebus adversis, acsi non essent mentis suæ compotes. Hac ratione Babylon inebriavit multos populos, quia sic afflixit, ut essent quasi redacti ad amentiam. neque enim composita fuerunt mente quum misere essent dissipati. Jam eodem sensu adjungit, *Gentes quæ biberunt ex eo calice fuisse quasi insanas*. hic exprimit non mediocres fuisse pœnas, quibus castigati fuerunt diversi populi à Babyloniis, sed quæ mentem & judicium ipsis eriperent, quemadmodum fieri solere in extremis malis nuper dixi. Cæterum, hic locus docet, ubi magno splendore impii exercent suam potentiam, Deum tamen moderari omnes eorum impetus, quamvis id palam non appareat: imo impios omnes dum videntur sumere sibi omnem licentiam, gestari tamen tanquam Dei manu, & quum crudeliter opprimunt suos vicinos, id fieri arcana Dei providentia, qui hoc modo inebriat omnes qui digni sunt castigatione. Interea subindicat Propheta, Babylonios neque sua industria, neque suis viribus oppressisse tot gentes: sed quia Dominus voluit eas inebriari. Alioqui poterat hoc etiam tenere perplexos fideles, vix fieri posse, ut quisquam inveniretur superior Babyloniis. Ergo respondet Propheta non aliter devictas fuisse omnes gentes, nisi quia Dominus illis propinavit vinum furoris, & insaniæ. Sequitur,

supra 49. vers. 12.

8. Subito cecidit Babylon, & confracta est: ululate super eam, tollite resinam (*alii balsamum*) ad dolorem ejus, si forte sanetur.

Nunc denunciat Propheta cladem Babylonis fore subitam, ut intelligant fideles, posse Deum uno momento complere quod statuit. Nam ubi Prophetæ loquuti erant de judiciis Dei, populus secum agitabat quomodo fieri posset quod superabat communem sensum. Ergo ne homines Dei potentiam æstiment suo sensu, ponit hanc vocem *Repente*: quasi diceret, Deum non opus habere copiis bellicis. nam ut nihil machinetur, tamen posse momento evertere quicquid est potentiæ in mundo. deinde adjungit, *Ululate super eam*. Hoc autem addit, quia fieri non potuit, quin multi populi vel deflerent tantæ Monarchiæ ruinam, vel cum admiratione ad ipsam stuperent, & ita passim vulgarentur multi sermones. Dicit igitur, Utcunque totus mundus ululet super Babylonem, cadet tamen, & cito frangetur, ubi ita placuerit Deo. Adjungit ironice: *Tollite resinam*, inquit, *si forte sanetur*. צרי, vertunt alii Balsamum: sed accipitur pro resina, quoniam scimus fuisse pretiosam in Judæa. Et minime dubium est, quin Propheta sermonem suum accommodet ad usum vulgarem. Quoniam ergo medicamentum illud erat in familiari usu Judæis, dicit nunc, *Tollite resinam*: sicuti nulla fere est regio, quæ non specialibus remediis utatur. Sic videmus non respexisse Jeremiam quid fieri soleret Babylone, vel quibus medicamentis assueti essent Chaldæi: sed habuisse rationem suæ gentis, quemadmodum etiam aliis locis dictum fuit. Est autem resina humor qui defluit ex arboribus, & humor crassus. optima resina qua nunc utimur, est terebinthina: sed in his partibus habent abiegnam, quia hic non reperiuntur terebinthi. Judæa vero habuit pretiosissimam resinam, sicuti facile colligitur ex pluribus Scripturæ locis. Sub una autem specie complectitur totum genus: *Tollite resinam*: quasi diceret, Accurrant undique medici (alioqui peribit) *si forte sanetur*. hoc ironice dicitur, ut scirent fideles, incurabiles fore Babylonis plagas. Diximus autem alibi, Babylonem non prorsus fuisse excisam quum expugnata fuit à Cyro: deinde populum non fuisse illinc expulsum. Habitarunt igitur suo more, quamvis tributarii essent, sicuti postea fuerunt sub ditione Persarum. Deinde graviter afflicta fuit Babylon, quum pœnas dedit suæ defectionis, donec impletum est quod vaticinatus fuerat Jeremias una cum aliis. Ergo hoc momentum, de quo loquutus est, non debet restringi ad unam cladem duntaxat, quæ fuit præludium aliis majoribus. Postea adjungit,

9. Curavimus Babylonem, (*idem est quidem verbum*, רפא, *quod significat sanare & mederi: cæterum, quia non semper est in medico relevetur ut æger, nec semper feliciter succedit, ideo dicit Propheta, medicati sumus, vel remedia attulimus ad curandam Babylonem*) & non sanata fuit: derelinquite eam, & proficiscamur quisque in terram suam: quia pertigit ad cælos judicium ejus, & elevatum est usque ad nubes.

Diversas personas suscipit Propheta: loquitur hic de eorum persona, qui libenter opem tulissent Babyloniis. Et certe dubium non est quin multi ad obsequium parati fuerint si rex Balsasar voluisset illis uti: deinde scimus magno exercitu refertam fuisse urbem. Comperat igitur tam populos Babylonis subjectos quam mercenarios & cæteros milites medicis: quasi diceret, Sollicite curata fuit Babylon: quemadmodum si magnus quispiam Princeps ægrotet, accerset hinc inde optimos & excellentissimos medicos. sed si morbus sit incurabilis, frustra omnes contendent eum eripere. Sic ergo metaphorice nunc loquitur Propheta, sed in eorum persona, qui vel operas suas locaverant, vel pro officio accurrerant ad sanandam Babylonem: Ecce non stetit per nos: fidelem enim & sedulam operam præstitimus in ea sananda, sed non fuit sanata. Postea adjungit, *Relinquite eam, & abeamus quisque in terram suam*. hoc proprie convenit exteris militibus, & mercenariis. Quum ergo viderent desperatam esse salutem urbis,

cœpe-

cœperunt se vicissim hortari, Quid facimus? quin potius nobis consulimus privatim? quia inutilis est labor noster. ergo tempus est quo quisque in patriam suam redeat, quoniam adest finis Babylonis. Cæterum, plus vehementiæ habet personæ mutatio, quam si Propheta sic loquutus esset, Veniet tempus, quo auxiliarii milites diffugiant, quia scilicet videbunt jam frustra stare se in præsidio. Sed ubi comparat eos medicis, hæc figura primum rem melius illustrat. Deinde quum suscipit eorum personas, rursus hoc est magis emphaticum. Tandem adjungit, *Quia judicium ejus pertigit usque ad cælos, & elevatum est usque ad nubes.* Non potuit Jeremias proprie aptare hunc sermonem incredulis, si exponas Deum esse adversum & infestum Babyloniis. neque enim unquam venit conductitiis militibus in mentem, Babylonem justo Dei judicio perire. Sed Propheta ex vulgari more dicit, *judicium illius* (hoc est, clades) *pertigit usque ad cælos, & elevatum est usque ad nubes*, hoc est, sub cælo non reperietur ullum auxilium, quod possit eripere Babylonem. quare? perinde est acsi incumberet è cælo ipso & nubibus clades. Nam si immineat aliquod periculum vel à tergo, vel à fronte, declinabimus vel ad dextram, vel ad sinistram: ut ita possimus evadere quæ nobis homines mala inferunt. sed ubi cælum ipsum videtur capitibus nostris minari, tunc frustra effugium tentatur. Ergo hac ratione dicit Propheta *judicium Babylonis pertigisse usque ad cælos, & elevatum fuisse usque ad nubes.* Sequitur,

10. Eduxit (*vel protulit, egredi fecit, ad verbum*) Jehovah justitias nostras: venite, & narremus in Sion opus Jehovæ Dei nostri.

Hic Propheta fideles alloquitur, & primum docet, cladem Babylonis fore certum documentum paterni favoris Dei erga suam Ecclesiam. Fuit autem hæc non vulgaris consolatio in extremis quibusque miseriis, quum scirent fideles tantopere charam & pretiosam salutem suam esse Deo, ut ne Babyloniis quidem parceret, quos totus mundus reverebatur tanquam semideos. nam sicuti dixi, potentia illius Monarchiæ obstupefecerat omnes hominum sensus. Quum ergo agnoscerent fideles Babylonios perire, quoniam ipsis molesti fuerant, & crudeliter ipsos vexaverant: hinc, quemadmodum dixi, percipi ab ipsis potuit inæstimabilis consolatio. Ergo Propheta hic admonet singulare fore testimonium gratiæ Dei erga suam Ecclesiam, quum ita Babylonem subverterit: deinde hortatur simul fideles ad gratitudinem. Nam hic est finis omnium Dei beneficiorum, ut nomen ejus inter nos celebretur: quemadmodum dicit
Psal. 116. v. 12, 13. David, Quid rependam Domino pro omnibus beneficiis quæ in me contulit? Calicem salutis accipiam & nomen Domini invocabo. Primo igitur dicit, *Eduxit Jehovah justitias nostras.* Hic quidam anxie laborant in solvendo nodo, qui nullus est. nam dum metuunt, ne vox justitiæ rapiatur ad stabilienda merita, justitiam dicunt esse remissionem peccatorum. Ergo sic exponunt Prophetæ verba, Deus tandem misericordiam erga nos suam explicuit, & hæc fuit nostra justitia quum sepultæ sunt nostræ iniquitates. sed illud est coactum. Et quum Propheta hic de justitiis loquitur, non intelligit merita, quibus adepti fuerint Judæi quod hactenus illis promisit: sed justitias vocat bonam causam, nempe respectu Babyloniorum. nam justitia quum varias habeat significationes, ubi inter homines fit comparatio, dicitur Deus in medium proferre justitiam nostram quum asserit nostram integritatem ab improborum calumniis. Sic dicebat Jacob, Educet Dominus ju- *Genes. 30.*
stitiam meam instar auroræ: sed tunc justitia nostra *vers. 33.*
habet respectum ad adversarios. Ita quoties David postulat à Deo, ut respiciat justitiam suam, haud dubie comparat se cum hostibus. Hic autem justitia simpliciter accipitur respectu Babyloniorum. nam quamvis Deus pœnam sumpsisset de Judæis, sicut digni erant: tamen quod ad Babylonios spectat, erant non modo crudeles tyranni, sed etiam scelerati latrones. ergo justa erat, ipsorum comparatione, causa electi populi. Hæc ratio est cur dicat, *Deus in medium protulit justitias nostras.* Reliqua in diem crastinum.

Da omnipotens Deus, quando olim exeruisti admirabilem tuam potentiam, ut populo tuo misere afflicto succurreres, ut hodie eandem potentiam erga nos exhibeas: & idem etiam exhibeas specimen gratiæ tuæ, & paterni favoris, ut scilicet attollas horribilem manum tuam ad perdendos omnes impios, qui crudeliter innoxium populum tuum affligunt, ut liberati manu tua, discamus tibi perpetuo gratias agere in nomine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-SEPTIMA

IN

J E R E M I A M.

COEpimus heri exponere Prophetæ verba, ubi dicit *productas fuisse in lucem justitias populi.* Diximus autem nomen justitiæ non referri ad Deum, acsi talem mercedem promeriti fuissent Judæi: sed potius intelligi justam causam quoad Chaldæos, qui sola avaritia & superbia impulsi bellum susceperant adversus Ecclesiam, & tyrannice oppresserant populum nullo jure. Quatenus ergo Deus volebat tueri populum illum, justa fuit ejus causa. Neque hic longa disputatione opus est, quomodo justi fuerint qui tot sceleribus provocaverant iram Dei. Neque enim, ut diximus, nunc agitur de ipsorum meritis, sed de jure quod pendebat à fide & patrocinio Dei. Jam hortatur Propheta fideles ad gratitudinem: quanquam vult eos simul erigere in spem liberationis, & fovere promissiones quas dederat, ubi dicit, *Venite*: quasi illis demonstret ante oculos beneficium illud redemptionis. Sed ostendit simul finem ut scilicet populus celebret gratiam Dei: quasi diceret populum ubi adeptus fuerit misericordiam, debere hoc habere propositum, ut rursus Deum colat in Templo suo: quasi diceret, ubi restituet Deus Ecclesiam suam simul restituendum esse purum & verum Dei cultum: quia scilicet religio causa erit hujus gratiæ, non autem ulla populi dignitas. Hæc ratio est cur dicat, *Venite & narremus in Sion opus Jehovæ Dei nostri.* Jam ubi Petrus *1 Petr. 2.*
agit de potiori redemptione, dicit nos esse ereptos è *vers. 9.*
regno tenebrarum, ut narremus virtutes Dei inenarrabiles. Tenendum igitur est, Deum apparuisse nobis redemptorem in persona unigeniti Filii sui, ut celebremus ejus misericordiam, quam sumus experti: quemadmodum etiam dicitur in Cantico Zachariæ, Eripuit nos à metu hostium nostrorum, ut *Luce 1.*
tota vita colamus ipsum in puritate. Nunc sequitur, *v. 74, 75.*

11. Polite sagittas, (*parate, ad verbum*) implete (*vel perficite*) clypeos: suscitat Jehovah spiritum Regum Mediæ, quia super Babylonem cogitatio ejus ad perdendum eam, quia ultio Jehovæ hæc, ultio Templi ejus.

Potest sermo tam ad Medos, quam ad Babylonios dirigi. Si cui placeat prior sensus, nempe quod Medos alloquatur Propheta, erit subsannatio: quasi diceret frustra eos consumere operam in armis suis parandis, quia superior tandem erit Deus, cujus auspiciis & virtute Medi bellum gesturi erant. Potest etiam non male quadrare quod dixi, nempe ut Propheta jubeat Medos se accingere, & induere arma bellica, ut fortiter pugnent contra Babylonios. Jam adjungit quod præcipuum est, *Reges Medorum venturos contra Babylonem*, quia divinitus vocati erunt. Loquitur autem de *spiritu*, quo melius exprimat arcano Dei instinctu regi & flecti hominum animos: deinde quicquid est in ipsis virtutis aut fiduciæ, totum hoc provenire à Deo: quasi diceret, Deum sic instruere Medos & Persas, ut non tantum ipsorum brachia, & manus, & pedes roboret ad bellum gerendum, sed impellat etiam ipsos, moderetur eorum affectus: denique spiritum huc & illuc flectat pro suo arbitrio. Jam non loquitur de vento, ut prius, neque generaliter hostes designat, sed exprimit nomen Medorum. Etsi enim Cyaxares, aut Darius, sicuti vocatur à Daniele, non fuit admodum cordatus, neque etiam peritus rei bellicæ: tamen quia dignitate superior erat, Propheta hic Medos nominat potius, quam Persas. Cyrus pollebat celeritate: erat vir etiam singulari vigilantia, strenuitate & audacia. Sed quoniam non admodum erat dives, neque dominabatur nisi in gente agresti, & fines regni ejus angusti erant: ideo merito Propheta hic loquitur tantum de Medis, quorum potentia poterat eotics obruere nomen Persarum. Sed hinc colligimus, Jeremiam non humanitus loquutum esse, sed fuisse organum Spiritus. Hæc enim fuit indubia obsignatio prophetiæ ejus, quod longo tempore antequam accideret bellum illud, prædixit eventum. Atqui nondum natus erat Cyrus, qui princeps fuit illius belli: imo Darius nondum etiam erat natus. nam septuaginta anni elapsi sunt antequam capta fuerit Babylon, ex quo loquutus erat Propheta. Videmus ergo hunc locum certam esse approbationem fidei & auctoritatis ejus. Postea adjungit, *cogitationem Dei esse super Babylonem, ut perdat eam.* Loquitur adhuc humano more: & interea occurrit dubitationi, quæ poterat turbare infirmas mentes: quia Babylon non modo longo post tempore stetit integra & incolumis, sed accepit etiam nova incrementa potentiæ & dignitatis. Poterant igitur labascere piorum animi quum nullus occurreret effectus hujus prophetiæ. Ergo Propheta eos revocat ad Dei cogitationem: quasi diceret, Quamvis non statim exerat Deus manum suam, sufficere tamen fidelibus debere, quod apud se ita statuerit. In summa, admonet Propheta acquiescendum esse in Dei consilio, etiamsi opus ejus sit absconditum. Et rursus confirmat Judæos, ubi adjungit *hanc fore ejus ultionem, nempe Dei, quia non negligat Templum suum.* quibus verbis significat Legalem cultum Deo placere, quia Judæi distincti fuerint à profanis gentibus, quum præscripta illis fuit pietatis regula. Significat igitur Propheta, quamvis placeat quælibet religio inter homines, unam tamen esse quæ Deo probatur, nempe quam ipse mandavit. Jam quum ita sit, colligi potest, Deum tandem non posse ferre ludibrium cultus sui. scimus enim quam contumeliose & superbe Chaldæi illuserint Templo, ut non tantum evomuerint suas blasphemias, sed etiam quicquid poterant excogitare dedecoris, Templo Dei intulerint. Si religio illa fundata fuit in verbo Dei, sequitur fieri non posse, quin tandem exurgat, & injurias sibi illatas à Chaldæis vindicet. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ ubi dicit *hanc esse ultionem Dei*, & adjungit, *quia Deus ulcisci velit Templum suum.* Confirmat enim Judæos ubi Deum statuit vindicem cultus sui, & simul ostendit Legalem cultum qui traditus fuerat à Mose, unicum esse quem probet Deus in mundo. Postea sequitur,

12. Super muros Babylonis tollite vexillum, roborate custodiam, (*vel augete*) parate (*vel statuite potius*) custodes, disponite insidias: quia etiam cogitavit Jehovah, etiam fecit quod loquutus est super habitatores Babylonis.

Hic sermo ad Chaldæos videtur potius dirigi, quam ad Medos vel Persas, sicuti quidam exponunt. nam contextus id flagitat: sicuti enim jubet initio tollere vexillum, ita subjicit, *augete custodiam*, quod pertinet ad ipsos cives Babylonis: deinde, *Statuite custodes.* hoc etiam Persis & Medis non convenit, sed debet ad obsessos referri, sicuti in eos proprie competit. Ego itaque non dubito quin Propheta hic subsannet omnes conatus, quos intendent Chaldæi ad defensionem urbis suæ. Neque enim duntaxat qui urbem aliquam aggrediuntur, tollunt vexillum, sed etiam qui obsidentur in signum fiduciæ, quasi ostenderent hoc modo sibi satis esse animi ad hostes arcendos, & sustinendos eorum insultus. Consilium ergo Prophetæ fuit ostendere, quantumvis strenue se defenderent Chaldæi, irritos tamen fore eorum conatus, quia Deus nullo negotio urbem illam perdet. *Tollite*, inquit, *vexillum super muros Babylonis, & roborate, vel augete custodiam.* postea *statuite custodes*, nempe ut solito diligentius quisque observet suam stationem. tandem, *disponite insidias*, inquit. ubi omnia fuerint à vobis tentata, carebit profectu labor vester. *Dominus enim loquutus est.* גם, ubi ita duplicatur, debet resolvi in duas particulas, sicuti, ita etiam, *quemadmodum loquutus est perficiet etiam.* quemadmodum cogitavit. Iterum dicit Deum cogitasse, ne existiment fideles minas temere projici, quemadmodum sæpe venit hæc opinio in mentem, Deum terrere sine effectu. Propheta igitur quo magis confirmet suum vaticinium, dicit *rem Deo esse quasi meditatam.* diximus autem heri Deum apud se non deliberare instar hominum. Sed quia aliter non capimus certitudinem & constantiam arcani ejus consilii, neque etiam concipimus quid valeant ejus decreta: ideo cogitationis nomen ponitur. Denique intelligit Propheta se nihil proferre nisi quod Deus pridem apud se decreverit. Nam voces temere sæpe sparguntur, neque semper conjuncta est res ipsa cum verbis. sed testatur Jeremias se sumpsisse ex arcano & immutabili Dei consilio quicquid protulit: deinde addit, *quod loquutus est.* Hoc autem referri debet ad ejus doctrinam, vel prædicationem. Sequitur,

13. Quæ habitas super aquas multas, (*vel magnas*) quæ multa es in thesauris, (*id est, dives vel locuples*) venit finis tuus, mensura cupiditatis tuæ.

שכנתי hic accipitur pro שכנת, habitatrix: & hoc erit clarius, si sumamus tanquam epithetum Babylonis. Dicit autem *habitare in aquis*, quoniam Euphrates non tantum alluebat urbem, (quem scimus fuisse amplissimum fluvium) sed cingebat: & quidem sic erat divisus supra Babylonem in multos rivos, ut efficeret quasi multas insulas, quo difficilior esset accessus. Hoc valebat non modo ad urbis præsidium, sed ad multas commoditates. Erant enim navigabiles illi rivi: deinde terra erat fœcundior tali irrigatione. Ergo tam ad opulentiam, quam ad bellicum robur deducti fuerant illi rivi. Et quoniam hac de causa erat Babylon quasi inexpugnabilis, deinde regio erat longe fertilior, Propheta hic dicit *venisse tamen finem*. Nisi autem præfatus esset Babylonem sitam esse inter fluvios, vel aquas multas: & simul esse urbem refertam multis divitiis: poterat hoc videri impedimentum, quo minus vindictam sumeret Deus de illa. Erat enim in promptu hæc objectio, Quomodo expugnabitur Babylon, quæ habet sedem suam inter multas aquas, ut sine magna vi, & opera militum possit tamen manere tranquilla, quando sic defenditur à multis fluviis? Deinde altera etiam objectio poterat afferri, Babylonem esse urbem opulentam, ut sibi conduceret undique milites auxiliarios: & in tanta pecuniæ copia fieri non posse, ut unquam destitueretur. Ideo Propheta hic utrumque ponit. sed adversative debet resolvi oratio, acsi diceret, Quamvis habites inter multas aquas, & multa sis etiam in thesauris, hoc est, habeas thesauros amplos: *tamen finis tuus venit*. Adjungit *mensuram cupiditatis*: quanquam אמת alii etiam vertunt finem, sed improprie: & Propheta non frustra posuit hoc nomen אמת, quod proprie significat cubitum, sed accipitur hic pro qualibet mensura: Hieronymus vertit pedale: nomen illud fuit in usu ætate ejus. sed sensus satis clarus est, nempe quamvis Babylon exhauserit omnes mundi opes tanquam gurges inexplebilis, *venisse tamen mensuram cupiditatis ejus*. erat enim infinita cupiditas illius gentis: sed Deus tandem finem attulit, non quod fuerint correcti: sed quia libidinem eorum compescuit. Et hoc sensu dicit Propheta quamvis etiam hactenus devoraverit opes multarum regionum, *venisse tamen mensuram*, quia scilicet Dominus auferet una cum Monarchia vim & facultatem nocendi. poterant enim licentiose rapere Chaldæi, quum tot gentes haberent sibi subjectas: sed *mensura cupiditatis venit*, ubi Deus quodammodo præcidit illius nervos. non quod tunc destiterint, vel sedata fuerit intemperies, neque enim mutarunt naturam: sed cupiditas hic refertur ad effectum, quod scilicet tunc facultas illis erepta fuerit, ne exercerent suas rapinas, sicuti soliti fuerant. Postea adjungit,

14. Juravit Jehovah exercituum per animam suam, Nisi implevero te homine sicut locusta, (*hoc est, hominibus sicut locustis, aut bruchis*) qui canant super te הידד. (*id est, canticum vindemiale, cujus ante facta fuit mentio.*)

Magis confirmat Propheta eandem sententiam interposito Dei jurejurando. hæc autem est præcipua sanctitas ad rerum omnium confirmationem ubi Deus per nomen suum jurat. Humanitus autem loquitur de ipso Deo ubi dicit *jurasse per animam suam*. nam species est obtestationis ubi homines per animas suas jurant, quasi deponerent vitam suam in medio, vel oppignerarent. Quisquis ergo per animam suam jurat, intelligit quantum chara est ei propria vita, hoc modo se eam statuere quasi pignus, ut si fallat pejerando, Deus eam tollendo sit ultor. hoc hominibus convenit, non ipsi Deo: sed transfertur ad Deum quod proprie in ipsum non competit, neque id rarum est, quemadmodum aliis locis vidimus. Et quo familiarior est loquendi ratio, eo etiam afficere magis debet homines quum Deus similem se ipsis facit, & quodammodo sumit eorum personam acsi versaretur in medio ipsorum. Sed interea tenendum est cur Propheta inducat Deum jurantem, nempe ut tollatur omnis ambiguitas, & ita plus fidei conciliet suo vaticinio, quia non tantum à Deo profectum est, sed interposito jurejurando fuit obsignatum. *Si non*, inquit, *implevero Babylonem hominibus tanquam bruchis*. Hic opponitur hostium multitudo civium copiæ, quæ prope immensa erat: diximus enim alibi, Babylonem superasse alias omnes urbes, nec minus fuisse populosam, quam si fuisset ampla regio. Quum ergo tot defensoribus referta esset, potuit objici, Unde tanta hostium multitudo quæ ad profligandos incolas sufficiat? nam si magnus exercitus ingressus fuisset, tamen poterat pugnando cum illa ingenti turba periclitari. sed Propheta hic comparat bruchis vel locustis Persas & Medos. & scimus Cyrum traxisse ex multis populis incredibilem exercitum, imo multos exercitus. Impletum igitur fuit quod prædictum fuerat à Propheta; quia non tantum ex uno populo Cyrus confecit suas copias, sed secum fere traxit omnes Medos: deinde ex omnibus gentibus barbaris adduxit etiam plures turmas: hinc ergo factum est ut eventu comprobaretur quod dictum fuerat à Jeremia. & simul adjungit fore victores. nam per *canticum vindemiale* intelligit canticum triumphale procul dubio. sed הידד fuit tunc in usu apud Judæos. Ergo quemadmodum post vindemias cantabant io signum lætitiæ: ita etiam victores dum potiti suis hostibus exultant, habent aliquod canticum triumphale. & Græci reddunt [illegible] vel [illegible], quod proprium est nautarum canticum: ubi portum conspiciunt tunc præ gaudio exultant & canunt, quia liberati sunt à maris periculis, & defuncti etiam navigatione, quæ semper molesta est, & pervenerunt ad portum, ubi jucundior est vita: & ubi etiam possunt frui & amœno aëre, & aqua dulci, & aliis alimentis. Sed simplex Prophetæ sensus est, ubi ingressi fuerint Persæ & Medi Babylonem statim fore victores, ut sine certamine & sine molestia exultant, & canant carmen triumphale. Nunc alio modo confirmat Propheta suum vaticinium, nempe dum extollit potentiam Dei.

15. Qui fecit terram in virtute sua, qui statuit (*alii vertunt, paravit*) orbem in sapientia sua, & in sua intelligentia extendit cælos.

16. Ad vocem dando copiam aquarum in cælis: qui attollit (*& attollit, ad verbum*) elevationes à fine (*vel extremitate*) terræ, fulgura in pluviam facit, educit ventum de thesauris suis.

Quemadmodum jam dixi, Propheta hic commendat magnificis elogiis Dei potentiam. sed tenendum est quo consilio: quia abruptæ sententiæ alioqui frigerent: nempe ut Judæos animet ad bene sperandum, quod non debeant de Babylone facere judicium ex splendore illo, qui perstringebat omnium oculos, neque etiam debeant metiri suo sensu quod Deus testatus erat. Jubet fideles attollere omnes suos sensus supra mundum, & cum admiratione suspicere incomprehensibilem Dei potentiam,

ne du-

ne dubitent quin tandem pessum itura sit Babylon: quia si fuissent defixi in aspectu illius Monarchiæ, vix unquam fidem habuissent Propheticis dictis. nam Propheta differebat de rebus quæ non poterant comprehendi humano sensu. Nunc ergo tenemus cur Propheta celebret Dei potentiam, nempe ut fideles discant aliquid sublimius toto mundo concipere ubi agitur de Babylone perdenda, quoniam id non fiet usitato modo, aut naturaliter, sed incredibili Dei virtute: capite decimo etiam usus est iisdem verbis. nam quinque versus qui hic leguntur, fuerunt illic expositi. Sed tunc alio respexit Jeremias. nam alloquebatur Judæos exules, & jubebat ipsos constanter perseverare in cultu Dei, quamvis religio esset oppressa, & quamvis Chaldæi victores superbe Deo illuderent, jubebat tamen ipsos stare firmos in vera *supra 10. vers. 11.* pietate. deinde dicebat, Quum eritis Babylone, dicite, Maledicti sint omnes dii qui non fecerunt cælum & terram: imo etiam illic usus fuit aliena lingua, & Chaldaice loqui docuit quo magis ingenue profiterentur se perseverare in unius Dei cultu. Postea addebat quæ nunc repetit, nempe non esse imminutam Dei potentiam, quamvis populum suum castigasset ad tempus. Sed nunc diximus ideo tam magnifice ipsum loqui de potentia Dei, ut fideles quod sensus carnis illis dictabat esse absurdum, non dubitarent facile esse ipsi Deo qui omnia potest. Dicit primo, *Qui fecit terram.* non exprimit nomen Dei, sed loquutio est magis emphatica quum dicit, *faciens terram:* quasi diceret, Quis reperietur creator cæli & terræ præter unicum Deum? Videmus ergo in reticentia plus esse efficaciæ quam si expressum fuisset nomen Dei. nam hoc modo excludit omnes deos fictitios, qui fabricati fuerant à Gentibus: quasi diceret, *Unus est Deus qui fecit terram.* postea, *virtute sua:* celebrat virtutem Dei in terra propter stabilitatem, ut verisimile est. Postea adjungit, *Orbem in sua sapientia constituit, & in sua intelligentia extendit cælos.* in toto orbe prædicat Dei sapientiam, & peculiariter etiam in cælis. Breviter quidem loquitur Propheta, sed relinquit admirabile Dei opus considerandum in varietate multiplici, quæ sursum & deorsum apparet. nam quamvis hoc possit videri leve quum dicit *orbem fuisse compositum Dei sapientia:* tamen si quis studium suum applicet ad meditandam Dei sapientiam in copia omnium fructuum, in opibus totius terræ, in mari etiam ipso (quod comprehenditur sub nomine orbis) certe fieri non potest, quin millies rapiatur in admirationem. nam quo magis serio attendimus ad consideranda Dei opera, evanescimus quodammodo: ita nos obruunt miracula, quæ hinc inde se ingerunt oculis nostris. Quantum attinet ad cælos, quid hoc est? innumeram multitudinem stellarum sic esse digestam, acsi exercitus dispositus esset per suos ordines? deinde planetas vagari, neque fixos esse, & habere unumquemque proprium cursum, & tamen abripi simul cum stellis? cursus Solis quantum admirationis parere debet, non dico apud eos qui tenent totam Astrologiam, sed qui tantum percipiunt oculis suis? nam dum Sol conficit quotidiano suo cursu tantam & tam immensam distantiam, certe plusquam stupidi sunt qui non obstupescunt ad hoc miraculum. deinde habet Sol proprium cursum qui peragitur singulis annis, ut notum est, nec præterit uno gradu suas lineas: & tamen est immensa moles illius corporis (superat enim, quemadmodum satis notum est, terram) quod ita volvatur celeriter & tanto ordine, acsi incederet per gradus sedatos, incomparabile profecto specimen est sapientiæ Dei. Propheta ergo quamvis vulgariter loquatur, tamen materiam suppeditat piis, ut studium suum applicent ad consideranda Dei opera. Jam quod quidam exponunt Deum expandere cælum quoties abducitur nubibus, alienum est à Prophetæ sensu: neque enim dubium est, quin hoc versu designet naturæ ordinem perpetuum, sicuti proximo versu loquetur de mutationibus, quæ subinde accidunt.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos semel recipere sub tuam custodiam, ut recumbere discamus in potentiam manus tuæ, & quoniam tot undique terrores nobis objiciuntur ab hostium impetu & truculentia, ut tamen firmi maneamus in nominis tui invocatione, donec appareas nobis redemptor, nec id semel tantum, sed quoties nobis opus fuerit tuo auxilio, donec tandem nos colligas in beatam illam quietem, quæ nobis parta est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-OCTAVA IN JEREMIAM.

PRoxima lectione substitimus in eo loco, ubi Propheta commendat potentiam Dei ab ordinariis ejus operibus. prius loquutus fuerat de creatione mundi, & breviter ostenderat in cælo & terra multa esse satis conspicua documenta tam inæstimabilis Dei sapientiæ, quam potentiæ: nunc autem descendit ad pluvias & ventos. Porro diximus aliquod esse discrimen inter ordinem in natura fixum, & quotidianas mutationes quæ cernuntur. nam si una semper esset facies cæli & terræ, non ita admirabilis esset Dei virtus & sapientia. Sed quum cælum obducitur nubibus, quum aër nunc tranquillus est, nunc vero turbatur ventis, quum repente exurgunt procellæ, deinde pluviæ sequuntur, illic Deus ad vivum repræsentat multiplicem sapientiam suam & virtutem. Hæc igitur ratio est cur Propheta postquam breviter attigit quod vidimus, subjiciat testimonia virtutis & sapientiæ Dei, quæ nobis apparent in variis mutationibus. Dicit igitur *sola voce dare copiam aquarum in cælis*, deinde *sursum tollere vapores ab extremitate terræ*, *creare fulgura, ac pluviam*: quod tamen videtur esse valde contrarium. postremo dicit *educere ventos è thesauris suis.* Philosophi quidem harum rerum causas afferunt, sed necesse est venire ad fontem ipsum & principium, nempe quod res ita dispositæ sunt in mundo, ut in causis mediis vel inferioribus semper tamen emineat propria causa, nempe Dei sapientia & virtus. oriuntur venti è terra, nempe quoniam inde tolluntur exhalationes: sed exhalationes à quo creantur? certe non à seipsis. sequitur ergo Deum esse solum auctorem. Vocat autem *thesauros* loca recondita: quemadmodum si quis depromat ex penuario hoc & illud: ita etiam dicit ventos non sua sponte prodire è cavernis, sed quoniam Deus illic clausos tenet. Ego hæc levius prætereo, quia jam admonui repeti ad verbum quæ prius exposuimus decimo capite. Jam sequitur,

17. Infatuatus est omnis homo à scientia, pudefactus omnis conflator à sculptili: quia mendacium est fusile, & non est spiritus in ipsis.

Solent

Solent hanc sententiam exponere, acsi Propheta notaret ideo homines prolabi ad crassos errores & figmenta, quoniam sapere appetunt ex proprio sensu: & Paulus hanc idololatriæ causam assignat primo capite ad Romanos, quod scilicet homines evanuerint in sua sapientia, dum sequuntur quicquid illis suum cerebrum dictavit. Hæc doctrina per se vera est ac utilis, nempe homines sibi fabricare idola, quia non sustinent reverenter excipere Deum ubi se illis offert: sed potius fidem adhibent suis commentis. quum autem mera sit vanitas quicquid homo concipit ex proprio sensu, non mirum est eos qui ita superbe Deum subjiciunt suis cogitationibus, prorsus desipere, & infatuari. Sed ex contextu facile colligitur, Prophetam aliud velle, nempe artifices ipsos qui conflant idola, vel formant alio modo, valde esse deliros dum scilicet existimant se deos facere suo artificio. truncus ligni jacebit in terra, calcabitur pedibus absque ullo honore: jam si faber lignarius formam addiderit, incipiet truncus ille Dei loco adorari. quænam potest fingi major dementia? idem dici potest de lapidibus, idem de auro & argento. nam etsi pretiosa sunt metalla, tamen nulla illis divinitas tribuitur, nisi quum incipiunt formam induere. si autem conflator fundat idolum, jam massa auri & argenti quo jure incipiet esse Deus? Propheta ergo invehitur in hoc portentum dementiæ quum dicit homines quasi brutis pecudibus similes esse in sua scientia, dum scilicet applicant artem ad res tam vanas & insipidas. nam bis eandem rem ponit pro usu communi linguæ. scimus enim idem bis dici apud Prophetas ad confirmationem. postquam ergo docuit *homines infatuari à scientia*, adjungit, *pudefieri à sculptili*. Improprie hoc dicit. nam סכל non convenit cum verbo בוש: sed Propheta simpliciter, & per synecdochen dicere voluit, omnes artifices deprehendi stultos & deliros, dum existimant sua manu & industria deos conflari vel fabrefieri quovis modo. probationis vice dicit *non esse in illis spiritum*: & hæc satis solida est probatio: quia scimus Deum esse fontem vitæ & ideo vocari à Mose Deum omnium spirituum terræ. Quum Num. 16. vers. 22.
ergo quicquid vitæ diffusum est per creaturas, à solo Deo fluat tanquam ab unico fonte, quid minus simile vel affine divinitati, quam massa auri, vel argenti? quam truncus, vel lapis? illic enim nulla est vita aut vigor. nihil fragilius est homine: tamen quamdiu animatur, refert aliquid divinum. sed cadaver quid habet simile cum Deo? atqui tamen propius accedit ad Dei gloriam forma humani corporis, quam truncus ligni, vel lapis formatus hominis instar. Non abs re igitur Propheta dementiam omnium Gentium coarguit, quod adorent fictitios deos, in quibus tamen non est spiritus. Sequitur,

18. Vanitas ipsi, opus illusionum, tempore visitationis ipsorum peribunt.

Sicuti vocavit omnia idola mendacium, ita etiam eodem sensu repetit esse vanitatem, hoc est, nihil habere solidum, sed esse inanes pompas, vel spectra, vel larvas: quanquam seipsum mox clarius exprimit quum vocat *opus illusionum*. sed non tam videtur passive sumere vocem תעתעים, quam active. Intelligit ergo esse opus deceptorium, quod laqueos tendat hominibus: quasi diceret opus esse fallaciæ, aut fallaciarum. Notandus est diligenter hic locus, ut similes, quia videntur Papistæ sibi optime elabi quum fatentur suas imagines non esse quidem colendas, sed esse libros idiotarum: qui sunt medii confugiunt ad hoc cavillum. excidit hoc semel Gregorio, & quidem stulte. nunc qui volunt in Papatu esse aliis perspicaciores, repetunt illud dictum, nempe ferendas esse imagines, quia idiotarum libri sunt. quid autem ex opposito Spiritus sanctus pronunciat
Habac. 2. vers. 18. hoc loco, sicuti etiam apud Habacuc? *esse opus fallaciarum*, hoc est, esse meras decipulas. Quisquis ergo eruditionem petit à statuis, vel picturis, non aliud consequetur, quam ut se implicet laqueis Satanæ, nec aliud illic reperiet quam imposturas. Et certe quicquid nos abducit à cognitione veri Dei, merito censetur fallacia, vel deceptio. nunc, quis ex aspectu picturæ vel statuæ Deum verum comprehendit? nonne transfiguratur ejus veritas in mendacium? & gloria ejus quodammodo deformatur? nam hæc est vera Dei cognitio, dum illum existimamus solum esse, dum tribuimus illi immensam essentiam, quæ cælum & terram impleat, quum agnoscimus esse spiritualis naturæ: quum scimus illum denique esse solum, proprie loquendo: cælum & terram & quicquid in ipsis continetur, subsistere in ejus virtute: an lapis vel lignum nos id docebit? quin potius ex lapide ego imaginabor Deum loco certo affixum & inclusum esse: deinde vita Dei an refulget vel in lapide, vel ligno similiter? præterea quid simile habet corpus & quidem mortuum cum spiritu immenso? & ideo non abs re apud Jesaiam conqueritur se prorsus ita deformari, Cui similem me fecistis? ego enim pugillo Jesa. 40. v.18, 12.
comprehendo terram, & vos me includitis in ligno, vel lapide. denique si non alio errore imbuerent hominum mentes idola, quam quod putant Deum esse corporeum, quid est absurdius? Videmus ergo Prophetam non abs re hic dicere idola omnia esse vanitatem, & opus imposturæ, vel deceptionis. Postremo adjungit *perituros omnes fictitios deos tempore visitationis*: qua sententia hortatur fideles ad patientiam, & quodammodo sustinet eorum animos, ne deficiant: quia erat non levis tentatio videre Monarchiam Babylonicam ita florere, cujus tamen nullum aliud erat præsidium, quam in idolis. Quum ergo Babylonii fictitios deos putarent salutis esse præsides & custodes, & dum subigebant omnes vicinos populos, tunc magis addicti erant suis superstitionibus, quarum mercedem putabant esse suam opulentiam. Quia poterant hac tentatione concussi animi piorum labascere, Propheta hic succurrit, & admonet expectandum esse *tempus visitationis*, quo peribunt idola. relativum tamen potest tam de Babyloniis quam de ipsis idolis accipi quum dicit, *Peribunt tempore visitationis ipsorum*, hoc est, quum visitabuntur Chaldæi. Sed probabile est hic præfigi idolis visitationis tempus, quemadmodum Propheta ante loquutus est de omnibus reprobis. Quicquid sit, tenemus ejus consilium, nempe quamvis ad tempus idololatræ prospere habeant, tamen patienter ferendam esse manum Dei, donec opportunum advenerit tempus, quod hic dicitur visitationis. Refertur autem hæc metaphora ad hominum sensum, quia putamus Deum in cælo otium colere, vel habere oculos aversos à nobis, dum ita indulget reprobis. Hoc igitur sensu Propheta *visitationem* appellat judicium Dei, quia tunc re ipsa & certo experimento ostendit se non negligere res humanas. Nunc sequitur,

19. Non sicut ipsi (*vel sicut ipsa, si ad idola referimus*) portio Jacob: quia fictor omnium ipse, & virga hæreditatis ejus, Jehovah exercituum nomen ejus.

Si tantum dixisset Propheta in idolis meras esse imposturas & ludibria, suffisset quidem aliquid, sed frigeret illa pars doctrinæ, nisi ex opposito statueretur veri & unius Dei gloria. Tenendum quidem est,

idola

idola nihil esse, & homines nimis stulte decipi, & prorsus esse fatuos dum aliquid divinitatis subesse imaginantur: sed præcipuum est, ut Deus ipse verus prodeat in medium, & discamus sensus nostros ad ipsum, & studia etiam conferre. Hoc igitur nunc facit Propheta: postquam enim refutavit Gentium omnium stultitiam in colendis idolis, & ostendit nihil aliud esse quam deceptionem & mendacium, nunc dicit, *Non sicut fictitii dii pars Jacob*, hoc est, Deus qui se patefecit electo populo longe alius est quam omnia idola. Et certe vanitas cujus paulo ante Propheta meminit, non potest satis deprehendi, nisi agnito vero Deo. nam utcunque ex Philosophis veteribus nonnulli deriserint crassos vulgi errores, tamen non habebant quicquam stabile in quo acquiescerent: quemadmodum ille interrogatus quid esset Deus, petiit sibi dari tempus ad meditandum, postea prorogavit inducias: tandem confessus est se quo magis inquireret de essentia Dei, quodammodo absorberi omnes suos sensus. & illud necesse est accidere hominibus donec agnoscant Deum: quod fieri non potest, donec ipse tanquam in speculo se & gloriam suam repræsentet. Hæc igitur ratio est cur Propheta ubi opponit verum & unicum Deum idolis & omnibus figmentis mortalium, vocet illum *partem Jacob*: quia Lex erat quasi imago gloriæ Dei. Quoniam ergo illic familiariter quantum utile erat in salutem electi populi se ostenderat, ideo Propheta, ut invitet ad rectam veri Dei cognitionem homines, nominat illum *partem Jacob*, quasi Legem ipsam instar speculi poneret ante oculos. *Pars ergo Jacob* Deus *non sicut dii fictitii*. quare? *est fictor omnium*. Brevi quidem elogio discernit verum Deum à fictitiis: sed sub una voce complectitur quæ ante explicui, nempe Deum esse fontem vitæ & vitam omnium: deinde essentiam ejus spiritualem esse, adhæc esse immensum: quia sicuti creavit cælum & terram, ita necesse est ut sustineat utrumque sua virtute. Videmus ergo Prophetam breviter loqui, non tamen frigide. sed ex hoc loco utilis doctrina colligitur, nempe Deum non posse à nobis comprehendi pro modulo sensus nostri, nisi in operibus. Ergo quum se fatigant vani homines in speculationibus, quæ non habent notitiam practicam, ut ita loquar, non mirum est si se demergant in multa deliria. ergo sobrii simus in illa parte, nempe ne investigemus Dei essentiam supra quam par est. Ubi ergo comprehendere cupimus Deum, hoc est, qua via perveniamus ad ejus notitiam, sensus omnes nostros & oculos & mentes nostras dirigamus in ejus opera. Ita hoc loco refutatur omnium superstitionum vanitas, ubi Propheta nominat Deum opificem vel fictorem omnium. quare? nam inde colligitur, quicquid non potest vocari opifex cæli & terræ, esse prorsus vanum & frivolum. atqui unus est opifex cæli & terræ Deus. ergo unus est Deus. si unus est Deus, ergo quæcunque homines excogitant, sunt prorsus deliria, atque adeo præstigiæ diaboli & ludibria ad ipsos fallendos. Videmus ergo exclusivam elici ex hac Prophetæ doctrina, ubi Deum nominat *fictorem omnium*: quia ubi non reperitur opificium rerum omnium, certum est nullam esse divinitatem. Addit, *Et virga hæreditatis ejus*. videtur hoc spectare ad Deum: capite autem decimo interponitur nomen Israëlis, & alioqui ad verbum conveniunt quinque isti versus. sed eo loco etiam Propheta Israelem dicit *virgam hæreditatis Dei*. Virga hic accipitur pro decempeda, quam vocant. similitudo enim ducitur ab agrorum dimensionibus, quoniam usi sunt veteres decempeda, vel alio genere mensuræ: ideo Hebræi virgam hæreditatis appellant ipsam hæreditatem, quæ finita est suis terminis: quemadmodum si quis possideat agrum, sciet quot jugere contineat, nempe dimensione ipsa. Utrumque autem apte dicitur & vere, nempe Israëlem esse virgam hæreditatis Dei, & Deum ipsum vicissim esse virgam hæreditatis: est enim hæc mutua conjunctio. nam sicuti Deus dignatur nos hoc honore, ut simus ejus hæreditas, & vult etiam nobis frui: sic se offert in hæreditatem. Dominus portio mea, inquit sæpius David, & Dominus pars hæreditatis meæ, hoc est, pars mea hæreditaria: ita hoc loco si libeat exponere de ipso Deo non male conveniet. quia tamen alibi exprimitur nomen Israëlis, videtur hic esse subaudiendum. Postremo dicit, *Jehovah exercituum nomen ejus*. subaudienda est antithesis, quia non ornat Deum hoc epitheto quasi sumptum è medio esset: verum vendicat illi jus proprium, & ita separat ab omnibus idolis. Quum ergo dicit competere in verum Deum & in Deum Israelis hoc nomen, significat hac nota ab omnibus idolis discerni, & homines esse sacrilegos dum ad idola sua transferunt quicquam potentiæ, & inde salutem expectant, & ad ipsa confugiunt. Quum ergo nomen hoc in solum Deum competat, sequitur in ipso residere plenitudinem omnis potentiæ & virtutis. si ita est, ergo concidit quicquid imaginatus fuit unquam mundus de multitudine aut turba deorum. Nunc sequitur,

20. Malleus tu mihi, vasa (*vel instrumenta*) prælii, (*aut bellica*) & conteram per te Gentes, (*vel contrivi*) & perdam per te regna. (*vel perdidi: malo in præterito tempore accipere utrumque verbum: rationem postea dicam.*)

21. Et contrivi per te equum, & ascensorem ejus, & contrivi per te currum, & ascensorem ejus.

22. Et contrivi per te virum & mulierem, & contrivi per te senem & puerum, & contrivi per te adolescentem & virginem.

23. Et contrivi per te pastorem, & gregem ejus, & contrivi per te agricolam, & jugum ejus, & contrivi per te Duces & Principes.

Hic occurrit Propheta dubitationi multorum. nam quia concionatus est de excidio Babylonis, promptum erat excipere inexpugnabilem esse illam Monarchiam quæ munita esset tot præsidiis, & jam omnes vicinos populos subegerat. Propheta ergo hic ostendit opulentiam Babylonis non fore obstaculo, quo minus eam perdat Deus ubi visum fuerit: est enim argumentum à contrariis. Antea vidimus Dei esse evellere quæ plantavit: deinde vidimus comparationem figuli, & vasorum: quum Propheta ductus est ad figulum, vidit vas fuisse formatum, deinde confractum arbitrio figuli. sic etiam nunc Deus ostendit in manu sua esse excidium Babylonis, quoniam non se extulerant Chaldæi propria virtute, sed illis usus fuerat. denique hoc etiam loco Babylonem vasi fictili comparat, vel testæ: se vero facit figulum: Ego sum qui Babylonem extuli in tantam altitudinem. meum igitur erit ipsam diruere quoties libitum fuerit. Nunc tenemus summam hujus loci. aliis autem verbis utitur Propheta. dicit, *Babylonem fuisse malleum, & arma bellica ut gentes contereret*. נפץ significat conterere, & frustatim dispergere huc & illuc, denique significat violenter dissipare. *Dissipavi* igitur *per te gentes*, inquit, *& perdidi per te regna*. Sed quoniam tot victoriis potiti fuerant Chaldæi, subjugaverant tot gentes, ideo adjungit, *Ego per te equum & ascensorem ejus*

supra 45. vers. 4. supra 18. v. 2, 3, 4.

ejus contrivi, currum & ascensorem ejus similiter: deinde, *contrivi viros & mulieres, senes & pueros, adolescentes & virgines, pastores una cum gregibus.* Hic enumerat fere omnes partes generis humani. tandem adjungit, *agricolas, & juga boum*, vel equorum. postremo loco statuit, *duces, & primates.* Per concessionem hæc omnia dicuntur, sed interim admonet Propheta Deo nihil fore difficultatis in perdenda Babylone, quoniam per se nihil sit ipsa Babylon. hoc igitur sensu vocatur malleus: denique tollit Propheta falsam opinionem, quæ alioqui turbasset infirmas mentes, acsi Babylon esset prorsus invicta, simul ostendit Deum exercuisse sua judicia in omnes gentes per Babylonios. Hoc modo confirmari poterant fideles: nam alioqui necesse erat, ipsos obstupescere quum oculos conjicerent in illam formidabilem potentiam Babylonis: sed quum eudirent esse duntaxat malleum, & se non fuisse contritos à Babyloniis, nisi quia divinitus armati erant, vel potius agitabantur cælesti potentia, ut clades quam fuerant perpessi Judæi, nihil aliud esset quam pœna manu ipsius Dei inflicta: quum ergo hoc eudirent, accessit non leve solatium, ne succumberent suis miseriis, & absorberentur tristitia & desperatione. Nunc vero sequitur.

24. Et rependam Babyloni, & omnibus habitatoribus Chaldææ omnia mala ipsorum quæ intulerunt in Sion, (*contra Sion, quæ fecerunt in Sion, ad verbum*) in oculis vestris, (*vel coram oculis vestris*) dicit Jehovah.

Postquam admonuit Propheta quicquid perpessi fuerant à Babyloniis Judæi, inflictum fuisse merito ipsorum peccatis, & Deum esse auctorem omnium cladium: nunc subjicit, *Rependam Babyloni, & Chaldæis quod meriti sunt.* Posset tamen videri primo intuitu absurdum quod hic Deus minatur Babyloniis. nam si obsequio sua impenderant ejus imperio, certe videntur fuisse potius laude digni quam ulla pœna: imo scimus quid alibi dicat Spiritus sanctus,
Eze. 29. v. 19,20. Dedi Ægyptum mercedem servo meo Nebuchadnezar, quoniam fideliter peregit opus meum: quia Nabuchadnezar afflixerat Judæos, ideo potitur Ægypto, & hoc est ejus salarium, inquit Ezechiel. Videtur pugnare hæc sententia ubi Deus pronuntiat Chaldæos pœna dignos esse, quod Judæos afflixerint. Sed utrumque recte convenit: ubi enim per Ezechielem pronunciat se dedisse loco mercedis Ægyptum servo suo Nabuchadnezar, respicit Judæos & eorum contumaciam, quia nondum satis humiliati erant: imo putabant hoc esse fortuitum, quod devicti fuerant è Babyloniis. Deus ergo pronunciat se exequutum esse per manum Nebuchadnezar judicium contra ipsos. postea oportuit sublevari fideles in extremis angustiis. & huc spectat nunc Propheta noster quum dicit, *Ecce rependam Babyloni & Chaldæis omnia mala ipsorum.* potiti sunt ergo Ægypto ad breve tempus, sed postea recidit quicquid mali intulerant aliis populis in ipsorum capita. Sed promissio hæc Ecclesiæ peculiariter datur. tametsi enim justa ultio sumpta est de Chaldæis, quoniam nimis atrocem sævitiam exercuerant contra omnes gentes: Deus tamen sicuti curam habet Ecclesiæ suæ, ita causam ejus suscipit. & ideo non hic agitur in genere de pœna quæ inflicta fuit Chaldæis ob crudelitatem, sed respicit Deus Ecclesiam suam, quemadmodum dixi. Dicit igitur: *Rependam Babyloniis, & omnibus Chaldæis omne malum ipsorum*, inquit, *quod fecerunt in Sion.* Nunc videmus pœnam hanc restringi ad electum populum, nempe ut sciant fideles se ita castigatos esse manu Dei, ut tamen nunquam exciderit memoria fœderis ipsius: & ita in media morte gustum aliquem concipiant salutis, & certo statuant, Deum tandem fore misericordem. non quod unquam Deus totum populi corpus restituerit, sed dirigitur hæc promissio ad reliquias duntaxat, quemadmodum alibi dictum fuit. Interea manet illud fixum, Deum postquam contrivit tam Judæos, quam alias gentes manu unius populi, vindicem tamen fore Ecclesiæ suæ, quia nunquam oblivisci potest fœderis sui. Adjungit, *coram oculis vestris*, ut fideles magis tranquillis animis expectent hanc vindictam, cujus futuri erant oculati testes.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos luce Evangelii tui, in quo perspicimus gloriam tuam, in eam etiam transfiguramur, nisi impediat nostra incredulitas: da, inquam, ut defixis oculis semper intenti simus in eam cognitionem, quæ semel nobis patefacta est, donec tandem, ubi sequuti fuerimus viam quæ nobis illic proponitur, perveniamus ad plenitudinem cælestis gloriæ, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA OCTOGESIMA-NONA

IN

JEREMIAM.

25. Ecce ego ad te, mons perditionis, dicit Jehovah, perdens omnem terram: & extendam manum meam super te, & devolvam te è rupibus, & ponam te in montem combustionis.

Non dubium est quin loquatur Jeremias de Babylone. Sed posset videri absurdum, vocari montem, quum urbs illa sita fuerit in planitie, sicuti satis notum est. imo nullos habuit montes propinquos: & ea fuit planities, ut possent facile deduci rivi huc atque illuc. Ergo existimant urbem illam vocari montem ob altitudinem murorum, deinde ob magnifica ædificia. Et illud est probabile, acsi Propheta vocasset ingentem molem. narrant enim historici muros fuisse altissimos, nempe ducentis pedibus, ut pes etiam tribus digitis superaverit vulgarem. deinde turres erant altiores. Fuit denique Babylon instar prodigii ob illam congeriem laterum. neque enim muri extructi erant ex lapidibus quadratis, sed erant coctiles, vel lateritii. Latitudo etiam fuit fere incredibilis, ut quadrigæ possent incedere, neque tamen aliæ alias attingerent. fuit enim latitudo 50 pedum, sicuti Strabo testetur, & post eum Plinius. Ergo metaphora hæc non caret ratione, quum Propheta respiciens ab una parte situm urbis, *montem vocat Babylonem*, acsi vel Ninus vel Semiramis, vel quicunque alii fuerint, pugnassent cum ipsa natura. Initium Babylonis fuit memorabilis illa turris, cujus fit mentio apud Mosen: sed tunc opus relictum fuit. Postea, Genes. 11.
vel quia tale erat principium ædificii, quod posset ac-

cendere

cendere cupiditatem hominum, vel quia locus ille erat valde amœnus & fertilis: hinc factum est, ut urbs fuerit extructa tanta amplitudine. Denique fuit potius similis regioni, quam urbi, quemadmodum etiam Aristoteles dicit non tam urbem fuisse, quam regionem vel provinciam. hoc igitur quantum ad nomen montis. Deus autem ipse bellum denunciat Babyloni, quo vaticinium plus fidei obtineat. neque enim Propheta respexit Chaldæos, sed potius suos populares: præsertim vero reliquias piorum. Nam major turba derisit hoc vaticinium: sed pauci restabant qui exciperent Prophetæ doctrinam qua decebat reverentia. Voluit igitur illis consulere: & sicuti in fine capitis videbimus, voluit hunc thesaurum apud ipsos recondere, ut foverent spem suæ restitutionis quum essent in exilio tanquam perditi. Deus ergo hic exurgit, & denunciat se fore hostem Babylonis: *Ecce ego*, inquit, *ad te*, vel contra te, *mons perditionis*: sed active accipitur mons perditionis pro monte perdente, sicuti etiam subjicitur clarior expositio quum dicit *perdidisse totam terram.* Babylonii enim, ut satis notum est, affixerant omnes suos vicinos, & transtulerant imperium Medorum in urbem suam. Quum ergo subactis Assyriis, longe lateque dominarentur, tandem progressi sunt in Syriam, in Judæam, & Ægyptum. Sic factum est, ut Babylonii potiti fuerint Orientali imperio usque ad tempus Cyri. Tunc autem Monarchia devenit ad Persas. Respicit vero Propheta noster ad superiorem doctrinam. Dixerat enim Chaldæos fuisse tanquam malleum Dei ad conterendas omnes gentes. Nunc eodem sensu dicit perditam fuisse totam terram à Babyloniis. Sed Deus hic pronunciat se futurum vindicem, *Quia manum suam extendet super Babylonem, & devolvet ipsam è rupibus.* pergit adhuc in metaphora. Sicuti enim Babylonem ob magnifica ædificia, præsertim vero ob altos muros, & turres etiam excelsas, montem vocavit, ita nunc prosequitur eandem loquendi formam: *Dejiciam te*, inquit, vel devolvam potius, te *ex rupibus, & ponam in montem combustionis.* Significat autem Babylonem fore congeriem cinerum: quanquam hoc non statim completum fuit. diximus enim alibi sic captam fuisse, ut non fuerit vastata. Nam tempore Alexandri magni, hoc est, multis post annis adhuc stabat integra Babylon, & illic mortuus est Alexander. sequitur ergo non fuisse redactam in solitudinem & cineres à Dario & Cyro. Sed jam solvimus nodum illum, quod scilicet Propheta non tantum loquutus sit de una vindicta Dei, sed complexus etiam fuerit alias quæ deinde sequutæ sunt. Defecit enim Babylon aliquanto post, & dedit graves pœnas suæ perfidiæ: & tunc contumeliose tractata fuit. Postea Seleucus conatus est modis omnibus eam perdere: & in hunc finem extructa fuit Seleucia: deinde Ctesiphon eodem consilio opposita fuit Babyloni. Paulatim ergo Babylon redacta fuit in solitudinem, quemadmodum hic Propheta affirmat. Plinius dicit suo tempore fuisse illic templum Beli, quem putarunt fuisse urbis conditorem: sed postea adjungit reliquas partes urbis fuisse desertas. Si illic fuit Hieronymus, quemadmodum dicit, credendum est ejus oculis: dicit Babylonem fuisse tunc oppidulum ignobile, & ruinas quasdam duntaxat fuisse illic conspectas. Nihil ergo absurdi est in hoc vaticinio, quia restringi non debet ad unam cladem duntaxat. Deus enim non destitit variis modis Babylonem persequi usque dum prorsus esset vastata, quemadmodum Propheta noster testatur. Hoc igitur sensu dicit *Babylonem fore in montem combustionis*, quia supererunt tantum ruinæ: & eodem etiam sensu mox subjicit,

26. Et non tollent ex te lapidem ad angulum, & lapidem ad fundamenta: quia solitudines perpetuæ eris, dicit Jehovah.

Confirmat proximam sententiam, nempe quum diruta fuerit Babylon, nullam fore spem restitutionis. Sæpe contigit, ut quæ fuerunt urbes funditus dirutæ, postea tamen rursus ædificari cœperint. Sed Deus negat hoc fore de Babylone, quia devota sit æterno exitio. Per *angulum & fundamenta* intelligit firmitudinem ædificii. Dicit igitur, minime sperandum esse, ut rursus aptentur lapides ad novum ædificium urbis, quia Babylon perpetuo futura sit vastitas, vel solitudo. Diximus autem muros Babylonis non fuisse extructos ex lapidibus sed lateribus. Verum Propheta simpliciter loquitur vulgari more, nempe excidium illud fore perpetuum. Alibi quoque diximus discrimen hoc poni communiter apud Prophetas inter populum Dei & reprobos, quod Deus promittit semper Ecclesiæ suæ novum statum tanquam resurrectionem à morte: incredulis autem denunciat æternam vastitatem. Hanc rationem nunc sequitur Propheta noster quum dicit *fore illic perpetuas vastitates*: quia scilicet nulla est spes veniæ aut misericordiæ incredulis. Postea sequitur,

27. Tollite signum in terra, clangite tuba in gentibus, sanctificate (*vel præparate*) super eam gentes, congregate contra eam regna Ararath, Minni, & Aschenaz: præficite super eam ducem, (*alii putant esse nomen proprium, & relinquunt* טפסר. *sed accipitur haud dubie pro duce*) educite equum tanquam locustam (*vel bruchum*) horribilem. (*vertit Hieronymus aculeatum: alii vertunt horripilantem: sed vox illa asperior est: & tamen proprie signatur horror ille, dum pili exurgunt ob metum, vel ob iracundiam.*)

Hic Propheta confirmat quæ ante docuit, nempe Babylonem quamlibet superbiat ob suas munitiones, non posse tamen effugere Dei manum. Si simplici loquendi forma usus esset, vix quisquam ausus fuisset sperare quod dicebat Propheta. Ergo necesse fuit interponere istas figuras, de quibus ante dictum fuit. Itaque hic pro summo imperio imperat gentibus, ut bellum moveant contra Babylonem. Notandum est, quemadmodum alibi admonui, talibus loquendi formis commendari doctrinæ Propheticæ affectum. Nam increduli rident quicquid audiunt, quia perinde illis est vox Dei, ac si sonitus efflueret per aërem. Propheta igitur ostendit se instructum esse Dei potentia, & manum Dei conjunctam esse cum ore ipsius, ita ut compleat quicquid prædicit: *Tollite*, inquit, *signum*. Potuit videri hoc esse ludicrum, quia scimus Prophetam non modo Hierosolymæ, sed in oppidulo suo, unde erat oriundus, fuisse contemptum. quo igitur jure, vel qua audacia nunc cunctis gentibus imperat? & jubet vexilla attolli? Sed, quemadmodum dixi, ostendit perperam fieri judicium de sua doctrina, nisi existimet populus Deum ipsum loqui. *Clangite*, inquit, *tuba per cunctas gentes*: deinde, *sanctificate contra eam gentes*. Scimus hoc verbo significari præparationem: sed rursus est metaphorica loquutio, quia Judæi quicquid aptatur in usum sanctificari dicunt: ideo etiam quum de prœliis loquuntur, dicunt sanctificari prœlium: de ipsis bellatoribus dicunt ipsos sanctificari. *sanctificate ergo contra eam gentes*: deinde,

Congre-

Congregate, ad verbum est facite audire. sed in Piel accipitur pro colligere, vel congregare. Quantum ad nomen Ararath, satis convenit accipi pro Armenia. Nescio unde sumpserint quidam Minni esse Armeniam inferiorem, quia nullus est ejus auctor idoneus. Incertum etiam est quam plagam designet Propheta per nomen Aschenaz. Sed satis notum est ex historiis, ingentem illum exercitum, quem Darius vel Cyrus sub Darii nomine secum traxit, fuisse collectum ex diversis gentibus, & quidem remotis. Nam Hyrcanos secum adduxit & Armenios; deinde ex obscuris multis locis. Quum igitur hoc etiam tradant profani auctores, exercitum illum fuisse promiscue collectum ex multis gentibus, & fere incognitis, non mirum est si Hebraicæ voces hodie nobis incognitæ sint. Et minime dubium est, quin Propheta hic significet oblique quandam orbis concussionem: quasi diceret, barbaras quoque gentes, & quarum nomen hactenus auditum non fuit, instar diluvii exundaturas ad perdendam Babylonem. Sequetur etiam postea de Medis: sed hic est diversa ratio: quasi diceret tantam fore hostium multitudinem, ut facile obrui possit Babylon cum sua amplitudine. Nunc tenemus Prophetæ consilium quantum ad istas voces obscuras. Dicit postea, *Præficite contra eam ducem*. Hoc intelligi debet de Cyro, cujus strenuitas maxime in bello illo apparuit. Nec vero dubium est, quin avunculum suum & socerum traxerit in partes belli. nam fabulantur historici, qui dicunt Cyrum ab avo fuisse abjectum, & statim ope Astyagis nutritum fuisse clam, postea bellum gessisse contra avum: illa omnia conficta sunt: quia satis constat Darium regem Medorum fuisse superiorem in illo bello. & Daniel nobis optimus est testis hujus rei. Fingunt profani Scriptores nullum fuisse regem Medorum, nisi sub manu Cyri. Atqui Cyrus non dominatus est nisi post mortem soceri sui, hoc est, avunculi, cujus filiam duxerat uxorem. Sequitur ergo fuisse ita præfectum, ut tamen auspiciis Darii bellum gestum fuerit. Cyrus ergo fuit quasi stipendiarius miles sui avunculi & soceri: sed tandem adeptus est regnum Medorum, & totum imperium Orientale. De hoc ergo duce intelligo præsentem locum, ubi dicit Propheta, *Constituite*, vel præficite *ducem contra Babylonem*. Postea, *Educite equum tanquam bruchum* (vel ascendere facite) hoc refertur ad numerum: quasi diceret, Educite contra Babylonem equos innumeros, & qui sint quasi locustæ. Comparat eos locustis, non ob robur, vel peritiam belli, sed tantum multitudinis respectu. Sed quia bruchi vel locustæ sunt contemptibiles, ideo adjungit epitheton סמר: quasi diceret, Sint quidem locustæ vel bruchi quoad turbam, sed interea qui sint formidabiles: quasi habeant pilos horribiles. Postea sequitur,

28. Præparate contra eam gentes, regna Medorum, duces ejus, & Principes ejus, & totam terram ditionis ejus.

Nunc repetit quod dixerat de gentibus præparandis: sed genus ipsum ponit, ut paulo post ad speciem descendat. Jubet ergo *accersi gentes*: sed postea demonstrat quænam illæ futuræ sint, nempe, inquit, *regna Medorum*. Erat quidem regnum unum, sed cui suberant multi Reges. Ergo propter multas provincias, quibus præerant Satrapæ, deinde propter multas regiones tributarias Propheta non contentus fuit singulari numero, sed pluraliter vocavit *regna Medorum*, quoniam Monarchia illa se longe & late extenderat, ut multi Reges parerent Dario. Et hoc ad certitudinem prophetiæ non parum facit, dum Jeremias antequam natus esset Cyrus, vel Darius ipse, pronunciat venturos esse Medos. Diximus autem, quamvis Cyrus, ut pollebat singulari industria, & erat summus bellator, ipse gesserit bellum: auctoritate tamen superiorem fuisse Darium. Ergo Babylon paruit ad tempus Medis, sed quia Darius jam senex erat, successit Cyrus: & tunc in Persiden Monarchia translata fuit, & inde leges petitæ sunt usque ad tempus Alexandri magni, qui una cum scorto suo & ciuedo exussit turrim illam. Nec dubium est quin res memorabiles gestæ, illic fuerint depositæ. Sed Alexander ebrius facem corripuit, & exussit turrim. putavit enim hoc modo posse aboleri memoriam Orientalis Monarchiæ. Jam ergo tenemus cur Propheta hic exprimat nomen Medorum. Adjungit, *duces ejus*. non dubium est quin Satrapas omnes, & Reges etiam comprehendat sub his nominibus. Tandem addit *totam terram dominii*, vel ditionis *ejus*: qua etiam voce designat regna illa, quorum nuper facta fuit mentio. Nunc sequitur,

29. Et contremuit terra, & doluit, (*similitudo sumpta est à parturientibus*) quia stabilita fuit super Babylonem cogitationes (*in plurali numero ponit quum tamen verbum sit singulare, hoc est, stabilitæ sunt omnes cogitationes*) Jehovæ ad ponendam terram Babylonis in solitudinem, ita ut non sit habitator. (*vel qui illic habitet.*)

Non dubium est quin Propheta studuerit tollere ex animis piorum dubitationes, quæ alioqui fidem abrogassent ejus doctrinæ. Poterat hoc venire omnibus in mentem, Potius labefactabitur totus orbis, quam corruat Babylon. Quamvis ita sit, inquit Propheta, ut tota terra contremiscat, tamen Babylon ipsa corruet. Hoc igitur sensu dicit Propheta, *Contremuit terra*, *deinde doluit*, nempe *quia stabilitæ sunt*: est hic concinna antithesis inter motum terræ, & inter stabilitatem consilii Dei. Proprie quidem significat surgere: sed accipitur etiam pro stabiliri multis locis: & ita necesse est exponere hoc loco. Dicit ergo, *Contremiscet terra*, nempe *quia cogitatio Dei stabilitur contra Babylonem*. Cæterum ponit in plurali numero Cogitationes, acsi diceret, quicquid statuit Deus ac decrevit hoc totum firmum erit, & potius tota terra concutietur, quam possit Dei veritas suum effectum perdere. ergo hic versus nihil aliud continet, quam confirmationem totius prophetiæ. Sed Propheta ostendit, etiamsi omnia obstacula mundi promittant Babyloni perpetuum statum, fore tamen firmum, & stabile quod Deus ipse de illius urbis excidio decrevit. Postea sequitur,

30. Cessarunt fortes Babylonis ad pugnandum, (*hoc est, destiterunt pugnare fortes Babylonis*) sederunt in munitionibus, defecit (*vel elanguit*) virtus ipsorum, fuerunt in mulieres: accendent habitacula ejus, confracti sunt vectes ejus.

Hic quasi digito ostendit Propheta modum ipsum excidii Babylonis qualis describitur apud profanos auctores. Dicit ergo *fortes Babylonis*, nempe qui electi erant ad urbem propugnandam, *cessasse in prælio*. Urbs enim astu potius, quam vi aperta capta fuit. nam quum diuturna fuisset obsidio, derisus

fuit

fuit Cyrus à Babyloniis: tunc secure epulabantur. Interea duo Eunuchi Balsasaris transierant ad Cyrum. nam ut Xenophon refert, alterius filium occiderat tyrannus ille, alterum vero castraverat ignominiæ causa. Hinc ergo factum est, ut ab illo defecerint: & edoctus fuit ab ipsis Cyrus quanam arte posset urbem capere. Ergo siccata sunt vada quum nihil tale suspicaretur Balsasar: & nocte una audivit captam esse urbem. Daniel hoc clarius describit. nam dicit tunc solenne convivium vel epulum fuisse celebratum, & apparuisse manum scribentis ad parietem: quum territus fuisset Rex, audivisse ex Daniele ipso adesse regno finem, & ea ipsa nocte urbem captam fuisse. Dicit igitur nunc Propheta *cessasse fortes Babylonis*, ita ut abstinuerint à prælio. loquitur quidem de re futura, sed tenemus morem Propheticum, quia scilicet perinde narrant quæ futura erant acsi jam fuissent completa. Postea addit *sedisse in suis munitionibus*, quia urbs tumultu non fuit capta, nulla fuit oppugnatio, sed silentio trajectæ sunt copiæ per vada illa, & milites ingressi sunt mediam urbem: Rex ipse fuit jugulatus una cum suis omnibus Satrapis: deinde omnes urbis partes fuerunt occupatæ. Nunc ergo videmus Spiritum Dei quasi de re jam completa loquutum fuisse per os Jeremiæ. Postea dicit, *virtutem ipsorum elanguisse*, nempe quia terror illos obstupefecit quum audirent captam esse urbem. Ita etiam verum fuit quod additur, *fuisse in mulieres*, hoc est, fuisse muliebri animo: quia nemo ausus est se opponere victoribus. Poterat adhuc in tanta multitudine committi prælium: imo in centum, vel mille urbis compitis poterant congredi cum hostibus, quia noctu facile erat ipsos opprimere. sed Propheta dicit, *fuisse omnes muliebri animo*. Tandem adjungit, *exusta fuisse ab hostibus palatia*, *& vectes portarum fuisse confractos*, quia nemo ausus est ad arma clamare postquam auditum fuit, urbem jam fuisse captam. Sequitur,

Dan. 5. v. 25. 26. 27. 30.

31. Cursor in occursum cursoris cucurrit, (*vel curret, ad verbum*) & nuncius in occursum nuncii ad nunciandum regi Babylonis, quod capta sit urbs ejus ab extremitate.

Hoc etiam fuisse completum tam profani Scriptores quam Daniel testantur. Non recitant quidem hæc verba, sed ex serie tota historiæ facile colligitur cursitasse nuncios, quia nunquam putassent Babylonii posse tam subito hostem penetrare: nullus enim erat ingressus. Vidimus quanta esset murorum altitudo: nullæ erant tunc bombardæ, quæ muros labefactarent. Erant quidem arietes: sed qualis fuit latitudo murorum? nempe quemadmodum jam diximus pedum 50, ita ut inter se concurrerent quadrigæ. nullus ergo aries poterat labefactare tam densos muros. Quantum ad vada pertinet, fuit illis incredibile, ita secure epulabantur: in tanta irruptione necesse fuit accidere quod hic Propheta noster testatur. Sed satis apparet fuisse organum Spiritus sancti. nondum enim natus erat Cyrus quum ita vaticinatus est. Ergo hinc etiam agnoscimus fuisse divinitus gubernatum hunc sanctum virum, & ejus doctrinam non esse natam in ejus cerebro, sed vere fuisse cælestem. neque enim divinare poterat, neque erat probabilis conjectura ut posset ita loqui: sed adducit Judæos in rem præsentem. Nec dubium est, quin auctoritas ejus tandem confirmata fuerit, quum patres filiis narrarent, Ecce audivimus ex ore Prophetæ id quod nunc cernimus oculis nostris: & tamen non potuit homo ulla conjectura hoc consequi, neque ratione neque perspicacia. ergo necesse est fuisse edoctum à Spiritu Dei Jeremiam. Hæc igitur ratio fuit cur voluerit Deus graphice depingi Babylonis excidium, quemadmodum vidimus. Dicit igitur, *Cursor in occursum cursoris cucurrit*: deinde, *nuncius in occursum nuncii, ut nunciet regi Babylonis urbem ejus esse captam ab extremitate*. Si de urbe aliqua mediocri esset sermo, posset hoc videri ridiculum: quorsum cursores, diceret quispiam? Sed jam satis ostendi, tantam fuisse amplitudinem illius urbis, ut potuerint cursores venire ad Regem, acsi iter facerent per aliquem agrum, & nunciarent ab extremitate una captam esse urbem. Et non possunt etiam satis magnifice extollere suis elogiis profani Scriptores diligentiam Cyri, quod urbe tanta sic potitus fuerit. Poterat enim esse victor dimidiæ partis, & Balsasar retinere alteram partem, & confligere strenue cum Cyro, & cum omnibus ejus copiis: & fuisset haud dubie superior, nisi mira & insolita fuisset Cyri ipsius festinatio. Celeritatem hanc igitur nunc exprimit Propheta quum dicit, *Cursitabunt nuncii qui Regi dicant captam esse urbem ab extremitate*. Jam adjungit etiam de ipsis vadis quod nemo divinasset;

32. Et vada capta sunt, & stagna exusta sunt igni, & viri prælii (*hoc est, bellicosi*) conterriti sunt.

Hic versus clarissime demonstrat Jeremiam fuisse Dei præconem, & linguam ejus fuisse gubernatam Spiritu cælesti: modum enim captæ Babylonis perinde narrat, acsi oculis suis conspexisset. dicit, *vada esse capta, & stagna exusta igni*. Non legimus Cyrum ignem supposuisse. & quidam interpretes pro stagnis vertunt carecta, sed nulla ratio nos cogit ita exponere hanc vocem: quia metaphorice loquitur Propheta. Volebant ad verbum interpretari exusta esse carecta: sed Propheta hyperbolice ostendit siccata fuisse vada Euphratis, perinde acsi quis lignum exureret igni supposito. Hoc quidem aquis non convenit: sed hyperbolice melius exprimit miraculum, quod vix alioqui poterat humano sensu concipi. Dicit igitur Propheta *vada siccata esse*, & postea adjungit, *stagna exusta esse*. Rem unam bis exprimit, sed vario modo: & quemadmodum jam dixi, hyperbolice dicit tantam fore solertiam Cyri, & exercitus ejus, ut vada arefaciat, & stagna, perinde acsi quis lignum congereret, deinde supposito igni consumeret. Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum: postea repetit *viros bellicosos fuisse conterritos*. Quamvis enim exaruissent vada, hoc est, rivi illi qui deducti erant ab Euphrate: tamen poterant adhuc custodes urbis tenere aliquam partem, & viriliter obsistere, ne longius progredi posset miles Cyri: sed ita urbs capta fuit fraude, ut etiam Deus exterruerit animos omnium Babyloniorum, ne auderent digitum tollere, quum tamen possent partem aliquam urbis defendere, quamvis ab una parte capta foret.

Da omnipotens Deus, quando olim testatus es favorem tuum erga Ecclesiam, quum tantæ Monarchiæ non pepercisti, ut etiam hodie agnoscamus te eundem esse erga omnes fideles, qui nomen tuum invocant. Et quoniam tanta est hostium nostrorum potentia & crudelitas, ut manum tuam attollas contra eos, & ostendas te perpetuum esse Ecclesiæ tuæ custodem, ut ita materia nobis suppetat glorificandæ tuæ bonitatis in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA NONAGESIMA IN JEREMIAM.

33. Quoniam sic dicit Jehovah exercituum Deus Israël, Filia Babylonis tanquam area, tempus calcandæ ejus: adhuc paulisper, & veniet messis ei.

HAc similitudine confirmat Propheta quod ante dixit, Deum fore vindicem Ecclesiæ suæ, & justas pœnas sumpturum de Babyloniis, sed tempore opportuno, quod Scriptura vocare solet tempus visitationis. Comparat igitur Babylonem *areæ*, non eo sensu, quem fingunt interpretes: sed quoniam area tantum post tempus messis fervet, & postea clauditur, & habet suum otium. Babylon igitur longo tempore similis areæ fuerat, quia illic nulla erat tritura, hoc est, nullus erat tumultus. Sed Deus pronunciat *venturum tempus messis*, quo area percutiatur. Boves in illis partibus triturant. neque enim frumentum excutitur flagellis, quemadmodum apud nos, & in Gallia etiam pluribus locis: nam Provinciales etiam tritura utuntur. Sed triturant in Judæa frumentum in areis: & quia boves percutiunt terram, ideo area subjicitur illorum pedibus calcanda. Nunc apparet ratio similitudinis, quod scilicet tempus adveniet, quo Deus percutiat Babylonem, quemadmodum post messem boves pedibus suis aream calcant, quæ reliquo anni tempore otiosa est, & manet clausa & quieta: ideo dixi confirmari quod ante vidimus de tempore visitationis. Erat enim absurdum primo intuitu, promitti Judæis liberationem, quum tamen Babylon magis ac magis cresceret, ac propagaret fines suæ
Jesa. 28. vers. 24. 25. 26. Monarchiæ. Jesaiæ 28. Deus ostendit non esse mirum, si non exerceat quotidie sua judicia æquali modo: & jubet inspicere qualiter agricolæ se gerant. neque enim serunt promiscue triticum, & hordeum & omnia cicerum genera: neque etiam semper vel arant, vel metunt, sed expectant opportuna tempora. Quum ergo ipsi agricolæ præditi sint tali industria, & ego ipsos docuerim, cur mihi non licebit etiam habere tempora distributa, ut nunc sit messis, nunc trituratio? deinde nunc seram triticum, nunc seram cuminum? quemadmodum illic addit Propheta multas species. Eadem etiam est ratio hujus loci, quamvis brevius loquatur Propheta. Dicit igitur Babylonem esse similem areæ: cur? quoniam fuerat quasi locus clausus, & quietus. Deus enim pepercerat Chaldæis, & quemadmodum postea videbimus, ita inebriati erant suis deliciis, ut nihil periculi metuerent. Et seipsum continuo post explicat, *tempus ad ipsam calcandam*. Similis igitur fuit Babylon areæ, quia non fuit calcata longo tempore, sicuti area non calcatur novem aut decem mensibus per totum annum. Sed adjungit, *Adhuc paulisper, & veniet messis*. Colligimus ex hoc loco, & similibus trituram in usu fuisse apud Judæos, & reliquos Orientales populos tantum messis tempore. Servatur frumentum in quibusdam locis ad quinque & sex annos in suis spicis. Alii excutiunt frumentum vel sex mensibus post autumnum, vel octo, vel novem, prout illis commodum est. Sed multæ sunt regiones, ubi statim excutitur frumentum, neque reponitur in horrea, sed conjicitur statim in aream, & illic trituratur vel bobus, vel flagellis. Quoniam igitur solebant frumentum statim triturare, ideo pronunciat Deus adesse tempus messis, quo calcabitur Babylon, quemadmodum calcatur area post messem. Notandum est istud *paulisper* non debere restringi ad hominum sensus, quia quamvis Deus sua judicia suspendat, non tamen nunquam moratur, quin satis celeriter peragat opus suum. Dicit Propheta Haggai, vel Haggæus, Adhuc paulisper, & concutiam *Hagg. 2. vers. 7.*
cælum & terram. id autem non fuit completum centum vel ducentis postea annis. sed tenenda est illa sententia Prophetæ Habakuc, Si moram faciat Visio, *Habac. 2. vers. 3.*
expecta illam, quia veniet neque tardabit. Dicit prophetias moram facere, nempe hominum judicio, qui nimium festinant, imo præcipites feruntur ad sua desideria. Sed Deus satis celeriter opus suum peragit, modo sinamus ipsum distribuere tempora suo arbitrio, quemadmodum æquum est. Ergo quoties impii fruuntur otio, & secure delicianter, veniat nobis in mentem hæc sententia, nempe non semper calcari aream, sed venturum tempus messis, quum ita Deo placuerit. hic est usus doctrinæ. Sequitur,

34. Comedit me, contrivit me Nabuchadnezar rex Babylonis: posuit me (*locavit, ad verbum*) vas inane: deglutivit me tanquam draco, implevit ventrem suum deliciis meis, ejecit me.

Hic ponitur querimonia electi populi: & consulto id fecit Jeremias, ut persuasi essent Judæi, venire in rationem coram Deo suas omnes miserias. Nihil enim est quod nos magis excruciet, quam dum putamus Deum oblitum esse nostri, & negligere injurias, quibus nos impii opprimunt. Ergo Propheta hic sistit coram Deo Israelitas, unde poterant cum animis suis statuere se non negligi à Deo, neque ipsum dormire quum injuste & crudeliter opprimebantur à suis hostibus. hæc enim querimonia narratur, acsi expostularent in conspectu Dei. Dicit ergo, *Voravit me, & contrivit Nabuchadnezar rex Babylonis*. verbum Comedendi satis erat, sed voluit exprimere Jeremias aliquid atrocius quum addidit verbum *conterendi*: nam significat Babylonem non fuisse similem homini, qui epularetur, apposito cibo: sed fuisse truculentam bestiam, quæ conterit etiam ossa ipsa. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: amplificat sævitiam regis Babylonii, quum dicit, populum Dei non tantum fuisse ab ipso voratum, sicuti homines cibum suum deglutiunt, sed fuisse simul contritum dentibus, quemadmodum leones, & ursi, & aliæ sævæ belluæ non modo vorant prædam suam, sed etiam dentibus conterunt si quid est carne durius, sicuti ossa. Et eodem etiam spectat quod adjungit, *Locavit me vas inane*, vel vacuum, hoc est, exhausit me prorsus quemadmodum si quis lagenam vel cadum exhauriat. Postea, *voravit me tanquam draco*. est alia similitudo, quæ diversa est à superiori. Sed tamen optime convenit. sunt enim dracones, qui devorant integrum animal: & hoc intelligit Propheta. Etsi autem non per omnia conveniunt istæ comparationes, tamen ad summam rei sunt aptissimæ, quod scilicet passus sit Deus vorari populum suum, acsi esset inter dentes leonis, vel ursi, vel si esset draconis præda. Adjungit, *Implevit ventrem suum deliciis meis*, hoc est, quicquid fuit delicatum in me, consumpsit. postea, *expulit residuum*: sicuti lupi,

& leones, & aliæ bestiæ, ubi plus habent prædæ, quam ad saturitatem sufficiat, eligunt quod est magis sapidum. eligent enim caput hominis, ut cerebrum absorbeant: sanguinem ipsum exugent, relinquent intestina, & si quid minus illis sapit. Ita etiam Propheta dicit miseros Judæos sic fuisse voratos, ut hostis præ fastidio postquam satiatus fuerat, ejecerit reliquias. Hinc autem colligimus, populum Dei sic fuisse expositum in prædam, ut victor non tantum fuerit saturatus, sed ejecerit huc atque illuc quod respuebat post satietatem. satietas enim fastidium parit, ut satis notum est. Sed alludit Propheta ad ipsam conditionem miseri populi. Opes enim fuerunt absorptæ à Chaldæis, sed ipsorum supellex direpta fuit à vicinis gentibus. Ipsi autem homines sic fuerunt tracti in exilium, ut fuerit fœda dissipatio. Quod ergo dispersi fuerunt in diversas terras, quod etiam aliqui per contemptum relicti fuerunt in terra, ita impletum fuit quod hic dicitur, Ejecit me: nempe quia saturæ erant illæ bestiæ, Chaldæi scilicet, ideo cibum ab illis fuisse rejectum, quia non poterant consumere quicquid oblatum erat. His figuris, ut dictum est, exprimitur extrema populi clades: & minime dubium est, quin Propheta voluerit occurrere cogitationibus, quæ alioqui gravissima fuissent tormenta Judæis. Quia enim nullus erat finis malorum, poterant statuere se à Deo fuisse ita projectos, ut essent omnium hominum miserrimi. hæc igitur ratio est cur præveniat Propheta noster quæ poterant exacerbare animos piorum, & simul etiam frangere. Dicit igitur, etiamsi omnia contigerint, Deum tamen non esse oblitum populi sui: hæc omnia fuisse in ejus conspectu. Quantum ad nos spectat, si Deus non tantum duplicaret clades Ecclesiæ suæ, sed ad extremum usque nos affligeret, tamen debet nobis succurrere quod hic dicit Propheta, nempe olim populum electum Dei fuisse sic consumptum, ut reliquiæ per ignominiam fuerint projectæ: quia victor quamvis esset insatiabilis, tamen non dignatus fuerit consumere quicquid nactus fuerat in prædam: quia scilicet non poterat sufficere ejus cupiditas. Jam sequitur,

35. Violentia mea, (*sed passive accipitur: alii vertunt, rapinam, quod idem est*) & caro mea contra Babylonem, dicet (*vel dicat*) habitatrix Sion, sanguis meus contra habitatores Chaldææ, dicat Jerusalem.

36. Propterea sic dicit Jehovah, Ecce ego litigans litem tuam, (*hoc est, disceptans causam tuam, vel cognitor causæ tuæ*) & vindicans vindictam tuam: & arefaciam mare ejus, & exsiccabo fontem ejus.

Pergit in eadem doctrina Jeremias. postquam enim breviter ostendit clades populi non esse Deo incognitas, nunc hortatur oblique fideles, ut querimonias suas deponant in sinum ipsius Dei, & ad ipsum provocent, vel ipsum appellent vindicem. Hoc igitur consilium Prophetæ est, postquam exposuit quam graviter afflicti fuissent Judæi, docere hoc unicum esse remedium, ut ad Deum confugerent, & coram ipso agerent suam causam. Et hic locus observatu dignus est, ut discamus etiam in extremis malis, ubi omnia videntur desperata, detegere mala nostra coram Deo, & ita exonerare nostras anxietates in ejus sinum. Unde enim fit, ut tristitia nos sæpe obruat, nisi quia non sequimur quod nobis præscribit Spiritus Dei? in Psalmo enim dicitur, Revolve curas tuas in Dei sinum, & ipse te fovebit, nec dabit in perpetuum fluctuationem justo. (*Psal. 55. vers. 23.*) Ergo liceret precibus nos exonerare, & illud esset optimum remedium, sed fremimus, & interdum etiam tumultuamur, vel saltem mordemus & rodimus frenum, quemadmodum dicitur vulgari proverbio. Et interea negligimus quod præcipuum erat, & quod nunc docet Propheta. Ergo diligenter notemus in quem finem tendat hæc doctrina, ubi dicitur, *Violentia mea, & caro mea contra Babylonem*. Ubi dicit, *dicat*, vel dicet, *filia Sion*, non dubium est quin ostendat, semper manere fideles hoc solatium in extremis cladibus ut apud Deum expostulent de hostibus suis & eorum sævitia. Ergo *rapina mea*, vel violentia: alii vertunt, Rapina mei, quod durum est. Sensus autem Prophetæ non est ambiguus, quia postea sequitur, *caro mea*. *Violentia* igitur, quam passa sum ab hostibus meis. nam proponitur hic nobis populus sub persona mulieris, usitato more. *habitatrix Sion dicat, Rapina mea, & caro mea*. Secunda hac voce satis demonstrat Propheta quid prius intellexerit per Rapinam. *Caro mea* (nempe illa quam Chaldæi voraverant, & consumpserant) est, inquit, *contra Babylonem*. Hoc maximum pondus habet, quia his verbis significat, quamvis impune putarent Chaldæi se exercuisse illam sævitiam contra Judæos, tamen sanguinem innoxium clamare, & illis esse quasi hostem oppositum. Postea eodem sensu addit, *Jerusalem dicat sanguinem suum esse contra Chaldæos*. Jam sequitur clarior explicatio ubi Deus promittit se fore vindicem electi populi, & quæcunque perpessi fuerant Judæi, redditura contra Babylonios. *Propterea sic dicit Jehovah, Ecce ego litigans litem tuam*. Hoc contextu docemur deferre nostras querimonias ad Deum, si velimus illum causam nostram suscipere. nam ubi silemus, ipse vicissim quiescit, utpote qui indignos cognoscit quibus auxilietur. Cæterum, si ad ipsum clamemus, proculdubio nos audiet. Ergo tenenda est series, quum ab una parte dicit Propheta, *clamet Jerusalem, dicat filia Sion*. Propterea adveniet Deus, inquit, qui exaudiat clamorem suorum. Primo dicit, *Ecce ego disceptans causam tuam*: postea, *vindicans vindictam tuam*. Loquutiones istæ duræ sunt Latinis auribus, sed plus tamen continent vehementiæ, quam si vellemus elegantiam linguæ Latinæ sectari. Præstat igitur retinere genuinas loquendi formas, quam nimium studere nitori. In summa, promittit Deus se fore vindicem populi sui. & quum pronomine demonstrativo utitur, haud dubie tollit omnem dubitationem, quasi jam adesset. scimus elapsos fuisse multos annos, ex quo ita loquutus fuerat Deus. Neque enim tantum post captam urbem vaticinatus est Jeremias contra Chaldæos, ut ante dictum fuit: sed quamvis suspenderit Deus suum judicium, & vindictam ad annos 70 post excidium urbis; merito tamen hoc fuit dictum, *Ecce ego*, quasi adduceret fideles ipsos in rem præsentem, nempe certitudinis causa. Hinc autem colligimus, Deum quamvis humiliet suos, & sinat etiam usque ad extremum obrui miseriis, tandem futurum ultorem omnium injuriarum, quas pertulerint: quia quod etiam dictum fuit de interitu populi ad nos spectat: imo hæc doctrina non fuisset relicta in monimentis, nisi in usum nostrum. Cæterum, quemadmodum nuper admonui, discamus quoties Deus videtur nos deseruisse, animos nostros componere ad tolerantiam. Interea exerceamus nos assidue in precibus, & Deus gemitus, & querimonias nostras exaudiet, respiciet etiam lachrymas nostras. Postea additur, *Arefaciam mare ejus*: quia Babylon, ut jam dictum fuit, circumdata erat rivis Euphratis: & ideo non patebat facilis accessus. Comparat igitur munitiones Babylonis Propheta *mari* & *fonti*. nam quis putasset posse arefieri Euphratem, qui tam nobilis est fluvius, & qui parem non habet in tota Europa?

ropa? nec Danubius quidem accedit ad magnitudinem illius fluvii. Quis ergo putasset posse arefieri fluvium illum, qui erat mari similis, & cujus fons erat inexhaustus? Ergo Deus significat his verbis virtutem suam talem esse, ut evanescant omnia obstacula, simulatque statuerit judicium suum exequi contra Babylonios. Postea sequitur,

37. Et erit Babylon in acervos, habitaculum draconum, stupor, & sibilum, absque habitatore.

Confirmat superiorem doctrinam, nempe ubi Deus manum suam extulerit contra Babylonem, fore talem ejus interitum, ut illa claritas, quæ prius obstupefecerat omnes gentes, in nihilum redigatur: Peribit, inquit, tota opulentia Babylonis, & turres ejus, & muri concident, populi etiam evanescent: denique *erit in acervos lapidum*, sicuti prius asseruit fore in montem combustionis. Eodem ergo sensu nunc vocat Acervos. Sed tenendum est memoria quod heri vidimus, nempe tales fore acervos, qui apti non sint vel idonei ad angulos, & qui non possint locari in fundamentis, quia scilicet ruinæ ipsæ prorsus erunt inutiles ad novum ædificium. Dicit fore *stuporem*, *& sibilum*. His etiam vocabulis utitur Moses, quum minatur populo justas pœnas, si transgressus fuerit Legem Dei. Sed minæ illæ sese extendunt ad omnes impios, & Dei contemptores. Ergo implevit Deus contra Babylonios quod illic denunciat per Mosen omnibus Legis suæ contemptoribus. Postea sequitur,

Deut. 28. vers. 37.

38. Rugient tanquam leones, rugient (*est quidem aliud verbum, sed ejusdem sensus*) tanquam catuli leonum.

Hic alia figura exprimit Jeremias quod dixerat de Babylonis interitu, nempe quod in media clade nihil virium illis suppetet ad resistendum: interea tamen peribunt cum magno tumultu. Et ita anticipat etiam quæ poterant contra vaticinium ejus objici. nam Babylonii fuerant aliis omnibus populis superiores. Qui fieri ergo poterit, ut pereat tam invicta potentia? Quamvis sint tanquam leones, inquit Propheta, tamen nihil proficient. Rugient quidem, sed rugitus nihil illis proderit: rugient tanquam catuli leonum, sed nihilominus peribunt. Nunc ergo tenemus consilium ejus in hac similitudine, nempe quod Babylonis nihil proderit illa superior potentia, qua omnes perterruerant, quia nihil illis residuum erit in ipsa clade præter rugitum. Sequitur,

39. In calore ipsorum ponam convivia ipsorum, & inebriabo eos, ut exultent, & dormiant somnum perpetuum, & non expergiscantur, dicit Jehovah.

Hic etiam modum rursus describit, quo capta fuit Babylon. Et hinc colligimus Prophetam non per ambages, neque dubios flexus fuisse loquutum; sed judicium Dei sic monstrasse digito, ut notabile esset vaticinium ad posteros, & scirent Spiritum Dei hæc protulisse per os Prophetæ. Neque enim mortalis homo etiamsi centies fuisset præditus spiritu divinationis, unquam ita clare expressisset rem incognitam. Sed quoniam Deo nihil est vel præteritum, vel futurum, ideo oportuit palam sic disserere de interitu Babylonis, ut posteri eventu ipso confirmati agnoscerent certum fuisse Spiritus sancti organum. Et Daniel postea obsignavit vaticinium Jeremiæ quum historice explicuit quod acciderat: imo Deus extorsit à profanis Scriptoribus hanc confessionem, ut essent testes doctrinæ Propheticæ. nam Xenophon noluit quidem subscribere Jeremiæ: sed nebulo ille, qui totum adulationi studebat, interea Deo obsequutus est, & obsignavit suo testimonio publico quod prædictum fuerat divinitus à Jeremia. *Ego in calore eorum*, inquit, *ponam convivia ipsorum*, hoc est, ego calefaciam ipsos in suis epulis, quemadmodum etiam quum ebrius esset rex Balsasar, fuit jugulatus una cum omnibus suis Proceribus, & Consiliariis. *Inebriabo ipsos ut exultent*, hoc est, ut lasciviant. Hoc refertur ad socordiam eorum, qui putabant se semper fore tutos. ridebant enim Cyrum, qui perferebat tot incommoda. Degebat enim sub tentoriis, longa jam fuerat obsidio: nullius rei penuria erat in urbe. Sic ergo lascivia ipsos perdidit. Et in hunc finem dicit Propheta, Deum ipsos calefacturum ut protervient in suis deliciis: deinde, *ut dormiant somnum perpetuum*, hoc est, ut intereant in sua luxuria, quum scilicet contempserint hostem suum, *nunquam expergiscantur*. Babylon enim poterat resistere ad longum tempus, quemadmodum heri vidimus: sed fuit captiva. deinde prohibiti fuerunt Babylonii ab armis: & passus est quidem Cyrus, eos diffluere in suis voluptatibus: sed interim illis abstulit omnem usum armorum, abstulit omnem auctoritatem, ita ut serviliter degerent cum maximo dedecore & probro: deinde successu temporis magis ac magis fuerunt contempti, donec tandem urbs illa sic fuit eversa, ut nihil restaret præter tuguria quædam, & esset vicus ignobilis. Videmus ergo fuisse tandem completum quicquid prædixerat Deus per servum suum Jeremiam, sed tempore opportuno, & tempore triturae, quemadmodum dictum fuit. Sequitur,

40. Educam (*ad verbum est, descendere faciam*) eos tanquam agnos ad mactationem, tanquam arietes cum hircis.

Similitudo hæc diversa est à superiori quum dicebat Propheta similes fore leonibus. Sed illud tantum ad rugitum spectabat. Nunc vero demonstrat quam futurus sit interitus ille facilis Deo quum volet Babylonios perdere. Ergo quantum ad clamorem, fuerunt leones, quantum vero ad facilitatem cladis fuerunt tanquam agni ad mactationem adacti. Hic non significat Deus fore tali mansuetudine præditos, ut sese offerant ad voluntariam mortem: sed significat quantumvis prius fuerint robusti Babylonii, & aliis omnibus minati fuerint, tunc fore prorsus animo muliebri, acsi traherentur agni, & arietes ad mactationem. Hæc autem similitudo frequenter occurrit apud Prophetas, quia in quotidiano usu erant tunc sacrificia: deinde intelligunt Prophetæ cædem impiorum esse solenne sacrificium, quia sicuti victimæ oblatæ sunt sub Lege in testimonium pietatis & cultus: ita quum Deus judex apparet, & vindictam sumit de reprobis, perinde est acsi erigeret altare, & sic proferret testimonia cultus sui. Ornatur enim ejus gloria, & cultus etiam celebratur talibus victimis. Ergo cædes omnium impiorum, quemadmodum diximus, merito confertur sacrificiis, quoniam refulget illic Dei gloria, & hoc maxime pertinet ad cultum ejus. Tandem sequitur,

41. Quomodo capta est Sesak, & comprehensa laus totius terræ? quomodo facta est Babylon in vastitatem (*vel in stuporem*) inter cunctas gentes?

Hic admiratio Prophetæ valet ad confirmationem, quia hoc modo discurit quæ solent agitare animos piorum, ut diffidant prophetiis: tunc minime dubium est, quin secum multa voluraverint pii pro sua infirmitate quum audirent Jeremiam ita disserere de interitu Babylonis. semper occurrebat, Quomodo boc poterit fieri? Ergo Jeremias prævenit illas cogitationes, & ipse ultro suscipit admirantis personam, *Quomodo capta est Sesak?* quasi diceret, Etiamsi totus mundus obstupescat ad interirum Babylonis, certum tamen est quod prædico: & ita experientur tam qui nunc admittent doctrinam meam, quam posteri. Cæterum, hic vocatur Babylon Sesak, quemadmodum etiam capite 25. illic quidam putant esse nomen proprium viri: alii putant fuisse urbem celebrem in Chaldæa. sed videmus illos absque ratione comminisci quæ afferunt. Porro hic locus dirimit omnem controversiam, quia priore membro ponit nomen Sesak: secundo autem nomen Babylonis. deinde etiam locus ille, quem citavimus ex 25. capite, non poterat alio trahi, quam ad Babylonem. dicebat enim Propheta, Bibent omnes gentes ex calice furoris Dei; Rex autem Sesak post eos: hoc est, ubi Deus castigaverit omnes gentes, tandem etiam Babylon habebit suas vices. Sed hoc loco Propheta ostendit Sesak nihil aliud esse, quam Babylon. Cæterum nomen hoc scriptum fuit per inversionem Alphabeti. Neque est illud recens figmentum. nam tempore Hieronymi habebant illud Alphabetum retrogradum. ponebant ת ultimam literam loco א primæ, deinde ש ponebant loco ב: ita videmus optime constare rationem in voce Sesak. nam repetitur bis ש, hoc est, penultima litera pro secunda ב, deinde loco ל ponitur כ & id secundum ordinem retrogradi Alphabeti. Quod volunt quidam, Prophetam sic obscure fuisse loquutum, ut consuleret Judæis suis, quia scilicet odiosum erat vaticinium, & poterat creare illis multa pericula, prorsus vanum est. quorsum enim vocasset Sesak, & eodem versu vocasset Babylonem? Multi intelligunt hunc locum per ænigmata. Sed minime dubium est, quin Alphabetum illud jam tunc fuerit in usu vulgari, ut diximus, sicuti hodie habemus *Ziphras*, ut vocant. Interes quamvis Propheta non esset timidus, & suos etiam animaret ad fiduciam, voluit tamen Deus hoc vaticinium quodammodo esse reconditum, non tamen certitudine sua carere: quemadmodum videbimus in penultimo versu hujus capitis mandasse ut conjiceretur volumen in Euphratem, donec eventus ipse proferret potentiam Dei, quæ ad longum tempus sepelienda erat, donec scilicet advenisset tempus illud visitationis, de quo loqoutus est.

supra 25. v. 25, 26.

Da omnipotens Deus, quando hodie dignatus es nos in populum tuum recipere, ut etiam prosequaris eundem favorem usque ad extremum, & foveas nos sub alis tuis: & quamvis digni simus, quos in totum rejicias, etiam si ad tempus nos castiges, contentus tamen sis mediocri severitate, & castiges nos in judicio, non autem in summo rigore: deinde etiam ut appareat facies tua serena post tenebras, donec tandem fruamur plena illa luce, ad quam quotidie nos vocas, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA NONAGESIMA-PRIMA

IN

JEREMIAM.

42. Ascendit contra Babylonem mare, multitudine fluctuum ejus cooperta est. (*vel obruta.*)

Hic similitudine utitur Propheta, quo melius confirmet vaticinium de Babylonis excidio. nam quia incredibile erat, posse expugnari hominum viribus, aut copiis, comparat diluvio cladem qua ipsam Deus opprimet. Dicit igitur exercitum Persarum & Medorum similem fore mari, quia scilicet violenter exundavit: sicuti quum exorta est tempestas, mare turget, sic etiam dicit ventoros tantu impetu Medos, & Persas, ut diluvio potius quam hominum copiis perdenda sit Babylon. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, quum dicit *Babylonem fluctibus coopertum iri*, ubi advenerint Medi & Persæ. Postea sequitur,

43. Erunt urbes ejus in vastitatem, terra deserti, & siccitatis (*aut vastitatis*) terra; non transibit per eam quisquam, (*omnis homo*) & non habitabit in illa quisquam, & non transibit in illa (*hoc est, per illam*) filius hominis.

Repetit quod ante dictum fuerat: sed ante admonuimus cur tam prolixe differat de re per se non obscura. poterat enim semel complecti paucis verbis quicquid tractavis proximo capite, & hoc ultimo. Sed difficile erat persuasu quod docebat. oportuit igitur pluribus verbis in hac descriptione insistere. Dicit nunc *urbes Babylonis*, hoc est, illius Monarchiæ, *fore in solitudinem*. Hactenus visus est dirigere minas suas ad orbem unam: sed nunc prononciat instare Dei vindictam cunctis urbibus, quæ suberant imperio gentis Chaldaicæ. Et pluribus verbis exprimit vastitatem illam, ubi dicit *terram fore deserti, terram siccitatis*, vel squaloris, *ut illic nemo habitet*. Etsi autem utitur singulari numero, quod tamen postea attexit, refero ad urbes, *non transibit per eam quisquam, non habitabit in illa*. Loquitur quidem de tota terra, sic tamen ut urbes proprie designet. quasi diceret tantam fore cladem, ut quam longe & late patebit Monarchia Babylonis, excidantur omnes urbes. Postea sequitur,

44. Et visitabo super Bel in Babylone, & extraham quod voravit ab ore ejus: & non confluent ad ipsum amplius Gentes: etiam murus Babylonis cecidit.

Iterum pronunciat Deus se vindictam sumpturum de Babylonicis idolis, non quod idolis proprie succenseat Deus (sunt enim nihili figmenta) sed ut ostendat quantopere detestetur omnes superstitiones, & cultus idololatricos. Loquitur autem de Belo, acsi illum sibi hostem proponeret. Atqui non erat

Deo

Deo negotium cum statua mortua, & quæ sensu carebat: & fuisset illud certamen absurdum. Deus tamen hominum causa hic consurgit contra Belum, & pronunciat illum sibi esse hostem, non quia idolum (ut diximus) quicquam commeritum fuerit pœnæ. Sed hinc colligi potuit, quam corruptela illa, & perversa illa religio esset detestabilis. Satis apparet ex profanis Scriptoribus Belum fuisse supremum Deum gentis Chaldaicæ, imo in tota Assyria regnavit idolum illud, quemadmodum testantur omnes uno consensu. Existimant fuisse Regem peritum scientiæ sideralis, & ideo relatum fuisse inter divos, hominum errore. Sed colligitur ex Prophetis, fuisse vetustissimam illam superstitionem: & via probabile est, fuisse quempiam hujus nominis, alioqui non tacuissent Jesaias, & Jeremias, quum vaticinantur de illius idoli ruina. Mihi igitur non probatur vulgaris illa opinio, sed potius existimo inditum fuisse idolo nomen pro hominum libidine. neque enim causa potest reperiri, cur falsos deos ita nominaverint profanæ gentes. Certum quidem est, mortalibus delatum fuisse divinum honorem apud Græcos, & Romanos, & in aliis gentibus Barbaris, sed cultus Beli fuit antiquior, quam ut tale quicquam suspicari liceat. Fuit autem tanta veneratio illius idoli, ut inde cognominaverint lapides quosdam pretiosos: Oculum sacrarunt Deo Assyriorum, quia erat gemma singularis pretii. Belum igitur nunc pronunciat Jeremias fore obnoxium Dei vindictæ, non quia excanduerit Deus contra statuam illam, ut diximus: sed hoc modo testatum facere voluit quantopere abominaretur impium illum cultum, in quo sibi placebant Chaldæi. Neque Chaldæos respexit, sed potius Judæos. nam aliquoties admonui, fuisse periculosam hanc tentationem, & quæ facile labefactare poterat fidem populi, quum putarent Chaldæos non potitos fuisse tot & tam præclaris victoriis, nisi Deo favente. Hinc fieri poterat, ut ambigerent Judæi de templo, & de ipsa Lege. Quoniam ergo Babylonii triumphos suos agebant, quum ita feliciter ipsis succederet, ideo necesse fuit munire piorum animos, ut perstarent firmi, & quamvis Babylonii jactarent suas victorias: ne fideles succumberent, Prophetæ opportuno remedio usi sunt, quod hic videmus apud Jeremiam. Deus ergo pronunciat *se visitaturum contra Belum*: qua ratione? quo consilio? nempe ut statuant Judæi idolum illud non valuisse quicquam, sed quod afflicti fuerint à Babylonius, id debere potius adscribi suis sceleribus. Ne igitur in dubitationem veniret pura religio, testatur Deus se aliquando vindictam sumpturum non tantum de ipsis Chaldæis, sed de falso ipsorum Deo, quem sibi fabricaverant. *Visitabo* igitur *in Babylone contra Belum, & educam*, vel extraham, quod idem est, *quod deglutivit ex ore ejus.* Est quidem nomen בלע, quicquid voratur: sed hic intelligit Propheta sacras oblationes, quibus ornatus fuerat Bel ad illud usque tempus. Nec vero dubium est, quin certatim multæ gentes donaria sua obtulerint idolo in gratiam gentis Chaldaicæ: quemadmodum videmus ex omnibus fere mundi partibus oblata fuisse dona Jovi Capitolino, quum floreret Romanum imperium. nam quum vellent omnes Græci, & Asiatici, & Ægyptii acquirere aliquid favoris, mittebant vel coronas aureas, vel candelabra, vel alia vasa pretiosa. Petebant summi beneficii loco, ut liceret dona Jovi Capitolino dicare. Sic ergo dubium non est, quin gentes omnes donaria obtulerint Belo, quum vellent Chaldæis adulari: & ideo affirmat Propheta, ubi Deus visitabit idolum illud, fore ut evomat quicquid ante absorpserat. Hoc quidem improprie dicitur, sed respexit Propheta suos Judæos, qui poterant secum dubitare, an fieri posset, ut Deus Israelis esset verus Deus, atque interea permitteret ornari illud inane simulachrum tot pretiosis oblationibus: hoc erat transferre veri Dei honorem ad mortuam statuam. *Extraham* ergo, acsi Bel vorasset quicquid sibi oblatum erat. *Extraham*, inquit, *quod antea deglutivit, ex ore ejus.* Quamvis ergo impropria sit loquutio, tamen videmus utilem fuisse, ne turbaret Judæos, quod idolum illud tam honorifice coluerant omnes fere gentes. Postea clarius exprimit mentem suam quum addit, *non confluent amplius Gentes.* Videmus ergo quid intellexerit per illam voracitatem Bel, quoniam scilicet undique fiebat concursus ad templum illud, ut Gentes quum volebant gratificare Babyloniis, sese dirigerent ad ipsorum Deum. Et scimus templum illud Bel durasse etiam urbe diruta. Nec tamen dubium est, quin vaticinia Jeremiæ & Jesaiæ completa fuerint. dicit enim Jesaias cap 46. Prostratus est Bel, Nebo fractus est: nominat alterum quempiam deum, qui non ita celebratur à profanis Scriptoribus: sed satis apparet ex illo testimonio, secundas partes tenuisse. dicit postea fore onus jumentis usque ad lassitudinem. Hinc colligimus fuisse asportatum idolum Bel, non quod coleretur apud Medos & Persas, sed quia omnes opes ablatæ sunt: & forte idolum illud fuit aureum: ita Cyrus, qui erat rapax, abstulit illinc omnes opes simul cum idolo, si tamen idolum fuit aureum. Postea sequitur, *Etiam murus Babylonis cecidit.* Diximus alibi non debere restringi hoc vaticinium ad primam cladem Babylonis. tunc enim muri non fuerunt diruti, nisi ea parte qua scilicet ingressus fuit exercitus, posteaquam vada Euphratis fuerunt obsessa. Stetit tamen adhuc splendor antiquus urbis, sed recuperata fuit Babylon à Dario filio Hystaspis: tunc muri funditus fuerunt eversi, quemadmodum tradit Herodotus, cui subscribunt etiam alii profani Scriptores. defecerat enim Babylon una cum Assyriis, quom ad se traxissent imperium Magi. Ubi autem Darius adeptus est regnum, exercitum suum armavit contra Assyrios, qui sese receperant Babylonem: & narratur barbara crudelitas eorum, quia strangularunt omnes mulieres, ne scilicet annonam consumerent. Fuit permissum singulis servare aliquam mulierem quasi ancillam, quæ panem conficeret, & esset quasi culinaria: sed neque matribus, neque uxoribus, neque filiabus suis pepercerunt. Aliquandiu fortiter repulsi fuerunt ab illis Persæ: tandem industria Zopyri Darius urbem ingressus est: tunc muros omnes & portas diruit: & postea Babylon fuit similis pago: tunc etiam suspendit quicquid erat floris in urbe, usque ad tria vel quatuor millia Procerum, quod esset incredibile nisi reputetur urbis amplitudo. nam tanta trucidatio esset horribilis in urbe mediocri, etiamsi promiscue occisi essent ex plebe, & aliis ordinibus. Sed hinc apparet, quam atrociter sævitum fuerit contra omnes, ubi Proceres fuerunt omnes suspensi, vel crucibus affixi: deinde ubi muri eversi fuerunt, qui tamen excellebant, ut alibi dictum fuit, incredibili altitudine, & latitudine. Latitudo 50 pedum. Herodotus cubitos nominat. sed potius intelligo de pedibus: erant tamen pedes illi longiores vulgaribus. Quum ergo nunc dicit Jeremias *cecidisse murum Babylonis*, minime dubium est, quin complexus fuerit hoc vaticinio secundam illam cladem, quæ accidit sub Dario: & hoc confirmat quod jam alibi attigimus. Nunc sequitur,

vide Plin. lib. 37. cap. 10.

45. **Exite è medio ejus popule mi, & servate quisque animam suam ab excandescentia iræ Jehovæ.**

Hic

Hic Propheta hortatur Israëlitas, ut fugiant è Chaldæa, & Assyria. Quanquam hæc exhortatio tendebat in alium finem, ut animaret ipsos ad fiduciam liberationis. via enim credibile erat liberum unquam fore exitum, quia Babylon instar sepulchri illis erat. Quum ergo ad exitum eos hortatur, significat Deum fore ipsorum redemptorem, sicuti pollicitus fuerat. Cæterum exprimit horribilem fore Dei vindictam contra Babylonem, quum dicit, *fugite ab excandescentia iræ Dei.* Notandum tamen est, expergefieri fideles, ne inebriati deliciis Chaldaicis, illic pertinaciter maneant, ubi Deus illis manum porrexerit. scimus enim quid contigerit ubi data fuit libertas redeundi omnibus Israëlitis: exigua portio tantum reversa est: alii spreverunt illud incomparabile Dei beneficium: assueverant habitationi, & erant illic quasi defixi, ut pro nihilo ducerent Templum, & terram divinitus sibi promissam. Propheta igitur ut tales delicias excutiat fidelibus, dicit miseros fore quicunque illic obtorpuerint, quia accensus erit furor Dei contra urbem illam. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Videtur quidem simplex esse exhortatio, ut Judæi sese recipiant, ne inquinentur sordibus Babylonicis: sed alius finis spectandus est, qui etiam propositus fuit sancto Prophetæ. Hæc igitur exhortatio continet in se promissionem reditus: quasi diceret, non esse metuendum, quin libertas tandem ipsis daretur, sicuti Deus promiserat. Interea promissioni additur stimulus, ne Israelitæ sibi nimium placeant in deliciis Chaldaicis, & ita contemnant hæreditatem à Deo sibi promissam. Scimus enim quanta fuerit illius terræ amœnitas, & simul quanta fuerit illic bonorum omnium affluentia. nam celebratur fœcunditas illius terræ præ omnibus aliis regionibus. Non mirum igitur, si Propheta vehementius hic sollicitet Judæos ad reditum, & proponat illis Dei vindictam, quo terrorem incutiat si obdormierint in Chaldæa. Et postea subjicit,

46. Et ne forte mollescat cor vestrum, & timeatis in rumore (*hoc est, ob rumorem*) qui audietur in terra: veniet in anno rumor, & postea in anno *altero* (*subaudiendum est, anno posteriore*) rumor, & violentia in terra, & dominator super dominatorem.

Hic Propheta mature prævenit periculum, ne scilicet turbentur Judæi, ubi viderint graves illas concussiones, quæ postea acciderunt. nam quum erecti essent eorum animi ad spem reditus, cœperunt tumultus oriri in Babylonia. Obsessa fuit diu Babylon (quemadmodum satis notum est) & sicuti fieri solet in bellis, quotidie aliquid novi afferebatur. Quum ergo propemodum Deus concuteret totam illam terram, fieri non potuit, præsertim malis ingravescentibus, quin labascerent miseri illi exules, qui in singula momenta sibi timebant. Expositi enim erant ad hostium libidinem. Merito igitur Propheta hic occurrit, & ostendit non esse cur turbentur, quicquid accidat. *Venient*, inquit, *& exurgent varii rumores*, sed state firmi animis. Quod restringunt interpretes rumores istos ad primum annum Belsasar, nescio an firmum sit. Sed simpliciter ita accipio, muniri debiles animos, ne obruantur vel saltem vacillent tentationibus, ubi graves motus audierint. Est autem doctrina hæc apprime utilis. nam quum Deus auxiliari vult suæ Ecclesiæ, patitur mundum quodammodo misceri, quo illustrior sit redemptionis gratia. Nisi ergo gustum misericordiæ Dei conciperent fideles, nunquam fortibus animis perferrent tentationes quibus Deus eos examinat: & Satan ex opposito conatur fidem ipsorum evertere. Hujus rei præludium fuit in veteri populo: Promiserat Deus se fore illius redemptorem: quum instaret dies, bellum repente exortum est: & Medi, ac Persæ tanquam locustæ cooperuerunt totam terram. scimus quam varia incommoda secum trahat bellum. Non dubium igitur est, quin multas & graves molestias sustinuerint filii Dei, præsertim quum essent illic exules, quin esurierint, quin vexati fuerint variis modis. Jam quoniam pendebat belli eventus, poterant centies deficere, nisi suffulti fuissent hoc vaticinio. Sed quemadmodum dixi, ita nunc quoque Deus agit cum sua Ecclesia. Ubi enim apparet redemptor, videntur omnia ruinam potius minari, quam promittere lætum & felicem exitum. Necesse igitur est, ut nobis occurrant in memoriam hæc vaticinia: deinde ut accommodemus in usum nostrum quod olim Patribus nostris contigit, quia sumus idem corpus. Non est ergo cur hodie miremur si videntur omnia pessum ire, quum tamen Deus promiserit salutem Ecclesiæ sibi fore semper pretiosam, & se de ea fore sollicitum. quare? dictum enim est, *Ne mollescat cor vestrum, ne timeatis ubi rumores exorti fuerint* alii super alios: ubi annus unus attulerit tumultum: deinde alter pariet novum tumultum: ne tamen illud conturbet animos. Et videtur Christus alludere ad hæc Prophetæ verba, quum dicit, *Mat. 24. vers. 6.*
Exorientur bella, & rumores bellorum, ne deficiatis. Illa Christi sententia satis nos admonet, non esse mirum, si hodie exerceatur Ecclesia inter graves fluctus, & agitetur quasi continuis tempestatibus: quare? æquum enim est, ut similis sit nostra conditio, ac fuit Patrum, vel saltem ad eam accedat. Nunc ergo & consilium Prophetæ, & perpetuum usum hujus doctrinæ tenemus. Postea addit, *Violentia in terra, & dominator super dominatorem.* Referunt hoc ad Cyrum, qui Dario successit, quem alii nominant Cyaxarem. Regnarunt quidem ambo, ut satis notum est: sed Darius qui senior erat, nomen obtinuit summi Regis: postea Cyrus ad se, illo mortuo, traxit totam illam Monarchiam. Fuit autem uno tantum anno superstes post captam Babylonem Darius Medus. Sed non dubito, quin Propheta hic Judæos bono & alacri animo esse jubeat, quamvis terra sæpius mutet dominos: quia mutatio illa quamvis sit multiplex, nihil possit detrahere imperio Dei. Postea sequitur,

47. Propterea ecce dies veniunt, & visitabo super simulachra Babylonis: & tota terra ejus pudefiet, & omnes occisi ejus (*vel interfecti*) cadent in medio ejus.

Repetit superiorem sententiam, *Deum scilicet visitaturum super idola Babylonis.* non loquitur nunc de uno Belo duntaxat, sed complectitur omnes falsos deos. Diximus autem cur manum suam contra idola attollat Deus, quæ tamen sunt figmenta nullius momenti. sed hoc facit hominum respectu, ut sentiant Israëlitæ se fuisse deceptos Satanæ præstigiis: deinde ut fideles intelligant non debere falsis diis adscribi, quum Deus ad tempus indulget impiis. Quantumvis ergo lasciviant in prospero suo successu, tandem ubi pereunt cum suis idolis, tunc fideles experimento discunt idola non acquisisse victoriam suis cultoribus. Quum ergo nunc dicit Propheta, *Ecce veniunt dies, & visitabo*, non dubium est, quin sustinere voluerit piorum animos, qui alioqui trepidassent. Optima autem hæc fultura erat, ut patienter expectarent visitationis tempus, de quo nunc disserit. *Visitabo* ergo *super omnia simulachra Babylonis.* deinde adjungit, *tota ejus terra pudefiet.* Loquitur de terra, quoniam late patebat ditio illius Monarchiæ: ita per longos illos tractus difficile erat iter, ut vix hostes possent unquam accedere.

dere.

dere. tandem adjungit, *& omnes interfecti ejus cadent in medio ejus.* De regione ergo primum loquitur: deinde adjungit, quantumvis urbs illa sit munita, muros tamen, & turres nullius fore momenti, quin victores grassentur in ipsis compitis, & passim interficiant eos qui putabant se latere in tuto, & quasi esse supra nubes. Postea adjungit,

48. Et jubilabunt contra Babylonem cæli & terra, & omnia quæ in eis sunt: quia ab Aquilone veniet illi vastatores, (*est mutatio numeri*) dicit Jehovah.

Quo melius persuadeat Israëlitis quicquid hactenus docuit de Babylonis excidio, pronunciat Deum hoc facturum approbantibus omnibus elementis: *Plaudent*, inquit, *cælum & terra.* species est prosopopœias: tribuit enim sensum cælo & terræ. Posset quidem subtiliter hoc exponi, Angelos & homines jubilaturos: sed frigidior esset illa expositio. & Propheta ambiguitatem tollit, ubi adjungit, *Quicquid in ipsis est.* Nun dubium igitur est, quin & stellas, & homines, & arbores, & pisces, & aves, & hortos, & lapides, & fluvios comprehendat. Est autem valde emphatica loquutio, quum dicit creaturas omnes, quæ sensu & intelligentia carent, tamen plenas fore lætitia, ut quodammodo jubilent, & laudem canant. Si talis erit sensus in mortuis creaturis, ubi Deus manum suam exeret contra Babylonem, fierine potest, ut salva maneat urbs illa, quæ detestabilis est cælo & terræ? cui maledicent & aves, & bestiæ, & arbores, & quicquid sensu non est præditum? Videmus ergo Prophetam hic coacervare omnes figuras, & modos loquendi quibus confirmari poterant debiles animi, ut bene sperarent de Babylonis excidio. Interea significat Babylonem esse exosam omnibus creaturis, quia pervenerit usque ad cumulum omnium scelerum. Ergo ab effectu causam designat: quasi diceret, Babylonem exosam esse cælo & terræ: ut videri queant cælum & terra quodammodo pollui illius urbis intuitu. Quantisper ergo stabit Babylon, cælum & terra gement. Contra vero ubi Deus vindex apparuerit, tunc plaudent cælum & terra, & quicquid est in ipsis. Fierine ergone poterit, ut Deus qui est mundi judex, semper ad scelera illa conniveat? Quod si cælum & terra ferre non possunt, adeoque fœtet omnibus Babylon, & lætitia emerget ex illius interitu: Deusne posset permittere, ut impune effugeret ipsius judicium urbs illa tot sceleribus referta, & quæ est abominabilis cælo & terræ? Nunc ergo melius intelligimus cur dicat Propheta, jubilum & lætitiam fore in cælo & terra & omnibus creaturis. dicit, *quia*: sed particula כי potest accipi pro adverbio temporis. *Quum ergo ab Aquilone advenerint vastatores.* significat Medos, nam Persæ erant Orientales: sed quoniam Medi erant viciniores, deinde Medorum monarchia longe erat opulentior: ideo Medos præcipue Propheta commemorat, ubi dicit *malum ab Aquilone venturum.* Medi enim erant Septentrionales, respectu Chaldææ, sicut Persia erat Orientalis.

Da omnipotens Deus, quando non tantum testatus es nobis te fore Ecclesiæ tuæ Redemptorem, in cujus corpus nos cooptare dignatus es, sed etiam de re ipsa ostendisti in Filio tuo unigenito: ut patienter feramus certamina omnia, & afflictiones, quibus nunc probas fidem nostram, & constanter militemus sub cruce: donec perfuncti omnibus tentationibus, tandem potiamur æterna gloria, & ubi te experiamur in solidum Redemptorem, in eodem Christo Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO CENTESIMA NONAGESIMA-SECUNDA IN JEREMIAM.

49. Sicuti Babylon ut caderent (*hoc est, fecit ut caderent, subaudiendum est aliquid*) interfecti Israëlis, sic Babyloni cadent interfecti totius terræ.

Quoniam ad verbum legitur, Etiam Babylon ut caderet, occisi Israël, etiam Babyloni cadent interfecti terræ, quidam omissa in secundo membro particula ל, vel neglecta, sic accipiunt, Quemadmodum interfecti Israël ceciderunt propter Babylonem, ita ex Babylone cadent: alii vertunt, Propter Babylonem. Sed simplicior est sensus ille, quem reddidi, nempe justam hanc fore mercedem, quam Deus rependet Babyloni, ut in tota ejus terra passim cadant, sicuti ipsa occiderat populum Israël. Neque enim dubium est, quin Prophetæ consilium fuerit, solatio aliquo dolorem piorum lenire. Materia autem solatii fuit, quod Deus futurus esset vindex tot malorum, quæ Babylonii ipsis intulerant. Hæc enim est gravis tentatio, quum putamus nos à Deo contemni, & hostes nostros impune grassari pro sua libidine contra nos. Propheta ergo testatur, Deum minime passurum, ut tot Israëlitæ perierint, quia tandem rependet Babyloniis quod meriti sunt, nempe ut vicissim pereant qui alios perdiderunt. Nunc facile potest colligi quid velit Propheta: Quemadmodum, inquit, Babylon fecit, ut caderent multi in Israele, ita nunc cadent ipsi Babyloni. nam ל vertere Propter, absurdum est. *Ipsi ergo Babyloni etiam cadent interfecti totius terræ.* per *totam terram* intelligo non totum urbem, sicuti alii Interpretes, sed Chaldæam duntaxat. Passim ergo in Chaldæa peribunt qui fuerunt tam crudeles, ut ubique effuderint sanguinem innoxium. Etsi autem in genere illud verum est, Qui effuderit sanguinem humanum, daturum esse pœnas, tamen peculiariter hic sermo dirigitur ad Ecclesiam. Deus ergo cædes omnes vindicat, quia ferre non potest, ut violetur sua imago, quam insculpsit hominibus. Sed quia paternam curam habet suæ Ecclesiæ, ideo speciali modo ultor est crudelitatis, quam inferunt impii fidelibus. In summa, intelligit Propheta, quamvis Deus ad tempus passus fuerit impios sævire contra Ecclesiam, fore tamen opportunum vindicem, ita ut passim trucidentur qui ita fuerunt crudeles. Cæterum, hinc colligimus minime desperandum, ubi Deus tantum licentiæ impiis permittit, ut jugulent miseros & innoxios, quia idem contigit olim populo veteri. Erat Ecclesia Dei, in qua exercuerunt Chaldæi istam carnificinam, de qua loquitur Jeremias. *supra 39. vers. 6. 7. 8. 9.*
fuerunt ergo jugulati filii Dei tanquam pecudes. Si hodie idem nobis contingat, non erit tamen cur propterea despondeamus animos, sed expectemus tempus vindictæ, de quo hic differit Propheta. tunc enim experientia monstrabit, quam pretiosa fuerit Deo piorum omnium vita. Nunc sequitur,

50. Qui evasistis è gladio, abite, ne stetis: recordamini è longinquo Jehovæ, & Jerusalem ascendat in cor vestrum.

Iterum Propheta jubet fideles alacriter fugere è Chaldæa: sed dicit, *Qui superstites fuerint à gladio.* Significat ergo talem fore stragem, quæ etiam multos involvat ex populo Dei, & absumat. Et scimus in illa turba plerosque fuisse dignos tristi illo interitu: sed nunc Propheta sermonem convertit ad eos, qui servati fuerant singulari Dei beneficio. Jubet ergo *ipsos abire*, ita ut nusquam consistant, vel figant pedem. Diximus autem hesterna lectione quorsum spectet ista exhortatio, nempe ut certò persuasi sint fideles, liberum sibi fore reditum in patriam, à qua tamen putabant se perpetuo esse exclusos. nam desperaverant prorsus de liberatione, quamvis toties illis promissa fuisset. Exhortatio igitur hæc continet promissionem: & interea Propheta admonet, quum Deus temporalem pœnam exegerit de electo populo, vindictam ejus fore perpetuam contra Babylonios. Deus enim non modo temperat rigorem suum erga fideles, ubi ipsos castigat, sed dat semper felicem exitum, ut omnes afflictiones Rom. 8. vers. 28. sint adjumento in salutem, quemadmodum Paulus docet. denique pœnæ, quas Deus filiis suis infligit, totidem sunt medicinæ. Semper enim consulit eorum saluti, etiam ubi iræ suæ signa demonstrat. sed alia est ratio impiorum. Omnes enim pœnæ perpetuæ sunt, etiam quæ videntur habere propinquum finem. quare? tendunt enim ad æternum exitium. Hoc significat Propheta, quum jubet *pios qui residui fuerint, cito fugere ex Chaldæa*, quemadmodum vidimus hesterna lectione, quum dicebat, Fugite ab excandescentia iræ Dei. Subest igitur tacita comparatio inter pœnas, quæ reprobis ultimum interitum afferunt, & temporales, quas Deus filiis & electis suis infligit. Jubet *ipsos recordari Jehovæ è longinquo.* quidam hoc ad tempus septuaginta annorum referunt, sed nimis restricte, meo judicio. Ego itaque non dubito, quin Propheta jubeat ipsos bene sperare, & respicere in Deum, quamvis ab ipso longe profligati fuerint, acsi prorsus esset ab illis alienatus: & ideo sic resolvi potest hæc oratio, Quamvis procul à Deo absitis, vos tamen oportet ejus esse memores. Nam exilium illud, ut alibi dictum fuit, species erat rejectionis. Dispulsi ergo fuerant in longinquas terras Israelitæ, acsi Deus nunquam ipsos restituere vellet. Quum igitur tanta esset distantia locorum inter Chaldæam, & inter Judæam, quid aliud poterat venire miseris exulibus in mentem, nisi ita Deum ab illis esse remotum, ut frustra ipsum quærerent, vel invocarent? Propheta huic diffidentiæ occurrit, & ipsorum fiduciam erigit ut non desinant ad Deum confugere, quamvis tam longe profligati essent in longinquas terras. *Memores ergo estote Jehovæ è longinquo.* deinde, *Jerusalem ascendat super cor vestrum*, hoc est, quamvis tot obstacula possint fidem vestram interrumpere, tamen adjicite animos ad Jerosolymam. Conditio illius populi flagitabat, ut hoc modo animarentur, quia, ut dictum fuit, poterant centies desperare, & ita obstupescere in suis malis. Ergo ut accessus illis ad Deum pateat, testatur Propheta, quamvis sit longe remotus, tamen ipsorum adhuc curam gerere, & paratum esse ad opem ferendam, ubi invocatus fuerit. Et eadem etiam ratione jubet *applicare animos ad Jerosolymam*, ut scilicet Templum Dei præferant toti mundo, & nusquam sint quieti, donec ipsos Deus restituerit, & libertas data fuerit ejus colendi. Est autem hic locus dignus observatu, quia ejus utilitas hodie ad nos pertinet. ubi enim dissipatio Ecclesiæ nobis occurrit, putamus à Deo nos esse derelictos: & simul colligimus longo intervallo ipsum à nobis distare, ut frustra quæratur. Quoniam ergo ut sumus propensi ad diffidentiam, solemus statim obdurescere in malis nostris, acsi essemus nimium à Deo remoti, & ipse etiam oculos suos ad miserias nostras non converteret: accommodemus hanc doctrinam in usum nostrum, nempe *ut memores simus Jehovæ è longinquo*, quum scilicet videmur demersi esse in extremas miserias, quum Deus abscondit à nobis faciem suam, & procul abesse videtur: denique quum putamus nos esse desertos, & res etiam hoc ostendit: tamen pugnemus cum talibus obstaculis, donec superior sit nostra fides, & exerceamus nos in memoria Dei, quamvis in speciem à nobis sit alienatus. Deinde etiam discamus adjicere animos nostros ad Ecclesiam, nempe ut conditio nostra quamlibet misera sit, tamen magis placeat, quam felicitas, quam imaginantur sibi impii in mundo. Ubi ergo videmus impios sibi plaudere in suis commodis, ubi videmus ipsos etiam deliciari, acsi Deus indulgenter cum ipsis ageret: tamen *veniat in cor nostrum Jerusalem*, hoc est, potior sit nobis Ecclesiæ conditio, quæ tamen tristis est & deformis, & quam possemus fugere, si sensum nostrum sequeremur. Conditio ergo Ecclesiæ super cor nostrum ascendat, hoc est, amplectamur miserias communes piorum, & nobis jucundius sit, esse conjunctos cum filiis Dei in omnibus afflictionibus, quam inebriari prospera fortuna eorum, qui tantum sibi plaudunt in mundo, & interea à Deo maledicti sunt. hic est ergo usus doctrinæ. Nunc sequitur,

51. Pudefacti sumus, quia audivimus opprobrium: operuit ignominia facies nostras, quia venerunt extranei in sanctuaria domus Jehovæ.

Putant dictari fidelibus à Propheta hæc verba, ut sese confirment ad reditum: sed potius existimo hæc per anticipationem esse dicta. Qui putant dictari formulam Israëlitis, ut alacrius se ad reditum accingant, subaudiunt verbum, Dicite, Confusi sumus, vel pudefacti, quia audivimus opprobrium: nempe ut hic dolor vulneret animos fidelium, quo per omnes difficultates nihilominus pergant. Sed quemadmodum jam dixi, Propheta hic recitat quæ poterant fideles sponte concipere in animis suis: & ita per modum concessionis loquitur, quasi diceret, Scio in promptu vobis fore istas voces, *Nos sumus pudefacti, nos sumus obruti probris, & contumeliis: extranei ingressi sunt sanctuarium Dei:* quum Templum sit pollutum, quum Urbs sit eversa, quid amplius nobis superest? & certe videmus hæc omnia fuisse quasi materiam desperationis. Quum ergo sensus carnis suggereret fidelibus quæ poterant ipsorum animos dejicere, ideo Propheta occurrit, & refert eorum voces. Dicit ergo quasi ipsorum persona, *Nos sumus confusi, quia audivimus opprobrium*, hoc est, quia vexati sumus hostium nostrorum probris. neque enim dubium est, quin Chaldæi multas contumelias evomuerint contra miserum illum populum. Nam & superbia, & crudelitas illorum talis erat, ut insultarent Judæis, præsertim quum prorsus diversa esset religio. Quum ergo toties verberatæ essent multis probris aures populi, ideo recitat Propheta eos aliquid habere causæ secundum carnem, cur vix sperare audeant reditum. Eodem sensu adjungit, *Ignominia cooperuit facies nostras, quia venerunt extranei in sanctuaria Jehovæ.* nam hæc unica erat gloria electi populi, habere Templum, ubi Deum non frustra invocarent.

Erat

Erat enim illa promissio instar inæstimabilis the-
Psal. 132. sauri, Ego in medio vestri habito, hæc requies mea,
v. 13. 14. hic habitabo. Quum ergo Deus sedem illam, ac domicilium dignatus fuisset sibi eligere in mundo: hæc, quemadmodum jam dixi, præcipua fuit dignitas electi populi. Quum vero Templum fuit eversum, quid amplius restabat? perinde erat acsi religio prorsus esset collapsa: deinde acsi Deus illis relictis, alio migrasset: denique omnis spes divini auxilii, & salutis fuisset illis ablata. Nunc ergo tenemus cur Propheta ex communi populi sensu ita loquatur, nempe *opertos esse ignominia, quoniam venerant extranei in Dei sanctuaria*, hoc est, polluta erat illa sedes, quam Deus sibi elegerat. Sanctuaria nominat plurali numero, quoniam Templum habuit tres partes, sicuti Tabernaculum. fuit enim vestibulum, vel atrium, ubi immolabant victimas: fuit deinde Sanctum, & fuit Sanctum Sanctorum, quod erat adytum interius. Hoc igitur respectu dicit *sanctuaria domus Dei fuisse possessa ab extraneis.* Erat enim illa fœda & pudenda pollutio, quum extranei Templum Dei tenerent. neque enim admittebatur vulgus ipsum: & quamvis omnes essent sacer Dei populus, solis tamen Sacerdotibus licuit Templum ingredi. Fuit igitur hæc horrenda Templi profanatio: quum hostes violenter & ignominiæ causa illuc ingressi essent. sed per ingressum, ruinam etiam significat Propheta. Quum ergo violatum esset Templum Dei, quid populo residuum fuit, nisi ut desperaret?
Hæc est gloria vestra coram omnibus populis, dice- *Deut.* 4.
bat Moses. quis enim populus tam nobilis, quæ *v.* 6, 7, 8.
gens tam inclyta, ut habeat deos ita appropinquantes sibi? Quum ergo Deus familiariter habitare destitit apud Judæos, concidit tota eorum dignitas, & obruti fuerunt ignominia. Postquam autem has querimonias Propheta retulit, subjicit mox hanc consolationem:

52. Propterea ecce dies veniunt, dicit Jehovah, & visitabo super sculptilia ejus: & in tota terra ejus clamabit vulneratus. (*vel occisus, hoc nomen* חלל *jam sæpius vidimus.*)

Consilium Prophetæ est, ut admonui, erigere piorum animos, ne tentationi succumbant, quum viderent se esse pudefactos, & quasi nudatos omnibus ornamentis. Dicit igitur *venturum esse tempus, quo Deus vindictam sumat de idolis Babylonicis.* Hoc autem modo asserit sibi Deus potentiam, quæ tunc fere evanuerat. nam Templo everso, quodammodo visi sunt Babylonii triumphum de ipso agere. devicta enim erat Dei potentia in Templo. Ergo, quoniam ejus ruina, ut diximus, visa fuit Dei potentiam extinguere: Propheta remedium adhibet, & dicit, quamvis Templum sit eversum, stare tamen Deum integrum, & incolumem manere ejus potentiam. Sed interea jubet fideles patienter expectare. animos enim ipsorum ad spem rei absconditæ revocat. Nunc videmus quomodo hæc inter se cohæreant, & cur Propheta utatur etiam particula לכן: *Propterea, ecce dies venient*, inquit, hoc est, quamvis sitis pudefacti, Deus tamen vobis restituet materiam gloriandi, & ut rursus hilariter canatis ejus laudes. Sed dicit *dies venturos*, quibus verbis admonet, fovendam esse spem promissionum, donec impleat Deus opus suum: & ita corrigitur nimius fervor quo abripimur in nostris afflictionibus: nam vellemus statim Deum advolare. Propheta igitur hic fideles hortatur, ut animos sustineant usque ad tempus, quod Deo placuerit: & ita rejicit eos ad providentiam Dei, ne scilicet plus æquo sibi sumant, si velint ipsum agere quemadmodum fert ipsorum animus. *Venient* ergo *dies, quibus visitabo super sculptilia Babylonis: & gemet*, vel clamabit. nam אנק significat clamare: alii vertunt, Gemet vulneratus: & ideo vulneratum hic vertunt quia absurda esset loquutio, eorum opinione, si clamarent, vel gemerent occisi. Sed Propheta intelligit magnum fore clamorem in illa cæde: hoc est, quum jugulabuntur Babylonii, magnus erit ubique ejulatus. Sequitur,

53. Si ascenderit Babylon in cælos, & si munierit excelsum fortitudinis suæ, (*vel munierit fortitudinem suam in excelso, quod mihi magis placet*) à me venient vastatores ei, dicit Jehovah.

Iterum Propheta docet, quamvis inexpugnabilis sit Babylon, non esse tamen metuendum, quin Deus futurus sit ejus judex: quia minime æquum est potentiam ejus metiri nostro sensu. Et nihil magis impedit nos, vel moratur, ne amplectamur Dei promissiones, quam ubi reputamus quid naturaliter fieri possit, quid sit probabile. Ubi ergo ita consulimus sensus nostros, excludimus Dei potentiam, quæ superior est omnibus mediis. Ergo Propheta hic dicit, quamvis Babylon conscendat supra cælos, & in excelso muniat sibi fortitudinem, *venient tamen à me vastatores ei.* hic subest tacita antithesis inter Deum, & homines. nam si inter homines ipsos sit certamen, mutuo inter se confligunt. Sed alia est Dei ratio. potest enim è cælo fulminare, & ita prosternere altissimos quosque montes. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium ubi dicit, *venturos esse vastatores à Deo, qui Babylonem perdant, quamvis conscendat supra nubes.* Sequitur,

54. Vox clamoris è Babylone, & confractio magna è terra Chaldæorum.

Quodammodo insultat Jeremias Babyloniis, ut fideles rejectis omnibus obstaculis, vel superatis, certo statuant, quod Propheta de interitu Babylonis prædixerat ratum fore. Adducit igitur ipsos in rem præsentem, quum dicit *fore voces clamosas è Babylone, & è terra Chaldæorum fore confractionem*, vel contritionem magnam. Quanquam possemus שבר apte vertere fragorem, ut respondeat superiori membro: dixerat, *Vox clamoris è Babylone*, jam dicit, *fragor è terra Chaldæorum.* Fragorem autem appellant sonitum illum qui editur ex magna concussione, quemadmodum si corrueret aliqua moles, non fieret hoc sine magno sonitu. hoc ergo proprie intelligit Propheta. Diximus autem cur his verbis utatur, nempe ut fideles proponant sibi rem præsentem, quæ tamen prorsus erat incredibilis. Sequitur,

55. Quia perdens Jehovah Babylonem, (*hoc est, perdet, aut vastabit, proprie: est* שדד) & perdet (*nunc aliud est verbum*) ex ea vocem magnam: (*vel magnificam*) & sonuerunt fluctus eorum tanquam aquæ magnæ, editus est sonitus vocis eorum.

Subjicitur nunc ratio illius fragoris, nempe quia Deus statuit Babylonem vastare, & redigere in nihilum. iterum fideles revocat Jeremias ad considerandam Dei potentiam. Dicit igitur hoc opus non fore humanum, quoniam illic Deus exeret immensam suam fortitudinem, quæ non potest comprehendi captu nostro. Dei ergo oomen hic opponit omnibus creaturis, quasi diceret quod superat omnes hominum conatus, fore tamen facile ipsi Deo. Repræsentat vero hic Deum tanquam oculis, & dicit Babylonem perituram, sed Deum esse qui eam vastet. Statuit igitur hic Deum, quasi jam armatus esset ad excidendam Babylonem. *Et perdet ex ea vocem magnificam*, hoc est, immodicam gloriationem. Quod sequitur aliter exponunt multi quam mihi placeat. dicunt enim sonuisse fluctus apud Babylonios, quo tempore urbs erat populosa. nam ubi est magna frequentia hominum, illic etiam auditur magnus strepitus. Solitudo autem & vastitas affert silentium. Sic ergo resolvunt Prophetæ verba, Quamvis resonent nunc fluctus, id est, clamores in Babylone tanquam aquæ magnæ, & sonitus vocis eorum edatur: Deus tamen perdet vocem magnam, id est, magnificam. nec vero mihi dubium est, quin Propheta per Vocem magnam intelligat magniloquas illas jactantias, quibus se efferre solebant Babylonii in rebus prosperis. Quum ergo floreret illa Monarchia, quasi è sublimi loqui poterant. Silentium ergo ex metu & pudore indicit Propheta, ubi compescet Deus illam magniloquentiam. Sed quod sequitur aliter accipio. potius enim refero ad Medos & Persas: & ita est relativum sine antecedente, sicuti hæc forma loquendi satis trita est Hebræis. Modum ergo exprimit, quo Deus perdet, vel abolebit, magniloquas jactantias Babylonis, nempe *quia resonabunt fluctus eorum*, nempe Persarum, *tanquam aquæ magnæ*, hoc est, erumpent Persæ & Medi tanquam impetuosi fluctus: ita fiet ut quiescant Babylonii quasi redacti in solitudinem. Quum pacati essent, & nemo hostis illis esset molestus, tunc poterant plenis buccis superbiam suam evomere. magnificus ergo fuit sermo Babylonis quantisper floruit: sed ubi subito irrupit hostium impetus, tunc Babylon obticuit, vel obmutuit præ illo horribili sonitu. Videmus ergo tur Persas & Medos comparet undis violentis, quæ frangent & abolebunt illum sonitum, qui auditus suetat in Babylone. Sequitur,

56. Quia venit super eam, super Babylonem vastator: & deprehensus est fortis ejus, (*deprehensi sunt, vel capti fortes ejus*) confractus est arcus eorum: quia Deus retributionum Jehovah reddendo reddet.

Confirmat proximam sententiam. quia enim res de qua disserit, creditu erat difficilis, ideo Deum proposuit, & ostendit ipsum esse auctorem ejus belli. Nunc continuat suum sermonem, quod scilicet *venient contra Babylonem vastatores*. Deo tribuerat quod nunc transfert ad Medos & Persas. Dixerat, שדד יהוה: nunc dicit, Venit שודד: quisnam est ille? non Deus, sed Cyrus una cum exercitu illo duplici Persarum & Medorum, imo cum ingentibus copiis, quas confecerat ex multis gentibus. Quod autem nomen unum commune est Deo, & Persis, hoc fit respectu ministerii. Proprie loquendo Deus vastator fuit Babylonis, sed quia ad hanc expeditionem usus est hominum opera, & adhibuit Persas & Medos tanquam ministros & exequutores sui judicii: ideo transfertur nomen illud, quod proprie in Deum competit, ad ipsos ministros, quibus usus est. Eadem etiam est ratio ubi de beneficiis ejus agitur. Di-
Judic. 3. vers. 15. citur excitasse servatores populo suo: tamen ipse unus est servator, nec potest quisquam mortalium
2 Reg. 13. vers. 5. sibi titulum illum sumere absque sacrilegio. Eripitur enim Deo peculiaris sua gloria, si salus quæritur in brachio hominum, quemadmodum vidimus
supra 17. vers. 5. cap. 17. Sed quum Deus sit unicus auctor salutis, hoc tamen non obstat quominus utatur hominum
Luca 1. vers. 17. opera. Sic etiam convertit corda, illuminat mentes per ministros Euangelii, ita etiam liberat ab æterna morte. Certe si quis sibi arroget quæ Christus ministris Euangelii sui dignatur concedere, ille erit minime ferendus. sed quemadmodum jam dixi, tenenda est ista ratio, quod scilicet Deus quamvis propria sua virtute agat, neque aliunde quicquam mutuetur, neque etiam ulla re indigeat: tamen competere aliquo modo quod ei proprium est in ipsos homines, saltem per modum concessionis. Sic ergo nunc communiter Propheta Deum nominat vastatorem, postea eadem voce etiam insignit ipsos Persas & Medos. Addit *deprehensos esse fortes Babylonis*, quemadmodum ante vidimus sic fuisse captam urbem, ut nemo potuerit resistere. Jam addit *confractum esse arcum ipsorum*. est synecdochica loquutio. nam sub arcu complectitur etiam alias qualibet species armorum. Sed quoniam procul jaculabantur, & poterant hostes à muris arcere telorum jactu: ideo Propheta dicit nullum amplius usum fore arcus, quia scilicet hostes in media urbe sese ostendent antequam custodes eos conspexerint, quemadmodum scimus re ipsa fuisse completum. Tenemus ergo nunc, cur arcum Propheta potius nominet quam vel gladios, vel alia genera armorum. Sequitur ratio, *quod Jehovah sit Deus retributionum, & reddendo reddat*, hoc est, redditurus sit. Hoc loco Propheta confirmat totam superiorem doctrinam, & argumentatur ab ipsa Dei natura, & officio. Quoniam ergo interitus Babylonis vix poterat concipi à fidelibus, hic Propheta non quærit qualis in se sit Deus: sed pronunciat Deum esse Deum retributionum: quasi diceret, Deo proprium esse, nec posse ab ejus natura separari, ut sit Deus retributionum: alioqui nullum est ejus judicium, nulla justitia. Si enim impune succederet reprobis, si etiam boni opprimerentur absque ullo auxiliu, nonne Deus esset similis trunco vel figmento? quorsum enim ejus virtus, nisi ut suam justitiam exerceat? atqui Deus non est sine sua virtute. Nunc ergo videmus quam efficax sit ista confirmatio, qua Propheta sermonem suum claudit: quia perinde est acsi diceret non esse dubitandum ullo modo de Babylonis interitu, quia Deus sit retributionum Deus. Aut nullus est Deus, inquit, aut perdetur Babylon. quare? si est Deus, est Deus retributionum: si Deus est retributionum, ergo reddendo reddet. nunc, satis notum esse quam scelerata sit Babylon, & quam variis modis provocaverit iram Dei. Ergo fieri non potest, ut impune evadat ejus manum, quando tot modis sibi exitium accersivit.

Da omnipotens Deus, quando hodie abscondis à nobis faciem tuam, ne misera dissipatio quæ cernitur, tamen obruat fidem nostram, vel obscuret sensum tuæ bonitatis & gratiæ: sed in his tam densis tenebris tamen illuceat nobis semper tua virtus, quæ nos attollat supra mundum, ut fortiter militemus usque ad finem, nec dubitemus te fore tandem vindicem Ecclesiæ tuæ, quæ nunc videtur oppressa, donec fruamur plena nostra felicitate in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO CENTESIMA NONAGESIMA-TERTIA IN JEREMIAM.

57. Et inebriabo Principes ejus, & sapientes ejus, & duces ejus, & præfectos ejus, & fortes ejus: & dormient somnum perpetuum, & non expergescent, dicit Rex, cujus nomen est Jehovah exercituum.

PRosequitur Jeremias eandem sententiam. Heri dixit venturos esse vastatores, qui Babylonem perderent: nunc similitudine hoc confirmat. Deus autem ipse loquitur: dicit, *Inebriabo tam Principes, ac duces, quam milites & omnes consiliarios.* Videtur hoc verbo alludere ad
Dan. 5: 1. convivium illud ultimum, de quo narrat Daniel, & profani etiam Scriptores subscribunt. Quum enim celebre esset epulum apud Babylonios, urbs illa nocte capta fuit, non tantum industria & virtute Cyri, sed etiam proditione eorum qui desciverant à Balsazare. Quum ergo deprehensi fuerint in illo convivio, & Rex ea nocte fuerit jugulatus cum suis Satrapis, videtur Deus eo respicere, quum denunciat, ubi ipsos inebriaverit, obrutum iri somno perpetuo. Mors enim statim commessationem illam sequuta est: protraxerant convivium ad mediam noctem, & quum adhuc sederent in mensa, repente tumultus exortus est in urbe, & Rex audivit se esse in manu hostium. Quoniam ergo continua fuit series epuli & mortis, concinna est allusio apud Prophetam, quum Deus minatur somnum perpetuum Babylonis, ubi ipsos potaverit. Cæterum, hic commemorat *tam præfectos, & duces, quam consiliarios, & omnes sapientes.* Scimus enim inflatos fuisse Babylonios duplici illa fiducia, quod putarent se eximia perspicacia esse præditos: deinde instructos etiam bellica virtute. Hæc ratio est cur Propheta pluribus verbis exprimat, *duces omnes Babylonis, & præfectos*, utcunque polleant magno acumine, & prudentia, tamen *obrutum iri perpetuo somno* antequam à mensa sua surgant. Notandum vero est, multis ante annis Jeremiam ita fuisse vaticinatum de Babylone. Et hinc colligimus tam ejus mentem, quam linguam fuisse gubernatam à Spiritu Dei, quia non poterat conjicere quod futurum erat post annos 80. atqui tantum intercessit temporis inter vaticinii tempus, & ipsum eventum, ut paulo post videbimus. Cæterum hic Propheta utitur forma loquendi, quæ frequenter occurrit in Scriptura, nempe socordiam speciem esse ebrietatis, qua Deus ipse arcano suo judicio homines dementat. Notandum igitur est, quicquid est in mundo prudentiæ, & solertiæ, ita esse donum Dei ut quoties visum fuerit, cæcutiant sapientissimi quique, tanquam ebrii, aut aberrent, aut labantur: sed tenendum est quod jam dixi, Prophetam alludere ad ipsam historiam, quia continuus fuit transitus à convivio ad mortem. Jam sequitur,

58. Sic dicit Jehovah exercituum, Murus Babylonis latitudinis (*hoc est, latus*) dissipando dissipabitur, & portæ ejus excelsæ igne comburentur: & laborabunt populi ad nihilum, & Gentes in igne, & fatigabuntur.

Rursus inducit Propheta Deum loquentem, quo doctrina plus reverentiæ obtineat apud Judæos: & hac etiam ratione adscripsit nuper elogium, quum diceret *loqui Regem, cujus nomen est Jehovah exercituum.* Diximus autem alibi quid valeant ejusmodi loquutiones, nempe ut superent hominem quicquid in mundo cernitur, ubi mentio fit potentiæ Dei, ne eam tentent comprehendere suo modulo. Ergo nunc Propheta iterum repetit nomen Dei, ut Judæi excipiant qua decet reverentia hanc doctrinam. Hæc autem summa est sermonis, *Murus Babylonis quamlibet sit densus, tamen dissipando dissipabitur.* diximus autem latitudinem muri fuisse ad 50 pedes & quidem prælongos. quanquam Herodotus pro pedibus cubitos ponit, ut nunc dixi. talis quidem fuit latitudo, ut quadrigæ etiamsi inter se occurrerent, tamen haberent medium adhuc spatium. Hinc igitur apparet tantam fuisse densitatem, ut secure contempserint Babylonii quicquid à Propheta fuit prædictum. nullæ enim machinæ muros illos tam crassos unquam labefactassent, præsertim quia compositi erant ex latere, & bitumine compacti. Quum ergo præter densitatem materia ipsa tam firma esset, fuit hoc vaticinium incredibile. non pervenit quidem ad Babylonios: sed ipsi Judæi instar fabulæ esse duxerunt quod audierant ex ore Prophetæ. Deus tamen non frustra latitudinem hanc expressit, ut statuerent fideles non posse ei obsistere muros Babylonis quamlibet essent firmi & materia, & ipsa amplitudine. *Murus ergo dissipando dissipabitur*, inquit. postea adjungit de portis, quas Herodotus dicit fuisse æneas quum narrat fuisse sublatas à Dario. intelligit quidem valvas ipsas, sed Propheta comprehendit tam portarum formam, quam valvas æneas: dicit igitur, *Consumentur igne.* Poterant ridere Babylonii minas Jeremiæ, quia æs ipsum non poterat igne consumi, etiamsi hoc permissum fuisset hostibus, ignem supponere. neque enim tam cito poterat æs liquefieri. sed Propheta sicuti mandato Dei hoc prædixerat, ita tandem fidem fecit vaticinii sui, quum esset mortuus, quin eventu comprobatum fuit, hoc profectum à Deo fuisse. valvis enim sublatis, portæ ipsæ dirutæ sunt: & fieri potest ut ignem supposuerit Darius, quo citius corrumperet tam portas, & turres quæ altissimæ erant, quam muros ipsos. Postea adjungit, *Laborabunt populi frustra, & Gentes in igne, fatigabuntur.* ita exponunt vulgo hunc locum, nisi diceret Propheta, ubi flagrare cœperint muri Babylonis & consumi incendio portæ, nullum fore remedium etiamsi magnopere satagant ipsi Babylonii, & se fatigent in igne extinguendo: atqui expositio illa videtur mihi coacta. Ego igitur verba futuri temporis accipio loco temporis præteriti. Quoniam autem muri Babylonis non absque immenso labore extructi fuerant, & conducta fuerat immensa hominum turba, ut alii afferrent bitumen, alii terram aggererent, alii conficerent lateres: ideo Propheta hoc loco significat totum hunc laborem fore supervacuum nempe quin impensus fuit in igne, hoc est, quicquid operæ contulerant qui fuerant aut mercede conducti, aut coacti imperio, ad muros extruendos, laborasse in igne: hoc est, laborasse ut tandem opus ipsorum consumeretur incendio. Videtur mihi hic esse genuinus Prophetæ sensus. dicit igitur *populos laborasse in vanum*, vel nihilum: quare? *laborabunt* enim *in igne.* Secundum membrum est expositio prioris, meo judicio. Nunc sequitur,

59. Sermo quem præcepit Jeremias Propheta Serajæ filio Neriæ, filii Mahesiæ, quum profectus est pro Zedechia (*vel à Zedechia*) rege Jehudah Babylonem; anno quarto regni ipsius: Serajah autem Princeps quietis.

Insignis est obsignatio totius doctrinæ, quam hactenus vidimus de excidio Babylonis. Propheta enim non tantum loquutus est, & promulgavit quod dictaverat Spiritus Dei, sed etiam redegit in librum, neque hoc secundo contentus, tradidit librum Serajæ, quum profectus est Babylonem mandato Zedechiæ regis, ut illic volumen legeret, projiceret in Euphratem, & sese confirmaret in spe eorum omnium, quæ divinitus prædicta fuerant. primo dicit *se præcepisse Serajæ quid esset facturus*, nempe ut volumen legeret, & projiceret in Euphratem, ut postea videbimus: sed tempus quoque designat, & simul notat quale fuerit ingenium Serajæ, ne miremur quod Regis legato Propheta ausus fuerit quasi pro imperio mandare, quod ille alioqui respuere poterat. Quantum ad tempus attinet, fuit annus quartus regni Zedechiæ: septem postea annis urbs capta fuit: quum obsessa esset anno nono, undecimo capta fuit. ergo septem annis ante urbis excidium & ruinam missus fuit Serajah à Rege Babylonem. minime dubium est quin legatio suscepta fuerit hoc fine ut placaret Regem Babylonis, qui offensus fuerat levitate & perfidia Zedechiæ regis: legatus ergo missus fuit qui deprecaretur. nam quod Judæi tradunt Zedechiam profectum fuisse Babylonem, prorsus absurdum est, & scimus Sederolam, unde sumpserunt, refertum esse multis fabulis & nugis: & hoc non tacuisset Sacra historia, quia res erat magni momenti: deinde particula את nihil tale exprimit. sed potest exponi, quod pro Zedechia, vel à Zedechia, vel loco Zedechiæ missus fuerit legatus. contenti ergo simus hac simplici & genuina expositione, Serajam fuisse legatum Regis, qui tolleret offensas à Babyloniis conceptas. *Hoc autem factum fuit quarto anno Zedechiæ.* Jam quum nominat Serajam *Principem quietis*, non dubito quin hoc ad mansuetudinem ejus referri debeat, & miror in re tam perspicua Interpretes anxie sudare: alius vertit, nempe Chaldæus, Principem oblationum, quasi præfuerit muneribus quæ offerebantur Regi: alii divinant fuisse hominem facetum, qui Regem in metu oblectaret. alii vero Principem quietis putant vocari, quia contiouerit urbem in statu tranquillo: sed illa omnia sunt violenta. Mihi igitur non aliud potest probari, quam hunc Principem fuisse quietum. non igitur referri debet ad officium hoc nomen Quietis, sed genitivus accipitur loco epitheti, quod fuerit Princeps ille tranquillus, hoc est, ingenio placido. Et non abs re addita fuit hæc commendatio: quia scimus quam fastuose respuant Proceres si quid mandatur à servis Dei. poterat excipere Serajah se mitti Babylonem non ab homine privato & gregario, sed ab ipso Rege: poterat ergo superbe objurgare Prophetam, quod nimis licentiæ sibi arriperet, Quisnam tu es? quod audes mihi præcipere, quum sustineam personam Regis, & ejus nomine venturus sim ad Regem Babylonis? deinde tu hic omnia perturbas quum jubes me legere hoc volumen: quid si apud me deprehensum fuerit? quid si aliqui suspicati fuerint me tale aliquid ferre Babylonem? ego primum ferrem mortem meam in sinu, deinde essem perfidus Regi meo: nam hoc modo tota legatio esset plusquam odiosa. Quum ergo Serajah posset hæc omnia colligere ad repudiandum mandatum, quod dabat Jeremias, ideo exprimitur ejus mansuetudo, quod scilicet fuerit homo placidus, & qui non detrectaret talem provinciam, qui esset denique paratus ad præstandum Deo, & servo ejus obsequium. In summa, laudatur hic docilitas Serajæ, quod tanta facilitate admiserit Prophetam, quod passus fuerit ab eo sibi præcipi: deinde quod etiam non dubitaverit exequi quod mandabat, quum tamen esset id capitale: præsertim quum esset valde adversum legationi, ubi Rex Babylonis reconciliandus erat. Et certe hoc exemplum observatu dignum est, quod Serajah neque periculo fuit absterritus, quin cito Prophetæ mandato pareret, neque etiam seipsum, vel injunctum sibi munus respexit, ut pro communi more Procerum, honoris sui prætextu rejiceret Prophetam: sed deposita persona, & oblitus omnis suæ magnitudinis, fuerit discipulus Jeremiæ, qui tamen, ut satis notum est, pridem cœperat contemni à populo, & aliquoties fere ad mortem protractus fuerat. Est igitur insigne hoc elogium virtutis in Serajah, quod tanta modestia & facilitate amplexus est quicquid à Propheta dictum fuerat, & certo vitæ discrimine obedivit ejus mandato. Nunc sequitur,

60. Et scripsit Jeremias omne malum, quod venturum erat contra Babylonem, in libro uno: omnes sermones istos scriptos contra Babylonem.

61. Et dixit Jeremias ipsi Serajæ, Quum ingressus fueris Babylonem, & conspexeris eam, tunc leges omnes sermones istos:

62. Et dices, Jehovah tu loquutus es contra locum hunc, ad excidendum ipsum, ut non sit in eo habitator ab homine ad bestiam, quia vastationes perpetuæ erit. (*hoc est, erit in vastitates perpetuas, vel redigetur.*)

63. Et erit, quum finem feceris legendo librum hunc, alligabis ad ipsum lapidem, & projicies in medium Euphratem:

64. Et dices, Sic mergetur Babylon, & non exurget à facie mali quod ego immitto contra eam, & volabunt. (*aut fatigabunt.*) Huc usque sermones Jeremiæ.

Hic ab una parte videmus quanta magnitudine animi excelluerit Propheta, qui ausus fuit præcipere legato Regis. quamvis enim Serajah esset homo placidus, ut se præbuit morigerum, tamen periclitatus est Jeremias: quia potuit ille simul esse timidus, quamvis non esset vel superbus, vel pervicax, atque ita ut solent homines metu perculsi potuit deferre ad Regem, quod audierat ex Propheta. Jeremias ergo non sine discrimine exequutus est quod hic legimus. sed hinc colligitur ejus constantia. Videmus ergo instructum fuisse Spiritu fortitudinis invictæ, ut libere & intrepide obiret munus suum. Ab altera parte non tantum mansuetudo Serajæ nobis considerandа est, sed ejus pietas una cum modestia. nisi enim eximium fuisset studium pietatis in illo viro, poterat habere justas causas recusandi. Quod ergo ita fuit docilis, & non exhorruit periculum, hinc apparet serium viguisse timorem Dei in ejus animo. Et hæc diligenter notanda sunt. nam ex Proceribus aulicis quotusquisque reperietur hodie qui oculos claudat ad omnia pericula, & secure contemnat omnes adversos eventus, ubi Deo parendum est & ejus servis? Deinde videmus quam pusillo sint animo qui profitentur se esse Dei legatos, & arrogant sibi titulum Pastorum. Sicut ergo non audent ingenue exequi munus suum Doctores, ita ab altera parte

omnes

omnes aulici Proceres addicti sunt sibi, & suæ prudentiæ, & nolunt suscipere odiosas provincias. Hac igitur de causa diligenter notandus est hic locus cum suis circumstantiis. *Scripsit ergo Jeremias omne malum quod erat venturum contra Babylonem in uno libro*: nempe, inquit, *omnes istos sermones*. (refertur hoc ad vaticinia quæ vidimus.) *Et dixit Jeremias ipsi Serajæ.* Hic emergit Prophetæ libertas quod Serajæ præcipere non dubitat, quum venerit Babylonem, & inspexerit eam, ut legat hunc librum. Conspectus hic non frustra ponitur, quia splendor ille urbis potuit obstupefacere Serajam: ergo Propheta hic mature occurrit, & jubet ipsum despicere altitudinem murorum, & turrium; & quamvis Babylon perstringat aliorum omnium oculos, ut tamen ipse quasi è sublimi despiciat totam illam superbiam. *Quum ergo ingressus fueris urbem, & conspexeris eam, tunc leges librum hunc.* קרא significat clamare & promulgare: sed significat etiam legere. potuit igitur seorsum apud se librum hunc legere Serajah: nec dubito quin ita exponi debeat hoc verbum, sicuti nunc videbimus. Non oportuit ergo Serajam pro luggestu, vel in via publica, cœtu vocato, recitare hunc librum: sed satis fuit si privatim legeret apud se, & absque testibus. & hoc etiam satis colligitur ex ipso contextu: *Et dices, Jehovah, tu loquutus es contra hunc locum.* Hinc apparet, mandatum fuisse Serajæ ut librum legeret, non ut proficerent auditores. fuissent enim bis surdi ad sermonem Serajæ. Neque vero probabile est, tunc familiarem fuisse linguam Hebraicam Chaldæis: erat magna affinitas, ut satis notum est: sed fuit etiam aliquid diversum. Verum colligimus ex hoc verbo lectionem fuisse in cubiculo, aut loco secreto, quia jubetur Serajah colligere omnes suos sensus ad Deum, & ad ipsum etiam sermonem dirigere. Non ergo suscepit provinciam, vel munus præconis, ut palam hæc omnia promulgaret apud Babylonios: sed urbe inspecta, debuit librum secum reputare, hoc est, quod illic scriptum erat. Et hæc etiam ratio notatu digna est, quia utcunque animosi sumus, tamen magis se prodit nostra constantia & libertas, ubi versamur coram hominibus, quam ubi sumus soli, & Deus nobis est solus testis. nam ubi nemo nos aspicit, tunc trepidamus, & quum ante visi fuerimus valde animo virili, tunc metus nos corripit. vix centesimus quisque est, qui solo Deo teste sit fortis, ut deceret: sed pudor nos reddit animosos, & extorquet nobis constantiam, & vigor qui in privato est quasi extinctus, tunc excitatur. Quoniam ergo ambitio fere semper regnat inter homines, ideo hic locus diligenter notandus est quum Propheta præcipit Serajæ, ut agat seorsum cum Deo, & quamvis nullus mortalium illic adsit, ut sese confirmet, idque fretus certa & infallibili Dei fide. *Dices* igitur, *Jehovah.* Et hoc certe est verum fidei experimentum, ubi nobiscum expendimus Dei promissiones, & non prodimus in publicum, ut profiteamur nostram fortitudinem: sed ubi quisque tacite agnoscit Deum esse veracem, & sese confirmat in ejus promissionibus, & ita despicit perversa omnium judicia, ne vel si solus sit in mundo, tamen animum despondeat. hæc est vera & seria fidei probatio. *Dices* igitur, *Jehovah, tu loquutus es contra hunc locum.* hic est verborum finis, ut Serajah statuat Deum esse veracem, & amplectatur coram ipso quicquid legit, & non dubitet quin sermo, qui à Deo profectus sit, habeat tempore opportuno suum effectum. quare? quia Deus verax est. Emphatice ergo sumi debet nomen Jehovæ: *Et dices, Jehovah tu loquutus es contra locum hunc*, hoc est, neque Jeremias, neque quisquam mortalium auctor est hujus vaticinii: sed tu es, Domine, qui dictasti servo tuo quicquid comprehenditur in hoc volumine. *Ut ipsum perdas, ita ut non sit habitator in eo, ab homine usque ad bestiam* quare? *quoniam redigetur in solitudines*: vel adversative potest sumi particula כי, sed *redigetur in solitudines perpetuas.* postea adjungit, *Et quum feceris legendi finem, ligabis ad librum lapidem*, inquit, *& projicies in Euphratem, & dices, Sic mergetur Babylon.* Hic additur externum symbolum ad confirmationem Serajæ. quanquam tenendum est hoc non fuisse dictum uni Serajæ in ejus gratiam, sed ut deinde populus sciret legatum Regis, qui missus fuerat causa adulandi, fuisse Dei legatum, & ipsius Prophetæ, qui alioqui erat contemptibilis in populo. Quum ergo hoc scirent fideles, non vulgari modo confirmati sunt in doctrina Prophetica. Non ergo uni Serajæ consuluit Jeremias, sed piis omnibus. quanquam enim hoc fuerit incognitum longo tempore, tamen postea legatus ipse confessus est sibi datum fuisse illud mandatum à Jeremia, & se librum tulisse, projecisse in Euphratem. hæc igitur fuit piis omnibus data confirmatio. Quantum ad symbola pertinet quibus obsignavit olim Deus Prophetias, alibi dictum fuit: levius itaque nunc prætereo. uno tantum verbo tenendum est, signa hæc fuisse temporalia Sacramenta. nam Sacramenta ordinaria habent usum perpetuum apud fideles, sicuti sacra Cœna, & Baptismus. Sed hoc signum fuit temporale, ad specialem actum ut loquuntur: interea habuit vim & rationem Sacramenti, quantum attinet ad usum & confirmationem hujus prophetiæ. Serajah ergo jussus est *alligare lapidem libro*, deinde *projicere in Euphratem.* quare? ne scilicet volumen nataret in superficie fluvii, sed in profundum usque demergeretur. & sequitur applicatio, *Dices.* Videmus ut semper conjungi debeant verba cum signis. unde colligitur fatuitas Papistarum, qui multas ceremonias usurpant, sed absque intelligentia. sunt autem res mortuæ & evanidæ, quæcunque signa sibi confingant homines, nisi accedat sermo Dei. *Dices* igitur, *Sic mergetur Babylon, & non resurget à facie mali quod ego immitto contra eam.* denique jussus est Serajah tanquam Prophetæ ipsius nuncius, vaticinari de excidio Babylonis apud se, sed in gratiam piorum omnium, qui postea edocti sunt quid actum esset. Sequitur clausula, *Huc usque sermones Jeremiæ.* Diximus autem Prophetas quum verba fecissent in Templo, vel ad populum, collegisse breves summas: deinde fuisse illa capita proposita: hinc confecti sunt libri Prophetici. neque enim scripsit Jeremias volumen quod hodie habemus, nisi per capita. & satis apparet, non eo ordine fuisse scriptum, quo loquutus est. Non igitur ubique servata fuit series temporum: sed scribæ fuerunt seduli hac in parte, ut valvis Templi affixas illas summas colligerent, & ita additur hæc clausula, *huc usque esse sermones Jeremiæ.* Hoc autem male, meo judicio, restringitur ad Prophetias de excidio Babylonis. neque enim dubito, quin scriba, qui collegit omnes Prophetias, simul adjecerit *huc usque perscriptos fuisse Jeremiæ sermones.* Hinc colligimus, caput ultimum non comprehendi sub libro Prophetico Jeremiæ: sed illic summa duntaxat historiæ refertur, quatenus utile fuit ad intelligentiam totius doctrinæ, quemadmodum jam satis apparuit non potuisse intelligi multos locos Prophetiæ sine historiæ illius notitia. Quantum ad Lamentationes attinet, scimus separatam esse rationem illius libri à vaticiniis Jeremiæ. non mirum igitur est si hoc fuerit additum, *huc usque sermones Jeremiæ fuisse perscriptos.*

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos cooptare in tuum populum, ut non dubitemus instar Babylonis coram te fore hostes nostros, ut quum nos castigaveris, tandem exitiali interitu & perpetuo ipsos ita prosternas, ut nunquam resurgant: nobis autem etiam ubi occideris corpus, te liberatorem ostendas, donec tandem colligamur in regnum illud cæleste, quod nobis præparatum est à Filio tuo unigenito, Amen.

CAP. LII.

Hoc quidem ultimum caput quia totum historicum est, & alibi singulæ partes fuerant tractatæ, D. Calvinus pro lectione non exposuit, ne supervacuis repetitionibus oneraret auditores: ut tamen lectoribus integrum volumen constaret, censuimus non esse omittendum.

Viginti & unius anni erat Sedechias quando regnavit, & undecim annis regnavit in Jerusalem: & nomen matris ejus Hamutal filia Jeremiæ de Libnah.

2. Fecitque malum in oculis Jehovæ, secundum omnia quæ fecerat Jehojakim:

3. Nempe propter furorem Jehovæ qui fuit contra Jerusalem & Jehudah, donec projiceret eos à facie sua, rebellavit Sedechias contra Regem Babylonis.

4. Fuit autem anno nono regni ejus, mense decimo, decima mensis, venit Nabuchadrezar rex Babylonis, ipse & universus exercitus ejus adversus Jerusalem, & castrametati sunt contra eam, & ædificaverunt contra eam munitionem undique.

5. Venitque civitas in obsidionem usque ad undecimum annum Regis Sedechiæ.

6. Mense quarto, nona mensis, invaluit fames in Urbe, (*adeo*) ut nou esset panis populo terræ.

7. Et dirupta fuit Urbs, & omues viri bellatores fugeruut, exieruntque de Urbe nocte per viam portæ, (*quæ erat*) inter duos muros, (*qui erant*) juxta hortum Regis, (Chaldæi autem erant juxta Urbem per circuitum) abieruntque per viam solitudinis.

8. Persequutus vero est exercitus Chaldæorum, Regem, apprenderuntque Sedechiam in desertis Jericho: quia omnis exercitus ejus dispersus est ab eo.

9. Comprehenderunt igitur Regem, & duxerunt eum ad Regem Babylonis in Riblathah, in terram Chamath, qui disceptavit cum eo judiciis.

10. Et jugulavit Rex Babylonis filios Sedechiæ in oculis ejus, & etiam omnes Principes Jehudah jugulavit in Riblathah:

11. Oculos autem Sedechiæ excæcavit, & vinxit catenis, adducique fecit cum Rex Babylonis, Babylonem. & posuit eum in domo carceris usque ad diem quo mortuus est.

12. Mense autem quinto, decima mensis (is annus erat decimus nonus anni regis Nabuchadrezar regis Babylonis) venit Nebuzaradan princeps militum qui stabat coram Rege Babylonis in Jerusalem.

13. Et incendit domum Jehovæ, & domum Regis, atque cunctas domos Jerusalem, & omnem domum magnam combussit igni.

14. Omnesque muros Jerusalem undique destruxerunt totus exercitus Chaldæorum, qui erat cum Magistro militum.

15. De pauperibus autem populi, & de reliquo populo qui remanserant in Urbe, & de transfugis qui transfugerant ad Regem Babylonis, & de reliquiis multitudinis transmigrare fecit Nebuzaradan magister militum.

16. De pauperibus vero terræ reliquit Nebuzaradan magister militum vinitores & agricolas.

17. Et columnas æreas quæ erant in domo Jehovæ, & bases, & mare æreum quod erat in domo Jehovæ, confregeruut Chaldæi, & detulerunt omue æs eorum Babylonem.

18. Lebetes quoque & scopas, & psalteria, & pelves, & cochlearia, & omnia vasa ærea quibus ministrabant, tulerunt.

19. Et hydrias, & thuribula, & pelves, & ollas, & candelabra, & mortariola, & cyathos: quæ aurea, aurea, & quæ argentea, argentea tulit Magister militum.

20. Columnas duas, mare uuum, & boves duodecim æreos, qui erant sub basibus quas fecerat Rex Solomo in domo Jehovæ: non erat pondus æris eorum omnium, *nempe* vasorum istorum.

21. Quod ad columnas, octodecim cubitorum erat altitudo columnæ unius, & filum duodecim cubitorum circuibat eam, cujus crassitudo, (*quæ*) erat quatuor digitorum, (*erat*) vacua.

22. Capitellum autem quod erat super eam, æreum: altitudo vero capitelli unius, quinque cubitorum erat, & reticulum, & malogranata super capitellum per circuitum, omnia ærea & similia erant columnæ secundæ, & malogranata.

23. Fuerunt autem malogranata nonaginta & sex ad plagam (*unam*) omnia malogranata, ceutum super reticulum per circuitum.

24. Tulit quoque Magister militum Serajah Sacerdotem primum, & Sephaniah Sacerdotem secundum, & tres custodes liminis.

25. Et de Urbe tulit Euuuchum unum, qui erat præpositus super viros bellatores, & septem viros ex iis qui videbant faciem Regis, qui inventi sunt in Urbe, & Scribam principem militiæ, qui colligebat ad militiam populum terræ, & sexaginta viros de populo terræ, qui inventi sunt in medio Urbis.

26. Tulit, inquam, eos Nebuzaradan magister militum, & deduxit eos ad Regem Babylonis in Riblathah:

27. Et percussit eos Rex Babylonis, & interfecit eos in Riblathah in terra Chamath, & translatus est Jehudah de terra sua.

28. Iste

28. Iste est populus quem transferre fecit Nabuchadrezar anno septimo, Judæos tria millia & viginti tres.

29. Anno decimo octavo Nabuchadrezar transferre fecit de Jerusalem animas octingentas triginta duas.

30. Anno tertio & vigesimo Nabuchadrezar, transferre fecit Nebuzaradan magister militum, Judæorum animas septingentas quadraginta quinque: omnes animæ quatuor millia & sexcentæ.

31. Fuit autem tricesimo septimo anno transmigrarionis Jehojakim regis Jehudah, duodecimo mense, vicesima quinta mensis elevavit Evilmerodach rex Babylonis, anno regni sui, caput Jehojakim regis Jehudah, & eduxit eum de domo carceris.

32. Loquutusque est cum eo bona, & posuit thronum ejus super thronum Regum, qui erant secum in Babylone.

33. Et mutavit vestimenta carceris ejus, & comedebat panem coram eo semper omnibus diebus vitæ suæ.

34. Et portio ejus, portio perpetua dabatur ei à rege Babylonis, per singulos dies ejus: usque ad diem quo mortuus est, omnibus diebus vitæ ejus.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN LAMENTATIONES JEREMIÆ.

PRÆLECTIO PRIMA.

PRÆFATIO.

QUoniam statui exponere Threnos Jeremiæ, videndum est quando hic liber compositus fuerit à Propheta, unde etiam colligere licebit quale fuerit auctoris consilium. Nimis crassus est error Hieronymi, qui existimat hoc esse carmen lugubre, quod cecinit Jeremias super morte Josiæ regis. nihil enim videbimus quod Josiæ conveniat. Fiet quidem mentio Regis uno in loco, sed quod illic dicitur non potuit competere in Josiam. Neque enim tractus fuit in exilium, & sepultus fuit Jerosolymæ cum patribus suis. Ex toto igitur contextu judicium fieri potest, librum hunc compositum fuisse postquam Urbs fuerat excisa, & populus in exilium abductus. Quidam existimant Jeremiam, antequam clades illa accideret, historice descripsisse, & tamen fuisse vaticinatum de re futura & adhuc incognita. Sed hoc minime probabile est. hic enim Jeremias ponit ante oculos quæ omnes sciebant jam esse facta. Et facile videbimus rationem docendi quam tenet, prorsus alienam esse à vaticiniis. Non dubium igitur est, quin Jeremias post Urbem excisam, & Templum incensum defleverit cladem gentis suæ, non more profano, sed ut in rebus quoque perditis ostenderet restare tamen aliquem usum doctrinæ: quod diligenter notandum est. nisi enim hoc teneamus, frigebit nobis totus hic liber. Sed si dirigamus mentes nostras in illam vastitatem, quæ tunc potuit non vulgares tantum è populo exanimes reddere, sed dejicere ipsum Prophetam, ut prorsus à fide excideret, certe hinc colligemus singularem fructum. Facile est magnifice extollere Dei gratiam in rebus prosperis, deinde hortari ad fiduciam qui adhuc bene sperant, & proferre in medium Dei promissiones, ut in ipsas recumbant piorum animi: sed ubi omnia sunt desperata, & Deus videtur Ecclesiam suam deseruisse, si adhuc viget prophetia, & Deus apparet, qui manum porrigat miseris, & fere deploratis, hinc multum proficiemus: & illa est præcipua utilitas doctrinæ. Atqui videmus Jeremiam, quum Regnum periisset, quum Rex ipse cum sobole sua affectus fuisset extremo dedecore, quum denique videretur fœdus Dei prorsus abolitum, non destitisse tamen munus suum exequi: quod certum est frustra non fecisse. Quum ergo intelligeret fructuosam fore suam doctrinam, ita adductus fuit, ut non desineret de judiciis Dei primum disserere, & deinde hortari populum ad pœnitentiam, tertio animare ad spem, & postremo etiam aperire januam invocationi Dei, ut populus in rebus extremis tamen auderet ad Dei misericordiam confugere: quod fieri non potest sine fiducia. Nunc magna ex parte cognoscimus in quem finem scriptus fuerit hic liber à Jeremia. Voluit enim ostendere, quamvis nihil in terra appareret præter vastitatem: & exciso Templo, posset videri etiam eversum Dei fœdus, & ita intercidisse omnis spes salutis, adhuc tamen spem esse residuam, si Deum populus sincera pœnitentia & fide quæreret: atque ita perrexit in vocationis suæ cursu, quum palam faceret non periisse usum doctrinæ Propheticæ. Deflet quidem, ut dixi, extremam populi sui cladem, sed admiscet doctrinam pœnitentiæ & fidei: quoniam ab una parte ostendit, populum justas pœnas dare tot iniquitatum, à quibus non potuerat sanari: deinde gustum aliquem præbet misericordiæ Dei, ut in ipsa morte ad vitam aspirent Judæi, imo in ipsis etiam inferis agnoscant Deum sibi fore propitium. Tandem exemplo suo ad precandum ipsos incitat. atqui precatio fundata est in fide. Sequitur ergo Jeremiam, quum populus alienatus esset ab omni cultu Dei, adhuc tamen operam impendisse in reliquiis colligendis. proinde quum tota Ecclesia tunc non modo deformis jaceret, sed fere in nihilum esset redacta, Jeremias tamen construxit aliquod

ædifi-

ædificium ex illis ruinis. hæc præcipua est summa hujus libri. Vocant Græci hunc librum θρῆνοι Lamentationes, & proprie (sicuti etiam Hebræi vocant קינות): quanquam vulgare nomen, hoc est, titulus est איכה, à prima voce. Sed dum exprimere volunt quid liber contineat, tunc vocant קינות, hoc est, Lamentationes. Nunc veniamus ad ipsa verba, quoniam quæ nunc breviter perstrinxi melius explicari poterunt in contextu.

CAPUT PRIMUM.

QUomodo sedet solitaria civitas, quæ abundavit populo! facta est tanquam vidua, quæ magna fuit in gentibus! quæ dominata est in provinciis, redacta est ad tributum!

Propheta non potest satis exprimere magnitudinem cladis, nisi per admirationem. Suscipit ergo personam hominis, qui ad conspectum rei novæ & inopinatæ quodammodo obstupescit. Erat enim res incredibilis: quum electus esset locus ille, in quo Deus habitaret, ac urbs Jerosalem non modo regia esset Dei sedes, sed quoddam sanctuarium terrestre, potuit censeri conditio illius urbis esse exempta ab
Psal. 132. vers. 14. omni periculo. Quum enim dictum esset, Hæc requies mea in seculum seculi, hic habitabo: visus fuerat Deus attollere urbem illam supra nubes, & immunem reddere ab omnibus terrenis mutationibus. Scimus quidem in mundo nihil esse stabile, & summa imperia converti in nihilum: sed status Jerosolymæ non erat fundatus in humanis præsidiis, neque in amplitudine ditionis, neque in hominum copia, neque in aliis præsidiis quæcunque fingi possint: sed fundatus erat in cælesti decreto, in promissione Dei, quæ obnoxia non est ullis mutationibus. Quum ergo urbs ipsa cecidisset, à fundamentis eversa, nihil residuum extaret: quum Templum ipsum contumeliose direptum esset, deinde incensum ab hostibus: præterea Rex tractus in exilium, jugulati essent ejus liberi in ipsius conspectu, Proceres trucidati: quum populus dispersus esset huc & illuc, per summum opprobrium, nonne fuit illud horribile prodigium? Ergo non sine causa Propheta exclamat, *Quomodo!* quia nemo unquam putasset id posse accidere: deinde post eventum rei nemo poterat mente composita cernere tale spectaculum, quia poterant innumeræ tentationes venire in mentem; præsertim vero hæc cogitatio poterat labefactare omnium fidem & sensum, Quid sibi vult Deus? quomodo pollicitus est urbem hanc fore perpetuam? & nunc nulla est facies urbis, & nulla spes restitutionis in futurum tempus. Quum ergo posset pias mentes non modo turbare, sed etiam prosternere, & demergere in summam desperationem ille tam tristis aspectus: ideo Propheta exclamat, *quomodo?* Dicit autem, *Quomodo sedet solitaria civitas*, quæ multa fuit popolo? Hic per hypotyposin amplificat rei indignitatem. nam ab una parte commemorat quantopere floreret Jerusalem ante cladem illam: deinde ostendit quodammodo lucem conversam fuisse in tenebras. Mutatio enim illa, quemadmodum dixi, perinde erat acsi Sol è cælo caderet. neque enim Sol tam firmam stationem habet in cælo, quam habebat Jerosolyma in terra, quum scilicet salus ejus conjuncta esset cum æterna Dei veritate. Dicit igitur *urbem illam multam fuisse populo*: nunc vero *solitariam sedere*. Sedendi verbum accipitur apud Hebræos nunc in bonam nunc in malam partem. dicuntur enim Reges sedere in suis soliis. Sed Sedere aliquando tantundem valet atque jacere prostratum, quemadmodum pluribus locis ante vidimus. Dicit igitur Jerosolymam jacere solitariam, quia vastus erat locus & desertus ubi fuerat ante immensa hominum frequentia. Addit: *Quomodo facta est?* nam vox איכה repeti debet, & accommodari singulis membris. *Quomodo* igitur *facta est tanquam vidua, quæ fuit magna inter gentes?* Dicit Jerosolymam non modo refertam fuisse multis civibus, sed extendisse suum imperium per multas gentes: quemadmodum satis notum est, omnes vicinos fuisse tributarios sub Davide & Solomone. Et subjicit eodem sensu, *quæ dominata est in provinciis, facta est ad tributum?* hoc est, nunc subjecta fuit tributo? Sumpta est hæc loquutio ex Mose, quemadmodum Prophetæ liben- Deut. 28.
ter mutuari solent loquendi formas ab illo præcipuo Doctore & Propheta: sicuti paulo post iterum videbimus. Nunc ergo videmus quorsum Propheta tendat: miratur excidium urbis Jerosolymæ quasi prodigium, quod non modo perturbet hominum mentes, sed quodammodo faciat evanescere. Et concedit in hac loquendi forma aliquid humanæ infirmitati. nam oportuit carere sensu qui non raperentur in stuporem illo tam lugubri spectaculo. Non tantum igitur ex suo unius sensu loquitur Propheta, sed se aliis omnibus conjungit, & quasi in omnium persona deplorat illam cladem. Sed postea remedium adhibebit huic admirationi: quia ubi ita exaggeramus mala, simul etiam acuimus dolorem nostrum, & ita fit, ut tandem obruamur desperatione: desperatio autem accendit furorem, ut tumultuentur homines contra Deum. Propheta vero sic luget, sic obstupescit, ut tamen non indulgeat dolori suo, neque foveat illum stuporem: sed, quemadmodum videbimus, sese restringet, ac moderabitur, ne intemperies affectus ipsum rapiat extra metas. Sequitur ergo,

2. Plorando ploravit noctu, & lachrymæ ejus super genas ejus: non est ei consolator ex omnibus amicis ejus, & omnes socii ejus perfide egerunt cum ea, fuerunt illi inimici.

Prosequitur adhuc Jeremias eandem sententiam, quia non poterat de rebus tam acerbis, & luctuosis breviter, & uno verbo loqui. Visus enim fuisset non tangi serio patriæ suæ interitu. Et si volumus penetrare in eorum animos, quorum luctum cupimus solari, necesse est ut intelligant nos quodammodo unum secum esse. Nam si quis robustior sit, & velit solatio mitigare dolorem alterius, repudiabitur, dum quicquid afferet, videbitur profectum esse ab immani quadam barbarie. Si ergo Jeremias quasi contemptim loquutus esset, vix poterat sperari fructus ex doctrina, quia putassent Judæi illum quasi exuisse omnem humanitatis sensum. Hæc igitur ratio est cur defleat tanquam unus è vulgo cladem urbis. Neque tamen hic histrionice quicquam simulat: verum scimus servos Dei etiam dum serio loquuntur, non ideo protinus oblivisci prudentiæ. Respiciunt enim quid hic utile sit, & quomodo temperanda sit doctrina, ut sit efficax apud auditores. Dicit igitur continuum fuisse fletum Jerosolymæ: quia primum, *flendo flevit*. deinde *noctu*, qua voce intelligit nullam fuisse intermissionem. Nox enim con-

concessa nobis est ad quietem: & Deus vult aliquid relaxationis esse hominibus quum ita vices permutat noctium & dierum. Quum ergo Propheta dicit *Jerosolymam flendo flevisse*, & *noctu*, intelligit continuum dolorem, quemadmodum exposui. Deinde addit, *lachrymæ super genas ejus*. alii vertunt maxillas, sed improprie. לחי significat quidem maxillam, sed hic accipitur pro genis vel malis. Significat ergo tam profusas fuisse lachrymas, ut tota facies maderet. Fieri potest, ut flendo cohibeamus tamen lachrymas: sed ubi manant per totam faciem, & genas ipsas cooperiunt, hinc magnitudo luctus melius exprimitur. Hæc igitur ratio est cur dicat Propheta *lachrymas fuisse in genis*, dum ostendere vult profuse lachrymatam esse. Dicit *non esse ei consolatorem*. hæc etiam circumstantia notanda est. nihil enim magis opportunum est in dolore, quam ubi adsunt amici, qui officium humanitatis præstant, & socii sunt doloris, & adhibent quæ possunt solatia. Ubi autem nemo tangitur nostris malis, hinc magis ac magis ingravescit dolor. Dicit igitur Propheta nullum fuisse qui mederi studeret Jerosolymæ doloribus. Adjongit, *ex omnibus amicis*. Si Jerusalem semper fuisset deserta, poterat facilius tolerare, quum nemo adesset consolator. Nam videmus miseros homines non ita esse molles & teneros, & quum illis gravissima calamitas accidit, non circumspiciunt huc & illuc an adveniant amici; quare? quia semper despecti fuerunt. Ergo non est illis novum, etiam in rebus miseris non habere qui ostendat aliquod benevolentiæ signum. Verum qui fuerunt stipati multis amicis, & qui putabant sibi semper præsto fore qui ferrent auxilium, ubi vident se destitui, multo gravius dolent. Hoc ergo nunc intelligit Propheta, *Ex multis amicis neminem fuisse qui Jerosolymam solari conatus fuerit in suis miseriis*. Quanquam dubium non est quin oblique perstringat Jerosolymam: & quum nominat אהבים intelligit amatores, sicuti quibusdam in locis vidimus. quia enim per versis fœderibus putabant se fore salvos, Prophetæ dicunt similes fuisse meretricibus, quæ passim se prostituunt, & faciunt quæstum ex sua libidine, & alliciunt hinc inde amatores. Rectum itaque est, ut Propheta hoc etiam loco insimulet Judæos illius pravitatis, quod scilicet sibi conciliaverant nunc Ægyptios, nunc Assyrios, quemadmodum mulier impudica non acquiescit in uno marito, sed attrahit hinc inde scortatores. Quicquid sit, non dubium est quin per amicos intelligat fœderatos: quinam autem illi erant? nempe quibuscum se conjunxerant Judæi, Deo contempto: quia satis admoniti fuerant à Prophetis, ne se implicarent ulla societate Gentium. Interea vero exasperat simul atrocitatem rei Jeremias quum dicit *neminem fuisse consolatorem Jerosolymæ ex omnibus amicis ejus, quia omnes sœcu perfide egerint*. Sequitur,

3. Migravit (*tanquam in exilium*) Jehudah præ afflictione, & præ magnitudine servitutis ipsa sedet in gentibus, (*ad verbum, sedens in gentibus*) non invenit requiem, (*vel, in præsenti tempore, non invenit*) omnes apprehensores ejus apprehenderunt eam inter angustias.

Hoc male accipiunt interpretes, meo judicio, de ipsa captivitate: potius enim significat Propheta dispersos fuisse Judæos, & captasse latebras, quum sæpius oppressi fuissent hostium suorum tyrannide: deinde gradatim progreditur ad exilium. neque enim omnia simul dicere potuit. Notandus igitur est ordo ipse loquendi. Antequam ergo exilium ipsum defleat, dicit *Jehudah fuisse dispersum*, quia multi quum fugerent hostium sævitiam, profecti sunt in voluntarium exilium. Jam ante vidimus multos latuisse apud Moabitas: nec dubium est quin multi in Ægyptum etiam profecti essent: denique nulla erat regio, in qua non essent aliqui ex Judæis profugi. Hic ergo genuinus est Prophetæ sensus, nempe *Judæos migrasse*, hoc est, relicta patria, fugisse in alienas regiones, quia oppressi erant miseriis, & crudeli servitute. quidam hoc passive accipiunt, quod Jehudah migraverit, quoniam inhumaniter oppresserit servos suos. Sed videor mihi conjicere quid ipsos fefellerit. putabant hoc dici de exilio: deinde error peperit errorem. Absurda enim esset sententia, Judæos migrasse in exilium præ afflictione, & migrasse sponte. scimus enim violenter abductos à Chaldæis. Non ergo sponte migrarunt. Quum hæc duo simul non possent connectere, putarunt hic objici Judæis crudelitatem, quam exercuerant adversus fratres suos. Sed migratio, de qua loquitur Propheta, perperam refertur ad captivitatem, ut dixi: quin potius intelligit dilapsos fuisse in varias plagas mundi, quod tolerabilis non esset ipsorum conditio in patria. Hinc autem colligitur, quam duriter vexati fuerint à Chaldæis, quod sponte fugerunt. scimus enim durum esse exilium. Ergo qui relinquunt ultro patriam, nisi cogantur magna necessitate, videri possunt insani. Colligitur ergo violenta & barbara oppressio, quum Prophera dicit Judæos sic sponte fuisse profectos in exilium, nempe dum latebras captarunt vel in Ægypto, vel in terra Moab, vel apud alios vicinos. Postea adjungit alterum malum, *quod* scilicet *nusquam invenerint requiem*: postremo, *quod deprehensi fuerint ab hostibus suis inter angustias*, ita ut nullum effugium ipsis pateret. Fuisset jam tristis conditio populi, degere trepide in aliena terra. Nam scimus vitam precariam parum differre à morte: nullæ erant vicinæ gentes, quibus non exosi essent Judæi. Quum ergo illuc confugerent, fuit illud non leve malum. Sed quum nusquam illis tranquilla esset sedes, accessit major indignitas, quam nunc exprimit Propheta. Hoc vero quasi postremum est malorum, dum cupimus fugere, & trepide nunc in unam partem, nunc in aliam deflectimus, incidere in manus hostium, & ab ipsis deprehendi acsi conclusi essemus inter parietes, vel in aliquo angiportu, quemadmodum quidam vocem Hebraicam exponunt. Sequitur,

4. Viæ Sion lugentes à non venientibus (*ad verbum: quia non sint qui veniant*) ad solennitatem: omnes portæ ejus solitariæ, (*vastatæ*, שוממין) Sacerdotes ejus plorantes, virgines ejus afflictæ, & ipsa amaritudo ei. (*hoc est, ipsa in amaritudine, ut vertit Hieronymus.*)

Hic alteram doloris materiam refert Jeremias, quod scilicet cessaret cultus Dei, acsi esset interruptus, imo videri posset extinctus in perpetuum. Dicit ergo *vias Sion lugere, quia nemo ascendat ad dies festos*. Hoc figurate dictum est. scimus enim non cadere sensum in ipsas vias. Sed Propheta hic tribuit sensum rei inanimatæ. Et hæc prosopopoeia magis emphatica est, quam si totum populum induxisset lugentem. Cæterum, hoc gravius fuit, quum viderent Judæi cultum Dei ita esse collapsum, quam ubi videbant se vel orbatos liberis, vel conjugibus viduatos, vel spoliatos omnibus fortunis. Quanto enim pretiosior est nobis Dei cultus, & quanto pluris censeri meretur religio, in qua æterna animarum salus consistit, eo etiam durius ac luctuosius est, videre ita dissipatam Ecclesiam, ut non colatur neque invocetur amplius Deus. Verum quidem est, cultum Dei non fuisse affixum ceremoniis, quia Daniel non

destitit

Dan. 9. vers. 20. destitit Deum precari, & exauditus fuit in illo exilio non minus, quam si venisset ad sacrificia cum pompa solenni, ut in Templo offerret: hoc quidem verum est, sed quoniam non frustra instituit Deus hæc exercitia pietatis, ideo Propheta à signis rem ipsam demonstrat. Quoniam ergo dies festi testimonium erant Dei gratiæ perinde acsi sublato vexillo vocati fuissent Judæi, & Deus illic medius inter ipsos apparuisset: ideo ab ipsis externis symbolis Propheta ostendit cultum Dei quodammodo intercidisse. *Portæ ejus sunt solitariæ*, aut vastationes, *Sacerdotes in luctu, virgines in afflictione, ipsa est in amaritudine.* Hic autem locus admonet, quum Deus Ecclesiam suam affligit, quamvis miserum sit videre jugulari homines innoxios, promiscue fundi sanguinem, occidi sine discrimine sexus vel ætatis pueros & fœminas, quamvis etiam triste sit spectaculum domos spoliari & diripi, & vastari agros, & omnia deformari: tamen si hæc omnia conferantur ad interitum cultus Dei, locus, inquam, hic admonet debere nobis videri levia. Et si David tantopere deplo- Psal. 42. vers. 2, 5.
rat suam conditionem, quia à Templo exulet, nec ducat catervas pro more suo: ubi non tantum unus homo è Sanctuario Dei ejectus fuit, sed ubi ipsum Sanctuarium fuit eversum una cum Altari, nulla sacrificia, nullæ gratiarum actiones, nullæ laudes, denique nulla invocatio, hoc certe longe fuit acerbius. Ergo diligenter notanda est hæc Prophetæ lamentatio quum dicit *vias Sionis lugere, quod nemo ad solennitatem ascendat.* Quod sequitur, leviter prætereo: postea longius insistum in ipsis rebus ubi progressi fuerimus ad finem usque narrationis.

5. Fuerunt inimici ejus in caput: hostes ejus feliciter egerunt, fuerunt in pace, (שלו) quia Jehovah afflixit eam super magnitudine scelerum ejus: parvuli ejus profecti sunt in exilium coram adversario.

Primo dicit *inimicos factos in caput*: qua voce haud dubie intelligit imperium: & hanc loquendi formam sumpsit à Mose. Sic enim habetur Deut. 28.
Deut. 28. vers. 13. Eris in caput, & non in caudam ejus, in loco sublimi, non obscuro. dicit ergo *inimicos fuisse in caput*, hoc est, dominatos fuisse. Et subaudiendum est illud antitheton, quod scilicet fuerint in caudam, hoc est, fuerint quasi sub pedibus hostium suorum. Dicit rursus, *hostes feliciter egisse*, nempe *quia Jehovah afflixerit eam.* Hic jam non lamentatur pro vulgari more, hoc est, ut solent profani homines: sed admiscet doctrinam luctui suo: & ostendit, Deum in illis rebus adeo turbulentis & confusis apparere justum judicem. Revocat igitur eos ad considerandam Dei manum ubi dicit ideo feliciter hostes agere, *quia Deus ipsam afflixerit.* Hieronymus vertit, Quoniam Jehovah loquutus est: deduxit ab הגה, quod significat loqui, vel meditari. Sed satis apparet error, quemadmodum etiam hoc eodem capite paulo post. Minime igitur dubium est, quin sentiat Propheta omnium malorum causam esse, quia Deus Judæos afflixerit, idque propter magnitudinem impietatum vel scelerum. Jam ergo incipit ostendere non esse causam cur Judæi absorbeantur mœrore & desperatione: si modo interea probe cogitent unde proveniant mala. Incipit hoc modo ipsos revocare ad Dei judicium. hoc quidem nondum sufficeret: sed postea subjicietur uberior consolationis materia. Cæterum singula videbimus suo ordine.

Da omnipotens Deus, quando hodie tanta Ecclesiæ tuæ deformitas posset exanimare nos omnes, ut discamus respicere ad manum tuam, & sentiamus nobis rependi justam mercedem scelerum nostrorum: interea non dubitemus te fore etiam nobis medicum, qui sanes nostra vulnera, si ad tuam misericordiam confugerimus: & ita nos in fiducia tuæ bonitatis, & paternæ indulgentiæ retineas ut non dubitemus, etiam in malis extremis te invocare in nomine unigeniti Filii tui, donec experiamur nunquam irritas esse eorum preces, qui freti tuis promissionibus expectant patienter remedium à te uno, etiam in extremis malis, atque adeo in ipsa morte, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

Heri cœpimus exponere sententiam hanc, ubi dicit Propheta, *inimicos Jerusalem fuisse in caput, & feliciter egisse.* Hæc tentatio graviter percellere poterat animos fidelium, quum viderent hostes suos ita habere quasi in manu fortunam, ut vulgo loquuntur. Hoc enim perinde erat acsi Deus ostenderet se illis favere. Ergo Propheta causam assignat, ne fideles desciscant à pietate, & timore Dei, ubi dicit hoc totum manare ex justa Dei vindicta, quod velit affligere suam Ecclesiam: neque id solum, sed adjungit, *propter magnitudinem iniquitatum.* Profani enim homines interdum agnoscunt sibi esse negotium cum Deo: sed interea fremunt & existimant Deum esse injustum & crudelem. Propheta igitur non tantum docet, Deum auctorem esse calamitatis, quæ acciderat, sed simul admonet, Judæos tali mercede dignos esse, non tantum quia deliquerint, sed quia addiderint peccata peccatis. Hoc enim significat *magnitudo iniquitatum.* Sed hanc sententiam paulo post repetet, & pluribus verbis: ideo satis est nunc attingere ejus consilium. Hanc ergo ob causam dicit, *in captivitatem fuisse profectos parvulos coram adversario.* nam hæc etiam indignitas poterat exacerbare animos fidelium quum viderent tam duriter tractari non tantum pueros, sed etiam ipsos infantes: nam semper homines existimant sibi esse justam causam litigandi cum Deo: præsertim vero ubi in medium prodeunt pueri infantes, quis non diceret vindictam Dei modum excedere? si vult se ulcisci de hominum sceleribus, cur iram suam non continet adversus innoxios? Quid enim peccarunt miseri infantes? Propheta autem hic cohibet talem audaciam, & dicit Deum habere justas causas cur vindictam suam extendat usque ad ipsos parvulos. Nunc sequitur,

6. Et egressus est à filia Sion omnis decor ejus: fuerunt Principes ejus tanquam cervi qui non inveniunt pascuum, & profecti sunt absque virtute coram persequutore.

Continuat eandem sententiam. Dicit hic filiam Sion nudatam esse omnibus suis ornamentis. Scimus autem quanta fuerit illius populi dignitas, quemadmodum etiam Moses ut commendet magni-

tudinem

Deut. 4:8. tudinem gratiæ Dei, exclamat, Quæ gens tam inclyta sub cælo? quoniam ergo fulgebant in populo illo singularia Dei beneficia, fuit hoc tristius spectaculum, cernere urbem, quæ ita pollebat summa gloria, spoliatam omni decore, & coopertam ignominia, ut postea videbimus. Dicit ergo *ablatum fuisse totum decorem filiæ Sion.* Jam nihil opus est enumerare omnes species decoris vel gloriæ urbis Jerusalem. Primo Deus elegerat illic sibi domicilium: deinde illic erat regnum Sacerdotale, populus erat sanctus Deo, erat ejus hæreditas: Deus illic deposuerat fœdus suum, omnes Judæos censebat in filiis suis, volebat etiam vicissim censeri eorum pater. Quum ergo tot & tam præclaris ornamentis fuissent locupletati, non mirum est quod deplorat Propheta urbem illam esse spoliatam omni suo decore. Jam adjungit, *Principes fuisse quasi cervos famelicos.* nam cervi, ut sunt agiles natura, si penuria ipsos urgeat, discurrunt quasi volarent. Quoniam ergo tanta est celeritas in illo animali, dicit Propheta, Principes qui ante solebant graviter incedere, & qui pro se ferebant magnam auctoritatem, fuisse veloces tanquam cervos famelicos, quia ipsi quoque laboraverint omnium rerum inopia. Subjicit tandem *profectos esse*, hoc est, fugisse *coram facie persequutoris absque virtute*: quibus verbis significat non ausos fuisse congredi cum hostibus, sed adeo fuisse trepidos, ut fugerent, atque ita ostenderent se jam esse fractos, & quasi exanimes. Sequitur,

7. Recordata est Jerusalem diebus afflictionis suæ & penuriæ suæ (*vel gemitus sui: alii vertunt, vel migrationis suæ. deducunt enim quidam hoc nomen à* רוד, *quod significat conqueri, vel migrare. ideo quidam vertunt exilium, vel migrationem, alii vero querimoniam. sed alii deducunt à* מרד, *quod interdum significat deficere: ideo transferunt inopiam, vel indigentiam. cur alii vertant iniquitatem nescio, & nulla est causa. Recordata est ergo Jerusalem*) omnium desiderabilium suorum, quæ fuerunt à diebus antiquis, quum caderet populus ejus in manum hostis, & nullus auxiliator ei: viderunt hostes, subsannarunt (*vel riserunt*) super Sabbatho (*vel cessatione*) ejus.

Confirmat proximam sententiam quum dicit *Jerusalem recordatam fuisse desiderabilium suorum ex quo afflicta fuit Dei manu*, & redacta in extremam penuriam. Significat autem his verbis, quum Jerusalem esset in suo splendore, non satis reputasse Dei beneficia, quemadmodum Dei contemptores ingurgitant quicquid ab ejus liberalitate fluit, & interea non agnoscunt. est enim ingratitudo tanquam abyssus quæ absorbet omnem plenitudinem bonorum Dei. Significat ergo Propheta, quum Jerusalem floreret opibus, & copia rerum omnium, quum etiam esset ornata singularibus donis, fuisse quasi ebriam, neque considerasse, ut decebat, quæ in ipsam contulerat Deus beneficia. Nunc autem ex quo redacta fuit ad inopiam, & in summas miserias conclusa, *recordata est suorum desiderabilium*, id est, illius decoris, cujus paulo ante facta fuit mentio. nam per Desideria intelligit dona illa, quibus splendebat Jerusalem quantisper Deus se erga ipsam beneficum Patrem ostendit. miror cur omnes vertant, Recordata est Jerusalem dierum. quidam recte exponunt, sed interea omnes consentiunt in mala versione. Atqui sensus satis perspicuus est, *Jerusalem recordatam fuisse desiderabilium, diebus afflictionis & indigentiæ*, vel quemadmodum dixi, migrationis suæ, aut querimoniæ: quanquam non placet hæc postrema expositio. Ego igitur vel de exilio, vel de penuria bonorum interpretor. *Dies* autem *afflictionis* clarius exprimit, nempe *quum caderet populus ejus in manum hostis, nec quisquam esset auxiliator.* Nunc videmus quid velit Propheta, nempe Jerusalem fuisse quasi expergefactam è suo veteroo quum Deus eam afflixit. Nam sicut ebrii post saturitatem se dormiunt in sua crapula, ut nihil sentiant, sed sint quasi semimortui: ita prosperitas inebriavit Jerusalem longo tempore: sed tandem experrecta, sensit unde ceciderat. Quantisper ergo stetit in excelso illo gradu honoris, non expendit Dei ergà se indulgentiam: postquam autem nudata fuit omnibus bonis, & serio afflicta, *tunc recordata est suorum desiderabilium*, hoc est, tandem cœpit sentire quid perdidisset, quoniam exciderat à Dei gratia. Hinc autem colligere licet utilem doctrinam. quod enim narrat Propheta de Jerusalem, fere in toto humano genere cernitur. Sed cavendum est, ne etiam nobis conveniat. Deus enim non tantum vulgari more liberaliter nobiscum hactenus egit, sed dignatus est nos testimoniis favoris sui plusquam paterni: separavit nos ab incredulis, & voluit splendere in nobis sua beneficia. Nunc videndum est, ne simus stupidi, quantisper Deus liberalitatem erga nos suam prosequitur: quin potius discamus reputare quid valeant Dei beneficia, & in quem finem & usum spectent. alioquin idem nobis continget quod hic dicitur de Jerusalem. Sero enim expergefacti, sciemus nos fuisse felices quum Deus se ostendebat erga nos Patrem. Videmus id fuisse ostensum in Adam primo homine. Gen. 3, v. 26. 27.
nam quum Deus ornasset illum eximiis dotibus, non & 3.
contentus sua sorte voluit se efferre ultra modum: v. 6. 7.
postquam cecidit, & redactus est in extremam inopiam, tunc cœpit agnoscere, qualis ante fuisset, & qualis cœpisset esse à suo lapsu. Sed quia hoc Prophetæ testimonium peculiariter convenit Ecclesiæ Dei, sciamus nos Jerosolymæ exemplo doceri, ubi Deus prosequitur erga nos suam liberalitatem, æstimanda esse ejus dona pro merito, ne sero tandem incipiamus agnoscere quam desiderabilis fuerit nostra conditio. Ergo in summa, hic perstringit Jeremias socordiam populi, qui non agnovit quam optabilis esset sua conditio, donec privatus & spoliatus fuit omnibus bonis. Ideo dicit, *à diebus antiquis*: quibus verbis forte significat diuturnum cursum beneficentiæ Dei. neque enim exiguo tempore Deus liberalis fuerat erga populum illum, sed continua serie prosequutus fuerat eundem favorem. *Quum ergo excidit populus*, tunc gravior fuit miseria quum tam longo tempore floruisset. Addit, *Viderunt hostes, riserunt super Sabbatho ejus.* quanquam neque displicet nomen Cessationis. Porro qui vertunt Otium, vel corrumpunt, vel nimis obscurant sensum Prophetæ. Et in voce Cessationis etiam suberit ironia. neque enim riserunt hostes simpliciter cessationem, sed cum ludibrio, quia tunc data illis fuit materia subsannandæ religionis. Scimus Sabbatha populi Judaici semper odiosa fuisse profanis Gentibus, & vexata etiam multis probris. nam per ignominiam vocarunt Judæos Sabbatharios. Et quum volunt ignominiose traducere totum cultum Dei, qui sub Lege vigebat, nominant Sabbatha. Minime igitur dubium est, quin Gentes probrose objecerint Judæis, ipsos Sabbathum agere, Ecce, nunc tempus est colendi Dei. Et videmus etiam Deum perstringere Judæos eadem ironia quum dicit; Donec terra Levit. 26.
Sabbatha sua peregerit. Quum enim Judæis liceret vers. 43.
per otium, ubi nulli hostes molesti erant, cultum Dei servare, violarunt Sabbatha impio contemptu. Quum ergo Dei cultus ita indigne fuisset ab ipsis neglectus, Deus dicit, Terra ipsa Sabbathum colet Levit. 26.
loco v. 34. 35.

loco vestro: quomodo? quia neque arabitur, neque frugem feret: cessationem illam vocat Deus Sabbathum, sed non sine ironia. mordet enim Judæos quoniam Sabbatha violaverant, quemadmodum Jeremias etiam cap 17. illis objecit. Ergo mihi probabile est jacta fuisse probra ab hostibus contra Judæos, quod liceret illis longum Sabbathum & continuum agere, quum scilicet urbs ipsorum esset deserta, & quum nemo illic habitaret. frigidum enim illud esset, hostes risisse super cessatione ejus. Usus proculdubio fuisset alia voce Propheta, nisi propositum ei fuisset notare blasphemiam hostium adversus cultum Dei. *Hostes* ergo *viderunt, & riserunt super ejus cessatione*, sed quam vocarunt probrose Sabbathariam. Sequitur,

Jer. 17 v. 21, 27.

8. Peccatum peccavit Jerusalem, (*hoc est, scelerate egit*) propterea in migrationem (*vel commotionem*) facta est: (*hoc est, reddita fuit instabilis*) omnes qui honore eam prosequebantur, spreverunt eam, (*aut vilipenderunt*) quia viderunt turpitudinem (*aut fœditatem*) ejus: etiam ipsa gemens, & conversa est retrorsum.

Hic clarius & vehementius exprimit Propheta quod breviter attigerat, nempe quicquid patiebantur Judæi, provenire à Dei vindicta, & dignos esse talibus pœnis, quia non leviter tantum deliquerant, sed concervarant sibi horribile judicium, quando modis omnibus sese projecerant ad impietatem. Hæc summa est, unde colligimus, Prophetam non composuisse hoc carmen, ut lugeret cladem suæ patriæ, sicuti solent profani homines. Exemplum profanæ lamentationis est apud Virgilium:

Æneidos lib. 2.

Venit summa dies, & ineluctabile tempus
Dardaniæ: fuimus Troës: fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum: ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe.

Sicuti etiam repetit aliis verbis eandem sententiam:

O patria, ô divum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum: ferus omnia Juppiter Argos
Transtulit.

Luget illic cladem Troiæ: sed conqueritur de sævitia Dei. Ferum Jovem appellat, quia efferatus erat ipse: & tamen loquitur sacerdos Apollinis Panthus. Videmus ergo ut increduli quum lugent suas clades, evomant simul blasphemias contra Deum, quia seipsos exasperant ad dolorem. Longe differt hæc querimonia Prophetæ à tali & tam impio luctu. nam ubi deplorat miserias populi sui, simul adjungit Deum justum esse vindicem. Non ergo accusat Deum sævitiæ, aut nimis rigoris, sed populum admonet, ut sese humiliet coram Deo, & fateatur se omnia illa mala juste perpeti. Admiscent quidem interdum quasdam voces etiam increduli, ubi videntur dare gloriam Deo, quas apparet esse evanidas. Statim enim redeunt ad suam contumaciam. Aliquando sunt medii, quemadmodum, —— *precibus si flecteris ullis.* illic expostulant cum Deo, acsi esset surdus ad servorum suorum vota. Prosiliunt tandem in apertas blasphemias,

Postquam res Asiæ, Priamique evertere gentem
Immeritam visum Superis.

Vocant gentem, quæ excisa fuerat, indignam tali supplicio: vocant gentem immeritam. Nunc ergo tenemus quale sit discrimen inter incredulos, & filios Dei. nam commune est omnibus lugere in rebus adversis: sed finis luctus est contumacia: quæ tandem prorumpit in furorem, ubi increduli sua mala sentiunt, & se interea non humiliant coram Deo. Atqui fideles non obdurescunt in luctu suo, sed descendunt in seipsos, & examinant suam vitam, & sponte coram Deo se prosternunt, ac subeunt voluntariam damnationem, & fatentur Deum esse justum. Nunc ergo videmus quomodo deflenda sit nobis calamitas Ecclesiæ, nempe ut redeamus ad hoc principium Deum esse justum vindicem, neque sumere pœnam de vulgaribus delictis duntaxat, sed de plurimis & maximis sceleribus: & si redigat nos ad extrema quæque, id fieri propter scelerum nostrorum magnitudinem, quemadmodum etiam fatetur Daniel. Neque enim *Dan. 9.*
uno verbo pronunciat, populum dignum esse exilio, *vers. 5.*
& pœnis illis, quas patiebatur: sed accumulat plures voces: Peccavimus, impie egimus, scelerate egimus, fuimus transgressores, inquit. Non potest sibi satisfacere Propheta in illa congerie, quia videbat etiam qualis fuisset impietas populi, & quam furiosa obstinatio non paucis annis, sed per longum illud tempus, quo admoniti fuerant à Prophetis. neque tamen resipuerant, sed prolapsi semper fuerant in deterius. Talis est igitur ratio hujus loci. dicit *factam fuisse commotionem*, hoc est, dejectam fuisse à patria. Videtur subesse tacita antithesis inter quietem, quæ promissa fuerat Judæis, & inter vagum illud & erraticum exilium. quemadmodum enim vidimus, non tantum exularunt Judæi, sed nusquam fuit tranquilla statio. Fuit hæc etiam commotio. quanquam referri posset ad maledictionem Legis, quod fuerint in commotionem, quia increduli etiam concusserint caput super eos. Sed nomen נידה proprie referri debet ad exilium illud, ubi fuerunt Judæi instabiles & vagi. Dicit *spretam fuisse*, & probro habitam *Jerusalem ab omnibus qui prius* dignati fuerant aliquo pretio & honore. Hoc etiam gravitatem mali non parum amplificat, quod rejecta fuerit à suis amicis, apud quos antea in pretio & veneratione fuerat. Ratio subjicitur, *quoniam viderunt nuditatem ejus*, sed proprie significat turpitudinem vel ignominiam. Tandem subjicit, quod *ipsa etiam gemuerit, & conversa fuerit retrorsum*, id est, quod fuerit oppressa dolore, ita ut nulla esset spes remedii. Converti enim retrorsum tantundem valet atque dejici omni spe restitutionis. Nunc sequitur,

9. Ignominia ejus in fimbriis ejus, non est recordata finis sui: & descendit mirabiliter, nemo consolator ei: vide Jehovah afflictionem meam, quia magnifice se effert hostis. (*ad verbum, magnificatus est hostis.*)

Hic continuat, meo judicio, eandem sententiam. Dixerat in fine proximi versus conspectam fuisse turpitudinem Jerosolymæ, nunc dicit *fuisse in ipsis fimbriis.* Videtur alludere Propheta ad menstrua mulierum, quibus dum laborant, occultant illam fœditatem, quantum in se est. Sed si profluvium tale sit, ut natura succumbat, vestes replentur; diffluit tabes illa vel sanies. Denique significat Propheta, non vulgari modo fuisse fœdatos Judæos, sed ita fuisse afflictos, acsi mulier non contineret sua menstrua, quin diffluant, atque appareant in fimbriis, acsi madefacta esset sua sanie. hic est Prophetæ sensus. Interpretes existimant Jeremiam loqui de sceleribus populi, sed falluntur. ego itaque non dubito hæc omnia referri ad pœnam. Dicunt fœditatem fuisse in fimbriis, quia populus impudenter sese prostituerit ad omnia flagitia: deinde non recordatum fuisse finis sui, quia prorsus desipuerit: quemadmo-

Deut. 32. vers. 29. admodum dicitur etiam in cantico Mosis, Utinam saperent! ô si saperent, & providerent finem suum. Sed quisquis propius expendet consilium Prophetæ, mihi facile subscribet, non agi de culpa, sed potius de pœna. Propheta igitur dicit ignominiam fuisse in fimbriis, quia non potuerint Judæi occultare suum dedecus. Verecundia enim facit, ut homines sæpe mala sua intus, & tacite devorent, quia pudet eos se exponere ludibriis hostium. Sed Propheta dicit jam non posse occultas esse miserias populi, quin omnibus appareant, quemadmodum si mulier laboret tali profluvio, ut sanies redundet usque ad extremas partes vestium. Et quum dicit *non esse recordatam sui finis*, ita expono, fuisse Judæos desperatione obrutos, ut animos non attollerent ad Dei promissiones. nam est hoc vulgare solatium, & quod sensus etiam naturæ nobis dictat, in extremis malis respirare, & extendere nostram cogitationem longius, Atqui non semper nos urgebit miseria: continget aliqua mutatio in melius. Quoniam ergo solent homines hoc modo se fulcire in rebus adversis: dicit Judæos *non fuisse recordates finis sui*, hoc est, ita fuisse dementatos suo mœrore, ut obstupescerent, neque quicquam sperarent in futurum tempus. In summa, his verbis designat extremam desperationem, quia obstupefacti fuerunt Judæi, ita ut mentes suas non possent erigere in bonam spem. Causa etiam exprimitur, *quia descenderint mirabiliter*, hoc est, quia dejecti fuerint prodigioso quodam modo. Nomen hic ponitur vice adverbii, פלאים ponitur hic in masculino genere, aliquando פלאות dicitur, sed eodem sensu. Ad miraculum ergo dicit Judæos fuisse demersos. sed per miraculum intelligit prodigium. accipitur enim in malam partem. *Mirabiliter* ergo *descendit Jerosolyma*: unde factum est, ut succubuerit suis miseriis, neque animum suum ad spem aliquam convertat, neque attendat ad alium finem: sed obtorpeat in suis miseriis, quemadmodum solent homines desperati, & qui existimant actum esse de salute sua. Repetit quod ante dixerat, *neminem fuisse consolatorem*. Hæc diligenter notanda sunt, quia hodie Satan nos ad desperationem sollicitat variis modis. Jam ut nos avertat ab omni fiducia gratiæ Dei, proponit extremas calamitates. Ubi autem mœror sic sensus nostros occupat, ut non affulgeat nobis spes gratiæ, nascitur ex illo immodico dolore intemperies, quæ nos abripit in furorem. Hinc fit, ut obstrepamus & postea tumultuemur contra Deum. Quoniam ergo hodie suppetit Satanæ materia ad nos turbandos, ut succumbamus doloribus: tenenda est hæc doctrina Prophetæ, Jerusalem scilicet, quæ vera erat & unica Ecclesia Dei tunc in mundo, fuisse tot & tantis malis obrutam, *ut non recordaretur finis sui*. Hoc quidem de externa specie intelligi debet. Neque enim dubium est, quin Deus sustinuerit animos piorum, & quin semper lenierit ipsorum dolorem, ut ad finem suum attenderent. Sed refertur ad vulgus ipsum, deinde ad externam speciem quod dicit Propheta, *Judæos non recordates esse finis sui*. Nunc hortatur ipsos ad precandum, & verba etiam suggerit. loquitur enim quasi in omnium persona, *Vide Jehovah afflictionem meam, quia sese magnifice extulit hostis*. Quanquam Propheta hic repræsentat Ecclesiam, tamen non dubium est, quin pro suo officio hortetur ad bene sperandum, & ad precandum illos animet. neque enim concipi potest vera & seria precatio sine fiducia. Ubi enim gustus gratiæ Dei nobis periit, fieri non potest, ut ex animo precemur. Solæ autem sunt promissiones, ex quibus possumus gustare paternam Dei bonitatem. Ergo dubium non est, quin Propheta hic Judæis promittat certam salutem, modo se ad Deum convertant, & statuant, ac certo persuasi sint, illum fore liberatorem. Nunc ergo videmus qualis sit vera ratio docendi, nempe dum humiliantur homines, & illis proponitur justa sua damnatio: deinde animantur ad bene sperandum, & porrigitur etiam illis manus, ut Deum invocent, nec dubitent in extremis suis malis ab ipso auxilium non modo sperare, sed etiam flagitare. Hunc ordinem tenuit Propheta, ut discamus in rebus adversis semper descendere in nos ipsos, & agnoscere justum reatum: deinde ubi demersi fuerimus, etiam discamus animos nostros erigere fiducia, ut inde nascatur invocatio, in qua posita est nobis salus. Unum mihi exciderat: Propheta ut gratiam impetret, dicit, *hostes magnifice se efferre*. Et hoc diligenter notandum est, quia quod videtur nobis occasionem dare desperandi, potius nos ad bene sperandum animare debet, nempe quum hostes insolescunt, & sese diabolica arrogantia efferunt, & nobis insultant. Quo major ergo est illorum, & minus tolerabilis superbia, eo majore fiducia invocare Deum licet: quia non frustra dictavit nobis Spiritus sanctus hanc formam, quod scilicet Deus propitius nobis erit quum hostes ita magnifice egerint, hoc est, quum ita sine modo superbierint, & se intemperanter projecerint ad omnem contemptum. Sequitur,

10. Manum suam extendit hostis ad omnia desiderabilia ejus: quia vidit Gentes quum ingressæ sunt Sanctuarium ipsius, de quibus præceperas, ne ingrederentur in congregationem tibi. (*hoc est, quæ tibi sacrata est.*)

Iterum deplorat Propheta profanationem omnium sacrorum. Hæc autem querimonia, ut dixi, ex acerbissimo dolore profecta fuit: quia etsi triste esse debuit fidelibus, ejici omnibus fortunis, vagari in exilio, & premi rerum omnium penuria: tamen hoc debuit esse molestius, videre Templum Dei pollui, probris affici totam religionem. Hanc ergo cladem rursus deplorat Propheta quum dicit *hostes manum suam extendisse contra omnia desiderabilia*. Jam per desideria, vel desiderabilia non intelligit opes, non intelligit quicquid pertinet ad statum terrenæ & caducæ vitæ: sed thesaurum illum inæstimabilem, quem deposuerat Deus apud electum populum. *Extendit* ergo *manum hostis* contra Altare, contra Mensam, contra Arcam fœderis, contra omnia vasa sacra. Jam augetur indignitas, *quod* scilicet *viderit Jerosolyma Gentes ingredi in suum Sanctuarium*. est enim relativum fœminini generis. Sed Sanctuarium Jerosolymæ hic vocatur ipsum Templum Dei, quia tametsi proprie loquendo, erat unum Dei Sanctuarium: simul tamen erat populi, quia Deus non propter aliquam suam utilitatem voluerat sibi extrui Templum: spectabat potius salutem populi sui. Vere igitur Sanctuarium populi dicitur, quod Deus sibi sacraverat. Et postea rursus indignitatem auget, *quod Deus prohibuerat gentes illas ab ingressu Sanctuarii*. Atqui illuc perruperant violenter, neque tamen colendi Dei causa ingressi fuerant, quoniam volebat illos ejectos à sancta congregatione: sed irruperant in congregationem, ut Templum violarent, ut etiam prosternerent totum Dei cultum, & prostituerent omnibus ludibriis religionem.

Da omnipotens Deus, quando hodie tam misere videmus affligi tuam Ecclesiam, ut oculos saltem dirigamos ad peccata nostra reputanda: & ita coram solio tuo humiliemur, ut tamen non desinamus bene sperare, & in media morte vitam à te expectemus: & hæc fiducia nobis os aperiat, ut intrepide perseveremus in nominis tui invocatione, per Christum unigenitum Filium tuum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

11. Totus populus ejus gementes, quærentes panem, dederunt desiderabilia sua (*hoc est, quicquid habebant pretiosum*) pro cibo ad revocandum animam: vide Jehovah, & aspice, quia facta sum vilis. (*aut contempta.*)

Hic conqueritur Propheta omnes cives Jerosolymæ fuisse in continuo gemitu ob inopiam, & famem. Primo dicit, *omnes fuisse gementes*: quia nomen Populi est collectivum, ideo utitur plurali numero, נאנחים Dicit ergo *omnes esse in gemitu*: sed rationem simul exprimit, quod quærant panem. Hoc quidem esset omnibus commune, cibum appetere: sed hoc verbo significat extremam inopiam: quasi diceret ipsos mendicasse. Comparat igitur mendicis, qui circumeunt huc atque illuc ad cibum petendum. Dicit etiam *dedisse quæque pretiosissima pro cibo, ut reficerent animam*. Hic clarius exprimitur fames, quia dicit quodammodo passos esse deliquium. alii vertunt, Ad refocillandam animam, quod etiam non male conveniet. Sed voluit haud dubie Propheta notare quasi vitæ defectum quum dicit *eos dedisse quicquid habebant pretiosum*, ut possent animas suas revocare à morte scilicet in vitam. Sequitur precatio, *Vide Jehovah, & aspice, quia facta sum vilis*. Diximus hesterna lectione querimonias à Spiritu Dei fuisse dictatas, quæ fideles humiliarent, & simul erigerent ad bonam spem, & aperirent etiam januam precibus. Alioqui dum homines sibi indulgent in mœrore, seipsos excruciando, simul exasperant: & deinde ex fervore accenditur quædam vesania. Ergo Propheta ut temperet impetum doloris, & fervorem impatientiæ, hic revocat iterum fideles ad precandum. Quum autem rogat Jerosolyma, *ut Deus videat, & aspiciat*, in hac duplicatione subest emphasis: & ratio etiam hoc melius declarat, quod scilicet *facta fuerit vilis*: ubi Ecclesia nihil aliud Deo proponit, quo flectatur ad misericordiam, nisi suas miserias. Non ergo profert in medium sua obsequia, sed tantum deplorat suas miserias, ut ita sibi favorem apud Deum conciliet. Sequitur,

12. Non ad vos omnes qui transitis per viam? Aspicite, & videte an sit dolor sicut dolor meus, qui factus est mihi, quia afflixit me (*vel dolore affecit*) Jehovah in die excandescentiæ iræ suæ.

Principium versus varie exponitur: quidam interrogative legunt, Nihil ad vos, qui transitis per viam? alii simpliciter, Video me non esse vobis curæ, nihil ad vos dolor meus: alii subaudiunt, Grave aut molestum ne sit. alii autem, Ne sit super vos, hoc est, ne idem vobis eveniat quod mihi: ut sit deprecatio juncta blanditiis. Placet mihi interrogatio, *Non ad vos omnes qui transitis per viam?* sæpe enim omittitur litera ה quæ est nota interrogantis. Sed si placeat affirmative legere, non male etiam conveniet sensus, Nihil ad vos qui transitis per viam: quasi inter suas lamentationes defleat Jerusalem eos omnes, qui transeunt, non tangi vel ulla misericordia, vel ullo doloris sensu. Cæterum, compellat *omnes transeuntes viam*, quo melius exprimat cladis suæ magnitudinem. Si enim sermonem dirigeret ad solos vicinos, non esset tanta vehementia: sed ubi homines incognitos alloquitur, hoc modo ostendit tantam esse cladis magnitudinem, ut ad sympathiam movere debeat etiam remotissimos quosque homines, qui tantum iter faciunt. Rogat autem, *ut aspiciant & videant*. Invertitur ordo, quia prius dixerat, Vide Jehovah, & aspice. Illic Deum rogabat Jerosolyma, primum ut oculos conjiceret ad suas clades videndas, deinde ut attente eas consideraret. nunc autem alio sensu dicit, *Aspicite & videte*, hoc est, attenti sitis ut vobis perspicua sit mea calamitas, quæ alioqui posset vos magna ex parte latere. *Aspicite an sit dolor*, inquit, *sicut dolor meus*. Addit, *qui factus est mihi*. quidam active exponunt, Quem intulit mihi Jehovah. Sed rectior est altera versio, quia propius accedit ad verba. Hieronymus vertit, Qui me vindemiavit: & עלל significat etiam vindemiare, nec volo refutare illam interpretationem. Sed quod sequitur idem Hieronymus male vertit, sicuti prius: De quo loquutus est Jehovah, inquit. nam putavit deduci hanc vocem ab הגה, ut dictum fuit, quum sit à יגה, sicuti patet ex litera ו. Non dubium igitur est, quin Ecclesia significet Deum auctorem esse illius doloris, quem deplorat. Et id cognitu necessarium est, ne intemperanter homines abripiantur post luctum, sicuti sæpius contingit. Ipsa enim Dei majestas frenum nobis injicit, quum sentimus nobis cum ipso esse negotium. Non sufficeret quidem hæc simplex & nuda cogitatio, quemadmodum dictum fuit, ubi sentiunt profani homines infligi sibi à Deo plagas, obstrepere adversus eum: & tamen est hoc principium tolerantiæ, & modestiæ, ubi ad Deum ipsum respicimus. Hac igitur ratione dicit Jerosolyma se à Deo fuisse afflictam. Et adjungit, *in die excandescentiæ iræ suæ*. Hic atrocem Dei vindictam exprimere voluit Propheta, quum ponit *excandescentiam iræ*. Vertunt alii furorem חרון: sed quoniam nomen furoris est nimis asperum, non male convenit nomen *excandescentiæ*. Tenemus tamen Prophetæ consilium, quod scilicet horribilis fuerit illa Dei vindicta, acsi ira ejus flagraret contra Jerosolymam: & id melius confirmatur proximo versu.

13. E sublimi misit ignem in ossa mea, & dominatus est ipso: (*est mutatio numeri. refertur quidem ad ossa, sed perinde est acsi diceret, dominatus est ignis in unoquoque ossium*) extendit rete suum pedibus meis, convertit me retrorsum, dedit me (*reddidit me, vel posuit*) vastam, (*vel desolatam*) toto die dolentem. (*vel infirmam.*)

Continuat eandem sententiam Propheta, quod scilicet sævierit vindicta Dei gravissimo impetu contra Jerosolymam. Sed metaphorice dicit *emissum fuisse ignem in ossa sua*. qui Ossa interpretantur arces munitas, enervant quodammodo sententiam Prophetæ. Proprie igitur accipio ossa quasi dixisset penetrasse usque ad intimas partes ignem Dei. nam hæc ratio loquendi frequenter occurrit in Scriptura.

Per

Per *ossa* notatur robur, & virtus: ideo David aliquando deplorat turbata fuisse ossa sua, & contremuisse. *Psal. 6. vers. 3.* Dicit etiam Ezechias in suo cantico, Quasi leo contrivit ossa mea. *Jesa. 38. vers. 13.* Eodem sensu nunc dicit Propheta *ignem emissum fuisse à Deo, qui in ossibus dominaretur*, hoc est, qui non tantum exureret cutem, & carnem, sed ossa etiam ipsa consumeret. nam רדה significat etiam tollere, vel accipere. Sed quia magis recepta est superior expositio, eam libenter sequor, *quod scilicet ignis dominatus fuerit in ossibus.* Jam addit alteram similitudinem, *quod Deus rete expanderit coram pedibus suis*, & ita abstulerit omnem elabendi viam. Significat se illaqueatam fuisse (loquitur enim Jerosolyma) judiciis Dei, ita ut constricta fuerit in ruinam, quemadmodum si cecidisset in plagas vel laqueos. Ponit tertio *se fuisse vastatam toto die: ut assidue doleret.* per *totum diem* notatur continuum tempus. Dicit igitur se doluisse absque fine & modo, quoniam abrepta fuerat plagis Dei retrorsum, & consumpta fuerant ossa igne cælesti. nam particula etiam ממרום emphatica est, quia Propheta intelligit fuisse non vulgarem ardorem, neque humanum. nam quod Deo tribuitur, superat quicquid humanum est, vel terrenum. Perinde est igitur acsi diceret tale esse genus vindictæ, quod repræsentet horribilem Dei potentiam, quia perinde est acsi Deus è cælo fulminaret. Nunc tenemus sensum verborum. Sequitur,

14. Ligatum est (*hic vertit Hieronymus, vigilavit. nam hallucinatus est in puncto duntaxat* נשקד, *& legendum est* נשקד, *quia est punctum sinistrum, quod significat ligare: ligatum est igitur*) jugum iniquitatum mearum in manu ejus, implicitæ sunt, (*vel perplexæ*) ascenderunt super collum meum: corruere fecit (*vel debilitavit*) robur meum: dedit me Dominus in manus eorum, (*est in regimine, & tamen nulla sequitur additio quæ respondeat: sed apparet aliquid esse subaudiendum: in manus ergo hostium*) ex quibus non potero surgere.

Hic Jerosolyma iterum fatetur Deum juste excanduisse. Adscripserat vindictæ Dei, quæ perpetiebatur mala: sed causam iracundiæ nunc exprimit. Dicit igitur *jugum iniquitatum suarum ligatum esse in manu Dei.* quanquam verba reddunt interpretes, tamen non attingunt Prophetæ mentem, quia non expendunt continuam metaphoram. Tenenda igitur sunt duo membra, quod scilicet manus Dei teneat jugum ligatum, deinde quod idem jugum sit implicitum collo Jerosolymæ: quemadmodum si agricola postquam jugum alligavit cornibus boum, retineat habenam, & implicet etiam manui suæ, ita ut boves non modo excutere jugum è suis cornibus non possint, sed cogantur etiam obedire manui, quæ tenet ipsas habenas. Sic etiam dicit jugum iniquitatum suarum esse implicitum. Ego, inquit, sustineo jugum, sed implicitum, & ita colligatum, ut non possit excuti: deinde utcunque ferociam vel calcitrem, Deus tenet jugum illud ligatum in manu sua, ut me coërceat. Nunc ergo videmus quorsum tendant Prophetæ verba, quod scilicet merito excanduerit Deus adversus Jerosolymam, & tanta severitate usus fuerit. Interea exprimitur atrocitas pœnæ, quamlibet justa sit, quia ab una parte conqueritur Jerosolyma jugum impositum esse collo suo, & implicitum ac perplexum: deinde esse ligatum in manu Dei: acsi diceret se ita constringi, ut nulla sit relaxatio. Ab una igitur parte gravitatem suæ cladis luget, sed rursum fatetur se fuisse promeritam quod patitur: & ita seipsam accusat, ne quispiam putet illam obstrepere Deo, quemadmodum fieri solet in luctu. Adjungit, *corruere fecit*, vel debilitavit. כשל significat impingere, est in Hiphil, ut satis notum est. *debilitavit* ergo *virtutem meam: dedit me Dominus in manus hostium, è quibus non potero surgere*, hoc est, ita me subjugavit, & prostravit sub hostium manu, ut nulla sit spes surgendi. Si quispiam interroget, Quorsum igitur precata est, & iterum sæpius precabitur? Hic quum negat se posse surgere, id referri debet ad externum statum. Interea non excludit gratiam Dei, quæ superat omnes humanas rationes. Dicit igitur secundum sensum carnis se esse desperatam, quia nulla sit amplius surgendi ratio. Sed interim non desperat, quin Deus tandem facturus sit incomprehensibili sua virtute, ut exurgat ab illa exitiali ruina. Et hæc loquendi ratio tenenda est: spes enim videt quæ sunt abscondita. Sed interea loquuntur ex communi sensu etiam fideles, & quum videntur desperare, respiciunt quod potest cadere sub mentis suæ judicium vel rationem. Sic ergo dicit nunc Jerosolyma se non posse surgere, nempe nisi Deus virtutem insolitam proferat, & quæ superet omnes humanas rationes. Sequitur,

15. Calcavit omnes fortes meos Dominus in medio mei, vocavit super me diem (*hoc est, edixit statum diem: alii vertunt congregationem: & מועד tam cœtum ipsum significat, quam condictum tempus*) ad conterendos adolescentes meos: (*vel electos*) torcular calcavit Adonai super virginem (*vel puellam*) filiam Jehudah.

Primo dicit *calcatos fuisse omnes fortes suos.* Scimus autem quantopere confisi fuerint Judæi suis viribus usque dum prorsus fuerunt dejecti. Quum igitur tanta superbia insolescerent contra Prophetas, hinc major doloris causa, quum Jerosolyma ipsa vidit se destitui omni præsidio, & fortes illos fuisse calcatos. Dicit *in medio mei.* Et hoc notandum est, quia si cecidissent in acie, si deprehensi fuissent in agris ab hostibus, hoc non adeo fuisset grave: sed in medio sinu Urbis ita prosterni, id vero signum fuit cælestis vindictæ. Videmus nunc hanc circumstantiam loci non esse supervacuam quum dicit Jerosolyma *omnes fortes fuisse prostratos in medio sui.* Jam dicit *tempus fuisse condictum, quo Deus contereret omnes electos*, vel adolescentes *ejus.* Si cui placeat nomen מועד accipere pro congregatione, non admodum repugno: tamen non mihi placet sensus ille, quia videtur esse coactus. Melius ergo quadrat *vocatum fuisse tempus*, hoc est, diem fuisse divinitus edictum ad omnes robustos conterendos. Utitur deinde alia metaphora, *quod Deus calcaverit torcular super filiam Sion.* Hæc etiam translatio alibi occurrit, sicuti Jesaiæ 63. cap. Quis est iste *Jesa. 63.*
qui egreditur ex Edom? & cur rubicundæ sunt ve- *vers. 1.*
stes ejus? miratur enim Propheta quomodo prodeat Deus sanguinolentus è terra Edom. Respondet Deus, Torcular calcavi solus: quia scilicet ultus *Jesa. 63.*
fuerat injurias populi sui. scimus enim Idumæos *vers. 3.*
semper fuisse infensos miseris Judæis. Ergo Deus ut ostendat se esse Ecclesiæ vindicem, dicit se venire ex Edom, & esse aspersum, imo madefactum sanguine, quemadmodum si quis rubicundus sit vino, ubi in torculari laboraverit: ita etiam hoc loco. Adhæc vidimus ultimo capite Jeremiæ Baby- *Jer. 51.*
lonem *vers. 33.*

lonem fuisse quasi aream. Est quidem alia metaphora, sed quæ optime præsenti respondet. Quemadmodum ergo dicitur Deus triturare, vel flagellare, ubi terram aliquam affligit: ita etiam dicitur calcare torcular, sicuti hoc loco. Sequitur,

16. Propter id ego plorans: oculus meus, oculus meus descendunt aquæ, (*hoc est, defluit in aquas*) quia remotus est à me consolator, qui animam revocet: (*vel recreet animam*, משיב) fuerunt filii mei desolati, quia prævaluit hostis.

Multis verbis describit clades Jerosolymæ. sed mirum non est cur Propheta sic extenderit sermonem. scimus enim eos qui graviter premuntur, nunquam sibi satisfacere in luctu, & lamentationibus. præcipue si reputamus quanta fuerit atrocitas malorum, non videbitur nobis verbosus Propheta, neque hæc ejus prolixitas erit nobis fastidio. nam si quis comparet florentem statum Jerosolymæ cum illa deformi ruina, quam Propheta luget, certe nulla verborum congeries satis exprimet id quod est in re ipsa: imo quamvis in speciem hyperbolicæ sint loquutiones, tamen non superarunt rei magnitudinem. Hoc breviter dictum oportuit, ne quis fastidiat tam varios loquendi modos quibus Propheta utitur, quum tamen semel posset dicere Jerosolymam esse perditam. Dicit, *Super hoc ego flebo:* sustinet semper mulieris personam. loquitur enim ipsa Jerosolyma, non autem Jeremias. *Ego* igitur *super hoc flebo: oculus meus, oculus meus descendet in aquas.* alii vertunt, descendent aquæ ex oculis meis. sed nimia diluta est illa expositio. Ego itaque non dubito, quin dicat Jerosolyma oculos suos fore tanquam fontes. Loquitur quidem in singulari numero, sed bis repetit, *Oculus meus, oculus meus* descendet ac defluet tanquam aquæ, hoc est, acsi essent duo fontes: *Quoniam à me alienatus est*, vel procul à me factus est *consolator, qui recreet animam.* Significat his verbis se deficere, & quasi evanescere: interea neminem adesse, qui solatium adhibeat, quo possit anima refocillari: quemadmodum ante visum fuit, inter extrema mala hoc merito censeri, ubi nullus est amicus, qui pro humanitatis officio studeat mœrorem levare. Iterum igitur hanc querimoniam repetit Jerosolyma. dicit etiam *omnes filios suos fuisse perditos, quoniam hostis prævaluerit.* Sequitur,

17. Expandit Sion in manibus suis, (*id est, manus suas: vel complosit manibus suis: alii vertunt, confregit*) nullus consolator ei: mandavit Jehovah super Jacob per circuitus ejus adversarios ejus: facta est Jerusalem in abominationem inter ipsos. (*vel tanquam*
Levit. 20. *immunda, vel menstruata:* נדה *enim vocatur mulier menstruata apud Mosen.*)
vers. 18.

Primo dicit Propheta *Jerosolymam expandisse manus*, in signum mœroris, vel ut ab omni parte accerseret amicos suos, quemadmodum ubi volumus ad miserationem commovere homines, expandimus brachia. Miror quid venerit quibusdam in mentem, ut dicerent Jerosolymam fregisse panem suis manibus. hoc est nimis puerile: & qui vertunt fregisse suis manibus, etiamsi intelligant manibus complodere, tamen dura est illa loquendi forma. Retineo igitur proprium sensum, *quod expanderit Jerosolyma suas manus.* Significat etiam פרש dispergere; sed haud dubie intelligit Propheta expansionem manuum, quemadmodum si diceret Jerosolymam instar esse mulieris lugentis suas clades, & undique advocantis amicos suos, ut aliquid solatii accipiat. Et ex contextu licet colligere hunc esse Prophetæ sensum, *Sion*, inquit, *expansis manibus advocat amicos: atqui nullus est ei consolator.* hæc enim conjunctim legenda sunt, *quod expanderit Sion manus suas*, & tamen nemo responderit qui levaret solatio ejus mœrorem. Sequitur, *Jehovam mandasse super Jacob per ejus circuitus, ut adversarii ita eum affligerent.* Rursus Propheta admonet non humanitus hæc mala contigisse, sed quia Deus obstinatam populi impietatem hoc modo punire voluerit. Itaque ne evomant suum dolorem Judæi adversus Chaldæos (quemadmodum fieri solet,) revocat eorum mentes ad ipsum Deum, & dicit Chaldæos, quamvis crudeliter sæviant, nihil tamen agere proprio motu, sed Dei mandato. Adjungit, *per circuitus*, ut agnoscant Judæi nullum esse effugium, quia Deus teneat ipsos conclusos. Nam possumus multis modis elabi ex manibus hominum: sed ubi Deus nobis infensus est, frustra captabimus omnes latebras. Subterfugia igitur Propheta docet nihil prodesse Judæis, quoniam Deus omni ex parte ipsos constrictos teneat. Tandem dicit *Jerusalem fuisse quasi mulierem menstruatam*, vel fuisse in abominationem. nam נדה accipitur etiam pro immunditia, & abominatione. est substantivum nomen sæpe: & libenter ita interpretor, quod Jerusalem fuerit reputata tanquam sordes: quasi diceret Propheta, ideo nihil fuisse humanitatis, vel moderationis in hostibus, quia Judæi non sunt habiti hominum loco, sed tanquam quisquiliæ, vel tanquam fœtidæ aliquæ sordes. Cæterum, si id contigit veteri Ecclesiæ, ne miremur si etiam hodie nobiscum severius quam optemus agat Deus. Est quidem hoc valde acerbum, videre sic afflictam Ecclesiam, ut impii insultent ejus cladibus, & filios Dei esse tanquam ramenta, & spurcitiem mundi. sed feramus patienter hanc nostram conditionem: & quum ita contumeliose ab hostibus tractamur, sciamus Deum pœnas de nobis exigere, & ipsos impios nihil agere nisi Dei impulsu, quia hoc modo vult examinare fidem nostram, adeoque se ostendere justum judicem: quia si reputemus quam variis modis, & quam obstinate provocaverimus ejus iram, non mirabimur si etiam hodie sumus quasi in abominationem, & quasi anathema. Sequitur,

18. Justus ipse Jehovah, quia os ejus exacerbavi. Audite agedum omnes populi, videte dolorem meum: virgines meæ, & adolescentes mei profecti sunt in captivitatem.

Iterum agnoscit Jerosolyma, & clarius exprimit se dare justas pœnas. Prius confessa fuit Dei mandato hostes ita crudeliter sævire, sed oportuit rursus causam illius sævitiæ notari, nempe quod nimis diu iram Dei provocaverat. Primo dicit *Deum justum esse, quoniam exacerbaverit os ejus.* per *os Dei* intelligitur doctrina Prophetica, ut satis notum est. Sed emphatica est loquutio, quia ubi sermo Dei resonat in ore Prophetarum, despicitur quasi inanis sonitus. Quoniam ergo non tribuitur sua majestas doctrinæ Propheticæ, Deus *os suum* nominat quicquid servi sui pronunciant. hæc loquutio sumpta est ex Mose, apud quem frequenter occurrit. *Justus* ergo *Jehovah.* quare? *nam exacerbavi os ejus.* Gravius autem fuit, & minus excusabile, exacerbare os Dei, quam simpliciter Deum offendere. Impii sæpe Deum offendunt, sed labuntur ignorantia. ubi autem Dominus os suum dignatur aperire, & revocare errantes, & viam

salutis

salutis ostendere, & tunc quasi ex professo ruunt homines in scelera: hæc certe extrema est nota impietatis. Tenemus ergo cur Propheta *os Dei*, vel doctrinam Propheticam exprimat, nempe ut crimen Jerosolymæ exaggeret, quæ ita contumaciter sprevit Deum in suis Prophetis loquentem. postea rursus deplorat magnitudinem cladis suæ. Convertit ergo sermonem ad omnes populos, *Audite agedum omnes populi, videte dolorem meum.* Et quænam est ista magnitudo tanti doloris? nempe, inquit, *quod virgines meæ, & adolescentes mei tracti sunt in captivitatem.* Videri posset hoc leve. nam sermo ante habitus fuit de aliis cladibus, quæ longe erant atrociores: exilium vero per se est mediocris pœna. Sed tenendum est quod ante diximus, Judæos habitasse in illa terra acsi illic essent collocati Dei manu, ipsam Jerosolymam fuisse perpetuam quietem, quæ divinitus illis fuerat concessa: denique fuisse quasi pignus paternæ hæreditatis. Quum ergo ita in captivitatem abducti essent, perinde erat acsi Deus ipsos detraheret è cælo & ejiceret à regno suo. Privari enim non poterant Judæi illa terra, quin Deus ipsos rejiceret, & ostenderet à se alienos. Tantundem ergo erat, acsi eos abdicaret à se. Ideo non mirum si tantopere luget Jerosolyma *filios suos & filias suas tractas fuisse in exilium.*

Da omnipotens Deus, quando hactenus tam clementer nobiscum egisti, ut saltem præveniamus horribile tuum judicium: quod si durius nos castiges, ne tamen deficiamus, sed humiliati sub potenti tua manu confugiamus ad tuam misericordiam, & spem illam foveamus in animis nostris, te fore nobis Patrem: nec dubitemus te assidue invocare, donec liberati omnibus malis, tandem colligamur in cæleste tuum regnum, quod nobis peperit sanguine suo unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

19. Clamavi ad amicos meos, ipsi deceperunt me: Sacerdotes mei, & seniores mei in urbe obierunt, quia quæsierint cibum sibi, & refocillarunt (*ad verbum: hoc est, ut refocillarent*) animam suam. (*ad verbum, ut redire facerent, quemadmodum Gallice dicimus, faire revenir le cœur.*)

Hic conqueritur populus Dei in persona mulieris, ut ante visum est, se in clade destitui omni solatio. Hæc autem circumstantia auget dolorem, ubi nemo adest miseris, qui ostendat signum aliquod benevolentiæ. Hæc enim non parva est doloris mitigatio, ubi amici saltem offerunt suum officium, & quantum in se est, student levare gravitatem mali. Dicit autem Ecclesia Dei se ita derelictam ab amicis, ut contabuerit sola in suo luctu, & mœrore. Potest tamen esse allusio ad turpes & impuros amores, quia hoc nomine sæpe designat Spiritus tam Ægyptios, quam alios, quibus stulte confisi fuerant Israelitæ. nam hoc modo scimus eos deflexisse à fide sacri conjugii. Deus enim eos sibi devinxerat, ut in sola ejus gratia acquiescerent: atque hæc erat spiritualis eorum castitas. Merito itaque Scriptura comparat scortationibus tam Ægyptios, quam Assyrios, quoties Israelitæ putarunt sibi apud ipsos aliquid fore auxilii. Sed quia forte illa expositio nimis esset arguta, contentus ero querimonia illa simplici, quod scilicet populus Dei quum in omnes partes circumspiceret, nihil tamen reperire solatii potuerit in mundo. *Clamavi*, inquit, *ad amicos meos, ipsi deceperunt me.* jam adjungit, *Sacerdotes mei, & seniores expirarunt in urbe.* Si in acie fuissent occisi, non erat mirum. nam qui ad hostem pergunt, quasi occurrunt morti. Sed hic deplorat populus Dei gravius malum, quod in urbe ipsa mortui fuerint Sacerdotes, neque occubuerint gladio hostili, sed fame, quod est quasi extremum malorum. Dicit igitur tam Sacerdotes, quam seniores confectos fuisse fame, quia cibum reperire non potuerint. Et quum dicit *eos quæsisse ad refocillandam animam*, subest antithesis inter ordinarium cibum, & remedium famis. natura enim cibum appetimus quoties sentimus nos esse vacuos. Sed hic aliquid majus notat Propheta, quod scilicet *Sacerdotes & seniores quæsierint cibum* quum urgeret ipsos longa inedia: & fuit illud longe tristius, quod Sacerdotes, qui honore pollebant, una cum senioribus, cibo tamen indiguerint. Si id plebeiis hominibus accidisset, non fuisset mirum. longa enim Urbis obsidio consumpserat omnem annonam. Sed quum Sacerdotes, & alii qui opibus præditi sunt, ita esuriunt, hinc colligitur extrema necessitas, quam voluit exprimere Propheta. Sequitur,

20. Vide Jehovah, quia afflictio mihi, (*vel angustia*) viscera mea conturbata sunt, (*alii, contracta*) eversum est cor meum intra me, quia rebellando rebellavi: foris orbat gladius, domi tanquam mors.

Iterum convertit se populus Dei ad preces: & quod ante dictum fuit, memoria repetendum est, nempe differre istas lamentationes Jeremiæ à profanis querimoniis: quoniam fideles primo agnoscunt se juste castigari Dei manu: deinde confisi ejus misericordia, implorant auxilium. Nam his duabus notis discernitur Ecclesia ab incredulis, nempe pœnitentia, & fide. Commune est omnibus gemere, & lugere in rebus adversis, & deflere etiam suas ærumnas. Sed longe differunt filii Dei ab impiis, quia humiliant se subforti ejus manu, & fatentur se meritas dare pœnas: deinde non abjiciunt spem salutis, sed implorant ejus misericordiam. Iterum ergo Propheta inducit populum Dei orantem *ut Deus respiciat.* Nam impii profundunt in aerem suas querimonias: & si quando dictat illis naturæ sensus, ut nomen Dei proferant: tamen nullæ preces oriuntur ex sincero affectu cordis. Nec dubium est, quin Propheta hic ostenderit fidelibus quomodo lugendæ essent communes miseriæ, nempe ut patienter ferrent Dei castigationes: deinde peterent nihilominus ab ipso salutem, quamvis ejus iram provocassent. Nam ubi sentimus Dei manu nos premi, non obstrepimus, sed cognitio scelerum nostrorum nos humiliat, fides autem temperat luctum nostrum, qui alioqui modum excederet. Et quum ita suppliciter ad Deum confugimus, quodammodo exoneramus nostros dolores in ejus sinum, quemadmodum
dicitur in Psalmo, Projice, vel devolve in Deum *Psal. 55.*
curas tuas. Primo ergo dicit, *Respice Jehovah, quia* *vers. 23.*

afflictio mihi. exprimit modum afflictionis, *quod* scilicet *viscera ejus constricta sint*, vel conturbata: à verbo חמר, quod hic duplicatur. quidam deducunt ab asino, חמר, & ita vertunt Constringere, quemadmodum ubi alligantur sarcinæ asino. Sed probabilis est eorum sententia, qui deducunt à luto, vel à cæmento. quemadmodum enim conficitur cæmentum turbando aquam cum calce, & cum arena, sic etiam per metaphoram apte dicuntur viscera turbari: & illa expositio melius quadrat, quoniam paulo post sequitur, *cor eversum esse.* Additur ratio, *quod populus rebellando rebellaverit*, hoc est, fuerit nimium rebellis Deo. Diximus differre querimonias piorum à profanis, quia non modo Deum implorant, sed afferunt simul confessionem ingenuam, ut ita palam fiat, juste ipsos Dei manu castigari. Initio versus precati fuerant fideles: nunc vero iterum repetunt, se quas meriti erant pœnas dare, *quod* scilicet *nimium fuerant rebelles.* Postea prosequitur Jeremias quod dicere cœperat de gravitate pœnarum: *Foris*, inquit, *orbat gladius, domi autem est tanquam mors*; hoc est, si egredimur in apertum, statim gladius occurrit, si autem domi latemus, etiam illic nos multæ mortes obsident. utitur enim nota similitudinis, quasi diceret nihil domi occurrere nisi mortale. Jam sequitur,

21. Audierunt quod sim gemens, (*hoc est, quod sim in luctu*) nec quisquam consolator mihi: omnes inimici mei audierunt malum meum, gavisi sunt quod tu feceris, & adduxeris diem, quem tu vocasti: atqui erunt sicuti ego.

Bis ponitur verbum שמעו, sed initio ponitur sine subjecto. Oratio igitur est defectiva, donec in secundo membro exprimitur substantivum, איבי. Dicit in summa Jeremias, *hostes audisse* quibus malis premeretur populus, nempe *quod esset in gemitu, nec quisquam humaniter adesset*, quemadmodum solemus miseris operam nostram & officium deferre. Hac circumstantia amplificat pœnæ atrocitatem, quod nullus fuerit qui solatium adhiberet, quemadmodum paulo ante dictum fuit. Sed secunda amplificatio est, *quod hostes audierint.* Nam quia nihil acerbius est contumeliis, cupimus in rebus adversis quodammodo nos subducere ab oculis hominum: præsertim vero malum nostrum duplicatur, ubi sumus hostibus spectaculo. Captant enim materiam lætitiæ ex rebus nostris adversis: eam vero nacti insultant. Ergo quum electus populus dicit, *hostes audisse*, hoc modo ostendit nihil posse accedere ad suas miserias. *Audierunt* ergo *quod sim in gemitu*, & quod nemo sit consolator mihi. quinam *audierunt? omnes hostes mei*, inquit, *& gavisi sunt quod tu feceris.* Videtur innuere Jeremias, hostes quia persuasi erant Deum infestum esse populo, ideo liberius fuisse gavisos, quoniam simul statuerent actum esse de miseris illis, quibus Deus esset infestus. sed nescio an illud satis sit firmum. Ego quidem non repudio, & si quis ita sentiat, non contendam: nempe hostes fuisse gavisos, quia putabant Deum esse hostem populi illius, quem prius elegerat, & quem etiam protexerat: nec sane adeo male conveniet. tunc enim plenos triumphos agunt reprobi, dum jactare possunt Deum nobis esse adversum. sed quamvis nulla illis cogitatio talis veniat in mentem, non desinunt tamen gloriari quum vident nos jacere oppressos. Ergo quamvis non reputent manum Dei, gaudent tamen *quod Deus fecerit*, hoc est, quod afflicti simus, utcunque non intelligant quisnam sit auctor. Simpliciter ergo ita accipere licebit, quod hostes Ecclesiæ gavisi fuerint illius clade, quamvis non expenderent Deum esse illius auctorem. Cur autem exprimitur, *Deum fecisse?* nempe quia dum impii existimant fortunam nobis esse infestam, nostrum est oculos conjicere in Deum: quia non debemus judicium facere ex cæco illorum sensu. Quamvis ergo non tribuant Deo justam gloriam ubi etiam non agnoscunt esse judicem, nostrum est semper fidei oculis inspicere quod sensus humanos latet ac fugit, nihil nobis accidere nisi justo Dei judicio. Quamvis ergo hostes non ita acute considerarent unde affligeretur Ecclesia: tamen ex fidei sensu sic Ecclesia debuit loqui, *Deum* scilicet *fecisse. Gavisi sunt* igitur *quod tu feceris*: deinde, *quod tu adduxeris diem quem tu vocasti*, vel indixisti. nam קרא, significat etiam aliquando indicere. In summa, fideles jam fatentur non tantum se affligi Dei manu, sed etiam compleri quod toties minati fuerant Prophetæ, & quod fuerat contemptum. Vidimus enim quanta pertinacia populus ille respueret omnes minas Propheticas. Deus sæpius illos hortatus fuerat ad pœnitentiam, deinde tempus etiam illis indixerat, sed sine profectu. Nunc igitur fideles secum reputant quod ante non fuerat satis cognitum, nempe jam adductum esse diem illum, qui sæpius indictus fuerat. Et hoc modo fatentur, non tantum se dignos esse talibus pœnis, sed opportunum esse tempus, quo castigentur, quandoquidem non resipuerant toties admoniti. Adjungit, *Ipsi vero erunt tanquam ego.* hic potest Futurum verbum resolvi in Optativum tempus, quemadmodum mox sequetur precatio, quæ confirmabit hunc sensum: Sed possumus etiam simpliciter exponere, quod fideles animos suos erigere incipiant, dum expectant tempus quo Deus reprobis etiam superbas illas & contumeliosas insultationes rependat. Sequitur,

22. Veniet (*aut, veniat*) omnis malitia eorum in conspectum tuum, & facias illis, quemadmodum fecisti mihi super omnibus sceleribus meis: quia multa suspiria mea, & cor meum debile. (*vel mœstum.*)

Hic dubium non est, quin fideles ponant in parte sui solatii judicium, quod tandem exercebit Deus contra impios: dubium etiam non est, quin hoc genus imprecationis Spiritus sanctus dictaverit filiis Dei, ut se sustineant dum urgentur gravibus miseriis: non quod laxet Deus hoc modo illis frenum, ut vindictam de hostibus appetant: sed dum pereunt qui sua malitia sunt perditi, ex illorum interitu spem salutis concipiant: sicuti Dei ultio contra reprobos, paterni erga electos favoris signum secum trahit. Et quo melius sciamus quid sibi velit hæc imprecatio, notandum primo est, non posse nos conqueri de hostibus, nisi nobis sint communes cum Deo. Nam si quempiam læserim, & ille impulsus iracundia mihi sit molestus, non poterit patere aditus querimoniæ meæ ad Deum: & frustra integumentum petam ab hoc exemplo. quare? nam quemadmodum dixi, quoties prodimus in Dei conspectum, necesse est hostes nostros esse illius hostes. Sed nondum id sufficeret, nisi simul accederet purus zelus: quia ubi persequimur privatam nostram causam, necesse est aliquid esse turbulentum in votis nostris. Sciamus ergo posse nos imprecari hostibus nostris, si primo sunt Dei hostes: deinde, si nosipsos non respicimus, neque agimus causam nostram, sed suscipimus potius, deposito omni turbulento affectu, causam salutis publicæ: præsertim vero si fervor noster nascitur ex studio gloriæ Dei. Hoc modo igitur poterimus sumere precandi formam, quæ nobis hic ostenditur à Propheta. Sed quoniam de hac re alibi di-

ctum

ctum fuit, & sæpius, & satis copiose, ideo nunc leviter perstringo. Dicit igitur, *Veniat omnis malitia eorum in conspectum tuum:* deinde, *Fac eis sicut fecisti mihi.* Hic rursus fideles recipiunt in se culpam omnium malorum, quæ sustinent. Neque enim expostulant cum Deo, sed tantum precantur, ut sit totius mundi judex, quo tandem impii quoque suas vices habeant, ubi Deus placatus fuerit erga filios suos: imo postea clarius exprimunt se meritos fuisse quicquid fuerant perpessi, *super omnibus sceleribus meis*, dicunt. postea adjungunt, *Quia multa suspiria mea, & cor meum debile.* Videmus in summa, fideles suppliciter suas preces prosternere coram Deo, & interea fateri sibi fuisse repensum quod meriti erant: tantum objiciunt Deo extremum suum dolorem, angustias, mœrorem, lachrymas, gemitus. Hæc igitur ratio est placandi Dei, ubi ingenue agnoscimus nos esse obnoxios ejus judicio: deinde ubi jacemus veluti confusi, & interea audemus ad ipsum assurgere freti sola misericordiæ ejus fiducia. Sequitur nunc secundum Canticum.

CAP. II.

QUomodo obnubilavit in iracundia sua Dominus filiam Sion! projecit à cælo in terram decorem Israël! & non recordatus est scabelli pedum suorum in die iracundiæ!

Iterum Propheta per admirationem exclamat, rem incredibilem accidisse, & quæ similis esset prodigii. erat enim hoc primo intuitu valde absurdum, populum, quem Deus non tantum complexus fuerat suo favore, sed cum quo fœdus perpetuum pepigerat, ita ab ipso deseri. Nam quamvis centies perfidi sint homines, Deus tamen non mutatur, sed constanter manet in fide: & scimus fœdus ejus non fuisse suspensum ab hominum meritis. Ergo qualiscunque esset populus, debuit tamen Deus stare in proposito, neque abolere promissionem Abrahæ factam. Jam quum redacta esset Jerosolyma in vastitatem, fuit quædam abolitio fœderis Dei. Non mirum igitur est si Propheta hic tanquam ad portentum aliquod exclamet, *Quomodo fieri potest ut Deus obnubilaverit*, &c. Interim tamen notandum est, Prophetam hic non velle quicquam detrahere fidei, aut constantiæ Dei: sed ita expergefacere suos populares, qui alioqui obtorpuerant in sua socordia. Etsi enim malorum onere erant quasi oppressi, tamen in sua contumacia obduruerant. atqui fieri non potest, ut quisquam Deum vere invocet, nisi qui debilitatus est animo, & qui affert sacrificiom illud, de quo diximus, nempe spiritum anxium & contritum. *Psal. 51. vers. 19.* Voluit igitur Propheta mollire duritiem illam, quam sciebat esse in toto fere populo. Hæc ratio est cur exclamet per modum admirationis, *Quomodo Deus obnubilavit.* quidam vertunt, Quomodo extulit. quod tolerabile est, modo ne sumatur in bonam partem, quia dicitur, *in iracundia sua:* sed conjunctim hæc legenda erunt, Efferre & projicere. Nam si quis velit conterere vas aliquod testaceum, non modo dejiciet in terram, sed brachium suum attollet, quo ictus sit violentior. Possumus igitur accipere hoc sensu, quod Deus dum volebat maximo impetu conterere populum suum, extulerit ipsum, non honoris causa, sed quo gravius allideret in terram. Quoniam tamen sensus ille forte esset argutior, contenti sumus illa expositione, *quod Deus obscuraverit filiam Sion in iracundia sua.* deinde sequitur explicatio, *quod projecerit è cælis in terram.* Ita ergo obduxit Deus caliginem populo suo quum detraxit ex illa sublimi dignitate qua ad tempus floruerat. *Dejecit* ergo *in terram omnem gloriam Israël*, inquit, *& non est recordatus scabelli pedum suorum.* Videtur hic Propheta oblique cum Deo litigare, quod non pepercerit suo Sanctuario. Nam Deus, ut nuper dictum fuit, elegerat sibi montem Sion, volebat illic invocari, quia illic statuerat memoriam nominis sui. Quod ergo Sanctuario suo non pepercit, videtur id minime esse consentaneum ejus constantiæ: deinde visus est hoc modo negligere suam gloriam. Sed consilium Prophetæ est, potius ostendere populo quantopere ira Dei accensa fuerit, ubi ne Sanctuario quidem suo pepercit. Sumit enim illud principium, Deum neque temere irasci, nec modum excedere in pœnis. Ergo quum eo usque exarsit Dei vindicta, ut Templum etiam suum voluerit dirui: hoc signum est horribilis iracundiæ. unde autem, nisi ex hominum sceleribus? nam quemadmodum dixi, Deus semper moderationem servat io suis judiciis. Non potuit ergo melius exprimi populo gravitas iniquitatum, quam ubi Propheta hoc in medio posuit *Deum* scil. *non esse recordatum scabelli pedum suorum.* dicitur autem Templum scabellum pedum Dei optima similitudine. Vocatur quidem sæpe domicilium ejus: nam Scriptura loco Templi sæpius usurpat nomen domus. Templum igitur fuit domus, & statio, & quies Dei. Sed quia homines ad superstitionem plus satis propensi sunt, Scriptura ut mentes eorum erigeret supra terrena elementa, ex opposito etiam admonuit, *Templum esse scabellum pedum Dei:* sic Psalmo nonagesimo nono, Adorate scabellum pedum ejus. *Psal. 99. vers. 5.* deinde Psalmo centesimo trigesimo secundo, Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus. *Psal. 132. vers. 7.* Videmus ergo duas loquutiones in speciem diversas optime congruere, quod scilicet Templum sit domus Dei, & statio: & sit duntaxat scabellum pedum domus est Dei quia illic experti sunt fideles se habere eum præsentem. Quoniam ergo Deus signa dabat suæ præsentiæ, merito Templum habuit nomen domus, & quietis, & stationis. Sed ne fideles defigerent sensus suos in illud visibile Sanctuarium, atque ita impliciti crassa imaginatione delaberentur ad superstitionem, & fingerent sibi idolum loco Dei: ideo Templum vocatum fuit *scabellum pedum Dei.* Nam si erat scabellum, oportuit fideles altius assurgere, & agnoscere, Deum vere quæri, si seorsus suos supra mundum attollerent. Nunc ergo tenemus quid sibi velit hæc loquutio. Jam dicitur *Deus non recordatus Templi sui*, non quod abjecerit prorsus ejus curam, sed quia excidium Templi non potuit aliam afferre opinionem hominibus. Quicunque ergo videbant Templum impuris manibus exuri, & dirui postquam spoliatum fuerat, illi putabant Templum desertum esse à Deo: & ita etiam per Ezechielem loquitur. *Eze. 10.* Refertur ergo hæc oblivio ad sensus hominum, quia utcunque memor sit Deus Templi sui, videtur tamen ad tempus id non respicere. Interea tenendum est quod dixi, nempe hic Prophetam non intendere Deo litem, vel cum ipso jurgari: sed potius ostendere quid populus sit meritus, quia eo usque excanduit Deus contra scelera, ut Templum etiam suum profanaret. Idem etiam sequitur de Regno.

2. Perdidit Dominus, non pepercit, (*hoc est, non parcendo, absque venia*) omnia habitacula Jacob: diruit in excandescentia sua munitiones filiæ Jehudah, detraxit ad terram: profanavit regnum ejus & Principes ejus.

Prosequitur eundem sermonem, sed aliis verbis. Primo dicit *Deum sine venia perdidisse omnia habitacula Jacob*: alii vertunt omnem pulchritudinem, vel decorem. Sed melius quadrat altera expositio, *quod perdiderit omnia habitacula Jacob*: deinde, *quod diruerit in excandescentia*: nomen hoc deducitur ab excessu: sed scimus transferri in Deum omnia nomina iracundiæ, licet improprie. *Deus* ergo *in violenta sua iracundia diruit omnes munitiones*, inquit, *& detraxit ad terram*: postea, *profanavit*. Respondet hæc profanatio regni, & Principum superiori sententiæ, ubi dicebat Deum non recordatum fuisse scabelli pedum suorum. scimus enim regnum illud fuisse Sacerdotale, & sacrum Deo. Quum ergo pollutum fuit, sequitur Deum quodammodo exposuisse nomen suum opprobrio, quia hoc modo apertum erat os omnibus impiis, ut proterve in eum evomerent suas contumelias. Quod ergo nec Regno, nec Templo pepercit Deus, hinc sequitur horribilem fuisse ejus iram contra Judæos. Jam quum sit justus judex, sequitur, tantam fuisse magnitudinem scelerum, ut Judæi sustineant culpam extremi sacrilegii, quia scilicet eorum sceleribus factum est, ut Dei nomen expositum fuerit impiorum contumeliæ tam in Templo, quam in Regno.

Da omnipotens Deus, quando hodie nobis proponis vetera exempla in quibus cernimus quam gravibus pœnis castiges eos etiam quos adoptasti, ut discamus in nos respicere, & diligenter examinare totam vitam nostram: & sic reputemus quam indulgenter nos ad hunc usque diem sustinueris, ut patienter semper feramus tuas castigationes, & humiliati sincero corde simul confugiamus ad tuam misericordiam, donec Ecclesiam tuam à misera dissipatione, in qua hodie jacet, erigas, & ita restituas ut glorificetur nomen tuum per totum orbem in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

3. Confregit in excandescentia iræ suæ omne cornu Israëlis: retraxit (*vel redire fecit*) retrorsum dexteram suam à facie inimici, & exarsit in Jacob tanquam ignis, flamma devoravit in circuitu.

Variis loquendi formis rem unam exprimit Jeremias, sed in hunc scopum tendunt omnia, & referri debent, extremum fuisse vindictæ Dei exemplum, quum populus una cum Urbe, & Templo periit. Notandum autem est, hic Deum constitui cladis auctorem: alioqui Propheta frustra lamentatus fuisset super interitu patriæ suæ: sed ut in omnibus rebus adversis, agnoscit Dei manum, postea suis locis adjungit justam fuisse Deo causam, cur tam graviter excandesceret contra populum suum. dicit ergo *confractum fuisse à Deo omne cornu*. Scimus tam robur quam excellentiam hac voce designari: & utrumque libenter complector hoc loco. Quanquam verbum Frangendi potius exponi debet de robore, aut potentia. Sed plenus sermo notandus est, *Deum fregisse omne cornu in excandescentia iræ suæ*. Significat autem Propheta Deum non iratum fuisse populo suo, acsi offenderetur levibus delictis, sed fuisse insolitum iracundiæ modum: quia scilicet eo usque proruperat populi impietas, ut mediocris non posset esse Dei offensio. ergo per *excandescentiam iræ* non intelligit Propheta excessum aliquem, acsi Deus violento impetu prorupisset ad vindictam: sed potius significat populum usque adeo fuisse sceleratum, ut Deus non debuerit vulgari modo pœnas exigere de tam desperata impietate. Deinde adjungit *Deum retraxisse manum suam dexteram à facie inimici, & simul illam fuisse accensam instar ignis, cujus flamma corripuerit omnes partes*. Duo hic significat Propheta, nempe quum Deus solitus esset auxiliari populo, & se opponere hostibus, quemadmodum semper opportune experti fuerant ejus opem in ultimis periculis, tamen nunc populum relinqui & destitui omni spe. prius ergo membrum hoc continet, Deum non fore liberatorem populi sicuti antea, quoniam eum deseruerit. Figurate autem loquitur, *quod Deus retraxerit manum dexteram*. dextera autem Dei accipitur pro defensione, ut satis notum est. Sed Prophetæ sensus minime est obscurus, nempe posthac non esse sperandum, ut Deus occurrat hostibus, & ita populum suum servet incolumem, *quia manum suam retraxit*. sed additur alterum, nempe *manum Dei exarsisse instar ignis*. Jam illud per se grave erat, populum sic rejectum esse à Deo, ut nihil inde opis esset expectandum: sed hoc alterum durius est, nempe ubi armatus prodit in medium, ut populum suum perdat. Et similitudo ignis notanda est: nam si dixisset dexteram Dei fore adversam populo, non tam emphatica fuisset loquutio: ubi autem dexteram Dei igni comparat, qui ardebit, & cujus flamma consumet totum Israelem, hoc longe est formidabilius. Cæterum, his verbis admoniti fuerunt Israëlitæ non esse lugendas suas calamitates vulgari hominum more, sed potius debere expendi causam omnium malorum, quia iram Dei in se provocaverant, neque id simpliciter, sed ut Deus sæviret atroci modo, & insolito contra ipsos, & tamen juste, ut non esset illis causa obstrependi. Sequitur,

4. Extendit arcum suum tanquam inimicus, stetit dextera ejus tanquam adversarius, & occidit omnes desiderabiles aspectu: (*oculo*) in tabernaculo filiæ Sion (*vel in tabernaculum filiæ Sion*) effudit tanquam ignem iracundiam suam.

Alia nunc figura utitur, quod scilicet Deus qui solebat populum suum protegere, nunc arma contra ipsum susceperit. Per synecdochen arcus hic comprehendit alia omnia tela. quum ergo dicit *Deum extendisse arcum*, id tantundem valet atque armatum esse. arcus ergo, quemadmodum vidimus, designat quodlibet telorum genus. postea addit *dexteram ejus stetisse instar adversarii*. Hic plenius descri-

bit

bit quod prius attigerat, nempe Deum non modo permittere populum suum hostium libidini, sed ipsum dare signum hostibus, & præire armata manu. Nec dubium est, quin per Dei dexteram intelligat omnes hostes: quia oportuit diligenter inculcari populo, bellum non fuisse illatum à Chaldæis, nisi quia Deus statuerat ulcisci populi scelera, præsertim perditam obstinationem: quia nihil omiserat ut populum revocaret in viam. Quoties ergo hic fit Dei mentio, sciamus populum moneri, quemadmodum paulo ante attigi, sibi negotium esse cum Deo, ne evanescat in suis cogitationibus, vel adversam fortunam sibi fuisse putet, vel somniet alias malorum causas, ut solent homines hac in parte ingeniosi esse ad se fallendos. & hoc clarius videbimus quum postea dicet Deum cogitasse, ut perderet murum Jerusalem: cogitatio enim illa tantundem valet atque decretum. Plenius ergo illic Propheta exprimit quod hic tamen perpetuo contextu notandum est. Deum scilicet in medium proponi, ut discat populus sese humiliare sub forti ejus manu. non fuit quidem conspecta Dei manus, sed docet Propheta non considerandos esse duntaxat Chaldæos, quin potius fidei oculis debere inspici occultam Dei manum, qua cæguntur. illa igitur fuit Dei manus quæ stetit contra populum. Deinde sequitur, *Occidit omnes electos*: alii vertunt, omnia desiderabilia. sed videtur commodius exponi de hominibus ipsis: quasi diceret florem populi extinctum esse Dei manu *in tabernaculo filiæ Sion.* quanquam melius cohæret hoc membrum cum fine versus, *quod in tabernaculum filiæ Sion profuderit Deus iram suam*, vel iracundiam, *tanquam ignem.* Iterum similitudinem illam repetit de qua loquutus fuerat proximo versu: & hoc diligenter notandum est, quia per Jesaiam minatur Deus se fore ignem, qui devoret hostes, Erit lux Israëlis in ignem, & Sanctus ejus in flammam ignis, & absumet vepres omnes, & sylvas: minatur illic Deus Chaldæis: quasi diceret formidabilem fore ejus vindictam, ubi tanquam populi sui patronus & defensor congredi volet cum Chaldæis. vocat illic se lucem Israëlis, & sanctum: & hac ratione dicit se fore instar ignis, & flammæ contra Chaldæos. quid autem hoc loco? quod scilicet *Deus profuderit tanquam ignem suam iracundiam*, quod *flamma ejus devoraverit per circuitum quicquid erat pulchrum aspectu in Israële.* Videmus ergo ut populus in se provocaverit vindictam Dei, quæ alioqui prompta fuisset contra hostes: & ita duplicatur culpa populi. Sequitur, *Jesa. 10. vers. 17.*

5. Fuit Dominus tanquam hostis, perdidit Israëlem, perdidit omnia palatia ejus, corrupit munitiones ejus, auxit in filia Jehudah fletum & lamentationem.

Videri posset supervacuus sermo dum toties repetit Propheta Deum fuisse tanquam hostem populo suo: sed postea videbimus quum ad extremum usque essent afflicti, tamen non reputasse unde exorta esset illa clades. Quoniam ergo sic obstupuerant in suis malis ut non converterent oculos ad Deum, hac ratione sæpius fuerunt urgendi & stimulandi, ut tandem sentirent in suis malis Deum judicem. Quoniam autem doctrina hæc difficilis fuit persuasu, Propheta non satis habuit eam breviter perstringere: sed oportuit prolinius in ipsa insistere, ut tandem populus expergefieret ab illa socordia. dicit igitur *Deum ipsum fuisse tanquam hostem*, ne scilicet defixi maneant Israëlitæ in Chaldæis, & ita existiment illos præcipuos fuisse belli auctores. Dicit ergo ipsos arcano Dei impulsu bellum illud suscepisse, & feliciter gessisse, quia Deus virtute sua eos instruxit. Inde autem colligere oportuit fideles, nihil miserius esse quam habere Deum adversum. quamdiu enim passi fuerant se defendi manu Dei, scimus superiores fuisse hostibus suis, ut tunc impune spernere liceret omnia pericula. Jam admonet Propheta, sicuti feliciter egerant sub Dei fide & præsidio, ita nunc non alia ratione esse miseros, nisi quia Deus contra ipsos pugnet. Interim vero semper retinenda est doctrina quam vidimus, Deum scilicet non temere, nec abs re unquam hominibus irasci: præsertim vero quum propensus esset ejus favor erga populum illum, tenendum est non ita sævüsse, nisi quia cogebat necessitas. *Perdidit Israëlem, perdidit*, inquit, *omnia palatia ejus.* postea, *dissipavit*, vel corrupit *omnes munitiones ejus.* denique, *auxit in filia Jehudah fletum & lamentationem.* תאניה ואניה voces sunt ab eadem radice deductæ: sed simul junguntur amplificationis causa, neque tantum hoc loco, sed Jesaiæ vigesimo nono capite, & aliis locis. Summa est, Deum non fecisse finem vindictæ, quia populus etiam nullum modum sibi statuerat in obstinata sua malitia. Postea addit,

6. Et transtulit (*vel dissipavit, vel evertit*) tanquam hortum tabernaculum suum, (*alii vertunt, tabernaculum suum tanquam hortum*) perdidit testimonium suum, oblitus est Jehovah in Sion conventus solennis, (*vel sacrificii*) & Sabbathi, & repulit in excandescentia iræ suæ (*diversæ quidem sunt voces, sed ego non adeo scrupulose distinguo*) Regem & Sacerdotem.

Hic primo dicit *eversum fuisse à Deo suum tabernaculum.* qui Tugurium vertunt nimis extenuant rem ipsam de qua nunc agitur: neque simpliciter tugurio comparat Propheta Sanctuarium Dei. Ergo pro tabernaculo accipio in bonam partem. quantum ad significationem verbi spectat, quoniam חמס significat migrare, ideo proprie vertunt, meo judicio, quod Deus transtulerit tabernaculum suum, & non displicet repeti bis nomen Tabernaculi. Deus ergo *transtulit tabernaculum suum acsi tugurium esset hortense.* tunc autem (ut satis notum est ex primo capite Jesaiæ & aliis locis) hortorum custodes habebant tuguria, sed ad tempus: quemadmodum hodie qui præficiuntur vitibus, usque ad vindemias habent capsulas, in quibus se abscondant. Propheta igitur quamvis honorificum esset tabernaculum Dei, & summæ dignitatis, dicit tamen fuisse simile tugurio hortensi. & tamen non est simplex comparatio, ut ante dictum fuit: & ideo repudio eorum sententiam qui vertunt Tugurium: neque enim illud quadraret. videmus quam frigidum sit. *Deus* ergo *transtulit tabernaculum suum tanquam hortum*, hoc est, Sanctuarium in quo habitabat. Et quomodo transtulit? nempe tanquam horti tugurium. quia autem ex foliis arborum, vel ex palea solebant sibi construere capsulas illas hortorum custodes, ideo Propheta ut commiserationem augeat, dicit illud sacrosanctum domicilium Dei fuisse instar tugurii hortensis, quia ab uno loco in alium translatum fuit. atque ita significat Deum pro nihilo duxisse, quod tamen ornaverat prius singulari excellentia. Jam adjungit, *quod etiam corruperit Deus suum testimonium.* Per vocem מועד idem prorsus intelligit: quanquam alii restringunt ad Arcam fœderis. & expositio illa non displicet: tenendum tamen est Prophetæ consilium, extremo

Tem-

Templi ruina quodammodo abolitum fuisse Dei fœdus. Certum quidem est, Deum non ideo oblitum fuisse suæ fidei & constantiæ: sed refertur ad communem sensum illa fœderis Dei abolitio. dicit ergo Sanctuarium illud, quod erat quasi testimonium gratiæ Dei, fuisse eversum. Jam quia paulo post repetit nomen מועד, fieri potest ut ita vocet Tabernaculum, vel quod illic agerentur conventus sacri, vel quia locus ille solemni ritu dicatus esset, ut Deus contraheret illic cum populo suo. nam מועד significat tempus, significat cœtum, significat festos dies, accipitur etiam pro sacrificiis interdum, & omnes illæ significationes non male conveniunt. quanquam ubi dicit *corrupisse testimonium suum*, hoc interpretor de ipso Tabernaculo, vel si quis malit de Arca fœderis. quanquam melius convenit prior expositio, quia locus ille ad mutuam conventionem, erat consecratus, ut dictum fuit. Jam dicit *Deum oblitum fuisse vel sacrificii, vel Tabernaculi*, ut iterum repetatur. sed non videtur eodem sensu accipere vocem מועד: ego igitur pro conventu nunc positum arbitror. Sicuti ergo dixit prius locum ubi agebantur sacri conventus, fuisse eversum & corruptum: ita nunc dicit Deum conventus illos omnes non curare, quasi oblivione perpetua sepulti essent. nam adjungit nomen Sabbathi, quod optime respondet. Deus ergo oblitus est tam omnium conventuum, quam Sabbathi. & iterum synecdoche est in hac voce, quia minime dubium est, quin extendi hoc debeat ad omnes dies festos. Summa est igitur, tantam fuisse populi impietatem, ut Deus tanquam fœderis sui oblitus, per horribiles pœnas grassatus fuerit, ita ut religio quodammodo ad tempus fuerit pedibus calcata. In summa, dicit *Regem & Sacerdotem fuisse à Domino rejectos*. Diximus autem fuisse hæc quasi duo pignora paternæ Dei gratiæ, quod ab una parte regnabat ex posteris Davidis qui erat viva imago Christi: deinde quod ex posteris Aaron semper erat aliquis summus Sacerdos, qui homines Deo reconciliaret. Perinde igitur illud fuit acsi Deus modis omnibus ostenderet se propitium esse electo populo. Ergo solida felicitas, in Regno & Sacerdotio fundata fuit, quia Regnum erat quasi tessera favoris Dei ad ipsos tuendos: Sacerdotium vero erat illis tanquam parata reconciliatio cum Deo. ubi autem Deus pro nihilo duxit Regem & Sacerdotem, hinc palam factum est, adeo excanduisse adversus populum, ut quodammodo gratias suas in nihilum redigeret. Sequitur,

7. Abominatus est Dominus altare suum, repulit (*vel rejecit procul ab animo suo*) Sanctuarium suum, tradidit in manum hostis muros palatiorum ejus: vocem ediderunt in domo Jehovæ tanquam in die sacri conventus. (*vel solemnis. iterum ponitur nomen* מועד: *tamen accipitur vel pro conventu, vel pro die festo.*)

Prosequitur eandem sententiam similibus verbis. primo dicit *Deum abominatum fuisse Altare suum*, quod improprie quidem dicitur: sed non potuit aliter Propheta satis Judæis ostendere quid essent meriti. nam si tantum de Urbe, de agris, de palatiis, vitibus, tota denique eorum opulentia verba fecisset, hoc erat multo levius: sed ubi dicit *Deum pro nihilo duxisse* omnia sua sacra, Altare, Templum, Arcam fœderis, dies festos: quum ergo dicit Deum non modo neglexisse, sed etiam à se repulisse, quæ tamen ad conciliandum favorem plurimum valere poterant: hinc debuit populus sentire, nisi plusquam stupidus foret, quam atrociter in se iram Dei provocasset. illud enim fuit perinde ac cæli & terræ mixtura. Si rerum omnium fieret conversio, si Sol demersus in tenebras relinqueret locum suum, si terra sursum assurgeret, vix illud chaos magis esset horribile, quam ubi ita Deus manum suam exeruit contra Sanctuarium, contra Altare, contra dies festos, & totam religionem. Jam repetenda est causa, nempe quia Templum fuerat diu sceleribus populi inquinatum: deinde quia sacra omnia impie & indigne profanaverant. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, cur pluribus verbis amplificet rem minime per se dubiam. Postea addit, *Tradidit omnia palatia*: quasi diceret Urbem non fuisse expugnatam hostium virtute: sed quia pugnaverint sub Dei auspiciis & vexillo Chaldæi. denique significat Judæos fuisse misere perditos quia seipsos perdiderant propria culpa: Chaldæos autem fuisse superiores in prælio, & in Urbe non proprio Marte, aut propria industria, sed quoniam Deus voluit exigere pœnam de impio, & scelerato populo. Tandem adjungit *hostes vocem edidisse in Templo Dei tanquam in die solemnitatis*. Hac etiam parte ostendit Propheta nunquam passurum fuisse Deum, ut hostes proterve insolescerent, & in ipso Templo debaccharentur contra ipsum, nisi ita meriti fuissent Israëlitæ. neque enim ignota fuit Deo protervia hostium, & facile potuit compescere si libuisset. cur ergo tantum licentiæ hostibus illis profanis concessit? nempe quia polluerant prius Judæi Templum, ita ut detestaretur omnes celebres eorum conventus: quemadmodum etiam per Jesaiam pronunciat se nauseare ad dies eorum festos, ad Sabbatha, & ad Neomenias. *Jesa. 1. v. 13, 14.* fuit autem illa horribilis mutatio, quum in eum locum hostes ingressi sunt quem Deus sibi consecraverat: deinde quod illic petulanter se jactarunt, vomuerunt fœdas contumelias & nefandas adversus Deum. Sed quo tristius fuit spectaculum illud, eo etiam magis detestabilis fuit impietas populi, quæ causam tantis malis præbuit. semper enim memoria repetendum est quod jam aliquoties dixi, nempe circumstantias istas notari à Propheta, ut tandem sentiret populus se esse reum omnium scelerum, quæ alioqui libenter imputassent Chaldæis. Quod ergo Chaldæi Templum polluerunt, quod ita pessum dederunt sacra omnia, hoc Propheta docet imputandum esse ipsis Judæis, qui Templum Chaldæis aperuerunt, qui prostituerant omnia sacra eorum libidini. Sequitur,

8. Cogitavit Jehovah ut perderet murum filiæ Sion, extendit lineam, non retraxit manum suam à dissipatione: itaque luxit antemurale & murus, pariter corruerunt. (*vel eversi sunt.*)

Cogitandi verbum plus habet ponderis quam posset quispiam minime exercitatus putare. nam videtur frigidus esse sermo, *quod Deus cogitaverit perdere*. sed cogitare hic accipitur pro decernere. hoc unum est: deinde semper tenenda est antithesis inter pravas imaginationes, quibus distrahi solent hominum animi, ita ut Deum non sibi statuant quasi præsentem in rebus tam prosperis quam adversis. Quoniam ergo homines libenter vagantur per diversa figmenta, & hoc modo quasi data opera se à Deo subducunt: hac ratione Propheta dicit non fortuito *cecidisse muros Jerusalem*, sed fuisse eversos cælesti decreto, quoniam Deus ita statuerat: quemadmodum vidimus ante pluribus locis in toto libro Jere-

Jeremiæ: Videte, istæ sunt cogitationes quas Deus cogitavit super Jerusalem, quas cogitavit super Babylonem. Illic ergo Propheta docere vuluit quod confirmat etiam hoc loco, nempe quum urbs Jerusalem diruta fuit, non fuisse id temere factum, sed quoniam Deus adduxerat Chaldæos, & illorum opera usus est in Urbe expugnanda & delenda. *Cogitavit* ergo *Deus ut destrueret murum filiæ Sion.* Verum quidem est, Chaldæos strenue militasse, nec quicquam prætermisisse, ut Urbem caperent arte militari: sed Propheta hic Judæos retrahit ad diversam cogitationem, nempe ut agnoscant se justas scelerum pœnas dare, & Deum esse præcipuum hujus belli auctorem, & Chaldæos esse quasi conductitios ejus milites. Postea adjungit *Deum extendisse regulam*, vel funiculum, ut fieri solet in dividendis ædificiis. Tandem addit, *Non retraxit manum suam à dissipatione: itaque factum est ut propugnacula & muri lugeant*, & simul pessum iverint. Nunc videmus Prophetam non alio tendere, nisi ut Judæi certo persuasi sint interitum Urbis non esse adscribendum Chaldæis, sed potios Deo. Simul adjungi debuit altera pars doctrinæ, ut facit, Deum scilicet non ita fuisse infestum sanctæ Urbi quam elegerat, nisi quia ad extremum usque provocatus fuerat sceleribus populi. Nunc sequitur,

9. Demersæ sunt in terra portæ ejus, perdidit & coofregit vectes ejus, Rex ejus, & Priocipes ejus in Gentibus: (*vel ad Gentes*) nulla lex, etiam Prophetæ noo reperiunt visionem à Jehovah.

Aliis verbis iterum refert quod dixerat, nempe muros Jerusalem cecidisse. sed nunc loquitur de portis, & dicit *illas fuisse in terra demersas*, vel defixas: utroque enim modo potest exponi: quasi diceret portas non fuisse obstaculo, quo minus hostes libere in Urbem perrumperent. ita deridet stultam populi confidentiam, qui fretus suis munitionibus putaverat se fore inexpugnabilem. dicit ergo *portas jacuisse in terra*, vel fuisse defixas. Postea dicit *Deum perdidisse & fregisse vectes*: quia haud dubie vectes habebant portæ illæ robustos & validos. Hac ratione igitur dicit neque portas, neque vectes potuisse sufficere, quum Deus Chaldæis manum porrexit, ut eos in Urbem induceret. Postea adjungit tam Regem quam Principes tractos fuisse in exilium. nam quum dicit, *in Gentibus*, vel ad Gentes, significat nullum amplius esse Regem, quoniam Rex exulet una cum semine Regio, & aliis Proceribus. Reliqua differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot nobis signa iræ tuæ occurrunt, ut statim ad nos redeamus, & ita nos subjiciamus tibi cum serio pœnitentiæ affectu, ut interea studeamus nos tibi reconciliare: & quoniam datus est nobis semel mediator qui nos ad te deducat, da, inquam, ut recta fide ipsum quæramus, & sequamur quo nos vocat, ut ita purgati omnibus inquinamentis, possimus gloriari te unu Patre, & ita te invocare, ut experiamur præsentem tuam gratiam in omnibus nostris malis, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

INter calamitates Jerosolymæ quas deplorat Propheta, hanc quoque ponit, *quod nulla sit amplius lex*, vel doctrina. Chaldæus putavit hoc debere referri ad pœnam: sed nimis torquet Prophetæ verba. deinde sequitur amplificatio postquam dixit אין תורה, *nulla lex*: addit, גם נביאיה לא מצאו חזון מיהוה, *etiam Prophetæ ejus non invenerunt visionem à Jehovah.* Dubium igitur non est quin significet Propheta inter miserias populi hanc non esse ultimam, quod destituerentur & doctrina & Prophetis. תורה quidem κατ' ἐξοχὴν per excellentiam ponitur sæpius pro lege: sed significat doctrinam, & perinde est acsi diceret Propheta Judæos ita relictos esse à Deo ut nihil solatii reperiant in malis suis. hoc melius intelligetur ex simili querimonia, quæ habetur
Psal. 74. vers. 9. Psalmo 74. Signa nostra non videmus, non est amplius Propheta, non est amplius qui cognoscat. fideles illic dicunt se esse quasi desperatos, quod Deus nullum amplios signum gratiæ illis ostendat: vocant enim vexilla sua ubi Deus illis apparet propitius. Jam quoniam testatus fuerat Deus semper fore præsto fideles Doctores, qui populum regerent, ideo queruntur nullum esse Prophetam, nullum esse amplius qui videat. ita & hoc loco dicit Propheta *nullam esse legem, & Prophetas destitui visione*: quia scilicet Deus quasi tædio fatigatus abjecerit curam populi. neque enim melius aliunde poterat cognosci paternus ejus favor, quam ex testimonio, quod reddebat per Prophetas. Certum autem est, cessasse omnes prophetias quum populus tractus fuit in exilium. nam Daniel longo post tempore cœpit hortari ad fiduciam reditus fideles: & hac etiam ratione dici-
Jesa. 40. vers. 1. tur Jesaiæ 40. Consolamini, consolamini populum meum, dicet Deus vester. subindicat enim illic Jesaias fore temporale silentium, quia omnes Prophetæ obmutescent, ut populus jaceat quasi desperatus; quia scilicet nimis diu abusi fuerant Dei patientia, & profanaverant singulare illud bonum, quum Deus per servos suos ostenderet se esse sollicitum de eorum salute, quemadmodum etiam sæpius dicit, Surrexi Jer. 7. vers. 25.
mane, & porrexi vobis manus per Prophetas meos. Quemadmodum ergo donum Prophetiæ in populo certum fuit pignus non tantum gratiæ Dei, sed etiam sollicitudinis quam gerebat de populo illo: sic ubi abstulit Proph. recessit à populo quasi deserta sua statione. Nunc tenemus quid sibi velit Jeremias quum dicit *nullam amplius esse doctrinam, & Prophetas Jerosolymæ non invenire amplius visionem à Jehovah*, quia scilicet Deus postquam diu profanatum fuerat ejus verbum, obticuit, & non dignatus est in posterum tempus aperire sacrum suum os, quod viderat esse ludibrio. Hic autem locus docet, nihil in malis esse magis expetendum, & nullum esse remedium utilius, quam ubi Deus promittit se tandem fore placabilem. nam ubi aliqua Dei promissio nobis objicitur, perinde est acsi in tenebris exiguam lucem accenderet. Quamvis ergo miseriæ sint velot obscura caligo, ubi tamen Deus profert aliquod signum gratiæ suæ in promissionibus, materia illa sufficere nobis debet ad fiduciam, & gaudium. contra, ubi nullæ Dei promissiones nobis occurrunt, certum est signum reprobationis, nisi quia interdum sic examinat suos, quemadmodum hic legimus. Sed fideles quoque ipsi ubi non percipiunt gustum aliquem paternæ Dei gratiæ in promissionibus, sunt quasi desperati, & demersi in profundis inferis. Hæc igitur sola est ratio quæ erigat nos à morte in vitam, & nos sustineat ne obruamur desperatione, ubi Deus dignatur nobiscum loqui. Nuoc sequitur,

10. Sedent ad terram, silent senes filiæ Sion, attollunt pulverem super caput suum; accincti sunt saccis: demiserunt (*demittunt*) ad terram caput suum virgines (*aut puellæ*) Jerusalem.

Hic Propheta quasi per hypotyposin repræsentat gravitatem cladis quum dicit *senes tanquam in rebus perditis jacere super terram, projicere pulverem super caput, accinctos esse saccis*, ut in gravissimo luctu fieri solet: *puellas etiam dejicere capita sua usque ad terram.* Summa est, senes consilio destitui, & alios secum trahere in cæcum & immanem luctum. Scimus autem puellas formæ suæ esse plus satis curiosas, ideo continent se in suis deliciis, & ubi faciem suam volutant in terra, & suos capillos, signum est extremi luctus. & hoc voluit Propheta. Solebant quidem saccos induere in pœnitentiæ testimonium, & aspergere capita pulvere: sed sæpe ita turbati fuerunt sensus, ut tantum exprimerent luctum & mœrorem, interea vero non respicerent ad Deum. & hypocritæ etiam quum saccis se accingerent, simularunt pœnitentiam, sed fallaciter. Hoc autem loco non intelligit Propheta senes professos esse ritu solenni pœnitentiam, ut suppliciter veniam deprecarentur: sed recitat tantum signa mœroris: quasi diceret nullum fuisse in senibus consilium, nullam spem, vel lætitiam in puellis, quoniam senes jacuerunt, ut fieri solet ubi nihil amplius est remedii. Nunc tenemus Prophetæ sensum. Sequitur,

11. Defecerunt in lachrymis oculi mei, conturbata sunt viscera mea, (*est verbum illud quod ante vidimus* חמרמרו: *alii vertunt, constricta, ut etiam tunc diximus. nescio cur hic unus mutaverit quod alibi recte dixerat: ponit, Intumuerunt viscera mea, sed non video causam cur debeat accipi hoc verbum diversa significatione, quia sequitur continuo post*) effusum est ad terram jecur meum propter contritionem filiæ populi mei dum evanuit (*sic enim interpretor verbum* עטף *quod significat operire, sed per translationem accipitur pro evanescere, ut iterum paulo post videbimus. dum ergo evanuit*) parvulus, & sugens ubera in compitis Urbis.

Jam Propheta ipse loquitur, & dicit *oculos suos consumptos esse lachrymis* dum luget publicas calamitates. etiam in maximo dolore lachrymæ tandem exarescunt: sed ubi nullus est flendi modus, necesse est dolorem esse acerbissimum, qui non maturescit. Hanc igitur vehementiam doloris nunc exprimit Jeremias quum dicit *oculos suos deficere lachrymando.*
Jer. 9: 1. dicebat cap. 9. Quis dabit oculos meos in fontes, id est, quis faciet, ut oculi mei vertantur in fontes, & continuo defluant? nempe quia cernebat quam horribilis Dei vindicta impenderet obstinatis. nunc autem ubi videt completum fuisse quod timuerat, dicit *oculos suos flendo esse consumptos.* Eodem etiam spectas quod dicit, *conturbata fuisse viscera sua, & jecur suum*, vel hepar, ut alii vertunt, *fuisse effusum ad terram.* forte alia etiam viscera comprehendit per synecdochen. proprie hoc nomen significat jecur, ut
Prov. 7. vers. 23. quum dicit Solomo, Transfixit jecur meum. Sed in summa docet Jeremias, sensus omnes suos sic dolore fuisse correptos, ut nulla pars fuerit quieta. dicit ergo *effusum fuisse jecur suum*: sed eadem ratione qua viscera sua dixit conturbata. Sunt quidem hyperbolicæ loquutiones, sed quo ad rei summam, simpliciter hic suos affectus exprimit Jeremias, quia minime dubium est, quin modo incredibili fuerit anxius & mœstus super tanta clade: neque enim tantum communi more lugebat res adversas, sed considerabat quam diabolica fuisset illa obstinatio, qua populus per annos fere 50 obduruerat. nam ipse perdiderat suam operam non exiguo tempore, sed fere ad annos 50, quum vociferari non desineret. Minime igitur dubium est, quin secum reputaverit quid meritus esset populus, ita ut supra vulgarem modum exhorreret Dei vindictam. Hæc igitur causa est cur dicat *turbata fuisse sua viscera, & jecur effusum*: ponit tamen materiam ipsam mœroris, nempe *contritionem filiæ populi sui*: & speciem unam designat, quod *evanuerint parvulus, & qui sugebat ubera in Urbis compitis.* Hoc autem fuit miserabile spectaculum, quum non solum passim jugularentur viri & fœminæ, sed fame etiam parvuli deficerent. scimus enim ut ætas illa infantilis moveat nobis misericordiam: nam lachrymæ parvuli si esuriat, penetrant usque ad intimos sensus nostros. Quum ergo per omnia Urbis compita clamarent parvuli, & qui pendebant à matrum uberibus, illud potuit etiam ferreos animos vulnerare. Ergo non sine causa Jeremias speciem hanc designat, quod *parvuli & sugentes ita evanuerint*, neque in loco deserto & sterili, sed in ipsis Urbis compitis. Sequitur,

12. Matribus suis dicunt, Ubi triticum & vinum? quum evanescunt (*in evanescendo ipsos, ad verbum*) tanquam vulneratus (*aut mortuus: dum evanescunt ergo tanquam vulnerati, aut mortui: est numeri enallage*) in compitis Urbis, (*iterum repetit*) & quum se effundit (*vel effunditur*) anima eorum in sinum matrum ipsorum.

Vel est prosopopœia in verbis Prophetæ, vel jam alio transfert sermonem, neque amplius loquitur de pueris qui adhuc sugebant matrum ubera: neque enim poterant ita diserte loqui, *Ubi triticum, & ubi vinum?* & vini usus non permittitur infantibus pueris. ergo potest longius extendi Prophetæ sermo, nempe quod non infantes, sed parvuli qui mediæ jam erant ætatis, sic loquuti fuerint: & in hoc sensu nihil erit vel absurdum, vel coactum. loquutus enim est de parvulis, adjunxit parvulis infantes. Nunc autem partem unam duntaxat sumit, nempe quod pueri qui jam per ætatem fari poterant, conquesti sunt apud matres suas non esse panem nec vinum, hoc est, nullum cibum suppetere. Si quis tamen malit esse prosopopœiam, non repugno: & non male conveniet sensus ille, quod etiam tacendo parvuli clamaverint post cibum. nam lachrymæ puerorum efficacius loquuntur quam si quis diserte posset loqui. Quicquid sit, Propheta significat fuisse tantam penuriam, ut pueri evanescerent in gremio matrum, & frustra cibum peterent, & clamarent se destitui omni victu. Dicit ergo *matribus suis dixisse*: qua voce significat eorum querimonias eo magis fuisse miserabiles, quod matres ipsæ non possent opem ferre. Scimus autem quam teneri sint matrum affectus & molles: libenter enim mater non tantum lacte suo, sed propria vita, si fieri posset, aleret filium suum parvulum. Quum ergo Propheta dicit *pueros clamasse ad matres*, vult repræsentare triste spectaculum, & quod merito gignat horrorem in omnium animis. *Ubi vinum, ubi triticum?* inquit. nempe *quum*, (alii vertunt, deficere) sed malo sic interpretari,

quem-

quemadmodum nuper dixi) *quum* ergo *evanescerent tanquam mortuus in ipsis compitis*: deinde *quum effunderent*. hoc etiam tristius est, pueros effundere animas suas in sinum matrum. Jam sequitur,

13. Quid contestabor tibi? (*vel adducam tibi testes, vel testificabor tecum*) quid simile tibi faciam, filia Jerusalem? (*vel cur*: מה *potest transferri utroque modo*) quid (*vel cur*) æquabo tibi quicquam, (*est repetitio, sed diverso verbo*) ut te consoler virgo filia Sion? quia magna sicut mare contritio tua: quis sanabit te?

Dum volumus lenire dolorem, solemus afferre exempla quæ habeant aliquid similitudinis. nam si quis velit miserum solari in sua ægritudine, dicet, Tu non es primus, neque ultimus, habes multos tibi similes: quid tantopere te excrucias? nam hæc fere communis est mortalium conditio. Quoniam ergo hoc vulgare est doloris lenimentum, afferre multa exempla, ideo Propheta dicit, Quid adferam tibi exempla? hoc est, cur, vel quorsum proponam tibi hunc vel illum, qui sit tibi similis? deinde, *quid contestabor te*, vel testificabor tecum? quanquam malo transferre, Quorsum tibi testes adducam, qui referant aliquid simile se vidisse? nam hæc omnia nihil tibi proderunt. Significat igitur Propheta, quæ vulgo solent adhiberi solatia in miseriis, hæc fore nullius momenti, quoniam clades Jerosolymæ superet omnia exempla: quasi diceret, Nihil unquam tale accidit in mundo: Deus nunquam ita graviter fulminavit in populum aliquem. Ergo si velim tibi proferre exempla, destituor: quia si comparem te cum aliis miseris, superas eos omnes. Nunc ergo tenemus Prophetæ mentem: vult hac comparatione exaggerare gravitatem cladis, quia Jerosolyma afflicta sit extraordinario modo, & prius inaudito: quasi diceret, Judæos esse aliis omnibus gentibus miseriores. *Quorsum* igitur *testes tibi adducerem? & quorsum facerem tibi aliquem similem? quorsum tibi æquabo alios miseros?* adjungit causam. nam ו ita resolvi debet, *ut te consoler*, nempe pro communi more hominum. Postea addit, *Quia magna sicut mare est tua contritio*, hoc est, tua clades est profundissima abyssus. Non reperiam igitur quos tibi comparem in toto mundo, quoniam clades tua omnia absorbet, nec quicquam potest proponi simile, ità ut sis memorabile documentum in omnes ætates. Ubi autem audimus Prophetam sic loqui, meminerimus nos successisse in locum populi veteris. Quum ergo Deus tam severe ultus fuerit olim electi populi scelera, cavendum est ne hodie ad extremum usque, nostra pertinacia ipsum provocemus, quia manet semper sui similis. Quod si contingat nos duriter affligi & conteri ejus manu: tamen sciamus adhuc nobis residuam esse aliquam consolationem, ubi demersi fuerimus usque in profundum nam Propheta exaggerat quidem hoc loco mala populi: sed jam prius cœpit hortari fideles ad fiduciam: & iterum eandem doctrinam repetet. Cæterum, necesse fuit Prophetam his loquendi formis uti, donec probe humiliati essent qui adhuc torpebant in suis peccatis, neque satis expendebant quorsum spectaret illa Dei vindicta. Subjungit,

14. Prophetæ tui viderunt tibi vanitatem, & insulsitatem, (*vel insipidum*) & non aperuerunt super iniquitate tua, (*hoc est, non revelarunt tibi, aut manifestarunt iniquitatem tuam*) ut converterent captivitatem tuam, (*alii vertunt, aversionem tuam, vel defectionem*) & viderunt tibi prophetias vanitatis, & expulsiones.

Propheta hic exprobrat Judæis suas delicias, quibus velut data opera seipsos perdiderant, acsi libenter biberent dulce toxicum. Fuerant inebriati fallaciis illis, quas vidimus, quum impostores illis promitterent prosperum statum. nam vidimus aliquoties Pseudoprophetas audacter pronunciasse, quicquid minitabatur Jeremias esse frivolum. Quum ergo Judæi talibus blanditiis inebriati contemnerent Dei judicium, & sibi liberius indulgerent in suis vitiis, hinc factum est, ut semper, ac subinde accensus fuerit Dei furor. Exprobrat igitur nunc Jeremias illis tales delicias, quod scilicet sponte appetiverint falli, & se cupide projecerint in laqueos, quum vellent habere adulatores pro doctoribus:
Mich. 2. vers. 11. quemadmodum etiam illis exprobrat Micheas, quod Prophetas sibi quæsierint, qui promitterent uberes vindemias, & copiosas messes. Ille est sensus Jeremiæ. Dicit autem *Prophetas prophetasse illis vanitatem*, aut vidisse. Sed hoc verbum refertur ad prophetias, sicuti Prophetæ vocantur Videntes. Dicit ergo *Prophetas illis vidisse vanitatem, & insulsum.* Hoc non potuit valere ad extenuandam populi culpam: neque etiam Jeremias hic populo blanditur quasi diceret aliena culpa ipsum periisse: & tamen hæc nimium vulgaris est excusatio. Plerique enim si fuerint decepti, queruntur se lapsos fuisse errore: deinde se non fuisse satis cautos, quum homines astuti tenderent insidias. Sed Propheta hic exprobrat Judæis, *quod fuerint à Pseudoprophetis decepti*, quia scilicet justa hæc fuit merces eorum ambitionis. Habebant enim aures nimium delicatas: & liberæ objurgationes ab illis ferri non poterant. denique quum respuerent omnem sanam doctrinam, oportuit diabolum succedere in locum Dei: quemadmodum etiam Paulus dicit, Juste puniri eos qui excæcantur à Deo, ut mendacio obediant, quoniam non *2 Thess. 2. v. 10,11.*
sunt amplexi veritatem. Nunc tenemus Prophetæ consilium: dicit Judæos fuisse quidem deceptos à Pseudoprophetis, sed hoc factum esse eorum culpa, quoniam Deo non sustinuerint parere, quoniam abjecerint sanam doctrinam, quoniam etiam rebelles fuerint omnibus consiliis. Quanquam non videtur tantum exaggerari eorum crimen hoc modo: imo quia ausi fuerant opponere illos impostores tam Jeremiæ, quam aliis Dei servis, oportuit illis proferri suam ignominiam. nam quasi in pompa ostentarant falsos suos Prophetas quum vellent adversus Deum ipsum gloriari, qualis fuit illa superbia? Jam, ubi polliciti illis fuerant Pseudoprophetæ securum statum, petulanter mox prosiliebant adversus Jeremiam quasi victores. quoniam ergo talis fuerat eorum improbitas, & insolentia adversus Deum, merito Propheta in eos regerit, Ecce, ite ad Pseudoprophetas vestros. nam quum nuper pollicebantur vobis omnia prospera, ego fui inhumaniter vexatus & vocatio mea fuit contumeliose à vobis rejecta: nunc veniant Pseudoprophetæ vestri: nunc tandem sapite vestro malo, & agnoscite quid sit ita superbire contra Deum, & contra ejus servos. Jam tenemus in quem finem Propheta loquatur. *Viderunt* ergo *vobis vanitatem & insulsum*, inquit. Deinde, *non patefecerunt*. על est fere supervacuum: dicit, *non revelarunt super iniquitate*. In ipsa Lingua habet quidem gratiam, quod scilicet revelationes suas non applicuerint ad iniquitates populi: quia hoc modo reducti fuissent in viam, & ita obviam itum fuisset vindictæ Dei. Est autem hic contextus diligenter notandus. Loquutus est Jeremias de fallaciis Pseudopro-

doprophetarum, quas dixit esse insipidas: nunc exprimit quomodo populum deceperint, nempe *quia non patefecerint iniquitates.* Sciamus ergo nihil magis esse utile, quam nos commonefieri, ut conscii nostrarum iniquitatum resipiscamus. Atque hæc est præcipua utilitas doctrinæ Propheticæ. fuisset enim illa pars frigida, vaticinari de rebus futuris, nisi Prophetæ concionati fuissent de vindicta Dei, nisi hortati fuissent populum ad pœnitentiam, nisi jussissent etiam fide amplecti misericordiam Dei. Ergo Jeremias quodammodo detegit fallacias eorum qui corrumpunt Propheticam doctrinam, quum dicit *eos non patefacere iniquitates.* Ideo discamus hac nota discernere fideles Dei servos ab impostoribus. nam Dominus verbo suo nos citat ad tribunal suum, & vult iniquitates nostras detegi, ut nobis displiceamus: quo ita locum demus ejus misericordiæ. Ubi autem quod profertur in medium, tantum aures titillat, & pascit nostram curiositatem, & interea sepelit nostras iniquitates: sciamus etiam argutias quæ valde placent esse insipidas. Sapiat igitur nobis doctrina pœnitentiæ, quæ adducit nos ad tribunal Dei. ut dejecti in nobis, confugiamus ad ejus misericordiam. Postea adjungit, *ut converterent captivitatem.* Alii, quemadmodum jam attigi, defectionem malunt: & sensus ille optime quadraret. Cæterum, non dubito, quin Propheta potius designet pœnam, quam culpam. Conversa igitur fuisset captivitas populi, si in tempore resipuisset: nam occurrimus iræ Dei per pœnitentiam. Si nos judicaremus, inquit

1 Cor. 11. vers. 31. Paulus, non judicaremur à Deo. Quoniam ergo præveniunt Dei judicium miseri, ubi sunt sui judices, Propheta non abs re dicit Pseudoprophetas *non retexisse iniquitates populi*, ut ita maneret quietus in patria, neque traheretur in exilium. quare? nam hoc modo placatus fuisset Deus si populus sponte

Jesa. 6. vers. 10. occurrisset: quemadmodum etiam dicitur Jesaiæ sexto capite, Ne convertantur, & sanem eos. Conversio illic dicitur causa sanitatis: quia ut ignis subducta materia, extinguitur: ita etiam ubi cessamus peccare, materia non suppetit iracundiæ Dei. Tenemus ergo Prophetæ sensum: in summa significat populum fuisse perditum, quia appetiverit illas fallacias, quum Pseudoprophetæ frustra adulabantur. nam occursum fuisset mature tantis malis, si libere hortati fuissent Prophetæ populum illum ad pœnitentiam. Postea adjungit, *Et viderunt tibi prophetias vanitatis, & expulsiones.* Quanquam nomen משאה sæpe accipitur in malam partem pro onere, id est, pro dura prophetia, quæ docet incumbere Dei vindictam. dubium tamen est an hoc modo nunc accipiat Propheta, quandoquidem loquitur de vaticiniis quæ spem dabant impunitatis populo. Ea autem proprie non erant משאה, hoc est, non erant graves & metuendæ prophetiæ. Verum omnibus probe expensis, patebit Jeremiam non temere usurpare hanc vocem, quia paulo post adjungit explicationem. nomen משאה accipitur quidem interdum communiter pro quibuslibet prophetiis: sed proprie sumitur pro comminationibus. Nunc autem, quid dicit Jeremias? *Viderunt tibi onera, quæ tu fugiebas.* nam ut redderent odiosam sancti viri doctrinam, quasi proverbiali figura vocabant Onus quicquid docebat. Sic ergo conflaverant invidiam sancto viro, quod omnes ejus prophetiæ nihil aliud quam terrorem, & molestiam afferrent. Jam per concessionem dicit Propheta, Ipsi quidem vobis fuerunt Prophetæ, & viderunt, sed viderunt tandem onera. Quum ergo pollicebantur impunitatem populo falsi Prophetæ, erant adulatores, & nihil in illis apparebat oneris, hoc est, nihil molestiæ: sed reipsa tandem fuerunt longe graviora vaticinia illa, quam omnes minæ, quibus eos terruerat Jeremias. Et respondet optime quod statim sequitur, *expulsiones.* Neque enim dubito, quin Propheta hic ostendat quem fructum pepererint illæ inanes blanditiæ, quibus populus optaverat sibi illudi. Hinc enim factum est, ut expulsi fuerint in exilium. nam si quæritur causa, cur populus privatus fuerit sua hæreditate, hæc statim occurret, quod voluerint decipi, quod sese ad obstinationem armaverint illis fallaciis & vanis promissionibus. Quum ergo fructus falsæ doctrinæ esset exilium, ideo dicit nunc Jeremias *illos impostores vidisse onera vanitatis*, sed quæ tandem afferrent onus: deinde, viderunt מדוחים, hoc est, *illas expulsiones*, id est, materiam exilii.

Da omnipotens Deus, quamvis nos, sicuti digni sumus, castiges, tamen ne unquam patiaris extingui lucem verbi tui: sed semper in tenebris saltem cernamus aliquas scintillas, quæ nos dirigant ad conspectum paternæ tuæ bonitatis & misericordiæ, ut primo humiliemur sub manu tua, & serio pœnitentiæ affectu vere dejecti, attollamus tamen spes nostras in cælum: nec dubitemus tandem te fore nobis placabilem, quoties te quæsierimus in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

15. Plauserunt super te manibus suis (*id est, comploserunt manus suas*) omnes transeuntes per viam, sibilarunt, & moverunt caput suum super filia Jerusalem: An hæc urbs de qua dixerunt, perfecta decore, gaudium totius terræ?

Propheta hic Judæis commemorat miserias quibus jam plus satis erant afflicti, ut videatur hic sermo supervacuus, atque etiam parum humanus. nam exprobratio intempestiva est, ubi quis veluti malis confectus jacet. Quum talis esset conditio populi, Propheta non debuit dolorem exacerbare. Sed jam rationem attigimus, quia scilicet Judæi quamvis lugerent, ac satis superque mœsti essent in suis calamitatibus, non tamen expendebant unde sibi mala illa. Necesse igitur fuit magis ac magis eos expergefieri. parum enim prodest, ut quis malis suis tangatur, nisi etiam ad judicium Dei respiciat. Tenemus ergo Prophetæ consilium cur tam prolixe insistat in recitandis miseriis, quæ expositæ erant oculis omnium, & ideo non poterant fugere Judæos, qui illis erant fere obruti: nempe quia non satis erat si sentirent se miseros, nisi etiam attenderent ad primam causam. Dicit ergo *quicunque transibant complosisse manus, & sibilasse, & movisse caput*, vel in signum ludibrii, vel in signum detestationis, quod magis est probabile. Dicit ergo *movisse caput super filiam Jerusalem*, dicendo, *An hæc urbs de qua dicebant, perfectam esse pulchritudine, & gaudium totius terræ?* Nescio cur כלילת vertant quidam coronam: est à כלל, ut satis notum est: & significat plenitudinem, vel aliquid solidum. Dicit igitur etiam *Jerosolymam fuisse perfectam decore*, quia Deus ornaverat illam singularibus donis: præsertim dignatus erat honore illo incomparabili, ut vellet illic invocari nomen suum. Erat ergo terrestre quoddam palatium

Dei Jerosolyma propter Templum: deinde illinc petenda erat salutis doctrina: & insignis erat illa promissio Jesaiæ, (*Jesa. 2: 3.*) È Sion exibit Lex, & sermo Dei è Jerusalem. deinde promiserat Ezechieli (*Eze. 47.*) Deus urbem illam fontem & originem fore salutis toti mundo. Quum ergo Jerosolyma decorata esset tam præclaris dotibus, hic inducit Propheta ignotos quosque, qui interrogant, an fieri possit, ut urbs tam exquisita pulchritudine conciderit in illam vastitatem? Vocat etiam *gaudium totius terræ*, quia Deus ita liberaliter illic effuderat dona sua, ut materia lætitiæ omnibus suppeteret. nam delectamur rebus pulchris: & ubicunque refulgent dona Dei, necesse est ut animos nostros ad gaudium incitent. Quidam subtilius exponunt, Jerosolymam fuisse gaudium totius terræ, quia nulla est pax hominibus, nisi Deo propitio. Illic autem Deus testimonium & pignus favoris sui deposuerat: & hoc modo Jerusalem potuit exhilarare totum mundum, quia poterat invitare ad Deum cunctas gentes. Hoc plausibile est primo intuitu: sed mihi videtur magis argutum esse quam solidum. Contentus ergo sum illa simplicitate, quod Jerusalem gaudium esset totius terræ, quoniam Deus illic fulgere voluerat gratiam suam, quæ merito posset incitare totum mundum ad lætitiam. Postea sequitur,

16. Aperuerunt super te os suum cuncti hostes tui, sibilarunt, & frenduerunt dente, (*id est, dentibus*) dixerunt, Devorabimus, utique hic dies quem expectavimus, invenimus, vidimus.

Hic etiam inducit Propheta hostes ipsos proterve insultantes miseriis populi. Primo dicit *aperuisse os*, nempe ut plenis buccis convitiarentur. nam dicitur os aperire non qui simpliciter loquitur, sed qui petulanter & licentiose evomit suas contumelias. Interdum quidem emphatice dicitur Deus os aperire ubi aliquid profert observatu dignum: sic etiam Matthæus (*Mat. 5: 2.*) dicit Christum aperuisse os suum quum dissereret de vera felicitate: sed hoc loco, & aliis similibus dicitur hostis aperire os, qui pleno hiatu, ut ita loquar, subsannat eum quem videt confectum esse multis malis. Ergo ad petulantiam hoc refertur, quum dicit *hostes aperuisse os*. Postea adjungit *sibilasse*. per sibilum haud dubie intelligitur subsannatio. adjungit enim continuo post *frenduisse dentibus*: quasi diceret hostes non tantum fuisse convitiatos, sed etiam ostendisse signum extremi odii. nam qui dentibus frendit, vel fremit, hoc modo declarat animi sui amaritudinem, imo aliquid furiosum. est enim illud belluinum, frendere dentibus. Propheta ergo dicit hostes non tantum vexasse probris & subsannationibus populum, sed etiam immaniter, & quasi furiose insectatos fuisse. Jam scimus ingenuis hominibus hoc esse durius ipsa morte. nam multis non erit acerbum cadere in acie: & videmus ut viri militares se projiciant in certum periculum. sed mors contumeliosa longe asperior est. Non dubium igitur, quin Propheta amplificet miserias populi hac circumstantia, quod ita undique vexatus fuerit multis ludibriis. Et hoc consulto facit, quia objurgationes Propheticæ locum non habuerant. scimus enim quam contumaciter insurrexerint Judæi adversus Prophetas, quum Dei nomine ipsos castigarent. Quia ergo non poterant paternas Dei reprehensiones ferre, ideo oportuit illos hostium contumeliis ita opprimi, & referre justam mercedem impiæ illius superbiæ. Nec dubium est, quemadmodum dixi, Prophetam referre ejusmodi probra & ludibria hostium, ut sentiat tandem populus se expositum fuisse talibus malis, quia nimis superbe rejecerat Propheticas objurgationes. Dicit *hostes sic loquutos, Devoravimus, utique hic est dies quem expectavimus*: quasi agerent suos triumphos ubi vident se potitos victoria, & se pro libidine tractare populum illum. quemadmodum jam dixi, fuit hoc per se valde acerbum populo: sed quum Propheta referret quasi in persona hostium quod jam plus satis cognitum fuerat, debuit populus revocare in memoriam cur ita duriter affligeretur: & Propheta etiam hoc satis demonstrat proximo versu. Subjicit enim,

17. Fecit Jehovah quod cogitaverat, complevit sermonem suum quem præceperat à diebus antiquis: diruit (*vel evertit*) & non pepercit: & exhilaravit super te inimicum, & extulit cornu hostium tuorum.

Si tantum retulisset Propheta hostium jactantias, populus forte in suo mœrore obduruisset. Sed nunc ex opposito suscipit diversam personam: postquam repræsentavit quam petulanter hostes sese efferrent, nunc dicit, *Fecit Jehovah quod statuerat*: & ita ab illis hostium ludibriis populum ad Dei judicium revocat. nam ubi hostes nobis insultant, vulneramur quidem, sed postea mœror quodammodo nos hebetat. Hoc igitur optimum est remedium, non habere defixos sensus in hominum petulantia, sed agnoscere quod toties Scriptura admonet, impios ipsos esse Dei flagella, quibus nos castigat. Hoc ergo argumentum nunc tractat Propheta. dicit *Deum fecisse*: quasi diceret quantumvis hostes modum excedant, tamen si populus ad Deum attendat, justam esse causam cur sese humiliet. Primo dicit *fecisse Jehovam quod statuerat*. nam verbum Cogitandi improprie transfertur ad Deum, sed tamen satis frequenti usu, ut ante vidimus. Jam dicit *complevisse sermonem* quem jam olim mandaverat. nam si tantum attigisset Propheta arcanum Dei consilium, poterant ambigere Judæi an ita esset. Et certe quia mentes nostræ non penetrant in profundam illam abyssum, ideo frustra sermo fieret de arcanis Dei judiciis. Necesse est igitur nos descendere ad doctrinam ubi quatenus expedit, manifestat nobis Deus quod alioqui non modo est absconditum, sed etiam incomprehensibile. Si enim velimus de judiciis Dei sciscitari, mergemur in profundum. Sed ubi dirigimus mentes nostras ad ipsam doctrinam, illic repræsentat nobis Deus quicquid est cognitu utile: & quanquam non perfecte illic cognoscimus arcana illius judicia, tamen ex parte gustamus: &, quemadmodum jam dixi, quatenus nobis expedit. Hæc igitur ratio est, cur Propheta postquam loquutus est de consilio Dei, & decretis, adjungat *sermonem*. Teneamus ergo hanc regulam, nempe ut petamus ex Lege, & Prophetis, & Euangelio quicquid appetimus cognoscere de arcanis Dei judiciis, quia si vel tantillum deflectimus à doctrina, statim immensitas gloriæ Dei absorbebit omnes sensus nostros: & experientia satis docet nihil esse magis periculosum, imo exitiale, quam sibi concedere licentiam plus sciendi quam oportet. Ergo discamus frenare omnem curiositatem ubi agitur de arcanis Dei judiciis, & statim erigere mentes nostras ad verbum ipsum, ut illic sint quodammodo inclusæ. Deinde Propheta etiam hoc modo potuit facilius compescere quicquid alioqui objicere promptum fuisset Judæis. Scimus enim ut semper soliti fuerint obstrepere, & simulatque Prophetæ verbum fecerant, ut multas exceptiones in medium protulerint, quibus refellerent ipsorum doctrinam. Ergo quum indocilis esset populus ille, Jeremias non loquutus est simpliciter de occultis Dei judi-

judiciis, de quibus poterat moveri dubitatio; sed ut ansam præcideret disputationibus, & rixis, adjungit ipsum sermonem. Hoc autem modo tenebat Judæos ipsos convictos, quia quemadmodum dicitur apud Deut. 30. vers. 12, 13, 14. Mosem, non poterant excipere, Quis ascendet in cælos? quis descendet in abyssos? quis trajiciet mare? nam in ore ipsorum erat sermo Dei, hoc est, Deus satis patefecerat sua judicia, ut non possent de obscuritate conqueri. Nunc ergo tenemus rationem alteram cur Propheta conjungat Dei judiciis ac decretis, vel ejus arcano consilio sermonem. Dicit autem *sermonem illum fuisse vulgatum à diebus antiquis*, ubi perstringit indomitam obstinationem populi: quia si triduo ante, vel exiguo tempore fuissent admoniti, poterant expostulare cum Deo: & fuisset aliquis speciosus color, quasi Deus nimis festinasset in suo rigore. Sed quia submissi Prophetæ fuerant alii post alios, nec destiterat multis annis, imo pluribus seculis ipsos hortari ad pœnitentiam, & ipsis etiam minari, ut resipiscerent: hinc ergo magis se prodidit desperata eorum impietas. Hæc ratio est cur Propheta nunc commemoret *dies antiquos*, quibus promulgaverat Deus sermonem suum. Tandem adjungit, *evertit, neque pepercit*. Hic non insimulat Deum nimii rigoris, sed potius Judæos pungit, ut ex pœnarum gravitate sentiant quam intolerabilis fuerit ipsorum iniquitas. Vult ergo eos judicium facere de suis sceleribus ab ipsis pœnis, quia Deus non agit atrociter adversus homines. Unde sequitur, quum duriter affligimur ejus manu, nos esse plusquam sceleratos. & tandem concludit *Deum esse qui exhilarat hostes, & qui attollit cornu ipsorum*: quibus verbis confirmat quam nuper attigi doctrinam, nempe convertendos esse oculos in Deum, ubi probrose nobis homines insultant, & agunt suos triumphos de nostris miseriis. illa enim contumelia posset nos penitus obruere. Sed ubi reputamus nos à Deo castigari, & impios, quantumvis petulanter nos vexent, tamen esse Dei ipsius flagella: tunc statuimus æquis & placidis animis ferendum esse quod alioqui sua acerbitate nos conficeret. Sequitur,

18. Clamavit cor eorum ad Dominum: mure filiæ Sion deducas tanquam fluvium lachrymas (*vel, tanquam fluvius*) die & nocte: ne des requiem tibi, ne sileat (*hoc est, ne quiescat*) pupilla oculi tui.

Dicit improprie *cor eorum clamasse ad Deum*. nullus enim clamor est cordis. Sed hoc verbo exprimit doloris vehementiam, quasi diceret cor populi tanto mœrore fuisse oppressum, ut erumperent affectus illi in clamorem. nam clamor exoritur à magnitudine doloris, ubi qui clamat vel ejulat non est compos sui. Silentium est signum patientiæ. Sed ubi superat dolor, necesse est hominem quasi sui oblitum prorumpere in clamorem. Hæc ratio est cur dicat *cor eorum clamasse ad Jehovam*. Sed notandum est, hic non laudari pietatem populi quasi sincere, & puro corde apud Deum conquestus fuerit de suis malis: potius significat Propheta vulgarem illum clamorem, qui etiam reprobis communis est. Natura enim quodammodo nobis hoc dictat, ut quum malis urgemur, confugiamus ad Deum. Etiam qui nullo Dei timore præditi sunt, exclamant, Deus miserere mei, in extremis malis: & quemadmodum jam dixi, non manat ex serio affectu, neque ex vera pietate ille clamor, sed ex cæco ac turbido naturæ sensu: & hoc modo voluit ab initio Deus reddere inexcusabiles cunctos mortales. Sic ergo nunc Propheta dicit, *Judæos clamasse ad Deum, vel cor ipsorum fuisse vociferatum*, non quod in Deum respexerint, ut par erat, vel apud ipsum deposuerint suos dolores & rejecerint in ejus sinum, quemadmodum Propheta nos hortatur: sed quia nullum remedium occurrebat in mundo. nam quantisper aliquid reperiunt homines vel solatii, vel opis, illic subsistunt. Unde igitur *clamor ad Deum?* nempe ubi in mundo nihil sese offert, in quo possint acquiescere. nam hoc quasi nobis ingenitum est à natura (dico, à natura corrupta) circumspicere huc & illuc, ubi aliquid mali nos premit. Jam, quemadmodum dixi, ubi reperimus vel inane aliquod spectrum, illic residemus, & non attollimus in Deum oculos. Ubi autem necessitas nos cogit, tunc incipimus ad Deum clamare. Significat ergo Propheta populum fuisse redactum in ultimas angustias quum dicit *cor ejus ad Deum clamasse*. postea convertit sermonem *ad murum Jerusalem*, & rei inanimatæ sensum tribuit: *Mure Jerusalem*, inquit, *deducas lachrymas quasi fluvius*, vel tanquam fluvium. uterque enim sensus est probabilis. Sed per synecdochen sub voce Muri comprehendit totam urbem, ut satis notum est. Et tamen adhuc est prosopopœia, quia neque domus, neque muri, neque portæ, neque compita poterant defluere in lachrymas. Sed non potuit Jeremias nisi hac hyperbolica loquendi forma satis exprimere magnitudinem clamoris. Hæc igitur ratio est cur compellet *murum ipsum urbis*, & jubeat, *deducere lachrymas instar fluvii*. Videtur autem esse aliqua allusio ad ipsam ruinam. perinde enim excisi fuerunt muri Urbis, ac si liquefacti essent. Deinde videtur Propheta alludere ad pristinam duritiem populi. erant enim corda omnium plusquam stupida. Ergo quia nunquam fuerant flexibiles vel ad doctrinam, vel ad exhortationes, vel ad minas: ideo nunc tacite opponit muros Urbis: quasi diceret, Hactenus nemo ex servis Dei potuit elicere vel unam lachrymam ex oculis vestris, tanta fuit vestra durities: atqui nunc muri ipsi flebunt, quia liquefient, quemadmodum si rivos aquarum ex se projicerent. Lapides ergo ipsi vertentur in lachrymas, quia hactenus obduruistis adversus Deum, & omnem Propheticam doctrinam. Postea adjungit, *Ne parcas tibi, ne des tibi quietem die & nocte, & ne cesset filia oculi tui*, idest, pupilla oculi tui (ad verbum, ne taceat: sed metaphorice verbum Silendi sumitur pro quiescere, vel cessare) significat materiam fore, imo jam esse continui luctus: & ideo hortatur *ad flendum die & nocte*: quasi diceret mœrorem esse continuandum absque fatigatione, quia mala ipsa nihil dant relaxationis. Sed tenendum est quod ante diximus, Prophetam non ita fuisse loquutum, ut dolorem populi exacerbaret. Scimus enim plus satis teneros & molles esse hominum animos ad mala ferenda: deinde præcipites ruere ad impatientiam. Sed quia nondum adducti fuerant ad veram pœnitentiam, proposuit illis quas Deus pœnas inflixerat, ut inde se converterent ad reputanda sua peccata. Sequitur,

19. Surge, clama nocte, principio excubiarum, (*custodiarum, ad verbum: sed significat vigilias nocturnas*) effunde tanquam aquas cor tuum coram facie Domini: attolle ad ipsum manus tuas propter animam parvulorum tuorum, qui deficiunt fame in capite omnium compitorum.

Nunc clarius mentem suam explicat Propheta, & confirmat quod nuper dixi, se non referre populi calamitates, nisi in eum finem, ut qui fere stupidi erant, inciperent oculos suos ad Deum attollere:

deinde eaaminare vitam suam, & seipsos spoote damnare, ut hoc modo occurrerent iræ Dei. Jubet igitur Propheta *surgere & clamare*. Certe violenter coacti fuerant ab hostibus ad suscipiendum longum iter. Cur ergo *surgere* ipsos jubet, qui profugi erant à patria, & qui abigebantur tanquam pecudes? respicit, quemadmodum dixi, ad segnitiem animorum, quia interea torpebant in sois vitiis. Necesse igitur fuit socordiam illam expergefieri: & huc spectat Propheta per *surgendi* verbum. deinde jubet *clamare principio vigiliarum*, ubi scilicet somnus incipit obrepere, & est quietior hora. ubi enim se ad lectum homines conferuot, somnus tunc illis obrepit, & illa est præcipua quies. Propheta autem hic jubet, etiam quo tempore alii quiescunt, Judæos clamare, & inquietudine sua rapi ad querimonias. quanquam non vult ipsos temere projicere in aërem suos ejulatus: sed jubet vota sua recta conferre ad Deum. Quantum ergo ad circumstantiam temporis spectat, repetit quod jam vidimus, nempe tantam malorum esse congeriem, ut nihil relaaationis concedat populo. denique significat continuum mœrorem. Cæterum quemadmodum diai, non vult simpliciter Judæos clamare, sed postquam hortatus est *ut effundant corda sua quasi aquas*, adjungit, *coram facie Jehovæ*. oam increduli guttur suum fere eaulcerant clamando, sed tanquam feræ bestiæ: vel si invocant nomen Dei, faciunt hoc quidem cæco impetu & confuso, sicuti dictum fuit. Ergo Propheta hic discernit electos Dei à reprobis, quum jubet *corda effundere & clamorem coram facie Dei*, nempe ut petant levationem à Deo, quod fieri non potest, quin persuasi sint illum esse auctorem omnium cladium: ea quo etiam nascitur pœnitentia, quia mutua est relatio inter judicium Dei, & hominum peccata. Ergo quisquis apprehendit Deum judicem, simul cogitur in seipsum descendere, & inquirere in sua vitia. Nunc tenemus summam verborum Prophetæ. adjungit eodem sensu, *ut attollant ad ipsum manus suas*. Ceremonia quidem hæc per se non sufficeret: verum rem sæpe ab externis signis Scriptura ostendit. Elevatio igitur manuum hoc loco, & aliis tantundem valet atque precatio. Fuit autem hoc usitatum omnibus seculis, manus levare in cælum: & sæpe hæc loquutio in Psalmis occurrit: & quum Paulus jubet ubique promiscue Deum invocari, dicit, Volo viros tollere puras Psal. 28. vers. 2.
manus absque contentione. Deus haud dubie sug- & 134:2.
gessit hanc ceremoniam hominibus, primum ut su- 1 Tim. 2.
perarent totum mundum ubi ipse quærendus est; vers. 8.
deinde ut se hoc modo stimularent ad fiduciam, simulque ad exuendos omnes terrenos affectus. Nisi enim hæc ceremonia sursum attolleret mentes nostras, ut proclives sumus natura ad superstitionem, quisque vellet Deum quærere vel ad pedes suos, vel ad manus. Ergo Deus indidit hominibus hunc sensum, ut manus sursum attollerent, quo scilicet superarent totum mundum, quemadmodum diai: atque ita exuti omni perversa superstitione conscenderent supra cælos. Fuit quidem gestus iste etiam familiaris incredulis, fateor: sed hoc modo erepta fuit illis omnis excusatio. Quamvis ergo crassis deliriis imbuti fuerint increduli, ut affigerent Deum statuis, & picturis: tamen gestus ille sufficere potuit, quum manus attollerent in cælum, ad refellendos omnes eorum errores. Sed non sufficeret Deum quærere extra mundum, ita ut nulla superstitio occuparet mentes nostras, nisi etiam animi nostri essent eapediti ab omni terreno affectu. Tenemur enim implicitis nostris cupiditatibus: deinde appetimus quod nobis arridet secundum carnem: & hoc modo, ut plurimum, vellent Deum sibi subjicere homines. Ergo levatio manuum etiam huc tendit, ut renunciemus nobis, & exeamus quasi extra nos quoties invocandus est Deus. Hæc breviter dicta sint de usu ceremoniæ. Sed tenendum est quod attigi, Propheram à signo externo rem notare quum jubet *manus attollere ad Deum*. postea necessitatem ostendit; *propter animam parvulorum*, inquit, *qui deficiunt in fame*. sed B est supervacuum hoc loco. *qui ergo fame deficiunt*, *idque palam*. Poterit enim contingere, ut domi esuriant quibus non est cibus, atque ita deficiant, quia scilicet nemo illis succurrit, quod eorum inopia non cognoscitur. Sed ubi in locis publicis infantes ipsi animas eahalant præ fame, hinc cognoscitur extrema desperatio, quam hic voluit exprimere Propheta per *caput platearum*, vel compitorum. Sequitur;

20. Vide Jehovah, & aspice cui feceris sic: an comedent mulieres fructum suum; (*hoc est, fœtus suos*) parvulos educationis? an occidetur in Sanctuario Domini Sacerdos & Propheta?

Hic etiam verba ipsa, vel formulam precandi Judæis dictat Jeremias. valuit autem hæc querimonia ad miserationem, quod Deus non eatraneos hoc modo, sed populum quem sibi adoptaverat, affligeret. Exponuot quidem aliter intepretes, *Vide Jehovah cui hoc feceris*, hoc est, an ullus unquam populus tam atrociter fuerit afflictus. Ego autem non existimo hic fieri comparationem, quam illi volunt, sed populum simpliciter proponere Deo memoriam fœderis, quod cum Patribus pepigerat: quasi dicerent, Domine, si hoc modo sævires contra extraneos, non esset adeo mirum: sed quum simus tua hæreditas, & semen Abrahæ benedictum, quum nos dignatus fueris in populum peculiarem eligere, quid hoc sibi vult, quod tam aspere nos tractas? Nunc ergo tenemus genuinum Prophetæ sensum ubi in persona populi sic loquitur, *Vide & aspice Jehovah cui hoc feceris*, nempe tibi negotium est cum filiis tuis: non quod Judæi quicquam dignitatis à se in medium proferre possent: sed gratuita Dei electio satis superque ad misericordiam debebat valere. Neque simpliciter rogant hic fideles, *ut Deus videat*, sed addunt secundum verbum, *ut aspiciat*: qua duplicatione melius exprimunt rei indignitatem: quasi dicerent hoc simile esse portento, tam duriter affligi Dei populum, qui electus fuit. *vide* ergo *cui feceris*. Et hæc etiam precandi ratio satis communis fuit, ut in Psalmo dicitur, Effunde iram tuam in Gentes quæ Psal. 79.
non ooverunt te; & in regna quæ nomen tuum non vers. 6.
invocant. Similem etiam sententiam ante habuimus apud Prophetam nostrum. Summa est, hanc esse ju- Jere. 10.
stam Deo materiam, cur ad misericordiam flectatur, vers. 25.
atque ita reconcilietur populo suo, quia negotium est non cum gentibus extraneis, sed cum sua familia quam dignatus est adoptare. Sed reliqua differam in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie tot malis premitur tua Ecclesia, ut discamus non tantum oculos ad te attollere & manus, sed etiam corda nostra: & ita simus tibi affixi, ut abs te uno salutem expectemus: & quamvis obruat nos in terra desperatio, ut tamen spes tuæ bonitatis semper nobis in cælis affulgeat: & freti Mediatore quem nobis dedisti, non dubitemus ad te assidue clamare, donec re ipsa experiamur non fuisse irritas preces nostras, quum Ecclesiæ tuæ misertus manum porrexeris, & dederis nobis materiam gaudii, & luctum nostrum in lætitiam converteris, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN LAMENT. JEREMIÆ.

EXposuimus heri querimoniam Prophetæ, ubi Deo fœdus suum objiciebat. Res enim poterat videri absurda, Deum adversus Ecclesiam, quam adoptaverat, usque adeo sævire. Dicebat igitur Propheta, *Vide Jehovah cui tu sic feceris.* Jam commemorat quasdam species, quæ possint etiam horrorem incutere, & hoc modo impetrare à Deo veniam, *An comedent mulieres fructum suum*, (hoc est, fœtum) *parvulos educationum?* Hoc, quemadmodum dixi, abominari necesse est. videmus enim matres sæpe propriæ vitæ oblivisci, ut consulant suis parvulis. Filium ergo à matre vorari, id vero est plusquam detestabile. & tamen scimus fuisse factum. Unde apparet, quum excæcati fuissent Israëlitæ à Deo, in illam barbariem fuisse prolapsos. nam in obsidione Samariæ id accidit, sicuti patet ex Sacra historia: & idem Propheta nunc de suo tempore commemorat, imo iterum repetet capite quarto. Et Josephus etiam dicit, quum Urbs obsideretur à Tito, rebus jam fere desperatis, matres inter se conspirasse, ut filios suos comederent, & fuisse sortitas, quæ prima occideret filium, deinde alias aliis furatas fuisse vel brachium vel crus. Quia tamen illud est immane, Propheta hic Deum ad misericordiam flectere studet, tanta absurditate proposita. Dicit ergo minime æquum esse, ut *matres comedant parvulos suos, parvulos educationum*, inquit. postea adjungit, *an in Sanctuario Domini occidetur Sacerdos & Propheta?* Hæc est secunda species indignitatis, qua Deum ad misericordiam provocat. nam scimus Sacerdotes una cum Prophetis fuisse sacrosanctos. Et in Psalmo, ubi sermo habetur de Abraham, Isaac, & Jacob, Deus ut ostendat quantopere habeat ipsos commendatos, dicit, Nolite tangere Christos meos, & Prophetis meis ne feceritis injuriam. Quum ergo in Dei fidem peculiariter recepti essent Sacerdotes & Prophetæ, fuit hæc atrocitas non ferenda. Sed ubi accessit profanatio Templi, circumstantia etiam illa potuit augere tale portentum. Conqueritur itaque Jeremias non modo jugulari Sacerdotes & Prophetas, sed etiam mactari in ipso Sanctuario. Nunc sequitur,

Psal. 105. vers. 15.

21. Jacuerunt in terra per compita puer & senex: virgines meæ, & adolescentes mei ceciderunt gladio, occidisti in die iræ tuæ: mactasti & non pepercisti.

Hic alias clades recenset sub persona Ecclesiæ, nempe quod tam senex quam puer jacuerint prostrati in compitis. Conjungit autem *pueros senibus*, ut ostendat nullum fuisse ætatum discrimen. Promiscue ergo dicit jacuisse cadavera in locis publicis. dicit *virgines & adolescentes gladio cecidisse.* est confirmatio superioris membri, quia nihil novum hic dicitur, sed tantum ostenditur modus, quo jacuerint occisi in omnibus viis, quia scilicet jugulati fuerant adolescentes, deinde virgines sine ullo sexus delectu: hostes interea senibus non pepercerant quum exciderent florem ipsum populi. Sed ostendit simul Prophetа id totum debere adscribi Deo, non ut cum ipso Judæi expostulent, sed ut desinant frustra lamentari de suis cladibus: quo se convertant potius ad Deum. Non dicit igitur occisos fuisse tam senes, quam adolescentes ab hostibus, sed ab ipso Deo. Id autem erat difficile persuasu; quia Judæi furore perciti contra suos hostes, non poterant animum adjicere ad consideranda Dei judicia. Hæc igitur ratio est cur Propheta Deum faciat auctorem omnium cladium: *Tu*, inquit, *occidisti in die iracundiæ tuæ, mactasti & non pepercisti.* Etsi autem videtur hic quodammodo litigare populus cum Deo, tenendum tamen est Prophetæ consilium, nempe ut populus discat tandem ad Deum ipsum respicere, deinde sciat sibi esse cum eo negotium. Debet enim fieri transitus ab hac doctrina ad alteram, nempe ut homines sibi male conscii, primum Deo gloriam tribuant, deinde ut suppliciter deprecentur iram quam meriti sunt. Tandem sequitur,

22. Vocasti tanquam ad diem festum terrores meos undique, & non fuit in die indignationis Jehovæ superstes ac residuus: quos enutrivi & educavi, hostis meus consumpsit eos. (*sed abundat relativum.*)

Hic utitur aptissima metaphora, ut ostendat populum fuisse penitus constrictum ultimis angustiis. Dicit enim *terrores fuisse hinc inde accersitos:* quemadmodum ubi indicitur solennis conventus. Tubis enim clangebant quum instabat festus aliquis dies, ut omnes ascenderent in Templum. Sicuti ergo multæ catervæ solebant venire Jerosolymam ad dies festos, quum tubæ clangore vocati erant omnes: ita Propheta dicit *terrores fuisse ab omni parte divinitus tractos*, ut constringerent miserum populum. *Vocasti* ergo *terrores meos per circuitum*, inquit: quomodo? *tanquam ad diem festum*, ad diem conventus. מועד enim significat tam cœtus ipsos, quam locum, & tempus condictum. Semper autem tenendum est quod attigi, quamvis hostes terrerent Judæos, hoc tamen Deo adscribi, ut quisque pro se agnoscat non fortuito venisse Chaldæos, sed arcano Dei impulsu. Postea adjungit, *In die iræ Jehovæ* (mutat personam) *non fuit residuus vel superstes:* imo, inquit, *hostis consumpsit quos educaveram & extuleram.* Hic ad hostes transfert quod paulo ante dixit à Deo esse factum, sed eodem sensu, quia scilicet Deum intelligit fuisse primum auctorem, Chaldæos vero ministros vindictæ ejus. Nunc sequitur,

CAP. III.

EGo vir videns afflictionem in virga indignationis ejus.

עברה proprie significat impetum, à transgrediendo: sed quod proprium est hominibus sæpe ad Deum ipsum transfert Scriptura. Hic autem personam mutat, quia antehac loquutus est de populo sub persona mulieris, ut sæpe fieri solet: nunc vero prodit ipse Propheta in medium. Quanquam minime dubium est, quin suo exemplo alios omnes hortetur ad luctum, qui conjunctus sit cum vera pœnitentia.

Hoc

Hoc autem caput uberiore doctrina refertum est, ut videbimus. Continet enim insignes sententias, quas tractabimus singulas suo loco. Quod existimant quidam scriptam fuisse hanc lamentationem à Jeremia, quum in carcerem esset conjectus, mihi non est verisimile: & contextus satis ostendet fuisse carmen hoc compositum de communi clade totius populi. Hic ergo Jeremias non agit privatam causam, sed remedium ostendit suis popularibus in rebus desperatis, nempe ut se recta conferant ad Deum, & ab una parte expendant sua peccata: deinde gustum aliquem capiant misericordiæ Dei, ut erigant animos ad spem bonam: ut se exerceant in precibus. Hæc omnia videbimus suo ordine. Primo dicit *se esse virum afflictum.* scimus enim quam trita sit illa loquutio apud Hebræos, Videre afflictionem, videre bonum & malum, videre mortem & vitam. Dicit igitur *se expertum esse multas afflictiones*, neque id modo, sed quasi esse addictum miseriis: quomodo? *In virga furoris ejus*, inquit. Non exprimitur nomen ipsius Dei, sed quia de re nota loquitur Jeremias, ponit relativum. Statim autem à principio sentit quicquid malorum perpetitur, inflictum sibi fuisse Dei manu. Et quia hoc persuasum esse debet omnibus piis, Deum nunquam nisi juste irasci, ideo comprehenditur sub hac voce iracundiæ, brevis confessio: præsertim quum addatur nomen virgæ aut baculi. In summa, Propheta dicit se esse miserrimum: sed causam simul exprimit, quia duriter castigatus fuerit ab irato Deo.

2. Me deduxit & proficisci fecit in tenebras, & non in lucem.

Triplicantur literæ Alphabeti in hoc capite, quod omiseram. nam primis duobus capitibus singuli versus incipiebant à literis Alphabeti: nisi quod proximo capite inversus fuit ordo, quia פ ante ע posuit Jeremias, vel forte mutatus fuit ordo à Scribis: incertum est. Hic autem, ut dixi, singulæ literæ ter repetuntur. Ergo secundus & tertius versus incipit ab א: quartus deinde versus incipiet à ב: & eadem erit ratio. Hic confirmat proximam sententiam. ostendit enim causam suarum afflictionum vel modum, *quia deductus fuerit in tenebras, & non in lucem.* Hæc antithesis in aliis linguis similem gratiam non haberet, ut in Hebraica. Sed quum dicunt se esse in tenebris, & non in luce, amplificant ipsam obscuritatem: quasi dicerent, ne scintillam quidem lucis esse in caligine, adeo densa est & obscura. hoc nunc etiam Propheta intelligit. Scimus autem quid per tenebras Scriptura passim intelligat, nempe omnem luctus materiam. nam aspectus lucis nos exhilarat, imo serenitas cœli erigit & recreat hominum mentes. Ergo caligo accipitur pro rebus adversis & mœrore, qui inde consequitur. Postea addit,

3. Utique contra me vertetur, convertet manum suam quotidie. (*vel toto die: quanquam in duobus verbis videtur Futurum tempus debere resolvi in Præteritum, vel saltem Propheta actum continuum designat, ut sæpe fieri solet.*)

Dicit autem *Deum sibi esse adversum.* nam hoc significat verbum ישב: *vertetur*, inquit, *in me*: quemadmodum hostis ubi vult confligere ex opposito occurrit: ita Propheta dicit Deum sibi esse infestum. & idem alia forma docet, quod scilicet sentiat manum Dei sibi esse adversam: *Convertet*, inquit, *contra me manum suam* כל-היום, vel quotidie, vel toto die: sed simpliciter assiduitatem notat Propheta, quasi diceret nullas esse inducias, quoniam Deus rigorem suæ vindictæ sine modo & fine prosequitur. Postea adjungit,

4. Senio confecit carnem meam (*senescere fecit, ad verbum*) & pellem meam, (*vel cutem*) confregit ossa mea.

Sunt metaphoricæ loquutiones, ut satis apparet. nam sæpe ægritudo senio confertur, quia ex dolore contrahimus maciem. ita retrahitur cutis, & rugæ seniles apparent etiam in juvenibus. Quoniam ergo succum & vigorem exhauriunt dolores, ideo dicitur senescere qui fere in luctu tabescit. Hoc nunc intelligit Propheta: *senescere*, inquit, *fecit Deus carnem meam, & pellem*, vel cutem, hoc est, intus & extra sic me confecit, ut fere tabescam. Postea adjungit, *confregit ossa mea.* Videtur hoc esse hyperbolicum: sed alibi diximus hanc similitudinem non omni ex parte exprimere magnitudinem doloris, quem percipiunt fideles ex sensu iræ Dei: ideo & David & Ezechias sic loquuti sunt: imo Ezechias comparat Deum leoni, Quasi leo, inquit, confregit *Jesa. 38.*
ossa mea: David nunc dicit ossa sua contabuisse, *vers. 13.*
nunc fuisse contrita, nunc fuisse redacta in cinerem, nempe quia nihil magis formidabile, quam sentire Deum iratum. Propheta ergo non tantum ad externas clades respicit, sed ad signum vindictæ Dei, quia populus nihil aliud in rebus illis afflictis statuere poterat, nisi Deum esse hostem: & hoc verum erat. Deus enim sæpius hortatus ipsos fuerat ad pœnitentiam: sed quos expertus fuerat prorsus insanabiles, tandem ad extremum ultus est, sicuti æquum erat. Hæc igitur ratio est cur Propheta dicat *Deum fregisse ossa.* Postea addit,

5. Ædificavit contra me, & circumdedit felle, & molestia.

Sunt translationes quæ possent videri duræ: tamen habent non vulgarem gratiam in lingua Hebraica. Dicit ergo Propheta *se esse obsessum* & arctatum quasi *maceriis*: & triplicabit hanc similitudinem aliis quidem verbis, sed in eundem finem, ut videbimus. *Ædificavit*, inquit, *Deus contra me*: quemadmodum si volumus quempiam circumvenire, extruimus aggeres, ne qua possit elabi. Hoc igitur ædificium est, de quo Propheta nunc loquitur: Deus, inquit, circumcirca me tenet constrictum, ut jam nullum effugium pateat. Postea clarius exprimit, *quod circumdatus sit felle*, & veneno, *aut molestia.* Venenum priore loco ponit, deinde sine figura ostendit quodnam sit illud venenum, nempe quod multis molestiis sit afflictus. Postea adjungit,

6. In tenebris jacere me fecit tanquam mortuos seculi.

Hic

Hic amplificat quod prius dixit de veneno & molestiis. dicit *se in tenebris fuisse locatum*, non ut tantum paulisper illic ageret, sed ut diu maneret. *habitare ergo fecit me in tenebris*, inquit. Sed similitudo quæ sequitur melius explicat Prophetæ mentem: dicit *tanquam mortuos seculi:* עלם potest vel ad futurum tempus, vel ad præteritum referri. quidam dicunt *tanquam mortuos seculi*, qui moriuntur in perpetuum. Sed alibi mortuos seculi vocat Scriptura, qui pridem sepulti sunt, ita ut computruerint, imo quorum fere memoria extincta est. Quamdiu enim retinet cadaver humanam formam, videtur propius ad vitam accedere: sed ubi redactum est in pulverem, ubi nullum os apparet, cutis tota periit, & nervi, & sanguis, & nihil residuum manet simile homini, illic nulla est spes vitæ. *Mortuos* ergo *seculi* Scriptura vocat qui putredine consumpti sunt. Ita etiam hoc loco dicit Propheta *se habitasse in tenebris*, in quas conjectus fuerat Dei manu, sed habitasse acsi pridem esset mortuus, & jam esset putridum cadaver. Hæc quidem loquutio videtur hyperbolica: sed semper memoria tenendum est quod admonui, nempe non posse satis aggravari magnitudinem doloris, quem percipiunt fideles ex terrore iræ Dei. Postea addit,

7. Sepsit me, ut non egrediar: aggravavit compedem meum.

Hic primo dicit *se teneri obseptum*. גדר enim est sepire, & גדרה nomen significat sepem, vel maceriem, & clausuram aliam quamlibet. Dicit ergo *se tanquam maceria fuisse inclusum, ita ut evadere non posset*: quemadmodum etiam adjungit, *& non egrediar*. sed copula debet resolvi in finalem particulam. *Clausit* ergo *me*, vel sepivit, *ne egrediar*. postea, *Aggravavit compedem meum*. significat se non tantum fuisse constrictum compedibus, sed ita ut ne digitos quidem posset attollere: perinde acsi diceret injectos sibi fuisse compedes, sed ita onerosos, ut non posset vel pedes movere.

8. Etiamsi clamem & vociferer, clausit precationem meam. (*vel precationi meæ.*)

Hic extremum omnium malorum describit Propheta, quod scilicet nihil clamando & precando profecerit. Atqui scimus illuc nos vocari in omnibus
Prov. 18. miseriis. Turris fortissima nomen Domini, ad ipsam
vers. 10. confugiet justus & salvus erit: deinde, Quisquis in-
Joël. 2. vocaverit nomen Dei salvus erit, apud Joëlem. Et
vers. 32. Scriptura scatet ejusmodi testimoniis, ubi Deus ad
Psal. 91. se cunctos fideles humaniter invitat, Clamabit ad
vers. 15. me, & ego exaudiam eum: In die illa clamabit, &
Psal. 88. ego exaudiam: deinde, Antequam clamaveritis. de-
vers. 2. nique congerere omnes locos nihil opus est: sed con-
Jesa. 65. tenti simus uno illo, quum Deus epitheton sibi illud
vers. 24. vendicat, quod exaudiat preces, significat non posse ab æterna sua essentia, & divinitate illud separari, quin scilicet propensus sit ad preces exaudiendas.
Psal. 65. Ideo colligit Propheta, Ad te omnis caro veniet.
vers. 3. Quum ergo Jeremias conqueritur preces suas fuisse irritas, & caruisse omni fructu vel effectu, videtur id esse absurdum. Sed scimus Deum suspendere fidelium animos, & ita exaudire, ut probet atque examinet eorum patientiam interdum ad longum tempus. Hæc ratio est cur auxilium suum differat & protrahat. Non mirum igitur est, quod Deus servi sui preces non exaudierit: nempe secundum carnis sensum. Deus enim nunquam respuit suos, neque surdus est ad ipsorum vota & gemitus: sed loquuntur sæpe fideles ex carnis sensu. Quoniam ergo orando non videbat Propheta se quicquam consequi, ideo dicit *prohibitas fuisse preces suas*, vel clausas, vel januam sibi fuisse obstructam, ita ut preces ejus ad Deum non pervenirent. Est autem hic locus notatu dignus, quia nisi statim Deus nobis occurrat, languescimus, & non modo frigescit in nobis precandi studium, sed fere extinguitur. Tenendum igitur est, quamvis non tam celeriter nobis opituletur Deus, non tamen ab ipso repudiari nostras preces: & quando videmus sanctos patres id esse expertos, ne miremur si Dominus ita hodie examinet fidem nostram. Perseveremus itaque clamando: quod si longior sit mora, tamen ubi conquesti fuerimus nos non esse exauditos, pergamus in eodem cursu, quemadmodum videbimus Prophetam facere. Sequitur,

9. Sepivit (*est idem verbum quod ante vidimus*) vias meas lapide quadrato, semitas meas pervertit.

Ponuntur aliæ similitudines. Quod existimant quidam Prophetam notare obsidionem urbis Jerosolymæ, non est consentaneum. Sunt igitur metaphoræ quæ inter se respondent, quamvis sit aliquid diversum. Dixerat prius se obseptum fuisse à Deo, vel circumdatum quasi maceriis, nunc autem transfert hoc *ad vias suas*. ubi agitur de humana vita scimus conferri viæ. Comprehendit ergo Propheta omnes suas actiones sub hac voce: acsi diceret sua omnia consilia fuisse redacta in angustias, quasi oppositæ essent clausuræ ut progredi non liceret. Si velim tendere in aliquam partem, & mihi ponatur obstaculum, cogor manere quasi fixus: sic etiam Propheta dicit *vias suas fuisse obseptas*, quia Deus non permisit ulla consilia, vel ullas deliberationes procedere. In eundem etiam finem addit, *quod Deus perverterit vias*, hoc est, quod turbaverit omnes actiones & omnia consilia. Sed addit hic *lapidem quadratum*. גזה significat excidere. ergo hic גזית significat lapidem politum, vel excisum malleo. Scimus autem lapides illos esse duriores, & plus habere firmitudinis. nam si lapides impoliti aggeruntur, non tam firmum est ædificium, sicuti dum lapides quadrati inter se cohærent. Significat igitur Propheta, tales fuisse clausuras, ut ne posset ullo modo perrumpere, quia non admitterent ullam fracturam. In summa, intelligit se manu Dei ita fuisse oppressum, ut quicquid consultaverit hoc statim retroageret Deus. Nunc ergo tenemus quo sensu dicat *vias omnes fuisse eversas à Deo*. hoc generaliter non debet intelligi. Deus enim est, qui dirigit vias nostras. Sed dicitur etiam vias nostras pervertere, ubi maledicit consiliis nostris, ubi in irritum cedunt omnia nostra studia & omnes conatus: denique ubi Deus nobis quasi ex adverso occurrit, & impedit omnem nostrum cursum, tunc dicitur vias nostras pervertere. Sed hoc non debet intelligi quasi Deus injuste homines excæcaret, vel quasi abduceret in errores: tantum significat Propheta sibi nihil fuisse reliquum in omnibus consiliis, in omnibus studiis & actionibus, quia habebat Deum sibi adversum. Ego hic subsistam.

Da omnipotens Deus, quando tam severe olim castigasti populum tuum, ut hodie patienter subjiciamus nos tuis ferulis, & miti ac mansueto spiritu sinamus nos corrigi, sicuti digni sumus: interea non desinamus ad te clamare, & quamvis tarde videaris exaudire preces nostras, ut tamen constantes perseveremus usque in finem, donec tandem re ipsa sentiamus non frustra promissam esse salutem omnibus, qui te sincero corde invocant, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO NONA IN LAMENT. JEREMIÆ.

10. Ursus insidians fuit mihi, (*ipse mihi*) leo in latebris.

ASpera est querimonia ubi Jeremias comparat Deum urso & leoni. Sed diximus sensum iræ Dei ita fideles terrere, ut non possint satis exprimere atrocitatem sui mali: deinde tenendum etiam est memoria quod diximus, eos loqui ex sensu carnis. neque enim sic temperant suos affectus, quin aliquid excidat reprehensione dignum. Non debemus ergo exigere ad pietatis regulam omnes sanctorum querimonias, ubi manu Dei premuntur: quia ut turbati sunt eorum animi, prorumpunt multam intemperiem. Sed potius debemus agnoscere quanta sit nostra infirmitas, quoties videmus etiam fortissimos quosque ita concidere, ubi Deus severitatem suam erga eos exerit. Quanquam ergo non videtur satis honorifice hoc esse dictum, *Deum insidiari ut solent ursi viatoribus, & leones è suis speluncis:* tamen si consideramus quantopere expavescant fideles ad signa iræ Dei, non mirabimur hunc excessum. Deinde certum est, Prophetam hic in medium protulisse non tantum testimonia timoris Dei, pietatis, & humilitatis, sed etiam vitiosos carnis affectus, quia fieri non potest, quin hominum infirmitas se prodat in extremis illis malis. Adjungit in eundem sensum,

11. Vias meas pervertit, & scidit me, (*vel dissipavit, aut laceravit*) posuit me vastatam. (*vel quasi vastitatem.*)

Hoc etiam versu Propheta ostendit quam graviter turbati fuerint fideles quum sentirent Deum sibi esse adversum. Utitur autem eadem figura qua heri; quanquam aliud est verbum סורר: dicebat autem heri עוה, sed eodem sensu. Dicit ergo *vias suas fuisse perversas*, nempe quia destituebatur consilio: quicquid agitaret id esse irritum, eo quod Deus ipsum violenter retroageret. Nam quum aliquid suscipimus agendum, via nobis patet: ubi autem non succedis, dicitur via nostra perverti. Hoc autem fit à Deo, qui eventus habet tam prosperos quam adversos in manu sua. Sicuti ergo Deus vias nostras dirigit quum benedicit consiliis nostris & actionibus: ita ex opposito eas pervertit ubi omnia infeliciter nobis cedunt, nihil est consilii: & eventus votis nostris non respondet. Postea adjungit, *Laceravit me*, vel scidit me: proprie פשח est sciodere, sed hic accipitur pro lacerare vel dissipare. Postremo addit, *posuit me vastitatem:* quo verbo comprehendit alia duo. qui enim redactus est in vastitatem, ille neque viam tenet, neque reperit aliquem exitum, deinde distrahitur huc & illuc, acsi esset laceratus in partes. Videmus ergo Prophetam hic conqueri de malorum extremitate, quia nihil ad spem salutis sit residuum. Adjungit,

12. Extendit (*vel intendit*) arcum suum, & statuit me quasi signum sagittæ.

Hic aliam metaphoram adducit Propheta, quod scilicet Deus contra ipsum jaculatus fuerit, quemadmodum impetitur signum sagittis. מטרא alibi posuit Jeremias pro carcere, & sæpius. Sed hic significat scopum, quem sibi proponunt sagittarii: & ita
Job. 16. vers. 12. etiam accipitur Job. 16. cap. ubi eadem est querimonia. Sensus ergo est, populum, in cujus persona loquitur Jeremias, fuisse instar scopi, quia Deus illuc sagittas omnes suas dirigeret. Hoc autem est formidabile, ubi Deus in nos collimat, ut defigat omnia sua jacula & tela ad nos confodiendos. Sed quia Deus tam graviter afflixerat populum suum, ut videri posset exeruisse omnes suas vindictas, merito conqueritur Propheta, *populum fuisse instar scopi.*

13. Induxit in renes meos filios pharetræ suæ. (*id est, sagittas.*)

Prosequitur eandem metaphoram. dixit proximo versu, Deum intendisse arcum: nunc vero adjungit, *sagittas ejus penetrasse in ipsos renes*, hoc est, usque ad partes intimas. Sed tenendum quid Propheta velit, nempe Deum ita duriter egisse cum populo, ut nulla pars etiam interior salva & intacta fuerit, *quoniam sagittæ ejus renes ipsos perfoderant*. Postea addit,

14. Fui risus (*vel ludibrium*) toti populo meo, pulsatio (*vel canticum, quod pulsatur ab organo & instrumento musico*) quotidie. (*vel toto die.*)

Rursus conqueritur Propheta de opprobriis, quibus Deus exposuerat Judæos. Diximus autem inter gravissima mala esse contumeliam: & experientia docet quantopere exacerbetur dolor ubi accedunt vel ludibria vel subsannationes. qui enim alioqui tacitus voraret gravissimos dolores, ubi videt se contumeliose vexari, frangitur animo. Hæc igitur ratio est cur Propheta iterum miserias populi amplificet, quia ludibrio omnium sit expositus. Sed posset videri absurdum, Judæos fuisse derisos à populo suo: hæc ratio est cur existiment quidam Prophetam conqueri privatim de suis malis, neque repræsentare totum populum, vel publicum statum Ecclesiæ. Sed potest etiam hoc excusari, quia non simpliciter intelligit Propheta derisum fuisse populum à suis, quod fieri non potest, sed perinde est acsi diceret, fuisse statum illum ita probrosum, ut dum alii alios se mutuo aspicerent, haberent materiam subsannationis, si ita passa fuisset eorum conditio. Denique non significat Propheta quid factum sit, sed simpliciter conqueritur, calamitatem suam fuisse obnoxiam omnibus probris, ita ut quisquis aspiceret Jerosolymam, posset ludibrio habere fœdum illud spectaculum. Et æquissima fuit merces, ut diximus. neque enim destiterant contumelia Deum afficere. Ergo rependit illis quod meriti erant, ubi dedecore ipsos vicissim oppressit. Postea addit, *se fuisse quasi canticum*, ludibrii scilicet. est enim confirmatio superioris membri, & eadem etiam querimonia legitur in libro Job. Dicit hoc factum fuisse *quotidie*, vel toto die. Assiduitas autem ista gravitatem mali clarius ostendit, quemadmodum dictum fuit.

15. Satia-

15. Satiavit me amaritudinibus, saturavit me felle.

Alii vertunt absinthium, sed non videtur mihi quadrare nomen Absinthii, quia herba est salubris, utcunque sit amara. Ego igitur accipio hoc loco, & similibus pro veneno aut felle: & ראש, ut videbimus, conjungitur cum hac voce. Satiandi vero etiam metaphora satis communis est. Ergo intelligit Propheta se plenum esse amaritudine & felle: atque ita respicit ad clades illas, unde conceperat tantum mœroris. Cæterum, hinc colligimus sanctos non fuisse expertes doloris in suis malis, quia amaritudo & fel satis demonstrant animos eorum ita fuisse exulceratos ut non satis patienter ferrent suas ærumnas. Sed luctati sunt cum sua infirmitate: & eorum exemplum nobis proponitur ne despondeamus animos, ubi amaritudo & fel animos nostros occupant. Sed quando idem accidit optimis Dei servis, meminerimus infirmitatis nostræ, & interea confugiamus ad Deum. nam increduli alunt illam amaritudinem, quia animos suos in sinum Dei non exonerant. Sed hoc est optimum solatium, ubi non placemus nobis in amaritudine & mœrore, sed cupimus animos nostros purgari, & quodammodo ipsos aperimus, ut quicquid est illic amarum, Deus tollat, & ita pascat nos dulcedine suæ bonitatis, quemadmodum alibi dicitur. Adjungit,

16. Confregit (*vel contrivit*) lapillo dentes meos, involvit me (*fœdavit me: alii autem, versavit*) in pulvere.

Multæ hic leguntur translationes, nulla tamen est affectatio, quia, ut sæpius dictum fuit, in tanta malorum congerie non potuit satis exprimi populi dolor. Nec dubium est, quin Propheta hic manum porrexerit debilibus, qui alioqui prorsus jacuissent tanquam mortui. nam in clade totius gentis, in Urbis excidio, & Templi interitu, fieri non potuit quin occurrerint istæ cogitationes. Jam si quisque hac tentatione fuisset impetitus, facile erat succumbere, nisi oblatum fuisset remedium. Propheta igitur dictat piis omnibus querimonias, quas, ut ita dicam, evomant secure & familiariter in sinum Dei. Videmus ergo hic etiam exprimi quicquid in mentem venire poterat filiis Dei, ut non dubitent etiam in illis angustiis vota sua dirigere ad Deum, & libere fateri quicquid patiuntur in animis suis. Pudor enim præcludit nobis aditum: ita fit ut tumultuemur quasi Deus procul à nobis abesset: inde prorumpit impatientia nostra fere usque ad rabiem. Sed ubi patet nobis ad Deum accessus, & audemus fateri quæ animos nostros gravant, illud est, quemadmodum dixi, optimum solatium. Ergo tenendum est hoc consilium Prophetæ, quod suggessit verba fidelibus, ut familiariter rejicerent suas curas & dolores in Deum, & ita sentirent aliquid levationis. Hac ratione dicit *contritos sibi fuisse dentes lapillo.* hæc etiam translatio legitur in libro Job, nisi fallor. Metaphora autem sumpta est ab his qui lapides dentibus premunt loco panis, quemadmodum si lateat calculus in pane, affert gravem læsionem dentibus. Dolores ergo intestini & occulti dicuntur esse similes calculis, qui dentes frangunt, vel conterunt. Neque enim Propheta hic loquitur de magnis lapidibus, sed loquitur potius de calculis vel lapillis, qui possunt hominem fallere, quia latent vel sub pane, vel in carne, vel alio genere cibi. Sicuti ergo læduntur dentes tali attritu, ita Propheta dicit dolores suos fuisse acerbissimos: quia pars illa est valde tenera, ut satis notum est: & quum aliquid mali dentibus accidit, dolor fere diffunditur statim per totum corpus. hæc ratio est cur dicat *fractos sibi esse dentes.* Deinde adjungit *se coopertum esse pulvere*, vel jactatum, vel versatum fuisse in pulvere. Translatio autem sumpta est ab his qui trahuntur per opprobrium, quemadmodum cadaver aliquod, vel aliquid fœdum, & quod abominamur trahitur per pulverem. Ita Propheta conqueritur nihil defuisse ad extrema mala. Adjungit,

17. Et remota fuit à pace anima mea, oblitus sum boni.

Quum dicit *animam suam remotam à pace*, intelligit sibi nihil boni fuisse residuum. Nam voce Pacis, ut satis notum est, intelligunt Hebræi quamlibet prosperitatem. Et seipsum exprimit altero membro, *quod oblitus fuerit omnis boni.* hæc autem oblivio debet intelligi realis, ut ita loquar. Nam si qua fuisset materia gaudendi, non obliti fuissent: quia naturaliter arripiunt omnes quod jucundum est, imo feruntur toto appetitu ad id quod ipsos delectat. Esset igitur præter naturam oblivisci quæ nobis sunt bona, & jucunda. sed privationem hic Propheta significat. Oblivio igitur hæc de qua loquitur, nihil aliud est quam alienatio ab omni bono: acsi diceret (quemadmodum jam prius membrum exposuit) se fuisse procul remotum ab omni spe pacis. Sed loquutio hæc magis est emphatica, quum dicit *animam suam fuisse remotam.* nomine Animæ non seipsum intelligit duntaxat (illud enim esset frigidum) sed intelligit omnes sensus suos: quasi diceret, Quocunque circumspicio, nihil reperio pacis, & nulla spes mihi affulget. Hinc fit, ut omnes animæ partes procul rejectæ sint ab omni experientia bonorum. Sequitur,

18. Et dixi, Periit fortitudo mea, & spes mea à Jehovah.

Hic versus ostendit quod ante admonui, Prophetam scilicet non hic loqui acsi esset cautus omni vitio, & dictaret perfectissimam regulam bene precandi. Quin potius hic, ut animet fideles ad quærendum Deum, proponit illis speculum infirmitatis, quam quisque pro se experiebatur. Porro hæc gravissima fuit tentatio, quod Propheta fere desperaverit: nam si fides est mater spei, sequitur, ubi desperatione quispiam obruitur, fidem esse extinctam. atqui hoc narrat Propheta: *Periit fortitudo mea, & spes*, inquit, *à Deo.* Neque loquitur de inconsiderato aliquo motu quasi abreptus fuerit, quemadmodum multa nobis excidunt quæ non sumus meditati: sed dicit sibi hoc fuisse quasi fixum in animo. Si diceret, Periit spes mea, & fortitudo à Jehovah, jam hinc pateret fidem ejus fuisse non leviter concussam, imo labefactatam: sed verbum *dicendi* amplificat. Dicere enim tantundem valet ac statuere apud se, quemadmodum satis notum est. Quod ergo Propheta persuasus fuerit se à Deo esse relictum, quid hoc sibi vult? Sane tenendum est, aliquando sic fidem suffocari, ut existiment etiam filii Dei se esse perditos, & actum esse de salute sua. Idem etiam fatetur David. nam illud fuit signum desperationis, *Psal. 116.*
Dixi in præcipitatione mea, Vanitas est omnis *vers. 11.*
homo. fere sibi exciderat, & jam non erat compos mentis quum hoc agitaret. Nec dubium est, quin Propheta etiam diserte admonuerit fideles, non esse

despe-

desperandum, ubi desperatio eorum animos occupat, vel diabolus eos ad desperationem sollicitat: sed luctandum tunc maxime esse. Hoc quidem arduum (fateor) certamen est & periculosum: verum ne deficiant fideles, etiam ubi aliquid tale ipsis occurrit, esse actum scilicet, & nihil spei restare: quin potius sperare tamen pergant, & quidem, ut alibi dicit
Rom. 4. vers. 18. Scriptura, præter spem, vel supra spem. Ergo discamus ex hoc loco fideles non esse immunes à desperatione, quin animos eorum invadat: sed non esse tamen cur tunc indulgeant desperationi: quin potius debent fortiter & constanter resistere: quemadmodum ubi Propheta hoc dicit, non significat se succubuisse tentationi quasi quod venerat in mentem amplexus fuerit: sed significat se ad breve tempus fuisse quasi oppressum. Si quispiam roget, quomodo fieri possit, ut spes & desperatio sedem habeat in eodem homine, respondendum est, prout fides est infirma, vacuam esse animæ partem, quæ desperationem admittat. Jam fides interdum non modo debilitatur, sed fere jacet suffocata. Hoc quidem non accidit quotidie, sed nemo est, quem serio Deus exercuerit tentationibus, qui non senserit fidem suam esse fere extinctam. Ergo non mirum est, si desperatio tunc prævaleat, sed ad momentum. Interim hoc remedium est, statim confugere ad Deum, & conqueri de illa miseria, ut succurrat, & erigat eos qui sic collapsi sunt. Postea adjungit,

19. Recordari (*vel recordando: alii, recordare*) afflictionis meæ, & ærumnæ meæ; (*alii vertunt humiliationem, alii peccatum: sed nomen afflictionis, vel ærumnæ melius convenit. iterum ponitur* לענה, *quod vertunt quidam absinthium, sed potius est amaritudo, vel venenum*) veneni, (*ergo*) & fellis.

Verbum potest resolvi in modum Imperativum: est modus Infinitivus, sed accipitur sæpe apud Hebræos pro Imperativo: ita multi existimant esse precationem, *Recordare afflictionis meæ, & ærumnæ, fellis, & veneni.* Hoc esset tolerabile: sed mihi magis probatur quod alii docent, nempe hanc sententiam pendere à proxima. Videtur enim hic Propheta exprimere quomodo fere à spe exciderit, ut nihil reperiret amplius fortitudinis in Deo, quia scilicet oppressus erat malis. Est enim id valde absurdum, eos qui experti sunt aliquando Dei misericordiam, sic omnem spem abjicere, ut non statuant amplius sibi esse refugium ad Deum. Quod ergo minime erat consentaneum hic Propheta quodammodo excusat, ac docet non esse mirum, quod succubuerit extremis tentationibus, quia scilicet ita oppressus erat afflictionibus, & ærumnis, ut anima ejus esset quasi infecta veneno, & felle. Sed interea verbo Recordandi ostendit quomodo ubi obrepit illa tentatio, simul animos nostros occupet, nempe ubi mala nostra nimium agitamus. Nam fideles debent tenere mediam rationem in suis afflictionibus. Siquidem ne torporem sibi obducant, quia inde nasceretur socordia & stupor, debent seipsos excitare ad considerranda sua mala: sed tenendus est modus, ne tristitia illos absorbeat, quemadmodum etiam Paulus admonet. 2 Cor. 2. vers. 7. Qui ergo defixi nimium sunt in malorum recordatione, paulatim aperiunt januam Satanæ, ut repleat corda ipsorum, & omnes sensus desperatione. Hic ergo fontem malorum describit Propheta quum dicit *se fuisse recordatum afflictionis, & ærumnæ:* & convenit quod continuo post sequitur,

20. Recordando recordabitur, & humiliabitur in me (*vel super me*) anima mea.

Videtur Propheta aliis verbis confirmare quod dixit, nempe quod memoria afflictionum animam ejus opprimat. Dicitur enim anima humiliari super hominem, quum jacet sub onere desperationis. nam anima est quæ hominem erigit sicuti vivificat. Ubi autem anima dejicitur super hominem, illud est gravissimum. nam præstaret mortuum cadaver jacere, quam accedere aliud onus, quod magis gravaret. Cadaver quidem prostratum esset in terra absque ullo vigore & motu: sed interea locum suum teneret. Sed anima ubi sic dejecta est, dicitur magis ac magis premere hominem quasi exanimem. hoc ergo intelligit Propheta. Et interea dicit se fuisse occupatum in illa recordatione, ut non posset inde abducere animum. Minime dubium est, quin hic quoque fateri velit suam & omnium fidelium infirmitatem: causam vero exposuimus. Ergo freti hac doctrina, etiam ubi omnes sensus nostri nos oppriment, & non tantum inclinabunt ad desperationem, sed illuc præcipites ruent, & nos etiam projicient, discamus tunc quoque ad Deum confugere & exponere tales querimonias: neque nos pudeat, quoniam videmus suggeri nobis à Spiritu sancto hanc formulam. Sequitur,

21. Hoc revocabo ad cor meum, propterea sperabo.

Hic videmus quod jam dixi, nempe si luctemur contra tentationes, illud esse nobis certum remedium, quia tandem erumpet iterum fides nostra, & sese colliget, imo quodammodo excitabitur ab ipsis inferis. Hoc nunc Propheta docet, *Revocabo*, inquit, *hoc ad cor meum, & propterea sperabo.* Quid? an desperatio ipsa potest spem ex se gignere? hoc esset præter naturam. Quid autem Propheta hic significat, & quid intelligit per pronomen demonstrativum זאת? nempe quod malis oppressus fere evanuerit, & fere etiam persuasus fuerit, minime amplius sperandum esse quicquam boni. Quum ergo *revocabit hoc ad cor, tunc dicit se habiturum novam spei materiam:* nempe ubi seipsum ad Deum collegerit, quia quicunque devorant suos dolores, & non respiciunt in Deum, magis ac magis ignem occultum accendunt, qui tandem momento ipsos abripit ad furorem. Hinc fit, ut tumultuentur contra Deum tanquam bis insani. Sed qui infirmitatis suæ conscius, vota sua ad Deum converrit, ille reperiet tandem materiam spei. Ergo si revocemus ad cor mala nostra; deinde si reputemus quam simus propensi ad desperationem, & quam facile sit succumbere: tunc succurret nobis bene sperandi materia, quemadmodum hic Propheta dicit. Et interea notandum est, cavendum esse, ne torpeamus in malis nostris: quia hinc fit, ut mentes nostræ penitus obbrutescant. Quisquis ergo volet in malis proficere, secum reputet quæ hic dicit Propheta sibi venisse in mentem: ita fiet, ut tandem seipsum colligat, & superet omnia obstacula. Videmus ergo ut Deus eliciat lucem ex tenebris, dum fideles suos à desperatione ad bonam spem revocat: imo fit ut infirmitas ipsa, causa sit bene sperandi. Nam unde fit, ut increduli abjiciant spem omnem? nempe securitas eos abstrahit à Deo. Sensus autem propriæ infirmitatis nos ad eum etiam intus trahit: ita nascitur præter naturam, & incomprehensibili atque admirabili Dei beneficio spes ex desperatione. Sequitur,

22. Clementiæ Jehovæ, quod non fumus confumpti; (*vel, certe non funt confumptæ*) certe non defecerunt miferationes ejus.

Duplex poteft effe fenfus prioris membri. Hic fere receptus eft, debere adfcribi Dei clementiæ, quod fideles non fæpius confumpti fint: unde elicitur valde utilis doctrina, Deum fcilicet fuis fuccurrere, ne in totum pereant: fed fi attendamus ad contextum Prophetæ, videbimus magis quadrare fecundum fenfum, nempe *quod clementiæ Dei confumptæ non fint, nec defecerint miferationes ejus.* particula כי inferitur, fed fumenda eft loco affirmativæ duntaxat, *Mifericordiæ Dei certe non funt confumptæ:* poftea, *certe non defecerunt miferationes ejus.* Et poftea adjungit,

23. Novæ ad fingula mane: magna veritas tua.

Verfus ifte confirmat quod dixi, eandem fententiam bis repeti à Propheta, *quod clementiæ Dei confumptæ non fint, neque defecerint ejus miferationes.* quare? *novæ enim occurrunt*, vel renafcuntur, *fingulis diebus*, inquit. fed ponit, *mane*, quanquam in numero plurali. Miror horam tam cito fonuiffe: non puto me legiffe horam integram.

Da omnipotens Deus, quando nemo noftrum eft, cui non affidue confligendum fit cum multis tentationibus: ea autem eft noftra infirmitas, ut proclive fit fuccumbere, nifi opituleris: da, inquam, ut fuftentemur invicta tua virtute: deinde etiam, fi voles nos humiliare, ut tamen difpliceamus nobis in noftris vitiis: & ita conftanter certemus, donec potiti victoria, gloriemur de perpetuo tuo auxilio, in Chrifto Jefu Domino noftro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA

IN

LAMENT. JEREMIÆ.

Poftrema lectione dicebat Propheta *mifericordias Dei renovari quotidie.* Hoc autem referri debet ad hominum fenfum: quia Deus nihil mutationis in fe patitur. Sed videntur renovari Dei mifericordiæ ubi ad exiguum tempus abfcondit faciem fuam, deinde nos fibi reconciliat. Quod Propheta ponit *mane*, in ea voce alludere eum
Pfal. 30. verf. 6. exiftimo ad fententiam Pfalmi, Quod fi ad vefperum moretur fletus apud nos, diluculo redibit lætitia. Intelligit ergo Deum feftinare, dum miferis hominibus fuccurrit. Adjungit *veritatem*, quia non poffet ad nos pervenire fenfus mifericordiæ Dei, nifi eam nobis offerret. Ergo fi tollatur Dei promiffio, neceffe erit concidere omnes miferos, quia nunquam apprehendent ejus mifericordiam, nifi in Verbo. Hæc igitur ratio eft cur toties Scriptura hæc duo fimul connectat, nempe clementiam Dei, & fidem in fervandis promiffis. Nunc fequitur,

24. Portio mea Jehovah, dixit anima mea: ideo fperabo in eo.

Hoc verfu Propheta fignificat fpem noftram non poffe aliter confiftere in rebus adverfis, nifi contenti fimus uno Deo & ejus favore: nam fimulatque ab ipfo receffimus, quicquid adverfi nobis continget labefactabit fidem noftram. Hoc igitur eft unicum patientiæ fundamentum & fpei, acquiefcere in folo Deo. Hoc autem fit ubi perfuafi fumus fufficere nobis paternum ejus favorem ad plenitudinem falutis. Hoc etiam fenfu David Deum portionem fuam vo-
Pfal. 16. verf. 5. cat, Pfalmo decimo fexto. Subeft autem tacita antithefis, quia major pars hominum extra Deum fuam felicitatem quærit. Omnes cupiunt fibi bene effe: fed quia affectus humani vagantur huc atque illuc, ideo nihil magis difficile, quam ita ftatuere omnes fpes fuas in Deo, ut reliqua omnia poffint contemni. Hanc igitur doctrinam nunc Propheta tractat quum dicit eos folos poffe fperare, hoc eft, perfeverare in fpe, & patientia, qui ita Deum funt amplexi, ut contenti fint eo uno, & extra eum nihil aliud appetant. Sed emphatice loquitur, *quod anima ejus fic dixerit.* nam pudet etiam incredulos negare quod diximus, nempe omnes falutis noftræ & beatæ etiam vitæ numeros contineri in folo Deo. Fatentur ergo etiam increduli Deum effe fontem bonorum omnium, ideoque in eo acquiefcendum effe: fed ore ita pronunciant, interea nihil minus fentiunt. Hæc ratio eft cur Propheta hunc fermonem tribuat *animæ* fuæ: quafi diceret fe non jactare apud homines quemadmodum hypocritæ folent, *Deum effe portionem fuam*, fed ita habere perfuafum. *Anima* igitur *mea dixit*, hoc eft, ita conftitui apud me, *Deum effe portionem meam: ideo fperabo in ipfo.* Nunc tenemus fummam hujus fententiæ. Supereft ut difcamus applicare in ufum noftrum hoc caput doctrinæ. Ergo ne deficiamus in rebus adverfis tenendum eft illud principium, Semper erraticos fore fenfus noftros, donec perfuafi fuerimus Deum nobis unum fufficere, ita ut fit folus noftra hæreditas. Nam quicunque non funt Deo uno contenti, ftatim rapiuntur ad impatientiam, fi fames eos premat, fi urgeat gladius, fi aliæ calamitates moleftæ fint. Et hac etiam ratione dicit Paulus, Si Deus pro *Rom. 8.*
nobis, quis contra nos? perfuafus fum, inquit, *v. 31. 35.*
quod neque fames, neque nuditas, neque gladius, *38. 39.*
neque mors, neque vita feparabit me à charitate Dei, quæ eft in Chrifto. Illic Paulus apprehendit tanquam materiam folidæ fiduciæ paternum Dei favorem. nam particula, In Chrifto, fatis oftendit eos effe malos interpretes qui charitatem accipiunt paffive, quafi diceret non definere fideles amare Deum, quamvis eos exerceat multis afflictionibus. Sed Paulus intelligit fideles ita debere effe defixos in unica Dei gratia, ut quicquid acciderit, tamen non definant in ipfo gloriari: quare? nam Deus eft illis vita in morte, eft lux in tenebris, eft quies in bello & tumultu, eft affluentia rerum omnium in penuria & egeftate. Eodem nunc fpectat Propheta nofter quum dicit non alios fperare in Deo nifi qui fundati funt in folo ejus paterno favore, ita ut nihil aliud appetant quam habere eum propitium. Poftea fequitur,

25. Bonus Jehovah expectanti ipfum, (*vel fperanti in eum*) animæ quærenti ipfum.

Continuat eandem doctrinam: aliquid tamen nunc addit, quod scilicet Deus semper clementer agat cum servis suis, qui in eum recumbunt, & qui ipsum quærunt. Videmus ergo confirmari proximam sententiam ubi dicebat se contentum esse unico Deo, ut patienter ferret omnia adversa. quare? nam *Deus*, inquit, *bonus est expectantibus ipsum*. Poterat objici res adversas gignere dolorem, tædium, mœstitiam, angorem: ita fieri non posse, ut se in spe contineant qui tantum respiciunt in unum Deum. Et certe dum fatentur omnes se sperare in Deum, postea discursant huc & illuc, hinc fit ut deficiant in rebus adversis. Quum ergo posset hoc objici Prophetæ, tacite respondet, *quod Deus sit bonus expectantibus ipsum*: quasi diceret fieri non posse, ut frustretur nos fiducia quæ in Deum solum recumbit, quia Deus tandem ostendet se esse beneficum erga eos omnes, qui in ipsum sperant. Denique Propheta hic docet non posse Dei beneficia, quibus filios suos exhilarat, separari à misericordia ejus, vel favore paterno. Frigeret enim apud multos alioqui hæc sententia, In Deo reperiri quicquid expeti potest. nam objicerent, quemadmodum dixi, se interea fore miseros. Ergo Propheta hic admonet profluere ad nos beneficia Dei ex favore ejus tanquam ex fonte: quasi diceret, Quemadmodum fons perennis aquam emittit, ita etiam Dei bonitas sese profert & extendit. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. dixerat quidem acquiescendum in uno Deo: nunc autem per indulgentiam adjungit ut consulat hominum infirmitati, Deum esse beneficum erga omnes, qui in ipso sperant. Summa est, ut dixi, Dei bonitatem proferre suos fructus: & experientia sentire fideles nihil esse melius, quam habere omnes suos sensus defixos in uno Deo. Bonitas ergo Dei hic actualis intelligi debet, ut loquuntur, nempe quæ sensu percipitur. Quia ergo Deus liberaliter agit cum omnibus, qui in ipso sperant, sequitur non posse eos falli, dum ipso contenti sunt, & ita patienter se subjiciunt ferendis omnibus rebus adversis. Denique idem hoc loco docet Propheta quod toties Scriptura inculcat, *Rom. 5.*
spem non pudefieri. Sed notandum est secundum *vers. 5.*
membrum. definit enim Propheta quid sit in Deo sperare quum dicit esse *beneficum animæ quæ ipsum quærit*. Multi enim spem imaginantur nescio quam mortuam speculationem: ac hypocritæ, ubi Deus ipsis parcit, secure pergunt & exultant, sed fiducia illa mera est ebrietas, & alienissima à spe. Tenendum igitur est quod Propheta hic dicit, eos solos sperare in Deo, qui ipsum ex animo quærunt, hoc est, qui agnoscunt quantopere indigeant Dei misericordia, qui ad eum se recta conferunt quoties aliqua tentatio molesta est, & quoties aliquid periculi illos terret, confugiunt ad ejus auxilium, atque ita probant se sincero affectu in Deo sperare. Nunc sequitur,

26. Bonum, & expectabit, & silebit ad salutem Jehovæ. (*ad verbum: vertunt tamen quidam, Bonus sperabit, & silebit ad salutem Jehovæ. sed potius in neutro genere accipio vocem* טוב *sicut in proximo versu qui sequitur, Bonum viro, & cætera.*)

Est quidem abrupta loquutio quum dicit *bonum, & expectabit*. nam hæc duo verba carent subjecto: sed quia generalis est sententia, nulla est ambiguitas, quin Propheta intelligat *bonum esse sperare & silere ad salutem Dei*. Resolvi igitur debent hæc verba Futuri temporis in modum Subjunctivum. quasi dictum esset, Bonum erit, ubi quisque speraverit in salute Jehovæ, & id cum silentio, hoc est, patienter ferendo omnes ærumnas, donec Deus succurrerit. Hic autem admonet Propheta minime quærendum esse, ut Deus nobis semper appareat, & semper refulgeat in hac vita paternus ejus favor. Hæc quidem conditio expetitur ab omnibus. nam sensus carnis huc inclinat, & ideo fugimus res adversas. Naturaliter ergo cupimus reipsa nobis probari Dei favorem: quomodo reipsa? nempe ut omnia nobis prospere succedant, ne qua molestia nos attingat, ne angamur ulla sollicitudine, ne quid immineat periculi, ne qua clades nobis minetur: hæc, quemadmodum dixi, naturaliter omnes appetunt. Atqui hoc modo extingueretur fides, quemadmodum dicit Paulus octavo ca-
Rom. 8. pite ad Romanos. Neque enim speramos quæ ap-
v. 24, 25. parent, inquit, sed abscondita sunt quæ speramus. Necesse est in hoc mundo fideles in speciem esse miseros, nunc esurire, nunc subjici variis periculis, nunc obnoxios esse multis probris, aut calamitatibus, nunc multis incommodis vexari. quare? neque enim esset materia exercendæ spei, si salus nostra manifesta esset. Idem nunc Propheta docet quum pronunciat *bonum esse, si discamus cum silentio expectare salutem Dei*. Verum ut melius exprimat mentem suam, dicit primum, *expectabit*, vel spera-
Hebr. 10. bit. Docet patientia opus esse, quemadmodum
vers. 36. etiam Apostolus decimo capite ad Hebræos: alioqui nullam esse fidem. Apparet igitur, ubi nulla est patientia, ne scintillam quidem esse fidei in corde hominis: quare? nam hæc est nostra felicitas, sperare: speramus autem quod absconditum est. verum secundo verbo clarius se explicat, nempe *silendi*. Silere autem in Scriptura sæpe accipitur pro quiescere, & hoc loco nihil aliud est quam placide & sedato animo perferre ærumnas nobis impositas. dicitur ergo silere ad Deum quisquis quietus manet, etiamsi afflictiones suggerant tumultuandi occasionem: ac proinde quies ista opponitur impetuosis nostris affectibus. nam ubi aliqua molestia nos urget, sumus turbulenti & abripimur fervore nostro, nunc Deo obstrepimus, nunc profundimus multas querimonias. idem etiam contingit si prospicimus aliquid periculi: nam trepidamus, deinde quærimus remedia hinc inde, & id cum magno impetu. qui autem miserias suas patienter tolerat, vel qui in Deum recumbit ubi instant pericula, ille dicitur silere vel
quiescere: & hinc sententia illa, In spe & silentio: *Jesa. 30.*
qua hortatur Jesaias ad tolerantiam fideles, & osten- *vers. 15.*
dit illic esse robur, ubi scilicet consistimus in Deo, ut libenter nos subjiciamus ejus arbitrio, & parati simus ad ferendas ejus castigationes: deinde non dubitemus ipsum nobis præsto fore ad ferendam opem, ubi periclitamur. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta quum dicit *bonum esse si expectemus & sileamus ad salutem Dei*, nempe quia felicitas nostra abscon-
dita est, imo sumus mortuis similes, ut dicit Paulus *Coloss. 3.*
tertio ad Colossenses, Et vita nostra abscondita est *vers. 3.*
in Christo. Quum igitur ita sit, necesse est nos silere ad salutem Dei, hoc est, spem nostram intus fovere quamvis circumdati simus multis miseriis. Sequitur,

27. Bonum viro, si tulerit jugum in pueritia sua.

Hic versus recipit duplicem sensum. quia vox *Jugi* potest exponi vel de doctrina, vel de ferulis Dei. duobus enim modis suscipimus & ferimus Dei jugum, nempe ubi sumus dociles ad recipiendam ejus doctrinam: deinde ubi etiam sumus placidi dum nos castigat, & non obstrepimus, sed submittimus nos libenter ejus disciplinæ. Quoniam ergo vocem עול quidam accipiunt pro jugo doctrinæ, alii vero

pro jugo castigationis, ideo potest elici duplex sensus, ut dixi, & uterque probabilis: vere enim dicitur *bonum esse hominis statim à pueritia assuefieri ad Dei correctiones.* sed videtur potius loqui Jeremias de obsequio generaliter, quod fideles Deo præstant ubi se regendos permittunt ejus arbitrio. Hæc igitur vera est nostra felicitas, ubi agnoscimus nos non esse nostri juris, permittere Deo summum imperium, ut nos tractet prout visum fuerit: sed exordium fieri debet ab ipsa Lege Dei. Tunc ergo dicimur ferre Dei jugum, ubi propria ratione valere jussa, non sapimus nisi ex Dei ore, ubi posthabitis nostris affectibus, imo subactis, audimus quid Deus nobis præcipiat, & recipimus quicquid præcipit. hoc igitur intelligit Jeremias per *ferre jugum.* Dicit autem, *in pueritia.* nam qui per totam ætatem luxuriarunt, vix sustinent se cogi in ordinem. scimus enim senes minus esse tractabiles: imo si agatur de artibus, vel de liberalibus scientiis, ætas puerilis magis flexibilis est: senectus autem longe tardior. sed accedit etiam aliud vitium, quod senes sunt præfracti, & vix sustinent se doceri à primis rudimentis, quia imbuti sunt falsa opinione, acsi frustra diu vixerint. Quoniam ergo non facile mutatur senile ingenium, ideo dicit Propheta *bonum esse si statim à pueritia formemur ad ferendum jugum.* & hoc etiam cernitur in brutis animalibus: si equus libere lascivierit in agris, neque statim fuerit domitus, vix unquam patietur se cicurari, semper erit refractarius: boves etiam nunquam assuefient ad ferendum jugum, si sumantur vel sexto, vel octavo anno: idem experimur in hominibus. Non igitur temere dicit Jeremias *bonum esse* si quis statim à pueritia formatus fuerit ad obsequium Dei: & ita hortatur pueros, & adolescentes, ne expectent senium, quemadmodum fieri solet. illud enim fuit commune omnibus seculis vitium, ut rejicerent pueri, & adolescentes studium sapientiæ in senes: O, satis mature sapiam, ubi pervenero saltem ad mediam ætatem: sed aliquid concedendum est pueritiæ & adolescentiæ. Et hac ratione etiam Solomo *Eccles. 12. vers. 1.*
hortatur omnes ut non expectent senium, sed tempestive discant Deum timere in pueritia. Sic etiam Propheta noster pronunciat *bonum esse si quis jugum in pueritia sua tulerit.* Postea sequitur,

28. Sedebit seorsum, (*vel solus*) & silebit, quia tulit super se.

Hic fructum illius docilitatis ostendit, quia etiamsi durius exerceat Deus filios suos, non tamen obstrepent: sed tunc quoque se libenter submittent ejus imperio. unde enim fit ut tanta impatientia ferveat in hominibus, nisi quia nesciunt quid sit parere Deo, nec se formarunt ad ferendum ejus jugum? quia ergo ebulliunt homines tanquam feræ bestiæ, & quæ nunquam cicuratæ sunt, ideo Propheta nunc dicit, Quisquis ita assuefactus fuerit ad jugum Dei, etiam in rebus extremis silebit, & manebit quietus. Tenemus jam quod nuper dixi, hoc versu monstrari fructum docilitatis, & obedientiæ: quum vero dicit eos qui ita formati erunt ad parendum Deo, *sessuros seorsum*, exprimit aptissime vim & naturam patientiæ. nam ut plurimum qui volunt videri magnanimi sese ostentant, & existimant nullam esse suam virtutem, nisi appareat in theatro. interea permittunt sibi effrenem licentiam ubi soli sunt. nam qui videntur constantissimi, nisi penitus in animis prævaleat Dei timor & sincêra pietas, fremunt adversus Deum, & arrodunt frenum in rebus adversis, quamvis non tumultuentur coram hominibus. nam sicuti jam dixi, spectant theatrum. Atqui hic nobis longe alia exprimitur patientiæ ratio, nempe ut soli sedeamus & sileamus, hoc est, etiamsi nemo adsit testis, cujus conspectus nos pudefaciat, si tunc quoque sedemus, hoc est, tranquillis animis subjicimus Deo colla, & admittimus ejus jugum, hoc modo probamus nostram patientiam. Hic ergo versus distinguit inter piorum simplicitatem, & inanem illam pompam, qua gloriantur qui volunt consequi laudem fortitudinis, & patientiæ, & constantiæ in mundo. Nam illi etiam sedent, proferunt voces quasi è cælo, acsi exuti essent carne. qui filium perdidit, dicet se genuisse mortalem: qui bonis omnibus exutus erit, dicet, Omnia mea mecum porto. Ergo magnifice loquentur profani homines, ita ut videantur superare fortitudine & constantia omnes Dei filios: sed efflant omnes illas jactantias in aërem, & respiciunt qualis sit futura de ipsis hominum opinio. fideles autem quid? *sedent seorsum*, hoc est, quamvis possint absque pudore obstrepere Deo, tamen quiescunt & se subjiciunt ejus arbitrio. Nunc ergo tenemus quid sit solum sedere. dicit, *Quia feret super se.* quidam transitive accipiunt verbum נטל, projiciet super ipsum: sed expositio illa coacta est. sensus ergo erit simplicior si dicamus, *quia feret super se*, hoc est, tollet. נטל non significat tantum gestare, sed elevare etiam. Ergo quum Propheta dicit hoc esse specimen veræ tolerantiæ *si ferimus super nos*, intelligit si non succumbimus rebus adversis, neque obruimur. nam patientia fit ut minime sit nobis grave suscipere quicquid Deus imposuerit oneris, & ideo dicimur non ferre gravatim ejus jugum: quare? dulce enim est nobis. Quoniam ergo mansuetudo ita extenuat gravitatem oneris quod alioqui nos obrueret, ideo dicit Propheta *eos qui elevant super se omnes molestias, sedere seorsum.* nescio tamen an corruptus sit locus: loquutio enim videtur mihi esse coacta. si legeremus עלו, jugum suum, optime quadraret sensus, & redderet rationem ex superiore versu, nempe fideles seorsum quiescere, & silere coram Deo, quia scilicet portarunt jugum suum, vel jugum Dei. nam posset litera relativa exponi tam de ipso Deo, quam de homine: sed illa est conjectura duntaxat. Sequitur,

29. Ponet in pulvere os suum, si forte sit spes.

Continuat eandem sententiam. describit enim hic nobis homines ita subactos ad Dei obsequium, ut parati sint ferre quicquid imposuerit. dicit ergo sessionem & silentium, de quibus loquutus est, eo usque progredi, ut in rebus extremis & desperatis non desinant tamen filii Dei se continere sub obsequio. nam continget interdum eos qui aliquatenus progressi sunt in timore Dei, dare specimen suæ obedientiæ, & tolerantiæ in aliqua tentatione mediocri: sed ubi premuntur usque ad extremum, tunc erumpit impetus quem ante continuerant. Ergo Propheta hic docet, filios Dei non satis probare suam tolerantiam, ubi æquo animo ferunt mediocrem castigationem, nisi pergant ad ulteriorem perseverantiam, nempe ut in rebus perditis, ubi videntur desperati, tamen quieti adhuc maneant. Quum enim dicit fideles *ponere os suum in pulvere*, tantundem hoc valet acsi jacerent supplices coram Deo, & faterentur se esse quasi mortuos. Summa huc redit, In tempore extremæ afflictionis ponet sapiens os suum in pulvere, dum videbit res ita confusas, ut evanescant omnes sensus præ atrocitate malorum: atque ita significat non habituros sapientes quod dicant. *Ponere* ergo *os suum in pulvere* tantundem valet atque obmutescere: quasi diceret fideles os suum occludere, ubi Deo non obmurmurant

neque

neque sese projiciunt ad querimonias, ubi non expostulant sibi fieri injuriam, neque in medium adducunt quæ solent increduli quum Deus ipsos durius tractat. In summa *os suum ponere in pulvere* significat non adferre quicquam, & se ita compescere, ut nulla vox obstrepera ab ore exeat. ita exprimit alia loquendi forma silentium illud, cujus paulo ante meminir. Prophetam autem hic loqui de extremis tentationibus, facile colligitur ex postremo membro, *si forte sit spes:* non quod dubitent fideles an Deus daturus sit spei materiam. neque enim dubitant, quin Deus qui in tenebris ipsis affulget per verbum suum, tandem effectu ipso probet se non esse fallacem. Sed particula אולי (quemadmodum satis notum est) exprimit difficultatem. ubi ergo aliquid videtur esse incredibile, dicunt Hebræi, *Si forte*. Sed hic, quemadmodum dixi, non significat dubitationem. si enim animus pii hominis fluctuaret, quomodo *poneret os suum in pulvere?* sed Propheta ostendit, eos qui formati sunt ad Dei obsequium, perseverare in extremis etiam tentationibus: et dum mera desperatio se ostendit, tamen adhuc supplices jaceant coram Deo, & patienter expectent donec spes aliqua ipsis affulgeat. Hic autem spes accipitur pro materia spei. Postea sequitur,

30. Dabit percutienti maxillam, saturabitur opprobriis.

Hic alterum fructum patientiæ commemorat, nempe fideles etiamsi injuriæ illis inferantur ab improbis, tamen fore quietos & tranquillos. sunt enim permulti qui subjiciunt se Deo, ubi prospiciunt ejus manum: quemadmodum, exempli gratia, si quis morbo affligitur, sentiet hanc esse castigationem à Deo profectam. si acciderit pestis, aut fames ex cæli intemperie, manus Dei illic apparet. multi ergo tunc se moderate gerunt. sed si occurrat hostis, qui læsus est mox prosiliet in has voces, Nihil nunc est mihi negotii cum Deo: sed iste sceleratus me indigne persequitur. Hac igitur ratione Propheta ostendit piorum tolerantiam debere extendi usque ad ferendas injurias, & ideo dicit, ***Dabit maxillam percutientibus, & saturabitur opprobriis.*** Duo enim sunt injuriarum genera, quia aut violenter nos impetunt improbi, aut contumelia nos afficiunt: & contumelia acerbior est, & gravius vulnerat ingenuos animos. Propheta igitur hic pronunciat filios Dei debere esse mansuetos ubi violenter impetuntur, neque id modo, sed ubi tractantur contumeliose ab improbis. hoc ergo de tolerantia. Jam sequitur alia confirmatio,

31. Quia non respuet (*vel rejiciet*) in perpetuum Dominus.

Certum est nullam fore patientiam, nisi adsit spes, quemadmodum prius visum est. sicuti ergo patientia spem fovet, ita spes fundamentum est
Rom. 15. patientiæ: & ideo consolatio adjungitur patien-
vers. 4. tiæ à Paulo. Et hanc doctrinam nunc Propheta tractat, quod scilicet ideo fideles mansuetis animis & tranquillis jugum ferant, quia statuunt Deum tandem fore propitium. hinc ergo nascitur patientia, quod fideles persuasi sunt res omnes adversas esse temporales, & felicem fore exitum, quia tandem ipsos Deus sibi reconciliabit, ubi scilicet signa dederit iræ suæ. Reliqua in diem crastinum.

Da omnipotens Deus, quando nobis expedit quotidie manu tua castigari, ut nos libenter tibi subjiciamus, deinde ne dubitemus te fidelem fore, ne probes nos nimis duro examine, sed habeas rationem nostræ infirmitatis, quo ita placide feramus omnes tuas castigationes, donec tandem fruamur plena illa beatitudine, quæ nobis nunc est sub spe abscondita, & quasi obsignata, donec eam patefaciat adventu suo Christus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

32. Quia si dolore affecerit, etiam miserebitur secundum multitudinem clementiarum suarum.

POstrema lectione vidimus hoc optimum adeoque unicum esse remedium leniendis doloribus, dum statuunt fideles se paterna tantum manu castigari à Deo, & exitum omnium malorum fore ipsis felicem. hoc autem non possunt à seipsis sibi promittere: sed occurrit Deus & pronunciat se non irasci in perpetuum filiis suis. Hæc enim promissio generaliter extenditur ad totam Ec-
Jesa. 54. clesiam, Momento afflixi te, tempore indignationis
vers. 7, 8. meæ, sed perpetuis miserationibus te prosequar.
Psal. 89. deinde, Visitabo iniquitates eorum virga, miseri-
v. 33. 34. cordiam tamen non auferam ab ipsis. Quum ergo fideles certo constituunt temporales esse pœnas, hinc sese attollunt ad bonam spem, & ita concipiunt inæstimabile solatium in omnibus malis. Prosequitur nunc Jeremias eandem sententiam, quod scilicet *Deus miserebitur secundum multitudinem clementiarum suarum etiamsi dolore afficiat homines.* Hoc quidem non potest promiscue exponi de toto genere humano: sed diximus Deum hoc fuisse pollicitum Ecclesiæ suæ. Omnes miseriæ si in se reputentur, signa sunt iræ & maledictionis Dei: sed quia filiis Dei omnia cedunt in bonum & salutem, dum amplectuntur doctrinam illam, nempe Deum recordari misericordiæ in medio iræ, sicuti dicit Propheta Ha- Habac. 3.
bakuk: ita sibi temperant, neque despondent ani- vers. 2.
mos, neque obruuntur desperatione. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium ubi dicit, *postquam Deus afflixerit, tamen memorem fore suæ misericordiæ.* Sed tenendum simul memoria est quod ante docui, nempe fideles esse obnoxios variis malis, quia utile est ipsis castigari Dei manu. Hinc apparet necessitas hujus doctrinæ, quia si essemus immunes ab omnibus rebus adversis, supervacua esset hæc admonitio. Verum quia fieri non potest, quin Deus suis ferulis nos percutiat, non tantum quia digni sumus, sed etiam quia expedit, ideo necesse est confugere ad hanc consolationem, quæ nobis offertur, Deum scilicet ubi nos dolore affecerit, tunc misericordem fore, nempe *secundum multitudinem clementiarum suarum.* Confirmat sententiam quam protulit, ab ipsa Dei natura. Ergo ne secum disputent

fideles, futurusne sit Deus propitius, ubi de ipsis temporales pœnas sumpserit, occurrit Propheta, & proponit misericordiam Dei: vel clementias plurali numero: quasi diceret fieri non posse, ut Deus seipsum abneget, ideoque semper fore eaorabilem erga suos: quia alioqui aboleretur ejos clementia, quæ non potest ab æterna essentia & deitate separari. Et ideo quum Deus vult breviter ostendere qualis sit, commeodat io primis suam misericordiam, & tolerantiam: quia nisi occurreret ejus bonitas & clementia ubi ad ipsum accedimus, statim horror absorberet omnes sensus nostros. Cæterum ubi Deus in medium prodit qoasi vestitus & ornatus sua clementia, hinc licet spem bonam salutis concipere: & quanquam sumus nobis male conscii, tamen ubi recumbimus in Dei clementiam, nunquam à spe salutis eacidimus. Tenemus nunc Prophetæ consilium. Sequitur,

33. Quia non affligit ex corde suo, & dolore afficit filios viri.

Est alia confirmatio ejusdem doctrinæ, quod scilicet Deus non oblectetur malis, vel miseriis hominum. Est quidem aspera loquutio, qua utitur Propheta: sed optime convenit. scimus enim Deum induere nostram formam, quia non potest concipi in sua incomprehensibili gloria humano sensu. ergo improprie in se transfert quod nonnisi in homines competit. Deus certe nihil agit invitus, nihil etiam ficte. quomodo ergo conveniet quod pronunciat Jeremias *eum non affligere ex corde suo?* Sed, quemadmodum jam dixi, hic Deus induit personam hominis mortalis, quia etiamsi dolore afficiat prout vult: tamen manet illud verum, non oblectari hominum miseriis. nam si pater cupit filiis suis bene esse, & eos suaviter tractat, quid de Patre cælesti
Matth. 7. vers. 11. sentire oportet? Vos, inquit Christus, quum mali sitis nostis benefacere filiis vestris, quid ergo sperandum est ab ipso bonitatis fonte? Ergo quum patres non libenter filiis irascantur neque aspere ipsos tractent, minime dubium, quin Deus nunquam ad puniendos homines descendat nisi coactus. Est, ut dixi, impropria loquutio: sed satis est tenere, Deum non capere voluptatem ex hominum miseriis, quemadmodum profani homines evomunt illas blasphemias, nos esse instar pilarum quibus Deus ludit, & obnoxios esse tot malis, quia Deus voluit habere quasi jucundum & delectabile spectaculum ex innumeris afflictionibus, & tandem ex morte omnium hominum. Ergo ne sollicitet nos illa cogitatio ad diffidentiam, hic Propheta frenum nobis injicit, & pronunciat *Deum non affligere ex corde suo*, hoc est, non libenter affligere, quasi delectetur hominum malis: quemadmodum judex ubi conscendit tribunal, & sontes morti addicit, non facit hoc ex corde suo, quia vellet omnes esse insontes, & ita sibi suppetere absolvendi materiam: sed volens tamen condemnat sontes, quia hoc est ejus officium. Sic etiam Deus ubi severitate utitur erga homines, facit quidem hoc volens, quia est judex mundi: sed non facit ex corde, quia aliena est ab ipso omnis sævitia & crudelitas: & sicuti paterno amore amplectitur homines, ita etiam vult ipsos esse salvos, nisi importune ipsum cogerent ad rigorem.
& hunc affectum etiam exprimit apud Jesaiam, Heu *Jesa. 1. vers. 24.*
consolationem accipiam de inimicis meis. vocat inimicos qui toties sua obstinatione eum provocaverant: tamen invitus trahitur ad pœnas de eorum sceleribus exigendas, & ideo usurpat particulam illam dolentis: exclamat tanquam pater, qui vellet filium suum esse insontem, & tamen cogitur severus erga ipsum esse. Cæterum, quamvis in genere hæc doctrina sit vera, non dubium tamen est, quin Propheta hic sermonem ad fideles solos dirigat. & certe hic thesaurus peculiaris est filiis Dei, quemadmodum ante ostensum fuit. Sequitur,

34. Ad conterendum sub pedibus suis omnes vinctos terræ,
35. Ad pervertendum (*ad declinandum*) judicium viri coram conspectu Excelsi,
36. Ad pervertendum hominem in lite sua, Dominus non videt. (*vel non vidit.*)

Multi interpretes existimant tres istos versus pendere à superiore doctrina, & ideo sic connectunt: Deum non videre, hoc est, nescire quid sit pervertere bonam causam hominis, opprimere innoxios. & certe Deus dicitur nescire quid sit iniquitas, quoniam abhorret ab omni malo. quid enim est natura Dei, nisi perfectio justitiæ? vere ergo hoc dicetur, Deum nescire quid sit pervertere hominem in judicio. Alii non videre, accipiunt pro non probare. Si eorum sententiæ subscribimus qui dicunt alienam esse omnem iojustitiam à Deo, erit exhortatio ad patientiam: quasi diceret Propheta ferendas esse afflictiones æqnis animis, quoniam Judæi ita promeriti sint. Nam hinc obstrependi licentia, quoniam homines imaginantur se esse extra culpam: qui vero convictus est, non audet ita insurgere contra Deum. nam principium humilitatis est cognitio peccati. ille igitur est unus sensus. Qui autem exponuot, Deum non probare quod alii alios pervertunt in judicio, putant inde sumi consolationis materiam, quia Deus tandem miseris succurret, qui injuste premuntur. Et certe hoc non parum ad tolerantiam valet, ubi persuasi sumus Deum fore vindicem, ut tandem nobis opituletur, postquam ad tempus passus fuerit nos indigne tractari. Sed illæ duæ expositiones videntur mihi nimium remotæ: rectius exponere liceret per modum concessionis, quasi diceret Propheta, Verum quidem est improbos tantum licentiæ sumere, quia fingunt Deum cæcutire ad omnia maleficia. Nam hæc vesania sæpe adscribitur impiis, quod scilicet putent se impune peccare, quia Deus res humanas non curet. fingunt igitur Deum sopitum & quodammodo mortuum, & ideo perrumpunt ad omne scelerum genus. Et hac ratione tam vehementer eos objurgat David, Qui finxit aurem non au- *Psal. 94. vers. 9.*
diet? qui creavit oculos non videbit? sed hæc etiam expositio mihi non probatur, quia est coacta. ego itaque existimo referri impias eorum voces, qui Deum queruntur non moveri ulla misericordia: quemadmodum fere hæc cogitatio nobis obrepit quum rebus adversis premimur, Deum scilicet oblitum esse nostri, vel dormire, vel jacere. denique nihil est difficilius persuasu, quam illud principium, Gubernari mundum Dei consilio, nec quicquam temere accidere. hoc quidem fateotur fere omnes, sed ubi ad experientiam venitur evanescit illa doctrina, & quisque abripitur ad perversos & erraticos sensus, fortuito scilicet omnia volvi & cæco impetu: Deo non esse curæ homines. Nec dubium est, quin tempore Jeremiæ volitaverint ejusmodi sermones: & ex contextu satis patet coarguendos fuisse Judæos, qui putabant suas miserias negligi à Deo, & ideo tumultuabantur: quia fieri non potest, quin ad insaniam usque ferantur homines, ubi non statuunt sibi negotium esse cum Deo. Refert ergo Propheta impios illos sermones, vel si non ausi fuerint lingua exprimere quod cogitabant, refert quod fere omnibus erat tunc persuasum, nempe *quod judicium viri perverte-*

tent

rent improbi, quod perverterent hominem in sua lite, quod contererent sub pedibus suis omnes vinctos terræ, hoc fieri Dei connivenтia. Simplex ergo sensus est, *ad declinandum judicium*, hoc est, quod judicium pervertitur *coram facie Altissimi, quod etiam conteruntur vincti terræ*, hoc est, qui destituuntur omni auxilio, quod conteruntur pedibus improborum, *quod homo in lite sua injuste opprimitur*, hoc fieri *quia Deus non videt*. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Unde autem tanta Judæis dementia? nempe quia ut dixi, non poterant humiliari sub forti Dei manu, quia hypocrisis ita eos excæcaverat, ut superbe Deo obstreperent, dum putabant se æquo durius castigari. Quoniam ergo ita sibi placebant in suis vitiis, hinc nata fuit expostulatio, quam Propheta commemorat, *Judicium hominis pervertitur, bona causa excidunt insontes, miseri conteruntur pedibus.* unde hoc? *quia Deus non videt*, non aspicit. Jam sequitur reprehensio tam impii delirii:

37. Quis iste, dixit: fuit, Deus non præcepit?
38. Ex ore Excelsi non egredietur malum & bonum? (*vel, Quasi non egrediatur malum & bonum ex ore Excelsi*)

Postquam retulit Propheta blasphemiam, quæ passim illo tempore grassata fuit, invehitur contra tam crassum stuporem: *Quis iste?* inquit. Compescit talem amentiam acri objurgatione. nam interrogatio admirationem in se continet: quasi diceret Propheta hoc esse instar portenti dum reperiuntur homines qui fingunt Deum otio suo contentum non agere mundi curam. nam hoc est ipsum exinanire prorsus. Deus non est mortua quædam essentia, non est spectrum aliquod. quid igitur? Deus est judex mundi. Videmus ergo hoc prodigiosum esse, quum homines animis suis concipiunt Deum segnem vel obliviosum, qui Fortunæ totum mundum permittat. Hæc ratio est cur Propheta tanquam de re absurda & nimium indigna interroget: *Quis iste?* inquit. fierine potest, ut eo furoris homines sese projiciant? quia ubi dicunt, Deo non præcipiente quicquam fieri, perinde est acsi extinguerent omnem ejus virtutem. quid enim est Deus sine suo judicio? Alter versus potest dupliciter exponi: sed quantum ad rem spectat, parum est momenti. potest ergo interrogative legi, *Non egredientur bona & mala ex ore Excelsi?* vel potest ita resolvi oratio, Quasi vero non egrediantur bonum & malum ex ore Dei ipsius. Quantum ad summam rei videmus non esse valde laborandum, quia Propheta confirmat suam sententiam, nempe homines esse detestabiles dum imaginantur Deum quasi mortuum, ubi spoliant eum potestate & officio judicis. & certe nisi teneamus hoc principium, nulla vigebit apud nos religio: nisi enim veniant in rationem coram Dei tribunali omnia hominum dicta & facta, imo etiam affectus ipsi & cogitationes, nulla erit fides primum, deinde nulla erit probitas: extincta erit Dei ipsius invocatio. Nam si nobis persuasum sit Deum non respicere quid in mundo agatur, quis in eum recumbet? deinde, quis petet ab eo auxilium? adhæc quis dubitabit sese projicere ad sævitiam? ad fraudes? ad rapinas? extinguit ergo omnem pietatis sensum hæc diabolica opinio, Deum otium in cælis colere, nec attentum esse ad res humanas curandas. hæc ratio est cur tantopere excandescat Propheta adversus eos qui dicunt quicquam fieri non præcipiente Deo. Jam videndum est quomodo Deus præcipiat quæ perperam fiunt ab hominibus. certe non mandat improbis, ut scelerate agant: hoc enim modo redderet eos excusabiles. nam ubi intercedit Dei auctoritas, illic est certa absolutio. sed dicitur Deus præcipere quod decrevit arcano suo consilio. Duplex ergo est præcipiendi genus: alterum refertur ad doctrinam, alterum vero ad occulta Dei judicia. Præceptum doctrinæ, ut ita loquar, est certa approbatio, quæ homines absolvit. nam si quis Deo obtemperet, jam ut damnetur à centum mundis, satis est habere Deum auctorem. Ergo discamus attenti esse ad præcepta doctrinæ, ubi vitam instituere oportet: hæc enim est unica norma, à qua fas non est deflectere. Sed Deus præcipere dicitur arcanis suis decretis
2 Sam. 16. vers. 5, 6. quod non probat, quantum ad homines ipsos pertinet. sic præceptum habuit Semei maledicendi: & tamen non ideo eximitur à noxa, verum est, quia consilium ejus non fuit obtemperare Deo: imo putavit quod verum erat, se non Deum minus, quam Davidem offendere. Illa igitur distinctio tenenda est, præcipi quædam à Deo, non ut homines habeant agendi regulam, sed quum Deus exercet arcana sua judicia modis nobis incognitis. Sic ergo intelligi debet hic locus, nihil geri sine Dei mandato, hoc est, sine ejus decreto & ordinatione, ut loquuntur. Hinc apparet, quæ videntur contingere, gubernari tamen certa Dei providentia, ut nihil temere agatur. Et quod Philosophi vocant ἐνδεχόμενον accidens, vel contingens, id omnino respectu Dei esse necessarium: quia Deus ante creatum mundum decrevit quicquid facturus erat. jam nihil agitur in hoc mundo, quod non ejus consilio regatur. Et verum est illud Psalmi, Deum nostrum in cælis esse, Psal. 115.
& agere quæcunque vult. hoc autem verum non vers. 3.
esset, nisi penderent omnia à Dei consilio. Videmus ergo nihil contingere, quia quicquid geritur, manat ab æterno & immutabili consilio Dei. Verum quidem est, quæ possunt hoc modo vel alio habere, proprie & naturaliter vocari contingentia: sed quod naturaliter contingit, illud est necessarium quatenus gubernatur à Deo: imo quod geritur hominum consilio & voluntate, illud est necessarium. Philosophi putant hæc omnia esse ἐνδεχόμενα. quare? flexibilis est hominis voluntas in utramque partem. ergo quicquid suscipient homines, illud est contingens: quia qui vult, potest nolle. Hæc omnia vere dicuntur si respicimus voluntatem hominis in sua natura, deinde ipsum effectum. Sed si attollimus oculos ad arcanam Dei providentiam, quum hominum consilia huc & illuc flectat pro suo arbitrio, certe utcunque homines varii sint in suis deliberationibus, Deus tamen non variat. Teneamus ergo hanc doctrinam, nihil fieri nisi Dei mandato & ordinatione, & detestemur cum Spiritu sancto profanos homines, qui fingunt Deum sedere quasi in specula otiosum, nec decernere quid fieri velit in mundo, & res humanas temere huc & illuc versari, homines etiam seipsos circumagere prout visum est: nihil illo delirio magis diabolicum, quia, ut dixi, extinguit omnia pietatis exercitia. nulla enim erit fides, nulla invocatio, nulla patientia, denique nulla probitas, nisi sciamus Deum ita gerere curam mundi, cujus est creator, ut nihil accidat nisi ejus certo & firmo decreto. Qui autem objiciunt, hoc modo fieri Deum malorum auctorem, facile refelluntur, quia nihil magis præposterum est, quam metiri incomprehensibile Dei judicium
modulo sensus nostri. Scriptura clamat judicia Psal. 36.
Dei esse profundam abyssum: hortatur nos ad re- vers. 7.
verentiam & sobrietatem, & non frustra Paulus ex- Rom. 11.
clamat impervestigabiles esse vias Dei. Quum ergo vers. 33.
Dei judicia longe superent sua altitudine omnes sensus nostros, cavenda hæc nobis est audacia, & curiositas. nam quo audacius sese attollet homo, eo se longius Deus ab ipso subducet. Ergo hoc est nostrum sapere, tantum amplecti quod Scriptura docet:

docet: jam quum docet nihil fieri nisi volente Deo, non loquitur confuse, acsi Deus probaret cædes, & furta, & veneficia, & adulteria. quid igitur? nempe Deum justo & recto suo consilio omnia sic ordinare, ut tamen iniquitatem nolit, abhorreat ab omni injustitia. Quum ergo adulteria, & cædes, & rapinæ committuntur, Deus quidem illis omnibus quasi frenum adhibet, & improbissimos quantumvis proterve lasciviant, regit tamen. hoc agnoscunt ipsi, sed in quem finem? nempe ut puniat peccata peccatis, quemadmodum Paulus docet, Conjicit Deus in sensum reprobum eos, qui digni sunt, prostituit eos ad cupiditates ignominiosas, excæcat magis ac magis contemptores verbi sui; deinde habet varias rationes, easque innumeras & nobis incognitas. Ergo discamus non subjicere Deum nostro judicio, sed adoremus ejus judicia, dum nos fugiunt: hoc est, dum eorum causa nos latet ac fugit, hæc est vera sapiendi ratio, nempe modestia & sobrietas. Hoc modo videmus Deum non fieri malorum auctorem, quamvis nihil accidat nisi ex ejus nutu & voluntate: quia longe diversus est ejus finis à sceleribus hominum. ergo perperam implicaretur quasi socius ejusdem noxæ, dum homicida unus damnatur, aut fur, aut adulter. quare? Deus enim nihil commune habet cum furtis, cum adulteriis: sed scelera hominum, miro & incomprehensibili modo, sunt ejus judicia. denique quantum distant cœli à terra, tantum est discrimen operum Dei ab hominum factis, propter fines prorsus diversos, ut jam dixi. Quod autem dicit Propheta *ex ore Excelsi egredi bonum & malum*, per os intelligit etiam decretum. Deus quidem non semper pronunciat se esse judicem: sæpe exercuit multa pœnarum exempla contra reprobos tacendo, quia apud Gentes nulli erant Prophetæ, qui præcones essent judicii, quod Deus illic exercebat: sed quamvis Deus non semper loquatur ubi ulciscitur hominum scelera, dicitur tamen *tam bonum quam malum egredi ex ore ejus*, quia decernit hominibus pœnas prout visum est: deinde aliis parcit ac indulget, vel eos tolerat ad tempus. Sequitur,

Rom. 1. vers. 28. 2 Thess. 2. vers. 11.

39. Cur molestia se afficit homo vivens? vir super peccato suo?

Verbum יתאונן quidam exponunt mentiri, Cur mentietur homo? alii, Cur murmurabit homo? sed non video quis sensus elici queat si vel pro mentiri, vel pro murmurare accipimus hoc verbum. alii, Quid se obdurat homo? sed divinatio mera est. significat autem hoc verbum interdum tædio se afficere, in conjugatione Hithpael. sic Numerorum undecimo capite, Fuit populus murmurantes, vertunt: sed mihi etiam displicet illa expositio; nec dubium est quin Moses significet populum ita tædio fuisse affectum, ut quodammodo tabesceret: & optime convenit hæc significatio præsenti loco. Postquam enim Propheta invectus est in eos, qui Deum fingebant, relicta mundi cura, otium & delicias in cælo colere: jam ut mentes omnium expergefaciat, ostendit remedium sanandæ illius amentiæ, nempe si homines non sponte tædio sese conficiant in suis peccatis, sed agnoscant sibi ostendi culpam suam quoties aliquid adversi illis infligitur. Et certe nunquam homines ita desiperent, ut excluderent Deum à gubernatione mundi, si in seipsos descenderent, si serio examinarent omnia sua dicta & facta. nam statim Deus proferret certas & illustres notas sui judicii. unde ergo fit, ut tam simus hebetes in considerandis Dei operibus? imo ut putemus Deum esse instar spectri vel idoli? nempe quia tabescimus in peccatis nostris, & contrahimus voluntariam hebetudinem: quia arrodimus frenum, ut dicitur veteri proverbio. Nunc ergo tenemus cur Propheta adjungat hanc sententiam, *Cur se tædio conficit homo vivens, & vir in peccatis suis?* nam quantisper homines ita residebunt in sua fæce, nunquam agnoscent Deum esse mundi judicem: & ita semper vagi erunt in suis perversis imaginationibus. Si igitur volumus excutere omnes nebulas, quæ nos impediunt, quominus cernamus Dei providentiam (cernamus, dico, oculis fidei) quisque sibi sit testis, & judex propriæ vitæ, & excutiamus diligenter nosipsos: tunc statim occurret, non temere Deum nobis irasci, tot rebus adversis nos subinde afflictari: quia scilicet peccata nostra prodibunt in medium. Videmus hic ostendi causam amentiæ, quod homines excludant Dei providentiam à rebus humanis, quia non respiciunt seipsos, sed sibiipsis molestiam facessunt absque fructu, & tædium contrahunt in suis peccatis: interea vero non attollunt oculos ad Deum ipsum. Reliqua differam in diem crastinum, quæ cohærent.

Da omnipotens Deus, quando hodie circumagimur in tantis turbis, & omnia sunt fere in mundo confusa, quocunque vertamus oculos, nihil præter densas tenebras occurrit: ut discamus superare omnia obstacula, & fide supra mundum attollere oculos, ut ita agnoscamus gubernari admirabili tuo consilio quicquid nobis videtur nunc fortuito contingere, quo ad te suspiremus, & sciamus semper nobis paratam fore opem in tua misericordia, quoties suppliciter petemus omnium scelerum nostrorum veniam, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

40. Percontemur (*scrutemur*) vias nostras, & inquiramus, & convertamur ad Jehovam.

Nunc clarius ostendit Propheta quid sibi voluerit illa objurgatio, quam heri breviter exposuimus: dicebat homines perperam agere dum tædio se conficiunt in suis peccatis. Jam adjungit tunc recte facturos, si inquirant in vitam suam, & se probe examinent. Hinc enim molestia & tædium, ubi homines sentiunt quidem externa mala, & deplorant: ad causam vero non attendunt, hoc est, non reputant se juste castigari Dei manu. Opponitur igitur examen cujus nunc fit mentio, torpori & tædio, quo se frustra homines macerant, & in quo tabescunt: quia non reputant sua vitia. Hinc fit, ut nihil concipiant præter tædium: & ille est dolor ad mortem, sicuti loquitur Paulus: dolor autem ad vitam nascitur ex ista 2 Cor. 7. vers. 10.
disquisitione, ad quam Propheta nos vocat & hortatur. Dicit igitur hoc unicum esse remedium in rebus adversis, si homines se diligenter excutiant, & considerent qoid meriti sint. Simul adjungit conversionem, quia non subsistunt qui serio affecti sunt timore

timore Dei in illo examine, sed altius conscendunt. Quia enim ipsos Deus revocat in viam, ubi agnoscunt se ab ipso fuisse alienatos, confugiunt ad ejus misericordiam, displicent deinde sibi in suis vitiis, & aspirant ad novitatem vitæ. Ita Propheta noster præscribit nobis certum ordinem, ut scilicet examinemus totam vitam nostram, deinde timore Dei tacti ad ipsum redeamus, quia dum severe nobiscum agit, simul tamen comiter invitat, semper offerendo veniam peccatoribus. Postea adjungit,

41. Tollamus corda nostra cum manibus ad Deum in cælis.

Conversioni adjungit precationem, quia non possumus aliter reconciliari Deo, quam si ipse peccata nostra sepeliat: nec possunt separari pœnitentia & fides. Porro gustus misericordiæ Dei aperit nobis januam ad precandum. Et hoc diligenter notandum est, quia increduli videntur interdum satagere, ut cum Deo redeant in gratiam, sed tantum incumbunt in vitæ mutationem: interea de venia non sunt solliciti, sed secure prodeunt coram Deo, acsi non essent judicio ejus obnoxii. Et videmus in Papatu dum longi sermones habentur de pœnitentia, vix nomen fidei unquam venire in rationem, quasi pœnitentia sine fide esset restitutio à morte in vitam. Ideo dixi notandam esse docendi rationem, quam tenet Propheta noster. Incipit ab examine vitæ, requirit secundo conversionem, sed eam non separat à fide. Nam dum ad precandum nos hortatur, perinde est acsi proponeret nobis judicium Dei, & simul doceret non aliter posse nos mortem effugere, nisi Deus nobis propitius occurrat. Quomodo autem obtinenda est venia? nempe precibus. Preces autem semper in fide fundatæ esse debent, quemadmodum satis notum est. Quod autem jubet *corda ad Deum tollere simul cum manibus*, hoc modo jubet facessere omnem hypocrisin à precibus. nam promiscue omnes, manus ad Deum tollent: & natura ipsa hoc dictat, dum malis constringimur, Deum quærendum esse. Cæterum, major pars suffocat illum naturæ sensum. ubi urget afflictio, hoc erit commune omnibus, manus in cælum tollere, etiamsi nemo ipsos hortetur: sed interim corda manent humi defixa, neque ad Deum accedunt. Et major pars hominum comprehenditur in numero illo cujus meminit Jesaias, Populus hic linguis ad me accedit, cor autem longe abest. Jesa. 29. vers. 13. Quia ergo homines ita perfunctorie agunt cum Deo, & nudam ceremoniam obtrudunt acsi Deus abnegaret seipsum, & sineret sibi oculos oblini, Propheta jubet omnem fictionem removere à precibus: *Tollamus*, inquit, *manus ad Deum, sed corda simul* Paulo aliter loquitur Joel quum dicit, Scindite corda vestra, & non Joel 2. vers. 13. vestimenta: videtur enim excludere externum ritum, quia dum volebant homines profiteri se esse reos coram Deo, vestes scindebant. Joel dicit illud esse supervacuum & inutile. & certe ritus ille non adeo est necessarius. Sed quia preces si prodeant ex serio affectu, excitant manus, ideo Propheta noster retinet illam ceremoniam, quæ utilis est. Sed interea docet non debere omitti quod est præcipuum, nempe *ut corda ad Deum tollantur*. *Tollamus* ergo *una cum manibus corda nostra ad Deum*, inquit: & addit, *ad Deum qui est in cælis*, quia necesse est homines exurgere supra mundum, & exire à seipsis, ut ita loquar, quo ad Deum accedant. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: ostendit, eos qui ex animo resipiscunt non debere prodire coram Deo, acsi non essent rei apud ejus tribunal, sed potius debere anxios esse & supplices, ut veniam obtineant. Postea ostendit veram rationem precandi esse, ubi non defungimur externis ceremoniis duntaxat, sed aperimus corda nostra, & attollimus quasi in cælum ipsum. Hæc igitur vera est ratio precandi, ubi interior affectus conjunctus est cum externo gestu. Sequitur,

42. Nos peccavimus, & rebelles fuimus: tu non pepercisti.

Hic non expostulant fideles cum Deo, sed potius agnoscunt justam fuisse Dei severitatem. Quod ergo Deus ipsos durius tractaverit, causam adscribunt suis sceleribus. hæc est summa. Unde colligimus, hanc ingenuam confessionem perpetuam comitem esse pœnitentiæ, sicuti etiam Paulus docet. 2 Cor. 7. Ubi enim peccator vel securus est, vel conatur sua mala tegere, & sibi indulget, (ut videmus paucos esse qui se libenter humiliant coram Deo) contrahit obstinationis callum. Hac ratione Propheta confessionem exigit: imo hic suggerit verba, quibus uti convenit, ubi cupimus veniam à Deo impetrare: *Nos*, inquit, *impie egimus*, *& fuimus rebelles*. pronomen hoc loco videtur emphaticum, acsi fideles susciperent in se culpam malorum omnium, quam major pars semper cupit longe à se rejicere. Hic ergo Propheta ostendit, non aliam esse rationem placandi Dei, quam ubi fatemur nos esse malorum omnium auctores: & simul docet, hoc esse testimonium veræ pœnitentiæ, ubi non objicimus vanos prætextus pro communi more, neque facimus nobis blanditias, sed fatemur nos esse convictos. Jam ostendit minime extenuandam esse culpam, ut vera sit & plena confessio. & hac etiam in parte mundus fere ludit cum Deo. Nam pudet etiam improbissimos negare se peccatores: sed quia coguntur aliquid fateri, hoc fit leviter: & videtur esse quasi extorta confessio, ideoque jejuna est vel saltem dimidia. Propheta autem hic ostendit, qui cupiunt Deo reconciliari, non tantum uno verbo debere agnoscere & fateri culpam; sed ingenue sese explicare. Ideo adjungit peccato contumaciam: quasi dicerent, Nos non simpliciter vel uno modo peccavimus, sed exasperavimus Deum ipsum, & multis modis & assidue peccando eum in nos provocavimus. In summa dicit tunc patefieri nobis aditum ad impetrandam gratiam, ubi non obstrepimus Deo, nec cum eo litigamus quasi asperius nobiscum egerit: sed fatemur ipsum fuisse durum, & rigidum erga nos, quia causam reperiebat in peccatis nostris, adeoque in sceleribus. Adjungit,

43. Obtexisti in ira & persequutus es nos, occidisti; & non pepercisti.

Primo intuitu videri posset querimonia hæc prodire ex amarulento corde. Nam hic fideles queruntur se fuisse occisos: deinde, Deum quasi in tenebris exercuisse suum judicium, ne ignosceret. & versus etiam proximus eandem sententiam confirmabit. Sed simplex est agnitio justæ Dei vindictæ: neque enim in illis extremis cladibus poterant fideles jactare Deum clementer egisse. nam ventum erat usque ad ultimum rigorem, quemadmodum ante vidimus. Si dixissent se fuisse leniter castigatos, fuisset ridiculum, quia Templum combustum erat, Urbs excisa, Regnum eversum, populus magna ex parte in exilium tractus, reliquiæ dissipatæ, fœdus Dei erat quodammodo abolitum. neque enim aliter existimari potuit pro carnis sensu. Si ergo exules in Chaldæa dixissent se Dei ferulis leniter fuisse percussos, nonne extenuatio hæc fuisset absurda? si etiam Propheta cum aliis hoc

modo

modo loquutus esset? nam erant innumeræ lugendi causæ: privatim quisque spoliatus erat suis fortunis, deinde multæ erant viduæ, multi orhi: sed præcipua luctus causa erat in Templi excidio, & Regni interitu. Non mirum igitur est si fideles aggravent hic sua mala: sed interea non alibi causam quærunt, quam in suis peccatis. Hac igitur ratione nunc dicunt, *Deum obtexisse in ira.* Metaphora hæc optime convenit: quasi dicerent Deum exequutum esse suam vindictam in densa caligine. Nam sensus oculorum est tenerior, & facile ad misericordiam flectimur ubi occurrit nobis triste spectaculum. Hinc fit, ut etiam sævissimi hostes interdum mansuescant, quia oculis suis feruntur ad humanitatem. Ergo Propheta quum vult exprimere horribilem Dei vindictam, dicit fuisse quoddam integumentum objectum, ita ut Deus implacabili modo pœnas de impio populo exigeret. Sed quemadmodum dixi, non insimulant Deum crudelitatis, etiamsi dicant *obtexisse in ira.* postea, *persequutus es nos, & occidisti, & non pepercisti.* Denique significant Deum fuisse severum judicem: sed simul descendunt in seipsos, & illic quærunt causam, ne scilicet sua duritie seipsos exasperent adversus Deum, quemadmodum facere solent hypocritæ. Et sensus malorum etiam nos ad pœnitentiam sollicitat. unde enim fit, ut torpeant homines in suis peccatis, nisi quin sibi indulgent? Ubi ergo Deus suspendit sua judicia, vel ubi moderatur sibi, nec pro meritis homines punit: tunc etiam si qua sit pœnitentia, est tamen frigida & fere evanescit. Hæc igitur ratio est cur Deus infligat lethales plagas, quia non sentimus manum ejus, nisi ictus sint quasi mortiferi. quin ergo simplex castigatio non satis nos ad pœnitentiam sollicitat, ideo Propheta hic fideles inducit loquentes hoc modo, *Ecce tu in ira obtexisti*, ut nos non respiceres, ut nulla esset occasio misericordiæ, nempe ut ipsi sint sui judices, & ex pœnarum atrocitate reputent quam graviter iram Dei provocaverint. Sequitur eodem sensu,

44. Obtexisti in nube tibi, ne transiret precatio.

Confirmat Propheta eandem sententiam, sed verbis mutatis. Iterum repetit verbum obtegendi: sed quo clarior & explicatior sit metaphora, dicit *in nube:* significat simpliciter nubem fuisse interpositam, ut Deus liberius puniret Judæos, sicuti meriti erant. Paulo aliter loquitur Jesaias, sed in eundem
Jesa. 59. vers. 1. 2. finem: Non est, inquit, manus Dei abscissa, neque aures ejus sunt magis obtusæ. sed peccata nostra interposuerunt distantiam inter nos & Deum. Non dubium est, quia Jesaias idem velit quod Propheta noster, Deum scilicet naturam non mutare: & ideo quum videtur sævire in populum suum, debere causam adscribi peccatis, quia Deus ipse semper sui simi-
Psal. 65. vers. 3. lis manet. Scimus quid dicatur in Psalmo, Tu es Deus qui exaudis preces. Deus ergo semper ad suos exaudiendos est propensus: deinde satis etiam valida potentia instructus est ad opem ferendam: sed distantia est à peccatis nostris. Ita & Propheta nunc dicit *nubem fuisse interpositam.* Eadem fere sententia habetur capite quinto, ut vidimus. Illic enim Propheta totius populi nomine dicebat se esse à Deo separatum: sed interstitium esse, non quod Deus consilium mutasset, sed quia populus quodammodo gratiam ejus repulerat. *Opposuisti* ergo *tibi in nube*, hoc est, integumentum tibi fecisti, *ne oratio transiret.* Videtur quidem hoc esse absurdum, quia Deus obviam procedit omnibus miseris, & promittit se preces exauditurum. quid ergo hoc sibi vult, *nubem fuisse interpositam, ne oratio ad ipsum penetraret?* nempe quia nec rite precabantur Judæi, & sibi omnes aditus præcluserant, ne Deus ipsos admitteret. In summa, hic non litigant fideles cum Deo, acsi fuissent decepti ejus promissione: sed fatentur se fuisse indignos, qui Deum precarentur: deinde etiam agnoscunt non fuisse rite conceptas preces suas. *Et* hoc sensu dicunt *se fuisse prohibitos quasi nubes esset objecta, ne ipsorum precatio ad Deum usque ascenderet.* Sequitur,

45. Quisquilias, & rejectionem posuisti nos in medio populorum.

Hic dicunt se fuisse expositos probro, ut essent quasi mundi purgamenta. Vertunt vocem סחי, alii rejectionem, alii diversis modis: alii colluviem. Sed proprie significat scobes, & ramenta, [illegible] quæ
1 Cor. 4. vers. 13. vocant Græci. Paulus 4. capite prioris ad Corinth. dicit se & alios collegas fuisse quasi mundi [illegible]. Intelligit se fuisse contemptum, sicuti purgamenta, vel ramenta. nam deducitur hoc nomen à scopando. quicquid ergo verrendo abstergitur, hoc est, sordes domus, vel pavimenti, hoc totum vocatur סחי. Consilium Prophetæ non obscurum est. intelligit enim ignominiam populi non fuisse occultam, sed fuisse patefactam omnibus populis acsi Deus theatrum erexisset in Judæa, & illic edere voluisset insigne aliquod & rarum specimen suæ vindictæ. Eodem sensu adjungit,

46. Aperuerunt super nos os suum omnes inimici nostri.

Exprimit quod dixerat, nempe populum esse quisquilias vel ramenta, vel scobes: deinde esse rejectionem. Est quidem verbum infinitivi modi, sed accipitur loco nominis מאוס. Nempe *quia totidem inimici* erant quot vicinæ gentes. Scimus enim Judæos fuisse omnibus aliis exosos. Ergo inter populos fuerant rejectio & sordes, quia aperto ore omnes inimici in ipsos debacchabantur. Nam *os aperire* tantundem valet atque petulanter insurgere, & permittere sibi omnem maledicendi licentiam, quemadmodum etiam alibi dictum fuit. Hoc autem fuit acerbissimum miseris, quum viderent ad tot suas calamitates accedere etiam probra & subsannationes hostium. Scimus enim quam graviter eos qui alioqui afflicti sunt vulneret contumelia.

47. Pavor & fovea fuit nobis, destructio, (*alii vertunt, deceptio*) & contritio.

Pluribus verbis exaggerat Propheta gravitatem cladis, quæ acciderat. comparat igitur *foveæ & pavori* illas anxietates, in quas conjectus fuerat populus. Est concinna paronomasia in verbis, פחד & פחת: sed sensus est, populum eo fuisse redactum, ut nullus exitus pateret: quemadmodum ubi consternamur pavore, si respicimus huc & illuc, & undique occurrunt nobis foveæ, illa est materia ultimæ desperationis. Talem ergo fuisse statum populi docet Jeremias, quod scilicet pavore attoniti, dum quærerent effugium, ubique aspexerint foveas, Postea adjungit *vastationem*, vel destructionem, & *contritionem.* Probabile est esse mendum in versione Hieronymi. dicit, vaticinatio. quidam existimant ipsum fuisse deceptum in litera ש, quia videtur legisse cum puncto sinistro, & ideo pro vaticinio accepit, à נשא. Sed altera conjectura videtur rectior quod scilicet librarii depravarint locum illum: quia

optime

optime convenit quod dixi, nempe populum fuisse obrutam omnibus malis, quia nihil præter *vastationem & contritionem*, vel confractionem (hoc est, שבר) occurreret. Jam sequitur,

48. Rivi (*hoc est, tanquam rivi*) aquarum descendit oculus meus super contritione (*vel afflictione, est idem nomen* שבר) filiæ populi mei.

Varie exponunt interpretes principium versus: quidam vertunt, Oculus meus descendit in rivos aquarum: alii, Oculus meus defluxit in rivos aquarum, vel rivi aquarum defluxerunt. Sed quemadmodum alibi exposui, potius Propheta intelligit oculum suum descendisse tanquam rivos. Descendere autem metaphorice accipitur pro defluere. aquæ enim fluendo semper descendunt, at satis notum est. Est autem mutatio numeri quum dicit, Oculus meus descendunt: & subaudienda est particula כ, nota similitudinis, quod scil. oculi ejus descenderunt vel defluxerunt tanquam rivi. proprie significat hoc nomen divisiones: sed intelligit plures rivos defluxisse acsi essent plures fluvii. *Super contritione populi mei.* Propheta hic loquitur in sua persona: quanquam minime dubium est, quin alios etiam omnes hortetur ad societatem doloris sui. Neque enim poterant satis ardenter Deum precari fideles, quin horrore essent quasi fracti & confusi: nam si populi clades ipsos non affecisset, ut debebat, non fuisset serium precandi studium. Hæc igitur ratio est cur Propheta hic commemoret fletus suos, & gemitus, & lachrymas. Nempe ut seipsum magis excitet ad precandum, & alios etiam simul adducat. Sequitur,

49. Oculus meus defluxit, & non quievit à non intermissionibus. (*hoc est, ut non sint intermissiones, vel ut nulla sit requies.*).

Idem repetit diversis verbis, quod scilicet oculi ejus defluxerint. retinet adhuc singularem numerum: sed illa ratio satis trita est Hebræis. Dicit ergo *oculum suum sine fine defluxisse, ita ut nulla esset requies.* Sed postea sequitur,

50. Donec aspiciat & videat Jehovah è cælis.

Hic Propheta luctum suum discernit ab illo cæco dolore, quo increduli correpti satis quidem impetuose feruntur, sed non respiciunt ad Deum. Ergo Propheta hic non tantum se flevisse dicit, sed simul suppliciter fuisse deprecatum, & expectasse dum finem malis Deus imponeret. Quemadmodum jam dixi, increduli satis superque dolent in rebus adversis: imo sese projiciunt ad mœrorem: sed aversi sunt prorsus à Deo, & sunt quasi feræ bestiæ. Ostendit ergo Propheta quæ vera sit ratio lugendi, nempe si oculi nostri defluant usque ad fatigationem & sine quiete: interea vero expectemus dum Deus nobis propitias occurrat. Ergo cohærent isti duo versus inter se quum dicit, *Donec aspiciat & videat Jehovah è cælis*: quia alioqui lachrymæ traherent nos ad desperationem: & desperatio esset causa furoris: quemadmodum videmus impios tumultuari contra Deum. Sic ergo flendum est, ut interea studeamus bonam spem fovere, dum expectamus ut Deus nos aspiciat, & videat nostras miserias è cælis. nec supervacuum est nomen *cælorum*, quia homines in suis malis, ubi Deum quærunt, occupantur terrore, quia non existimant se posse ad eum conscendere. hinc fit ergo, ut despondeant animos, quia imaginantur Deum nimis procul esse remotum. Ergo Propheta hic antevertit perversum illud figmentum, & dicit nihilominus expectandum esse, *dum aspiciat Deus è cælis:* quemadmodum in Psalmo dicitur, Deum esse excelsum, & tamen respicere humilia. Majestas ergo Dei etiamsi superior sit omnibus cælis, non obstat quo minus familiariter respiciat quæ humilia sunt, & contemptibilia in mundo. Tandem sequitur, Psal. 113. v. 4. 5. 6.

51. Oculus meus dolore afficit animam meam propter omnes filias urbis meæ. (*vel, præ omnibus filiabus urbis meæ.*)

Dixerat oculam suum defluxisse, deinde, fuisse quasi fontem, ex quo descenderent plures rivi aut fluvii: jam ponit aliam loquutionem, *quod* scilicet *oculi molesti fuerint animæ.* est autem hoc signum maximi doloris, ubi cuperet qui luget aliquid levationis sibi dari, interea autem abripitur etiam ipso externo sensu. Multi enim sibi indulgent in dolore, & seipsos accendunt: tunc anima hominis est quasi flabellum ad excitandum incendium. Sed ubi flemus, & oculi nostri exprimunt lachrymas, & ubi animus ipse quodammodo se exhaurit, hoc est signum maximi doloris. Et hanc magnitudinem voluit exprimere Jeremias quum dicit *oculum suum fuisse molestum animæ.* posterior pars duobus modis exponitur: quidam vertunt, Propter omnes filias urbis meæ. Sed quamvis hic sensus magis sit receptus, tamen potius subscribo eorum sententiæ, qui vertunt, *præ cunctis filiabus.* Nam מ est nota comparationis, sicuti est nota causalis. Dicit autem *præ omnibus puellis se fuisse mærori deditum*, quia muliebris sexus tenerior est, & mollior, ut satis notum est. Propheta igitur amplificat luctum suum hac similitudine, quod superaverit omnes puellas urbis lugendo, ita ut fere oblitus fuerit omnis virilitatis. Si dixisset Filias populi, poterat hoc exponi, quemadmodum nuper, vel de urbibus, vel de toto populo, hoc est, de corpore ipso. Sed quum nominat *omnes filias urbis suæ*, non possum aliter accipere, quam per modum similitudinis, quod scilicet sibi non temperaverit, sed abreptus fuerit dolore, quemadmodum mulieres, adeoque puellæ, quibus tenerior est animus, ut jam dictum fuit. Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando hactenus nobis pepercisti, ne tamen torpeamus in nostris vitiis: deinde quum jam durius Ecclesiam tuam tractare incipias, ut expergefiamus ad tuas castigationes, & ita humiliemur sub forti tua manu, ut tamen non dubitemus te fore nobis propitium: & sic nobis displiceamus in peccatis nostris, ut certo simus persuasi, modo te expectemus, tandem fore nobis misericordem, ut præbeas nobis novam lætitiæ materiam & gratiarum actionis in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA IN

LAMENT. JEREMIÆ.

52. **Venando venati sunt me tanquam passerem (*vel avem*) inimici mei sine causa.**

Videbimus usque ad finem capitis varias querimonias, quibus Propheta miserias populi sui deplorat, ut tandem obtineat misericordiam à Deo. hic similitudinem usurpat avis aut passeris. Dicit ergo Chaldæos fuisse similes aucupibus, Judæos autem fuisse quasi passeres. scimus enim nihil esse vel consilii vel fortitudinis in avibus. Intelligit ergo Judæos fuisse destitutos omni auxilio: ita expositos in prædam suis hostibus, qui fuerunt tanquam aucupes. Et videtur alludere ad sententiam Solomonis. dicit enim capite primo Proverbiorum, Sine causa extendi rete avibus: & intelligit homines innoxios ab improbis circumveniri, quasi undique tenderent illis insidias. Sunt autem similes avibus, quæ nulla astutia pollent ad cavendum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: indignitatem cladis amplificat comparatione, quod scilicet Chaldæi pro sua libidine deprædati sint miserum populum, qui ad resistendum minime par erat, imo destituebatur omni defensione. Sequitur,

Prov. 1. vers. 17.

53. **Succiderunt (*vel potius, constrinxerunt*) in puteo vitam meam, & projecerunt lapidem super me.**

Nunc alia similitudine utitur. quidam male restringunt hoc ad personam Jeremiæ, quasi hic exponeret coram Deo injurias sibi privatim illatas. neque enim dubium est, quin causam totius populi suscipiat: quandoquidem vult suo exemplo fideles hortari ad luctum, ut ita obtineant veniam à Deo. Comparat igitur se homini quasi semimortuo, qui projectus in puteum, illic relinquitur pro desperato. Male igitur quidam vertunt, Projecerunt lapides. lapidatio enim nihil ad Prophetæ mentem: sed postquam dixit se fuisse constrictum in puteo, addit, *lapidem fuisse impositum*, ne posset emergere, quemadmodum scimus fuisse factum Danieli: Daniel projectus fuit in foveam leonum, deinde lapis injectus ad os foveæ. Sic etiam Propheta dicit *vitam suam fuisse constrictam in puteo*, neque id solum, sed lapidem impositum fuisse, ut nulla spes esset exitus: atque ita puteus esset instar sepulchri. Hic igitur intelligit se fuisse redactum usque ad ultima, quoniam non modo captor erat ab hostibus, sed etiam projectus in puteum. Est autem metaphorica loquutio, ut satis notum est, vel similitudo. Addit,

Dan. 6. v. 17, 18.

54. **Inundaverunt (*ad verbum: alii, ascenderunt*) aquæ super caput meum: dixi, Succisus sum.**

Tertia nunc similitudo additur, quod scilicet obrutus fuerit tanquam diluvio malorum. Hæc similitudo subinde occurrit in Scripturis, præsertim in Psalmis. nam ubi David exprimere vult desperationem, dicit se fuisse demersum in aquis profundis. Ita & hoc loco Propheta conqueritur, *aquas exundasse super caput suum*, ut putaverit se hominem esse perditum. Quanquam autem hæc vox fuit hominis desperati, ex contextu tamen satis patet, Prophetam fuisse fundatum in spe misericordiæ Dei. sed loquitur pro carnis sensu. Scimus autem fideles esse quasi divisos. nam quia non sunt exuti carne, ideo necesse est apprehendere res adversas, percelli metu, esse anxios: denique ubi mors impendet, quodammodo exanimari. Interea fides in ipsorum cordibus palmam obtinet: ideo neque terroribus, neque curis, neque anxietatibus succumbunt. Ergo quum dicit Propheta se opinione sua fuisse perditum, non significat sic extinctam fuisse fidem, ut abjecerit omne studium invocandi Dei. Proximo enim versu ostendet se perseverasse in precibus. quomodo ergo dixit vel statuit se esse perditum? nempe, quemadmodum jam dixi, pro humano sensu. Et videmus sæpe fideles conqueri se esse derelictos, Deum in cælo dormire vel jacere, vel esse aversum: hæc omnia referri debent ad sensum carnis. Dum ergo fideles oculos suos conjiciunt in pericula, si mors occurrat, non modo trepidant, sed expavescunt & concidunt etiam. Interea, quemadmodum dixi, fide luctantur contra omnes tentationes. Sic ergo intelligi debet hic locus, quod Propheta *statuerit se esse perditum*, nempe quatenus poterat judicare ex præsenti aspectu. nulla enim spes apparuit tunc Ecclesiæ. Sed videmus tamen Prophetam non sibi indulsisse in illa desperatione. Subjicit enim continuo post,

Psal. 69. v. 15, 16.

55. **Invocavi nomen tuum Jehovah è puteo profunditatum.**

Videmus certe Prophetam habuisse intestinum certamen, quod etiam fideles omnes experiuntur, quia spiritus pugnat adversus carnem, ut docet Paulus. Quum ergo conciperet mortem ab una parte, non tamen destitit confugere ad Deum. nam fides erexit ejus animum, ut non succumberet, sed potius ut fortiter rejiceret tentationem sibi objectam. Quamvis ergo persuasus esset de suo interitu secundum carnem, ex opposito invocavit nomen Dei, nempe quia fideles non metiuntur Dei potentiam & gratiam sensu suo, sed dant Deo ipsi gloriam, ne vel in rebus prorsus desperetis desinant in ipsum recumbere. Et hic locus diligenter notandus est: quia ubi Satan non potest alio modo nos avertere à studio precandi, objicit infirmitatem. Quid tibi vis miser? an Deus te exaudiet? quid enim affers? tu trepidas; tu es anxius, imo tu desperas: & interea putas Deum tibi fore propitium. Quoniam ergo talibus insidiis Satan conatur januam nobis claudere, ne audeamus precari, occurrat nobis Prophetæ exemplum, qui tametsi se perditum putavit, non tamen ideo abjecit fiduciam, quam conceperat de auxilio Dei. Unde enim hæc perseverantia, nisi quia seipsum quodammodo objurgavit quum videret ita se oppressum, & quasi exanimatum. Utrumque cernitur in brevi illa precatione, ubi dicit David Psalmo 22. Deus mi, Deus mi, ut quid me dereliquisti? nam ubi verba dirigit ad Deum, & suum nominat, illic cer-

Galat. 5. vers. 17. *Psal. 22. vers. 2.*

nimus

nimus raram & eximiam fidem: ubi autem queritur se derelictum, illic videmus quomodo pro infirmitate carnis putaverit actum esse de salute sua. Tale ergo certamen nobis hic describitur, sed in quo superior fuit fidea, & palmam obtinuit: quia Propheta non desiit ad Deum clamare, idque *è puteo profunditatum*, è fovea, hoc est, ex ipsa morte. Et hoc etiam diligenter notandum est, quia ubi Deus sustinet nos suis alis, vel in gremio suo gestat, facile est precari: sed ubi videmur ab ipso projecti usque ad profundissimos gurgites, si illinc etiam ad ipsum clamamus, hæc est seria & certa fidei & spei probatio. Quoniam tales loci sæpius occurrunt in Psalmis, conferri possunt simul. Sed ego leviter percurro, quia mihi non est propositum congerere omnia testimonia, quæ conveniunt: satis est habere genuinum Prophetæ sensum. Sequitur,

56. Vocem meam audisti: ne occultes (*vel occludas*) aurem tuam ad respirationem meam, (*vertunt, ad clamorem meum*) & ad precationem meam. (*sed prius nomen accipio potius pro gemitu, vel clamore.*)

Quum dicit Propheta *Deum audisse*, perinde est acsi diceret se ita fuisse precatum, ut Deus testis fuerit & zeli, & sollicitudinis. nam multi gloriantur magnifice de zelo suo, & fervore, & assiduitate etiam precandi: sed sunt meræ nugæ. Propheta autem Deum testem citat suorum clamorum: quasi diceret se non ita fuisse attonitum in rebus adversis, quin semper ad Deum confugeret. Jam addit, *ne occludas*: proprie est occultare, sed quia hoc non satis quadraret auribus, ideo vertere placuit, *ne occludas aurem tuam ad clamorem meum.* רוח significat dilatare & respirare. Ideo fere omnes exponunt, *ad respirationem meam.* Sed quod sequitur non potest admittere talem sensum, *ad precationem meam*, vel ad clamorem. Ego itaque non dubito istas duas voces accipi pro clamore. nam in gemitu spiritus hominis se dilatat, & animus ipse dolore compressus turget. Quum autem curas nostras & molestias conjicimus in sinum Dei, tunc spiritus quodammodo emergit violenter. Hoc ergo intelligit Propheta, dum postulat *ne Deus claudat aurem ad dilatationem*, vel gemitum, *& ad clamorem.* Sequitur,

57. Appropinquasti in die in quo clamavi ad te, (*vel invocavi te*) dixisti, Ne timeas.

Hic Propheta commemorat se expertum fuisse Dei bonitatem, quia non fuerit passus repulsam ubi precatus est. Et hæc doctrina apprime nobis est utilis, dum scilicet repetimus memoria non frustra nos fuisse precatos. Inde enim statuere licet, quia Deus perpetuo manet sui similis, ideo semper fore propensum ad nos juvandos quoties fidem ejus implorabimus. Hæc igitur ratio est cur Propheta recitet se expertum fuisse Dei facilitatem in exaudiendis precibus: *Accessisti*, inquit, *die quo invocavi te.* hic autem accessus refertur ad rem, vel ad effectum, nempe quod Deus manum porrexerit, & auxiliatus fuerit servis suis. Quum ergo talibus documentis confirmati essent, fuit illis liberum semper ad Deum confugere. Deus enim suppeditat nobis materiam bene sperandi, ubi semel atque iterum nobis opitulatus est: & perinde est acsi testaretur se semper eundem fore, qualem semel atque iterum sumus experti. Jam adjungit explicationem, *Dixisti, Ne timeas.* non intelligit Deum loquutum esse; sed, quemadmodum dixi, hoc modo exprimit se non frustra quæsisse Deum, qui sublevatus fuerit. Quamvis autem Deus verbum non faciat, ubi tamen sentimus preces nostras ab eo fuisse exauditas, perinde est acsi nos erigeret, acsi eximeret nobis omnem metum. Summa est, Deum fuisse propitium servis suis quoties ad ipsum clamarunt. Jam sequitur,

58. Disceptasti Domine disceptationes animæ meæ, redemisti vitam meam.

Eodem sensu nunc dicit Deum fuisse suum judicem, qui causam ejus susceperit; nec causam unam duntaxat, sed pro ipso litigaverit, acsi esset perpetuus cognitor. Summa est, Prophetam (qui loquitur tamen in omnium fidelium persona) sensisse Deum vindicem, & auxiliatorem, neque tantum in una causa, sed quoties laboravit. ideo enim plurali numero utitur quum dicit, ריבי נפשי. *Disceptasti* ergo *disceptationes*, inquit, *animæ meæ.* adjungit, *redemisti vitam meam.* Hic est modus disceptandi, ubi scilicet Deus nos liberat quasi à morte. nam sedulo interdum laborant amici, dum sese interponunt pro defensione, sed non semper proficiunt. Deus autem ita est cognitor nostrarum causarum, ut sit etiam liberator, quia in manu ejus est salus nostra. Sequitur,

59. Vidisti Jehovah oppressionem (*subversionem, alii vertunt iniquitatem*) meam: judica judicium meum.

Nomen עותתי *subversionem meam*, quidam accipiunt pro iniquitate, sed ironice, quasi diceret Propheta, Deus tu nosti an deliquerim. Sed potius capitur passive. עות significat subvertere, ut alibi vidimus etiam hoc capite. Ergo *subversionem suam* intelligit oppressionem, quum scilicet indigne eum adversarii pedibus calcarent. Ac proinde simul nunc postulat à Deo, ut *judicet judicium suum*, hoc est, ut suscipiat causam, & vindex appareat, quemadmodum fecerat olim, quia *vidit subversionem ejus*, hoc est, vidit ipsum inique fuisse dejectum, & prostratum ab improbis. Sequitur,

60. Vidisti omnes ultiones ipsorum, omnes cogitationes eorum contra me.

Hac forma sæpe utuntur sancti, quia Deus ubi dignatur respicere ad eorum miserias, simul etiam propensus est ad ferendum auxilium. Neque est supervacuus sermo quum dicunt fideles, *Domine tu vidisti.* nam sua causa sic loquuntur, ut excutiant omnem diffidentiam. Simul enim atque tentatio aliqua nobis molesta est, fingimus Deum à nobis aversum, & ita sollicitat nos caro ad desperationem. Ergo necesse est, ut fideles secum hic luctentur, & statuant Deum vidisse. Quamvis ergo dictet humana ratio, Deum non aspicere, negligere suos, & aspernari, debet ex opposito succurrere hæc doctrina, *Deum* scil. *vidisse.* Hæc ratio est cur tam sæpe David ea forma utatur. *Vidisti ergo Jehovah omnes ultiones ipsorum. Ultiones* hic accipit pro violentiis, quemadmodum Psalmo 8. Ad profligandum inimicum, Psal. 8:3.

cum, & ultorem: non intelligit illic simpliciter eos, qui retaliant injurias, sed intelligit homines truculentos. Sic etiam hoc loco per vindictas intelligit omne genus sævitiæ, sicuti etiam per cogitationes consilia perversa, quibus conantur improbi miseros, & innoxios obruere. Iterum idem repetit:

61. Audivisti probra ipsorum Jehovah, omnes cogitationes eorum contra me.

Videmus esse repetitionem: sed pro ultionibus nunc ponit probra. Hac etiam ratione Deum rursus ad misericordiam flectere voluit: quia ubi non succurrit, videtur oculos claudere, & habere aures obturatas. Si autem ad mala nostra attendit, tunc paratus est ad opem ferendam. Postquam ergo Propheta dixit *Deum vidisse*, nunc ad auditum transit, *quod audierit probra*. Improprie adjungit *audisse cogitationes*: quanquam non loquitur tantum de arcanis consiliis, sed comprehendit omnes impias conspirationes, quibus machinati fuerant hostes eum perdere. Adjungit,

62. Labia (*vel sermones, aut linguas*) insurgentium contra me, & sermones eorum contra me toto die. (*vel quotidie.*)

Pro cogitationibus nunc ponit *labia & sermones*. הגה significat meditari, etiamsi nulla vox exeat. Sed hoc loco quoniam conjungitur labiis, non dubium est quin Propheta potius sermones designet, quam occultas meditationes. Dicit ergo tales fuisse conspirationes hostium, ut non dissimulaverint quid haberent in corde, sed protulerint perversos suos affectus. Hæc autem insolentia debuit Deum movere, ut populo suo tam injuste oppresso succurreret. Adjungit *quotidie*, vel toto die. Hæc enim particula etiam valere debuit ad obtinendam gratiam, quo scilicet celerius populo suo Deus succurreret. nam si impetus suos projiciant impii, & paulo post cessent, facile est perstare in illa brevi tentatione, quemadmodum si procella aliqua repente transiret. sed ubi ita contumaciter pergunt in suis machinationibus, hoc durius est ad ferendum: & ideo hæc est materia bene sperandi, quum scilicet dictat nobis hanc precandi formam Spiritus sanctus, Deum fore nobis misericordem, ubi espexerit hostium nostrorum pertinaciam. Jam addit,

63. Sessionem eorum, & surrectionem eorum aspice: ego canticum eorum. (*vel pulsatio, ut alii vertunt.*)

Idem nunc repetit Propheta, sed aliis verbis. Loquutus est de insidiis, & conspirationibus, & sermonibus hostium: jam adjungit Deo nihil esse occultum. Per *sessionem & surrectionem* intelligit omnes
Psal.139. vers.2. actiones vitæ, quemadmodum ubi David dicit, Domine tu nosti sessionem meam, & surrectionem meam, vel sedere meum, & surgere: sive quiescam, sive ambulem, actiones meæ tibi sunt compertæ. per *surrectionem* igitur designat hic Propheta, sicuti David, omnes motus: per *sessionem* vero intelligit quieta consilia. Homines enim vel sedendo deliberant, & comparant se ad opus: vel surgunt, & ita moventur. Intelligit in summa, sive hostes consultent taciti & quieti, sive hoc & illud moliantur & satagant, nihil Deo esse incognitum. Ubi autem Deus ita attentus est ad omnia consilia & ad omnes actiones hominum, fieri non potest, quin compescat improbos: quia cognitio Dei semper conjuncta est cum officio judicis. Videmus ergo ut Propheta se confirmet, quemadmodum nuper attigi, atque ita colligat materiam fiduciæ, quoniam Deum non lateant perversa hostium consilia, deinde opera. Adjungit, *ego sum canticum*. rursus proponit Deo contumeliam, quæ inferebatur ab improbis. nam illa etiam indignitas plurimum valet ad Deum movendum, ne scilicet sinat indigne servos suos vexari. Jam sequitur,

64. Repende illis mercedem, Jehovah, secundum opus manuum suarum.

Hic clausulam adjungit, quia hactenus recensuit, ut dixi, & mala quæ patiebatur, & contumelias, & injustas oppressiones, ut Deum haberet sibi propitium. Hæc enim ratio est conciliandi favoris, ubi inique nobiscum agitur: quia fieri non potest quin Deus causam nostram suscipiat. Testatur enim se præsto fore ad miseros juvandos: proprium ejus est eripere vinctos è carcere, illuminare cæcos, succurrere miseris, & indigne oppressis. Hac igitur ratione nunc confidenter Propheta postulat, *ut rependat hostibus mercedem secundum opus manuum suarum.* Si quis objiciat aliam regulam nobis præscribi, nempe ut bene precemur pro hostibus nostris etiam dum nos affligunt: solutio in promptu est, fideles dum ita precantur, adferre non affectus suos turbulentos, sed purum zelum, & rite compositum. nam Propheta hic non imprecatur exitium quibuslibet, sed reprobis, & qui erant perpetui hostes Dei, & Ecclesiæ. Potuit igitur sincero zelo à Deo petere, *ut illis rependeret justam mercedem*. Et quoties sancti ita ebulliunt contra hostes suos, & cupiunt Deum esse ultorem, semper tenendum est illud principium, nempe eos non indulgere suis cupiditatibus, sed ita regi à Spiritu sancto, ut una cum fervore zeli sit illa quam dixi moderatio. Propheta igitur quoniam hic contra Chaldæos agit, libere postulat, ut Deus ipsos perdat, quemadmodum mox iterum videbimus: sicuti etiam tales formulæ subinde in Psalmis occurrunt, præsertim adversus Babylonem, Beatus qui Psal 137. vers. 8, 9.
rependet tibi quæ intulisti nobis, qui allidet parvulos tuos ad lapidem. Jam sequitur,

65. Des illis impedimentum cordis, (*alii obstinationem*) maledictionem tuam illis. (*vel maledictio tua illis.*)

Exprimit modum vindictæ, nempe ut Deus conjiciat illos in reprobum sensum. nam per מגנת-לב haud dubie intelligit excæcationem cordis: quanquam comprehendit simul socordiam: quasi diceret, Domine ita malis omnibus eos opprimas, ut obstupescant. nam hoc est extremum malorum, ubi ita sumus attoniti, ut jam neque simus apud nos, neque sensus ipse malorum excitet nos ad precandum. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta, quum postulat, *ut hostibus det impedimentum cordis*, nempe ut sanam mentem eripiat, & percutiat eos excæcatione, & amentia, quemadmodum alibi dicitur. Ego citius percurro, ut finiam, ne hora nos opprimat. Sequitur ultimus versus hujus triplicati Alphabeti:

66. Per-

66. Persequere in ira, & perde eos è sub cælis Jehovæ. (*quidam in vocativo casu legunt, Jehovah: sed quia non ponitur* שמים, *sed in constructione* שמי, *ideo retineo proprietatem.*)

Primo petit, *ut Deus persequatur in ira*, hoc est, ut sit illis implacabilis. hæc enim est persequutio, ubi Deus non tantum ad breve tempus castigat impios, sed ubi addit mala malis, & accumulat usque dum perierint. Deinde adjungit, *ut ipsos deleat è sub cælis Jehovæ*. Hæc loquutio est emphatica: & extenuant gravitatem sententiæ, qui vertunt, Ut Deus ipse deleat impios è terra. nam Propheta non frustra nominat *cælos Jehovæ*: quasi diceret, etiamsi Deus sit nobis absconditus dum peregrinamur in mundo, tamen sedere in cælis: quemadmodum sæpius cælum
Jesa. 66. ipsum vocatur solium Dei, Cælum sedes mea: Deus
vers. 1. qui habitas in Sanctuario tuo. per Sanctuarium Dei
Psal. 22. sæpe intelligitur ipsum cælum. Hac igitur ratione
vers. 4. Propheta hic deleri postulat omnes impios *è sub cæ-*
& 77:14. *lis Jehovæ*, hoc est, deleri ita ut ipsorum interitus testetur eum sedere in cælo, & esse mundi judicem, nec res eo usque esse confusas, quin tandem necesse sit omnes impios reddere rationem coram judice cælesti, quem tamen diu neglexerunt. Hic est finis capitis.

Da omnipotens Deus, quando hodie tam petulanter insurgunt contra Ecclesiæ tuæ corpus impii homines, & prorsus reprobi, ut discamus ad te confugere, & latere sub umbra alarum tuarum, & bene sperare de salute nostra, & in rebus perturbatis ne dubitemus tamen te nobis fore propitium, quando toties experti sumus te esse nostrum liberatorem: & ita perstemus in fiducia gratiæ & misericordiæ tuæ: & hoc etiam stimulo excitemur ad precandum, donec defuncti omnibus nostris miseriis, tandem potiamur beata illa quiete, quam nobis pollicitus es in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA
IN
LAMENT. JEREMIÆ.

Cap. IV.

Quomodo obscuratum est aurum, mutatum est aurum bonum! effusi sunt (*vel projecti*) lapides Sanctuarii in capite omnium platearum!

Hic Jeremias cladem Urbis, & interitum Sacerdotii ac Regni deplorat tertio Alphabeto. Falluntur enim qui existimant hic defleri mortem Josiæ: quoniam multa non quadrarent, sicuti videbimus in progressu. Non dubium igitur est quin hoc carmen lugubre debeat exponi de excidio Templi & Urbis. nam quum interfectus fuit Josias, hostis non accessit ad Urbem, tunc non fuerunt projecti lapides Templi per compita & vias publicas. Deinde alia quæ videbimus tunc non contigerunt. sequitur ergo hic rursus describi horribilem illam Dei vindictam, de qua hactenus vidimus. Incipit autem ab admiratione: *Quomodo*, inquit, *obscuratum est aurum, & aurum pretiosius?* nam כתם proprie est aurum optimum: quanquam additur hic epitheton הטוב. unde colligere liceret, generaliter interdum accipi pro auro. Bis igitur ponit nomen auri: sed sunt diversæ voces Hebraicæ, זהב, & הכתם. Figurate autem loquitur priore membro versus: quia minime dubium est, quin per aurum, & aurum obryzum, ut vertunt, intelligat splendorem Templi: quia Deus Templum voluerat extrui magnifico apparatu, ut satis notum est. Vocat igitur *aurum* quicquid ornatus fuit in Templo. Deinde absque figura loquitur quum dicit *projectos passim fuisse lapides*. quanquam alii existimant verba fieri de vasis aureis, quorum scimus magnam fuisse copiam in Templo. Sed illud est coactum, quia Propheta non conqueritur aurum fuisse ablatum, sed dicit *fuisse obductum caligine*, deinde *mutatum*. Est igitur haud dubie metaphorica loquutio. Sed seipsum postea explicat quum dicit *projectos fuisse lapides Sanctuarii huc atque illuc per omnes plateas*. Fuit autem triste illud spectaculum, quia Deus sibi consecraverat Templum illud, ut in eo habitaret. Quum ergo Sanctuarii lapides ira projicerentur ignominiæ causa, hoc debuit penitus vulnerare piorum omnium animos, quia hoc modo videbant expositum Dei nomen contumeliis. Neque enim dubium est, quin evomuerint multa probra in Deum Chaldæi quum ita lapides Templi projicerent. Hinc apparet, Prophetam non abs re exclamare *quomodo hoc factum fuerit*, quia merito obstupefacere debuit aspectus ille omnes pios, dum cernebant ignominiam Templi cum ipsius Dei probro conjunctam. Sequitur,

2. Filii Sion pretiosi, (*alii vertunt inclytos*) comparati auro, (*alii vertunt, amicti auro, quod mihi magis placet*) quomodo reputati sunt in lagenas testaceas, (*testæ, ad verbum*) opus manuum figuli?

Descendit nunc Propheta ad ipsum populum: quanquam non comprehendit totum vulgus, sed proponit in medium qui erant eximii, & pollebant honore, & dignitate. Dicit igitur *illos similes factos esse vasis testaceis, & operi manuum figuli*, quod appositive additur. Ergo per *filios Sion* quos appellat gloriosos vel pretiosos, intelligit Proceres, & consiliarios Regis, & qui præ aliis excellebant. Videtur
Jer. 18. antem alludere ad vaticinium quod ante exposui-
vers. 2. mus. Dixerat enim populum similem esse vasis testa-
& 19:11. ceis: & ideo venerat in domum figuli, ut conspiceret quod illic fiebat: quum figulus finxisset vas quod non placeret, projecit lutum, deinde aliam formam induit: tunc pronunciavit Deus populum in manu sua esse & arbitrio, non secus ac lutum in manu figuli. Quum ergo nunc dicit exutos esse omni dignitate Proceres, & redactos in aliam formam, ut essent tanquam vasa figuli, haud dubie in illa mutatione proponit Dei judicium, quod ad tempus spreverant Judæi. Et tenendum est consilium Prophetæ. describit enim cladem Templi & Urbis, ut populo pœnam quæ demum inflicta fuerat ex-

probret. Scimus enim non tantum fuisse surdas populi aures, sed ludibrio habita fuisse vaticinia, & minas fuisse derisas. Quum ergo fides non fuisset habita doctrinæ Jeremiæ, nunc ostendit re ipsa completum fuisse quod prædixerat, & sero populum experiri Deum non lusisse quum toties minatus fuerat quod tandem accidit. Hinc autem colligimus, tunc fuisse supervacuum splendorem in vestibus, ubi legimus amictos aut vestitos fuisse auro: certe nimis sumptuosa fuit illa pompa. Mirum tamen non est, quum sciamus talibus ineptiis Orientales plus satis esse deditos. Si autem magis placeat altera lectio, *filios Sion fuisse ante comparatos auro*, hoc extendetur ad totam eorum dignitatem, & ad omnes dotes, quibus erant præditi, atque adeo conspicui. Jam admonui *opus manuum figuli* hic appositive sumi pro ipsis vasis, aut lagenis testaceis: sed voluit exaggerare Propheta ignominiam illam, quæ ante fuerat incredibilis. Sequitur,

3. Etiam serpentes educunt mammam, lactant catulos suos: filia populi mei ad crudelem tanquam ululæ (*vel struthiones*) in deserto.

Versus hic duriter exponitur à multis, quia existimant vocari filiam populi crudelem, quod non præstet suis liberis idem officium, quod solent catulis suis serpentes. Sed non convenit ille sensus, quia nomen בת satis notum est esse fœmininum. Dicit autem *filiam populi esse factam ad sævum, & crudelem*, in masculino genere. Videtur ergo intelligere Propheta mitius agi cum serpentum catulis (sic enim vocat) quam cum Judæis. Serpentes sunt expertes omnis humanitatis: & tamen fœtus suos alunt, & porrigunt illis mammas. Comparatione ergo hac amplificat Propheta miserias populi sui, quod deterior sit illius conditio, quam serpentum. teneri enim fœtus aluntur à matribus suis. Atqui destituitur populus omni auxilio, ita ut frustra imploret fidem matris suæ, & omnium aliorum. Tenemus nunc genuinum sensum Prophetæ. Particula גם, emphatica est. si enim loquutus fuisset de animalibus, ubi cernitur aliqua cura alendi fœtus, hoc non fuisset adeo mirum. Sed videtur tanta esse feritas & truculentia in serpentibus, ut fœtus suos abjiciant. Dicit autem, *etiam ipsos serpentes extrahere mammam*. Judæi dicunt obtectas esse mammas serpentum in squamis, & quasi in thecis esse absconditas. sed unum illud est ex eorum figmentis. Loquutio autem vulgaris est, quia sumpta est ex communi more. mulier enim extrahit mammam ubi vult lactare filium suum: ita serpentes dicuntur mammam extrahere, dum lactant suos catulos. nam גורים sunt catuli tam leonum, quam ursorum: sed hoc loco transfertur nomen ad serpentes. *Filia* ergo *populi mei ad crudelem*, quia populo negotium sit cum mera crudelitate, nec quisquam ferat suppetias, aut succurrat illius miseriis. Non accusat ergo sævitiæ populum, quod liberos suos non alat, sed potius intelligit addictos esse sævis hostibus: *quemadmodum*, inquit, *struthiones*, vel ululæ *in deserto*. Si placeat de struthione intelligere, scimus animal esse prorsus fatuum: & simulatque ovum posuit, obliviscitur, transit alio. Quadraret igitur similitudo, si diceretur filia populi crudelis, quod liberos suos negligat. Sed potius, meo judicio, intelligit Propheta, Judæos sic destitui omni auxilio, acsi projecti essent in locis solitariis extra conspectum hominum. nam aves in solitudine frustra implorant alienam opem. *Sicuti* igitur vel *struthio*, vel ulula *in deserto nullum habet qui opem ferat*, destituitur etiam à matre sua: sic Propheta intelligit neminem esse, qui manum porrigat laboranti populo, & qui sublevet extremas ejus miserias. Sequitur,

4. Adhæsit lingua lactentis ad palatum ejus in siti: parvuli petierunt panem, dividens nemo illis. (*hoc est, nemo est qui illis dividat, id est, porrigat.*)

Dicit *pueros ipsos lactentes fuisse ita sitibundos, ut lingua esset quasi affixa palato*. Est autem hoc portentum detestabile, quia libenter matres sanguinem suum profunderent ad fœtus alendos. Quum ergo adhæret lingua parvuli palato, & conficitur siti, hoc videtur quodammodo esse præter naturam. Inter alias ergo calamitates hanc enumerat Propheta *quod parvuli siti confecti fuerint*: deinde, *quod petierint parvuli panem*. Non loquitur jam de lactentibus, sed de pueris, qui vel ad tres vel ad quatuor annos pervenerant. Dicit ergo *petiisse panem, sed neminem fuisse qui daret*. Hic describit famem Urbis, de qua vaticinatus fuerat, quum pronunciaret melius actum iri cum his, qui occisi statim essent, quam cum residuo populo, quia durius certamen maneret superstites cum fame & inedia. hoc non fuerat creditum. Nunc ergo Propheta Judæis exprobrat superiorem illam contumaciam. Postea addit,

5. Qui comedebant ad delicias, (*hoc est, in deliciis, ad verbum*, למעדנים) perierunt in plateis: qui educati fuerant in coccino, (*ad coccinum*) amplexi sunt stercora.

Hic longius progreditur, nempe fame periisse qui assueti erant cibis delicatissimis. Generaliter dixit fœtus non reperiisse in mammis matrum quicquam, sed confectos fuisse siti, deinde parvulos inedia fuisse consumptos. Tandem vero amplificat illam indignitatem, quod non tantum id contigerit gregariis pueris, sed qui prius in deliciis habiti fuerant, & educati in coccino & purpura. Dicit ergo *illos periisse in plateis*, deinde, *amplexos fuisse stercora*, quia non erat locus ubi recumberent: vel quoniam, ut solent homines famelici, quæsiissent cibum in ipsis stercoribus. Videtur hyperbolica esse loquutio, sed si expendimus quæ jam ante Propheta narravit, & quæ iterum repetet, mirum videri non debet quod amplexi fuerint stercora qui deliciis assueverant, quum scilicet matres coquerent filios suos, & vorarent tanquam carnem bubulam vel suillam. Nec dubium est quin illa obsidio, de qua prius visum est, populum adegerit ad multa fœda & pudenda dictu, præsertim quum tanta pertinacia excæcati essent, imo prorsus obduruissent in suo furore contra Deum. Sequitur,

6. Et major fuit pœna filiæ populi mei pœna Sodomæ, (*ad verbum est, iniquitas filiæ populi mei peccato vel scelere Sodomæ: sed statim dicam cur de pœna exponam potius, quam de ipso scelere*) quæ eversa fuit tanquam momento: non manserunt in ea plagæ. (*alii vertunt, & non castrametatæ sunt manus: sed postea etiam dicam cur mihi magis placeat illa versio.*)

Primo

Primo dicit Propheta *pœnam populi sui graviorem esse pœna Sodomæ.* Si quis magis probet diversam lectionem, non contendo. conveniet enim optime: & inde etiam elicere licebit utilissimam doctrinam, quia pro magnitudine pœnæ statuendum est de gravitate scelerum. Deus enim modum non excedit ubi ulciscitur hominum peccata. Ergo severitas ejus ostendit quam graviter peccarint homines: ita potuit ratiocinari Jeremias ab effectu ad causam, & pronunciare populum suum magis esse sceleratum, quam Sodomitas. Hoc etiam non est absurdum, quia etiamsi Judæi non essent prolapsi ad prodigiosum illud flagitium, quo Sodomitæ fuerunt implicati, tamen passim exprobrant illis Prophetæ, quod non tantum æquarent, sed etiam superarent ipsos
Eze. 16. v. 46, 47. Jesa. 1. v. 9, 10. Sodomitas: præsertim Ezechiel cap. 16. Jesaias vocat etiam primo capite Populum Gomorrhæ: vocat consiliarios Regis & judices, Principes Sodomæ. Ratio igitur loquendi satis trita est apud Prophetas, & sensus optime convenit. Cæterum, quia insistit duntaxat in pœnæ gravitate, simplicior videtur esse altera expositio. neque enim respicio quid magis sit plausibile, sed amplector genuinum sensum. Repetamus ergo Prophetæ verba: *major*, inquit, *pœna est populi mei.* עון accipitur tam de pœna quam de culpa, hoc certum est, & extra controversiam. Jam חטאת etiam non tantum pro scelere accipitur, sed etiam pro ipsa pœna: unde transfertur ad expiationes: חטאת vocatur hostia qua expiatur peccatum. Potest ergo quantum ad verba spectat, hoc tam de culpa, quam de pœna accipi. Sed ratio quæ sequitur, nos adducit ut potius de pœna interpreter. Dicit enim *eversam fuisse Sodomam quasi momento.* Hic certe videmus non conferri scelera Judaici populi cum sceleribus Sodomæ, sed excidium duntaxat. Deus Sodomam everterat sicuti postea evertit Jerosolymam: sed mitior fuit interitus Sodomæ, quia periit quasi momento. Ex quo enim violenter Deus fulminavit, Sodomitæ cum vicinis urbibus statim fuerunt consumpti. scimus autem quo brevior est pœna, eo magis esse tolerabilem. Quum ergo Propheta hic comparet momentaneum interitum Sodomæ cum diuturno excidio Urbis, & clade populi, jam videmus non agi de culpa scelerum, sed potius de judicio Dei. Interea minime dubium est, quin Propheta citaverit Judæos ad Dei tribunal, ut scirent se meritos esse talem vindictam, neque ita statuerent se pejores esse Sodomitis. Neque enim Prophetæ consilium fuit expostulare cum Deo, vel notam aliquam sævitiæ inurere quasi nimium rigidus fuisset in excidio urbis Jerosolymæ. Quum ergo Propheta Deum neque injustitiæ neque crudelitatis insimulet, certum est proponi in medium pœnam, ut populus agnoscat quid meritus sit. Sed verba non aliud sonant quam Dei vindictam durius sævisse contra Judæos, quam contra Sodomitas. quare? ex ratione hoc clare apparet, *quia consumpta fuerit Sodoma quasi momento.* deinde additur, *& non manserunt in ea plagæ.* יד, ut satis notum est, significat manum, significat locum: sed significat etiam interdum plagam ex verberibus, metaphorice. Variant interpretes, sed non recito omnium sententias, neque opus est. qui videntur propius ad sensum Prophetæ accedere, dicunt, Non sunt castrametatæ manus aut vires. Sed illud est coactum & longe petitum. Optime autem fluit, *non mansisse.* חול nunc significat castrametari, nunc manere & residere. Porro hic, ut dixi, aptissimus erit sensus, *quod plagæ non manserint in Sodomitis.* populus Judaicus contabuit in multiplici suo excidio. Neque enim statim periit, ut Sodoma: sed Deus quum videret tam obstinatam esse illius malitiam, alios fame, alios peste, alios gladio consumpsit: deinde Urbs non fuit statim prorsus deleta, quemadmodum sæpe hostes primo impetu faciunt stragem, & tam mulieres, quam parvulos una cum viris occidunt: sed non fuit ita occisus populus ille. Tracti fuerunt multi in exilium, deinde ex vulgo relicti fuerunt qui habitarent in Urbis ruinis, quia erat illic horribilis vastitas. Rex ipse tractus fuit, ut ante visum est, Babylonem: sed ante eruti fuerunt oculi, jugulati liberi in conspectu ipsius. Videmus ergo excidium Urbis fuisse quasi lentam tabem. atque ita plagas illic stetisse, & fuisse quasi defixas: quod non contigit Sodomæ. Sodoma enim subito periit, quia fulminavit Deus contra ipsam: sed manus Dei non recessit à Judæis, & plagæ, quemadmodum dixi, fuerunt in ipsis defixæ & steterunt illic. Sequitur,

7. **Candidiores Nazaræi ejus nive, (*vel puriores*) candidiores lacte, rubicundi fuerunt corpore suo (*neque enim hoc potest accipi de ossibus*) supra lapillos pretiosos, Sapphirus excisio ipsorum.**

8. **Obtenebrata est præ caligine forma ipsorum, non agniti fuerunt in plateis: adhæsit cutis eorum ossi ipsorum, (*hoc est, ossibus*) exaruit, fuit tanquam lignum.**

Hic de Nazaræis loquitur Propheta, quibus scimus decoratum fuisse cultum Dei. nam qui contenti non erant communi Legis observatione, consecrabant se Deo, ut suo exemplo alios excitarent. Fuit ergo ille singularis zelus in paucis se consecrare, ut essent Nazaræi, hoc est, separati. Qualis fuerit ritus cognosci potest ex 6. cap. Numerorum. Deus enim qui semper repudiavit cultus omnes fictitios, voluit ad minimum usque apicem præscribere Nazaræis quid sibi placeret. Ergo diligenter illic Moses enumerat ea omnia, quæ servari debebant à Nazaræis. Quantum ad præsentem locum pertinet, hoc unum nobis sufficiat, Nazaræos fuisse peculiari modo Deo addictos pro tempore suæ consecrationis. fuit enim temporalis ille cultus. Ergo Propheta eos in medium adducit, ut inde pateat quam tristis sit illa mutatio, cujus tamen fidem nunquam fecerat Judæis. Dicit *Nazaræos fuisse puriores nive, & candidiores præ lacte*, interea *fuisse rubicundos præ lapillis pretiosis*, ita ut possint conferri cum Sapphiro. Quum enim dicit, *Sapphirus excisio ipsorum*, intelligit fuisse quasi Sapphiros optime exsculptos, & affabre. Scimus autem Nazaræos abstinuisse à vino & sicera: poterat igitur abstinentia aliquid minuere ex succo, & ex rubedine ipsorum. Nam qui solitus est vinum bibere, si ad tempus abstineat, contrahet pallorem: deinde erit fere exanguis, saltem non erit tam rubicundus, neque apparebit in facie ejus, & omnibus membris vigor qualis erat quum cibum ordinarium sumeret. In summa, docet Jeremias, Dei benedictionem fuisse conspicuam in Nazaræis, quia mirabiliter ipsos alebat, quum tamen essent pro illo tempore abstemii. Jam dicit vice versa *Nazaræos esse aridos, cutem ipsorum affixam esse ossibus*: denique ita esse deformes, ut cognosci nequeant, non tantum in obscuris angulis, sed etiam in luce aperta, in medio foro. Hinc colligimus sicuti ante refulserat Dei gratia in Nazaræis, ita nunc etiam ejus vindictam posse certo agnosci, quoniam defluxerint à suo vigore, & redacti fuerint in fœdam deformitatem. Interea ostendit Propheta cultum Legalem fuisse quodammodo damnatum ob populi vitia. Et huc tendit totus ejus sermo, ut initio admonui. neque enim dubium est quin Judæos expergefacere voluerit, ut

tandem inciperent oculos attollere ad Deum. obtorpuerant enim prius in suis vitiis, imo inflati erant diabolica superbia: hinc desperata obstinatio, Quamdiu ergo stetit Templum, putabant Deo satisfactum esse postquam obtulerant sacrificia. Nunc quum Propheta narrat lapides Templi fuisse projectos, hinc sequitur Templum fuisse profanatum. unde illa profanatio? nempe ex sceleribus populi. Chaldæi quidem putarunt se Deo inferre magnam ignominiam quum diruerent ejus Templum: sed quoniam præcesserat longa pollutio, jam quasi in speculo, aut viva imagine repræsentat Judæis Propheta noster sua scelera, quia Templum polluerant ante Chaldæos. Ita etiam ostendit Legalem cultum non amplius placere Deo, quia evanidis spectris cum ipso luserant. Erat enim tantum inanis pompa quum nulla esset in ipsis integritas, Propheta ergo ostendit quod ante nullo modo persuadere potuerat, Deum minime oblectatum esse externo illo cultu, quum Judæi totam Legem audacter violarent. Postea sequitur,

9. Meliores fuerunt occisi gladio, quam occisi fame. fluxerunt transfossi à fructibus agri.

Initium versus caret omni ambiguitate. dicit enim Propheta melius fuisse actum cum his qui statim perierunt gladio, quam cum aliis, qui luctati sunt cum fame. sicuti nuper dixerat pœnam Sodomæ magis fuisse tolerabilem, quia statim fuerat consumpta. Subita mors lenior est, & Propheta etiam ubi conqueritur impios prospere agere, ita ut invideant interdum ipsis fideles, dicit momento ipsos perire, & eripi è mundo, fideles autem dicit teneri laqueis mortis tanquam captivos, & ægre trahere animam per diuturnos langueres. Hac ratione Propheta nunc dicit levem fuisse pœnam mortis Judæis. Atqui scimus mortem sanguinolentam esse nobis horrori. nam qui in lecto suo moritur, dicitur defungi suo fato. videtur enim solvere naturæ quod debebat: qui autem gladio interficitur, abripitur violenter, & quasi præter naturam. Mors igitur sanguinolenta semper est horrori: sed comparatio qua utitur Propheta, amplificat atrocitatem pœnarum: quia optabile fuerit semel interfici aut jugulari, nempe quia superstites diu luctati sunt cum fame. Et clarius seipsum exprimit, *quod defluxerint transfossi à fructibus terræ.* hic aliqua est obscuritas in verbis, sed haud dubie per *fructus terræ* intelligit omnia alimenta. Quidam subaudiunt ob defectum. sed magis emphatice loquitur Propheta, quod scilicet omnes terræ proventus sumpserint vindictam de scelerato illo populo, dum negaverunt solitum victum. Terra ministra est liberalitatis & beneficentiæ Dei. nam perinde est acsi manu victum nobis porrigeret quum terra nobis aperit sua viscera. sic etiam terræ proventus sunt testimonia paterni erga nos Dei amoris. Jam ubi proventus terræ nobis sese subducunt, sunt quasi arma ad sumendam Dei vindictam. Sic ergo intelligit Propheta *à fructibus terræ fuisse transfossos Judæos, & ita defluxisse:* quasi diceret non fuisse transfixos gladio, sed vulneratos ipsa fame, quoniam terræ proventus sunt quasi gladii, quum tamen sustineant vitam hominum, quemadmodum diximus.

Da omnipotens Deus, quum per Prophetam tuum demonstres, postquam diu tolerasti veterem populum, tandem eo exarsisse iram tuam, ut fuerit insigne illud præ aliis omnibus judicium: da, inquam, ne hodie nostra obstinatione, vel etiam segnitie provocemus iram tuam: sed attenti simus ad tuas minas, imo obtemperemus paternis tuis invitationibus, & ita simus ad obsequium voluntarii, ut quemadmodum hactenus dignatus es nos tuis beneficiis, ita perpetuo ea erga nos prosequaris, donec tandem fruamur plenitudine bonorum omnium in regno tuo cælesti, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA IN

LAMENT. JEREMIÆ.

10. Manus mulierum misericordium coxerunt fœtus suos, fuerunt in alimenta ipsis in contritione filiæ populi mei.

Hic igitur Jeremias fœdum illud & detestabile facinus, cujus heri facta fuit mentio. fuit enim illa non tantum barbaries, sed immanis quædam feritas, quum matres filios suos coquerent. fuisse autem illud impletum etiam ex aliis Scriptoribus liquet. Sed Propheta nobis satis idoneus est testis, qui tam oculis suis aspexerat. Dicit autem *matres illas fuisse misericordes*, ne quis existimet fuisse exutas omni sensu naturæ. Sed hoc modo vult exprimere excæcationem, quæ manabat ex horribili Dei vindicta. Non igitur laudat hic matres à clementia, quasi affectæ fuerint erga suos fœtus ut decebat: sed significat quum alioqui essent humanæ, correptas tamen fuisse furore quodam insolito, ut filios suos tanquam viscera coquerent. Nunc ergo intelligimus quorsum pertineat epitheton, quo hic matres insignit Propheta. Itaque non est hoc ducendum laudi quasi præstiterint suis liberis maternum amorem: sed vult exprimere prodigium illud, quod alioqui satis non afficeret animos, nisi hoc testatum fieret, matres de quibus loquitur, non fuisse alioqui tam brutas, quin libenter filiis suis cibum porrigerent, sed fuisse quodam furore divinitus excæcatas. Sequitur,

11. Complevit (*vel perfecit*) Jehovah iracundiam suam, effudit excandescentiam iræ suæ, & accendit ignem in Sion, qui voravit fundamenta ejus.

Tandem concludit nihil defuisse ad extremam Dei vindictam. nam si vulgaribus tantum pœnis castigati fuissent Judæi, adhuc extenuassent sua peccata, ut scimus non facile adductos fuisse ad pœnitentiam. Ergo Propheta ut ostendat non levibus tantum delictis fuisse obstrictos, sed ad extremum usque fuisse sceleratos coram Deo, dicit *omnes iræ Dei partes fuisse completas. Perfecit* ergo *Jehovah iracundiam suam.* Est quidem dura loquutio Latinis auribus, sed tantundem valet atque exequi extre-

mum judicium. postea adjungit, *effudit excandescentiam iræ suæ.* Deus enim sæpe mediocribus pœnis contentus est, tantum ut homines à suo torpore expergefaciat: ubi autem iram suam effundit, nulla est spes resipiscentiæ. Hoc igitur signum est ultimæ desperationis, quum instar diluvii exundat Dei vindicta. Quum autem ita loquitur Jeremias, non litigat cum Deo: sed potius admonet Judæos quid meriti sint, quemadmodum heri dictum fuit. Non dubium igitur est quin ab ipsa pœnarum gravitate ratiocinetur, non esse cur Judæi amplius sibi indulgeant, quum Deus tam severe in ipsos egerit. postea aliis verbis eandem rem designat, *quod* scilicet *accenderit Deus ignem, qui voravit,* vel consumpsit, *ipsa fundamenta.* Solet ignis carpere potius tecta ædium, vel si longius serpat, non tamen progreditur ultra superficiem: hoc est rarissimum, ut penetret usque ad ipsa fundamenta. interim sciamus Prophetam metaphorice exprimere talem Urbis interitum, cui nullæ reliquiæ essent superstites. nam ubi extant aliquæ ruinæ, est quædam admonitio futuræ instaurationis: saltem moventur spectantium animi ut cupiant restitui quod collapsum est. At vero ubi non solum diruta sunt ædificia, sed funditus eversa, tunc interitus videtur esse absque ulla spe restitutionis. Et hoc intelligit Propheta, *quod ignis consumpserit fundamenta Jerosolymæ,* non tantum ipsam superficiem. Sequitur,

12. Non crediderunt (*vel non credidissent*) Reges terræ, neque omnes incolæ orbis, quod ingressus esset adversarius & inimicus in portas Jerusalem.

Confirmat eandem sententiam. nam si quid incredibile contingat, vel plusquam stupidi sumus, vel necesse est nos moveri. Propheta igitur nunc dicit cladem urbis Jerosolymæ fuisse incredibilem, quia Deus urbem illam defenderat sua virtute: erat etiam adeo munita, ut nemo crederet posse expugnari, & ubique celebris erat illius urbis nobilitas. Dicit igitur captam fuisse Jerosolymam, & exutam, quod nemo putasset etiam ex profanis gentibus, neque Reges ipsi, neque gregarii homines. Sequitur ergo Urbem fuisse Dei manu potius exustam, quam hostium impetu. Adduxerat quidem Nabuchadnezar validum exercitum, sed Urbs tam probe erat munita, ut putarent omnes conatus ejus fore irritos. Quod ergo Urbs capta fuit & diruta, non potest adscribi humanis viribus. illud enim absconditum fuit ab oculis hominum. Sequitur ergo opus esse Dei, & quidem singulare. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium ubi dicit non potuisse Regibus neque populis persuaderi hostes expugnaturos Jerosolymam. Itaque continuo post adjungit,

13. Propter peccatum Prophetarum ejus, iniquitatem Sacerdotum ejus qui fuderunt in medio ejus sanguinem justorum.

Propheta quasi re demonstrata, insultat Judæis, ut eorum superbiam humiliet, sicuti necesse erat. Si initio invectus fuisset in scelera tam Prophetarum, quam Sacerdotum, non ita fides habita fuisset ejus sermoni. Sed ubi proposuit quæ vidimus, præcipue vero ubi ostendit prodigii instar esse Urbis ruinam, hinc certe colligere oportet quod nunc adjungit, nempe Judæos tot modis & tanta pertinacia Deum provocasse, ut necesse fuerit ipsos penitus deleri, sicuti contigit. Cæterum hic designat scelera quibus accensa fuit ira Dei adversus populum. Dicit ergo fontem vel exordium fuisse in ipsis Sacerdotibus & Prophetis. Alibi autem exposui non transferri culpam à populo ubi ita damnantur Sacerdotes & Prophetæ: & vulgus libenter se exonerat ubi potest obtendere errorem, aut jactare se fuisse deceptum ab his qui magistri erant ac duces. Atqui quum præcipuam partem malorum imputat Jeremias Sacerdotibus & Prophetis, quemadmodum dixi non derivat in ipsos culpam populi, sed significat medicos ipsos fuisse quasi veneficos. Nam si se populus corrumpat, Prophetæ creati sunt in hunc finem, ut remedium malis adhibeant: ita & Sacerdotes. scimus enim injunctum fuisse illis munus, ut populum retinerent in studio pietatis & cultus Dei. In summa docet Jeremias fuisse perditum statum populi, quoniam corruptio inceperit ab ipsis Prophetis & Sacerdotibus: vel quod idem est, intelligit fuisse prorsus mortifera scelera populi, quoniam capita ipsa laboraverint. Ergo *propter peccatum Prophetarum, & iniquitatem Sacerdotum ejus.* designat speciem unam, *quod* scil. *effuderint sanguinem justorum in medio Jerosolymæ.* Non dubium est quin aliis etiam modis populum perverterint, nempe quia blanditi sunt vitiis, & laxarunt frena licentiæ: sed hic eligit Propheta speciem unam, quæ aliis est gravior, quod scilicet non tantum erroribus, & falsis doctrinis & blanditiis populum abduxerint à timore Dei, sed quod etiam obstinate suam impietatem defenderint, dum vi & sævitia repulerunt probos monitores, & exercuerunt carnificinam adversus Dei testes. nam per *Justos* haud dubie intelligit Prophetas. Nam quod Hieronymus, & alii exponunt fusum fuisse sanguinem, quia falsi doctores animas trahant ad interitum, frivolum est, & prorsus alienum à mente Jeremiæ. Neque enim quadraret nomen Justorum miseris qui illaqueantur in suum interitum. Ergo postquam hic damnavit Jeremias scelera Prophetarum, & iniquitatem Sacerdotum, proponit in medium sævitiam, quæ erat quasi omnium scelerum cumulus. Quum ergo Deum variis modis provocassent, tamen hoc fuit quasi extremum, quod exercuerunt tantam crudelitatem in servos Dei, ut cogerent Spiritum sanctum obmutescere. nam ubi eo ventum est, ut contemptores Dei sese projiciant ad sanguinem innoxium fundendum, signum est diabolicæ obstinationis. Nunc ergo tenemus hac in parte consilium Prophetæ: jam hic locus docet Satanam ab initio inquinasse Sanctuarium Dei etiam sanctis nominibus: quia honorificum erat Propheticum munus, sicuti Sacerdotale. Deus enim Sacerdotium instituerat in populo illo, quod esset quasi viva effigies Christi. Nihil ergo legali Sacerdotio excellentius, si consideretur ipsa Dei institutio. Jam commendat illud singulare beneficium, quod populum nunquam destituerit Prophetis. Quum ergo Prophetæ & Sacerdotes essent quasi duo oculi in Ecclesia, diabolus illis abusus est ad omnem profanationem. Quare hoc exemplum admonet quantopere cavendum sit, ne inanes tituli nos decipiant tanquam larvæ aut spectra, ubi audimus nomen Ecclesiæ & Pastorum: reverenter quidem excipere nos decet tam ipsum munus, quam ordinem qui à Deo profectus est: modo ne simus contenti nudis & solis titulis, sed expendamus an ipsa veritas etiam respondeat. Ita videmus totum mundum fuisse multis seculis degenerem à vera pietate: & quo prætextu? nempe qui miseras animas abduxerant, jactabant se esse vicarios Christi, successores Apostolorum, ut adhuc arroganter his titulis sese jactant atque efferunt. Sed videmus quid contigerit tempore Jeremiæ. Antea habuimus locos similes, sed

hic diligenter notandus est, quod Sacerdotes & Prophetæ perdiderint ipsam Dei Ecclesiam. Est quidem hæc gravissima tentatio, adeoque quasi valida machina ad labefactandam fidem simplicium, ubi vident ipsos Prophetas & Sacerdotes esse causam ruinæ: sed oportuit fideles constanter persistere in obedientia Legis. Et interea tenendum est quod dixi, nempe Prophetam exaggerare populi scelera, quoniam ipsi quoque Sacerdotes & Prophetæ infecti fuerint impietate & Dei contemptu, neque id modo, sed exercuerint tyrannicam crudelitatem adversus Dei servos. Sequitur,

14. Errarunt cæci (*sed subaudienda est nota similitudinis, sicut*) in plateis, polluti sunt in sanguine, quia non potuerunt quin contingerent vestes ipsorum. (*ita lego, nec sine ratione, quia aliæ versiones nullo modo conveniunt, ut nunc videbimus.*)

Qui simpliciter legunt cæcos errasse, eliciunt hunc sensum, quod cæci in plateis fuerunt polluti, quia scilicet passim tunc grassata fuit immunditics. Accedunt quidem ad Prophetæ mentem, sed non satis aperte explicant quid voluerit. Ego igitur extra controversiam pono, cæcis hic conferri totum populum, sed nondum apparet in quem finem. Ego autem ita sentio, sic totam Urbem fuisse plenam ac refertam inquinamentis, ut non potuerint sibi cavere ab immunditie: sicuti cæcus continget cadaver, continget animal impurum, continget etiam hominem qui infectus erit aliqua sorde: quare? neque enim dispicit ut discernat inter mortuum hominem aut vivum, inter purum vel impurum. Comparat nunc Propheta noster populum cæcis: quare? quia scilicet quocunque se conferrent, undique occurrebat immunditics, ita ut quodammodò perstringerentur eorum oculi densa caligine. Nam si pestis non passim grassetur, cavebimus nobis à loco immundo: verum si nullus restat angulus ubi non sit funus aliquod, vel non ægrotent, necesse est promiscue transire & sine delectu: quare? ubique enim nos circumdat atque etiam constringit immunditics. Sic ergo Propheta dicit cives Jerosolymæ fuisse ubique pollutos, acsi essent cæci. Jam sequitur ratio quæ non fuit intellecta ab Interpretibus: *polluti*, inquit, *fuerunt in sanguine, quia non potuerunt quin contingerent vestes.* Vertunt omnes, Non potuerunt contingere vestes ipsorum: & quia multa est obscuritas & fere absurditas in ipsis verbis, dicunt non potuisse contingere, hoc est, refugisse, quoniam Lex vetabat ne contingerent immundum. Sed aliud voluit Propheta: ad verbum sic legitur, Non potuerunt, contingent in vestibus ipsorum, hoc est, vestes ipsorum. Sed subaudienda est particula illa quam dixi, & optime fluet contextus, *non potuerunt quin contingerent.* & scimus hoc ferre Linguæ rationem. Et quia hoc consentaneum est rei quam tractat Propheta, quisquis recte judicabit, facile amplectetur quod dico. Summa est igitur, *errasse quasi cæcos, & pollutos fuisse in omnibus Urbis compitis, quia non potuerunt effugere immunditiem, quæ se undique ingerebat.* nempe quia Urbs, quemadmodum dixi, tot pollutionibus erat referta, ut non possent huc vel illuc divertere, & sibi cavere ab immunditia. Quod autem dicit *pollutos in sanguine*, respicit ad Legalem ceremoniam. Erant quidem variæ species pollutionis, sed illa erat præcipua. Ideo accommodat sermonem suæ ætati, & sequitur formam à Lege præscriptam. Alludit tamen simul ad scelera quæ nomine Sanguinis designantur. In summa videmus totam Jerosolymam fuisse pollutam inquinamentis, ut nemo posset iter facere, quin statim incideret in aliquam immunditiem. Sequitur confirmatio, quam etiam non assequuti sunt Interpretes.

15. Discedite pollutus clamavit illis, discedite, discedite, ne accedatis, quia evolarunt, (*aut festinarunt*) etiam errarunt, dixerunt in gentibus, Non adjicient ad habitandum.

Confirmat Propheta superiorem sententiam, ut dixi, nempe nullam partem Urbis fuisse puram à sordibus, quia ubique clamatum fuit, *Discedite, discedite immundus.* Quo facilius nobis pateat ipsa veritas, notemus Prophetam alludere (quod etiam non
Lev. 13. vers. 45. fuit animadversum) ad 13. cap. Levitici. Nam ubi agitur de leprosis, quorum incurabilis esset morbus, illic dicitur, Incedent vestibus laceris, aperto capite, obtectis labiis, טמא טמא יקרא, hoc est, pollutus pollutus clamabit. Voluit igitur Deus leprosos arceri à congressu: & ideo formula illa in usu fuit, טמא טמא, hoc est, pollutus pollutus: hic autem dicit Propheta, סורו סורו טמא, *discedite, discedite immundus*, quod tantundem valet atque illud Legis præceptum. Jam Propheta metaphorice dicit urbem infectam fuisse sordibus tanquam si ubique occurrerent leprosi. Videmus ergo quam bene inter se omnia conveniant. *Clamarunt, Discedite immundus, discedite, discedite*, hoc est, nemo potest domo sua pedem efferre & prodire in publicum, quin statim appareat aliqua immunditics, ita ut juste clamari possit, *Immundus discedite, discedite.* Postquam autem sic loquutus est Propheta, *discedite, & ne accedatis: certe*, inquit, *evolarunt.* Est valde concinna allusio ad exilium populi, quasi diceret fuisse suis inquinamentis procul abactos. Quod ergo abstracti sunt in longinquam terram, dicit hoc factum fuisse eorum culpa: quare? non poterant amplius sufferre scelerum suorum inquinamenta: ita contaminaverant Urbem sanctam, ut fœteret propter immunditiem. Quum ergo urbs Jerosolyma adeo esset polluta, Tandem, inquit, fugati sunt incolæ, & ita exilium ab ipsis profectum est, hoc est, causa exilii fuit ab ipsorum sordibus, quoniam Urbem ipsam contaminaverant. *evaserunt*, inquit, *etiam errarunt*, hoc est, tanta fuit festinatio, ut viam non tenerent, sed declinarent in varias partes, ut solent qui properant in trepidatione. Nam ubi quis iter facit composito animo, attentus est ad viam, ne aberret: qui autem trepidat, vel qui occupatus est aliquo metu, ille obliviscitur viæ suæ, & facit erraticos circuitus. Sic ergo nunc Propheta noster dicit Judæos *evolasse atque etiam errasse.* Utitur enim particula גם, etiam: *imo*, inquit, *errarunt*, nempe in illa trepidatione, qua erant quasi attoniti. *Dixerunt in gentibus, Non revertentur ut habitent*, hoc est, dispersi sunt atque disjecti per varios populos absque spe reditus. *Dixerunt* ergo non amplius sperandum esse reditum in patriam. Nunc videmus quorsum tendat Propheta, nempe non esse cur Judæi querantur de suo exilio, quoniam Urbem sanctam ita infecerant suis vitiis, ut inde abacti fuerint proprio fœtore: hoc unum est. & tantam fuisse congeriem malorum, ut fuerint metu correpti, & ita viam non tenuerint, sed sese projecerint in errorem tantum ut reperirent aliquas tenebras. Postremo adjungit nullam fuisse spem reditus, quemadmodum eundem sermonem continuat.

16. Facies Jehovæ divisit (*vel dissipavit*) eos: non adjiciet ad respiciendum eos: faciem Sacerdotum non reveriti sunt, (*vel honore prosequuti*) & senum non fuerunt miserti.

Seipsum explicat quum dicit *dissipatos fuisse à facie Jehovæ*. Dixerat ita fugisse in alienas terras, ut statuerent sibi perpetuo esse exulandum: nunc rationem assignat, *quod scil. Deus ipsos ita profligasset*.
Deut. 30. vers. 4.
Atqui pollicitus fuerat per Mosen, etiamsi dispersi essent per quatuor mundi cardines, se tamen fore illis propitium, ut dispersos colligeret: quemadmodum & in Psalmo dicitur, Dispersos Israëlis congregabit.
Psal 147. vers. 2.
Jam scimus præfixum fuisse tempus exilio. Propheta enim sæpius restarus fuerat Deum tandem fore liberatorem populi sui, ut rursus manum porrigeret atque retraheret è Chaldæa, sicut ante eduxerat ex Ægypto. quomodo ergo dicit *fuisse dissipatos à facie Jhovæ?* deinde fuisse ita rejectos, ut non dignetur eos in posterum paterno aspectu? Solutio facilis est, Prophetam hic respicere ad extremum duntaxat statum populi. Nam quamvis certa esset ac clara etiam Dei promissio de reditu; tamen si quis oculos conjecisset in rem præsentem, non poterat quicquam sperare: erat enim deformis vastitas materia desperationis. neque enim salvum supererat nomen populi, extinctum erat Sacerdotium, regalis dignitas per summum opprobrium dejecta, Urbs etiam ipsa funditus perierat cum Templo. Quum ergo nihil esset residuum tam in gente quam in loco, deinde in ipso cultu Dei, nonne poterant despondere animos? Ergo secundum vastitatis intuitum dicit Propheta non posse aliud statui, quam Judæos fore perpetuo exules, & illis obstructas esse omnes vias, ne unquam habitent in patria: deinde ita clausos esse Dei oculos, ut nunquam ipsos respiciat. Nunc ergo tenemus quid sibi velit quum dicit *dissipatos fuisse à facie Jehovæ*, ita ut nolit amplius ipsos aspicere. Et sæpe hunc modum loquendi usurpat Scriptura: nam ab una parte describit nobis iram Dei, quæ secum trahit interitum: deinde ab altera parte sustinet nos, vel etiam si jam collapsi fuerimus erigit quum proponit nobis gratiam Dei, etiam in ipso interitu. nunc ergo Propheta nihil aliud considerat quam horrendam illam cladem, quæ poterat in profundam abyssum desperationis animos omnium demergere. Jam adjungit, *quod non acceperint faciem Sacerdotum, neque senum miserti fuerint*. quidam existimant causam notari cur Deus tam aspere populum illum punierit; quod scilicet contempsisset & senes & Sacerdotes. sed illud est coactum. Ego itaque non dubitn quin Propheta hic significet contumeliose habitos fuisse Judæos, ita ut nulla fuerit senum ratio, nullus respectus Sacerdotum. Verum quidem est, fuisse habitum in pretio Danielem: sed hic loquitur de Sacerdotibus qui impie contempserant omnem sanam doctrinam: loquitur etiam de senibus qui præditi fuerant aliqua dignitate quum salva esset populi conditio. dicit igitur illos fuisse quasi calcatos sub pedibus. Hinc colligit Judæis ablatam esse omnem restitutionis fiduciam, nempe si tantum ad extremam cladem attenti sint. Postea addit,

17. Adhuc nobis, (*hoc est, quum adhuc staremus, sic interpretor: quidam exponunt, nobis expectantibus, sed male meo judicio: quum ergo adhuc staremus*) defecerunt oculi nostri ad auxilium nostrum vanum, in expectatione nostra expectavimus (*vel in speculatione nostra respeximus*) ad gentem quæ non servaret.

Hic Propheta populum accusat alio crimine, quod scilicet posthabito Deo, atque etiam spreta ejus gratia, semper animos adjecerint ad spes vanas & perversas. Fuit autem hoc sacrilegium minime ferendum, quia hoc modo spoliabant Deum jure suo. quid enim magis exigit quam ut ab ipso pendeamus, ut & in ipso acquiescant animi nostri? Ubi ergo aliunde expectatur salus, quam ab uno Deo, redigitur quodammodo in nihilum. Propheta igitur reos facit Judæos tanti sacrilegii, quod nunquam sese ad Deum contulerint, nunquam spes suas ad ipsum applicuerint: sed potius vagati fuerint huc atque illuc. *Adhuc* ergo *nobis*, hoc est, quum adhuc staremus. Et notanda est hæc circumstantia. postquam enim subversi fuerunt Judæi, tandem cœperunt sentire quam fuissent prius decepti, quum fiduciam suam locarent in Ægyptiis. prosperitas etiam inebriat homines, ut sibi placeant in suis vanitatibus. Et quamdiu videmur nobis stare vel manere superstites, contemnitur Deus, & subsidia nobis hinc inde accersimus, & putamus salutem nostram esse extra periculum. Ergo Propheta dicit Judæos fuisse inebriatos perversa fiducia, ita ut Deum contemnerent, & interea confugerent ad solos Ægyptios. *Quum staremus* ergo *defecerunt oculi nostri*. Antea vidimus quid significet hæc loquutio. Dicuntur enim oculi deficere quum infatigabili pertinacia spem aliquam prosequimur ad extremum: quemad-
Psal 69. vers. 4.
modum etiam dicitur in Psalmo, Defecerunt oculi nostri ad Deum vivum, hoc est, perseveravimus, & quamvis multæ tentationes possent nos fatigare, tamen fuimus constantes sperando in Deum. Sic etiam nunc Propheta dicit *oculos populi defecisse*: sed addit, *ad vanum auxilium*, vel auxilium vanitatis: quo nomine designat Ægyptios. Est autem tacita antithesis inter auxilium inane & fallax, & inter auxilium Dei, quod repudiavit populus quum Ægyptios præferret. *Oculi ergo nostri defecerunt*, hoc est, fuimus quasi infatigabiles male sperando, quia semper putavimus Ægyptios nobis sufficere ad defensionem. hoc unum est. Postea adjungit, *In speculatione nostra speculati sumus ad gentem quæ non servaret*. Idem repetit aliis verbis. quod subaudiunt quidam relativum, In expectatione nostra qua expectavimus gentem, videtur esse supervacuum. Ego igitur ita contexo Prophetæ verba, quod Judæi semper oculos suos converterint in Ægyptum quamdiu manebat integer ipsorum status: & ita sponte fuerint decepti, quia sibi placebant in sua vanitate. Postea sequitur alterum membrum, sed eodem sensu, *In expectatione nostra expectavimus gentem*: & hoc alterum membrum exegetice additum est. explicat enim Propheta quomodo defecerint oculi ad spem vanam, vel ad vanum auxilium, nempe quia populus Deum non respexerit, sed tantum Ægyptios. Non male autem quadrat verbum Speculandi, & Speculationis, quo notantur vagæ imaginationes quibus dediti sunt increduli: quia scilicet Deus ipsos vocabat; sed ab eo aversi spem suam transferebant ad Ægyptios. Fuit igitur propria eorum speculatio, quum stulta opinione salutem sibi fingerent paratam ab Ægyptiis. dicit *gentem quæ non servaret*: & minime dubium est quin Propheta hic revocet in memoriam tot admonitiones, quæ nihil profuerant Judæis. nam Deus illos revocare conatus fuerat ab illa exitiali fiducia, sed sine profectu. Scimus enim quantopere incubuerint Prophetæ in hanc partem: sed nunquam illis habita fuit fides, donec

tan-

tandem ipsa experientia docuit quam vanum esset auxilium Ægypti, quemadmodum testatus fuerat Deus per servos suos.

Da omnipotens Deus, quum tot illecebris undique simus obsessi, & Satan non desinat huc & illuc nos abstrahere vanis blanditiis: da, inquam, ut in te solo recumbamus, in virtute tua, in verbo denique tuo; nec dubitemus te fore nobis liberatorem quicquid acciderit: atque ita semper in nostris angustiis te quæramus, & acquiescamus in fide promissionum tuarum, ut placide sustineamus omnes impetus afflictionum, donec tandem colligas nos in beatam illam quietem, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA IN

LAMENT. JEREMIÆ.

18. Venati sunt gressus nostros ne ambularemus in compitis nostris: appropinquavit finis noster, impleti sunt dies nostri, certe venit finis noster.

EXponunt multi hunc versum de Ægyptiis, quod insidiose Judæos pelleacerint, ut ad ipsos in rebus dubiis confugerent. Est quidem hoc verum, deceptos fuisse Judæos fallacibus illorum promissis: & quemadmodum meretrix sibi adolescentes malis artibus conciliat, sic etiam Judæi illecebris Ægyptiorum capti fuerunt. Sed videtur mihi alius esse Prophetæ sensus, quod scilicet Chaldæi tanquam venatores insequuti sint Judæos, ita ut observarent eorum vestigia: & connecto simul duos versus, quia paulo post sequitur,

19. Velociores fuerunt persequutores nostri aquilis cælorum: super montes insequuti sunt nos, in deserto insidiati sunt nobis.

Hic ergo Propheta intelligit sic constrictos fuisse Judæos, ut nusquam effugium pateret, quia scilicet observati sunt eorum gressus ab hoste: deinde quod summa celeritate usi sunt Chaldæi, ut eos deprehenderent. Primo igitur dicit *hostes similes fuisse venatoribus*, quia ne incedere quidem potuerint Judæi per vias urbis suæ. Scimus coarctatos fuisse maximis angustiis: sed melius exprimitur quam dura fuerit obsidio hac figura, nempe quod ne per Urbem quidem incedere ausi fuerint. subest enim tacita comparatio: quasi diceret, Nobis libertas non fuit in ipsa urbe, tantum abest ut licitum fuerit egredi, & spatiari per campos apertos. Tandem addit quod optime respondet priori membro, *Appropinquavit finis noster, dies nostri impleti sunt: certe venit finis noster*. Concludit nihil spei fuisse reliquum postquam ita urgebant hostes. Colligit ergo jam instare finem, qua voce significat ultimam cladem, vel interitum. Adjungit *impletos fuisse dies*: ubi videtur conferre statum Jerosolymæ vitæ cujusque hominis. Dicitur enim dies suos complesse qui migrat è mundo, quia nobis præfixum est certum tempus, quo hic peregrinemur. Deus ubi ita visum est, nos ad se revocat. Tunc ergo impletum est tempus nostrum, sicuti dicitur cursus nôster esse absolutus. dum enim confert Scriptura vitam nostram stadio, mors est instar metæ. Ita nunc Propheta quum de Urbe loquitur dicit *impletum fuisse ejus tempus*, quia nolit Deus illam manere diutius superstitem. Tertio dicit *venisse finem*. Dicebat prius instare, jam autem dicit *venisse*. In summa ostendit postquam diu pepercit Deus Judæis, ubi vidit nullum fieri peccandi modum apud ipsos, tandem usum fuisse suo rigore, quoniam nimis indigne abusi fuerant ejus patientia. Suspenderat enim diu suum judicium, & sæpius tentaverat an essent sanabiles. Nunc ergo Propheta coarguit eorum obstinationem ubi dicit *finem ipsorum venisse, & impletum esse tempus*. Postea eodem sensu adjungit *velociores fuisse persequutores aquilis*. Non dubito quin Propheta eandem sententiam continuet. Sicuti ergo fecerat Chaldæos similes venatoribus, ita nunc dicit pernici volatu superare aquilas. Est quidem hyperbolica loquutio, sed non potuit aliter exprimere Propheta incredibilem illam celeritatem, qua instabant Chaldæi, ut premerent Judæos. Nec dubium est quin oblique derideat stulti populi securitatem, quia scimus quoties minitati sunt Prophetæ, semper errorem illum prævaluisse, non venturos esse Chaldæos, quoniam procul aberant, longum erat iter ac difficile, multa erant obstacula. Propheta ergo nunc subsannat illam fiduciam qua fuerunt decepti, ubi dicit *hostes velociores fuisse aquilis cælorum*. Rationem addit, *quia per montes insequuti sunt atque insidiati in deserto*. Significat clausa fuisse omnia effugia. nam si advenient hostes, saltem multi se in montibus occultabunt, & ita evadent periculum. alii autem si se in desertum contulerint, illic invenient tutas latebras. Sed dicit Propheta tantam fuisse velocitatem in Chaldæis, ut frustra Judæi respexerint vel ad montes, vel ad deserta, quia ubique parati erant laquei, ubique etiam instabant qui ipsos opprimerent. Ita confirmat impletum esse tempus, quia Dominus ipsos teneat conclusos omni ex parte. Etsi autem hic loquitur Propheta de clade Urbis, colligere tamen possumus utilem doctrinam, ubi manus Dei nobis adversa est, frustra nos circumspicere in omnes partes, quia neque in montibus erit receptaculum, neque in deserto etiam ipsa solitudo nos tutabitur. Sicuti ergo videmus Judæos fuisse obsessos manu Dei, ita si cum ipso nobis erit negotium, sine profectu vertemus oculos in omnes partes, quia utcunque ad tempus aliquod liceat bene sperare, Deus tamen ipse tandem nos frustrabitur. Sequitur,

20. Spiritus narium nostrarum Christus Jehovæ captus est laqueis ipsorum: de quo diximus, In umbra ejus vivemus inter Gentes.

Hunc versum, ut alibi dixi, inscite exponunt de Josia, qui in prælio cecidit longe ante excidium Urbis. stetit enim post ejus mortem dignitas Regia: sepultus est ipse in sepulchro patrum; & hostis quamvis esset victor, ad Urbem tamen non accessit. Perperam ergo ad pium illum Regem trahitur quod proprie dictum est de ultimo rege Zedechia. quamvis enim longe dissimilis esset Josiæ, tamen fuit unus

ex

ex posteris Davidis, & gestevit imaginem Christi. Quoniam ergo repræsentare voluit Deus Christi imaginem in posteris Davidis, merito hic vocatur Zedechias *Christus Jehovæ* : quo elogio Scriptura insignit omnes Reges, etiam Saulem : & quamvis imperium ejus esset temporale & caducum, vocatur tamen *Unctus Domini*. Et certe unctio quam accepit per manum Samuelis non erat prorsus lusoria. Sed Devid proptie vocatus fuit *Unctus Domini* una cum suis posteris. Ideo sæpius utitur hac loquendi forma,

Psal. 84. vers. 10. 1 Sam. 2. vers. 10. Luca 2. vers. 26.

Respice in Christum tuum. Et quum Anna in cantico loquitur de Christo Domini, haud dubie respicit ed figuram illam. Et tandem Dominus noster vocatus fuit Christus Domini. nem sic eum eppellat Simeon. Jam ergo tenemus hunc locum non posse intelligi nisi de rege Zedechia. Præterea simul hoc addendum est, vocari Christum Domini, quia nondum projectum erat diadema, sed gestabat adhuc insigne illud, quo ornatus fuerat à Deo. Quum ergo maneret adhuc solium Davidis, Zedechias quamvis indignus esset tanto illo honore, fuit tamen *Christus Domini*, sicuti Manasse, sicuti elii prorsus degeneres. Videtur tamen Propheta longe plus tribuere Zedechiæ, quam meritus sit, quum nominat *vitam populi*. Sed solutio etiam in promptu est, non considerari hominem illum pro suis meritis, sed ut erat à Deo vocatus, & pollebat honore illo eximio, imo singulari. Scimus enim extendi ad omnes posteros

Psal. 89. vers. 28.

Davidis quod de ipso dicitur, Primogenitum vocavi eum inter omnes Reges terræ. Quamvis enim non obtinerent imperium Reges terreni nisi quatenus fundati sunt in Dei decreto, tamen Rex ille ex posteris Davidis fuit primogenitus inter omnes alios: denique fuit regnum illud Sacerdotale, hoc est, sacrum, quia peculiariter dedicaverat sibi illam sedem Deus. Tenenda igitur est illa qualitas, ne hominem tanquam privatum in se reputemus. Jem optime fluit sententia quum dicit *Messiam*, vel Unctum *Jehovæ fuisse captum laqueis*. Scimus enim fuisse deprehensum: & hoc consentaneum est historiæ. Effugerat enim per viem occultam & desertam, & putabat se elapsum esse ex hostium manibus: illic fuit repente correptus, & retractus ed regem Nebuchadnezar. Quum ergo præter opinionem ita misero injectæ fuerint hostium manus, merito Propheta metaphorice dicit *ipsum captum fuisse ipsorum laqueis*. Jam vocat *spiritum narium populi*, quia populus ille erat similis corpori mutilo & trunco absque Rege. Deus enim hac lege Devidem una cum suis posteris Regem creavit, ut quodammodo resideret in ipso vita populi. Quatenus ergo David fuit populi caput, & quidem à Deo constitutum, fuit etiam vita. Eadem est totius posteritatis ratio quamdiu successio viguit, quia non ante extincta fuit Dei gratia, quam excisa Urbe omnis libertas intercidit: imo nomen populi fuit quasi deletum. Sed notendum est quod ente diximus, elogia illa quibus olim insigniti fuerunt posteri Davidis, proprie in Christum competere. neque enim David populi vita fuit, nisi quoniam erat figura Christi, & gestabat ejus personam. Non igitur fuit hoc elogium solidum in posteris Davidis, sed duntaxat umbratile. ergo veritas non alibi quam in Christo quærenda est. Et hinc colligimus Ecclesiam esse mortuam, & similem corpori trunco ubi à suo capite divellitur. Ergo si cupimus coram Deo vivere, ad Christum veniendum est, qui vere est spiritus, vel enhelitus narium nostrarum. quemadmodum enim homo extinctus non amplius spirat, ita etiam dicimur periisse ubi divisi sumus è Christo. Contra quamdiu viget inter ipsum & nos sacra conjunctio, etiamsi vita nostra sit abscondita & simus mortui, tamen in ipso vivimus: & quamvis mortui simus mundo, vita tamen nostra est in cælis, quemadmodum etiam illuc nos vocant Paulus ad Colossenses, & Petrus in prima Canonica. In

Coloss. 3. vers. 3. 4. 1 Petr. 3. vers. 16.

summa intelligit Jeremias gratiam Dei esse quasi extinctam rege capto, quia populi felicitas è Rege pendebat, & Regia dignitas erat quasi certum pignus gratiæ & favoris Dei. cessavit ergo Dei benedictio, quum Rex fuit Judæis eblatus. Sequitur tandem, *De quo diximus, In umbra ejus vivemus inter gentes*. Ostendit Propheta frustra Judæos amplius quicquam sperare, quoad restitutionem. nam origo omnium bonorum erat è Rege. Deus Rege ipsos orbaverat. sequitur ergo fuisse prorsus desperatos. Sed quo melius id exprimat Propheta, dicit populum ita putasse, nempe res fore salvas, modo maneret Regnum. *Vivemus etiam inter gentes sub umbra Regis nostri*, dicebant, hoc est, quamvis essemus disjecti inter alienos populos, Rex tamen poterit nos colligere, & umbra ejus sese extendet longe & late ad nos servandos: ita crediderant Judæi, sed falso, quoniam sua defectione abjecerant jugum Christi & Dei, quemadmodum dicitur Psal. 2. Quoniam ergo excusserant jugum cæleste, frustra sperabant in umbra terreni Regis: ac prorsus indigni erant Dei tutela & patrocinio. Postea sequitur,

Psal. 2. vers. 3.

21. Gaude & lætare filia Edom quæ habitas in terra עץ Uts, (*ad verbum*) etiam super te transibit calix, inebriaberis, & nudaberis.

Prophete in hoc versu ostendit, Judæos expositos esse omnium inimicorum probris & contumeliis: sed mox addita consolatione temperat dolorem, qui per se fuisset nimium acerbus. Scimus nihil esse durius in miseriis, quam ubi hostes petulanter insultant: hoc magis nos vulnerat, quam mala omnia quæ perpetimur. Propheta ergo dicit eo usque redactos esse Judæos, ut possint omnes improbi & malevoli contra ipsos impune insurgere, & probris insectari eorum ærumnas hoc priore membro. Sed quia fuisset hoc vaticinium, vel hæc sententia potius, nimis acerba, ideo mitigat rei etrocitatem ubi dicit instare etiam inimicis vices suas, ut pereant. Exponunt quidam totum versum ironice, quasi Propheta per ludibrium diceret, Ite vos Idumæi, & lætamini, sed vobis erit hoc gaudium evanidum. Ego autem potius existimo designare cumulum extremæ miseriæ, quod Judæi ita obnoxii essent subsannationibus hostium suorum. sed postea adjungit aliquod levamen, quia tandem omnes eorum hostes daturi sint poenas. Micheæ 7. similis prope habetur figura, quamvis illic non fiat expresse mentio Edom. Illic enim in genere Propheta alloquitur omnes æmulos & adversarios populi: comparat usitato more populum mulieri. Scimus eutem in sexu illo plus esse æmulationis, quam in viris: deinde ubi est eliqua simultas inter aliquas mulieres, acriter insistunt, ut aliquam maledicendi occasionem inveniant. Ideo postquam Ecclesia Dei agnovit se merito castigari, eddit, Ne læteris super me inimica mea. Sed jam

Mich. 7. vers. 8.

exposui Prophetæ consilium, nempe quod omnes suos inimicos Ecclesia vocet inimicam, ecsi esset rixa aliqua vel zelotypia inter eliquas mulieres. Ecgo quod ceciderim ne læteris inimica mea: etsi jaceam in tenebris, Dominus tamen est lux mea. quod ergo inimica mea gavisa est, videbunt oculi mei quum ipsa erit in conculcationem. Non dubium est quin Propheta etiam illic voluerit mitigare piorum dolorem, qui videbant se proterve rideri ab omnibus vicinis. Ostendit igitur illud patienter esse ferendum ad tempus, quia Deus tandem porriget manum, & hostibus rependet illius sævitiæ mercedem.

dem. Cur autem hoc loco potius fiat mentio Edom, quam aliarum gentium, satis notum est. Erant quidem Judæi omni ex parte circumdati hostibus. nam quotquot erant vicini totidem erant hostes: sed Idumæi præ aliis hostiliter se gesserant contra electum populum. Et major fuit indignitas, quod progeniti erant ex eodem patre. Isaac enim communis fuerat illorum pater, & originem ducebant à duobus fratribus germanis Esau, & Jacob. Quum ergo conjuncti essent Idumæi Judæis, minus tolerabilis fuit eorum crudelitas, quando ita obliti sui generis sævierunt contra fratres & cognatos suos. Ideo etiam Psal. 137.
Psal. 137. vers. 7. dicitur, Memento Domine filiorum Edom, qui dicebant in die Jerusalem, Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in ea. Postquam imprecatus est illic Propheta vindictam Dei omnibus impiis, producit in medium Idumæos. quare? quoniam præ aliis sese projecerant ad sævitiam, quoniam erant quasi antesignani hostibus, & erant quasi flabella, quibus ignis magis accenderetur. nam illa exhorta-
Psal. 137. vers. 7. tio haud dubie dirigitur ad Chaldæos, Nudate, nudate, ne parcite, ne maneat lapis super lapidem. Quum ergo tam atrociter Idumæi sese gessissent contra suos cognatos, ideo Propheta de ipsis conqueritur, & postulat ut Deus rependat illis quod meriti sunt. Ita etiam hoc loco dicit Propheta noster, *Gaude & Lætare filia Edom, quæ habitas in terra Uts.* Hoc membro, quemadmodum jam dixi, docet Jeremias, Judæos obnoxios esse inimicorum suorum contumeliis, quia possint nunc Idumæi secure ipsis insultare. Sed mox adjungit, *etiam.* Hic incipit novam sententiam, & huc facit particula גם, *super te quoque transibit calix.* Utitur vulgari metaphora. nam res omnes adversæ designantur in Scriptura hac voce Calicis, quia Deus pro arbitrio propinat singulis quantum visum est: quemadmodum si quis paterfamilias distribuat potum suis liberis ac servis: ita etiam Deus quodammodo calicem porrigit cuique in manum ubi castigat quos vult: neque postea liberum facit vel respuere calicem porrectum, vel vinum projicere, sed bibere cogit, atque exhaurire usque ad fæcem quantum cuique propinat. Hac ergo ratione nunc dicit Propheta *calicem transiturum super Idumæos:* quia scimus paulo post ipsos quoque fuisse deletos à Chaldæis, quibus tamen ante conjuncti fuerant. Sed ex quo sua perfidia exciderant à societate, suo tempore dederunt pœnas. Quoniam ergo non fuit diuturnum illud fœdus quod pepigerant cum Chaldæis, ideo Propheta *super ipsos quoque* dicit *transiturum calicem.* Adjungit, *inebriaberis, & nudaberis.* Deus solet inter filios suos & alienos vel reprobos ita distinguere, quod filiis suis propinat quidem amarum potum, sed quantum possunt ebibere: alios autem suffocat prorsus, quoniam cogit exhaurire usque ad ipsam fæcem, quemadmodum jam dictum fuit. Sic ergo nunc Propheta ebrietati comparat gravissimas miserias, quas perpessi sunt Idumæi: & hoc pertinet secundum verbum, *nudaberis.* Sic enim dicit fore attonitos malorum atrocitate, ut nulla honesti vel pudoris cura apud ipsos futura sit: quemadmodum ebrius qui obrutus est vino sese projicit, vel cadit, & pudenda etiam retegit: quod etiam contigit ipsi Noë: sic etiam Propheta dicit tan- *Gen. 9. vers. 21.*
tam fore afflictionem Edom, ut populus ille abjectus cum summo opprobrio, daturus sit materiam subsannationis omnibus vicinis, quemadmodum si ebrius jaceret in luto, & vestes ejus essent projectæ, & ostenderet sua pudenda, illud spectaculum non minus pudendum quam triste esset: ita Propheta dicit Idumæos similes fore ebriis, quia jacebunt in suo opprobrio. Sequitur,

22. Completa est iniquitas tua filia Sion, non adjiciet ad te in exilium trahendam: visitavit iniquitatem filiæ Edom, & discooperuit super peccatum tuum. (*hoc est, nudavit peccatum tuum.*)

Versus hic male exponitur, meo judicio: & Judæi anxie laborant, quia occurrit species absurditatis, quum certum sit fuisse postea dissipatos non modo in unum exilium, sed in diversa. Ideo interpretantur hunc locum de secunda dispersione, quæ facta est sub Tito, auspiciis Vespasiani patris. Dicunt igitur tunc completam fuisse iniquitatem populi, quia post illud exilium nulla sequuta est mutatio. Alioqui non putant quadrare hoc Prophetæ vaticinium cum re ipsa, vel eventu: nam ut dixi, disjecti fuerunt in omnes terras. ante quidem fuerant profugi, sicuti Moses illis denunciaverat. Scimus enim & in Græcia, & in Macedonia habitasse Judæos. scimus multas Italiæ urbes fuisse plenas illo populo, donec edicto Claudii Cæsaris omnes ejecti sunt in Italia: putavit enim infici Italiam illa tabe: & ita procul eos ejecit, acsi essent contagiosi. Sed frustra Judæi captant istas argutias, quoniam Propheta simpliciter dicere voluit talem fuisse populi pœnam, ut non esset duplicanda. Quum ergo dicit *perfectam esse iniquitatem*, vel pœnam iniquitatis, significat Deum ita severe egisse cum populo, ut nihil defuerit ad extremum rigorem. & hæc loquutio alibi occurrit. Eodem pertinet quod mox addit, *non adjiciet amplius hostis*, vel Deus ipse, perinde est: *non adjiciet* ergo, *ut te trahat in exilium:* quare? nam quid opus fuit secundo exilio, quum tota terra esset redacta in solitudinem? quandoquidem & pauperes qui relicti fuerant, pariter ipsi tandem profecti sunt in Ægyptum, unde retracti fuerunt in Chaldæam: sed tamen profugi erant à terra sancta. Ergo Propheta intelligit Dei judicium fuisse completum omnibus numeris, ut nihil defuerit Judæis ad extremam calamitatem.

Postea sequitur in secundo membro, *Visitabit:* est quidem Præteriti temporis, visitavit, sed loquitur de re futura. More autem Prophetico ad confirmationem sui vaticinii tanquam rem gestam narrat, *Visitavit iniquitatem filiæ Edom: ita discoopertum fuit tuum scelus.* Clarior erit sensus si addamus particulas similitudinis, Sicuti completa fuit pœna iniquitatis tuæ, filia Sion, ita visitabitur iniquitas tua, filia Edom. vel si per concessionem ita reddamus, Pœna quidem iniquitatis tuæ completa fuit, filia Sion, sed peccatum tuum discooperietur, filia Edom. In summa, videmus rationem exponi cur solatio levaverit Propheta tristitiam populi sui proximo versu, nempe quia si miserrimi fuerunt Judæi, nihilo melius tandem erit populo Edom, ubi advenerit visitationis tempus. Quod autem dicit *completam fuisse pœnam iniquitatis*, non respicit ad culpam ipsorum, sed dicit sic fuisse divinitus castigatos, ut visus fuerit Deus exerere omnem suum rigorem adversus ipsos: quemadmodum eadem fere loquendi forma utitur Jesaias capite 40. Ergo non negat Propheta, quin alio post tempore exules futuri sint Judæi: sed dicit transmigrationem ipsorum tunc fuisse perfectam, neque opus fuisse ut paulatim terram Nabuchadnezar incolis suis nudaret: hoc factum fuit quasi repentino turbine. nam uno impetu fuerunt abrepti. Terra quidem ante erat quasi solitaria: sed ubi Urbe potitus est Nabuchadnezar, tantum reliquit fæcem populi. Et fecit hoc consulto, ut postea haberet illic populum aliquem tributarium. fuit igitur illa transmigratio perfecta. Sed Propheta hic non intelligit quin Deus postea disjicere potuerit Judæos, & dissipare, sicuti digni erant. Nulla igitur est vel repugnantia,

gnantia, vel absurditas, quod Judæi postea fugitivi fuerunt, & errones per totum mundum: & tamen hostis non adjecerit ipsos trahere in captivitatem: quia tantum hic agitur de Chaldæis. Et ideo hoc dictum fuit, quoniam volebat conferre Jeremias ipsos Judæos cum Idumæis, & ostendere quamvis insultarent improba lætitia Idumæi, tamen cladem ipsis propinquam instare, quæ ipsos in totum deleret, quemadmodum prius deleti fuerant Judæi. Tempus non ferret nunc incipere precationem Jeremiæ. Differam igitur in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando video hodie tot non modo hostium nostrorum sed tuorum quoque aperta esse ora ad maledicendum, ne illis suppetat materia, præsertim quum in sacrum tuum nomen redundent ipsorum contumeliæ: sed compescas eorum petulantiam, & ita nobis parcas, ut quamvis digni simus castigatione, tamen rationem habeas gloriæ tuæ, & ita nos colligas sub capite nostro Christo, & restituas Ecclesiam tuam misere dissipatam, donec tandem colligamur omnes in regnum illud cæleste, quod nobis peperit sanguine suo idem unigenitus Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA

IN

LAMENT. JEREMIÆ.

CAP. V.

MEmento (*recordare*) Jehovah quid sit nobis, (*hoc est, quomodo nobiscum agatur*) aspice, & vide opprobrium nostrum.

HÆc precatio seorsum legenda est à Lamentationibus, quia initiales literæ versuum non sunt scriptæ secundum ordinem Alphabeti. quanquam magis querimonia est, quam precatio. Profert enim Jeremias in medium quæ acciderant in extrema clade populi, ut Deum ad sympathiam & misericordiam flectat. Primo dicit, *Recordare quid acciderit nobis:* deinde seipsum explicat secunda parte, *aspice, & vide opprobrium nostrum.* Hæc autem oratio quamvis sit brevis & concisa, continet tamen utilem doctrinam, nempe sufficere Deo, ut miseris ferat auxilium, dum in rationem coram ipso veniunt eorum mala, præsertim ubi injuste premuntur. Certum quidem est, nihil Deo esse incognitum, sed refertur hæc loquendi forma ad humanos sensus. Putamus enim Deum negligere nostras miserias, vel imaginamur tergum ejus nobis esse obversum, ubi non statim succurrit. Cæterum, quemadmodum dixi, tantum rogandus est ut mala nostra respiciat, quia scimus quid de se testetur, nempe dum sibi vendicat has partes, ut succurrat miseris, & indigne oppressis, in hoc solatio acquiescamus, nempe simulac dignatus fuerit respicere quæ perpetimur mala, paratum simul esse auxilium. Præsertim opprobrii fit mentio, ut ipsa indignitas magis Deum provocet. nam ea lege susceperat populum in fidem suam, ut esset in gloriam & decorem, quemadmodum dicit Moses. Quum ergo Deus vellet fulgere divitias gratiæ suæ in populo illo, nihil magis fuit absurdum quam pro gloria illa nihil in populo conspici præter dedecora. Hæc igitur ratio est cur Propheta hic *opprobrium populi* maxime commemoret. Sequitur,

2. Hæreditas nostra devoluta est ad exteros, domus nostræ ad alienos.

Nunc multarum calamitatum catalogus refertur à Propheta, idque in eum finem sicuti admonui, ut sibi & toti populo gratiam apud Deum conciliet. Fuit etiam hoc minime consentaneum, ut hæreditas electi populi ad alienos traheretur. nam scimus terram illam promissam fuisse Abrahæ quadringentis annis antequam ea potiti sint ejus filii. Scimus subinde repetitam hanc promissionem, Hæc terra vobis erit propria hæreditas. etsi enim Deus aluit etiam tunc omnes Gentes, peculiari tamen cura dignatus est populum suum. denique nulla unquam terra singulari privilegio data fuit hominibus, sicuti terra Chanaan posteris Abrahæ. Quum ergo hæc hæreditas fuisset tot seculis destinata electo populo, non frustra conqueritur Jeremias *illam devolutam fuisse ad alienos.* In secundo membro idem repetit: sed intelligit non tantum fuisse spoliatos agris Judæos, sed etiam ejectos ex suis ædibus, quod gravius erat, & magis contumeliosum. Continget enim aliquando, ut quis amittat prædium suum, agros, & vites, tamen domus ejus maneat intacta. Verum Propheta hic amplificat miseriam gentis suæ, quod non tantum omnes exuti fuerint agris & possessionibus, sed quod etiam à propriis ædibus exulent, aliique illic dominentur. nam etiam apud homines profanos spectaculum hoc animos plurimum afficit, ubi succedit qui indignus est omni honore in locum alterius qui & opibus, & dignitate floruit. Notum est illud carmen,

O domus Anci quam dispari domino dominaris.

Quoniam Tarquinius successerat, & traxerat ad se regnum, exprobrat profanus ille Poeta, quod domus Anci transierit ad illos primum exules & profugos, deinde superbos tyrannos & crudeles. Sic etiam hoc loco dicit Jeremias *in ædibus populi regnare alienos.* Sequitur,

3. Pupilli fuimus absque patre, (*non patre*) matres nostræ tanquam viduæ.

Hic Propheta non loquitur tantum in persona totius populi, sed refert gemitus & querimonias singulorum. neque enim hoc potuit quadrare toti Ecclesiæ: quandoquidem loquitur de patribus & de matribus. Videmus ergo non aptari hanc sententiam corpori, sed potius singulis membris, quasi quisque è populo diceret ubique spectari viduas & pupillos. Hoc autem accidere solet ubi vel peste, vel bello gens aliqua consumpta est. nam uno prælio non ita caderent omnes, ut tota regio plena sit pupillis.

Sed hic orbitatem & viduitatem exprimit Propheta, quæ contigit ex diuturna vindicta Dei, quod scilicet non destitit populum affligere donec paulatim esset exhaustus. Fuit autem hoc deforme spectaculum in illo electo populo cernere tot viduas, deinde tot pupillos patribus suis orbatos. Sequitur,

4. Aquas nostras pecunia bibimus, ligna nostra pretio veniunt. (*non veneunt. nam intelligit ligna afferri, aut venire in illorum manus non sine pretio.*)

Hic Propheta refert, populum ita nudatum fuisse, ut penuria etiam aquæ & ligni laboraret. non dicit tantum destitui tritico & vino, non conqueritur minutum aliquid fuisse ex lautitiis, sed aquam & lignum ponit, quæ in vita hominis vulgaria sunt. nam usus communis aquarum est, ut inquit ille: nemo est tam pauper, si habitet in regione non prorsus arida, quin aqua ad bibendum suppetat. si enim non sunt fontes, sunt saltem fluvii, sunt putei: nec siti pereunt homines, nisi in desertis, & vastitate inhabitabili. Quum ergo ubique occurrat aquæ potus, Propheta hic exprimit summam miseriam populi, quod venalis etiam fuerit aqua. In rupibus, in locis excelsis aqua venditur: sed hoc rarissimum est: Propheta autem hic significat non modo populum nudatum esse suis opibus, sed eo redactum egestatis, ut gratis aquam non bibat. Quanquam videtur aliquid plus exprimere quum dicit, *aquam nostram bibimus pecunia, & lignum ad nos affertur pretio:* quia non mirum est si ligna emantur. Sed videtur Propheta intelligere aquam fuisse venditam Judæis, quæ ante ipsorum fuerat: deinde ipsos coactos fuisse ligna emere, quæ tamen fuerant ipsorum. Ita emphatice legendæ erunt adjectiones, quæ sumuntur pro possessivis. *Aquas* ergo *nostras bibimus.* Vocat Aquas populi, quas jure sibi vendicasset: vocat etiam *Ligna*, quorum legitima proprietas fuerat populi. Dicit ergo omnia sic fuisse erepta ab hostibus, ut coacti fuerint emere non vinum quod extractum erat ex ipsorum cellis, non triticum quod sumptum erat ex ipsorum horreis: sed aquam ipsam, & ligna. Quanquam si quis simplicius accipere malit, etiam non male conveniet hæc querimonia, populum qui ante copiam vini, & rerum omnium domi habebat, emisse omnia usque ad aquam & lignum. Est enim hæc gravis mutatio, ubi quis potuit ex suis possessionibus ligna cædere, ubi vinum collegit & triticum, si ne guttam quidem aquæ nancisci queat, nisi quam emerit pecunia: hæc est valde tristis mutatio. Sic ergo poterit accipi hic locus. Sequitur,

5. Super colla nostra (*vel cervicibus nostris*) persequutionem passi sumus: laboravimus, non requies nobis.

Hic dicit populum fuisse oppressum gravi servitute. est enim metaphorica loquutio quum dicit *populum persequutionem passum in suis cervicibus.* Molesti interdum nobis erunt hostes, sed vel à facie, vel à tergo, vel à lateribus. Ubi autem sic dominantur, ut tanquam in cervicibus nostris equitent, in hac insultatione extrema est dejectio. Ergo Propheta hic de servili atque etiam contumeliosa populi oppressione conqueritur quum dicit *Judæos persequutionem fuisse passos in suis cervicibus.* Summa est, hostes pro libidine sic fuisse dominatos, ut Judæi caput attollere non auderent. Erant quidem hac mercede digni: scimus enim fuisse cervice ænea. nam quum Deus vellet eos assuefacere ad ferendum jugum, fuerunt prorsus inflexibiles, imo quasi indomabiles bestiæ. Quum ergo tanta fuisset illorum durities, Deus rependit justum præmium eorum superbiæ & obstinationi quum onus imposuerunt hostes eorum cervicibus. Sed Propheta hic proponit indignitatem, quæ Deum flectere ad misericordiam poterat, quum scilicet Chaldæi ita libidinose opprimerent electum populum. Adjungit *laborasse nec fuisse requiem*, qua loquutione significat nullum fuisse miseriis & molestiis ipsorum vel modum, vel finem. hæc enim est phrasis Hebraica, *laboravimus, & non fuit requies.* Continget sæpe, ut quis ad breve tempus malis urgeatur: sed dabitur tandem relaxatio. Propheta vero dicit nullum finem miseriis populi adesse. Ergo *laborare absque requie* tantundem valet atque continuis afflictionibus premi, & quarum nullus exitus appareat. Digna etiam hoc præmio erat eorum obstinatio, quia Deo repugnaverant non paucis tantum mensibus & annis. Scimus quamdiu Propheta apud ipsos clamaverit absque profectu. Hic tamen conciliat sibi gratiam apud Deum, quod populus miser sit absque fine & modo.

6. Ægyptiis dedimus manum, Assyriis, ut saturaremur panibus.

Hic de mendicitate populi loquitur, quod scilicet panem hinc inde petierint. Dare manum bifariam exponunt interpretes: quidam accipiunt pro suppliciter rogare, alii autem pro pacisci: alii etiam pro manum extendere in signum miseriæ, quasi is qui non potest auxilium accersere, manu extenta significet suam necessitatem. Sed Propheta simpliciter videtur intelligere populum fuisse tanta inopia constrictum ut panem mendicaverit. Dare igitur manum accipio pro panem petere, ut solent mendici. dicit autem *manum dedisse*, hoc est, porrexisse, tam Ægyptiis, quam Assyriis, quod fuit indignissimum. nam Ægyptii fuerant gravissimi hostes, Assyrii postea sequuti sunt. Eo quidem tempore simulabant Ægyptii se esse populi electi amicos, & fœdus etiam initum inter ipsos fuerat: sed scimus Judæos habitos fuisse ludibrio, ut digni erant, quia sese prostituerant, quemadmodum meretrices. Quum ergo spreti sæpe fuerint ab Ægyptiis, fuit hæc contumelia valde acerba, dum coacti sunt panem in Ægypto mendicare, deinde in Assyria: potuit enim hoc verti in magnas subsannationes. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Jam hoc etiam præmium illis Deus juste rependit: promiserat terram fertilem, & in qua ad satietatem usque paratus erat ipsos alere: toties apud Mosen fit mentio vini, tritici, & olei, quorsum? nisi ut ostenderet Deus terram illam fertilitate excellere præ aliis omnibus? Fuit ergo hoc signum ultimæ maledictionis, ubi populus coactus est panem hinc inde petere, quum tamen affluentia bonorum omnium sufficere deberet etiam ad ipsos alienos, quemadmodum dictum fuerat, Tu dabis mutuum *Deut. 15. vers. 6.*
aliis, & non mutuaberis. qui ergo debuerant sua copia alios pascere, fuerunt ita famelici, ut inopia ipsos coëgerit ad subeundum illud dedecus, quum scilicet Ægyptiis & Assyriis submisse fuerunt obnoxii. Sequitur,

7. Patres

7. **Patres nostri peccarunt, non sunt, (*non ipsi, ad verbum*) nos vero iniquitatem ipsorum portavimus.**

Videtur Propheta hic cum Deo litigare, & evomere blasphemiam cujus apud Ezechielem fit mentio. nam quum Deus asperius castigaret populum, volitabat in omnium ore proverbium illud, Patres nostri comederunt uvam acerbam, dentes nostri obstupescunt. (*Ezech. 18. vers. 2.*) significabant autem hoc modo se injuste tractari, & crudeliter, quia luerent pœnam alieni delicti, quum ipsi essent insontes. Videtur in hunc modum obstrepere Deo Propheta quum dicit *patres qui peccarunt non esse amplius*: sed paulo post videbimus, Prophetam fateri etiam eorum peccata qui tunc adhuc erant superstites. Quum igitur illa ingenua confessio edita fuerit à Propheta, minime dubium est quin hic abstinuerit ab illa blasphemia, quæ tam severe reprehenditur apud Ezechielem. Nihil ergo minus propositum habuit Jeremias, quam liberare populum ab omni noxa, acsi Deus esset crudelis, quemadmodum dicit ille profanus Poeta, (*Horat. lib. 3. Carm. Ode 6.*)

Delicta majorum immeritus lues, Romane.

Deinde alter, (*Virgilius 1. Georg.*)

—— satis jam pridem sanguine nostro
Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.

Significant populum sui seculi fuisse prorsus innoxium, & quærunt in Asia, & trans mare causam malorum, quasi scilicet nunquam fuisset peccatum Romæ. Non fuit tale Jeremiæ consilium, sed simpliciter dicere voluit, populum qui diu rebellis fuerat Deo, jam mortuum esse, ideo opportunum esse tempus quo Deus miserias posteritatis respiciat. non ergo hic objiciunt suam innocentiam Deo fideles, acsi essent extra crimen: sed tantum referunt patres defunctos fuisse justa pœna, quia tota illa generatio interierit. Daniel plenius loquitur quum dicit, Peccavimus nos & patres nostri, & Reges nostri: (*Dan. 9. vers. 8.*) involvit enim eadem damnatione & patres & filios. Sed alio respicit Propheta noster, nempe voluit Deum flectere ad misericordiam, ut dictum est. quo argumento id assequi contendit? Domine, tu quidem justas sumpsisti pœnas hactenus, quia nimis diu abusi fuerant patres nostri tua bonitate & tolerantia: nunc vero tempus adest quo nos experiaris, & examines an simus similes patribus: quoniam ergo perierunt illi, ut digni erant, jam recipe nos in gratiam. Videmus ergo hoc modo non suscipi cum Deo jurgium, vel litem, sed tantum miseros exules petere à Deo ut ipsos respiciat, quum patres qui talem & tam horribilem Dei vindictam in se provocaverant, & experti fuerant, jam essent extincti. Et quum dicit *filios portasse iniquitatem patrum*, tametsi dura est loquutio, non tamen in eum finem tendit, acsi Deus temere pœnas sumeret de filiis, quæ potius exigendæ à patribus erant. nam fixa manet sententia illa, Non portabit filius iniquitatem patris, neque pater iniquitatem filii, sed anima quæ peccaverit ipsa morietur. (*Ezech. 18. vers. 20.*) Interea potuit hoc vere dici filios fuisse oneratos patrum suorum sceleribus, quia scilicet Deo vindictam suam, sicuti per Mosen denunciat, in tertiam & quartam generationem liberum fuit extendere. (*Exod. 20. vers. 5.*) Et alibi etiam dicit, Ego rejiciam in sinum filiorum patrum iniquitatem. (*Jere. 32. vers. 18.*) potuit igitur Deus continuare suam vindictam usque ad posteros. Sed interea minime dubium est quin filii qui tam severe castigati fuerunt, etiam propriam iniquitatem sustinuerint. erant enim promeriti centum mortes. Sed hæc duo inter se non male conveniunt, ut Deus rejiciat iniquitatem patrum in sinum filiorum, & tamen filios ipsos castiget pro suis peccatis.

8. **Servi dominati sunt nobis, eripiens nemo ex manibus ipsorum. (*hoc est, nemo est qui nos eripiat è manibus ipsorum.*)**

Alia circumstantia aggravat populi cladem, quod scilicet venerit in potestatem servorum: quod magis contumeliosum est, quam si divites, & qui excellunt opibus & potentia sibi nos servos addicerent. Neque enim pudebit servire vel Regi, vel homini saltem qui obtinebit aliquem honoris gradum. quia servitus illa in speciem probrosa non est, ducitur tolerabilis. Verum ubi sumus servi servorum, hæc est valde gravis contumelia, & quæ penitus animos vulnerat. Ergo de hac indignitate etiam nunc expostulat Jeremias, *quod servi ipsis dominati fuerint*. Neque vero dubium est quin tracti fuerint etiam ab infimis quibusque. licuit enim Chaldæis exercere adversus ipsos omnem sævitiam: sed interea fuit hoc valde luctuosum, quum filii Dei servorum essent mancipia. Nam erant prius regnum Sacerdotale, & Deus ita eos susceperat in suam fidem, ut eorum conditio potior esset, ac magis optabilis omnibus imperiis. Quum ergo spoliati sunt sua libertate, neque id modo, sed etiam subjecti servis, illa fuit valde tristis mutatio. Ideo inde etiam petit materiam misericordiæ Propheta, quum dicit *servos fuisse dominatos*. Jam sequitur,

9. **In anima nostra (*alii vertunt, in periculo vitæ nostræ, vel cum periculo*) adduximus panem nostrum, ob siccitatem deserti. (*alii vertunt, à facie gladii, in desertum.*)**

חרב, significat tam siccitatem, quam gladium. Jam quum Propheta de fame & deserto loquitur, mihi dubium non est quin melius conveniat nomen Ariditatis. Et miror quomodo occurrerit illis nomen Gladii, nec respexerint ad contextum. Dicit ergo *populum petere panem in anima*, hoc est, usque ad propriæ vitæ dispendium. si quis malit Discrimen, non repugno. sed quum simpliciter dicit, *in anima*, videtur exprimere quod scilicet vitæ suæ non pepercerint ob victum. Victus quidem est accessio vitæ: quorsum enim quæritur panis nisi ad vitam sustinendam? sed famelici ita ruunt ad quærendum panem, ut projiciant se in mille pericula. deinde sese conficiunt maximis molestiis: & hoc est *panem adducere in anima*, ubi scilicet non tantum anxie desudant homines in quærendo victu, sed quasi sanguinem suum profundunt: quemadmodum si quis conficiat longum iter, ut reperiat aliquid alimenti, erit fere exanimis quum adveniet in longinquum hospitium. Quoniam ergo nusquam Judæi victum reperiebant, dicit Propheta *illos panem suum quæsisse in anima*, hoc est, vitæ dispendio: hoc magis mihi placet. Jam adjungit, *Ob siccitatem deserti*: quid esset Gladius deserti? videmus illud esse coactum: & tamen nulla fuit ratio cur ita torquere deberent vocem hanc interpretes. Sed vocat *deserti siccitatem* inopiam qua populus sic premebatur, acsi esset in deserto. Hoc igitur per similitudinem dictum est, quod ab ariditate deserti, hoc est, præ sterilitate coacti fuerint vitam suam exponere in mortem, tantum ut alicubi panem invenirent. Potest etiam fieri, ut intelligat Propheta fuisse profugos, & ita esuriisse per sylvas & saltus, quum scilicet non auderent prodire in planitiem, ne hostis illis occurreret.

sed quod dixi optima quadrat, nempe ita fuisse famelicos acsi essent in vasto deserto, & procul ab omni hospitio, ut nusquam panis inveniretur. Nunc ergo tenemus Prophetæ sensum. Addit,

10. Pelles nostræ quasi clibanus nigredinem contraxerunt, ob exustiones famis.

Alii vertunt, Ob tremores: à facie tremorum, ad verbum. Hieronymus vertit, Tempestates. sed nomen Exustionum melius convenit: quia dicit *pelles fuisse obtenebratas*, & comparat eas clibano: quemadmodum hæc metaphora satis frequenter occurrit in Scripturis, Si fueritis tanquam inter ollas fumo & caligine deformati, pennæ vestræ splendebunt. (Psal. 68. vers. 14.) Deus populum suum nigredinem contraxisse dicit, acsi ollis fumosis adhæsisset, quia multis afflictionibus exustus fuerat. nam ubi tabescimus in malis, squalor ipse nos deformat. sed hic comparat clibano (quod idem valet) pelles, vel cutem. Dicit igitur cujusque cutem ita fuisse contractam, & nigredine offuscatam, ut clibanus niger est continuo igne & fumo. Propheta, quisquis fuerit auctor Psalmi 119 alia similitudine utitur, nempe se fuisse (Psal. 119. vers. 83.) similem utri, qui etiam contrahitur à fumo, & ducit rugas una cum nigredine. Summa est, fuisse pudendam deformitatem in populo, quia ita erant famelici, ut nullus maneret succus: ubi autem succus deficit, sequitur pallor & macies: deinde ex pallore major deformitas & nigredo, de qua nunc loquitur Propheta. Ideo dixi melius quadrare nomen Exustionum. Nam si dicamus Tempestates, certe tempestas non offuscat nigredine pellem vel cutem. si etiam vertamus, tremores, hoc erit valde remotum: sed si vertamus, exustiones, fluet optime contextus. & scimus, quemadmodum victus quasi irrigat animam hominis, ita famem exurere, ut alibi quoque Scriptura loquitur. Sequitur,

11. Mulieres in Sion afflictæ fuerunt, virgines in urbibus Jehudah.

Hic aliud genus contumeliæ recitat, nempe quod mulieres fuerint stupratæ tam Jerosolymæ, quam (Deut. 22. v. 21, 22, 23, 24.) in aliis urbibus. Deus voluerat castitatem regnare in populo illo. Quum ergo puellæ & mulieres ita ad stuprum fuerunt tractæ, illud fuit plusquam indignum. Atque hoc etiam commemorat Propheta, ut Deus tandem se propitium populo suo ostendat postquam exoratus fuerit. Et *Sion* potius nominat, quam Jerosolymam: est quidem synecdoche, sed locum illum scimus fuisse divinitus electum, ubi nomen ejus invocaretur. Sion ergo erat locus sacer præ omnibus aliis: erat denique terrestre domicilium Dei. Quum ergo Deus haberet illic suum palatium, ut habitaret in medio populi, valde turpe fuit illud spectaculum, stuprari in loco illo mulieres, quia hoc modo violabatur Templum Dei. Erat igitur non tantum contumeliosum populo, mulieres ita stuprari, sed erat fœda profanatio cultus Dei, atque adeo sacrilega. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Jam adjungit etiam alias urbes Jehudah, sed alio sensu. Sequitur,

12. Principes manu sua fuerunt suspensi; facies senum non fuerunt in honore. (*non fuerunt honoratæ, ad verbum.*)

Initium versus potest duobus modis exponi: vertunt omnes, Principes interfectos fuisse ipsorum manu, hoc est, hostium. sed miror quomodo non occurrerit quod longe erat gravius, nempe sua manu fuisse suspensos. Ego certe non dubito quin Propheta hic dicat quosdam ex Proceribus manus sibi intulisse. nam frigida esset illa loquutio, Principes fuisse suspensos manu hostium: sed si ita accipimus, *Principes fuisse suspensos sua ipsorum manu*, hoc erit longe atrocius, quemadmodum ante vidimus mulieres etiam quæ pollebant aliqua humanitate, vorasse suos foetus. Eodem sensu nunc dicit Proceres fuisse suspensos non ab hostibus, nam hoc est etiam vulgare, jugulari passim victos ab hostibus, vel etiam suspendi per ignominiam: sed aliquid atrocius, meo judicio, exprimere voluit Propheta, nempe coactos fuisse miseros Proceres ad manus sibi afferendas. Adjungit *facies senum non fuisse honoratas*, quod etiam est præter naturam: scimus enim senio semper deferri aliquid honoris, & ætas illa naturaliter reverentiam sibi conciliat. quum ergo nullus est senum respectus, necesse est summam barbariem regnare. Perinde est igitur acsi diceret Propheta populum sic probrose fuisse tractatum, ut ne senibus quidem hostes pepercerint. Nunc etiam tenemus cur hoc adjungat, quia alioqui poterat videri illud incredibile, Principes fuisse suspensos sua manu. Sed hic significat non fuisse illis aliud refugium, nisi ut sibi mortem consciscerent præ desperatione, quia scilicet exciderat omnis humanitas. Sequitur,

13. Adolescentes ad molam sumpserunt, & pueri in ligno ceciderunt. (*vel impegerunt. Non possem ultra prosequi.*)

Da omnipotens Deus, quando nobis semel manum porrexisti, ut nos tibi consecrares in populum: da, inquam, ut perpetuo refulgeat in nobis paternus ille favor, & nos etiam vicissim studeamus glorificare semper nomen tuum, atque ut nos semel complexus es prosequaris tua liberalitate, donec tandem fruamur bonorum omnium plenitudine in regno tuo cælesti, quod nobis partum est sanguine Filii tui unigeniti, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA IN LAMENT. JEREMIÆ.

Dicit nunc Propheta *adolescentes traditos fuisse ad molam*, perinde acsi diceret, in pistrinum. scimus autem inter serviles operas hanc fuisse vilissimam: nam sicuti asinis tunc usi sunt ad molendum, ita & suis mancipiis. Summa est, contumeliose habitos fuisse Judæos, ut fuerint redacti in conditionem abjectissimam. Nescio quid venerit Hieronymo in mentem, ut verteret abusos fuisse turpiter ad libidinem: quia טחון significat molere, vel conterere, putavit hic notari turpitudinem, quæ nominari non debet, acsi abusi essent hostes adolescentibus ad stuprum. sed ex secundo membro versus colligimus id nullo modo consentaneum esse. Dicit igitur *adolescentes tractos fuisse ad molendum, & pueros impegisse sub ligno*. significat autem pueros fuisse oneratos ligno, sicuti solent calones: est etiam vile munus calonum. Sicuti ergo prius dixit pistrino fuisse addictos juvenes, ita nunc dicit pueros succubuisse sub ligno, quia scilicet humeris suis gestabant onus nimis grave, & cui ferendo erant impares. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. Sequitur,

14. Senes cessarunt è porta, adolescentes è pulsatione sua. (*vel canticis musicis.*)

Hic Propheta breviter significat fuisse Urbem redactam in ruinas, ita ut nihil præter vastitatem illic cerni posset. nam dum urbes frequentantur, sedent judices in porta: juvenes autem se exercent honestis oblectationibus. Dicit autem *nulla fuisse judicia*. nam eo tempore, ut satis notum est, solebant haberi judicia, & fieri conventus in portis urbium. perinde igitur est acsi diceret omnem ordinem politicum fuisse abolitum. Deinde adjungit *juvenes cessasse à suis pulsationibus*, vel à canticis musicis. Summa est, in Urbe fuisse tantam vastitatem, ut nulla amplius esset species urbis. neque enim inter se habitare possunt homines sine legibus, & sine judiciis: ubi forum est clausum, ubi leges obmutescunt, ubi jus non redditur, illic est barbaries quæ deterior est solitudine: ubi etiam nulli sunt conventus ad honestas oblectationes, vita est belluina: scimus enim hominem esse animal sociale. His ergo figuris Propheta docet horribiles ruinas apparuisse in Urbe, postquam illinc migravit populus. Apud Chaldæos etiam & in Assyria non habebant suos judices, neque ullam formam reipublicæ: fuerunt enim dissipati, & hoc factum est de industria, ne possent amplius coalescere. decretum enim fuerat Chaldæis paulatim extinguere nomen populi Israelitici: deinde, nullum illic erat populi corpus. Ita merito deplorat Propheta vastitatem, quæ etiam fuit in exilio. Sequitur,

15. Cessavit gaudium cordis nostri, versus est in luctum chorus noster. (*sic enim vertunt* לאבל מחולנו.)

Prosequitur eandem sententiam: sed videtur clarius exponere quod breviter attigerat superiore versu, ubi dicit *omne gaudium cordis populi cessasse, & omnes choros versos fuisse in luctum*. scimus vitam esse morte acerbiorem, ubi homines sunt in continuo luctu. & sane ubi nulla est hilaritas, ea vivendi conditio deterior est morte. Et hoc nunc intelligit Propheta quum dicit *omne gaudium fuisse abolitum, & omnes choros in luctum fuisse conversos*.

16. Cecidit corona capitis nostri, væ nunc nobis quia peccavimus.

Per coronam capitis haud dubie intelligit omnia ornamenta, quibus decoratus fuerat populus ille: habebat Regnum & Sacerdotium, quæ erant duo quasi lumina, vel duæ pretiosæ gemmæ: sed habebat etiam alia quibus Dominus ipsum ornaverat. Quum ergo polleret tam eximiis dotibus, dicitur *gestasse coronam in capite*. Corona autem non tantum pro diademate accipitur, sed pro symbolo lætitiæ & ornatus. Neque enim soli Reges tunc coronas gestabant; sed in nuptiis, deinde in conviviis & epulis lautioribus, in ludis etiam, & spectaculis erant coronati. In summa Propheta conqueritur, quum multa ornamenta fulgerent in populo illo, fuisse prorsus illis nudatum. Dicit ergo *coronam cecidisse ex capite*. postea exclamat, *Væ nobis nunc, quia peccavimus*. Hic exprimit ultimam miseriam, & simul docet spem omnem restitutionis abolitam esse: causam tamen adjungit, *quod scelerate egerint*. Ita non exasperat hic dolorem populi, ut qui sic afflicti sunt fremant adversus Deum: sed potius consilium ejus est humiliare afflictos, ut sentiant meritas se pœnas dare. Perinde igitur est acsi reos citaret ad Dei tribunal, & uno verbo pronunciaret merito ipsos pati; vel sustinere tam graves pœnas: quia scilicet Deus justus sit vindex scelerum. Hinc colligimus, quum heri diceret patres qui peccaverant, esse mortuos, & eorum iniquitatem à filiis ferri, non ita loquutum esse, ut ab omni culpa eximeret superstites. hic enim eos damnat, & se etiam comprehendit in illo numero. sed heri exposui quid sibi vellet superior sententia: hic autem ingenue Propheta agnoscit populum juste plecti, quia sceleribus suis iram Dei provocaverit. Et hæc doctrina diligenter notanda est; quia ubi rebus adversis premimur, Satan acuit nos ad dolorem, & tandem in furorem nos præcipitat, nisi veniat nobis in mentem hæc doctrina, nempe nobis esse negotium cum Deo, qui justus est judex. nam agnitio scelerum nostrorum domabit omnem superbiam, deinde compescet etiam obstreperas illas querimonias, quibus solent increduli contra Deum insurgere. Ergo mala nostra deducant nos ad reputandum Dei judicium, & peccata nostra agnoscenda, quemadmodum hunc finem Propheta noster spectavit. Sequitur,

17. Propterea debile est cor nostrum: super hoc (*id est, propter hanc causam*) obtenebrati sunt oculi nostri.

Conjongit hic tristitiam cum agnitione reatus, ut populus dum dolor ipsum premit & eacruciat, simul etiam adjiciat mentem ad reputanda sua peccata. Quanquam Propheta haud dubie hic complectitur quæcunque ante vidimus, quasi diceret non abs re mœrore populum confici, quoniam tam ampla & multiplex sit dolendi causa: *propter hoc*, inquit, hoc est, non eacedimus modum in dolore, quia afflictiones nostræ non sunt mediocres, ut temperari possit dolor, sed quia ventum est usque ad eatrema, ideo fieri ooo potest quio dolore obruantur animi nostri. Quonism ergo maledictio Dei undique occurrebat, dicit huoc esse *causam debilitandi cordis:* dicit etiam *propterea obtenebrari oculos*. Est autem bæc metapbora satis trita, nempe oculos caligare præ dolore. nam sensus dolore hebetantur: hinc fit, ut obtusa etiam sit oculorum acies. & David præcipue bac loquendi forma utitur. Propheta igitur noster dicit *obtenebratos fuisse oculos*, quia dolor erat quasi lethalis. Sequitur,

18. Propter montem Sion qui in vastitatem redactus est, vulpes incedunt in eo.

Quanquam in genere complexus fuerat omnes malorum species, nunc tamen præcipuam doloris causam assignat, quod scilicet *mons Sion perdiderat suam pulcbritudinem* & formam. Locus enim ille à Deo electus fuerat acsi illuc è cælo descenderet habitandi causa: & scimus etiam magnificis elogiis celebrari ejus pulcbritudinem. Illic enim lucebat Dei facies, quemadmodum Moses, & Propbetæ sæpe loquuntur. Fuit igitur bæc valde tristis mutatio, quum Deus habitasset in monte Sion, illic vulpes habitare tanquam in deserta caverna. nam in monte Sioo erat Tabernaculum vel Sanctuarium. Dicit autem Deus vocari Tabernaculum illud מועד, quia velit cum populo suo illic pacisci. Quum ergo locus ille caperet Deum, & ejus Ecclesiam: sic fuisse destitutum, ut vulpes in locum Dei & fidelium succederent, hoc, quemadmodum dixi, fuit horribile prodigium. Non frustra igitur Jeremias postquam loquutus est de tot ac tam acerbis cladibus, ponit hoc caput præcipuum, *quod* scilicet *mons Sion in solitudinem redactus sit, ut vulpes illic discurrant*. Nam sicuti præcipuum caput & quasi cumulus omnium bonorum est censeri in Dei populo, deinde habere familiarem ad ipsum accessum: ita in rebus adversis nibil tristius, quam nos destitui præsentia Dei. Ubi David gratitudinem suam erga Deum testatur, quod ditatus fuerit omni genere bonorum, adjungit, Habitabo in domo Dei: quia tametsi loquutus fuerat de opibus & divitiis, & rerum omnium copia: tamen videt hanc felicitatis esse summam, si Deum invocet una cum aliis fidelibus, & censeatur in ejus populo. Sic etiam ex adverso Propheta ostendit, nibil debere esse piis tristius, quam dum suum domicilium reliquit Deus, & voluit instar deserti iocutere oculis spectantium borrorem. Hoc ipsis prædictum fuerat ab ipso Jeremia, ut vidimus capite septimo; Ite in Silo, dicebat, ubi diu arca fœderis fuerat. Quum ergo diutornum fuisset Dei hospitium locus ille, postea fuit cum summo opprobrio rejectus. Denunciavit ergo Judæis Jeremias rebus adbuc integris, talem fore Jerosolymam: sed fides non fuit habita ejus vaticinio. Nunc ergo confirmat ab eventu quod Dei mandato prædixerat, ubi *montem Sion vocat foveam vulpium*. Sequitur,

Psal. 23. vers. 6.

Jerem. 7. vers. 12.

19. Tu Jehovah perpetuo sedebis, solium tuum in ætatem & ætatem. (*id est, omnibus seculis.*)

Hic attollit Propheta oculos ad Deum: sed exemplo etiam suo eacitat omnes pios, ut in eatremis calamitatibus Deum tamen respicere non desinant; sicuti Psalmo centesimo secundo, ubi Propheta loquitur de ruinis urbis Jerosolymæ. Est enim simile argumentum illius Psalmi: nec dubium est quin compositus fuerit quum populus ageret in eailio Babylonico, ut satis apparet. Ergo Propheta postquam de cladibus Urbis & populi disseruit, dicit *Psal. 102. vers. 27, 28, 29.* cælos etiam ipsos veterascere, & consumi quasi putredine una cum toto mundo: sed postea adjungit, Tu autem Domine perpetuo manes. Interea etiam clarius loquitur quam Jeremias. applicat enim hanc doctrinam ad consolationem Ecclesiæ, Filii, inquit, filiorum habitabunt. Ergo ex perpetuo & immutabili Dei statu colligit perpetuitatem Ecclesiæ: hoc non facit Jeremias, eo tamen tendit: & haud dubie hac de causa eaclamat *Deum sedere in seculum, & solium ejus stabile manere omnibus seculis*, vel per omnes ætates. Nam ubi defixi sumus in aspectu rerum præsentium, ut nihil firmum est in mundo, ita necesse est nos vacillare. Ubi autem res adversæ obnubilant oculos nostros, tunc fides quodammodo evanescit: saltem turbamur & obstupescimus. Remedium autem est, in Deum oculos attollere, quia utrunque res in mundo confusæ sint, ipse tamen semper manet sui similis. Veritas quidem ejus poterit nobis esse abscondita, manet tamen in ipso. Deinque etiamsi centies mundus versetur & intereat, bioc Deo tamen oihil propterea decedit. Non dubium ergo est quin Propheta voluerit animum colligere, & sese erigere in spem bonam quum exclamavit, *Tu Deus in seculum sedes:* & verbo *sedendi* haud dubie eaprimit mundum à Deo gubernari. Scimus Deum non esse corporeum, sed metaphorice sumitur verbum Sedendi, quia non est Deus nisi sit mundi judex. Hoc etiam clarius exprimit ubi dicit solium Dei esse per omnes ætates. Solium Dei haud dubie designat mundi gubernationem. Quod si Deus est mundi judex, ergo nibil nisi pro sua summa sapientia & æquitate vel facit, vel fieri patitur. Videmus ergo Prophetam, quia aspectus rerum præsentium quasi densa caligo tollebat omne discrimen, oculos ad Deum erigere, & agnoscere ipsum manere sui similem perpetuo, etiamsi res in mundo volvantur. Ergo opponitur solium Dei Fortunæ, & cæcæ volutationi quam imaginantur profani homines. ubi enim vident res ita confusas in mundo, dicuot esse Fortunæ rotam, dicunt omnia volvi cæco impetu. Ergo Propheta ne ita sese projiciat cum incredulis, opponit Dei solium, & sese confirmat in bac pietatis doctrina, *Deum sedere nibilominus* dum res ita agantur, dum fluctuantur omnia, vel etiam dum quasi procellæ & tempestates miscent cælum terræ, Deum oihilominus sedere inter istas turbas. utcunque ergo tumultuentur omnia elementa, boc nihil derogare justo & perpetuo Dei judicio. Hic est sensus verborum: & hinc etiam facile colligitur fructus & utilitas. Sequitur,

20 Ut quid in perpetuum oblivisceris nostri? deseres nos in protractionem (*vel longitudinem*) dierum?

Hic quidem videtur expostulare cum Deo: sed fideles etiamsi patienter ferant sua mala, & subjiciant se Dei ferulis, deponunt tamen familiariter suas querimonias in ejus sinum, & hoc modo se exonerant. Videmus Davidem precari, & quidem sincero Spiritus instinctu: & interea quasi expostulare, *Psal. 13. vers. 2.* Ut quid Domine oblivisceris perpetuo? Nec dubium est quin Propheta noster sumpserit hanc querimoniam ex Davide. Sciamus ergo, quamvis interdum sibi hanc licentiam permittant fideles, ut cum Deo expostulent: tamen non propterea exuere studium pietatis, affectum modestiæ & submissionis, denique humilitatem. Nam quum Propheta ita sciscitatus est, cur Deus in perpetuum oblivisceretur populi sui, & eum desereret, minime dubium est quin recubuerit in sua vaticinia, quæ sciebat profecta esse à Deo, atque ita spem suam distulerit usque ad finem septuaginta annorum, quia tempus illud divinitus præfixum erat. Sed pro humano sensu in sua & omnium fidelium persona conquestus est longam esse illam afflictionem. Nec dubium est quin dictaverit hanc precandi formam fidelibus, ut vigeret ipso mortuo. Non igitur tantum ex suo affectu precatus est, vel dedit consilium suis æqualibus: sed voluit post mortem suam fidelibus suppetere precationem, ut ad Dei misericordiam confugerent. Nunc ergo tenemus quomodo accipi debeant ejusmodi querimoniæ, ubi Prophetæ interrogant, Quousque, & quasi Deum ad festinandum provocant: quia fieri non potest, ubi urgemur gravibus malis, quin optemus accelerari auxilium. Neque enim fides exuit nos prorsus omnibus curis & molestiis: sed quum ita precamur, veniat etiam simul in mentem, in arbitrio & manu Dei esse nostra tempora, & non esse nimis festinandum. Ab una igitur parte licebit nobis cum Deo agere, ut festinet: sed interea cohibeamus nostram intemperiem, & expectemus dum adveniat opportunum tempus. Utrumque affectum haud dubie conjunxit Propheta quum diceret, *Ut quid in perpetuum oblivisceris nostri? & nos deseres?* Interea videmus ipsum facere judicium ex præsentibus malis. Et certe persuasus erat, Deum non deseruisse suos, neque etiam esse eorum oblitum: sicuti neque in ipsum cadit oblivio. Sed, quemadmodum jam dixi, Propheta ex infirmitate humana profert has querimonias, non ut sibi indulgeant homines in suis imaginationibus, sed ut paulatim conscendant ad Deum, & superent omnes tentationes. Sequitur,

21. Converte nos Jehovah ad te, & convertemur: innova (*vel instaura*) dies nostros, sicuti olim. (*vel ab initio.*)

Hoc versu Propheta docet, remedium esse in Dei manu si velit populo suo succurrere. Potentiam ergo Dei hic extollit, quasi diceret non destitui Deum virtute, quin opitulari promptum sit populo suo si libeat. Hoc quidem non sufficeret ad materiam fiduciæ: sed tamen est principium bene sperandi: nam unde fit ut desperatio nos exanimet ne possimus Deum invocare? quia scilicet putamus actum esse de nobis: unde hoc? quia maligne restringimus Dei potentiam, imo quodammodo nostra incredulitate repellimus ejus virtutem, quæ alioquin nobis præsto erat. Quoniam ergo ita claudimus Deo januam quum extenuamus potentiam ejus, & putamus nostra mala prævalere, ideo hoc, ut dixi, bene sperandi initium est, sentire penes Deum esse omnes exitus mortis, & ut centies simus absorpti, tamen ipsum, si velit manum nobis porrigere, posse esse salutis auctorem uno momento. Hoc nunc argumentum tractat Propheta quum dicit, *Converte nos Jehovah, & convertemur*, hoc est, Domine, si digneris nos colligere, jam salus nobis certa est. Hic autem non agitur de pœnitentia. est enim duplex: conversio hominum ad Deum, & conversio etiam Dei ad homines. Est conversio interior, ubi Deus nos regenerat Spiritu suo: conversio etiam respectu nostri dicitur esse affectus pietatis, ubi postquam ab ipso fuimus alienati, redimus in viam, & ad sanam mentem. Est autem exterior conversio Dei, ubi homines ita recipit in gratiam, ut appareat paternus ejus favor. sed conversio etiam hominum est ad Deum exterior, ubi vitam recuperant una cum lætitia. De hac ergo secunda conversione nunc Propheta loquitur, *Converte nos Domine, & erimus statim conversi*, hoc est, Domine, si nos respicias, statim prospere habebunt res nostræ: quia in manu tua nobis certa est salus. Quamvis ergo Judæi tunc similes essent mortuis, dicit Propheta si Deus velit ipsos colligere, posse momento uno restitui in integrum, ut loquuntur: quemadmodum etiam dicitur in Psal., Auferas spiritum, & vacillabunt omnia: emitte spiritum *Psal. 104. v. 29, 30.* tuum, & renovabis faciem terræ. Quoniam ergo Deus recreat faciem terræ, & instaurat solo aspectu: ideo nunc dicit Propheta Judæos, quamvis perierint, tamen posse statim converti, si Deus velit ipsos recipere in gratiam. Addit, ***Instaura dies nostros, sicuti olim.*** est explicatio superioris membri. Innovatio dierum vocatur restitutio in priorem statum. Deus enim multis seculis fuerat populi sui liberator: sub Davide fuerat summa felicitas: sub Solomone etiam floruerat populi status. sed ex quo Deus populum suum redemerat, scimus quam multa & assidua documenta ediderit suæ gratiæ & misericordiæ. Quum ergo Dei bonitas tot experimentis fuisset conspicua, jam Propheta dicit, ***Innova dies nostros sicuti olim***, hoc est, reducas nos ad illam felicitatem, quæ olim testimonium fuit paternæ tuæ gratiæ erga populum. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ. sed notandum est, ipsum concipere bene sperandi materiam ex antiquis Dei beneficiis: quia enim Deus olim populum suum redemerat, subinde fuerat auxiliatus miseris, plenitudinem bonorum effuderat in posteros, ideo Propheta sese animat ad bene sperandum, & aliis etiam suggerit eandem fiduciæ materiam. Videmus hoc sæpe fieri à Davide. quoties enim commemorat vetusta testimonia gratiæ Dei erga populum, inde colligit, ut Deus etiam erga posteros dignetur extendere eandem bonitatem & beneficentiam. Sequitur,

22. Nisi (*vel sed, vel quod si*) rejiciendo rejecisti nos, excanduisti contra nos valde.

Duas voces כי אם varie exponunt: quidam accipiunt pro Quod si, vel Certe si, & ita distinguunt in duas partes hunc versum, Certe si nos repulisti, valde iratus es: sed quoniam sensus ille est coactus, non puto Prophetam hoc voluisse. & videntur illi necessitate coacti torquere Prophetæ verba: quoniam durum est simpliciter pronunciare rejectum penitus esse populum à Deo. quoniam ergo asperitas illa offendit, excogitarunt illud commentum, Si tu repulisti nos, valde es iratus. sed quemadmodum dixi, non placet mihi illa expositio, quæ est nimis contorta: & major pars interpretum sequitur quod primo loco posui. adversative enim accipiunt כי אם, & conjunctim sæpe leguntur istæ duæ particulæ כי אם pro Etsi repulisti nos, & ideo repetitus est penultimus versus. Judæi enim laborant hac superstitione, ubi finitur aliquis liber dura & tristi sententia, vel quæ continet diram comminationem, à qua

à qua aures abhorreant, ut fugiant malum omen, repetunt penultimum versum. Sic in fine libri Jesaiæ, *Jesa. 66. vers. 24.* sic in fine libri Malachiæ: quoniam Jesaias dicit, Erit in horrorem, vel in abominationem universæ carni, ideo penultimum versum iterum inculcant, sicuti & *Malach. 4. vers. 6.* hoc loco: ita quia Malachias dicit, Ne veniam & percutiam terram חרם. quia illic anathema pronunciat, putant esse quoddam amuletum si objiciant aliam sententiam, quæ maledictionem illam absorbeat. Non dubium igitur est quin ita acceperint locum hunc Prophetæ, Verum tu repulisti nos. Si placeat illa expositio, tenendum erit, Prophetam hic modum excessisse, quemadmodum etiam in precibus non semper ita sibi temperant fideles, quin fervor aliquis ebulliat. videmus enim ut David nimium sæpe exurgat in Psalmis: unde apparet, non satis placido semper fuisse animo. Ergo dicendum erit, Prophetam fuisse turbulento affectu impulsum, ut erumperet in hanc vocem. Sed quum כי אם sumatur etiam pro Nisi, miror hoc neminem animadvertisse, quia non male convenit, *Nisi forte repudiando repudiasti nos, & excanduisti contra nos admodum*, vel supra modum. עד מאד tantundem valet Hebraice atque Supra modum Latinis. Etsi autem Propheta videtur dubitanter loqui, quum apponit hanc conditionem, minime tamen dubium est, quin luctetur cum omni diffidentia, quum dicit, *Nisi forte*. Nam ratiocinatur ab absurdo, Tu, inquit, converte nos ad te, & convertemur: renova dies nostros sicuti olim: *nisi forte repuleris nos*. hoc autem erat impossibile. Ergo, quemadmodum dixi, Propheta hic sese confirmat ut contra omnes tentationum insultus clypeum opponat quum dicit, *Nisi forte nos repuleris*. Fieri autem non potest, ut Deus repellat populum suum, & ita excandescat, ut non sit unquam placabilis. Ergo videmus Prophetam non simpliciter conditionem apponere: quasi diceret, Deus, si nobis iratus es perpetuo, & vis esse implacabilis, actum est de salute nostra: cæterum, si nobis velis reconciliari, tunc bene sperandum erit. noluit, inquam, Propheta ita animum suum & aliorum suspendere, sed certam fiduciam gratiæ Dei concipere: quia fieri non potest, ut Deus populum suum unquam rejiciat quem elegit: sicuti etiam Paulus tractat undecimo *Rom. 11. vers. 1.* ad Romanos.

¶ Quoniam ita placuit fratribus, cras ego exordiar interpretationem Ezechielis.

Da omnipotens Deus, quando tam severa olim judicia exercuisti adversus populum tuum, ut castigationes illæ hodie nos erudiant ad timorem nominis tui, deinde contineant in sollicitudine & humilitate: & ita studeamus persequi vocationis nostræ cursum, ut sentiamus te semper nobis esse ducem, nobis manum abs te porrigi, tuum auxilium semper nobis esse paratum, donec tandem collecti in regnum tuum cæleste, fruamur vita æterna, quam nobis peperit sanguine suo unigenitus Filius tuus, Amen.

LAUS DEO.

INDEX

INDEX PRIOR
RERUM ET
SENTENTIARUM

Maxime insignium quæ in hoc opere continentur.

Prior numerus caput: posterior versum indicat.

Deum

Job

FINIS TABULÆ PRÆLECTIONUM
IN PROPHETIAS JEREMIÆ.

INDEX

LOCORUM UTRIUSQUE TESTAMENTI,

Quos Author in his Prælectionibus aut in sua aut adversariorum aut etiam aliorum Scriptorum persona partim citat, partim etiam interpretatur, & apposite ad usum accommodat.

Priores numeri antepositi, caput & versum locorum citatorum denotant: posteriores vero numeri Arithmetici caput & versum Jeremiæ in his Prælectionibus demonstrant.

I N D E X.

Quæ in LAMENTATIONIBUS JEREMIAE potissimum notanda occurrunt.

Testimonia quæ in his PRAELECTIONIBUS in LAMENTATIONES citantur.

NOVI TESTAMENTI.

F I N I S.

A M S T E L O D A M I,
Ex Typographia BORRITII JANSONII SMIT.
M. DC. LXVII.

JOANNIS CALVINI,

MAGNI THEOLOGI,

PRÆLECTIONES

IN

EZECHIELIS PROPHETÆ
VIGINTI CAPITA PRIORA,

Joannis Budæi & Caroli Jonvillæi labore & industria excerptæ.

Additi sunt INDICES duo copiosissimi, prior verborum ac sententiarum, posterior locorum qui citantur.

Editio ut postrema ita optima.



AMSTELODAMI,
Apud JOANNEM JACOBI SCHIPPER.
M. DC. LXVII.

JOANNIS CALVINI PRÆLECTIONES IN EZECHIELIS VIGINTI CAPITA PRIORA.

PRÆLECTIO PRIMA.

QUo tempore Ezechiel functus fuerit Prophetæ officio, ipse statim ab initio libri exponit, & inde pendet cognitio argumenti. Nisi enim tenemus quorsum Deus illum excitaverit, vix poterimus assequi ejus mentem, ac multo minus percipere justum fructum ex doctrina. Hinc ergo incipere necesse est, hoc est, à tempore. Dicit autem,

CAPUT PRIMUM.

ET fuit tricesimo anno, quarto mense, quinta mensis, & ego (*hoc est, quum ego essem*) in medio captivitatis (*inter captivos*) super fluvium Chebar, aperti sunt cæli, & vidi visiones Dei.

2. In quinta *mensis*, ipse est annus quintus captivitatis regis Jojakim.

Videmus ergo Prophetam nostrum vocatum fuisse ad docendi munus quinto anno postquam sponte se dediderat Jojakim regi Babylonio, & fuerat in exilium tractus una cum matre. [2 Reg. 24. vers. 15.] Dicit autem *annum illum fuisse tricesimum*. Major pars post Chaldaicum Paraphrasten intelligit à reperto libro Legis. Satis convenit, annum illum fuisse duodevigesimum regis Josiæ: sed in supputatione non subscribo eorum opinioni, qui subaudiunt à libro Legis reperto. Esset enim hæc loquutio nimis obscura & coacta, vocari Annum tricesimum. Nusquam legimus posteros illinc fecisse numerandi initium. Jam minime dubium est quin apud Judæos fuerit hæc trita ratio, ut inciperent annos à Jubilæo. Erat enim quædam renovatio ad ætatem futuram. Ego itaque non dubito annum vocari *tricesimum* à Jubilæo. Neque hoc est novum commentum. Nam apud Hieronymum fit ejus rei mentio, tametsi perperam repudiat quod rectum est, quia deceptus erat diversa opinione. Sed quum illud certum sit, Judæos fuisse usos hac ratione supputandi, ut facerent exordium à Jobel, id est, à Jubilæo: hoc optime convenit, *annum illum fuisse tricesimum*. Si quis objiciat nusquam legi, decimum octavum annum regis Josiæ fuisse annum illum solennem, [Levit. 25.] quo quisque in agros suos redibat, deinde servis dabatur libertas, & fiebat quædam integra totius populi restitutio: solutio facilis est, tametsi nusquam inveniatur in quos annos inciderit Jobel: tamen nobis illud sufficere, Jubilæum annum fuisse solennem: deinde Israëlitas sequutos fuisse hunc morem in annis numerandis. Quemadmodum ergo Græci habebant suas Olympiadas, Romani habebant Consules, & inde annalium supputatio: sic etiam apud Hebræos ab anno Jobel solebant incipere, quum annos numerarent, usque ad renovationem illam, de qua dixi. Probabile vero est, annum illum fuisse Jubilæum. [2 Chr 35. vers. 18.] Nam dicitur Josias celebrasse Pascha tam magnifico splendore & apparatu, ut nullum simile fuerit à tempore Samuelis. Optima ergo conjectura elicitur, non celebrasse quotannis Pascha tam magnifice, sed quia adductus fuit ipsa temporis ratione, quum scilicet populus renovaretur, & redirent quisque in suas possessiones, manumitterentur etiam servi. Quum ergo esset ille annus Jobel, pius Rex adductus fuit ut Pascha celebraret longe splendidius, quam solitus fuerat: imo superaret Davidem & Solomonem. Deinde, quum postea tredecim annos regnaverit, non legimus tamen iterasse illud Pascha, nempe quoad singularem apparatum. Quin Pascha celebraverit quotannis, minime dubium est: [2 Reg. 23. vers. 23.] sed pro solito more. Fuit igitur solennitas illa extraordinaria. Unde colligi potest, illum annum fuisse Jobel. Sed quamvis illud non liqueret ex Scriptura, sufficiat nobis, Prophetam numerare annos pro usitato more populi. Dicit autem *illum esse quintum annum captivitatis Jechaniæ*, qui etiam vocatus est Jojakim. nam successit Josiæ Jojakim, qui regnavit [2 Reg. 23. vers. 36.] usque ad annum undecimum. Tredecim anni qui residui erant ex regno Josiæ, & undecim faciunt viginti quatuor. Nunc iste Jojachin statim transiit ad regem Nabuchadnezer, & captus fuit à principio regni. Regnavit enim tres vel quatuor menses duntaxat. [2 Reg. 24. vers. 8.] Postea ultimus rex Zedechias impositus fuit libidine regis Babylonii. Videmus ergo confici annos viginti novem. Adde spatium illud quo regnavit Joachin: ita minime dubium est quin fuerit *annus tricesimus* à decimo octavo regni Josiæ. Eodem anno Lex Dei reperta fuit, verum est: sed Propheta hic se accommodat ad receptam legem & consuetudinem. [2 Chr. 34. vers. 14.] Nunc veniendum est ad consilium Dei, cur Ezechielem sumpserit sibi Prophetam. Triginta quinque annis jam non cessaverat Jeremias clamare, sed exiguo profectu. Quum ergo Propheta se ita conficeret, nempe Jeremias, voluit Deus hunc ei dare adjutorem. Nec certe parva fuit levatio, quum Jeremias qui Hierosolymæ erat, intelligeret Spiritum sanctum consentienter loqui per os alterius. Hoc enim modo obsignabatur veritas doctrinæ. Nam decimo tertio Josiæ anno suscepit Prophetæ munus Jeremias: [Jere. 1. vers. 2.] restant anni octodecim: addamus nunc undecim annos Jojakim, erunt viginti novem: deinde addamus unum annum, & quinque, habebimus annos triginta quinque. Fuit autem dura hæc provincia, per annos triginta quinque assidue vociferari, & apud surdos, imo etiam apud phreneticos. Deus ergo ut succurreret servo suo, adjunxit socium,

cium, qui eadem apud Babylonios doceret quæ Jeremias non destiterat clamare Hierosolymæ. Profuit autem non tantum captivis, sed etiam reliquiis populi, quæ adhuc in urbe & terra manebant. Quantum ad captivos spectat, necessaria illis fuit hæc confirmatio. Nam habebant illic pseudopro-
Jere. 29. phetas, ut vidimus cap. 29. Jeremiæ. Erat enim
vers. 21. Achab filius Cholajæ, erat & filius Maasiæ Zedechias: illi quum superbe jactarent se præditos esse Spiritu revelationis, pollicebantur mira populo: ridebant eorum facilitatem, qui ita patriam suam reliquerant: dicebant fuisse satius ad extremum usque pugnare, & periclitari de vita potius, quam se ultro abdicare illa hæreditate divinitus promissa. Insultabant ergo captivis hoc modo. Deinde erat etiam Se-
Jere. 29. majah Nehelamites, qui scribebat ad summum Sacer-
vers. 24. dotem Zephaniam, & eum objurgabat tanquam segnem vel mollem, qui non severe comprimeret Jeremiam quasi arreptitium vel fanaticum, qui falso sibi arrogaret Prophetæ munus. Quum ergo diabolus haberet illic sua flabella, Deus opposuit suum Prophetam. Ergo videmus quam utile fuerit, imo necessarium, illic Ezechielem fungi officio Prophetæ. Sed utilitas doctrinæ ejus longius patebat, quoniam qui Hierosolymæ erant, coacti fuerunt audire quid vaticinatus esset Ezechiel apud Chaldæos. Quum autem viderent eum subscribere Jeremiæ vaticiniis, fieri non potuit quin saltem disquirerent quid hoc sibi vellet. Neque enim naturaliter contigit, ut unus Hierosolymæ, alter vero in Chaldæa sic quasi ex uno ore proferrent sua vaticinia, acsi duo cantores alter ad alterius vocem sese componerent. Non potuit enim desiderari melior nec concinnior melodia, quam apparet in istis duobus servis Dei. Nunc ergo videmus, quorsum spectet quod dicit Propheta noster de annis. *Tricesimo* igitur *anno*, inquit: deinde *quarto mense* (subauditur nomen mensis) *& quinto die eram in medio captivitatis*. Antequam ultra progrediar, breviter attingam quibus de rebus disserat Ezechiel. Habet omnia fere communia cum Jeremia, ut diximus: sed hoc præsertim, quod denunciat ultimam cladem populo, quia non cessabant coacervare scelera sceleribus, ut magis ac magis accenderent vindictam Dei. Minitatur ergo, idque non semel, quia tanta erat populi durities, ut non satis fuerit minas Dei ter vel quater proferri, nisi assidue ipsas inculcaret. Sed simul ostendit causas cur Deus statuerit tam severe agere cum populo suo: quod scilicet contaminati essent multis superstitionibus, quod inter se essent perfidi, avari, crudeles, pleni rapinis: deinde luxuriæ dediti, projecti ad libidines: hæc omnia recitantur à Propheta nostro, ut ostendat vindictam Dei non esse nimis asperam, quia populus usque ad ultimum impietatis & omnium scelerum cumulum pervenerat. Interea sparsim gustum aliquem dat misericordiæ Dei. Nam inanes essent omnes minæ, nisi occurreret aliqua gratiæ promissio. Imo vindicta Dei simulac prodit in medium, adigit homines in desperationem, desperatio autem in furorem præcipitat. Quisquis enim tantum apprehendit iram Dei, necesse est ut tumultuetur: deinde instar rabiosæ belluæ cum Deo ipso bellum suscipiat. Ideo dixi inanes esse omnes minas absque gustu misericordiæ Dei. Et Prophetæ non alio consilio coarguunt homines, nisi ut ad pœnitentiam ipsos extimulent: quod fieri non potest, nisi statuant Deum posse sibi reconciliari qui ab ipso alienati sunt. Hæc
cap. 26, igitur ratio est cur Propheta noster, ut Jeremias, ubi
27, 28, populum objurgat, simul temperet illam asperita-
29. tem interjectis promissionibus. Vaticinatur etiam contra exteras gentes, sicuti Jeremias, præsertim contra filios Ammon, contra Moab, contra Tyrios, & Ægyptios, & Assyrios. Sed à capite 40. uberius & plenius tractat de restitutione Templi & Urbis. Ex professo igitur illic pronunciat novum fore statum populi, ut floreat Regia dignitas ab una parte, ut Sacerdotium recuperet pristinam suam excellentiam: & usque ad finem libri de singularibus Dei beneficiis disserit, quæ speranda erant post finem 70 annorum. Nam illud quod vidimus apud Jeremiam Jere. 28.
memoria repetere convenit: quum pseudoprophetæ post triennium, vel quinquennium promitterent populo reditum, veros Prophetas prædixisse quod futurum erat, ut patienter se Deo subjicerent, & ne frangeret ipsos annorum diuturnitas, quin placide subirent justas correctiones. Jam ergo tenemus quid agat Propheta noster, & quorsum tendat ejus doctrina, & quæ summa sit. Nunc persequar contextum. Dicit *se fuisse in medio captivitatis*. Quidam dum subtilius exponunt Prophetæ verba, existimant non fuisse reipsa in medio exulum: sed referunt hoc ad visionem: quasi vero quum dicit תוך, sensus esset fuisse in conventu totius populi. Atqui longe aliud est ejus consilium. Dicit ergo *se fuisse in medio captivitatis*, ut ostendat se una cum reliquis fuisse exulem, & tamen donatum fuisse Prophetico spiritu in terra illa polluta. *Medium* ergo *captivitatis* non accipitur pro cœtu, sed simpliciter narrat Propheta, quamvis procul esset à terra sancta, extentam tamen illuc usque fuisse Dei manum, ut excelleret dono prophetiæ. Et hinc refellitur eorum stultitia qui nugantur Prophetam nostrum habuisse Spiritum revelationis antequam in exilium migraret. Quanquam non tam errore vel inscitia peccant, quam stolida arrogantia. Judæi enim nihil molestius ferunt, quam extra terram sanctam regnare Deum. Hodie quidem obduruerunt, quia dispersi sunt per totum orbem, & quasi disjecti per omnes plagas: tamen adhuc retinent aliquid veteris superbiæ. Sed tunc quum adhuc esset spes aliqua reditus, visa illis fuit hæc minime tolerabilis profanatio, si veritas Dei alibi fulgeret quam in terra sancta, præcipue vero in Templo. Propheta autem hic ostendit se vocatum fuisse ad docendi munus, quum esset in medio exulum tanquam unus ex ipsis. In hac re vero inæstimabilis Dei bonitas fuit conspicua, quod Prophetam excitavit quasi ab ipsis inferis. Babylon enim erat quasi profundissima abyssus: illinc emersit Spiritus Dei cum suo organo, hoc est, protulit in medium hunc hominem, qui minister esset ac præco tam vindictæ Dei quam gratiæ. Videmus ergo ut Deus eduxerit mirabiliter lucem è tenebris, quando Propheta noster vocatus fuit ad munus suum, quum esset in exilio. Interea quanquam utilis debuit esse ejus doctrina Judæis qui adhuc in patria manebant: Deus tamen voluit ipsos non sine nota dedecoris ad se revocare. Nam quia prophetias omnes contempserant, quæ domi erant natæ, in ipso Templo, & Sacrario, in monte Sion, oportuit illis produci ab hac maledicta terra magistrum, qui erat in illa abysso profundissima demersus, quemadmodum dixi. Videmus ergo ut non sine ignominia castigaverit Deus impium contemptum suæ doctrinæ. Jesaias diu fuerat perfunctus officio Prophetæ, sequutus est Jeremias: sed populus semper manebat sui similis. Cùm ergo scaturirent prophetiæ ex fonte ipso, spretæ fuerunt à Judæis. Hinc factum est, ut Deus excitaverit illis Prophetam è Chaldæa. Nunc ergo videmus quorsum tendat Prophetæ consilium. Dicit *super flumen Chebar*, quod multi volunt esse Euphratem: sed nullam rationem afferunt, nisi quod in terra illa non reperiebant alium fluvium celebrem. Tigris enim nomen suum perdit dum influit in Euphratem. Hinc factum est igitur, ut divinaverint Euphratem hoc loco vocari Chebar. Sed nescimus in qua parte exulaverit Propheta noster: & potest fieri, ut vel in Mesopotamia, vel supra Chaldæam habitaverit. Deinde probabile est, quum Euphrates esset diductus in multa brachia, imposita fuisse nomina peculiaribus illis rivis. Sed quia nihil habemus certum, malo hoc relinquere in suspenso. Quod

autem

autem *ad ripam fluminis Propheta visionem* accepit, argute quidam inde colligunt aquas esse quasi dicatas revelationibus. Deinde ubi causam afferre volunt, dicunt aquas esse terra leviores: & quia Prophetas necesse est exurgere supra terram, ideo aquas esse aptas revelationibus. Alii ad vim abluendi hoc trahunt, & volunt etiam ita figurari Baptismum. Sed illas argutias omitto, quæ per se evanescunt. Deinde libenter etiam abstineo, quia hoc modo Scriptura non habet suam soliditatem. Scimus quidem plausibiles esse ejusmodi speculationes: sed in Scriptura debemus quærere certam & firmam doctrinam, in qua acquiescamus. Inepte etiam torquent locum il-
Psal. 137. vers. 1. lum, Super flumina Babylonis sedimus & flevimus: quasi populus ad ripas se contulerit dum volebat precari, & se exercere in pietate. Quin potius illic describitur situs regionis. Fuit enim quasi irrigua, sicuti nuper dictum fuit. Dicit *cælos fuisse apertos, & se vidisse visiones Dei.* Cælos suos aperit Deus, non quod scindantur re ipsa, sed ubi discussis omnibus obstaculis, facit ut fidelium oculi usque ad gloriam ipsius cælestem penetrent. Nam si millies scindantur cæli, quæ tamen tanta erit perspicacia, ut ad gloriam usque Dei perveniat? Sol apparet nobis exiguus, quum tamen sua magnitudine longe superet terram: deinde alii planetæ, excepta luna, sunt quasi exiguæ scintillæ: omnia etiam astra. Quum igitur lux ipsa obtenebrescat antequam acies nostra illuc penetret, quomodo usque ad gloriam Dei incomprehensibilem transcendet aspectus noster? Sequitur ergo, quum Deus cælos aperit, simul dare novos oculos servis suis: quia alioqui deficerent non tantum in medio spatio, sed in decima vel centesima
Actor. 7. vers. 56. parte. Sic quum Stephanus vidit cælos apertos, non dubium est quin illuminati fuerint ejus oculi insolita virtute, ita ut supra captum hominis perspice-
Matth. 3. vers. 16. ret. Sic in Christi baptismo aperti sunt cæli, hoc est, Deus apparuit acsi Joannes Baptista erectus esset supra nubes. Hoc sensu nunc dicit Propheta *apertos fuisse cælos.* Addit *se vidisse visiones Dei.* Quidam putant hac voce notari visiones præstantissimas, quia Divinum vocatur in Scriptura quidquid excellit: montes Dei vocantur excelsi, ita etiam arbores Dei. Sed videtur illud frigidum. Ego itaque non dubito quin Visiones Dei appellet Propheticas, & ita profitetur se à Deo missum esse, quod scilicet exuerit quodammodo hominem, ubi Deus mandavit ei partes docendi. Et mirum non est ipsum loqui de visionibus Dei: quia alioqui incredibile fuisset, posse emergere ex Chaldæa aliquem Prophetam. Quærebat Nathanaël, an ex Nazareth posset aliquid boni *Joan. 1. vers. 47.*
prodire: & tamen Nazareth erat in terra sancta. Quomodo igitur persuasum fuisset, lucem cælestis doctrinæ fulgere in Chaldæa, & illinc etiam oriri testimonium gratiæ Dei? exercere etiam Deum illic sua judicia per os Prophetæ? Nunquam hoc fuisset creditum, nisi obsignata fuisset Dei vocatio, idque raro modo & singulari. Jam quod addit, *illum fuisse quintum annum captivitatis Joachim*, vel Jechoniæ, aut Jechaniæ, minime dubium est quin his verbis oblique perstringat obstinationem populi. Nam si Deus nos duriter percutiat, initio quidem tumultuabimur, sed paulatim necesse est nos mansuefieri. Quum ergo non fuit domita contumacia populi illius, quinque annis, hinc colligitur quantopere fuerint Deo rebelles. Neque interea parcit reliquis. Nam qui Hierosolymæ erant, putabant secum præclare fuisse actum, quod non migrassent in exilium cum suis fratribus. Ita ipsos despiciebant, sicuti sæpius vidimus apud Jeremiam. Quum ergo sibi placerent qui adhuc residui manebant in patria, & putarent suam sortem esse optimam, Propheta hic notavit tempus, quia necesse fuit prosterni illam ferociam: & quum ita sese opponerent Jeremiæ vaticiniis, adjungi secundum malleum, quo veluti retunderentur. Hæc igitur ratio est cur loquatur *de anno quinto captivitatis Joachim.* Sequitur,

3. Fuit sermo Jehovæ ad Ezechielem filium Buzi Sacerdotem, in terra Chaldæorum, super fluvium Chebar: & fuit super eum illic manus Jehovæ.

Non repetit copulam, quæ initio posita fuit: & posset videri mirum, quod librum incipiat à copula. Nam quum dicit, *Et fuit*, videtur aliquid notari superius. Quum ergo nihil præcesserit, videtur hoc esse absurdum. Sed probabile est, subesse obliquam antithesin, vel comparationem inter prophetias, quæ diu viguerant Hierosolymæ, ubi erat propria & genuina illarum sedes, & inter hanc prophetiam, quæ oriebatur à Chaldæa: quasi diceret, Etiam apud Chaldæos. Ergo particula ו tantundem valet atque particula Etiam, גם. Sensus ergo est, postquam Deus frustra servos suos exercuit usque ad fatigationem, quum Prophetæ multi Hierosolymæ functi sunt suo officio, nunc quoque ipsum loqui in Chaldæa. Dicit ergo *fuisse sermonem Jehovæ ad ipsum.* Nescio cur somnient quidam hic Jeremiam vocari Buzi, nisi quod Judæis persuasum est, & quidem inscite, nunquam patrem Prophetæ exprimi, nisi qui fuerit Propheta. Coarguitur illa inscitia aliis locis. Sed hic certe pudenda est eorum curiositas, quum volunt istum Buzi esse Prophetam: quia autem neminem reperiunt, fingunt esse Jeremiam. Quasi vero probabile esset, patrem fuisse relictum Hierosolymæ, filium autem fuisse exulem: illud certe nihil coloris habet. Sed quia erat ex genere Sacerdotali, ideo dicit *se esse filium Buzi.* Oportuit enim Prophetam nostrum habere aliquod nomen, quia si fuisset ex obscura plebe vix fuisset auditus. Ergo Sacerdotalis dignitas aliquid valuit, ut facilius eum admitterent. Jam diserte exprimit quod ante dixi, *in terra Chaldæorum.* acsi diceret tametsi Deus antea non fuisset solitus Prophetas suos excitare in longinquis terris, atque adeo pollutis: tamen nunc mutatam esse hanc rationem, quia etiam apud Chaldæos fuerit præditus spiritu Prophetico. Et emphatice etiam additur particula שם: *fuit super ipsum illic*, inquit. Nam alioqui exhorruissent Judæi Ezechielem, quasi aliquod portentum, quum audirent ex Chaldæa profectum esse Dei sermonem: Quid? an Deus polluet atque contaminabit suam doctrinam, ita ut exoriatur illinc? Quales sunt Chaldæi, ut Deus erigat illic sedem suam? Habet autem domicilium in monte Sion, hic colitur & invocatur. Ergo necesse est hic ardere ejus lucernam, quemadmodum sæpius testatus est per Prophetas. Talibus ergo jactantiis opponit Propheta, Deum jam cœpisse etiam loqui in Chaldæa, & illic conspicuam fuisse ejus virtutem. Dicit *sibi datum fuisse sermonem Jehovæ*, quia scimus unum Deum esse audiendum, & Prophetas non aliter esse audiendos, quam si proferant quod ab ipso profectum est. Ergo necesse est omnes Ecclesiæ doctores prius fuisse discipulos, ita ut solus Deus jus suum retineat, & sit unicus dux & magister. ut igitur penes unum Deum resideat auctoritas, Prophetæ ubi audiri postulant, simul adjungunt se non afferre sua commenta, sed fideliter tradere quod à Deo sumpserunt. Sic ergo Propheta noster. Ego hæc levius attingo, quoniam alibi fusius tractata sunt. Tandem addit *super eum fuisse manum Jehovæ.* Quod quidam Manum exponunt prophetiam, videtur mihi esse leve ac dilutum. Ego itaque Manum accipio pro virtute, quasi diceret Ezechiel se fuisse indutum virtute Dei, unde constaret ipsum electum esse Prophetam. Manus igitur Domini fuit testimonium novæ gratiæ, ut

Ezechiel posset quasi pro imperio subjicere sibi omnes captivos, quoniam gestabat Dei personam. Posset hoc etiam referri ad efficaciam doctrinæ. Dominus enim non tantum suggerit verba servis suis, sed etiam operatur arcano Spiritus sui instinctu, nec patitur vanum esse illorum laborem. Posset igitur locus hoc modo accipi. Sed quoniam Propheta hic duntaxat sibi sumit quod erat necessarium, & ita vendicat sibi locum & gradum Prophetæ: ideo quum loquitur de manu non dubito quin notetur intrinseca, ut ita loquar, operatio. Est quidem hæc quoque Spiritus sancti interior efficacia, ubi virtutem suam profert in auditoribus, ut fide amplectantur sermonem: verum etiamsi omnes auditores sint surdi, & in fumum abeat Dei sermo, intrinseca tamen Dei virtus est in ipsis prophetiis: hoc designat Ezechiel *sibi à Deo fuisse datum*. Hic ego finiam; quia cogerer statim abrumpere, & veniendum erit ad visionem, quæ est omnium difficillima.

Da omnipotens Deus, quoniam populum tuum ubi ejectus fuit à sua hæreditate, dignatus es continua gratia Spiritus tui, & excitasti etiam in ipsis inferis Prophetam, qui ipsum ad vitam revocaret quum jam esset quasi desperatus: da; inquam, etiamsi hodie manu tua misere Ecclesia affligatur, ne tamen destituas eam consolatione, sed ostendas in media morte adhuc expectandam esse vitam à tua misericordia: ut ita patienter feramus omnes tuas castigationes, donec nobis placatus ostendas te esse Patrem: & ita tandem colligamur in beatum illud regnum, ubi fruamur plena nostra felicitate, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO SECUNDA IN EZECHIELEM.

JAm excutienda est nobis visio, cujus obscuritas ita deterruit Judæos, ut vetuerint ejus explicationem aggredi, vel tentare. Atqui vel frustra Deus apparuit Prophetæ suo, vel cum aliquo fructu: illud dicere esset nimis absurdum. Quod si utilis est nobis visio, necesse est eam intelligi saltem aliqua ex parte. Si quis excipiat, fuisse oblatam Prophetæ, non autem reliquis: cavillum illud facile diluitur, quia scripsit Propheta quod hic legimus in communem usum totius Ecclesiæ. Jam si quis interroget an visio sit dilucida, fateor esse valde obscuram, neque profiteor me ipsam intelligere: sed tamen quod Deus nobis proposuit non modo inquirere licet, atque utile est, sed etiam necessarium. Esset igitur turpis socordia, claudere sponte oculos, & non attendere ad hanc visionem. Cæterum modo gustemus in summa quid Deus voluerit, hoc jam erit non levis momenti: & sufficiat nobis non solum mediocris aliqua intelligentia, sed etiam tenuis. Hoc breviter volui præfari: nunc venio ad ipsa Prophetæ verba.

4. Et vidi, & ecce ventus turbinis (*vel procellosus*) veniens ab Aquilone: nubes magna, & ignis involutus, (*vel contortus*) & splendor ei undique: & è medio ejus tanquam facies Hasmal è medio ignis.

Primo videndum est quorsum spectet hæc visio. Mihi vero dubium non est, quin Deus voluerit servum suum instruere auctoritate: deinde voluerit terrorem injicere populo. Quum ergo hic describitur nobis formidabilis Dei forma, primo hoc referri debet ad doctrinæ reverentiam. Negotium enim erat Prophetæ cum duris & præfractis hominibus, quemadmodum satis notum est, ac melius videbimus in progressu. Oportuit igitur subigi illam arrogantiam: alioqui Propheta surdis verba fecisset. Sed Deus respexit in alium finem. Est igitur tenenda analogia, vel similitudo inter hanc visionem, & doctrinam Prophetæ: hoc unum est. Quantum vero ad ipsam visionem spectat, quidam per quatuor animalia, intelligunt quatuor tempora anni, & existimant hic celebrari Dei potentiam in totius mundi gubernatione. Sed illud est nimis remotum. Quidam volunt repræsentari quatuor virtutes, quia in homine refulget imago justitiæ, ut dicunt: in aquila vero prudentiæ, in leone fortitudinis, in bove temperantiæ. Sed quamvis hoc fuerit subtiliter excogitatum, nihil tamen habet solidi. Alii in contrariam partem accipiunt, nempe hic designari quatuor passiones, metum & spem, tristitiam & lætitiam. Alii putant notari tres animi facultates. Nam in anima λογικὸν est sedes rationis, θυμικὸν vero est pars irascibilis, ut vocant, ἐπιθυμητικὸν est quod vocant concupiscibile, addunt συνείδησιν in quarto, id est, conscientiam. Sed argutiæ illæ etiam sunt pueriles. Recepta olim opinio fuit, sub hac figura depictos fuisse quatuor Euangelistas: volunt Matthæum conferri homini, quia à Christi generatione incipiat: Marcum vero leoni, quia incipiat à prædicatione Joannis: Lucam volunt similem esse bovi, quia initio narret de Sacerdotio: Joannem vero aquilæ, quia penetret usque ad cæli arcana. Sed in hoc quoque figmento nihil est firmum: quin potius illa omnia evanescunt si propius excutiantur. Alii putant describi gloriam Dei in Ecclesia, ideo volunt animalia hic sumi pro perfectis, qui jam fecerunt majores progressus in fide: rotas vero pro infirmis & rudibus. Sed postea congerunt multas ineptias, quas utilius est prorsus sepelire, quam sumere multam operam in ipsis diluendis. Illa igitur omnia repudio. Nunc tamen videndum est quid sibi voluerit Propheta. Jam dixi consilium Dei fuisse, quum Prophetæ mandata daret, simul eum ornasse, ut doctrina ejus non esset contemptibilis. Sed specialis ratio quam attigi, simul consideranda est, nempe Deum breviter hoc symbolo ostendisse quorsum Prophetam suum mitteret. Nam visiones similitudinem ut plurimum habent cum doctrina. Et hac ratione, meo judicio, dicit Ezechiel *se vidisse Aquilonarem ventum*. Jam populus expertus fuerat Dei vindictam, quum usus esset tam Assyriis, quam Babyloniis ad ejus castigationem. Jechonias sponte migraverat in exilium, ut vidimus: putabant tamen Judæi sibi fore tranquillum nidum in urbe, & patria: ac ridebant eorum facilitatem qui tam cito exulaverant. Propheta igitur dicit *se vidisse ventum procellosum ab Aquilone*. Impetus venti aut tempestas, cujus fit mentio, haud dubie referri debet ad judicium Dei. Voluit ergo incutere Judæis horrorem, ne ita torperent in sua securitate. Postquam vero loquutus est de procella vel tempestate, subjicit *se vidisse quatuor animalia, & quatuor rotas implicitas*, ut significet non fortuito motus illos exortos esse, sed à Deo profectos. Conjungi ergo debent hæc duo, nempe procellam fuisse excitatam à Septentrione: Deum vero in solio suo fuisse conspectum, qui auctor esset illius procellæ. Sed interea, ut majestas Dei melius afficiat Judæos, simul dicit *se vidisse*

vidisse quatuor animalia, & quatuor rotas conjunctas. Per quatuor animalia intelligit Cherubim: & non opus est aliunde petere expositionem. Ipse enim Ezech. 10. cap. 10. testatur, quum vidisset Deum in Templo, vers. 20. fuisse hæc quatuor animalia sub Dei pedibus, & dicit fuisse Cherubim. Jam videndum est cur quatuor Exod. 25. animalia hic enumeret, quum duo Cherubim com- vers. 18, plexi fuerint Arcam fœderis: deinde cur adscribat 19, 20. singulis quatuor capita. Nam si voluit sermonem & 37. accommodare ad formam Sanctuarii, cur non posuit v. 7, 8, 9. duos Cherubim, quibus Deus contentus fuit? Vide- Num. 7. tur ergo hic discedere à præscripto ipsius Dei. Jam vers. 89. quatuor capita, & pedes rotundi non conveniunt duobus Cherubim, à quibus circumdata fuit Arca fœderis. Sed solutio in promptu est, Prophetam sic alludere ad Sanctuarium, ut tamen simul inflectat suum sermonem ad ruditatem populi. Nam religio tunc fere obsoleverat, & tantus fuerat contemptus Legis, ut nescirent Judæi quænam esset Sanctuarii utilitas. Deinde sic Deum colebant acsi procul ab ipsis distaret, neque reputabant ejus providentiam in rebus humanis. Videmus enim hic quam crassus fuerit ipsorum stupor, ita ut toties percussi tamen nunquam expergeferent. Quia ergo fere obtorpuerant Judæi, necesse fuit proponi illis novam formam: & ideo Propheta dimidiam partem mutuatur ab ipso Sanctuario, dimidiam vero partem assumit, quæ necessaria erat populo tam rudi. Quanquam nihil ipse confinxit ex suo cerebro: sed nunc loquor de consilio Spiritus sancti. Ergo Deus noluit abstrahere Judæos à Sanctuario (nam illud erat fundamentum omnis rectæ intelligentiæ) sed quia videbat non sufficere formam illam Legalem, ideo addidit subsidium novum, quia dedit singulis Cherubim quatuor capita: deinde voluit Cherubim esse quatuor. Nunc quod numerum spectat, non dubito quin Deus voluerit docere, diffundi suam virtutem per omnes mundi plagas. Scimus enim mundum in quatuor partes dividi. Ergo ut sciret populus Dei providentiam ubique dominari in mundo, locati sunt quatuor Cherubim. Hoc quoque memoria repetere convenit, per Cherubim designari Angelos, vel per Jesa. 6: 2. Seraphim. Vocantur enim Seraphim à Jesaia sexto capite, qui vocantur Cherubim hoc loco, & 10. cap. Ephes. 3. Scimus autem Angelos esse potestates, & principa- vers. 10. tus: & scimus his elogiis insigniri, acsi vocaret eos Coloss. 1. Scriptura ipsius Dei manus. Quoniam ergo Deus vers. 16. operatur per Angelos, & utitur illis tanquam ministris suæ potentiæ, ideo quum Angeli prodeunt in medium, illic etiam conspicua est Dei providentia, & potestas in regendo toto mundo. Hæc igitur ratio est cur non duo tantum Cherubim propositi fuerint ante oculos Prophetæ, sed quatuor: quia oportuit Dei providentiam in rebus terrenis patefieri. Populus enim tunc imaginatus fuit Deum inclusum esse in cælo. Ergo Propheta non tantum in cælo ipsum regnare docet, verum moderari res terrenas. Et hac ratione, & hoc fine extendit ejus potentiam per quatuor mundi plagas. Cur autem singulis animalibus attribuit quatuor capita? Respondeo, virtutem Angelicam hic nobis demonstrari in cunctis animantibus. Est tamen synecdoche, quia Deus per Angelos suos operatur non tantum in hominibus, & reliquis animantibus, sed in cunctis creaturis. Verum quia res exanimes non habent agitationem ex seipsis, ideo Deus quia, ut dixi, volebat rudem & crassum populum instituere, proposuit sub animalibus imaginem rerum omnium. Quantum vero ad animantes spectat, homo tenet præcipuum gradum, quia formatus est ad imaginem Dei, leo inter feras bestias dominatur: bos autem quia est animal utilissimum, repræsentat omnes animantes domesticas, vel cicures ut loquuntur. Quoniam autem aquila est avis regia, ideo comprehenduntur aves omnes sub hac voce. Ego hic non fabrico allegorias, sed tantum literalem sensum amplector. Illud videtur mihi jam satis esse firmum, quod Deus Angelicas inspirationes significet per quatuor Cherubim, & extendat ad quatuor mundi plagas. Jam ut simul pateat, nullam creaturam à seipsa moveri, sed omnes agitationes esse ex arcano Dei instinctu, ideo singulis Cherubim tribuit quatuor capita: quasi diceret Angelos exercere imperium Dei in toto orbe, non tantum in parte aliqua: deinde sic agitari omnes creaturas, acsi conjunctæ essent cum ipsis Angelis. Dicit ergo esse quatuor singulis capita, nempe quia si fidei oculis reputemus quomodo Deus mundum gubernet, apparebit in omni agitatione virtus illa Angelica. Ergo perinde est acsi Angeli gestarent capita omnium animalium, hoc est, in se comprehenderent palam & conspicue omnia elementa, & omnes mundi partes. Hoc de quatuor capitibus. Quantum attinet ad quatuor rotas, non dubito quin omnes conversiones significent, quas vulgo nominant revolutiones. Nam videmus mundum converti subinde, & quasi induere novas facies: perinde est acsi rota una sese volveret, aut aliunde impulsa conficeret suum cursum. Quoniam ergo nullus est firmus status in mundo, sed assiduæ conversiones cernuntur, ideo Propheta hic Angelis conjungit rotas: quasi diceret quicquid mutationum cernitur in mundo non fortuito oriri, sed aliunde pendere, nempe ab Angelis: non quod ipsi propria virtute quidquam moveant, sed quatenus sunt manus Dei, ut jam diximus. Et quia conversiones istæ sunt contortæ, dicit Propheta *se vidisse rotam in rota.* Neque enim continuus est rerum cursus: sed ubi Deus aliquid cœpit agere, videtur retrocedere, ut iterum videbimus: deinde multa inter se concurrunt: unde Stoici finxerunt Fatum ex causarum connexione, ut vocant. Deus autem longe aliter hic suos docet, nempe sic mundi conversiones esse implicitas, ut tamen pendeat omnis agitatio ab Angelis, quos ipse moderatur pro suo arbitrio. Et ideo rotæ dicuntur oculatæ. Nec dubium est quin Deus opposuerit stultæ hominum opinioni hanc formam rotarum: quia homines fingunt cæcam Fortunam, & volvi temere omnia nescio quo turbulento impetu. Deus autem etiamsi rotis comparet conversiones quæ in mundo accidunt, dicit tamen *rotas illas esse oculatas*; quasi ostenderet nihil fieri temere, vel cæco Fortunæ impetu. Certe illa imaginatio à cæcitate nostra prodit: cæcutimus ipsi in luce, & ideo quum Deus operatur, putamus ipsum versare sursum & deorsum omnia: & quia non audemus evomere tam crassam blasphemiam adversus eum, dicimus Fortunam inconsiderate agere: sed interea transferimus imperium Dei ad ipsam Fortunam. Refert Seneca de quodam motione, qui apud socrum ejus fuerat: confectus senio perdiderat usum oculorum: clamabat se nihil tale esse promeritum, ut conjectus esset in tenebras: putabat solem non amplius lucere in mundo, ipse autem erat cæcus. Idem & nobis contingit: cæcutimus, quemadmodum dixi, & interea volumus rejicere cæcitatis nostræ causam in ipsum Deum, Quia autem non audemus aperto ore ipsum criminari, imponimus illi Fortunæ nomen. Ergo hac ratione dicit Propheta *rotas fuisse oculatas.* Nunc tenemus summam visionis. Sed jam veniendum erit ad singulas partes. Postquam dixit *ventum exortum fuisse ab Aquilone, & nubem magnam*, adjungit, *Ignis etiam erat involutus.* Utitur Moses 9. cap. Exod. 9. Exodi hac eadem voce quum loquitur de procella, vers. 24. quam excitavit in Ægypto. *Ignis* ergo *erat involutus* vel contortus: *& splendor igni.* Quidam argute exponunt hanc partem, ignem fuisse splendidum, quia obscura non sint Dei judicia, sed exposita omnium oculis. Nescio an id voluerit Propheta: mihi non potest persuaderi. Sed describitur hic nobis, usitato Scripturæ more, Dei majestas. Dicit

ergo *ignem fuisse splendidum in circuitu*. Tandem dicit *fuisse tanquam aspectum Hasmal in medio ignis*. Hasmal volunt multi esse Angelum, vel effigiem incognitam: sed sine ratione, meo judicio. Non dubito igitur quin Hasmal sit color insignis. Hieronymus post Græcos vertit electrum: miror cur dicat auro & argento esse pretiosius. Conficitur enim electrum ex auro & quinta parte argenti. Ergo non excellit supra aurum & argentum: itaque in eo hallucinatus est. Sed sive sit electrum, sive alius color insignis, hinc clarius innotuit Dei majestas Prophetæ, ita ut in admirationem rapi debuerit: quanquam visio non tantum ejus causa privatim oblata fuit, sed (quemadmodum admonui) in usum totius Ecclesiæ. Fuit ergo color diversus ab igne, ut inde colligeret Propheta, ignem illum esse cælestem: deinde symbolum esse gloriæ Dei, & non habere similem formam igni communi. Nunc sequitur,

5. Et è medio ejus similitudo quatuor animalium, & hic aspectus eorum, similitudo hominis ipsis.

Cur Deus sub forma quatuor animalium ostenderit quatuor Angelos Prophetæ suo, jam diximus. Necesse enim fuit aliquantum deflectere à Sanctuario, quoniam frigebat totus Legalis cultus apud homines profanos. Deus ergo quasi è cælo descendit, & apparuit familiariter in terra: acsi diceret se non tantum regnare sursum inter suos Angelos, sed hic exercere suam virtutem, quia Angeli versentur in terra, & occupent omnes mundi plagas. Summa est, Dei providentiam ubique diffusam esse. Dicit autem *fuisse in illis animalibus formam hominis*: quod non videtur consentaneum esse cum reliquo contextu. Paulo post dicet fuisse singulis animalibus quatuor capita, deinde fuisse pedes rotundos, aut vitulinos, ut alii vertunt: sed hic dicit fuisse formam hominis. Solutio est, quamvis aliquid fuerit diversum, tamen formam hominis primas tenuisse. Nec vero dubium est quin Cherubim conspecti fuerint à Propheta tanquam Dei Angeli. Alæ etiam non conveniunt hominibus: sed intelligit staturam ipsam, ut loquuntur, fuisse humanam. Quamvis ergo non prorsus fuerint hominibus similes, tamen quoad totum corpus, fuit humana similitudo. Nunc ergo tenemus cur dicat *similitudinem fuisse hominis*. Sequitur,

6. Et quatuor facies cuique, & quatuor alæ cuique ex ipsis.

Jam venit ad ipsa capita & alas. Volunt tamen multi fuisse quaterna capita animalibus: deinde in singulis capitibus apparuisse quatuor formas: alas etiam extendunt multo longius, quia affingunt singulis quatuor capitibus quatuor alas: alii vero sedecim. Sed non videtur hoc congruere Prophetæ verbis. Dicit simpliciter *fuisse quatuor capita unicuique*, deinde *quatuor alas*. Respondent inter se alæ & capita: sed unum animal tantum quatuor capitibus fuit præditum. Non ergo plures alas habuit quam quatuor: & hoc iterum melius patebit ex contextu. Postea adjungit,

7. Et pedes eorum pes rectus, & planta pedis eorum tanquam planta pedis vituli, (*ego ex hoc loco conjicio puncta fuisse mutata, quia* עָגֹל *significat rotundum, & hic* עֵגֶל *ponitur, hoc est, vitulus: sed nescio cur diceret Propheta pedes fuisse vitulinos aut similes vitulo, videtur hoc esse alienum: etsi de re parva non contendo*) & scintillas jaciebant (*alii vertunt, & scintillæ*) tanquam aspectus chalybis politi.

Videtur hoc additum fuisse exegetice. Quia enim loquutus fuit Ezechiel de forma hominis, ideo adjungit *pedes fuisse rectos*: quanquam dicit pedes fuisse vel rotundos, vel vitulinos. Quantum attinet ad rectitudinem, ego refero non tantum ad pedes, sed ad ipsa crura. Perinde est igitur acsi dixisset stetisse animalia illa, quemadmodum solent homines. Nam differimus à brutis animalibus quæ prona in terram respiciunt. Sicut dicit non abs re Poëta, dum commendat singularem quam Deus hominibus contulit gratiam,

Ovid. 1. Metam.

Os homini sublime dedit, cælumque videre
Jussit & erectos ad sidera tollere vultus.

Hoc idem nunc significat Propheta, quum dicit *rectos fuisse pedes animalibus*. Dicit ergo non fuisse animalia quæ haberent quidquam affine brutis, sed quæ referrent humanam imaginem, vel similitudinem. Dicit tamen *pedes fuisse rotundos*, & hoc videtur ad agilitatem spectare, vel ad varietatem cursus: quasi diceret pedes non fuisse directos in unam partem, sed ita ut quocunque Deus impelleret illa animalia, facile ipsis esset progredi, quoniam pedes rotundi erant. Si quis velit vel ad latus dextrum vel ad sinistrum iter facere, sentiet se pugnare cum natura, si velit etiam retrogredi: si autem rotunditas sit in pedibus, aut forma vitulina, poterit cursum flectere in omnes partes. Videtur ergo talis notari agilitas in animalibus. Quod attinet ad *scintillas quæ rutilabant instar æris* vel chalybis politi, scimus hanc similitudinem non semel occurrere in Scriptura, ubi scilicet Deus vult attentos reddere servos suos, proponere figuras novas, quæ ipsos in admirationem trahant. Idem ergo Prophetæ nostro contigit, quia si apparuisset duntaxat color carneus in ipsis animalibus, hoc fuisset fere neglectum: saltem Propheta non tanta attentione considerasset quid vellet illud spectaculum. Sed quum videret crura rutilantia, & videret scintillas undique micantes tanquam ex chalybe polito, tunc necesse habuit mentem suam vehementius applicare ad hanc visionem. Nunc ergo videmus cur dicat aspectum crurum fuisse *instar chalybis politi, & scintillas illic micasse*. Sequitur,

8. Et manus hominis sub alis (*de sub alis*) super quatuor latera, (*vel angulos*) & facies & alæ ipsis quatuor.

Jam Propheta etiam dicit *manus fuisse sub alis*. Scimus quoniam manus sunt præcipua instrumenta agendi, hac voce notari sæpe omnes actiones: unde puræ manus, & immundæ, significant opera hominum vel polluta vel munda. Quod autem dicat Propheta *fuisse animalia hæc prædita manibus*, significat fuisse apta ad exequendum munus sibi injunctum. Qui enim manibus caret, inutilis jacet, nec potest opus ullum suscipere. Ergo ut Propheta vigorem Angelicum exprimat, dicit manus fuisse in ipsis animalibus. Hoc etiam refertur ad humanam figuram: sed manus aliquid proprium designant,

nempe

nempe quod fuerit agilitas in ipsis animalibus, ut possent exequi quicquid mandabat Deus. Dicit autem *fuisse sub ipsis alas*: quibus verbis significat Angelos non habere motum ullum à seipsis: deinde non ferri quocunque visum est, sed agitari divinitus: denique temperari omnes eorum actiones ipsius Dei arbitrio. Nam haud dubie per alas tam hoc loco, quam similibus, intelligere oportet aliquid plus quam humanum. Quum igitur alæ quibus vestita fuerunt animalia, nihil aliud significent, quam arcanum Dei instinctum, sequitur *manus sub alis absconditas* non aliud notare quam Angelos non moveri intrinseca sua virtute, ut loquuntur, sed aliunde impelli, nempe ipsius Dei virtute: deinde non ferri temere huc & illuc, sed Deum moderari omnes eorum actiones, flectere, ac dirigere quocunque visum fuerit. Hæc ratio est igitur cur dicat Propheta *se vidisse manus in animalibus*: deinde *manus illas fuisse sub alis*. Repetit secundo *fuisse facies, & alas ipsis quatuor*. Quod autem dicit *in angulis*, hoc etiam notatu dignum est: quia perinde est acsi diceret animalia habuisse virtutem agendi, quæ ad omnes partes spectaret: non quod quaternæ fuerint manus, quanquam primo intuitu videtur hoc notare quum dicit *in quadrangulis*, vel in singulis angulis: sed intelligit duntaxat manus sic apparuisse in animalibus, ut essent manus præsto ad agendum quocunque Deus vellet animalia illa impellere. Nunc sequitur,

9. Sociatæ erant quæque ad aliam alarum (*hoc est, alæ sociatæ erant quæque ad alteram alarum*) ipsorum, (*animalium*) non revertebantur in gradiendo, (*hoc est, quum incederent non revertebantur*, איש) vir (*vel quisque, id est, unumquodque animal*) versus faciem suam ex opposito (*vel è regione faciei suæ, ad verbum*) incedebant.

Dicit jam *alas fuisse conjunctas*, quod paulo post clarius exponet. Dicet enim alas sursum fuisse conjunctas, & duas fuisse ita extentas, ut vestirent corpus ipsum vel tegerent. Sed hic brevius attingit quod paulo post tradet pluribus verbis. *Alæ* ergo *ipsorum sic sociatæ erant* ut altera alteram contingeret. Postea aliud tradit, nempe *sic animalia iter fecisse, ut non reverterentur*: videtur paulo post secum pugnare, ubi dicit animalia cursitasse instar fulguris, deinde fuisse reversa. Sed duo hæc non male conveniunt, quia paulo post etiam addet explicationem, nempe animalia sic fecisse iter ut tenderent continuo cursu in finem suum, vel scopum: non sequitur illic quievisse postea. Ergo animalia quum iter facerent non deflectebant in hanc vel in illam partem, neque retrogradiebantur, sed peragebant cursum sibi destinatum: postea instar fulguris, habebant tamen diversos concursus. quid hoc sibi velit hora non patitur nunc exponere: differam ergo in crastinum.

Da omnipotens Deus, quoniam pro nostra crassitie adeo sumus in terram defixi, ut etiam quum nobis manum porrigis non possimus tamen ad te pertingere: ut Spiritu tuo sursum excitati, discamus sensus nostros ad te attollere, & contra nostram ignaviam niti, donec propiore accessu familiariter sic nobis innotescas, ut tandem perveniamus ad fruitionem plenæ & perfectæ gloriæ quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO TERTIA IN EZECHIELEM.

Videndum est cur Propheta dicat *unumquodque animal ambulasse versus* vel contra *faciem suam*. Ego simpliciter interpretor cursum fuisse rectum, ita ut non aberraverint, neque declinaverint aut ad dextram aut ad sinistram partem. Nam qui vertunt huc & illuc faciem, sæpe impingunt: deinde declinant à recta via. Fuit igitur tanta attentio in animalibus, ut semper in scopum tenderent, neque à certo consilio deflecterent. Proinde videmus hic commendari in actionibus divinis certam regulam, & inflexibilem, ut loquuntur. Homines subinde mutant consilium, deinde fluctuantur: & quum aliquid habent propositum, si obrepat diversa cogitatio, quasi sui obliti, feruntur in contrariam partem. Deus autem ostendere voluit suas actiones ita esse compositas, ut nihil in illis sit obliquum vel erroneum. Diximus enim per animalia repræsentari Angelos: in Angelis autem proponi effigiem totius gubernationis mundi: quia tenendum est, ipsos esse tanquam Dei manus, quoniam applicat eos in obsequium. Nunc sequitur,

10. Et similitudo facierum facies hominis, & facies leonis ad dextram ipsis quatuor: facies bovis à sinistra ipsis quatuor, & facies aquilæ ipsis quatuor.

Jam descendit ad facies vel ora ipsorum animalium. Facies enim proprie dicitur totius corporis: hic autem Propheta tantum ora intelligit. Dicit igitur *ad dextram fuisse quasi faciem hominis & leonis, ad sinistram vero faciem bovis, & aquilæ*. Diximus heri cur Angelis Dei adscribat quatuor capita, & totidem facies: quia scilicet tantus erat populi stupor, ut non agnosceret providentiam Dei in singulis mundi partibus. Nam scimus stulta confidentia sic fuisse inebriatos, ut Deum vellent tenere quasi inclusum in ergastulo. Templum enim illis erat quasi carcer Dei. Ideo Propheta ostendit providentiam Dei fulgere in cunctis mundi partibus. Sed quoniam vigor est in animalibus, ideo per synecdochen ponit hic quatuor præcipuas species animalium. Restat tamen una quæstio, & difficilis. Nam capite 10., pro bove ponit Cherub. Quidam vel putant vel saltem respondent procul apparuisse faciem *cap. 10. vers. 14.*
bovis sed propius fuisse Cherub. Vident omnes illud esse cavillum: quia aliter effugere non poterant, excogitarunt figmentum illud, in quo nihil est firmum. Alii existimant Cherub idem esse quod bovem, quod facile refellitur compluribus locis. Cherubim enim non habebant bubula capita, ut satis notum est. Ego itaque non dubito quin fuerit aliquid dissimile in secunda visione, ubi Deus Prophetæ suo in Templo apparuit. Dicitur eadem visio propter similitudinem, sed non sequitur, omnia illic fuisse paria. Nec conjectura hæc debet repudiari, quia quum se Deus patefecit in Chaldæa servo suo, quemadmodum

dum jam dixi, voluit hac multiplici figura perstringere populi socordiam. Ubi autem secundo in Templo apparuit, illic fuit aliquid magis divinum. hinc igitur varietas, quod pro bove unumquodque animal tunc gestavit faciem Cherub. Ergo præter totius corporis staturam, fuit etiam aliquod insigne symbolum, unde Propheta propius & familiarius cognosceret animalia illa esse Cherubim, vel Angelos. Hæc ratio videtur esse consentanea, cur Deus formam Prophetæ suo ostenderit, quæ propius accederet ad formam Sanctuarii, & ad duos illos Cherubim qui Arcam circumdabant. Cæterum, quidam existimant capita sic fuisse disposita, ut caput hominis respiceret versus Orientem: caput autem oppositum versus occasum Solis. Sed minime dubium est quin quatuor facies simul apparuerint, & oculos etiam direxerint in unam partem: ad dextram quidem erant duæ illæ formæ quas diximus, hominis, & leonis: ad sinistram vero bovis & aquilæ. Postea sequitur,

11. Et facies eorum, (*animalium: quidam hic subsistunt, deinde accipiunt adversative, alæ autem ipsorum extentæ erant: sed quia utroque loco ponitur copula, nescio an non melius conveniat legere uno contextu. Facies ergo eorum*) & alæ eorum extentæ (*vel divisæ*) erant ab excelso, cuique (*loquitur nunc de alis ipsis*) colligatæ ad socium: & duabus tegebant corpora sua.

Dicit *tam facies quam alas fuisse extentas*, quia ab uno corpore prodibant quatuor facies. Hic ergo dicit Propheta non fuisse simul compactas, quemadmodum posset in uno capite conspici quadruplex forma: esset forma hominis, deinde forma leonis sequeretur: quemadmodum in speculo uno apparent interdum variæ formæ, sed quæ inter se respondent. Sic etiam poterat lector hic errare, quasi in uno capite extarent diversæ facies: ideo dicit Propheta *ab excelso fuisse extentas*, vel divisas. Hic ergo significat capitum diversitatem. quantum ad alas, dicit *fuisse extentas*: & modum simul exprimit, nempe *quod duæ alæ conjunctæ fuerint*, vel colligatæ, ut unumquodque animal conjunctum esset proximo. Cohærebant igitur inter se alis quatuor animalia: hoc Propheta intelligit. Quantum ad reliquas alas, dicit corpora illis texisse: & ita videmus aliquam esse similitudinem inter hoc spectaculum, & quod oblatum fuit Jesaiæ, quemadmodum refert cap. 6. Cur autem *alæ fuerint simul conjunctæ sursum*, ratio videtur satis clara, quod scilicet Deus sic habeat diversos motus, & agitet terram, ut tamen quæ videntur inter se confligere, optime consentiant. *Conjunctio* igitur *fuit sursum*, hoc est, ipsius Dei respectu: quia in terra apparet sæpe horribilis confusio: & opera Dei, quemadmodum attigi, videntur inter se pugnare: sed si quis oculos in cælum attollat, videbit optime congruere quæ speciem repugnantiæ ostendunt infra, hoc est, quamdiu subsidimus in terra & præsenti rerum statu. Postea addit,

12. Et unumquodque ad (*contra*) faciem suam ambulabat: secundum quod erat illuc spiritus ad ambulandum (*hoc est, secundum quod ferebat spiritus ad ambulandum*) ambulabant, non revertebantur ambulando.

Hic repetit Propheta fuisse directum iter animalibus *cuique versus* vel contra *faciem suam*: tertio idem paulo post dicet: neque supervacua est hæc narratio, quia ut heri diximus, & paulo post rursus dicendum erit, vix possumus adduci, ut demus gloriam sapientiæ Deo. Sicuti enim sumus hebetes, ita putamus Deum miscere omnia inconsiderate, quasi esset in tenebris. Quoniam ergo videntur nobis tortuosæ Dei actiones, necesse fuit sæpius hoc membrum repeti, nempe *Angelos incedere contra faciem suam*, hoc est, esse attentos ad obsequium. Nam & filius qui volet morem gerere patri, vel servus domino, sæpe tamen tumultuatur, & perturbat quod agendum erat. Quoniam in creaturis apparet semper aliquid confusum, ideo Propheta tam diligenter inculcat *Angelos ambulare versus faciem suam*, hoc est, ita ut tendant ad suum scopum, neque declinent huc vel illuc. Quod autem de Angelis pronunciat, referri debet ad ipsum Deum: quia ejus consilium non fuit hic attollere Angelicam sapientiam, sed proponit Dei ministros nobis, ut illic cernamus quod unum est ex principiis fidei nostræ, Deum scilicet ita moderari suas actiones, ut nihil illic sit contortum, vel erraticum. Addit, *quocunque erat spiritus ad ambulandum ambulabant*. Spiritus hic accipitur pro animo vel consilio. Scimus sæpe accipi pro vento metaphorice, scimus etiam accipi pro anima hominis: sed hic intelligi debet voluntas: & tamen alludit Propheta ad ipsum motum, quo rapiuntur Angeli, ubi Deus illorum opera utitur. Quoniam ergo tantus est vigor atque etiam celeritas in Angelis, ut similes sint vento, Propheta videtur ad hanc similitudinem alludere. Et quod in
Psalmo dicitur, Deum facere ventos suos ministros, Psal. 104.
Apostolus 1. ad Hebræos capite, concinne ad ipsos vers. 4.
Angelos accommodat. Optime igitur stabit hæc Hebr. 1.
analogia, nempe *quod Angeli ambularent quocunque* vers. 7.
ferebat voluntas: & tamen sub hac voce designet Propheta motum illum arcanum, quo Deus flectit Angelos suos, prout visum est. Interea confirmat quod nuper vidimus, Angelos non temere rapi huc & illuc, sed habere destinatum finem, quia scilicet per ipsos operatur Deus qui est fons omnis sapientiæ. Dicit rursus *sic ambulasse, ut non rederent*, hoc est, ut non reflecterent cursum suum. Postea tamen dicet *reversa fuisse*. Sed hæc conciliare facile est, quia tantum significat non abruptum fuisse cursum. Quum ergo pergerent in unam partem, donec spatium suum conficerent, ambulabant, & tamen postea revertebantur instar fulguris. Neque enim Deus sic Angelos suos semel ad opus accommodat, ut postea quiescant: sed quotidie, imo singulis momentis ipsos ad obsequium suum exercet. Quum ergo Angeli sint assidui in opere, non mirum est si Propheta dicat *ipsos ire & reverti*: & tamen quum dicit *non reverte*, hoc optime convenit, quia scilicet non retrocedunt donec officio suo satisfecerint. Denique hæc visio non alio spectavit, nisi ut sciret Propheta Deum non deserere in medio cursu opera sua,
sicuti in Psalmo dicitur. Quoniam ergo in Dei ope- Psal. 138.
ribus nullum est inchoatum & mutilum, Angeli per- vers. 8.
gunt, & conficiunt spatium suum usque ad metam: postea revertuntur instar fulguris, ut paulo post dicet. Sequitur,

13. Et similitudo animalium aspectus eorum tanquam carbones ignis ardentis, tanquam aspectus lampadum discurrens inter animalia: & splendor igni, & ex igne egrediebatur fulgur.

Oportuit quemadmodum heri attigi, aliquid divinum splendere in visione. quod Deus proposuit faciem hominis, & bovis, & aquilæ, & leonis, in eo se accommodavit ad populi socordiam, ut dictum fuit: imo ad captum ipsius Prophetæ: quia ut sumus homines, non possumus penetrare supra cælos. Deus ergo Prophetæ sui & omnium piorum rationem habuit: sed voluit simul oblique exprobrare stuporem populo. Interea si facies hominis non fuisset diversa à formis vulgaribus, visio non ita Prophetæ mentem in admirationem traxisset. Ergo oportuit misceri aliquid cæleste terrenis figuris. Hæc ratio est cur animalia fuerint *tanquam ignis accensus.* Nunc ergo tenemus quorsum spectet hæc diversitas: [Exod. 3. vers. 2, 3.] quemadmodum ubi Deus Mosi apparuit, si nihil fuisset admirabile, non putasset Moses se à Deo vocari: sed agnovit Deum in rubo, quia videbat rubum ardere, neque consumi. Tunc ergo cœpit expergefieri, & reputare sibi offerri divinitus illam visionem. Hoc etiam diligenter observandum est in hoc loco. Et inde etiam colligimus quam humaniter, imo indulgenter nobiscum agat Deus. Nam ab una parte videt quam exiguus sit noster modulus, ideo ad nos descendit: hinc facies animalium, hinc statura corporis, & quæ ante retulimus. Jam vero quia videt nos torpere in terra, & quasi jacere ignavos, ideo nos attollit: & huc tendit quod nunc narrat Ezechiel, nempe *aspectum animalium similem fuisse carbonibus ignitis.* Et quoniam carbones qui ab igne sunt extracti aliquando extinguuntur, dicit *carbones illos fuisse ardentes.* Necesse igitur fuit Prophetam moveri quum videret animalia non esse animalia, hoc est, quum videret in forma animalium esse aliquid cæleste, & quod excederet naturæ modum, & superaret etiam humanos sensus: hoc etiam reliquis profuit. Nam quum legimus hanc visionem, agnoscimus ita patefactum fuisse Prophetæ quod narrat, ut tamen Deus illic resplenduerit, neque passus fuerit Prophetam suum ambigere. Hinc nobis melius confirmatur ejus doctrina, quæ tam certis indiciis obsignata est. Interea etiam memoria repetere convenit quod heri diximus, in hac visione fuisse aliquid terrificum, quoniam populus ad omnes minas obduruerat, imo ad plagas ipsas. Deus enim jam exercuerat severa judicia non modo contra regnum Israëlis, sed contra ipsam urbem, & totam terram Jehudah. Captivi tamen mordebant frenum, & fremebant, quod fuissent in exilium tracti: interea qui in urbe substiterant, putabant præclare secum fuisse actum. Quia ergo tanta erat securitas, ideo necesse fuit terrorem illis proponi: ut paulo post etiam videbimus. Et dicitur etiam *ignis ardere coram Deo*, ubi non tantum vult conspici à nobis suam gloriam, sed [Exod. 19. & 20.] ubi vult incutere formidinem, sicuti fecit in promulgatione Legis. Et David Psal. 18. narrat Deum hoc [Psal. 18. vers. 8. 9. 10, 11, 12, 13, 14, 15.] modo sibi apparuisse, quum ab eo servatus est: haud dubie intelligit Deum explicuisse formidabilem suam potentiam adversus incredulos. Sic etiam hoc loco dicit *aspectum animalium fuisse similem carbonibus ignitis, & ardentibus:* deinde addit alteram similitudinem, *quod similes fuerint lampadibus:* quanquam exponunt quidam titiones, vel lignum accensum. Sed altera sententia receptior est, & mihi magis probatur. Formam ergo ignis clarius nunc exprimit Propheta, nempe *quod carbones illi fuerint tanquam lampades.* Lampades autem splendorem suum longius emittunt, & videntur radios suos in omnes partes diffundere, quemadmodum sol ubi sereno aëre lucet. In summa, intelligit Propheta ignem illum non fuisse obscurum, sed plenum scintillis, & inde radios fuisse diffusos, quemadmodum si lampades essent accensæ. Postea dicit *ambulasse inter animalia.* Non dubium est quin ignis sic apparuerit in corporibus animalium, ut quasi lampades discurrerent huc & illuc. Neque enim frustra dicit *ambulasse ignem inter animalia.* Vidit igitur Propheta formam quasi ignitam in animalibus: sed vidit etiam undique ignem micantem, & quasi lampades accensas, quæ agitabantur inter ipsa animalia. Ita voluit Deus ostendere vigorem Spiritus sui in omnibus actionibus, ne scilicet illum metiamur nostro modo, quemadmodum hæc pravitas est nobis ingenita. Ubi enim sermo fit de operibus Dei, concipimus quod capit nostra ratio, & volumus Deum quodammodo affigere nostris imaginationibus. Deus autem ostendit ubi operatur illic esse vigorem admirabilem, quemadmodum si ignis discurreret. Hinc ergo vigor ille nobis incomprehensibilis. Postea dicit *fuisse splendorem ignis, & ab igne egressum fuisse fulgur.* Hoc potuit magis afficere Prophetæ animum, quum videret ignem splendere insolito modo. Scimus sæpe ignem esse lucidum, præsertim ubi flamma accedit. Sed Propheta hic aliquid designat minime usitatum: quasi diceret non fuisse ignem qualis conspicitur ubi ligna sunt accensa, sed fuisse ignem splendidum: unde colligere promptum esset, Deum illic proponere visibilem suam gloriam. Et eadem ratione dicit *ab igne egressum fuisse fulgur.* Huc ergo pertinet splendor cujus meminit, quod scilicet mixtus fuerit ignis fulgure. Scimus autem non posse fulgur conspici quin trepidemus. Nam videtur uno momento aër inflammari, perinde acsi Deus vellet mundum quodammodo absorbere. Aspectus ergo fulguris semper nobis terribilis est. Ideo quo magis expavesceret Propheta ad visionem, voluit Deus ostendere formam fulguris. Noluit quidem Prophetam suum expavescere, nisi quatenus humiliandus erat. Sed quemadmodum initio admonui, visio hæc non fuit oblata Prophetæ in privatum suum usum, sed ut esset utilis toti populo. Interea Propheta ipse ut homo erat, opus habuit hac præparatione, nempe ut humiliaretur. Nam semper afferimus nescio quid superbiæ, quod reddit sensus nostros obtusos, ut non sint capaces gloriæ Dei. Ergo ubi Deus vult nobis familiariter innotescere, exuit nos omni superbia, omni securitate. Denique humiliatio principium est veræ intelligentiæ. Nunc ergo tenemus cur *egressum fuerit fulgur ab igne:* hoc idem postea confirmat,

14. Et animalia currebant, & revertebantur instar fulguris. (*utitur quidem alia voce, sed quæ idem significat.* בזק & ברק *idem sunt: significant tam fulgur quam coruscationem.*)

Hic clarius explicat Propheta quod poterat alioqui esse obscurum. Dicit igitur *animalia cursitasse, & fuisse reversa instar fulguris:* quibus verbis haud dubie significat summam celeritatem in animalibus. [Mat. 24. vers. 27.] Fulgur enim (quemadmodum Christus utitur illa comparatione ubi loquitur de suo adventu) egreditur ab una parte mundi, & statim ad oppositam penetrat. Quum ergo tanta sit fulguris celeritas, ut quasi momento cursitet per cælorum immensitatem, hac ratione dicit Propheta *animalia cucurrisse, & fuisse reversa instar fulguris:* quasi diceret, quamcunque in partem Deus vellet impellere animalia illa, fuisse prompta ad obsequium: sicuti diximus Angelos præsto esse, ut Dei mandata exequantur. sed non possumus capere summam illam pernicitatem, quæ est in eorum cursu, nisi hac comparatione fulguris. Jam videmus quam bene hæc duo inter se consentiant, animalia non fuisse reversa, & fuisse reversa: non fuerunt reversa, ut jam dixi, donec ad metam perventum esset: quia etiamsi

multa impedimenta occurrant, Deus tamen perrumpit, ut ejus actiones nunquam intercidant. Diabolus quidem conatur suis obstaculis Deum cogere ad retrocedendum: sed hic Propheta ostendit, ubi Deus aliquid statuit, promptos esse Angelos ad mundum gubernandum, & tantum esse in illis vigorem, ut pergant ad extremum usque, nempe quatenus virtutem suam Deus illis inspirat. Postea sequitur,

15. Et aspexi animalia, (*hoc est, quum aspicerem animalia*) ecce rota una in terra prope animalia ad quatuor ad faciem cujusque.

Descendit nunc Propheta ad rotas, quæ conjunctæ erant animalibus. Habuit igitur unumquodque animal rotam duplicem, ut postea videbimus, hoc est, rotam unam implicitam rotæ. Quod non simul uno intuitu Propheta cognovit rotas stare prope animalia, hoc ad magnitudinem visionis referri debet. Quamvis enim esset attentus, & haud dubie Deus Spiritu intelligentiæ ipsum donasset: denique quamvis esset quodammodo receptus in cælum: tamen in eo convictus fuit suæ infirmitatis, quod non potuit semel complecti tantam visionem. Deinde admonitus etiam fuit hujus admirabilis arcani, ut majore reverentia attenderet ad totum spectaculum. Dicit ergo *quum oculos haberet defixos in animalia, statim apparuisse rotas.* Utitur quidem singulari numero, sed satis postea declarat fuisse quatuor rotas. Et tollit nunc omnem dubitationem, *ecce*, inquit, *rota una.* quomodo rota una? nempe *prope animalia ad quatuor ad faciem cujusque.* Videmus ergo fuisse rotam singulis animalibus. Hoc facile ex verbis Prophetæ colligitur. Dixi autem heri quid Deus repræsentare voluerit servo suo, & nobis etiam per has rotas, nempe conversiones quæ subinde apparent in mundo. Nam si consideramus qualis sit mundi conditio, merito terram comparant mari, & quidem tempestuoso. Sicuti ergo mare obnoxium est diversis ventis, & procellæ hinc inde excitantur: ita etiam quoniam nihil est in mundo stabile aut tranquillum, conditio mundi est quædam versatio continua, quemadmodum si rota curreret. *Prope Angelos stabant rotæ*, quia scilicet arcana Dei inspiratione gubernatur mundus. Ubi videntur temere & cæco impetu volvi omnia, Deus tamen habet ministros suos, qui temperent motus omnes, ita ut in illis nihil sit turbulentum, vel incompositum. Hæc igitur ratio est *cur rotæ ambulaverint, & steterint prope Angelos*, ut iterum statim repetet. Jam sequitur,

16. Aspectus rotarum, & opus, (*hoc est, artificium vel forma*) sicut aspectus Tharsis, & similitudo unius ad quatuor: (*hoc est, erat quædam æquabilis proportio inter quatuor rotas, ut una aliis prorsus esset similis*) aspectus earum, & forma (*vel opus, vel artificium ipsarum*) quemadmodum si rota esset in medio rotæ.

Jam Propheta numero plurali dicit *fuisse quatuor rotas.* Colorem dicit fuisse similem lapidi pretioso. Hieronymus vertit mare, quia mare Tharsis vocatur quod spectabat versus Ciliciam, respectu Judææ. Sed nescio cur color marinus vel cæruleus illi placuerit. Atque ut illud demus, tamen vox ista non reperitur simpliciter pro colore cæruleo. Atqui Tharsis est lapis pretiosus, quemadmodum patet ex 28. capite Exodi, & aliis pluribus locis. Verterunt Græci Chrysoliton: sed nescio an recte, neque etiam magnopere interest. Teneamus duntaxat fuisse lapidem pretiosum, cujus color erat exquisitus, ita ut posset oculos ad se trahere. Et ita voluit Deus sub rotarum figura proponere suo Prophetæ aliquid terrenum: interea autem voluit simul attollere mentem ejus colore illo: quia inde potuit Propheta statuere non esse vulgares rotas, neque confectas ex ligno, aut ex terrena materia, sed esse rotas cælestes. Color igitur hic debuit abstrahere animum Prophetæ, ita ut sciret patefieri sibi cælorum arcana. *Tanquam aspectus Tharsis*, inquit: postea, *similitudo uniuscujusque ad quatuor.* Posset hoc referri ad animalia, quemadmodum quidam hallucinati sunt. Sed minime dubito, quin Propheta hic doceat fuisse ita inter se pares rotas, ut una ab aliis non differret. Hæc igitur proportio & æqualitas ostendit in omnibus Dei operibus esse summam moderationem, non quod appareat (quin potius putamus omnia versari turbulento impetu) sed si erigimus sensus nostros supra mundum, haud dubie agnoscere dabitur quod hic describit Propheta: nempe in omnibus Dei operibus esse rationem sic dispositam, ut nulla linea possit melius dirigi. Deus ergo dum mundum versat in speciem, servat, quoad se, æqualem modum, ita ut conversiones, vel revolutiones quas vocant, nihil habeant inæquale, ipsius respectu: sed rota una composita sit ad alias omnes. Tandem subjicit, *aspectum illarum & artificium*, vel formam *fuisse acsi rota esset in medio rotæ*: sic ut transversa sit complexio unius rotæ ad alteram. Neque enim intelligit fuisse rotam unam majorem, deinde fuisse minorem: sed intelligit rotas duas sic fuisse implicitas, ut transversa esset complexio Nunc cur duplices fuerint rotæ videndum est: & heri jam breviter attigi, nempe quia Deus non videtur tenere rectum cursum, sed habere varias conversiones, & quasi inter se contrarias, acsi distraheretur agitatio ubi inspirat vigorem creaturis. Ideo dicitur *rota una fuisse in medio rotæ.* Denique hic ad vivum nobis repræsentat Deus quod docet experientia. Nam primum mundus fertur quemadmodum si rotæ currerent: neque id simpliciter, sed accedit etiam tanta varietas, ut nunc videatur Deus projicere suum impetum in dextram partem, deinde contrarium impetum in sinistram. Hoc igitur perinde est acsi duæ rotæ simul implicitæ forent. Sed non possem nunc ulterius pergere, reliqua differam in crastinum.

Exod 28. vers. 20.

Da omnipotens Deus, quando voluisti nos subjici tot mutationibus, ne quietis animis resideamus in terra: da, inquam, ut obnoxii conditioni tam variæ quæramus in cælis nostram quietem, & aspiremus semper ad aspectum gloriæ tuæ, ut illic nobis refulgeat quod non potest oculis nostris cerni: atque ita agnoscamus gubernari tua manu & virtute totum mundum, ut recumbamus in paternam tuam sollicitudinem, donec perveniamus ad fruitionem beatæ illius quietis, quæ nobis acquisita fuit sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUARTA IN EZECHIELEM.

17. Ad quatuor latera ſua ambulando ibant, non revertebantur quum ambularent.

Quod jam ſatis explicuerat confirmandi cauſa repetit, *ambulaſſe ad quatuor latera*, hoc eſt, ut ſingula animalia rectum ſuum curſum tenerent. Quod dicit *non fuiſſe verſa*, ad perſeverantiam ſpectat: non quod ſpatio confecto longius perrexerint, ſed quia ſine intermiſſione perrexerint uſque ad ſcopum. Levius attingo quæ jam ſatis fuerunt expoſita.

18. Et circumferentiæ ipſis, (*dorſa proprie: ſed intelligit circumferentias, vel canthos, ſunt ligamma ferrea*) & proceritas ipſis, & terror ipſis: & terga ipſarum (*id eſt, circumferentiæ vel canthi: circumferentiæ ergo*) plenæ oculis per circuitum ipſis quatuor.

Quod dicit *fuiſſe circumferentias in rotis*, videri poſſet ſupervacuum. ſed refertur hoc ad ſecundum membrum verſus, ubi dicit illas circumferentias fuiſſe plenas oculis. Hic ergo nunc tantum agendum eſt *de altitudine, & terrore*. Significat rotas illas fuiſſe amplas. Quum enim eſſent rotundæ, non potuit altitudo major eſſe quam latitudo. Itaque ubi dicit *fuiſſe altas*, haud dubie ſignificat fuiſſe tantæ amplitudinis, ut ſolo conſpectu incuterent terrorem: quod etiam paulo poſt addit. Summa eſt igitur, rotas illas non fuiſſe vulgares, ſed quæ excederent uſitatum modum, ut ipſa proceritas, vel amplitudo eſſet formidabilis. Hæc autem omnia eo ſpectarunt, ut Propheta ad viſionem magis attenderet: quia niſi Dominus quaſi violenter nos ad ſe rapiat, torpemus pro noſtra ſegnitie. Oportuit igitur Prophetam variis modis ſic affici, ut quum reputaret nihil ſuis oculis objici vulgare, reverenter ſenſus omnes ſuos ad rem conſiderandam applicaret. Jam quod dicit *circumferentias rotarum fuiſſe plenas oculis*, ſignificat rotas non temere fuiſſe verſatas, ſed motum fuiſſe conſideratum. Si fuiſſent oculi in aliis partibus, nulla erat utilitas: ſed quum rotæ volvantur per ſuos canthos, hoc eſt, per illa ferrea ligamina, illic vidit Propheta defixos eſſe oculos. Nunc ergo videmus, quamvis in ſpeciem Deus mundum huc & illuc verſet, nihil tamen fieri niſi ratione & conſilio. Per *oculos* enim intelligit Propheta providentiam quæ nunquam errat. Non dicit cuique rotæ fuiſſe duos oculos, ſed dicit *circumferentias fuiſſe plenas oculis*: quod multo plus exprimit, quam ſi dixiſſet rotas fuiſſe oculatas: quaſi diceret ne minimum quidem motum fuiſſe in rotis, niſi compoſitum vel temperatum optima ratione. Et hinc refellitur eorum error, qui putarunt notari annos per rotas implicitas: puto hoc mutuatos fuiſſe ab Ægyptiis. Nam in Hieroglyphicis annus repræſentabatur ſub ſerpentis imagine, qui in ſe contortus caudam ſuam morderet. Verum quidem eſt continuam temporum ſeriem ſic contexi, ut annus annum poſt ſe trahat, quemadmodum etiam dicit Virgilius, 2. Georg.

Atque in ſe ſua per veſtigia volvitur annus.

Sed hoc prorſus alienum eſt à præſenti loco, ubi Propheta ſignificat motus, qui videntur nobis confuſi, eſſe tamen compoſitos, quia Deus nihil agit temere, vel inconſiderate. Nunc ergo tenemus etiam ſenſum hujus partis. Addit,

19. Et quum incederent animalia, incedebant rotæ prope illa: & quum attollerentur animalia è terra, ſimul elevabantur rotæ.

Hoc verſu docet Propheta omnes mundi converſiones pendere aliunde, nempe à cæleſti motu. Diximus enim per animalia repræſentari nobis Angelos, quibus Deus arcanam virtutem inſpirat, ut per eorum manus operetur. Nunc autem quum dicit rotas ambulaſſe pro motu illo ſuperiori, hinc ſequitur nihil eſſe in mundo fortuitum, ſed Deum pro incomprehenſibili ſua ſapientia ſic omnia dirigere, ut nihil accidat niſi ex arcano inſtinctu, quem nos non perſpicimus oculis. Ergo in hac Prophetæ doctrina tanquam in ſpeculo, conſiderare nos oportet quod abſconditum eſt humanis mentibus. Videmus multa accidere: & interea putamus motus, qui ſunt ita multiplices & perplexi, eſſe confuſos. Sed Propheta huic perverſæ imaginationi occurrit, & docet rotas per ſe quidem quieſcere, agitari tamen pro motu ſuperiore, hoc eſt, prout moventur animalia, nempe Cherubim, ita etiam rotas eorum impulſu trahi. Jam ergo quia tenemus conſilium Spiritus ſancti, ſimul notanda eſt doctrinæ utilitas. Quum videmus homines multa moliri, ut totum mundum perturbent, quum videmus fieri multas conſpirationes, deinde parari omnia, quæ ad res gerendas ſpectant: ſciamus hæc omnia Deum moderari, ſed arcano modo, qui ſuperat omnes ſenſus. Etiam quum videmus multa ſæpe fieri intempeſtive, noſtro judicio, ſciamus Angelos peragere ſuum officium, & ipſorum motu, vel inſpiratione rapi quæ per ſe nullum motum haberent. Idem etiam dicendum eſt de aliis rebus: ſi hyems vel tepida ſit vel nimium rigida, in illo exceſſu conſideremus quod hic Propheta docet: nempe Deum pro ſuo arbitrio ſic gubernare temporum diſpoſitionem, ut nihil contingat niſi ab ejus inſpiratione. *Quum ergo incederent animalia, ſimul rotæ incedebant juxta ipſa*, inquit, acſi diceret curſum animalium fuiſſe quaſi regulam, ad quam curſum ſuum dirigerent rotæ: *& quum attollerentur*, inquit, *animalia, attollebantur ſimul rotæ*. Sequitur,

20. Quo erat ſpiritus ad eundum ambulabant, illuc ſpiritus ad eundum: (*ſic enim contexo. nam quod alii conjungunt cum ſecunda parte verſus, nimis eſt coactum. Repetit ergo Propheta quod dixerat, ſicuti valde prolixus eſt in ſuo ſermone: poſtea adjungit*) etiam rotæ attollebantur (*hic attollere capitur pro elevare generaliter, non quemadmodum prius, & proximo verſu: attollebantur ergo*) cum ipſis: quia ſpiritus animalis erat in rotis. (*addamus & proximum verſum.*)

21. Ambu-

21. Ambulando ambulabant, (*hoc est, quum ambularent animalia*) ambulabant (*rotæ scilicet*), & quum starent (*animalia*) stabant (*etiam rotæ*): & quum elevarentur, (*hic strictè accipitur verbum tollendi* נשא: *loquebatur autem prius sine adjunctione*) attollebantur rotæ simul cum ipsis: quia spiritus animalis in rotis.

Continuat eandem sententiam, rotas scilicet fuisse quasi defixas, non quod jacerent, sed quia stabant absque ullo motu. Hoc autem scimus non esse naturale. Nam rota non potest stare super aliquam partem sui canthi, sed cadet vel ad dextram vel ad sinistram, aut volvetur. Dicit autem Propheta rotas fuisse quasi immobiles. Unde sequitur agitationem illarum fuisse extrinsecam, ut loquuntur. Postea pluribus verbis idem confirmat, *quod* scilicet *steterint rotæ cum animalibus, sicuti ambulabant*, deinde *elevatæ fuerint.* Idem ergo Propheta recitat quod ante breviter attigit. Sed quamvis res ipsa sit obscura, tamen hac copia verborum excitat attentionem, ut sciamus non frustra transferri agitationem rotarum ad animalia, & causam illic residere: quia si hoc breviter fuisset dictum, poterat etiam neglectim transmitti: sed ubi toties dicit Propheta motas fuisse rotas prout tractæ sunt ab animalibus, hinc sequitur aliunde pendere, quemadmodum dixi, omnes rerum conversiones, quæ cernuntur in mundo. Ratio autem repetitur, *quod spiritus animalis in rotis erat:* hoc est, animalium. Est enim hic enallage numeri, sicuti prius. Intelligit autem Propheta spiritum animalium fuisse in rotis, non quod rotæ quidquam intellexerint, sed quod acceperint vigorem, sicuti luna mutuatur fulgorem suum à Sole. Ita sciamus rotas fuisse impulsas, non quod intelligentia animalium transfusa fuerit in rotas. Deus enim non dat hyemi vel æstati, non dat paci vel bellis, serenitati vel tempestatibus, non dat pesti & aliis rebus mentem & consilium: quid igitur? Nempe neque aër, neque mare, neque terra per se quidquam habent vigoris, nisi quatenus Deus per Angelos suos terram in hunc usum dirigit, vel dum applicat consilia hominum huc atque illuc, vel ad bella vel ad pacem. Nunc ergo videmus simpliciter quid sit *spiritum animalium esse in rotis*, nempe quod Deus transfundat virtutem suam per Angelos, ut ne passer quidem cadat in terram sine ejus providentia, quemadmodum dicit Christus. Ideo quoties nos sollicitant res confusæ ad desperationem, veniat nobis in memoriam hæc sententia, nempe *spiritum animalium esse in rotis*. Et certe quando subinde trepidamus in rebus dubiis: quid fieret nisi acquiescamus in hac doctrina? nempe talem fore rerum omnium exitum, qualem Deus decrevit, quia nihil agitur nisi ejus arbitrio: & nullus est motus, nulla agitatio sub cælis, nisi quam ipse inspirat per Angelos suos. Nunc sequitur,

Mat. 10. vers. 29. Luca 12. vers. 6.

22. Et similitudo super capita animalis (*hoc est, animalium*) firmamenti, (*expansionis,* רקיע, *est nomen illud quo utitur Moses in historia creationis*) tanquam aspectus crystalli (*alii vertunt glaciei*) terribilis, expansi (*firmamenti, vel expansionis extensæ,* נטוי *refertur ad* רקיע) supra capita ipsorum (*animalium*) desuper.

Genes. 1. vers. 6.

Jam narrat Propheta quod in hac visione præcipuum est, Deum scilicet in solio suo sedisse: quia si tantum de animalibus & rotis loquutus foret, visio fuisset parum utilis, saltem fuisset mutila. Sed ubi Deum locat in suo solio, hinc colligimus Angelos, qui motum aliis rebus inspirant, per seipsos non moveri, nec quidquam habere vigoris. In summa, Propheta hic docet, Angelos sic agitare quæcunque fiunt sub cælo, ut tamen nihil ipsis debeat adscribi tanquam proprium. Quare? Deus enim ipsis præsidet, & eorum actiones moderatur. Huc tendit ultima pars visionis, quæ nunc exponenda est. Dicit igitur *super capita animalium fuisse similitudinem firmamenti.* Paulatim nos ad Deum ipsum adducere voluit his verbis: & Deus etiam ita egit cum suo Propheta, ut gradus diversos sterneret, quo Propheta ipse pro captu humanæ mentis paulatim conscenderet ad immensam altitudinem. Non ergo hic loquitur Propheta de solio Dei, sed tantum de firmamento. Ubi enim sursum attollimus oculos, propius illic nobis apparet Dei gloria, quam in terris. Certum quidem est, ubique ipsam fulgere & sursum, & deorsum: sed cælum habet in se plus præstantiæ, quam tota terra: & quo propius ad Deum accedit, etiam illic magis conspicua est ejus imago. Nam certe illic exeruit Deus & suam potentiam, & sapientiam multo luculentius, quam in terris. Sol quot in se continet miracula? Si excutiamus singulos planetas, deinde si stellas consideremus, necesse erit nos centies in admirationem rapi. Ergo Propheta quum loquitur de firmamento, quodammodo nos attollit, ut paulatim mentes nostræ ad Deum usque perveniant. *Vidit* ergo *similitudinem firmamenti.* Si vidisset simpliciter firmamentum, non fuisset visio. Nam hoc expositum est oculis. Nescio cur Græci verterint στερέωμα, & Latini sint eos sequuti. Nam רקיע nihil habet simile, vel affine. Tamen utor recepto verbo. Cælum igitur quia omnibus expositum est, non poterat Prophetam ita attentum reddere ut oportuit. Sed *vidit similitudinem firmamenti*, unde agnovit non esse cælum, sed esse novam formam quæ subjiciebatur ejus oculis, acsi Deus ipsum in cælum adduceret veluti porrecta manu. *Super capita animalium* ergo *erat* רקיע expansio, expansa est. Est quidem aliud participium נטוי quod significat extensam: נטה significat extendere vel expandere: *sicut similitudo crystalli terribilis*, inquit. Fuit ergo color crystalli in hoc cælo quod Propheta vidit: sed terrorem conjunxit Deus, quia ut jam dictum fuit, pro nostro torpore necesse est adhiberi quandam violentiam, quum Deus vult nos totos sibi addicere. *Super capita ipsorum animalium*, inquit, *sursum*, nempe ut intelligamus illa subjecta fuisse summi Dei imperio, quemadmodum postea videbimus. Sequitur,

23. Et sub expansione (*vel firmamento*) alæ ipsorum rectæ, quæque ad sociam suam: cuique animali duæ alæ, quibus se operiebat, & cuique duæ alæ quibus operiebant se corpora sua. (*vel in corporibus suis.*)

Est aliqua in verbis obscuritas, sed quæ facile tollitur si notemus duos esse modos tegendi. Nam alæ quæ tendebant sursum, operiebant ipsa animalia, hoc est, tegebant facies: aliæ autem alæ, quæ connexæ erant corporibus, tegebant corpus ipsum. Quidam putant esse repetitionem: alæ duæ quibus se tegebant, alæ inquam quibus tegebant se & corpora sua, inquiunt. Sed illud mihi videtur absurdum. Ego itaque non dubito, repeti quod ante vidimus, ex quatuor alis binas texisse animalia, nempe

sursum quum attollerentur, & conjunctæ essent inter se, ita ut cuique animali esset connexio cum altero. Fuit igitur una illa regendi forma: altera autem, quod alæ submissæ erant, quæ operirent totum corpus. In summa, Propheta nihil novum adfert, sed inculcat quod ante dixit. Sequitur,

24. Et audivi vocem alarum ipsorum, sicuti vocem aquarum magnarum, (*vel multarum*) sicuti vocem Dei, (*vel vocem fortis, aut fortem, quod aliis magis placet*) quum ambularent, vocem sermonis sicuti vocem castrorum: (*hoc est, exercitus*) quum starent remittebant alas suas.

Quod dicit Propheta *se audisse vocem alarum*, explicatio est superioris doctrinæ, ubi dicebat rotas sequutas fuisse cursum animalium, & stetisse, nisi quum ab animalibus traherentur: hoc nunc clarius exprimit per *vocem*. Scimus voce mandata exponi: & hæc est communicatio inter homines, ut is qui imperium habet, ore præcipiat quid velit fieri. Quoniam ergo quod nuper diximus obscurum erat, rotas agitari ab animalibus, ideo Propheta dicit *fuisse vocem in motu alarum*. Dixit jam, & repetet quievisse animalia interdum, & remisisse alas suas. Quum ergo alæ ita essent demissæ, nullus fuit rotarum motus: sed ut rotæ obtemperarent agitationi animalium, dicit *alas fuisse vocales*: non quod rotæ præditæ fuerint auribus, vel quod auscultare potuerint mandata. Sed non potuit aliter Propheta exprimere quod jam dixi, nempe vegetari cælum & terram motu Angelico, nisi diceret in illo motu esse aliquid simile voci: quasi diceret, quæcunque accidunt parere Dei imperio. Obedientia autem hæc non potest concipi nisi vox præcedat. Nunc ergo videmus Prophetam contexere suum sermonem, & nova loquendi forma melius exprimere & confirmare quod ante vidimus, rotas fuisse agitatas ab animalibus, nempe quia in ipsis alis fuit vox audita. Jam adjungit *fuisse tanquam vocem aquarum multarum*, vel magnarum. Scimus strepitum magnum edi ubi flumen aliquod impetuosum exundat. Nihil enim magis terribile est illo sonitu. Nam habet aliquid simile fragori, quia videtur minari concussionem toti terræ. Hanc ergo vehementiam nunc exprimit Propheta. Adjungit *vocem Dei*. Durum erit hoc exponere de ipso Deo, cui etsi sæpe sermo tribuitur, tamen scimus id fieri metaphorice. Atqui oportuit aliquam esse similitudinem externam, quæ Prophetæ ostenderet quod per se non erat visibile. Id autem non potest quadrare voci Dei, nisi vocem Dei accipi-
Psal. 29. v. 5, 6. 9. mus, ut Psalmo 29., de tonitru, Vox Dei concutit & cedros & montes, facit ut abortiant animalia in sylvis: vocem Dei illic David nominat tonitru. Sed nescio an hæc metaphora conveniat præsenti loco. Nec tamen si Deum vertere libeat possumus aliter accipere verba quam de tonitru. Alii vertunt שדי fortem, aut violentum, quod non male conveniet: nisi quod generalis loquutio non satis aptari potest ad hunc locum. Nam oportuit imagines rerum proponi quæ altius attollerent Prophetæ mentem. Porro, si dixisset simpliciter Vocem fortis aut hominis violenti, quid hoc erat? Itaque rejicere non audeo, designari tonitru: quod sicui non arrideat illa expositio, tantundem valebit, acsi dixisset altisonam vel terrificam: quia Scriptura, Dei vocat tam
Psal. 80. vers. 11. Psal. 36. vers. 7. cedros quam montes ob eximiam præstantiam. Dicit *quum ambularent*: quia alioqui nullus fuit motus. Dixit enim remissas fuisse alas animalium quum starent. Deinde non opus fuit res terrenas agitari, nisi quum inspiratio præcederet in ipsis animalibus, hoc est, in Angelis. Addit *vocem sermonis*. Hic longius progreditur Ezechiel, nempe quod vox illa fuerit articulata. Atqui non poterant res exanimes vocem exaudire, verum est: sed quemadmodum dixi, voluit exprimere tale fuisse obsequium in rotis, acsi edoctæ fuissent, & Deus diserte & articulate mandasset quicquid fieri volebat: vel tanquam si alæ loquutæ essent diserto modo, ut rotæ non temere postea volverentur, sed pro suscepto mandato. Dicit *tanquam vocem castrorum*. Et hæc similitudo diligenter notanda est, quia in exercitu propter multitudinem vix potest unus ad alium respicere, ita ut sit aliqua moderatio: & tamen hoc requirit disciplina militaris. Ergo in castris est magnus clamor & confusus. Interea tamen quisque se ad alios accommodat, & servatur ordo. Propheta igitur significat, quamvis res infinitæ simul concurrant, tamen nihil esse indispositum, quia Deus multo meliori ratione gubernat omnes terrenos motus, quam imperator qui excellit singulari prudentia, regit suum exercitum. Videmus ergo quid voluerit Spiritus per hanc partem visionis, nempe comparat ingentibus copiis res quæ in mundo geruntur. Sed dicit in multitudine hac esse tamen dispositam rationem, ut quamvis tumultuosi sint clamores, omnia tamen simul probe conveniant. Iterum dicit *quum stabant remisisse alas*. Posset hic moveri quæstio, quomodo quieverint animalia, quum Deus semper operetur? sicuti & Christus dicit, Pater & ego operamur usque in hunc *Joan. 5. vers. 17.*
diem. Quum itaque virtus Dei nunquam sit otiosa, quid sibi vult requies animalium? Deus enim operatur per Angelos, ut jam visum fuit. Si quiescunt, ergo Deus habet suas intermissiones: illud est absurdum. Sed quum dicit Propheta *quievisse*, voluit tantum notare varietatem, quæ est in rebus humanis. Nam aliquando res ita sunt tranquillæ, ut putemus Deum sumpsisse quasdam vacationes, & feriari in cælo. non quod interea cesset: verum quia non perspicimus agitationes, quæ plane ostendant ejus virtutem esse in motu vel in actione. Ergo Propheta hic duntaxat varietatem illam notare voluit, non quod imaginari debeamus aliquando Deum nihil agere, aut cessare ejus Angelos: sed quia non eodem & æquali modo semper operatur.

Da omnipotens Deus, ut quamvis longe abs te peregrinemur, tamen edocti verbo tuo teneamus rectam viam, qua ad te accedamus, & fide contemplemur ea quæ à nobis sunt abscondita, ut pendeamus abs te uno: & ita recumbamus in tuam providentiam, ut non dubitemus, quando vita & salus nostra tibi curæ est, nos esse in tuto, ut quum agitamur per varias procellas, tamen maneamus quieti, donec tandem fruamur beata illa & æterna quiete, quam nobis præparasti in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINTA
IN
E Z E C H I E L E M.

25. Et fuit vox desuper expansione quæ erat super caput eorum: quum ipsa starent remittebant alas suas.

26. Et super firmamentum, ***vel potius expansionem, ut diximus***, quæ erat super caput eorum tanquam visio (*vel aspectus*) lapidis Sapphiri similitudo solii: & super similitudinem solii similitudo tanquam aspectus hominis super ipsum desuper.

DIximus postrema lectione, quia Propheta verba facturus erat de gloria Dei, loquutum fuisse de firmamento, quia ad tantam altitudinem non possunt penetrare humanæ mentes, nisi gradatim. Descripsit ergo nobis Propheta expansionem cælorum. Jam addit *fuisse similitudinem solii super firmamentum, & sedisse in solio similitudinem hominis*. Gradus autem diligenter commemorat, quum dicit *super expansionem fuisse solium, & super solium hominem*. Repetit enim quod ante de expansione cælorum dixerat. Et sicuti Deus infirmitati ejus consuluit, ita nunc accommodat sermonem ad modulum captus nostri. Quod autem dicit *similitudinem aspectus se vidisse*, observatu dignum est. Hinc enim colligimus neque verum fuisse cælum quod aspexit, nec fuisse solium ex aliqua materia conflatum, neque etiam fuisse verum & naturale hominis corpus. Hæc autem Propheta diserte exprimit, ne quis imaginetur quicquam visibile in Deo: vel sicuti fanatici homines finxerunt ipsum esse corporeum, ita ex hoc loco inscite quispiam colligeret Deum posse videri oculis, deinde comprehendi loco, sedere tanquam hominem. Ne ergo hæc figmenta obreperent in hominum animos, Propheta hic testatur neque fuisse hominis corpus, neque fuisse materiale solium quod vidit, sed oblatas sibi duntaxat fuisse has formas vel species: ne posset quispiam existimare Prophetam hic frustra usque adeo esse prolixum in rebus satis claris. Dicit *super expansione quæ erat super caput animalium*. Sed jam exposuimus cur iterum de capitibus animalium disserat, nempe quia tota superior visio referri debet ad ipsum Deum. Jam addit *expansionem*, quia ab animalibus non possemus usque ad Deum transcendere sine aliquo adminiculo. Firmamentum ergo hic nobis subjicitur, ut pervenire ad Dei altitudinem liceat tanquam per scalas. Jam quum dicit *similitudinem lapidis Sapphiri*, hoc ideo exprimitur, ut sciamus tantum figuras versatas fuisse ante oculos Prophetæ. Eodem pertinet *similitudo solii*. Nam scimus olim Anthropomorphitas Ecclesiam turbasse suo delirio, quod putarint Deum similem esse nobis, & habere suum solium in quo sederet. Ergo Spiritus sanctus ut occurrat talibus commentis, dicit non fuisse materiale solium quod vidit Propheta, sed *similitudinem solii*. Hoc vero maxime necessarium fuit in figura hominis. Nam hic locus, & similes perperam expositi ab Anthropomorphitis, errandi occasionem dederunt, ut putarent Deum esse corporeum, & circumscribi certo spatio: & eo furoris progressi sunt, ut per turmas irruerent, ac vellent lapidare eos omnes qui se opposuerant eorum impietati. Propheta ergo hic dicit *se vidisse tanquam similitudinem aspectus hominis*. Poterat quidem nomen unum sufficere, sed quia adeo propensi sumus ad vagas & erraticas opiniones, ideo *similitudini* adjunxit *aspectum*. Videmus ergo claris verbis excludi quicquid olim fabricarunt veteres hæretici de visibili Dei forma. Nunc quæritur cur Deus induerit formam hominis tam hoc loco, hoc est, in hac visione, quam in aliis similibus. Libenter amplector Patrum sententiam, qui dicunt hoc fuisse præludium ejus mysterii, quod tandem exhibitum fuit: quod Paulus *1 Tim. 3. vers. 16.* magnifice extollit quum exclamat hoc magnum esse mysterium, quod Deus sit tandem manifestatus in carne. Asperum est quod dicit Hieronymus, verba fieri de Patre ipso. Nam scimus Patrem nunquam indutum fuisse carne humana. Si simpliciter diceret Deum hic fuisse repræsentatum, nihil esset absurdi: tollatur duntaxat omnis Personarum mentio, hoc erit verissimum, hominem illum qui in solio sedebat Deum fuisse. Et Propheta etiam in fine capitis id testatur, quum dicit hanc fuisse simi- *versu 28.* litudinem gloriæ Dei. Utitur enim illic nomine Jehovæ, quo exprimitur Dei æternitas, & prima essentia. Jam ergo tolerabile esset Deum fuisse repræsentatum in hac figura: sed addendum est simul quod dicitur Joannis 12. cap. nempe quum Jesaias *Joan. 12. vers. 41.* vidit Deum sedentem in solio, vidisse gloriam Christi, & de ipso fuisse loquutum. Itaque quod jam citavi ex veteribus, aptissime convenit, quoties apparuit Deus sub hominis specie, ita specimen aliquod obscurum dedisse mysterii, quod tandem manifestatum fuit in Christi persona. Interim procul abigenda sunt deliria Serveti, qui facile etiam refellitur Prophetæ verbis. Contendit enim hanc similitudinem hominis fuisse essentialem: & tunc Christum fuisse Figurativum filium, quia erat Deus visibilis, inquit, compositus ex tribus elementis increatis. Sunt plusquam detestabiles blasphemiæ, & indignæ quæ refutentur: tamen quia fascinavit impius ille nebulo multos leves homines, & qui meritas pœnas dederunt stultæ curiositatis, ideo utile est attingere tantum in transcursu illos errores. Fingit ergo Christum fuisse visibilem Deum à creatione mundi: & hoc modo interpretatur fuisse imaginem Dei. In Patre non agnoscit ullam Personam, sed dicit Patrem esse Deum invisibilem, Christum vero quatenus est Patris imago, esse simul Personam. Jam dicit ex tribus elementis illis increatis esse conflatum. Si diceret ex tribus elementis duntaxat, Christus non esset Deus: sed fingit sibi elementa increata quæ originem ducunt ab essentia Dei. Hæc vero elementa dicit sic fuisse digesta, ut habuerint hominis formam: ita non dicit Christum apparuisse in forma hominis duntaxat, sed dicit Christum fuisse hominem figuratum in illa essentia divina. Tandem dicit Christum factum fuisse hominem ex semine Abrahæ, quia ad tria illa elementa accessit etiam quartum, quod fatetur creatum esse: ita dicit Christum fuisse hominem, quia imaginatur massam confuso modo ex illa Deitate visibili, & ex semine Abrahæ conflatam. Christus ergo secundum ipsum fuit homo ad tempus, quia commixtus fuit Deus ille visibilis cum carne. Jam autem dicit carnem Christi absorptam fuisse à Deitate: & sicuti Deus factus fuit homo non unione sed confusione, ita nunc dicit hominem fuisse deificatum, & carnem illam Christi esse unius essentiæ cum Deo: & proinde nihil habere humanum. Ideo nos deridet, qui docemus non posse nos participes esse Christi, nisi fide in

cælum

cælum conscendamus: quia fingit corpus ejus esse ubique, & immensum. quare? Deificatum est, inquit, neque retinet ullum vestigium humanæ naturæ. Videmus nunc cujusmodi monstra illic impostor fabricaverit. Sed Propheta noster discutit tales nebulas, quum dicit *apparuisse quasi similitudinem aspectus hominis*.

Dan. 7. v. 9. 10, 13, 22.

Distinctius apud Danielem nobis describitur solium Dei, quia adducitur ad Antiquum dierum homo, qui gestabat saltem hominis figuram. Illic ergo statuitur Deus in summo gradu, deinde adjungitur Christus Mediator: & dicit Daniel adductum fuisse ad Antiquum dierum, quia sicuti Christus à Patre descendit, ita receptus est in ejus gloriam, & nunc datum est ei summum imperium & potestas, ut illic pluribus verbis docetur. Sed quod ad præsentem locum spectat, nobis sufficere debet, Prophetam vidisse Deum duntaxat in persona Christi: quia non potest transferri ad Patris personam, neque Spiritus, quod dicitur de hominis similitudine. Deus enim Pater nunquam in carne manifestatus fuit, neque etiam Spiritus: sed Deus manifestatus fuit in carne quum apparuit nobis Christus, in quo resider plenitudo Divinitatis.

Philip. 2. vers. 7.

Paulus quidem 2. capite ad Philippenses, dicit Christum fuisse factum in similitudinem hominis, & forma vel habitu apparuisse hominem: sed alio sensu. Neque enim illic facit Christum figurativum: neque etiam ex professo agit de essentia corporis Christi: sed admonet qualis fuerit ejus conditio quum ad nos descendit. Dicit ergo fuisse humiliatum, ut nihil ab hominum vulgo differret, in speciem scilicet: & etiam nomen illud ponitur apud Paulum, quod distinguit essentiam à specie, *μορφή*. Jam ergo tenemus Pauli consilium, ubi dicit Christum habitu fuisse repertum tanquam hominem, quia scilicet fuit abjectus & contemptibilis in carne nostra. Sed hoc loco Spiritus sanctus aliud docet, nempe apparuisse jam tunc Christum in forma hominis, quamvis nondum esset homo. Si quis nunc roget unde sumptum fuerit hoc corpus, responsio in promptu est, non fuisse corpus creatum, quoad substantiam, sed formam hanc fuisse creatam ad tempus. Deus enim, ut satis notum est, aliquando corpora dedit suis Angelis, quæ postea evanuerunt. Sed alia fuit hujus visionis ratio, quia Christus non apparuit in forma hominis, ut gustaret cibum quemadmodum Angeli: sed tantum ut se accommodaret ad captum Prophetæ.

Genes. 19. vers. 2. 3.

Summa igitur est, similitudinem corporis fuisse in solo aspectu, quemadmodum Propheta dicit, non autem in essentia. Hinc autem colligimus ubi simplex fit Dei mentio, intelligi totam essentiam, quæ communis est Filio, & Spiritui sancto cum Patre. Nam sub nomine Jehovah, absurdum esset intelligere solum Christum. Sequitur ergo totam Dei essentiam hic comprehendi. Interea quum inter se comparantur Personæ, soli Christo convenit, quod dicitur fuisse in forma hominis. Deus ergo totus apparuit Prophetæ suo, & apparuit in hominis forma: sed neque Pater neque Spiritus sanctus apparuit, quia in rationem venire incipiunt Personæ, ubi ostenditur quid peculiare sit vel proprium Christo. Hoc etiam notandum est, quia fanatici etiam homines nunc novum errorem spargunt, quasi Christus esset alius Deus à Patre, Spiritus etiam sanctus sit alius Deus. Fuit hic nebulo quidam Georgius Blandrata Pedemontanus, qui apud nos versatus est sub persona medici, & occultavit hic suam impietatem quoad potuit: ubi autem vidit se detectum, transfugit in Poloniam, & infecit totam illam regionem suo veneno. Est indignus qui nominetur, sed quia voluit acquirere nomen suis blasphemiis, sit sane famosus ut appetit. Quoniam hic error latius nunc vagatur, & tota Polonia infecta est (ut jam dixi) hoc diabolico delirio: ideo qui minus exercitati sunt in Scriptura, munire se debent, ne incidant in illos laqueos. Fingunt igitur illi Christum sic esse Deum, ut tamen non sit ille Deus quem celebrant Moses & Prophetæ. Ac proinde quoties fit Dei mentio in Lege & Prophetis, restringunt hoc ad solum Patrem, Christum autem fatentur esse Deum: sed ubi propius urgentur, dicunt illum esse Deum Essentiatum, cui Pater communicavit suam essentiam quasi per transfusionem: ita secundum ipsos Christus est Deus factitius, quia non est idem Deus cum Patre. Putant suam impietatem stabiliri, quoties Pater vocatur simpliciter Deus. Sed solutio facilis est, tunc comparationem fieri Patris cum Filio: Ita Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Joan. 3. vers. 16.

Pater quidem vocatur illic Deus, verum est, sed additur Filius ex opposito. Ergo non mirum est si principium Deitatis locatur in supremo gradu. Interea ubi non fit comparatio unius Personæ cum altera, tunc tota Deitas, quæ communis est Patri, & Filio, & Spiritui sancto, & una est ac simplex, notatur. Denique ubi Personæ non veniunt in rationem, nulla est relatio unius ad alteram: ubi autem agitur de Personis, tunc nascitur illa nota relationis: unde fit ut Pater seorsum ponatur, deinde Filius suo ordine, & Spiritus sanctus. Non congeram omnia Scripturæ testimonia, quia satis est quasi digito monstrasse tam fœdos errores, ne qui adhuc minus periti sunt capiantur talibus insidiis. Quum Paulus dicit Deum 1 Tim. 3.
fuisse manifestatum in carne, certe illic non loquitur vers. 16.
de secunda quadam essentia vel adventitia. Una est enim essentia Dei. Ergo tota Deitas manifestata fuit in carne: sed ideo dicit Deum fuisse manifestatum in carne, sicuti dicit etiam Christus, Ego in Patre, Joan. 14.
& Pater in me est. v. 10, 11.
Et alibi quum docet totam plenitudinem Deitatis residere in Christo, hinc colligimus non debere essentiam Dei lacerari acsi pars una esset penes Christum, altera vero penes ejus Patrem. Ita quum Joannes dicit in sua Canonica Chri- 1 Joan. 5.
stum esse verum Deum, Hic est verus Deus & vita vers. 20.
æterna, inquit: certe blasphemia erit non tolerabilis, si dicamus verum Deum alium esse à Patre. De quo enim hoc poterit prædicari, nisi de unico Deo? Jam si transfertur hoc à Patre, desinet esse Deus. Si ergo Christus est verus Deus, sequitur non aliam esse ejus essentiam, quam Patris. Ita quum Paulus dicit Ecclesiam esse redemptam Dei san- Actor. 20.
guine, certe illic nomen Dei simpliciter, & sine ad- vers. 28.
jectione ponitur. Dum ille nebulo restringit nomen Dei ad Patrem, quomodo hoc conveniet cum Pauli sententia? Deus, inquit, redemit Ecclesiam suo sanguine: si Deus redemit suo sanguine, ergo intelligi debet Deus ille gloriæ, qui ab æterno fuit, & quem celebrant Moses & Prophetæ. Nunc ergo tenemus quomodo Christus apparuerit quoad personam in forma hominis, & tamen totus Deus apparuerit. quod apparuerit Christus potest probari, & diserte constat ex 12. illo cap. Joannis quod citavi. Joan 12.
Quod autem totus Deus apparuerit, & Jesaias & vers. 41.
Ezechiel satis aperte testantur, Vidi Jehovam se- Jesa. 6.
dentem in solio. Quis est ille Jehovah, nisi Deus vers. 1.
Israël, de quo Moses ante pronunciaverat, Deus Deut. 6.
tuus, Israël, Deus unus est? Quomodo autem Joan- vers. 4.
nes transfert hoc ad Christum? Nempe respectu Personæ. Videmus quam bene hæc omnia conveniant, quod Deus totus apparuerit in perfectione suæ gloriæ, & immensæ essentiæ, & tamen apparuerit in persona solius Christi, quia neque Pater, neque Spiritus unquam induti fuerunt humana carne. Ego paulo fui in hac doctrina longior, quia multi qui non versati sunt in lectione Patrum, non tam facile se expedirent: & quæstiones istæ sunt satis spinosæ: tamen ego conatus sum quanta potui brevitate rem quæ videtur obscura & perplexa, ita expedire, ut quivis mediocri ingenio & judicio præditus, facile intelligat quod dixi. Interea non persequor quæ possent subtiliter adducere in hanc rem. Nihil enim

utilius est in hac parte, quam sobrie & modeste sapere. Nam Deus sub visibili forma servo suo apparuit. an ideo Ezechiel potuit, quemadmodum fecerunt Scholastici Theologi, argute philosophari de essentia Dei, qui nullum faciunt disputandi finem nec modum? minime: sed continuit se in certa mensura. Paulus raptus fuit usque ad tertium cælum: sed dicit se audisse [illegible] quæ nefas esset explicare. *2 Cor. 12. vers. 4.* Sic ergo contenti simus solida doctrina: quæ tamen satis nos muniat contra omnes diaboli insidias. Ergo *super solium similitudo quasi aspectus hominis super ipsum*, inquit. Sequitur,

27. Et vidi tanquam formam Hasmal, tanquam aspectum ignis intus per circuitum, ab aspectu lumborum ejus & supra, & ab aspectu lumborum ejus & infra, vidi quasi aspectum ignis, & splendor illi in circuitu.

His verbis significat Propheta Deum ita apparuisse visibilem sub forma hominis, ut tamen splendor oculos ejus perstringeret. Nam si talis fuisset Christi species, ut Propheta singulas partes posset considerare, quemadmodum ubi hominem aspicio, non tantum conjicio oculos in ejus formam à capite usque ad pedes, sed considero quales sint oculi, deinde qualia sint latera, qualis statura, sitne procera an brevis. Quum ergo respicimus in homines, in arbores, tunc sufficit aspectus noster ad singulas partes excutiendas. Sed si volumus oculos conjicere in solem, statim hebescent: tantus enim est fulgor solis, ut nos perstringat. Quod si oculi nostri non possunt ferre solis splendorem, quomodo mentis nostræ acies penetraret usque ad Deum & excuteret totam ejus gloriam? Huc ergo tendit consilium Prophetæ quum dicit *se vidisse tanquam speciem Hasmal*. Diximus à quibusdam Angelum intelligi: sed sententia illa, meo judicio, stare non potest: ideo eam repudiavi: nec dubito, quin color notetur, qualiscunque sit. Quod Hieronymus vertit electrum, relinquo in medio: quod dicit pretiosius esse auro & argento, vanum est, quia conficitur ex utroque metallo. Sed tamen fuit color eximius, qui non tantum raperet oculos Prophetæ, sed perstringeret splendore suo, ita ut agnosceret esse aliquid cæleste & divinum. Ideo adjungit *fuisse tanquam speciem ignis intus*, (quod ante explicuimus) *idque per circuitum*. Ignis autem ille etiam sic apparuit, ut Propheta intelligeret esse aliquas notas gloriæ Dei: & interea, ut in fine videbimus, sciret visionem illam non aliter fore utilem, quam si modeste se contineret intra metas: quia majestas Dei ubi occurrit in medium, potest obruere ipsos Angelos. Quid ergo nobis fiet? verum Deus se ita ad captum nostrum attemperat, ut visiones sint nobis utiles, modo ne superbiamus, vel ne efferamur stulta & audaci curiositate. Dicit autem *sursum & deorsum ignem apparuisse*, hoc est, supra lumbos & infra, *& ignem fuisse splendidum in circuitu*. Postea adjungit,

28. Tanquam similitudinem arcus, (*repetendum est verbum, vidi, ex proximo versu*) tanquam aspectum arcus qui est nube in die pluviæ, (*hoc est, quo tempore pluit*) sic fuit aspectus splendoris in circuitu. Hæc visio similitudinis gloriæ Jehovæ & aspexi, & cecidi super faciem meam, & audivi vocem loquentis. (*alii vertunt, loquentem.*)

Addit nunc Propheta *oblatam sibi fuisse similitudinem arcus cælestis*, quem profani homines vocant Irim: & fingunt perferre deorum mandata, maxime vero Junonis. Sed Scriptura vocat arcum Dei, non quod creatus fuerit post diluvium, quemadmodum multi falso existimant: sed quia Deus voluit symbolo illo erigere spem nostram, quoties cælum obnubilant crassi vapores. Videmur enim quasi demersi sub illis aquis cælestibus. Deus ergo voluit occurrere nostræ diffidentiæ, quum arcum cælestem testimonium & pignus gratiæ suæ esse voluit: quia
Gen. 9. vers. 13. dicitur apud Mosen, Ponam arcum meum in cælo, ideo hoc ita quidam torquent quasi tunc primum cœpisset esse arcus. Sed minime dubium est quin Deus voluerit insculpere gratiæ suæ testimonium in re minime consentanea, quemadmodum libere utitur pro suo arbitrio omnibus creaturis. Arcus cælestis signum est sæpe diuturnæ pluviæ, & videtur quodammodo attrahere pluviam. Quum ergo possit terrorem incutere aspectus ille, Deus ex opposito dicit, quoties apparet arcus, certo statuendum esse terram esse nunc tutam à diluvio. Cæterum, quod quidam ad hunc locum trahunt gratiæ testimonium, mihi non probatur: repugnat enim tota visio. Est quidem hoc plausibile, arcum apparuisse, quia Deus jam volebat se ostendere propitium servo suo, quemadmodum etiam sic locum interpretantur
Apoc. 4 vers. 3. ex quarto capite Apocalypseos, quod Joannes viderit circumdatum Dei solium arcu illo, nempe quia Deus reconciliatus mundo erat per Christum. Quantum attinet ad locum illum, non disputo: sed idem nunc dicere prorsus alienum esset, quia tota hæc visio fuit formidabilis, ut dictum fuit ab initio. Sic ergo miscere res contrarias, esset totum ordinem visionis pervertere. Quorsum igitur hic fit mentio arcus cælestis? diximus apparuisse Prophetæ cælum ut paulatim conscenderet ad reputandam Dei gloriam, quia in cælo insigniores sunt Deitatis notæ quam in terra. Nam si quæ ante nos exposita sunt respicimus, Deus quidem nusquam est [illegible], quemadmodum dicit Paulus cap. 14. Actor. sed interea *Actor. 14. vers. 17.* clarius refulget ejus majestas in cælis. Ubi autem arcus apparet, accedit etiam nova ratio amplificandæ Dei gloriæ. Nam in arcu habemus magis expressam Dei effigiem, dum reputamus quam magnificum sit opificium cæli, & dum circumferimus oculos per omnes stellas, & planetas. Deus quidem illic, fateor, cogit nos admirari suam gloriam: sed arcus habet aliquam accessionem non spernendam, acsi Deus adderet aliquid ad nudum cæli aspectum. Nunc ergo tenemus cur Propheta viderit arcum cælestem, nempe ut magis ac magis afficeretur, quum Deus tam insignes notas objiceret ejus oculis, quæ ipsum deducerent ad considerandam ejus gloriam. Ergo quod de symbolo reconciliationis adducunt interpretes, prorsus est intempestivum. *Vidi* ergo *speciem arcus*, inquit, *qui fit* vel qui est *in nube in die pluviæ*. Si quis roget an colores illi sint sine substantia, certum est ex radiis solis fieri colores illos in nube cava, quemadmodum tradunt Philosophi. Ergo quum Propheta *arcum fieri dicit in die pluviæ*, simpliciter intelligit existere, vel prodire in medium, non quod colores illi habeant substantiam, quemadmodum jam dixi: sed radii solis dum ita reflectuntur inter se in nube cava, reddunt tam multiplicem varietatem. Postea addit rursum *tanquam aspectum splendoris in circuitu*. Iterum Propheta fatetur oculos sibi perstrictos fuisse, quia ferre non potuit tantum splendorem. Et Deus ita familiariter se patefecit omnibus servis suis, ut tamen non

ipsa aleret eorum curiositatem, ad quam plus æquo propensi sunt homines. Voluit igitur Deus se patefacere, quoad utile erat, non autem quoad ferebat hominum cupiditas, quæ semper sua intemperie fertur. Quoniam ergo homines ita exæstuant, ut facile debilitentur, tenendum est quod iterum inculcat Propheta, nempe *apparuisse aspectum splendoris in circuitu.* qualis autem fuit ille splendor? nempe qui perstringeret oculos Prophetæ, ita ut conscius suæ debilitatis non plus scire appeteret quam fas erat, sed Deo se modeste subjiceret. Tandem dicit *hanc fuisse visionem similitudinis gloriæ Jehovæ:* quibus verbis confirmat quod ante admonui, nempe sic conspectam ab ipso fuisse Dei gloriam, ut Deus non apparuerit qualis est, sed qualis conspici poterat ab homine mortali. Si enim Angeli contremiscunt ad Dei aspectum, imo velati sunt alis suis, quid nobis fiet, qui reptamus in terra? Tenendum igitur est, quoties Deum viderunt Prophetæ, & sancti Patres, vidisse *quasi similitudinem vel aspectum gloriæ Dei,* non autem vidisse gloriam ipsam: neque enim idonei erant: & hoc esset metiri pugillo nostro centum & mille cælos, & terras, & mundos. Deus enim immensus est. Ergo quum cæli cælorum ipsum non capiant, quomodo mens nostra ipsum caperet? Sed quamvis Deus nunquam visus fuerit in sua immensa gloria, denique nunquam se patefecerit qualis est, tenendum nihilominus sic apparuisse, ut nihil dubitationis relinqueret servis suis, quin scirent se Deum vidisse. Et huc pertinent loqutiones quæ alioqui
Genes. 32. duræ viderentur, Vidi Deum facie ad faciem. an Ja-
vers. 30. cob adeo fuit stolidus, ut putaret se Deum vidisse tanquam hominem mortalem? minime: sed aspectus ille referri debet ad certitudinem: quasi diceret sibi non fuisse oblatum aliquod spectrum, in quo posset hallucinari: quemadmodum diabolus nos deludit, nisi attenti simus ad cavendum. Ergo Jacob illic distinguit visionem qua potitus erat, ab omnibus præstigiis, in quibus sibi placebant profanæ gentes. Familiaris ergo notitia dicitur aspectus facie ad faciem. Interea, quemadmodum dixi, nunquam Deus se conspiciendum Patribus dedit, nisi pro ipsorum modulo. Semper enim respexit qualis esset eorum facultas. Huc tendit nunc Propheta, quum dicit *hanc visionem fuisse splendoris gloriæ Jehovæ.* Quum autem certum sit, Christum fuisse ab eo conspectum, est ille Jehovah, hoc est, Deus æternus: & quanquam distinctus est à persona Patris, totus tamen Deus est, qui in ipso est Pater: neque essentia nisi impie discerpitur, quamvis sit distinctio inter personas. Reliqua differam in diem crastinum.

Da omnipotens Deus, quando nos pro immensa tua bonitate tanto honore dignatus es, ut postquam in terram descendisti in unigeniti Filii tui persona, familiariter quotidie nobis appares in Euangelio tuo in quo vivam tuam imaginem contemplamur, ne abutamur ad vanas curiositates tanto beneficio: sed vere transfiguremur in gloriam tuam, & ita magis ac magis proficiamus in renovatione mentis nostræ, & totius vitæ, ut tandem colligamur in beatam illam & æternam gloriam, quæ nobis parta est per unigenitum Filium tuum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXTA

IN

EZECHIELEM.

POstquam recitavit Propheta visionem quæ ad confirmationem vocationis ejus spectabat, nunc addit *se cecidisse super faciem suam:* quibus verbis docet se fuisse certo persuasum de manifestata Dei gloria. Nam sola Dei cognitio nos vere humiliat. Quanquam simul docet Propheta non posse homines cogi in ordinem, donec prostrati fuerint. Neque enim tantum dicit se paratum fuisse ad excipienda Dei mandata, nec docilitatem suam commendat: sed potius significat se quasi violenter fuisse dejectum. Neque enim prorsus exuerat affectus carnis. Scimus autem ingenitam nobis esse confidentiam. Ergo quia naturaliter Propheta non satis fuisset compositus ad obedientiam Dei, oportuit ipsum metu dejici, ut tandem sponte humiliaretur. Jam adjungit,

Cap. II.

ET dixit ad me, Fili hominis, sta super pedes tuos, & loquar tecum.
2. Et venit in me Spiritus quum loqueretur ad me, & statuit me super pedes meos, & audivi loquentem ad me.

Hic narrat Propheta se Dei jussu fuisse erectum. Neque enim Deus suos prosternit, ut relinquat jacentes in terra, sed continuo post ipsos attollit. Quantum ad reprobos spectat, sic terrentur Dei conspectu, ut prorsus concidant, nec resurgant. Fidelium autem alia est ratio, quia corrigitur in ipsis carnis superbia: deinde porrigit illis Deus manum, & ipsos restituit quasi è morte in vitam. Et hoc discrimen diligenter notandum est, quia videmus impios sæpe expavescere ad Dei vocem. Quod si contumaciter ipsum loquentem spernant, terrentur tamen ejus manu, ubi apparent aliqua iræ & vindictæ ejus signa: sed manent exanimes. Fidelibus etiam commune est expavescere ad Dei vocem, sed alius est ac longe diversus finis, quemadmodum hic videmus: quia postquam Deus ipsos humiliavit, jubet bono esse animo, & ostendit sibi nihil aliud fuisse propositum, quam ut ipsos stabiliret sua virtute. Interea simul Propheta docet, hac voce nihil fuisse effectum, donec Spiritus accessit. Deus quidem efficaciter operatur per suum sermonem: sed tenendum est efficaciam non esse inclusam in sonitu ipso, sed prodire ab arcano Spiritus instinctu. Utrumque ergo nunc Propheta ostendit: ab una parte refert *se audiisse vocem Dei, ut staret super pedes suos.* Deus ergo voluit ipsum animare ad fiduciam. Sed simul adjungit, nondum se fuisse erectum voce illa, donec *Spiritus ipsum statuit super pedes.* Conjungitur ergo hic operatio Spiritus cum sermone Dei. Sed distinctio interea ponitur, ut sciamus sermonem externum nullius per se momenti esse, nisi animetur Spiritus virtute. Si quis objiciat, supervacuum igitur esse sermonem, quia per se non est efficax: solutio in promptu est, quoniam Deo placet hunc tenere modum in

agendo, non esse cur obstrepamus. Sed responsio clarior nobis suppetit, quamvis Deus operetur semper in cordibus hominum per Spiritum, tamen sermonem non esse absque fructu: quia sicuti Deus illucet
Jacob. 1. vers. 17. nobis per solem, & tamen ipse solus est Pater luminum, & splendor solis nihil prodesset nisi quatenus utitur Deus illo instrumento: sic etiam tenendum est de sermone, quia Spiritus sanctus penetrat in corda nostra, illustrat mentes. Residet igitur penes ipsum Spiritum omnis agendi virtus. Et ideo tota laus in solidum ad Deum referri debet. Interea quis prohibeat quominus utatur Spiritus Dei instrumentis? Tenemus ergo Deum ubi loquitur, simul addere Spiritus sui efficaciam, quoniam alioqui sermo esset infructuosus: & tamen sermonem non carere effectu, quia conjungi debet instrumentum cum ipso auctore actionis. Hæc autem doctrina sic breviter exposita sufficere potest ad refutandas stultas objectiones, quæ volitant in ore multorum, dum liberum hominis arbitrium jactant:, dicunt posse nos vel audire sermonem qui profertur, vel respuere. Atqui videmus quid dicat Propheta. Si quisquam nostrum idoneus est ad præstandum Deo obsequium, Propheta certe excelluit in hac parte: & tamen sermo Dei nihil efficaciæ apud ipsum habuit, donec Spiritus vires contulit *ut surgeret super pedes suos*. Hinc ergo colligimus quidquid præcipiat Deus, non esse penes nos facultatem parendi, nisi ab ipso proveniat. Jam sequitur,

3. Et dixit ad me, Fili hominis, mitto te (*ad verbum, mittens ego te*) ad filios Israël, ad gentes rebelles, (*vel defectrices*) quæ rebellarunt (*idem est verbum*) in me: ipsi & patres eorum perfide se gesserunt erga me usque ad ipsum hunc diem.

Jam Propheta clarius explicat quorsum oblata fuerit visio cujus ante meminit, nempe ut auctoritate instructus posset liberius fungi munere Prophetæ apud Israëlitas. Scimus enim Deum sibi uni vendicare hunc honorem, ut audiatur in Ecclesia
Jesa. 33. vers. 22. sua: & merito. Neque enim frustra vocatur Legislator noster: & sapientia nostra nihil aliud est, quam
Jacob 4. vers. 12. pendere ex ejus ore. Quum ergo solus Deus sit audiendus, quisquis mortalium se ingeret, poterit repudiari, nisi Dei nomine veniat, ac fidem etiam faciat suæ vocationis, atque re ipsa comprobet se non loqui nisi Dei mandato. Ergo ne frustra operam luderet Ezechiel, oportuit ipsum insigniri divinitus; & id factum est visione. Nunc autem finem illum visionis clarius explicat. Hic notandum est, signa absque voce lusoria esse. Si tantum visio objecta fuisset Prophetæ oculis, & nulla vox Dei sequuta esset, quis fructus? Ubi autem Deus visionem confirmavit suo sermone, hinc factum est ut Propheta utiliter posset referre se vidisse Dei gloriam. Et hoc ad Sacramenta etiam transferri potest, quia si tantum signa ante oculos nostros versentur, erunt quasi mortua spectra. Sermo igitur Dei quodammodo Sacramenta vivificat, sicuti & de visionibus dictum fuit. Jam quod toties utitur Ezechiel hac loquendi forma, quod dicit *se vocatum filium hominis*, non dubito quin Deus voluerit antevertere, ne populus ipsum sperneret quasi unum ex vulgo. Tractus enim fuerat in exilium non sine ignominia. Quum ergo in speciem nihil à vulgo hominum differret, potuit ejus doctrina contemni & repudiari. Deus autem occupat, & per modum concessionis vocat ipsum hominis filium. Sed ex opposito significat non debere æstimari ejus doctrinam ab externo habitu, sed potius à vocatione. Verum quidem est tunc sermonem fuisse magis prolixum, & videmus quantopere distet Propheta noster à reliquis. Nam sermo ejus spirat aliquid exoticum. Fieri enim non potuit quin contraherent multa linguæ vitia quum essent in exilio. Et Propheta non fuit curiosus elegantiæ & nitoris. Sicuti ergo jam ad sermonem vulgarem assueverat, ita loquutus est. Sed non dubito quin Deus voluerit consulto proponere ipsum quasi gregarium hominem, & contemptibilem externo aspectu: interea vero ipsum attollere supra cunctos mortales, quia dignatus fuerat ipsum dono prophetiæ. Jam videndum est quomodo Deus ipsum comparet ad exequendum suum munus. *Mitto te*, inquit, *ad filios Israel, gentem rebellem, immorigeram*, vel gentem defectricem. Potuit hoc modo Propheta refugere, primo quum videret sibi injungi odiosam provinciam, sola difficultas potuit eum terrere. Sed accessit duplex tentatio, nempe quod videbat se descendere in certamen cum innumeris hostibus. Quotquot enim erant tunc Israëlitæ, eos provocabat quasi ad conflictum; hæc fuit gravissima tentatio. Altera autem, quod videbat non tantum se aquam verberare, ut vulgari proverbio dicitur: sed poterat etiam apud se reputare hanc esse profanationem doctrinæ cælestis, si loqueretur apud homines impios, & tantum in eum finem, ut magis ac magis eos exasperaret. Videmus ergo Prophetam hic nullam habuisse materiam secundum carnis sensum, ut se accingeret ad implendas suas partes. Si voluit Deus uti ejus opera, debuit spem aliquam fructus dare: vel saltem debuit tenere suspensum, ut incertus de eventu tentaret & omnia experiretur. Verum ubi primo difficultas hæc proponitur, quod negotium habebit cum gente perversa & immorigera: deinde quod trahitur in certamen tam odiosum: tertio quod jubetur quodammodo projicere sanctum canibus, & margaritas ante porcos: & ita prostituere quodammodo sermonem Dei: certe potuit centies animum despondere quum apud se hæc expenderet. Atqui consilium Dei tamen fuit, ipsum invicta constantia armare, ut pergeret in cursu suæ vocationis. Tenendum igitur principium est, ubi Deus vult nos ad parendum excitare, non semper promittere felicem exitum laboris: sed aliquando eo usque probare nostrum obsequium, ut velit nos contentos esse suo mandato, etiamsi labor noster sit ridiculus secundum homines. Interdum quidem indulget nostræ infirmitati: & quum jubet nos aliquod opus suscipere, simul testatur se non passurum ut labor noster pereat, & industria prorsus careat fructu: tunc ergo Deus nobis parcit. Sed sumit aliquando examen de suis quod dixi, nempe qualiscunque futurus sit eventus, ut tamen satis illis sit paruisse ejus mandato. Et ex hoc loco facile colligimus sic examinatum fuisse Prophetam nostrum. Idem etiam legimus de Jesaia. Nam ubi mittitur à Deo, non tantum audit se verba facturum apud surdos, sed durius est longe quod Deus proponit: Eas, inquit, excæca cor po- *Jesa. 6.*
puli hujus, aggrava aures, & cor obstina. Non tan- *v. 9, 10.*
tum ergo videt Jesaias se fore expositum ludibrio, quia nihil proficiet suo labore, sed videt sermonem suum non alio spectare, nisi ad excæcandos Judæos: nisi denique ut bis & ter pereant. Atqui satis erat unus interitus. Sed quemadmodum jam dixi, Deus aliquando servos suos ita vult acquiescere suo imperio, ut laborent etiam absque ulla spe fructus. Et hoc diligenter notandum est. Quoties enim vocamur à Deo, antequam nos accingamus veniunt in mentem istæ cogitationes, Quis tandem erit finis? & quid consequar meo labore? Ubi autem exitus non apparet ex voto animi nostri, despondemus animos. Atqui hoc est abrogare Deo partem imperii sui. Quamvis enim labor noster sit inutilis, satis est gratum esse ipsi Deo. Ergo

dilca-

discamus relinquere eventum in manu Dei, ubi aliquid nobis injungit. Et quamvis totus mundus nos derideat, quamvis etiam desperatio ipsa nos ignavos reddat, animos tamen colligamus, & enitamur quidquid sit: quia sufficere nobis debet, obsequium nostrum gratum esse Deo. Hac ratione dicit 2 Cor. 2. v. 15, 16. Paulus Euangelium, quamvis sit odor mortis in mortem, suaviter tamen olere coram Deo. Quum dicitur Euangelii doctrinam esse mortiferam, posset statim suggerere nobis sensus noster nihil esse melius, quam eam relinquere. Ergo Paulus occurrit, & dicit non debere fieri judicium de Euangelio ab ipso successu. Quamvis ergo non tantum surdi maneant homines, sed etiam in deterius labantur, imo ruant præcipiti furore adversus Deum: Euangelium tamen semper suavem odorem coram Deo retinere. Eodem spectat Prophetæ doctrina. Jam si quis objiciat Deum crudeliter agere, dum ita homines data opera excæcat, ut ter & quater pereant qui jam satis erant perditi: responsio in promptu est, Deum generaliter sermonem suum proferre bonis & malis, sed operari per Spiritum suum in electis, ut dictum fuit: quantum ad reprobos spectat, utilem esse doctrinam, ut reddantur inexcusabiles; deinde ut frangatur eorum contumacia: quia sponte recusant cedere Deo, necesse est ut victi succumbant. Deus ergo quum ita præfractos videt esse reprobos, conterit malleo verbi sui. Deinde tandem omnem ignorantiæ excusationem ipsis tollit quia convicti sua conscientia velint nolint sunt sui judices, & os illis obstruitur. Quamvis autem non desinant Deo obstrepere, tamen urgentur ipsius judicio. Quamvis ergo hoc videri possit absurdum, quod Deus Prophetas suos mittit ad excæcandum populum: tamen reverenter suspiciendum est consilium ejus, etiamsi causa ad tempus nos lateat. Sed, ut jam dixi, aliqua ex parte agnoscimus cur Deus ita luctetur cum præfractis & immorigeris hominibus. Jam vero quum statim ab exordio monetur Ezechiel de eventu, minime dubium est quin Deus voluerit paratum descendere ad exequutionem sui muneris, ne ullis obstaculis cederet. Nam qui videntur alioqui esse satis voluntarii ad parendum, ubi tamen occurrunt illis difficultates & obstacula, resistunt in medio cursu: multi etiam retrocedunt. Et videmus quosdam ita renunciasse suæ vocationi: quia conceperant magnas spes & præclaras. Ubi autem eventus non respondet eorum sententiæ, putant se esse defunctos, imo obmurmurant Deo, & abjiciunt onus, vel potius excutiunt quod illis impositum fuerat. Quia ergo multi resiliunt ab incepto cursu ubi non experiuntur sibi succedere ut finxerant, vel præsumpserant animis: ideo antequam Ezechiel loqui incipiat, Deus prævenit ejusmodi tentationes, & admonet fore negotium cum præfracto populo. Dicit autem *filios Israel esse gentes defectrices*. Nam מרד significat deficere, significat etiam rebellare, vel resistere: conveniet satis nomen rebellis. *Mitto igitur te ad gentes rebelles*: quia continuo post sequitur verbum מרדו, hoc est, *quæ rebellarunt contra me*. Scimus apud Judæos nomen hoc esse probrosum. Nam quoties nos appellant גוים, perinde est acsi vocarent Profanos, rejectitios, & prorsus alienos à Deo: denique nomen hoc גוים sonat illis pollutionem, & fœtorem. Sumus ergo Judæis quasi sterquilinium, & excrementa mundi, quia sumus גוים: Nec dubium est quin jam hæc superbia occupaverit populi animos tempore Prophetæ. Deus autem nominat ipsos *gentes rebelles*. Fateor quidem accipi aliquando in bonam partem: sed quia sæpius Scriptura גוים appellat extraneos, & qui participes non erant fœderis Dei, hinc nota probri & ignominiæ apud Judæos. Minime ergo dubium est, quin hic Deus voluerit delere honorificum titulum, quo ipsos insignierat. Nam erat gens sancta, & regnum Sacerdotale. Quum ergo Deus vocat ipsos גוים, perinde est acsi diceret jam exutos esse omni illa dignitate, qua prius excelluerant, & nihil differre à gentibus profanis & rejectitiis: quemadmodum etiam talis descriptio habetur apud Hoseam. (Hosea 1.) Jubetur enim Propheta sumere uxorem meretricem. Dicit se genuisse filium & filiam. filium vocasse לא־עמי, quia non esset populus Dei. Deinde filiam vocasse Non dilectam. Illa visione ostendit Propheta Judæos esse abdicatos, ut jam Deus non censeat ipsos pro filiis, sed tanquam extraneos rejiciat. Sic etiam hoc loco abdicatio notatur, quum Propheta dicit ore Dei vocatos fuisse Gentes. Utitur etiam plurali numero, quo melius exprimat defectionem grassari per totum populum. Nam si pauci duntaxat fuissent tales, poterat Propheta animum colligere. Sed Deus hic pronunciat gravissimam sententiam, quod totus populus tam in genere, quam in singulis partibus sit populus rebellis. Hæc igitur ratio est pluralis numeri. Sed quæritur, an ne unus quidem residuus fuerit in populo illo, qui Prophetæ doctrinam amplecteretur? Solutio facilis est, non hic spectari singulos, sed haberi sermonem de toto populo. Nam quoties ita loquuntur Prophetæ, dum scilicet vocant Israëlitas degeneres & spurios, vocant filios Sodomæ & Gomorrhæ, vocant progeniem Chanaan, in promiscuam multitudinem invehuntur. (Jesa. 57. vers. 3. & 1. 10. Eze 16. vers. 3.) Habebant enim certe paucos discipulos, qui non poterant conjici in illum ordinem. Sed tenendum est quod dicitur Jesaiæ octavo, Liga testimonium meum inter discipulos meos. (Jesa 8. vers. 16.) Illic Propheta jubetur quasi seorsum alloqui fideles, quorum exiguus restabat numerus, & ita alloqui acsi literæ essent clausæ & obsignatæ. Promulgat autem illum sermonem toti populo. Sic etiam quum Deus pronunciat filios Israel *esse gentes rebelles*, respicit ad ipsum corpus populi. Interea autem minime dubium est, quin semper semen aliquod Deus servaverit, quamvis occultum. Tunc Daniel erat in exilio cum suis collegis, ille certe non fuit rebellis Deo: sed quemadmodum jam dixi, satis est grassatam fuisse impietatem passim in toto populo. Dicit autem Deus se satis expertum antehac fuisse qualis esset populus: *rebellarunt*, inquit, *mihi*: quibus verbis significat, se non facere periculum quasi nesciret qualis esset ille populus. Dicit ergo sibi multis experimentis compertam fuisse ejus perviaciam, & tamen dicit *se mittere*, quia voluit quemadmodum jam dixi, excutere illis omnem ignorantiæ excusationem: deinde voluit frangere eorum contumaciam, quæ alioqui erat indomabilis. Dicit, *Tam ipsi quam patres eorum perfide se gesserunt contra me usque ad hunc diem*. Non extenuat eorum crimen, quum dicit imitari patrum exempla, sed potius amplificat illam populi impietatem, quum dicit non incipere nunc primum, sed progenitos fuisse ab impiis parentibus: quasi diceret esse mala ova malorum corvorum, sicuti fertur vulgari proverbio. Cæterum, hinc apparet nihil ad prætextum erroris valere quum patres objicimus, sicuti hodie hunc clypeum Papistæ Deo opponunt. Nam dum habent patres in ore, existimant hoc satis valere ad defensionem omnium impietatum. Atqui videmus non tantum pro nihilo hoc duci apud Deum, sed inde magis exaggerari crimen, ubi filii causam obstinationis sumunt ex malis patrum exemplis. Neque enim Propheta duntaxat docere vult frivolum esse hunc colorem, si Judæi objiciant se formare vitam ad patrum imitationem: sed ut videmus; ostendit his damnandos esse, quia non destiterint statim ab initio provocare Deum: atque ita continua serie omnibus seculis impietas apud ipsos, & contemptus cælestis doctrinæ prævaluerit. Cæ-

terum,

terum, admonet hic locus non abutendum esse longa Dei tolerantia. Nam quum Prophetam suum misit, videmus in quem finem. Jam addictus erat populus ultimo exitio: sed voluit Deus altius ipsum demergere usque ad ultimas abyssos. Cavendum igitur est ne quid simile nobis contingat, si manemus obstinati. Ergo ubi Deus Prophetas alios aliis submittit, necesse est nos revocari ad pœnitentiam: ac videndum est ne sermo, qui proprie destinatus est in salutem hominum, nobis sit odor mortis in mortem, sicuti fuit veteri populo. Sequitur,

4. Et filii duri facie, & robusti corde: ego mitto te ad eos, & dices illis, Sic dicit Dominator Jehovah.

5. Et ipsi sive audiant, sive desistant: quoniam domus rebellionis ipsi: & scient (*copula tamen hic abundat, & resolvi debet in adverbium temporis, vel in adversativam particulam, tamen scient*) quod Propheta fuerit inter ipsos.

Pergit Deus in eodem sermone, sed aliis verbis exprimit qualis fuerit rebellio populi, nempe quod non tantum essent corde obstinato & præfracto, sed etiam vultu contumaci. Duritiem ergo ponit tam in corde quam in facie. Sunt quidem diversæ voces קשׁ & חזק: & duros facie, possumus vertere improbos, vel contumaces (contumacia enim apparet in vultu) neque etiam male conveniet vertere impudentes. Sed tenenda est vocis proprietas: robustos autem corde dicere licebit præfractos. vel si magis placeat allusio, ita reddemus, præfractos facie (sicuti perfrictæ frontis vocantur improbi) deinde præfractos corde. Summa est, Judæos non tantum fuisse immorigeros Deo, & refertos superbo contemptu, sed ita desperatam fuisse eorum impietatem, ut non dissimulanter se Deo opponerent, quemadmodum si essent boves cornupetæ, vel tauri furiosi. Scimus hypocrisin sæpe latere in animis, & quamvis homines turgeant malitia, tamen ipsos non prodere quod intus alunt. Sed Propheta hic significat Israëlitas usque adeo projectos fuisse ad impietatem, ut in ipso vultu ostenderent se esse apertos Dei hostes. Summa est, Prophetam dum se accingit ad perferenda Dei mandata, sic debere secum statuere, quum ad populum accedet, suam doctrinam non modo fore inutilem quoad ipsos, quia non excipietur qua meretur reverentia: sed etiam fore expositam multis contumeliis: quoniam Israëlitæ non tantum occulto Dei contemptu essent referti: sed ostentarent palam suam feritatem, ut ita loquar, quum scilicet essent frontis tam perfrictæ, ut non dubitarent Prophetam quasi ex professo rejicere. *Sunt* ergo *filii duri*, & cætera, *ego tamen mitto te ad eos.* Hic rursus opponit Deus suum mandatum, ut Propheta simpliciter acquiescat in hoc solo verbo, quod scilicet divinitus sit missus. Quod si hominibus displiceat, contentus sit operam suam Deo probari. Huc igitur pertinet loquutio, quæ jam secundo repetitur, *mitto te ad eos.* Poterat enim excipere Propheta, Quid facturus sum? Nam si sunt corde chalybeo, & fronte ferrea, frustra luctabor. Deus autem ex opposito respondet, Prophetam non debere esse sollicitum, quia satis sit habere mandatum: quemadmodum si quis Princeps non exponat totum suum consilium Legato, & tamen jubeat ipsum legatione fungi: ita Deus agit cum servo suo. Videmus ergo ut hic Deus suam auctoritatem magnificiat. Et hoc diligenter notandum est, ne semper velimus cum eo pacisci, quemadmodum solemus. Nisi enim Deus ostendat præsentem laboris nostri fructum, languemus: atque adeo conamur, tergiversando nos ab imperio ejus eximere. Deus autem hanc particulam opponit, *Ecce ego mitto te.* Reliqua in diem crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hodie dignatus es nos hac prærogativa, ut quotidie sermo tuus auribus nostris insonet: ne reperiat corda lapidea, & mentes ferreas: sed qua oportet docilitate nos ita tibi subjiciamus, ut vere sentiamus te nobis esse Patrem: & confirmemur in fiducia adoptionis nostræ quamdiu perseveras nobiscum loqui, donec tandem fruamur non tantum voce tua, sed etiam conspectu gloriæ tuæ in regno cælesti, quod nobis acquisivit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO SEPTIMA IN EZECHIELEM.

Postquam Deus servum suum admonuit quam difficile munus susciperet, jam ipsum confirmat, & hortatur ad invictam libertatem, *tu*, inquit, *dices*, *Sic loquitur Deus*: perinde acsi diceret, hoc unum satis valere ad superanda omnia obstacula, quod Dei negotium gerat. Neque enim hic Deus certa dat mandata: id postea faciet suo loco: sed generalis loquutio est. *Sic dicit Jehovah*, hoc est, nihil profero ex meipso, sed fideliter recito quæ Deus mandavit. Videmus ergo quorsum tendat Deus, nempe nomen suum opponit contumaciæ populi, & jubet Prophetam ubi auctoritate hac instructus fuerit, esse forti & intrepido animo, quamvis habeat graves & duros hostes. Postea adjungit, *Sive audierint, sive destiterint, tamen cognoscent quod fuerit Propheta inter ipsos.* Hic rursus hortatur Deus servum suum ad perseverantiam, qualiscunque sit eventus laboris. Nam si ex animi sententia non succedit, proclives sumus ad desperationem. Deus autem vult nos pergere in officii nostri cursu, etiamsi infeliciter omnia cedant. Cæterum ostendit aliquem fore laboris fructum, utcunque populus pro sua pravitate rejiciat quidquid dictum fuerit. Nam hæc cogitatio frangit animos servorum Dei, ubi nullam cernunt utilitatem sui laboris. Semper enim cupimus facere aliquod operæpretium. Deus ergo hic significat alium esse doctrinæ fructum, quam ut hominibus salutem adferat: nempe quia hoc modo tollitur omnis prætextus erroris, & detegitur eorum impietas, qui libenter integumenta captarent. Hypocritæ enim etiamsi volentes & scientes pereant, tamen existimant se excusabiles, nisi Deus lucem doctrinæ suæ opponat. Summa igitur est, quamvis non prosit Israëlitis doctrina Prophetæ, fore tamen utilem alio modo, nempe quia *sentient tandem fuisse apud eos Prophetam.* Hoc modo nullus est defectus, quemadmodum quidam existimant abruptum esse sermonem Prophetæ. Videtur enim deesse principale verbum, ubi dicit *ipsi si audierint, & si destiterint: quia domus rebellionis ipsi: & cognoscent quod fuerit.* Diximus enim copulam debere in adversativam resolvi, *quod tunc tamen cognoscent:* nec efficient sua pervicacia, quin Deus ipsos convictos teneat. Discamus autem ex hoc loco, quamvis impii

furiose

furiose conentur respuere doctrinam Dei, ipsos tamen nihil aliud consequi, nisi ut suam malitiam magis ac magis prodant. Et hinc etiam discamus preciosam esse Deo suam doctrinam, nec ferre posse ut à nobis spernatur. Contemptus ergo cælestis doctrinæ nunquam impune cedet improbis: quia perinde est acsi pedibus calcarent inæstimabilem thesaurum. (Rom. 2. vers. 12.) Qui destituentur Lege & Prophetis non tamen effugient Dei manum, quia sufficit illis conscientia ad tollendam excusationem. Sed ubi Deus homines ad se invitat, & propius ad ipsos accedit, & peculiari modo seipsum offert illis in patrem & doctorem: si respuant tam præclarum beneficium, certe eorum ingratitudo ultima severitate digna est. Quoties ergo Deus excitat nobis Prophetas, & fideles doctrinæ suæ ministros, veniat nobis in mentem quod hic dicitur: nisi amplectamur tale beneficium, nos tandem cognituros fuisse nobis Prophetam, quia Deus horribilem vindictam exiget de contemptu tantæ suæ humanitatis. Nunc sequitur,

6. Et tu fili hominis ne timeas ab illis, & à sermonibus eorum ne timeas, quia rebelles sunt (*est quidem aliud verbum quam* מררים: *sed vertunt rebelles: forte aliud significat, quia non est in communi usu apud Hebræos*) & spinæ tecum, (*erga te*) & cum scorpionibus tu habitas: à sermonibus eorum ne timeas, & à facie ipsorum ne frangaris, quia domus rebellis ipsi *sunt*.

Hic rursus precipit Deus servo suo, ut fortiter perrumpat, etiamsi populus claudat sua malitia & improbitate omnes aditus. Quia autem sæpe metu territi deficimus, ideo Prophetam suum armat Deus inexpugnabili fiducia contra minas populi: deinde contra omnes sermones qualescunque sint. Rationem non aliam adfert, nisi quia *sunt domus rebellionis*, vel sunt gens rebellis & pervicax. Diximus autem, quamvis primo intuitu videri possit illud frigidum, tamen sufficere ad servos Dei animandos dum statuunt Deum nihil temere præcipere: ubi autem agnoscunt placere Deo, ut verba sua consumant apud surdos, hoc modo non desinunt partibus suis defungi, quamvis frustra se fatigent quoad mundum. Jam ubi etiam accedit illa cogitatio, Deum staturum ab ipsorum parte, duplicatur fiducia & animositas. Ita fit ut contemptis omnibus minis & terroribus, audacter exequantur suum officium. Hac igitur ratione nunc dicit, *tu fili hominis ne timeas ab ipsis, & à sermonibus eorum ne timeas*. Per sermones non simpliciter minas intelligo, sed etiam calumnias, quibus scimus gravatos fuisse servos Dei. Hypocritæ enim insurgunt magna confidentia, & queruntur sibi fieri injuriam: deinde proterve etiam ingerunt nomen Dei: quemadmodum hodie Papistæ non tantum minas evomunt, quibus nos conturbent: sed fastuose jactant se esse Ecclesiam, & hoc confirmant perpetua successione: deinde Ecclesiam nunquam deseri à Spiritu sancto: ergo fieri non posse ut unquam Deus ipsos deseruerit. Videmus ergo domesticos hostes Dei non tantum minaciter loqui contra Dei servos, sed simul adducere multos falsos prætextus, quibus onerent veros & fidos Prophetas invidia & odio. Utcunque ergo aliquid coloris habeant tales calumniæ, quemadmodum injuste nos premunt hostes veritatis: Deus jubet nos pergere invicta fortitudine. *Ne timeas* ergo *ab ipsis*, inquit, *& ab ipsorum sermonibus*. Et quoniam paulo post repetitur eadem loquutio, hinc colligimus Deum non aliquid vulgare proferre. Observatu igitur dignum est, quod Deus semel & bis pronunciavit non esse metuendos sermones eorum, qui jactant se esse Ecclesiam Dei, & non dubitant petulanter objicere sacrum ejus nomen quasi per ludibrium. Quum ergo auctore Deo spernere liceat ejusmodi sermones, non est cur hodie Papistæ nos dejiciant, quum plenis buccis detonant nomen Ecclesiæ, & auctoritatem Apostolicam. Neque enim tribuitur Deo justus honor, nisi in ordinem cogatur omnis mundi altitudo, ut sola doctrina, quæ profecta est ex ore Dei, emineat. Jam adjungit, *quia*, vel tamen: nam particula hæc causalis potest adversative resolvi, *utcunque sint rebelles, & spinæ, utcunque habites inter scorpiones, tamen ne timeas ab ipsorum sermonibus, & ne à facie eorum frangaris*. חתת significat frangi & conteri: sed transfertur etiam ad animum: & hic metaphorice accipitur pro frangi animo: quasi dictum esset, sis intrepidus ad excipiendas omnes tam minas, quam calumnias: *quia domus sunt rebellionis*. Docet autem hic locus nullos esse idoneos ad obeundum munus Propheticum, nisi qui armati erunt fortitudine ad perseverandum, quicquid acciderit, ita ut non expavescant ad ullas minas, neque etiam titubent aut vacillent dum gravantur injustis calumniis. Et ideo Paulus (2 Cor. 6. vers. 8.) dicit se progressum fuisse per infamiam & bonam famam, quia male audiebat ab improbis quamvis indigne. Quisquis ergo se fideliter parare volet ad munus docendi obeundum, instructus sit tali constantia, ut opponat quasi frontem ferream omnibus calumniis, omnibus maledictis, omnibus denique minis & terroribus. Nec vero dubium est quin valde exacerbati fuerint Israelitæ, quum audirent se vocari *spinas & scorpiones*. Sed ita oportuit pungi, quoniam si tantum intenti fuissent in hominem mortalem, poterant longe petulantius se projicere. Sed quum Deus pronunciat *ipsos esse scorpiones & spinas*, & vident Prophetam audacter & sine dubitatione proferre ejusmodi mandata, necesse est vel impelli ad furorem, vel obmutescere. Quum autem certaverint usque ad ultimum sua obstinatione & duritia, Deus tamen tandem effecit, ut pudefacti cederent: quia prævaluit veritas, cujus minister erat Propheta tanta fortitudine animi præditus. Et videmus etiam ex hoc loco Prophetas sæpe loquutos fuisse asperius, quum ita exigeret hominum improbitas, quibuscum illis erat negotium. Neque tamen vel aliquo excessu correpti sunt, vel intemperanter invecti sunt contra suos adversarios. Sed non poterant alio modo asserere suam doctrinam contra improbos, qui diabolico furore impulsi cum Deo ipso certabant. Tenendum igitur est, quamvis fuerint sævi & atroces lingua, spirasse tamen corde meram humanitatem. Nam Propheta noster non fuit homo barbarus, qui indignatione percitus atrociter evomeret convitia contra populum suum: sed Spiritus Dei, ut videmus, dictavit quicquid posset videri nimis durum auribus teneris & delicatis. Sequitur,

7. Et proferes verba mea (*pronunciabis sermones meos*) ad ipsos, si audierint & si destiterint, (*hoc est, sive audierint, sive recusaverint audire*) quia (*vel certe*) rebelles sunt. (*sive homines rebellionis*)

Iterum repetit quod dixerat, sed verbis paululum mutatis. Summa tamen eadem est; ne Propheta in medio cursu subsistat, si viderit se non consequi quod esset optandum, & quod sperabat. Nam ubi aggredimur quod Deus præcipit, debemus quidem bonam spem concipere, deinde optare ut aliquis fructus

fructus laboris nostri appareat. Possumus ergo concipere & spem & vota: sed si aliter quam putavimus eveniat, debemus tamen exitum ipsum relinquere in manu Dei, & prosequi usque ad metam quod nostræ vocationis est. In hunc finem tendit hæc sententia: *tu*, inquit, *proferes verba mea*, vel sermones meos pronunciabis, *sive audierint, sive destiterint*: hoc est, etiamsi surdis canas fabulam, ut loquuntur, tamen ne desinas proferre nihilominus verba mea. Et adjungit rationem, *quia sunt gens rebellis*. Præmonet autem servum suum Deus non esse cur reflectat cursum, quamvis infructuosum videat suum laborem, quia debeat hoc semel cum animo suo statuere, quamvis nullæ sint aures, loquendum nihilominus Dei nomine. Certum quidem est ut heri attigimus, quosdam fuisse licet exiguo numero, apud quos utilis fuit doctrina: sed agitur hic de corpore populi. Discamus itaque, ubi Deus nos ad docendi munus vocat, non respiciendum esse quales sint homines. Nam si Deo placet nos exercere dum certemus cum rebellibus & præfractis: proferendus tamen est sermo ejus, quia ita præcipit. Sequitur,

8. Et tu fili hominis audi quæ ego loquor ad te, ne sis rebellis quemadmodum domus hæc: (*aut quemadmodum rebellis est domus Israël, subaudiendum est*) aperi os tuum, & comede quæcunque proposuero tibi.

Pergit Deus in confirmando servo suo: sed offendiculum subinovet quod poterat frangere Prophetæ alacritatem. Nam quum videret domum Israël esse tanta contumacia, centies potuit abjicere studium docendi. Deus ergo addit stimulos, & hortatur ad perseverandum, quamvis experiatur domum Israël ita perdita contumacia: *tu*, inquit, *audi quæcunque loquar ad te*. Hic videmus neminem posse fungi docendi officio, nisi quatenus profecit in Dei schola. Dei ergo discipulos esse oportet quicunque volunt censeri veri doctores. atque hoc primum est, ut Deum loquentem audiant. Deinde tollit offendiculum quod diximus, *ne sis rebellis sicut domus Israel*. Scimus enim multitudinem multum valere ad nos turbandos. Est enim quasi violenta tempestas, consensus totius populi: ubi omnes simul conspirant, etiam qui alioqui non mali sunt, feruntur tamen quodam impetu. Ergo quia multitudo abripere solet etiam servos Dei, hic occurrit Deus & frenum injicit Prophetæ suo: *ne sis rebellis*, inquit, *sicut domus Israël*. Jam non loquitur indifferenter de quolibet populo, sed de gente illa, quæ jactabat se divinitus esse electam, & gestabat in carne sua symbolum adoptionis. Deus tamen etiam vult negligi à Propheta suo consensum populi illius: quia scimus quam insolenter jactaverint Israëlitæ se esse sacrum Dei populum & peculiarem: eodem scilicet modo quo nunc exultant Papistæ, tunc proterviebat contra omnes Prophetas. Et ideo diligenter notandus est hic locus, quia hodie multi fere evanescunt ubi prodeunt in medium magnifici illi tituli. Sed sciamus esse meros fumos, quibus Satan nobis perstringere oculos conatur, dum falso objicit Dei & Ecclesiæ nomen. Debemus quidem ea modestia & veneratione excipere quidquid à Deo profectum est, ut simulatque in medium prodit nomen ejus, nos penitus afficiat: sed interea prudentia opus est ad discernendum, ne scilicet ubi Satan per ludibrium nomen Dei ingerit, obstupescamus. Afferenda igitur est discretio, cujus regulam hic nobis Deus ostendit. Nam si certo persuasi sumus, à Deo esse quam sequimur doctrinam & profitemur, possumus tuto non modo cunctos mortales, sed etiam Angelos ipsos quasi è sublimi despicere. Nulla enim est tanta excellentia, supra quam non emineat Dei veritas. Ergo quum olim Israëlitæ prætexuerint se esse Dei populum, & insignibus Ecclesiæ ornati fuerint, tenendum est, nomen Ecclesiæ esse frivolum, ubi hypocritæ in ea dominantur, vel potius exercent impiam tyrannidem, & sese Deo ejusque doctrinæ opponunt. Et hodie possumus locum hunc torquere adversus Papistas, imo dirigere, quoties objectant fumosos illos Ecclesiæ catholicæ & sponsæ Christi titulos: nempe dictum semel fuisse à Deo ipso, non debere nos esse rebelles, quamvis tota domus Israël rebellis sit: hoc est, quamvis conspirent inter se ad diabolicam contumaciam quicunque obtendunt Dei nomen, non tamen spectandum nobis esse quid illi faciant, ut subscribamus impiæ eorum conspirationi. Idem legimus apud Jesaiam cap. 8., Ne dixeris, Conspiratio, *Jesa. 8.*
in quibuscunque populus iste dicit, Conspiratio: ne *v. 12. 13.*
timorem eorum timueritis aut formidaveritis, sed sanctificate Dominum exercituum. Quem locum etiam citat Petrus, quia tunc Judæi qui pertinaciter *1 Petr. 3.*
oppugnabant Euangelium, labefactabant infirmos *v. 14. 15.*
sua jactantia, quum dicerent se esse Ecclesiam, & tamen rejicerent & abominarentur novam doctrinam, quæ tunc proferebatur: citat Petrus locum illum Prophetæ, nempe quamvis domus Israël impie conspiret adversus Deum, spernendam esse talem contumaciam. Postea adjungit Propheta, Ecce *Jesa. 8.*
ego & pueri quos mihi dedit Deus in signum & por- *vers. 18.*
tentum. Dicit ergo pauculos illos, qui pure Deum colebant & se subduxerant à communi impietate, fuisse similes portentis, & habitos fuisse quasi monstrosos homines. Accommodat autem auctor Epi- *Hebr. 2.*
stolæ ad Hebræos locum illum ad regnum Christi, *vers. 13.*
nec frustra. Nam hodie quoque sumus in portentum Dei hostibus, qui sese audacter, imo perdita impudentia efferunt contra puram Euangelii doctrinam. Sumus illis hæretici, schismatici, canes, denique sterquilinium mundi. Sed quamvis simus illis in signa & portenta, sufficiat nobis nos agnosci à Deo: quia necesse est nos separari ab impia illa conspiratione, nisi velimus à Deo ipso separari. Quid enim est consensus cum Papistis, vel conjunctio cum illa fæce, nisi dissidium à Deo ipso? Ergo quia non possumus alia lege porrigere hodie manum Papistis, & colere cum ipsis fraternam concordiam, nisi Deum abnegemus: facessat omnis ille maledictus consensus: & discamus nos forti animo ab ipsis separare, quemadmodum videmus diserte sub Prophetæ persona nobis omnibus mandari. Dixerat autem paulo ante, Prophetam habitare in medio ipsorum: & hoc diserte expressum fuit ut magis sollicite sibi caveret. Nam inter spinas & inter scorpiones ambulare difficile est, quin pungamur, & quin scorpiones nos feriant virulenta sua cauda. Deus tamen jubet nos ita esse attentos, ut inter spinas ambulando non pungamur ab ipsis: deinde ut nos non attingat venenum scorpionum. Hoc autem fiet si prudentiam quæ nobis non suppetit, è cælo petamus. nam si nos gubernet Dei Spiritus, intactos servabit ab omni serpentum morsu, & ab omni læsione & noxa. Sequitur, *Aperi os tuum, & comede quidquid proposuero tibi.* Hic crasso symbolo Deus Ezechielem confirmat in sua vocatione. Jubet enim *librum comedere*: quod in visione impletum fuit. Utitur Jeremias eadem metaphora capite 15. sed aliquid est diversum, quia Pro- *Jere. 15.*
pheta noster sibi visus est comedere volumen illud: *vers. 16.*
Jeremias autem tantum significat se concoxisse Dei sermones tanquam cibum, non tantum gustasse lingua, atque ita defixos fuisse penitus in animo, ut probe concoqueret ac digereret. Deus autem voluit alio modo Prophetam nostrum confirmare, nempe quum volumen illi porrexit, ac jussit comedere. Minime autem dubium est quin volumen illud comprehenderit quæcunque postea Spiritus Dei dictavit

Pro-

Prophetæ. Sed perinde fuit acsi Deus ex homine mortali faceret organum Spiritus sui: quasi diceret, Jam nihil proferes humanum vel terrestre, quia proferes quæ Spiritus meus jam conscripsit in hoc libro. Hic autem videmus discrimen inter veros Dei servos, qui serio munere suo funguntur, & inter homines garrulos, quibus satis est pollere facundia, vel potius dicacitate. Sunt enim multi diserti, qui evomunt quæ nunquam tamen conceperunt animis. Sed doctrina illa prorsus evanida est. Et huc spectat

usque

etiam quod dicit Paulus, regnum Dei non esse in sermone, sed in virtute. Qui autem vere Deo se consecrarunt, non tantum discunt quod loquantur: sed ut cibus comeditur, ita etiam in se suscipiunt Dei sermonem, & recondunt in penitissimos cordis sui recessus, ut deinde cibum probe concoctum inde proferant. Nunc ergo tenemus cur Deus voluerit Prophetam comedere librum, de quo etiam postea sequitur. *1 Cor. 4. vers. 20.*

9. Et aspexi, & ecce manus emissa ad me; & ecce in ea volumen libri.

10. Et explicuit coram facie mea, & ecce sctiptum erat volumen à facie & retro: (*hoc est, à facie & à tergo*) & scriptura (*quod scriptum erat in ipso*) lamentationes, & carmen, & væ.

Nunc plenius docet Propheta quorsum illud spectaret quod ante diximus. Narrat igitur sibi *oblatum fuisse volumen libri*, hoc est, librum fuisse oblatum in formam voluminis. Nam nomen מגלה quod usurpat, deductum est à גלל volvendo: sicuti etiam volumen apud Latinos. Solebant autem olim in voluminibus scribere, hoc est, non habebant talem formam librorum sic compactam vel concinnatam, ut nobis nunc est in usu: sed habebant volumina, quos barbari vocarunt rotulos. Et veteres etiam chartæ scriptæ sunt hoc modo: nihil est vetustum in Principum Archivis, quod non sit scriptum in voluminibus. Et inde etiam illud, In volumine libri scriptum est, &c. Jam ergo dicit Propheta *oblatum sibi fuisse tale volumen, ut comederet*: sed dicit *oblatum à manu quæ emissa fuit*. Hoc autem symbolo clarius ostendit Deus volumen non fuisse conflatum in aëre, nec fuisse alibi natum quam in cælo. Nam si tantum vidisset Propheta volumen sibi occurrere, poterat adhuc disceptare secum, an emissum esset à Deo nec ne. Ubi autem apparet manus quæ volumen profert, & manus emissa, nempe à Deo, illic nihil deest ad plenam & solidam certitudinem. Dicit *postquam volumen fuit explicitum, se vidisse scriptum ab utraque parte*: quibus verbis intelligit non breve aliquod mandatum sibi fuisse datum, sed longitudinem multi temporis fuisse impositam. Nam si tantum loquutus esset de volumine, poterant Judæi contemptim rejicere ipsum post tres vel quatuor dies acsi ad finem ventum esset: Tibi quidem propositum fuit volumen: sed jam ter & quater loquutus es: nonne hoc sufficit? Ergo Propheta ut fastidio occurrat, dicit *volumen illud scriptum fuisse à fronte & tergo*. Jam dicit etiam quale esset argumentum: *scriptæ erant tantum lamentationes*, inquit. הגה significat interdum meditationem atque sermonem simpliciter: sed hic quia subjicitur lamentationibus, minime dubium est quin sumatur pro carmine lugubri. Tandem additur הי, hei, est particula dolentis. In summa Propheta docet, doctrinam quæ in libro continebatur, non fuisse dulcem vel jucundam, sed plenam tristitia, quoniam scilicet illic Deus proferebat signa iræ suæ, ut inde non posset concipi nisi materia doloris, & lamentationum. Nunc ergo intelligimus magis ac magis exasperatos fuisse Israëlitas, quum Propheta diceret se non venisse nisi instar fecialis, qui bellum denunciaret nomine Dei: & interea nulla haberet pacis mandata. Quantum ad reliquum populum, videbimus quidem postea multis locis fuisse præconem misericordiæ Dei: sed oportuit expergefieri hoc modo Judæos, ut sentirent Deum sibi esse adversum: & Prophetam non alio fine sibi fuisse missum, nisi ut quasi armatus in medium prodiret, & fulminaret Dei ipsius nomine. Non possem nunc ulterius prosequi, & tamen quod sequitur cohæret.

Psal. 40. vers. 8. Hebr. 10. vers. 7.

Da omnipotens Deus, quando hodie dignaris nos ad te invitare cum paterni tui favoris testimonio; ne simus tanquam feræ bestiæ, sed placide nos tibi subjiciamus, & ita sequamur quo nos vocas, ut reipsa sentiamus te nobis esse Patrem: & sic degamus sub protectione manus tuæ quamdiu peregrinamur in hoc mundo, ut tandem collecti in regnum tuum cæleste, tibi in solidum adhæreamus, & unigenito Filio tuo, qui est felicitas & gloria nostra, Amen.

PRÆLECTIO OCTAVA IN EZECHIELEM.

CAP. III.

ET dixit mihi, Fili hominis, quod inveneris comedendo comede, volumen hoc; & vade, loquere ad domum Israël.

2. Et aperui os meum, & pavit me volumine isto.

QUum jubet eum comedere quicquid nactus erit, non debet hoc extendi ad res quaslibet quæ occurrent: sed qualiscunque sit gustus libri, vetatur Propheta eum refugere. Potuit enim acerbitas vel amaritudo efficere, ut minas Dei respueret. Denique tantum notatur libri qualitas, quia non nisi tristem materiam continebat. Subjicit *se os aperuisse* parendi causa: quo significat non fuisse curiosum vel lautum in sapore quærendo, sed omissa disceptatione, se sumpsisse quod divinitus oblatum erat. Jam addit,

3. Et dixit mihi, Fili hominis, ventrem tuum pasce, & viscera tua reple (*replebis*) volumine isto, quod ego do tibi: & comedi, & fuit in ore meo tanquam mel in dulcedine.

Pro-

Prosequitur Ezechiel quod ante vidimus, nempe datum sibi fuisse volumen quod comederet: quia servi Dei debent loqui ex intimo affectu cordis. Scimus multos habere linguam satis volubilem, sed nihil aliud quam sese ostentant. Interea Deus etiam habet ludibrio eorum vanitatem, quia labor eorum
1 Cor. 4. vers. 20. caret fructu. Et ideo notandum est illud Pauli quod citavi, regnum Dei esse in virtute. Efficacia autem Spiritus sancti sese non exerit, nisi ubi qui vocatus est ad docendum, studium suum ad exequendum munus serio applicat. Hac igitur ratione jussus est Ezechiel *comedere volumen*. Jam dicit *sibi fuisse dulce instar mellis*. Atqui paulo ante retulit fuisse refertum maledictionibus. Ergo aut exuerat omnem humanitatem, aut debuit tangi mœrore, quum videret se præconem vindictæ Dei constitui. Sed alibi vidimus servos Dei fuisse duplici affectu præditos. Sic enim fuerunt rigidi & asperi quoties opus erat, ut tamen condolescerent misero populo. Sed dolor ille non obstitit quo minus fortiter pergerent in cursu vocationis suæ. Secundum hanc rationem nunc dicit Ezechiel *volumen sibi fuisse dulce*, quia acquievit Dei mandatis: & quanquam miserebatur populi sui, agnovit tamen fieri aliter non posse, & subscripsit justo Dei judicio. Itaque per nomen *dulcedinis* nihil aliud significat quam approbationem, quod scilicet amplexus sit injunctum sibi munus, & sic paruerit Deo, ut oblivisceretur omnis tristitiæ, quæ in libro continebatur: quia scilicet justitia Dei prævaluit, & quodammodo extinxit nimiam humanitatem, quæ alioqui poterat ipsum morari. Sic etiam loquitur
Jeremias cap. 15. Dicit inventos fuisse sermones Jere. 15. vers. 16.
Dei & factos sibi in gaudium & lætitiam cordis. Vidimus autem ipsum fuisse non modo anxium, sed valde tristem, quum reputaret instare populo ultimum interitum. Sed quemadmodum jam dixi, non male hæc duo simul conveniunt, nempe quod Prophetæ cupiant populum esse salvum, & quantum in se est impendant operam curandæ ejus saluti: interea polleant firma constantia, & non dubitent ubi ita necesse est, damnare populum, & proferre minas Dei, quæ illis injunctæ sunt: imo paulo post Jeremias dicit se repletum fuisse iracundia. Inventi sunt, inquit, sermones tui, & comedi eos, & mihi hoc cessit in gaudium & lætitiam cordis: quia invocatum est, inquit, nomen tuum super me, Jehovah Deus exercituum: hoc est, quia instructus fui Spiritus tui virtute, & sicuti vocatus sum ad hoc munus, ita etiam porrexisti mihi manum, ut bona fide & constanter possem exequi quod præceperas: ideo sermones tui fue-
runt mihi oblectamento. Postea adjungit, Neque vers. 17.
enim sedi in concilio derisorum, neque exultavi, nempe jugi excutiendi causa. Quandoquidem enim sensi tibi esse parendum, & fui quasi constrictus, ideo non sedi cum derisoribus: sed solus sedi, inquit, quia indignatione replevisti me. Nunc ergo videmus in uno homine fuisse duos affectus valde diversos & in speciem contrarios, quod indignatione fuerit repletus, & tamen lætitiam conceperit ex sermonibus Dei. Nunc addit Ezechiel,

4. Et dixit mihi, Fili hominis, vade (*ingredere*) ad domum Israël, & loquere ad eos in sermonibus meis:

5. Quia non ad populum profundos (*hoc est, profundum*) labiis, (*quia est nomen collectivum, ideo mutatur numerus: ad populum profundum labio, ad verbum*) & gravem lingua, tu missus es ad domum *Israël scilicet*.

6. Non ad populos multos profundos labio & graves lingua quos non intelliges: (*hoc est, quorum non intelliges sermonem*) si non ad eos misissem te, ipsi audissent te.

7. Atqui (*copula enim adversative hic capitur*) domus Israël non volent ad audiendum te, (*hoc est, nolent te audire*) quia si non volunt audire me: quia tota domus Israël duri fronte, (*vel præfracti*) & robusti corde ipsi.

Jam pluribus verbis explicat Deus quorsum voluerit à servo suo comedi volumen quod porrexit manu sua, nempe ut instructus accederet ad filios Israël. Neque enim vacuum oportuit venire. Scimus enim homines nihil proferre à seipsis solidum. Ergo oportuit Ezechielem à Deo accipere quod per manus traderet Israëlitis. Teneamus ergo hunc ordinem, dari volumen Prophetæ, & postea mitti ad populum. Jubet autem Deus *proferre* vel loqui *sermones suos*: quod etiam notatu dignum est, & eodem refertur. Quod si Ezechiel nihil debuit in medium afferre nisi quod à Deo acceperat, hæc regula valere debet in omnibus Dei servis, ne sua commenta ingerant, sed pronuncient quasi ex ore Dei quod ab eo
1 Petr. 4. vers. 11. didicerunt. Denique semper valeat illud Petri, Qui loquitur in Ecclesia ut loquatur tanquam Dei sermones. Jam adjungit, *Non mitto te ad populum profundum labio, & gravem lingua, sed ad domum Israëlis.* Quidam existimant Prophetam hic animari ad officium, quia Deus nihil ab ipso postulet nimis difficile. Nam si missus fuisset ad gentes remotas quibuscum nulla erat communicatio linguæ, poterat obtendere sibi plus imponi oneris, quam ferre posset. Difficultas ergo fuisset instar obstaculi. Ideo ut alacriter fungatur officio, putant hic conferri gentes remotas & extraneas cum populo: quasi dictum esset, Ego te non mitto ad exteros. Nam neque ipsi te intelligerent, & essent quoque vicissim tibi barbari: sed quia familiaris tibi est usus cum populo tuo, non potes tergiversari quum te mitto ad ipsos. Sed illa sententia mihi non probatur, quia uno contextu lego tres istos versus, sicuti cohærent. Minime igitur dubium est quin Deus hac comparatione, populi impietatem exaggeret. Nam hæc sententia prima est ordine, surdos fore Israëlitas, quamvis Propheta utatur apud eos vulgari & vernaculo, ut loquuntur, sermone: hoc est primum caput. Jam ostenditur causa, quia scilicet *sint populus amarus*. Significat ergo Deus nihil obstare Israëlitis, quo minus proficiant in doctrina Prophetæ, nisi suam malitiam & impietatem. Hac ratione dicit *non mitto te ad populum profundum labiis*. Nescio quid venerit in mentem quibusdam, ut putarent hoc epitheto notari eruditos vel solertes. Nam populum esse profundis labiis, & gravi lingua idem est. Quid autem est gravis lingua nisi barbara? Nunc ergo tenemus genuinum sensum, quod scilicet Propheta non mittatur ad homines linguæ incognitæ, quia esset illis barbarus, & ipsos non intelligeret: *non mitto te igitur ad illos, sed ad domum Israël*. Jam addit, *non ad populos multos*. Qui vertunt Magnos, non assequuntur quid voluerit Propheta. nam in singulari numero loquutus fuerat Deus de omnibus populis: nunc autem exprimit plures: quasi diceret, Ego neque ad Ægyptios, neque ad Chaldæos, neque ad alias gentes procul remotas te mitto: sicuti undique cincta est terra populis, quorum lingua tibi esset incognita. Ad eos igitur te non mitto. Sequitur, *si non*. Hieronymus vertit, Si ad eos te misissem, quasi non interposita esset negativa particula לא: ad verbum, si non: sed quia dura est loquutio, existimant quidam esse particulam jurantis אם לא, & affirmative exponunt pro באמת, vere, aut certe. Atqui erit defectiva oratio, si ita accipimus. Subaudiunt enim postea rursus אם. Nam duæ

duæ istæ voces אם־לא tantundem valent acsi jusjurandum esset interpositum. Jam quem sensum licebit ex his verbis elicere? Profecto ad eos mittam te, ipsi te audient. Videmus ergo sensum illum esse nimis coactum. Quidam ita exponunt, Si non ad eos te misissem audissent te, quasi Deus hic perstringeret ingenium populi, eo quod potius appeterent vanas & fallaces prophetias, quam se subjicerent veritati: perinde acsi dictum esset, si quispiam nebulo tenebras illis offunderet, statim amplecterentur ejus fabulas & mendacia, ita sunt ad vanitatem proclives: Quoniam autem ego mitto te, ideo non audiunt. Sed neque hæc expositio convenit, quia paulo post id videbimus suo loco. Mihi itaque probabilis est hic contextus, *si non misissem te ad eos, & ipsi audissent te*: quasi dictum esset, nisi obstaret sermonis diversitas, ego potius opera tua usus essem erga gentes extraneas. Significat autem Deus hoc modo fastidium, quum dicit se missurum fuisse Prophetam huc vel illuc potius, quam ad Israëlitas, nisi quia nulla erat sermonis communicatio. Quum ergo lingua differrent, obstaculum hoc continuit Prophetam intra suas metas, nempe ut populo mitteretur. In hoc sensu nihil est coactum. *Non mitto* ergo *te ad multos populos profundos labiis & graves lingua, quia tu non intelligeres eorum sermonem*. Quod si hoc non obstaret, ego te misissem, ipsi audirent te. Videmus ergo quod paulo ante attigi, conferri Israëlitas cum extraneis & incircumcisis gentibus, quia non ignorantia linguæ sed cordis sui pervicacia repudiabant do-
Jesa. 28. vers. 11, & 13. ctrinam sibi oblatam. Dicit quidem Jesaias sermonem Dei profundum & obscurum fore etiam ipsis Judæis, sed alio sensu: sicuti comparat etiam prophetias suas libro obsignato, nempe quia Deus ipsos excæcaverat sicut digni erat. Quum ergo ita conjecti essent in mentem reprobam, & destituerentur sana mente, ideo dicit suam doctrinam fore instar
Jesa. 8. vers. 16. & 29:11. libri clausi & obsignati: deinde dicit se fore barbarum, acsi uteretur lingua incognita. Sed Deus hoc loco clare ostendit non aliud esse impedimentum quo minus proficiat domus Israël in suo sermone, nisi quod audire nolit. Nam dicit gentes fore morigeras, si possent esse tanti beneficii participes. Nisi ergo lingua Prophetæ incognita fuisset profanis & incircumcisis gentibus, reperisset illic discipulos attentos & obedientes, quemadmodum Deus testatur. Qui fit ergo, ut domus Israel non audiat? Jam sequitur, *Atqui domus Israel non volunt ad audiendum*, hoc est, domus Israel non vult te audire, quia noluit me audire, inquit. Nunc vero clare videmus adscribi causam socordiæ populo, quia sponte repudiet sermonem Dei, & seipsum obduret ad contumaciam. Quanquam altius conscendit, non esse immorigeros Prophetæ duntaxat, sed ipsi Deo: quemamodum Christus etiam ubi discipulos hortatur ad perseverantiam docendi, Ideo, inquit, non audient vos, *Joan. 15.*
quia neque audiunt me: & cur sim illis exosus cum mea doctrina, nisi quia non recipiunt Patrem meum? Nam hæc offensio solet frangere animos piorum, dum vident ita superbe doctrinam suam respui. Contumelia igitur hæc solet servos Dei sæpe revocare à cursu. Atqui proponitur illis in medium hæc admonitio, Deum ipsum contemni. Cur igitur ægre ferant se eodem in gradu statui, in quem Deus ipse rejicitur? Videtur illis indignum quod ita contemptim & fastuose respuatur eorum labor. Atqui Deus nonne dignus est præ omnibus Angelis qui audiatur? Quum ergo in Deum ipsum superbi & contumeliosi sint increduli, non mirum est si non reverenter excipiant quod propositum est ab homine mortali. Nunc ergo videmus quorsum spectet Dei consilium, ubi dicit, *domus Israël non te audiet, quia non audiunt me*: ne Prophetæ sit molestum ubi viderit operam suam nihil prodesse, imo filios Israel insurgere contra ipsum: quia patienter ferre debet si experiatur in illis eandem contumaciam, qua contra Deum ipsum confligere non dubitant. Sequitur, *quia tota domus Israel robusti sunt fronte*, vel præfracti fronte, *& duri corde*. Repetit quod ante vidimus, sed aliis verbis, nempe indomabilem esse cordis duritiem in populo illo: deinde non tantum esse corde obstinatos, sed etiam protervos ipso vultu, ita ut exuerint omnem verecundiam. Denique intelligit perditam obstinationem, quando frontem duram conjungit cum robusto corde. Sequitur,

8. Ecce posui facies tuas, *hoc est, faciem tuam* duram contra faciem ipsorum, & frontem tuam duram contra frontem ipsorum.

9. Tanquam adamantem fortiorem lapide (*vel saxo*) posui frontem tuam: ne timeas ipsos, & non frangaris à facie (*vel à præsentia*) ipsorum, quia domus rebellionis (מרי המה, *de qua voce ante diximus*) sunt.

Præmonitus fuit Ezechiel de populi obstinatione, imo desperata improbitate. Jam Deus ipsum confirmat, ne despondeat animum, ubi viderit certamen sibi fore cum tam perditis ac deploratis hominibus. Quid enim hoc aliud erat quam confligere cum lapidibus? Si jussus fuisset Ezechiel montem ferire, tantundem erat ac dum jussus est verba facere apud talem populum. Opus ergo hac confirmatione habuit, nempe *frontem ejus fore adamantinam contra populi duritiem*. Si sperasset plus fructus ex labore suo, forsan ipsa facilitas fuisset causa pigritiæ. Fiducia enim facit nos remissiores ubi opus quod in manibus est, non est laboriosum nec difficile. Propheta ergo fuisset frigidior, si certo persuasus populum fore docilem, eum esset secure aggressus. Ergo Deus ipsum excitat quum loquitur de obstinatione. Sed quemadmodum utile fuit Prophetam concipere quam ardua esset provincia, ad quam obeundam vocatus fuerat: sic etiam oportuit armari Dei virtute: quia alioqni facile fuisset succumbere difficultati. Hæc ratio est cur Deus nunc subjiciat, *se dedisse illi frontem robustam & faciem robustam contra faciem & frontem populi*. Cæterum, hoc modo admonitus fuit aliunde sperandam esse fortitudinem, ne vires proprias expenderet, sed pateretur se gubernari à Dei Spiritu. Nam ubi tantum reputamus qualis & quanta sit nostra facultas, facile nobis est diffluere & liquescere, vel saltem flaccescere, ne tam viriliter exequamur munus nostrum. Deus ergo alio Prophetam suum revocat, quum dicit *se illi dedisse faciem*: quasi diceret ipsum non militare propriis viribus, sed armari cælesti virtute. Quanquam autem hoc in privatum Ezechielis usum semel dictum fuit, ad nos omnes pertinet. Sciamus itaque quum Deus nos ad munus docendi vocat, nequaquam debere nos operis effectum metiri facultatis nostræ modulo, vel expendere quid possimus, sed recumbere in adventitiam virtutem, quam Deus hic non supervacuis elogiis extollit. Quisquis ergo agnoscet Deum sufficere ad superanda omnia obstacula, fortiter se accinget ad opus. Qui autem æstimandis suis viribus immorabitur, non tantum debilitabitur, sed etiam prorsus concidet. Interea videmus hic nos ad humilitatem & modestiam institui, ne quid scilicet arrogemus propriis viribus. Hinc enim fit, ut multi dum pleni sunt, imo turgent confidentia, tantum projiciant meros ventos. Ergo discamus petere à Deo solo fortitudinem, quæ nobis deest.

Neque enim præstantiores sumus quam Ezechiel. Si illum oportuit Spiritu Dei roborari, hoc multo magis hodie nobis necesse est. Postremo hinc colligimus quamvis insurgat totus mundus contra servos Dei, tamen virtutem ejus fore superiorem, quemadmodum apud Jeremiam vidimus, Pugnabunt contra te, sed non prævalebunt. Ergo non est cur nos terreant violenti omnium hostium impetus: & quamvis mundus tumultuetur, non est tamen cur trepidemus: quia semper virtus Dei in nobis erit potentior. (Jere. 1. vers. 19. & 15:20.) Ideo additur: *tanquam adamantem fortiorem lapide*, inquit, *posui te: ergo ne timeas.* Dicit Deus *se posuisse frontem Prophetæ instar adamantis*, non quod certaverit Propheta cum populi improbitate vel audacia: sed quia Deus confidentiam, qua præditus fuit Ezechiel, opposuit populi furiosæ impudentiæ. Ergo secundum hunc sensum vocatur *adamantina frons Prophetæ*. Jam adjungit, *ne timeas ab illis, & ne frangaris à facie* vel præsentia *ipsorum*. Videntur hæc inter se pugnare, *ne frangatur Propheta & ne metuat*, quum tamen excellat invicta fortitudine. Sed ita Deus gratiam suam temperat, ut semper stimulis opus habeant fideles, etiam quum ipsos animat ac suppeditat vires. Deus ergo ita operatur in servis suis, ut nihil agant nisi quatenus reguntur ejus Spiritu: & tamen opus simul habent ejus doctrina, ut nunquam exhortationes sint illis supervacuæ. Profani homines existimant nullum fore usum doctrinæ, & omnes exhortationes esse frivolas, si Deus ubi Spiritu suo nos agit non solum incipit, sed continuat & perficit opus suum. Verum Scriptura ostendit optime hæc duo inter se quadrare, nempe quod Deus nos Spiritu suo confirmat & reddit invictos, interea autem inspirat virtutem suis exhortationibus, & facit ut apud nos vigeant & sint efficaces. Hoc modo Deus ab una parte Prophetam suum roboravit, dando illi frontem adamantinam & plusquam saxeam, dando invictum animum: & tamen hortatur ne metuat. Videmus ergo ut intus suos gubernet Deus, & tamen adjungat doctrinam tanquam instrumentum Spiritus sui. Tandem addit, *quia domus rebellionis sunt*, vel quamvis sint. Particula enim כי sæpe adversative ponitur, ut alibi dictum est. Si tamen accipere libeat in proprio sensu, non male conveniet, *quia domus rebellionis sunt*: quasi dictum esset, Prophetæ non esse timendi causam, quia mature fuerit præmonitus, & nihil novum accidet. Solemus enim terreri novitate ut plurimum. Ubi autem meditati sumus quod accidit, non turbamur, imo neque subsistimus, neque hæsitamus. Quia ergo jam didicerat Propheta *domum Israëlis rebellem esse*, ideo perrexit, quia nihil novum vel insolitum expertus est. Sequitur,

10. Et dixit mihi, Fili hominis, omnes sermones meos quos loquor ad te sume in corde tuo, & auribus tuis audi.

11. Et vade (*ingredere*) ad transmigrationem (*id est, ad captivos*) ad filios populi tui, & loquere ad ipsos: & dic illis, Sic dicit Dominator Jehovah, sive audierint, sive cessaverint.

Repetitio est ejusdem doctrinæ. Diximus autem Prophetam nostrum magis verbosum esse, quam Jesaiam, imo & Jeremiam ipsum: quia ad formam loquendi quæ tunc erat inter exules, assueverat. Non est igitur tam restrictus nec politus. Sed tenendum est, sermonem accommodasse ad discipulos: quia non tantum cum rudi & crasso populo negotium erat, sed etiam cum obstinato. Deinde degeneraverant fere à sua lingua, sicuti etiam à puritate fidei. Ergo deflexit consulto Propheta ab elegantia linguæ. Quicquid sit, apud homines tam pigros, imo socordes nihil fuit supervacuum. Dicit igitur quod ante vidimus, *se jussum fuisse loqui omnes sermones*. Sed prius dicit *se jussum fuisse corde accipere, & auribus percipere*. Est inversus ordo, quia prius est auribus percipere, quam corde accipere. Et argute magis quam vere philosophantur qui dicunt interiorem auditum præcedere, eo quod frustra verberantur aures sonitu, nisi cor jam ante fuerit docile. Nam quamvis Deus electos suos ad audiendum præparet, & det illis aures, ut audiant: tamen doctrina ipsa non ante penetrat in ipsorum animos, quam fuerit auribus excepta. Minime ergo dubium est quin hic sit ὄντως αὐτήκοος, ut loquuntur. Summa autem est, ut Propheta, quo certus sit vocationis suæ, audiat loquentem Deum. Non fuit autem hoc dictum ejus causa, sed ut secure gloriari posset se esse Dei discipulum, nec quicquam proferre nisi quod ex ore Dei ipsius audierat. Ut ergo hac confidentia pugnaret adversus populi impietatem, ideo jussus fuit *sermones Dei audire*. Repetitur etiam quod ante de corde vidimus, nempe ut Propheta libere jactaret se non adferre duntaxat ventosam eloquentiam, sicuti faciunt homines profani, quibus nihil aliud propositum est, quam plausus hominum captare. Propheta ergo hic dicit se jussum fuisse *accipere sermones Dei in corde suo*. Jam additur, *ut eat & pergat ad captivitatem ad filios populi sui*. Videmus ergo Deum non tam Prophetam quam Israëlitas respicere, quia nunquam sponte cessissent Prophetæ, quum afferret legationem minime jucundam. Nihil enim magis triste & exosum ipsis esse potuit, quam audire minas & maledictiones. Quia ergo nunquam sponte flexi fuissent ad obsequium, ideo mittitur cum testimonio, quod didicerit in schola Dei quicquid profert: deinde quod ita didicerit à Deo, ut nihil de suo addat: postremo se ita loqui, ut non frangatur populi contumacia. *Sive ergo audierint, sive cessaverint, tu nihilominus perge.* Quare? *Dices sic Deum loqui.* Exposuimus autem quid hæc particula valeat, nempe ubi hoc nobis persuasum est placere Deo nostrum laborem, etiamsi inutilis sit apud homines: tamen hoc debere sufficere, quod missi sumus à Deo: deinde velle experiri nostram constantiam, ne ubi videmus nos frustra laborare, ideo desinamus quin parati simus ad obediendum, quicquid acciderit.

Da omnipotens Deus, quando hodie vis nobis Prophetæ tui, tot seculis post ejus mortem, doctrinam proponi, ut ne simus vel obdurati vel rebelles: sed nos tibi qua decet obedientia & reverentia subjiciamus, ut labor qui cessit in damnationem veteri populo propter contumaciam, hodie nobis sit salutaris: atque ita sequamur quod per ipsum doces, ut tendamus ad quam nos vocas metam, donec stadio perseveranter confecto, tandem colligamur in regnum tuum cæleste, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO NONA IN EZECHIELEM.

12. Et sustulit me Spiritus: & audivi post me vocem strepitus magni, Benedicta gloria Jehovæ è loco suo.

ITerum confirmat Propheta quod ante vidimus, Deum scilicet arcano Spiritus sui instinctu fuisse operatum in ejus animo Quanquam ergo hortatus eum fuerat Deus ad fortitudinem, ipse tamen præstat quod ab ipso exegit. In summa, Propheta fortis fuit in Deo, quia Deus virtutem suam in eo exeruit. Dicit ergo *se sublatum fuisse à Spiritu*, quod tantundem valet atque nullam fuisse in ipso agitationem, nisi ex cælesti inspiratione. Sic autem oportuit ad tempus extra seipsum rapi, ut nihil appareret in eo humanum. Sed de hac re plura dicenda erunt paulo post. Addit *se audisse vocem strepitus magni*, hoc est, vocem sonoram, & quæ differret à consueto hominum sermone. Potuit igitur ipso vocis strepitu vel tumultu discernere Propheta vocem illam à sermone hominum. *Benedicta*, inquit, *gloria Jehovæ è loco suo.* Non dubium est quin hoc elogium aptari debeat ad præsentem causam, quæ agitur. quum ergo vox ista personuit, voluit Deus refellere obstreperas populi voces, quum sibi putaret fieri injuriam Scimus enim populum illum fuisse querulum, & subinde murmurasse quum durius putaret se tractari quam par esset. Opponitur itaque gloria Dei omnibus impiis & sacrilegis blasphemiis, quas solebant Israelitæ in Deum evomere, acsi crudeliter cum ipsis ageret. In summa, vox ista compescuit omnes calumnias, quibus conati tunc fuerunt impii gloriam Dei prorsus obruere. Dicit *gloriam illam esse benedictam*, quia homines etiamsi non audeant evomere crassa & aperta convitia adversus Deum, nihilominus maledicunt ejus gloriæ quoties justitiæ ejus detrahunt, & ipsum insimulant nimii rigoris. Ex adverso itaque vox anditor, *gloriam Dei esse benedictam*. Per *locum Dei* intelligo Templum. Fateor quidem multis Scripturæ locis cælum ita vocari: non quod essentia Dei quæ im-
Psal. 11. vers. 4. & 103. vers. 19. Jesa. 66. vers. 1. mensa est, loco includi queat. Sicuti enim cælum vocatur solium ejus, vel sedes, ita etiam terra scabellum pedum ejus, quia omnia replet sua immensitate. Sed hic, ut etiam alibi sæpius, Templum vocatur locus Dei, quia illic quodammodo habitabat respectu hominum. Cæterum, hoc dicitur tam exulum respectu, quam residui populi, qui adhuc manebat Hierosolymæ. Exules enim non satis reputabant justa Dei vindicta se fuisse è patria expulsos, & tractos in longinquam regionem Quum ergo captivitas non satis eos subigeret, ideo oportuit illis proponi Dei nomen, ut scirent non vi & sævitia hostium se fuisse patria sua privatos, sed expulsos Dei judicio. Respexit etiam haud dubie Propheta ad Judæos, qui adhuc domi manebant. Gloriabantur enim Deum sedere in Templo: & ita fingebant se ejus præsidio semper fore incolumes. Atqui Propheta, quemadmodum postea videbimus, denunciavit similem pœnam eos manere quæ aliis acciderat. Perinde est igitur acsi diceret Deum manere in Templo suo, ut conspicua illic fulgeret ejus gloria. Jam sicuti voluit humiliare tam Judæos, quam decem Tribus, ita voluit lenire aliquo solatio omnium dolorem, ut non desinerent bene sperare de restitutione promissa. Ipsa enim calamitas poterat ipsos in desperationem projicere, ut putarent actum esse de salute sua, imo putarent Deum quodammodo esse mortuum, & extinctam ejus virtutem. Quorsum enim cultus Dei? quorsum etiam splendor Templi & dignitas, nisi ut Deus suos protegeret? Atqui fuerant ab ipso derelicti. Hinc igitur desperationis materia, nisi occursum fuisset: id nunc agit Propheta, quoniam ab una parte admonet, Deum fuisse justum scelerum ultorem, ubi passus est trahi in exilium decem Tribus: tamen fore liberatorem, quia non desinat regnare in Templo suo, quamvis profani homines existiment illum esse victum, & agant proterva insolentia de ipso suos triumphos. Nunc ergo tenemus sensum Prophetæ: nam frigeret hæc sententia, si esset generalis: ubi autem accommodatur ad statum præsentis causæ, videmus non frustra extolli Dei gloriam tali elogio, nec frustra etiam fieri Templi mentionem. Sequitur,

13. Et vocem (*recte enim Hieronymus admonet repeti* ἀπὸ τοῦ κοινοῦ. *Audivi ergo vocem*) alarum animalium osculantium cujusque ad sociam: & vocem rotarum è regione ipsorum, vocem *inquam* strepitus magni.

Nunc videtur exprimere Propheta unde profecta fuerit vox quam retulit. Neque enim existimo vocem aliunde fuisse editam, & postea animalia succinuisse cum rotis: sed mihi videtur exponere quod alioqui fuisset ambiguum, nempe celebratam fuisse Dei gloriam ab animalibus & rotis. Non est autem mirum, vocem tribui animalibus, quia vidimus fuisse Cherubim vel Angelos: sicuti per rotas voluit Deus omnes actiones & motus designare, motus, inquam, qui videntur fortuiti: sed tamen reguntur ab animalibus, quibus Deus virtutem suam inspirat, dum vult exequi suum consilium: & ita imperium suum exercet in omnibus creaturis. Nihil enim accidit quod non moderetur suo arbitrio. Ergo vox prodiit tam ab animalibus, quam à rotis, quæ extolleret Dei gloriam, & ostenderet ipsum in tristi illa & miserabili clade populi adhuc regnare in Templo suo: imo tunc maxime regnare, quia judex esset in puniendis sceleribus: deinde, quia futurus esset redemptor populi sui, quemadmodum promiserat restitutionem post 70 annos. Dicit autem *se audisse vocem alarum, quum mutuo se oscularentur.* Nam נשק significat osculari: alii vertunt, Quum se verberarent, vel confligerent inter se. Sed conjunctionem metaphorice significat osculandi verbo. Quum ergo *unaquæque ala sociam suam amplecteretur*, inde vox emersit. adjungit etiam idem de rotis. Et tandem repetit quod dixerat, *fuisse vocem strepitus magni.* Sequitur,

14. Et Spiritus sustulit me, & sumpsit me: & profectus sum amarus præ indignatione spiritus mei, & manus Jehovæ super me fortis.

Confirmat quod paulo ante vidimus, nempe se fuisse actum Dei Spiritu, ita ut esset quodammodo extra se: non quemadmodum profani homines finxerunt [illegible]. Nam vates illorum erant abreptitii: & diabolus sic eos versabat, ut non essent compotes sanæ mentis. Non ergo intelligit Propheta se fuisse abreptitium, quia Prophetæ Dei semper fuerunt sedatæ & compositæ mentis: sed intelligit ita se fuisse gubernatum Dei Spiritu, ut dissimilis esset à seipso, nec quicquam spiraret terrestre: denique intelligit sibi insculptas fuisse visibiles notas, quæ acquirerent ejus doctrinæ auctoritatem apud totum populum. Et plusquam necesse fuit Prophetam ornari suis insignibus propter socordiam populi: deinde quia odiosa erat ejus legatio, & antehac non fuerat officio docendi functus. Necesse igitur fuit ita eum renovari, ut populus agnosceret esse hominem quasi divinum. Familiariter versatus fuerat inter suos, & satis erat notus & facie & moribus. Interea Deus, quemadmodum dixi, separavit eum à communi vita, ut aliquid cæleste repræsentaret. Hoc autem ad conciliandam doctrinæ fidem & reverentiam spectabat, ut diximus. Sensit quidem ipse Spiritus agitationem: sed minime dubium est quin populus etiam cognoverit: alioqui vix habita fuisset illi fides de seipso loquenti. Fuit igitur illustris hæc Spiritus gubernatio, ut cognoscerent Israëlitæ, si modo oculati essent & attenti ad miraculum, Prophetam fuisse quodammodo renovatum. Sed quod sequitur videvers. 3. tur pugnare cum superiore sententia. Dixit enim, volumen sibi fuisse dulce instar mellis: nunc autem refert *se abiisse amarum spiritu suo.* Sed quemadmodum heri breviter exposui, hæc facile est conciliare. Propheta enim non fuit prorsus exutus omni sensu. Quamvis ergo se totum consecraverit Deo, & nihil prætermiserit ad diligentiam & alacritatem, retinuit tamen aliquid humanum: hinc spiritus amaritudo, de qua loquitur: & ideo *spiritum suum* nominat. Ubi videtur tacita esse antithesis inter motum illum, quo abreptus erat, & inter affectum, non quidem prorsus vitiosum, sed qui aliquantum distaret à gratia illa Spiritus: quia Propheta sic flagrabat zelo, ut fere sui oblitus Dei jussa capesseret. Interea tamen sentiebat in se aliquid humanum, ut vigor ille Spiritus non extingueret omnem tristitiam. Tenemus ergo quomodo Propheta abreptus fuerit Spiritu, & tamen habuerit *spiritum suum amarum.* Adjungit, *& manus Jehovæ super me fortis.* Per Manum quidam intelligunt prophetiam, sed inscite, meo judicio. Non dubito igitur quin tantundem valeat atque potestas vel imperium. Dicit autem *manum Dei fuisse fortem*, quia oportuit ipsum Deo parere, utcunque amaritudo de qua loquutus est, ipsum in diversam partem traheret. Sicuti Paulus dicit se 2 Cor. 5.
constringi zelo Dei, ita etiam Propheta significat se vers. 14.
fuisse constrictum arcano illo instinctu Spiritus, ut Philip. 1.
nihil humanius ageret, non obtemperaret sibi ac vers. 23.
animi sui votis, non obsequeretur etiam proprio consilio, sed tantum intentus esset ad præstandum Deo obsequium. Hoc igitur sensu dicit *manum Dei fuisse fortem super se.* Alioqui objici poterat, cur non defecerit quum ita oppressus esset mœrore, & anxietas urgeret ejus spiritum? Respondet, *manum Dei fuisse fortem*, atque ita prævaluisse: quoniam facile alioqui fuisset centies deficere, nisi suffultus fuisset virtute Dei. Atque ita videmus fuisse aliquid repugnantiæ in Propheta, quoniam ut homo erat, tristitia fuit confectus: sed ita dominabatur virtus Spiritus sancti in ipso, ut se abnegaverit, & omnes affectus humanos. Sequitur,

15. Et veni ad transmigrationem (*hoc est, ad captivos*) in Thelabib: sedebant autem (*vel transmigrationem sedentium, ad verbum*) prope flumen Chebar: illic ipsi sedebant: & sedi etiam illic septem diebus, obstupescens (*vel desolatus*) in medio ipsorum.

Jam dicit se reversum fuisse ad suos populares, non quod migraverit in alium locum, sed per visionem fuerat abstractus ab hominum consuetudine. Deus autem se illi patefecit in ripa fluvii Chebar, sed erat solitarius. Quum fuerit id factum per visionem, minime dubium est, quin semper apud suos fuerit. Quomodo igitur dicit nunc *se fuisse reversum?* nempe quia evanuit illa visio: & ita versatus est de integro cum aliis captivis. Quod enim quidam subtiliter accipiunt fuisse quasi monachum, frivolum est. Dicunt enim abhorruisse à populi sceleribus: & ne quid labis contraheret, ideo quæsiisse solitudinem. Sed hoc non est probabile. Minime igitur dubito quin Propheta intelligat, ex quo Deum loquentem audivit, ex quo etiam oblata fuit visio, se rediisse ad pristinam vitæ formam. Dicit tamen *se sedisse septem diebus*, vel admiratione vel tristitia quodammodo absorptum. Nam שמם significat tam desolare, quam obstupescere, & mirari. Quod autem Propheta *sedit quietus & tacitus per septem dies*, minime dubium est quin hoc modo Deus ipsum præparaverit, ut postea loqui inciperet cum majori admiratione totius populi. Nec videri debet absurdum quod obmutuerit, quum tamen à Deo missus esset. Neque enim hoc factum est pigritia, vel aliqua cunctatione, quæ possit adscribi vitio: sed sic impositum fuerat munus docendi, ut nondum instructus esset certis mandatis: quemadmodum poterit quispiam eligi legatus vel à rege, vel à senatu, postea autem agetur de ipsis mandatis: sic etiam Propheta vocatus fuit ad munus Propheticum, sed nondum sciebat quidnam dicturus esset. Comederat quidem volumen, sed Deus nondum suggesserat unde ipsum vellet exordium facere: deinde quomodo deberet temperare suam doctrinam. Nondum ergo huc perductus erat Ezechiel: ideo dicit *se sedisse* vel cum magno stupore, vel cum magna desolatione, ut loquuntur. Aspectus autem ipse potuit expergefacere hominum animos, ut quærerent quidnam sibi vellet hæc insolita tristitia. Quicquid sit, videmus silentium hoc, præparationem fuisse, quo majore cum fructu & efficacius posset exequi munus suum: quoniam ejus sermo majore reverentia postea debuit excipi, *quum sic tacuisset per septem dies.* Dicit autem *se venisse ad exules qui sedebant in Thelabib.* Ego enim eorum sententiæ libenter subscribo, qui putant proprium esse nomen loci: & vetusti interpretes etiam reliquerunt has duas voces. Septuaginta verterunt *μετέωροι*, quasi esset excelsus. תלל significat elevare: sed deberet esse תלול si Propheta diceret se fuisse excelsum. atqui hoc non convenit: quin potius recitat se fuisse quasi unum è vulgo postquam visio ablata fuit. Alii vertunt peritum, nescio unde sumpserint. Sed quemadmodum dixi, probabilis est eorum sententia, qui docent fuisse nomen proprium loci. Hieronymus vertit Acervum frugum, neque male. Nam ex re hauddubie impositum fuit loco nomen: quemadmodum sæpe ex situ, & aliis qualitatibus vocantur urbes, & pagi, & montes: ita etiam locus ille dictus fuit Thelabib. Nam תל significat acervum, deinde אביב significat spicam, vel culmum in frumento. Potest igitur fieri, ut locus ille propter fertilitatem vocatus fuerit Thelabib, quoniam illic colligebantur multæ segetes. Sed hoc non est magni momenti. Præcipue illud tenendum est quod diximus, Prophetam fuisse conspectum in illo tristi & mœsto vultu, *& tacuisse per septem dies.* Jam sequitur,

16. Et

16. Et accidit à fine ſeptem dierum, (*hoc eſt, poſt ſeptem dies*) factus (*accidit, vel factus eſt: varie repetit idem verbum*) ſermo Jehovæ ad me, dicendo:

17. Fili hominis, ſpeculatorem poſui te (*vel conſtitui*) domui Iſraël: audies ergo ex ore meo ſermones, & admonebis illos ex me.

Nunc clarius oſtendit Propheta cur ſe continuerit in ſilentio per ſeptem dies, quia ſcilicet creatus erat quidem doctor, ſed nondum advenerat maturum tempus, quo perferret Dei mandata. Expectavit ergo dum acciperet certum ſermonem. Ideo dicit *à fine ſeptem dierum datum ſibi fuiſſe ſermonem à Domino.* Unde colligimus fuiſſe prius electum, & onus legationis ei impoſitum fuiſſe: interea ſtetiſſe quodammodo ſuſpenſum, quia nondum diſtincte tenebat quidnam eſſet dicturus, unde etiam facere deberet exordium. Hinc apparet Deum gradatim agere in ſervis ſuis, ita ut eos ſibi vendicet: deinde generaliter oſtendat quorſum exigat eorum operam & laborem: tandem emittat ad ipſum opus, vel ad exequutionem muneris. Hoc videmus fuiſſe factum in Propheta noſtro. Nam primo didicit ſe à Deo eligi: poſtea admonitus fuit in genere, ut ſe fortiter gereret, neque cederet ullis minis, vel terroribus: tandem Deus expoſuit quænam vellet ipſum mandata perferre ad populum. Videtur quidem adhuc generaliter Deus loqui: ſed perinde eſt acſi pronunciaret venire tempus, quo Propheta ſeſe ad opus accingeret. *Fili hominis* ergo, *conſtitui te ſpeculatorem*, inquit, *domus Iſraël.* Quod Ezechiel audivit ad omnes Eccleſiæ doctores pertinet, nempe conſtitui & locari divinitus quaſi in ſpecula, ut excubias agant pro communi omnium ſalute. Quicunque ab initio creati fuerunt cæleſtis doctrinæ miniſtri, eos oportuit ſpeculatores eſſe. Atque utinam in Papatu, ſicuti nomen hoc impoſitum fuit mutis idolis, & cæcis, & ſurdis, ita admoniti fuiſſent vocationis ſuæ, qui plenis buccis vocarunt ſe Epiſcopos. Nam ſcimus nomen Epiſcopi tantundem valere atque ſpeculatoris. Quum autem jactarent ſe eſſe Epiſcopos, demerſi fuerunt in tenebris craſſæ ignorantiæ: deinde etiam deliciis ſuis obruti, denique ſocordia. nam nihilo plus eſt intelligentiæ in illis animalibus, quam in bobus vel aſinis. Aſini & boves ſaltem operam ſuam impendunt juvandis hominibus: illi autem non tantum deſtituuntur omni judicio & ratione, ſed prorſus inutiles ſunt. Cæterum tenendum eſt quod dixi, ubi Deus elegit Prophetas, eos quaſi in ſpecula fuiſſe poſitos, ut agerent excubias pro ſalute totius Eccleſiæ. Hoc etiam valere nunc debet, ut paſtores agnoſcant ſe in ſtatione eſſe poſitos, unde advigilent: atque hoc quidem unum eſt. Jam id fieri non poteſt, niſi præditi ſint eximiis donis, ſaltem polleant Spiritus gratia ſupra vulgus. Neque enim ſatis eſt, ſi paſtores vivant tanquam homines privati: ſed oportet illos longius attendere, acſi evecti eſſent in altam ſpeculam, quod perſpicaciam vel ſolertiam flagitat: hoc alterum eſt. Jam additur, *Audies verba ex ore meo, & annunciabis illis ex me.* Hic præſcribitur generalis regula omnibus Prophetis, & paſtoribus Eccleſiæ, nempe ut ſermonem audiant ex ore Dei: qua particula Deus excludere voluit quicquid ex ſeipſis fabricant homines, vel comminiſcuntur. Neque enim dubium eſt, quum Deus ſibi uni jus loquendi vendicat, quin jubeat obmuteſcere omnes homines, ne quid afferant proprium: deinde quum jubet *eos audire ex ore ſuo*, quin frenum injiciat, ne quid comminiſcantur, ne laſciviant poſt ſua figmenta, ne hoc vel illud audeant concipere. Denique videmus hic aboleri quicquid homines ex ſeipſis proferunt, ubi Deus vult ſolus audiri. Neque enim hic ſe aliis permiſcet quaſi in turba, acſi vellet audiri aliqua ex parte. Sumit ergo ſibi quod merito debemus tribuere ſummo ejus Imperio, nempe ut pendeamus ex ore ejus. Quod ſi Ezechieli id dictum fuit, quomodo audebunt nunc nihili homines ingerere ſua figmenta, quemadmodum videmus factum fuiſſe in Papatu? Nam qualis illic eſt religio, niſi farrago confuſa ex innumeris hominum figmentis? Conflarunt igitur ex multis cerebris immenſum chaos errorum. Volunt autem tanquam Dei oracula adorari quicquid ſtulti homines imaginati ſunt. Atqui, quis eorum gloriabitur ſe excellere ſupra Ezechielem? imo ſi omnes ſimul prodeant, an audebunt ſe cum eo uno conferre? Quod ſi audeant, quis admittet illam arrogantiam? Videmus autem hic frenari Ezechielem una cum aliis omnibus Prophetis, ne quid loquatur niſi quod audierit ex ore ipſius Dei. Jam ſequitur, *admonebis illos ex me.* Verbum quo utitur Propheta, ſignificat tam monere quam cavere. Minime dubium eſt quin admonitiones intelligat, quibus homines ad cavendum excitantur, ne ſcilicet errore & incogitantia pereant. Poſtquam ergo Deus Prophetam ſibi ſubjecit, & juſſit eſſe diſcipulum, jam conſtituit doctorem, quia non ſufficeret audire, niſi de manu in manum traderet qui vocatus eſt ad Eccleſiam regendam, quod à Domino accepit. Jubet ergo Deus Prophetam ſuum loqui poſtquam juſſit audire. Sed addit *ex me*, ut intelligat populus Deum ſolum eſſe doctrinæ auctorem. Falſi quidem doctores ſuperbe obtendunt Dei nomen: ut videmus in Papatu axioma illud perſonare, Eccleſiam Dei regi à Spiritu ſancto immediate, ideoque non poſſe errare: ſed duo hæc conjunctim legenda ſunt, nempe, ut audiat qui factus eſt doctor, loquentem Deum: poſtea admoneat Dei ipſius nomine, hoc eſt, profiteatur ſe eſſe Dei miniſtrum & teſtem, ut doctrina non æſtimetur ab ipſo. Nam qui affectant laudem ingenii, vel eruditionis, vel facundiæ, ſæpe obſcurant ipſum Dei nomen: & ideo quamvis initio profeſſi fuerint ſe à Deo habere quod docent, tamen poſtea loquuntur quaſi ex ſeipſis, hoc eſt, ſeſe venditant inani oſtentatione: ita non apparet majeſtas Dei, nec Spiritus efficacia in illa profana docendi ratione. Ergo Deus poſtquam Prophetæ legem impoſuit, ne quid proferret, niſi quod audiiſſet, jam adjungit illud alterum, *ut admoneat populum:* ſed admoneat non tanquam à ſeipſo, ſed ſemper in ore habeat ſacrum illud Dei nomen, & reipſa oſtendat ſe ab eo fuiſſe miſſum. Secundum hanc rationem etiam dicebat Moſes, Quid ſumus ego & frater Aaron? Videmus ergo ut Moſes à Deo loquutus fuerit, hoc eſt, *Num. 16. verſ. 11.* profeſſus fuerit ſe eſſe Dei miniſtrum, quum teſtatus eſt ſe nihil eſſe, ſe nihil ſibi ſumpſiſſe, nihil denique egiſſe proprio conſilio, vel motu.

Da omnipotens Deus, quando hodie dignaris curam ſalutis noſtræ gerere, & excitas ſervos tuos, qui ſint nobis oculorum vice, unde ſciamus te excubias agere, ne pereamus: da, inquam, ut ſic excitemur ſanctis admonitionibus, quæ abs te prodeunt illorum miniſterio & opera, ut ſi averſi fuerimus à recta via, mox in eam redeamus: deinde pergamus in curſu noſtro, & enitamur ea perſeverantia, ut tandem perveniamus in fruitionem beatæ illius quietis, quæ nobis parta eſt Filii tui ſanguine, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA IN EZECHIELEM.

18. Quum dixero impio, Morte morieris, & non admonueris ipsum, & non loquutus fueris ad eum, ad monendum impium à via sua impia, ad vivificandum ipsum: impius ipse in iniquitate sua morietur: sanguinem vero ejus è manu tua requiram.

NUnc docetur Propheta quam difficile munus suscipiat ac simul periculosum. Prius legem posuerat Deus, ne quid à seipso proferret. Jam additur custodem ita præfectum esse populo, ut rationem redditurus sit, nisi diligenter incubuerit in suas vigilias. Perinde igitur est acsi dictum fuisset, animas committi ejus curæ & fidei, ut si ejus negligentia pereant, subiturus sit pœnam coram Deo. Sed verba expendere convenit, *Si dicente me ad impium, Morte morieris, & non admonueris eum, ipse quidem peribit, sed sanguinem abs te requiram.* Primo loco confirmat Deus quod heri visum fuit, nempe non permitti tantum licentiæ homini mortali, ut suo arbitrio damnet, vel absolvat. Quum ergo Deus servos suos emittit, non resignat ipse suam potestatem, quin penes eum maneat summum imperium: quia unus est Legislator, sicut dicit Jacobus, qui potest servare & perdere. Et alibi exprobrat Ezechiel pseudoprophetis, quod vivificent animas quæ moriebantur, occidant autem animas quæ non erant morti devotæ. Scimus enim semper homines superbos tyrannice dominatos fuisse in conscientias, quum obtenderent nomen Propheticum: sed substituebant se in locum Dei, quemadmodum factum fuit in Papatu. Nam Papa quidem simulat se nihil agere proprio nomine: sed interea sibi arrogat quicquid proprium est Dei, & sedet in templo tanquam idolum: quia Deo nihil magis proprium est, quam regere animas nostras cælesti doctrina: ipsi autem Papistæ commenta sua ingerunt: ita fit ut conscientias misere torqueant, & demergant etiam in ultimum interitum. Leges ferunt pro sua libidine: deinde addunt semper conditionem, servandas esse sub pœna æternæ damnationis, vel peccati mortalis, ut loquuntur. Hic ergo locus diligenter notandus est, ubi Deus sibi uni vendicat potestatem ac jus damnandi: *si dicente me*, inquit, *ad impium*. Hinc colligimus eos omnes esse sacrilegos qui conscientias obstringunt suis legibus, decretis, & placitis, qui hoc jubent, illud vetant: quia eripiunt Deo quod hic sibi vult adscribi. Denique unius est Dei sententiam proferre: Prophetæ autem sunt præcones duntaxat. Interea repudiandi sunt fanatici homines, qui hujus loci prætextu vellent dari peccandi licentiam, & nullum esse discrimen boni & mali, quia nostrum non est damnare. Neque enim proprie loquendo, quicquam nobis sumimus quum recitamus quod profectum est ex ore Dei. Deus damnat adulteros, fures, ebriosos, homicidas, invidos, maledicos, rapaces: si quis adulterum castigat, si alter objurgat furem, si tertius invehitur contra ebriosum, dicemusne eos temere sibi plus sumere quam oportet? minime: quia non pronunciant ex seipsis, quemadmodum diximus, sed Deus loquutus est, ipsi autem testes sunt ac præcones sententiæ ejus. Hæc ergo moderatio tenenda est, ne quid damnemus pro nostra morositate, quemadmodum multi quicquid displicet statim abominantur, & adduci nequeunt ut diligentius inquirant. Præcedat igitur examen: sed ubi Deus loquutus est, tunc sequamur regulam quæ data fuit Prophetæ: *si non admonueris*, inquit, *ipsum, & loquutus fueris ad admonendum.* Hic respicitur persona quæ jam imposita Ezechieli fuerat. Neque enim competeret idem in omnes privatos homines, qui non sustinent nomen Propheticum. Notemus ergo non esse generalem sermonem, qui promiscue ad quoslibet spectet: sed quadrare Prophetæ, qui jam vocatus fuerat, ut esset speculator. Nisi ergo moneant qui sustinent tale onus, nulla excusatio illis superest, quin de hominibus perditis rationem reddant Deo. Et repetitio ostendit non esse hic defunctorie agendum: sed Prophetas debere esse sollicitos, & assiduos etiam in peccatoribus revocandis. Clara erat hæc sententia, *si non monueris impium postquam loquutus fuero*: sed additur, *& non loquutus fueris ad ipsum monendum.* Videtur hæc sententia frustra iterari: sed significat Deus, nisi subinde admoneat Propheta eos qui peccant, non ideo absolvi, quia semel in transcursu loquutus fuerit, quia uno verbo tantum sit defunctus. Notemus ergo inculcandas assidue esse objurgationes, ut peccatores in viam redeant. Et huc tendit etiam Pauli doctrina ad Timotheum, Insta opportune, importune. Nam si satis esset blande monere eos qui errant, atque postea illis parcere, Paulus contentus fuisset illa humanitate: sed dicit importune esse instandum, ne scilicet desinat Ecclesiæ minister repetere easdem admonitiones, quemadmodum etiam alibi idem dicit, Non piget me eadem sæpius repetere vobis, ad Philippenses. Et scimus quid profiteatur Actorum 20. cap. Non cessavi, inquit, nocte & die publice & privatim monere unumquemque vestrum. Illa igitur assiduitas, qua Paulus ostendit se usum fuisse, hic præcipitur omnibus Prophetis & servis Dei. Dicit *ad ipsum monendum à via sua impia*, hoc est, ut caveat. Sicuti enim heri dictum fuit, זהר significat cavere: accipitur autem hic active, *nisi loquutus fueris, ut doceas cavere*, vel redire *à via sua impia.* Hic quæri posset, cur Deus unam duntaxat partem doctrinæ attingat, & sepeliat præcipuam. Quorsum enim data fuit Lex? deinde Prophetæ excitati, nisi ut colligerent populum Deo? hoc autem fit obedientia fidei. & scimus Deum nihil magis spectare, quam ut miseros homines in spem vitæ æternæ colligat. Hic est igitur præcipuus Legis & Euangelii finis, ut homines Deo reconciliati colant ipsum ut Patrem. Castigationes vero, minæ & terrores deinde sequuntur, quarum tamen nunc solum fit mentio. Sed tenenda est populi conditio de qua jam vidimus. Sic enim invaluerat tunc impietas & contemptus Dei, & omne genus scelerum, ut non posset ipsos Propheta amice & suaviter alloqui. Siquidem tenendum est illud Pauli, Quid vultis? quomodo veniam ad vos? in virga, an in spiritu lenitatis? ubi permittit Corinthiis optionem, velintne ipsum venire in spiritu mansuetudinis, an vero armatum ferula ad ipsos castigandos. Quare? Nam quum sibi placerent in suis vitiis, non potuit Paulus more suo ipsos tractare tanquam filios, nec cum ipsis liberaliter agere: sed coactus est suscipere quasi alienam personam, & præferre meram austeritatem vel rigorem. Tales erant etiam Israelitæ. ideo non mirum est, si Deus hic prætereat suam misericordiam, promissio-

Jacob. 4. vers. 12. *Eze. 13. v. 18, 19.* *2 Tim. 4. vers. 2.* *Philip. 3. vers. 18.* *Actor. 20. vers. 31.* *1 Cor. 4. vers. 21.*

missiones gratiæ, & quicquid hominibus dulce est & jucundum. Neque enim idonei erant qui audirent paternam vocem à Deo, nisi prius essent subacti: quod fieri non poterat nisi violenter, quum tanta esset eorum pervicacia. Deinde notandum est, quo magis odiosa est legatio, eo magis opus habere Prophetas stimulis: quia si tantum proponitur gratia Dei, si ostenditur spes vitæ æternæ, quoniam in ea doctrina nihil est quod valde offendat, vel exacerbet animos: ideo facilius est libere præstare quicquid hac in parte mandatur. Sed ubi vocandi sunt homines, vel potius trahendi ad Dei tribunal, ubi terrendi sunt metu æternæ mortis, ubi prodit in medium mi-
2 Cor. 10. nister armatus Dei vindicta, quemadmodum Paulus
v. 5, 6, 7. loquitur: quia offensio parata est, quæ interdum homines instigat usque ad furorem, eo quod ægre sustineant ita urgeri Dei verbo: ideo necesse est Prophetas ipsos animari, quia deficerent, vel trepidarent saltem. Nunc ergo tenemus, cur Deus tantum de minis suis & terroribus loquatur: nullum autem gustum admisceat misericordiæ: quia scilicet nullius dulcedinis capaces Israëlitæ erant. Deinde quia Propheta nunquam ausus fuisset tam animose exequi munus sibi impositum, nisi addita fuisset hæc comminatio. Alibi quidem videbimus Prophetam fuisse Dei legatum, ad reconciliandos miseros illos exules Deo. Proferet enim multa testimonia de regno Christi, de restitutione Ecclesiæ, concionabitur de misericordia Dei, de venia: sed antequam perferret ullum nuncium gratiæ, oportuit ipsum confligere cum perdita obstinatione populi. Hinc fit ergo, ut Deus tantum dicat *monendos esse impios, ut redeant à sua impietate.* Quod autem additur, *ad vivificandum ipsum*, posset absurdum videri, quia ante ablata
Capit. 2. fuit omnis spes resipiscentiæ, Domus sunt rebel-
v. 5, 6, 7. lionis, & amaritudinis, tu nihil apud ipsos proficies. Nunc autem videtur promitti fructus laboris, quum agitur de vita eorum qui admoniti resipiscent. Sed primo loco tenendum est, semper aliquos esse sanabiles, etiamsi totum populi corpus videtur desperatum. Deus enim quum antehac dixit Israëlitas omnes rebelles esse, & immorigeros, respexit ad corpus: sed ut solet servare sibi aliquod exiguum semen, erant pauci residui in populo illo, qui poterant adhuc converti Prophetæ opera: hoc unum est. Deinde tenere convenit, etiamsi nullus appareat fructus laboris, tamen ita debere nos satagere, acsi successus sese offerret melior & pro voto animi nostri. Exempli gratia, negotium nobis erit cum impia multitudine: quocunque vertamus oculos, occurret contemptus Dei: etiam talis improbitas, ut videamur operam ludere. Atqui dum objicitur nobis materia desperationis in malitia populi, debemus nihilominus persequi cursum nostrum acsi semen jam fructum aliquem proferret. Quanquam ergo Ezechiel audierat ex ore Dei populum fore rebellem, debuit tamen Deo operam suam perinde impendere, acsi profectum aliquem vel cerneret, vel speraret. Interea tenendum memoria est quod attigi, Deo semper aliquod esse residuum semen, quamvis totus populus dilapsus sit ad impietatem. Jam additur, *morietur impius in sua impietate, sanguinem verò ejus requiram è manu tua.* Dicit hic Deus se vocasse servum suum hac lege, ut rationem reddat si quis perierit ejus culpa. Hic autem locus, quemadmodum nuper attigi, ostendit quam periculosam provinciam sustineant qui vocati sunt ad docendi munus. Nihil Deo pretiosius est quam animæ, quas creavit ad imaginem suam, deinde quarum redemptor est & pater. Quum igitur tam charæ Deo sint animæ nostræ, & earum salus, hinc colligitur quam sollicite debeant versari Prophetæ, & omnes Pastores in suo munere. Perinde enim est acsi Deus committeret eorum fidei animas, & hac lege, ut rationem de singulis reddant. Neque enim satis est si unum vel alterum admonuerint: sed nisi conati fuerint omnes ab interitu revocare ad vitam & salutem, audimus quid hic Deus pronunciet. Hinc etiam sumptum est illud
Pauli, Væ mihi nisi euangelizem: necessitas enim 1 Cor. 9.
mihi imposita est. In summa, ut Propheta experge- vers. 16.
fiat ad obeundum suum munus, Deus hic denunciat quænam impendeat pœna, nisi sedulo conatus fuerit revocare in viam salutis omnes errantes. Verum quia homines existimant sibi fore satis defensionis in ignorantia, tollitur hoc cavillum, quia interserit Deus perituros nihilominus qui non fuerint admoniti. Exceptio hæc consulto addita fuit, ne sibi homines blanditias faciant, rejiciendo culpam in suos Pastores, quod perierint errore. Quamvis ergo quispiam non fuerit admonitus, morietur tamen: & quamvis Pastor rationem redditurus sit suæ negligentiæ, qui tamen sibiipsi pepercerit, non habebit quicquam excusationis coram Deo. Jam videmus negligentiam in Prophetis & Pastoribus affinem esse perfidiæ, ubi scientes & volentes sinunt animas perire suo silentio: interea mirum non est si Deus morti adjudicet eos qui non fuerint admoniti. Nam satis coarguit eos sua conscientia: & utcunque hodie obtendant errorem & ignorantiam, certum tamen est volentes periisse. Postea sequitur,

19. Et tu si (*quod si*) admonueris impium, & non fuerit conversus ab impietate sua, à via sua impia, ipse in sua iniquitate morietur: tu vero animam tuam liberasti.

Hic Propheta docetur quam utiliter operam suam locabit, etiamsi nihil in speciem proficiat: quia debet hoc unum satis esse, quod studium suum probavit Deo. Quamvis ergo maneat obstinatus qui sanctis exhortationibus reducebatur in viam: servi tamen Dei non debent fastidiose abjicere hanc curam quasi esset inutilis. Nam animas suas liberant. Prius dictum est necessitatem illis esse impositam: quod si sint canes muti, imputabitur illis animarum exitium: ubi autem coram Deo defuncti sunt & satisfecerunt officio suo, an non debet illis sufficere ejus sententia absolvi? Videmus ergo hoc solatio Prophetam animari, ne ipsum pigeat admonere homines perditos & obstinatos: quia si nihil prosit doctrina apud illos, tamen fructus ad eum redibit. Notum est il-
lud Christi, In quamcunque domum ingressi fueritis, Mat. 10.
bene precamini: si indigna fuerit domus, redibit ad v. 12, 13.
vos benedictio. Sic etiam ubi Prophetæ attente stu- Luc 10.
duerint revocare oves erraticas, & colligere in ovile: vers. 5, 6.
si experiantur tantam petulantiam, ne quid labor eorum prosit, tamen utilitas redibit ad ipsos. Nunc tenemus consilium Dei in his verbis. *Tu igitur liberasti animam tuam.* Hic autem non tantum ponit *impietatem, sed viam impiam*, explicandi causa: nisi quis malit distinguere, ut impietas sit interior malitia cordis: via autem impia sit vita exterior, & comprehendat omnes actiones: quod forte magis probabile est. Etsi non displicet exegetice addi *viam impiam*, postquam de impietate loquutus fuerat. Nunc sequitur,

20. Et si justus aversus fuerit à justitia sua, & fecerit iniquitatem, & posuero offendiculum coram facie ejus, (*vel, tunc ponam offendiculum coram facie ejus*) ipse morietur, quia non admonueris, in scelere suo morietur: & in memoriam non venient justitiæ ejus, quia (*quas*) fecit: sanguinem vero ejus è manu tua requiram.

Hic alteram partem adjungit Deus, quæ incumbit omnibus Prophetis. Mittuntur enim primum, ut in viam reducant eos qui alienati erant à Deo: deinde ut retineant eos qui jam sunt in ipso grege, & perducant usque ad metam eos qui jam stadium sunt ingressi. Videmus ergo Prophetas debere intentos esse in utramque curam, ut scilicet non tantum eos qui vagantur post suas cupiditates revocent in obedientiam Dei: sed ut confirment eos qui sponte jam sunt dociles, & hortentur ipsos ad perseverantiam, nec patiantur eos dilabi. Postquam ergo loquutus est Deus de peccatoribus qui vagi erant corrigendis, nunc adjungit alterum membrum: *Si justus*, inquit, *aversus fuerit à sua justitia, & non admonueris ipsum, morietur, & sanguinem ejus requiram è manu tua.* Ubi in summa significat Deus, non tantum reos fore Prophetas, si non hortati sint ad resipiscendum qui sese abduxerant à recta via: nisi etiam continuerint in officio eos qui jam ingressi erant rectum cursum. Utrumque ergo nobis præstandum est, nempe ut qui dilapsi sunt in varios errores revocentur: deinde ut qui sunt in grege non diffluant, sed confirmentur in perseverantia. Et ideo nunc additur, *si justus aversus fuerit, ipse quidem morietur, sed sanguinem ejus requiram.* Quæritur tamen quomodo averti possint justi, quia nulla est justitia sine Spiritu regeneratio-
1 Petr. 1. vers. 23. nis. Atqui Spiritus est semen incorruptibile: nec fieri potest, ut unquam extinguatur penitus ejus gratia. Nam Spiritus est arrha & sigillum adoptionis nostræ. Adoprio autem Dei est extra pœnitentiam,
Rom. 11. vers. 29. quemadmodum dicit Paulus. Itaque videri posset absurdum quod hic dicitur, *justum recedere & averti à via sua justa.* Notum est etiam illud Joannis, Si
1 Joan. 2. vers. 19. fuissent ex nobis, mansissent nobiscum: quia autem alienati sunt, ipsa defectio satis testatur nunquam fuisse nostros. Sed notandum est *Justitiam* hic vocari quæ habeat externam speciem tantum, non autem radicem. Nam ubi semel vigere cœpit Spiritus regenerationis, quemadmodum dixi, manet perpetuo. Atqui interdum videbimus homines ferri miro ardore zeli ad colendum Deum, & rapi ad promovendam ejus gloriam etiam supra optimos quosque. Hoc ergo videbimus: sed novit Dominus qui sui
2 Tim. 2. vers. 19. sint, inquit Paulus. Quare non est mirum si Deus hoc loco commendet sub nomine Justitiæ virtutes, quæ merentur laudem coram hominibus, etiamsi non proficiscuntur ex puro fonte. Atque ita videmus sæpe contingere, ut justi alienentur, *& recedant à via sua justa* Hic autem locus expergefacere nos debet, ut assidue petamus à Deo Spiritum perseverantiæ: quia quæ nostra est ad vitia propensio, statim instar aquæ diffluemus, tuisi Dominus nos confirmet. Quum ergo videmus justos ipsos recedere à via, timeamus & interea certi simus de constantia fidei nostræ, modo fundata sit fiducia nostra in auxilio Spiritus sancti, & non in nobis. Interea videmus non
Mat. 24. vers. 13. frustra pronunciatum illud fuisse à Christo, Beati qui perseveraverint usque in finem: quia multi in medio cursu deficiunt, vel retro abeuntes obvertunt tergum Deo. Jam diligenter notandum est quod sequitur, *Non venient in memoriam justitiæ ejus*: quia multi cuperent ita partiri cum Deo, ut si ad tempus præ se tulerint aliquod pietatis studium, id in rationem veniat, & valeat etiam ad ipsos levandos. Sed audimus quid Deus pronunciet, nempe *omnes justitias non venturas in memoriam si quis defecerit.* Non est ergo cur nobis blandiamur ad securitatem & ignaviam, ubi Deus ostendit nisi ad extremum usque pergamus, nempe ad metam stadii nostri, quicquid præstiterimus fore inutile. Quantum ad verba spectat, dicit, *si defecerit à justitia sua*, vel recesserit, vel aversus fuerit, proprie, *& fecerit impietatem.* Hoc diligenter notandum est, quia scimus optimos etiam quosque sæpius labi: sed hic notatur defectio, ubi quis se ad iniquitatem projicit. Facere ergo impietatem, est se prorsus dedere impietati: quemadmodum quum dicit Joannes eos qui regeniti sunt ex *1 Joan. 3.*
Spiritu Dei, non facere peccatum, intelligit non *vers. 9.*
esse addictos peccato, etiamsi adhuc circumferant multas infirmitates, & multa vitia: quemadmodum etiam dicit Paulus peccatum habitare in nobis, sed *Rom. 6.*
non regnare. Ergo facere peccatum est se prosti- *vers. 12.*
tuere ad peccandum. Dicit autem *ponam*, vel ad ponendum, vel si posuero *offendiculum coram facie ejus.* Offendiculum hic vocatur pœna, quum scilicet Deus vindictam suam demonstrat contra apostatas. Quanquam potest etiam offendiculum vocari admonitio actualis, ut loquuntur: sed quia illud esset nimis argutum, simpliciter accipio, *si justus aversus fuerit, ego autem reddidero mercedem quam meritus est*, ipse morietur, *quia non admonuisti ipsum*, in sua injustitia morietur, ita distinguo. Nam quidam interpretes videntur mihi inscite contexere, Morietur, in sua iniquitate morietur. Jam repetitur illa comminatio quam vidimus, nempe Prophetas omnes, qui cessaverint in suo officio, fore coram Deo obnoxios: quia ignavia ipsorum non multum abest à perfidia. Deus enim dignatus est eos summo honore dum illis animas commisit, quas adeo charas & pretiosas habet, ut dictum est. Quod si tale depositum abjiciant, videmus eos non tantum injuriam facere hominibus, sed etiam ingratos esse Deo: & ipsorum pigritiam non solum conjunctam esse cum perfidia, sed etiam cum sacrilegio, quia sinunt Satanam Deo eripere quod suum erat. Perinde est acsi quis speculator stationem suam desereret, & proderet eam hostibus: quia ubi vident alios errare, alios autem diffluere, certum est non ignorantia hoc fieri, sicut dictum est: sed Satanæ insidiis, & libidini ita exponuntur quos Christus sanguine suo redemit: ista proditio est prorsus inexcusabilis, quemadmodum dictum fuit.

Da omnipotens Deus, quemadmodum quos creas doctrinæ tuæ ministros, speculatores nobis hac lege constituis, ut invigilent pro salute nostra: ita etiam attenti simus ad ipsos audiendos, neque bis pereamus nostra culpa, nempe errore & obstinatione: sed si errare contigerit, ut saltem reprehensi resipiscamus, & ita redeamus in viam, ne unquam ab ea deinde diffluamus, sed perseveremus usque ad extremum, ut tandem fruamur æterna beatitudine, quæ nobis reposita est in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO UNDECIMA IN EZECHIELEM.

21. Et tu si ipsum admonueris (*nempe justum*) ne peccet justus, & ipse non peccaverit, vivendo vivet, quia admonitus fuit: tu vero animam tuam liberasti.

Vidi-

Vidimus postrema lectione duplex esse munus pastorum, ut colligant oves dispersas, deinde contineant quæ jam congregatæ sunt. Nam ut proclivis est ad multos lapsus hominum natura, pro sua infirmitate subinde continget huc & illuc dissipari qui jam in Dei ovile collecti sunt, nisi confirmentur. Opus est igitur assiduis admonitionibus: & ideo asserit Deus reos fore pastores, si eorum negligentia justi defecerint. Nunc prosequitur eandem sententiam: sed annectit diversum membrum, *quod si admonitus fuerit justus, pastorem fore innoxium.* Summa igitur huc tendit, quia Ezechiel ad munus docendi vocatus erat, debere intentum esse ad revocandos in viam qui errarunt, deinde ad alios continendos. Interea notandum est, posse quotidie in errorem abripi etiam qui videntur rectam viam ingressi esse, nisi Deus per servos suos eos retineat, & sollicitet etiam ad pergendum. Nunc sequitur,

22. Et fuit super me illic manus Jehovæ, & dixit mihi, Surge, & egredere in planitiem, & illic loquar tecum.

23. Et surrexi, & egressus sum in planitiem: & ecce illic gloria Jehovæ stetit (*stans*) sicuti gloria quam conspexeram super flumen Chebar: & cecidi in faciem meam.

Videtur Deus quodammodo ludere cum Propheta suo ubi eum circumagit, & in speciem mutat consilium. Nam antehac impositæ fuerunt docendi partes sancto viro: nunc autem jubetur egredi, & postea præcipit Deus, ut domi se occludat. Videtur itaque hæc varietas esse mutatio consilii, ubi Deus nunc injungit loquendi provinciam, nunc otiari jubet servum suum. Sed minime dubium est quin hac ratione confirmata fuerit Prophetæ auctoritas, ubi scilicet Deus moderatus est ejus linguam, idque in utramque partem. Nam quamvis creatus esset doctor, continuit tamen se, donec Deus suggereret quod dicturus erat. Postea jussus est tacere, & paruit Deo: tandem ubi Deus verba dictavit, & jussit prodire in medium, cœpit officio suo defungi. Nam si prima statim vocatione cœpisset loqui, poterat objici nimia levitas: sed ubi prompto animo se accinxit, & interea obmutuit quantisper Deo ita visum est, major accessit gravitas ejus doctrinæ. Nunc tenemus in quem finem *facta fuerit super eum manus Domini.* Per *manum Dei* intelligitur potentia. Nam frigida est illa expositio, ut antea admonui, vocare manum, Propheticum munus. Sensit igitur se impelli arcana Dei virtute. denique Manus Jehovæ nihil aliud est quam agitatio Spiritus, ut sentiret Propheta se non humanitus ferri, vel inconsiderato aliquo impetu. *Fuit* ergo, inquit, *manus Jehovæ super me, & dixit mihi, Surge, & egredere in planitiem, ut illic tecum loquar.* Potuit non aliud reputare Ezechiel quam se adduci, ut statim perferret Dei mandata ad populum. Atqui hæc opinio longe ipsum fefellit, quia ut videbimus, productus fuit in medium, ut statim se domi occluderet. Sed antequam hoc narret, dicit *se fuisse egressum.* Videmus ut flexibilis fuerit quocunque ipsum Deus mittebat. Et hoc notatu dignum est, quia nisi nobis arrideat Dei vocatio, & sensus noster subscribat, refugimus, vel saltem differimus. Atqui Propheta habuit justam excusationem secundum homines, ut non sine colore tergiversaretur. Deus enim sæpius jam ipsum alloquutus fuerat, & quidem sine fructu. Nunc autem quanquam tenetur adhuc suspensus, nec pronunciat Deus quid ipsum velit facere, *egreditur tamen in planitiem*, quia sic Deus præcepit. Hoc igitur exemplo docemur, etiamsi eventus rerum nos lateant, simul tamen atque Deus nobis aliquid præcepit, obtemperandum esse. Imo si repugnet sensus noster, tamen hanc obedientiam ei deberi, ut sequamur quocunque vocat, etiamsi videmur id facere non tantum frustra, sed etiam cum ludibrio. Cæterum, Deus eum frustratus non est, quia apparuit in sua gloria. Conspectus autem gloriæ Dei debuit satisfacere sancto viro, quamvis alia omnia deficerent. *Vidit* igitur *gloriam Dei sicuti prope flumen Chebar.* Unde colligimus visionem illam non fuisse affixam certo loco. Deus ergo semel super ripam fluvii apparuit servo suo, deinde in media planitie. Quod dicit *se in faciem cecidisse*, alibi exposuimus quid sibi velit. Fieri enim non potest, quin fideles qui tanguntur serio timore Dei expavescant ad ejus conspectum. Impii quoque coguntur Deum metuere, sed mox obdurescunt: & quamvis reddantur fere exanimes, qui tamen sequitur stupor sensum omnem extinguit. Atqui metus, quem concipiunt fideles ex Dei aspectu, conjunctus est cum reverentia. *Sic autem cecidit in faciem suam Ezechiel*, ut non potuerit surgere, donec Spiritus Dei illum erexit, quemadmodum postea sequitur.

24. Et venit in me Spiritus, & statuit me supra pedes meos, & loquutus est mecum, & dixit mihi, Vade, occludere in medio domus tuæ. (*hoc est, intra domum tuam.*)

Hic confirmat Ezechiel quod dixi, fideles ubi semel territi sunt conspectu gloriæ Dei, non posse colligere animum, nisi Dominus illos fulciat sua virtute. Sed peculiaris fuit ratio in Propheta, quia debuit agnoscere se quasi mortuo esse similem, ut sentiret Spiritum Dei in animo suo vivere & vigere. Ergo ad confirmationem hoc valuit, quod Spiritus restituit illum quasi à morte in vitam: ideo dicit *Spiritum venisse.* In summa, quemadmodum anima hominem vivificat, ita Spiritus Dei est supernaturalis vita in homine. Vivimus secundum hominem, quia indita est animæ nostræ virtus, quæ habet suas facultates. Nam in anima est sedes intelligentiæ, deinde est voluntas, sunt sensus: diffundit etiam vigorem suum per omnia membra. Cæterum, vita quam inspirant animæ corporibus, quodammodo terrena est: sed Spiritus Dei animas ipsas vivificat supernaturaliter. Et hæc distinctio tenenda est, quia profani homines tantum in externa apparentia, ut loquuntur, id est, in splendore gloriantur, qui nihil aliud quam larva est. & ideo plenis buccis celebrant liberum arbitrium, & facultates naturales: nempe quia nunquam gustarunt quid sibi velit vita supernaturalis, cujus hic fit mentio. Ezechiel quidem repletus fuit Spiritu Dei peculiari modò, ut idoneus esset ad obeundum munus Propheticum: sed hoc commune est fidelibus, quo ad spiritualem vitam. Dicit ergo *se locatum fuisse supra pedes suos*, quia jacebat prostratus, nec poterat quemadmodum jam dixi, digitum attollere, nisi erectus fuisset divinitus. Postea refert Dei mandatum, quod in speciem absurdum censeri posset. Quorsum enim Deus creavit Ezechielem Prophetam, nisi ut se accingeret ad docendi munus? Atqui nunc jubet eum non tantum quiescere, sed etiam latere domi. Utitur enim *occludendi* verbo: quasi diceret, maneas domi tuæ quasi captivus. Si fuisset privatus homo, habebat liberum egressum: nunc autem ubi Deus injunxit Prophetæ munus, captivus tenetur. Atqui vocationi hoc prorsus adversum

est.

est. Sed primo voluit Deus probare obedientiam servi sui: deinde quod præcipuum est, voluit ejus vocationem magis ac magis asserere. fuit enim hæc non vulgaris confirmatio, ut accederet major auctoritas, quod Propheta quum excelleret singulari virtute, tamen non prosiliit in medium, sed domi quievit, & fuit sponte captivus, quia ita placebat Deo. Hinc vero cognoscere potuit totus populus Prophetam non temere, neque repentino aliquo impetu procedere, quia sic ad Dei nutum fuisset sæpius mutus. Postea sequitur,

25. Et nunc, fili hominis, ecce posuerunt super te vincula (*vel funes: volunt esse funes perplexos & retortos*, עבותים) & ligabunt te illis, (*hoc est, quibus te ligent*) ideo non egredieris in medium ipsorum.

26. Et linguam tuam adhærere faciam (*vel affigam*) palato tuo, & obmutesces, & non eris illis in virum coarguentem, (*vel corripientem*) quia domus rebellionis (*vel amaritudinis*) sunt.

Nunc Deus rationem exponit cur velit Prophetam suum ad tempus cessare & manere domi quasi mutum: *posuerunt*, inquit, *super te funes quibus te ligent*. Non male quadrat eorum sententia qui metaphorice hoc exponunt, quasi dictum esset, pervicaciam populi obstare, quominus Ezechiel munere suo fungi possit, quemadmodum si funibus ipsum constringerent. Hoc ut clarius fiat, revocemus in memoriam quod dicit Paulus ad Corinthios, nempe se teneri constrictum, quia non reperiat aditum ad ipsos, nec penetret in eorum animas ejus doctrina.
2 Cor. 6. vers. 11. Rejicit autem culpam in ipsos, Os nostrum, inquit, apertum est erga vos Corinthii, cor nostrum dilatatum est, hoc est, quantum in me est, paratus sum fideliter vobis meam operam impendere: sed viscera vestra sunt constricta. Quoniam ergo homines sua pravitate impediunt doctrinæ cursum, in angustias redigendo servos Dei, optime convenit, malitiam eorum qui non sunt dociles, similem esse funibus quibus fideles doctores ligantur, ne libere pergant in vocationis suæ cursu. Si quis autem malit proprie & literaliter accipere quod hic dicitur, sic tamen resolvenda erit oratio, Israëlitas adhuc non esse maturos ad discendum, quia si statim Propheta Dei mandata perferat, fore similes furiosis, qui injiciant manus, qui funibus ipsum ligent. hic quoque sensus optime convenit. Libera igitur nunc sit electio. Sed quoad summam rei minime obscurum est Dei consilium, Prophetam scilicet non debere iniquo animo ferre, si ad tempus jaceat quasi inutilis, quoniam nondum auditores vel idoneos discipulos nactus sit. Videmus ergo hoc dici in solatium Prophetæ, ne obmurmuret, vel moleste ferat, quod Deus vult domi clausum manere: quia scilicet nondum opportunum adsit tempus. quasi dictum esset, Si nunc properes accedes ad homines furiosos qui mox in te irruent, & funibus ligabunt. Quia igitur vides ipsos nondum esse paratos ad discendum, expecta paulisper, donec tibi comparem aures, quæ te audiant: vel saltem, ut magis reddantur inexcusabiles, mittam te: & interea quamvis sint adhuc pervicaces, ne tamen possint violenter contra te insurgere, sed velint nolint cogantur audire mandata, quæ perferes ex ore meo. Et hoc continuo post confirmat, ut videbimus. Sed jam adjungit, *Linguam tuam affigam palato tuo*, vel faciam ut lingua tua palato tuo adhæreat, *ut non sis illis in virum coarguentem, quia domus rebellis sunt*. Quod Deus adscripsit Israëlitis nunc ad seipsum transfert. Dixerat, *Ligabunt te funibus*, jam dicit, *Faciam ut lingua tua adhæreat palato*: Sed hæc duo facile conciliantur, quod scilicet sua intemperie repulerint prophetias Israëlitæ: Deus autem privarit ipsos hoc beneficio, quia videbat indignos esse. Hic autem locus docet, signum esse vindictæ Dei, ubi cessant omnes prophetiæ, & eripitur doctrinæ usus. Nam sicuti Deus nobis affulget per sermonem suum, & habemus illic certum pignus paternæ ejus gratiæ & favoris: ita etiam ubi aufertur doctrina, perinde est acsi Deus faciem suam absconderet, imo si nobis obverteret tergum. Tenendum igitur est quod hic dicitur, *quia domus Israëlis rebellis erat*, ideo Prophetam obmutuisse, & cessasse apud impios illos doctrinæ usum. Deus ergo desistit, ubi videt sibi negotium esse cum stupidis & surdis, non id quidem prima quaque tædii occasione: quin potius luctatur cum hominum ingratitudine, nec desinit quemadmodum vidimus apud Jeremiam, mane Jerem. 7. vers. 13.
surgere & excubias agere, etiam noctu: non de- & 11:7.
sinit ad se vocare etiam qui tardi sunt & ignavi, & 35:14.
imo qui prorsus sunt rebelles: sed tandem ubi videt se nihil proficere longa patientia, aufert sermonem suum quemadmodum diximus. Et ideo conqueritur Ecclesia se destitui Prophetis, & ponit cladem illam inter extrema signa iræ Dei, Si- Psal. 74.
gna nostra non videmus, & Prophetæ inter nos non vers. 9.
apparent. Hoc autem modo intelligunt se quasi alienatos à Deo, nec sibi quicquam restare solatii ubi Deus non dat gustum aliquem suæ bonitatis per Prophetas. Optant quidem hoc reprobi, quia nihil illis molestius est, quam audire Deum assidue clamantem. Ergo quantum in se est, quærunt latebras, & putant nihil sibi esse melius, quam torpere in suis vitiis, nec audire ullam objurgationis vocem. Sed nihil tamen illis magis est exitiale, quia saltem Deus offert se quasi medicum, qui sanet morbos nostros quamdiu hortatur nos ad resipiscentiam. Ubi autem obmutescit, deserit nos quasi perditos: & ideo dixi nihil magis esse exitiale quam ubi nulla objurgatio auribus nostris insonat, sed suaviter nobis blandimur, quia hoc modo Satan nobis eripit omnes sensus: & hoc est ultimum ejus veneficium, ubi ita nos blanditiis suis delinit, cessat autem omnis objurgatio quæ securitatem excutiat. Nunc sequitur,

27. Et quum loquutus fuero tibi, & aperuero os tuum, (*sic enim interpretor: ad verbum est, Aperiam os tuum: sed uno contextu lego, Ubi loquutus fuero tibi, & aperuero os tuum*) tunc dices ad eos, Sic dicit Dominator Jehovah, Qui audit audiat, & qui desistit desistat: quia domus rebellionis sunt.

Post silentium ostendit Deus quibus mandatis velit servum suum instruere, nempe quæ populum exasperent, sicuti ante vidimus. Odiosa igitur fuit hæc legatio, quum Propheta exordium faceret ab hac insultatione, Si vultis audire audite, sin minus mea nihil refert. Qui mittuntur legati, saltem jubentur tentare an blando vel amico sermone conciliare queant eorum gratiam, quibuscum negotium est. Atqui Deus hic contrariam prorsus rationem sequitur. Quid enim sibi vult his verbis, *Qui audit audiat, qui desistit desistat?* nempe ut Israelitæ intelligant sibi Prophetam mitti, non quia spes aliqua sit resipiscentiæ, quum satis superque multis experimentis testati sint se esse prorsus desperatos: sed Dominus Prophetam mittit, ut magis eos pungat, ut vulneret: deinde ut vulnus mortale ipsis infligat. Nunc ergo vide-

videmus confirmari quod ante retulit Propheta, sibi injungi docendi munus, non quia futurus sit utilis ac fructuosus ejus labor, quantum ad vulgus ipsum pertinet: sed ut Israëlitas accendat in rabiem, si nolint resipiscere, ut frangat ipsos si flecti nequeant: & si respuerint, se coram Deo reos peragere, qui futurus sit eorum judex: & interea liberum fore Propheticæ doctrinæ cursum quantumvis pervicaciter ipsi obsistant. Nunc tenemus Prophetæ consilium. Hinc autem colligimus quod nuper attigi, Deum scilicet varie agere cum reprobis. Aliquando enim periculum facit an sint sanabiles, & Prophetas illis destinat qui eos ad resipiscentiam hortentur. Ubi autem videt sua ingratitudine obruere omnem lucem, tunc destituit eos omni doctrina: postea iterum affulget: lucem tandem sequuntur aliæ tenebræ densiores. Ergo festinemus quamdiu affulget nobis salutis doctrina, ne Deus mentes nostras & sensus omnes obtenebret, & privet nos singulari illo beneficio, ubi insculpta est imago paterni ejus favoris, quemadmodum diximus. Pergamus.

CAP. IV.

ET tu fili hominis, sume tibi laterem, & pone ipsum coram facie tua, & pinge super ipsum urbem, *nempe* Hierosolymam.

2. Et pone contra eam obsidionem, & extrue contra eam turrim, & funde adversus eam aggerem, & pone adversus eam castra, & statue contra eam arietes in circuitu.

3. Et tu sume tibi patinam (*vel sartaginem*) ferream, & pone illam murum ferreum inter te & inter urbem: & obfirma faciem tuam adversus eam, (*vel contra, ex opposito*) & sit in obsidionem, & obsidebis eam. Hoc signum domui Israël.

Hic incipit Deus apertius loqui per servum suum, nec loqui tantum, sed etiam obsignare externo symbolo quod per os illius volebat proferri. Jubet igitur *Prophetam suum pingere in latere Hierosolymam. Sume* ergo *laterem*, inquit, *& statue in conspectu tuo:* deinde *pinge illic urbem*, nempe *Hierosolymam:* hoc unum est. deinde *extrue adversus eam turrim.* Describit formam veteris militiæ. Tunc enim quum vellent urbes oppugnare fundebant aggeres, quibus replebant fossas: deinde admovebant ligneas turres, ita ut confligerent milites quasi manibus consertis: habebant denique alias machinas, quæ nunc non sunt in usu. Nam bombardæ abstulerunt illam vetustam artem militandi. Deus autem hic simpliciter vult picturam urbis obsideri ab Ezechiele. Deinde jubet *statuere sartaginem*, vel patinam *ferream instar muri ferrei.* Hoc fuit puerile spectaculum, nisi à Deo jussus fuisset Propheta sic agere. Et hinc etiam colligimus, Sacramenta non posse distingui ab inanibus spectris, nisi Dei verbo. Auctoritas igitur Dei nota est discretionis, ut Sacramenta excellant, & habeant suam dignitatem, & pondus: quicquid autem comminiscuntur homines sit frivolum. Hac ratione pompas omnes quibus Papalis religio plena est, dicimus esse meras nugas. Quare? nam excogitarunt homines quicquid illic perstringit simplicium oculos, nullo Dei mandato. Atqui si quis nunc objiciat, aquam in Baptismo non posse penetrare ad animas usque, ut eas purget internis & occultis sordibus: in promptu solutio est, Baptismum non debere æstimari solo externo aspectu, sed considerandum esse ejus auctorem. Ita totus Legalis cultus nihil habebat fere diversum à Gentium ceremoniis. Siquidem mactabant profanæ quoque Gentes suas victimas: habebant quicquid poterat desiderari ad eximium splendorem. Sed illud totum fuit insipidum, quia Deus nihil tale mandaverat. Contra, nihil fuit inutile apud Judæos. Quum enim afferrent suas victimas, quum sanguis spargeretur, quum etiam sese abluerent aqua, accessit Dei mandatum, deinde promissio. Ita ceremoniæ illæ non fuerunt supervacuæ. Tenendum igitur est, Sacramenta primo intuitu posse videri levia & nullius momenti: sed vim positam esse in Dei mandato & promissione. Nam si quis legat quod hic refert Ezechiel, dicet fuisse ludum puerilem. Accepit lapidem coctilem, pinxit illic urbem: fuit figmentum: deinde habuit etiam imaginarias machinas, quibus urbem illam oppugnaret: pueri hoc melius. Tandem opposuit patinam ferream instar muri: actio nihilo magis seria quam priores. Profani igitur homines non tantum despicerent, sed etiam insectarentur hoc symbolum. Verum ubi Deus Prophetam mittit, sufficiat nobis ejus auctoritas, quæ certa est discretionis nota, & fallere non potest, ut dixi. Primum dicit, *Pinge urbem*, nempe *Hierosolymam:* deinde, *Pone contra eam obsidionem, & admoveas omnia instrumenta bellica: statue etiam* כרים, quidam interpretantur Duces: sunt arietes vel agni. Sed Hebræi etiam metaphorice nominant Arietes, machinas illas ferreas, quibus muri subruebantur, quemadmodum Latini. Quibusdam tamen magis placet vertere Duces. Sed eorum opinio mihi non probatur. Tandem dicit, *hoc erit signum:* & in hac particula insistere convenit. Sicuti enim jam dixi, tota descriptio posset censeri inanis, nisi accederet hoc testimonium: denique visio hæc esset per se insipida: sed sapor accedit ex hoc condimento, quum Deus dicit *hoc fore in signum Israëlitis.* Ubi autem Deus pronunciat Prophetam nihil frustra facturum, hoc satis valere debet, & acquiescere oportet ejus verbo. Si enim disceptamus pro nostro sensu, ostendet quod stultum videtur, superare omnem mundi sapientiam, quemadmodum Paulus dicit. *1 Cor. 1. vers. 25.* Deus enim interdum operatur quasi per stultitiam, hoc est, habet agendi rationes absurdas & minime consentaneas hominum judicio. Quod si volumus nobis sapere, putabimus ipsum esse stultum. Sed ut hæc stultitia Dei apud nos excellat supra omnem mundi sapientiam, veniat nobis in mentem hæc sententia quum hic dicitur, *sit hoc in signum domus Israel.* Quanquam enim Israëlitæ poterant capita concutere, & exerere linguas suas, & effreni protervia insectari Prophetam: tamen hoc unum satis valuit ad ipsos prosternendos, quod Deus dixit *hoc fore in signum.* Scimus autem cujus rei signum fuerit, quia Israëlitæ qui tracti fuerant in exilium, putabant se fuisse nimium faciles, & pigebat eos suæ obedientiæ: deinde etiam obrepebat invidia, quum viderent residuam partem populi in urbe manere. Ergo Deus occurrit, & ostendit ipsis magis tolerabile esse exilium, quam ferre obsidionem si in urbe clausi essent. Deinde minime dubium est quin directa fuerit hæc prophetia etiam adversus Judæos, qui sibi placebant, quod adhuc tranquilli essent in suo nido. Hac ergo de causa jubet Deus Prophetam *extruere turres:* deinde, *statuere castra, & parare quicquid pertinet ad oppugnationem urbis:* nempe quia paulo post venturi erant Chaldæi, qui non tantum premerent urbem, sed tandem etiam expugnarent, sicuti postea pluribus videbimus.

Da omnipotens Deus, quando tam comiter nos

ad

ad te invitas, nec desinis etiam si surdi sumus, tamen continuare eandem erga nos gratiam, ut tandem morigeri simus ad obsequium, & sinamus nos regi verbo tuo: nec tantum in diem unum vel exiguo tempore, sed ut perseveranter tibi obediamus; donec completo peregrinationis nostræ cursu, tandem colligamur in cælestem tuam quietem, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DUODECIMA IN EZECHIELEM.

4. Et tu cuba super latus tuum sinistrum, & pone iniquitatem domus Israël super illud: pro numero dierum quibus cubabis super illud, portabis iniquitatem ipsorum.

5. Et (*pro nam*) ego dedi tibi (*vel constitui tibi*) annos iniquitatis ipsorum ad numerum dierum, trecenti & nonaginta dies, (*erunt, subaudiendum est*) & portabis iniquitatem domus Israël.

6. Et quum finieris eos (*dies,*) tunc cubabis super latus tuum dextrum secundo: & portabis iniquitatem domus Jehudah quadraginta diebus, diem pro anno, diem pro anno constitui tibi. (*ego pergam adhuc in toto contextu.*)

7. Et ad obsidionem Jerusalem diriges (*vel statues, nam* כּוּן *significat utrumque*) faciem tuam, & brachium tuum nudatum *erit*, & prophetabis contra eam.

8. Et ecce posui super te funes, & non vertes te à latere tuo ad latus tuum, usque dum compleveris dies obsidionum tuarum.

PRimum spectandus est finis hujus prophetiæ, deinde commodius excutiemus singulas partes. Minime dubium est quin Deus occurrere voluerit superbiæ populi. Putabant enim gravius se puniri, quam pro suis delictis. Et hoc hypocritis solenne est, quia dum in totum non audent se absolvere, obmurmurant tamen si Deus ipsos gravius affligat: deinde libenter afferrent aliquid compensationis, ut se eximerent à pœna. Quamvis enim fateantur se reos esse, tamen non desinunt tergiversari: & existimant si Deus ad aliquam æquitatem descenderet, se fore vel immunes, vel minus miseros. Tale fuit ingenium veteris populi, ut satis notum est. Jam repetere memoria convenit quod alibi diximus, Judæos scilicet fuisse magis obstinatos, quia Deus illis pepercerat. Neque enim putabant id duntaxat esse temporale, sed perinde acsi transegissent cum Deo exultabant cum magna licentia. Interea exules assidui erant in querimoniis, primum quod tam severe cum illis egisset Deus, qui clementer ignoverat Judæis: deinde putabant se fuisse deceptos, & si prudenter rebus suis prospexissent, potuisse effugere tot miserias quibus premebantur. Nunc ergo jubetur Ezechiel prodire in medium, & breviter ostendere, non posse aliter fieri quam ut totus populus justam mercedem scelerum suorum recipiat. Sed quia simplex doctrina non satis fuisset efficax ad eos permovendos, additur visio: & in hunc finem jubetur Propheta *jacere super unum latus trecentis & nonaginta diebus, super alterum vero diebus quadraginta.* Jam additur interpretatio, *dies sumi pro totidem annis.* Sed summa est, populum per trecentos & nonaginta annos bellum gessisse cum Deo, quia nunquam destiterat peccare. Jubetur ergo Propheta *suscipere iniquitatem tot annorum:* sed Deus constituit illi dies pro annis: deinde accedunt anni quadraginta qui pertinent ad Judæos. Locus hic varie torquetur ab interpretibus: non referam omnium commenta. Nam frustra se fatigarunt in excogitandis argutiis, quæ sponte evanescunt. Ego autem non conteram tempus in illis refutandis: duntaxat conabor elicere genuinum sensum. Quod tamen quidam Israëlis nomen extendunt ad totum corpus populi, repudiandum est. Nam annos trecentos & nonaginta inchoant à prima defectione,
Judic. 2. vers. 2. cujus mentio fit in libro Judicum: & colligunt annos illos, quibus sæpius ad impietatem prolapsi sunt Israëlitæ: ita supputant annos trecentos & nonaginta, subductis temporibus quibus floruit religio & puritas cultus Dei, sicuti sub Gedeone, sub Samsone ad aliquod tempus, sub Davide & Solomone. Detrahunt ergo annos illos quibus viguit pietas in populo: quod residuum est ascendit circiter ad annos trecentos & nonaginta. Sed absurdum esset comprehendere Tribum Jehudah sub nomine Israëlis, ubi fit comparatio utriusque regni. Scimus quidem omnes posteros Abrahæ ita fuisse cognominatos à patre suo Jacob. Quum ergo ponitur nomen Israëlis, comprehenduntur duodecim Tribus vel tredecim sine exceptione. Sed ubi est relatio, Israël significat tantum decem Tribus, vel regnum illud adulterinum, quod erexit Jarobeam post mortem Solomonis. *1 Reg. 12. vers. 20.* Quum ergo hic de Israële & Jehudah agatur, minime consentaneum est Prophetam loqui de toto populo, & miscere Tribum Jehudah cum aliis. Deinde res ipsa discutit omnes nebulas, & tollit quicquid alioqui posset esse controversiæ. Nam si numeramus annos à defectione quæ contigit sub Rechabeam, reperiemus trecentos & nonaginta annos usque ad expugnationem Hierosolymæ. Quid jam facilius est, & quid opus est conjecturis? Miror Hieronymum quum nihil afferat præter meras nugas, tamen jactare quasi mirabilem sapientiam. Dicit quidem se non superbiæ causa id facere: certe non erat cur superbiret. Nam si quis legat ejus commentum, reperiet nihil illic nisi puerile. Sed quemadmodum jam dixi, quum nomen Israëlis passim significet decem Tribus, optime convenit quod hic dicitur: nempe continuam fuisse obstinationem decem Tribuum per trecentos annos & nonaginta. Nam ut satis notum est, Jarobeam erexit duo altaria, ut populum averteret à cultu Dei. *1 Reg. 12. vers. 28.* Putabat enim se nondum stabilitum ita esse in regno, ut retineret in obsequio populum, nisi averteret à domo Davidis. Usus est igitur illo artificio. Ita corruptus fuit cultus Dei apud Israëlitas. Jam per idololatriam hic designat Propheta alia scelera populi. Nam ex hoc fonte etiam fluxerunt aliæ iniquitates. Postquam semel populus à Deo descivit, oblitus est totius Legis. Complectitur itaque Propheta omnes corruptelas sub una hac specie, quod scilicet populus regis edicto excusserit jugum Dei, quemadmodum etiam illis exprobrat Hoseas. *Hos. 5. vers. 11.* Tenemus nunc trecentos & nonaginta annos iniquitatis Israël, quia scilicet populus

tunc

tunc abjecit Legem, & sequutus est extraneas superstitiones, quas fabricavit Jarobeam non alio consilio, nisi quia hoc modo putavit firmari opes regni sui: quemadmodum terreni Reges non alio studio ducuntur, quamvis simulent, & magnifice etiam profiteantur se optima devotione quærere Dei gloriam: tamen religio illis est tantum lusus: modo populum in obsequio & officio retineant, perinde illis est qualiscunque colatur Deus, vel quocunque modo. Talis igitur fuit astutia Jarobeam. Posteri autem prolapsi sunt in deterius: ita nunquam potuit restitui cultus Dei apud Israëlitas. Manebat quidem Circumcisio, deinde imitabantur quod Moses præceperat in Lege: sed interea pro unico altari habebant duo, & quidem profana. Tandem non veriti sunt Gentium idololatrias palam asciscere. Sic ergo miscebant Deum cum suis figmentis, ut abominatio fuerit quicquid illic fuit in pretio sub colore pietatis. Hæc ratio est cur dicat Deus *iniquitatem populi Israël durasse per annos trecentos & nonaginta*. Major est difficultas in secundo membro: quia supputatio non perinde convenit. Post mortem Josiæ tantum reperientur anni viginti duo usque ad urbis expugnationem. Atqui scimus Regem illum pro eximia pietate curasse, ut Deus sincere coleretur: nam purgavit totam terram omnibus inquinamentis. Ubi ergo erunt illi quadraginta anni? Quare necesse est sumere partem regni Manasse, quia tunc non tantum
2 Reg. 21. descivit Hierosolyma à doctrina Legis, sed tyrannus ille crudeliter sæviit contra omnes Prophetas, & urbs contaminata fuit innoxio sanguine. Verum ita omittere necesse erit regnum Josiæ: deinde rescindenda erit pars regni Manasse, quia non statim ad impietatem prolapsus est: sed postquam adolevit, tunc spreto Dei cultu, & exemplis patrum suorum, defecit ad cultus exteros & fictitios: deinde non perstitit in sua impietate usque ad vitæ finem. Sumendi igitur erunt anni octodecim, & jungendi cum viginti duobus, ut constet nobis numerus, qui ponitur à Propheta: nisi forte quispiam malit partem ex
2 Reg. 22. regno Josiæ sumere. Nam quamvis pius ille Rex studium suum impenderet ad cultum Dei tuendum, scimus tamen populum tunc quoque certasse sua malitia cum bonitate Dei. Nam ubi Lex reperta fuit, nulla tamen sequuta est correctio. Jam obsoleverat memoria omnis doctrinæ. Sed quum Lex prodiit in medium, debuit novus populus fieri. Tantum autem abest, ut resipuerint qui prius alienati fuerant à Deo, ut magis ac magis prodiderint suam pertinaciam. Quum ergo tunc quoque detecta fuerit populi impietas, non mirum erit si populus Jehudah dicatur quadraginta annis peccasse. Mihi certe posterior expositio magis placet, quod recenseat Prophera annos continuos, qui captivitatem decem Tribuum sequuti sunt. Quanquam alteram non repudio, quod in supputatione ponat annos illos quibus Manasse exercuit tyrannidem adversus servos Dei, & conatus est abolere purum cultum, quantum in se erat, & polluere omnium gentium sordibus. Nunc ergo habemus annos quadraginta iniquitatis Tribus Jehudah. Quod autem interpretes referunt annos quadringentos & triginta ad obsidionem urbis, acsi in ea subsisteret Dei vindicta, vereor ne satis firmum sit: imo consentaneum mihi non videtur: sed tantum significat mirum non esse, si hostes tamdiu obsideant urbem, quum totidem annis non cessassent provocare Deum quot diebus duratura erat obsidio. Obsessa autem fuit urbs anno integro, & duobus vel tribus mensibus. Principium quidem obsidionis usque ad finem comprehendit sesquiannum: sed soluta fuit ad tres vel quatuor menses, quum Pharao adducto exercitu conatus esset liberare Judæos, qui tunc socii erant ac fœderati. Tunc ergo Nabuchadnezar prodiit obviam, & urbs recreata fuit ad exiguum tempus. Jam si sumimus dies trecentos & nonaginta, reperiemus annum integrum primo, hoc est, annos trecentos sexaginta quinque: quanquam tunc mensis erat intercalaris, nec habebant annum finitum ut hodie habemus: sed tamen erunt trecenti & sexaginta quinque dies qui efficient annum integrum. Deinde menses duo efficient dies sexaginta. Sic ergo habebimus quadringentos & viginti dies. Jam mensis & sesqui elapsus est antequam rediret Nabuchadnezar. Tunc ergo supputatio ascendet usque ad annos quadringentos & triginta. Placent autem sibi interpretes, quod obsidio urbis duraverit usque ad tempus quod respondeat tempori Abrahæ præscripto. Nam fœdus suum pepigit Deus cum Abraham quadringentis & triginta annis antè Legem promulgatam. Sed non video cur tantopere sibi placeant in illa similitudine. Neque enim hic est Prophetæ nostri scopus: quum de obsidione loquitur, certe ad expugnationem præcipue respicit. Ego itaque non existimo hic numerari dies, quibus urbs obsessa fuit, quasi justam pœnam: sed tantum conferri annos cum diebus, ut statuant, quamvis diuturna futura sit obsidio, finem tamen minime sperandum esse, donec totus populus intereat. Cæterum, in progressu videbimus, Prophetam jacuisse super latus suum diebus trecentis & nonaginta: ubi nulla fit quadraginta dierum mentio, sed pars illa videtur omissa esse. Maneat tamen hoc fixum, quia Israël & Jehudah obstinati fuerant in suis sceleribus, ideo obsessum iri urbem, donec expugnata fuerit. Nam certe pœna Israëlis non potest considerari in obsidione Hierosolymæ: ac jam migraverant decem Tribus è patria, nec sciebant quid ageretur Hierosolymæ, nisi ex relatu. Quicquid sit, conditio eorum prorsus tunc separata erat ab omnibus miseriis populi: erant enim tunc quieti in suo exilio. Quod ergo jubetur Propheta *portare iniquitatem Israëlis per dies nonaginta & trecentos*, non videtur hoc debere ab obsidionem restringi: sed simpliciter intelligit Deus, quum tot anni elapsi fuerint quibus non cessarunt peccare Israëlitæ & Judæi, jam instare ultimum interitum. Scimus autem tunc regnum Jehudah extinctum fuisse: & exilium erat quasi interitus decem Tribuum. Perierant ergo illi, nec portabat Propheta eorum iniquitatem, acsi luerent tunc pœnam suorum scelerum. Sed scimus hunc morem Scripturæ trituin esse, quod Deus rejiciat peccata in tertiam & quartam genera- Exod. 20.
tionem. Quum ergo Deus decem Tribus voluit vers. 5.
trahi in exilium, tunc sumpsit pœnam de sceleribus Deut. 5.
trecentorum & nonaginta annorum; postea sustinuit vers. 9.
urbem Hierosolymam ad aliquod tempus, & toleravit similem impietatem in illa Tribu, ne deleret penitus memoriam populi. Atqui non resipuerunt Judæi, quemadmodum etiam videmus, ubi confert eos Jesaias cum Israëlitis, fuisse deteriores. Expro- Jesa. 28.
brat illis Micheas quod sequuti fuerint statuta Amri. v. 1, 7, 8.
Unde nihil mirum si pœna quam sustinent, eorum Mich 6.
sceleribus respondeat quibus se implicuerant. Vide- vers. 16.
himus etiam 16. capite idem reperi à Propheta nostro. In summa, Deus voluit ostendere populum nimis diu abusum fuisse tolerantia illa, quum usque ad annum quadragesimum & tricesimum non destitit peccare. Cœperunt quidem Israëlitæ deficere à vero Dei cultu quum adhuc maneret purum Templum: sed tandem, etiam Tribus Jehudah degenerando in similem impietatem se ream substituit. Nunc videmus Spiritus sancti consilium. Descendo ad verba: *Tu*, inquit, *jaceas super latus tuum sinistrum*. Notandum est hoc non fuisse reipsa completum, quia non jacuit Ezechiel trecentis & nonaginta diebus super latus suum: sed per visionem jacuit, ut scilicet deinde referret ad populum quod Deus manifestaverat. Quod existimant quidam interpretes notari per latus sinistrum decem Tribus, quia Samaria sita erat ad sinistram partem, hoc quomodo conveniat non

video. Non dubito igitur quin præferre voluerit Deus Tribum Jehudah regno Israel. etsi enim decem Tribus hominum numero, opulentia, viribus excellebant: tamen Deus semper pluris fecit regnum Jehudah. Nam illic erat sedes Davidis, & decem Tribus erant posteri Abrahæ duntaxat secundum carnem: manebat promissio Hierosolymæ, & illic etiam fulgebat lucerna Dei, quemadmodum dicitur pluribus locis. Dextrum igitur latus dignitatem significat, qua voluit Deus semper ornare regnum Jehudah: decem autem Tribus notantur per sinistrum latus: quia, ut dixi, pari gloria non pollebant, qua regnum Jehudah, etiamsi plures essent numero, deinde fortiores, etsi excellerent omni bonorum genere. Jam notandum est, impositum fuisse onus ferendæ iniquitatis Prophetæ: non quod Deus in ipsum transtulerit iniquitatem populi, quemadmodum hic quidam fabricant allegoriam: & dicunt Prophetam gestasse typum Christi, quia recepit in se populi iniquitates. Neque enim hic describitur expiatio. Sed scimus Deum usum fuisse servis suis ad diversos fines. Sic ergo Propheta ab una parte jubetur oppugnare Hierosolymam, acsi esset rex Babylonis. Sustinet enim personam regis Nabuchadnezar quum oppugnat urbem lateritiam, de qua heri dictum fuit. Jam sustinet alias personas, nempe decem Tribuum, & regni Jehudah *quum cubat super latus sinistrum diebus trecentis & nonaginta: super latus dextrum cubat diebus quadraginta.* Hac ratione etiam dicitur, *Ego constitui tibi annos iniquitatis ipsorum pro numero dierum*, &c. hoc est, quum ego jubeo te super latus tuum tot diebus cubare, repræsento tibi annos. Nam fuisset absurdum, mandari Prophetæ, ut quatuor seculis cubaret super unum latus. Deus sese accommodat in istis figuris ad modulum nostrum. Atqui illud esset præter naturam, hominem cubare per quatuor secula. Quia ergo illud absurdum erat, Deus commutat annos in dies. Hæc ratio est, cur dicantur dies substitui in locum annorum. Postea additur, *Ubi compleveris annos illos, tunc cubabis super latus tuum dextrum secundo, & portabis iniquitatem domus Jehudah quadraginta diebus.* Ostendit hic Deus Tribum Jehudah quum debuerit terreri pœna regni Israel, tamen perstitisse in sua malitia: ideo fieri non posse quin tandem rapiantur ad eandem pœnam cum Israelitis Judæi. Additur, *& ad obsidionem Hierosolymæ firmabis*, vel stabilies, *faciem tuam.* Potest utraque significatio recipi, vel diriges aut ordinabis, vel stabilies aut firmabis. Quanquam mihi magis placet dirigendi vel ordinandi verbum hoc loco. Dixerat quidem prius, diriges faciem tuam, donec scilicet expugnata fuerit Hierosolyma: sed simpliciter hic, meo judicio, jubet Deus Prophetam suum intentum esse ad urbis expugnationem: *& brachium tuum sit nudatum*, nempe quo esset expeditior. Scimus enim Orientales usos fuisse tunicis manicatis, deinde longis vestibus: ita non poterant exequi sua munia, nisi vestes exuerent. Ergo Propheta hic jubetur *brachium suum nudare*: perinde acsi quis pallium suum dimidia parte exueret, & rejiceret in alterum latus, haberet brachium unum expeditum. Talis ergo fuit habitus Prophetæ, sed per visionem, ut dictum fuit. Postea additur, *& prophetabis contra eam.* Iterum repetit Deus quod heri vidimus. Nam nihil fuisset frigidius, quam Prophetam brachium nudare, & dirigere faciem suam ad obsidionem urbis depictæ. Quia ergo erat inanis pictura duntaxat, potuit spectaculum illud contemni. Sed Deus adjungit quorsum spectent illæ figuræ, nempe quo magis sanciatur prophetia: quasi diceret, video quidem signa hæc per se non fore magni momenti, & posses mihi objicere, Quorsum ego me exercebo in rebus istis ludicris? Sed erit certa obsignatio prophetiæ quicquid ages. Nunc videmus cur adjungat Deus prophetandi verbum. Tandem addit, *Ecce ponam super te funes, ut non vertas te à latere in latus, donec compleveris dies obsidionum tuarum.* Significat Deus decretum suum de expugnanda Hierosolyma esse inviolabile: nam quod ita constrictum tenuit servum suum, in eo designata fuit stabilitas decreti, quod putabant Judæi se posse excutere suis fallaciis. Scimus enim semper sibi fuisse blanditos, quoties minitabantur illis Prophetæ. Significat ergo Deus certam fore obsidionem urbis, donec expugnetur: quia Propheta erit quasi funibus ligatus, ne se commoveat, neque se vertat à latere ad latus. Et hinc colligimus, sub figura hac notatum fuisse, pœnæ decem Tribuum subjacere Judæos. Perinde igitur est acsi diceret Deus, tempus quod statuerat perdendo regno Israël, venisse: & eundem etiam fore finem Judæis, quia utcunque in hanc & illam partem diffugiant, tandem adveniet certa exequutio judicii Dei, acsi res esset semel firmata. Nunc sequitur,

9. Et tu sume tibi triticum, & hordeum, & fabam, & lentem, & millium, & zeam, (*est quidem pluralis numerus* כסמים, *zeas: & sicuti etiam hordea dixit plurali numero: sed est enallage numeri*) & pones ea in vase uno, & facies ea tibi in panem, (*id est, conficies tibi ex illis panem*) pro numero dierum, quibus jacebis super latus tuum: trecentis & nonaginta diebus comedes illum.

Minime dubium est quin hic versus ad obsidionem pertineat, quia Deus significat urbem tunc penuriæ fore obnoxiam: sed paulo post aliam visionem adjungit, ex qua colligimus hic non tantum agi de obsidione Hierosolymæ, sed de generali Dei vindicta contra omnes Tribus, quæ Judæis ob societatem fuit imposita, & quæ in expugnatione demum contigit. Hic autem ostendit Deus qualis futura sit conditio urbis Hierosolymæ. Nam miscellaneus panis signum est inopiæ. Conficimus enim ex tritico panem. Si qua regio sterilis est, illic comeditur hordeum, vel avena: sed ubi mediocris copia suppetit, triticeus panis solet confici: ubi autem miscentur lentes, & fabæ, millium quoque & zea quam vocant speltam, arctior detegitur penuria. Tempore Hieronymi speltæ nomen erat in usu pro zea, quandoquidem dicit apud Italos fuisse gentile. Quod idem Hieronymus vertit viciam, nescio quomodo conveniat: nam in Commentariis dicit esse zeam, & affert illud nomen speltæ, quod tunc erat tritum. quicquid sit, ubi miscentur legumina tritico, deinde etiam hordeum & zea, hinc apparet non suppetere ordinarium victum. Perinde igitur est acsi denunciaret Ezechiel annonæ inopiam Judæis, quo tempore adhuc metebant, quum essent liberi. oblata enim fuit Prophetæ hæc visio antequam urbs esset obsessa. Inopiam ergo & famem minitatus est quo tempore adhuc edebant panem ex puro tritico. Jubet autem *poni in uno vase illa omnia.* Unde colligimus fuisse farinam quæ parum saperet delicatis palatis. Nam scimus fabas, & lentes esse crassiores tritico, & non posse confici farinam, cujus sit recta proportio, ubi dissimilis est natura tritici & leguminis. Hac igitur de causa Deus expressit *vas unum.* Deinde adjungitur, *conficies tibi inde panem pro numero dierum.* Dies autem tantum hic numerantur trecenti & nonaginta: nulla fit mentio quadraginta dierum: sed potest esse synecdoche. Jam sequitur,

10. Et cibus quem comedes in pondere, erit viginti ficlorum pro die, (*hoc est, singulis diebus, vel in singulos dies*) à tempore usque ad tempus comedes. (*id est, ab initio usque ad finem: hoc est, à primo die usque ad trecentesimum & nonagesimum.*)

11. Et aquas in mensura bibes ad sextam partem hin, à tempore usque ad tempus bibes.

Confirmat quod jam dixi, nempe tantam fore penuriam, ut panem illum non audeat Propheta comedere ad satietatem usque: *tu comedes*, inquit, *panem in pondere*, nempe *ad viginti siclos.* Non est autem libra justa, ideo perinde hoc valet acsi juberet Deus Prophetam suum tenuiter victitare. Quum urbs est obsessa, distribuitur panis in frusta singulis capitibus. Deus ergo hic dicit Judæos fore quasi famelicos ubi diu obsessi fuerint, ita ut panem non habeant nisi ad certum pondus, & quidem exiguum. miserius est quod sequitur, nempe fore etiam aquæ penuriam. Hæc enim est extrema calamitas, ubi sitis urget: carere vino jam videtur nimis durum & asperum: sed ubi deficiunt aquæ, hæc quemadmodum dixi, est extrema penuria, quam tamen Propheta denunciat Judæis, ubi dicit, *sibi tempore obsidionis aquam non datam fuisse, nisi in mensura.* Differam in crastinum reliqua.

Da omnipotens Deus, quando hactenus pro inæstimabili tua clementia nos sustinuisti, ne abutamur tanta bonitate, & pertinacia nostra vindictam tuam in nos provocemus, sed præveniamus tuum judicium: & ita nos tibi subjiciamus, ut suscipias nos in fidem tuam, & protegas nos contra omnes hostes nostros: deinde largiter nobis suppedites quicquid opus est: & si restricte velis nos vivere secundum carnem, ne tamen unquam nos deficiant spirituales cibi, quin illis assidue reficiamur, donec tandem fruamur illa plenitudine, quæ nobis promissa est & reposita etiam in cælo, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA TERTIA

IN

EZECHIELEM.

Vidimus hesterna lectione præfigi totidem dies usque ad expugnationem urbis Hierosolymæ, quot annis provocaverant iram Dei. Neque enim, ut dictum fuit, pœnam sumpsit Deus de illorum sceleribus longa obsidione: quia Israël hoc modo fuisset immunis à pœna. Sed summa est, sicuti jam quadringentis & triginta annis non destiterant accersere sibi Dei vindictam, ita jam venisse finem ut solvatur illis merces quam meriti sunt. Nunc sequitur,

12. Et placentam hordeorum (*hoc est, hordeaceam*) comedes, & ipsam in stercoribus humani excrementi coques coram oculis ipsorum.

13. Et dixit Jehovah, Sic comedent filii Israël panem suum pollutum in gentibus ad quas expulero eos.

Hæc visio ad decem Tribus proprie pertinet. Ideo dixi vindictam Dei non esse nobis considerandam in sola obsidione urbis, sed longius extendi. Postquam ergo loquutus est Propheta de expugnatione Hierosolymæ, jam adjungit, filiis Israël paratam esse suam mercedem, quia Deus justus sit vindex utriusque populi. Sicuti ergo tandem pœnam exegit de reliquiis, quæ adhuc manebant Hierosolymæ, ita ultus est scelera decem Tribuum in exilio Babylonico. Hac de causa jubetur Propheta *coquere placentam in stercoribus*, hoc est, loco carbonum jubetur accipere stercus humanum: nec simpliciter de stercoribus loquitur, sed addit *stercora excrementi hominis.* Sequitur mox applicatio, *Sic comedent filii Israël panem suum pollutum inter gentes.* Nunc ergo videmus Judæos tandem tractos fuisse ad judicium, quia non fuerant tacti clade fratrum suorum, ut resipiscerent: sed interea vindictam Dei fuisse conspicuam contra decem Tribus: quia inter gentes coacti sunt miseri illi exules comedere panem suum pollutum. Scimus placentas confici ex similagine. Deligitur enim purior farina, quia panis est delicatior. Propheta autem jubetur *conficere placentas ex hordeo: deinde jubetur eas coquere in stercore.* Fuit autem illa immundities Lege damnata. Ideo significat Deus ita rejectos esse Israëlitas, ut nihil amplius differant à gentibus pollutis. Dominus enim segregaverat eos, ut scimus, à reliquo mundo: at ex quo se permiscuerunt quibuslibet impiorum sordibus, tandem post longam patientiam fuerunt prorsus rejecti, quemadmodum hic dicitur. Nam sub hac figura notatur universalis pollutio, acsi diceret nihil amplius esse integrum vel sanctum in Israële, quia permixti sunt inquinamentis omnium gentium: denique panis immundus sub se complectitur quamlibet immunditiem. Jam quum dicit *in gentibus*, significat ita fore incolas terrarum, ad quas expulsi fuerint, ut sint non tantum profugi, sed etiam exules à terra Chanaan, quæ tamen erat ipsorum hæreditas. In summa, hic notatur exhæredatio, quum dicuntur Judæi expulsi esse huc & illuc, ne habitent in terra sibi promissa. Sequitur,

Levit. 5. vers. 3. & 7: 21.

14. Et dixi, Ahah (*vel heus*) Dominator Jehovah, ecce anima mea non fuit polluta, & cadaver, & discerptum non comedi à pueritia mea huc usque: & non intravit in os meum caro putrefacta. (*vel abominabilis.* פגול, *vocant carnem corruptam vel rancidam, vel putrefactam: sed inde per translationem vocatur caro animalis detestabilis, hoc est, animalis immundi.*)

15. Et dixit mihi, Vide, dedi tibi stercora bovis pro stercoribus hominis, & facies panem tuum super illa. (*id est, coques.*)

Hic inserit Propheta responsionem, qua obtinuit ut Deus aliquid remitteret ex illo tam severo mandato. Fuit enim abominabile, comedere carnem coctam in stercore humano, non tantum ob foetorem, sed quia religio vetabat. Neque enim Propheta spectavit gustum palati sui, sed excipit hoc sibi non licere, & commemorat quam sollicite abstinuerit tota vita ab omni cibo polluto. Nam si licentiose prius vesci ausus fuisset quibuslibet cibis, non poterat deprecari sicuti facit, ne cogeretur panem pollutum edere. Sed hic ostendit se tota vita abstinuisse ab omnibus cibis pollutis, *Anima*, inquit, *mea nunquam polluta fuit*: anima autem accipitur sæpe pro ventre. Deinde *nunquam gustavi cadaver, vel discerptum*. Per synecdochen designat omnes cibos immundos, quibus fas non erat vesci secun-
Levit. 11. dum præscriptum Legis. Nam quia cadaver permixtum est sanguini, ideo vetuit Deus attingere carnem animalis per se mortui, quod non esset jugulatum: deinde si fera bestia laniet ovem aut bovem, illa etiam immanitas debet esse hominibus detestabilis. Quoniam ergo tam cadaver, quam caro discerpta vel lacerata erant cibi immundi, Propheta hic dicit se summo studio à pueritia usque ad illam ætatem servasse quod Deus præceperat: ideo obtinet quemadmodum dixi, aliquam mitigationem. Cogitur tamen panem coctum in stercore bubulo comedere. Id factum est per visionem, ut heri admonui: sed interea Deus non mutavit quod statuerat de populo, nempe *ut comederet panem suum pollutum inter gentes*. Placenta enim cocta in fimo bubulo fuit immunda etiam secundum Legem. Itaque fixum ostendit suum decretum esse Deus, quod scilicet permixti fuerint Israëlitæ inter gentes, ita ut contraherent pollutionem ex illarum sordibus. Sequitur,

16. Et dixit mihi, Fili hominis, ecce ego frango (*vel contero*) baculum panis in Hierusalem, (*vel Hierosolymæ*) & comedent panem in pondere & metu, (*vel pavore, vel trepidatione*) & aquas in mensura & in stupore bibent:

17. Ut indigeant pane & aquis, (*hoc est, ut deficiant eos panis & aquæ*) & obstupeant (*alii desolentur*, *שמם utrumque significat*) vir & frater ejus, & liquefiant (*vel solvantur*) in iniquitate sua.

Iterum redit Deus ad cives Hierosolymæ, & pronunciat ita fame confectum iri, ut redigantur usque ad ultimas angustias, imo ut inedia ipsos consumat. Sed ponit hic duas species: dicit *se fracturum baculum panis*, deinde, *exiguam fore illis copiam panis*, quia cogentur esitare frustula sua *in pondere & metu*, *bibere etiam aquam in mensura & stupore*. Dixi esse diversas poenas, quia etiamsi panis abundet, frangit tamen sæpe Deus baculum, sicuti nominat.
Levit. 26. vers. 26. Et hoc clare apparet ex 26. cap. Levitici, unde mutuatus est Propheta noster hanc sententiam. Illic enim Moses explicat quid sit frangere baculum panis: quia mulieres, inquit, decem coquent panem in clibano uno, deinde bona fide restituent quod illis datum fuerit farinæ. Nam panis ponderabitur, comedes & non satiaberis. Dixerat illic Deus, Frangam baculum panis, sed sequitur clarior expositio: nempe quamvis suppetat triticum unde coquetur panis, ac mulieres sese mutuo observent, ne qua furetur aliquam partem, sed referant in pondere quicquid datum fuerit, defore tamen alimentum. Videmus ergo frangi baculum panis à Deo, quum suppetit satis bona copia annonæ: sed qui comedunt non saturantur. Id ut clarius liqueat sumendum est illud
Deut. 8. vers. 3. principium, homines non vivere solo pane, sed omni verbo quod egreditur ex ore Dei. Nam illic significat Deus nos virtute panis non ali, proprie loquendo. Quomodo enim panis esset vivificus, qui sensu caret & vigore? Videmus ergo non esse vim pani inditam ad nos alendos, quæ excludat occultam Dei gratiam. Nam vivimus verbo Dei. Non agitur hic de verbo doctrinæ, neque de spirituali etiam vita: sed Moses intelligit nos sustentari non pane & vino, & aliis cibis, aut quolibet potu, sed arcana Dei virtute, dum inspirat pani vigorem ad nos alendos. Panis ergo est nobis in alimentum, sed non propria virtute neque intrinseca: aliunde id habet, nempe ex gratia & ordinatione Dei. Sicuti ergo exigua panis copia potest nobis sufficere, ita si quis se ingurgitet, citius crepabit quam saturetur, nisi
Matth. 4. vers. 4. Deus inspiret virtutem. Et hac etiam ratione Christus Satanæ objecit locum illum, Non in solo pane vivit homo: quia ostendit vitam hominis fulciri arcana Dei virtute, & Deum quoties ita visum est, *Luc. 4. vers. 4.* non indigere externis istis adminiculis. Per se ergo Deus potest nos sustentare: interdum utitur pane, sed tanquam instrumento adventitio: interea nihil virtuti suæ derogat. Baculus ergo metaphorice accipitur pro fultura. Nam senes quia jam vacillant illis crura, & omnia etiam membra quasi debilitate fracta sunt, baculo se sustinent: sic etiam panis dicitur habere baculum, quia innitimur alimento. Deficiunt enim vires: & ideo qui sumit alimentum, dicitur se cibo reficere. Deus ergo frangit baculum panis ubi reddit homines famelicos, etiamsi habeant satis bonam panis copiam. Neque enim saturantur quantumvis se ingurgitent, quia cibus ipsos onerat, & non reficit. Hæc prior est poena quam minitatur Deus Judæis. Additur etiam altera, nempe *quod destituentur pane*. Videmus ergo duplicem esse modum, quo Deus fame nos puniat. Nam quamvis suppeditet panem, frangit tamen & conterit baculum, quoniam nos non potest fulcire, neque revocare perditum vigorem. Deinde etiam aufert nobis panem, quia vel uredine percutit fruges, vel grandine, vel aliis calamitatibus afficit agros. Sterilitas ergo afferet inopiam: ita conficiet nos Deus fame. & utrumque genus complectitur. Dicit enim, *Ecce ego conteram baculum panis Hierosolymæ*. Deinde adjungit, *Comedent panem suum in pondere & metu, aquas suas bibent in mensura & stupore*, quia scilicet redacti erunt in tales angustias, ut vix audeant panem attingere: quia dum respicient in crastinum, sibi metuent, & erunt quasi attoniti. Et confirmat hanc sententiam proximo versu: *ut destituantur pane & aquis*, inquit, *& stupescant*. Hæc enim expositio melius convenit. *Stupescant* ergo *vir & frater ejus*, hoc est, mutuo sese respiciant quasi attoniti. Sic autem agere solent qui carent omni consilio, & nihil cernunt præter desperationem. Tandem *liquefiant in sua iniquitate*. Iterum repetit Deus Judæos non posse conqueri, ubi tam graviter ipsos affliget, quia mercedem recipient propriæ iniquitatis. Nunc sequitur,

CAP. V.

ET tu fili hominis ſume tibi gladium acutum, novaculam tonſorum, ſume eam tibi, & tranſire fac (*vel traducas*) ſuper caput tuum, & ſuper barbam tuam: & ſume tibi ſtateram ponderis, (*id eſt, juſtam*) & divide illa. (*hoc eſt, pilos qui execti fuerint è capite tuo & barba.*)

2. Tertiam partem igne combures in medio urbis, ut completi fuerint dies (*complebuntur, ſecundum complere dies, ad verbum*) obſidionis: ſumes tertiam partem, percuties gladio per circuitum ejus, tertiam vero partem ſparges in ventum: & gladium evaginabo poſt eos.

3. Et ſumes inde exiguum in numero, (*id eſt, exiguam partem numero*) & ligabis illa (*hoc eſt, illam partem*) in alis tuis. (*vel in alis veſtium tuarum.*)

4. Et ex illis adhuc ſumes, & projicies illa in medium ignis, (*mittes*) & combures illa igne: inde egredietur ignis in totam domum Iſraël.

Alia viſione confirmat Deus quod nuper docuit de expugnatione Hieroſolymæ. Jubet enim Prophetam ſuum abradere pilos capitis, & barbam: deinde diſtribuere in tres partes, & appendere in trutina. Trutinam autem ponderis nominat juſtam, nempe ut ſervetur æquabilitas, & portio una non ſuperet aliam. Non dubium eſt quin per pilos intelligat incolas Hieroſolymæ, ſicuti per caput intelligit ſedem ipſam habitationis. Sequetur deinde applicatio, ſed à qua hodie ſuperſedebo, quia non poſſem longius progredi. Satis eſt breviter tenere, hic homines deſignati per pilos. Nam capilli vix numerari poſſunt, pili etiam barbæ non numerantur. Talis fuit multitudo Hieroſolymæ. Scimus enim urbem illam fuiſſe admodum populoſam. Scimus rurſus inde ſumpſiſſe materiam ſuperbiendi: quum viderent ſe pollere ingenti copia hominum, putabant ſe pares fore cunctis hoſtibus, atque adeo ſuperiores. Hinc igitur ſtolida illa fiducia, quæ ipſos perdidit. Deus ergo juſſit Prophetam abradere omnes pilos tam capitis, quam barbæ. Atque ita docuit non poſſe vel unum hominem eximi à clade: quia dicit, *fac tranſire gladium*, vel trajice, inquit, *per caput tuum: deinde per mentum*, ita ut nihil prorſus ſuperſit. Videmus ergo quorſum pertineat trajectio novaculæ, ne ſcilicet pilus integer maneat in capite vel barba. Unde ſequitur, Deum vindictam ſumpturum de tota gente, ita ut ne unus quidem ſuperſtes maneat. Quod autem jubet *appendi tres partes, & ſervari* proportionem inter ipſas, hac ratione ſignificat quod
Jere. 15. vers. 2. ſæpius vidimus apud Jeremiam, Quicunque elapſi fuerint à gladio, perituros fame: quicunque famem effugerint, perituros alio modo. Sed hic Deus diſerte exprimit quomodo perditurus ſit omnes Judæos, quamvis diſtributi fuerint in varios ordines. Nam potuit videri diverſa eorum conditio, quum fuga elapſi eſſent quidam, alii autem ſe contuliſſent in Ægyptum. Sed in hac varietate oſtendit Deus nihil detrahi ſuæ potentiæ, quin omnes ad unum deleat. Veniamus ad verba: *tranſire*, inquit, *fac ſuper caput tuum, & ſuper barbam tuam:* deinde *ſume lances.* מאזני proprie ita vocatur trutina propter duas aures. *Sume* ergo *trutinam*, vel ſtateram *ponderis, & divide pilos.* Quorſum ſpectarit hæc diviſio jam breviter expoſui, quia ſcilicet non omnes Judæi conſumpti fuerunt eadem pœna: & ideo qui evaſerant ab uno interitu gloriabantur ſe eſſe ſalvos. Hinc etiam ferociebant contra Deum. Tollitur autem illis ſtulta confidentia, quum jubetur Propheta partiri pilos exectos è barba & capite: *divide eos*, inquit. poſtea addit, *tertiam partem.* Quod Deus in tres partes populum diſtribuit, non fit abſque optima ratione. Pars enim fame & inedia conſumpta fuit antequam urbs expugnaretur. Quia autem omnes miſerias deſignat Deus per *ignem:* ideo tertiam partem jubet in ignem projici, & illic conſumi. Jam quia reſiduæ erant duæ partes, nemo erat qui ſibi non promitteret vitam. Nam qui evaſit à præſenti morte, putat ſe eſſe extra omne periculum: & inde augetur confidentia: quia putamus nos eſſe defunctos ubi ſuperavimus ſpeciem unam mortis. Hac ratione igitur additur: *Poſtquam combuſſeris partem tertiam igne*, inquit, *ſume partem tertiam, & percute gladio.* Cæterum, jubet comburi tertiam illam partem in medio urbis. Erat quidem tunc Ezechiel in Chaldæa, neque ad urbem acceſſit: ſed diximus hoc totum factum fuiſſe Prophetica viſione. Reſpondet tamen vindictæ Dei quod hic dicitur, quia ante expugnationem urbis tertia pars peſte, & fame, & inedia, & aliis malis & cladibus conſumpta fuit. Omnes autem illæ miſeriæ ſignantur hic per ignem. Nam poſtquam urbs fuerit expugnata, jubet Deus percuti gladio tertiam partem. Hoc autem ſcimus fuiſſe impletum, quando Rex cum toto ſuo comitatu *2 Reg 25.*
deprehenſus fuit quum fugeret per planitiem Jericho, occurſu exercitus hoſtilis, quia illic fuerunt plurimi interfecti, Rex ipſe abductus, jugulati filii in ejus conſpectu: deinde oculi ejus fuerunt eruti, & tractus fuit vinctus catenis Babylonem. Hæc igitur eſt tertia pars quam *juſſit Prophetam gladio percutere:* quia ad cladem urbis acceſſit illa trucidatio. Jam additur, *ut ſumat tertiam partem, & projiciat in ventum.* Deinde ſequitur comminatio, *evaginabo gladium poſt eos.* Hic loquitur tam de fugitivis, qui egreſſi fuerunt in varias regiones, quam de pauperculis qui poſt urbis cladem diſſipati, vitam exiguo tempore protraxerunt. Scimus enim quoſdam latuiſſe in terra Moab, alios vero in terra Ammon, plures in Ægypto, alios diffugiſſe in obvias quaſque latebras. Fuit hæc diſperſio acſi pilos abraſos quis projiceret in ventum. Sed Deus pronunciat fugam & diſperſionem nihil illis profuturam, quia exeret gladium contra ipſos, ut ad ultimum uſque perſequatur. Videmus ergo, quamvis primo intuitu differant cives Hieroſolymæ acſi eſſent diviſi in tres claſſes, tamen inſtare omnibus Dei vindictam, quæ totam multitudinem perdat. Jam additur, *Sumes tamen inde exiguum numerum, & ligabis ea*, hoc eſt, numerum illum, ſed numerus mutatur. *Ligabis* ergo *pilos illos quorum exiguus erit numerus, in alis veſtium tuarum.* Vel fiduciam tollit quæ ex temporali evaſione concipi poterat, vel ſignificat pauculos fore ſalvos in medio interitu totius populi, quod mirabiliter accidit. Id ſi recipitur, addita fuit correctio ut Deus ſpem aliquam faceret gratiæ: quia ſic conſumptus fuit populus, ut tamen oportuerit manere Dei fœdus. Ergo neceſſe fuit etiam ſervari aliquas reliquias: & redacti fuiſſent in formam So- *Jeſa. 1.*
domæ, niſi Deus ſervaſſet exiguum illud ſemen. *vers. 9.*
Itaque ſecundum ſenſum illum jubetur Propheta li- *Rom. 9.*
gare, & recondere in ora veſtis ſuæ aliquam partem *vers. 29.*
pilorum. Porro, intelligitur pars iſta duntaxat ex tertio ordine, quia fuga ſalutem adeptos ſe putarunt qui dilapſi fuerant: ac præſertim quum ſe in turmas colli-

colligerent. Postea sequitur, *Ex illis adhuc sumes, & projicies in medium ignis, & exures in igne.* Ex illa paucitate vult adhuc Deus aliquam partem comburi & consumi: quibus verbis significat, etiam ubi duntaxat restabit exigua portio, illam tamen similiter consumptum iri, vel saltem fore multos rejectitios in illa paucitate. Et tamen qui visi fuerant feliciter evasisse, ut incolumes superessent, paulo post variis cladibus fuerunt excisi, vel paulatim attriti quasi lenta tabe perirent. Quod si placeat subesse promissionem, colligimus admirabili Dei misericordia factum esse, ut pauci fuerint superstites ex populo. Nam quia memor erat sui fœderis, voluit servari partem aliquam: & ideo interposita fuit illa correctio, ut Propheta ligaret sub alis suis exiguum numerum. Tamen ex flore illo iterum Deus corripuit partem unam, & in ignem projecit. Si in reliquiis fuerunt tantæ sordes, ut necesse fuerit purgari, & conjici partem in ignem, quid sentiendum est de toto populo, hoc est, de ipsa fæce? Nam portio quam ligavit Propheta in alis suis, fuit certe flos populi: si qua fuit integritas, illic debuit spectari. Jam vidimus fuisse multos reprobos in illo tam parvo numero. Hinc ergo facile colligitur, quam desperata fuerit totius populi impietas: *adhuc*, inquit, *sume*: ponitur hoc adverbium, ut qui post urbis cladem fuerint superstites, non tamen putent compleras fuisse omnes pœnas: *adhuc*, inquir, hoc est, ubi putabant discrimina omnia transiisse *sumes tamen ex illa parte quam servaveris, & projicies in ignem. Inde*, inquit, *ignis egredietur in totam domum Israël.* Significat his verbis, ut ante vidimus, visionem non esse lusoriam, quemadmodum in theatro multa repræsentantur figmenta. Dicit igitur Deus, quod per visionem ostendit servo suo, ratum fore, quemadmodum eventus ipse tandem probavit. Sed longius tendit *quod tota domus Israël conflagrabit hoc incendio*: quia scilicet ultimus urbis interitus attulit desperationem miseris exulibus, qui reditum stante urbe sibi promittebant. Ubi autem talem urbis cladem viderunt, simul fuerunt consumpti acsi ignis è Judæa ad ipsos usque serperet. Interea semper excipiuntur reliquiæ, quas Dominus mirabiliter servavit, quum tamen perderet in speciem totum populum. Videmus ergo nunc quorsum spectet hæc visio. Ulterius non progrediar, quia cogerer subsistere, & ita abrupta esset doctrina. Satis est igitur tenere, quamvis populus divisus esset in multas partes, ita ut singulis esset distincta conditio, tamen omnes perituros, quoniam Deus ita statuit. Inde autem fracta fuit fiducia eorum, qui putabant se fore tutos Hierosolymæ: deinde decem Tribus, quæ captivæ erant, debuerunt etiam agnoscere nondum completam esse ultimam Dei vindictam, donec urbs ipsa, & sedes regni, ac sacerdotii esset extincta.

Da omnipotens Deus, quando tale documentum horribilis tuæ vindictæ edidisti in veteri populo, ut hodie alieno malo discamus sapere, & ita nos tibi obedienter subjiciamus, ut recipias nos in gratiam, & te nobis sic propitium ostendas, ut venia tua restituamur in vitam à morte, donec fruamur æterna beatitudine, quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus Dominus noster, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUARTA IN EZECHIELEM.

5. Sic dicit Dominator Jehovah, Hæc est Hierusalem, in medio Gentium posui eam, & in circuitu ejus terras.

6. Et mutavit judicia mea ad impietatem (*vel transgressa est judicia mea, vel rebellis fuit.* מרה *enim hoc proprie significat. Fuit igitur rebellis judiciis meis*) præ cunctis gentibus, & statuta mea (*vel statutis meis rebellis fuit*) præ terris quæ in circuitu ejus: judicia mea spreverunt, & in statutis meis non ambulaverunt.

NUnc causam ostendit Deus cur tam severe & duriter agere statuerit cum urbe sancta, quam elegerat quasi regiam sedem. Nam quo pluribus beneficiis ornaverat urbem illam, eo turpior fuit ingratitudo, & magis scelesta. Commemorat igitur Deus beneficia sua erga Hierosolymam, idque exprobrandi causa. Nam si amplexi fuissent Dei beneficia Judæi, haud dubie magis ac magis eos locupletasset suis donis: sed quia vidit repudiari suam gratiam, magis accensus est illa indignitate. Contemptus enim beneficiorum Dei est quædam profanatio & sacrilegium. Nunc ergo tenemus consilium Spiritus sancti, ubi dicit Hierusalem positam fuisse quasi in sublimi theatro, ut undique conspicua esset ejus dignitas. Hoc enim non dicitur in laudem Hierosolymæ, sed potius in summum probrum: quia quicquid in eam Dominus contulerat, debuit venire in rationem, quum ita indigne se corrupissent, & quasi data opera polluissent Dei gloriam. Quod autem dicit *Hierusalem fuisse in medio Gentium*, non ita argute accipio, ut Hieronymus & alii plerique. Fingunt enim Hierosolymam fuisse terræ umbilicum: & alios etiam locos detorquent

Psal. 74. vers. 12. in eum sensum: ubi dicitur Deus operatus esse salutem in medio terræ, exponunt meditullium, ut loquuntur. Sed illud est, meo judicio, puerile: quia simpliciter intelligit Propheta, Hierusalem fuisse locatam in parte Orbis celeberrima. Habuit enim omni ex parte nobilissimas gentes, & valde opulentas, ut satis notum est: non procul aberat à mari Mediterraneo. Ergo ab una parte opposita erat Asia minor: deinde habebat vicinam Ægyptum: ad Aquilonem vero erat Babylon. Hic est genuinus Prophetæ sensus, Hierusalem fuisse eximia nobilitate præditam inter alias gentes, acsi Deus locasset eam in præcipuo gradu. Nulla est urbs quæ non habeat in circuitu suo gentes & terras: *sed* κατ' ἐξοχὴν hic Deus *terras & gentes* nominat, non quaslibet, sed quæ excellebant tam fœcunditate, quam omni opulentia, & aliis etiam dotibus. Et pronomen demonstrandi emphaticum est, quum dicit, *Hæc est Hierusalem.* Extollit enim urbem illam magnificis elogiis, quo magis appareat ejus ingratitudo. *Fuit* igitur *posita in medio Gentium, & in terrarum circuitu*: quia quum cincta esset multis opulentis regionibus, illic tamen maxime refulsit Dei gratia, ut esset pulcherrima pars theatri, & quæ in se omnium oculos traheret, & moveret etiam animos in admirationem. Jam adjungit *mutasse sua judicia.* Dixi de verbo מרה, quod significet interdum mutare, sed sæpius transgredi, vel rejicere: & hic sensus optime convenit quod Dei judiciis rebelles fuerint Judæi ad impietatem. Exaggerat autem scelus, quod dicit *contempta fuisse sua præcepta*, ut se impietati addicerent. Nam si quis

fuisset

fuiſſet virtutis color, poterat extenuari eorum culpa: ubi autem ſe in craſſam impietatem projiciunt, ſpretis Dei mandatis, hoc eſt inexcuſabile. Diſcamus autem ex hoc loco, niſi pure utamur Dei beneficiis, non impune ceſſuram nobis eſſe ingratitudinem. Deus enim quicquid in nos confert bonorum, ſanctificat tam in ſalutem noſtram, quam in gloriam nominis ſui. Nos ergo ſacrilegi ſumus, ubi corrumpimus ea quæ deſtinata erant in ejus gloriam: deinde ſumus ter & quater perverſi, ubi convertimus in noſtrum exitium quod Deus ſaluti noſtræ quodammodo addixerat. Jam præcipua etiam Hieroſolymæ ingratitudo tenenda eſt, *quod abjecerit Dei mandata*. Ubi ergo Deus cæleſtis doctrinæ theſaurum apud nos deponit, diligenter cavendum eſt, ne ad impietatem deflectamus: quia nulla eſt hic erroris excuſatio, ubi ſemel edocti ſumus quid rectum ſit, idque ore ipſius Dei. Pluribus deinde eandem ſententiam declarat. Sed dicit, *præ cunctis gentibus, & præ terris, quæ erant in ipſorum circuitu*: quibus verbis ſignificat Judæos reliquis omnibus deteriores fuiſſe, nempe quia ſcientes & volentes excuſſerant Dei jugum. Aliæ gentes nihilo melius ſe gerebant. Nam ſcimus tunc ubique fuiſſe vitiatum Dei cultum. Sed fœdior impietas fuit electi populi, qui convertit lucem in tenebras. Gentes enim errabant in ſuis tenebris tanquam cæcæ. Verum alia ratio fuit ejus populi, quem Deus familiariter inſtituerat. Quum ergo fulgeret Legis doctrina apud Judæos, merito Propheta dicit *præ cunctis gentibus & terris fuiſſe impios*. Explicat deinde quomodo vel mutaverint Dei judicia, vel illis fuerint rebelles: *quia ſpreverunt*, inquit, *judicia mea, & in ſtatutis meis non ambulaverunt*. Primo dicit non ignorantia fuiſſe lapſos, ſed ſuperbia & contemptu. Ubi enim nobis innotuit Dei voluntas, jam non eſt locus ignorantiæ. Non peccamus ergo levitate, ſed neceſſe eſt animos noſtros infectos eſſe ſuperbia & contemptu Dei. Jam addit *non ambulaſſe in ſuis præceptis*, quibus verbis ſignificat palam apparuiſſe contemptum illum, de quo loquutus eſt, quia ſcilicet tota vita ſe proferebant fructus. Sequitur,

7. Propterea ſic dicit Dominator Jehovah, Propter multiplicare veſtrum (*vel multiplicationem veſtram*) præ cunctis gentibus quæ in circuitu veſtro ſunt, ut in ſtatutis meis non ambularetis, & judicia mea non faceretis, & ſecundum judicia gentium quæ in circuitu veſtro ſunt non faceretis:

8. Propterea ſic dicit Dominator Jehovah, Ecce ego contra te, etiam ego: & faciam in medio tui judicia coram oculis gentium.

Varie exponitur hic verſus, propter vocem חמנכם. Nam quidam conjunctim legunt uno contextu, quod multiplicati non coluerint Deum: quaſi diceret luxuriatos fuiſſe in ſua opulentia: quemadmodum equi ferociunt præ nimia pinguedine vel ſagina. [Deut. 32. verſ. 15.] Notum eſt illud Moſis, Iſraël ſaginatus calcitravit. Putant ergo hunc locum eſſe ſimilem, & ita contexunt, Quia multiplicati fuiſtis præ cunctis gentibus, quæ erant in circuitu veſtro, ſpreviſtis mea judicia, nempe excæcati rebus proſperis, vel inebriati. Sed ſenſus ille mihi non probatur: & certe nimis coactus eſt. Alii deducunt ab חמה, quod ſignificat tumultuari, vel turbari, & eliciunt hunc ſenſum, Propterea quod tumultuati eſtis præ cunctis gentibus, hoc eſt, quia laſcivia veſtra & intemperies ſuperavit cunctos populos, dum ſcilicet quaſi abſque freno præcipites vos traxit veſtra cupiditas. Sed vereor ne expoſitio illa longe petita ſit. Ego itaque ſimpliciter accipio pro multiplicari, vel multiplicatione. Poteſt enim eſſe nomen, poteſt eſſe verbum Machor: ſed eodem ſenſu. Interea non refero hoc ad numerum & multitudinem populi, neque etiam ad copiam bonorum, quemadmodum major pars facit. Dicunt enim multiplicatos fuiſſe hominum turba: quod ſcimus non quadrare. Si referatur ad opes, verum quidem eſt, Deum pluſquam liberaliter egiſſe erga urbem illam: ſed ego active accipio, quod *multiplicaverint præ cunctis gentibus*. Et Hieronymus, meo judicio, non male reddidit, vertendo Quia ſuperaſtis gentes. Diſceſſit tamen à proprietate vocis. Ita ſatius erit retinere verbum multiplicandi, vel nomen multiplicationis: active tamen, quod ſcilicet intemperanter laſcivierint in ſuis ſuperſtitionibus, ita ut ſeſe extulerint præ cunctis gentibus, male agendo. *Propter multiplicare veſtrum* ergo, vel propter multiplicationem veſtram ſupra cunctas gentes, id eſt, quia non fuiſtis contenti mediocri impietate, ſed coacervaſtis omne genus ſcelerum, ita ut impietas veſtra ad ſummum uſque cumulum pervenerit: ideo ſequitur comminatio. Sed antequam illuc veniat, confirmat quod ante dixit, nempe *quia non ambulaverant in ſtatutis ejus, & judicia ejus non fecerant*. Hoc eſt igitur *multiplicare*, quod quum Lex illis eſſet tradita, eam contempſerint, & ita certaverint impietate cum aliis gentibus, & terris, quæ erant in ipſorum circuitu. Conveniunt igitur iſtæ ſententiæ, quod præ cunctis gentibus rebelles fuerint Deo ad impietatem: deinde quod multiplicaverint ſupra cunctas gentes & terras. Iterum notanda eſt ratio, *quod non ambulaverint in ſtatutis Dei*. Gentes enim nullam viam tenebant: ideo non mirum eſt, fuiſſe vagatas per ſuos obliquos circuitus. Sed quum Judæis monſtrata eſſet via, nec fruſtra dictum eſſet à Moſe, Conteſtor cælum & terram, propoſui hodie vobis vitam & mortem: Eligite ergo vitam; [Deut. 30. verſ. 19.] quum ergo Deus depoſuiſſet ſalutis doctrinam apud Judæos, fuit eo indignior ipſorum contumacia & turpior, quod non ambulaverint in ſtatutis ejus. Propoſita enim illis erat vita, quemadmodum dictum fuerat à Moſe: reſtabat ut ambularent, quod fieri non potuit à Gentibus. Jam adjungit, *& ſecundum judicia gentium, quæ in circuitu veſtro ſunt*. Videtur hic vitio vertere Propheta quod alibi laudatur, & quidem pluribus locis. Oportuit enim Judæos ſeparari à Gentibus, ut Deum pure colerent: & ſæpe expoſtulant cum illis Prophetæ, quod ſequuti ſint judicia Gentium, vel ſtatuta. De iſtis vocibus nihil nunc dixi, quia paſſim occurrunt, & pluribus locis jam oſtendi cur Deus judicia ſua vocet Leges. Sunt qui diſtinguunt inter judicia & ſtatuta, quod judicia pertineant ad mores, ſtatuta ad ceremonias. Sed non ubique ſervatur illa diſtinctio. Pluribus autem Deus commendat præcepta Legis ſuæ, ut oſtendat nihil illic fuiſſe omiſſum ad perfectam docendi rationem. Sed nomen hoc aliquando transfertur ad perverſos ritus, & vitioſos mores: quemadmodum ambulare in judiciis patrum, eſt ſequi eorum ſuperſtitiones: ita ambulare in judiciis gentium, eſt ſeſe corrumpere perverſis illorum moribus. Jam quemadmodum dixi, ſæpe damnantur Judæi apud Prophetas, quod ita ſe addixerint corruptelis Gentium. Hic autem Propheta dicit *eos non feciſſe ſecundum judicia gentium*. Sed intelligit hac quoque in parte ſuperaſſe gentium amentiam, quod non amplexi fuerint Legem Dei, ita ut manerent conſtanter in ejus obedientia. Vidimus enim apud Jeremiam cap. 2. Gentes in ſuis [Jerem. 2. v. 10.11.] deliriis fuiſſe obſtinatas. Quanquam autem illud non fuit laudabile, merito tamen exprobrat Deus populo ſuo, ſibi minus habitum fuiſſe honoris, quam Gentes idolis ſuis haberent. Nam ſcimus quam

pertinaciter gentes defixæ fuerint in suis figmentis. Religio enim non mutata fuit nisi violento aliquo impetu, perinde acsi cælum & terra concuterentur. Quum ergo sua cuique religio fuerit fixa & firma, merito accusat Deus Judæos levitatis, quod deflexerint ad errores & amentias gentium. Idem ergo nunc sibi vult Ezechiel, quum dicit *non fecisse Judæos secundum judicia gentium*: Saltem, inquit, respexissent ad gentes, & quemadmodum videbant idola illic obstinate coli, ita stetissent in Lege mea, & puro cultu. Sed quum tanta fuerit obstinatio in Gentibus, ut non possent avelli à suis figmentis: populus meus, inquit, temerario impulsu, & absque occasione perfide à me defecit, & Lege mea. Nunc ergo tenemus cur Propheta crimen hoc exaggeret, *quod Judæi non fecerint secundum judicia*, id est, secundum mores gentium. Illic enim poterant respicere non esse leviter abjiciendum quod semel amplexi sumus: quia ubi subinde, & tanta facilitate abripimur, certum est nunquam nos egisse vivas radices in cultu Dei. Quum ergo gentes dictarent Judæis quid factu opus esset, inde magis detestabile fuit eorum crimen. Sequitur nunc comminatio, nempe, quod Deus paratus sit ad sumendam vindictam, *Ecce ego contra te, etiam ego*. Particula גם accipitur pro eo quod Gallice dicimus *ouy*, ou *voire*, ego etiam, *voire moy*. Nunc ergo videmus emphaticam esse repetitionem, quasi Deus assereret Judæis instare horribile judicium. Vult enim metum illis incutere, quum se fore ultorem confirmat. Quanquam non recipio commentum Hieronymi. Dicit enim excludi Angelos & alios ministros iræ Dei, quia Deus per seipsum statuerit perdere Judæos. Atqui scimus illud esse falsum. Usus enim fuit Assyriis & Chaldæis. Quum ergo populi illi flagella ejus fuerint, sequitur non excludi vel Angelos, vel homines, ubi pronunciat Deus seipsum fore ultorem. Sed amplificat gravitatem pœnæ quum dicit, *Ego, ego sum, cum quo tibi negotium erit.* Jam addit, *se facturum judicia*: quo nomine intelligitur jurisdictio, quam vocant. Neque enim firmum est quod affert Hieronymus, quem alii interpretes sequuti sunt, hoc scilicet nomine asseri Dei justitiam, quasi diceret se non fore crudelem in exigendis pœnis, neque injustum, vel nimis rigidum. Nam facere judicia tantundem valet atque exercere jurisdictionem: & dicitur judex terrenus facere judicia quoties sedet pro tribunali, etiamsi jus ipsum & æquitatem pervertat. Hoc quidem non potest in Deum competere, sed de loquutione agitur. Interea subest concinna antithesis inter judicia doctrinæ, & actualia quæ vocant. Conquestus est Deus, Judæos non fecisse sua judicia: nunc se facturum minatur, quia Legem suam pœnis vindicabit. Summa tamen est, *facturum judicia in medio Hierosolymæ*, quia conscendet tribunal, ut cogat sceleratos causam dicere, & reddere vitæ suæ rationem. Deus ergo tunc exercuit suum judicium ubi per Chaldæos vindictam suam exequutus est: atque ita fames fuit pars illius jurisdictionis, ita & gladius, deinde pestis. Nam quantisper dissimulat, videtur cessare ab officio: & tunc impii sibi indulgent acsi oblitus esset exercendi judicii. Ergo ex opposito denunciat *se facturum judicia*: quasi diceret, ego apparebo judex, tametsi putetis me dormire. Dicit autem *se facturum judicia in medio Hierosolymæ coram oculis gentium*: qua particula intelligit insignes fore pœnas, & quæ facile considerari possint à cunctis gentibus. Scimus autem gentes tunc fuisse cæcas. Putabant enim fortuito accidere bona & mala. Sed Deus affirmat judicia quæ exercebit, fore tam manifesta, ut cæci ipsi futuri sint quasi oculati testes. Nunc sequitur,

9. Et faciam in te quæ non feci, & quæ non sum facturus secundum hoc amplius, propter cunctas abominationes tuas.

10. Propterea (*quia, vel ideo*) patres vorabunt filios in medio tui, & filii vorabunt patres suos: faciam ergo judicia in te, & dispergam cunctas reliquias tuas ad quemlibet ventum.

Nunc subjicit Deus tam atroces fore pœnas, ut non reperiatur simile exemplum in mundo. *Faciam ergo quod non feci, nec sum facturus*, hoc est, ego prodigioso & inusitato modo ulciscar contemptum Legis meæ. Deus enim interdum sic castigat homines, ut non excedat vulgarem modum. Sed quia pœnæ vilescunt ac veniunt in contemptum ubi sunt ita communes, Deus cogitur modum transcendere, & pœnas sumere de sceleribus quæ sint in signum & portentum, quemadmodum dicitur apud Mosen. Ergo
Deut. 28. vers. 46. ubi nunc dicit *se facturum quod non fecit antehac, & quod post illud tempus non faciet*, significat vindictam horribilem, quæ non habeat simile exemplum. Ita nihil aliud intelligit quam quod citavimus ex Mose, vindictam illam fore in signum & portentum. Quod autem interpretes hoc accipiunt metaphorice, nullo modo potest admitti: quia secundum ipsos nulla historia narrat hoc fuisse impletum, ideo confugiunt ad allegoriam, vel metaphoram. Sed primo scimus quid narret Josephus, matres scilicet ita fuisse rabiosas, ut filios suos jugularent, & servarent in cibum. quanquam hic notatur obsidio superior, in qua significat Deus se facturum, ut patres filios suos devorent: fateor: sed enim si recipimus quod volunt,
Lament. 4. vers. 10. tunc non fuisse factum: ergo mentitus est Jeremias, quum dicit fœminas misericordes coxisse filios suos. Certe ille est satis idoneus testis. Dicere ergo nusquam reperiri id fuisse factum, perinde est acsi rejicerent testimonium Jeremiæ. Deinde idipsum mina-
Deut. 28. vers. 53. 54. 55. tus fuerat Deus per Mosen: neque potest eludi locus ille, quia pondus est in verbis, Viri delicati apud vos, & qui lautitiis assueti sunt, inquit, filios suos comedent: vir invidebit uxori sinus sui, ita ut non partiatur cibum illum nefarium cum illa. Deinde furtim absumet & vorabit carnem filii sui, ita ut nullam partem distribuat alteri. Quum Moses ita loquitur, certe non intelligit fore intestina dissidia, ut discipuli insurgant contra magistros, magistri etiam discipulos opprimant, quemadmodum Hieronymus ludit. Sed necesse est accipere verba ut sonant, nempe non fore Deum vulgaribus & usitatis pœnis contentum, ubi ad extremum usque impietatis & scelerum conscenderint Judæi: quia prodigiosis modis in ipsos animadvertet. Hoc ergo nunc minatur Ezechiel: nec mirum est Prophetas ex Mose sumere tales formulas, quia ne spernerentur eorum vaticinia, loquuti sunt verbis Mosis potius quam novo sermone. Nunc ergo statuendum est, secundum literam (ut loquuntur) Prophetam minari Judæis quod hic legimus. Verum si quis nunc objiciat, sæpius ergo id esse factum quod Deus fore negat, quærenda est solutio. Diximus autem quum obsessi fuerunt Judæi à Tito, talem rabiem fuisse grassatam in quibusdam mulieribus, ut furtim filios suos comederent. Atqui pronunciat Deus *se nunquam amplius facturum*. Respondeo, non ita restringi ad unum diem hoc genus vindictæ, quin Deus sæpius eodem modo ulcisci potuerit Judæos. Sed hoc alibi non legitur fuisse factum. Quanquam enim in tragœdiis immanitas illa narratur, quod dati in cibum fuerint liberi parentibus, tamen nusquam extitit illa barbaries, ut pater sciens & volens filium suum comederet. Ergo fuit illud singulare in Judæis. Quod autem semel exequutus fuerat Deus hanc vindictam

ctam per Chaldæos, non fuit obstaculo quominus iterum sævierit ejus vindicta simili modo, quum scilicet punire voluit extremam defectionem illius populi. Nam quamvis tempore Ezechielis omnia essent valde corrupta: scimus tamen ubi tandem rejectus fuit Dei Filius, Judæos omnes spes sibi abscidisse, ut locus non esset misericordiæ Dei. Non mirum igitur est, si iterum passus fuerit filios vorari à patribus, quemadmodum nunc minatur patres ita fore rabidos, ut ne visceribus quidem propriis parcant. Nescio cur Hieronymus excogitaverit hic discrimen, quod prorsus futile est. Dicit enim ubi aliquid honestum fit & decorum adscribi Deo: ubi autem res ipsa turpis est, Deum à se avertere illam infamiam. Nam quum hic de portento agatur, non dicit Deus, ego faciam ut populus comedat filios: sed dicit, patres filios suos comedent, & filii patres suos. Atqui nihil in hoc commento solidum est, quia crudelitas quam exercuerunt Chaldæi adversus Judæos, non fuit certe res vel honesta vel decora: & tamen Deus sibiipsi adscribit quicquid fecerunt Chaldæi. Deinde, quid turpius fuit incestu Absa-
2 Sam. 16. lom, dum uxores patris sui stupravit, neque id modo,
v. 21,22. sed clangore tubæ voluit totum populum esse testem
2 Sam. 12. flagitii sui? Et tamen quomodo loquitur Deus? Ego
vers. 12. faciam coram sole hoc, inquit. Videmus ergo virum illum non fuisse exercitatum in Scripturis: & tamen nimis licentiose jactasse sua commenta. Non fuit certe in illo homine vera religio. Ego non sine causa vos admoneo. Nam periculum esset ne multi fallerentur, nisi essent admoniti fuisse ingenium illud plenum ostentationis & arrogantiæ. Dicit ergo, *patres comedent filios in medio tui*: hoc certum est fuisse
impletum. Loquitur quidem Jeremias de mulieri- Lam. 4.
bus, sed viros comprehendit. Dicit enim fœminas vers. 10.
misericordes: non dicit matres simpliciter, sed quæ erant præ aliis humanæ. Scimus autem maternum affectum esse teneriorem. Atqui quum matres & quidem misericordes vorarunt filios suos, illud fuit ultimum portentum. Jam addit, *faciam igitur* (nam copula hic debet resolvi in expletivam particulam) *faciam igitur in te judicia*, hoc est, hoc modo reipsa ostendam me esse judicem, *& dispergam cunctas reliquias tuas ad quemlibet ventum*. Hic talem fore dissipationem significat, ut nullum maneat corpus populi vel nomen. Spes autem illa poterat fovere & sustentare utcunque Judæos, si adhuc relictum fuisset nomen aliquod & corpus populi. Ubi autem pronunciat Deus fore tanquam quisquilias, quæ dispergentur ad quemlibet ventum, ita tollit omnem spem restitutionis, nempe in præsentia. Scimus enim fuisse aliquem numerum residuum: sed oportuit minari talem interitum antequam spem aliquam faceret Deus suæ misericordiæ. Quum dicit, *ad quemlibet ventum*, significat ad quaslibet plagas. Nam prout flat unus aut alter ventus, ita etiam fertur pulvis, feruntur quisquiliæ in diversas partes. Sequitur,

11. Propterea vivo ego, dicit Dominator Jehovah, Si non propterea quod sanctuarium meum polluisti (*hoc est, sicut polluisti sanctuarium meum*) in omnibus detestationibus tuis, & in omnibus abominationibus tuis:

12. Etiam ego diminuam, (*alii vertunt confringam*) & non parcet oculus meus, & etiam ego non miserebor. (*non ignoscam.*)

Hic Deus iterum clarius exprimit cur tantopere ardeat ad sumendam vindictam, nempe quia corrupta fuerat apud Judæos religio, & templum fuerat violatum, ut cras dicemus.

Da omnipotens Deus, quando hodie te nobis adeo familiariter patefecisti in Euangelio Christi Domini nostri, ut discamus oculos attollere ad lucem quæ nobis proposita est: deinde habere etiam defixos, ut dirigamur, & tendamus semper atque enitamur ad scopum ad quem nos vocas, donec confecto stadio vocationis nostræ, tandem ad te perveniamus, & fruamur etiam apud te ea gloria, quam nobis unigenitus Filius tuus acquisivit sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA QUINTA IN EZECHIELEM.

HEri postquam vaticinatus fuerat Ezechiel de clade Hierosolymæ, speciem unam exprimebat, cur tantopere sæviret Deus in illam urbem, quam tamen sibi prius elegerat in domicilium. Dicit, *violatum fuisse ab illis, vel pollutum sanctuarium*. Nunc ergo videmus quanti apud Deum sit vera & pura religio, cujus pollutiones tam severe ulciscitur. Et sane inde pendebat salus urbis, ut illic pure coleretur Deus. Ergo profanatio Templi perinde fuit acsi abjicerent Deum ipsum, & renunciarent ejus auxilio. Denique illa impietas satis ostendit, illos spernere quicquid illis pollicitus fuerat Deus. Et notandæ sunt loquutiones, ubi dicit, *etiam ego diminuam te, & non parcet oculus meus, & non ignoscam*. nempe quia nihil Deo pretiosius est cultu, quem ipse præcepit: ubi polluitur ejus Sanctuarium, non mirum est si ita exardescat. Nunc sequitur,

13. Tertia pars peste morietur, & fame peribunt in medio tui: & tertia pars per gladium cadent in circuitu tuo, & tertiam partem in quemlibet ventum dispergam, & gladium evaginabo post eos.

Jam explicat absque figura quæ ante figurate proposuit. Nam jussus fuerat pilos capitis sui & barbæ radere novacula, & partiri ita, ut pestis unam partem absumeret, gladius alteram, tertiam vero fames. Nunc idem repetit, sed alio modo. Exprimit ergo Deus cur visionem ejusmodi obtulerit servo suo. Breviter autem perstringit quod ante vidimus, quia omittit quartum membrum. Jussus enim fuit portionem aliquam accipere, & recondere sub axilla, vel in ora vestis suæ: hic partis illius nulla fit mentio, neque tamen frustra id fuit dictum: sed Deus variis modis loquitur, idque pro suo jure. Interea conveniunt tam figura quam applicatio; quod scilicet totum populum absumet Deus vel fame, vel peste, vel gladio: quod autem dictum fuit de quarta parte, non fuit supervacuum: sed non fuit necesse repetere. In hunc enim finem tendebat Propheta, quum futuri essent aliqui superstites,

posse videri illos exemptos esse à communi clade: ut spem illam eriperet, dixit illos quoque vel ex illis fore multos in combustionem, ita ut ignem accendant in toto populo Israël. Nam factum fuit indomita contumacia illius populi, ut miseri exules magis exosi fuerint. Qui ergo illis pepercerant, de integro cœperunt in illos crudeliter sævire, quia nomen populi illius detestabile fuit apud omnes. Quod ergo perierunt qui residui erant ex civibus Hierosolymæ, inde factum est, ut incendium penetraret ad decem Tribus, & miseros illos exules qui erant captivi in terris remotis. Sed totum illud nunc subticet Propheta noster. Interea comprehendit quicquid ante vidimus licet brevius: tantum deest illa explicatio, quæ etsi ante fuit utilis, tamen non debuit necessario repeti. *Tertia* igitur *pars morientur peste, & fame interibunt in medio tui.* Deinde *tertia pars cadent gladio in circuitu tuo: & tertia pars spargetur in omnem ventum.* quanquam hoc sibi vendicat Deus: *spargam*, inquit, *tertiam partem, & evaginabo gladium post eos*, ita ut ipsi quoque pereant in sua dissipatione. Jam per se misera erat illa dissipatio: sed Deus pronunciat se non fore contentum illa mediocri pœna, donec penitus illos consumpserit. Sequitur,

14. Et perficietur ira mea, & residere (*vel requiescere*) faciam excandescentiam meam in ipsis: & consolationem accipiam: & cognoscent quod ego Jehovah, qui loquutus sum in zelo meo, (*vel æmulatione mea*) quum perfecero excandescentiam meam in ipsis.

Hoc versu tantum docet Propheta quod ante dixerat, sed per modum confirmationis, nempe fore Dei vindictam horribilem, & quæ finem non sit habitura, nisi populo extincto & deleto. Sunt qui existiment hoc fuisse interpositum, ut Deus mitigaret rigorem suæ vindictæ: atque ita versus hic secundum eos, promissionem veniæ continet. Sed potius est comminatio. Neque enim potest stare quod afferunt, Deum facturum ut ira sua requiescat. Sequitur enim postea, *Scient quod ego sum Jehovah, qui loquutus sum, ubi implevero iram meam in ipsis* vel excandescentiam. Et contextus quem postea videbimus commentum illud refellet. Maneat igitur illud fixum, Prophetam hic pœnarum mitigationem non promittere populo, sed pergere in denuncianda vindicta, cujus ante meminit. Primo dicit, *complebitur.* כלה significat finire aliquando, sed significat etiam perfici: significat consumi, sed significat etiam consummari. Hoc loco significat Deus nullum fore pœnis modum, donec satiatus fuerit. Est enim similitudo ab hominibus sumpta vindictæ cupidis, quorum ardor non cessat, donec ad satietatem usque seipsos ulti fuerint. Deus ergo hic se hominibus facit similem, quum de fine, vel complemento iræ suæ loquitur. Jam addit, *faciam requiescere excandescentiam meam in ipsis*, hoc est, excandescentia mea erit quasi defixa in ipsis. Neque enim hic requiescere accipitur pro cessare. Dicitur aliquando requiescere ira dum sedata est. Sed Deus nihil tale voluit per suum Prophetam, quin potius notat pertinaciam, vel infatigabilem cursum suæ vindictæ. *Requiescet* igitur *ira mea super eos*, hoc est, inde non movebitur neque migrabit. Dicitur enim Deus retrahere manum suam ubi nos desinit persequi. Sed hic requies iræ est perpetua continuatio. Addit, *consolationem accipiam.* Hic etiam Deus in se transfert quod proprie in ipsum non competit. Neque enim more hominum sese oblectat dum vindictam sumit de sceleribus: sed scimus non posse apprehendi Dei judicium, nisi induat hominis personam, & quodammodo se transformet. Dicitur ergo *consolationem accipere* in approbationem justi judicii. Nam hæc consolatio significat Deum ferre non posse Legis suæ contemptum, deinde desperatam hominum malitiam, quin tandem pro sua natura judex appareat: non quod in eum cadant ullæ passiones, ut satis notum est: sed quia non possumus aliter concipere ipsum esse justum judicem, nisi pronunciet vindictam sibi placere, ubi videt homines ipsos esse perditos, & sic insanire, ut ad pœnitentiam aliter non possint revocari. Postea addit, *& cognoscent quod ego Jehovah loquutus sim.* Hic oblique Deus perstringit stuporem populi, quod non tantum pro nihilo duceret omnes prophetias, sed etiam minas superbe rideret. Quoties ergo de vindicta Dei, & judicio concionabantur Prophetæ, dabant materiam risus protervo & impio populo: ac ita excæcabat eos sua obstinatio, ne putarent Deum loqui. Fingebant enim non alios sibi esse adversos, quam homines: inde tanta rabies contra Prophetas. Nam si reputassent divinitus ipsos loqui, nunquam ausi fuissent ita proterve insurgere: sed quia existimabant Prophetas tantum sua commenta in medium proferre, ideo posthabito Deo cum ipsis litigabant. Nulla igitur fuit cognitio apud Judæos. Sed notemus fontem ignorantiæ, nempe quod sponte avertebant sensus suos à Deo: quemadmodum hodie multi non putant Deum loqui, ubi palam ostenditur ejus veritas ex Scripturis. Quare non putant? quia scilicet nolunt. Ergo fuit voluntaria illa cæcitas, & affectata, ut loquuntur, in populo veteri, quum nullum vaticiniis effectum fore imaginabantur. Hæc ratio est cur nunc Propheta dicat *cognoscent me tunc loquutum esse*, quia, ut vulgo dicitur, experientia est stultorum magistra. Quum igitur illi repudiarent omnes minas, hinc factum est, ut sero tandem malis edocti senserint Deum loquutum. Et ita subest antithesis inter experimentalem notitiam, & inter cæcitatem, quæ oriebatur ex malitia, ex contemptu Dei. Nam quum dicit *cognituros ubi compleverit excandescentiam suam*, sera fuit illa cognitio & infructuosa. Denique, hic pronunciat Deus justam pœnam se sumpturum voluntariæ illius ignorantiæ, ex qua cognoscent Judæi velint nolint, profecta à se uno fuisse quæ clausis oculis præteribant vaticinia. Dicit autem *se loquutum esse in zelo suo*, vel æmulatione, quia Prophetæ existimabantur propemodum furiosi quum ita tonarent adversus impios. Deus ergo hic eos absolvit quos vulgo scimus habitos fuisse quasi arreptitios homines: & dicit *se loquutum esse in zelo suo*, quia impii dum volunt invidia onerare servos Dei, objiciunt ipsum esse clementem & mansuetum: itaque non esse consentaneum, ut loquatur tam aspere & duriter. Dicit ergo Deus sibi quoque esse zelum, vel iracundiam, ne Judæi putarent Prophetas inconsiderato zelo & fervore ita abripi, quemadmodum scimus grassatum fuisse illum errorem. Sequitur,

15. Et ponam te in vastitatem, & opprobrium inter gentes, quæ in circuitu tuo sunt, in oculis cujuslibet transeuntis. (*aut viatoris.*)

Pluribus verbis explicat quod vidimus: unde etiam colligere promptum est, non mitigasse proximo versu rigorem vindictæ Dei, sed concionatum fuisse de ultimo interitu gentis. Dicit ergo *fore Judæos in desolationem*, ut vertunt: significat etiam ariditatem, unde & nomen deserti sumptum est. Sed

hoc

hoc loco bene convenit, *fore Judæos in vastitatem, & opprobrium inter gentes.* Fuerant autem prius gens inclyta: Deus nobilitaverat eos eximiis donis, ut in conspectu omnium gentium excelleret eorum dignitas. Jam dicit *fore instar vasti deserti, vel in deformes ruinas*, deinde *fore in opprobrium*: neque tantum ut rumor divulgetur, sed quicunque transibunt per terram illam, dicit illos fore testes illius opprobrii. Sed proximo versu latius idem prosequitur.

16. Et eris probrum, & subsannatio, castigatio, & stupor gentibus quæ in circuitu tuo sunt, dum fecero in te judicia in ira, & excandescentia, & increpationibus excandescentiæ: ego Jehovah loquutus sum.

Pluribus exponit quomodo futuri sint Judæi in vastitatem & opprobrium gentibus. Jam non loquitur de vastitate, sed duas voces ponit unius loco. ponit חרפה, quod significat probrum: addit גדופה, quod significat convitium & subsannationem. Hoc autem fieri non potuit nisi ob cladem gentis. Nisi enim oblata fuisset materia profanis gentibus, non erat cur ita evomerent sua convitia, & subsannationes contra Judæos. Ergo hic vastitas, & ultima clades comprehenditur sub vocibus *probri & subsannationis*, vel convitii. Pendet autem hæc sententia à proximo versu. Nam illic dictum fuit, *ponam te*: nunc dicitur, *eris*. Interea notatur certa exequutio vindictæ Dei. Ubi ergo Deus in opprobrium nos projicit, necesse est nos jacere sub potenti ejus manu, quia frustra tentabimus repugnare. Luctabimur quidem, ut faciunt reprobi: sed tandem nisi cedamus sponte, franget nos potentiæ suæ violentia. Ergo contextus hic notandus est, *ponam te in opprobrium, & eris*, quia significat Deus minas suas non fore inanes vel irritas. Addit, *eris correctio.* מוסר significat disciplinam, & eruditionem: sed refertur sæpe ad correctionem, quæ nascitur ex sensu iræ Dei. Ubi ergo Deus suos castigat, si resipiscant dicuntur profecisse sub ejus disciplina, quoniam pœnis quas inflixit, edocti fuerunt se peccasse. Dicit autem Judæos *fore correctionem gentibus profanis*, quia eorum dispendio sapient. Nam dum exempla in usum nostrum applicamus, hæc matura correctio est, ubi scilicet non expectamus dum feriat nos Deus: sed ubi procul vindictam sumit de Legis suæ contemptoribus, si movemur talibus exemplis, hæc est, ut dixi, matura correctio: eam nunc tribuit Propheta gentibus non sine electi populi ignominia: quasi diceret adeo notabiles fore pœnas, ut cæci ipsi eas agnoscant, & trepident percepto earum sensu. Postea addit, *in stuporem.* Videntur quidem hæc non satis quadrare, quod futuri sint Judæi *in stuporem, & correctionem*: sed non intelligit Propheta simpliciter, quicunque animadvertent judicium Dei, fore stupidos, vel dociles: tantum significat in Dei severitate propositam fore materiam omnibus, tam correctionis, quam stuporis, ut exhorreant quum videbunt Deum tam duriter egisse cum populo suo electo. Addit etiam, *quum fecero in te judicia in ira, & excandescentia, & increpationibus iræ.* Confirmat quæ ante vidimus, nempe fore insigne illud Dei judicium, quia diu ignoverat reprobo populo. Quum ergo patienter tulisset ejus impietatem, tandem quasi uno impetu prorupit, & tunc exercuit judicium formidabile, de quo loquitur. Hæc ratio est cur dicat, *obstupescent gentes quum fecero in te judicia.* Quænam autem sunt hæc judicia? nempe, *in ira, in excandescentia, & increpationibus excandescentiæ.* Videtur quidem verbosus esse Propheta: sed non potuit esse nimius in hac parte, quum tanta esset vecordia populi, ut nullis vaticiniis moverentur. Erat ut ante visum est, in Chaldæa. non dubium est quin derisus fuerit à Judæis, qui adhuc domi manebant quasi tranquilli in suis nidis, Ille misfet & exul nobis minatur: contentus sit sua sorte: quum Deus nobis pepercerit, videtur tantum invidia rapi ad nos vexandos. Sed non est cur metuamus nobis ab invidia hominis profugi & captivi. Quum ergo sciret Propheta se contemptibilem apud Judæos, necesse fuit coacervari tales loquendi formas, ut plus gravitatis haberet doctrina: nec solum respexit Judæos, sed etiam suos populares, qui tracti fuerant in idem exilium. debuit enim ipsis consulere, & rationes ante exposuimus. Nunc ergo tenemus ejus consilium quum loquitur *de ira, & excandescentia*, & adjungit simul *increpationes excandescentiæ.* Adjungit, *ego Jehovah loquutus sum*: quod repetet ultimo versu capitis. Et hæc etiam confirmatio valde utilis fuit, quia quum respicerent tam Israëlitæ quam Judæi in hominem mortalem & abjectum, quia erat captivus & mancipium impii populi: non dubium est quin despexerint omnes ejus prophetias. Ergo proponit illis Deum, quo significat se non esse auctorem minarum, sed loqui tantum ex ore Dei, quia erat organon Spiritus, ut ante vidimus. Sequitur,

17. Quum emisero (*vel jaculatus fuero.* שלח *significat mittere: sed hic accipitur pro jaculari. Circumstantia enim loci hoc postulat*) sagittas famis malas in ipsos, quæ erunt in perditionem, (*vel interitum*) quas jaculabor in ipsos ad perdendum eos: & famem addam contra eos, & confringam ipsis baculum panis.

Illustrat sententiam quam vidimus, neque id facit Rhetorum more, qui splendorem & ornatum sermonis affectant: sed unum ejus consilium fuit penetrare in animos populi quasi lapideos aut ferreos. Hæc igitur ratio est cur hic tanta varietate utatur, & exornet suam doctrinam variis figuris. Deum igitur nunc comparat sagittario, qui vibrabit sagittas suas contra eos. sed metaphorice loquitur de sagittis Dei. Dicit enim *sagittas illas esse famis*, & vocat *malas*, hoc est, lethales vel mortiferas. *Quum ergo ita vibravero sagittas malas contra eos, erunt ipsis in corruptionem*, inquit, hoc est, non effugient mortem, quia ictus erunt prorsus lethales. Potest fieri ut quis vulneretur ictu sagittæ, & postea convalescat: sed Deus sagittas de quibus loquitur, mortiferas fore pronunciat, ita ut quisquis ictus fuerit nullam habeat spem salutis residuam. Cæterum, per *sagittas famis* possumus intelligere tam siccitatem terræ, quam bruchos, locustas, & alia Dei flagella: nunc arefacit segetem uredo, nunc rubigo: nunc pluviæ faciunt ut triticum tabescat, nunc autem æstus torret: quotquot igitur sunt corruptelæ, & pestes annonæ, totidem sunt sagittæ Dei, quæ transfigunt hominum corda, idque lethali vulnere. Si cui non placeat tam subtilis expositio, liberum sit: tamen si quis propius attendat, fatebitur Deum jaculari suas sagittas quoties sterilitatem inducit, vel aufert hominibus victum. Addit, *quæ erunt in corruptionem.* Confirmat quod jam diximus notari per epitheton הרעים. Dicit igitur sagittas illas fore exitiales, *quia erunt in perditionem & interitum.* Sequitur altera confirmatio: *quas mittam*, inquit, *in eos ad perdendum ipsos.* Hic Deus certo affirmat se jaculaturum sagittas illas. Et repetit secundo quod ante vidimus, idque in eodem versu. Sed admonuimus cur Propheta pluribus verbis in re alioqui non obscura insistat. Addit, *Et multiplicabo famem contra eos.* Hic significat se armatum esse diversis telis, ita ut si existiment homines se elapsos, sentiant Deo fuisse alia tela abscondita, quæ nondum in medium protulerat. *Adjiciendi* ergo verbo nobis exprimitur quod ante vidimus per sagittas. Loquutus

est

est Propheta in numero plurali de sagittis: sed impii restringunt quantum in se est, Dei potentiam. Si Deus velit, inquiunt, poterit quidem continuis pluviis segetes corrumpere: poterit etiam facere ut exarescant nimio æstu: sed si gelu, si grandinem, & procellam, si pluvias, & siccitatem effugerimus, jam bene nobiscum actum erit: ita impii obdurescunt in sua securitate. Quare? quia scilicet restringunt ad certum & finitum numerum sagittas Dei. Hæc ratio est cur dicat, *Adjiciam famem super eos*, hoc est, quum putabunt sibi annonam esse in tuto, quod evaserint tam siccitatem, quam pluvias, & rubiginem, & procellas, & grandinem: ego reperiam, inquit, alios modos ipsis incognitos quibus ad famem eos adigam. Et modum unum exprimit, quod *franget baculum panis*, de qua loquendi formula ante diximus. Neque enim eorum sententiæ subscribo, qui dicunt frangi baculum panis, quum Deus penuriam tritici immittit. Nam in summa copia etiam frangitur baculus panis, ut ante fuit ostensum ex
Mose, ubi scilicet vim pani inditam aufert Deus, &
facit ut evanescat: quia non in solo pane vivit homo, *Deut. 8.*
sed ex illa arcana inspiratione, quam Deus pani in- *vers. 3.*
didit. Ergo poterimus quadruplo plus comedere
quam simus soliti, neque tamen saturabimur: quemadmodum
sæpius occurrit hæc loquutio apud Pro-
phetas quam sumunt ex Mose, Comedes & non sa- *Levit. 26.*
turaberis, inquiunt. Sic etiam hoc loco repetit Pro- *vers. 26.*
pheta quod proximo capite vidimus, Deum scilicet *Jesa. 9.*
facere ut frangatur baculus panis, hoc est, auferre *vers. 20.*
virtutem panis: ut qui epulatus fuerit non sentiat ta- *Ezech. 7.*
men novum vigorem se recuperasse. Sequitur, *Hosea 4.*
vers. 10.
Mich. 7.

18. Et mittam in vos famem, & bestiam malam, (*vel feram malam*) & orbabunt te, *vers. 14.*
(*loquutus est prius in numero plurali*) & pestis, & sanguis transibunt in te, & gladium venire faciam super te: ego Jehovah loquutus sum.

Hic generaliter loquitur Deus de quibuslibet rebus adversis, *mittam malum in eos*, inquit: sed continuo post subjicit speciem, de qua nondum loquutus fuerat. Ergo sub mali nomine complectitur res omnes adversas: quasi diceret sibi in manu esse, pœnam exigere de sceleratis non uno modo, vel alio duntaxat: sed quemadmodum innumeræ sunt res adversæ quæ nos circumstant, & quibus sumus obnoxii: ita nullum fore vindictæ suæ modum, nisi desinant homines provocare ejus iram. Hæc igitur ratio est cur generaliter nunc loquatur de malo: sed quemadmodum diximus, speciem attexit: *Fera*, inquit, *mala veniet super te, & ita orbabo te.* quanquam hic una duntaxat species exprimitur, minime tamen dubium est, quin exempli causa Deus eam protulerit, ut inde colligerent omnes noxas esse in ejus in manu. Atqui sunt innumeræ. si attollimus sursum oculos, quot mortes inde nobis impendent? si terram respicimus, quot sunt venena? quot sunt bestiæ feræ & truculentæ? quot sunt etiam serpentes? quot gladii, foveæ, offendicula, præcipitia, ædium ruinæ, lapidum & telorum jactus? Denique non possumus pedem unum movere, quin occurrant nobis decem mortes. Sed hic tantum de feris bestiis loquitur Deus, ut significet illas sibi esse præsto quasi per ipsas exequeretur suum judicium. Nunc ergo tenemus cur genus posuerit Ezechiel, deinde cur speciem unam duntaxat postea attigerit. Et tandem addit, *Orbabo ipsos*, vel privabo, nempe quod auferet patribus filios, & filiis parentes: neque id tantum per sævas & noxias bestias, sed aliis quibuslibet modis. Iterum repetit, *Pestis & sanguis transibunt super te.* De sanguine non fuerat loquutus, nisi sub nomine gladii: quod iterum repetit: sed congerit ut dictum est, varias formas loquendi, ut tandem expergefiant qui per se erant nimium tardi, deinde suipsos ultro avertebant ab omni sensu vindictæ Dei. *Transibunt* ergo, inquit, *tam pestis quam sanguis in te.* Deinde *adducam gladium*, inquit, *super te.* Quum loquutus est de sanguine, certe intellexit gladium: sed ut jam dictum est, non potuit hoc consequi, ut statim contremiscerent tam Israëlitæ quam Judæi ad tales minas. Oportuit igitur inculcari pluribus modis quod per se erat satis clarum & facile. Et huc pertinet quod iterum addit, & jam ante attigit, *Ego Jehovah loquutus sum.* Avertit enim Israëlitas & Judæos à sui respectu, & ostendit se non esse auctorem minarum, sed tradere fideliter quod accepit ex manu Dei, & quod jussus est etiam proferre ad ipsos.

Da omnipotens Deus, quando usque adeo sumus lenti & pigri, ut tamen expergefiamus mature ad tuas minas, & nos subjiciamus tuæ potentiæ, ne experiamur nostro exitio quam sit formidabilis, sed proficiamus sub tuis ferulis quum paterne nos castigas: & ita resipiscamus, ut prosequamur toto vitæ nostræ cursu continuum studium, & meditationem veræ pœnitentiæ: & exuti carnis nostræ vitiis & sordibus, reformemur in veram puritatem, donec tandem perveniamus in societatem cælestis gloriæ, quæ nobis reposita est in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEXTA IN EZECHIELEM.

Cap. VI.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Fili hominis, pone faciem tuam ad (*vel adversus*) montes Israël, & prophetiza ad eos:

3. Et dic, Montes Israël audite sermonem Dominatoris Jehovæ: Sic dicit Dominator Jehovah montibus, & collibus, rivis, (*alii vertunt torrentes*, *alii decursus aquarum*, *alii rupes*) & vallibus: Ecce ego adducens contra vos gladium, & perdam excelsa vestra.

NUnc se convertit Propheta ad regnum Israël quum ante loquutus fuerit de solis Judæis. Dicit *se divinitus fuisse missum ad montes Israël.* Primo quæstio moveri posset de tempore. Nam excisum tunc erat regnum Israël, & decem Tribus tractæ fuerant in exilium. Cessavit enim regnum illud regnante adhuc Ezechia. Non videtur igitur congruere temporis ratio, ut Pro-

Propheta denunciet futurum quod multis ante annis acciderat. Sed nihil erit absurdi si dicamus ex parte esse prophetiam, ex parte vero doctrinam, ut intelligant Israelitæ cur patria orbati fuerint, & dispersi inter gentes. Dico aliqua ex parte expositum fuisse Dei consilium exulibus, ut scirent qua de causa Deus eos in longinquas terras expulisset. Neque enim aliter fuisset illis pœna utilis, nisi admoniti simul fuissent de causa. Cæterum, quamvis regnum collapsum esset, probabilis tamen est conjectura multos fuisse residuos. Neque enim tot hominum millia abduxit Assyrius, & gravata etiam fuisset ejus ditio tanta multitudine. Minime igitur dubium est quin collegerit florem populi, & permiserit vulgo hominum illic manere. Misit etiam è regno suo qui terram desertam incolerent. Sed fuisset tanta mutatio & damnosa Regi ipsi, & in commune etiam molesta omnibus. Quanquam ergo nullum amplius erat regnum, imo extinctum erat fere Israëlis nomen, quia nullum erat corpus populi, & habitabant in patria tanquam extranei & hospites: fuit tamen illic aliqua turba residua. Jam colligimus ex Prophetæ verbis fuisse obstinatos, quia neque fratrum suorum exilio, neque sua calamitate fuerint adducti, ut relictis superstitionibus iterum amplecterentur verum & purum Dei cultum. Quum ergo nihil illis profuisset castigatio, ideo Propheta jubetur *adversus ipsos* concionari. Quod autem post excidium regni Israël mandatum hoc acceperit Ezechiel, colligitur
Cap. 1. ex primo capite. Dixit enim se fuisse divinitus ex-
vers. 1. 2. citatum anno tricesimo, nempe post Jubilæum: deinde quinto anno captivitatis Jechaniæ vel Joachim. Patet igitur, postquam dissipatæ fuerant decem Tribus, Prophetam loquutum esse contra terram Israëlis. Inde rursus elicere promptum est, fuisse illic adhuc multos ex populo, quia difficile fuisset Assyriis recipere omnes exules: sed quicunque superstites manebant in patria, pergebant in suis abominationibus, ut necesse fuerit denunciari illis aliud judicium, de quo nunc videbimus. Jam ergo hoc principium manet, Prophetam sic verba facere de clade regni Israël, ut tamen in futurum tempus prædicat quod minime timebant qui adhuc fuerant relicti in patria. Nam persuasi erant se defunctos esse omnibus periculis. Atqui Propheta ostendit nondum completam fuisse Dei vindictam, sed quicquid antehac pertulerant malorum esse præludium duntaxat, & graviores pœnas illis instare, quod ita obdurescerent contra manum Dei. Plus autem vehementiæ habuit vaticinium, quum Propheta montes ipsos alloquutus est, quam si sermo fuisset ad homines directus. Non jubetur itaque Ezechiel Israëlitas hortari ad pœnitentiam, & illis minari pœnam quæ adhuc restabat: sed jubetur sermonem convertere *ad colles, & montes, & valles*. Nam oblique ita significat Deus Israelitas primum esse surdos, deinde indignos, in quibus docendis operam consumat
1 Reg. 13. Ezechiel. Sic Propheta qui missus est ad Jarobeam,
vers. 2. non dignatus est ipsum alloqui, sed verba fecit ad ipsum altare: Altare, altare, inquit, sic dicit Jehovah, Ecce nascetur filius domui Davidis, cujus nomen erit Josias, & mactabit super te sacerdotes excelsorum, comburet ossa mortuorum, &c. Rex adolebat suffitum in altari; Propheta illum non respicit, sed quemadmodum jam dixi, dirigit sermonem suum ad altare: illud longe fuit vehementius, quam si Regem acriter objurgasset. Fuit enim illa non vulgaris exprobratio, quod omisso Rege, acsi esset umbra hominis duntaxat, altare mortuum admonet de futuro eventu: sic etiam hoc loco, *Fili hominis, pone faciem tuam contra montes Israel, & propheta, vel prophetiza ad eos*. Poterat excipere Propheta non esse aures montibus, ideoque id esse lusorium. Sed intellexit consilium Dei, & ita placide obtemperavit, quia videbat homines à Deo contemni, & rejici, eo quod surdi essent, atque etiam insanabiles: & interea cognovit non fore inutilem suam operam quum montes alloqueretur. Scimus enim terram creatam esse in usum hominum: & Deus ideo proponit nobis exempla iræ suæ in brutis animalibus, in arboribus, in aëre ipso, & in cælis: ut sciamus insculpi illic admonitiones, quæ ad nos pertinent, quamvis Deus alio & oculos suos, & faciem suam avertat. Est igitur hoc signum indignationis, quum Dominus judicia sua ostendit sursum & deorsum, & interea apud nos obmutescit: quia hinc colligimus nos indignos esse, quibus erudiendis operam impendat. Hanc rationem proculdubio tenuit Propheta. Jam clarior expressio sequitur tertio versu, *Tu dices, Montes Israël audite sermonem Jehovæ*. Hic exigitur audientia à montibus, quam præstare non poterant: sed id fit hominum respectu, quemadmodum nuper attigi. Deus ergo postulat à montibus audiri, ut intelligant homines rem inanimatam fore quodammodo præditam sensu, si consideretur eorum stupor. Nam tandem exercuit Deus judicia sua contra montes Israël. Quamvis ergo non potuerint Prophetam loquentem audire, exceperunt tamen ejus doctrinam, quia fuit efficax in ipsis, & Deus tandem reipsa probavit se non frustra loquutum esse. Eventus ergo palam fecit montes quodammodo fuisse auritos. Neque enim potuerunt effugere judicium, quod palam denunciatum fuerat. Jam addit, *Sic dicit Jehovah montibus & collibus*. Non tantum compellat nunc Ezechiel montes, sicuti fuerat jussus. Ergo videtur excedere præscriptum sibi mandatum: tantum enim missus fuerat ad montes, & colles: nunc autem dicit, *audite montes, audite colles, audite valles*. Sed heri diximus, aliquando brevius loqui Prophetas, aliquando autem pluribus verbis explicare, quod breviter complexi fuerant. Deus ergo tantum initio loquutus est de montibus: minime tamen dubium est, quin comprehenderit & valles, & decursus aquarum: quia tantum explicat Propheta quod uno verbo dixerat. *Dicit ergo montibus & collibus*, deinde *decursibus aquarum vel torrentibus*. Hieronymus vertit rupes, & אפיק vocant quicquid est violentum. ubi igitur est violentus cursus, illic usurpant nomen אפיק. & ita possumus intelligere hoc loco vel rupes, vel decursus aquarum, vel torrentes: in ea re parum est momenti. Sed quoniam postea addit valles, mihi probabilis est illa expositio, Prophetam scilicet intelligere vel torrentes, vel aquarum decursus. Jam notandum est hic partes designari, ubi erexerant Israelitæ perversos & adulterinos cultus. Scimus enim montes fuisse superstitionibus refertos: idem etiam fuit in vallibus: quanquam diversa erat ratio. Nam quum erigerent altaria sua in montibus, putabant se Deo esse propinquos: quum autem descenderent ad valles, illic erat aliqua religio in umbra & obscuritate: deinde putabant se hoc modo esse reconditos tanquam in sacrario. Satis notum est, suas idololatrias exercuisse tam in montibus, quam in vallibus. Hæc igitur ratio est cur Propheta hic ostendat totam terram Israël pollutam fuisse inquinamentis. *Ecce ego*, inquit, *adduco contra vos gladium*. Hinc colligimus quum Propheta verba fecit ad montes, loquutum tamen esse hominum causa. Neque enim potuit gladius quicquam montibus nocere. Nam lapis unus franget centum & mille gladios, interea manebit integer. Deus ergo frustra minatus fuisset montibus cædem: imo quum fit mentio gladii, scimus mortem intelligi. Ponitur enim causa pro effectu. Ergo Deus oblique homines compellat: sed quum sermonem dirigit ad montes, ostendit homines ipsos esse surdos, ideoque avertere faciem suam ab ipsis, & alloqui muta elementa, & res inanimatas. *Et perdam*, inquit, *excelsa vestra*. Jam explicat quod

ante docui, montes, & colles, & valles, & aquarum decursus nominari, quia illic vigebant perversi & impuri cultus. Nam per *excelsa* haud dubie designat Spiritus quicquid admiscuerant Israëlitæ ex suis figmentis ad corrumpendum Dei cultum. *Excelsa* proprie vocarunt altaria, quæ erecta erant in locis sublimibus, & magis editis. Sed species pro genere hic ponitur. Interea significat Deus se ita abominari omnes cultus fictitios, ut non possit ferre locorum conspectum. Lapides quidem ex quibus constructa erant altaria, scimus fuisse innoxios. Loca etiam non polluunt idololatræ suo arbitrio. Mundus enim quatenus à Deo creatus est, retinet semper suam naturam. Sed quantum ad homines spectat, loca ipsa polluta sunt, & contagio reddit quodammodo Deo exosa. Ergo in detestationem idololatriæ hoc positum est. Jam sequitur,

4. Et desolabuntur altaria vestra, & conterentur idola vestra, & cadere faciam (*vel prosternam*) occisos coram idolis vestris.

Prosequitur eandem sententiam, & primo denunciat altaria redactum iri in vastitatem. Hinc apparet quantopere placeat Deo obedientia, & quam verum
1 Sam. 15. vers. 22. sit illud, potiorem esse omnibus sacrificiis. Neque enim dubium est, quin Israëlitæ magnifice extulerint sua figmenta acsi Deum rite colerent. Initio qui-
1 Reg. 12. dem excogitavit astute Jarobeam novos illos ritus, ut alienaret decem Tribus à familia Davidis: sed tandem invaluit error, ut putarent probari Deo illos impios cultus. Atqui videmus ut Deus ipsos abominetur. Semper ergo tenendum est illud principium, quamvis homines existiment se Deo præstare obsequium ubi obtrudunt sua figmenta, adeo nihil proficere, ut iram Dei in se provocent. Neque enim vindicta hæc sumpta fuit de altaribus, quin graviter offensus esset Deus illa impia mixtura. *Altaria* igitur *vestra venient in vastitatem & solitudinem*: deinde, *conterentur idola vestra* Hic quidam vertunt idola Solis, & nomen sumptum est à calore, quod postea iterum repetitur. Sed videtur illa divinatio esse nimis coacta. Ego itaque non dubito quin idola sic vocata fuerint propter vesanum amorem, quo rapiuntur superstitiosi. Passim enim apud Prophetas dicuntur esse similes adulteris: & Propheta noster subinde ita loquitur. Ergo optime conveniet vocari idola ab æstu, propterea quod flagrarent superstitiosi eorum amore, tanquam adulteri currunt post scorta, ut iterum videbimus. Utitur postea alia voce, quum dicit *prosternam occisos vestros coram idolis vestris.* גלולים enim vocant idola propter foeditatem, quasi dicerent stercora. Ita videmus primo loco damnari à Propheta furorem illum, quo ardebant Israëlitæ, quum perverterent purum & legitimum Dei cultum: deinde exprobrari illis suum flagitium, quod se volverent in sordibus, & quasi in stercoribus. Cæterum hinc etiam docemur quantopere excandescat Deus contra omnes superstitiones, ubi non tantum homines ipsos ad tribunal suum citat, eo quod profanaverint veram pietatem: sed irascitur ipsis externis instrumentis, & lapidibus, & lignis, & quodammodo involvit ipsa instrumenta idololatriæ cum auctoribus. Sequitur,

5. Et ponam cadavera filiorum Israël coram idolis vestris, & spargam coram idolis suis: (*est relativum tertiæ personæ*) spargam ossa vestra (*iterum redit ad secundam personam*) in circuitu altarium vestrorum.

His verbis significat Propheta vindictam Dei fore manifestam, quia imprimet certas notas, ex quibus judicium fieri possit Israëlitas provocasse ejus iram: quia discesserint à puro & genuino Legis ordine. Dicit ergo, *ponam cadavera filiorum Israël coram idolis ipsorum.* Ubi ita permixta fuerunt cadavera idolis, hinc apparuit Deum offensum graviter fuisse. Nam scimus illud fuisse detestabile in omnibus sacrificiis, ut victimis conjungerentur ossa, vel cadavera hominum. Religio itaque Israelitarum hoc signo aperte damnata fuit. Ita nisi prorsus fuissent cæci, poterant agnoscere omnes suos cultus fuisse abominabiles. Tenemus ergo consilium Dei, quum dicit *cadavera filiorum Israël se abjecturum coram ipsorum idolis:* quasi diceret, Ego conspurcabo omnes vestros cultus, qui videntur vobis sacrosancti: ac efficiam ut foeteant etiam apud incredulos. Quare? Altare enim polluitur contactu cadaveris. Atqui projecta erunt cadavera, ut inde contagio ad quodlibet altare perveniat. *Et spargam*, inquit, *ossa vestra in circuitu altarium vestrorum.* Denique significat se profanaturum sacra illa quæ sibi fabricaverant Israelitæ, eorum cadaveribus: quo bis fore probrosos intelligit, dum suo dedecore foedabunt quicquid pulchrum duxerant. Prophetæ assidue clamabant esse ludibria, esse abominationes: sed placebant interea sibi qui assueverant illis superstitionibus. Quum ergo nihil proficerent servi Dei sanctis admonitionibus, realis tandem probatio vel actualis accessit, quum scilicet polluta fuerunt altaria, & quidem proprio eorum foetore. Nam illic apparuit notabilis vindicta Dei, ut ante dictum est.

6. In omnibus habitationibus vestris (*hoc est, in omni regione habitabili*) urbes desolabuntur, (*vel desertæ erunt, diximus de hoc verbo*) & excelsa in vastitatem redigentur, ut vastentur & desolentur (*vel destruantur, pereant*) altaria vestra, & conterantur & cessent (*vel aboleantur*) idola vestra: & excidantur idola vestra, (*est iterum nomen illud quod deductum est ab æstu*) & deleantur opera vestra.

Jam aliis verbis significat Propheta Deum sumpturum vindictam de superstitionibus decem Tribuum in omnibus locis: unde patet, nullum angulum fuisse purum à corruptelis. Nam dum nominat cunctas habitationes, significat eos foedasse omnem locum habitabilem. Ubicunque ergo habitabant erexerant sua altaria, & alienos cultus, quemadmo-
Jerem. 2. dum alter Propheta illis exprobrat, Secundum nu-
vers. 28 merum urbium tuarum fuerunt dii tui. Alloquitur
& 11:13. quidem illic Judæos, sed eadem est ratio. Significat igitur Propheta non fuisse aliquam partem duntaxat idololatriis pollutam, sed sordes illas fuisse expansas per totam terram, nempe ubicunque fuerunt aliqui incolæ. *In omnibus* ergo *habitationibus tuis urbes erunt desertæ* Quum autem minatur excidium & vastitatem urbibus, significat quod jam dixi, loca illa fuisse corrupta impiis superstitionibus. Adjungit, *& excelsa tua destruentur*, vel desolabuntur. Hic clarius seipsum explicat, quod scilicet urbes redigendæ essent in solitudinem quia illic corrupta fuerat religio, & desciverant incolæ ad sua figmenta, & ad idololatrias. Urbibus ergo adjungit excelsa, ut causam designet cur urbes perituræ sint. Adjungit, *ut desolentur*, vel in desertum redigantur: est iterum verbum

bum

bum חרב, *& pereant altaria vestra.* Confirmat eandem doctrinam, nempe se urbibus Israel ita esse infestum, quia omnes pollutæ essent profanis & alienis altaribus. Deus enim terram illam sibi delegerat, quemadmodum dictum est: & ita urbes omnes erant dicatæ ejus gloriæ. Poterat igitur hoc admirationem movere cur minitaretur illis vastitatem. Nam in promptu erat exceptio, mutatum igitur fuisse ejus consilium. Sed Propheta ostendit urbes quamvis per se Deo placeant, tamen odio esse propter corruptelas quibus fuerant inquinatæ. Excelsis ergo adjungit altaria. Hinc probabilis conjectura elicitur, non sacrificasse Israëlitas ubicunque erecta erant excelsa. Habebant igitur sua excelsa, ubi colebant falsos deos: sed habebant seorsum sua altaria. Cæterum, quia utroque modo vitiabatur Dei cultus, Propheta quemadmodum dixi, conjungit hæc duo. Tandem addit, *& conterantur & cessent*, vel aboleantur *idola vestra.* Iterum ponit probrosum illud nomen de quo diximus, quod sumptum fuit à fœtore stercoris. Sed (Luc. 16. vers. 15.) ita significat quod altum est in oculis hominum, Deum abominari: præsertim ubi ita perperam colitur. *Et excidantur*, inquit, *idola vestra.* Dixi esse illud nomen sumptum à calore. Materiam igitur insaniæ significat fuisse in idolis, quum ita correpti fuerint vesano amore Israëlitæ, ut Deo relicto ad sola idola respicerent. Sed zelum illum quo insaniunt idololatræ, comparat impuræ & brutæ libidini. Tandem addit, *deleantur opera vestra.* Hic generale nomen ponit, & significanter demonstrat discrimen inter purum Dei cultum, & inter omnes corruptelas. Non igitur opus est longa disquisitione, si cupimus tenere qualiter colendus sit Deus. Nam opera nostra rejicit atque excludit. Si ergo non obtrudimus opera nostra, sed tantum sequimur quod Deus mandat, purus erit cultus: si autem aliquid adjungimus de nostro, abominatio est. Videmus ergo posse colligi ex una voce utilem doctrinam, cultus scilicet omnes esse perversos, & reprobari à Deo ubi homines ex seipsis quicquam afferunt. Neque enim hic per opera intelligit idola quæ fabricata erant vel ex ligno, vel lapide, vel ære, vel ex auro & argento: sed comprehendit similiter quicquid homines confinxerant, & quicquid poterat illis adscribi, quia non sumpserant ex ore Dei, & ex præscripto Legis. Jam sequitur,

7. Et cadet interfectus in medio vestri: & cognoscetis quod ego Jehovah.

Hic Propheta clausulam apponit superioribus minis, nempe quod Deus clade absumet totum populum, ita ut cogantur agnoscere ipsum esse Jehovam. *Cadet* ergo *interfectus in medio tui*, hoc est, advenient hostes, qui passim stragem edant in media terra. Quod autem dicit *se esse Jehovam*, refertur ad vaticinium. Neque enim Israëlitæ negassent Deum simpliciter: sed quia fidem non habebant Prophetæ verbis, ideo apparet Deus, & confirmat ac stabilit auctoritatem Propheticæ doctrinæ, quum ostendit se adesse vindicem si spreta fuerit, quemadmodum scimus fuisse spretam: & hoc paulo post clarius explicabitur. Sequitur nunc,

8. Et residuos faciam, (*est verbum unum, residuum faciam*) ut sint vobis qui evadant gladium in gentibus, quum dispersi fueritis per terras.

Hic tamen additur aliqua promissio, quæ temperet acerbitatem tam tristis vaticinii. Hactenus enim ostendit Deus se ardere indignatione contra terram Israël, ita ut statuerit eam perdere, quod ubique, & in omnibus angulis polluta esset. Nihil potuit ergo sperari, si ita præcise loquutus esset Ezechiel. Ergo additur promissio ad moderationem: *residuum*, inquit, *aliquid faciam, ut sint vobis*, hoc est, ut sint aliqui ex vobis superstites, *qui evadant gladium*: sed quomodo? Deus non simplicem veniam promittit, ut relinquat in terra ipsos Israëlitas quietos & incolumes: sed dicit exilium fore illis in salutem. Hinc ergo colligimus fuisse ita depravatos, ut non potuerint consequi veniam: quia videbat Deus patientiam suam illis esse despectui, atque etiam opprobrio. Quamvis ergo spem aliquam gratiæ faciat Israëlitis, simul tamen admonet, ipsos non posse alio modo salutem consequi, nisi per speciem mortis, hoc est, per exilium. *Reliquos* igitur *faciam*, inquit, *ex vobis qui gladium evadant*: quomodo? an quibus pepercerint hostes, ut non mutent locum? imo, inquit, *quum dispersi fueritis in gentibus.* Vitam igitur illis promittit, sed miseram, quia conjuncta erat cum exilio. Cæterum, ex his verbis non posset cognosci adhuc Dei gratia, nisi accederet quod continuo post sequitur,

9. Et recordabuntur qui ex vobis evaserint, mei in gentibus, apud quas captivi fuerint illic, (*sed abundat adverbium loci*) quia frangar ad cor ipsorum, quod fornicatur, (*vel fornicatum est, hoc est, ad cor ipsorum quod exarsit ad adulteria*) quod recessit à me, & ad oculos ipsorum scortantes (*vel libidinantes*) post idola sua: & pudefient coram facie sua super malis quæ fecerunt in omnibus abominationibus suis. (*Video me non posse absolvere: & puto horologium aberrare.*)

Da omnipotens Deus, quando voluisti superesse memoriam insignium vindictarum, quas olim sumpsisti de populo tuo, ut hodie nos contineamus sub puro tuo cultu: da, inquam, ut præstemus nos tibi dociles, neque tentemus cultum tuum adulterare nostris figmentis: & quando patefecisti nobis liquido tuam voluntatem per unigenitum Filium tuum, ut maneamus in obedientia ipsius: atque ita te invocemus Patrem ejus nomine, quantisper peregrinamur in mundo, donec tandem perveniamus ad beatam illam hæreditatem, quæ nobis reposita est in cælo per eundem Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO DECIMA SEPTIMA IN EZECHIELEM.

POstrema lectione tantum recitavi nonum versum, neque exposui. Dicit autem Dominus, *Postquam aliquam partem Israëlis fecerit residuam*, sperandum esse aliquem profectum ex castigatione: *tunc*, inquit, *recordabuntur mei qui residui fuerint*. His verbis oblique perstringit socordiam decem Tribuum, quod scilicet nunquam adduci potuerint ad sensum aliquem iræ Dei, nisi ipsa experientia. Nam subest antithesis inter memoriam & oblivionem: quum dicit recordaturos postquam afflicti fuerint, significat rebus prosperis & tranquillis fuisse demersos in sua negligentia & contemptu. Discamus ergo plusquam utiles nobis esse Dei ferulas, quia ubi nobis indulget, abutimur ejus facilitate, & nobis blandimur, ita obdurescimus in peccatis. Necesse igitur est, nedum utile, castigari eos qui ita sibi placent in suis vitiis: & quamvis possit Dominus nos ad se revocare aliis modis, ut tamen fert nostra imbecillitas, semper torpebimus in peccatis nostris, donec ejus castigationes nos in viam retrahant. Cæterum, simul notandum est, non omnibus hoc dari ut resipiscant etiam castigati Dei manu. Et Propheta non loquitur generaliter, sed hic designat superstites vel qui servati erunt. פליטכם, inquit, hoc est, qui salvi erunt ex vobis. Illa autem fuit exigua portio, quemadmodum visum est. Jam si quæritur discrimen inter paucos, quibus datum fuit evadere, & reliquam multitudinem quæ extincta fuit, non aliud reperietur, nisi quia placuit Deo servare aliquod semen. Omnes digni erant interitu: consumpsit fere totum corpus populi: exiguum numerum voluit salvum manere. Videmus ergo salutem eorum de quibus nunc Propheta loquitur, manasse à mera Dei misericordia. Cæterum, memoria tenendum est quod dixi, non alios resipiscere, nisi quibus datum est. Unde sequitur, pœnitentiam singulare esse Dei donum. Et videmus plures in deterius ruere, imo insanire adversus Deum, ubi eos castigat: primo fremunt, deinde tumultuantur, tandem vero ruunt ad effrenem vesaniam, ita ut parati sint bellum cum Deo gerere, si possent penetrare usque ad cælos. Quum ergo electis & reprobis communes sint ferulæ, alii autem magis ac magis contra Deum furere pergant: sequitur non omnibus datum esse ut resipiscant, ubi Deus admonet ipsos, citat ad suum tribunal, & pœnam de illorum peccatis exigit, ut sibi displiceant. Hæc igitur ratio est cur Propheta restringat hanc promissionem ad eos qui salvi fuerint ex toto populo. Dixerat autem fore salvos, quia Dominus nollet extinguere totam Ecclesiam, ne intercideret fœdus, quod debebat esse perpetuum & inviolabile. Dicit *in gentibus*, *à quibus*, vel ubi *captivi fuerint*. Hic etiam significat Propheta utile fore exilium Israëlitis, quia quantisper passus est Deus potiri terra sancta, quasi ex professo eum provocarunt. Quum ergo polluerent ita cultum Dei in terra sancta, oportuit longe ipsos ablegari. Et hoc significat Propheta quum dicit *apud gentes ubi erant captivi*, tunc redituros ad sanam mentem quum prorsus fuerint obstinati in regione Deo dicata. Sequitur *quod confractus*, vel contritus *fuerit super corde ipsorum*. Potest duplex esse verborum sensus: prior est quod Deus tandem victus fuerit eorum malitia, postquam expertus est se nihil proficere eos patienter ferendo. Nam ubi videt ludibrio esse suam gratiam, magis exardescit, & merito. Sic igitur potest commode exponi hic locus, *quod Deus fractus fuerit super corde Israëlitarum meretricante*: quia quum diu passus ipsos esset impune peccare, tandem ubi vidit non facere ullum finem, quasi victus esset eorum obstinatione, descendit ad sumendas pœnas. Sed possumus etiam hoc referre ad veniam, quod scilicet agnoscent Deum fractum esse super corde ipsorum, quia velit ignoscere. Dicitur enim frangi qui injurias sponte remittit: ut multi sunt teneri & mansueti, qui libenter inimicis suis condonant etiam gravissima quæque scelera. Et hæc expositio non male quadraret, quia non potest ex animo peccator reminisci Dei, quin gustum aliquem percipiat bonitatis ejus, ut speret sibi fore propitium. Prior tamen sensus videtur magis convenire, quod incipient recordari Israëlitæ, ubi fuerint tracti in exilium, sibi rependi justas pœnas, quia Deus patienter ipsos sustinuerit, neque statim summo rigore cum ipsis egerit: sed coactus tandem descenderit ad sumendas pœnas, postquam contritus fuit, vel fractus desperata ipsorum malitia. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Hinc etiam colligimus, qui serio resipiscunt non tantum leviter culpam agnoscere, sed secum reputare quot modis, & quam diu, & pertinaciter provocaverint iram Dei. Hoc enim exprimit Propheta per verbum *frangendi*. Deus ergo non ita duriter tractavit Israëlitas, simulatque offensus fuit eorum sceleribus: sed tandem fractus fuit ipsorum duritie. Dicit, *super corde ipsorum meretricante, quod recessit à me, & super oculis meretricantibus post idola ipsorum*. Similitudo hæc passim occurrit apud Prophetas, & quia sæpe exposita à me fuit, nunc leviter prætereo. Dicuntur enim superstitiosi scortari cum suis idolis, ut omnis idololatria magis detestabilis reddatur. Nam qui suis figmentis cultum Dei adulterant, existimant tamen se præstare gratum obsequium. Quoniam ergo sibi ita placent cæci & increduli in suis corruptelis, ideo comparat eos Scriptura scortatoribus. Nomen Devotionis apud Papistas hodie ita plausibile est, ut sepeliat omnem lucem sanæ doctrinæ. Nam uno hoc verbo repellunt quicquid profertur ex Lege & Euangelio: ita est etiam de bonis Intentionibus, quas vocant. Quoniam ergo ita se inebriant increduli in suis commentis, Deus præcise nominat scortatores, & dicit eos omnes qui recedunt à pura Legis regula, stupris se contaminare: interea ut sæpius dictum fuit, alludunt Prophetæ ad sacrum & spirituale conjugium, quo Deus sibi Ecclesiam suam devinxit. Nam castitas animæ est pure Deum colere. Ubi ergo à sinceritate illa deficiunt homines, perinde est acsi mulier ad quoslibet adulteros diverteret relicto marito. Jam quo magis Propheta exprimat vesanum studium, conjungit oculos cordi. Furiosam igitur libidinem his verbis intelligit, quod non tantum toto corde abrepti fuerint ad sua idola, sed etiam oculis fuerint eodem tracti, quemadmodum si oculi essent faces ad animum inflammandum. Retinet vero similitudinem suam, quia scortatores vago suo aspectu concipiunt flammas libidinum, & ita cor ipsorum accenditur. Hac igitur ratione dicit *fuisse & corde & oculis adulteros*. Postea adjungit, *& pudesient*, vel excisi erunt *in faciebus suis*, hoc est, coram facie sua: alii vertunt nauseam habebunt, quæ translatio videtur paulo asperior. Sed quia קט significat respuere, fideliter Prophetæ sensum reddunt, qui utuntur verbo abominandi. *Erunt* igitur *abominationi sibi ipsis*, inquit. Qui vertunt excidentur,

dentur, etiam metaphorice accipiunt hoc verbum. Qui enim tantum pudoris concipit, ut vix audeat cælum & homines aspicere, dicitur quasi excisus. Sed alii vertunt, litigabunt coram oculis suis vel contendent. Cæterum, quia significatio illa rarior est, vix audeo subscribere eorum sententiæ, præsertim quum sensus ille optime conveniat, nempe ipsos fore sibiipsis abominabiles. *Respuentur* ergo *coram facie sua*, hoc est, non expectabunt dum ab hominibus damnentur, vel dum alii reprobent perversos eorum cultus: sed ipsi se sponte abominabuntur. Jam ostendit Propheta veram fore pœnitentiam, quia fieri posset ut quis sentiret sibi negotium esse cum Deo, non tamen humiliaretur: quemadmodum
Genes. 4 vers. 6. Cain coactus est contremiscere ad Dei conspectum, sed fuit semper sui similis. Idem contingere solet omnibus reprobis. Est quidem pars aliqua pœnitentiæ, agnoscere Dei judicium, sed dimidia est duntaxat. Ergo Propheta ut ostendat Israëlitas non sine fructu Dei recordaturos, ubi ejus manu fuerint percussi, adjungit fore sibiipsis abominabiles. Hæc igitur displicentia secunda pars est pœnitentiæ. Dicit, *super malis quæ fecerunt in omnibus abominationibus suis.* Clarius exprimit Propheta velamen, quo obtecti diu fuerant Israëlitarum oculi, sublatum iri, ubi ad Deum respexerint. Nam impunitas facit ut conniveant homines ad sua peccata, quasi velamen oppositum esset ipsorum oculis: & fingunt præclarum esse quod Deus non tantum repudiat, sed etiam detestatur. Ubi autem Deus pœnas infligendo extorquet miseris hunc sensum, ut non amplius vertant tenebras in lucem, vel lucem in tenebras, hinc fit ut sibiipsis incipiant displicere. Nunc sequitur,

10. Et cognoscent quod ego Jehovah non frustra loquutus fuerim ad faciendum ipsis malum hoc. (*id est, ad inferendum malum hoc, vel cladem hanc, vel pœnam. Neque enim malum hic accipitur pro injusta violentia, sed pro re adversa duntaxat.*)

Fructum nunc pœnitentiæ commemorat, quod tandem incipient Israëlitæ tribuere prophetiis justum honorem. Scimus enim secure lusisse quum Prophetæ illis minitabantur. Quia igitur solenne illis fuit fidem detrahere omnibus Dei servis, & quodammodo redigere in nihilum ejus veritatem, dicit Propheta ubi ipsos pœnituerit, tunc simul etiam sensuros Deum non frustra loquutum esse. Quum minas spernerent, non putabant se ideo debere censeri Dei contemptores. Nam attenti ad homines duntaxat, quum audirent Jeremiam, vel Ezechielem, putabant se tantum litigare cum ipsis, idque impune facere adversus mortales. Deus autem ex opposito testatur se esse primarium auctorem. Jam sicuti error ex errore nascitur, superbe respuebant quicquid dictum erat à Prophetis, quum statuerent non nisi frivolum esse & inane. Dicit autem Deus, *cognoscent tunc quod non frustra loquutus fuerim, nempe ut inferrem illis hoc malum.* Hæc autem cognitio quæ ex seria displicentia nascitur, perquam utilis est. Dixi esse fructum pœnitentiæ: sed simul adjuvat miseros homines, ut serio coram Deo se humilient, nempe ubi in memoriam revocant suam ingratitudinem: deinde concipiunt quod ante non venerat illis in mentem, Deum esse veracem tam in minis suis quam in promissionibus. Hinc fit, ut etiam reverenter amplexentur ejus sermonem, qui fuerat ipsis ludibrio. Idem antehac de reprobis pronunciavit: ubi diximus, eos sine fructu sentire Dei manum. Verum quia nunc loquitur de pauculis illis quorum ante laudata fuit conversio, timorem Dei haud dubie comprehendit sub agnitione vel sensu. Nam si sepultæ fuissent omnes minæ Dei, non potuit censeri populus rediisse in viam: nec potuit etiam locum habere eorum conversio apud Deum. Scimus non carere impio sacrilegio contemptum, de quo nunc agitur. Ergo ut sincere peccator se Deo subjiciat, requiritur hæc cognitio, nempe ut secum expendat quam indigne & scelerate prius vel repudiaverit vel neglexerit Dei sermonem. Interea simul Propheta insultat eorum arrogantiæ, qui proterve contempserant omnium servorum Dei doctrinam, ubi dicit: *sentient*, inquit, vel cognoscent, *quod ego Jehovah non frustra loquutus fuerim.* Quoniam autem hic Propheta nobis quasi in tabula depingit seram resipiscentiam, discamus mature contremiscere ad Dei minas. Quamvis ergo nondum exerceat Deus suam vindictam contra nos, sciamus tamen ipsum non frustra loqui, & terreamur simulac signum aliquod ostendit suæ indignationis. Deus quidem propitium se fore testatur Israëlitis, quamvis tarda sit eorum pœnitentia: sed quantum ad nos spectat, præveniamus, quemadmodum jam admonui: & simulac in medium profert Deus suas minas, perinde sit nobis acsi jam parata esset exequutio. Sequitur,

11. Sic dicit Dominator Jehovah, Percute manu tua, (*id est, complode manibus tuis*) & divarica pedes tuos, (*vel extende: ad verbum, extende in pede tuo*) & dic, Hei (*vel heus*) super omnes abominationes malas domus Israël: quia gladio, fame, & peste cadent.

Confirmat quod ante vidimus de clade decem Tribuum. Jam quidem regnum Israëlis afflictum erat, sed quia putabant qui relicti fuerant in patria se defunctos esse, & ideo magis ac magis sese projecerant ad suas idololatrias: ideo necesse fuit illis denunciari ultimum interitum. Quoniam autem parum eos movebant verba, Deus adjungit signum. Sic enim agere solet cum præfractis ingeniis. Jubet igitur Prophetam plausu manuum, & crurum ac pedum extensione ostendere maledictam esse terram. *Divarica* ergo *pedes tuos.* Sic enim solent homines qui vel aliquid grave denunciant, vel flagrant indignatione: extendunt in diversas partes crura: ideo uno verbo reddidi, *divarica pedes tuos*: deinde etiam complosio manuum eodem spectat. Voluit autem hoc gestu Deus sermonem suum confirmari, non respectu ipsius Prophetæ, sed ob eorum pervicaciam, qui surdi erant ad omnia verba, ut dictum fuit. Hinc vero colligimus quantus sit hominum stupor, qui Deo è cælis tonante, securi tamen manent, & non desinunt pergere post suas cupiditates: etiam ubi Deus terrorem injicit, nihil aliud quam rident. hoc est prodigiosum. Et tamen videmus fuisse vetustum morbum: atque utinam hodie non experiremur quod tunc expertus est Ezechiel! Denique perinde est acsi jussus fuisset Israëlitas adducere in rem præsentem. Quum ergo jussus est clamare *Heus*, vel væ, *super abominationes cunctas domus Israël*, non dubium est quin ad efficaciam valere debuerit tam gestus iste, quam exclamatio. Ratio etiam subjicitur, *quod omnes peribunt gladio, fame, & peste.* Diximus tres istas pœnarum species passim proponi, non quod Deus tantum peste, & gladio, & fame percutiat Legis suæ contemptores: sed quia hæc ratio notior est, & magis trita. Deus habet absconditos modos & innumeros, quibus pœnam exigat de trans-

gressoribus: sed quoniam hæc flagella, ut dixi, magis usitata sunt, ideo ea sæpius commemorant Prophetæ. Summa est, instare interitum regno Israël, quod nunquam putassent: quia Deus non tantum bello ulciscetur populi illius scelera, sed etiam peste, & fame. Interea per synecdochen comprehendit alias etiam pœnas. Et scimus quam multis miseriis refertum sit bellum. Nam ubi semel grassari cœperunt arma, patefacta est janua direptionibus, & rapinis, incendiis, cædibus, stupris, & cuilibet violentiæ: deinde sepulta est humanitas & æquitas in bello. Jam quod ad famem spectat, scimus ipsa homines reddi fere rabiosos. In peste autem maritus uxorem deseret: jam domus omnes erunt funestæ: orbitas unum affliget, alterum viduitas. Quoniam igitur trahunt hæc Dei flagella infinitas miserias, non mirum est si breviter Prophetæ, ubi significant perituros qui nimis diu provocarunt Deum, tantum de bello, & peste, & fame loquantur. Jam sequitur clarior expositio:

12. Qui procul erit, peste morietur: & qui prope erit, gladio cadet: (*alii vertunt cadet in gladium, sed nimis duriter. Jam proximo versu idem verbum Propheta diverso sensu posuit. Ego igitur nihil muto: cadet gladio qui prope erit*) & qui relictus fuerit & obsessus, fame morietur: & complebo indignationem (*vel excandescentiam*) meam in ipsis.

Jam seipsum explicat Propheta, quomodo perdendi sint omnes Israëlitæ fame, gladio, & peste, nempe *qui procul aberunt morientur peste*, hoc est, postquam se putaverint esse reconditos in latebris, ita ut nihil periculi vel incommodi ipsis impendeat, morientur illic peste. Quum enim tracti essent in longinquum exilium, putabant saltem se esse remotos ab omni molestia. Atqui pestis, inquit, contra ipsos grassabitur quamvis gladius cesset. Deinde qui prope erunt, hoc est, qui manebunt domi, illos consumet gladius. Jam qui residui vel obsessi fuerint & clausi, illi, inquit, morientur fame. Et ita confirmat quod ante vidimus, nempe non fore causam cur Israëlitæ indormiant suis peccatis, ubi Deus ipsis pepercerit: quia si non pereant omnes gladio, Deus habet alias rationes pœnarum. habet enim pestem, & famem in manu sua, ut possit extinguere qui procul absint, quia eo usque ipsos persequetur pestis: deinde si qui erunt residui, etiam in media pace peribunt nihilominus, quia Deus fame & inedia ipsos conficiet. Tandem adjungit, *complebo excandescentiam meam in ipsis*: quibus verbis significat Deus se hactenus tolerasse impium illum populum: quod si aliquando visus fuerit aliquid rigoris exerere, non tamen justas pœnas sumpsisse de sceleribus. Exprobrat ergo illis Deus, quod hactenus tulerit ipsos: & quamvis interdum suis ferulis percusserit, non tamen fuerit rigidus judex: sed paterne ipsos admonuerit, ut redirent in viam. Quoniam autem ita pertinaciter abusi fuerant Dei tolerantia, hic pronunciat adesse ultimum actum: & hac ratione loquitur de *complemento suæ excandescentiæ*: ita avertit Propheta omnem invidiam à Deo, ne insimulent eum Israëlitæ crudelitatis: deinde significat quicquid perpessi fuerant malorum, fuisse præludium duntaxat horrendæ cladis, quæ ipsis instabat, & quam tamen spernebant. Sequitur,

13. Et cognoscetis quod ego Jehovah, quum vulnerati eorum (*vel occisi*) in medio idolorum ipsorum, (*mutatio est personæ, sed quæ sensum non obscurat*) in circuitu altarium ipsorum, super omnem collem excelsum, in omnibus capitibus (*hoc est, cacuminibus*) montium, & sub omni arbore frondosa, & sub omni quercu densa, (*vertunt alii ulmum, sed perinde est*) in loco ubi obtulerunt suffitum bonæ fragrantiæ omnibus idolis suis.

Jam iterum pronunciat ipsos cognituros quod diu neglexerunt. Sed hic videtur notari diversa notitia à superiore. Nuper enim dixit ita recordaturos, ut pudefacti agnoscerent non frustra prædictas fuisse clades à Prophetis: hic autem nihil tale commemorat, sed tantum experimentalem notitiam ponit, quæ communis est reprobis. Et certe videtur hæc doctrina extendi promiscue ad totum vulgus. Quamvis ergo nihil profecerint majori ex parte, tamen senserunt omnes Deum esse judicem, quia tam clara erat & conspicua demonstratio ejus vindictæ, ut coacti fuerint sentire vellent nollent, se justas dare pœnas. Sciamus ergo Prophetam in hoc versu latius accipere quod dicit, *tunc scietis*, &c. quia alloquitur sine exceptione omnes Israëlitas, etiam qui perituri erant. Diximus autem qualis fuerit ista cognitio, nempe quæ ipsos terreret duntaxat, non autem flecteret ad humilitatem. Et certe quæ sequuntur tantum ostendunt terribilem Dei vindictam: *quum fuerint occisi eorum*, inquit, hoc est, jacuerint, *prope idola*. Diximus autem hinc clarius potuisse agnosci Dei vindictam, quum ita ludibrio subjiceret falsos deos. Utitur autem probroso nomine Propheta quum de idolis loquitur, quemadmodum ante dictum fuit. Quum ergo ita caderent prope sua idola, sub quorum fide & præsidio putabant se semper fore salvos, & ipsa idola etiam hoc modo partem condemnationis subirent: hinc manifestior fuit vindicta Dei. Et hæc ratio est, ut alibi admonui, cur has circumstantias Propheta exprimat. Eodem pertinet quod sequitur, *per circuitus omnium altarium ipsorum*. Fuit autem hæc profanatio omnium altarium, fœdari cadaverum contactu, deinde resperso illic humano sanguine. Cæterum loca etiam designat, ubi colebant falsos deos. Diximus enim fuisse ab ipsis delecta excelsa. Sed hic ponit *colles excelsos*, deinde ponit *cacumina montium*. Cæterum, ut idololatræ coacervant sibi varios ac multiplices lusus, quum satiati essent suis excelsis, habebant valles umbrosas: sub arboribus etiam erant illis altaria, ubi offerebant suffitus. Propheta igitur pronunciat nullum fore locum, quem Deus non ignominiose condemnet. Quum autem dicit *suffitus fuisse grati odoris*, haud dubie subest etiam antithesis, quod fœtidi fuerint coram Deo suffitus illi: quemadmodum ubi mulier impudica studet placere suo adultero, ita movet marito stomachum: sic etiam hic tacite conqueritur Deus se fuisse provocatum fœtore illo, quo voluerant ac studuerant Israëlitæ gratificari suis idolis.

Da omnipotens Deus, quando non tantum hodie nobis proponis vetera iræ tuæ exempla, quibus contineamur sub puro & integro tuo cultu, sed etiam ita te clare nobis patefecisti per unigenitum Filium tuum, ut errare non liceat, nisi plane insaniamus: da, inquam, ut semper tibi simus non tantum dociles ac morigeri, sed attenti quoque ad eam doctrinam quæ comprehensa est in Euangelio tuo, ut ita dirigamur hac perfecta luce, donec tandem perveniamus ad plenam & solidam societatem Solis justitiæ Christi Filii tui, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMA OCTAVA IN

EZECHIELEM.

14. Et extendam manum meam super eos, & ponam terram vastitatem, & derelictionem, (*vel stuporem*: שמה *enim, ut ante vidimus, etiam id significat*) præ deserto Diblathah in omnibus habitationibus eorum: & cognoscent quod ego Jehovah.

Prosequitur eandem sententiam Ezechiel: sed necesse fuit pluribus verbis insistere in confirmanda prophetia, quæ alioqui difficilis fuisset creditu, præsertim apud homines tam securos, & qui jam longa consuetudine obdurati erant contra Deum. Hæc igitur ratio est cur rem per se minime obscuram pluribus verbis exprimat. Jam loquitur de *extensione manus Dei*, quæ loquendi forma satis familiaris est Scripturæ. Dicitur enim Deus extendere manum suam, ubi manifesta exempla vindictæ suæ edit. Sumpta autem est translatio ab hominibus, qui si quid magnum velint aggredi, brachium suum extendunt. Scimus Deum omnia perficere solo nutu: sed quia pro nostro torpore non apprehendimus judicium ejus, ideo Scriptura ut consulat nostræ ruditati, inducit manum ejus extentam. Dicit autem *se positurum terram in vastitatem & stuporem*. Duæ sunt voces diversæ, שממה & שמה, quæ tamen ex eadem sunt radice: שמם enim significat perdere & vastare, significat etiam mirari: ita non male quidam exponunt, ponam terram in vastitatem & stuporem. Sed quia statim sequitur comparatio deserti, libenter eorum sententiæ subscribo, qui vertunt desolationem vel solitudinem, & derelictionem, aut vastitatem. Quanquam autem duæ istæ voces sunt synonymæ, ut loquuntur: tamen Propheta non abs re derelictionem, vel solitudinem adjungit vastitati, quia non explicandi causa rem unam sæpius inculcat, sed tantum ut confirmet quod alioqui sciebat non fore magni momenti apud Israëlitas. Quidam vertunt, à deserto usque ad Diblathah. Jam sunt etiam qui existiment legendum esse Riblatha pro Diblathab: & fieri potest ut obrepserit error propter similitudinem literæ ד cum ר Ego autem nihil mutandum esse censeo Et interea repudio illam expositionem, quæ prorsus absurda est, à deserto usque ad Diblathab vel Riblatha. Sed מ hic potius nota est comparationis: *præ deserto* igitur *Diblathab terra Israël redigetur in vastitatem*. Nam quorsum dixisset Propheta, à deserto usque ad Diblathah? Minatur terræ Israel: Diblathab autem erat in Syria extra regnum illud. Nam existimant esse Antiochiam. Ergo non posset elici verus sensus, & qui quadraret Prophetæ consilio. Sed optime convenit, desertum illud positum fuisse Israelitis ante oculos, quia non procul aberat ab ipsorum regione: erat intermedia Syria: sed quoniam frequentes erant commeatus, non potuit desertum illud non esse illis satis notum. Jam quum in exilium traducti fuerant, transierant per desertum illud: & diversitas regionum poterat magis expergefacere illorum sensus. Syria enim tota erat fertilis regio. Ac Antiochia habebat eximium situm, ut referunt Chorographi. Quum ergo iter fecissent Israelitæ per terram amœnam, & refertam omni opulentia, deinde venissent in desertum vastum & triste, potuit conspectus ille magis eos expergefacere, ut dixi. Hæc igitur ratio mihi videtur cur Propheta desertum Diblathab dicat non esse tam vastum, vel solitarium, vel aridum, vel squalidum, quam futura sit terra Israël. Dicit *in omnibus habitationibus*, ut sciant nullum fore angulum immunem ab ea vastitate, quam prædicit. Sæpe enim continget, terram aliquam diripi & spoliari aliqua ex parte, sed hic comprehendit Propheta omnes habitationes. *Et cognoscent*, inquit, *quod ego sum Jehovah*, hoc est, cognoscent me loquutum esse per Prophetas meos. Sed odiose pronunciat hoc Deus, quia debebat auctoritas Prophetæ nostri sancta & rata esse apud populum. Vocatio enim ejus sic fuerat obsignata, ut non potuerint contra eum litigare, quin sese opponerent Deo. Ergo hic omittitur Ezechiel, & Deus prodit in medium, acsi ipse loquutus esset. *Cognoscent* ergo & fidem meam & potentiam, inquit. Cæterum, hæc cognitio extenditur ad reprobos, qui nihil proficiunt in Dei castigationibus. Quanquam ergo experientia ipsos cogit agnoscere Deum judicem, tamen manent obstinati, ut paulo post iterum & tertio videbimus. Sequitur,

Cap. VII.

Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Et tu fili hominis, sic dicit Dominator Jehovah terræ (*vel de terra*) Israël, Finis: venit finis super quatuor alas terræ.

Videtur Ezechiel hic nimium esse verbosus. Nam repetet easdem sententias & verbis etiam iisdem prorsus. Notanda autem est illa ratio quam attuli: si tantum breviter retulisset Dei mandata, ut populus ille non modo tardus erat ad credendum, sed pervicaci ingenio, frigida fuisset ejus legatio & sine effectu. Hoc igitur consilio pluribus verbis urget quod jam vidimus, & nunc eadem verba iterat, nunc utitur aliqua mutatione, quia modis omnibus oportuit stimulari illam segnitiem, vel potius socordiam, qua laborabat populus. Aliud etiam notandum est, non semel tantum venisse Dei jussu, ut concionaretur apud populum, sed quo magis animos moveret, fuisse subinde missum. Nam si uno contextu retulisset quod Deus injunxerat, ad tempus poterant Israëlitæ cogitare de judicio Dei: sed prophetia semel recitata facile illis evanuisset Cæterum, quum Ezechiel testatur se à Deo missum, postea autem redit & affirmat se afferre nova mandata, hoc efficacius fuit ad tangendos eorum animos. Nunc videmus quorsum spectet quod dicit *datum fuisse sermonem à Jehovah*. Nam distinguitur hæc prophetia à superiore: & tamen res eadem est, nihil dissimile, ut videatur contexere eundem sermonem: hoc quidem verum est, sed oportuit eum bis mitti, ut populus intelligeret non semel duntaxat, sed bis & perpetuo repetendum esse quod audiebat ex ore Dei: quandoquidem satis patebat Deum sollicitum esse de eorum salute, quum nunquam cessaret ipsos hortari. *Sic ergo dicit Dominator Jehovah de terra Israël, Finis venit, finis super quatuor alas* Hic videtur respicere Deus ad mediocres pœnas, quas jam

sumpserat de regno Israël. Scimus enim sæpius sensisse manum Dei: sed quum aliquid datum erat relaxationis, putabant se esse elapsos: ita obliviscebantur suorum scelerum, & pergebant in illis adeo secure, ut facile pateret, ipsos Deum contemnere, nisi quum horribili sua potentia eos premeret. Huc ergo videtur respicere nomen *finis*, & emphatice repetitur. *Venit finis, finis super quatuor alas terræ.* Ponit quidem alas, sed metaphorice accipit pro quatuor diversis plagis. Exprobrat ergo Deus Israëlitis suam contumaciam, quod sæpius castigati non desinerent peccare, quia non putabant sibi posse accidere quicquam gravius. Ponit igitur nomen *finis*, acsi diceret, hactenus moderate vobiscum egi. Et certe Deus insigne specimen clementiæ ediderat quum leniter percuteret Israelitas, quos poterat penitus excidere. Quum igitur ita sibi temperasset in pœnis, eo minus tolerabilis fuit populi socordia, dum putavit transactum esse simulac Deus retraxerat manum suam. *Finis* ergo *venit, finis*, inquit, hoc est, posthac non est quod speretis quicquam moderationis. Video enim nullam spem resipiscentiæ esse in vobis. Itaque vos prorsus consumam. Et addit, *super quatuor alas terræ*, sicuti paulo ante dixerat In cunctis habitationibus. Iterum ergo docet, nullam terræ partem fore expertem cladis de qua vaticinatur. Sequitur,

3. Nunc finis super te: & mittam indignationem meam in te, & judicabo te secundum vias tuas: & ponam super te cunctas abominationes tuas.

Tertio ponit nomen *finis*, quarto etiam & quinto repetet. Unde colligimus, miseros illos, quamvis satis superque admoniti fuissent & doctrina, & ipsis experimentis: tamen fuisse quasi similes brutis animalibus, ut semper aliquid sibi residuum promitterent, & procul abigerent metum, quem nunc illis incutit Propheta. Non putabant igitur fieri posse, ut finis adesset, O restabit aliquid: erunt qui evadant. Hæc igitur fuit eorum superbia. Itaque non frustra toties idem verbum Propheta inculcat: *nunc*, inquit, *venit finis*. Quum dicit *nunc finem venisse*, significat frustra Israelitas & stulte confidere in futurum tempus, quia nondum experti fuerint extremum rigorem. Deus, ut dictum fuit, moderatus sibi fuerat in pœnis sumendis. Quid autem illi? Quum sensissent talem Dei tolerantiam, putabant eandem semper fore. Propheta igitur discrimen notat futuri & præteriti temporis: quasi diceret vindictam Dei, qualis antehac fuerat cognita, fuisse mediocrem: sed nunc nihil aliud restare, quam ut radicitus ipsos Deus evellat & consumat. *Nunc* ergo *finis super te.* Loquutus fuerat in tertia persona, sed dirigebat sermonem ad totam terram Israël, super quatuor alas terræ dixerat: nunc *super te finis venit* inquit. Deinde, *mittam indignationem meam in te.* Deus quidem iræ suæ signa dederat, sed non usque adeo fuerat severus, quin sibi adhuc blanditias facerent Israëlitæ. Quum ergo de indignatione sua loquitur, hauddubie significat ita se nunc esse offensum, ut sibi non temperet quemadmodum antea fecerat. Eodem pertinet quod sequitur, *Judicabo te secundum vias tuas.* Judicati fuerant prius, sed aliqua ex parte. Deus enim tempus dederat resipiscentiæ si fuissent sanabiles: nunc autem ubi comparat judicium suum eorum sceleribus, significat nihil defore ad extremam severitatem. Et clarius id explicat in fine versus, *ponam super te cunctas abominationes tuas*, hoc est, jam conjiciam in te onus tuum. Quanquam enim Deus justas pœnas exigere cœperat de ipsorum superstitionibus, non tamen sustinuerant onus tam grave, ut meriti fuerant. Deus ergo nunc pronunciat *cunctas eorum abominationes venturas super ipsorum capita*, ut penitus obruantur. Sequitur,

4. Et non parcet oculus meus super te, & non miserebor: quia vias tuas super te ponam, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & cognoscetis quod ego Jehovah.

Aliis verbis confirmat suam sententiam, *quod* scilicet *Deus non parcet*, neque erit exorabilis. Hypocritæ enim quum audiunt elogia Dei, quibus insigni-
Num. 14. vers. 18. Psal. 103. vers. 8. tur in Scriptura, nempe esse misericordem, longæ patientiæ, arripiunt illa, & sibi fabricant stultæ & perversæ confidentiæ materiam. Deus ergo hic pronunciat suam misericordiam non fore communem reprobis, qui non cessarunt illam procul à se repellere. Et hoc notatu dignum est: quia nihil proclivius est, quam inebriari fallaci spe, ubi audimus Deum esse misericordem, nisi sciamus quem in finem hoc de se testetur, nempe ut qui peccarunt ad ipsum se conferant, & intrepide etiam invocent ipsum, atque implorent misericordiam, de qua habent tam illustre testimonium. Sed hypocritæ ruunt semper in pejus: interea volunt Deum sibi esse propitium. Ergo quum dicit *oculum suum non parsurum, nec se fore misericordem*, notandum est ejus consilium, ne scilicet putent homines scelerati & penitus reprobi paratam sibi fore clementiam, cui ante januam clauserunt. *Quia vias tuas super te ponam*, inquit, hoc est, conjiciam in te tua scelera. Videmus ergo scelera populi fuisse seorsum posita, & quasi jacuisse quamdiu illis pepercit Deus. Nunc autem primo significat non fore illis causam rixandi, vel querendi, quia tantum rejicier in ipsos iniquitates, quas in ipsum contulerant. Deinde tacite etiam eos insimulat nimiæ securitatis, quia nunquam adduci potuerint ad resipiscentiam, quum Deus ipsorum scelera sustineret ac toleraret. *Et abominationes tuæ*, inquit, *erunt in medio tui.* Erant quidem prius, quo ad culpam; sed Deus nondum iram suam profuderat. Dicit igitur *abominationes fore in medio ipsorum*, quia reipsa patebit, non impune tam fuisse adversus Deum pervicaces. Iterum repetit, *cognoscetis quod ego sim Jehovah.* Non dubium est quin sua protervia coëgerint Deum ita loqui, quum scilicet contemptui esset Ezechiel. Etsi autem simulabant aliquid pietatis, minime tamen dubium est, quin Deum ipsum spernerent. Ergo tam acriter coarguitur ipsorum impietas, quod Deum negaverint esse Deum quoties fidem detraxerunt sancti viri doctrinæ. Sequitur,

5. Sic dicit Dominator Jehovah, Malum unum, (*alii subaudiunt* אחר, *& malum unum post*) malum ecce veniet.

Si legamus אחת sive אחר idem videtur mihi esse sensus, *venit malum aliud malum*, hoc est, venit malum aliud ab alio: vel venit malum unum, & malum, hoc est, quum malum unum venerit, alterum mox sequetur. Affertur ab aliis expositio quæ videtur mihi dura, & prorsus aliena, venit malum unum, hoc est, tam grave, ut primo impetu ad integram cladem sufficiat: subtiliter ita exponunt. Sed videtur mihi optime fluere sensus Prophetæ, *venturum esse malum unum super aliud*, hoc est, nullum fore modum, quin Deus mala malis accumulet, usque dum totum nomen populi extinctum fuerit. Et videtur

detur mihi hoc esse dictum, ne Israëlitæ suo more confiderent se esse elapsos, si Deus inducias illis daret. Nam ubi contingit modica intermissio, impii erigunt cristas, & sese exhilarant, & putant sibi esse Deum placatum. Quoniam ergo intermissio qualibet, perinde sumitur ab hypocritis, acsi cum Deo pepigissent, ideo Propheta dicit, *venturum esse malum super aliud.* Sequitur,

6. Finis venit, venit finis: evigilavit super te, ecce venit.

Totus hic contextus respicit in eundem finem, nempe ut Israëlitæ quantumvis surdi sint, tamen cogantur attendere ad assiduas Dei minas. Verberat igitur Propheta eorum aures, quia non statim fuisset auditus: & iterum loquitur de fine, *Venit finis*, inquit, *venit finis* Non affectavit hic Ezechiel concinnas figuras, sed potius necessitate compulsus fuit ad repetitiones, quas videmus. Nam *finis* de quo loquitur, vix poterat in animos penetrare. Fingebant enim semper posse Deum variis modis placari. Quum ergo sibi pollicerentur aliquid residuum, & quicquid Propheta de fine docebat, procul rejicerent, non potuit aliter proficere, quin sæpius minitaretur quod persuaderi vix poterat. *Venit* ergo *finis*, *finis venit:* deinde, *evigilavit super te*, *ecce venit.* Quum dicit *evigilasse*, festinationem significat, non quod Deus repente ultus fuerit scelera decem Tribuum: sed respicit ad torporem eorum qui sibi vana fiducia indulgent, dum somniant Dei judicium procul distare. Adhuc volitat in multorum ore diabolicum illud proverbium, *Le terme vaut l'argent:* & talis impietas grassata fuit omnibus seculis. Quum ergo Deus judicia sua suspendit, reprobi intemperanter sese projiciunt, acsi impune id facturi essent. Hac igitur de causa dicit Propheta *finem evigilare*, hoc est, properare: quia Deus si cunctatus fuit, postea moram non faciet, quin perdat Israëlitas. Sequitur,

7. Venit mane super te, habitator terræ: venit tempus, propinquus est dies tumultus, (*vel sonitus: alii vertunt occisionis, nescio qua ratione*) & non clamor montium. (*alii vertunt gloriam, quasi esset* הוד.)

Jam alio verbo utitur. Dicit *venisse mane:* quanquam alii vertunt regnum, sed coacte. Nam quanquam צפירה est cidaris interdum vel diadema regium, torquetur tamen Prophetæ sermo, quum dicunt redactum esse vel translatum esse regnum ad Babylonios. Atqui optime fluit sententia, *venisse mane.* Per *mane* autem intelligit quod ante dixerat, nempe festinationem vindictæ Dei. Sicuti ergo dixit finem evigilare, eo quod Deus ad vindictam sumendam properaret: ita etiam dicit *mane illis venisse:* & ita excutit illis veternum, in quo obtorpuerant. Scimus hypocritas sibi omnia permittere acsi essent in tenebris. Quamdiu ergo tacet Deus & quiescit, lasciviunt sine pudore & metu Electi etiam ac fideles in tenebris versantur: sed prælucet semper illis ser-
2 Petr 1. vers. 19. mo Dei, quemadmodum dicit Petrus, Bene facitis quum ad sermonem Propheticum attenditis, acsi lampas arderet in caligine. Quamvis ergo fideles circumdati sint tenebris, oculos tamen dirigunt ad lucem cælestis doctrinæ, ita vigilant neque sunt no-
1 Thess. 5. vers. 4. 5. ctis & tenebrarum filii, ut dicit alibi Paulus. Impii autem sunt tanquam demersi in caligine, & putant perpetuam sibi fore noctem. Jam sicuti ubi exoritur aurora discutit noctis tenebras, ita etiam judicium Dei quum repente apparet & ex inopinato, terrorem affert reprobis, sed nimium sero. Hac igitur ratione dicit Propheta *venisse mane Israëlitis*, nempe quia promiserant sibi noctem perpetuam, acsi nunquam ad reddendam vitæ rationem essent vocandi. Videmus ergo ipsum apte ad illum torporem alludere, qui causa erat obstinationis, quum scilicet putarent se tutos esse in suis latebris. Ergo deridet perversam eorum fiduciam, quod impunitatem sibi promittant, quia sint in nocte. Nam *mane*, inquit, statim vos deprehendet. *venit* ergo *mane super te, habitator terræ:* postea, *venit tempus* עת significat proprie tempus statutum, vel condictum. Ergo intelligit Propheta venisse tempus, quod Deus præfixerat suo judicio. Et ita tollit impiis materiam superbiæ. Nam semper colligunt Deum esse quasi sopitum, ubi primo momento ipsos non aggreditur. Loquitur ergo de tempore statuto, quemadmodum alibi loquuntur Prophetæ & frequenter de anno visitationis. Idem aliis verbis significat, quum dicit *propinquum esse diem tumultus*, vel strepitus. Respondet hoc etiam membrum superiori: dixerat finem evigilare: dixerat matutinum fore judicium: jam simpliciter & absque figura dicit diem esse קרוב *propinquum, diem* inquam *strepitus, & non sonitus montium*, inquit, hoc est, non erit inanis resonantia: quemadmodum ubi sonitus editur inter montes fit concussio: & quia voces quæ illic eduntur exceptæ à vicinis montibus, redeunt in suum locum, major resonantia inde nascitur: vocant Echo. Dicit igitur Propheta clamorem illum de quo loquitur, non fore echo, hoc est, inanem resonantiam, quia scilicet serio omnes clamabunt. Quidam putant הד vocari celeusma, quod tamen proprie est הידד: est quidem ab eadem radice, sed הד igitur eodem sensu. Si autem placeat illa expositio, montes intelliget Propheta non excelsos, sed vitiferos, quemadmodum multi erant in terra Israël. Cæterum, melius quadrat altera expositio, nempe *fore vocem tumultus*, non propter reverberationem, ut loquuntur: sed quia singuli ejulabunt, dum scilicet ubique grassabitur luctus & mœror. Sequitur,

8. Nunc è propinquo effundam indignationem meam super te, & complebo iram meam in te: & judicabo te secundum vias tuas: & ponam super te cunctas abominationes tuas.

Jam eadem fere verba inculcat: diximus quo consilio, nempe ut Israëlitæ certo statuerent non terrendi tantum causa Deum minitari, sed quia parata erat exequutio vindictæ: *nunc*, inquit, *è propinquo effundam indignationem meam:* dixerat diem esse propinquum. Refertur hoc ad tempus. Nam ad locum trahere ineptum esset, *è propinquo indignationem meam in te effundam:* &, *complebo indignationem meam in te:* istud *complere* exponit quod ante dictum fuerat de fine. Deus enim ante exercuerat suam vindictam contra Israëlitas, sed non in solidum. Hoc igitur complementum iræ Dei tantundem valet atque ultimus interitus. Jam illa verba exposui, *judicabo te secundum vias tuas, & ponam super te omnes abominationes tuas.*

Da omnipotens Deus, ut tam insignibus iræ tuæ documentis admoniti, discamus sollicite ambulare in conspectu tuo, & ita nos cogere sub tuum obsequium, & illud voluntarium, ut appareat in vita nostra certum testimonium gratuitæ tuæ adoptionis: atque ita probemus nos esse filios, ut possimus vere te Patrem invocare, donec perveniamus ad beatam illam hæreditatem, quæ nobis parta fuit unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO DECIMA NONA IN

EZECHIELEM.

9. Et oculus meus non parcet, neque miserebor: secundum vias tuas super te ponam, & abominationes tuæ in medio tui erunt: & cognoscetis quod ego Jehovah percutiens.

Hic versus nihil continet præter repetitionem, nisi quod in fine clarius designat Propheta qualis sit futura cognitio, cujus antea meminit, nempe quod inviti sentient Dei potentiam, quia Propheticæ doctrinæ fidem abrogaverant. Dixerat jam bis & ter, *cognoscetis quod ego sim Jehovah*: nunc autem addit participium, *quod ego sim percutiens*. Hæc igitur est cognitio, qua Deus se patefacit reprobis, dum coguntur velint nolint sentire esse mundi judicem. Proficiunt quidem fideles sub Dei ferulis: & interdum quia sponte non obtemperant ejus sermoni, manu ejus humiliantur: sed diximus Prophetam hic insultare superbiæ populi, qui audebat subsannare omnes minas acsi Deus in cælo dormiret. Dicit ergo sero tandem, quum Deus ipsos percutier, sensuros quod non credebant. Sequitur,

10. Ecce dies ecce venit: egressum est mane, (*vel exortum est*) floruit baculus, germinavit superbia.

Nunc alia loquendi figura utitur Ezechiel, sed in eundem finem. Repetit quod ante dixerat, *diem venisse*: & alteram partem simul conjungit, *mane fuisse egressum*. Diximus autem impios, quum Deus ad eorum scelera connivet, quasi in tenebris exultare absque pudore & metu. Quoniam igitur adeo intemperanter lasciviunt acsi adepti essent noctis licentiam, Propheta denunciat instare mane, quia subito Deus proferet in lucem quæ putabant semper fore occulta. Quum igitur cessante Deo, sibi omnia concederent tanquam in tenebris, revocat eos Propheta ad considerationem ordinis quotidiani. Nam statim emergit lux auroræ. Ita deridet eorum stultitiam, quod existiment Deum habere clausos oculos, ubi ad tempus dissimulat. Hæc igitur ratio est, ut heri pluribus expositum fuit, cur Propheta mutationem subitam vocet *mane*. *Mane* igitur *exortum est*. postea, *floruit baculus*, *germinavit superbia*. Dubium non est quin per baculum intelligat Nabuchadnezer. Sed in contextu variant interpretes. Multi enim quod proximo versu sequitur etiam referunt ad regem Babylonium. Alii autem rectius, meo judicio, de ipsis Israelitis accipiunt. Quod autem dicit *floruisse baculum*, respicit ad tolerantiam Dei. Nam quum Israëlitæ diu impune peccassent, putabant quemadmodum heri dixi, perpetuam sibi fore pacem cum Deo. Hic autem ex opposito pronunciat Ezechiel, Deum habuisse quasi radicem occultam: quemadmodum quis plantat arborem expectat tempus, dum assurgat ad justam magnitudinem. Comparat igitur Nabuchadnezer baculo, sed baculo qui crescebat. Poterat quidem Deus etiam absque hominum opera perdere Israëlitas: poterat etiam alios in obsequium suum cogere. Nam creaturæ omnes præsto sunt ad implenda ejus mandata. Sed hic commendat Ezechiel Dei tolerantiam, quod sibi plantaverit arborem, ex qua oriturus erat baculus, quo percuteret Israëlitas. Ita perstringit eorum socordiam, quia non reputabant esse Deo tempus visitationis, quod arcano suo consilio statuit. In summa, quod dicitur *baculus floruisse*, refertur ad gradus illos, quos tenet Deus in exequendis suis judiciis. Neque enim præcipitanter agit more hominum, sed perinde est acsi agricola sereret, aut plantaret. Destinat igitur Deus in usum suum ministros vindictæ suæ: sed sinit ipsos crescere, & venire quodammodo ad maturitatem. Ergo si non ita properat Deus ut vellemus, sciamus habere tamen paratos baculos, & si nondum maturuerint, hoc ideo fieri, quia tempus quod Deus sibi præfixit, nondum sit completum. Jam sequitur *germinasse superbiam*. Nuper attigi à quibusdam hoc referri ad Babylonios: sed melius intelligemus de ipsis Israëlitis. Ostendit ergo Deus, quamvis baculus creverit in Chaldæa, quo percutiendi erant Israelitæ, radicem tamen fuisse apud ipsos. Nomen enim superbiæ hic in malam partem accipitur, ut plerumque: nec simplicem modo fastum vel arrogantiam designat, sed peccandi licentiam, quæ ex contemptu Dei nascitur. Hoc autem non quadraret Babyloniis, quatenus manu sua gubernavit ipsos Deus, quum vellet vindictam sumere de Israelitis. In hoc vero sensu nihil est coactum *baculum crevisse, quo feriendi erant Israëlitæ*: & tamen non aliunde fuisse exortum, quam ab ipsorum sceleribus, ideoque non alibi quærendam esse radicem hujus baculi. *floruit* ergo *baculus*: sed unde originem habuit? nempe à superbia. *Germen* igitur *hujus baculi* fuit superbia Israëlitarum. Superbia autem hæc impietatis socia est: & scimus fuisse excæcatos sua confidentia, ut Deum spernerent ac pro nihilo ducerent omnes ejus minas. Fontem ergo omnium malorum notat Propheta sub voce superbiæ. Sequitur clarior explicatio:

11. Violentia surrexit in baculum impietatis, non ex ipsis, & non ex opulentia ipsorum, & non ex strepitu ipsorum: & non luctus inter ipsos.

Est expositio ejus quod dixerat, nempe *germinasse superbiam*: superbiæ nunc adjungit violentiam, quæ est ejus fructus. Contemptus enim Dei semper ex se gignit & immanitatem, & sævitiam, & rapinas, & quicquid est injustitiæ. Loquitur autem, quemadmodum dixi, de Israelitis. Dicit *violentiam illam surrexisse in baculum impietatis*. Ita confirmat quod attigerat, nempe radicem vindictæ Dei non alibi quærendam esse, quam apud Israëlitas. Deus quidem excitaverat regem Babylonium ad ipsos puniendos: sed pullulaverat baculus ille à radice scelerum, quibus iram Dei provocaverant in se Israëlitæ: & ideo addit *nihil fore ex ipsis residuum: non manebit quicquam*, inquit, *salvum ex ipsis*: deinde, *ex ipsorum opulentia*: sic enim המון interpretor: deinde *ex strepitu* vel ex multitudine *ipsorum*. Utrumque enim non male convenit: *& non luctus in ipsis*. Hieronymus legit נח, & ideo vertit non fore ipsis requiem.

Sed

Sed intelligit Propheta nullum fore luctum vel lamentum, quia scilicet promiscua erit omnium strages. Et idem vidimus apud Jeremiam. Ubi enim domus una funesta est, conveniunt amici & familiares, & celebrantur exequiæ mortui. Verum ubi pestis grassatur per totam urbem, & nulla domus est immunis à funere: imo ubi patres filiis miscentur, ut vix possint extrahi cadavera præ multitudine, cessat omnis luctus. Hoc igitur consilio dicit Propheta *nullum fore luctum*, vel lamentum. Nam נהה accipitur etiam pro lamentatione. Sed exposuimus quorsum tendat, nempe omnes Israelitas excidio esse destinatos, ut nulli futuri sint superstites, qui mortuos lugeant: quod si qui sint, tamen erunt attoniti in turba illa funerum, ut scilicet pereat omne humanitatis officium apud ipsos. Nunc sequitur,

12. Venit tempus statutum, appropinquavit dies, quo emens non lætabitur, & qui vendit non afficietur tristitia: quia indignatio super omnem multitudinem ejus.

Propheta nunc usurpat aliud genus loquendi. Interea docet talem fore mutationem, ut omnia permixta sint, ac nullum sit discrimen inter divites & pauperes Talis autem mutatio non contingit nisi Deus graviter offensus sit, ut non vulgarem exe-
1 Cor. 7. vers. 29, 30, 31. rat vindictam, sicuti antehac denunciavit. Paulus quidem pios omnes hortatur, ut transeant per hunc mundum acsi essent in eo peregrini: & ideo dicit ita probari fidem nostram, si emptor sit perinde ac venditor: qui uxorem duxit perinde acsi esset cælebs. Hæc igitur generalis doctrina præscribitur omnibus filiis Dei, quia præterit figura mundi hujus, ut peregrinentur neque animos suos habeant defixos in rebus istis caducis. Sed aliud est consilium Prophetæ nostri, quod scilicet Deus omnia turbabit apud Israelitas, ut nullum sit discrimen ementis ac vendentis. Qui acquirit lætatur, & qui vendere cogitur, etiam concipit aliquid tristitiæ. Perinde enim est acsi viscera sua evelleret quum se agris & possessionibus spoliat. Naturale ergo est, ut qui emit lætetur: qui autem vendit tristetur. Jam ostendit Deus tantam fore confusionem in regno Israël, ut nulla sit materia tristitiæ, vel mœroris ob pauperiem vel divitias. Tenemus nunc mentem Prophetæ. Dicit *venisse tempus, & diem appropinquasse, quo non lætetur qui emit, neque tristetur qui vendit: quia scilicet indignatio super omnem multitudinem ejus*, inquit. Hic non affertur illa ratio Pauli, quod transeat hujus mundi figura: sed notatur concussio, vel potius ruina illius terræ, ut nihil salvum maneat. Etsi enim dum peregrinamur in mundo, debemus semper erigere animos & sensus nostros in cælum: manet tamen ratio politica, & viget etiam inter fideles. Nam filii Dei quamvis sint pauperes spiritu, possident tamen quod illis Deus contulit: sunt tanquam non possidentes, ut Paulus eos hortatur: sed fruuntur tamen suis bonis. Atqui Propheta hic significat, ubi eversum fuerit regnum Israel, nullum fore usum pecuniæ, vel agrorum: quia omnes à patria sua ejecti redigentur ad inopiam. Et eandem sententiam prosequitur:

13. Quia vendens ad venditionem (*vel rem venditam*) non revertetur, & adhuc inter vivos vita ipsorum: (*hoc est, quamvis maneant superstites*) quia visio super omnem multitudinem ejus: non revertetur, & vir in sua iniquitate animam suam non roborabit. (*vel non roborabit vitam suam.*)

Varie torquetur hic versus: sed consilium Prophetæ minime obscurum est: initio dicit eos qui vendiderint non habere causam tristitiæ, quia non revertentur ad suos agros. Atqui non videtur hoc quadrare. Sed sub uno membro comprehendit Propheta quicqoid nuper dixi, tantam fore perturbationem rerum omnium, ut agri destituantur à suis dominis: & qui antea possidebant agros sint profugi & exules, sint etiam inopes rerum omnium, neque reperiant ubi possint pedem figere in suo. Neque pugnat hæc sententia cum vaticinio Jere-
Jere. 32. v. 7, 8, 9. miæ. Jeremias quum in carcere esset, jussus fuit agrum emere à cognato suo: sed id factum est, ut fideles quietis animis sperarent restitutionem sibi promissam. Sermo autem nunc dirigitur ad reprobos, qui exclusi erant omni spe liberationis. Propheta igitur noster tantum hic fulminat Dei nomine, & spirat meros terrores: nulla interim gratiæ mentio, nempe quia seipsos projecerant in desperationem. Atque hæc ratio est cur de perpetua clade loquatur. Dicit ergo, *non redituros ad res venditas, quamvis inter vivos sit vita ipsorum.* Hoc membrum varie exponitur: sed non libenter tempus consumo refutandis aliorum erroribus. Sequar igitur quod mihi videtur rectum. Adversative primo hoc membrum legendum est. Dicit quidem, *& adhuc vita eorum inter vivos:* sed copula sic debet resolvi, Quamvis vita eorum sit inter vivos. Videtur autem alludere Propheta ad morem tunc receptum. Neque enim erat perpetua venditio agrorum apud fi-
Levit. 25. vers. 13, 14, 15. lios Abrahæ. Nam id Lege vetitum fuerat, quod tantum inquilini essent in terra. Deus ergo sibi dominium terræ vendicans non permisit nisi ad tempus agros vendere. Nam quinquagesimo anno redibant ad suas possessiones. Si vendebant anno vicesimo, post triginta annos restituebantur: si anno quadragesimo, venditio erat tantum decem annorum pro supputatione Jubilæi. Nunc ergo Propheta dicit, *quamvis maneant superstites, non tamen redibunt*. Quare? Impediet enim ipsos captivitas. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: *qui vendiderint*, inquit, *nihil facient jacturæ*. Nam si manerent domi, exuerentur tamen suis possessionibus: sed hoc non fiet. trahentur enim in longinquam regionem, & illic vivent ac morientur exules. Quod si vitam protraherent in centesimum usque annum, tamen possessio eorum manebit deserta, quia non licebit per victores redire in patriam. Notatur itaque misera conditio exulum, eo quod si Dominus prorogaverit illis vitam, cogentur tamen ipsam consumere in egestate & inopia, quoniam exuti erunt omnibus suis agris, nec poterunt illuc reverti. Addit, *quia visio super omnem multitudinem non revertetur*. Hic etiam dissentiunt interpretes. Alii enim distinguunt hanc partem in duo membra, quod visio fuerit ad totum populum, nec quisquam conversus fuerit, vel resipuerit. Hæc sententia plausibilis est, quia continet utilem doctrinam & uberem, deinde quæ passim occurrit apud Prophetas. Scimus enim nihil minus esse tolerabile Deo, quam ubi homines admoniti per Prophetas, non tamen redeunt ad sanam mentem, sed pergunt in suis sceleribus. Quoniam ergo talis obstinatio provocat maxime iram Dei, videri posset hic sensus bene quadrare, quod visio fuerit ad totam multitudinem, nec fuerit quisquam reversus: hoc est, quod Deus à minimo usque ad maximum omnes hortatus fuerit ad resipiscentiam: fuerint autem omnes surdi & quasi desperati in suis vitiis. Quanquam autem expositio hæc videtur probabilis, neque

eam

eam insector : non dubito tamen quin aliud velit Propheta, *quod scilicet visio super totam multitudinem non revertetur*, hoc est, non erit irrita. Et ita etiam
Jesa. 55. loquitur Jesaias quum dicit, Sermo meus non rever-
vers. 11. tetur ad me inanis. Intelligit enim prophetias semper conjunctas esse cum effectu suo. Quidam hoc torquent ad fructum doctrinæ, quod scilicet semper Deus habebit aliquos discipulos, qui amplexentur sermonem Propheticum. Sed illud alienum est. Potius intelligit Propheta longe falli hypocritas, dum existimant sermonem Dei esse inanem sonitum, quo tantum aër verberatur. Dicit ergo non cariturum sermonem Dei suo effectu, quia scilicet Deus implebit quicquid pronunciat, sive promittat salutem fidelibus, sive reprobis interitum denunciet. Quemadmodum ergo dicit Jesaias Dei sermonem non rediturum esse absque fructu, quia prosperabitur: ita Propheta noster negat sermonem Dei rediturum postquam fuit promulgatus contra totam multitudinem. *Visio* igitur accipitur hic pro doctrina Prophetica. Sed minime dubium est quin ad judicium Dei restringat visionem. *Visio* igitur *fuit ad totam multitudinem, nec revertetur*, hoc est, habebit certam exequutionem. Postea addit, *& vir in iniquitate sua animam suam non roborabit*. Alii vertunt, in iniquitate animæ suæ. Sed quia duplex est relativum, non potest stare eorum opinio: alii etiam secus. Sed nolo hic vos suspensos tenere: & mihi videtur nihil esse utilius, quam investigare genuinum Prophetæ sensum. Non dubito igitur quin Propheta confirmet quod nunc exposuimus, frustra sperare Dei contemptores aliquod effugium, quia ubi Deus vindictam suam protulerit, tenebit eos constrictos.

Nam quod alii dicunt non fortificasse eos animam suam propter iniquitatem, hoc est, fuisse ita devinctos suæ malitiæ, ut non erexerint animos suos & studia ad spem salutis, illud est nimis coactum. Confirmat igitur Propheta quod nunc vidimus, nempe minas non redituras inanes, quia scilicet Deus tollet hypocritis & contemptoribus suæ doctrinæ omnem fiduciæ materiam. Luctantur enim adversus Deum impii, & opponunt suam contumaciam, & duritiem, acsi possent violenter agendo, frangere & conterere verbum ejus. Quoniam ergo ita se audacter præcipitant reprobi, dicit Propheta, *non se fortificabunt iniquitate ad vitam suam*, hoc est, ut vitam obtineant frustra nitentur sua iniquitate, quæ ad resistendum non sufficiet: non intelligo propter iniquitatem, quia simpliciter denunciat profectu carituram contumaciam, quam instar clypei objiciunt profani homines Deo, ut in nihilum redigant ejus virtutem. *Non fortificabunt* igitur *se in vita*, vel in vitam suam *iniquitate*, id est, illa obstinata malitia, qua existimant se fore superiores. Discamus itaque ex hoc loco contremiscere ad Dei minas, & semper habere ante oculos earum effectum: quemadmodum dicit Apostolus, Noé vidisse per fidem quod abscondi- Hebr 11.
tum erat diluvium: quia dum alii sibi indulgebant, vers. 7.
per annos centum & viginti non destitit semper reputare quam horribilis futura esset illa Dei vindicta. Sic ergo ubi loquutus est Deus, statim apprehendamus ejus judicium, acsi expositum esset oculis nostris: & summopere caveamus ab ea pertinacia, quæ semper carebit profectu: quia audimus quid Propheta nunc denunciet. Sequitur,

14. Clanxerunt tuba, pararunt omnia, (*vel clangite tuba, & parate, ut alii vertunt, in imperativo modo: sed malo in præterito tempore, clanxerunt & omnia pararunt*) nemo autem egressus ad prælium: quia indignatio mea super totam multitudinem ejus.

Hic adjungit Propheta, quamvis omnibus auxiliis se instruant Israelitæ, & comparent quæcunque ab bellum gerendum spectant: denique ut nihil ad optimas munitiones omittant, tamen ubi ad rem ipsam ventum fuerit, vanas fore spes eorum, & nullius momenti fore omnia subsidia, quæ ipsi compa- raverint. *Utcunque* ergo *clangant tuba, & parent omnia*, inquit, *tamen nemo ad prælium egreditur*. Ratio notanda est, *quoniam indignatio Dei sit super totam ejus multitudinem*, hoc est, quia statuerit Deus omnes perdere. Jam sequitur,

15. Gladius foris, pestis & fames è domo: qui in agro erit, gladio morietur: qui autem in urbe, eum fames & pestis consumet.

Quod ante vidimus rursus inculcat: quanquam cohæret hæc sententia cum proximo versu, dixerat indignationem Dei esse super totum populum: nunc ostendit nullos fore salvos, ubi Deus manum suam ad ulciscenda eorum scelera protulerit. Nam dicit *sibi in manu esse gladium, & pestem, & famem. Si egressi fuerint*, inquit, *in agrum, occurret gladius: quod si contineant se domi & in urbe, consumet illic eos pestis & fames*: acsi diceret Deum posse aliunde accersere multos interitus, quia armabit extraneos hostes qui totam terram devastent: quod si quiescant hostes, tamen sibi esse alios hostes, nempe *famem & pestem*. Ita significat, quamvis domos suas claudant Israelitæ, & procul repellere studeant ac conentur omnes noxas, tamen posse Dei vindictam penetrare in omnes latebras. Sequitur,

16. Et evadent evasores ipsorum, (*hoc est, evadent qui evaserint ex ipsis*) & erunt super montes quasi columbæ vallium, omnes fremendo, (*vel murmurando, vel strependo*) vir (*hoc est, quisque*) in sua iniquitate.

Videtur quidem Propheta secum pugnare, quia ante pronunciavit omnes devotos esse exitio. Quomodo igitur nunc dicit quosdam venturos esse huc & illuc, ut sibi latebras quærant in montibus? Sed optime simul conveniunt quæ videntur pugnare, quia his verbis significat miseriorem fore vitam eorum qui effugerint, quam si gladio cecidissent, vel consumpti fuissent peste & fame. quare? *Erunt*, inquit, *in montibus*. Per montes hauddubie intelligit loca arida & deserta. Qui autem latebras quærit in montibus, tantum anxius est de vita liberanda; quia de victu non cogitat. Sic ergo intelligit Propheta, nihil miserius fore eorum exilio qui evaserint, quia erunt in locis aridis & desertis *tanquam columbæ vallium*: illic non audebunt clamare. Significat autem ita fore meticulosos, ut etiam in rerum omnium anxietate, inopia, squalore, & desperatione, denique in congerie omnium miseriarum, tamen gemant *quemadmodum columbæ*, & columbæ *vallium*, hoc est, quæ se abscondunt propter metum, neque audent se exponere in conspectum. Nisi forte antithesis malum amplificet, quasi diceret eo magis fore attonitos, quod insolitus locorum aspectus plus formidinis incutiet. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, *si qui evaserint è populo*, tamen nihil aliud posse consequi sua fuga, nisi ut vitam misere protrahant

hant

hant in maxima anxietate. Scimus enim hoc eſſe quaſi ultimum ſolatium in malis, ubi homines libere queruntur, & ſe exonerant flendo & gemendo. Ubi autem qui miſer eſt, non audet tamen conqueri, hunc oportet eſſe quaſi bis mortuum inter vivos. Sequitur,

17. Omnes manus ſolventur, & omnia genua ibunt aquæ. *(ſubaudienda eſt nota ſimilitudinis, tanquam aquæ fluent: nam ire hic accipitur pro fluere.)*

Confirmat proximam ſententiam, quod ſcilicet tanta erit trepidatio, ut qui prementur omni genere malorum, non audeant tamen liberam vocem efferre. Dicit *omnes manus fore ſolutas, & omnia genua fore fluxa inſtar aquæ*. Scimus hanc doctrinam frequenter occurrere apud Prophetas, qua oſtendit Deus in manu ſua eſſe corda hominum. Quoniam autem profani homines ferociunt adverſus Deum, confiſi ſuis opibus, aut fortitudine: ideo ex oppoſito Deus pronunciat fore trepidos & anxios, imo fere evanidos, & quaſi exanimes: acſi genua diffluerent in aquas, & manus eorum ſolverentur. Sequitur,

18. Et accingent ſe ſaccis, & operiet ipſos formido, & ſuper omnes facies (*aut vultus*) probrum, (*vel pudor*) & in omnibus capitibus calvitium.

Continuat eandem ſententiam. Dicit igitur talem fore cladem populi, ut ſe omnes ſaccis accingant. Atqui videtur hoc minime conſentaneum eſſe, ut ſe accingant ſaccis qui erunt attoniti, ut non lugeant mortuos. Sed Prophetæ ita ſermonem variant, quia non poſſent aliter afficere animos obſtinatos. Quanquam ergo in ſpeciem videntur hæc non ſatis cohærere, *quod ſe omnes accingent ſaccis, & ſuper omnia capita erit calvitium*: deinde quod abſque luctu & mœrore omnes ſint perituri: non tamen male conveniunt, quia non exprimit Propheta quid facturi ſint, ſed quid res ipſa ferat. Quoniam igitur paſſim graſſabitur trucidatio, deinde alios peſte, alios fame Deus conſumet: ideo adjungit fore materiam luctus, quamvis præ malorum copia quaſi exanimes torpeant & omittant omnia luctus indicia. *Saccis ergo ſe accingent.* Scimus hoc fuiſſe inſigne ſymbolum pœnitentiæ, ſed ſæpe transfertur ad vulgarem mœrorem: & profani etiam homines quamvis Deum non agnoſcerent malorum auctorem, tamen induebant ſaccos. Ideo quum hic Propheta dicit *omnes ſumpturos ſaccum quo ſe induant*, non ſignificat ſenſuros pœnas divinitus infligi, ut reſipiſcant: ſed tantum exprimit receptum lugendi ritum in mœrore, qui communis eſt etiam reprobis, & quibuslibet Dei contemptoribus. Jam adjungit, *operiet eos formido, & probrum* (aut pudor) *ſuper omnes facies*: deinde *ſuper omnia capita erit calvitium.* Hoc Lege Deut. 14. verſ. 1.
vetitum fuerat, quemadmodum ſcimus Deum cohibere nimiam intemperiem in luctu, quum vetat populum incidere faciem ſuam, aut facere calvitium. Illa enim erat præpoſtera affectatio. Et ſcimus homines ambitioſos eſſe in mœrore. Deus ergo ut modum imponeret mœrori, vetuerat ſuos incidere cutem, aut ſibi facere calvitium. Ergo videmus Prophetam hic non loqui de vero ſigno reſipiſcentiæ, ſed tantum notare quod dixi, tam horribilem fore Dei vindictam, *ut obtegat ipſos formido*, deinde *ut obruat pudor & probrum eorum vultus*: deinde, ut more gentium ſibi incidant cutem, & induant ſaccos tanquam homines perditi.

Da omnipotens Deus, ſi quando nos ad te revocaveris, ut non torpeamus in malis noſtris, neque etiam obdureſcamus ad tua flagella: ſed mature præveniamus ultimum tuum judicium: & ita humiliemus nos ſub potenti tua manu, ut ſerio teſtemur, ac reipſa probemus noſtram pœnitentiam: atque ita ſtudeamus nos tibi addicere in obſequium, ut proficiamus in novitate vitæ magis ac magis, donec tandem exuti omnibus carnis noſtræ inquinamentis, perveniamus ad fruitionem beatæ illius quietis, quam nobis acquiſivit unigenitus Filius tuus ſanguine ſuo, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA IN EZECHIELEM.

19. Et argentum ſuum per compita projicient, & aurum ipſorum in disjectionem erit: (*alii vertunt immunditiem*) argentum eorum, & aurum eorum non poterit ad liberandum ipſos in die excandeſcentiæ Jehovæ; animam ſuam non ſatiabunt, & viſcera ſua non replebunt, quia offendiculum iniquitatis ipſorum fuit.

Nunc denunciat Propheta tantam fore deſperationem in populo, ut obliviſcatur auri & argenti. Nam ſcimus magis de iſtis acceſſionibus ſollicitos eſſe homines, quam de propria vita. Aurum niſi in uſum accommodetur, nihil habet in ſe pretioſum: videmus tamen ut major pars cupiditate lucri ita ardeat, ut ſe projiciat in certa mortis pericula. Quam multi enim vitam ſuam negligunt, ut acquirant prædam? ergo ubi aurum contemnitur, certum eſt homines attonitos eſſe metu & anxietate, ita ut exuant omnes naturæ ſenſus. Id intelligit Propheta, quum dicit *projecturos aurum in plateas*, quia ſi putarent ſe fore ſuperſtites, & ſi qua ſpes vitæ eſſet reſidua, haud dubie aurum ſuum & argentum reconderent. Ubi autem aurum projicitur, certum eſt, quemadmodum dixi, omnia eſſe plena deſperationis. *Aurum eorum*, inquit, *erit in projectionem.* Sic enim potius interpretor quam immunditiem. נדה ſignificat immunditiem, ſignificat etiam menſtrua & ſeparationem. Si quis ſeparationem vertere malit, non contendo, modo intelligamus Judæos pro nihilo ducturos aurum ſuum, ita ut libenter ab eo ſe ſeparent. Scimus enim homines ita affixos eſſe auro & argento, ut non minus ipſis doleat eripi quod tantopere amant, quam ſi quis avelleret ab ipſis propria viſcera. Sed projectionis nomen clarius erit, & reſpondebit etiam priori membro. Adjungit, *Non poterit aurum & argentum eorum ſervare ipſos in die excandeſcentiæ Jehovæ.* Hic Propheta perverſam eorum confidentiam deridet qui putabant ſe fore tutos, quod muniti eſſent magnis opibus. Nam quantiſper homines vident ſe protectos eſſe præſidiis, nihil metuunt: & non facile ipſis excutitur talis ſecuritas.

Hac de causa igitur Ezechiel pronunciat aurum & argentum Judæis fore inutile, quum Deus excanduerit contra ipsos. Et simul oblique perstringit eorum socordiam, quia spernebant judicia Dei, eo quod ad tempus illis parceret. Ideo commemorat *venturum diem excandescentiæ Dei:* tunc, dicit, *non saturabunt animas suas, & viscera sua non replebunt.* Hic significat fore ditissimos etiam quosque famelicos. Si qua penuria vulgus urgeat, qui tamen habent pecuniam domi nunquam esuriunt: deinde ut plurimum divites habent omne genus annonæ reconditum in suis cellis, & horreis. Propheta autem dicit talem fore penuriam, quæ etiam involvat ipsos divites, ita ut non habeant cibum ad se reficiendos. Ratio tandem subjicitur, *quia offendiculum iniquitatis ipsorum fuit.* Quidam generaliter accipiunt hoc membrum, quod tunc impingent Judæi propter suam iniquitatem, id est, tunc tempus erit recipiendæ mercedis. Deus enim visus fuerat ipsis ignoscere, & non respicere ad tot iniquitates, quibus ipsum provocaverant. Dicit autem *illo die fore offendiculum*, si sensus ille placeat. Sed malo cum aliis restringere ad ipsam pecuniam, quod scilicet nihil proderit aurum & argentum, *eo quod fuerit offendiculum iniquitatis*, hoc est, fuerit materia vel occasio peccandi: & hanc sententiam confirmat proximus versus, ubi dicit,

20. **Et decus ornamenti sui in superbiam posuit ipsum, & imagines abominationum suarum, & spurcitiarum suarum fecerunt ex illo: propterea posui illis (*vel dedi illis*) in projectionem.**

Non dubito quin aliis verbis confirmet Ezechiel quod jam docuit, nempe argentum populi fore in projectionem, eo quod indigne abusus illo fuerit tam ad luxuriam & vanas pompas, quam ad superstitiones. Exponunt quidem צבי עדיו de Templo: & certe fateor, Templum fuisse summum decus Judæis, quo poterant gloriari si rite & pure illic coluissent Deum. Deus ergo Judæos decoravit eximia gloria, quum apud ipsos Templum voluit sibi erigi, quod esset tanquam domicilium ejus terrestre. Sed non video cur hæc verba trahamus ad Templum, quia Propheta sermonem suum contexit. Loquutus autem est de auro & argento: dixit nullum fore usum auri & argenti, quia per lutum quisque projiciet, nempe ubi spem omnem vitæ & salutis abjecerint. Jam continuat eandem sententiam: ostendit legitimum usum auri & argenti: *erat*, inquit, *decus ornamenti ejus.* Nam quicquid largitur Deus hominibus testimonium est paterni ejus favoris. Ergo refulget in nobis Dei liberalitas quum locupletat nos suis donis. Sic igitur divitiæ sunt decus ornamenti, ita & corporis sanitas, & honores, & quicquid tale est. Quoniam ergo Deus conspicuam vult esse suam gratiam in omnibus donis, quibus homines ornat atque insignit: merito Propheta dicit Judæos fuisse ornatos auro & argento. Sed accusat eorum ingratitudinem, quod converterint tale decus ad superbiam. Nam גאון hic accipio in malam partem, sicuti & plurimis aliis locis: significat aliquando excellentiam: sed non dubito quin hic exprobret Judæis Propheta, quod superbierint opibus, quæ tamen erant testimonia favoris Dei. Ergo *posuit*, inquit, *nempe decus ornamenti, posuit ad superbiam.* Sequitur, *& imagines abominationum suarum, & spurcitiarum suarum*, vel idolorum suorum (Sic enim vocant interdum Hebræi idola) *fecerunt ex illo.* Hic ב accipitur loco מ, ut sæpe alias: & ita materiam designat. Dicit igitur Judæos *fecisse imagines suas*, quæ totidem abominationes erant coram Deo, *ex auro & argento.* Hæc secunda fuit profanatio donorum Dei: prior fuit in superbia, quum Judæi inebriati copia rerum omnium cœperunt insolescere contra Deum: ita profanarunt decus quo fuerant ornati. Sed accessit etiam altera pollutio, nempe quod conflarunt sibi idola ex auro & argento, & obtulerunt etiam dona & sacrificia: quemadmodum Deus apud Hoseam conqueritur, *Hos. 2: 8.*
quod converterint quicquid in ipsos contulerat ad impios cultus: Dederam, inquit, frumentum meum, & vinum & oleum. Atqui ornarunt sua idola: hæc fuit scilicet gratiarum actio, quod excæcati mea liberalitate, idolis suis sacrificia obtulerunt ex frumento meo, & oleo & vino. Qua de re uberius disseret Ezechiel cap. 16. Sed nunc dicit, *fecisse imagines abominationum ex illa gloria qua ipsos insignierat.* Et in fine versus confirmat quod nuper vidimus, *propterea*, inquit, *dabo ipsum*, hoc est, decus illud *dabo*, vel ponam *ipsis in projectionem.* Videmus repeti eandem sententiam quam ante posuerat: sed commemorat hic rationes cur in die excandescentiæ Dei pro nihilo ducturi sint aurum & argentum Judæi, quoniam scilicet indigne contaminarunt hæc Dei dona, in quibus gratia ejus & paternus favor fulgebat. *Ponam* igitur, inquit, *in projectionem aurum, vel decus:* dixerat ante prorsus idem, sed nondum expressa fuerat ratio vindictæ Dei. Sequitur,

21. **Et ponam ipsum (*vel tradam*) in manum alienorum ad direptionem, & impiorum terræ ad spoliationem: & profanabunt ipsum.**

Quod ad Sanctuarium hæc etiam verba torquent interpretes, dixi mihi non probari. Ego igitur non dubito Prophetam adhuc de populo loqui. Mutavit quidem in superiore versu numerum, sed initio loquutus fuerat numero singulari, nunc iterum redit ad numerum singularem & populum designat. *Ponam* igitur *ipsum in manum alienorum.* Hoc gravius fuit quam si oppressi fuissent tyrannide aliqua domestica, nec dubito quin per alienos Propheta significet gentes remotas & barbaras: quemadmodum scimus eos quibuscum nulla fuit nobis communicatio, magis & atrocius sævire. Primum igitur dicit, *fore servos alienorum:* adjungit *impios terræ:* significat hostes eorum fore crudeles & sceleratos, ita ut nulla ab ipsis speranda sit misericordia vel æquitas. Summa est, vindictam Dei fore terribilem, ubi diu sustinuerit iniquitates populi. Hinc autem colligimus impios & sceleratos homines, Dei esse flagella, & regi ejus arbitrio & manu. Quum ita sit, colligimus Deum ita per ipsos operari, ut tamen purus sit ab omni culpæ societate: quia sic exercet per eos sua judicia, ut in illis appareat irreprehensibilis: ipsi autem merito damnentur, quia tantum rapit eos vel sua avaritia, vel ambitio, vel aliæ libidines. *Dabo* igitur *ipsos in manum alienorum in spoliationem:* deinde, *impiis terræ in direptionem: & ipsum profanabunt.* Hoc forte verbo adducti sunt interpretes, ut versum hunc de Sanctuario acciperent. Sed scimus etiam חלל accipi alio sensu pro occidere. Posset igitur exponi hoc verbum, quod passim fiet trucidatio populi: quia hostes non contenti præda & spoliis etiam jugulabunt suos captivos, ubi potiti fuerint victoria. Sed retineo libenter verbum profanandi, quod tantundem valet ac vilipendere: quia videtur mihi alludere Propheta ad promiscuum abusum, ubi scilicet non respicimus quorsum res nobis sint destinatæ, sed temere & sine delectu per contemptum, imo per ludibrium

dibrium ipsas dissipamus. Significat igitur tantam fore insolentiam hostium, ut prodigant ac dilapident non modo substantiam populi, sed etiam homines ipsos. Quanquam potest etiam hoc referri ad ipsam substantiam. Dicitur enim latro hominem prædari quum aufert quicquid habet, & nudum relinquit: hoc sensu etiam commode exponere licebit quod nunc dicit Propheta. Sed simplex illa expositio mihi sufficit, quod promiscue populum ita dissipabit, ut nullum sit discrimen. Sequitur,

22. Et avertam faciem meam ab ipsis, & profanabunt absconditum meum: & ingredientur in illud perruptores, (*aut vastatores*) & profanabunt illud.

Quantum ad principium versus nulla est ambiguitas. Deus enim pronunciat Judæos miseros fore, *quia ab ipsis faciem suam avertet.* Nam in eo sita erat eorum felicitas, ut Deus, sicuti fuerat pollicitus, curam haberet ipsorum salutis. Quamdiu ergo dignatus est Deus ipsos respicere, fuit illis certa salus, ita ut non esset quicquam periculi metuendum. Sed ubi curam ipsorum abjecit, expositi fuerunt miseri ad omnes calamitates: ideo etiam dicuntur fuisse nudati omni præsidio, ubi se à Deo alienarunt. Hoc igitur unum est. Jam quod sequitur etiam interpretes exponunt de Sanctuario: neque ego tantopere repugno, si cui probetur hic sensus: ego tamen latius accipio. Deus enim, meo judicio, *absconditum suum* nominat terram quæ salva fuerat ejus prote-
Exod. 19. ctione. Dicit enim se habuisse alas extensas, quibus
vers. 4. populum quodammodo occultaret. Et David pre-
Psal. 27. catur ut Deus ipsum recipiat in absconditum taber-
vers. 5. naculi sui. Quoniam ergo protegebatur Dei virtute populus, merito terra vocatur *Dei absconditum*, quasi asylum: & proprie ita vertere licebit. *Profanabunt* igitur *asylum meum vastatores*, *quia ingredientur illac, & profanabunt*, repetit idem verbum. Qui accipiunt de Sanctuario, restringunt ad Sanctum sanctorum. Sic enim vocabant adytum vel oraculum, unde responsa dabantur: & oraculum etiam vocarunt non ab orando, sed quia illic sciscitabantur de rebus arcanis. Sed illud quemadmodum dixi, videtur mihi coactum. Ego quidem non rixabor, sed ostendo quid mihi magis placeat. Summa est, quamvis Deus peperœrit longo tempore Judæis, imo habuerit ipsos quasi absconditos sub alis suis, & terra ipsorum fuerit quasi sacrum asylum, quoniam reconditi erant, ut nullas ab hostibus extraneis noxas sentirent: hoc tandem nihil illis profuturum, quia Deus diruet omnes macerias, & dabit facilem aditum hostibus, ut perrumpant, deinde profanent ac permisceant omnia. Sequitur,

23. Fac catenam: quia terra repleta est judicio sanguinum, & urbs repleta est violentia.

Quod jubetur Propheta catenam fabricare referunt interpretes ad captivitatem. Scimus enim captivos solere catenis & compedibus vinciri, vel manicis. Exponunt igitur Deum minari exilium populo. Sed videtur potius alludere Spiritus ad reos, qui causam dicunt ex vinculis. Lascivierant enim diu Judæi in suis vitiis, & impunitas multum illis audaciæ attulerat. Jam Propheta dicit venisse tempus, quo trahendi sint ad Dei tribunal, ac illic tractandi summo jure tanquam malefici. Quoniam ergo reos catenis ligabant, ut ignominiose causam dicerent, reos dico, qui jam erant quasi semidamnati: ideo Propheta jubetur *catenam conficere*, ut non modo citetur populus ad reddendam scelerum rationem, sed etiam trahatur velit nolit ad judicium Dei. Et seipsum explicat quum dicit, *quoniam terra repleta est judicio sanguinum. Judicium sanguinum* vocant Hebræi materiam mortis, quum scilicet capitalis est causa, & reus ita convictus est, ut non possit ultimam pœnam effugere, sicuti causa sanguinis vocatur quodlibet judicium capitale. Dicit igitur *terram esse repletam judicio sanguinum*, hoc est, obnoxiam esse tot sceleribus, ut non possit effugere ultimam vindictam. Et postea adjungit *urbem*, quæ saltem debebat etiam in communi terræ corruptela aliquid puritatis retinere: sed dicit *urbem quoque repletam esse violentia*. sub qua voce haud dubie complectitur omnes injustas oppressiones, rapinas, direptiones, illicitos quæstus, latrocinia, & quicquid pugnat cum justitia & æquitate. Summa est, impietatem populi & scelera usque ad cumulum pervenisse, ut jam non sint Deo tolerabiles: ideoque Deum conscendere tribunal, ut de ipsis pœnam exigat: & huc pertinet catena de qua loquitur. Sequitur,

24. Et venire faciam improbos Gentium, (*hoc est, qui mali sunt & perversi inter Gentes*) & possidebunt domos eorum: & cessare faciam superbiam fortium, & polluentur Sanctuaria ipsorum.

Repetit quod dixerat, venturos scilicet hostes, qui ministri forent Dei vindictæ. Ac rursum discimus ex hoc loco, etiam impios manu Dei & arcana directione impelli, ut digitum non moveant, nisi pro ipsius arbitrio. Dixerat prius se daturum Judæos in manum alienorum: quid autem nunc? *Venire faciam*, inquit, quasi illis manum porrigeret, & ipsos adduceret. Videmus ergo ut Deus impios habeat quasi conductitios ad exequenda sua judicia. sed tenendum est discrimen quod nuper posui. Sic enim Deus per ipsos operatur, ut nihil tamen habeat cum ipsis commune. Nam ipsi feruntur pravo affectu: Deus autem habet mirificam rationem, & nobis incomprehensibilem, qua ipsos huc & illuc impellit: ut tamen se interea non involvat ulla culpæ societate. Vocat autem *perversos Gentium*, ut sciant Judæi adesse ultimam cladem, quia negotium erit cum hostibus crudelissimis. Dicit *possidebunt domus eorum*, & quia superbia populi videri poterat quoddam obstaculum, ne Deus pœnam exigeret quam meriti erant: ideo adjungit *cessare faciam superbiam potentum*, inquit. Quamdiu enim turgebant Judæi fastu & confidentia, non potuit Propheta apud eos quicquam proficere. Ergo dicit Deum facturum ut cesset ille fastus, quo frustra inflati erant, quantisper illos Deus sustinuit, vel toleravit. Tandem adjungit, *polluentur eorum Sanctuaria*. Hic locus confirmat quam ante probavi sententiam. Loquitur enim Ezechiel quasi de re nova, quod *Sanctuaria polluentur*. Hic enim detrahit illis vanam spem, qua se fallebant quum jactarent se habitare sub tutela Dei, eo quod Templum ipsos & urbem potegeret.
Jeremias illis exprobrat, quod confidant in verbis Iere. 7.
mendacii, dum prædicant se habere Templum Do- vers. 4.
mini, Templum Domini, Templum Domini: non tam aperte loquitur Propheta noster, sed haud dubie ostendit fallacem esse illam securitatem, dum Templum opponunt ipsi Deo: quasi vero Templum esset clypeus ad repellendam ejus vindictam. Habitabat quidem Deus in Templo, sed hæc conditio fuerat addita, ut pure illic invocaretur. Quum autem pollutum fuit Templum, Deus ab ipso recessit,

ut postea videbimus. Hac ratione Propheta dicit *venturos hostes qui polluant & contaminent Sanctuaria populi.* Hactenus ergo non loquutus est de Templo, sed jam adjungit *Templum*, ne temere Judæi obtendant Dei nomen, acsi tenerent ipsum sibi affixum. Sequitur,

25. Excidium venit, & quærent pacem, & non. (*hoc est, & nulla erit pax.*)

Confirmat eandem doctrinam. Dicit ergo *excidium venisse.* Jam adjungit *nullam fore pacem.* Hæc confirmatio non fuit supervacua. Semper enim tergiversando sperant homines se aliquid proficere: ita captant latebras quum Deus protrahit ipsos in lucem. Deinde fingunt sibi multas spes salutis, ubi Deus tenet quasi constrictos. Quoniam ergo homines ita sunt lubrici, & captando effugia videntur sibi Deum & ejus judicia eludere, Propheta dicit, quantumvis quærant pacem, nullam ipsis fore, nempe ut non dubitent de excidio vel excisione, cujus meminit. Sequitur,

26. Calamitas super calamitatem veniet, & rumor super rumorem erit: & quærent visionem à Propheta, (*vel eo quod non sit Propheta*) & Lex transibit (*id est, evanescet*) à Sacerdote, & consilium à Senibus.

Hic pluribus verbis explicat Propheta qualis futura sit clades, cujus ante fuit præco. Et iterum excutit Judæis omnem materiam spei, & ostendit frustra eos huc vel illuc circumspecturos, quia Deus omni auxilio ipsos destituet. hæc est summa. Ideo dicit *calamitates venturas*, & quidem ut aliæ alias sequantur. Hoc modo admonet Judæos frustra securitatem captare, acsi unius mali exitu jam defuncti essent. Nam impii simulac Deus manum suam retrahit, videntur sibi elapsi ex omni molestia: & ideo Deum securius spernunt. Nam fingunt quodammodo cum ipso esse transactum: quemadmodum si debitor summulam persolverit suo creditori, ubi obtinuit relaxationem, securus est; ita etiam reprobi obdurescunt ubi Deus aliquas inducias ipsis concedit. Putant enim se cum ipso habere pactum, ne amplius ipsis sit molestus. Propheta autem denunciat tantam fore congeriem malorum *ut calamitas una habeat multas comites*, quia non desinet Deus mala malis addere. Adjungit, *rumor super rumorem.* Hoc refertur ad materiam trepidationis, ubi scilicet vulgantur rumores de bellis, de crudelitate hostium. Quum ergo Judæi surdi essent & stupidi, Propheta denunciat Deum fore continuum in exercendis vindictis, ut calamitas una sit duntaxat præludium alterius, donec centies perierint potius quam ut Deus ipsos elabi impune sinat. Postea adjungit, *quærent visionem.* Hic ostendit Propheta rursus nudatum iri Judæos omni auxilio. Etsi enim Deum audacter spernebant, scimus tamen improbe abusos fuisse ejus nomine. Nam sic exuerant omnem verecundiam, ut non dubitarent Deum & omnia ejus dona habere ludibrio. Ultimum ergo in malis refugium erat *quærere visionem*, hoc est, sciscitari quidnam facturus esset Deus. Ideo dicit, *quærent visionem à Propheta.* Videtur mihi asperior esse loquutio, quod *quærent à Propheta visionem*, quia nihil subjicitur nisi de Sacerdote & de Senibus. ו interdum ubi verbis conjungitur accipitur negative: nescio an possit ferre linguæ proprietas, ut dicamus, *quærent visionem nec erit Propheta.* Et tamen tunc sensus melius flueret, si negaret Ezechiel fore ullos Prophetas. Nam hoc est signum derelictionis, ubi non occurrit ulla consolatio, quæ nos in malis sublevet. Ideo Ecclesia in Psalmo conquer itur se redactam in ultimas angustias, *Psal. 74. vers. 9.* quod nullus Propheta appareat, Signa nostra non videmus, nec est inter nos Propheta. Et certe hoc voluit Ezechiel, frustra quæsituros esse Prophetam Judæos, quia Deus auferet ab ipsis donum illud. Quantum igitur ad rem spectat, nulla est ambiguitas, sed loquutio, ut dixi, paulo est obscurior. Summa est, quum putent Deum sibi esse astrictum, ut nunquam destituat eos visionibus, quæ in solatium sint paratæ, hoc jam bono spoliatum iri: & quum destituti fuerint, nihil ipsis restare, nisi illam excidionem, de qua loquutus est. Reliqua differemus in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hactenus dignatus es nos tueri incolumes tua virtute, & depulisti tot violentos impetus à capitibus nostris, tot etiam perversa hostium nostrorum consilia evertisti, eripuisti nos ab innumeris noxis: ut sic prosequaris erga nos tua beneficia, ut vicissim tibi nos grati simus, & ita addicamus nos tibi in obsequium, ut nomen tuum sanctum glorificetur tota vita nostra in Filio tuo unigenito Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA PRIMA IN EZECHIELEM.

COEpimus heri exponere sententiam Prophetæ, ubi denunciabat Judæis quod minime timebant, venturum scilicet tempus, quo Deus Prophetis ipsos destitueret. Quoniam autem solitus fuerat Deus populum illum regere per Consiliarios, & Sacerdotes, & Prophetas: ideo dicit *periturum esse consilium à Senioribus, & à Sacerdotibus Legem.* Quantum ad Prophetas spectat, dicit frustra Judæos sciscitaturos ab illis quænam sit Dei voluntas. Summa est, quum Deus semper populum illum gubernasset, fore miseram dissipationem, quia nulla amplius doctrina fulgebit, sed erunt demersi in tenebris ignorantiæ. Hæc autem gravissima fuit comminatio, quia in extremis malis non vulgare tamen est solatium, ubi Dominus verbo suo nobis affulget. Hinc enim erigimur ad patientiam: deinde mitigantur dolores quum gustamus spem aliquam veniæ, & Deus testatur se nobis fore propitium. Ubi autem hæc consolatio ablata est, facile est obrui minimis quibusque malis. In afflictionibus profundissimis tanquam in vasto mari Deus tamen nos verbo suo sustentat: & quamdiu superest nobis doctrina, habemus quasi tabulam naufragii quæ nos in portum usque adducat. Sed ubi Deus nusquam apparet, levissima tentatio potest nos obruere tanquam profundissima abyssus. Itaque fuit hoc signum horribilis Dei vindictæ, dum extinctum fuit apud Judæos prophetiæ donum, & Sacerdotes ac Seniores nihil habuerunt consilii. Scimus tamen quam magnifice jactaverint se pollere sapientia. Nam dum Jeremias illos increpabat cap. 18., videmus ut in ipsum insurrexerint, freti *Jere. 18. vers. 18.* hac fiducia, quod Lex non posset transire à Sacerdotibus, nec à Sapientibus vel Consiliariis prudentia,

& vi-

& visio aut sermo à Prophetis, Venite cogitemus contra Jeremiam, & percutiamus eum lingua. Neque enim peribit consilium, &c. Illic diabolico furore perciti audent cristas erigere adversus Deum, & audacter quod Deus hic se ipsis ablaturum denunciat sibi arrogant, Fieri non potest quin visio resideat penes Prophetas, & doctrina Legis penes Sacerdotes. Atqui videmus ut Deus everterit perversam illam jactantiam, ubi denunciat nullum fore consilium Senibus, nullam Legis doctrinam Sacerdotibus, & nullam visionem Prophetis. Et hinc etiam colligimus Papistas hodie refelli eodem argumento. Nam quibus armis instructi tam superbe ferociunt adversus claram & certam doctrinam Legis & Euangelii? Nempe quia sunt Ecclesia repræsentativa: quasi Deo aperte obstreperent, fieri non posse ut pereat doctrina à Sacerdotibus. Taceo quod ipsorum Sacerdotium à Deo non est: quandoquidem creantur Sacerdotes ad Christum mactandum, & id absque ullo mandato. Sed ut demus esse ordinarios Ecclesiæ pastores, quid tamen illis conducit titulus ille, quum Deus spoliaverit omni luce doctrinæ Sacerdotes Leviticos, qui tamen ab ipso creati erant, & non hominum suffragiis? Discamus itaque ex hoc loco donum prophetiæ & omnem doctrinam singulare esse Dei donum: discamus etiam auferri donum illud, ubi Deus pœnas vult exigere de hominum ingratitudine. Nam si doctrina minus quam deceat reverenter excipitur, & contemnitur Deus ipse, ut sæpe fieri solet, abjicit homines in tenebras, & facit ut tanquam cæci errent, neque illis affulgeat ulla scintilla. ubi etiam Sacerdotes ipsi obliviscuntur sui muneris, infatuat ipsos Deus: quemadmodum videmus factum fuisse in Papatu. Nihil illis bestiis magis pudendum: & tamen vendicant sibi spiritum revelationis. Sed Deus rependit illis justam mercedem suæ insaniæ, quod scilicet tyrannice dominati fuerint, & ita abusi perperam sacro nomine pastorum: deinde quod sua figmenta permiscuerint Legi & Euangelio, atque ita corruperint omnem doctrinæ puritatem suis commentis. Deus ergo ultus est illam superbiam, quemadmodum videmus. Ubi autem Deus per servos suos viam nobis ostendit, & cælesti doctrina prælucet, ne tanquam cæci erremus in tenebris: sciamus non spernendum esse hunc inæstimabilem thesaurum, ne unquam ipso spoliemur. Sequitur,

27. Rex lugebit, & princeps inductur desolatione, (*aut vastitate*) & manus populi terræ turbabuntur: secundum vias ipsorum faciam eis, & pro judiciis ipsorum judicabo ipsos, & cognoscent quod ego Jehovah.

Hoc versu Peopheta Dei vindictam affirmat communem fore, ita ut grassetur contra summos & infimos. Incipit à Rege, deinde ad consiliarios descendit, tandem comprehendit totum populum. *Rex lugebit*, inquit. Atqui ejus est alios animare, deinde remedium afferre omnibus malis. Ubi autem nihil residuum fit Regi præter luctum & dolorem, signum est desperationis. Metaphorice vestem desolationis tribuit proceribus. Scimus enim duplicem esse vestis usum, quia munimur indumento ad frigus arcendum: deinde tegimus quod in nobis probrosum est. Ex opposito Propheta dicit probrum fore illis instar vestimenti, nempe proceribus: tandem ad promiscuum vulgus descendit. Rationem simul assignat, *ego*, inquit, *secundum vias ipsorum faciam ipsis*. ם hic accipitur causaliter: *pro viis ipsorum* ergo *faciam ipsis*. Ex eodem sensu adjungit, *in judiciis ipsorum judicabo vos*. Nomen judicii improprie hic accipitur, & catachristicωs. Nam judicium tantundem valet ac rectitudo: sed transfertur sæpe ad corruptelas: perinde est acsi diceret, sentient me justum esse judicem, quia ulciscar eorum scelera. Ergo *judicia eorum* intelligit perversos abusus, & comprehendit non modo superstitiones, sed etiam iniquitates quaslibet. His autem verbis significat Deus se quum tam severe puniet Judæos, non fore tamen crudelem, quia digni sint tali mercede. Sequitur in proxima visione confirmatio. Est quidem visio separata: sed ubi Propheta breviter Dei nomine asseruit justas fore pœnas, quæ Judæis infligentur, hanc doctrinam confirmat visione quæ sequitur, quod scilicet correptus fuerit Spiritu Dei, & translatus Hierosolymam, ubi vidit Templum refertum variis abominationibus: quia nullus angulus erat, quem non fœdassent, & violassent suis idolis. Sed veniamus ad verba:

CAP. VIII.

ET fuit anno sexto, mense sexto, die quinto mensis, ego sedebam (*ad verbum sedens*) domi meæ, & Seniores Jehudah sedentes coram facie mea. Et cecidit super me illic manus Dominatoris Jehovæ.

Non dubium est quin hic narretur Prophetica visio. Neque enim Propheta Hierosolymam devectus est, nec locum mutavit: neque etiam fuerunt apud ipsum Seniores Jehudah: sed visus est sibi abripi à Dei Spiritu, ut cerneret pollutiones quibus Templum Judæi profanaverant. Dicit autem *se domi fuisse quum oblata hæc fuit visio*: & tamen fieri potest ut in agro ambulaverit. Non igitur jam narrat rem gestam, sed simpliciter docet quomodo apparuerit Deus, & adjungit circumstantias. Per *Seniores* enim *Jehudah* non intelligo captivos, sed qui habitabant tunc Hierosolymæ, nempe ut testes essent hujus peophetiæ: atque ita erepta illis fuit omnis excusatio, & erroris prætextus. Tempus etiam exprimit, quo hæc visio fuit oblata, nempe *annum sextum*, quem numerat ab exilio Jechaniæ, sicuti visum fuit capite 1. Interfuit ergo annus unus & duo menses inter primam visionem quæ tunc exposita fuit, & hanc quæ nunc tractanda est. Quum ergo elapsi essent quatuordecim menses, rursus apparuit Deus Prophetæ suo. Hæc temporis circumstantia minime supervacua est. Nam hinc apparet quanta fuerit populi obstinatio. Peopheta, quemadmodum dixi, annos numerat ab exilio Regis. Solebant autem à Jubilæo annos numerare: nunc autem renovat luctum cladis illius, quum Rex ignominiose tractus fuit tanquam vile mancipium, & serviliter fuit vexatus apud hostes. Quum ergo Propheta hac annorum supputatione humiliet Judæos, hinc apparet quam indomabilis fuerit eorum pervicacia, quod non resipuerint tam duriter castigati. Sed videbimus fuisse correptos prodigioso furore, ut abjecto Dei cultu, coacervarent undique novas idololatrias, & Templum inficerent suis abominationibus. Vidimus
apud Jeremiam in urbe ipsa Jerusalem, & in Tem- *Jere. 7.*
plo fuisse eversum Dei cultum. Nam libabant opi- *vers. 17.*
ficio cæli: ubi alii vertunt Reginam: sed exposuimus *& 44.*
locos illos debere intelligi de omnibus stellis. Quum *vers. 17,*
ergo suffitum facerent opificio cæli, deinde hinc inde *18, 19.*
accerserent sibi idola, & polluerent se omnium gen-

rium superstitionibus: ostendit Propheta noster adeo non fuisse tactos ullo sensu pœnarum, ut in deterius prolapsi sint ex quo Deus cœpit manum suam contra ipsos exerere. Perinde enim erat acsi è cælo vindicem se ostenderet illarum superstitionum. Habemus ergo causam cur Propheta annos hic designet, & menses, & diem ipsum quintum mensis, nempe ut Judæi magis convicti teneantur suæ pertinaciæ, quod nullis pœnis revocati fuerint in viam, sed luctati fuerint diabolica sua obstinatione contra Deum. Dicit *manum Dei cecidisse*. Per *manum* non simpliciter intelligo prophetiam, ut alii, sed virtutem. Videtur enim nimis restrictus esse sensus ille, quod ceciderit prophetia: deinde loquutio ipsa friget. Atqui de potentia Dei hoc convenienter dicitur. Perinde igitur est acsi profiteretur se non afferre quicquam suum, quia exuerit quodammodo hominem dum potentia Dei in ipso regnavit. Opponitur itaque hæc virtus Dei omnibus humanis facultatibus. Sequitur,

2. Et aspexi, & ecce similitudo (*vel imago*) tanquam aspectus ignis: ab aspectu lumborum infra, ignis: & à lumbis ejus sursum tanquam aspectus splendoris, tanquam figura Chasmal. (*vel electri.*)

Alii vertunt Angelum, sed perperam meo judicio. Nam עין proprie significat colorem: & ego refutavi jam errorem illum primo capite. qualis fuerit color Chasmal mihi non constat, ideo sequor receptam sententiam, nempe fuisse aliquid simile electro. Jam dicit Propheta *se vidisse similitudinem*, vel imaginem compositam ex duabus partibus. Nam *à lumbis infra erat quasi ignis: supra autem erat splendor*. Per vocem דמות non dubito quin significet hominis imaginem. Apparuit igitur Deus servo suo sub aliqua imagine: nec displicet fuisse figuram hominis, quia si alia fuisset figura, hauddubie Propheta non tacuisset. Jam autem vidimus Deum induisse hominis formam: & ita se repræsentavit in persona unigeniti Filii sui, ut dictum fuit, & videbimus rursum capite decimo. Hæc igitur similitudo est de qua Propheta loquitur: sed utitur hac voce consulto, ut sciamus non fuisse verum & solidum, vel substantiale quod vocant corpus. Quod ergo Propheta aspexit figuram vel similitudinem, hoc factum fuit duntaxat nuda visione, non quod Deus tunc corpus induerit: & de hac re etiam fusius disserui cap. 1. & paulo post aliquid rursus perstringam. Jam quod dicit *partem alteram figuræ fuisse igneam*, in altera autem *fuisse aspectum splendoris*, videtur hic exprimere quid spectare debeant Judæi, ubi tandem cognoverint Deum propinquum à quo putabant se longissime abesse, nempe quum tam audacter Legem ejus, & omnes Prophetias contemnerent. Quantum ad splendorem spectat, significatur Dei majestas, & incomprehensibilis gloria. Nam si splendor solis oculos nostros perstringit, quid fiet si conemur penetrare usque ad immensum illud lumen, cujus sol vix exigua est scintilla? Quum ergo dicit Ezechiel *in similitudine fuisse splendorem supra lumbos*, hauddubie ostendit quam formidabilis debeat nobis esse Dei majestas. Habitat enim Deus lucem, sed inaccessam, ut dicit Apostolus. *Infra autem* dicit *fuisse speciem ignis*, nempe quia minime expectandum erat, 1 Tim. 6. vers. 16. dum quicquam lætitiæ perciperent Judæi ex Dei præsentia. Scimus quidem hypocritas semper Dei nomine temere gloriari, sicut exprobrat illis Amos, Amos 5. Quorsum vobis dies Domini? Dies ille tenebræ, & vers. 18. non lux. Nam jactabant in suis miseriis Deum fore exorabilem, nec fieri posse, quin illis opitularetur: quia susceperat illos in suam tutelam. Propheta refellit hanc arrogantiam, & dicit diem Domini fore tenebras. Sic etiam hoc loco apparuit Deus in specie ignis versus terram, nempe ut Judæi contremiscerent quum viderent vindictam Dei accensam, quæ ipsos consumeret. Ergo in splendore ostensa fuit Dei majestas, quæ Prophetam & omnes pios humiliaret, ut reverenter exciperent visionem: in igne vero ostensa fuit Dei vindicta, ne Judæi amplius clypeum sibi facerent ex Dei nomine, quod falso & fallaciter obtendebant. Jam sequitur,

3. Et misit similitudinem manus, & sustulit me in cincinno capitis mei: & erexit (*extulit*) me Spiritus inter terram & inter cælum: & adduxit me Hierosolymam in visionibus Dei, ad ostium portæ interioris, quæ respicit Aquilonem: ubi illic sedes idoli zeli zelare facientis.

Jam narrat Propheta se fuisse transvectum Hierosolymam, ut illic conspiceret fœdas superstitiones, quibus Templum inquinaverant Judæi. Primo autem dicit *emissam fuisse similitudinem manus*. Unde iterum colligimus non fuisse corpus solidum, vel substantiale, quod viderat Propheta: sed fuisse duntaxat oblatam figuram quæ symbolum esset præsentiæ Dei. Hoc quantum ad nomen similitudinis, vel figuræ. Non fuit igitur vera manus, quæ Prophetam arripuit per cincinnos, vel capillos capitis, sed fuit manus similitudo: & ideo subjicit *in visionibus Dei id esse factum*. Dicit quidem se devectum fuisse inter cælum & terram: sed ne quis imaginetur reipsa id fuisse impletum, seipsum explicat, *In visionibus Dei*, inquit. Per *visiones Dei* intelligit revelationem, quæ careret omni dubitatione. Subest enim tacita antithesis inter istas Dei revelationes, & inter spectra, quæ sæpe hominum sensus decipiunt. Qui visiones Dei simpliciter interpretantur prophetiam, extenuant quod emphatice voluit exprimere Propheta. Qui autem nomen Dei existimant positum epitheti loco (ut divinum appellant Hebræi quicquid præclarum est) illi etiam discedunt à genuino Prophetæ sensu. Non dubium ergo quin *visiones Dei* opponat omnibus spectris. Satan enim quemadmodum scimus, deludit sensus hominum suis præstigiis, & habet miras artes quibus incredulos fascinet. Contingit etiam interdum filios Dei hallucinari. Ergo Propheta, ut omni dubitatione eximat suam doctrinam, dicit *se fuisse devectum Hierosolymam in visionibus Dei*. Jam adjungit, *se fuisse delatum ad ostium portæ Septentrionalis*. Scimus fuisse plures portas Atrii, quo commodior esset populi ingressus. Nam si una tantum omnibus porta fuisset aperta, tumultuati fuissent, ut fieri solet in multitudine. Atrium igitur habuit portam Orientalem, habuit Septentrionalem: deinde habuit alias portas, quæ darent facilem aditum populo, atque etiam ipsis Sacerdotibus. Habebant quidem Sacerdotes Atrium interius, quod distinctum erat: sed quum hostias offerrent in altari, oportuit ipsos misceri populo. Hæc igitur ratio fuit cur Atrium distinctum fuerit in plures portas. Dicit nunc Propheta *se delatum fuisse ad ostium portæ*, ita ut non statim penetraverit in partem secretiorem ædis: sed visus est sibi stare ante fores, donec admonuit Deus quid intus fieret. Dicit *illic fuisse sedem idoli*. Quodnam fuerit idolum nescitur, nisi quod Propheta docet fuisse abominabile. Vocat primo *idolum zeli*, deinde adjungit participium, *quod pro-*

voca-

vocaverit Deum ad zelotypiam. Etsi autem tam nomen quam verbum sumitur sæpe in malam partem, Deus tamen affectum zelotypiæ in se transfert, & hac ratione dicit Deuter. 32. Provocarunt me, illic est zelare me fecerunt in non Deo, ego etiam zelare ipsos faciam. Alludit ad zelotypiam mariti & uxoris. Nam si mulier se prostituat, maritus ardet indignatione, & ille est flagrantissimus affectus iracundiæ. Sic etiam uxor vicissim ubi cognoscit maritum suum esse adulterum, abripitur quadam intemperie & excessu. Deus ergo ut ostendat quanti æstimet suam gloriam & cultum, comparat se homini zelotypo, ubi desciscimus ad idololatrias, & cultus adulterinos. Hoc sensu idolum quod erat in vestibulo vel introitu Atrii, vocatur *idolum zeli*, & *idolum quod zelare facit*. Quanquam possemus etiam vertere, erat sedes idoli zelo zelare facientis, ut nomen המקנה sumatur in casu ablativo. Dicitur ergo idolum illud provocasse ad zelotypiam, quod scilicet Judæi erecto illo idolo, quodammodo calcassent Deum pedibus, vel saltem conati fuissent proterere ejus gloriam. Jam sequitur,

Deut. 32. vers. 21.

4. Et ecce illic gloria Dei Israël, secundum visionem quam videram in planitie. (*proprie tamen est vallis*, בקעה, *quia deducitur à scindendo. Nam vallis interposita videtur montes abrumpere, qui alioqui continuo tractu essent conjuncti. Sed capitur etiam generaliter pro planitie qualibet: & prima visio oblata fuit Prophetæ prope fluvium Chebar, ubi nulli erant montes.*)

Jam tantum dicit *se vidisse gloriam Dei, sicuti eam prius aspexerat prope ripam fluminis.* Fuit hoc quasi sigillum prophetiæ. Oportuit enim sanctum virum ita confirmari, ut intrepide sustineret furiosam populi audaciam, deinde obstinationem. Certandum igitur erat cum duris capitibus: ideo non frustra Deus ipsum armavit: & in hunc finem iterum oblata fuit nova visio. Sciebat illam esse gloriam Dei. Ergo perinde est acsi rursus certior fieret, totam hanc actionem divinitus regi, nihil esse humanum, nihil commentitium, nihil etiam fallax aut ambiguum. Sequitur,

5. Et dixit ad me, Fili hominis, tolle agedum oculos tuos ad viam Septentrionis: & sustuli oculos meos ad viam Septentrionis: & ecce à Septentrione ad portam altaris idolum illud zeli in introitu.

Hic una Templi profanatio ostenditur Prophetæ, quod scilicet in vestibulo Atrii prope Altare erectum esset idolum. Continget interdum vitiari cultum Dei, sed leviter, ut corruptela vix appareat. Atqui Propheta dum repetit *idolum illud fuisse Zeli*, significat fuisse crassam turpitudinem spectaculi illius & pudendam, ita ut nullo colore possent obtegere suam impietatem, postquam ita palam & ex professo desciverant à Lege Dei. Sed quum *jubetur oculos attollere ad viam Septentrionis*, hoc etiam ad confirmationem doctrinæ valet. Nam si sponte illuc oculos vertisset Propheta, levior fuisset aspectus: ubi autem Deus expresso mandato ejus oculos dirigit, plus gravitatis habuit objurgatio, quæ postea sequitur. Hæc igitur ratio est cur Propheta non sponte conjecerit oculos suos versus idolum quod facere poterat, sed fuerit à Deo admonitus. Interea apparet quanta docilitate paruerit Dei mandato. Conjunctim hæc duo ponit, quod *jussus fuerit oculos attollere, & statim extulerit.* Videmus ergo fuisse Dei imperio ita morigerum, ut non fuerit cunctatus, quin statim obtemperaret. Dicit *idolum illud fuisse prope portam Altaris:* qua circumstantia exaggerat crimen. Si enim idolum fuisset erectum in remoto aliquo angulo, erat quidem sacrilegium intolerabile: sed plus verecundiæ ostendissent Judæi. Ubi autem coram Altari erigunt idolum, perinde est acsi conspuerent in faciem Dei. Si mulier impudica cursitet post suum adulterum, maritus quidem juste offenditur: verum si ut stomachum moveat marito, adducat adulterum, & lasciviat sub oculis mariti, & sese prostituat ad omnia flagitia: hæc certe tam proterva libido minime ferri poterit. Atqui talis fuit populi audacia, quum erectum fuit idolum prope portam Altaris, perinde acsi Deum è suo solio vellent dejicere, & contaminare ipsum Altare conspectu idoli. Sequitur,

6. Et dixit ad me, Fili hominis, an tu vidisti quod isti faciunt? abominationes magnas, quas domus Israël faciunt (*hoc est, perpetrant*) illic, ut procul recedam à Sanctuario meo? & adhuc converte te, (*id est, convertere*) & videbis abominationes magnas.

Jam conqueritur Deus cum Propheta suo. Et semper notandus est finis, vel reputandum Dei consilium, quia in fine capitis videbimus quam gravem vindictam sumpturus esset Deus de populo. Prævenit ergo obstreperas illas voces, quibus gravabant eum invidia, quum ipsos pro meritis castigaret. Deinde haud dubie voluit exulibus persuasum esse, quod vix concipere poterant, nempe propinquum esse Hierosolymæ excidium. Diximus enim eos qui tracti in captivitatem fuerant, sibi displicuisse, & optasse reditum in patriam. Quoniam ergo ipsis conditio visa fuit nimis molesta & gravis, hac ratione voluit Deus illis testatum fieri, instare ultimam cladem urbis Hierosolymæ. Hoc autem facit, ubi ostendit quantæ abominationes in Templo ipso regnent: quia fieri non poterat, quin tandem ultor gloriæ & cultus sui Deus appareret. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando hucusque tam indulgenter nobiscum egisti, & quum provocatus fueris tot nostris sceleribus, tamen ostendisti te nobis propitium Patrem, ut ne abutamur diutius tua patientia, sed redeamus mature in viam & nos tibi subjiciamus, & vero pœnitentiæ sensu humiliati sic nobis displiceamus in peccatis, ut toto cordis affectu nos tibi addicamus, quo sequamur cursum sanctæ tuæ vocationis: donec confecto hujus vitæ stadio perveniamus in beatam illam quietem, quam nobis unigenitus Filius tuus acquisivit sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SECUNDA
IN
E Z E C H I E L E M.

SUbſtitimus heri in ea ſententia, ubi Deus Prophetam ſuum interrogat ***an non viderit abominationes, quas perpetrabant filii Iſraël*** in ipſo Templo: quibus verbis non modo ſervum ſuum citat teſtem, ſed quodammodo judicem conſtituit: ut omnes cognoſcant vindictam, quæ inſtabat, non modo juſtam eſſe, ſed non poſſe longius differri. Hæc igitur ratio eſt cur Deus Prophetam roget ***an non viderit abominationes.*** Nam ſi mortalis homo cogitur ſententiam proferre, Deus certe qui longe clarius perſpicit quam omnes hominum oculi, non poterit ignoſcere ſceleribus, ubi ad tantam obſtinationem ventum fuerit, ut nihil proficiat ſua patientia. Jam ponitur adverbium loci, quod videtur emphatice poni, quia deſignat Templum, à quo debuerant ſubmoveri omnes ſordes & inquinamenta. Quum ergo conqueritur Deus illic patrari abominationes, amplificat ſcelus populi, quod ne Templum quidem purum maneat. Addit ***ad recedendum.*** Quidam hoc ad populum referunt, & hunc eliciunt ſenſum: eos qui ita pervertunt cultum Dei recedere à Sanctuario, quia nihil illis amplius cum Deo commune eſt. Sed ego potius de ipſo Deo interpretor, quod ſcilicet migrare cogatur è ſuo Sanctuario, quemadmodum poſtea videbimus. Nam quum ita ſuis ſacrilegiis Templum vitiarent, putabant tamen Deum illic eſſe incluſum. Jam renunciat Templo, & dicit ſe relinquere locum illum vacuum & inanem, quia ſcilicet non ſuſtineat habitare inter fœdas illas ſordes. Summa eſt, Deum è Templo ſuo diſceſſurum, quia non vigebat illic integer cultus, quem præceperat in Lege. Et hic locus notatu dignus eſt, quia inde colligimus non poſſe Deum ferre cultus ſui profanationem, quin eos relinquat qui ſuis figmentis ita Legem pervertunt, quemadmodum videmus Judæos feciſſe. Hodie ſcimus quantopere ſuperbiant Papiſtæ cum ſuis figmentis: ſed quo plures fictitios cultus coacervant, eo magis provocant iram Dei. Hinc fit igitur ut fruſtra glorientur ſe illum habere in ſuis templis, quemadmodum exiſtimant. Nam ſemper fixa manebit hæc ſententia, Deum non poſſe habitare in loco profano. Jam nihil aliud locum magis ſanctificat, quam obedientia & ſinceritas fidei. Ubi ergo homines ſua commenta ingerunt, perinde eſt acſi Deum procul à ſe abigerent: hæc eſt ſumma. Jam addit, ***Converte te, & videbis abominationes magnas.*** Vertunt alii, majores: ſed quia inde emergeret quæſtio cur abominationem quæ proxime ſequitur, majorem vocet, deinde alias: ſimpliciter interpretor, Prophetam viſurum alias abominationes magnas. Poſtea quidem aliud exprimet. Dicet enim *verſu 15.*
גדלות מאלה תעבות: ſed ne illic quidem meo judicio ſtatuitur comparatio majoris & minoris: מאלה ſimpliciter interpretor, præter iſtas: & mihi hæc ſimplicitas magis probatur: quia interpretes anxie ſudant quomodo ultima abominatio gravior ſit quam aliæ omnes: quia certe ratio non apparet. Sed nihil opus eſt nobis accerſere has difficultates, quia Propheta tantum de magnis abominationibus loquitur. Pergamus.

7. Et induxit me in portam Atrii: & aſpexi, & ecce foramen unum in pariete.

8. Et dixit ad me, Fili hominis, fode agedum parietem: & fodi in pariete, & ecce porta una.

9. Et dixit ad me, Ingredere, & vide abominationes malas, quas ipſi faciunt.

10. Et ingreſſus ſum, & aſpexi: & ecce omnis ſimilitudo reptilis, & animalis, abominatio, & omnia idola domus Iſraël, depictum (*ſed mutatio eſt numeri, depicta*) in pariete circumcirca.

11. Et viri ſeptuaginta ex Senioribus domus Iſraël, & Jazanias filius Saphan ſtabat in medio ipſorum qui ſtabant coram ipſis, (*idolis ſcilicet*) & viro (*hoc eſt, cuique*) thuribulum in manu ſua: & denſitas nubis ſuffitus aſcendebat.

Hic jam deducitur Propheta in alterum locum, ubi oſtenditur aliud genus abominationis. Si in aliquo tantum receſſu Templi erectum fuiſſet idolum, jam ferenda non fuiſſet impietas illa cum ſacrilegio conjuncta. Sed ubi omnes Templi partes fuerunt contaminatæ talibus ſpurcitiis, hinc colligimus populum fuiſſe penitus deſperatum. Dicit autem Propheta ***ſe deductum fuiſſe in locum ſecretiorem***, & quum illic foramen eſſet, juſſu Dei ſe fodiſſe ut fieret janua, per quam poſſet ingredi. Hoc tantum de viſione debet intelligi. Propheta enim nihil ſecum artulerat, quo poſſet parietem ita perfodere: ſed quum per rimam duntaxat aſpicere liceret abominationem illam occultam, Deus parietem aperuit. Sed videtur ſibi Propheta manibus ſuis januam facere, qua poſſit ingredi. Dicit autem ***illic depictas fuiſſe aves, reptilia, & animalia:*** deinde adjungit ***abominationem, & omnia idola domus Iſraël.*** Videmus non unum duntaxat fuiſſe idolum, ſed magnam turbam. Et certe ſimulac negligitur verus Dei cultus, nullum ſibi modum ſtatuunt homines: non ſunt contenti uno vel altero errore, ſed hinc inde coacervant innumera deliria. Sic ergo ab uno idolo prolapſi ſunt ad ingentem multitudinem filii Iſraël. Interea notandum eſt, idolum illud de quo loquutus eſt, fuiſſe præ aliis deteſtabile. Neque enim abs re vocatum fuit ***zelotypiæ***, quod Deum ad æmulationem accenderet. Probabile igitur eſt, fuiſſe idolum illud aliis nobilius, & habitum in majore pretio & veneratione: quemadmodum increduli habent deos majores & minores. Nunc autem Propheta refert de idolis vulgaribus, quorum magna erat copia, ſed non tantus honor. Dicit autem ***partem illam Atrii fuiſſe plenam circumcirca picturis.*** Certum quidem eſt, ſemper liberum fuiſſe uſum picturæ: ſed Deus voluit Templum ſuum purum eſſe ab imaginibus, ne homines talibus illecebris capti, ſtatim ad ſuperſtitionem deflecterent. Nam ſi in loco profano cernimus hominem depictum, vel animal, non obrepit animis noſtris religio. Omnes enim picturam eſſe agnoſcunt: imo idola ipſa quamdiu ſunt in tabernis vel officinis non coluntur. Si taberna pictoris plena ſit imaginibus, prætereunt omnes: quod ſi oblectationem capiant ex aſpectu, nullum tamen reverentiæ ſignum exhibent picturis. Verum ſimulac pictura tranſlata eſt in alium locum, conſecratio excæcat homines, & rapit ita in ſtuporem eorum mentes, ut non reputent ſe nuper vidiſſe illam imaginem in profana taberna.

Hæc

Hæc igitur ratio fuit cur Deus non admiserit ullas picturas in Templum suum: & certe ubi locus aliquis consecratus est, fieri non potest, quin imago attonitos reddat homines, acsi subesset arcana aliqua divinitas. Quanquam Propheta hic non simpliciter dicit parietes fuisse plenos picturis: sed dicit *fuisse abominationem, & idola domus Israël.* Videmus ergo non tantum ornatus causa parietes fuisse ita depictos, sed quia populus appeteret omnes deos, quorum nomina sciebat apud gentes profanas celebrari. Jam quod jubetur Propheta *parietem perfodere*, hinc colligimus ita sub latebris occultari interdum superstitiones, ut fugiant oculos nostros, etiam ubi eas cernimus. Nam ea est humanæ mentis imbecillitas, ut non facile perspiciat quam abominabile sit Dei cultum vitiare. Sic Propheta per rimam duntaxat conspexit, ita ut non posset judicium certum facere de illis inquinamentis: ideo jubetur *fodere parietem*, perinde acsi Deus moneret, non sufficere tenuem & obscurum aspectum, sed aperiendam esse januam, ut introspiciat & penitus consideret quod alioqui posset sub integumentis illis latere. Jam ubi dicit *se ingressum vidisse omnem similitudinem*, tenendum est memoria quod nuper attigi, nempe hic damnari Judæos, quod sibi undique cooprassent innumeram deorum turbam. Fuit illud valde pudendum, colere reptilia, & animalia bruta. In similitudine hominis fuit speciosus color. Nam Græci qui semper visi sunt sibi præ aliis sapere, & alias omnes gentes barbaras putarunt: tamen decepti fuerunt in idolis, quæ referrent humanam imaginem. Sed bovem, canem & asinum pro Deo colere, illud est nimis turpe & crassum. Videmus ergo quam turpiter excæcati fuerint Judæi, qui Deo permiscuerint bruta animalia cum reptilibus. Porro non mirum est fuisse ita delusos, quia vicina erat Ægyptus, ubi scimus canes, & boves pro diis fuisse habitos, feles etiam: imo nullum fuit genus herbæ, quod non colerent. Quum ergo Ægyptii imaginati fuerint deitatem tam in reptilibus & animalibus etiam immundis, quam in alliis, & cæpis, non mirum est si ob viciniam Israelitæ tracti fuerint in illas decipulas. Sed quum cælestis doctrina viam illis ostenderet, talis cæcitas fuit inexcusabilis, quia non poterant adeo turpiter errare, quin suffocarent, adeoque extinguerent lumen quod oculis ipsorum propositum erat. Sed videmus quo perrumpat hominum audacia, ubi se non continent sub obsequio doctrinæ Dei. Dicit *circumcirca depictas fuisse illas* imagines in pariete, ut iterum confirmet quod diximus: nempe tanta cupiditate flagrasse Judæos, ut non relinquerent locum vacuum, quia ab omni parte volebant sibi ante oculos occurrere figuras illas, quæ ipsorum superstitionem magis magisque accenderent. Dicit autem, *septuaginta ex Senioribus domus Israël fecisse suffitum illis idolis.* Non existimo hic notari septuaginta qui delecti erant populo segendo: non tamen dubito Prophetam ad numerum illum alludere. Scimus ab initio septuaginta præfuisse populo, & delectos fuisse ex unaquaque Tribu, qui coalescerent in unum. Sed quantum ad præsentem locum spectat, existimo poni numerum septuaginta virorum, quamvis non essent præfecti illi, quos vocabant Seniores proprie ob respectum officii, non tantum ob ætatem. Interea tenendum est, Prophetam respicere ad ordinem illum, quia ab initio Deus *Num. 11. vers. 16.* voluerat præfici septuaginta viros, qui gubernacula tenerent. Ita significat Propheta populi duces, qui alios consilio regere debuerant, fuisse quasi antesignanos ad vitiandum Dei cultum. Ponit *Jezaniam filium Saphan*, quem probabile est fuisse virum raræ existimationis. Quum ergo excelleret opinione prudentiæ, & simul pietatis, Propheta voluit exaggerare flagitium, quod ille quoque inter alios suffitum offerret idolis. Quid enim integrum potuit restare in populo, quum ille qui sanctus vir habitus est, ita profanaret se inter alios? Ergo videmus huc tendere Prophetam, totum populum à minimo ad maximum usque fuisse adeo corruptum, ut qui erant præ aliis eximii, sese ad idololatriam prostituerent. Dicit autem *stetisse coram illis, & fuisse unicuique thuribulum in manu.* Suffitus tunc summæ venerationis signum erat: & hoc etiam communi fere usu retentum fuit. Unde sub Euangelii exor- *Plin. Secund. Epistolar. lib. 10. Epist. de Christianis ad Trajanum.* dia, quum impii vellent adigere Christianos ad idololatriam, tantum dabant duo aut tria grana thuris: illud erat defectionis signum: non jubebant flectere genua coram idolis, nec sacrificia offerre, sed tantum adolere pauca grana thuris. In signum ergo venerationis dicuntur septuaginta viri gestasse thuribula, vel acerras. Adjungit Propheta, *& densitas nubis suffitus ascendebat.* Hic subaudio particulam similitudinis. *Suffitus* ergo *ascendebat tanquam densitas nubis.* Neque enim dubito, quin significet largos, vel potius prodigos fuisse in sua dementia, ut nullis sumptibus parcerent: sicuti idololatræ omnia temere profundunt, ubi abripit eos zeli sui intemperies. Et hoc non fuit satis prudenter consideratum. Propheta igitur dicit non vulgarem fuisse suffitum, sed fuisse quasi densitatem nubis, quum scilicet magna copia thus projicerent, ut ita pinguior vel uberior esset oblatio: perinde acsi dixisset fuisse intemperantes in suis superstitionibus, ita ut projicerent copiam thuris, & omnes impensas pro nihilo ducerent, modo satisfacerent suis idolis. Nunc sequitur,

12. Et dixit mihi, An vidisti, fili hominis, quæ Seniores domus Israël faciunt in tenebris, (*in caligine*) quisque in absconditis (*vel penetralibus*) imaginationis suæ? quia dicunt, Non videt nos Jehovah, Deseruit Jehovah terram.

Iterum Deus servum suum interrogat: diximus quo consilio, nempe ut proferat sententiam tanquam judex de sua gente: unde melius liqueat, indignos esse omni venia qui ita Deum provocaverant: *vides*, inquit, *quid faciant Seniores?* honoris causa hic *Seniores domus Israël* non nominat, sed potius perstringit eorum ingratitudinem, quod ita alios in societatem impietatis secum traherent. Nam Seniores debent aliis viam monstrare. Quum igitur ab illis originem duceret profanatio cultus Dei, inde crevit indignitas, & majore probro digni fuerunt. *Vides*, inquit, *quid faciant in tenebris?* Ego ex hac voce colligo fuisse locum illum remotum à vulgi conspectu. Nam erant prope Atrium multæ cellæ,
Jere. 20. vers. 2. 1 Reg. 6. vers. 5. & multa cubicula, quemadmodum apud Jeremiam vidimus. Quum ergo haberent proceres illic sua sacella, non mirum est si locus ostensus fuerit Prophetæ, quem ita inquinaverant suis picturis. Dicit autem eos id facere *in tenebris*, quia habebant arcana sua sacra: quemadmodum etiam apud profanas gentes fuerunt mysteria, quæ non patebant nisi certis hominibus, qui fuerant initiati. Quum ergo non promiscue turba illis mysteriis digna censeretur, ideo probabile est etiam apud Judæos fuisse locum illum, de quo loquutus est Propheta, instar sacelli: quod sibi retinuerant proceres, & qui pollebant aliqua auctoritate in populo. Adjungit, *quisque in penetralibus*, alii vertunt in cubilibus picturæ suæ: ego autem metaphorice משכית accipio pro imaginatione, quemadmodum aliis locis etiam sumitur. Proprie significat picturam: sed transfertur etiam ad cogitationes hominum. Ergo quum loquitur de penetralibus vel absconditis, non intelligo cubicula. Etsi non inficior alludere ad recessus

qui

qui eos à vulgo segregabant honoris causa. Interim simul perstringit flexuosa & perversa consilia, quæ intus fovebant Seniores populi. Nam qui existimant se sapere supra vulgus, habent aliquid reconditum, & turgent fastu abscondito: & ideo dicuntur apud
Jesa. 29. vers. 15. Jesaiam fodere sibi latebras qui Deo illudunt, dum videntur sibi astuti. Nunc ergo tenemus quo sensu Propheta nominet *penetralia imaginationis ipsorum*, nempe quia summæ & singularis prudentiæ esse ducebant habere tales picturas. Fuit hoc rursus quasi prodigiosum, quum Seniores ita sese projicerent ad fœda inquinamenta. Nam apud gentes profanas nulla religio tenuit duces ipsos populi, & capita. Non reperiemus vel apud Græcos, vel apud Latinos quenquam ex præcipuis, & primariis gubernatoribus fuisse implicitum erroribus vulgi: sed simulabant religionem, ut alios tenerent in obsequio. Magna quidem pompa prodibant in medium: deinde simulabant non parvam reverentiam: sed quum domi inter se familiariter agebant, ridebant omnes illas ineptias. Quum ergo omnes gentium cultus fuerint ludibrio habiti ab hominibus acutis, fuit hoc valde detestabile prodigium, *Seniores populi Israël in loco arcano, in penetralibus etiam suarum cogitationum idola sibi fabricare.* Jam causa exprimitur cur illam congeriem deorum sibi accersiverint, nempe *quia putabant se non respici amplius à Deo.* Male exponitur hic locus, quum interpretes existimant Seniores istos fuisse homines Epicureos, qui somniarent Deum colere otium & delicias in cælo. Adducunt alios locos, qui videntur similes, sed verbis duntaxat, quemadmodum ubi in libro Job describitur
Job. 22. vers. 14. multorum impietas, dicit, Putant Deum ambulare super cardines cæli. Sed Propheta restrictius loquitur. Ergo qui locum hunc accipiunt generaliter, extenuant vehementiam doctrinæ, quæ ex his verbis debet elici. Cur ergo sibi tot deos Judæi fabricaverant? nempe quia putabant se non respici amplius à Deo, ut jam exposui. Fuit autem hoc signum fœdæ pravitatis. Deus enim illos variis modis castigaverat: debuerant redire in viam: tantum abfuit ut resipuerint, ut potius frenum momorderint: & ita sibi persuaserint alios deos sibi quærendos esse. Et hæc impietas omnibus seculis grassata fuit. Hodie in Papatu clare apparet: imo potest quasi manibus palpari ab ipsis cæcis. Nam si quando Deus miseros illos castiget, initio suppliciter veniam deprecantur: sed ubi Deus illos magis urget, tunc incipiunt furere, & respiciunt huc & illuc: & habent vulgare proverbium, Nescio cui Sancto me vovere debeam. pueri in Papatu hoc proverbium discunt: senes autem hoc semper habent in ore in rebus perplexis. Hoc igitur vitium nunc perstringit Ezechiel, quum dicit rationem Senibus hanc fuisse, ut coacervarent ingentem deorum turbam, quia putabant se non respici à Deo: *non videt nos Jehovah*, inquiunt. Hic non loquuntur simpliciter de providentia Dei, sed per indignationem queruntur de incuria Dei, quod illorum miseriis non succurrat, quod deseruerit terram, sicuti paulo post sese explicant. Illud enim postea exagitant, quod *Deus terram deseruit.* Videmus ergo non simpliciter loquutos esse contra providentiam Dei, acsi res humanas contemneret: sed fuisse quasi furore accensos, eo quod durius ipsos urgeret manus Dei, nec quicquam amplius auxilii in ipso sentirent. Hinc factum est ut defluxerint ad bruta animalia, ad reptilia, ad varias picturas, ad omne genus abominationis, quia scilicet putabant se frustra unum & verum Deum colere. Sequitur,

13. Et dixit ad me, Adhuc convertere, & videbis abominationes magnas, quas ipsi faciunt.

14. Et deduxit me (*vel introduxit*) ad ostium portæ domus Jehovæ, quod respicit ad Aquilonem: & ecce illic mulieres sedebant lugentes Thammuz.

Tertiam speciem idololatriæ nunc commemorat, qua Templum contaminaverant Judæi: fuit autem hoc vitium peculiare fœminis. Et scimus illas semper fuisse magis addictas talibus præstigiis. Viros quidem plus satis fascinavit Satan: sed in mulieribus semper major regnavit insania, quo ad superstitiones. Habebant igitur quasi muliebrem cultum, ut lugerent Thammuz. Quis fuerit iste Thammuz incertum est. Hieronymus vertit Adonidem. Adonis autem fuit amasius Veneris, ut nugantur Poëtæ, qui discerptus ab apro conversus fuit in florem suavissimi odoris: & in gratiam Veneris mulieres solenni luctu prosequebantur quotannis mortem adolescentis illius formosi: sed mihi non est probabile ritum hunc grassatum fuisse in Judæa, quia in vicinis regionibus non legimus fuisse celebratum hunc luctum, sed in Græcia & Asia minore. Potius igitur refero ad Oziridem. Nam ut dictum fuit, Judæi vicini erant Ægyptiis. Ergo mutuati sunt ab illis varios ritus. Scimus autem fuisse Oziridem apud Ægyptios defletum quotannis: imo accessit major spurcitia. Nam partes pudendas gestabant quasi ferculum in pompa, & vocabant Phallum. Mulieres autem ostendebant etiam sua pudenda idolo, quasi se offerrent ad stuprum. Fuit illud spectaculum valde turpe. Ego autem conjicio Judæos fuisse mutuatos ritum illum, quum mulieres lugerent Thammuz. Hinc autem perspicimus, ubi semel prævaluit Satan, & conjecti sunt homines in reprobum sensum, ut desipiant modis omnibus, imo redigantur ad stuporem plusquam brutum. Quis putaret fieri posse, ut mulieres prolaberentur ad tale flagitium, quum edoctæ fuissent in doctrina Legis à prima pueritia? Quum autem Templum Dei patuit talibus spurcitiis, videmus Judæos ita fuisse excæcatos amentia, ut jam ostenderet Deus signa extremæ suæ vindictæ, quum eousque prolabi passus est.

Da omnipotens Deus, quando nobis certam regulam, quæ fallere non potest, tradidisti, qua te colamus: & Filius tuus perfectus nobis fuit omnis sapientiæ, & solidæ pietatis magister, ut obedienter sequamur quicquid nobis præscribit, neque deflectamus ad dextram vel ad sinistram: sed contenti ea simplicitate, quam ex Euangelio ejus didicimus, pergamus in cursu sanctæ tuæ vocationis, donec tandem defuncti hoc stadio, perveniamus ad integrum statum gloriæ tuæ: & ea sic fruamur, ut transfiguremur in ipsam, quemadmodum nobis pollicitus es per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO VIGESIMA TERTIA IN EZECHIELEM.

15. Et dixit mihi, Fili hominis adhuc convertere, videbis abominationes magnas præ istis. (*vel præter istas.*)

16. Et deduxit me in Atrium domus Jehovæ interius: & ecce ad portam Templi Jehovæ inter vestibulum & inter altare, circiter viginti quinque viri, posteriora eorum versus Templum Jehovæ, & facies eorum versus Orientem: & ipsi adorabant in Oriente Solem.

Hic refert Propheta de alia profanatione Templi, quod scilicet primarii cives Hierosolymæ, & qui debuerant aliis monstrare viam, tamen se prostituerent ad impios cultus. Dicit ergo *se vidisse circiter viginti quinque viros*: & probabile est fuisse totidem ex præcipuo civium ordine. Sed numerus certus pro incerto ponitur: & ego existimo Prophetam non adeo fuisse scrupulosum in hac parte, vel potius Spiritum Dei, qui in visione ostendit numerum illum. Quicquid sit, non tantum in ædibus privatis colebant Solem, sed in ipso Templo, idque non sine insigni & crassa Dei contumelia. Perinde enim erat quum obverterent tergum Sanctuario, acsi Deum ludibrio haberent. Apparet igitur ita fuisse projectæ frontis, ut palam gloriarentur in suis superstitionibus, & quasi ex professo polluerent Templum Dei. Hoc autem fuit prodigiosum videre proceres urbis, & qui erant exercitati in Legis doctrina & cultu, ita esse alienatos ab omni pietate, ut Solem colerent. Neque enim potuit id accidere errore, vel ignorantia. Deus enim
Deut. 17. vers. 3. in Lege sua quum vetat Solem, & stellas colere, rationem simul adjungit quod totus cælestis exercitus creatus sit in usus nostros. Quum igitur Sol sit famulus noster, & Luna ancilla, Stellæ etiam creatæ fuerint ut nobis serviant, nimis præposterum est, ordinem illum divinitus præfixum labefactare, ut Sol qui nobis datus est ut suam operam in usus nostros impendat, sit nobis loco Dei. Quum ergo hoc diserte testatus esset Deus in Lege, nulla fuit erroris excusatio, dum Judæi adorarunt versus Orientem Jam accessit etiam alterum crassius Dei opprobrium, quum *terga Sanctuario obverterent.* Poterant, quemadmodum dixi, domi & in latebris se talibus inquinamentis polluere. Sed dum ultro veniunt in Templum, perinde est acsi Deum consertis manibus provocarent. Jam ubi obvertunt tergum, hæc est non tantum fœda abnegatio Dei, sed contumelia: quasi dicerent Deum indignum esse cujus respectum haberent. Nunc ergo tenemus summam hujus loci. Dicit autem, *convertere adhuc, & videbis abominationes magnas*: alii vertunt majores, ut jam ante exposui. Sed nescio an conveniat. Ego quidem non litigo, sed si ratio quæratur cur hæc abominatio dicatur major aliis, mihi non liquet: ideo simplicius accipere malo in positivo gradu. Nec obstat quod additur מאלה, neque enim semper מ comparative accipitur: sed tantundem, meo judicio, valet acsi dixisset Deus, videbis alias abominationes præter illas, quarum scilicet jam facta fuit mentio. Locum vero Templi designat, ubi Solem colebant, nempe *inter Atrium & altare.* Fuit autem hoc signum nimiæ improbitatis, irrumpere in locum sanctum, & Deum illinc despicere. Jam scimus fuisse signum legitimæ adorationis, quum fideles oculos ad Sanctuarium, & Arcam fœderis conjicerent: ubi autem terga vertebant isti, minime dubium est quin ex professo voluerint gloriari in Dei & Legis contemptu. Jam apparet undique mutuatos fuisse varias & fere innumeras superstitionum species. In Ægypto non viderant Solem adorari, nec legimus etiam cultum illum fuisse in usu apud Chaldæos: sed quia audierunt Persas & alios Orientales populos Solem colere quasi Deum, imitati sunt illorum morem. Videmus ergo hinc inde cumulatos ab illis fuisse cultus, ut facerent quasi immensam congeriem. Sequitur,

17. Et dixit mihi, Vidistine fili hominis? an leve est domui Jehudah, ut faciat abominationes istas, quas fecerunt illic? quia repleverant terram violentia: & conversi sunt ad me provocandum: & ecce ipsi emittunt ramum (*alii vertunt fœtorem*) ad nasum suum. (*sicuti multis placet: mihi autem magis probatur, ad iracundiam suam, ut passive sumatur, nempe pro ira Dei, quam in se accendebant.*)

Conqueritur Deus ut antea de sceleribus populi, præsertim vero de perfida & nefanda defectione, quod ita contaminarent Templum, quod debuerat uni Deo sacrum esse. Adjungit porro aliam querimoniam, quod non contenti fuerint sceleribus, quæ tendebant ad violandam hominum societatem, & jus commune, vel studium mutuæ æquitatis: nisi etiam religio ab illis labefactaretur. Nam sub voce חמס comprehenditur quicquid est contrarium secundæ Legis tabulæ. Est igitur synecdoche in nomine חמס: quasi diceret fuisse addictos fraudibus, rapinis, cædibus, crudelitati, perjuriis, spoliationibus. Quum ergo à nullis injuriis abstinuerint, Me quoque, inquit Deus, jam manifeste provocant: acsi diceret, postquam injusti fuerunt erga homines, nunc cornua audent adversum me erigere. Scimus Legem Dei comprehendi duabus tabulis. Jam quod ad priorem tabulam spectat, præscribit qualis sit verus & purus Dei cultus. Violaverant Judæi secundam tabulam, quum negligerent omnia charitatis officia, quum nulla apud eos vigeret æquitas & rectitudo. *Postquam* ergo *repleverant terram iniquitate*, jam fuit hæc intolerabilis improbitas, quod post homines contemptos aggressi sint ipsum Deum. Videmus nunc rationem contextus. *Estne hoc leve*, inquit? Ita postquam loquutus est de gravitate sceleris simpliciter & per se, ut loquuntur, jam amplificat comparatione, quum dicit, *antehac repleverant terram violentia: nunc autem conversi sunt ut me provocarent: ecce ipsi*, inquit, &c. Notandum etiam est adverbium loci, quemadmodum ante admonui. Fuit enim magis detestabilis impietas, quum in Templum irrumperent, ut illic scortarentur cum suis idolis. Saltem locus ille debuit manere integer & illibatus, quamvis tota terra infecta esset multis inquinamentis. Sed ubi ne Templo quidem parcitur, hoc signum est desperatæ audaciæ & plusquam furiosæ. Repetit ergo adverbium illud quod ante posuerat,

fuerat, & eodem sensu. Quantum ad postremam partem versus spectat, alii הזמורה accipiunt quemadmodum dixi, pro foetore: nescio quid eos moveat. nescio enim an hoc nomen alibi legatur eodem sensu. Sed quia nihil melius illis occurrebat, putarunt hoc esse probabile: & quidam excogitarunt ineptam fabulam, quod oppederent in honorem Solis, quasi ventris crepitus esset gratum obsequium idolo, quum scilicet hoc modo Deum palam spernerent. Sed hæc sunt commentitia. Rectius sentiunt alii, qui metaphorice putant hoc esse positum. Nam solebant suffitum facere suis idolis. Itaque secundum ipsos alluderet Deus ad odorem gratum & suavem, quum foetorem nominat: quasi diceret, etiamsi placeant sibi Judæi in suis superstitionibus, odorem tamen suffitus plusquam foetidum esse, idque tandem sensuros. Nam si de naribus loquatur, id referri debet ad poenam. Quanquam sunt qui relativum tertiæ personæ fingunt esse positum pro relativo primæ personæ: acsi diceret Deus, ad nasum meum, vel ad iracundiam meam: & insipidum commentum fabricant, quod hic locus mutatus fuerit à Rabbinis propter Dei reverentiam: quasi scilicet non innumeri loci occurrant, ubi Deus pronunciat clarioribus verbis se fuisse probrose despectum. Sed primo, quia nomen hoc proprie significat ramum, & pluribus locis in eo sensu accipitur: deinde quum nomen אף possit exponi tam passive quam active: contextus optime fluet, si dicamus *eos emisisse ramum in suam iracundiam*, hoc est, in perniciem suam, quia Deum provocarunt. Quid autem significat ramum emittere? nempe quod ita coacervarint mala malis. Violaverant, ut dixi, secundam Legis tabulam, fuerant fures, & rapaces, perjuri, & violenti. Jam postea furor etiam ipsorum grassatus est contra priorem Legis tabulam, ut everterent totum Dei cultum. Sic ergo non male conveniet *ramos fuisse emissos.* Nam accipitur numerus singularis pro plurali, ut satis frequenter. Quum ergo ita emiserint ramos, vel pullulaverint, dicit Deus hoc fore in ipsorum perniciem, quia tandem ubi diu illis pepercerit, postquam advenerit opportunum tempus poenæ, ipsos consumet. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta. Si vero magis placeat altera sententia, liberum sit cuique judicium: non contendo, sed ostendo quid mihi magis sit probabile. Sequitur,

18. Ego etiam (*ego quoque*) vicissim faciam in iracundia mea: non parcet oculus meus, & non miserebor: & quum clamaverint ad aurem meam voce magna, non audiam ipsos.

Videtur mihi esse confirmatio proximi membri. Dixerat enim ramos suos emittere, vel projicere, sed in perniciem. Jam idem repetit aliis verbis. *Itaque faciam ego quoque vicissim*, hoc est, sicut ipsi audacter nunc accumulant suas superstitiones, & ita me subinde provocant, *tandem faciam*, inquit. Subest tacita antithesis, quod scilicet Deus cessaverit longo tempore, quia ubi supersedet à suis judiciis est quædam forma quietis: videtur Deus quiescere ubi non ulciscitur hominum scelera, ubi illis indulget & connivet ad tempus. Quoniam ergo ita suspenderat judicia sua adversus Judæos, visus fuerat otium colere in cælo: hoc respectu dicit *se facturum in iracundia sua*: & adjungit tam diram fore ultionem, ut non sit futurus locus misericordiæ. Hoc autem nos penitus concutere debet, ubi Deus pronunciat se fore implacabilem. Quid enim magis formidabile, quam habere Deum infestum & quidem sine ulla spe veniæ? Quoties ergo Deus misericordiam suam aufert, materiam contremiscendi nobis ostendit: nec mirum est fuisse tam duriter minatum Judæis, quia modis omnibus expertus fuerat ipsos esse desperatos in sua malitia. Nam certe nihil omissum fuerat ad ipsos sanandos, nisi fuissent perdito ingenio, & moribus plusquam obstinatis. Quoniam ergo tales erant, non mirum est si Deus contra ipsos succensuerit ad extremum, ut nullam relinqueret spem veniæ. Hoc autem generaliter referri debet ad totum populi corpus: interea minime dubium est, ut paulo post videbimus, quin Deus eximat à vulgari numero suos electos. Si quis objiciat, Deum semper exaudire preces, respondeo nunquam respui preces, quæ ex fide nascuntur: sed hic agitur de tumultuoso clamore, quem necessitas exprimit incredulis. Etsi enim confugiunt ad Deum, ut sensus naturæ illis dictat, non tamen compositis animis hoc faciunt, neque etiam freti Dei promissionibus: sed quia cruciatus animi non patitur ipsos quiescere, ideo quod naturaliter illis insitum est, feruntur ad Deum, & ad ipsum clamant, sed absque fide & sincero affectu. Loquitur ergo de illo ejulatu, qualis describitur nobis in persona Esau: & ideo dicit *voce magna*. Etsi enim fideles vocem attollunt, imo vociferantur pleno gutture, quemadmodum testatur de se David: tamen hoc proprie incredulis convenit, evomere plenis buccis suos clamores, quum tamen animus fide vacuus sit, atque adeo constrictus in sua malitia. Cor ergo non aperiunt ubi ita clamitant ad Deum. Itaque nihil mirum si Deus ipsos repudiet, & surdus sit ad ipsorum querimonias. Nunc sequitur,

Genes. 27. vers. 34. Psal. 3. vers. 5. & 22: 3. & 32: 3. & alibi sæpius.

CAP. IX.

ET clamavit voce magna in aure mea, (*hoc est, me audiente*) dicendo, Appropinquate (*alii appropinquarunt, in præterito tempore: sed videtur mihi melius quadrare altera versio, quod Deus jubeat appropinquare: appropinquate ergo*) præfecturæ (*alii vertunt visitationes*) urbis: & quisque (*habeat, subaudiendum est*) instrumentum perditionis suæ (*hoc est, instrumentum bellicum, quo perdat*) in manu sua.

Jam modus exprimitur ejus vindictæ, cujus paulo ante fuit facta mentio. Dicit ergo Propheta *Deum clamasse*, ita ut imperium ejus accerseret Chaldæos, qui futuri erant exequutores vindictæ: & ideo mihi magis placet modus imperativus. *Appropinquate ergo.* Qui in præterito tempore legunt, dicunt Visitationes, nec possunt aliter: quia nullus sensus posset elici, Appropinquasse præfecturas urbis. Sed si legimus in modo imperativo, sensus optime conveniet, *Appropinquate præfecturæ*: res autem accipitur pro personis, vel potest subaudiri nomen virorum: & ita פקדות sumetur in genitivo casu. Quantum ad summam pertinet, Deus jubet ministros suos quos præfecerat urbi perdendæ, *appropinquare*, vel se accingere, vel adesse præsto ad opus implendum: *& habeat*, inquit, *quisque instrumentum suæ perditionis*: hic active sumitur perditio. Neque enim intelligit Deus armatos fore in suam perniciem Chaldæos: sed armatos fore, ut Judæos perdant, & urbem ipsam diruant. Sequitur,

2. Et

2. Et ecce sex viri venientes à via portæ superioris, (*vel excelsæ*) quæ est è regione Aquilonis: & cuique (*viro, ad verbum*) instrumentum mallei sui (*vel confractionis suæ*) in manu sua: & vir unus in medio ipsorum vestitus lineis, (*veste linea*) & atramentarium scribæ in lumbis ejus: & venerunt, & steterunt è regione altaris ænei.

Nunc recitat Propheta non fuisse illud mandatum Dei irritum, vel inane, quia statim apparuit effectus per visionem. Itaque oblati sunt sex viri. Cur iterum sex nominet potius quam plures vel pauciores, mihi non est compertum. Nam qui citant caput 39. *Jere. 39. vers. 3.* Jeremiæ, ubi referuntur octo duces, qui erant in exercitu Nabuchadnezer, & quorum prima erat auctoritas, primum variant in numero: deinde torquent se multis modis. Ego itaque non sum ita anxie curiosus, nec videtur mihi hoc ad rem facere: nisi forte ostendere voluerit Deus servo suo, sufficere exiguam manum neque opus esse copioso exercitu: vel per sex homines confuse designavit totum exercitum. Certum quidem est, Nabuchadnezer venisse instructum ingentibus copiis ad urbem perdendam: sed interea voluit frangere Deus superbiam illam & contumaciam populi, quum tantum ostendit servo suo sex homines, qui poterant totam urbem perdere. Dicit ergo, *venisse à porta, aut à via portæ excelsæ*, vel superioris, quæ erat versus Septentrionem, quia scilicet Babylon ad plagam illam vergebat respectu Hierosolymæ. Apparet igitur hic notari Chaldæos, quibus rectum erat iter per illam portam quum à Septentrione ascenderet contra Hierosolymam. Dicit fuisse *cuique viro instrumentum mallei*, vel contritionis. Deducitur nomen hoc à נפץ quod est disperdere, & conterere. Ergo tam pro malleo potest accipi quam pro ipso actu. Minime dubium est quin Propheta significet imperium Dei non caruisse prompto effectu: quia simulac clamavit, præsto fuerunt sex viri hauddubie ad obsequium: quod deinde clarius exprimit quum dicit *ipsos stetisse è regione altaris*. Nam signum fuit promptitudinis ad exequenda Dei mandata quum sisterent se coram altari. Hic autem locus notatu dignus est, quia admonet quam sollicite excipere nos oporteat omnes Dei minas, quæ ut plurimum apud nos frigent. Ut ergo discamus expergefieri à torpore nostro, hic quasi in speculo nobis proponitur conjunctio vindictæ Dei cum minis. Simul enim ac loquutus est, videmus fuisse in ejus conspectu sex viros, qui armati erant & instructi ad urbem diruendam. Prophetæ autem voluit Deus ostendere hanc visionem, quia negotium erat cum duro & stupido populo, ut ante vidimus. Vox igitur Dei fuit quasi ultima denunciatio: quemadmodum si quis tuba clangat, & denunciet nullam fore spem veniæ nisi statim se dedat hostis. Sic ergo *clamavit Deus voce magna*, sed non fuit hoc inane terriculamentum, quia simul adjunxit ipsam exequutionem, dum apparuerunt sex viri coram altari. *Altare* autem *æneum* vocat quod Solomo extruxerat ex quadratis lapidibus. Ne- *1 Reg. 8. vers. 64.* que enim poterat altare æneum sufficere: sed respicit ad primam originem. Jam dicit inter illos *fuisse virum unum indutum veste linea*. Non ponitur hic in turba, quasi fuerit unus ex reliquis, sed separatur, quia distincta est ejus ratio. *Vir* ergo hic hauddubie sustinuit personam Angeli: & satis tritum est in Scriptura, Angelos ubi sumpserunt visibilem formam, vocari homines: non quod reipsa homines fuerint, sed quia Deus induit ipsos talibus formis, quoties visum fuit. Quidam restringunt hoc ad Christum, quorum sententiam non prorsus repudio. Sed quia Propheta nullas apponit insignes notas, ideo malo accipere generaliter de quolibet Angelo. Dicit ergo fuisse inter Chaldæos, qui parati erant ad exequendam Dei vindictam, *virum unum indutum lineis vestibus*. Tribuitur Angelis semper aliqua nota quæ ipsos ab hominibus discernat. Vestis linea fuit tunc in singulari ornatu. Et sacrifici Papales ut fuerunt simiæ, imitati sunt perperam morem illum in suis Superliciis, quæ vocant. Sed quum solerent Sacerdotes indui vestibus lineis, ideo Angelus etiam oblatus fuit Prophetæ sub tali habitu. Jam pergamus, quia ex proximo versu patebit quorsum facta fuerit Angeli illius mentio.

3. Et gloria Dei Israël ascendit (*vel sublata est*) à Cherub super quem residebat, (*ad verbum, quæ erat super ipsum*) ad limen domus: & clamavit ad virum indutum vestibus lineis, cujus atramentarium scribæ in lumbis erat.

4. Et dixit Jehovah ad ipsum, Transi per medium urbis, per medium Hierosolymæ: & signa signum super frontes virorum qui gemunt & clamant super omnibus abominationibus quæ patrantur in medio ejus.

Jam ostendit Propheta quorsum adjunctus fuerit Angelus Chaldæis, nempe qui frenum illis injiceret, ne promiscue & absque delectu sævirent contra electos & reprobos. Est autem hic insignis locus, quia ex eo primum discimus Deum efficaciter minari impiis, ita ut habeat ministros semper præsto ad obsequium: deinde etiam incredulos militare sub Dei auspiciis, & regi ejus nutu, & nihil agere nisi pro ipsius arbitrio. Neque enim frustra dicuntur Chaldæi venisse ad Templum, ut se sisterent coram Dei altari. Non refertur quidem id in eorum laudem, quasi sponte Deo paruerint, vel propositum ipsis fuerit operas suas ejus mandato addicere: sed agitur hic de arcana Dei providentia. Quamvis ergo Chaldæi laxaverint frena suæ libidini, nec putaverint se gubernari divinitus: Deus tamen hic pronunciat esse sub sua manu, acsi ipsos haberet conductitios *Job. 1. vers. 6.* milites: quemadmodum dicitur Satan comparuisse inter filios Dei: non fuit hoc voluntarium obsequium, sed quia non potuit quicquid machinaretur, aggredi sanctum virum Job, nisi Dei jussu. Filii Dei longe alio modo apparent, nempe ut liberale obsequium offerant, quemadmodum cupiunt Ipsum solum regnare. Verum quamlibet magnum sit discrimen inter filios Dei, & Satanam, ac omnes reprobos; hoc tamen in genere verum est, Satan & reprobos parere Deo. Hoc ergo secundo discendum est. Sed tertio docemur Deum nunquam temere exercere suam vindictam, quin parcat suis electis. Hac ratione habuit Angelum in clade Hierosolymæ, qui opponeret veluti clypeum Chaldæis, ne ultra grassari posset eorum crudelitas, quam placebat Deo, sicuti iterum paulo post videbimus. Ideo dixi locum esse insignem, quia ubi Deus profert iræ suæ signa, cælum quodammodo obnubilatur, & illic terrentur imo pavore attoniti exanimantur fideles non minus quam increduli. Nam quod ad externum statum, nihil etiam differunt alii ab aliis. Quia ergo objicitur terror filiis Dei, qui omnem sensum gratiæ Dei obscuret in rebus adversis, ideo diligenter hæc doctrina tenenda est, nempe quum Deus laxat habenas furiosis hominibus, ut omnia dissipent, evertant, & in nihilum redigant, semper Angelos esse conjunctos, qui occulto freno cohibeant eorum intemperiem, quibus alioqui nulla esset moderatio. Dicit ergo *gloriam Dei Israël ascendisse à Cherub ad limen*.

limen. Gloriam Dei accipit pro ipso Deo, ut colligere promptum est ex proximo versu. Dicit enim Jehovam ipsum loquutum esse. Sed hæc loquutio optime convenit, quia non potest à nobis comprehendi Deus, nisi quatenus se attemperat ad nostrum modulum. Quia ergo Deus in se incomprehensibilis est, neque apparuit Prophetæ suo qualis est (quando ne Angeli quidem ferunt immensam gloriæ ejus magnitudinem, multo minus mortalis homo) sed quatenus sciebat expedire: ideo Propheta sumit hic gloriam ejus pro ipso, hoc est, visionem quæ signum vel symbolum erat præsentiæ Dei. Dicit autem *ascendisse à Cherub.* Hic etiam est numeri mutatio, quia dicitur passim Deus sedere inter Cherubim. Hic autem ponitur tantum unus Cherub. Sed hæc figura propter tritum usum satis recepta est. Residebat ergo Deus inter Cherubim: dicitur *inde venisse ad limen Templi.* Fuit autem præludium migrationis de qua postea videbimus. Et hoc testari Judæis necesse fuit, quia putabant Deum esse inclusum in Templo visibili. Ostendit ergo Propheta Deum non esse affixum loco, ut illic manere cogatur. Hæc ratio est cur dicatur *venisse à sede sua ad limen Templi.* Jam addit *clamasse ad virum qui indutus erat vestibus lineis, & cui erat super femur atramentarium:* quanquam vertunt alii pugillares. Sed quia postea dicitur, *scribe in frontibus*, verisimile est fuisse atramentarium in zona ejus, ut posset notare omnes Dei electos, ne eos attingerent Chaldæi. Iterum Angelum vocat hominem, sed propter formam quam induerat, ut prius dixi. Non possem longius prosequi.

2 Sam. 6. vers. 2. 2 Reg. 19. vers. 15. Jesa. 37. vers. 16.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es tam familiariter ad nos accedere, ut vicissim etiam ad te accedere studeamus, & manere in firma & sancta conjunctione: ut dum perseveramus in legitimo cultu, quem nobis verbo tuo præscribis, etiam crescant erga nos tua beneficia, donec ad plenitudinem nos perducas, quum nos colliges in regnum tuum celeste, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUARTA

IN

EZECHIELEM.

COEpimus exponere præceptum quod datum fuit Angelo antequam Deus emitteret Chaldæos ad urbem excidendam, & homines perdendos. Jubetur in summa Angelus signare frontes omnium piorum. Sed nomen תו, quod tantundem valet ac signum, multi accipiunt pro ultima litera: & tamen nulla est ratio quæ ipsos cogat. תו est signum Hebræis: jam hic comminisci argutum aliquod commentum, signari litera illa piorum frontes, quod nomen תורה, quod significat doctrinam Legis, ab eadem litera incipiat, hoc est puerile. Hieronymus affert aliud figmentum: dicit suo tempore apud Samaritanos literam ת fuisse instar crucis, qua tunc se Christiani solebant signare. Sed omnes vident quam illud sit nugatorium. Quanquam non erat figura quæ hodie in usu est apud Papistas: sed erat insigne quod usurpant Fratres Antoniani. Tamen illud omitto, & est indignum relatu. Si placerent argutiæ, melior esset ratio signari fideles ultima litera, quia sunt postremi inter homines, & quasi mundi quisquiliæ. Quum ergo ab initio mundus filios Dei pro nihilo duxerit acsi essent rejectitii, ideo dixi posse signari eos ultima litera. Sed contenti simus simplici & genuino Prophetæ sensu. Jubet ergo Deus signari frontes suorum. Heri exposuimus causam, ac diximus posse utilissimam doctrinam colligi ex hoc loco, nempe ubi omnia videntur misceri in terra, & sursum ac deorsum volvi, Deum tamen nunquam abjicere suorum curam, quin ipsos protegat ab omni noxa. Semper ergo temperat Deus sua judicia, ut reipsa probet sibi charam esse & pretiosam suorum salutem. Colligimus etiam Angelos hujus gratiæ ministros esse, quia excubant pro salute fidelium, quemadmodum passim testatur Scriptura. Jam si quis roget quale fuerit hoc signum, simpliciter respondendum est, hanc visionem oblatam fuisse Prophetæ pro communi omnium sensu. Nam si velimus paucos discernere in turba, opus erit signo aliquo. Deus ergo hic ex hominum consuetudine mutuatur quod legimus de signo. Neque enim aliter caperent fideles se esse extra telorum jactum, quum sint permixti incredulis. Quia ergo videtur communis esse omnium conditio, possent terreri simulac Deus manum erigeret ad castiganda peccata. Ergo eos hic dicit, quodammodo signatos esse. Verum quidem est nos hodie gestare signum, quo Deus nos discernit à reprobis. Nam Christi sanguis reconciliat nos Patri, ut satis notum est: sed illud etiam posset esse nimis argutum. Verum etiam est, quum Deus percuteret terram Ægypti, Israëlitas fuisse præteritos ab Angelo, quoniam erat aspersus sanguis agni in postibus. Quæcunque ergo domus habebant sanguinis notam, salvæ fuerunt & incolumes, quum grassata fuit Dei vindicta super omnes Ægyptios. Sed quod ad præsentem locum spectat, sic interpretor, ubi Deus licentiam permittit incredulis, ita ut videantur totum mundum posse evertere, Angelos simul emitti, qui prohibeant illorum libidinem, ne attingant filios Dei. Hoc igitur nobis satis sit. Jam Propheta ornat variis elogiis fideles, quum dicit, *super frontes hominum gementium & clamantium:* est concinna similitudo inter hæc duo verba אנך, & אנח: sed alterum scribitur per ך finale, alterum vero per ח. Dicit autem *fideles gemere super abominationibus*, deinde *clamare:* sic enim vertunt posterius membrum: quanquam potest etiam accipi pro lugere, modo intelligamus luctum externum, & qui palam apparet. Hinc colligimus quomodo Deus nos recipiat in suam tutelam, & nobis mittat Angelos custodes, nempe si permixti impiis, nos tamen servamus impollutos ab eorum sordibus: deinde ubi non possumus scelera corrigere, testamur tamen luctu & mœrore nobis displicere. Apostolus quum nobis commendat patientiam Loth, dicit cruciasse cor suum quamdiu habitavit Sodomæ. Non poterat unus homo & extraneus revocare ad sanam mentem perditos illos, qui se projecerant ad omnem nequitiam. Atqui non obduruit ad fœditatem tot scelerum, sed assidue gemuit coram Deo, & fuit in perpetuo luctu. Idem etiam nunc testatur Propheta de aliis fidelibus. Quicquid sit, Deus hic ostendit quales velit esse filios suos. Itaque si fingimus nos probare impiorum scelera, & dum captamus eorum gratiam, illis applaudimus, frustra gloriamur nos esse filios Dei: quia non reputat inter suos qui non gemunt ad abominationes. Et certe hoc signum est nimiæ socordiæ, ubi videmus sacrum Dei nomen subjici ludibriis, ubi videmus everti omnem ordinem, nullo nos dolore affici. Nec mirum si scelerum pœnis implicamur, quæ nostra conniventia alimus: tantum abest ut nos crucient. Nam tenenda est illa exhortatio, ut zelus domus Dei comedat nos, & opprobria expro-

Psal. 91. v. 11, 12. & alibi sæpius.

Exod. 12. v. 21, 23.

2 Pet. 2. vers. 7.

Psal. 69. vers. 10.

Psal. 137. vers. 6. exprobrantium Deo cadant super nos: sicut & alibi dicitur, Adhæreat lingua mea palato, nisi memor sim tui Jerusalem in capite lætitiæ meæ. Ergo ubi videmus ab una parte Dei nomen quasi pedibus calcari, violari omnem justitiam: videmus ab altera parte Ecclesiam Dei misere & crudeliter affligi: si securi ridemus, hoc ipso satis ostendimus nihil nobis esse commune cum Deo, ac proinde frustra illum vocamus Patrem. Itaque notanda sunt hæc elogia, quibus Propheta insignit omnes Dei electos, quum dicit, *quicunque gemunt super abominationes*: deinde addit verbum *clamandi*, quo melius exprimat vehementiam, & ardorem zeli: perinde est acsi diceret, non sufficere tantùm gemitum, sicuti multi in angulo gemunt, ubi vident ita perverti totum Dei ordinem: sed quum prodeunt in lucem, & in conspectum hominum, non audent aliquod signum dare minimæ suspicionis, quia nolunt incurrere in odia & malevolentiam. Propheta ergo hic plus exigit à filiis Dei quam arcanum gemitum, ubi vult eos palam gemere & vociferari, ut testentur se abominari quæ Deus Lege sua damnavit. Jam sequitur,

5. Illis autem dixit in auribus meis, Transite per civitatem post eum, percutite: & ne parcat oculus vester, & ne misereamini.

6. Senem, adolescentem, puellam, puerum, & mulieres percutite ad internecionem: tamen ad omnem virum super quem fuerit signum, ne accesseritis, (*vel ne attigeritis quicunque gestabunt signum*) & à Sanctuario meo incipite. & inceperunt à viris Senioribus qui erant coram domo.

Jam adjungit Propheta emissos fuisse Chaldæos, qui urbem cum incolis delerent. Sed tenenda est series, quod jubentur *ire post Angelum*. Præcedit ergo Dei gratia in salutem omnium piorum: deinde aperit januam, & viam longe ac late patefacit iræ suæ postquam exemit fideles ab omni periculo: hac ratione dicitur, *transite per urbem, sed post eum*. Et
2 Cor. 10. vers. 6. id etiam significat Paulus, quum dicit, Postquam impleta fuerit obedientia vestra, tunc in promptu est nobis vindicta contra omnes rebelles & superbos, Deus ergo in primis suorum habet curam: sed postquam eos recepit in fidem suam, ut quasi sub alis ipsius lateant, tunc permittit accendi ignem suæ vindictæ adversus omnes reprobos. In summa, videmus quoties Deus ulciscitur scelera hominum, respicere suam Ecclesiam, & peculiari cura dignari omnes, qui vero & serio pietatis zelo præditi sunt. Jubet autem *percutere, ita ut oculus ipsorum non parcat*: quod sibi sumpserat Deus transfert ad Chaldæos, quia oportet esse consensum inter Deum & omnes ejus ministros etiam qui voluntarii non sunt ad parendum, sed quos arcano suo instinctu huc & illuc flectit. Exprimit deinde clarius, *ne parcant vel senibus, vel adolescentibus, vel pueris*, vel puellis: quasi diceret promiscue sæviendum esse contra omnes nullo delectu vel ætatis, vel sexus. Nam mulieres hic viris opponit, quia sexus ille ad misericordiam flectit etiam crudelissimos quosque. Et scimus ubi cæduntur masculi, servari tamen fœminas. Jam puellæ videntur tenere potiorem gradum, pueri etiam: senes autem decrepiti, quia ab illis nihil metuendum est, etiam incolumes servantur. Sed Deus vult Chaldæos ita grassari per totam urbem, ut non respiciant vel ætatem, vel sexum. Interea excipit fideles de quibus loquutus fuerat, *super quemcunque erit signum, ne ad eum accesseritis*. Hic quæritur, an intacti fuerint omnes boni à clade? Scimus enim Jeremiam fuisse tractum in Ægyptum, cui tamen potius fuisset in Chaldæa exulare. Jam ante ipsum abreptus fuerat Daniel una cum sociis: multi fideles fuerunt in illa turba. Ex opposito vidimus multos Dei contemptores vel fuisse elapsos, vel relictos in terra, sicuti Nabuchadnezer voluit illic manere
Jere. 39. vers. 10. & 43. v. 2. 3. 4. & 44 v. 15. 16. fæcem plebis. Vidimus autem apud Jeremiam quales fuerint. Sequitur ergo neque Deum omnibus electis pepercisse, neque fuisse discrimen habitum pro signo, quia reprobi adepti sunt salutem sicuti fideles. Sed notandum est, quamvis Deus in speciem communiter suos cum reprobis affligat, ipsos tamen discerni, ut nihil accidat quod tandem non cedat in salutem. Quum ergo vetat Deus Chaldæos accedere ad fideles, non intelligit ipsos fore immunes ab omni molestia vel incommodo, sed promittit ita fore separatos à reprobis, ut tandem agnoscant certa experientia nunquam Deum fuisse oblitum suæ fidei, & promissionis. Nunc ergo tenemus quomodo nodus ille solvendus sit, quamvis scilicet Deus non parcat suis, quin exerceat ipsorum fidem & patientiam, parcere tamen ne quid ipsis lethale accidat: parcere denique ut sit semper ipsorum custos. Ubi autem videtur veniam dare impiis, hoc illis cedit in exitium, quia redduntur magis ac magis inexcusabiles. Et hoc etiam hodie experientia docet. Nam videmus optimos quosque ita affligi, ut judicium Dei ab illis incipiat. Videmus interea multos reprobos lætitia exultare, etiam ubi contra Deum proterve insurgunt. Sed Deus habet suorum curam acsi essent signati, & discernit eos à reprobis: reprobos autem manet suum exitium, quo jam impliciti tenentur, quamvis oculis id nondum cernatur. Sequitur, *A Sanctuario meo incipite*. Per nomen Sanctuarii hauddubie intelligit Sacerdotes & Levitas: & illorum etiam gravior erat culpa. Fuit quidem exiguus aliquis numerus, qui Deum pure coluit & perstitit in officio: sed major pars defecerat à cultu Dei. Hic ergo locus debet intelligi de impiis Sacerdotibus; qui Deum & ejus servos contempserant. Nec mirum est, vindictam Dei ab illis incipere. Bis enim peccant: quia si quis privatus labatur, non tantopere nocet exemplo, sicuti qui eminent, & ita quasi omnes trahunt in eandem ruinam. Scimus enim conjectos esse vulgi oculos in proceres. Quum ergo Sacerdotes gravius peccassent quam omnes reliqui, non mirum est si Deus etiam illos primo loco ad pœnam trahat. Qui generaliter exponunt hanc sententiam, acsi Deus juberet Chaldæos incipere à sua Ecclesia, nimis extenuant Prophetæ sensum. Neque enim hic fit comparatio inter Ecclesiam Dei & exteras & profanas gentes: sed confert potius Deus ministros Templi sui cum hominum vulgo: & sequitur continuo post expositio clarior *quod cœperunt Chaldæi à viris Senioribus, qui erant coram domo*, hoc est, qui præfecti erant Templo. Jam sequitur,

7. Et dixit ad eos, Polluite (*vel contaminate*) domum, & implete Atria occisis. Egredimini: & egressi sunt, & percusserunt in urbe. (*hoc est, cædem fecerunt vel stragem in urbe.*)

Hic repetit Deus quod breviter & obscure prius attigerat, nempe frustra confidere Judæos Templo visibili, quia jam illic non habitet, sicuti postea videbimus ipsum migrasse. Promiserat illic sibi fore Psal. 132. vers. 14.
perpetuum domicilium: sed non obstitit ea promissio, quo minus ad tempus stationem illam desereret.

Nunc ergo hanc sententiam attingit, quum jubet Chaldæos *polluere ipsum Templum.* Atqui jam pollutum erat, dicet quispiam: fateor: sed respicit ad communem populi sensum. Tametsi enim suis sceleribus Judæi infecerant Sanctuarium Dei, gloriabantur tamen illic adhuc manere ejus cultum, & sacrum nomen. De alio itaque genere pollutionis nunc loquitur, nempe ut *Chaldæi impleant tota Atria occisis.* Si conspectum fuisset cadaver hominis, vel etiam canis in Sanctuario, hæc erat intolerabilis profanatio: omnes clamassent esse portentum. Atqui quoties ingrediebantur Templum etsi ingerebant coram Deo sua scelera (veniebant enim illuc polluti sanguine, rapinis, fraudibus, perjuriis, omni denique congerie scelerum) illas tamen omnes pollutiones ducebant pro nihilo. Deus ergo hic oblique subsannat eorum socordiam, quum dicit frustra ipsos jactare Templi sanctitatem, quia tandem videbunt impleri cadaveribus, & tunc reipsa agnoscent Templum non esse amplius ita sacrum. Nunc ergo tenemus consilium Spiritus sancti. Subjicit *egressos fuisse, & editam ab illis fuisse stragem in urbe.* Hic rursus Propheta ad incutiendum Judæis terrorem ostendit præsto adfore Chaldæos simulac Deus ipsis mandaverit, ut urbem excindant, & occidant omnes incolas. Forte urbs nondum tunc erat obsessa, & id probabile est. Putabant igitur fabulosum esse Judæi quod minitabatur Ezechiel. Hac ratione dicit sibi apparuisse Chaldæos, ut audirent Dei mandatum vel exciperent: deinde *reversos fuisse à cæde*, ut probarent Deo suum obsequium. In summa, intelligit minas Dei non fore inanes, quia simulac tempus maturum advenerit, paratum etiam erit obsequium exercitus Chaldaici. Sequitur,

8. Et factum est quum percuterent relictus fui ego: & cecidi super faciem meam, & clamavi, & dixi, Ahah (*vel heus*) Dominator Jehovah, an delebis tu quicquid residuum est Israelis, (*omnes reliquias Israelis*) fundendo iracundiam tuam super Jerusalem?

Propheta non adeo anxie servat historiæ seriem in verborum contextu. Dicit enim, *reversos fuisse Chaldæos*: postea subjicit, *quum percuterent urbem se cecidisse super faciem suam.* Sed scimus hoc satis tritum esse Hebræis, ut posteriore loco narrent quod prius gestum est. Quanquam videtur Propheta *cecidisse super faciem suam* paulo ante reditum, ubi scilicet agnovit urbem jam prope deletam esse. Dicit autem *quum illi percuterent se fuisse relictum.* Putant verbum compositum esse ex præterito & futuro tempore, quia non potest ratio grammatica ferre, ut sit unum & simplex verbum. Quanquam videtur etiam compositum esse verbum ex prima & tertia persona: quasi diceret se fuisse relictum solum quum omnes alii perirent. In sensu tamen nulla est ambiguitas: Nam significat, Chaldæos ita passim fuisse grassatos, ut nihil reliquum facerent. Quum ergo tam atrociter sævirent in totam multitudinem, visus est sibi Propheta solus manere, acsi Deus illum eriperet ex horribili incendio, quo volebat totum populum consumi & perire. Jam si quis objiciat, non omnes fuisse occisos, responsio est: editam fuisse stragem, quæ fere deleret nomen populi: deinde qui fuerunt superstites similes fuisse mortuis, quia exilium fuit illis deterius morte ipsa. Postremo notandum est, vaticinium hoc extendi ad ultimam pœnam, quæ tandem reprobos manet, quamvis Deus ad tempus conniveat, vel etiam modice illos castiget. In summa, Prophetæ ostensa fuit clades urbis, acsi funditus omnes cives perirent. Et ita voluit Deus ostendere quam terribile instaret populo exitium, quod tamen nullus timebat. Jam quod Propheta *in faciem suam cecidit*, testimonium fuit humani affectus, quo populum licet indignum prosequutus est. *Cecidit* ergo *in faciem suam* tanquam deprecator. Scimus enim fideles quum suppliciter petunt veniam à Deo,
Psal. 102. vers. 1. in faciem suam procidere. Dicuntur etiam projicere suas preces humilitatis causa, quia indigni sunt qui verba sua sursum dirigant & vota. Ergo Ezechiel ostendit se fuisse deprecatorem pro salute populi. Et certe noluit Deus servos suos prætextu zeli exuere omnem humanitatis sensum, ut illis populi clades ludus esset ac jocus. Vidimus quam anxie Jeremias deprecatus fuerit pro populo, deinde ut fuerit totus in luctum effusus. Optabat enim sicut vidimus capite 9., oculos suos defluere tanquam fontes. Jere. 9. vers. 1.
Ergo Prophetæ quamvis fuerint Dei præcones ad promulgandam ejus vindictam, non tamen fuerunt prorsus exuti omni cura & sollicitudine. miserti ergo fuerunt populi, cujus poterant videri hostes. Et in hunc finem *Ezechiel in faciem suam coram Deo cecidit.* Et certe gravis erat hæc tentatio, quam ipse non dissimulat. Neque enim conqueritur urbem populosam deleri, & promiscue occidi mulieres, & pueros cum viris: sed Deo fœdus suum proponit: quasi diceret, etiamsi totus mundus pereat, esse tamen absurdum ut Deus prorsus Ecclesiam suam perdat: quia pollicitus fuerat quamdiu fulgerent in cælo Psal. 89.
Sol & Luna, fore aliquod semen piorum in terris, v. 37,38.
Erunt mihi testes fideles in cælo, dicebat. Sol & Luna manebant in suo loco. Deus ergo potuit videri fidem suam abnegasse, quum perderet totum populum. Hæc ratio est cur Propheta quasi attonitus procumbet in faciem suam, & exclamet præ vehementia, *Heus Dominator Jehovah, an perdes reliquias Israelis fundendo iracundiam tuam*, id est, dum ita effundis iracundiam tuam contra Hierosolymam? restabat enim urbs illa quasi testimonium fœderis Dei. Nam adhuc poterat sperari salus aliqua. Etsi autem postquam excisa fuit, fideles luctati sunt cum illa tentatione: fuit tamen durum & arduum certamen. Nemo enim putasset posse vigere aliquam fœderis Dei memoriam, urbe illa extincta. Delegerat enim illic sedem & domicilium, volebat coli in uno illo loco. Quum igitur videret Propheta urbem illam deleri, erupit in clamorem, Quid fiet tandem? Nam ubi effuderis iram tuam contra Hierusalem, nihil manebit residuum in urbe. Hinc autem colligere promptum erit, fœdus Dei esse prorsus obliteratum, & carere omni suo effectu. Jam sequitur,

9. Et dixit mihi, Iniquitas domus Israël & Jehudah magna supra modum, (*sic enim interpretor* במאד מאד) & repleta fuit terra sanguinibus, & urbs repleta fuit perverso: (*subaudiunt judicio, sed significat simpliciter defectionem*) quia dixerunt, Deseruit Jehovah terram, & Jehovah non respicit.

Hic respondet ita Prophetæ suo Deus, ut compescat nimium fervorem, & simul suam justitiam asserat. Propheta enim poterat huc & illuc impelli: poterat ambigere an verax esset Deus: poterat etiam concuti ejus fides alia machina, quod Deus nimis atrociter sæviret perdendo innoxios. Quum ergo agitaretur inter illos tentationum fluctus, ideo oportuit ipsum pacari: quod nunc Deus facit. Itaque, ut jam dixi, mitigat affectum ipsius Prophetæ, & simul asserit æquitatem sui judicii contra omnes fallas opiniones, quæ solent nobis obrepere, ubi judicia Dei non respondent nostro arbitrio. Interea

notan-

notandum est, quia suppliciter Propheta conquestus est de clade urbis, & quanquam visus est expostulare cum Deo, subjecit tamen ejus imperio omnes suos sensus, ideo responsum dari quo sedari queat. Quoties ergo Deus non videtur operari prout dictat nobis ratio carnis, discamus exemplo Prophetæ nos tamen compescere, & subjicere rationem nostram Dei voluntati, ita ut nobis sufficiat ipsum sic velle, quia ejus voluntas perfectissima est omnis justitiæ regula. Videmus Prophetas aliquando conqueri, & videntur etiam sibi permittere nimis libertatis quum expostulant cum Deo: quemadmodum vidimus memorabile exemplum in Jeremia: deinde legimus etiam simile exemplum in Habacuc, Quousque? Litigant in speciem Prophetæ cum Deo ipso: sed statim ad seipsos redeunt, & in ordinem cogunt omnes illas erraticas opiniones, quibus sentiunt se perperam turbari. Sic etiam Propheta noster ab una parte miratur cladem urbis, & clamat præ vehementia, simul tamen *procidit in faciem suam*: & hoc modo testatur se fore morigerum simulac Deus responderit. Hæc ratio est igitur cur Deus quoque studeat placando servo suo: nec dubium est quin idem experiamur, si tantum modeste ac sobrie discamus sciscitari ubi judicia Dei nostris opinionibus non respondent. Si ergo hoc modo accesserimus ad Deum, hauddubie ostendet rectum esse quicquid facit: & suppetet nobis materia quietis. Hinc etiam colligitur inæstimabilis Dei indulgentia erga suos, quod ita rationem dignatur reddere, acsi illis satisfacere vellet. Certum est homines provehi in nimiam temeritatem quoties Deum interrogant. Quis enim audebit se opponere ejus judiciis? & quis contra eum responsabit? quemadmodum dicit Paulus. Sed Deus pro immensa sua bonitate hucusque descendit, ut rationem reddat factorum servis suis ad sedandas ipsorum mentes, quemadmodum dixi.

Jere. 12. & 20. Habac. 1. vers. 2.

Rom. 9. vers. 20.

Da omnipotens Deus, quum tam duriter olim castigaveris populum tuum, ut proficiamus ejus exemplo: & ita retineamur sub timore nominis tui, & obedientia Legis tuæ, ne effundas iracundiam tuam contra nos: deinde si quando nos castiges, ut tamen id totum nobis cedat in salutem: & ita sentiamus nos abs te fuisse obsignatos, & agnosci in numero filiorum, donec tandem nos colligas in beatam illam hæreditatem, quæ nobis parta est unigeniti Filii tui sanguine, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA QUINTA

IN

E Z E C H I E L E M.

COEpimus heri exponere Dei responsum, ubi cohibet affectum Prophetæ. Conquerebatur enim de interitu totius gentis. Erat aliqua speciosa ratio, quia putabat hoc modo irritum fieri Dei fœdus. Sed simpliciter respondet Deus se modum non excedere in pœna. Non solvitur quæstio hoc modo. Semper enim ambigere poterat Propheta quomodo firmum maneret Dei fœdus, & tamen populus ille excideretur. Sed Deus non semper omni ex parte expedit omnes nodos, quibus tenemur impliciti. Relinquit ergo nos in suspenso. Sed dum hoc facit, vult probare nostram modestiam. Nam si nobis prorsus satisfaceret, nulla esset obedientiæ nostræ probatio. Verum ubi jubet nos suo judicio acquiescere, si ultra non tendimus, tunc gerimus nos erga ipsum qua decet modestia. Sic ergo nunc Prophetæ suo respondet tantum dimidia ex parte, quum pronunciat *grave esse peccatum Jerusalem & Jehudah*. Dicit autem *supra modum*, ut Propheta intelligat urbem una cum gente prorsus fuisse delendam, eo quod nullus fuerat scelerum modus. Quum dicit *terram repletam sanguinibus, & urbem perversis judiciis*, sanguines possumus accipere pro cædibus: vel generaliter pro omni specie scelerum. Nam aliquando Scriptura sanguines vocat atrocia scelera, & quæ mortem merentur. Aliquando autem vocat injustas cædes. Quia autem Deus complectitur omnia peccata populi, libenter sanguines interpretor scelera, quibus sibi accersiverant excidium, quum toties provocassent ejus iram. Sequitur, *quia dixerunt, Deseruit Jehovah terram, Jehovah nihil videt*. Habuimus paulo ante similem sententiam, & tunc admonui frigide accipi ab interpretibus: quia existimant Judæos fuisse Epicureos, qui putarent Deum otio suo frui, nec curare res humanas. Existimant igitur Judæos fuisse ita inebriatos bruto Dei contemptu, ut putarent impune sibi quidvis licere, quia Deus procul abesset: quemadmodum hodie profani homines sibi tantum licentiæ permittunt, quia non proponunt sibi Deum ante oculos, sicuti Scriptura sæpe loquitur. Sed diximus Prophetam aliud velle. Quum enim Judæi sæpius fuissent castigati, obduruerant in suis malis: & quum deberent agnoscere sibi pœnas illas juste infligi, imaginabantur fortuito sibi omnia accidere: sicuti increduli omnium rerum eventus rejiciunt in fortunam. Talis igitur fuit populi illius socordia. Deus illos visitabat, ut sæpe loquitur volebat cognosci ab illis judex: quum sentirent præsentem Dei manum, dicebant eum procul abesse, nempe quia non succurreret eorum miseriis, neque se objiceret instar clypei contra hostes. Experti enim fuerant Patres eorum auxiliarem manum Dei in omnibus suis periculis. Quum ergo Deus abjecta illorum cura se hostem potius ostenderet, quam defensorem salutis ipsorum, dicebant ipsum procul abesse. Atqui sicuti vidimus, excitaverat Chaldæos, & tunc probabat fidem omnium prophetiarum, quum exequeretur quicquid ante denunciaverat per servos suos. Nunc ergo videmus quo sensu dixerint *Deum deseruisse terram*, quia scilicet nullum dabat gustum gratiæ suæ. Atqui experiebantur ejus potentiam alio modo, quum scilicet pœnas infligeret. Cur ergo non reputabant ipsum esse justum vindicem quum ita ipsos castigaret? Sed arripiebant unum illud, se non respici à Deo ut opitularetur eorum miseriis. Hic autem locus notatu dignus est. Nam quum Deus miseros homines ad se non tantum invitet, sed etiam trahat ubi pœnas exigit de illorum peccatis, sæpe redduntur obstinatiores, & fingunt Deum procul abesse. Hinc igitur fit ut abrepti in furorem audacius provocare ipsum non dubitent. Hæc pervicacia nunc describitur, quum Ezechiel inducit loquentes Judæos, *quod Deus terram deseruerit*. Nam inde colligunt nihil amplius videre. Ubi enim profani homines semel sumpserunt illud principium, se relictos esse à Deo, simul putant quicquid fecerint, ejus cognitionem effugere. Hæc autem fuit extrema impietas: ideo ostendit Deus fieri non posse, ut parcat diutius hominibus adeo perditis. Et hoc etiam confirmat proximo versu, ubi dicit,

cap. 8. vers. 12.

10. Etiam ego, non parcet *illis* oculus meus, & non miserebor: vias ipsorum in capita eorum reddam.

Nunc pronunciat Deus Judæos adeo fuisse obstinatos in sua malitia, ut sibi spem omnem veniæ præciderint. Nam quum dicit *se fore illis infestum absque misericordia*, necessitatem ostendit sumendæ vindictæ, quia ad cælum usque pervenerat impietas, ut non posset parcere, quin seipsum abnegaret. Et abrupta loquutio vehementiam auget: acsi Deus pronunciaret sibi quoque suas fore vices. Nunc ergo tenemus summam hujus responsi, Judæos tot & tam impiis sceleribus esse obstrictos, ut clauserint januam misericordiæ Dei, imo ipsum coëgerint ad ultimam vindictam, quia non destiterant ipsum magis ac magis provocare. Discamus autem ex hoc loco non appendere ad nostram trutinam Dei judicia: quia utplurimum solemus extenuare nostra peccata, & facere leviculos errores ex sceleribus gravissimis, quia scilicet non tribuimus Deo justum honorem, ut sit solus judex. Jam ubi Deus Prophetam suum jubet quiescere & silere, hauddubie simul compescit nostram temeritatem, qua prorumpimus ad obstrependum, ubi videtur nobis esse nimis rigidus. Sed quemadmodum jam dixi, non tenemus quanta sit scelerum nostrorum gravitas. Ergo solius Dei arbitrium est de sceleribus pronunciare, ne quis mortalium æstimet quale sit hoc vel illud factum: quia tunc arripimus nobis quod proprium est unius Dei. Sequitur,

11. Et ecce vir indutus lineis vestibus, cui atramentarium erat in lumbis, reversus retulit dicendo, Feci quemadmodum præceperas (*vel mandaveras*) mihi.

Hæc sententia confirmat quod heri diximus de paterna Dei sollicitudine erga fideles. Docuit enim Propheta, antequam Deus permitteret Chaldæis urbem delere, præmissum fuisse Angelum, qui succurreret electis, atque ita se opponeret hostium truculentiæ: ubi diximus tanquam in speculo nobis monstrari, Deum in suis judiciis ordinem hunc tenere, ut semper præcedat paternus ejus amor erga fideles, ne quid illis permittat accidere, nisi quod tandem cedat in eorum salutem. Hac ratione ergo nunc Angelus dicit *se fecisse quod mandatum fuerat.* Hauddubie autem Angeli obsequium nobis refertur, quod respondet Dei voluntati. Hinc itaque colligimus pretiosam semper esse fidelium salutem Deo: & ideo semper fore tutos & incolumes, quum putabimus cælum terræ misceri. Hæc igitur summa est. Nunc sequitur,

CAP. X.

ET aspexi, & ecce super expansionem quæ erat super caput Cherubim, tanquam lapis Sapphiri, sicut aspectus similitudinis solii, quod videbatur super eos.

Hic refert Propheta aliam visionem, quæ multum affinitatis habet cum prima, quam nobis retulit primo capite: sed in alium finem tendit, ut postea dicetur. Quoniam autem primo capite singula visionis membra excussimus, ideo nunc ero brevior: tantum perstringam quæ ante fuerunt dicta, & simul notabo quicquid erit diversum. Sed antequam illuc descendam, tenendum est consilium Dei in hac visione Voluit ergo Deus testatum facere Judæis, nihil amplius sibi fore cum ipsis commune, quia in animo haberet relinquere Templum, deinde totam urbem incendio consumere Sed ne hæc comminatio frigeret apud Judæos, ideo proposita fuit formidabilis Dei majestas, quæ metum etiam stupidis incuteret. Nunc venio ad verba. Dicit *se rursus vidisse super capita Cherubim solium, cujus color erat similis Sapphiro.* Pro animalibus nunc ponit Cherubim: nec tamen dubium est quin animalia illa de quibus ante loquutus est, fuerint Cherubim. Sed quia nunc objicitur visio in Templo, incipit familiarius Deus patefacere servo suo quod ante erat nimis obscurum. Viderat enim quatuor animalia prope fluvium Chebar, nempe in regione profana. Quum ergo procul à Templo abessent exules Judæi & Israëlitæ, non mirum est si Deus non ita distincte apparuerit Prophetæ suo, quemadmodum nunc facit ubi deductus est in Templum. Etsi enim locum non mutavit Propheta, non tamen frustra visus est transferri Hierosolymam, & aspicere quicquid in Templo fiebat. Hæc ratio est cur nunc vocet Cherubim quæ ante simpliciter vocavit animalia. Diximus autem cur visi fuerint quatuor Cherubim, quum tamen duo tantum essent in Sanctuario, nempe quia Judæi fere obtorpuerant in crassa ignorantia. Desciverant pridem à studio sinceræ pietatis, & lux cælestis doctrinæ ab ipsis pene extincta erat. Quum ergo tam crassa esset inscitia populi, ideo oportuit aliquid dari eorum ruditati, quia non poterant aliter capere quod discendum erat. Jam simul dubium non est, quin Deus oblique exprobrare illis voluerit turpem illam ignorantiam, quia per ipsum non steterat, quo minus perspicerent in Lege & Templo quicquid utile erat cognitu in salutem. Ubi ergo Deus mutat Legalem formam, minime dubium est, quin ostendat populum illum esse degenerem, acsi seipsum transfiguraret. Sed tenendum quoque memoria est quod tunc dixi, nempe quatuor Cherubim oblatos fuisse Prophetæ, ut ostenderet Deus se complecti totum mundum sub suo imperio. Paulo ante vidimus, Judæos quum veluti contracto callo putarent se jam esse extra curam Dei, fuisse ita excæcatos, ut simul colligerent Deum nullam gerere mundi curam. Quum ergo Deum cælo includerent perversis suis figmentis, ideo ostendit se moderari totum orbem, & nihil moveri nisi arcana sua virtute. Quum ergo ponuntur quatuor Cherubim pro duobus, perinde est acsi Deus ostenderet se regnare per quatuor mundi plagas, & potentiam suam huc & illuc extendi: ideoque nimis impie Judæos imaginari terram ab ipso esse derelictam. Tertio notandum est quod etiam tunc dictum fuit, quatuor capita tribui ipsis Cherubim, ut ostenderet Deus Angelicos motus vigere in omnibus creaturis. Sed hoc postremum repetam suo loco: ideo nunc breviter attingo. Jam videndum cur Propheta nunc dicat *fuisse solium, cujus color referebat Sapphirum, & solium illud fuisse super quatuor Cherubim:* quia scilicet Deus habet Angelos suos præsto ad obsequium: ideo statuuntur sub ejus pedibus, ut sciamus eos non esse sui juris, sed Deo ita subesse, ut semper ab ejus nutu pendeant, & quocunque jusserit ferantur. Hæc ratio igitur est *cur locati fuerint sub expansione ubi erat solium Dei.* Quod ad expansionem pertinet, nomen est quo Moses utitur, quum narrat *Genes. 1. v. 6, 7, 8.*
creationem mundi: verterunt Græci στερέωμα, sed male. Latini tamen eos imitati sunt, quum dixerunt Firmamentum: sed accipitur pro cælo & pro toto spatio,

spatio, quod intra nos & cælum interest: eminet tamen super hunc mundum. Non abs re Deus solium suum ostendit supra expansionem cæli, ne scilicet quicquam terrenum conciperet Propheta. Scimus enim quam propensæ sint humanæ mentes ad terrena sua figmenta. Atqui ubi fit Dei mentio, non possumus quicquam rectum concipere, nisi dum attollimus omnes sensus nostros supra totum mundum. Deus ergo ut erigeret Prophetæ sui mentem, & ostenderet se adesse, quo Propheta reverenter attenderet ad oracula: deinde ut suspiceret qua decebat humilitate cælestem Dei gloriam: ideo interposita fuit expansio inter solium Dei & inter terram. Sequitur,

2. Et dixit ad virum qui indutus erat vestibus lineis, dixit, Vade (*vel ingredere*) intra (*in*) medium rotarum (*rotæ*) sub Cherub: & imple volas tuas carbonibus ignis (*hoc est, ignitis*) è medio Cherubim, & sparge contra urbem. Et ingressus est in oculis meis. (*ad oculos meos.*)

Jam narratur finis visionis, quem paulo ante attigi, quod scilicet Deus statuerit urbem penitus delere: sed hoc describitur sub visibili & externo symbolo. Dicitur ergo Deus *mandasse viro, qui indutus erat vestibus lineis, ut impleret volas suas carbonibus, & projiceret in urbem*, nempe ut ubique excitaretur incendium. Hic quidem non exprimitur nomen Dei, sed paulo post clarius referet Propheta quod nunc breviter & ideo obscure attingit. Certum quidem est, haberi sermonem de eo, qui in solio sedebat: & ex contextu etiam colligere promptum est, non posse alio referri hoc præceptum quam ad Deum. Sed notandum est, Angelum illum qui ante jussus fuit signare electos, nunc novam personam suscipere. Et hinc colligimus Angelos ita ministros esse gratiæ Dei erga fideles, ut simul tamen quoties jussi sunt, exerceant ejus vindictam: quemadmodum œconomus qui præfectus est magnæ familiæ, non tantum munus sustinet alendæ familiæ, hoc est, ut victum & vestitum suppeditet, sed etiam ut castiget eos qui nequiter se gerunt & improbe. Talis igitur ratio est quoad Angelos Dei. Sæpe ubi Deus vult duplicem ignominiam inurere peccatoribus, diabolo tanquam suo carnifici mandat illas partes. Quum ergo tradimur in manum diaboli, hoc est signum extremæ vindictæ. Sed Deus sæpe per Angelos suos exercet judicia adversus reprobos, quemadmodum exempla passim occurrunt: sed illud præ aliis memorabile, quum Angelus tot millia interfecit in exercitu Sennacherib, ut solveret obsidionem, qua premebant Hierosolymam Assyrii. Hoc nunc idem traditur à Propheta: vidimus Angelum, qui indutus erat lineis vestibus, fuisse custodem fidelium, ut eos eximeret ab omni noxa. Jam autem mittitur, *ut spargat carbones per totam urbem*, nempe ut ita & lapides, & ligna cum hominibus consumat. Videntur hæc inter se diversa: sed ostendimus nihil esse absurdi, si Deus personam duplicem Angelis suis imponat. *Dixit* igitur *viro qui indutus erat, Ingredere in medium rotæ sub Cherub.* Hic etiam est enallage numeri, quia nomen singulare Cherub ponitur pro Cherubim. Sed ante admonui illud esse satis usitatum, nec aliud Deo propositum fuit, quam notare locum, unde sumpti sunt carbones ignei, qui urbem comburerent. Altare nunquam igne carebat. Nam fas non erat aliunde ignem afferre, quoniam contaminata fuissent hoc modo sacrificia. Sed ignis ille perpetuus, quem Deus volebat ardere in Altari, ad ipsum reconciliandum spectabat. Sacrificiis enim expiabantur peccata. Ergo ignis Altaris erat quasi anima populi. Sed nunc Deus significat se habere ignem occultum inter rotas, quæ erant prope Cherubim vel quatuor animalia. Diximus autem, & iterum repetere necesse erit, per *rotas* repræsentari omnes agitationes, quæ sub cælo cernuntur, vel revolutiones, ut vulgo appellant. Vidit autem *rotas sub Angelis*, quia ubi surgit ventus, ubi cælum nubibus vel nebulis obducitur, ubi pluvia è cælo decidit, ubi turbatur aër fulguribus: ubi igitur hæc omnia accidunt, putamus naturaliter tales motus & agitationes fieri. Atqui jam ante Deus voluit docere non esse istas agitationes cæcas, sed dirigi arcano instinctu: & ideo semper vigere motum Angelicum, aut inspirationem. Nunc ergo quum Deus jubet Angelum suum *accipere ignem è medio rotæ, quæ erat sub Cherub*, tantundem hoc valet acsi doceret se habere rationes varias perdendæ urbis. Nam rotæ ut ante visum fuit, ferebantur in diversas partes, ita ut volitarent per totum orbem. Quum ergo in medio rotarum esset ignis, deinde rotas ipsas Angeli arcano suo motu transferrent, hinc colligimus incendium urbis fuisse in manu Dei, & simul fuisse in Templo. Rotæ enim nunc non apparent Prophetæ juxta fluvium Chebar, sed in Templo ipso: & subest tacita antithesis quemadmodum admonui, inter ignem, cujus suffitu reconciliabatur Deus, & unde etiam habebant sacrificia odorem Deo suavem & gratum: & inter hunc ignem, qui exitialis futurus erat toti populo. Dicit autem, *Angelum fuisse ingressum*, ut sciamus quemadmodum ante docui, simulac Deus pronunciavit quid fieri velit, in promptu esse executionem: denique effectum imperii ejus hic commendat nobis Propheta, quum dicit, *Angelum statim fuisse ingressum*, sicuti Deus præceperat. Sequitur,

[Margin: 2 Reg. 19. vers. 35. Jesa. 37. vers. 36.]
[Margin: Levit. 6. v. 12.13.]

3. Et Cherubim stabant à dextra domus quum veniret (*id est, quum ingrederetur*) vir: & nubes replevit Atrium interius.

Hic narrat Propheta ubi fuerint Cherubim quum ingressus est vir ille: quod tantum ad certitudinem prophetiæ spectat. Neque enim hic nobis quærendæ sunt argutæ speculationes cur à dextris fuerint. Tantum enim ostendere voluit patefactam fuisse viam Angelo, ut recta ad Deum accederet, & Cherubim fuisse illic quasi dispositos, ut operas suas conferrent. Nam oportuit consensum esse inter Angelum qui sumebat ignem quem spargeret per totam urbem, & Cherubim qui referebant omnes Angelos. Hunc ergo consensum nunc ostendit Propheta, quod scilicet Cherubim quasi subducti fuerint ad partem dextram, quum ille ingressus est, ita ut Deus emineret: deinde præsto essent Cherubim, & simul rotæ ignem suggererent. Nunc tenemus quo consilio interpositum fuerit quod nunc legimus. Quod autem dicit, *Atrium interius fuisse repletum nube*, hauddubie significat Deum modis omnibus confirmasse visionem, ne qua suspicio deinde obreperet, an Propheta delusus fuisset inani aliquo spectro. Hæc igitur ratio est cur Deus non tantum apparuerit in solio suo cælesti, sed etiam repleverit Templum nube. Quanquam, ut ante dictum fuit, nubes hæc symbolum fuit alienationis Dei. Scimus quidem Sanctuarium fuisse impletum nube, quamvis Deus tunc vellet favorem suum paternum testari: sed hoc loco & pluribus, sicuti Psalmo 18., & aliis locis nubes videtur significare aversam Dei faciem, quasi Templum plenum esset caligine. Et hoc postea melius confirmatur. Dicit enim,

[Margin: Exod. 40. v. 34. 35. Num. 9. vers. 15. 1 Reg. 8. v. 10.11. Psal. 18. vers. 12.]

4. Et elevata fuit gloria Jehovæ desuper Cherub (*hoc est, quæ erat super Cherub*) ad limen (*super limen*) domus, (*id est, Templi*) & impleta fuit domus nube: & Atrium impletum fuit fulgore gloriæ Jehovæ.

Hoc versu confirmat Propheta quod nuper attigit, Templum scilicet fuisse refertum caligine, quia illinc Deus gloriam suam transtulerat. Dicit enim *apparuisse fulgorem gloriæ Dei super limen.* Atqui gloria Dei residebat in Sanctuario, & in ipsa Arca foederis. Nunc autem ubi prodit ad limen, perinde est acsi extingueret splendorem gloriæ suæ, quo ornatum fuerat Templum, & alio transferret. Dicit autem, *elevatam fuisse gloriam Jehovæ è suo loco.* Migrationem his verbis significat. Deus habitare passim dicitur inter Cherubim, & volebat illic invocari. Nunc autem dicitur transferri alio ejus gloria. Hinc igitur apparet, Templum nudari Dei præsentia, & quodammodo exinaniri suo ornatu, quia absque Deo quid restabat? Hinc igitur tenebræ, quarum antea facta fuit mentio, & nunc repetitur. Subducta igitur fuit gloria Jehovæ: unde? è suo loco & statione, quum habitaret scilicet inter Cherubim, & venit ad limen Templi: tunc, inquit, mutatæ fuerunt vices. Nam Templum in quo prius fulgebat Dei gloria, fuit caliginosum: limen autem domus, quod erat quasi profanum, fuit plenum splendore, non quod Deus in limine habitaverit. longius enim tendit hæc visio, quod scilicet Deus relicto suo Templo extra appareat. Nam per limen significat locum qui erat conspicuus omnibus. Nunc ergo tenemus consilium Spiritus sancti, quum dicit, *elevatam fuisse gloriam Jehovæ è sede illa*, quam sibi elegerat, ut resideret inter Cherubim: *& conspectum fuisse super limen*: inde esse factum, ut Templum ipsum obtenebresceret: fulgor autem Dei conspicuus esset in ipso Atrio. Sequitur,

5. Et vox alarum Cherubim audita fuit usque ad exterius Atrium, sicuti vox Dei omnipotentis quum loquitur.

Confirmat etiam hoc versu Propheta visionem, quia scilicet ubique Deus signa præsentiæ suæ dederit. Sed videtur etiam alio spectare, quod scilicet Cherubim sonitu alarum demonstraverint insignem mutationem & insolitam, imo incomprehensibilem. Dicit enim *fuisse sonitum, qui concuteret locum illum, quemadmodum si Deus loquatur.* Quum autem vocem Dei audimus, perinde est acsi diceret Propheta, si tonat Deus è cælo, vel si tremefacit totum mundum: nulla tamen concussio potest esse gravior, quam sonitus ille alarum Cherubim. Hinc igitur potuit colligi mirifica quædam mutatio, quum Deus terrore ita Prophetam suum repleret, ut deinde esset aliis omnibus nuncius ac testis.

Da omnipotens Deus, quando nobis ante oculos nunc documenta iræ tuæ proponis, ne pervicaciter iram tuam provocemus instar veteris populi: quin potius ita proficiamus in hac doctrina, ut mature resipiscamus, & studeamus te nobis reconciliare, simul etiam abjicere omnes pravas nostras cupiditates, donec tandem colligamur in beatam illam quietem, quam nobis unigenitus Filius tuus peperit sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEXTA IN EZECHIELEM.

6. Et factum est quum præcepisset viro qui indutus erat lineis, dicendo, Sume ignem è medio rotæ, è medio Cherubim, profectus est, & stetit è regione rotæ.

7. Et extendit Cherub manum suam è medio Cherubim ad ignem qui erat in medio Cherubim: & accepit, & dedit in volas (*in manus*) ejus qui indutus erat lineis: & accepit, & egressus est.

Hic finem visionis docet Propheta: Judæi putabant se fore semper tutos & incolumes præsentia Dei: putabant sacrum ignem altaris valere ad expianda omnia scelera. Atqui Deus ostendit se ita residere in Templo, ut sit instructus vindicta contra eos, & Cherubim esse quasi armorum custodes, quibus tandem sint perdendi. Videmus ergo hic excuti Judæis falsam & perversam gloriationem qua inebriati erant, quum putarent Deum sibi quodammodo esse obstrictum. Jubetur ergo Angelas ignem sumere, & spargere per urbem, nempe ut incendio ipsam perdat. Hoc autem necesse fuit, quia Judæi quum diu & obstinate abusi essent Dei tolerantia, non poterant tamen adduci ad sensum aliquem iræ ejus ut resipiscerent. Hac de causa Prophetæ ostensa fuit hæc visio. Dicit ergo ignem fuisse datum. unde sumptus est? *erat*,
Psal 80. vers. 2. inquit, *in medio Cherubim.* Quum David precatur Deum, mentionem facit Cherubim, quo pateat familiarior accessus, & merito: quia Deus invitando fideles ad se, acsi manus ipsis porrigeret, habebat præsto Angelos, qui sociarent eum hominibus. Nunc autem Propheta docet præsentiam Dei minime utilem fore Judæis, quia armatus est ad ipsos perdendos: & Cherubim qui ministri erant antea gratiæ, nunc præsto sint ad exequendam vindictam, quia ignem porrigant è manu in manum, quo tota urbs conflagret. Dicit autem *venisse eum qui erat indutus lineis vestibus, & stetisse prope rotas*: quibus verbis significat Angelos ita paratos esse ad præstandum Deo obsequium, ut nulla in parte cessent. In hominibus magna est cunctatio, imo etim languor: sed Propheta admonet, Angelos expeditos esse ad obeundum munus. Simul ergo atque ostendit Deus quid velit fieri, habent manus extentas: & ita parata est exequutio. Hac ratione dicit *stetisse prope rotas.* Sequitur,

8. Et visa est ipsis Cherubim similitudo manus hominis sub alis ipsorum.

Leviter nunc perstringam quæ fusius exposui primo capite, ne supervacua repetitione vos onerem. Dixi *apparuisse manus sub alis*, ut intelligeret Propheta quantus sit in Angelis vigor ad agendum:

interea

interea tamen consensum notat inter eorum agitationem & obsequium quod præstant Deo. Alæ enim hauddubie in Angelis directionem repræsentant, qua Deus testatur Angelos non habere proprium vel intrinsecum aliquem motum, sed gubernari arcano suo instinctu. Alæ enim significant aliquid plusquam terrestre vel humanum. Et certum est quum alæ fuerunt datæ Angelis, hoc symbolo notatam fuisse arcanam illam gubernationem Dei. Vocantur enim
Coloss. 1. vers. 16. non tantum principatus, sed etiam virtutes. Quoniam ergo Angelos Deus pro arbitrio suo gubernat,
Exod. 25. vers. 20. & 37: 9. ideo voluit pingi alatos in Sanctuario. Jam quia sine manibus nulla esset actio, dicit Propheta *apparuisse humanas manus sub alis*: quasi diceret non caruisse efficacia alacritatem, quæ erat in Angelis, quia scilicet simul conjuncta esset operatio. Scimus autem functiones omnes designari hac voce in Scriptura. Perinde igitur est acsi diceret Angelos alatos esse, quoniam feruntur arcana virtute Dei, neque habent à seipsis motum aliquem: deinde aptos & idoneos esse ad exercendas functiones quæ illis mandantur, quia præditi sunt manibus. Sed dicit *manus illas sub alis latere*, quia Angeli non temere suscipiunt hoc vel illud, quemadmodum homines satagunt nimis sedulo, sed absque delectu. Dicit ergo *manus fuisse obtectas alis*, quia Angeli nihil temere vel inconsiderate aggrediuntur, sed omnis eorum operatio pendet ab arcana illa Dei gubernatione quam dixi. Sequitur,

9. Et aspexi, & ecce quatuor rotæ è regione Cherubim, rota una è regione Cherub unius, altera rota è regione alterius Cherub: & aspectus rotarum tanquam similitudo lapidis Tharsis.

Hic Propheta sicuti capite primo, dicit singulis animalibus fuisse rotas additas. Quid autem rotæ significent plenius exposui: nunc tantum obiter repetam: de animalibus paulo post fusius erit disserendum. Sed rotæ imagines sunt omnium conversionum, quæ in mundo cernuntur. Non potuit autem eligi aptior figura. Nam nihil stabile est in mundo: sed accidunt continuæ revolutiones ut vulgo loquuntur. Quum ita subinde res mutentur, imo quum tumultuarie omnia versentur, non possunt statuere profani homines mundum regi certo Dei consilio: sed fabricant sibi cæcam Fortunam. Deus ergo per concessionem omnes rerum conversiones, omnia accidentia, ut loquuntur, omnes eventus depinxit nobis sub forma rotarum: quasi diceret, volvi quidem & versari cunctas res in mundo, sursum & deorsum agitari non tantum omnia elementa, sed præcipue res humanas. Interea correxit errorem, quum ruditati hominum aliquid concederet. Nam conversiones videmus multiplices, quæ objiciunt nobis speciem rotæ: sed interea nimium licentiæ nobis indulgemus, quum imaginamur cæcam Fortunam. Ideo Propheta *vidit rotas è regione animalium*, hoc est, vidit quidem illas conversiones quibus turbantur mentes hominum, acsi temere omnia contingerent in mundo. Atqui vidit rotas illas non volvi suo impetu, sed esse annexas Angelis: ideo pendere omnes rerum eventus à prima causa, nempe ab arcana ordinatione Dei, ab inspiratione, qua Angeli moventur, & unde etiam habent suum vigorem. In hac expositione nihil est coactum, quia minime dubium est quin per animalia, ut mox videbimus, Angelos significet. Pergamus ergo in contextu.

10. Et aspectus earum similitudo una (*hoc est, ipsis una erat similitudo*) ipsis quatuor, quemadmodum si rota esset in medio rotæ.

Hanc quoque partem exposuimus. Dicit *fuisse eandem omnibus aspectum*, non quod Deus æquabili modo semper temperet rerum eventus. Illud enim experientiæ repugnat. Sed intelligit eundem fuisse aspectum, quia diversitas quæ offundit caliginem oculis nostris, non tollit perpetuum tenorem & bene temperatum in Dei operibus. *Una* igitur *similitudo est quatuor rotis*, quia inter se consentiunt omnia Dei opera: & quamvis admirabilis varietas oculos nostros huc & illuc distrahat, tamen in suum finem novit dirigere quæ ita videntur dissipata. Est etiam rursus species concessionis, quum dicit, *rotam fuisse in medio rotæ*. Cernimus enim res ita implicitas, ut nulla nobis occurrat distinctio, nempe si reputamus Dei opera proprio carnis nostræ sensu. Si velimus ergo judicium facere de operibus Dei, *rota erit in medio rotæ*, hoc est, erit mirabilis perplexitas, & quæ nos tenebit ita alligatos ut mentes nostræ sese explicare nequeant. Hæc igitur est concessio, *quod rota fuerit in medio rotæ*: sed corrigitur etiam continuo post error vulgaris, quum addit Propheta *rotas fuisse oculatas*. Sequitur ergo,

11. Quum proficiscerentur, ad quatuor latera pergebant, non revertebantur in eundo, (*proficiscendo*) quia ad locum ad quem respiciebat caput, post illud ambulabant, non revertebantur eundo.

12. Et tota caro ipsorum, & dorsa ipsorum, & manus ipsorum, & alæ ipsorum, denique rotæ ipsæ plenæ erant oculis in circuitu ipsis quatuor rotis.

Nunc sicuti attigi, Propheta postquam concessit esse quidem rerum eventus quasi contortos & flexuosos, & Deum agere quasi per ambages: ostendit tamen nihil temere ab ipso fieri: & eventus quos putamus esse tumultuarios & confusos, habere certam & optimam moderationem. Hac ratione dicit primo *rotas fuisse profectas, ita ut non reverterentur quum sequutæ essent singulæ caput suum*. In verbis non conveniunt interpretes. Nam ubi verti *caput*, alii vertunt *primam*, atque ita intelligunt quo respiciebat primus Cherub, post ipsum proficiscebantur alii Cherubim. Sed potius existimo conferri rotas cum ipsis Cherubim: & nomen singulare capitis hic ponitur pro capitibus. Ante enim vidimus fuisse singulis Cherubim annexas rotas. Ergo unaquæque rota habuit caput suum, hoc est, habuit animal unum à quo regeretur. Itaque sensus Prophetæ est, rotas non fuisse versatas in hanc vel in illam partem aliquo extrinseco vel adventitio impetu, sed fuisse gubernatas ab ipsis Cherubim, quemadmodum clarius deinde hanc partem explicabit. Adjungit *rotas fuisse oculatas*. Hinc colligimus quamvis per rerum eventus videri possit Deus quasi ludere, & habere varios & erraticos circuitus, tamen omnia moderari inæstimabili sua sapientia. Hac ratione dicuntur *rotæ plenæ fuisse oculis*. Improprie ponit nomen *carnis* Propheta pro ipso corpore rotarum. Sed scimus non admodum esse concinnum ejus sermonem, quia dege-

degebat in exilio: ideoque non mirum est si rudior sit, & barbaram etiam asperitatem sapiat. Sensus tamen ambiguus non est, *quod totum corpus rotarum in dorso, in manibus*, hoc est; omni ex parte esset oculatum. Et postea adjungit *rotæ ipsæ*, non quasi diversum aliquid notet: sed postquam de carne loquutus est, de dorsis, & manibus, simpliciter rotas nominat: quasi diceret fuisse oculatas omni ex parte. Videmus nunc quomodo res admodum in speciem contrariæ optime conciliari possint. Nam eventus rerum ita sunt instabiles acsi quis rotam versaret: deinde sunt impliciti, acsi rota esset in medio rotæ: cæterum interea Deus sic omnia inter se temperat quæ videntur nobis confusa, ut appareat optime ipsum perspicere quid facto sit opus, & ipsos rerum eventus esse oculatos. Unde autem id? pendet hæc perspicacia ex Angelica inspiratione, quod scilicet rotæ non sponte huc vel illuc volvantur, sed sequantur unaquæque suum ducem & caput. Dicitur autem, quod omiseram, *aspectus similis lapidis Tharsis.* Hieronymus putavit notari mare Ciliciæ, & ideo transtulit colorem cæruleum. Sed quia scimus inter lapides pretiosos nominari Tharsis, ideo retineo simplicem illum sensum. Nunc sequitur,

13. Ad rotas ipsas clamavit, Rota, in auribus meis.

Hoc versu melius confirmat Propheta quod jam dixi, rerum eventus esse quasi oculatos, quoniam pendent ab arcanis Dei mandatis. Quia ergo nihil contingit nisi pro Dei imperio, hinc fit ut in multiplici rerum conversione tamen sit æquabilis tenor respectu Dei. Dicit ergo *Deum clamasse*, vel Angelum, *Rota.* Scimus rotas carere sensu proprie: sed hic significat Propheta ab omnibus creaturis exaudiri Dei vocem, ita ut ne minimus quidem motus accidat sine arcano illo instinctu. Quum aër serenus est & pacatus, non putamus regnare illic Dei vocem, sed imaginamur aliquam naturalem causam: ita etiam quum cælum obnubilatur, quum pluit, quum surgunt procellæ, quum accidunt aliæ mutationes, quodammodo excludimus Deum ab illis actionibus. Propheta autem ex opposito dicit, *se audisse vocem Dei quum clamaret, Rota.* Deus autem non clamavit ita per ludibrium, sed voluit testatum facere quandam esse occultam inclinationem qua fit ut creaturæ omnes obtemperent suo imperio. In hunc igitur finem clamavit Deus, *O rota*, ne putemus rerum eventus moveri, aut surgere aliquam agitationem temere, vel putemus elementa sic esse bruta, ut Deo non obtemperent, quia vox ejus dat omnibus efficaciam & vigorem. Sequitur,

14. Et quatuor facies uni, *singulis animalibus:* facies unius facies Cherub, & facies secundi facies hominis, & tertii facies leonis, & quarti facies aquilæ.

Jam descendit Ezechiel ad ipsa animalia, quæ nunc pronunciat fuisse Cherubim, sub alia tamen imagine, quam erant in Sanctuario. Diximus primo capite cur viderit quatuor Cherubim, quum tantum duo essent qui circumdabant Arcam fœderis. Videri posset absurda hæc varietas. Nam Deus visiones solitus fuit accommodare ad formam Legalem, ut teneret populum in simplicitate Legis. Sed ratio quam primo capite attuli, minime repudianda est, quod scilicet tanta fuit illa ætate populi crassities & ruditas, ut necesse fuerit deflectere à prima & genuina institutione. Deus contentus fuerat duobus Cherubim: & in illo numero hauddubie repræsentabat omnes Angelos: sed à dextra & sinistra cinctus erat, ut ostenderet sibi minime defore virtutem ad suppetias populo ferendas. Jam ita obstupuerant Judæi, ut includerent Deum cælo, quia nulla fere tunc cognitio restabat providentiæ ejus, ut ante visum fuit. Quum ergo Judæi ita excluderent Deum à mundi gubernatione, oportuit tradi novam formam & diversam à Legali, ut scilicet cognoscerent Dei virtutem extendi per quatuor mundi plagas. Neque enim dubium est, quin per quatuor animalia Deus admonuerit, nihil fieri in mundo nisi pro suo arbitrio. Ubi autem mundus describitur, ponuntur quatuor ejus plagæ vel regiones. Nunc ergo tenemus cur Propheta non tantum duos Cherubim viderit, sed quatuor: accedit etiam eadem ratio diversitatis in ipsa forma Cherubim. Nam Cherubim erant quasi pueri alati: sed Propheta dicit singula animalia fuisse prædita quatuor capitibus. Hoc etiam proculdubio fuit quasi adminiculum ad excutiendum populi torporem: quia Judæi aliter capere non poterant quid valeret, & quam esset efficax Angelica inspiratio, qua Deus gubernat totum mundum: ideo postquam quatuor animalia fuerunt oblata Prophetæ, singulis etiam animalibus data fuerunt quatuor capita, nempe *caput bovis, caput hominis, caput leonis, & caput aquilæ.* Diximus primo capite in istis capitibus repræsentari nobis omnes creaturas. Etsi enim arbores, & mare, & fluvii, & herbæ, & aër, & stellæ, & sol sunt etiam partes mundi: tamen in animantibus est aliquid quod propius accedit ad Deum, & ubi perspicere licet ejus virtutem. Nam est agitatio in homine, in bove, in aquila, in leone. Per synecdochen ergo hæc animalia singulas mundi partes sub se comprehendunt. Interea quum animalia sint Angeli, videndum est quomodo Angelis ipsis Deus attribuat caput leonis, caput aquilæ, caput hominis. Videtur enim istud minime consentaneum. Sed non potuit melius exprimere individuam connexionem, quæ est in motu Angelico, & in omnibus creaturis. Diximus Angelos non frustra nominari Dei virtutes. Jam quum leo vel rugit, vel exercet suum robur, videtur à seipso moveri: ita etiam dicetur de aliis animantibus. Atqui Deus hic dicit animalia ipsa quodammodo esse Angelorum partes, non quod ejusdem sint substantiæ. Neque enim hoc ad naturam refertur, sed ad effectum duntaxat. Sciamus ergo dum homines cursitant, atque ut fungantur suis muneribus, sese & sua studia huc vel illuc applicant: dum idem faciunt feræ bestiæ, tamen subesse motus Angelicos, ita ut neque homines, neque reliqua animalia sese moveant, sed ab arcana inspiratione pendeat totus eorum vigor. Superest difficilis quæstio, quia hic Ezechiel primum caput dicit fuisse Cherub,
quum primo capite dixerit fuisse bovis. quidam *cap. 1.*
effugium excogitant, quod procul apparuerit spe- *vers. 10.*
cies bovis, sed propior intuitus declaraverit esse Cherub. Sed illud est nimis coactum. Itaque non dubito quin fuerit aliquid diversum in hac visione: nec obstat quod continuo post addit, fuisse illud animal quod viderat in fluvio Chebar. Nam idem vocat quod affine est, & quod tendit in eundem finem.
Paulus dicit patres in deserto comedisse eundem ci- *1 Cor. 10.*
bum spiritualem, & bibisse eundem potum spiritua- *vers. 3. 4.*
lem. Atqui scimus quam diversum fuerit symbolum Man, & aqua è rupe profluens, à sacra Cœna, quam nobis Christus reliquit. sed quemadmodum jam dixi, quoniam affinitas est inter hæc sacra symbola, deinde referuntur in eundem scopum: ideo Paulus dicit eundem potum, & eundem cibum: & Ezechiel dicit *idem fuisse animal.* Interea nihil est absurdi, si dicamus aliquid mutatum fuisse in visione. Nam quum Deus se initio patefecit, erat in terra profana: nunc visio magis accedit ad formam Sanctuarii,

ductrii, quia per Spiritum raptus fuit, ut videret abominationes, quibus Judæi Templum inquinaverant, ut ante dictum fuit. Quum ergo facies bovis oblata fuisset Prophetæ prope fluvium Chebar, nunc ut intelligat esse Angelos, vel Cherubim animalia, neque quatuor capita ipsum abstrahant: ideo proponitur facies Cherub, ut illo indicio admonitus statuat unumquodque animalium nihil aliud esse quam Angelum, vel Cherub: tametsi differat à recepta forma, cujus Deus proposuerat exemplar Mosi in monte. Jam tenemus cur Deus deflexerit à Legis suæ præscripto, quum obtulit hanc visionem suo Prophetæ: quia scilicet ita degeneraverat populus ab omni pietatis sensu, ut non posset doceri simplici Legis ratione vel regula, sed opus haberet crassis adminiculis: hoc est unum. Deinde quatuor animalia ponuntur, ut Deus significet virtutem suam diffundi per totum mundum. Deinde quatuor capita tribuuntur singulis animalibus, ut sciamus nullam mundi partem eximi ab ejus providentia; & ab arcana inspiratione, quæ efficax est per Angelos. Jam quod ad postremum membrum pertinet, quum ante visa fuisset facies bovis Prophetæ, nunc apparet facies Cherub, ut intelligat animalia illa nihil aliud esse quam Angelos: sed propter illam rationem Deum induere Angelos suos nova forma, quia scilicet major erat populi socordia, quam ut caperent quod debuerant familiariter cognoscere, quandoquidem minime per eum steterat, quo minus imbiberent doctrinam pietatis à prima pueritia. Nunc sequitur,

15. Et ascenderunt Cherubim: ipsum est animal quod videram in fluvio Chebar.

Cur dicat *Cherubim ascendisse* suo loco postea explicabimus. Ultimus enim & præcipuus hujus visionis scopus fuit, Deum non amplius habitaturum in Templo, quia inde migrare decreverit propter impias & nefandas profanationes, quibus Templum fuerat contaminatum. Nunc hac ratione dicit, *Cherubim ascendisse*: sed adjungit *illud fuisse animal, quod viderat prope fluvium Chebar*. Hoc adjungit ad certitudinem visionis, quia si semel tantum fuisset oblata, poterant ambigere Judæi, deinde obscuritas ipsa poterat gustum tollere, & reddere quasi insipidam doctrinam Propheticam. Quum autem repetitur visio, Deus confirmat ac sancit quod alioqui non satis fuisset probe obsignatum cordibus populi. Nam & experientia hoc docet, proficere nos in fide, & facere ulteriores progressus, prout Deus iterum & sæpius nobiscum loquitur. Nam etiamsi videmur nobis assequi quod didicimus ex Scriptura, tamen si eadem sententia occurrat, melius eam concoquimus. Deinde etiam si apud duos aut tres Prophetas legimus eandem sententiam, Deus adhibet plures testes, ut ita melius stabiliatur veritas: quoniam scimus quanta sit nostra ad dubitationem propensio: fluctuamur semper: & quamvis sermo Dei satis in se virtutis habeat ad nos confirmandos, nutamus subinde nisi variis adminiculis fulciantur mentes nostræ. Sic ergo Deus voluit bis idem Prophetæ suo ante oculos ponere, ut prior visio plus haberet certitudinis non modo apud Prophetam ipsum, sed etiam apud omnes Judæos. Diximus autem quamvis fuerit nonnihil diversum, tamen optime congruere quod Propheta dicit fuisse unum & idem animal. Sequitur,

16. Et quum proficiscebantur Cherubim, proficiscebantur rotæ è regione ipsorum: (*vel juxta ipsos*) & quum attollerent Cherubim alas suas in sublime è terra, non revertebantur rotæ, etiam ipsæ è regione ipsorum.

Iterum confirmat Propheta quod antehac, nempe rotis nullum fuisse motum intrinsecum: sed fuisse tractas arcano instinctu, simulatque se movebant Cherubim. Hinc colligimus rerum eventus non esse fortuitos, neque excitari hinc inde aliquo cæco impetu, sed dirigi occulta Dei virtute, idque per Angelos. Primo dicit, *quum proficiscebantur Cherubim, etiam simul proficiscebantur rotæ*: deinde *quum Cherubim tollebant sursum alas, rotæ sequebantur eundem cursum, neque revertebantur*, hoc est, non abstrahebantur à consensu illo, de quo jam dictum fuit. quomodo autem rotæ non fuerint reversæ, clarius crastino die explicabimus.

Da omnipotens Deus, quando opus & figmentum manuum tuarum sumus, ut sciamus nos non nisi in te uno esse & moveri, ut ita nos tibi subjiciamus, neque tantum regamur occulta tua providentia, sed ita appareat nos tibi sponte obsequi & esse morigeros, sicuti filios decet, ut studeamus glorificare nomen tuum in terris, donec perveniamus ad fruitionem beatæ illius hæreditatis, quæ nobis reposita est in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA SEPTIMA IN EZECHIELEM.

COEpimus heri exponere Prophetæ sententiam, ubi dicit *rotas fuisse elevatas simul cum animalibus*. Breviter autem docuimus sic pendere à motu Angelico & inspiratione quicquid cernimus in creaturis, ut sit quasi individuus nexus. Nunc addit Propheta, *rotas non fuisse reversas*: qua parte exprimit continuum tenorem. Fieri enim posset ut ad tempus appareat consensus aliquis, sed contingat aliqua subita mutatio. Propheta autem dicit rotas sic fuisse elevatas cum animalibus, ut nunquam ab ipsis discesserint. Tenemus ergo ejus mentem. Antehac idem etiam asseruit de animalibus: & illic solvenda fuit species repugnantiæ, quæ poterat injicere scrupulum. Dicebat enim animalia fuisse reversa, & non fuisse reversa: sed conciliavimus hæc duo, quod scilicet animalia nusquam deflexerint nisi peracto suo cursu, & quasi finito spatio & confecto: interea reversa sunt, quia currebant instar fulguris, nempe quia ab una actione ad novas alias properabant. Interea Propheta docere voluit, in operibus Dei nihil esse abruptum, nihil concisum, nihil mutilum: sed Angelos sic dirigere omnes actiones, omnes rerum eventus, ut quicquid statuit Deus ad finem suum perveniat. Hoc autem non obstat quo minus Deus varie operetur, & postquam ad metam unam pervenit, incipiat novum cursum. Nunc sequitur,

17. Et

17. Et quum ſtarent animalia, ſtabant etiam: & quum elevarentur elevabant ſe: quia ſpiritus animalis in ipſis.

Quemadmodum nuper dixit rotas fuiſſe morigeras ad agitationem animalium, ita nunc dicit ſimul cum ipſis ceſſaviſſe. Sed in hac parte videri poſſet ſubeſſe aliqua abſurditas. Neque enim conſentaneum eſt, Angelos unquam ceſſare. Scimus celebrari eorum celeritatem ac promptitudinem in exequendis Dei mandatis: *Pſal 103. v.20, 21.* deinde quum Angeli ſint Dei virtutes, ſequitur nunquam deſiſtere ab operandi munere. Deus enim nunquam feriatur. Suſtinet mundum ſua virtute, minima quæque gubernat, ut non cadat in terram paſſerculus ſine ejus decreto. *Mat 10. verſ. 29.* Et nota eſt ac celebris illa ſententia Chriſti, Pater meus & ego operamur huc uſque. *Joan. 5. verſ. 17.* Quum ergo Deus nunquam ab operibus ſuis ſuperſedeat, quomodo intelligenda erit hæc ceſſatio, de qua Propheta loquitur, *quum Angeli ſtarent, ſtabant & rotæ?* Reſpondeo, hoc referri ad humanum ſenſum. Tametſi enim aſſidue operatur Deus per Angelos, videtur tamen aliquando interquieſcere. Neque enim æquabili modo temperat ſua opera: & ſicuti aliquando cælum pacatum eſt, aliquando turbulentum: ſic etiam apparet varietas in operibus Dei, ex qua imaginari promptum eſt, Deum aliquando eſſe in vehementia motus, aliquando autem ſtare vel quieſcere. Hæc igitur eſt intermiſſio de qua nunc loquitur Propheta, quum dicit *animalia ſtetiſſe, & ſimul cum ipſis rotas.* Et experientia idem confirmat. Deus enim interdum videtur miſcere cælum terræ, & nos expergefacit inſolitis operibus: aliquando videtur fluere curſus operum ejus inſtar placidi fluvii. Ita abſurdum non eſt, *rotas ſtetiſſe cum animalibus, & ſimul profectas eſſe vel elevatas.* Addit *ſpiritum animalis fuiſſe in rotis.* Expoſui hanc particulam 1 cap. ſed breviter adhuc tenendum eſt, ſpiritum hic ſumi pro arcano vigore aut inſtinctu. Rotæ proprie non ſunt animatæ, quia diximus hac voce nobis repræſentari rerum eventus, & quæcunque videntur accidere in mundo: ſed illic eſt incomprehenſibilis vigor, & agitatio ex imperio Dei: ita ut omnes creaturæ animentur motu Angelico: non quod fiat converſio Angeli in bovem, vel in hominem, ſed quia Deus exerit ac diffundit virtutem ſuam modo occulto, ut nulla creatura contenta ſit proprio ſuo vigore, ſed animetur ab ipſis Angelis. Nunc ſequitur,

18. Et egreſſa eſt gloria Jehovæ è limine domus, & ſtetit ſuper Cherubim: & ſuſtulerunt Cherubim alas ſuas, & aſcenderunt è terra in oculis meis: quum egrederentur, rotæ etiam coram ipſis: & ſtetit ſuper limen portæ Jehovæ Orientalis: & gloria Dei Iſraël ſuper ipſa ſurſum.

Hic docet Propheta quod præcipuum eſt in hac viſione, Deum egreſſum fuiſſe è Templo. Scimus quanta confidentia jactaverint Judæi ſe fore ſemper tutos & ſalvos ſub Dei cuſtodia. Quia enim promiſſio data fuerat, Templum fore Dei requiem *Pſal. 132. verſ. 14.* ubi habitaret, non putabant fieri poſſe, ut unquam ab ipſis migraret Deus: ita licentioſe peccabant: & quum Deum procul rejicerent ſuis ſceleribus, volebant tamen quaſi devinctum tenere. Hæc ſtultitia ridetur apud Jeſaiam, *Jeſa. 66. verſ. 1.* Cælum eſt ſedes mea: terra autem ſcabellum pedum meorum: quam igitur domum extruetis mihi? Deus juſſerat ſibi extrui Templum, & volebat illic terreſtre domicilium habere: dicit autem illud eſſe nugatorium: quomodo? Nempe quum promitteret ſe in Templo habitaturum, volebat illic nomen ſuum pure & rite invocari. Atqui Judæi modis omnibus Templum inquinaverant. Ergo fruſtra putabant Deum illic eſſe incluſum: quia eo non ſpectavit ejus liberalitas, ut ſe captivum addiceret Judæis, ſed ut ipſos haberet ſibi obſequentes. Merito itaque dicit Jeſaias domum illam non poſſe aptari in uſum Dei, nempe quia profanata erat. Sic etiam vidimus apud Jeremiam, *Jere. 7. verſ. 4.* Nolite confidere in verbis mendacii, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ, Templum Jehovæ. Repetitio illa ponitur, quia ſubinde elati ſua pervicacia Judæi Prophetis reſiſtebant: & quoties objecta fuerat aliqua comminatio, ſtatim confugiebant ad illud aſylum, Templum Domini. Hac igitur ratione nunc Propheta refert *gloriam Dei egreſſam fuiſſe è Sanctuario.* Fuiſſet enim alioqui abſurdum quod vidimus: miſſus eſt qui incendium ſpargeret per totam urbem: hoc modo Templum ſimul conflagraſſet, & Deus fuiſſet ita conſumptus proprio igne: ego hic loquor vulgari modo: quia quum Arca fœderis vocetur Deus exercituum, *2 Sam. 6. verſ. 2.* qui fieri potuit ut ignis Arcam ſimul cum aliis omnibus Templi partibus perderet? Sed occurrit Deus ipſe, & oſtendit Templum fore vacuum ſua gloria dum excidetur ab hoſtibus. Poſtea Templum dirutum fuit. Et in Pſalmo deſcribitur lamentabilis ejus ruina, *Pſal. 74. & 79.* quam crudeliter & ſuperbe, & quam barbara contumelia hoſtes inſultaverint: hoc fuiſſet valde indignum, & turbaſſet infirmas mentes. Ergo neceſſe fuit hoc perſuaſum eſſe fidelibus, Deum non amplius habitare in Templo, ſed reſtare duntaxat inane ſpectaculum, quia inde abſtulerat ſuam gloriam, quum ſcilicet tot inquinamentis locus ille fuiſſet corruptus. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ, ubi dicit *gloriam Jehovæ è limine domus fuiſſe egreſſam & ſtetiſſe ſuper Cherubim.* Jam autem dixerat Cherubim alas ſuas elevaſſe, quod iterum confirmat. Unde ſequitur, Deum cum ſuis Angelis, relicto Templo, deſerere Judæos, ut fruſtra in poſterum jactarent ſe quietos fore ſub ejus præſidio. Dicit ergo *Cherubim elevaſſe alas ſuas, & aſcendiſſe è terra coram oculis ſuis.* Non eſt ſupervacua hæc particula, quoniam difficile erat perſuaſu Judæis quod dixit de migratione. Celebre erat oraculum, Hic habitabo quoniam elegi eam. *Pſal. 132. verſ. 14.* Quum illud arriperent, putabant citius fore ut ſol è cælo excideret, quam ut Deus relinqueret Templum illud. Verum Propheta dicit *ſe palam vidiſſe,* ne qua maneat dubitatio. Si quis hic roget quomodo ſimul conveniant promiſſio illa quam retuli, & diſceſſus quem nunc Propheta commemorat: facilis reſponſio eſt, modo teneamus Deum non ſemper operari humano modo, neque pro captu carnis noſtræ. Videtur ſæpe Deus ita abrumpere ſua opera, ut initium careat ſuo fine: denique videtur Deus interdum ludere, & retrahere manum ſuam, ut eventus non reſpondeat lætis principiis. Quoniam ergo apparet ſecundum carnis ſenſum talis fruſtratio in operibus Dei, neceſſe eſt ita loqui: alioqui nunquam caperemus quomodo egreſſus fuerit Deus è Sanctuario, ubi tamen ſedem perpetuam elegerat. Sed ita diſceſſit, ut tamen locus maneret ſacer, & coram Deo ſtaret Templum, quod everſum fuerat in hominum oculis. Viſibilis Templi facies fuit ablata, ſed interim quoniam Templum fundatum erat in promiſſione Dei, ſtetit inter illas ruinas, ut dixi. Hac ratione Daniel quamvis *Dan 6. verſ. 10.* ſolitudo & vaſtitas deberent avertere ejus oculos & ſenſus à Judæa, precatus eſt tamen verſus illam partem acſi Templum maneret integrum. Quare? Reſpexit enim ad promiſſionem. Et hac ratione etiam Prophetæ poſt reditum dixerunt, Gloria ſecundi

cundi

cundi Templi superabit gloriam prioris: ita loqui-
Agg. 2. vers. 10. tur Propheta Aggai capite 2. Et scimus quam pro-
lixe & magnifice Jesaias differat de splendore se-
Jesa. 60. vers. 7. cundi Templi, & inæstimabili gloria. Videbimus etiam similem doctrinam in fine hujus libri. Quum ergo Templum coram Deo steterit, quia fundatum erat in ejus promissione, temporalis hic discessus non potuit abolere quod jam dixi de perpetua Dei
Psal. 89. statione. Idem & de regno dicendum: regnum illud
v. 37,38. stare debuit quamdiu sol & luna in cælo fulgerent, verum est: & tamen fuit tristis interruptio per multos annos. Scimus enim quanto dedecore affectus fuerit Rex ultimus: deinde quomodo conciderit omnis dignitas, ita ut nihil poterit illic conspici præter horribilem Dei vindictam. Et tamen promissio illa semper habuit suum effectum, Quamdiu stabunt sol & luna testes mihi fideles erunt de perpetuitate regni. Nunc ergo tenemus quomodo migraverit Deus è Templo suo: & tamen non detraxerit quicquam fidei suæ promissionis. Dicit autem *gloriam Dei Israël stetisse ad portam Orientalem, sed sursum, ita ut elevaretur* è terra. Ascensus autem iste eo tendebat, ut scirent Judæi non amplius sibi quærendum esse Deum in illo lapideo ac ligneo domicilio, quia non modo sedem ipsam reliquerat, sed ascenderat sursum, ne quid amplius haberent cum ipso commercii. Nunc sequitur,

19. Ipsum est animal quod videram subtus Deum Israël in fluvio Chebar: & cognovi quod Cherubim essent.

Repetit quod ante vidimus, nempe visionem unam bis oblatam fuisse, quia Deus volebat obsignare quod alioqui poterat esse ambiguum. Propheta quidem satis persuasus erat, Deum sibi esse visum: sed quia debuit obire magna certamina, non frustra confirmatus fuit. Interea notandum est, confirmatam fuisse visionem secundo, non in privatum modo usum unius hominis, sed ut prodesset hæc obsignatio toti populo: vel saltem redderet inexcusabiles qui ita spernerent tam manifestam Dei gratiam, & tam liquido sibi patefactam. Dicit ergo *hoc fuisse animal quod viderat subtus Deum Israël.* Cap. 1. retulit fuisse in expansione cæli solium, ubi sedebat qui erat similis homini externa forma, & tamen non erat homo. Illic vidimus sermonem haberi de vero & unico Deo: & tamen non posse exponi sermonem illum de Patre, sed necessario competere in Filium. Hæc igitur duo adhuc nobis tenenda sunt: & Propheta hic omnem dubitationem eximit, dum nominat *Deum Israël* illum *homini similem*: quod non posset aptari Patris Personæ. Similitudo illa debet quasi confessa esse inter omnes pios. Non est igitur hac de re movenda controversia. Nam Sabellius, qui sustulit distinctionem Personalem, fuit satis superque refutatus cum suo delirio. Quoniam igitur Pater nunquam induit formam vel similitudinem hominis, & nusquam legitur in Scriptura, ipsum conferri homini: necesse est hoc de Christo exponere. Atqui nunc testatur Ezechiel *illum esse Deum Israëlis.* Videmus ergo quam insulse garriant hodie nebulones, qui Ecclesias turbare cuperent quum faciunt Christum quendam Deum transfusum à substantia Patris. Fatentur quidem Deum esse, sed merus est fucus: quoniam dicunt Deum Patrem esse Deum Israëlis, & hunc titulum non posse vel Christo, vel Spiritui aptari. Mentitus est igitur Spiritus per os Prophetæ, quum dicit *Deum Israëlis apparuisse in hominis forma.* Est itaque insignis hic locus ad refutandum illud delirium, quo nebulones hi se & alios fatigant, dum Christum sic fatentur Deum esse, ut tamen veram Deitatem eripiant, quia dicunt à Patre deificatum. Dicit *etiam se cognovisse quod Cherubim essent.* Ergo profecit in secunda visione hac. Nam tametsi antehac cognoverat Deum sibi apparuisse, de animalibus tamen non fuerat certa cognitio. Itaque manebat quodammodo suspensus quo ad animalia. Nunc autem postquam familiariter patefecit illi Deus visionem in Templo, dicit *se fuisse edoctum quod Cherubim essent.* Ita confirmatur quod heri diximus, mutatam fuisse faciem bovis in faciem Cherub, ut Propheta intelligeret sub specie Cherubim sibi designari Angelos, qui circumdabant Arcam fœderis. Pergamus.

20. Quatuor, quatuor (*id est, quaternæ*) facies uni, & quatuor alæ uni: & similitudo manuum hominis sub alis ipsorum.

Videtur Propheta verbosus esse in rebus minime dubiis. Jam loquutus est de quatuor capitibus. Cur ergo iterum repetit? Nempe quia negotium erat cum lento populo, atque etiam præfracto. Pigri erant ad capiendam doctrinam Propheticam: sed accedebat vitium deterius, quod scilicet quasi ex professo semper conati sunt detrahere auctoritatem omnibus Prophetis. Hac igitur de causa Propheta dicit fuisse *quaterna capita, & quaternas alas animalibus*, nempe ne scurriliter eluderent Judæi, fuisse aliquod inane spectrum, & delusum fuisse Prophetam, quia putaret se videre quod nusquam erat. Hac ratione igitur inculcat sæpius quod per se satis erat clarum, si Judæi fuissent dociles & morigeri. Sequitur,

21. Et similitudo facierum ipsis, facies quam videram super fluvium Chebar, aspectus eorum, & ipsa: (*animalia, vel ipsi Cherubim*) quisque (*Cherub*) ad (*versus*) faciem suam proficiscebatur.

Prosequitur eandem sententiam, nempe nihil fuisse obscurum vel perplexum in visione hac, quoniam omnia simul congruebant. Vigebat in animo Prophetæ memoria visionis quam acceperat: nunc autem ubi rapitur in Templum, agnoscit eundem Deum, & easdem formas, quibus ante edoctus fuerat. Videmus ergo occurrere eorum protervia, qui alioqui jactassent ipsum afferre sua figmenta, nec habere quicquam compertum. Cohibet igitur Propheta hanc petulantiam, & ostendit Deum sibi certo apparuisse, idque secundo. Jam quum dicit *unumquodque animal profectum esse versus faciem suam*, minime dubium est quin hoc ad actiones referat. Significat ergo Angelos non errare in suo cursu, quemadmodum fieri solet si quis huc & illuc respiciat, vel deserat viam, vel divertat ad dextram aut ad sinistram. Propheta igitur dicit sic profecta fuisse animalia, ut unumquodque intentum esset ad suum finem vel scopum: quia si esset turbulentus motus in Angelis, non essent ministri Dei. Denique significat Propheta, Angelos non modo fuisse agiles & paratos ad obsequium, sed simul fuisse compositos & formatos ad certam regulam, ut ne tantillum quidem deflecterent ab imperio & nutu Dei. Jam sequitur,

Cap. XI.

ET sustulit me Spiritus & introduxit me ad portam domus Jehovæ Orientalem, (*quæ respicit Orientem*) & ecce in limine portæ viginti quinque viri: & aspexi in medio ipsorum (*id est, inter ipsos*) Jeazaniah filium Azur, & Pelthiah filium Benajah principes populi.

2. Et dixit ad me, Fili hominis, isti homines cogitant vanitatem, & consultant consilium perversum in urbe hac.

Mat. 15. vers. 14. Luca 6. vers. 39.

Hic Propheta totum populum admonet, duces perversos causam fore ipsis exitii. Nam si cæcus cæcum ducat, ambo cadent in foveam. Sic ergo quum tunc proceres urbis essent scelesti apostatæ, traxerunt secum totum populi corpus in eandem ruinam. Jam ergo Propheta ostendit, adeo corruptum esse urbis statum, ut nulla spes supersit veniæ, quoniam qui debuerant esse oculi totius populi, tenebras obduxerint. Nominat autem *viginti quinque Seniores*. Unde probabile est, fuisse tunc numerum illum delectum in rebus confusis, vel numerum hunc finitum poni pro indefinito: & hoc secundum magis amplector. Quicquid sit, intelligit eos qui gubernacula populi tenebant, fuisse impios Dei contemptores: ideoque non esse mirum si pridem cœpisset grassari in toto populo impietas & defectio à Deo ejusque Lege. Sed notandum est consilium Prophetæ. Solent enim gregarii homines semper objicere loco clypei suos præfectos, quemadmodum hodie videmus fieri in Papatu. Nam hoc est illis ultimum refugium, si causentur nullius se culpæ esse conscios ubi obediunt sanctæ matri Ecclesiæ. Talis etiam olim fuit populi contumacia. Denique semper homines prætextu erroris vel ignorantiæ libenter rejicerent à se omnem culpam. Ideo nunc Propheta ostendit non ideo fore urbem à Dei vindicta immunem, quoniam fuerit corrupta à suis ducibus, & præfectis: imo potius hanc fore exitii causam, quod populus nimium fuerit flexibilis ad perversa exempla. Interim notanda est nobis libertas Prophetæ, quod hic intrepide aggreditur nobilissimos quosque principes. Erat quidem extra periculum, quia degebat in exilio: sed videtur sibi esse Hierosolymæ quum vaticinium hoc profert. Ostendit igitur animi sui fortitudinem quum non parcit ipsis proceribus. Et hinc colligitur utilis doctrina, eos scilicet qui existimatione vel gradu honoris excellunt, non tamen à reprehensione eximi, si male & perperam se gerant: quemadmodum videmus factum esse in Papatu. Nam quod ad Papam ipsum spectat, in ejus arbitrio est totum mundum damnare: interea se eximit ab omni reprehensione. Quantum ad Episcopos spectat, nunc requiruntur viginti, nunc triginta testes: postea ventum est usque ad septuaginta. Ergo unus ex illis cornutis bestiis non poterit convinci, nisi totus populus surgat: sic etiam olim factum fuit. Sed hic ostendit Propheta, quamvis emineant qui præditi sunt potestate in populo, non tamen esse sacrosanctos, vel privilegio singulari solvi ab omni lege, quin Deus libere judicet per Spiritum suum, & per Prophetas suos coarguat. Denique si volumus rite officio nostro defungi, ubi injunctæ sunt nobis docendi partes, facessat omnis προσωποληψία: & qui gloriantur se excellere supra alios, subjiciantur tamen Dei censuris. Hac ratione sequitur,

3. Qui dicunt, Non in propinquo: ædificare domos: (*hoc est, ædificemus*) ipsa est olla, (*vel lebes*) nos autem sumus caro.

Hic clarius explicat Propheta quod poterat esse obscurum de perversis consiliis. Producit igitur in medium quod putabant impii illi posse obtegi multis fallaciis. Scimus enim ut hypocritæ conentur configere oculos Deo, & quum spargunt suas nebulas putant etiam quodammodo illum esse excæcatum.
Jesa. 32. vers. 8. Hac ratione dicit Jesaias Deum quoque sapere, & deridet illam astutiam, quod ita putent se posse oblinere Deo oculos, dum variis integumentis operiunt sua scelera. Quum ergo talis esset contumacia in istis hominibus, Propheta hic detrahit illis larvam. Poterant enim tergiversari de perversis consiliis, negare se quicquam tale esse promeritos. Propheta autem hic ansam illis præcidit, quod scilicet satis superque pateat eorum impietas, dum jactant nondum propinquum esse tempus, ideoque posse quasi per otium, & rebus pacatis extrui domos Hierosolymæ. Instabat quemadmodum vidimus apud Jeremiam, tempus ultimi interitus: quicquid erat in urbe residuum jam destinatum erat ultimo exi-
Jere. 29. vers. 5. tio: & hac ratione Jeremias etiam jubebat domos extrui in Chaldæa & extraneis illis regionibus, quoniam scilicet longa mora captivis illic trahenda esset usque ad 70 annos. Quum ergo præfixum illud tempus jam instaret, fuit hic prodigiosus stupor sese opponere, & ludibrio habere Dei minas, & jactare adhuc esse tempus ædificandi. Nunc ergo videmus quid reprehendat & damnet Propheta in viginti quinque viris, qui erant populi principes, nempe quod populum obduraverint ad obstinatam malitiam, induxerint torporem, ut comminationes Propheticæ nullius essent momenti. Quum ergo ita populum obstupefacerent suis blanditiis, & adimerent omnem sensum pœnitentiæ, excuterent etiam omnem metum vindictæ Dei, quæ denunciata erat: hanc pravitatem in ipsorum consiliis Propheta damnat. Sed in secundo membro magis detestabilis apparet contemptus, quum dicunt *Jerusalem esse ollam, ipsos vero carnem*. Non dubito quin alludant ad prophetiam Jeremiæ. Capite enim *Jerem. 1. vers. 13.*
primo ostensa fuit olla, ignis autem erat à Septentrione: ita tunc docere voluit Spiritus, venturos esse Chaldæos instar ignis qui consumerent Hierosolymam, quemadmodum si olla admovetur ad ignem magnum & continuum, etiamsi plena sit aqua & carnibus, consumitur tamen quicquid intus est, succus quoque carnis longa coctione exuritur. Deus hoc demonstraverat per servum suum Jeremiam: hic derident Judæi, & facete eludunt quod tamen non levem metum ipsis incutere debuerat, nisi fuissent nimis socordes: *ecce*, inquiunt, *nos sumus caro, & Jerusalem est olla*. Interim videntur lepide incessere Prophetam Jeremiam, quasi secum pugnaret. Quid? tu minaris nobis captivitatem: & interea dicis urbem hanc fore ollam, & Chaldæos fore ignem. Si Deus vult nos coquere, ergo maneamus intus: ita licebit nobis ædificare domos. Nunc tenemus ut quæsierint speciem aliquam repugnantiæ in Prophetæ verbis: quemadmodum reprobi & profani homines semper captant argutias, quibus elevent atque extenuent omnem fidem doctrinæ cælestis, imo ut eam in nihilum redigant, si fieri posset. Propheta ergo reme-

remedium adhibet huic malo, quemadmodum videbimus. Sed antequam illuc descendat, refert impia eorum dicteria, quod scilicet *Jerusalem foret olla, ipsi autem caro.* Vertebant in contrarium sensum quod dictum fuerat. Propheta enim dicebat eos esse exarsuros, quoniam Chaldæi futuri erant instar ignis: ipsi autem dicebant, Bene, nos elixabimur: sed fiet illud leviter, ita ut maneamus salvi usque ad ultimum senium. Hinc colligimus quam diabolica sit eorum audacia, qui excæcati sunt justo Dei judicio, ut non dubitent petulanter Deum ipsum incessere, & suis ludibriis evertere auctoritatem doctrinæ ipsius. Sed videmus ex altera parte quam fideliter Ezechiel functus fuerit suis partibus: creatus fuerat Propheta: jam non satis habuit munus suum seorsum exequi, sed fuit adjutor Jeremiæ. Et non possumus etiam aliter nostram operam impendere Deo, & Ecclesiæ ejus, nisi ubi mutuo porrigimus nobis manus: ubi ministri inter se conjuncti sunt, & alter alterum juvare studet. Hoc igitur Ezechiel nunc significat, quum ita se socium & adjutorem Jeremiæ profitetur.

Da omnipotens Deus, quando ex veteri populo cognoscimus quanta sit nostra durities, nisi flectamur Spiritu tuo, imo toti renovemur in obedientiam tuæ doctrinæ: quoties audimus tuas minas, ut terreamur serio, & non tantum ad momentum, sed ut continuo affectu pœnitentiæ studeamus nos tibi restituere in verum & perfectum obsequium, donec tandem colligamur in beatam illam quietem, quæ nobis parta est sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA OCTAVA

IN

EZECHIELEM.

4. Propterea prophetiza contra eos, prophetiza fili hominis.

Heri vidimus ut Judæi scurriliter eluserint prophetias Jeremiæ: præsertim vero quum illis minitaretur Dei vindictam. Dixerat enim sibi oblatam fuisse visionem, in qua Hierosolyma erat similis ollæ, ignis autem à Septentrione erat accensus. Per ludibrium dicebant se tuto posse quiescere in urbe, quia nondum essent cocti, sed crudi. Si verum est illud vaticinium, dicebant, nondum nec tam cito egrediemur ex urbe. Nam Deus prædixit nos fore carnem, quæ sit elixanda: si hæc urbs est lebes, oportet nos hic manere donec simus cocti: id autem nondum accidit. Ergo vanum est quod nunc pronunciat Jeremias, brevi nos tractum iri in exilium: quia hæc inter se dissident, Deum velle nos quiescere in hac urbe, & velle trahere in regionem longinquam. Quum ita sit, vanus est Jeremias in suo vaticinio. Sic igitur ludebant. Deus autem jubet alterum Prophetam suum contra eos insurgere. Et emphatica est repetitio in verbo, *prophetiza, prophetiza contra eos.* Nihil enim minus tolerabile, quam homines ita petulanter spernere iram Dei, quæ debet formidinem incutere omnibus. Nam si coram ipso liquefiunt montes, si Angeli ipsi contremiscunt, qui fit ut audeat vas testaceum ita confligere cum suo opifice? [*Jesa.* 64. *vers.* 1, 2. *Job.* 41. *vers.* 16.] Et videmus etiam quantopere excandescat Deus contra talem pervicaciam: præsertim ubi denunciat per os Jesaiæ hoc peccatum fore inexpiabile: Vocavi, inquit, vos ad cinerem & cilicium: contra autem excepistis, Epulemur & bibamus: & ludibrio vobis habitæ sunt comminationes meæ. [*Jesa.* 22. *vers.* 12, 13, 14.] Nam fuit illud vobis in proverbium, Cras moriemur: Vivo ego si unquam remittatur vobis hæc iniquitas. Jurejurando affirmat Deus se nunquam fore placabilem impiis & profanis judicii sui contemptoribus. Hac ratione etiam nunc secundo repetit, *prophetiza, prophetiza.* Pergamus.

5. Et cecidit super me Spiritus Jehovæ, & dixit mihi, Dic, Sic dicit Jehovah, Sic dixistis domus Israël: & ascensiones spiritus vestri, ego novi ipsam. (*est mutatio numeri.*)

Hic impiam scurrilitatem populi retorquet Propheta in alium sensum. Corruperant enim quod dictum fuerat à Jeremia. Sciebant quidnam hoc sibi vellet de olla & igni: sed putabant se posse avertere vindictam Dei si faceti essent. Hic Propheta alium sensum profert, non illum Jeremiæ, neque etiam quem confinxerant, sed tertium. Vicesimo quarto capite iterum denunciabit ipsos fore instar carnis, quia Deus projiciet elixandos in ollam, ut etiam ossa ipsa consumat. Sed hoc in loco nihil aliud spectat Propheta, quam ut refellat impium illud dicterium, quo putabant se tenere Jeremiam quasi illaqueatum, quod scilicet non satis consentiebant ejus prophetiæ. Quid igitur dicit? Primo refert *Spiritum super se cecidisse*, ut vaticinio fidem conciliet. Nam si ex proprio sensu loquutus esset, poterat impune repudiari. Qui enim loquitur, debet proferre sermonem Dei, & esse organon Spiritus ejus. Jactat hoc Papa cum suis: sed fideles ac probos Dei servos reipsa hoc præstare oportet, nempe ut sua commenta non jactent, sed accipiant ex manu Dei quod tradant populo: & ita fideliter fungantur sua legatione. In hunc finem dicit Propheta *Spiritum cecidisse super se.* Tametsi enim ante præditus fuerat prophetiæ dono, oportuit tamen quoties prodibat in medium, renovari gratiam illam: quia non satis est nos semel imbutos fuisse illuminatione Spiritus sancti, nisi quotidie in nobis operetur Deus. Quoniam ergo prosequitur sua dona in servis suis quantisper illorum opera utitur: ideo non frustra dicit Ezechiel *Spiritum adhuc sibi datum esse*, quia necessarium fuit hoc donum in singulos actus. Deinde clarius exprimit quod dixerat, nempe *Spiritum loquutum esse.* Significat autem sibi dictatum fuisse quicquid paulo post subjiciet. Hic ergo admonet Judæos ne sibi impunitatem stulte promittant, ubi contempserint ejus prophetias, quandoquidem à seipso non loquitur, sed tantum refert quæ Spiritus suggessit ac dictavit. *Ita loquuti estis domus Israël*, inquit, *& ascensiones cordis vestri ego novi.* Deus hic præcise urget Judæos, ne quid sperent se posse consequi tergiversando. Scimus enim quam audacter & secure hypocritæ rejiciant omnem doctrinam, nec dubitent litigare cum Deo, dum reperiunt multos prætextus, quibus se excusent. Nullus ergo esset finis, nisi Dominus occurreret, & pro summo imperio & potestate judicis ostenderet frustra ipsos subterfugere, & afferre exceptiones vanas & nullius momenti. Huc spectat nunc consilium Prophetæ quum dicit *quicquid illis in cor ascendit esse Deo cognitum.* His autem verbis intelligit frustra eos quærere theatrum in mundo, quasi aliquid proficiant

ciant si causam suam probaverint hominibus: dicit illud esse vanum, quia tandem veniendum erit in forum cæleste, ubi Deus solus erit Judex. Nunc ubi cogitationes nostræ Deo notæ sunt, frustra eacipimus hoc vel illud: quia Deus non admittet nostra subterfugia, nequr patietur sibi illudi nostris facetiis & argutiis. Nunc ergo tenemus quorsum specter Propheta, quum dicit *Deum cognoscere quicquid ascendit in cor Judæis*: quia scilicet alioqui nunquam destitissent fallaciis suis contendere & jurgari, ut prophetiis omnibus fidem abrogarent. Hinc etiam patet doctrinæ utilitas, frustra scilicet nos captare acumen, ut possimus elabi nostris obliquis cogitationibus: quia Deus vider astutias hominum: & dum cupiunt esse ingeniosi, deprehendit ipsos, & ostendit vanum esse quicquid putarunt esse summam sapientiam. Ita studeamus nos Deo probare, neque æstimemus opera nostra & consilia ex proprio sensu & judicio. Nunc sequitur,

6. Multiplicastis interfectos vestros in urbe hac, & implevistis compita ejus interfectis.

7. Propterea sic dicit Dominator Jehovah, Interfecti vestri quos posuistis in medio ejus, ipsi erunt caro, & ipsa olla, (*vel lebes*) & vos ejiciam è medio ejus.

Nunc Ezechiel scurras qui suis dicteriis eum Deo luserant, quasi consertis manibus aggreditur, & affert illum sensum quem paulo ante attigi, quod scilicet alio modo impleta fuerit prophetia Jeremiæ, quam ipsi imaginentur. *Vos*, inquit, *interfecistis multos:* urbs plena fuit multis cædibus. Ergo olla fuit plena carnibus: illæ carnes fuerunt coctæ. Jam non est locus in olla. Necesse est igitur vos tanquam spumas ejici, vel tanquam carnes fœtidas, quibus non reperitur olla, in qua elixentur. Videmus ergo Prophetam hic lepide cum ipsis agere, & ludere contraria facetia. Sed interea ipsos lethaliter vulnerat, dum ostendit in suum exitium ita petulanter fuisse jocatos, quum jactarent Jeremiam sibiipsi esse adversum. Confirmat igitur vaticinium Jeremiæ: & tamen non interpretatur, quia proprie & clare loquutus fuerat Jeremias, quum diceret ipsos fore carnem. Perinde enim hoc valebat acsi pronunciaret Deus se ipsos consumpturum in media urbe: factum est, quemadmodum ante vidimus: sed sparsit per aërem aliquos ex populo, alios autem gladio, alios vero fame interfecit. Quicquid sit, sem-
Jere. 1. vers. 13. per vaticinium Jeremiæ reperietur verum, quod scilicet Deus coxerit Judæos igne Chaldaico. Sed quoniam perverterant doctrinam illam, Propheta nunc non respicit quid voluerit Jeremias, sed ostendit eos nihil proficere dum ita cum Deo tergiversantur. Vos, inquit, non eritis caro, sed interfecti vestri fuerunt caro: *replevistis ollam*, hoc est, urbem interfectis, nunc vobis non est locus. Quid ergo restat, nisi ut Deus vos ejiciat tanquam carnem fœtidam? Neque coquet vos, inquit, neque elixabit in olla: sed ubi profligaverit vos, in longinquam terram, illic vos consumet. Nunc ergo videmus quantam perniciem sibi accersiverint Judæi, dum tantam jocandi licentiam sumpserunt, ut facete riderent prophetias. Dicit ergo *ipsos replevisse urbem interfectis*. Non intelligit palam jugulatos fuisse homines Hierosolymæ, sed comprehendit hac loquendi forma omnes injustitiæ species. Scimus enim homicidas coram Deo censeri quicunque miseros homines opprimunt, evertunt suis fortunis, exugunt sanguinem innoxium. Quum igitur omnis violentia coram Deo sit cædes, merito dicit *urbem fuisse repletam interfectis*. Poterant excipere Judæi, se nemini vim intulisse: non poterant quidem in conspectu hominum convinci: sed quum grassata eo usque esset inter ipsos iniquitas, ut miseris hominibus non parcerent quin eos crudeliter affligerent, dicit *urbem plenam fuisse interfectis*. Jam adjungit, quum urbs plena sit carne, non esse amplius illis locum. Nunc ostendit quamvis prædixerit Jeremias ipsos coquendos esse igne Chaldaico, tamen eo usque progressos in sceleribus, ut indigni sint qui in urbe coquantur. Manet igitur vos, inquit, gravior Dei vindicta, quoniam non desinitis ejus iram magis ac magis provocare. Sequitur,

8. Gladium timuistis, & gladium adducam super vos, dicit Dominator Jehovah.

9. Et ejiciam vos è medio ejus, & tradam vos in manum extraneorum, & exercebo in vobis judicia.

10. Et gladio cadetis: ad terminum Israël judicabo vos, & scietis quod ego sim Jehovah.

11. Ipsa non erit vobis in ollam: & vos non eritis (*subaudienda est negativa*) in medio ejus in carnem: in termino Israël judicabo vos.

Hæc omnia simul contexere oportet, quia rem unam duntaxat pluribus verbis Propheta exequitur. Primo *denunciat gladio perituros, quum sibi à gladio timuerint*. His verbis admonet, etiamsi Deus extrahat ipsos ab urbe, tamen non fore irritum Jeremiæ vaticinium, quia scilicet Chaldæi ipsos consument, acsi olla ad ignem ebulliret. Denique ostendit quam frivolum fuerit cavillum illud, quum dicerent, Si sumus caro, manebimus igitur in olla. Atqui Propheta ostendit non ita pueriliter cavillandum esse cum Deo, quia quum ostenderet ollam servo suo Jeremiæ, nihil aliud voluit quam Judæos perituros, quoniam venturi erant Chaldæi, qui ipsos consumerent. Atqui prophetiam converterant in alienum sensum, idque data opera: & putabant se esse acutos & lepidos, quum ita corrumperent cælestem doctrinam. Primo igitur dicit Propheta, *Gladium timuistis, & cadetis in gladium*. Postea addit modum, *Ego*, inquit, *adducam gladium super vos, quem timuistis*. Dicit, *extraham vos è medio ejus*. Hic modum declarat, nempe quod produret ipsos in apertum campum, ut illic facilius jugulentur. Si quis excipiat, hoc modo non fuisse elixatos in urbe, responsio facilis est, Deum scilicet non restrinxisse suam vindictam ad unam duntaxat speciem pœnæ, quum ita loquutus est per Jeremiam. Scimus enim ut varie Prophetæ judicium Dei proponant, & ita sumant subinde novas figuras. Quoniam ergo non semper eodem modo Prophetæ docent, non mirum est si quum breviter ostenderet propinquam Dei vindictam Judæis; usus fuerit illa similitudine: *cadetis*, inquit, *in gladio, & in termino Israël judicabo vos*. Hic clarius exprimit quod super attigi. Fuit quidem Dei judicium, quum extracti fuerunt Judæi ab urbe in qua putabant sibi esse tranquillum nidum. Ubi ergo in exilium violenter tracti sunt, jam exercuit in ipsis Deus sua judicia: & ex quo privavit eos patria, jam tunc cœpit esse ipsorum judex. Sed hic de graviore

judicio

judicio verba facit. Tametsi ergo Deus jam cœperat Judæos castigare ubi ipsos urbe expulit: tamen severius ipsos tractavit in finibus Israel: quia ubi ventum est in conspectum regis Babylonici, tunc 2 Reg. 25. Jere. 39. vidit Rex filios suos jugulari: deinde ipse excæcatus fuit, & tandem tractus in Chaldæam: proceres omnes occisi. Et hinc conjicere licet fusum fuisse populi sanguinem absque delectu. Nunc ergo tenemus quid velit Deus, ubi minatur *se judicaturum ipsos in finibus Israël*, hoc est, extra patriam. Denique hic duplicem pœnam denunciat, primo quod Deus ipsos ejiciet Hierosolyma in qua deliciabantur, & in qua dicebant sibi fore longam adhuc habitationem, ut prior pœna sit exilium: deinde adjungit se non contentum fore exilio, sed instare duriorem pœnam, ubi ejecti fuerint è patria, & terra ipsos evomuerit quasi fœtorem, quem ferre non poterat. *Judicabo* igitur *vos in termino Israël*, hoc est, extra terram sanctam: quum scilicet jam maledictio una apparuerit in exilio, manebit vos ultio durior & magis formidabilis. Jam adjungit, *cognoscetis quod ego sim Jehovah*. Exprobrat haudubie illis Ezechiel socordiam, quæ causa erat tantæ contumaciæ. Nunquam enim ausi fuissent tam pertinaciter cum Deo luctari, nisi obstupefactæ fuissent eorum mentes. Nam si cogitaremus nobis certamen esse cum Deo, statim horror nos corriperet. Quis enim tanta amentia laborat, ut audeat cum Deo suo & cum creatore confligere? Hunc ergo torporem oblique nunc perstringit Ezechiel, quum dicit cognituros sero Judæos sibi negotium esse cum Deo. Quamvis enim ignorantia peccarent, non sequitur tamen fuisse excusabiles. Unde enim illa ignorantia nisi quod attenti non erant ad Deum? Ergo ex incuria primum, deinde incuria illa & securitas ex contemptu: contemptus autem ex prava peccandi libidine. Quoniam ergo volebant se projicere ad omne scelus, quantum in se erat excutiebant omnem doctrinam: imo libenter obstupefacere conati essent suas conscientias, atque ita videmus ut prava cupiditas ipsos impulerit ad contemptum: contemptus autem genuerit in ipsis securitatem: unde tandem emersit hæc ignorantia. Quod ergo ad tempus non venit ipsis in mentem se pugnare cum Deo, hoc non extenuat ipsorum culpam, quia sicuti dixi, sponte & destinata malitia seipsos obstupefecerant. Interea minime dubium est quin semper pupugerit ipsos Deus, ut sentirent se peccare: sed loquitur hic Propheta de scientia experimentali, quam vocant. Impii enim tunc dicuntur Deum cognoscere, ubi percussi ejus manu agnoscunt ejus potentiam inviti: quia velim nolint sentiunt ipsum esse suum judicem. Hæc autem cognitio nihil illis prodest, imo amplificat eorum exitium. Sed tenemus consilium Prophetæ, quod scilicet Judæi lascivierint, & contempserint Dei servos: quia fingebant sibi esse negotium cum hominibus, & obducebant sibi tenebras, ne lucem, quæ oblata erat ipsorum oculis, cernerent. Pronunciat Deus tandem cognituros cum quo certaverint, quemadmodum apud Zachariam dicitur, Videbunt in quem transfixerunt, hoc est, scient Zach. 12. vers. 10. me fuisse quem vulnerarunt, quum ita superbe spreverunt servos meos, & abrogarunt etiam fidem meæ doctrinæ. Hinc autem colligimus sic confusas esse impiorum mentes, ut videndo non videant. Nam ubi experiuntur Deum judicem, re quoque ipsa coguntur fateri se sentire ejus manum: manent tamen stupidi quia nihil proficiunt, quemadmodum paulo ante dixit Propheta, Vos timuistis gladium. Atqui securi erant, ut vidimus, & spernebant omnes minas. Quisnam est igitur hic metus qui notatur à Propheta? quod scilicet impii dum sibi faciunt blanditias, & fingunt sibi pactum esse cum morte, ut dicitur apud Jesaiam, & promittunt sibi impunitatem, Jesa. 28. vers. 15. etiamsi flagellum transierit super terram: trepidant tamen, & semper sunt inquieti: quia non est pax illis, ut alibi dicitur. In summa, videmus impios Jesa. 48. vers. 22. & 57. 21. semper manere securos & stupidos: dum sunt securi, esse trepidos, & cruciari secreta impietate, quoniam urget ipsos Dei severitas. Tandem concludit *Jerusalem non fore ipsis in ollam*: sed se pœnas de illis sumpturum *in finibus Israel*. Verum hanc sententiam satis exposui. Sequitur,

12. Et cognoscetis quod ego sim Jehovah, quia in statutis meis non ambulastis, & judicia mea non fecistis: sed secundum judicia gentium quæ in circuitu vestro sunt fecistis.

Repetit quod dixerat, sero tandem cognituros quam impie & scelerate prophetias spreverint: quia hoc erat Deum ipsum è cælo detrahere. Deus enim vult reverentiam quam exigit à nobis, sermoni suo deferri. Ergo in contemptu doctrinæ perinde insaniunt homines, acsi gigantum more Deum è cælo detrahere vellent. Sed clarius causam exprimit, *quia* scilicet *non ambulaverint in Lege, & ejus præceptis: sed se implicuerint gentium superstitionibus*. Hic videmus non posse Deum insimulari nimii rigoris, quod judicium tam grave & durum exercuerit contra Judæos. Legem enim ipsis dederat. Hæc summa fuit ingratitudo, abjicere doctrinam, quæ debuerat ipsis esse familiaris, & interea accersere impios gentium ritus: hoc erat data opera diabolum ipsi Deo præferre. Ostendit ergo Deus quamvis severe acturus sit contra Judæos, tamen vindictam suam fore moderatam præ ipsorum sceleribus: quia nihil ad cumulum impietatis defuerit quum ita abjecerant ejus Legem. Quum autem dicit *non ambulasse in Lege*, sumit pro confesso principium illud, Legem non frustra traditam fuisse: sed in ea fideliter & perspicue Judæos fuisse edoctos Deut. 5. vers. 33. Jesa. 30. vers. 21. quænam esset recta via, sicuti etiam dicit Moses, Hæc est via ambulate in illa. Minime igitur dubium est, quin ad illam Mosis sententiam respexerit Ezechiel, quum dicit *Judæos non ambulasse in Lege, & non fecisse judicia Dei*. Quum ergo Deus viam monstrasset ita ut nullus esset erroris prætextus, quænam ista fuit ingratitudo, viam relinquere, & sponte se projicere in errores? Jam comparatio aggravat crimen, quum dicit *ipsos potius sequutos esse judicia & ritus gentium, quæ erant in circuitu*. Atqui tametsi habebant incredulos vicinos, Deus tamen opposuerat Legem suam instar maceriæ, quæ ipsos discerneret à profanis gentibus. Quum ergo ita procul accersiverint detestabiles ritus, & id fecerint relicta & abjecta Lege Dei, nonne hinc colligimus dignos fuisse extremo judicio? Interea notemus, quum Deus nos diu toleravit, si perstamus in nostra contumacia, nihil aliud esse residuum, nisi ut luce doctrinæ extincta, alio modo se Deum esse ostendat. Nam sermo Propheticus est nobis instar speculi, in quo se repræsentat Deus. Ubi autem claudimus oculos, imo projicimus speculum ad pedes, & confringimus, tunc Deus alio modo se nobis ostendit: hoc est, non amplius ostendere nobis faciem suam dignatur, sed manu sua nos docet, & potentiæ suæ experimento convincit nos impiæ obstinationis, quod noluerimus subjicere nos ejus doctrinæ. Sequitur,

13. Et fuit quum prophetarem, tunc Phalatias filius Benajæ mortuus eſt: & cecidi ſuper faciem meam, & clamavi voce magna, & dixi, Heus Dominator Jehovah, tu conſumptionem facies reſidui Iſraël?

Minime dubium eſt, quin eodem tempore quo oblata fuit viſio ſervo Dei, mortuus fuerit hic Phalatias. Videbimus quidem in fine capitis Prophetam ſemper fuiſſe in exilio: ſed tunc viſus eſt ſibi eſſe raptus in Templum, & viſus eſt etiam ſibi aſpicere mortuum Phalatiam. Et tamen probabile eſt domi ſuæ eſſe mortuum, non autem in veſtibulo aut limine Templi. Sed ſcimus viſiones locis non eſſe affixas. Sicuti ergo fuit per viſionem Ezechiel in Templo, ita etiam vidit mortem Phalatiæ: & hoc modo cœpit Deus quodam præludio oſtendere maturam eſſe cladem urbis. Nam Phalatias erat ex præcipuis gu-
verſu 1. hujus capitis, bernatoribus, quemadmodum dictum eſt. Nec dubium eſt quin vir fuerit magnæ exiſtimationis. Ergo præſagium fuit publici interitus mors Phalatiæ: hinc illa Prophetæ exclamatio, *Heus Dominator Jehovah, an tu facies conſumptionem reſidui Iſraël?* Nam reſtabat exiguus duntaxat numerus ex immenſa multitudine. Rapitur Phalatias: hoc modo oſtendit inſtare toti populo interitum. Fieri ergo non poterat, quin Propheta quaſi attonitus caderet in terram, & exclamaret eſſe rem minime conſentaneam, ut Deus ita reliquias Iſraël conſumeret. Oportuit enim aliquid reſiduum manere: quemadmodum alibi & ſæpius vidimus, etiam in communi totius populi clade Deum tamen ſpem aliquam facere, ne fœdus ſuum prorſus aboleretur. Hac de cauſa nunc Propheta exclamat.

Da omnipotens Deus, quando hodie non deſinimus etiam nos iram tuam provocare, ut ſaltem admoniti vaticiniis, quæ non impune olim ſpreta fuerunt à veteri populo, tangamur vero pœnitentiæ ſenſu: & nos ita tibi ſubjiciamus, ut nos humiliemus ſponte, ac nobis renunciemus: & non tantum mitiges pœnas quæ nobis alioqui impendent, ſed etiam te miſericordem oſtendas erga nos, & propitium Patrem, donec tandem fruamur plenitudine amoris tui paterni in regno tuo cæleſti, per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO VIGESIMA NONA

IN

EZECHIELEM.

Poſtrema lectione deſcripta nobis fuit Prophetæ querimonia & lamentatio ob mortem Phalthiæ. Audierat quidem à Spiritu Phalthiam, & ejus ſimiles eſſe impios contemptores Dei, & qui corruperant totum ejus cultum: exclamat tamen quum videt eum mortuum, acſi omnia eſſent perdita. Sed tenendum eſt, Prophetam non loquutum fuiſſe ex ſenſu proprio. Reſpexit enim qualis eſſet exiſtimatio & dignitas Phalthiæ. Nec dubium eſt quin excelluerit inter alios proceres, ut magna pars populi ſtatum ſuum pendere putaret ex ejus conſilio & prudentia. Quum ergo putarent fere omnes Phalthiam eſſe columen urbis & regni, non mirum eſt quod Propheta ex communi ſententia omnium præ admiratione interrogat an velit Deus conſumere quicquid eſt reſidui in populo. Et alludit ad nomen viri. Nam פלט eſt evadere, unde פליטים vocantur ſuperſtites, & qui ſalvi evaſerunt ex aliquo periculo vel clade. Quum ergo Phalthias etiam ipſo nomine præferret tale aliquid, nempe ſi quid ſpei eſſet & ſalutis ipſis, reſidere in ejus perſona: hac ratione Propheta quærit an Deus velit perdere reliquias populi ſui. Jam ſequitur,

14. Et fuit ſermo Jehovæ ad me, dicendo.

15. Fili hominis, fratres tui, fratres tui, viri propinquitatis tuæ, & omnis domus Iſraël tota ipſa: quibus dixerunt ipſis incolæ Jeruſalem, Procul diſcedite à Jehovah, nobis data eſt terra in hæreditatem.

16. Propterea dic, Sic dicit Dominator Jehovah, Quia procul ejecti eſtis inter gentes, & quia diſperſi eſtis per terras: ideo (*copula enim reſolvi debet in illativam, ideo*) ero ipſis in Sanctuarium parvum (*vel paucitatis*) in terris ad quas venerunt.

Hic videtur oblique Deus perſtringere ſervi ſui incogitantiam, vel potius errorem populi, quia diximus Prophetam pronunciaſſe non quid ſentiret ipſe privatim, ſed quid receptum eſſet vulgo. Quicquid ſit, reſpondet Deus querimoniæ, quam vidimus, & oſtendit etiamſi tollat è medio qui eminent & conſpicui ſunt, videnturque eſſe fulturæ urbis & regni: tamen non ideo Eccleſiam periiſſe, quia habeat rationes occultas, quibus eam conſervet, non ſplendida & magnifica pompa, ut loquuntur, ſed ut tandem admirationi ſit ejus incolumitas. Summa eſt igitur, quamvis non tantum Phalthias, ſed omnes Regis conſiliarii, omnes populi duces intereant, tamen Deum poſſe ſub infirmitate operari, ut Eccleſia ſalva nihilominus maneat: atque ita admonet reliquias non eſſe quærendas in ordine illo qui tunc apparebat, ſed potius in hominibus gregariis & contemptis. Nunc tenemus Dei conſilium in hoc reſponſo. Dicit itaque, *Fratres tui, fratres tui, & vir propinquitatis tuæ*. Revocat hic ſervum ſuum ad exules & captivos, è quibus unus ipſe erat: quaſi diceret illos non ita exectos fuiſſe ab Eccleſia, quin adhuc eſſent aliquo numero. Viſus quidem fuerat Deus ipſos abdicare quum ejiceret è terra promiſſa: ſed nunc oſtendit cenſeri inter ſuos filios, quamvis exhæredati fuerint à terra Chanaan. Et ideo bis repetit nomen fratrum, & adjungit *viros propinquitatis*, quo magis reputet Propheta ſe quoque eſſe ex eorum numero. Qui hoc referunt ad tria exilia, extenuant vehementiam ſermonis: imo dum obtrudunt alienum commentum, avertunt lectores à genuino Prophetæ ſenſu. Quin potius, ut nuper attigi, Deus hic caſtigat Prophetam ſuum, eo quod perverſe reſtringat Eccleſiæ corpus ad cives Jeruſalem: quaſi diceret, Iſraëlitæ quamvis captivi ſint, an tibi videntur eſſe extranei? adeoque non relinques ipſis locum in Eccleſia? *Sunt igitur fratres tui, fratres tui*, inquit, *& viri propinquitatis tuæ*. Ergo emphatica eſt repetitio, & tendit in eum finem, ut deſinat Propheta metiri gratiam Dei ſalute unius urbis, quemadmodum fecerat. Quia enim repente mortuus fuerat unus homo, putabat actum eſſe de omnibus. Interea non videbat ſe facere injuriam miſeris exulibus, quos Deus ita expulerat

è terra

è terra Chanaan, ut tamen maneret spes aliqua misericordiæ: quemadmodum Prophetæ omnes ostendunt, & paulo post videbimus. Est autem hic locus dignus observatu, ut discamus non æstimare statum Ecclesiæ ex vulgari hominum judicio. Deinde etiam ex splendore, qui plerumque oculos simplicium perstringit. Ita enim fiet, ut putemus nos reperiisse Ecclesiam, ubi nulla erit, & desperemus si se oculis nostris non offerat: quemadmodum hodie videmus multos obstupefieri magnificis illis pompis, quæ in Papatu refulgent. Illic audacter volitat in ore omnium Ecclesiæ nomen: deinde etiam proferuntur insignia: simplices rapiuntur ad inane illud spectaculum: ita sub nomine Ecclesiæ trahuntur in exitium, quia statuunt illic esse Ecclesiam, ubi est decor ille qui ipsos fallit. Ex opposito, multi quia non possunt cernere oculis Ecclesiam, & digito notare, quodammodo insimulant Deum falsitatis, acsi extincti essent omnes fideles in mundo. Tenendum igitur est, Ecclesiam sæpe mirabiliter conservari in latebris: deinde Ecclesiæ membra esse non fastuosos homines, vel qui vana ostentatione conciliant sibi venerationem apud stultos: sed potius gregarios homines, quorum nulla est existimatio. Habemus memorabile ejus rei exemplum, quum Deus Prophetam suum à præcipuis Hierosolymæ ducibus revocat, non ad alios duces, qui possint trahere homines in admirationem sui, sed ad exules miseros, quorum dissipatio poterat ipsos reddere despicabiles. Docet igitur manere aliquas reliquias etiam in Chaldæa. Jam sequitur, *quibus dixerunt incolæ Hierosolymæ, Discedite procul à Sanctuario Jehovæ, nobis data est terra.* Hic Deus invehitur in arrogantiam populi, qui domi quietus & securus manebat. Nam hic refert verba civium Hierosolymæ, quod scilicet præferrent se exulibus, imo jactarent illos esse alienatos à populo sancto, quia extracti erant in exilium, vel sponte illuc migraverant. Quod dicunt, *discedite procul*, non debet proprie sumi in modo imperativo: sed ita resolvi debet oratio, utcunque procul discedant ipsi à Sanctuario, nobis manebit terra in hæreditatem. Videmus ergo ut cives Hierosolymæ sibi placuerint, & blanditi fuerint in sua quiete, quod adhuc fruerentur patria, Deum in Templo colerent, & staret qualecunque nomen regni. Quum ergo ita sibi delicias facerent, Deus ex opposito ostendit eos excæcatos esse superbia, quoniam non abjecerit captivos in perpetuum, quamvis temporalem de ipsis pœnam sumpserit. Fuit autem hæc valde stolida gloriatio, quod sese extulerint, quia nondum concesserant in exilium. Qualis enim erat interea ipsorum status? Certe Rex ipse coopertus erat ignominia: deinde scimus quid paulo post ipsis contigerit. Redacti enim fuerunt ad tantam inopiam, ut matres ipsæ vorarent filios suos, ut sterquilinium ederent qui nutriti fuerant in maximis lautitiis. Imo ante urbem obsessam quid tamen ipsis erat reliquum, ut ita sese extollerent? sed hinc colligimus quanta fuerit ipsorum pertinacia, quod obduruerant ad flagella Dei. Fecit igitur stupor ille, ut Deus ipsos subigere non posset. Jam qualis est ista ferocia, quum insultant miseris exulibus quasi sint ejecti procul à Deo? Atqui Ezechiel erat unus ex illis ejectis, Daniel, & socii. Scimus etiam Hierosolymæ celebrem fuisse pietatem Danielis, ut omnes agnoscerent quasi singulare aliquod lumen & ornamentum ætatis suæ. Quum ergo Daniel pro eximia pietate esset in tali pretio, qui fieri potuit ut cristas adversus ipsum erigerent, qui sibi multorum scelerum erant conscii, nempe profani homines, pleni omni spurcitia, addicti crudelitati, fraudibus, perjuriis, deinde fœtidi suis scortationibus, infames etiam sua intemperantia? Quum ergo videmus ita audacter ipsos insultasse fratribus suis, ne miremur si hodie Papistæ quoque ferociant, quia retinent successionem ordinariam & Ecclesiæ titulum, si dicant nos esse rejectitios, & ab Ecclesia rejectos, atque ita indignos qui locum vel nomen inter Christianos occupemus. Si ergo ita hodie insolescunt contra nos Papistæ, non est cur nos conturbet ipsorum fastus: sed in hoc speculo discamus ita semper fuisse actum. Erat quidem aliqua ratio cur cives Hierosolymæ dicerent captivos esse procul ejectos. Certum enim erat, exilium justam fuisse scelerum pœnam: sed interea quomodo audebant se discernere ab aliis, quum vita ipsorum esset deterior? Deinde, quum jam Deus tulisset de ipsis sententiam, non potuit certe dissimilis esse eorum conditio, de quibus judex sententiam suam pronunciaverat. sed surdi erant ad omnes minas Propheticas, ut Deum spernerent: & hinc illa jactantia, quod dicebant extraneos esse quicunque in terra Chanaan non manebant. Hic etiam locus docet, si quando castiget Deus eorum peccata qui eandem nobiscum religionem professi sunt, non esse tamen cur eos prorsus damnemus, quasi essent desperati. Dandus enim est locus misericordiæ Dei. Et quod sequitur etiam diligenter notandum est. Postquam enim retulit Propheta quod jactabant cives Hierosolymæ, quum putarent se solos esse superstites, respondet Deus ex opposito, *Quia fuerunt procul ejecti inter gentes, & dispersi in terras, vel per terras, ideo ero ipsis in Sanctuarium parvum.* Videmus ut Deus hic vendicet adhuc locum aliquem in Ecclesia peccatoribus, adversus quos exercuerat rigorem sui judicii. Dicit per concessionem *fuisse ejectos, & dispersos*, sed adjungit *se tamen fore illis in Sanctuarium*: imo quod placide, & æquis animis tulerint suum exilium, hanc causam fore pronunciat, ut illorum misereatur. Neque enim ita generalis est sententia, quin Deus respiciat suos electos. Non debet igitur promissio hæc extendi ad omnes captivos sine delectu, quia videbimus ad multos Deum non respexisse. Non dubium igitur est, quin peculiaris hæc fuerit promissio, quam voluit Deus loco solatii esse suis electis. Dicit, *quia pertulerant exilium* & dissipationem æquis & mansuetis animis, ideo *se fore illis in Sanctuarium.* Fuit autem hæc seria approbatio modestiæ & subjectionis, quod non tantum ejectionem suam tulerunt, sed etiam dispersionem, quæ aliquanto gravior est. Nam si tracti fuissent omnes in longinquam regionem, erat quidem hæc dura tentatio, sed facilius iterum coalescere poterant, nisi fuissent dispersi. Fuit igitur hoc secundum illis valde triste, quoniam in eo cernebant desperationis materiam, acsi nunquam iterum colligendi essent in unum corpus. Quod ergo luctati sunt cum his tentationibus, fuit signum non parvæ pietatis: atque ut aliqui fidelium non statim demonstraverint suum obedientiam, quia Deus tamen novit qui sint sui, & in eorum salutem invigilat: ideo 2 Tim 2. vers. 19.
hic opponit protectionem, in qua fundata erat ipsorum salus, omnibus eorum miseriis. Quia ergo *disjecti essent per terras, ideo*, inquit, *ero Sanctuarium parvum ipsis.* Nam loquitur adhuc in tertia persona. מעט volunt esse nomen Tóar, & vertunt Sanctuarium parvum. Quanquam posset etiam accipi pro hominum paucitate. Commode igitur licebit transferre Sanctuarium paucitatis. Quanquam alter sensus optime convenit, quod Deus futurus sit captivis in Sanctuarium parvum: ita antithesis suberit inter splendorem visibilis templi, & gratiam Dei occultam, quæ adeo agnita non fuit à Chaldæis, ut potius eam pedibus calcarent, sicuti in eam conspuebant ipsi Judæi qui adhuc manebant Hierosolymæ. Sanctuarium igitur quod sibi Deus in monte Sion elegerat, quia merito trahebat ad se omnium oculos, & illuc intenti semper fuerant Israëlitæ, & illic denique fulgebat Dei majestas, potuit vocari Sanctuarium Dei magnificum: nihil tale conspectum fuit in exilio Babylonico: sed Deus dicit *se tamen fore captivis*

in parvum vel exiguum *Sanctuarium.* Respondet autem hic locus Psalmo 90. ubi dicit Moses, Deus tu Psal. 90. vers. 1. semper habitaculum fuisti nobis: & tamen Deus non semper habuit vel templum vel tabernaculum, ex quo fœdus suum pepigerat cum Patribus. Sed Moses illic docet quod tandem repræsentavit Deus visibili symbolo, Patres reipsa sensisse, nempe se latere sub umbris alarum Dei, neque aliter se esse tutos & incolumes, nisi quod Deus ipsos protegeret. Moses ergo Patrum nomine celebrat gratiam Dei, quæ perpetua fuerat etiam ante compositum Sanctuarium. Sic etiam hoc loco Deus dicit per similitudinem *se fore in Sanctuarium*, non quod illic erexerit altare, sed quia quum destituti essent Israëlitæ externo pignore & symbolo, admonet tamen illis non fuisse rem ipsam prorsus ablatam, quia scilicet Deus haberet alas extensas, ut ipsos foveret ac tueretur. Est etiam hic locus notatu dignus, ne animos despondeant fideles ubi Deus non habet erectum vexillum: imo non palam prodit cum regiis insignibus ad ipsos conservandos, ne tamen propterea statuant se prorsus esse derelictos: sed in memoriam revocent quod hic dicitur *de exiguo Sanctuario.* Deus ergo quamvis non proferat virtutem suam ante oculos hominum, tamen non desinit suos arcano modo servare: quemadmodum nostro seculo hujus rei habemus plusquam insigne documentum. Mundus quidem existimat nos esse perditos, quoties labascit Ecclesiæ status: & major pars etiam perinde anxia est acsi Deus ipsos deseruisset. Verum occurrat loco remedii hæc promissio, *Deum esse in Sanctuarium parvum dispersis, & ejectis*, ita ut manus ejus occulta sit, tamen salus tandem nostra demonstret ipsum sub infirmitate potenter fuisse operatum. Videmus ut sensus ille aptissimus sit, & contineat valde utilem doctrinam. Tamen non male etiam quadrabit, Deum esse Sanctuarium paucitatis, quod scilicet in illa ingenti multitudine non multi restabant qui vere essent ex populo Dei. Nam major pars desciverat. Quum ergo Deus non respiciat turbam illam impiorum, quæ jam erat extra Ecclesiam, sed tantum hic sermonem dirigat ad suos electos, non mirum est si dicat ipsos esse paucos numero. Jam sequitur,

17. Propterea dices, Sic dicit Dominator Jehovah, Congregabo vos è populis, & colligam vos è terris ad quas expulsi estis, & dabo vobis terram Israël.

Nunc Deus effectum suæ gratiæ exprimit. Proximo versu dixerat se fore in Sanctuarium. Admonui non debere hæc verba intelligi de loco visibili, in quo Deus coleretur: sed de occulta ejus virtute, qua populum suum fovebat. Atqui si perpetuum fuisset exilium, poterat videri inanis illa promissio. Quorsum enim Deus protegeret suos in exilio, si vellet illic putrescere? quia interea irritum fuisset fœdus. Ergo ne quis objiciat Deum frustrari suos fideles, ubi pronunciat se fore illis in Sanctuarium, jam effectum designat, quod scilicet ipsos tandem restituet in patriam. Ergo inquit, *congregabo vos è populis, & colligam vos è gentibus ad quas estis expulsi, & vobis dabo terram Israel.* Quoniam ergo reditus in patriam, certum erat pignus amoris Dei, ideo pronunciat ipsos tandem redituros. In summa, promittitur Ecclesiæ restitutio, quæ sanciat fœdus Dei. Fuerat enim dictum Abrahæ, Dabo tibi terram hanc, & semini tuo Genes. 13. vers. 15. & 17: 8. in perpetuum. Deus ergo ut ostendat fœdus suum adhuc integrum & salvum manere, quod ad tempus breve interruperat: ideo de restitutione hac loquitur. Quod autem toties inculcat Propheta nomen Dei, & refert mandata ejus nomine, sermonem dirigens ad captivos, pertinet ad confirmationem, quia in rebus tam perditis difficile fuit patienter exspectare quod docebat Propheta, nempe venturum tempus, quo Deus iterum colligeret suos, & revocaret in patriam. Admoniti igitur fuerunt fideles, considerandam esse potentiam Dei, ut fidem haberent huic vaticinio. Sequitur,

18. Et venient illuc, & tollent omnia idola ejus, & omnes abominationes ejus ex ea.

Hic aliquid præstantius adjungitur, nempe ubi reversi fuerint Israëlitæ in patriam, fore sinceros Dei cultores, qui non tantum sacrificia offerant in Templo, sed purgent terram omnibus inquinamentis. Hic autem admonet Propheta, quanta fuerit & quam detestabilis impietas decem Tribuum, quod ab ipsis terra idolis contaminata fuerat. Neque enim hic idola gentium commemorat, sed potius exprobrat Israëlitis, quod terram, quæ Deo fuerat dicata, contaminaverant suis spurcitiis. Ita ergo Propheta hortatus fuit suos populares ad pœnitentiam, quum ostenderet non ante ejectos fuisse è terra, quam polluta fuisset: ideoque justam pœnam sumptam fuisse de ipsorum sacrilegiis: hoc unum est. Deinde notandum est, tunc nos vere & pure frui Dei beneficiis, ubi eorum usum dirigimus ad scopum, qui hic nobis præfigitur, nempe ut pure & rite inter nos colatur. Hac doctrina nihil frequentius occurrit, nos scilicet redemptos esse à Deo, ut celebremus ejus gloriam: Ecclesiam esse plantatam, ut in ea glorificetur, ut enarremus virtutes ejus. Ergo discamus Dei beneficia tunc nobis cedere in salutem, & testimonia esse paterni ejus favoris, dum nos excitant ad ipsum colendum. Tertio notandum est, non aliter nos rite erga Deum defungi, nisi ubi cultum ejus purgamus ab omni spurcitia & inquinamento. Multi ita Deum colunt, ut tamen corrumpant vitiosis mixturis quicquid obsequii præstare se putant. Et hodie etiam qui sibi multum sapere videntur, turpiter partiuntur inter Deum & diabolum, quasi dimidia parte cultus ipsi satisfacerent. Ergo discamus ex hoc loco, Deum abominari tales fucos. Ubi enim dicit Israëlitas, postquam reversi fuerint, fore studiosos pietatis: hac nota eos insignit, *quod tollent omnes abominationes, & omnia idola è terra.* Postea sequitur,

19. Et dabo illis cor unum, & Spiritum novum ponam in visceribus eorum, & tollam cor lapideum è carne ipsorum, & dabo ipsis cor carneum.

20. Ut in statutis meis ambulent, & judicia mea custodiant, & faciant ea: & erunt mihi in populum, & ego ero ipsis in Deum.

Jam Deus quod de pietate Israëlitarum dixerat ostendit non posse ab ipsis prodire, donec renovati fuerint, & regeniti suo Spiritu. Visus est ergo proximo versu laudare Israëlitas: sed quia homines nimis cupide sibi arrogant quod divinitus illis est datum, nunc Deus asserit sibi gloriam earum virtutum, de quibus antea loquutus est. Fuit zelus ille laude dignus, purgare terram omnibus spurcitiis. Merito itaque qui ex populo Israël superstites fuerunt servati, celebrantur quod zeli fervore fuerint impulsi, ut Dei cultum eximerent ab omnibus corruptelis: sed ne jactarent se fecisse id proprio Marte, & impulsu cordis sui, nunc temperat Deus superiorem sententiam; & ostendit tale pietatis studium fore in

Israëli-

Israëlitis, postquam ipsos regenuerit Spiritu suo. Atque hic locus potest unus sufficere ad Papistas refellendos, quoties arripiunt tales sententias ex Scriptura, ubi vel Deus aliquid exigit à suis, vel prædicat suorum virtutes. David hoc fecit, ergo fecit libero arbitrio: Deus hoc exigit, ergo hoc est in hominum arbitrio, ut pares sint ad omnia præstanda. Sic ineptiunt illi. Atqui videmus ut Propheta hæc duo simul conciliet, nempe fideles & electos Dei strenue incumbere in officium suum, & intentos esse ad promovendam ejus gloriam, ardere etiam studio ipsius colendi: & tamen nihil esse ab ipsis. Subjicitur enim continuo post, *Dabo illis cor unum, & Spiritum novum ponam in visceribus eorum.* Sed reliqua differemus in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando hodie tristis quæ cernitur Ecclesiæ tuæ dissipatio, videtur nihil aliud quam interitum minitari, ut oculos discamus conjicere in statum Ecclesiæ tuæ veteris: deinde in eas promissiones quæ nobis etiam hodie communes sunt: ut expectemus dum rursus emergat tua Ecclesia ex tenebris mortis: & interea contenti simus tuo auxilio quamlibet infirmo, secundum carnis sensum, donec tandem appareat, patientiam nostram non fuisse lusoriam, ubi scilicet fruemur fidei & patientiæ nostræ mercede in regno tuo cælesti, per Christum Dominum nostrum. Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA
IN
EZECHIELEM.

ULtima lectione postquam concionatus est Ezechiel de conversione populi, simul docuit fore hoc singulare donum, ut resipiscant: quia ubi semel quispiam deflexit à recta via, nisi Deus manum porrigat, usque in profundam abyssum se demerget. Non potest igitur homo postquam Deum semel reliquit, ad ipsum redire. Hanc doctrinam breviter tunc attigimus: nunc addenda est plenior explicatio. Ac primum expendamus verba Prophetæ, tandem de re ipsa videbimus. Promittit Deus *se daturum populo cor unum.* Hoc quidam exponunt de mutuo consensu, sed uno convenit, meo judicio. Tertio capite Zephaniæ, hoc sensu capitur humerus unus. Ubi enim dicit Propheta Deum facturum ut omnes ipsum pure invocent & colant humero uno, videtur intelligere fore unanimes, ut quisque proximum suum incitet. Verum hoc loco potius cor unum opponitur duplici. Nam distracti fuerant Israëlitæ post vagos errores. Debuerant audire quid Deus præciperet, ac se subjicere ejus Legi: ita fuissent contenti uno ipso, & se in solidum addixissent veræ pietati. Atqui cor eorum fuit distractum: quemadmodum ubi mulier non servat fidem conjugii marito, vagatur post suas libidines, nihil in ea est compositum. Sic etiam ubi populus defecit à Lege Dei, fuit similis erratico scorto. Videmus ergo ut corda omnium impiorum divisa sint ac distracta, nihil in illis sit simplex vel sincerum. Jam promittit Deus se facturum, ut populus non ita distrahatur post suas superstitiones, sed maneat in puro & simplici Legis obsequio. Si quis objiciat, perpetuum esse certamen fidelibus cum carnis concupiscentiis, ideoque cor ipsorum esse divisum: facilis est responsio, cor unum intelligi pro modo regenerationis. Quanquam ergo fideles sentiunt in se magnam repugnantiam, & cor eorum minime integrum est, quin multis tentationibus agitetur: dum tamen interea serio aspirant ad Deum, cor eorum integrum esse dicitur, quia non est duplex nec fictum. Tenemus ergo quid velit Propheta: & cap. 36., ubi eandem sententiam repetet, pro corde uno ponet Spiritum novum, sicuti etiam paulo post dicit, *Ponam Spiritum novum in visceribus ipsorum, vel interioribus.* Sicuti per nomen cordis intelligit affectus, ita etiam per spiritum mentem ipsam, & omnes cogitationes designat. Spiritus hominis sæpe capitur pro tota anima: & tunc comprehendit etiam omnes affectus. Sed ubi hæc duo simul junguntur Cor & Spiritus, cor vocatus sedes omnium affectuum, denique est ipsa voluntas hominis: spiritus autem est facultas intelligendi. Scimus enim duas esse præcipuas animæ dotes, prior est quod ratione polleat, deinde quod prædita sit judicio & electione: postea dicemus quomodo facultas eligendi sit in hominibus, & tamen libero arbitrio careant. Sed hoc principium tenendum est, Animam hominis excellere primum intelligentia, vel ratione, deinde judicio, unde pendet electio & voluntas. Videmus ergo his vocibus Prophetam testari opus esse integra renovatione, ut homines in viam redeant ex quo semel cœperunt errare. Postea addit, *auferam cor lapidis, vel lapideum è carne ipsorum, & dabo illis cor carneum.* Nomen carnis hic accipitur diverso sensu. Propheta enim alludit ad cor, quod scimus esse partem humani corporis, quum dicit *auferam ab ipsorum carne cor lapideum.* Deus ubi regenerat suos electos non mutat vel carnem ipsorum, vel cutem, vel sanguinem: spiritualis & interior gratia nihil ad corpus: sed Propheta crassius loquitur, ut sermonem suum conformet ad captum rudis & bardi populi. Caro igitur priore loco tantundem valet ac corpus: cor vero carneum in fine versus ponitur pro corde flexibili. Notanda enim est antithesis inter carnem & lapidem: lapis sua duritie repellit validissimos etiam quosque ictus mallei, nihil potest illic insculpi: sed cor carneum sua mollitie admittit si quid in eo scribitur vel insculpitur. Crasse, ut dixi, loquitur Propheta: sensus tamen minime ambiguus est, nempe quum fuerint pleni contumacia Israëlitæ, flexibiles ac morigeros fore postquam Deus cor ipsorum mutaverit, hoc est, correcta duritie reddiderit cor ipsorum molle. Postea adjungit, *Ut in statutis meis ambulent, & judicia mea custodiant, & faciant ea, & sint mihi in populum, & ego illis sim,* vel ero *in Deum.* Nunc clarius exprimit Propheta quomodo pro cordibus lapideis Deus conferat corda carnea electis suis, ubi ipsos regenerat Spiritu suo, nempe quoniam ipsos format in obsequium Legis suæ, ut velint servare ejus mandata, & efficaciter præstent quod dedit illis velle. Nunc consideremus attentius rem totam de qua Propheta disserit. Quum Deus de corde lapideo loquitur, hauddubie contumaciæ damnat cunctos mortales. Neque enim hic agitur de paucis hominibus, quorum natura ab aliis differat: sed tanquam in speculo proponit nobis Israëlitas, ut sciamus qualis sit nostra conditio, ubi ab eo relicti sequimur proprios affectus. Colligimus itaque ex hoc loco omnibus esse cor lapideum, hoc est, omnes ita esse corruptos, ut Deo obedire non sustineant: quin potius toti ferantur ad contumaciam. Interea certum est, hoc vitium esse adventitium. Deus enim quum hominem creavit, non indidit cor lapideum: & quamdiu Adam stetit integer, hauddubie recta fuit & bene composita ejus voluntas. Propensus etiam erat in obsequium Dei. Quum ergo dicimus cor nostrum esse

Zeph. 3. vers. 9.

esse lapideum, hoc originem ducit à lapsu Adæ, & à naturæ corruptela Si enim creatus fuisset Adam corde duro & præfracto, illud cederet in opprobrium Dei. Sed quemadmodum diximus, Adæ voluntas ab initio recta fuit, saltem flexibilis ad sequendam Dei justitiam. Ubi autem Adam seipsum corrupit, simul cum eo fuimus perditi. Inde igitur cor lapideum, quia exuti sumus illa naturæ integritate, quam Deus ab initio nobis contulerat. Quicquid enim Adam perdidit, id cessit in nostram jacturam: quia non fuerat creatus tantum privato sui respectu, sed in ejus persona Deus ostenderat qualis futura esset humani generis conditio. Postquam ergo spoliatus fuit præclaris donis quibus ornatus fuerat, tota ejus posteritas redacta fuit ad eandem inopiam & miseriam. Ideo cor nobis lapideum est, sed vitio originali: quia hoc debemus referre acceptum patri nostro Adæ, non autem rejicere vitii nostri & corruptionis culpam in Deum. Denique videmus quale sit initium regenerationis, nempe quum Deus aufert eam pravitatem, cui sumus mancipati. Sed notandæ sunt duæ regenerationis partes, de quibus etiam agit Propheta. Deus pronunciat *se dare suis electis cor unum & Spiritum novum.* Sequitur ergo, totam animam esse vitiatam à ratione usque ad affectus. Fatentur Sophistæ in Papatu animam hominis esse vitiatam, sed ex parte duntaxat. Coguntur etiam subscribere veteribus, quod supernaturalia dona Adam perdiderit, naturalia autem fuerint corrupta: sed postea involvunt lucem tenebris, & fingunt manere aliquam partem rationis sanam & integram: deinde voluntatem esse vitiatam ex parte duntaxat: hinc illud vulgare apud ipsos, quod vulneratum fuerit & læsum liberum Arbitrium, non autem interierit in homine. Jam liberum Arbitrium definiunt, liberam eligendi facultatem, quæ conjuncta est cum ratione, & ex ea etiam pendet. Voluntas enim per se absque judicio non continet plenam & solidam libertatem: sed ubi gubernat ratio, & primatum tenet in anima hominis: deinde voluntas obtemperat, & format se ad regulam præscriptam: illic est liberum Arbitrium. Non negant Papistæ liberum Arbitrium læsum esse ac vulneratum, sed quemadmodum jam dixi, retinent aliquid, quasi homines recte ex parte saperent proprio motu, & maneret aliqua inclinatio, aut flexibilis motus voluntatis tam ad bonum quam ad malum. Sic quidem ipsi garriunt in scholis: sed videmus quid Spiritus sanctus pronunciet Si enim opus est Spiritu novo, & corde novo, sequitur non modo læsam esse in utraque parte animam hominis, sed ita corruptam, ut ejus pravitas possit vocari mors & interitus, quantum attinet ad rectitudinem. Sed objicitur hic quæstio, an nihil differant homines à brutis pecudibus? Atqui experientia demonstrat, homines præditos esse aliqua ratione. Respondeo quemadmodum dicitur 1. cap.

Joan. 1. vers. 5.

Joannis, Lucem fulgere in tenebris, hoc est, manere aliquas scintillas intelligentiæ, sed quæ hominem non deducunt in viam, tantum abest ut perducant usque ad scopum. Quicquid igitur rationis & intelligentiæ in nobis est, non adducit nos in Dei obsequium, ut multo minus perducit continua perseverantia usque ad metam. Quid igitur? nempe ideo scintillæ emicant in tenebris, ut reddamur inexcusabiles. En igitur quid valeat hominis ratio, ut convictus apud se sentiat non restare sibi ullum ignorantiæ vel erroris prætextum. Ergo quo ad vitam recte instituendam, intelligentia hominis prorsus inutilis est. In corde clarius apparet perversitas. Nam ebullit voluntas hominis ad contumaciam: & ubi aliquid nobis objicitur rectum, & quod Deo probatur, statim ferociunt nostri affectus, & calcitrant, quemadmodum equus refractarius ubi sentit calcar prosilit, & concutit suum sessorem, ita etiam voluntas nostra prodit suam contumaciam ubi nihil admittit quod ratio & sana intelligentia dictat. Jam docui rationem hominis cæcam esse, sed cæcitas illa non adeo perspicua nobis est: quia ut admonui, Deus reliquit in nobis aliquid lucis, ne qua superesset erroris excusatio. Non mirum igitur si Deus hic promittit *se daturum cor novum*, quia si excutimus omnes hominum affectus, reperiemus eos esse Deo adversos. Verum enim est illud Pauli 8. ad Romanos capite, omnes carnis cogitationes inimicas esse

Rom. 8. vers. 7.

Deo. Carnem haud dubie illic sumit pro more suo, nempe ut significet totum hominem, qualis est natura, & qualis prodit ex utero. Si ergo omnes affectus nostri Deo inimici sunt, ac repugnant, videmus quam stulte ineptiant Scholastici, qui fingunt læsam esse voluntatem: & ita illis debilitas est loco mortis. Paulus dicit se esse venundatum sub peccato, nempe

Rom. 7. vers. 14.

quatenus erat unus ex filiis Adæ: Lex, inquit, operatur in me peccatum, ego venundatus sum ac mancipatus peccato. Isti autem quid? Peccatum dominatur quidem in nobis, sed tantum ex parte. Est enim aliqua integritas, quæ resistat. Quam longe à Paulo dissident? Sed hic quoque locus satis clare refellit ejusmodi commenta, ubi pronunciat Deus *merum esse suum donum, cordis novitatem, & Spiritus.* Ideo alibi nomen creationis Scriptura usurpat: quod notatu dignum est Nam Papistæ quoties jactant sibi esse vel minimam particulam rectitudinis, faciunt se creatores: siquidem ubi Paulus dicit nos esse regenitos Spiritu Dei, vocat nos ποίημα ipsius figmentum, vel facturam: & exponit nos creatos esse ad

Ephes. 2. vers. 10.

bona opera. Eodem pertinet quod dicitur in Psalmo, Ipse fecit nos, non autem ipsi nos. Non enim

Psal. 100. vers. 3.

illic agitur de prima creatione, qua sumus facti homines, sed de speciali gratia, qua sumus regeniti à Spiritu Dei. Si ergo regeneratio est creatio hominis, quisquis sibi arrogat vel minimum aliquid in hac re, eripit tantundem Deo quasi esset sibi suus creator, quod detestabile est auditu. Et tamen hoc facile elicitur ex communi doctrina Scripturæ. Nunc sequitur, *Ut in statutis meis ambulent, & præcepta mea custodiant, & faciant ea.* Hic Propheta tollit alias ambages, quibus conatus est Satan Dei gratiam obscurare quia penitus obruere non poterat. Jam intelleximus Papistas non tollere prorsus Dei gratiam. Coguntur enim fateri, hominem nihil posse nisi adjutum Dei gratia. Liberum arbitrium jacere sine vigore & efficacia donec subsidio gratiæ revalescat. Ergo commune illud nobiscum habent, hominem ut est corruptus, non posse vel digitum movere, ut præstet ullum officium Deo. Sed hic bifariam errant, quia quemadmodum jam dixi, fingunt manere aliquem rectum motum in voluntate hominis: deinde, aliquam sanam rationem in mente: quin etiam addunt postea gratiam Spiritus sancti non esse efficacem sine concursu vel cooperatione liberi nostri Arbitrii. Atque hic detegitur crassa eorum impietas. Fatentur ergo Spiritu Dei nos regenerari, quia alioqui essemus vel ad recte cogitandum inutiles, nempe quia debilitas nos impedit, ne efficaciter velimus. Sed ex opposito imaginantur gratiam Dei mutilam: quomodo? quia gratia Dei nos excitat secundum ipsos, ut possimus bene velle, & exequi etiam ac perficere quod voluerimus. Videmus ergo ut relinquant hominem suspensum in medio, ubi agunt de gratia Spiritus sancti. Quousque ergo operatur in nobis Spiritus Dei? ut possimus, inquiunt, recte velle, ut possimus recte agere. Ergo nihil aliud nobis datur à Spiritu sancto nisi posse: nostrum autem est cooperari, & ratum habere ac sancire quod alioqui esset nullius momenti. Quid enim prodesset nobis posse, nisi accederet recta voluntas? tantum cresceret nostra condemnatio. Sed hic ridicula est ipsorum inscitia. quomodo enim vel ad momentum unum staret quisquam, si tantum Deus conferret nobis posse? Adam habuit illud posse in prima creatio-

ne;

ne: & tunc adhuc erat integer: nos autem vitiosi sumus: adhæc quatenus manent reliquiæ carnis in nobis, quas circumferimus in hac vita, certandum est nobis cum magnis difficultatibus. Si ergo Adam mox cecidit, quum tamen præditus esset rectitudine naturæ, & facultas recte volendi & recte agendi esset in ipsum collata, quid nobis fiet? neque enim opus est tantum rectitudine illa Adæ, vel facultate illa recte volendi aut agendi: sed opus est invicta fortitudine, ut ne cedamus tentationibus, ut superiores simus diabolo, ut subigamus pravos & vitiosos omnes carnis affectus, & perseveremus usque ad finem in hac lucta vel militia. Videmus ergo quam pueriliter ineptiant, dum nihil aliud adscribunt gratiæ Spiritus sancti, nisi ut det nobis posse. Et hoc prudenter expendit Augustinus, & satis prolixe tractat in libro De bono perseverantiæ, & de Prædestinatione Sanctorum. Comparat enim nos cum primo Adam, & ostendit gratiam Dei non aliter fore efficacem vel in uno solo homine, nisi plus nobis afferat quam posse. Sed quid opus est hominum testimoniis, ubi clare Spiritus sanctus pronunciat per os Prophetæ quod hic legimus? non dicit Ezechiel, Dabo illis Spiritum novum, vel cor novum, ut possint ambulare, ut præditi sint facultate illa media: quid igitur? *ut ambulent in præceptis meis, ut præcepta mea servent, & statuta faciant.* Videmus ergo regenerationem eousque extendi, ut sequatur effe-
Philip. 2. ctus: quemadmodum etiam Paulus docet, Perficite,
vers. 12. inquit, salutem vestram cum timore & tremore: illic hortatur fideles ad conatum. Et certe Deus non vult nos similes esse lapidibus. Nitamur ergo, & intendamus nervos omnes, applicemus nostra studia ad recte agendum: sed Paulus admonet id esse præstandum cum timore & tremore, hoc est, abjecta omni propriæ virtutis fiducia: quia si inebriati sumus diabolico illo fastu, nos cooperatores esse Deo, & motu liberi Arbitrii ejus gratiam adjuvari à nobis, crepabimus, & tandem Deus ostendet quanta fue-
Philip. 2. rit nostra cæcitas. Ratio sequitur apud Paulum,
vers. 13. Quia, inquit, Deus est qui operatur & velle & perficere. non dicit illic Deum esse qui operatur posse, & qui nos excitat, ut velle possimus, sed dicit Deum auctorem esse ipsius rectæ voluntatis: deinde addit etiam effectum, quia non sufficeret velle, nisi possemus exequi. Quanquam verbum illud Posse non usurpat Paulus. pareret enim aliquam disputationem: sed dicit Deum operari in omnibus perficere. Si quis objiciat, homines tamen naturaliter velle, & agere etiam naturaliter proprio judicio & motu: respondeo voluntatem ingenitam esse homini à natura, unde hæc facultas promiscue competit tam electis quam reprobis. Volunt igitur omnes, sed defectione Adæ factum est, ut voluntas nostra prava sit & rebellis Deo: manet, inquam, in nobis voluntas, sed peccato addicta & mancipata. recta autem voluntas unde? nempe à regeneratione Spiritus. Ergo Spiritus non confert nobis facultatem volendi. jam enim indita est nobis ab utero, hoc est hæreditarium, & pars est creationis, quæ deleri non potuit lapsu Adæ. sed quum in nobis sit voluntas, Deus dat nobis recte velle, & hoc est ipsius opus. Porro quum dicitur dare nobis velle, non intelligitur hoc generaliter, quia extendi non debet tam ad malum quam ad bonum: sed ubi agitur de salute hominum, merito Deo vendicat Paulus quod recte volumus. Tenemus nunc quid significent hæc Prophetæ verba: & videtur notare perseverantiam dum dicit, *ut ambulent in præceptis meis, ut judicia mea servent, & ipsa faciant.* Uno verbo tota res erat exposita, *ut in statutis meis ambulent*: sed quia semper maligne excogitant homines quomodo extenuent Dei gratiam, & sacrilega audacia quod ejus proprium est ad se trahere conantur: ideo ut Propheta melius excludat omnem superbiam, dicit hoc tribuendum esse Deo, quod ambulamus in ejus præceptis, servamus statuta, & præstamus totam Legem. In solidum ergo discamus relinquere Deo suam laudem, & ita agnoscere in bonis operibus nihil esse nostrum: præsertim vero in ipsa perseverantia reputemus singulare Dei beneficium: quod certe necesse est, si respicimus quanta sit nostra debilitas, deinde quibus & quam violentis pugnis nos impetat assidue Satan. Primum facile esset singulis momentis concidere, nisi Deus nos sustineret: deinde insultus Satanæ longe superant vires nostras. Si ergo veniat nobis in mentem qualis sit nostra conditio absque Dei gratia, fatebimur in bonis operibus nihil nisi quod vitiosum est esse nostrum: sicuti etiam Augustinus scite addit illam exceptionem. nam satis notum est, nullum esse tam laudabile opus, quod non aspersum sit aliqua macula. Neque enim quæcunque præstamus officia, proficiscuntur à perfecto Dei amore, sed semper luctandum est ut Deo obediamus. Videmus ergo illo defectu contaminari nostra opera. Est igitur aliquid nostrum in bonis operibus, nempe quod ea vitiat, ut merito repudientur coram Deo. Sed ubi de rectitudine agitur & de laude, discamus relinquere Deo quod suum est, nisi velimus sponte esse sacrilegi. Jam sequitur, *& erunt mihi in populum, & ego ero illis in Deum.* Sub his verbis haud dubie Propheta complectitur veniam gratuitam, qua Deus sibi reconciliat peccatores. Et certe non sufficeret nos renovari in obsequium justitiæ Dei, nisi accederet paterna ejus indulgentia qua ignoscit nostris infirmitatibus. Clarius hoc exprimitur 31. cap. Jeremiæ, Jer. 31.
& 36. Prophetæ nostri: sed nota est Scripturæ phra- vers. 33.
sis. Quoties enim Deus promittit filios Abrahæ sibi Eze. 36.
fore in populum, ea promissio non alibi fundata est, vers. 25,
quam in fœdere ejus gratuito, quod continet remis- 26, 27.
sionem peccatorum. Perinde igitur est acsi adjungeret Propheta, Deum expiaturum esse omnes maculas populi sui. Nam & salus nostra continetur his duobus membris, ut Deus nos prosequatur paterno suo favore, dum nos tolerat, neque vocat nos ad judicium: sed sepelit peccata nostra, quemadmodum dicitur in Psalmo, Beatus vir cui Deus non im- Psal. 32.
putat iniquitates. Sequitur ex opposito miseros esse vers. 1, 2.
omnes & maledictos, quibus imputat. Si quis objiciat non opus esse venia ubi non peccamus, facilis est responsio, fideles nunquam sic regenerari, ut compleant Legem Dei. Ad servanda ejus mandata adspirant, & quidem serio & sincero affectu: sed quia manent semper aliqui defectus, ideo sunt obnoxii, & reatus ipsorum aliter deleri non potest quam expiatione ubi Deus illis ignoscit. Scimus autem fuisse præscriptos ritus in Lege ad expianda ipsorum peccata: huc tendebat aquæ aspersio, huc etiam effusio sanguinis: sed scimus etiam ceremonias illas nullius per se fuisse momenti, nisi quatenus dirigebant populi fidem ad Christum. Ergo quoties agitur de salute nostra, veniant hæc duo nobis in memoriam, non posse nos censeri Dei filios nisi gratis peccata nostra expiet, atque ita se nobis reconciliet: deinde nisi etiam regat nos suo Spiritu. Jam tenendum est, non esse quæ Deus conjunxit ab homine separanda. Qui igitur freti indulgentia Dei permittunt sibi peccandi licentiam, discerpunt ejus fœdus, & impie lacerant. Quare? conjunctim enim loquutus est Deus, se fore propitium filiis suis, & ita renovaturum eorum corda. Qui igitur arripiunt unum duntaxat membrum, nempe de venia, quia Deus ipsos tolerat, & omittunt alterum, perinde est acsi abolerent dimidiam partem fœderis Dei, sicuti falsarii & sacrilegi. Ideo tenendum est quod dixi, nempe sub his verbis notari reconciliationem, qua fit ut suis peccata Deus non imputet. Postremo notemus totam salutis nostræ perfectionem in hoc positam esse, si Deus nos censeat in populo suo. Quemadmodum in Psalmo dicitur, Beatus Psal. 33.
popu- vers. 12.

populus cujus Jehovah Deus est. Illic describitur solida felicitas, nempe ubi hoc honore dignatur aliquem populum Deus, ut censear in suo peculio. Modo igitur propitius nobis sit, ne simus anxii, quia certa est nobis salus. Sequitur,

21. Et quorum cor pergit (*vel ambulat*) ad cor abominationum, (*fœditatum*) & spurcitiarum ipsorum, viam eorum in caput ipsorum rependam, dicit Dominator Jehovah.

Est quidem dura loqutio, qua Propheta utitur, *ad cor perget cor ipsorum*, inquit: & ideo quidam hoc ad imitationem referunt: nempe quod Deus se ultorem fore promittat, si qui ex populo se projiciant ad mala exempla, & societatem coeant cum impiis, acsi agglutinarent simul corda & affectus. sed illud est durum. Supervacua est igitur repetitio, nec aliud vult Propheta, quam Deum fore vindicem si cor suum sequantur Israëlitæ, ut ambulent in suis spurcitiis & abominationibus. Primo tenendum est consilium Prophetæ, cur hanc sententiam ponat. Liberaliter effuderat Deus thesauros suæ misericordiæ: sed quoniam hypocritæ semper bonis permixti sunt, & interea confidenter jactant se esse membra Ecclesiæ, & obtendunt nomen Dei magna audacia: ideo Propheta hanc comminationem subjicit, ne putent omnes promiscue ad se spectare promissiones, quas audimus. Fuerunt enim semper in electo populo multi reprobi, quia non omnes qui originem duxe-
Rom. 9. vers. 6,7. rant à patre Abraham fuerunt veri Israëlitæ. Quum ergo ita sit, merito Propheta hic ostendit quicquid antehac promisit, peculiare esse electis Dei, & veris ac legitimis Ecclesiæ membris, non autem spuriis, vel qui degenerant, vel qui non sunt regeniti vero semine & incorruptibili: hoc est Prophetæ consilium. Cæterum, quoniam poterat videri hic nimius rigor, ubi Deus quasi armatus prodit in medium ad perdendos omnes qui non resipuerint, Propheta hic detegit ipsorum crimen, *quod* scilicet *cor ipsorum ambulet post ipsorum cor*, imo cor ipsorum seipsum trahat: & ideo cordis nomen bis repetitur. Est quidem supervacua repetitio, sed emphatica, quum dicit Cor eorum, qui ita pertinaciter adhæserint suis superstitionibus, à seipso ad novos motus subinde impelli, ut ita continuo tenore pergat semper ad superstitiones. Ego ultor ero, inquit Deus. Ergo quoties Deus proponit nobis testimonia gratiæ suæ, quisque in seipsum descendat, & examinet omnes suos affectus. Ubi autem quisque deprehenderit sua vitia, ne sibi in ipsis placeat, sed potius ingemiscat, & studeat renunciare propriis affectibus, ut Deum sequatur: neque se obduret ad pertinaciam, ita ut cor ejus continuo cursu ad malum pergat & ruat, quemadmodum hic dicitur.

Da omnipotens Deus, quando prorsus in patre nostro Adam periimus, nec ulla restat in nobis pars, quæ non sit corrupra, dum gestamus materiam iræ, & maledictionis, & mortis tam in anima quam in corpore: ut Spiritu tuo regeniti magis ac magis nos abdicemus propria voluntate, & proprio spiritu, & ita nos tibi subjiciamus, ut Spiritus tuus vere in nobis regnet: deinde ne tibi ingrati simus, sed reputantes quam inæstimabile sit hoc beneficium, totam vitam nostram addicamus, & applicemus ad glorificandum nomen tuum, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA PRIMA

IN

EZECHIELEM.

22. Et sustulerunt Cherubim alas suas, & rotæ è regione ipsorum: & gloria Dei Israël super ipsos sursum.

23. Et ascendit gloria Jehovæ è medio urbis, & stetit super montem qui est ab Oriente urbi.

Hic repetit Ezechiel quod ante vidimus, nempe Deum sicuti elegerat montem Sion, tandem repudiasse, quia locus ille pollutus fuerat multis sceleribus populi. Judæi fingebant Deum quodammodo apud se captivum teneri. Nam hac fiducia tantum sibi dabant licentiæ. Ostendit igitur Propheta non obstringi Deum, quo minus alio migrare queat ubi ita visum fuerit: quod majus est, pronunciat jam ipsum migrasse, & Templum vacuum esse ejus gloria. Fuit quidem hoc fere
Psal. 132. incredibile. Nam quia pollicitus fuerat Deus se per-
vers. 14. petuo illic habitaturum, vix potuit venire in mentem fidelibus, promissione sua neglecta, Templum quod elegerat, relinquere. Sed interruptio hæc non obstitit, quo minus promissio semper fuerit vera & rata. Deus ergo non deseruit prorsus montem Sion, quia tenenda est opposita promissio de reditu. Quum ergo temporale esset exilium, & post septuaginta annos restituendum esset Templum, hæc inter se conciliari poterant: nempe Deum alio migrare, & tamen sacrum manere locum illum, ut scilicet post transactum tempus, quod Deus præfixerat, iterum restitueretur ejus cultus in Templo, & in monte Sion. Dicit autem *Deum visibili modo ex urbe egressum esse, & Cherubim simul*: imo Deum fuisse gestatum super alas Cherubim, quemadmodum etiam alibi loquitur Scriptura: & hoc facit, quia defixi erant Judæi in symbolis externis: & quum Arca fœderis inclusa esset in Sanctuario, nemo persuasisset Deum posse illinc avelli. Hoc igitur respectu Propheta dicit *Cherubim alio transvolasse, & simul gestatum fuisse Deum super ipsorum alas*. Jam addit,

24. Et Spiritus sustulit me, & reduxit me in Chaldæam ad captivitatem, in visione, in Spiritu Dei. Et ascendit desuper me (*hoc est, reliquit me*) visio quam videram. (*addamus & alterum versum.*)

25. Et loquutus sum captivitati cunctos sermones Jehovæ, quos mihi ostenderat. (*quos videre me fecerat.*)

Propheta hic confirmat quod initio dixit, hanc scilicet visionem fuisse oblatam divinitus, non autem fuisse inane & fallax aliquod spectrum. Difficilis enim creditu erat hæc prophetia, ideo oportuit omnem

omnem dubitationem tolli, ne quis objiceret Deum non fuisse auctorem visionis. Dicit igitur *se sublatum fuisse à Spiritu Dei, & reductum in Chaldæam.* Admonuimus Prophetam locum non mutasse: quanquam nolim hac de re contendere si cui aliter probetur. Sic tamen statuo, quum Propheta maneret in exilio, vidisse non humano modo, sed Spiritu prophetico Hierosolymam, & reliqua de quibus disseruit. Sicuti ergo fuerat Hierosolymam devectus per Spiritum, ita in exilium reductus fuit. Spiritus autem hic opponitur naturæ, quia scimus aspectum nostrum finiri certo spatio. Jam si minimum obstaculum occurrat, visus noster non transiliet quinque vel sex passus. Sed ubi Spiritus Dei nos illuminat, incipit nova facultas in nobis vigere, quæ minime naturæ modo æstimanda est. Tenemus nunc quo sensu dicat Ezechiel *se fuisse reductum in Chaldæam Spiritu Dei*, quia scilicet erat tanquam homo ecstaticus. Fuerat enim raptus extra se: nunc autem relinquitur in statu suo ordinario. Et huc etiam pertinent istæ voces, *in visione, in Spiritu Dei.* Visio enim rei opponitur. Nam si Propheta reductus fuit per visionem, sequitur non reipsa fuisse Hierosolymæ, ut retrahendus fuerit in Chaldæam. Nunc quæstioni occurrit, quæ moveri poterat: quomodo tanta sit efficacia visioni? Revocat igitur nos Propheta ad potentiam Spiritus, quam metiri fas non est nostro modulo. Quum ergo incomprehensibilis sit operatio Spiritus, ne miremur si Propheta per visionem tractus fuerit Hierosolymam, deinde in exilium reductus. Adjungit, *visionem à se recessisse*: quibus verbis commendat suam doctrinam, & extollit supra cunctos mortales, quia seipsum discernit quatenus erat homo, à legato Dei: *abiit à me visio*, inquit. Vult ergo Propheta hic considerari bifariam, hoc est, tanquam privatus homo, ut sit unus ex grege: neque in hac qualitate quicquam auctoritatis obtendit, quasi loco Dei sit audiendus. Sed ubi Spiritus ipsum agebat, voluit se eximere ab hominum numero, quia neque ex seipso loquebatur, neque quicquam agebat humanum, vel humano modo, sed Spiritus Dei in ipso vigebat, ita ut nihil proferret nisi cæleste & divinum. Postea dicit *se loquutum cunctos istos sermones captivis*, vel exulibus. Videtur fuisse supervacua hæc narratio. Quorsum enim edoctus fuit Propheta de excidio urbis, regni interitu, & ruina Templi, nisi ut desisterent Judæi qui adhuc residui in patria manebant, à sua superbia? Sed notandum est, fuisse Prophetæ durum certamen cum ipsis exulibus, inter quos agebat, quemadmodum clarius videbitur proximo capite. Sicuti enim gloriabantur Judæi se adhuc manere incolumes, & ridebant captivos qui se abstrahi passi fuissent in longinquam terram, ita tædebat exules suæ miseriæ. Nam conditio eorum valde tristis erat, quum viderent se expositos omnibus ludibriis, tractari à Chaldæis serviliter & contumeliose. Quum ergo talis esset eorum conditio, apud se fremebant, & indignabantur, quod morem gessissent Prophetis, præsertim Jeremiæ. Quoniam ergo ita sortis suæ pœnituit captivos, necesse fuit Prophetam compescere illam contumaciam. Et huc tendunt verba, *quod narraverit sermones Jehovæ captivis.* Neque enim minus necessaria erat hæc admonitio exulibus, quam Judæis, qui adhuc salvi manebant in urbe. Dicit autem *sermones quos Deus videre fecit*, improprie, sed quoad sensum aptissime. Neque enim tantum loquutus est Deus, sed rem ipsam proposuit oculis Prophetæ. Videmus ergo cur dicat *sibi ostensos fuisse sermones ut eos conspiceret.* Jam dixi improprie transferri ad sermonem quod non convenit nisi oculis. Atqui oculi non recipiunt sermonem, sed aures. Verum hic Propheta significat non fuisse nudum & simplicem Dei sermonem, sed vestitum externo symbolo. Dicit Augustinus Sacramen- *In Joan. Hom. 89. lib. 19. contra Faust.* tum esse verbum visibile: & scite loquitur, quia in Baptismo Deus alloquitur oculos nostros, ubi aquam profert in symbolum nostræ ablutionis & regenerationis. In Cœna etiam dirigit sermonem suum ad oculos nostros, quia ostendit Christus carnem suam esse nobis vere cibum, & sanguinem suum esse vere potum, ubi in medium prodeunt panis & vinum. Hac etiam ratione Propheta nunc dicit *se vidisse Dei sermonem*, qui vestitus erat externis symbolis. Deus enim apparuit Prophetæ suo, quemadmodum dixi, ostendit Templum, deinde erexit quasi theatrum in quo spectaret totum statum urbis Hierosolymæ. Pergamus.

CAP. XII.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Fili hominis, in medio domus rebellis tu habitas: oculi illis ad videndum, & non vident: aures illis ad audiendum, & non audiunt: quia domus rebellis ipsi. (*hoc est, sunt.*)

Quia daturus erat novum mandatum servo suo Deus, voluit eum instruere fortitudine animi, ne ubi videbat se frustra consumere operam, retrocederet à cursu suo. Scimus enim quam gravis sit ista tentatio servis Dei dum apud surdos loquuntur, nec tantum respuitur ipsorum doctrina, sed etiam cum ignominia rejicitur. Putant igitur nihil esse melius, quam silere, quia nihil aliud est quam exponere probris impiorum nomen Dei, ubi ita impune contemnitur ejus sermo. Nunc ergo tenemus quo consilio Deus Prophetam suum admoneat de contumacia gentis. Propheta jam satis superque expertus erat quam intractabiles essent Israëlitæ: sed Deus confirmat suo judicio quod Prophetæ satis erat usu compertum. Deinde notanda est ratio altera: Deus enim non tantum mandavit Prophetæ quid dicturus esset, verum adjecit symbolum externum, ut videbimus. Poterat autem excipere Propheta, ridiculum se fore quum sumeret baculum & peram, & petasum tanquam viator qui facturus esset iter. Nec dubium est, quin Israëlitæ pro sua protervia deriserint quod agebat, tanquam puerile aliquod ludicrum. Quia ergo Propheta forte putasset absurdum esse sibi illud mandari, præfatur Deus, & causam adfert sui consilii. Dicit igitur, *domum Israëlis rebellem esse.* postea exprimit quanta sit illa contumacia: nempe *quod surdi sint, & tamen præditi auribus: quod cæci sint, quum tamen non careant oculis.* Hic ostendit Deus non posse Israëlitas obtendere errorem quasi inconsiderate peccassent: sed assignat eorum pervicaciæ quod neque audiant neque videant. Et hoc diligenter notandum est, quia ut plurimum hypocritæ ubi sunt convicti, captant hanc latebram, se errore fuisse lapsos vel inscitia. Deus autem ex opposito hic pronunciat Israëlitas fuisse cæcos & surdos: sed ostendit voluntariam fuisse eorum cæcitatem. Quum ergo increduli prætexent se non fuisse illuminatos à Domino, concedi quidem illis poterit fuisse cæcos & surdos: sæpe tamen ultra transcendere oportet, quia fons cæcitatis & surditatis est eorum pervicacia: ac Deus ipsos excæcat, quia nolunt lucem admittere sibi oblatam: aures etiam suas obturant. Non semper quidem apparent causæ in judiciis Dei. Nam aliquando videbimus excæcari gentem unam: ratio autem nobis non patebit. Sed quantum ad decem Tribus spectat, nulla potuit esse erroris excusatio, quum à pueritia edocti fuerint

in Lege Dei. Superbia itaque & contemptus fecit, ut Deus conjiceret ipsos in sensum reprobum: hinc fuerunt obstupefacti, ut oculis non cernerent, auribus nihil audirent. Et hoc signanter exprimit Propheta, *non audiunt*, inquit, *quoniam sunt domus rebellis*: non dicit, quia sensus eorum non penetrat ad secreta Dei, non satis sunt acuti, non pollent tanta prudentia: sed, *quia sunt domus rebellis*, hoc est, quia seipsos obstupefecerunt. Hinc fit ut neque audiant, neque videant. Sequitur,

3. Et tu fili hominis, fac (*vel para*) tibi vasa transmigrationis: & transmigra interdiu in oculis ipsorum: migrabis autem à loco tuo ad locum alium in oculis ipsorum, si forte videant, quia domus rebellis sunt.

Jam præcipit Deus servo suo quid fieri ab ipso velit: jubet accipere vasa transmigrationis, hoc est, jubet se parare ad longam profectionem, imo ad exilium. Nam de exilio hic agitur. Qui autem domum relinquere cogitur, ut in aliena terra exulet, colligit quicquid potest secum ferre, nempe indusia, calceos, petasum, & peram, & baculum, & reliqua ejus generis, si quid etiam habet peculiolæ. Jubetur itaque Propheta se accingere ad iter, quo repræsentet eorum personam qui paulo post trahendi erant in exilium. Hac ratione jubetur *sibi parare vasa transmigrationis*. Vasa etiam Latini vocant tam vestes quam alia instrumenta. Unde colligere vasa in proverbio, est tollere impedimenta, sicuti vocant in re militari: vel tollere suam supellectilem. Jubet autem *hoc fieri interdiu*, ut Israëlitæ conspiciant quod agitur. Deinde jubetur Propheta *ab uno loco transire ad locum diversum*. Potuit quemadmodum jam dixi, hoc videri puerile. Cicero deridet forenses illos ritus, quod dum vocandi erant in rem præsentem qui litigabant de agro aliquo, haberent genus visendi imaginarium, ut ita loquar. namquia fuisset nimis molestum Prætori equum subinde conscendere, & cursitare per diversos agros, retinuerant ex veteri more ceremoniam: dicebat actor, Agrum quem tu dicis tuum esse ego mihi vendico, & dico esse meum: & si jure mecum vis disceptare, ego te illuc voco. respondebat alter, Quo tu me vocas ego te vicissim illuc revoco. Prætor surgebat, & se loco movebat: & ita erat quædam imaginaria actio. Deridet Cicero illum ludum, & dicit indignum esse gravitate fori. Talis autem fuit actio Prophetæ, sumpsit petasum suum, penulam, baculum, & calceos, & reliqua, & mutavit locum quasi migraret. Conficit autem exiguum spatium duntaxat. Sed ideo præfatus est Deus negotium esse cum gente perversa, ideoque opus esse talibus adminiculis. Et notanda est particula, *si forte videant, quia domus rebellis sunt*. Hic enim Deus quasi suspendit eventum suæ doctrinæ, quum dicit, *si forte audiant*. Et subjicitur ratio, quia tanta erat durities populi, ut vix ullis sermonibus aut signis flecti possent ad obsequium. Interea discamus ex hoc loco, quamvis non respondeat successus labori nostro ubi Deo impendimus operam, tamen pergendum esse. Et hæc doctrina apprime utilis est, quia ubi Deus aliquid oneris nobis injungit, disceptamus nobiscum quis futurus sit exitus: & ita omne studium labascit, quia nisi cernimus felicem eventum, vix digitum libet tollere. Quia ergo semper nimis attenti sumus ad fructum laboris nostri, ideo hic locus diligenter notandus est, ubi Prophetam suum mittit Deus, & tamen addit, *si forte audiant*. Qualiscunque ergo futurus sit eventus, parendum est Deo: si nihil proficimus nostra opera, Deus tamen vult sibi obsequium præstari. Sequitur,

Cicero in Orat. pro L. Murena.

4. Et effer vasa tua tanquam vasa captivitatis interdiu in oculis ipsorum: & tu egredieris vesperi in oculis ipsorum secundum egressus captivitatis. (*contexendi etiam sunt alii versus.*)

5. In oculis ipsorum perfodies tibi parietem, & educes per ipsum.

6. In oculis ipsorum super humerum gestabis, in tenebris egredieris: faciem tuam occultabis, & non aspicies terram: quia portentum constitui te domui Israël.

Verbosus est Ezechiel in hac narratione. Sed initio libri diximus, quia doctor erat præfectus hominibus tardis & fere stupidis, ideo crasso stylo fuisse usum. Addidimus etiam, aliquid contraxisse ex more regionis in qua habitabat. Paulatim enim defluxit populus à linguæ suæ nitore: & hinc fit, ut oratio Prophetæ non tam sit pura, sed aliquid extraneum resipiat. Quantum ad rem attinet, nulla est ambiguitas, quum repetit Deus *in oculis ipsorum, ut fodiat parietem, & educat vasa sua per ipsum*: hic sequitur altera pars visionis, nempe quod non erit liber egressus, sed furtim studebunt elabi Judæi. Primo igitur ostensum fuit Prophetæ, Judæos qui securi Hierosolymæ jactabant secum præclare agi, fore exules, deinde non fore illis liberum egredi quum optabunt: nisi furte furtim effugiant manus hostis per latebras, quemadmodum fures pariete effosso effugiunt. Applicatio deinde sequetur, sed tamen breviter perstringere operæpretium fuit quid sibi voluerit Deus hac visione. Postea utrumque complectitur: *in oculis ipsorum*, inquit, *gestabis super humerum*, hoc est, tu eris paratus & accinctus ad iter *tanquam viator, idque fiet interdiu: sed in tenebris*, inquit, *educes: postquam vasa tua fuerint parata, expecta vesperum, in caligine postea tu egredieris*. Hic ostendit quod jam attigi, quum necessitas expellet Judæos è patria, non fore illis liberum egressum, quia bene cum ipsis agetur si se subripiant è conspectu hostis per latebras, & in noctis caligine. Adjungit, *occultabis faciem tuam*. Eodem etiam pertinet hæc particula, *neque terram aspicies*. Notatur trepidatio & anxietas hoc verbo, sicuti quum dicit, *occultabis faciem tuam*, significat Judæos fore tam perplexos, ut timeant sibi à quolibet occursu. Qui enim sibi ab omnibus metuunt, faciem obvelant, quemadmodum satis notum est. Sed trepidatio melius exprimitur quum dicit *ne aspicias terram*. Nam qui accelerant non audent oculos deflectere vel minimum ad unam aut alteram partem: sed feruntur ad locum ad quem aspirant: & præveniunt oculis, quia pedibus non possunt tam cito festinare, ut cuperent. Iter ergo quodammodo arripiunt oculis. Hæc fuit ratio cur Deus diceret *non aspicies terram: quia portentum*, inquit, *dedi te domui Israël*. Hic Deus occurrit petulantiæ eorum, qui alioqui ludibrio habituri erant quod agebat Propheta, Quid tibi vis cum fictitia ista transmigratione? Cur domi non quiescis? Cur nos hic territas inani spectaculo? Deus ergo, ne ita proterve spernant Israëlitæ quod illis ostenditur, adjungit, *Prophetam esse in signum* vel in portentum *domus Israël*. Nomen portenti hic simpliciter accipitur secundum geminam significationem. Aliquando in malam partem trahitur. Dicimus portentum quicquid est abominabile: sed portentum est proprie quod in futurum tempus aliquid designat. Ubi ergo homines præsagiunt quod occultum est, vocatur portentum. Et eodem etiam spectat cap. 8. Jesaiæ, ubi dicitur, Ecce *Jesa. 8.*
ego, & pueri mei quos mihi dedit Deus in signa & *vers. 18.*

por-

portenta. Illic enim ponit אתות signa priore loco: deinde מופתים portenta. Hic in singulari loquitur Propheta *dedi te in portentum*. Sed quoniam de reliquis fidelibus illic agit Jesaias, vocat signa & portenta. Quanquam videtur plus quiddam velle Jesaias, nempe populum adeo stupidum esse, ut à servis Dei sibi metuat & abhorreat, acsi se ingereret quoddam portentum. Notatur ergo illic pravitas populi, quod quum viderent pium aliquem & sincerum Dei cultorem, averterent oculos suos tanquam à formidabili prodigio. Sed simpliciter loquitur nunc Propheta, quod *datus fuerit in portentum domui Israël*: quia scilicet hæc actio erat præsagium futuræ captivitatis, à qua sibi non timebant Judæi, & quæ erat etiam Israëlitis incredibilis: unde pœnitentia illa & tædium de quibus dixi. Si cui magis placeat, Prophetam vocari portentum, quia attoniti hærebunt Israëlitæ, non repugno. Sed prior sensus longe melius convenit. Hoc autem modo distinguit Deus actionem Prophetæ ab omnibus inanibus spectaculis: & ita asserit quod mandavit servo suo ab omni ludibriu hominum. Interea significat quantumvis spernatur Propheta, se tamen veracem fore, & simul ultorem contemptus. Sequitur,

7. Atque ita feci quemadmodum jussus fueram, vasa mea eduxi tanquam vasa captivitatis interdiu: & vespere perfodi in parietem (*ad verbùm, sed perfodi mihi parietem*) manu, in tenebris eduxi, super humerum extuli (*vel gestavi*) in oculis ipsorum.

Hic refert Propheta se fuisse exequutum quod Deus jusserat: neque tamen ipsum latebat, fore hanc actionem expositam multis probris & subsannationibus. Sed nihil pluris habuit, quam Deo parere. Notanda est igitur Prophetæ alacritas in exequendo Dei mandato. Nam quum ingenuis naturis nihil sit magis acerbum contumelia, potuit onus sibi impositum rejicere, quod ita incurreret in ludibria omnium. Sed quia aliter placebat Deo, sic fecit ut jussus fuerat. Dicit ergo *se extulisse vasa sua tanquam vasa captivitatis*, vel transmigrationis, idque interdiu: quasi diceret se parasse quicquid ad iter necessarium erat, quoniam videbat sibi instare longinquam profectionem, imo exilium. Hæc igitur fuit ratio cur interdiu paraverit vasa sua. Jam sequitur, *vesperi fodisse parietem*. Hoc ad secundum membrum spectat, ut intelligerent Israëlitæ Judæis fore omnes egressus obstructos, ita ut nulla restet salus, nisi in furtiva fuga. Dicit etiam *manu*: unde apparet subito & tumultuarie huc fuisse factum. Dicit *se exisse in tenebris, & super humeros portasse*, nempe ut confirmet quod jam aliquoties diximus, Judæos nisi beneficio noctis non posse sperare salutem: quia undique obsessi erunt, nec poterunt huc vel illuc tendere, quin hostis ipsos deprehendat. Hæc igitur ratio est cur Propheta dicat *in tenebris se fuisse egressum per effossum parietem*.

Da omnipotens Deus, quando ita nos vis in hoc mundo habitare, ut peregrinemur usque dum nos colligas in cælestem tuam quietem, ut vere meditemur æternam illam hæreditatem, & ad eam applicemus omnia nostra studia: deinde sic in mundo simus peregrini, ut tamen non vagemur, neque aberremus à via: sed intenti semper ad scopum quem nobis proponis, pergamus per viam nostram, donec confecto cursu nostro, fruamur gloria illa, quam nobis præparavit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SECUNDA
IN
E Z E C H I E L E M.

8. Et fuit sermo Jehovæ ad me mane, dicendo,

9. Fili hominis, an non dixerunt tibi domus Israël, domus rebellis, (*vel ut alibi diximus, exasperans, aut amara*) Quid tu facis?

10. Dic illis, Sic dicit Dominator Jehovah, Principis onus hoc (*vel prophetia hæc tristis*) in Jerusalem, & totius domus Israël quæ in medio ipsorum.

11. Dices, Ego portentum vestrum: sicuti feci ita fiet illis, in transmigrationem, in captivitatem ibunt. (*& cætera.*)

Colligimus ex verbis Prophetæ ipsum fuisse derisum, quum sese accingeret ad migrandum: deinde clanculum noctu effoderet parietem, per quem transiret cum suis sarcinis. nam qui existimant Israëlitas sciscitatos esse quasi de re sibi incognita, non satis considerant verba Prophetæ. Neque enim frustra hic repetitur elogium illud *domus rebellis*. Si ex stultitia profecta fuisset hæc interrogatio, Deus non vocasset ipsos rebelles. Refertur igitur hoc epitheton ad locum præsentem, & ita statuere licet, per ludibrium quæsisse à Propheta Israëlitas quid illud sibi vellet. Visus enim est ipsis ludere: ita subsannarunt. Et scimus quanta fuerit audacia illius gentis ad Prophetas spernendos. Non mirum igitur est, quum nacti essent plausibilem materiam, si liberius insectati sunt quod agebat Propheta. Diximus enim heri, fuisse illud quasi puerile spectaculum. Ideo visi sunt Israëlitæ non absque ratione respuere quod Propheta agebat tanquam rem nihili. Deus autem non patitur ita vilipendi servos suos. Jam insignierat Prophetam nostrum, ut vocatio ejus deberet merito sancta esse. Quum ergo gestaret Ezechiel certas notas Prophetici muneris, quanquam primo aspectu actio ejus non poterat existimari seria, modeste tamen debuit populus inquirere. Nam quicquid à Deo scimus manare, reverenter excipiendum est sine controversia. Si autem aliqua est obscuritas, possumus mirari, possumus sciscitari: sed quemadmodum dixi, semper præire debet docilitas & modestia. Quid autem Israëlitæ? sciscitati sunt quorsum tenderet Prophetæ actio, sed ut eam rejicerent quasi ridiculam. Hac igitur de causa irascitur Deus, & pronunciat se futurum severum vindicem illius audaciæ, quod insectati essent sanctum Prophetam. Ergo emphatice hoc legendum est, *quid tu facis?* quasi dicerent Prophetam desipere, & frustra gestare vel parare illas sarcinas, & parietem fodere, quia hæc omnia nullius essent momenti. Responsio autem quum ostendat graviter Deum offensum fuisse talibus dicteriis, satis demonstrat non errore vel incogitantia fuisse sciscitatos, sed mera protervia. Dicit enim, *Principis hæc prophetia est, & totius domus Israël, quæ est in medio ipsorum*. Hauddubie Regem intelligit, ut paulo post videbimus: neque de quolibet Rege indefinite loquitur, sed Zedechiam designat, ut etiam statim liquebit ex circumstantia.

Dicit igitur: *hoc onus*, vel hanc tristem prophetiam *spectare ad Principem, & ad domum Israëlis*, quæ habitabat Hierosolymæ. Probabile autem est quosdam ne inciderent in manus hostium profugisse, quia tutum erat illis Hierosolymæ receptaculum. Captivi putabant se fuisse male providos, quod non sequuti essent illos duces, quia fuisset illis Hierosolyma tutum perfugium. Hinc ergo major tristitia ex captivitate. Ideo pronunciat Deus comprehendi Israëlitas una cum Rege in hac prophetia. Verum quidem est, commune fuisse nomen omnibus Abrahæ posteris. Nam duodecim Patriarchæ progeniti fuerant à Jacob. Sed tunc usus invaluerat, ut decem Tribus retinerent nomen Israël: Tribus autem Jehudah haberet nomen suum proprium & peculiare. Postea confirmat suam doctrinam, *quod sit illis in portentum*. Hanc vocem heri exposuimus, nempe Prophetam fuisse positum ante oculos loco signi, ita ut Deus repræsentaret quod adhuc erat incognitum. Nam portenta vocantur signa divinitus missa, ut futurum præsagiant quod nemo putaret. Deus quidem ostendit sæpe quid facturus sit multis signis, sed vulgaribus: portentum autem vocatur signum extraordinarium, & quod non potest censeri naturale. Sic ergo Propheta jubetur dicere Israëlitis, *se illis esse in portentum*, nempe ut proterviam excutiat, quæ ut diximus, causa erat impii contemptus. Neque illis religio erat, Prophetam subsannare, eo quod putarent aliquid proferre lusorium, acsi pueros vellet de nihilo territare. Deus ergo ut Israëlitæ tandem expergiscantur à suo torpore, pronunciat *servum suum esse illis portentum*. Et ex ratione addita colligimus quid sibi voluerit nomen portenti, etiam hesterna lectione. Dicit enim, *quemadmodum feci ita fiet vobis*, hoc est, serio tandem in vobis implebitur quod putatis esse nunc lusorium. Propheta enim visus est fabulam agere tanquam histrio: & hac de causa fuit derisus. Nunc pronunciat non fore id fabulosum, quia non induent aliam personam Israëlitæ, qui residui erant apud Judæos, atque adeo Rex ipse. Deus enim coget ipsos tandem sarcinulas suas colligere, & furtim captare fugam per tenebras noctis, quod etiam prosequitur toto versu: *in transmigrationem*, inquit, *& in exilium ibunt*. Quod ergo jussus fuit Propheta sibi vasa conficere, vel parare, fuit signum exilii de quo nunc loquitur. Sed additur etiam explicatio secundæ partis.

12. Et Princeps qui in medio ipsorum est, super humerum portabit in tenebris, & ingredietur in pariete quem effoderint ad educendum (*vel efferendum*) in ipso: faciem occultabit, ne (*ut non*) aspiciat oculo terram.

Diximus ostensa fuisse duo, nempe exilium populi, deinde clandestinam fugam: de hac trepidatione nunc Propheta iterum loquitur. Dicit ergo non modo qui ex vulgo erunt aut fæce populi fore ita anxios, ut clanculum conentur effugere, & sarcinas suas gestent: *sed Principem ipsum*, hoc est, Regem subjectum fore tantæ ignominiæ: *ipse*, inquit, *Princeps gestabit humero*. Sequuti quidem sunt eum multi, ut vidimus, & tandem deprehensus fuit cum magna caterva ut paulo post subjiciet Propheta, & in deserto Jericho captus ab hostibus tractus fuit etiam ad Regem: sed hic fit mentio unius Regis, quia res fere erat incredibilis non posse hostem reconciliari. Deditio enim sæpe placat etiam infestissimos hostes: parcitur saltem Regibus, quamvis passim edantur strages hominum: & scimus Reges postquam fuerant ducti in triumpho, deinde servatos ob dignitatem. Quod ergo Propheta de rege Zedechia pronunciat, non eo pertinet quasi eximendum sit vulgus ab illa pœna: sed quia Rex ipse una cum gregariis hominibus cogetur furtim se subducere: neque tamen poterit elabi è manibus hostium. *Princeps* ergo *qui est in medio ipsorum*. Hic aliter accipitur *medium ipsorum*, quam paulo ante dixerat Israëlitas esse in medio populi qui habitabat in Jerusalem, quia permixti erant Judæis ex quo se contulerant in ipsorum fines. Sed alio sensu dicit *Principem esse in medio*, quod scilicet oculi omnium in ipsum conjecti sint: quemadmodum ubi erectum est vexillum, ab omnibus conspicitur, & retinet totam turbam in suis ordinibus: ita etiam *Rex erat in medio*, ne populus difflueret. Misera enim dissipatio sequitur ubi caput ablatum est. Sed notandum est Spiritus sancti consilium. Judæi enim ut alibi visum fuit, obduruerant in sua malitia fallati prætextu, quasi Deus semper habiturus esset apud ipsos suum domicilium. Nam dictum erat de solio Davidis, staturum quamdiu Sol & Luna in *Psal. 89.*
cælo fulgerent. Et hinc lamentabilis querimonia *v. 37, 38.*
apud Jeremiam, Christus, vel unctus Dei, in cu- *Lam. 4.*
jus spiritu anima nostra vivebat. Propheta illic non *vers. 20.*
loquitur vulgari more, quasi Deo obtrudat (sicuti hypocritæ solebant) suam promissionem: sed respicit ad consilium Dei. Nam David quum esset Christi imago, vere erat anima populi etiam in gentibus, quemadmodum illic habetur. Non tantum ergo sperabant salutem à Rege suo quamdiu inclusi essent intra muros: sed quamvis dispersi essent inter gentes, sperabant tamen se adhuc fore incolumes sub umbra Regis. Sed fuit perversa illa confidentia, quum impie descivissent à vero Dei cultu. Ergo Propheta ut illis extorqueat superbiam illam, & jactantiam inanem, dicit *Regem nunc esse in medio ipsorum*: sed non semper fore, quia Deus eum expellet, neque id modo, sed coget etiam furtim captare fugam per latebras. Postea addit, *occultabit faciem suam, ne videat terram oculo*. Id etiam completum fuit, quemadmodum narrat sacra Historia. *2 Reg. 25.*
Nam subterraneis latebris per hortos egressus est *vers. 4. 5.*
Zedechias: putavit fugam suam posse hostem *Jere. 39.*
latere: sed deprehensus fuit. Videmus ergo quor- *vers. 4. 5.*
sum tendat occultatio vultus vel oris, nempe quia obvios quosque metuebat Zedechias. Hoc autem fuit valde acerbum, atque etiam turpe & pudendum Regi, sese cooperire, nec audere aspicere terram oculis. Jam sequitur quod longe tristius fuit,

13. Et extendam rete meum super ipsum, & capietur in plagis meis, (*in retibus: alii vertunt sagenam, sed male: & inde quibusdam etiam data fuit errandi occasio, quia putarunt similitudinem sumptam esse à piscibus, quum tamen certum sit diversis vocibus rem unam notari: capietur ergo in reti meo*) & educam eum (*inquit*) Babylonem in terram Chaldææ, & ipsam non videbit, & illic morietur.

Fuit illa non levis clades, quum Zedechias tandem rebus suis desperatis cogitavit de fuga: deinde quum descendit in fossas occultas, tanquam in sepulchro vitam quæreret. Redactus ergo tunc fuit ad extrema. Sed jam addit Propheta id fore inutile, *quia capietur nihilominus ab hostibus*. Cæterum quod Deus per Chaldæos exequutus est, ad se transfert, ac merito. Chaldæi insidias tendebant, quia admoniti fuerant de fuga Regis: sciebant quorsum tenderet. Ergo exceptus fuit eorum insidiis. Deus autem pro-

pronunciat se fore auctorem: *ego*, inquit, *rete meum expandam*. Nempe quia scimus Chaldæos non fuisse egressos à patria, suo motu, nec gessisse bellum illud proprio Marte: unde neque eorum industria captus Rex fuit, sed totum hoc negotium divinitus fuit gubernatum. Impendunt quidem suam operam homines, & videntur aliquid labore suo consequi: sed nisi Deus eventum præstet, certum est omnes conatus fore evanidos. Porro, quemadmodum excitaverat Deus Chaldæos, ut pœnam exigeret de Rege & populo, ita animos ipsorum erexit ad fiduciam: deinde stabilivit, ut persisterent in obsidione urbis: tandem aperuit illis oculos, & misit qui detegerent Regis consilium, ut posset in exitu speluncæ deprehendi, quemadmodum contigit. Hoc ergo totum factum fuit occulta Dei providentia. Ita diligenter observandi sunt nobis loci in quibus Deus ostendit quicquid videntur homines efficere, suum tamen esse opus. Similitudo etiam pondere non caret. Nam videmur semper habituri aliquod refugium etiam in rebus perplexis: & quantisper huc & illuc circumspicimus, spes aliqua nos decipit. Deus autem pronunciat se habere *retia expansa*, quibus undique sumus circumdati. Ergo ubi exitus nobis apparet, Deus habet occultas plagas, quibus nos irretiat. Ac proinde hic locus comparat Deum venatori, nos autem feris bestiis. Nam feræ bestiæ quum eas persequitur venator, respiciunt qua parte libera sit via, & illuc perrumpunt: sed conjiciunt se in plagas. Sic etiam ubi conamur effugere manum Dei, illaqueamur, & tenemur ab ipso: quia ubi volumus nos subducere ab ejus providentia, digni sumus tali excæcatione, ut sponte ruamus in nostrum exitium. *Expandam* ergo *rete meum super ipsum, & capietur in plagis meis: deducam eum*, inquit, *Babylonem*. Gradatim Propheta ostendit quam formidabilis Dei vindicta maneat Zedechiam & totum populum. Jam illud miserrimum erat, capi ab hostibus, & subjici eorum libidini & sævitiæ. Si occisus fuisset, hoc erat perfungi leviter momento uno. Sed Deus voluit ut vitam protraheret in exilio. interea dicit moriturum Babylone, nec tamen visurum urbem. Utrumque completum fuit. Zedechias ergo quodammodo computruit in suo exilio. nam in squalore & sordibus jacuit usque ad mortem. Et quanquam sepultus fuit, ut vidimus apud Jeremiam, tamen fuit hæc tristissima conditio, tota vita metuere novam iram hostis: deinde adeo barbare & inhumaniter tractari: adhæc excæcatus fuit in ipso itinere: & hac ratione dicit *non videbit Babylonem*, & tamen perveniet illuc, *& illic morietur*. Postquam vidit filios suos jugulari in suo conspectu, tandem eruti fuerunt illi oculi: fuit illud spectaculum morte gravius. Jam reputemus qualis sit vita hominis in exilio, in carcere & catenis, quemadmodum catenis ligatus fuit, ut refert sacra Historia: illic tabescere multis & lentis mortibus in fœtido carcere, & carere conspectu solis: hoc tamen contigit Zedechiæ. Videmus ergo ut Deus fulminet adversus Israëlitas, qui putabant se infeliciter passos fuisse exilium, quum possent Hierosolymæ salvi manere. Sequitur,

14. Et omnes qui in circuitu ejus sunt in auxilium ejus, & omnes alas ejus (*hoc est, omnia præsidia*) dispergam ad omnem (*vel ad quemlibet*) ventum: & gladium evaginabo post ipsos.

Confirmat superiorem sententiam, & dicit quamvis Zedechias multos habeat præsidiarios milites, assuefecerit etiam populum suum ad arma gestanda: hoc totum nihil profore, quia Deus omnia præsidia quibus fidebat disjiciet. Dicit ergo *se sparsurum ad omnes ventos quicunque erant in circuitu Zedechiæ*. Nam hoc etiam fallebat incredulos, quum viderent Regem non destitui auxiliis externis: deinde jam populum urbis assuetum esse militiæ. Quum ergo Zedechias ita esset instructus ad defensionem urbis, putabant vix fieri posse, ut tandem caperetur à Chaldæis. Deus autem hic primo docet bellum geri suis auspiciis, ideo non esse dubitandum, quin urbem ipse expugnet. Non loquitur de Chaldæis, ne judicium faciant increduli ex comparatione, Verum est, Chaldæi quidem urbem obsident valido & copioso exercitu, sed urbs est inexpugnabilis: deinde defenditur magno animo, & Rex habet satis firmas copias, quibus se tueatur. Ne ergo stulte hæc æstimatio falleret incredulos, Deus prodit in medium & avertit eorum sensus à Chaldæis. Hæc ratio est cur sibi adscribat quicquid gestum est per exteros hostes. Et hinc etiam colligimus, in manu Dei esse profanas gentes, quia non tantum suos gubernat Spiritu regenerationis, sed impios qui cuperent abolere ejus imperium, cogit tamen obsequi suis mandatis. Deus è cælo gladium non strinxit, neque palam apparuerunt Angeli strictis gladiis: hoc à Chaldæis factum est: sed quemadmodum dicitur Jesaiæ 10., An glotiabitur securis *Jesa. 10.*
adversus eum qui ipsam agitat? Quum ergo per se *vers. 15.*
nullus esset vigor in Chaldæis, Deus ipsos armavit, deinde præstitit qualem volebat successum. Sequitur,

15. Et cognoscent quod ego Jehovah, postquam expulero ipsos inter gentes, (*vel dissipavero, vel disjecero*, בהפיצי *significat violentam expulsionem*) & dispersero ipsos per terras. (*hoc est, per diversas regiones.*)

Hic insultat Deus Judæis & Israëlitis, qui simul se adjunxerant. Dicit se patefacturum suam virtutem, ita ut cogantur ipsum agnoscere, sed in suo interitu. Experimentalis cognitio etiam fidelibus interdum tribuitur. quia enim nimis tardi sumus, certis documentis Deus ostendit nobis suam potentiam. Sed quod hic dicitur, restringi debet ad solos reprobos & perditos. Non ergo agnoscunt Deum nisi in morte. Et tamen Zedechias non prorsus erat vacuus timore Dei: reverebatur Jeremiam, neque prorsus extinctum erat in ejus animo semen pietatis. Quantum ad populum spectat, quum offerret quotidie sacrificia, certe fovebat saltem aliquam opinionem de gratia Dei, & simul de ejus potentia. Sed quia spernebant Prophetas, deinde erant prorsus indomiti, ut minæ cederent ipsis in ludibrium: hac ratione dicuntur Deum non cognoscere. Et hoc diligenter notandum est. Nam impii non existimant se ita esse stupidos, quin deferant justum honorem Deo. Sed interea ubi Deus ipsos ad se vocat, obvertunt tergum: ubi sermonem suum proponit, & quidem in eorum salutem, non tantum surdi sunt vel obturant aures suas, sed etiam tumultuantur, vel derident pro fabulis omnes minas. Certum autem est, nullam vigere notitiam Dei ubi grassatur talis doctrinæ ejus contemptus. Et hac ratione nunc dicit *tandem cognituros esse Judæos*, quia scilicet contemptus impediebat ne Deo adscriberent laudem suæ potentiæ. Territi enim fuissent vel solo ejus nutu. Atqui assidue illis Jeremias inculcabat Dei sermonem: sed ita occalluerant, ut verbum illud ducerent pro nihilo. Est igitur hæc gravissima comminatio: quasi diceret Deus, ubi vos percussero manu mea, sentietis me esse Deum. Discamus ergo Deum ma-

ture agnoscere fidei sensu dum loquitur, quia istud est opportunum tempus salutaris notitiæ. Ne ergo abutamur ejus patientia, dum manu armata in nos sæviat, & horribili modo persequatur. Castigat quidem interdum suos, idque in salutem: sed ubi eo ventum est, ut in reprobis nulla sit spes resipiscentiæ, tunc eos in nihilum redigit. Jam sequitur,

16. Et residuos faciam ex illis homines numeri (*hoc est, homines paucos*) à gladio, à fame, à peste, ut enarrent cunctas abominationes suas in gentibus, ad quas venient: & cognoscent quod ego Jehovah.

Quidam existimant Deum hic sermonem habere de fidelibus, quos mirabiliter statuerat servare in ipsa morte. Et certe aliqua est superioris vindictæ mitigatio. Sed consentaneum non est hic fideles intelligi. Loquitur ergo de promiscuo vulgo. Sed jam ante vidimus talem fore cladem urbis, ut Deus spargeret per aërem quosdam residuos. Id nunc Propheta confirmat. Tenendum igitur est primo loco, promissionem hanc non dirigi peculiariter ad electos, vel ad Ecclesiam Dei: sed Deum potius ostendere exilium non fore malorum finem captivis, quamvis non statim jugulentur. Poterat enim videri eorum conditio melior. Sed Deus hic pronunciat se fore illis inexorabilem. Quamvis ergo non pereant omnes gladio, vel fame, vel peste, sed aliqui maneant residui: id fiet, inquit, non quod illis reconciliatus fuero, sed ut traducam ipsorum scelera per Gentes. Quum enim dicit *ut enarrent*, non intelligit fore testes suorum scelerum, quemadmodum solent pii (ut alibi etiam videbimus) Dei misericordiam extollere: & suas miserias ingenue fatentur apud homines. Non ergo intelligit talem fore narrationem, quæ signum sit resipiscentiæ: sed de reali potius sermone loquitur. Nam exilium illud clara voce personabat, esse homines sceleratos, quibuscum Deus tam hostiliter egisset. Elegerat enim populum illum, erat custos urbis: & fuisset perpetuus servator, nisi obstaculo fuisset eorum perversitas. Quod ergo destituti sunt ejus auxilio, spoliati omnibus fortunis, quod tyrannice dominati sunt illis hostes, hinc satis clare apparuit, plusquam esse sceleratos. *Narrarunt* igitur, non ore, sed toto suo statu, sua scelera inter Gentes. Nunc ergo tenemus Dei consilium, nempe quamvis aliqui manerent superstites, neque jugulati omnes fuerint vel gladio, vel fame aut peste interierint, tamen illos fore maledictos: quia non in alium finem respexit eos procul abigendo, nisi ut illic eorum ignominia pateat, ut sint omnibus detestabiles, quum scilicet profanæ quoque Gentes agnoscent illos suis sceleribus prometitos fuisse talem vindictam. *Narrabunt* igitur *inter Gentes cunctas abominationes suas: & cognoscent quod ego Jehovah.* Iterum repetit sententiam illam, cogniturос sero quod aspernati fuerant: nempe quia Deus obtulerat se illis in patrem, nec admiserant gratiam illam, tandem coacti sunt ipsum sentire suum judicem, & quidem æterno interitu.

Da omnipotens Deus, quando tot documentis nos admones, quam formidabilis sit ira tua, præsertim adversus contumaces & immorigeros, qui sermonem familiariter sibi traditum respuunt: da, inquam, ut qua filios tuos decet humilitate & reverentia, amplexemur quod nobis proponitur sub tuo nomine: ut ita resipiscamus à peccatis nostris, & impetremus eorum veniam, donec tandem exuti omnibus carnis nostræ corruptelis, participes simus æternæ & cælestis ejus gloriæ, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA TERTIA
IN
EZECHIELEM.

17. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

18. Fili hominis, panem tuum in tremore comede, & aquas tuas in tumultu & dolore (*vel cruciatu, vel anxietate*) bibe.

19. Et dices ad populum terræ, Sic dicit Dominator Jehovah habitatoribus (*vel incolis*) Hierosolymæ super terram Israël, Panem suum in anxietate (*vel cruciatu, vel dolore: repetit idem illud nomen*) comedent, & aquas suas in desolatione bibent, ut vastetur terra (*vel desoletur*) à sua plenitudine, propter violentiam omnium qui habitant in ea.

Nunc jubetur Propheta repræsentare famem, quæ manebat Judæos tam in obsidione quam in exilio. Sed præcipue hoc vaticinium referri debet ad tempus obsidionis. Fuerunt enim Judæi in continua trepidatione: & quamvis opibus suis freti, & præsidiis putarent se fore inexpugnabiles, Dominus tamen sæpe; imo subinde illis excussit hanc confidentiam. Hinc igitur misera anxietas, & trepidatio, ut panem suum non comederent nisi in metu, & aquas suas non biberent nisi in tumultu. Nam urbs obsessa semper sibi metuit: deinde molestiam exhibent hostes, ut ipsa fatigatio tandem ad deditionem cogat obsessos. Et probabile est, quum exercitus Chaldaicus facile posset sine magna jactura sæpius oppugnationem urbis tentare, Judæos ipsos fuisse quotidie perculsos novis terroribus, ita ut nec panem comedere, nec aquam bibere possent, nisi in anxietate & tumultu. Cæterum, quia simplex & nuda doctrina non satis fuisset efficax apud decem Tribus & Judæos ipsos, ideo additur externum symbolum. Propheta ergo imago est obsessi populi: & ideo jubetur *trepide panem suum comedere*, ut spectaculum illud magis afficiat tardos homines, imo socordes. Et mox sequitur applicatio, *Dices ad populum terræ.* Non dubito quin decem Tribus hic designet. Ergo terra significat Chaldæam, & alias regiones, per quas dispersi fuerant qui tracti fuerant in exilium. Profuit autem illis hoc audire, quemadmodum ante vidimus: quia putabant præclare actum fuisse cum Judæis, qui domi adhuc quiescebant: se vero putabant esse miseros. Hinc non tantum querimoniæ, sed etiam strepitus adversus Deum, & ejus servos, præcipue adversus Jeremiam. Hæc igitur ratio est cur Propheta debuerit sermonem præferre ad captivos. Sed postea sequitur, *Sic dicit Dominator Jehovah incolis Hierosolymæ super terram Israël*, hoc est, qui residui sunt in terra Israël. Videmus ergo hic distingui terram

Israël

Israël ab altera terra, cujus nuper facta fuit mentio. Manebant ergo quieti in sua hæreditate, qui Hierosolymæ habitabant: & ideo conditio ipsorum habita fuit melior, quia exilio nihil tristius, & captivitate. Sed pronunciat Deus illos esse miseriores captivis, qui jam perfuncti fuerant præcipua miseriarum suarum parte. *Comedent*, inquit, *in dolore*, vel cruciatu *panem suum, & aquas suas bibent in desolatione*: non repetit easdem voces quibus nuper usus fuerat, sed breviter ostendit frustra Judæos gloriari, quod adhuc stent incolumes: quia paulo post urgebit ipsos hostis, ut ne buccellam quidem panis comedere possint in quiete. *Ut redigatur*, inquit, *terra ejus in vastitatem à sua plenitudine.* quod alii vertunt, post suam plenitudinem, coactum est, & longe petitum. Significat enim Propheta terram illam vastam fore & inanem, quia exhaurietur. Plenitudo accipitur pro rerum omnium copia, ut satis notum est. Tunc ergo redacta fuit Judæa in vastitatem à sua plenitudine, quum hostes prædati sunt quicquid illic erat: & ita regio fuit exinanita suis opibus. Sequitur ratio, *Propter violentiam omnium qui habitant in ea.* Perperam exponunt hoc quidam de Chaldæis, quod sua rapacitate totam terram perdiderint. Nam potius admonet Propheta justam esse hanc Dei vindictam, quod scilicet omnes Judæi dediti fuerint violentiæ, crudelitati, & rapacitati. חמס enim significat quodlibet genus injuriæ: sed sæpenumero accipitur pro violentia & rapinis. Tenemus ergo Prophetæ consilium, nempe cladem hanc merito instare Judæis, quia ita rependitur eis justa merces suorum scelerum. Et ita compescit Ezechiel omnes querimonias, in quibus sibi nimium licentiose indulgebant, acsi Deus nimis rigide & duriter cum ipsis ageret. Breviter ergo docet, ita fuisse promeritos, ut diutius illis minime parcendum fuerit. Sequitur,

20. Et urbes habitatæ redigentur in solitudinem, & terra vasta erit, (*vel deserta*) & cognoscetis quod ego Jehovah.

Prosequitur eandem sententiam. Minatus fuit excidium Hierosolymæ, & ejus civibus: nunc adjungit etiam alias urbes Jehudah, quæ adhuc habitabantur. Denique loquitur de tota terra, quasi diceret non esse cur vel angulus unus confidat se fore immunem à clade, quoniam grassabitur Dei ultio, & hostium etiam crudelitas per omnes regiones. Hierosolyma caput erat totius gentis: ejus expugnationem prædicit Ezechiel. Facile autem fuit deinde alias urbes evertere & spoliare. Hinc factum est ut tota regio subjecta fuerit hostium libidini. Postea subjicit quod ante vidimus, *cognoscetis quod ego sim Jehovah.* Audierant quidem à Prophetis: debuerant à prima pueritia esse hac doctrina imbuti: imo pluribus experimentis Deus testatus fuerat se esse verum Deum. Nam potentia ejus satis cognita & perspecta fuerat frequentibus auxiliis, quibus miser ille populus ereptus fuerat quasi à præsenti morte. Sed quoniam impietas ipsos obstupefecerat, ut secure contemnerent non modo Propheticam doctrinam, sed ipsa Dei judicia, quum palam in ipsos animadverterer, non fine causa hæc cognitio ponitur. Ubi ergo Deus extremam manum apposuerit illis castigandis, dicit tunc fore manifestam illis suam virtutem, quæ non prorsus ipsos latuerat: sed tamen sic erat obscurata ipsorum pravitate, ut Deum fere pro nihilo ducerent. Est autem semper tenenda antithesis inter hanc cognitionem, quæ nascitur ab effectu, & cognitionem quam adfert doctrina. Qui ergo aures suas obturaverint ubi Deus ipsos ad se invitat per servos suos, necesse est ut tandem sentiant ipsum esse Deum quum tacebit, & interea exequetur suam vindictam contra ipsos. Sequitur,

21. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

22. Fili hominis, quodnam proverbium hoc vobis in terra Israël, dicendo, Prorogati sunt dies, (*vel protracti*) & evanuit omnis prophetia?

23. Propterea dices illis, Sic dicit Dominator Jehovah, Quiescere (*vel cessare*) faciam proverbium hoc, & non proverbiabunt amplius in Israël: quin potius loquere ad eos, Appropinquarunt dies, & sermo omnis visionis.

Hic invehitur Deus in crassum ludibrium, quod tunc passim regnabat apud Judæos. Nam quum diu minati illis fuissent Prophetæ, tantum abfuit ut ipsa assiduitas illos tandem ad pœnitentiam adduxerit, ut magis obduruerint, acsi callum contraxissent. Quoniam ergo in eam obstinationem proruperant, ut jactarent se elapsos, & ita impunitatis fiducia magis ac magis protervirent contra Deum, jubet Propheta hanc eorum audaciam compescere. Fuit hoc prodigiosum, quum populus ille, qui à pueritia imbiberat doctrinam Legis, & Prophetarum, ita contra Deum prorupit, acsi mentitus fuisset per suos Prophetas. Huc enim spectabat eorum jactantia, ô *prorogati sunt dies: ergo transiit omnis visio, & evanuit.* Ex ipsa mora colligunt sibi nihil esse metuendum, quia obsolevit quicquid prædixerant Jeremias, & alii similes. Videmus ergo ut increduli patientiam Dei vertant in materiam contumaciæ ac stuporis: parcit illis Deus, nempe ut quasi per otium ad resipiscentiam eos invitet. Quid autem illi? numerant dies & annos: ubi vident Deum non statim exequi quod protulit judicium per servos suos, subsannant, & existimant quicquid dixerunt Prophetæ esse fabulosum. Talis igitur fuit impietas, in quam nunc invehitur Propheta: *quodnam est?* Interrogatio ad detestationem pertinet. Deus enim quodammodo hic miratur populi socordiam, imo furorem, quod ita audeat pleno ore evomere suas blasphemias. Nam quid superest, ubi Deus fallax esse reputatur tam in promissionibus quam minis? Sublata est hoc modo tota religio. Non mirum igitur, si Deus tale monstrum detestetur, dum interrogat qui fieri possit, ut Israëlitæ in tantam vesaniam prorumpant. *quodnam est*, inquit, *hoc proverbium vobis?* Videtur comprehendere servum suum in aliorum numero: sed quia erat unus ex corpore populi, ideo communiter ei tribuitur, quod tamen ab ipso valde erat alienum. Porro diligenter notandus est hic locus, ubi impii statuunt sibi nihil esse timendum, quoniam dies protracti fuerint. Est quidem ut diximus, hoc signum extremæ vesaniæ: sed mirum non est si Deum imaginentur esse mendacem, & inanes esse ejus minas ubi non statim apparet ejus manus: quia nihil honoris deferunt ejus doctrinæ. Quoniam ergo nisi territi Dei potentia nunquam expavescunt increduli, ac ne tantillum quidem moventur, non mirum est, ubi vident ipsum cessare, & interea resonare vocem ejus in ore hominum, si existiment hoc totum esse lusorium. Ergo veniat nobis in mentem illa Apostoli sententia, Noë fabricasse arcam fide, quia perinde timuit occultum Dei judicium de quo fuerat admonitus, acsi jam diluvium esset præ oculis, quo videret totum orbem terræ absorberi. Quamvis ergo Deus ad tempus manum suam abscondat, discamus ad solum *Hebr. 11. vers. 7.*

I 4 ejus

ejus sermonem ita metuere, ut nos mora non inducat ad hanc socordiam. Jam addit, *propterea dices illis, Sic dicit Dominator Jehovah, Cessare faciam proverbium hoc è terra Israël.* Hic ostendit Deus accensam esse magis ac magis itam suam illo contemptu. Et hoc proficiunt impii, dum eum mendacii insimulant, ut magis ipse festinet ad exequenda sua judicia, quæ paratus alioqui esset adhuc suspendere. Denique stimulant Deum ad vindictam exercendam impii, dum ex mora inferunt se elapsos esse, & ita visionem fuisse fluxam & evanidam, non secus acsi in certamen ipsum provocarent data opera. Nam statim sequitur confirmatio ejus sententiæ, *quod* scilicet *appropinquaverint dies.* Pronunciat igitur Deus quoniam tempus fiduciam impunitatis Judæis dabat, adesse jam finem, ut sentiant se fuisse nimium excæcatos, dum ita abusi sunt longa ejus tolerantia. *Dies* ergo *appropinquarunt*, deinde *sermo omnis visionis.* Sermo hic accipitur pro effectu. Scimus דבר sæpe pro re accipi, pro negotio, pro summa: sed hoc loco Propheta sermonem visionis accipit pro ipsa efficacia: quasi diceret, quicquid loquuti sunt Prophetæ fore stabile & firmum. Sequitur,

24. Quia non erit amplius omnis visio (*hoc est, ulla visio*) mendacii, (*aut vanitatis*) & divinatio blandientis in medio domus Israël.

Hic Deus eripit Judæis aliam fiduciam. Sponte enim sibi blandiebantur ipsi, sed habebant etiam sua flabella, hoc est, pseudoprophetas, qui illis blanditiis eos magis inflarent. Quum ergo tristes prophetias audirent, aspernabantur, & postea obdurescebant acsi de nihilo ipsos territarent Prophetæ. quisque sua sponte ad hanc temulentam confidentiam erat nimium propensus: sed quemadmodum dixi, accedebant illecebræ, quibus eos fallebant assentatores. Nam pseudoprophetæ dicebant Deum non fore adeo severum, & pugnare vaticinia illa de excidio urbis & Templi cum multis promissionibus. Videmus ergo contemptos fuisse Prophetas tam voluntaria populi contumacia, quam perversis artibus pseudoprophetarum. Postquam ergo asseruit Deus *dies appropinquasse*, jam adjungit, *non fore amplius visionem vanitatis*, non quod è medio sublati fuerint pseudoprophetæ: sed quia os illis fuit occlusum, dum ipso eventu detecta fuit ipsorum improbitas. Quoniam ergo clade populi fuerunt pudefacti, hac ratione & hoc sensu dicitur *tollenda esse prophetia vanitatis*: postea *divinatio blandientis in medio domus Israël.* Nam in otio & umbra pollicebantur miseris illis prosperos successus. Ubi autem urbe capta populus tractus fuit in exilium, alii jugulati, omnes spoliati suis fortunis, ignominiose vexati: tunc apparuit quales fuissent Prophetæ, qui aluerant perversam populi fiduciam suis vanis illecebris. Nunc tenemus genuinum Prophetæ sensum. Sequitur,

25. Quia ego Jehovah loquar: quod loquar verbum, faciam, (*nam abundat copula*) non protrahetur amplius: quia in diebus vestris, domus exasperans, (*vel rebellis*) quod loquar verbum, faciam illud, dicit Dominator Jehovah.

Confirmat proximam sententiam. In verborum contextu est aliqua obscuritas: sed quo ad summam rei, simpliciter docere vult Propheta quicquid loquutus est Deus brevi completum iri, quia Deus ipse asserere velit fidem suam exequutione vindictæ quam minatus est per servos suos. Huc ergo tendit Propheta, non esse fas, Dei sermonem separare à suo effectu: quia Deus qui loquitur non est in se divisus. Ubi ergo os aperit, simul extendit manum ad ipsum opus. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Et hinc colligere promptum est quanta sit hujus doctrinæ utilitas. Quia enim friget apud nos sermo Dei, & videtur dissipari in aërem, semper consideranda est nobis ejus manus. Quoties ergo Prophetæ loquuntur, veniat nobis Deus ante oculos, & veniat non tantum cum nudo sermone, sed armatus sua potentia, ut manus ipsa quodammodo inclusa sit in verbo. Huc ergo referri debet totus hic versus, *Ego Jehovah loquar verbum, & quodcunque loquutus fuero ego id faciam: non prorogabitur amplius*, sed redibit quod toties dixi: *imo in diebus vestris, domus rebellis, faciam quod loquutus sum per servos meos.* Hic exprimit quod adhuc poterat videri dubium.
Nam quia mille anni sunt apud Deum quasi dies *Psal. 90.*
unus, poterat censeri tempus propinquum, etiamsi *vers. 4.*
non ante annos triginta urbs esset capta & diruta *2 Petr. 3.*
cum Templo. Sed nunc etiam Deus more hominum *vers. 8.*
definit propinquum esse tempus, quia effectum prophetiarum quas spreverant videbunt qui tunc erant superstites. Sequitur,

26. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

27. Fili hominis, ecce domus Israël dicunt, (*dicentes*) Visio quam hic vidit, ad dies multos extenditur, & in tempora longinqua ipse prophetat.

28. Propterea dices ad eos, Sic dicit Dominator Jehovah, Non prorogabitur amplius: omnes sermones quos loquutus fuero: sermonem etiam faciam, (*vel implebo*) dicit Dominator Jehovah.

Hic quidem non damnatur in Judæis tam detestabilis blasphemia, ut nuper audivimus: sed obliquæ subsannationes, quarum finis erat primo extenuare fidem Propheticam, deinde prorsus abolere omnem cælestem doctrinam. Non igitur plenis buccis ausi fuerunt contra Deum bacchari, qui nunc damnantur à Propheta: sed quum alii colligerent evanuisse prophetias, & esse frivolas, quoniam tempus fuerat prorogatum; dicebant isti, Potest quidem fieri ut Deus impleat quod nunc denunciat nobis per servum suum: sed interea epulemur secure, quia moriemur antequam hæc eveniant. Videmus ergo fuisse duo hominum genera. Quidam enim prorsus respuebant Prophetas Dei, & ridebant proterve eorum minas. Illa crassa impietas ante exposita fuit. Alii autem non palam nec diserte jactabant Deum esse mendacem, sed rejiciebant procul effectum sermonis Prophetici. Videmus priores ita fuisse perditos, ut Deum tantum non aperte riderent, quo averterent procul omnem metum à suo sensu, eo quod Deus tempus illis prorogabat. Nam Jeremias multis annis frustra consumpserat operam, quum tamen quotidie quasi tubæ clangore ipsos citaret ad Dei tribunal, & Chaldæos illis in medium proferret. Quia nihil profecerat ille, suffragatur Ezechiel: & postquam invectus est in fœdiorem Dei spernendi impudentiam, nunc aggreditur hypocritas, qui nondum eo se projecerant audaciæ, ut Deum apertis verbis vilipenderent. Sed quemadmodum nuper attigi, proclivis est lapsus ab hac securitate ad crassum Dei contemptum. Qui enim fingunt se fore quietos & extra periculum, quoniam Deus patienter differat sua judicia, tandem con-

constituunt eum contentum suo otio non respicere res humanas. Caveamus ergo nobis ab insidiis Satanæ, nec tantum exhorreamus fœdam illam blasphemiam, de qua loquutus est Propheta: sed simulac Deus minatur nobis, præveniamus ejus judicium, neque nobis polliceamur longas inducias, quæ tandem nos obstupefaciant, ut nullus maneat timor. *Dicebant ergo domus Israël, Hic prophetat in dies multos.* Non palam jactabant Ezechielem temere prodire, & sibi arrogare nomen Propheticum; sed dicebant *ipsum prophetare in dies multos, & longa tempora.* Nunc adjungit, *dices ad eos, Non prorogabitur amplius.* Quidam sic distinguunt hæc verba, non prorogabitur amplius cuncti sermones mei: & volunt esse numeri enallagen: & sic resolvunt, unusquisque è meis sermonibus non prorogabitur. Sed videtur melius quadrare alter contextus, *Non prorogabitur amplius. Nam sermonem quem loquutus fuero ego faciam.* Hic rursus confirmat quod ante vidimus, Deum scilicet non loqui frustra, quia non est divisus. Continget hominem vel mentiri, vel futiliter aliquid proferre quod exequi non poterit, vel mutare consilium: nihil tale in Deo imaginari convenit. Conjuncta igitur semper est manus ejus cum ore.

Da omnipotens Deus, quando nobis aliqua ex parte parcis, & interea tamen admones nos non obscuris iræ tuæ signis, ut mature resipiscamus, ne socordia mentes & animos nostros occupet, quæ judicium etiam excutiat: sed attenti simus tam ad sermonem tuum, quam etiam ad omnia documenta, ut obviam eamus tuæ vindictæ: & ita nos reconciliare tibi studeamus, ut in posterum regeniti Spiritu tuo, etiam glorificemus nomen tuum in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUARTA IN EZECHIELEM.

CAP. XIII.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Fili hominis, prophetiza contra Prophetas Israël prophetizantes, & dic prophetizantibus ex corde suo; Audite sermonem Jehovæ.

3. Sic dicit Dominator Jehovah, Væ super Prophetas stultos, (*aut probrosos*) qui ambulant post spiritum suum: & non viderunt.

HIc Deus sermonem dirigit ad impostores, qui prætextu muneris Prophetici fallebant populum. Loquitur autem de Prophetis exulibus, quemadmodum ex contextu patebit. Apud captivos ergo erant qui prætexerent nomen Dei, jactantes se præditos esse Spiritu prophetico: interea vero seipsos ingerebant, deinde futiliter jactabant sua mendacia. Sed hic finis erat illis propositus, ut promitterent celerem reditum populo, atque ita favorem vulgi sibi conciliarent. Jam enim tædio propemodum fracti erant captivi: & longum erat septuaginta annorum tempus. Quum ergo audirent post triennium se redituros, facile patiebantur se decipi talibus blanditiis. Quod autem vehementer excandescit Deus adversus illos impostores, non ideo fit, ut crimen in ipsos derivando populum absolvat, vel etiam extenuet ejus culpam. Neque enim potuit excipere populus se deceptum fuisse illis mendaciis: quandoquidem scientes & volentes conjiciebant se in laqueos. Non destituebantur certe veris Prophetis: & Deus insignibus notis distinxerat servos suos à pseudoprophetis, ut nemo [*Deut. 13.*] errare posset nisi volens. Sed cæcutiebant in luce. Deus ergo passus est ipsos decipi. Sed fuit illa justa merces eorum superbiæ, quod scilicet non poterant se subjicere Deo, & ejus servis. Deinde quum appeterent blanditias, sicuti ex compluribus locis patet, Deus etiam frenum laxavit Satanæ, ut esset spiritus mendax in ore omnium prophetarum. Exprobrat illis Micheas quod vates sibi dari cuperent, qui [*Mich. 2. vers. 11.*] pollicerentur largas vindemias, & copiosam messem: interea quum Deus severe ipsos castigaret, fremebant ac tumultuabantur. Videmus itaque quum Deus tam acriter invehitur contra pseudoprophetas, nihil diminui ex populi culpa: sed potius debuit quisque ita apud se colligere, Si Deus non parcit nostris prophetis, quid sperandum est nobis melius? Ergo dum sermonem Propheta convertit ad pseudoprophetas, minime dubium est quin consilium ejus sit percellere totum populum, qui autem præbuerat talibus fallaciis quum aspernaretur veram doctrinam, neque id modo, sed usque ad furorem eam rejiceret. *Dic ergo ad Prophetas Israël prophetizantes, dic prophetizantibus ex corde suo.* Hic per concessionem nominat Prophetas Israel qui sese ingesserant, & temere jactabant sibi esse mandatum quod ipsi imaginati fuerant, vel diabolus ipsis suggesserat. Nam tunc quidem non alii fuerunt censendi legitimi Prophetæ, nisi qui divinitus electi erant. Sed quia improbi sibi arripiebant hunc titulum, ideò sæpe vocantur Prophetæ, quum tamen alienissimus esset ab ipsis Dei Spiritus. Donum autem prophetiæ non potest manare nisi ex fonte illo unico. Fuit autem hæc gravis tentatio, quum ita Prophetæ, vel qui titulum obtendebant, inter se hostiliter confligerent. Nam sola est Dei veritas, in qua acquiescere jubemur. Jam ubi mendacium nobis objicitur loco veritatis, quid possumus nisi fluctuare, & tandem concidere? Non dubium igitur est quin tunc vehementer concussæ fuerint infirmæ mentes, quum viderent ejusmodi certamina, nedum dissidia inter Prophetas. Hodie tali experimento voluit Deus probare suorum fidem, & detegere multorum hypocrisin. Nam quemadmodum tradit Paulus, oportet hæreses esse, ut qui probi sunt manifesti fiant. [*1 Cor. 11. vers. 19.*] Deus ergo non temere tantum licentiæ permittit Satanæ ministris, ut petulanter insurgant contra sanam doctrinam: neque etiam abs re permittit Ecclesiam lacerari diversis opinionibus, figmenta interdum sic invalescere, ut ipsa veritas obruta jaceat: vult scilicet hoc modo probare constantiam piorum: & interea detegere quanta sit in hypocritis levitas, qui jactantur ad quemlibet ventum. Interea si aliquando nos perturbat quæ hodie cernitur repugnantia inter eos qui se jactant Ecclesiæ pastores, veniat nobis in mentem hoc exemplum: ita novitas fidem nostram non labefactabit. Quod ergo hodie nobis contingit experti sunt veteres,

nempe

nempe Ecclesiam intestinis dissidiis turbari, & hoc modo lacerari unitatis vinculum. Cæterum, breviter definit Deus quinam sint falsi Prophetæ, nempe *qui prophetant ex corde suo*: postea adjiciet, eos *nihil vidisse, tantum jactare nomen Dei*: & tamen non ab ipso fuisse missos. Variis modis idem exprimitur: sed alias loqutiones differo in suum locum. Hic quemadmodum dixi, uno verbo colligere promptum est, quinam veri sint Prophetæ, & quinam falsi: quisquis prophetat ex corde suo, pronunciat Spiritus Dei illum esse impostorem. Ergo non aliud superest, nisi ut fideliter perferant Prophetæ quicquid illis Spiritus dictavit. Quisquis ergo non habet certum testimonium visionis, nec potest vere profiteri se loqui ex Dei ore, & revelatione Spiritus, ille quantumvis superbiat titulo Prophetæ, est tamen impostor. Deus enim hic repudiat omnes qui loquuntur ex corde suo. Et hinc etiam colligimus quanta sit vanitas humanæ mentis. Ponit enim hic Deus perpetuum dissidium inter humanam mentem, & inter revelationem Spiritus sui. Quod si ita est, sequitur, quicquid proferant homines à seipsis, esse perversum figmentum, quia scilicet Spiritus Dei sibi uni vendicat quod diximus, nempe ostendere quid verum ac rectum sit. ideo sequitur, *Væ super Prophetas stultos*, vel probrosos. נבל enim significat hominem vilem & abjectum, sicut נבלה significat fœditatem, flagitium, nequitiam: quanquam sæpius נבל accipitur pro stulto: & libenter hunc sensum qui magis receptus est amplector. Vocat autem Prophetas stultos, qui haud dubie ferociter insultabant veris Dei servis: quemadmodum nebulones semper inflati sunt miro fastu. Diabolus enim qui in ipsis regnat, est pater superbiæ. Hinc fit ut audacter sese efferant, ut omnia sibi arrogent, denique censeri velint quasi Angeli è cælo delapsi. Et quum de humanis figmen-

Coloss. 2. vers. 23. tis loquitur Paulus, concedit illis speciem sapientiæ. Ergo minime dubium est, nebulones illos de quibus loquitur Ezechiel, fuisse habitos in maximo pretio: deinde fuisse etiam turgidos suis ampullis, ut efflarent admirabilem scientiam. Sed interea Spiritus sanctus breviter pronunciat *ipsos esse stultos*. Quicquid ergo mundo arridet sub larva sapientiæ, sciamus coram Deo meram esse stultitiam. Jam addit, *qui ambulant post spiritum suum absque eo quod viderunt*, hoc est, quum nulla sit illis data visio. Clarius seipsum explicat Ezechiel, vel Spiritus qui per ipsum loquutus est. Quemadmodum ergo nuper omnes damnavit qui prophetizant ex proprio sensu, vel corde (nomen enim Cordis pro intelligentia hoc loco, ut aliis pluribus accipitur) ergo quemadmodum Spiritus nuper eos omnes damnavit qui ex proprio sensu loquuntur, ita nunc dicit eos abuti scelerate nomine Prophetico *qui ambulant post spiritum suum*. Hic alludit ad donum prophetiæ quum de Spiritu loquitur. Nam quia poterant excipere pseudoprophetæ se non loqui ex corde proprio, sed habere arcanas revelationes, diserte κατ' ἐπιτροπὴν tamen concedit nomen Spiritus: atque ita refellitur eorum jactantia: quasi diceret Ezechiel fictitias illas revelationes meras esse phantasias: illos quidem habere aliquid plusquam vulgare, sed esse homines fanaticos. Huc ergo pertinet nomen Spiritus. Interea minime dubium est quin idem repetat quod nuper vidimus: & antithesis tollit omnem ambiguitatem, *absque eo quod viderint* inquit. Visio itaque opponitur humano cordi & spiritui. Quid autem est visio, nisi donum supernaturale? Quum ergo Deus extollit servos suos supra captum humani ingenii, & facit ut cernant quod nulla mens potest capere, illa est visio. Nunc si visio tollatur, manebit solus hominis spiritus, vel solum cor. Coguntur ergo fateri se loqui ex proprio sensu, qui non possunt reipsa ostendere sibi divinitus fuisse patefactum quicquid docent. Sequitur,

4. Tanquam vulpes in locis solitariis Prophetæ tui, Israël, fuerunt.

Hic insidias pseudoprophetarum detegit Ezechiel. Decem Tribus erant dispersæ, quemadmodum si ager procul sit dissitus à loco habitabili, aut vinea, & habeat propinquas regiones desertas, vulpes illic regnum obtinent. Habent enim multa latibula: sese, insinuant per sentes, & per alias rupturas: & ita irrumpunt in vineam, vel agrum, & quicquid frugum est devastant. Talis fuit conditio populi, ex quo fuit dispersus, quemadmodum dixi. Quum habitarent Israëlitæ in patria, saltem retinebantur aliquatenus in officio, acsi muniti forent quibusdam claustris. Hierosolymæ vero summus Sacerdos præerat spiritualibus judiciis, ne qua impia doctrina obreperet. Jam quum talis esset dissipatio populi, major licentia pseudoprophetis data fuit, ut populum corrumperent: quia expositi erant miseri exules vulpibus. Erant enim noxis expositi, perinde acsi fuissent undique desertæ regiones. Quum itaque destituerentur custodia, facile fuit vulpibus per clandestinas artes intrare, ut quicquid erat bonæ frugis perderent. Interea tamen oblique perstringit Ezechiel populi incuriam. Tametsi enim dispersi erant, atque ita obnoxii insidiis pseudoprophetarum, debebant tamen ad cavendum esse attenti: & Dominus haud dubie illis opem tulisset, quemadmodum promittit suis discretionis & judicii Spiritum quoties opus est. *1 Cor. 12. vers. 10.* Sed quum Israëlitæ essent vagi & erratici, nec vigeret ullum Legis studium apud eos, hinc factum est, ut facile intrarint vulpes, hoc est, pseudoprophetæ illi. Unde sequitur, populum non fuisse immunem à culpa, quia quodammodo se exposuit pseudoprophetarum insidiis. Sequitur,

5. Non ascendistis ad rupturas, (*vel interruptiones*) neque sepiverunt sepem super domum Israël ad standum in prælio in die Jehovæ.

Hic prosequitur eandem sententiam: sed propius urget pseudoprophetas. In genere dixit eos esse sacrilegos, & falso Dei nomen obtendere, quia loquantur ex proprio sensu. Nunc autem alia nota ipsos discernit à probis & fidelibus Dei servis, nempe *quod non ascenderint ad interruptiones, neque sepem opposuerint ad protegendam domum Israël, ut starent in prælio in die Jehovæ*. Varie exponitur hic versus. Quidam enim ad preces referunt quod hic dicitur. Alii detorquent ad varias imaginationes. Ego autem ad doctrinam ipsorum restringo. Non ergo tantum hic interiorem & occultam eorum perfidiam accusat Ezechiel, neque excutit eorum animos, ut convincat nullum fuisse in illis pietatis studium, nullum zelum Dei glorificandi: sed doctrinam ostendit prorsus esse rejiciendam, quia non habuerint rectum finem propositum. Quis autem est scopus ad quem debent collimare omnes servi Dei? Nempe ut consulant saluti publicæ, & quum vident signa iræ Dei, occurrant, & præveniant quod jam instat malum. Videbant nebulones illi populum esse non modo impium, sed rebellem, ut nulla spes esset resipiscentiæ. Ex altera parte videbant Deum minitari, & quamvis cæci essent poterant tamen signa propinquæ Dei vindictæ conspicere. Ergo officium illorum fuit ascendere ad interruptiones. Hinc etiam colligimus quid per interruptiones intelligat Propheta, nempe quemadmodum hostibus patet ingressus ad urbem expu-

expugnandam ubi ruptura facta est in muro: sic etiam ubi populi iniquitas instar diluvii exundavit, jam ruptura facta est, per quam vindicta Dei statim penetrare queat & grassari ad omnia vastanda, donec in nihilum redigat. Quoties ergo videmus Deum esse offensum populi sceleribus, sciamus quasi interruptionem esse factam, acsi destinati essemus exitio. Proinde qui cupiunt fideliter docendi officio perfungi, debent accurrere ad illam interruptionem, nempe ut revocent populum à sua impietate, ut hortentur ad resipiscentiam. Sic fit ut murus instauretur, quia Deo placato, possumus tuto & secure etiam quiescere. Eodem etiam pertinet quod sequitur, *quod non sepiverint sepem.* Nam ubi populus omnia jura perfringit, & Legem Dei violat, perinde est acsi ab omni parte se nudaret Dei præsidio, quemadmodum
Exod. 32. vers. 25. etiam exprobrat illis Moses, ubi loquitur de vitulo conflato, Ecce, inquit, hodie nudati estis: nempe quia sese ad exitium projecerant. Sic dicit Propheta non accurrere nebulones illos ad sepiendam sepem, quum scilicet domus Israël pateret tam latronibus, quam furibus & bestiis: quia scilicet non amplius protegebatur manu Dei. Eodem etiam pertinet quod sequitur, *ut starent in prælio in die Jehovæ*, hoc est, ut sese opponerent Dei vindictæ. Hoc refertur ad preces, ubi fit mentio Phinees in Psalmo; & alibi Psal. 106. vers. 30.
etiam ubi de Mose agitur, Nisi stetisset Moses in ruptura ut averteret, &c. hic autem quemadmo- Psal. 106. vers. 23.
dum dixi, Propheta magis ad doctrinam respicit. Nam hic perstringit acriter stultitiam pseudoprophetarum, qui mira polliciti fuerant. Jam ubi serio congressus est Deus, evanuerunt omnes eorum prophetiæ. Dicit ergo *non stetisse in prælio in die Jehovæ*: quia si hortati sedulo fuissent populum ad resipiscentiam, qui peccaverant Deum sibi reconciliassent. Nam antevertimus ejus judicium, quemadmodum docet Paulus, ubi mature ad ipsum convertimur.
1 Cor. 11. Si ergo populus ita diligenter fuisset admonitus, stetissent illi in prælio, hoc est, eorum 1 Cor. 11. vers. 31.
doctrina fuisset instar obstaculi, ne vindicta Dei perrumperet, & omnia perderet. Nunc ergo videmus quorsum tendat Ezechiel, nempe posse deprehendi fallacias pseudoprophetarum, quia suis blanditiis & assentationibus populum perdiderint. Jam sequitur,

6 Viderunt vanitatem, divinarunt mendacium, dicentes, Dicit Jehovah: & non misit eos Jehovah: & sperare fecerunt, (*alii vertunt, ad sperandum: sed transitive hic accipitur*) ad stabiliendum sermonem.

Hic rursus generaliter pronunciat, pseudoprophetas illos esse vanos. Sed pendet hæc sententia ex illo principio, loquutos scilicet fuisse ex corde suo, vel spiritu. Neque enim à Deo quicquam vanum aut mendax potest prodire. Sequitur ergo eos hic vanitatis & mendacii damnati, quod falso obtendere ausi fuerint Dei nomen, quum tamen nihil haberent præter sua somnia. Jam confirmat quod vidimus proximo versu, ubi dicit *sperare fecisse, ut stabilirent sermonem.* Inflarunt igitur vana spe populum, quum dicerent non adeo severum fore Deum, ut tam diuturnas pœnas sumpturus esset de gente sancta & electa. Veri etiam Prophetæ semper revocant peccatores ad Dei misericordiam, eamque magnifaciunt, ne dubitent qui cum desperatione luctantur, Deum sibi
Num. 14. vers. 18 fore exorabilem: quemadmodum dicitur tardus ad
Psal. 103 vers. 8. iram, propensus vero ad reconciliationem: & miseri-
Psal. 30. vers. 6. cordia ejus durare ad vitam, quum ira tantum ad momentum transeat. Hoc quidem faciunt veri Prophetæ: sed conjungunt duo membra quæ separari nequeunt, quin alioqui Deus ipse quodammodo dissipetur. Ergo ubi veri Prophetæ hortantur peccatores ad bene sperandum, & Deum ad ignoscendum facilem esse prædicant, simul de pœnitentia disserunt: nec indulgent peccatoribus, sed eos expergefaciunt, imo acriter vulnerant sensu iræ Dei, ut quodammodo eos exaniment, quia in eum finem proponitur nobis Dei misericordia, ut in ea quæramus vitam. Ergo oportet nos esse mortuos in nobis. Sed falsi Prophetæ sunt duntaxat velut medii: & ita faciunt Deum quasi dimidium, quoniam loquuntur tantum de ejus facilitate, & prædicant clementiam ejus esse omnibus expositam. Interea de pœnitentia profundum silentium. Nunc ergo videmus cur Propheta hic perstringat nebulones qui abusi fuerant nomine Dei, *quod sperare fecerint populum.* Nam sine spe veniæ non posset animari peccator ad quærendum Deum: sed pollicebantur pacem, quemadmodum statim dicet, quum tamen nulla esset pax. Ergo pergamus in expositione.

7. An non visionem vanitatis vidistis? & divinationem mendacii loquuti estis? Et loquentes, (*ad verbum, hoc est, dicendo*) Dicit Jehovah: ego non fueram loquutus?

Hic ostendit Deus cur ante pronunciaverit illos nihil præter vanitatem & mendacium afferre, nempe quia falso objicerent ejus nomen, & ex luce crearent nebulas. Nam objecto nominis Dei fuco, obtenebrant hominum mentes. Est quidem sacrum illud nomen quasi fons omnis splendoris, ut longe superet solis fulgorem: denique quicquid lucis est in eo apparet ac refulget. Sed quemadmodum dixi, ex luce conflant tenebras Satanæ ministri, quia audacter jactant Deum ita loquutum. Hic locus & similes ostendunt quam diligenter cavendum sit à fallaciis Satanæ. Est hæc prodigiosa audacia, nomen Dei in medium proferre, ita ut proterve illudant ejus judicio. Nam jactare Deum esse loquutum, perinde est acsi impia profanatione vellemus eum data opera trahere in certamen. Quomodo enim ferre poterit Deus, ut veritas ejus vertatur in mendacium? Sed omnibus seculis fuerunt impostores, qui ita fecere quasi in Dei faciem conspuerent. De profanis gentibus mirum non est: sed in populo electo ubi accensa erat cælestis doctrina ad regendam omnium vitam, ubi Deus quotidie excitabat Prophetas, sicut fuerat
pollicitus per Mosen: videre improbos canes qui Deut. 18.
ita latrarent, & tamen prætenderent tam superbe v. 15, 18.
Dei nomen: id certe incredibile monstrum fuit, & probrum intolerabile. Ergo admoniti discamus nobis cavere, ubi videmus Satanæ ministros tanta arrogantia esse præditos. Sequitur,

8. Propterea sic dicit Dominator Jehovah, Eo quod loquuti estis vanitatem, & vidistis mendacium: (*est conversio, quia dixerat prius, loquuti estis divinationem mendacii, & vidistis visionem vanitatis*) propterea ecce ego contra eos, dicit Dominator Jehovah.

9. Et erit manus mea contra Prophetas qui vident vanitatem, & qui divinant mendacium: in concilio populi mei non erunt, & in scriptura (*hoc est, in catalogo*) domus Israël non scribentur: & ad terram Israël non redibunt: & cognoscetis quod ego Dominator Jehovah.

Hic

Hic tandem judicium ferre incipit de pseudoprophetis. Hactenus per formam querimoniæ ostendit quam improbe corruperint ac profanaverint sacrum suum nomen: deinde quam impie etiam reddiderint contemptibiles prophetias suis mendaciis, quam fuerint crudeles in populum, cujus curanda erat salus, dum traxerunt miseros in interitum. Postquam autem Deus eorum scelera ita traduxit, nunc pœnam denunciat: ac primo in genere dicit se illis esse adversarium. Hæc autem particula minime supervacua est, quia nunquam tanta securitas inebriaret impios, nisi putarent sibi nihil fore unquam negotii cum Deo. Metum igitur omnem procul à se rejiciunt, quo libere peccent. Hoc autem fieri non potest, nisi statuant Deum vel dormire, vel non aspicere res humanas, vel ludere una cum ipsis. Quoniam ergo pseudoprophetæ magis licentiose corrumpunt Dei sermonem, ubi fingunt hunc esse jucundum lusum: Deus ex opposito pronunciat se fore illis adversarium: quasi diceret, Vobis non erit certamen cum hominibus, sed ego ero vindex tam scelestæ profanationis nominis mei. Cæterum, postea designat pœnam, *erit*, inquit, *manus mea contra Prophetas*, &c. Nam quamvis Deus minetur se fore adversarium reprobis, nondum tamen id sufficit ad eos terrendos, ita sunt stupidi. Sed necesse est admoveri alterum stimulum, nempe ut Deus objiciat suam potentiam. Hæc igitur ratio est cur nunc addat *manum suam fore contra pseudoprophetas.* Manus interdum accipitur pro plaga: sed Deus quia videbat torpere impios illos in suis sceleribus, ideo dicit non tantum se fore illis hostem, quia vindex erit suæ gloriæ, sed manum etiam suam simul profert in medium. Sequitur, *in concilio populi mei non erunt.* Quidam subtilius quam par sit exponunt nomen סוד pro cognitione Dei, quæ in salutem electis offertur. Sed illa expositio est coacta. falluntur etiam, quia putant diversum aliquid velle Prophetam in secundo membro ubi adjungitur, *non scribentur in scriptura domus Israël.* repetit enim idem diversis verbis: primo loco dixerat *non fore in arcano populi.* סוד enim significat arcanum, sed accipitur pro concilio: *non erunt* igitur *in concilio populi.* postea addit, *nec erunt in catalogo domus Israël.* Ideo autem catalogi meminit, quia judices & alii ad quodvis munus selecti scribebantur in catalogo. Videmus ergo quid velit Propheta (cogor enim abrumpere hanc sententiam) nempe hos nebulones qui volebant excellere sub titulo Prophetico, fore prorsus extraneos ab Ecclesia, quoniam Deus ipsos abjecerat.

Da omnipotens Deus, quando ita torpemus in vitiis nostris, ut necessarii nobis sint quotidie stimuli ad nos excitandos, primum ut fideliter nos ad pœnitentiam vocent qui nobis destinati sunt pastores: deinde ut nos quoque vicissim attenti simus ad eorum exhortationes, & patiamur nos damnari, simus denique ipsi nostri judices: interea vero etiam quum nos severe castiges nunquam excidat nobis gustus tuæ paternæ bonitatis, quo nobis semper via pateat ad quærendam reconciliationem in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA QUINTA IN

E Z E C H I E L E M.

Diximus heri quid sibi velint Prophetæ verba, ubi pronunciat impostores qui fallebant populum, *non fore in concilio piorum, neque in catalogo.* Diximus idem bis repeti. Nunc emergit quæstio, loquaturne Propheta de arcana electione Dei, an duntaxat de externo statu. Nam quamvis alienissimi essent ab Ecclesia illi nebulones: scimus tamen gloriatos fuisse communi titulo, quemadmodum Ismael, donec ejectus fuit è domo patris, superbe jactavit suam primogenituram. [Gen. 21.] Et hodie videmus ut Papistæ sibi Ecclesiæ nomen arrogent, quia ab illis obtenditur perpetua successio: & certe cogimur fateri penes illos esse ordinarium ministerium. Sed quia tyrannice abusi sunt sua potestate, & prorsus ab illis eversa fuit gubernandæ Ecclesiæ ratio, quam Dominus instituerat: ideo quicquid obtendant, secure tamen ridere licet eorum jactantias. Sed in veteribus pseudoprophetis eadem fuit protervia, quum scilicet assererent se tenere non ultimum gradum in populo, quod essent divinitus creati Prophetæ. Hinc ergo colligimus non fieri verba nunc de externo statu, quia semper illis concessus fuit locus in electo populo. Minime ergo dubium est quin subaudienda sit antithesis inter vera Ecclesiæ membra & inter hypocritas, qui Dei nomen prætendunt. Et hac ratione etiam dicitur tam Psalmo 15. quam 24. non omnes qui ascendunt in montem Domini, habere illic perpetuam sedem, nisi sint puri corde & manibus. [Psal. 15. vers. 2. & 24: 4.] Summa est igitur, quamvis pseudoprophetæ plenis buccis detonent suas glorias, & arrogent sibi nomen Propheticum, adeo non debere censeri in illo gradu, ut prorsus extranei sint ab electo populo. Jam tamen altera quæstio rursus emergit. Si enim negat Propheta fore in concilio piorum, non debuerat loqui in futuro tempore: quia ut æterna est Dei electio, sic ante mundi creationem scripti sunt filii ejus in libro vitæ. Atqui dicit, *non scribentur.* Videtur ergo hoc esse absurdum. Sed Ezechiel hic sermonem ad communem hominum usum attemperat. Durior est loquutio in Psalmo: Deleantur è libro vitæ, cum justis non scribantur. [Psal. 69. vers. 29.] Neque enim fieri potest, ut qui semel scriptus est in libro vitæ, unquam deleatur. Sed secundo membro seipsum exponit Propheta, ne scribantur cum justis, hoc est, ne scribantur in catalogo justorum. Sic etiam nunc Ezechiel, *non erunt in arcano populi mei, & in scriptura domus Israël non scribentur*, nempe quia ad tempus visi fuerant ex numero piorum: ideo mutatio hic nobis describitur, sed pro modulo & ruditate mentis nostræ. Est autem utilis hic locus, quia Spiritus sanctus admonet non sufficere si homines nos censeant Ecclesiæ membra, quia videntur plerique excellere supra alios, imo quemadmodum palea frumentum suffocat & superior est: sic etiam hypocritæ obruunt filios Dei, quorum exiguus est numerus, ipsi autem splendore suo eminent: & multitudo etiam ipsorum facit, ut videantur soli digni Ecclesiæ titulo. Ergo discamus excutere nosipsos, & examinare an interiores notæ, quibus Deus filios suos ab extraneis discernit, in nobis sint, nempe viva radix pietatis & fidei. Docet etiam hic locus nihil esse magis formidabile, quam rejici à grege Dei. Neque enim speranda est alibi salus, quam si Deus nos in unum corpus colligat sub uno capite. Primum in solo Christo residet omnis salus: ideoque non possumus separari à Christo, quin excidamus ab omni spe salutis. Christus autem non vult nec potest divelli à sua Ecclesia, cum qua conjunctus est nodo insolubili, ut caput cum corpore. Ergo nisi colamus unitatem cum fidelibus, videmus nos à Christo rejici. Ideo dixi nihil esse magis metuendum, quam abdicationem cujus hic fit mentio. Ex opposito dicitur in Psalmo, Memento mei Deus in beneplacito populi tui; visita me in [Psal. 106. vers. 4.]

salute

falute tua. Quum ita precatur quisquis auctor fuerit Psalmi, simul agnoscit veram & solidam felicitatem in eo nobis esse positam, si Dominus nos complectitur cum reliquis fidelibus. Beneplacitum enim populi Dei est paternus favor, quo suos electos complectitur. Si ergo Dominus nos dignatur paterno illo favore, illic est certa salutis fiducia. Postea adjungit, *& ad terram Israël non redibunt: & cognoscetis quod ego sim Jehovah.* Hic externam notam apponit Ezechiel, quia signum fuit reprobationis, quod quum liber reditus esset permissus aliis, fuerunt hi exclusi. Significat ergo Ezechiel manifestam fore iram Dei in pseudoprophetis, quia non potientur communi populi beneficio. Ubi enim Deus januam aperiet, ac faciet ut promulgetur edictum de libero reditu, ipsi manebunt exules, neque unquam fruentur patria, ad quam jactabant se paulo post esse redituros. Quod ergo de reprobatione attigit confirmat externo symbolo. Nam quamvis multi in exilio mortui sint, qui tamen erant ex legitimis Ecclesiæ membris, sicuti Daniel, & ejus socii, & alii etiam plures: tamen quantum ad istos spectat, fuit certum reprobationis signum, eo quod gloriati fuerint se brevi rediturus in patriam. Quum ergo privati fuerunt eo bono, ostendit Deus palam, eos indignos esse qui in electo populo reputarentur. Sequitur,

10. Propterea, & propterea, (*emphatica est repetitio*) quod deceperunt populum meum, dicendo, Pax, & non erat pax: & ipse ædificavit parietem, & ecce ipsi leverunt ipsum insipido.

11. Dic ad linentes insipido, Cadet, (*copula enim est supervacua*) erit pluvia (*vel imber*) inundans: & dabo lapides grandinis, (*alii, & vos lapides grandinis cadetis: alii transitive, cadere facietis: sed necesse est ita exponere, vel cadent, vel cadere facient*) & spiritus turbinum (*vel tempestatum*) scindet. (*vel disrumpet.*)

Hic prosequitur Ezechiel eandem metaphoram qua usus fuerat, nisi quod aliquod est discrimen: sed tamen ea est affinitas, ut apta sit connexio inter superiorem sententiam, & quam nunc legimus. Dixerat pseudoprophetas non ascendere ad interruptiones, & non sepire rupturas domus Israël: exposuimus verba illa, nempe doctores qui funguntur probe & sincere suis partibus, esse similes architectis, qui si videant interruptionem in muro, eam protinus & sedulo instaurant: esse etiam similes hortulanis, qui non sinunt agrum vel vineam expositam feris bestiis. Sicuti ergo prius dixerat pseudoprophetas non ascendere ad rupturam, quia dissipatio quæ tunc erat in populo nihil illos afficeret, sed scientes & volentes proderent salutem populi aperta & crassa perfidia: sic etiam nunc dicit ipsos murum quidem erigere, sed absque cæmento. Varie exponunt vocem תפל: sed non dubito quin Propheta significet arenam absque calce. Hieronymus vult esse cæmentum absque palea: sed melius convenit quod dixi, nempe ipsos quidem ædificare in speciem; & in hoc differt similitudo quam nunc usurpat Propheta à superiori. Dixerat prius, Non ascenderunt ad interruptionem: nunc plus illis concedit, quod scilicet ædificent; verum est: sed facile est hæc duo inter se conciliare, quod non ascendant ad interruptiones, ut prospiciant saluti populi, & tamen fingant se esse sollicitos, & satagant in speciem quasi vellent instaurare ruinas. Sed Propheta quum tale studium illis improprie concedit, simul adjungit, esse malos architectos; quemadmodum si quis congeriem arenæ sedulo coacervet, etiamsi large madefaciat aqua, nihil tamen proficiet. Nam arena per se diffluit, & solidatur sola calce: inde fit cæmentum. Ergo Propheta intelligit, impostores illos nihil serio agere, & quum ostentant magnam sollicitudinem, vel sedulitatem, illud esse inane, quia tantum coacervant arenas; vel pulverem, quum deberent cæmentum temperare ex arena & calce. Tenemus nunc quomodo hi duo loci inter se cohæreant: *propterea* ergo, *propterea quod populum meum deceperunt*: hoc absque figura. Jam figurate adjungit *ædificasse parietem, sed levisse insipido duntaxat*, hoc est, arena. Jam infertur quales fuerint fallaciæ, *quod* scilicet *dixerint Pax, ubi non erat pax*. Heri admonuimus, impostores aliquid semper commune habere cum veris Dei servis, sicuti Satan se transfigurat in Ange- (2 Cor. 11. vers. 14.) lum lucis. Scimus omnes Prophetas semper fuisse (Jesa 52. vers. 7.) pacis nuncios: hoc rectius nunc convenit Evangelio, Quam pulchri sunt pedes evangelizantium pacem! (Rom. 10. vers. 15.) Et quoties Deus commendat sermonem suum, adjungit nomen pacis. Nam quum nobis sit jure inimicus, una est ad nos reconciliandos ratio, ut nobis peccata remittat. Hoc autem fit per Evangelii prædicationem. Eodem etiam officio olim functi sunt Prophetæ. Jam quum fallere volunt impostores, induunt se hac larva, & decipiunt simplices, quia difficile est discernere inter ipsos & Dei servos. Et tamen ut heri dictum fuit, nemo tunc potuit decipi nisi propria culpa. Nam Deus quidem pacem nobis offert, atque nos ad reconciliationem invitat per suos Prophetas; sed conditione addita, ut scilicet bellum geramus cum vitiis nostris. Hæc igitur unica est ratio pacificandi Dei, ubi nobis ipsi sumus hostes, ubi pugnamus strenue cum pravis & vitiosis carnis nostræ cupiditatibus. Jam quomodo pseudoprophetæ annunciant pacem? nempe ut indormiant homines miseri & perditi suis peccatis. Diligenter ergo attendere convenit ad hoc discrimen, quia poterimus tuto amplecti pacem, qualis nobis offertur per veros Prophetas, & cavere nobis ab insidiis eorum, qui pacem ostentant, sed fallaciter, quia scilicet fovent bellum inter nos & Deum: interea promittunt nos fore pacatos. Quomodo fieri id posset, ut adverso Deo, essemus quieti? *Dices* ergo *ad eos qui linunt insipido, Cadet.* Hic significat Spiritus tandem venturos esse in maximum ludibrium pseudoprophetas, quum eventu convicti fuerint, & deprehensa fuerint eorum mendacia claro experimento. Hinc autem colligere licet utilem doctrinam, quæ nobis à Paulo traditur, standum fortiter esse, ubi Deus frenum laxat impostoribus, ut Ecclesiam perturbent, aut dissipent. Non proficient, inquit, amplius. Dicit alibi, & in (2 Tim. 3. v. 9 & 13.) eadem Epistola, Proficient in pejus: nempe quoad Domino visum fuerit probare suorum patientiam. Sed interea finis instat, quo Dominus pudefaciet omnes impios pseudoprophetas, & deteget ipsorum inscitiam, & simul temeritatem, imo audaciam, quod ausi fuerint quasi in ejus persona offerre pacem reprobis. *Dices* ergo, *Cadet*, nempe paries. Loquitur autem de doctrina. *Erit pluvia inundans*, inquit, erit imber inundans. Hic significat Spiritus fore violentam concussionem, quæ disjiciet omnia artificia pseudoprophetarum, & fraudes discutiet, quum scilicet Dominus adducet Chaldæos, & urbem illis tradet. Ergo *per imbrem, per lapides, per spiritum turbinis* idem intelligit: sed necesse fuit rem unam pluribus modis exprimi, quia nimirum obtorpuerant Israëlitæ in suis fallaciis, quum scilicet libenter arriperent quod dicebant pseudoprophetæ, Deum illis fore propitium. Postquam ergo loquutus est de imbre, descendit ad lapides grandinis. Magis probabilis

est

est lectio, vos lapides grandinis cadetis: nisi forte libeat transitive accipere verbum תפלנה, quod mihi magis placet: *facietis* ergo *cadere*. Hæc apostrophe emphatica est, quia Deus lapides ipsos alloquitur, ut oblique perstringat hominum socordiam, qui putabant se tuto delirescere in suis blanditiis. Quum ergo Deus lapides ipsos compellat, haudubie probrose taxat Israëlitas, quod ita obduruerant. Jam addit de *vento turbinum*, vel tempestatum, quod eodem spectat. *Ventus* ergo *turbinum disrumpet*, vel disjiciet *parietem*. In summa docet Ezechiel doctrinam pseudoprophetarum non opus habere alia refutatione quam dum advenient Chaldæi, & irrumpent instar procellæ & turbinis, ut devastent totam terram: atque ita garrulos deridet qui linguis tam audactes pugnabant: dicit alios esse venturos qui non verbis tantum refellant eorum mendacia, sed violento impetu. Sequitur,

12. Et ecce cadet paries, (*hoc est, quum paries ceciderit, subaudiendum est adverbium: quum ergo paries ceciderit*) an non dicetur ad vos, Ubi litura (*lenimentum alii vertunt, vel linimentum: secundum normam Grammaticæ dicendum esset litio: quanquam autem non reperitur apud idoneos auctores linguæ Latinæ litura, utemur tamen hac voce, Ubi litura*) quam levistis?

Confirmat proximam sententiam, nempe pseudoprophetas fore ludibrio apud omnes ubi in nihilum reciderint eorum vaticinia, & divinationes: imo eventus ostenderit ipsos esse mentitos. Nam capta urbe satis apparuit ipsos fuisse ministros diaboli ad fallendum, fuisse etiam sola improbitate & audacia instructos, quum obtenderent Dei nomen. Nunc ergo docet Propheta, ubi ceciderit paries, fore vulgare proverbium. Quum enim dicit, *an non dicetur ad ipsos*, significat eorum stultitiam & vanitatem ita fore omnibus compertam, ut jactetur passim de illis proverbiale dictum, *Ubi est litura quam vos levistis?* Sequitur,

13. Propterea sic dicit Dominator Jehovah, Cadere faciam (*est idem verbum quo usus fuerat, sed hic accipitur alio modo: prius dicebat, Et spiritus procellarum franget vel scindet: nunc autem dicit scindere faciam, vel irrumpere, ut clarior sit sensus. Irrumpere igitur faciam*) spiritum tempestatum in ira mea: & imber inundans in ira mea: (*quanquam sunt diversæ voces. Vertamus ergo* חמה *excandescentiam: In excandescentia ergo mea irrumpere faciam ventum turbinum, & erit imber inundans in ira mea*) & lapides grandinis in excandescentia ad consumptionem.

Prosequitur adhuc eandem sententiam: sed dicit se emissurum tam procellas, quam grandinem, & ventum turbinosum. Prius loquutus quidem fuerat de grandine, de imbre, & vento turbinoso: sed nunc dicit ventos illos, lapides, & imbrem sibi fore præsto ad obsequium. Videmus ergo nihil hunc versum à superiore differre, nisi quod Deus clarius ostendit se emissurum tam procellas quam ventos turbinosos, & grandines, qui evertant totum illud inane ædificium quod extruxerant pseudoprophetæ. Sequitur,

14. Et evertam parietem quem levistis insipido, & projiciam in terram, & discooperietur fundamentum ejus, & cadet: & consumemini in medio ejus: & cognoscetis quod ego Jehovah.

Contexi etiam debet hic versus cum aliis: *diruam*, inquit Deus, *parietem illum*. Nam pseudoprophetæ tantum favoris acquisierant, ut eorum jactantiæ non in minore pretio essent quam oracula. Populus ergo quicquid somniaverant illi impostores, ducebat & persuasus erat à Deo esse profectum. Quoniam ergo ita sibi obstrinxerant hominum mentes, oportuit etiam vehementius insurgere contra illas imposturas, quia alioqui simplici sermone non multum adeptus esset Propheta. Videri quidem posset hic sermo supervacuus: sed si quis expendat quantopere dementati fuerint miseri exules à pseudoprophetis, facile cognoscet Deum non frustra rem unam toties repetere: sicut hoc loco nihil adducit novum: sed sic inculcat quod jam vidimus, ut simul confirmet. *Diruam* ergo *parietem quem levistis insipido, & prosternam ad terram, & retegetur*, vel discooperietur *fundamentum ejus*. Hic significat Propheta Deum ita patefacturum fallacias eorum, qui populum vana spe deceperant, ut nihil supersit illis coloris: sed probrum ipsorum omnibus palam futurum sit. Nam talis est improbitas in istis impostoribus, ut si convicti fuerint in una parte, non tamen ideo desistant, sed excipiant sibi forte excidisse plusquam decebat: tamen non de nihilo fuisse vaticinatos, quia aliquid dixerint veri. Quoniam ergo ita tergiversantur impii ubi Deus eorum stultitiam detexit, Propheta adjungit nihil residuum fore pseudoprophetis: quia Deus non tantum evertet quicquid visi sunt extruere, sed discooperiet etiam ipsa fundamenta, ut populus intelligat ne scrupulum quidem fuisse veritatis aut exiguam micam: sed prorsus fuisse fallaces. *Et cadet, & vos consumemini in medio ejus.* Paulo ante dixerat ruinam fore in consumptionem: lapides grandinis dicebat excidisse ad consumptionem: qua voce intelligebat fore ultimam cladem ita sævam, ut nihil maneret spei residuum. Israëlitæ enim quamdiu stetit Hierosolyma, semper animos attollebant ad reditum. Ubi autem viderunt regnum non modo collapsum, sed prorsus interiisse, Templum esse excisum, urbem eversam, ubi etiam audierunt de horribili dissipatione: tunc nihil illis superfuit materiæ ad bene sperandum. Nunc consumptio hæc transfertur ad pseudoprophetas. Sicuti ergo exitialis fuit, & nihil spei residuum fecit illa consumptio: *ita vos consumemini*, inquit, *in medio ejus: & scietis quod ego sim Jehovah.* Non frustra toties hanc particulam inculcat: sed cum indignatione invehitur contra sceleratam audaciam pseudoprophetarum, qui tam petulanter sese opponere audebant veris Dei servis, & arripere ejus nomen, & pueriliter cum ipso ludere. Est enim hæc prodigiosa amentia, quum mortales ita se audent contra Deum projicere. Hac ratione dicit, tandem sensuros quocum habeant negotium. Sequitur,

15. Et complebo excandescentiam meam in pariete, & linentem ipsum insipido: & dicam illis, Non est paries, & non sunt qui leverunt ipsum.

Nisi nobis cognita esset illius populi indomabilis pervicacia, videri posset Ezechiel nimium verbosus: quia potuit paucis verbis dicere quod tam prolixe explicat. Sed si attendemus ad perversum & refractarium ingenium illius populi, reperiemus opus fuisse hac tam verbosa concione: *complebo*, inquit, *excandescentiam meam in pariete*, hoc est, ostendam quantopere abominabilis fuerit hæc doctrina & populo meo exitialis. Complevit ergo Deus iram suam in pariete, ubi omnia pseudoprophetarum mendacia in nihilum redegit: postea ipsos quoque aggressus est, ut in eorum personis extaret nota ignominiæ, quæ detestabilem redderet ipsam doctrinam: *postea*, inquit, *dicam*, *Non est paries*, *non sunt qui leverunt eum*. Quum ita loquitur Deus, significat se passurum ad breve tempus, ut adhuc pseudoprophetæ triumphos suos agant in populo. Nam usque ad excidium urbis & Templi semper erecta fronte steterunt adversus servos Dei, acsi corrupererent ipsum Deum & sermonem ejus. Notemus ergo fuisse speciem aliquam parietis, quum adhuc staret Hierosolyma: Nam erat fultura illius fallacis doctrinæ; & populus libenter pascebatur talibus blanditiis. Stetit ergo ipsorum litura, sed cum ruina urbis evanuit: & tunc deprehensa fuit ipsorum vanitas: Deus etiam vindictam sumpsit de illis nebulonibus. Sequitur,

16. Prophetæ Israël prophetarunt de Hierusalem, & viderunt ei visionem pacis, & non est pax, dicit Dominator Jehovah.

Nunc concludit hunc sermonem, & ostendit quid hactenus intellexerit per ædificium male solidum, quia scilicet arena erat sine calce. *Prophetæ* ergo *Israël prophetarunt de Hierusalem*. Hic non intelligit pseudoprophetas, quibuscum assidue certabat Jeremias, sed qui in ipso exilio adhuc miseros obdurabant. Quum ergo deberent occasione uti, & ita humiliare populum, qui tam graviter fuerat manu Dei percussus, eum incitabant ad superbiam, quemadmodum ante visum fuit. Et oportuit Prophetam nostrum cum illis certare, ut suis exulibus consuleret. Erat enim destinatus proprie captivis, ut dictum fuit: quanquam fructus prophetiarum Hierosolymam quoque pervenit. *Prophetæ* ergo *Israël*, hoc est, decem Tribuum, quæ dispersæ huc & illuc fuerant, *prophetarunt de Hierusalem*. Cur non potius vaticinabantur sibi felicem eventum? Erant enim redacti ad extrema: & interim pollicebantur victoriam Judæis. *Et viderunt ei visionem*, inquit. Videtur hæc loquutio pugnare cum altera, ubi Propheta dicebat illos nihil vidisse. Quomodo igitur convenient hæc duo, vidisse visionem, & tamen nullam fuisse? Verum quod nunc dicit *vidisse visionem* refertur ad falsam eorum gloriationem. Erant enim prorsus vacui Dei Spiritu, nec ulla revelatione instructi erant. Sed quum se jactarent homines Spiritus, & multi fidem habebant eorum dictis, Propheta improprie illis concedit nomen visionis, quum tamen nulla esset. Dicit ergo *vidisse visionem*, hoc est, jactasse visionem, quia profitebantur se esse spirituales; quemadmodum hodie Papistæ negant se quicquam protulisse ex suo sensu, sed habere à Spiritu sancto omnia figmenta, quibus videmus ipsos adulterasse omnem pietatem. Sic ergo illi Prophetæ dicebant se esse spirituales: & ideo titulo tenus conceditur illis quod tamen re ipsa Propheta illis detrahit, quum addit *non fuisse pacem quum dicerent pacem esse*. Hinc ergo apparet, visionem illam fuisse in eorum ore, & tamen sacrilega audacia: nullam vero fuisse, quia Deus si quid patefecisset per Spiritum suum, reipsa comprobasset, quemadmodum dicit per Mosen. Deut. 18. vers. 22. Quum ergo nulla esset pax, sed instaret ultima clades urbi: hinc facile colligitur, nihil ipsos vidisse, sed mentitos fuisse sacrum illud nomen visionis, ut fidem sibi acquirerent. Quod autem dicit *non esse pacem*, extenditur ad futurum tempus. Pollicebantur pacem, quia solvenda erat urbis obsidio, & eventus prosper manebat Judæos. Deus autem ex opposito pronunciat *non fore pacem*, quia scilicet brevi constabit Hierosolymam addictam esse extremo suo exitio.

Da omnipotens Deus, quando non cessamus te provocare nostris peccatis, ut saltem reputemus quam misera sit nostra conditio, nisi Spiritu tuo nos gubernes, & subjicias tibi in verum obsequium: & sic studeamus tibi reconciliari, ne blandiamur nobis, sed prorsus humiliati & exinaniti, cum vero sensu pietatis confugiamus ad tuam misericordiam: atque ita paratam nobis reperiamus in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEXTA IN EZECHIELEM.

17. Et tu fili hominis, pone faciem tuam contra filias populi tui, quæ prophetant ex corde suo: & propheta contra eas.

18. Et dices, Sic dicit Dominator Jehovah, Væ consuentibus pulvillos super omnes cubitos manus, & facientibus pepla (*aut vela*) super caput omnis staturæ ad venandum animas: an animas venabimini à populo meo, (*hoc est*, *animas populi mei venabimini*) & animas quæ vobis sunt (*hoc est*, *vestras*) vivificabitis?

Colligere promptum est ex hoc loco, non tantum grassata fuisse mendacia Satanæ in populo per viros, sed etiam per mulieres. Scimus donum prophetiæ interdum commune fuisse etiam mulieribus, sed raro: nec dubium est quum fuerunt Prophetissæ in populo, quin ut plurimum Deus voluerit notam ignominiæ viris Exod 15. vers. 20. inurere: dico ut plurimum, quia soror Mosis dono prophetiæ pollebat: neque tamen hoc cessit in opprobrium fratri. Sed quum Debora, & Olda Judic. 4. vers. 4. functæ sunt munere Prophetico, hauddubie voluit 2 Reg. 22. vers. 14. Deus illas in sublime attollere, ut viros pudefaceret, & oblique illis ostenderet suam socordiam. Quicquid sit, donum prophetiæ etiam mulieres aliquando adeptæ sunt. Atque huc spectat quod dicitur 2. capite Joëlis, Filii vestri visiones videbunt, Joël. 2. vers. 28. & filiæ

& filiæ vestræ prophetabunt. Neque enim dubium est quin Spiritus transferat illic ad Christi regnum quod usu receptum fuerat in veteri populo. Scimus enim describi Christi regnum, vel potius depingi sub imagine ejus gubernationis quam olim tenuit Deus sub Lege. Quum ergo mulieres quædam donatæ essent spiritu Prophetico, Satan ut solet abusus est etiam in hac parte falso prætextu. Scimus enim ut semper Deum æmuletur, ac se transfiguret in Angelum lucis: quia si palam se ostenderet, statim omnes refugerent. Obtendit igitur fallaciter nomen Dei, ut se insinuet apud simplices & incautos. Nec tantum pseudoprophetas emisit qui mendacia & imposturas suas spargerent: sed & mulierculis abusus est in eundem usum. Ita videmus sollicite semper cavendum esse, ne qua obrepat corruptela, quæ contaminet purum usum donorum Dei. Atqui videtur hoc certamen non fuisse satis honorificum servo Dei. Erat enim res fere pudenda, cum mulierculis confligere. Scimus eos qui laudem appetunt fortitudinis non libenter congredi cum imparibus antagonistis, quibus nullum ad resistendum sit robur: quia ut nimis facile est eos prosternere, ita in laude non ducitur. Sic etiam potuit Ezechiel à se rejicere hanc provinciam, quia non esset ex dignitate Prophetici muneris. Sed hinc apparet, servos Dei non posse fideliter exequi partes sibi injunctas, nisi omnia impedimenta tollere studeant. Hæc igitur est conditio eorum omnium, quibus Deus injungit docendi provinciam, ut sese opponant omnibus falsis doctrinis, & erroribus, neque spectent an referre possint magnam laudem ex victoria: sufficiat illis asserere Dei veritatem contra omnes Sa-
Act. 19. tanæ machinas. Sic videmus Paulum certasse cum fabro. Atqui erat illud fere ridiculum. Et certe po-
2 Cor. 12. vers. 4. terat videri non satis respicere qualis esset. Nam ex quo viderat arcana, quæ fas non erat eloqui, & sublatus fuerat usque in tertium cælum, dum sumit sibi fabrum, cui resistat, videtur hoc modo dejicere illam dignitatem, in quam Deus eum extulerat. Sed tenenda est illa ratio quam dixi, servos Dei simulatque illis mandatur docendi officium, constitui ejus vindices, ac patronos doctrinæ cujus sunt præcones. Ergo si emergerent pulices (ut ita loquar) è terra, & obstreperent sanæ doctrinæ, quisquis ædificandi studio ducetur, non dubitabit certamen cum ipsis pulicibus suscipere. Perspicitur itaque Prophetæ modestia, quod Dei mandato sese converterit ad mulierculas, ut eas quoque refelleret. Dicitur autem, *Væ consuentibus pulvinos* (vel pulvillos, idem est) *super omnes cubitos manus, & facientibus pepla super caput omnus staturæ*. Minime dubium est quin his præstigiis deluserint simplicium mentes & oculos. Ceremoniæ quidem per se utiles sunt, idque patet ex Lege, ubi Deus nihil supervacuum præcepit. Sed quicquid utile est hominibus, Satan suo artificio convertit in eorum perniciem. Interea notandum est, pseudoprophetas semper fuisse immodicos in externis signis. Nam quia nihil solidum proferunt, ideo opus est ostentatione, quæ perstringat omnium oculos. Hæc igitur ratio est cur tam viri quam mulieres quibus fallendi consilium fuit, semper coacervarint multas ceremonias. Dicit ergo Ezechiel *mulieres illas consuisse pulvinos*: sed addit *super omnes cubitos*. Unde apparet, subjectos fuisse axillis eorum à quibus consulebantur: quanquam postea innuere videtur ipsas quoque fuisse pulvinis innixas. Nunc tamen de populo agitur. Et solebant etiam veteres quum accumbebant habere pulvinos sub axillis. Hodie apud nos illud est insolitum. Sed dubium non est, quin voluerint repræsentare speciem aliquam somni: ut stulti qui petebant oracula, putarent se esse ecstaticos, & raptos esse extra omnes cogitationes terrenas. Deinde habebant vela aut pepla, quæ injicerent capitibus. Et talis etiam impostura viguit apud Augures Romanos. Nam caput velabant dum volebant exordiri suos exorcismos: Capite velato Augur ad limen stetit, inquit Livius, & concepit hæc verba, Juppi- lib. 1. ab
ter, &c. Sic ergo probabile est, vela fuisse obdu- urb. cond.
cta eorum capitibus, qui volebant Deum consulere, ut essent quasi separati à mundo, ne humanitus quicquam respicerent, sed haberent spirituales duntaxat oculos. In hunc finem mulieres istæ usæ sunt talibus ceremoniis, ut putarent se miseri homines raptos esse supra mundum, & depositis omnibus terrenis cogitationibus, se dormire, ut exciperent oracula, & simul haberent caput obductum, ne distraherentur ullis avocamentis: sed toti intenti essent ad spirituales speculationes. Quod autem dicit, *super omnes cubitos, & super caput omnis staturæ*: non dubito quin Propheta his verbis significet mulieres istas exercuisse promiscuum quæstum, ut non discernerent, sed gratificarentur omnibus absque delectu, modo præmium in manu esset, quemadmodum paulo post videbimus. Universalis igitur nota emphatice sumi debet, quod non attenderint mulieres istæ quo animo quisque veniret, sed tantum captarent mercedem: atque ita aperta fuerit janua omnibus, quemadmodum solet fieri in nundinis. Tabernæ enim omnibus expositæ sunt, quia speratur ab omnibus lucrum, & omnes licitantur: & mercatores blanditiis suis alliciunt quoad possunt, eos omnes qui propius accedunt. Sic etiam pepla fuerunt parata omnibus cubitis: quia non aliud fuit discrimen, nisi quod à quibuslibet lucrum captabant in hac profana & turpi negotiatione. Quod autem nomen staturæ positum existimant, eo quod stare juberent mulieres eos qui petebant oracula, videtur mihi coactum, & remotum à Prophetæ mente. Ego igitur non dubito quin Propheta staturam, quemadmodum alii rectius exponunt, pro ætate vel pro persona posuerit: quasi diceret non esse inter senem & puerulum, inter hominem proceræ staturæ, vel hominem parvulum discrimen, quia responsa sua prostituunt omnibus à quibus lucrum expectant. Postea sequitur, *An ad venandum animas?* Hic crimen unum Deus perstringit, sed paulo post alterum addet, quod scilicet profanarent sacrum ejus nomen. Verum hic tantum de interitu animarum loquitur: quasi diceret mulieres istas laqueos tendere, ut deciperent miseras animas. Et quia jussus fuerat Ezechiel contra ipsas prophetare, hic vehementius insurgit, *an venabimini animas populi mei?* Est ad verbum, animas quæ populo meo sunt. Sed simplicius erit ita accipere, *an venabimini animas populi mei, & vivificabitis animas vestras?* nisi forte quispiam ita interpretari malit, ut bis idem repetat Propheta. Animæ enim populi erant etiam illarum. Nam ut postea videbimus, nemo decipitur à diabolo, nisi qui sponte sese offert & quasi laqueos data opera induit. Quoniam ergo semper illud verum fuit, miseros homines qui vana oracula captant sese addicere diabolo, & ejus ministris: ideo posset ita exponi. Sed simplicior est ille sensus quem attigi, nempe non impune cessurum istis mulierculis, *quod venatæ fuerint animas populi*: quasi diceret Propheta, Deo pretiosum esse populum, cujus curam suscepit. Sic ergo ratiocinatur, Quum tanta sit vestra audacia, imo tantus furor, ut non dubitetis Deo eripere populum suum: quoniam ergo tam licentiose grassatur vestra impietas, an Deus permittet vos impune sævire adversus animas quarum ipse est custos? Denique significat pœnam instare mulieribus, quæ illaqueant populum Dei: quia etiamsi digni sint qui falluntur interitu, Deus tamen non desinit vindictam exigere de Satanæ ministris, qui conati sunt illum spoliare jure suo. Sequitur,

19. Et profanastis me erga populum meum in pugillis hordeorum, (*ad verbum, hoc est, in pugillis hordeaceis: vel propter pugillos hordeaceos*) propter frusta (*vel fragmenta*) panis: ut occidatis animas quæ non moriebantur, & ad vivificandum animas quæ non vivebant, decipiendo populum meum, audientes mendacium. (*hoc est, eos qui audiunt mendacium.*)

Hic duplici nomine accusat Deus mulieres illas: fuit unum crimen quod jam diximus, crudeliter perdere animas, quæ Deo sacræ erant, & proinde destinatæ in salutem: sed accessit crimen atrocius, nempe sacrilegii, quod abusi sunt Dei nomine ad fallendum. Nihil autem minus tolerabile, quam ubi Dei veritas in mendacium vertitur, quia hoc est quasi ipsum redigere in nihilum. Deus est veritas: si ergo illa aboletur, quid amplius residuum manebit? Deus erit quasi mortuum spectrum. Conqueritur ergo Propheta de utroque in Dei persona, *profanastis*, inquit, *me erga populum meum*. Nam sicuti donum prophetiæ erat rarum & eximium pignus amoris Dei, & sollicitudinis paternæ erga Israëlitas: ita quum illud donum corruptum fuit, una pollutum fuit nomen Dei. Nam Deus noluit unquam disjungi à verbo suo, quia per se est invisibilis, neque aliter quam in illo speculo apparet. Ergo Dei gloria, & sanctitas, & justitia, & bonitas, & virtus fulgere debet in dono prophetiæ. Quum ergo contaminatur donum illud, videmus ut cedat tale probrum in contumeliam ipsius Dei. Hoc enim modo fœdatur ejus sanctitas, corrumpitur justitia, virtus, fides, & quicquid est prosternitur. Ita non abs re Deus pronunciat *nomen suum fuisse pollutum*. Deinde adjungit *in populo*. Et hæc circumstantia crimen amplificat, quod nomen Dei profanatum fuerit, ubi volebat peculiariter coli. Nam profanatum etiam fuit inter Gentes. Sed quia nunquam illic innotuerat Deus, illa profanatio minus detestabilis fuit. Verum, quia Deus sedem erexit in populo Israelitico, & voluit illic gloriam suam lucere, dum ejus nomen in Sanctuario illo profanatur, quod elegit, videmus ut crescat sacrilegium: hoc unum est. Sed simul adjungit *propter pugillos hordeaceos, & propter frusta panis*. Hic ostendit Deus quantopere & quam turpiter etiam contemptus fuerit ab istis muliercculis, quod venderent suas prophetias frusto panis vel pauculis granis hordei, quantum pugillo quispiam caperet. si postulassent magnam mercedem, avaritia illa inexplebilis non extenuasset earum crimen. Sed detegitur magis earum impietas, ubi ob mercedulam sese & nomen Dei ita prostituunt. Venditabant se tanquam organa Spiritus sancti. Ergo quum hac larva deciperent populum, injuria fiebat Spiritui sancto, quum ob tantulam mercedem prophetias futiliter jactarent. Prostituebant etiam Deum ipsum: denique hoc tantundem erat acsi corruptæ præmiolo nihili, non tamen tanti facerent Dei nomen, ut ipsa tenuitas ipsas revocaret à scelere. Hoc similitudine fiet clarius: Si quis tentetur mediocri aliquo præmio ad perpetrandum aliquod maleficium, & recuset: deinde ubi oblatum fuerit præmium longe pinguius, si tandem cedat tentationi, illic apparet quædam recta voluntas, sed non satis firma. Cæterum si quis ob assem unum suscipiat quicquid jussus fuerit facere, nec flagitium ullum recuset, apparet quam sit ille projectus ad omne maleficium. Si puella repudiet munus, quia sciet suam pudicitiam tentari, sed tandem ingenti pecunia vincatur, illic quemadmodum dixi, virtus certabit cum vitio. Verum si qua se prostituat ob frustum panis, illic apparet fœditas quam omnes merito abominantur. Hoc igitur est consilium Dei, ubi dicit *propter pugillos hordei, & propter frustum panis* mulieres istas sua mendacia jactasse. Si quis objiciat, pridem ante venales quodammodo fuisse prophetias, quoniam erat illud fere usu receptum in veteri populo, afferre munuscula Prophetis: respondeo non simpliciter hic damnari mulieres, quod receperint vel frustum panis, vel pugillos hordei, sed quia non dubitaverint accepto lucello corrumpere Dei veritatem, & eam convertere in mendacium. Postea designat Propheta quænam fuerit ratio fallendi. Neque enim satis fuisset in genere mulieres istas reprehendi, nisi digito monstrasset Ezechiel quam pestiferæ essent earum imposturæ. Nunc ergo dicit *occidisse animas quæ non moriebantur, vivificasse autem animas quæ non vivebant*. Diximus antea hac nota discerni veros & probos Dei servos ab impostoribus. Nam servi Dei, qui fideliter exequuntur munus sibi injunctum, occidunt & vivificant. Sermo enim Dei vita est, & salutem affert hominibus perditis: sed odor est etiam mortis in mortem iis qui pereunt, quemadmodum dicit Paulus. 2 Cor. 2.
Vivificant ergo & occidunt Prophetæ qui rite & v. 15, 16.
fideliter officio funguntur, verum est: sed vivificant animas quæ liberandæ sunt à morte, & occidunt animas quæ addictæ sunt exitio. Denunciant enim mortem æternam omnibus incredulis, nisi resipiscant: & quodcunque ligant in terra, ligatum est Mat. 18.
etiam in cælo. Efficax igitur est eorum doctrina ad vers. 18.
occidendum, sicuti etiam Paulus alibi docet, No- 2 Cor. 10.
bis, inquit, in promptu est vindicta adversus omnem vers. 5, 6.
altitudinem quæ se extollit contra Christum. Ergo probi doctores armati sunt Dei vindicta contra omnes incredulos, qui obstinati manent. Vivificant autem eos, qui resipiscunt, quia nuncii sunt reconciliationis, imo reconciliant homines ipsos Deo, ubi Christum offerunt qui pax est nostra, & per Ephes. 2.
quem nobis propitius est Pater. Pseudoprophetæ vers. 14.
dum æmulari cupiunt servos Dei, omittunt quod præcipuum est, nempe fidem & pœnitentiam: hinc fit ut vivificent animas quæ jam adjudicatæ sunt suo exitio. Nam reprobos, qui obdurati sunt in Dei contemptu, vivificant suis blanditiis. Non ergo vel fidem vel pœnitentiam requirunt ab hominibus, sed mercedem duntaxat. Hinc fit etiam, ut occidant animas, quæ non debebant mori, nempe quia nihil superbius est nec crudelius pseudoprophetis. Fulminant enim pro sua libidine, & demergunt usque ad profundissimos inferos totum mundum, ubi nulla spes lucri apparet. Nunc ergo videmus ita notari vitia mulierum, de quibus nunc agit Ezechiel, ut nemo nisi sponte posset amplius ab illis falli. Hinc etiam colligimus perpetuam regulam in examinanda doctrina, ne pro verbo Dei obrepant nobis Satanæ præstigiæ. Sciamus ergo sermonem Propheticum nobis esse vivificum, nempe si peccata nostra nobis displicent, & confugimus ad Dei misericordiam cum vera & seria pœnitentia: occidi autem omnes animas, quæ hunc vivendi modum non recipiunt. Et si quis comparet Papatum cum ista corruptela quam nobis describit Ezechiel, videbit quamvis Satan habeat multiplices fallendi modos, tamen posse deprehendi semper sui similem. Loquutus est Ezechiel de peplis & de pulvillis: sic videmus in Papatu adhiberi multos ritus, ita ut increduli quasi extra mundum rapti non tantum delirent, sed patiantur se huc & illuc trahi pecudum more crassissimis quibuslibet imposturis. Verum in ipsa doctrina perspicitur quod adhuc damnat Ezechiel, nempe quod vivificent animas quæ morti sunt addictæ, occidant autem animas quæ vivificandæ erant. Quorsum enim immensa congeries tot legum, nisi ut obruantur miseræ conscientiæ? Nam qui ex animo

vult ſatisfacere legibus Papatus, cum neceſſe eſt tota vita excarnificari, ut ita loquar. Jam ſcimus quemadmodum etiam alibi dicet Propheta noſter, implacabiles eſſe ejuſmodi legiſlatores, quia nihil remittunt, exigunt ad ſummum rigorem omnes ſuas leges. Hinc fit ergo ut intereant miſeræ animæ, quia obruit eas, & in profundum demergit deſperatio. Interea videmus ut vivificent animas, quæ morti addictæ ſunt, quia adulteris, furibus, homicidis, ſceleratis denique omnibus parata eſt venia, modo ſeipſos redimant dum fingunt Sacrifici Papales, & Monachi tam ſatisfactionibus quam ſuffragiis placari Deum. Nihili ergo expiationes obtrudunt Deo, vel nugas & ludibria, ut verius dicam, quæ pueros ipſos non fallerent, fingunt eſſe expiationes acſi Deus naturam ſuam mutaret. Ergo diligenter nobis tenendus eſt hic locus, ut ſciamus poſſe detegi quinam ſint veri Prophetæ aut falſi, modo ne ſpernamus examen de quo nos admonet Propheta. Dicit, *fallendo populum meum audientes mendacium.* Alios accuſat quod mentiti ſint, alios quod mendacia libenter ſint amplexi. Nomen enim צוד quod repetitur, ab eadem radice deductum eſt. Hic autem rurſum cauſam populi ſui ſuſcipit Deus, quia etſi digni erant omnes quos Satan traheret in exitium, quia tamen Deus curam illorum ſuſceperat, fuit quaſi eripere ex ejus manu quod ſibi vendicabat tanquam ſuum peculium. Hoc unum eſt. Sed interea tollitur excuſatio miſeris illis qui petebant fallacia oracula. Dicit enim Propheta eos decipi, *quod audiant vanitatem*, hoc eſt, quod velint decipi. ergo penes ipſos culpa reſidet, neque poſſunt alio regerere. Verum quidem eſt decipi fallaci prætextu, & quia jactatur illis nomen Propheticum, ideo quaſi obducta nube obſcurari eorum oculos: ſed interea veniendum eſt ad fontem. Neque enim apertus eſſet Satanæ aditus ſi probe eſſent muniti. Deus autem clauſtra illis circumdederat Legem dando, quæ ipſos protegeret ab omnibus fallaciis. Quum ergo ita ſe ſponte exponerent, non mirum eſt ſi Deus paſſus fuerit illos decipi. Sequitur,

20 Propterea ſic dicit Dominator Jehovah, Ecce, ego ad veſtros pulvillos quibus vos venamini illic animas ad volandum: & lacerabo eos deſuper brachiis veſtris, & eruam animas quas vos venamini, animas ad volandum.

Hic incipit Ezechiel minari illis mulierculis, tandem fore & quidem brevi, ut Deus illas non modo contemptibiles, ſed etiam ridiculas toti populo reddat ut ſatis appareat meris impoſturis ipſas luſiſſe: hæc ſumma eſt, ut poſtea videbimus. Sed verboſus eſt Propheta in hac denunciatione. Deus ergo dicit *ſe hoſtem eſſe illis pulvillis*, hoc eſt, fallacibus ceremoniis, quæ erant quaſi integumenta ad decipiendos miſeros homines: ideo dicit fuiſſe animas illas in prædam. Sumit enim comparationem à venatoribus: *venatæ eſtis*, inquit, *animas populi mei.* Et eodem ſpectat verbum quod ſtatim ſubjicitur, nempe *ad volandum.* Significat hoc verbum פרח etiam florere: ſed hic libenter ſubſcribo omnium ſententiæ, qui volare interpretantur: niſi quod Paraphraſtes vertit interire. putavit enim metaphorice loqui Prophetam, quaſi diceret animas illas illaqueari, ut evaneſcant. Sed neſcio an illud conveniat. Mihi magis probatur, Prophetam loqui de altis ſpeculationibus. Scimus enim hoc artificio ſeſe jactate pſeudoprophetas; dum attollunt vel ſaltem fingunt ſe attollere animos in ſublime: & curioſi homines hoc unum appetunt, & hinc fit ut illis inſipida ſit Legis & Euangelii doctrina, quia eos tantum oblectant argutiæ. Et videmus hodie quam multi amplexentur nugas Dionyſii de cæleſti Hierarchia, qui fere pro nihilo ducunt Prophetas omnes, & Chriſtum ipſum. Dicit ergo Propheta *mulieres iſtas venari animas populi*, quia habent paratos laqueos, quibus implicent eos omnes, qui obnoxii ſunt impoſturis, & fallaciis. Tamen meo judicio ſimul alludit ad aves. Quoniam ergo dixit eſſe venationem Satanæ omnes impoſturas, nunc adjungit oblique aliam ſimilitudinem, quod omnes falſæ prophetiæ totidem ſint decipulæ ad aves illaqueandas.

Nunc videtur clarus eſſe ſenſus verborum: *ecce ergo Deus*, inquit, *ſurget contra veſtros pulvillos, quibus venatæ eſtis illic aves ad volandum*, hoc eſt, quum promitteretis miras revelationes, talibus illecebris decepti fuerunt miſeri, quos tantum ſua curioſitas agebat. Poſtea adjungit, *liberabo ipſas è brachiis veſtris, & eruam animas quas vos venatæ eſtis, animas ad volandum*, inquit. Repetit ſecundo quod jam diximus de profundis ſpeculationibus, quarum dulcedine allicere ſolent pſeudoprophetæ omnes ſtultos, qui non poſſunt contenti eſſe vera doctrina, nec poſſunt ſobrie ſapere. Interea minime dubium eſt, quin Deus hic proprie loquatur de electis, qui reſidui erant in populo. Etſi autem exiguus erat ille numerus, noluit tamen Deus perire: & hac ratione denunciat ſe fore ultorem, & facturum ut reſipiſcant qui vel jam decepti fuerant, vel ſaltem fuerant aliquo modo circumdati decipulis. Quum autem utitur verbo eodem, ſatis hinc colligimus, non poſſe hæc verba extendi promiſcue ad quoslibet. Deus enim
paſſus eſt multos perire, quemadmodum dicit per Zach. 11.
Prophetam ſuum Zachariam, Quod perit pereat: vers. 9.
ſed interea eripuit exiguum numerum & reliquias Rom. 11.
electionis, ut loquitur Paulus. vers. 5.

Da omnipotens Deus, quum oſtenderes ſalutem noſtram tibi in ſummo pretio eſſe, ne ingratitudine noſtra abjiciamus hoc teſtimonium tui favoris, ſed ſolliciti ſimus ad audiendum tuum ſermonem: deinde etiam ut Spiritu diſcretionis abs te donati, non ſimus expoſiti hominum capturis tanquam in prædam: ſed ita regamur luce verbi tui, ut teneamus rectam viam, donec tandem confecto ſpatio noſtro perveniamus ad beatam illam quietem, quæ nobis repoſita eſt in cælo per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA SEPTIMA
IN
EZECHIELEM.

21. Et conſcindam pepla veſtra, (*vel lacerabo*) & eruam populum meum è manibus veſtris: & non erunt amplius in manibus veſtris in prædam: & cognoſcetis quod ego Jehovah.

Quod

QUod dixerat Propheta de pulvinis nunc etiam pronunciat de peplis, quibus solebant obnubere vel sua vel eorum capita, à quibus consulebantur. Summa est, Deum talibus præstigiis finem impositurum. Nam populus istis rebus nihili sic erat fascinatus, ut necesse fuerit tolli ejusmodi larvas, quia semper ad fallendum fuissent instructæ mulierculæ illæ. Addit autem secundo id se facturum in gratiam populi sui. Diximus autem non debere hoc extendi generaliter ad omnes filios Abrahæ, qui genus ab eo trahebant secundum carnem. Deus enim passus est fere omnes perire, quemadmodum per Jesaiam dictum fuerat, *Jesa. 10. vers. 22.* Etiamsi populus tuus esset instar arenæ maris, reliquiæ duntaxat salvæ fient. Quum ergo loquitur hic de populo suo Deus, restringi debet hæc sententia ad electos: quemadmodum quum dicitur in Psalmo, *Psal. 73. vers. 1.* Quam suavis vel benignus est Deus Israëli suo! per modum correctionis addit, his qui recto sunt corde: quoniam scilicet multi jactabant se esse Israelitas, qui tamen longe dissimiles erant patri suo: & quum essent degeneres, abdicaverant se honore illo. Propheta ergo illic bonitatem Dei restringit peculiariter ad electos, qui recto sunt corde, postquam de toto populo fuerat loquutus. Quamvis Ezechiel non ita distincte exprimat quod citavimus ex Psalmo, idem tamen est sensus: & hoc facile colligitur ex 11. cap. ad Romanos, ubi Paulus proponit nobis reliquias, quæ servantur gratuita electione Dei. *Rom. 11. vers. 5, 6.* Eodem sensu additur *non fore amplius illis in prædam.* Diximus autem qualiter mulierculæ illæ venatæ fuerint miseras animas, non tantum ut lucrum caperent, sed etiam quia Satan abutebatur earum fallaciis. Sic ergo factum est, ut illaqueatæ fuerint animæ ad interitum. Hac ratione Deus pronunciat non fore amplius illis in prædam. Et repetit quod jam dixerat *scietis quod ego sim Jehovah.* Hic Deus in medium profert suam potentiam, quia scimus quam secure illudant sacro ejus nomini hypocritæ: & hoc facile apparuit in tanta mulierum audacia & licentia. Deus ergo hic minitatur illis: sed dicit sensuras tandem quisnam loquutus fuerit, quia scilicet ludibrio habebant Ezechielem, & alios Dei servos. Ergo tacita est antithesis inter Deum & Prophetas, non quod Deus se à servis suis separet. Est enim veritas, cujus sunt ministri & præcones, insolubile ad eos sociandos vinculum: sed sermo aptatur ad eorum sensus quibuscum agit Propheta. Nunc quia mulieres istæ adeo protervæ erant, dicit se non ab ipsis contemni, sed Deum ipsum. Sequitur,

22. Quia contristastis cor justi mendacio, (*vel fallaciter*) & ego non contristaveram ipsum: (*est aliud verbum, sed quod differt tantum una litera, & significat tristari & dolere*) & roborastis manus impii, ut ne converteretur à via sua mala, vivificando ipsum.

23. Propterea mendacium non videbitis, & divinationem non divinabitis amplius: & eruam populum meum è manu vestra: & scietis quod ego Jehovah.

Aliis verbis explicat quod jam heri vidimus: sed repetitio pertinet ad rei gravitatem. Propheta igitur ostendit justam esse querimoniæ causam, quod ita mulieres populum fallant. Dicit nunc *contristasse cor justi & roborasse manus impii*: eadem est sententia, sed verbis mutatis. Dixerat prius vivificare eos qui addicti erant morti, & occidere eos quibus destinata erat vita: nunc autem clarius ostendit quid sit occidere animam quæ non moriebatur, hoc est, quæ non debebat mori, ubi scilicet mœrore cor justi afficitur. Per justos intelligit eos quibus terror injicitur à pseudoprophetis, idque sine causa. Sed quæritur cur dicat mœrore fuisse vulneratos justos, quoniam ante docuimus non alios falli, nisi qui sponte se in laqueos vel decipulas Satanæ conjiciunt. Respondeo pseudoprophetas sic tonare, ut eorum mendacia dum vagantur huc atque illuc simplices involvant. Spargunt enim suas minas, acsi omnibus incumberent. Hinc fit ut vulnerent conscientias debiles: quemadmodum hodie ubi volitant Satanæ mendacia, quibus corrupta est vera religio, multi simplices expavescunt, quia destituti judicio, non discernunt sitne Deus qui minatur, an homo temere se ingerat. Videmus ergo ut pseudoprophetæ mœrore afficiant justos, quum scilicet scrupulos injiciunt, & sub pœna peccati mortalis hoc & illud denunciant: deinde excutiunt omnem fiduciam gratiæ Dei, & percellunt variis pavoribus: idque hodie clarius adhuc cernitur in Papatu. Sumamus caput illud, quod apud eos est extra controversiam, pendere fidem nostram ab operibus, ideoque non posse statui an Deus propitius sit nobis nec ne: ita evertunt omnem fidei certitudinem. Ipsum quidem fidei nomen retinent, sed interea volunt miseras conscientias vacillare & torqueri inquietudine: quia nemo potest scire an Deum possit invocare tanquam patrem. Talis fiducia, quam Paulus 3. cap. ad Ephesios dicit nobis omnibus esse communem, illis est præsumptio & temeritas. *Ephes. 3. vers. 12.* Videmus ergo ut caput illud non tantum afficiat dolore justos, sed conturbet innoxias conscientias: jam postea accedit congeries Traditionum, & semper annectitur pœna illa, nempe æternæ mortis: sic fit ut qui alioqui optassent Deum colere, dum ita examinantur, nesciant quo se vertere debeant: ita etiam excutitur illis Dei timor, quia nemo potest Deum serio revereri nisi qui sentit eum exorabilem, ut dicitur Psalmo 130. *Psal. 130. vers. 4.* Tenemus igitur nunc quid velit Spiritus sanctus, quum mulieribus exprobrat *quod dolore affecerint cor justi.* Additur, *ego autem nolebam dolere.* Nam & fideles Dei servi terrorem sæpe incutiunt, sed necessario. Non possent enim aliter subigere eos qui exultant in suis lasciviis, & redigere in Dei obsequium, nisi domarent eos metu. Ergo dolorem afferunt etiam veri Prophetæ, adeoque Euangelii præcones: quemadmodum dicit Paulus, *2 Cor. 7. vers. 8, 9.* Si tristitia vos affecerim, me non pœnitet: sic enim oportuit. Nam tristitia quædam est in salutem. Cæterum, veri Prophetæ non terrent de nihilo: sed quos Deus vult dolere, illos anxietate afficiunt. Materiam ergo tristitiæ & doloris non fabricant in suo cerebro, sed sumunt ex ore Dei & Spiritu revelationis: & ideo etiam positum fuit nomen *justi.* Additur autem *fallaciter*, qua particula iterum discernitur severitas, qua sæpe coguntur uti veri Prophetæ, ab illo rigore vel potius truculentia, qua sæviunt falsi Prophetæ. Nam terrent quemadmodum dixi miseras conscientias. Sed quo jure? Quia scilicet transferunt ad se Dei potestatem: sicuti hodie Papa plenis buccis detonat se esse Apostolicum una cum sua Sede, ideoque non posse falli. Quum ergo ita fallaciis pugnant falsi Prophetæ, hinc fit, ut simplices expavefaciant. Jam additur, *roborasse manus impiorum*, manus impii ad verbum. Quum de justis loquutus est Propheta, posuit nomen cordis: nunc autem ponit nomen *manus*, neque id sine causa. Nam falsi terrores, quibus pseudoprophetæ sese venditant, penetrant usque ad intimos affectus, atque ut quisque afficitur timore Dei, ita concipit metum ex minis, quas audit proferri Dei nomine. Videmus ergo optima ratione illud esse dictum, nempe mœrore fuisse vulneratum animum justi: nunc autem quum dicit *roborasse impii manus*, intelligit additam esse audaciam, ut non modo semper obstinati maneant impii adversus Deum, sed ut perrumpant

effreni licentia, neque dubitent palam violare Dei Legem. Plus enim est toborare manus, quam mœrore afficere animum. Contingere enim poterit, & contingit, ut quis turgeat superbia & contemptu Dei: & tamen verecundia ipsum impediat, ne turpiter se contaminet multis sceleribus. Ubi autem manus ipsæ feruntur ad licentiam, est cumulus omnium malorum. Nunc ergo tenemus rationem hujus discriminis. In summa significat Ezechiel obduratos fuisse impios blanditiis mulierum, non tantum ut Deum spernerent in suis animis, sed ut id testatum facerent tota vita, acsi vexillo erecto palam & ex professo bellum cum Deo ipso gererent. Dicit ergo hoc sensu *roboratas fuisse manus impii*. Adjungit, *ut ne converteretur*. Hic clarius etiam definit quomodo vivificentur animæ, quæ morti addictæ erant, ubi scilicet fiducia illis proponitur quæ conscientias ipsorum sopiat, adeoque obstupefaciat. Non ergo dicit *roboratas fuisse manus impii*, quemadmodum sæpe ubi fit conspiratio inter improbos, alius alium adjuvat, acsi ultro citroque manus porrigerent. Sed alio sensu nunc loquitur Propheta, nempe quod ita obduraverint impios mulieres istæ, ut secure pergerent in suis sceleribus, & quodammodo ludibrio haberent Deum ipsum cum Lege sua. *Roborastis* ergo *manus ne converteretur*: quomodo? *vivificando*. Hinc colligimus non aliter posse humiliari homines, nisi ubi mors illis ostenditur: quia libenter omnes sibi indulgent: & ingenita est nobis à naturæ corruptione hypocrisis, ut quisque sibi persuadeat, omnia præclare habere. Nisi ergo mors sese ingerat oculis nostris, & Deus ipse appareat judex ad nos perdendos, manemus nostri similes, & progredimur semper ad majorem audaciam: Propheta hoc significat quum dicit *vivificando impios, pseudoprophetas roborare eorum manus*, & obstare ne unquam resipiscant. Quare? Ubi enim peccator existimat Deum sibi esse propitium, non est sollicitus de reconciliatione, sed abutitur Dei tolerantia, & in dies redditur audacior, donec tandem exuat omnem sensum timoris. Itaque hæc vera est ad conversionem præparatio, ubi peccator occiditur, hoc est, agnoscit se obnoxium judicio Dei, & concipit formidabilem ejus vindictam. Ubi ergo videt se esse perditum, tunc incipit de conversione cogitare. Ubi autem indormiunt homines suis peccatis: quemadmodum dixi, ea continuant usque dum perveniant ad socordiam, de qua loquitur Paulus quum dicit nullum amplius illis esse sensum doloris. *Ephes. 4. vers. 19.* Sequitur, *non videbitis amplius mendacium*. Exposuit hactenus rationem cur Deus tantopere excandescat contra mulieres, nempe quod perdiderint miseras animas vel sua crudelitate, vel suis blanditiis, & in hoc similes esse pseudoprophetis: jam adjungit, *non videbitis amplius mendacium*. Hoc non debet intelligi acsi Deus promitteret mulieribus istis sanam mentem, ut desinerent ita populum venari suis decipulis: sed confirmat quam ante vidimus sententiam, nempe obnoxias fore omnium ludibriis, ut pueri quoque ipsi agnoscant fuisse mera mendacia, quæ jactabant pro oraculis. Perinde igitur est acsi diceret, Ego vos pudefaciam, ne posthac vobis liberum sit obtendere nomen Propheticum, quemadmodum hactenus fecistis. Quamvis ergo mulieres in sua vesania perstiterint, tamen non viderunt amplius vanitatem, quum palam apparuit miseros, qui ipsis confisi fuerant, fuisse deceptos. Denique hoc non ad ipsarum affectum, sed ad effectum rei potius aptari debet. Nam perinde est acsi quis diceret homini stolido, & se tamen jactanti pro jurisconsulto, vel medico, Ego brevi efficiam ne amplius medicum profitearis, vel jurisperitum: & tamen stolidus ille non poterit exuere quam semel concepit opinionem de sua solertia. Sed hoc dicitur, quia omnibus patebit fuisse meram vanitatem quicquid ille jactaverat. Sic etiam nunc loquitur Deus. Eodem spectat quod addit, *non divinabitis amplius divinationem*. Et tamen non dubium est, quin conatæ fuerint modis omnibus novas prophetias excudere, & gloriari de novis revelationibus: sed contemptæ fuerunt, quia scilicet detexerat Deus earum mendacia quum Hierosolyma capta fuit, populus tractus in exilium: deinde quia pollicebantur brevem reditum populo, ubi idem Deus exilium prorogando eas refutavit. Ubi ergo quisque suæ impietatis justas dedit pœnas, tunc deprehensa fuit vanitas istarum mulierum: ita factum est ut cessaverint divinare. Repetit, *liberabo populum meum è manu vestra: & scietis quod ego sim Jehovah*. Quoniam hanc partem nuper exposui nunc prætereo. Sequitur,

CAP. XIV.

ET venerunt ad me viri ex Senioribus Israël, & sederunt coram facie mea. (*ad faciem meam.*)
2. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,
3. Fili hominis, viri isti ascendere fecerunt idola sua super cor suum, & offendiculum iniquitatis suæ posuerunt coram facie sua. An quærendo quærar ipsis? (*vel ab ipsis*)

Hic narrat Ezechiel historiam observatu dignam. Neque enim fuit hæc nuda visio, sed potius res gesta, quod scilicet quidam ex Senioribus Israël tanquam consultandi causa ad ipsum accesserint. Dicit autem *sedisse*, ut solent homines perplexi, & qui fere malis sunt attoniti, quibus nullum vident remedium. Gestus ergo quem describit Propheta, signum fuit anxietatis & desperationis. Sedere quidem coram aliquo dicitur qui exoptat responsum: sed quum probabile sit, ipsos secum disputasse unde inciperent, nec statim reperiisse exordium sermonis, hinc apparet venisse admodum anxios, ut Prophetam consulerent. Potuit autem Ezechiel tangi, & flecti misericordia quum videret tandem ipsos Deum quærere. Fuit enim signum resipiscentiæ quum se converterent ad verum & fidelem Dei servum. Sed quoniam nulla erat sinceritas, ideo monetur in tempore Propheta, ne putet ex animo ipsos venisse. Deus ergo instruit consilio servum suum, ne facilitate nimia labatur, ubi videt senes istos venire tanquam discipulos. Ostendit autem hypocrisin, quia adhuc dominetur in ipsorum cordibus superstitio, imo etiam cupiant palam & aperte violare Dei Legem, neque id dissimulent quantum ferebat occasio. Primo dicit *extulisse idola super cor*, quibus verbis significat sic addictos esse superstitionibus, ut idola summum gradum obtineant in ipsorum cordibus: quemadmodum Paulus hortatur fideles, ut pax Dei, quæ omnem sensum exuperat, palmam obtineat in ipsorum cordibus: *Philip 4. vers. 7.* ita ex opposito dicit Propheta istos homines dedisse summum imperium idolis. *Coloss. 3. vers. 15.* Et iterum obliqua comparatio notanda est inter Deum & idola. Deus enim sedem imperii sui erexit in cordibus nostris: ubi autem attollimus idola, necesse est ut conemur Dei solium evertere, & redigere in nihilum ejus potestatem. Gravissimum itaque sacrilegii crimen hic ostenditur in senibus istis, *quod ascendere fecerint idola super cor suum*.

Nam

Nam inde sequitur, omnes eorum sensus fuisse demersos in superstitionibus. Addit, *posuisse coram facie sua offendiculum iniquitatis.* Hoc secundo membro significat duritiem & pervicaciam: quasi diceret, quamvis ante oculos ipsorum versetur Legis doctrina, tamen non habere ullam curam pietatis, & spernere etiam minas Dei, acsi futurus non esset judex. Ubi ergo peccator non movetur ullis monitionibus, & convictus est satis & super suæ impietatis, & cogitur velit nolit apprehendere iram Dei, & postea tamen eam contemnit, dicitur *ponere offendiculum suæ iniquitatis coram facie.* Multi enim errore & incogitantia labuntur, quia non existimant se quicquam tentare adversus Deum. Sed hic Ezechiel exprimit fuisse in istis senibus crassum Dei contemptum, & quasi professam rebellionem. Jam infert, *An inquirendo inquirar ab ipsis?* Alii vertunt, an consultus vel rogatus respondebo ipsis? Sed videtur mihi illud commentum nimis remotum esse à mente Prophetæ: & probabile est excogitasse hunc sensum, quia non poterant perspicere quid alioqui sibi vellet Ezechiel. Atqui Deus ostendit hoc esse quasi simile portento, quod audeant senes isti perrumpere, & præ se ferre aliquod studium veri inquirendi. Coarguitur ergo hic eorum impudentia, quod non dubitent sistere se coram servo Dei, & simulare aliquam pietatis curam, quæ tamen nulla erat. Dicit ergo Deus, fierine potest? Nam hæc interrogatio exprimit rei absurditatem, idque in eum quem dixi finem, ut magis patefiat eorum improbitas, qui ita conspuere audent in faciem Dei. Quid enim aliud est, quam aperte Deo contumeliam facere dum impuri homines ad ipsum accedunt? volunt participes fieri consilii ejus: interea tota vita ostendunt se esse infestissimos hostes totius cælestis doctrinæ. Postea sequitur,

4. Propterea loquere ad ipsos, & dic illis, Sic dicit Dominator Jehovah, Vir vir è domo Israël (*hoc est, quisquis è domo Israël*) ascendere fecerit idola sua super cor suum, & offendiculum iniquitatis suæ posuerit coram facie sua: & venerit ad Prophetam: ego Jehovah respondebo huic (*est aliud verbum,* ענה *proprie est respondere: respondebo ei in ipsa interrogatione*) secundum multitudinem idolorum ejus. (*quanquam alii putant literam* ה *suppositam esse loco* א, *& vertunt respondebo ei, quia venit in multitudine idolorum suorum. Sed quia vereor ne quid sit coactum in illa expositione, sequor quod simplicius est, nempe Deum responsurum impiis quum ab ipsis rogatus fuerit, sed secundum multitudinem idolorum, hoc est, prout digni sunt.*)

Hic videtur Deus nimis indulgenter agere cum hypocritis qui simulant se ab ipso petere consilium, interea aspernantur ejus sermonem. Sed Deus hic minatur potius quod exitiale futurum erat impiis, quam aliquid promittat quod expetere debeant. Est quidem testimonium singularis Dei gratiæ dum nobis respondet. Nam prophetia est imago paternæ Dei sollicitudinis erga nos & salutem nostram. Sed aliquando prophetia duntaxat cedit in exitium: & hoc est accidentale. Quamvis ergo sermo Dei per se & natura sit summopere expetendus: ubi tamen Deus respondet tanquam judex, & tollit omnem spem veniæ & misericordiæ, illic nullus percipi potest gustus ejus gratiæ. Sic etiam intelligendus est hic locus: Deus pronunciat se responsurum: quibus? reprobis, & qui per ludibrium sciscitabantur à Propheta quid facturi essent. Quum illis respondet, duntaxat se ostendit vindicem ipsorum perfidiæ: & ita responsum ejus nihil aliud continet quam formidabile judicium, quod imminet omnibus reprobis. Neque tamen Deus perpetuam legem hic sibi imponit. Non enim utitur semper eodem vel æquali modo erga omnes reprobos: sed dicit impios illos sensuros, nihil se astutia sua & obliquis artibus proficere, quia experientur Deum esse alium quam Satanam. Assuefacti erant mendaciis, & pruriebant illis aures. optassent ergo habere lætum aliquod & plausibile responsum a servo Dei, quoniam illis blandiebantur pseudoprophetæ. Quid autem Deus? *Ego respondebo illis*, sed longe alio modo quam vellent, vel cuperent: *nam respondebo secundum multitudinem idolorum suorum.* Afferunt enim materiam suæ damnationis. Itaque nihil aliud à me referent, quam obsignationem ejus damnationis quæ jam residet in ipsorum cordibus, & in manibus etiam ipsorum apparet. In summa, hic Deus subsannat stultam confidentiam eorum qui sciscitabantur ex ejus Propheta quid futurum esset: interea autem cor habebant implicitum superstitionibus, ut palam ostenderent crassam impietatem: ideo dicit *se illis responsurum*, non quomodo putarunt, sed ut sunt meriti.

5. Ut deprehendam domum Israël in corde ipsorum, quia alienarunt se (*vel ut alii vertunt, separarunt se*) à me in suis idolis omnes.

Finem ostendit cur Deus nolit absque responso dimittere hypocritas, qui tamen cum ipso impie ludebant. Dicit *ut deprehendam domum Israël in corde suo.* Quæritur tamen quomodo capiantur impii ubi Deus respondet illis non ex animi sententia, neque ex spe: sed pronunciat quod nolunt, & summopere metuunt. Respondeo, deprehendi impios, quia adiguntur ad insaniam: & Deus tunc illis magis extorquet quod ante latebat in ipsorum cordibus. Dicit ergo *ut ipsorum impietas omnibus manifesta fiat, ego illis respondebo.* Nam impii quantisper illis Deus parcit, conantur eum mulcere quasi adularentur. Sed ubi vident se nihil consequi falsis blanditiis, tunc fremunt, imo frendunt tanquam furiosi adversus Deum: *sic deprehenduntur in corde suo*, hoc est, quicquid antehac fuit simulationis excutitur, ut omnes possent facile perspicere, ne guttam quidem pietatis unquam fuisse in ipsorum cordibus. Deus ergo testatur sua responsa fore ejusmodi, ut *capiat domum Israël in corde*, hoc est, ut ejus severitas extrahat in lucem quod prius erat absconditum. Nam sermo Dei est gladius anceps, & examinat omnes hominum sensus. *Hebr. 4. vers. 12.* Quidam gladio illo sic occiduntur, ut resipiscant: sed alii rapiuntur in furorem, ubi vident sibi esse confligendum cum Dei potentia. Ergo deprehenduntur in corde suo, quia extorquet illis Deus quod libenter semper occultassent: *quoniam alienarunt se desuper me*, ad verbum, *in suis idolis.* Dupliciter hic locus exponitur, quemadmodum dictum fuit. Quidam dicunt, quia separarunt se: sed mihi magis probatur altera versio, *quod se alienarunt*: & intelligemus clarius hoc postea, deinde res eo nos deducet. *Alienarunt* ergo *se à Deo*, hoc est, quum prorsus defecissent à Lege Dei, tamen quasi hoc esset occultum, adhuc gestabant suas larvas. Alienatio enim de qua hic loquitur Propheta, videtur referri ad simulationem. *Quoniam* ergo *se alienarunt à me in suis idolis*, hoc est, quod existimant se non posse coargui, sed abominationes suas quamlibet fœtidæ sint, manere tamen quasi clausas: falluntur, inquit.

inquit. Et hoc convenit cum proximo membro, quod scilicet deprehensurus sit hypocritas in suo corde.

Da omnipotens Deus, quando ita ad omne genus vitiorum sumus proclives, ut retineamur virtute Spiritus tui: deinde sic attenti simus ad doctrinam, quæ assidue insonat auribus nostris, ut perseveremus in puro nominis tui cultu: imo confirmati adversus improborum hominum astutias, debiles etiam sustentemus, ne abducantur in errores, donec tandem confecto cursu nostro, perveniamus ad metam, quæ nobis proponitur in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA OCTAVA
IN
EZECHIELEM.

6. Propterea dic ad domum Israël, Sic dicit Dominator Jehovah, Revertimini, & redire facite ab idolis vestris, & à cunctis abominationibus vestris redire facite (*vel convertite*) facies vestras.

Nunc ostendit Deus cur tam severe minatus fuerit pseudoprophetis, & toti populo, nempe ut tandem resipiscerent. Nam huc tendit rigor Dei ut territi ejus judicio redeamus in viam. Nunc ergo ad pœnitentiam eos hortatur. Unde colligitur utilis doctrina, quoties Deus formidinem nobis incutit, non alio spectare, nisi ut nos humiliet, ideoque curam agere salutis nostræ ubi ita per suos Prophetas nos objurgat, & nobis minatur: denique irasci nobis verbo, ut re ipsa parcat. Exhortatio autem brevis est, *ut convertantur, & converti faciant ab idolis suis, & facies etiam suas avertant à cunctis suis abominationibus.* Ubi dicit secundo loco השיבו, quidam subaudiunt uxores: sed illud est frigidum. Alii putant verbum esse transitivum, sed quod non cadat in aliam personam, redire facite vosipsos: illud etiam durum est. Itaque non dubito, quin Propheta hic hortetur Israëlitas, ut pro se quisque studeat se reconciliare Deo, & simul etiam alios secum adducat. Quemadmodum enim alii aliis fuerant malorum auctores: ita nunc jubet operam impendere, ut alios secum reducant. Et certe hæc est vera probatio nostræ pœnitentiæ, ubi non tantum singuli ad Deum convertimur, sed porrigimus etiam fratribus nostris manum, & ab errore eos revocamus: præsertim si culpa nostra errare cœperunt, videndum est ut pensemus malum illud saltem pari diligentia. Sensus ergo Prophetæ est, primum ut resipiscant Israëlitæ, deinde ut mutuo alii alios adjuvent ad resipiscendum, vel ultro citroque sese conjungant ad pietatis studium, quemadmodum prius quisque à socio suo & fratre corruptus fuerat. Hæc videtur esse summa. Cæterum, series hæc notanda est, quia multi zelum suum ostentant dum alios corripiunt, & manum porrigunt ut liberent eos ab errore: ipsi autem de resipiscentia nihil cogitant. Atqui Spiritus sanctus hic veram progrediendi rationem nobis ostendit, quum jubet resipiscere, deinde extendere studium nostrum ad fratres, qui opus habent nostris adhortationibus. Tandem adjungit, *abducite facies vestras*, vel convertite *à cunctis abominationibus vestris.* Synecdoche est in verbis Prophetæ, quia avertere faciem suam tantundem valet atque sensus suos retrahere. Quoniam ergo prope affixi erant suis abominationibus, ad quas conjecerant oculos, & intenti erant toto studio, jubet *facies suas avertere*, nempe ut illis valedicant. Sequitur,

7. Nam quisquis è domo Israël, & è peregrino qui peregrinatur apud Israëlem, & separatus (*hic non potest aliter verti. nam est à* נזר: *verbum quod heri vidimus, potest deduci à* זור, *quod est alienari: sed hic sensus non potest esse ambiguus: qui ergo separatus*) fuerit de post me, (*ad verbum*) & ascendere fecerit idola sua super cor suum, & offendiculum iniquitatis suæ posuerit coram facie sua, & venerit ad Prophetam ad inquirendum ipsum ex me: (*hoc est, per me, vel ut sciscitetur ab ipso in me, id est, per me, aut per nomen meum*) ego Jehovah respondebo ei in me. (*vel per me.*)

Iterum redit Ezechiel ad minas, quia apud tam præfractos non satis efficax fuisset exhortatio: obduruerant in suis vitiis ut vidimus, & erant fere similes indomitis bestiis. Nisi ergo sæpius objectum illis fuisset Dei judicium, exiguus fuisset doctrinæ & exhortationis fructus. Hæc igitur ratio est cur iterum proponat hic Deus suam vindictam: *vir vir*, inquit, *vel etiam peregrinus qui peregrinatur apud Israëlem.* Quum adjungit peregrinos, loquitur hauddubie de circumcisis, qui professi fuerant se fore veri Dei cultores, & dederant nomen Legi, ita ut abnegarent omnes impietates. Fuerunt enim duo genera peregrinorum: quidam negotiabantur illic, sed profani homines, qui manebant in suo præputio. Alii autem quamvis non ducerent originem à sanctis Patribus, neque essent indigenæ terræ: ubi tamen fuerant circumcisi, quantum attinet ad religionem, fiebant Ecclesiæ membra: ac eos volebat Deus censeri eodem numero quo Abrahæ filios, &
Num. 15. v. 15.16. eodem ordine, Erit Lex eadem peregrino & indigenæ ubi de promissione agitur: & repetitur etiam illa sententia pluribus locis. Sit ergo nunc accipitur nomen peregrini. Sed hæc circumstantia exaggerat crimen electi populi. Nam si quis concesserat in terram Chanaan, & amplexus erat Legem Dei, illud erat quasi adventitium. Israëlitæ autem erant natura hæredes vitæ æternæ. nam adoptio erat continua per singulas ætates. Quum ergo nascerentur filii Dei, fuit illud magis probrosum desciscere ab ejus cultu. Itaque quum hic tam graviter damnat Ezechiel peregrinos, ostendit quanto atrocius sit eorum crimen, qui sanctiore quodam vinculo obstricti erant ad colendum Deum. Dicit, *& separatus fuerit de post me.* Heri dicebat Propheta, מעלי, desuper me, vel de ad me: hic autem exprimitur clarius defectio, ubi homines respuunt doctrinam Legis, & palam ostendunt se nolle quicquam obsequii Deo præstare. Dicitur enim sequi Deum, vel post ipsum ambulare qui proponit sibi eum ducem, & addictus est ejus præceptis: denique qui tenet viam ab ipso monstratam. Sicuti ergo fidei obedientia Deum sequimur, vel incedimus post ipsum: ita recedimus ab ipso ubi repudiamus ejus Legem, & palam facimus nolle jugum ejus amplius ferre. Ostendit ergo qualis sit separatio populi, vel hominum à Deo, nempe ubi Legem ejus sequi recusant. Israëlitæ

enim

enim volebant semper Deum sibi manere conjunctum. Sed divortium fecerant: hoc quidem negassent. Ideo Propheta hic tergiversandi ansam illis præcidit, quum dicit *eos separari à Deo* qui ipsum non sequuntur. Et tandem repetit quod heri visum fuit, *qui fecerit ascendere idola super cor suum, qui offendiculum suæ iniquitatis posuerit coram facie sua*, hoc est, qui demersus fuerit in suis superstitionibus, ita ut idola regnum in corde ejus occupent: deinde qui eo proruperit audaciæ, ut non dissimulet se velle Deo adversari: *si quis*, inquit, *venerit ad Prophetam, ut inquirat ab ipso in me*, hoc est, nomine meo, *ego respondebo illi.* Idem quod heri vidimus confirmat, se non posse diutius ferre hypocritas, qui tam superbe illudebant. Et certe quum palam colerent idola, & referti essent multis superstitionibus: qualis audacia & superbia fuit, consulere veros Prophetas? Perinde enim illud fuit acsi quis medico proterve insultet ac maledicat, neque tantum conviciis oneret, sed etiam conspuat in faciem ejus: postea velit eum consulere, Quid mihi suades? vide quomodo saner ab hoc morbo. Talis superbia non posset ferri inter homines mortales. Quomodo igitur Deus fineret tantam contumeliæ impune sibi irrogari? hac ratione dicit *se responsurum*, sed responsurum suo more: quasi diceret, quærunt illi blanditias, ego autem *respondebo in me*, hoc est, non transfigurabor ad eorum libidinem. Nam suis figmentis me transfigurant: sed falluntur. Nihil ergo proficiunt quum expectant me ex animi sententia illis responsurum: *ego respondebo*, inquit, *in me:* hoc est, sentient responsum à me esse profectum, ita non est cur putent servos meos sibi fore morigeros, quemadmodum abuti solent pseudoprophetis, quos mercede emunt ut sunt venales. Quum autem quispiam venalis est, cogitur serviliter adulari. Nulla enim libertas est, nisi in bona & recta conscientia. Ergo Deus hic discernit servos suos ab impostoribus, qui ita vendebant suas blanditias. Nunc sequitur,

8. Et ponam faciem meam in viro illo, *(vel super virum illum)* & ponam illum *(alii vertunt, perdam eum, in puncto dextro loco puncti sinistri: sed lectio illa melius convenit, ponam eum)* in signum & proverbia: & excidam eum è medio populi mei: & cognoscetis quod ego Jehovah.

Hic Deus addit executionem simul paratam fore, ubi veri Prophetæ vindictam denunciaverint. Nam profani homines semper sibi fabricant inanes fiducias: & quum Deus minatur, dicunt tantum esse tonitru sine fulmine. Quoniam ergo minaces prophetiæ nihil aut parum movent reprobos, ideo nunc Deus ostendit se non modo responsurum quod audire nolent, sed sensuros ipso effectu quam vere loquutus fuerit. Et hoc jam debuit colligi ex proxima sententia. Ubi enim Deus per se respondet, neque mentitur, neque verberat aërem minacibus verbis, sed denunciat quod suo tempore implere atque exequi statuit. Nunquam ergo Deus in se respondet, quin vaticinio conjunctus sit effectus. Sed stupidiores sunt hypocritæ, quam ut hoc agnoscant, nisi clarior explicatio fuerit adhibita. Hæc igitur ratio est cur Propheta nunc concionetur de effectu. Dicit igitur, *ponam faciem meam super virum illum.* ubi Deus ore nobis maledicit, hoc quidem sufficit ad interitum: sed plus voluit hoc loco exprimere, nempe ubi Prophetæ fuerint iræ ejus præcones, & admoniti fuerint hypocritæ de pœnis quæ eos manent, jamque impendent, tunc manum ejus simul prodituram. Faciem autem ponere dicitur qui insurgit contra aliquem, vel qui in certamen descendit, & manus conserit. Sic etiam pronunciat Deus se fore adversarium omnibus reprobis, qui ita conati fuerint ipsum eludere. Dicit, *ponam illum in signum & proverbia.* Gravitatem pœnæ designat his vocibus. Nam interdum castigat Deus hominum delicta, sed vulgari & usitato more. Ubi autem pœna excitat admirationem omnium, & portento similis est, illic Deus profert signum suæ vindictæ non communi modo, ut loquuntur. Hoc ergo intelligit Propheta: & hinc etiam simul admonet quam detestabile crimen sit deficere à puro Dei cultu. Nam castigat Deus & furta, & scortationes, & ebrietatem, & fraudes, & rapinas: sed non semper tam rigide, ut pœna sit quasi portentum, & omnium animos ad se convertat. Ergo ex pœnæ gravitate colligitur atrocitas sceleris. Jam addit, *in proverbia.* Hæc sententia sumpta est ex Lege, quemadmodum Prophetæ qui sunt Mosis interpretes, verba quoque ab ipso mutuantur. *Deut. 28. vers. 37.* Dicitur autem *esse in proverbia*, cujus clades ita celebris est, ut vulgo omnes jactent ubi de clade aliqua agitur, nullam esse parem, vel magis horribilem. Sed משל etiam accipitur pro ignominia: quasi diceret non fore modo materiam sermonis toti populo, sed nomen ipsorum fore obnoxium contumeliis & probris. Tandem addit, *& excidam eum è populo meo.* Hoc omnium gravissimum est. Tollitur enim spes misericordiæ. Posset aliquis ad tempus esse in portentum: deinde posset jactari ejus calamitas vulgaribus proverbiis: neque tamen Deus ut est exorabilis, deleret eum hominem è numero suorum. Ubi autem exciditur quispiam è populo Dei, jam desperata est ejus salus. Non frustra autem toties repetitur hæc sententia, *cognoscetis quod ego Jehovah*, inquit, quoniam ut ante vidimus, semper obtendunt sibi velum hypocritæ, ut existiment nihil sibi fore negotii nisi cum Prophetis. Atqui secure contemnunt homines mortales. Deus ergo hic insculpit notam verbo suo, ut sciant ipsum loquutum esse, & experiantur etiam effectum sermonis ex ejus manu. Sequitur,

9. Et Propheta quum deceptus fuerit, & loquutus fuerit sermonem: ego Jehovah decepi Prophetam eum: & extendam manum meam super ipsum, & delebo illum è medio populi mei Israël.

Hic occurrit Deus stultæ cogitationi, qua implicitæ erant multorum mentes. Quum enim haberent suos impostores ad manum, putabant quasi objecto clypeo repelli posse omnes Dei minas, Nobis quidem Jeremias & Ezechiel minantur: sed habemus alios qui bona spe nos demulcent: promittunt omnia fore nobis læta & prospera. Quum ergo duo aut tres duntaxat nos destituant spe salutis: alii autem, & quidem longe plures numero promittant nos fore salvos: non est cur animos despondeamus. Quum ergo ita objicerent suos impostores veris Prophetis, & imaginarentur quendam conflictum, in quo prævalerent imposturæ, & Dei veritas succumberet: dicit, non est cur vos decipiant blanditiæ pseudoprophetarum. Nam si dicitis illos quoque præferre nomen & munus Propheticum, respondeo vestra culpa ipsos errare. Ego enim ipsos decipio, quia sic meretur vestra impietas. Hoc adhuc posset esse obscurum: sed exemplo familiariter exponere conabor. Hodie videmus ut in dissidiis multi sese eximant ab omni metu, & promittant sibi impunitatem, si abjiciant omnem curam Dei, O, quid mihi cum religione?

ligione? quia hoc modo accersitur molestia: quisquis volet inter istas dissensiones & certamina serio se totum Deo addicere, ingredietur labyrinthum. Quum ergo multi hoc modo se putent fore immunes à culpa, etiamsi Deum rejiciant, posset hæc doctrina in ipsos converti. Sunt quidem hodie dissidia in Religione quæ multos conturbant: sed putatisne id temere accidere? O nescimus utram partem sequi expediat: quærite. Deus enim non ita laxavit habenas Satanæ, & ejus ministris, ut fortuito turbetur Ecclesia, & alii alios oppugnent. Quum autem hoc fiat justo Dei judicio, certum est neminem posse falli, nisi qui sponte fallitur. Nam Propheta sumit illud principium ex Mose, quoties emergunt pseudoprophetæ, hanc esse probationem fidei, & sinceræ pie-
Deut. 13. vers. 3. tatis: Tentat te (inquit Moses 13. capite Deuteronomii) Deus tuus an ipsum diligas. Quum ergo nullus pseudopropheta surgat nisi justo Dei judicio: deinde quum Deus velit discernere sinceros suos cultores ab hypocritis: sequitur neminem posse hoc prætextu excusari, quod alii aliud dicant. Nam si id non fit nisi justa ordinatione Dei: Deus autem vult experimentum capere ut dictum fuit, de servis suis & filiis: quum pseudoprophetæ ita miscebunt omnia, & obducent tenebras claræ luci, nemo qui vere & ex animo Deum quæret implicabitur ipsorum decipulis. Sed longius adhuc progreditur Ezechiel, nempe ut jam prius attigi, omnes imposturas & errores non temere nasci, sed prodire ex populi ipsius ingratitudine. Nisi enim ipsis tam cupide libuisset accersere sibi falsas prophetias, Deus hauddubie ipsis pepercisset. Quum ergo ita undique scaturiebant pseudoprophetæ, & tanta ubique erat eorum copia, hinc colligi poterat, populum dignum esse talibus imposturis. Nunc ergo tenemus Spiritus sancti consilium, ubi Deus pronunciat se esse auctorem omnium errorum, quos tunc spargebant pseudoprophetæ. Neque enim satis esset tenere quid verba sonent, deinde elicere summam Propheticæ doctrinæ: sed attendere convenit ad Spiritus consilium. Cur ergo hoc dicat Propheta jam exposui, nempe ut Israëlitæ desinerent tergiversari more suo: si dubii penderent inter varias opiniones, hoc non debere ipsis imputari in crimen. Respondet enim, pseudoprophetas ideo tantum sibi licentiæ sumere, quia dignus erat populus qui excæcaretur. Et in summa dicit grassari Satanæ mendacia non temere, nec arbitrio hominum: sed quoniam Deus justam mercedem
2 Thess. 2. v. 11, 12. ingrato populo & perfido rependit: sicuti dicit Paulus efficaciam erroris divinitus immitti, ubi homines amplecti malunt mendacium quam veritatem, nec se Deo subjiciunt: sed potius excutiunt ejus jugum. Nunc ergo quisquis objectu simplicitatis volet sibi veniam dari, quod non acquiescat Dei verbo: hæc responsio in promptu est, nempe Deum esse, cujus justo decreto sic omnia miscentur. Quum ergo Satan obtenebret lucem quoties nebulæ sparguntur ad turbandos infirmos, hic audimus Deum esse auctorem, nempe quoniam ita meretur hominum impietas. Nam Propheta non hic disserit profano more de absoluta Dei potentia, ut loquuntur: sed quum proponit in medium nomen Dei, sumit illud pro confesso, Deum non oblectari tali perturbatione, dum scilicet pseudoprophetæ arripiunt ejus nomen. Certum est igitur, Deum non oblectari tali ludo. Sed quærenda est causa ut statim videbimus. Causa non semper manifesta est: verum extra controversiam hoc fixum sit, Deum juste in homines animadvertere, dum ita dissidiis scinditur vera religio, & veritas obscuratur mendaciis. Tenendum est, Deum non sævire tyrannico modo, sed exercere justum judicium. Cæterum hic locus interea docet nullas exoriri vel imposturas, vel fraudes, nisi Deo volente. Est quidem illud primo intuitu absurdum. Videtur enim Deus secum ipse pugnare, dum licentiam Satanæ permittit, ut sanam doctrinam pervertat: si hoc fit Dei arbitrio, videtur sibi esse quasi contrarius. Sed veniat semper nobis in memoriam, Dei judicia non abs re vocari profundam abyssum, ne *Psal. 36.*
scilicet sicuti hodie videmus protervos homines fa- *vers. 6.*
cere, velimus metiri nostro sensu quod longe superat etiam sensum Angelicum. Sobrie ergo & reverenter judicandum est de operibus Dei, præsertim de arcanis ejus judiciis. Sed modo adsit reverentia & modestia, facile erit hæc duo simul conciliare, quod scilicet Deus Ecclesiam suam gignat, & foveat, & tueatur, & confirmet Prophetica doctrina: interea vero eam distrahi intestinis dissidiis, & quasi lacerari sinat. Quare? Sic enim sibi moderatur, ut quoties visum est pœnam exigat de sceleribus hominum ubi abuti eos videt sua bonitate & indulgentia. Quod ergo Deus lucem suæ doctrinæ accendit, hoc signum est inæstimabilis ejus misericordiæ. Quod autem Ecclesiam suam turbari patitur, atque etiam quodammodo discerpi, hoc imputandum est sceleribus hominum. Quicquid sit, pronunciat, *se decipere pseudoprophetas*, quia Satan non posset verbum unum proferre nisi quatenus ei permissum est: neque id modo, sed quatenus jubetur, dum exercet Deus vindictam suam contra reprobos. Alio modo dicit Je- *Jere. 20.*
remias se fuisse deceptum, Ego deceptus sum: sed *vers. 7.*
tu Jehovah decepisti me. Illic enim ironice loquitur. Nam quum improbi homines jactarent vaticinia ejus totidem esse deliria, & deriderent quasi hominem insipidum & fatuum: dicit, Si ego sum deceptus, tu Domine decepisti me. Videmus ergo eum perstringere salsa ironia petulantiam eorum qui spernebant ejus prophetias, denique illic ostendit Deum sibi esse auctorem suæ doctrinæ. Sed hoc loco sine figura pronunciat Deus se decipere pseudoprophetas. Si quis nunc excipiat, nihil magis esse remotum à natura Dei, quam decipere, responsio in promptu est. etsi enim asperior est metaphora, tamen scimus Deum ad se transferre catachristicôs quod proprie
in ipsum non competit. Dicitur ridere impios. atqui *Psal. 2.*
scimus hoc non esse consentaneum ut subsannet, ut *vers. 4.*
rideat, videat, obdormiat. Ita & hoc loco fateor *& 37:13.*
impropriam esse loquendi formam: sensus tamen non ideo ambiguus est, Deo auctore spargi omnes imposturas: quoniam Satan verbulum unum ut dixi, nunquam proferet, nisi jussus fuerit à Deo. Sed fallendi modus qualis nobis describitur in sacra Histo-
ria, solvet melius hunc nodum. Nam quum Achab *1 Reg. 22.*
haberet magnam catervam pseudoprophetarum, so- *2 Chr. 18.*
lus autem Michah staret firmus, & fideliter exequeretur quod Deus mandaverat, attrahitur ad regem Achab: statim ille efflat suas jactantias, Ecce Prophetæ omnes mihi præsagiunt victoriam: respondet ille, Vidi Deum sedentem in solio suo, & quum omnes exercitus cælestes præsto essent, quæsivit Deus, Quis decipiet Achab? Et spiritus sese obtulit, diabolus scilicet, Ego decipiam, quia ero spiritus mendax in ore omnium Prophetarum. Respondet Deus, Egredere, & fac ita. Postea sequitur, Posuit ergo Dominus mendacium in ore omnium Prophetarum. Illic distincte nobis ostenditur qualiter dementet pseudoprophetas Deus, vel fallat, nempe quoniam Satanam emittit, qui ipsos mendaciis suis repleat. Quum ergo aguntur à Satana patre mendacii, quid possent nisi mentiri & fallere? Hoc autem totum dependet ex justo Dei judicio, quemadmodum locus ille docet. Deus ergo non immediate, ut ita loquar, decipit, sed per Satanam & impostores, qui tamen organa sunt ejus vindictæ. Si quis confugiat ad putidam illam distinctionem jubendi & permittendi, facile ipso contextu refellitur. Neque enim poterit vocari nuda permissio ubi Deus ultro quærit qui decipiat Achab, deinde ubi ipse jubet Satanam egredi, & ita facere. Sed postremum illud membrum quod recitavi, tollit omnem ambiguitatem,

quod

quod scilicet Deus mendacium posuerit in ore Prophetarum, hoc est, suggesserit omnibus pseudoprophetis mendacium. Si suggessit Deus, videmus non tantum ejus permissu volitasse Satanam, & sparsisse suas imposturas: sed quoniam Deus volebat uti ejus opera, sicuti etiam hac lege, & in hunc finem sese illi obtulerat. Sed reliqua differemus in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando tam faciles sumus ad errandum, ut in tenebris hujus mundi semper nobis præluceat tua veritas: interea etiam apertis oculis in eam intenti simus, & subjiciamus nos tibi vera docilitate, ut tam verbo tuo, quam Spiritu gubernati, compleamus cursum nostrum, & tandem perveniamus ad beatam illam quietem, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO TRIGESIMA NONA IN EZECHIELEM.

VIdimus proxima lectione quo consilio Deus permittat tantum licentiæ pseudoprophetis, ut decipiant populum. Nam homines cuperent rejicere culpam errorum suorum in Deum, nisi obviam iretur ipsorum proterviæ. Sed pronunciavit Deus hoc loco, justum hoc esse judicium, quod excæcarentur tam exules, quam Judæi qui residui remanebant in urbe. Hinc colligere promptum fuit nullam esse excusationis causam, quum manus Dei impio & scelerato populo adversa esset. Nunc adjungit se tamen fore vindicem, quia delebit è medio populi pseudoprophetas. Videtur hoc primo intuitu non esse consentaneum, ut Deus homines impellat ac præcipitet in errorem, deinde pœnas de illis exigat: & quemadmodum jam dixi, homines existimant se immunes à culpa, si ipsos Deus excæcat, conjicit in reprobum sensum, & projicit etiam in cupiditates impias. Atqui jam admonui perperam eos facere, qui æstimant Dei judicium ex proprio sensu. Quantulus enim est modulus intel-
Psal. 36. vers. 6. ligentiæ nostræ? judicia autem Dei sunt abyssus profunda. Itaque nihil restat nisi ut diem illum expectemus, quo videbimus facie ad faciem quæ nunc cernimus obscure, & in ænigmate, ut dicit Paulus. 1 Cor. 13. vers. 12.
Quicquid sit, Deus recte facit quum pseudoprophetas decipit, ut ita pœnas sumat de impio populo: deindè quum ipsos pseudoprophetas in judicium suum vocat, etiam illud est irreprehensibile. Quod si obstrepant homines pro sua temeritate & audacia, Deus seipsum ab omnibus eorum calumniis asseret. Quare diligenter notemus hunc locum ubi pronunciat Deus se eum esse, qui decipit: quia utcunque Satan machinetur suis mendaciis abolere veritatem: nihil tamen posset satagendo, nisi quantum Dominus permittit, sicuti prolixe illud exposuimus. Sed quum pseudoprophetæ ad pœnam trahuntur, non est cur expostulent cum Deo: atque etiam suis querimoniis nihil proficient, quia ipsos damnabit propria conscientia. Non possunt Deo objicere se fuisse ab ipso coactos, aut violenter tractos. Sponte enim & data opera conati sunt miseros homines trahere in exitium suis mendaciis. Quum ita sit, juste extendit manum suam Deus ad sumendas de ipsis pœnas quemadmodum nunc dicitur. Sed pergamus ad proximum versum:

10. Et ferent iniquitatem suam: sicut iniquitas sciscitantis sic iniquitas Prophetæ erit.

Hic clarius docetur quod tantum una in parte Ezechiel attigerat. Dixerat enim, tandem pseudoprophetas pœnam daturos: sed nunc conjungit illis totum populum: & simul repellit inanes prætextus, quibus semper homines libenter culpam suam tegerent. Nam quum iniquitatem eorum nominat, perinde est acsi vetaret amplius tergiversari. Hoc igitur modo tollit Deus omnes cavillationes, quibus homines subterfugere solent: nempe quia suis ambagibus nunquam consequentur, quin sibi conscii sint suæ iniquitatis. Nam quum Deus verba facit, ut est scrutator cordium, protrahit in medium arcanos hominum sensus. Quamdiu hypocritis negotium est cum hominibus, facile ipsos eludunt: deinde induunt varios colores, quibus sese eximant à culpa. Sed ubi Deus ipsos compellat, necesse est ut penetret ejus sermo usque ad reconditas eorum cogitationes. Nunc ergo tenemus quantum sit momenti in hac voce ubi Deus dicit, *portabunt iniquitatem suam*. Jam adjungit, *iniquitas sciscitantis erit tanquam iniquitas Prophetæ*. Diximus improprie transferri ad impostores nomen Propheticum, quod sacrum est. Sed Deus per concessionem ita sæpe loquitur: & hoc modo tollit offendiculum, quo turbantur infirmi. Nam quum audiunt superbe jactari titulum illum à nebulonibus, qui sermonem Dei non tantum obscurant, sed pervertunt, moventur, nec sine causa. Nam quicquid divinum est debet nos serio afficere ad reverentiam. Atqui Prophetæ sunt Spiritus sancti organa. Ergo nomen illud meretur tantum dignitatis, ut qui Propheta censetur, eum ne quis contemnat. Sed quia Deus exercet suos, deinde excæcat reprobos, quemadmodum diximus, quum pseudoprophetas immittit: ne labascat fides piorum dum audiunt profanari sacrum illud nomen, per concessionem dicit; Age nominentur Prophetæ, neque tamen intelligit vere, & reipsa debere censeri Prophetas, qui falso gloriam illam sibi arrogant. Jam veniamus ad utrumque membrum, *erit iniquitas sciscitantis sicut iniquitas Prophetæ*. Jam dictum fuit de iniquitate eorum qui velut Satanæ mancipati mendaciis suis conantur & cultum Dei & puram doctrinam pervertere. Quum ergo propositum illis sit pugnare cum Deo, nullo modo excusabilis est eorum iniquitas. Sed de populo moveri adhuc quæstio posset, quam etsi ante solvimus, iterum tamen repetere quædam expediet. Dicit ergo pœnæ obnoxios fore qui fuerint decepti à pseudoprophetis, ut eandem pœnam simul sustineant. Videtur quemadmodum dixi, illud esse durum: sed antehac Propheta docuit, populum una cum impostoribus juste eadem pœna involvi, nempe quia volens & sciens errabat. Nam si ex animo se Deo addixissent, & passi fuissent se regi tum à Spiritu ejus, quam à Legis doctrina, haud dubie exempti fuissent ab errore. Deus enim suorum curam gerit, neque ita prostituit ludibriis impiorum: sed munit eos prudentia & fortitudine Spiritus sui. Qui ergo falluntur, recipiunt justam vel ignaviæ suæ, vel superbiæ, vel ingratitudinis mercedem. Multi enim vix dignantur inquirere quænam sit Dei voluntas: alii autem despiciunt tanquam è sublimi quicquid profertur Dei nomine. Nam freti proprio sensu, non nisi ægre recipiunt & admittunt quod aliunde docetur. Quoniam ergo ita sunt indociles, digni sunt illa quam dixi mercede. Alii etiam sunt

Deo ingrati. Suffocant enim ejus doctrinam, & scientiam rerum cælestium, imo contaminant & polluunt quod sacrum erat: ita fit ut Deus juste conjungat discipulos cum magistris, ubi ulciscitur sacrilegium illud de quo vidimus, nempe quod evertitur sacra doctrina. Sed plus exprimit Ezechiel, quum dicit *populum fuisse sciscitatum*. Habebant enim quos consulerent, & qui certam approbationem dederant suæ vocationis. Si ergo fuissent dociles, haudubie non ita cupide ad pseudoprophetas se contulissent. Quo itaque hac in parte major fuit eorum diligentia, eo etiam magis apparuit eorum crimen, quod data opera Deum repudiarent & servos ejus, se ad pseudoprophetas transferendo. Tenemus nunc summam hujus sententiæ. Superest ut singuli in usum suum applicent quod hic dicitur. Papistæ existimant se bis & ter esse absolutos si aliunde fuerint decepti. Atqui ex opposito clamat Christus, Si cæcus cæcum ducat, Mat. 15. non esse mirum si ambo in foveam cadant. Causa hic vers. 14. exprimitur, quia utcunque simplicitatem obtendant qui ita falluntur, minime tamen dubium est, quin obliquo & perverso studio fugiant lucem, & appetant tenebras. Hinc itaque fit, *ut iniquitas sciscitantis sit tanquam iniquitas Prophetæ*. Sequitur,

11. Ut non errent amplius domus Israël à me, (*de post me, ad verbum*) & non polluantur amplius in cunctis sceleribus suis: ut sint mihi in populum, & ego sim illis in Deum, dicit Dominator Jehovah.

Hic Deus ostendit non aliud esse remedium, si velit ad salutem revocare eos, qui jam fere perierant: & simul etiam docet utile esse Ecclesiæ, ut castigentur qui ita impie ab ipso defecerant. Interdum contingit, ut Dominus fulminet, ac exerceat usque ad extremum rigorem sua judicia, interim non resipiscant homines, sed maneant obstinati. Imo pœnæ quas Deus infligit reprobis, ipsos in profundius exitium demergunt. Quare? Accumulant enim sibi graviores pœnas qui ita seipsos obdurant adversus manum Dei: neque cedet reprobis impune non subiisse jugum ubi Deus ipsorum duritiem & contumaciam volebat corrigere. Sed hic Deus se non ita severum fore denunciat, quin simul consulat suorum saluti. Alioqui enim poterat hæc absurditas multos turbare, quod Deus ita exitio destinaret tam populum, quam pseudoprophetas. Hoc enim modo visus fuit irritum facere fœdus suum. Sed prævenit hanc quæstionem, & dicit, quum ita graves pœnas exiget de contemptoribus verbi sui, & de apostatis, fore rigorem illum Ecclesiæ utilem. Nunc ergo tenemus ejus consilium, quum dicit, *ne errent amplius domus Israël:* quia alioqui insanabilis erat eorum pertinacia: ac nisi Deus serio ipsos expergefecisset, nunquam sponte fuissent reducti in viam. Hic ergo oblique perstringit Deus populi ipsius duritiem, quod scilicet non posset aliter erudiri quam pœnis. Nam oportet filios esse immorigeros qui dum pater ipsis blanditur, & indulget, ipsum contemnunt, & deteriores redduntur indulgentia. Hoc ergo nunc conqueritur Deus, nempe fere intractabiles esse filios Israël, quia non sustineant erudiri nisi ad summum usque rigorem descendat. Fuit enim illud plusquam triste spectaculum, veritatem Dei corrumpi, & adulterari mendaciis: deinde populum una cum impostoribus rapi in ultimum interitum. Sed nunc audimus fuisse illud unicum remedium, quia indomabiles erant filii Israël, nisi quodammodo fracti fuissent. Jam adjungit, *à me:* quæ loquutio notanda est. Nam hinc colligimus, simulac tantillum deflectimus à sequendo Deo, vagari post errores. Nunquam ergo tenebimus rectam viam, nisi Deum sequamur, hoc est, nisi intenti simus ad scopum quem nobis proponit: deinde nisi oculi nostri etiam sint conjecti in viam quam demonstrat, ne deflectamus vel ad dextram vel ad sinistram. Ita erimus extra errandi periculum si Deum sequamur: ex opposito si mentes nostræ se convertunt in hanc vel in illam partem, & non retinemur in unius Dei obsequio, Propheta docet nos vagari in erroribus, & tandem infeliciter nobis hoc cessurum. Quum autem loquitur de domo Israël, non complectitur sine exceptione qui originem ducebant à Jacob. Nam & pseudoprophetæ, & qui ab illis consilium & responsa petebant, erant ex progenie Jacob, & nomen habebant in genere illo. Sed jam vidimus quid de ipsis decretum esset, nempe ut perderet ac deleret eos Deus è medio populi sui. Videmus ergo illos non comprehendi sub progenie Abrahæ vel domo Israël: sed restringitur hoc ad residuum populi, cui Deus volebat parcere. Scimus enim semper relictum fuisse aliquod semen, ut maneret firmum & sanctum fœdus, quod pepigerat cum Abraham. Proprie ergo spectat hæc sententia ad electos, qui ideo vocantur à Paulo reliquiæ Rom. 11. gratiæ. Dicit autem Deus exemplum illud fore utile vers. 5. apud superstites, quia erudiet ipsos aliorum pœna: atque dum videbunt pseudoprophetas perire, & in illorum interitu agnoscent insigne Dei judicium, tunc proficient. Nunc tenemus quid velit Propheta, quum scilicet perdentur tam pseudoprophetæ quam hypocritæ, qui contemptis veris Prophetis, sese prostituebant impostoribus fallendos: quum ergo Deus edet in illis specimen suæ vindictæ, Propheta dicit domum Israël fructum percepturam ex illorum pœna: quasi diceret, proficient aliorum dispendio. Jam adjungit, *Et ne polluantur amplius in cunctis suis sceleribus.* Hic consulto amplificat eorum crimen, quo magis illustretur Dei misericordia. Nam si tantum leviter deliquissent, non ita fuisset mirum illis ignosci. Atqui Propheta hic sceleratos pronunciat, nec eos damnat unius tantum sceleris, sed multorum: dicit *fuisse pollutos & contaminatos in illis sceleribus.* Quod ergo extenditur ad ipsos Dei misericordia, hinc certe colligimus quam sit inæstimabilis. In summa discamus ex hoc loco, Deum non miseris tantum hominibus veniam dare quum leviter deliquerunt per incogitantiam, vel errorem, sed esse quoque placabilem fere perditis qui convicti erant multorum scelerum. Dicit, *ut sint mihi in populum, & ego sim illis in Deum.* Jam adoptaverat Deus totum semen Abrahæ & omnes ad unum erant circumcisi: atque ita gestabant in carne sua testimonium & fœdus paterni Dei favoris. Quum ergo jam essent Dei populus, & reputarentur tanquam Ecclesiæ membra, quid hoc sibi vult, *fore illos in populum?* Deus enim videtur aliquid novum illis promittere. Sed hac loquendi forma notatur eorum defectio, & simul docet Propheta quid meriti sint. Quamvis enim Deus ipsos dignatus fuisset tanto honore, ut locum haberent in electo populo: seipsos tamen abdicaverant sua pravitate. Nam quia apud ipsos tota religio corrupta erat, cultus Dei profanatus, tota Lex fere sepulta, abdicati erant à Deo, quantum in ipsis erat, sicuti postea videbimus. Ex parte Dei firma adoptio manebat: sed hic Ezechiel respicit qualis sit eorum conditio, si in seipsis respiciantur, nempe quod alieni jam sint, quoniam sua improbitas eos abdicaverat: ideo tanquam de novo beneficio loquitur, quum dicit *fore ipsos in populum*, ubi resipuerint. Hoc clarius poterit intelligi ex secundo capite Hoseæ, ubi dicitur, Vo- Hos. 2. cabo populum meum, non populum meum: & vers. 23. dilectam, non dilectam. Propheta enim jussus fuerat descendere in lupanar, & accipere scortum, & ex ea gignere filios: dicit filium sibi fuisse genitum, cui Deus nomen imposuit לאעמי, non erit

popu-

populus meus: deinde quum nata etiam fuit filia, indigna fuit amore. Illic Hoseas significat Judæos esse quasi resectos à sancta radice, & loquitur non de uno aut altero, sed de gente tota. Erant ergo non populus Dei, & non dilecta filia. Postea ubi reconciliantur, iterum incipiunt esse Dei populus, & di-
Rom. 9. vers. 25. lecta filia. Paulus ad vocationem Gentium non temere sententiam illam accommodat, nempe quia nullum erat discrimen inter Judæos & Gentiles ex quo priores illi erant quasi rejectitii. Quicquid sit, videmus eos qui in populo Dei locum & nomen habebant, & quos Deus sibi elegerat, abdicari sua culpa, ita ut sint quasi extranei. Itaque de integro incipiunt esse Dei populus ubi resipiscunt, & ipsos Deus recipit in gratiam. Summa est, ut fœdus meum quodammodo renovetur, ego ipsos restituam in integrum, *ut sint mihi populus* quemadmodum olim erant: *& sim illis Deus*, quoniam sua defectione meriti erant, ut ipsos pro extraneis ducerem. Cæterum, memoria repetere convenit quod alibi diximus, sub his verbis contineri quicquid ad solidam felicitatem pertinet. Nam si Deus nos agnoscit in suo populo, certi sumus de nostra salute: quemadmodum ubi pronunciat se nobis esse in Deum ubi à nobis invocatur tanquam pater. Atqui quisquis in- *Joel 2.*
vocaverit nomen Domini salvus erit. Deinde te- *vers 32.*
nenda est illa celebris sententia Prophetæ Habacuc, *Actor. 2.*
Tu Deus noster, non moriemur. Denique nihil aliud *vers 21.*
nobis optandum est ad plenitudinem bonorum *Rom 10.*
omnium, & fiduciam vitæ æternæ, quam ut Deus *vers 13.*
censeat nos in populo suo, ut vicissim nobis pateat li- *Habac 1.*
ber aditus ad ipsum invocandum. Sequitur, *vers. 12.*

12. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

13. Fili hominis, terra quum scelerate egerit erga me prævaricando prævaricationem (*vertunt:* מעל *significat proprie perfidiam: prævaricando ergo prævaricationem*) & extendero manum meam super eam, & confregero in ipsa baculum panis, & immisero in ipsam famem, & excidero ex ipsa hominem & jumentum: (*debet contexi proximus versus. Nam quidam interpretes sensum Prophetæ omnino pervertunt quum illic finiunt sententiam, acsi dictum esset, extendam manum meam super ipsam, &c. Atqui pendet sententia, ut videbimus.*)

14. Et fuerint tres viri isti in medio ejus, Noë, Daniel, & Joh, ipsi in justitia sua eripient (*vel liberabunt*) animas suas, dicit Dominator Jehovah.

Hic rursus minatur Deus populo Israëlitico ultimum interitum. Videntur inter se pugnare hæc verba, Deum fore misericordem populo suo & propitium, tamen nullam relinqui spem veniæ. Sed tenendum est illud principium, Prophetas interdum sermonem dirigere ad corpus populi, quod prorsus erat devotum exitio, sicuti desperata erat ejus malitia: postea tamen temperare rigorem illum, dum se convertunt ad residuam aliquam partem, quæ est semen Ecclesiæ in mundo, ne extinguatur Dei fœdus, sicuti dictum fuit. Ergo quum occurrit talis species repugnantiæ, sciamus Deum nihil reprobis spei bonæ facere, quia jam ipsos perdere decrevit: ita sermo ille conferri debet in corpus populi, quod jam alienatum erat, & erat quasi putridum cadaver. Ubi autem Deus admiscet vel interserit aliquod testimonium suæ gratiæ, sciamus illic respici Ecclesiam, & semen illud quod vult manere residuum, ne si pereat tota Ecclesia, simul aboleatur ejus fœdus. Propheta ergo sicut antehac nunc quoque ubi sibi proponit populum illum desperatæ malitiæ, dicit non esse amplius sperandum, ut Deus more suo clementer agat, quia quodammodo necessitas ipsum cogat ultimam manum apponere perdendis impiis. hæc est
Jere. 15. vers. 1. summa. Similem locum vidimus apud Jeremiam capite 15., ubi dicebat, Si steterint coram me Moses & Samuel, non est animus meus ad populum hunc: hoc est, nunquam fiet, ut redeam in gratiam cum hoc populo etiamsi intercedant Moses & Samuel, & suo patrocinio conentur veniam impetrare. Locum illum stulte Papistæ detorquent, ut probent mortuos pro nobis intercedere. Pridem enim vita defuncti erant Moses & Samuel. Dicit autem Deus, etiamsi deprecentur pro populo, irritas fore eorum preces. Sed locus hic refellit crassam illam inscitiam. Neque enim illic Deus ponit discrimen inter vivos & mortuos: sed species est prosopopoeias, quæ suscitat è sepulchro Mosen & Samuelem, acsi diceret, etiamsi hodie viverent Moses & Samuel, & agerent inter istos sceleratos, nunquam ipsos exaudirem. Nam hic tres nominat Ezechiel, Noë, Joh, & Danielem. Atqui Daniel tunc erat superstes, tractus fuit in exilium: & vixit usque ad ultimam senectutem, ut satis notum est. Deinde clarius exprimit quid sibi velit, ubi dicit, *si fuerint in medio urbis, ipsi quidem salvi evaderent*, sed pro aliis non essent deprecatores. Summa est igitur, Deum omnem spem misericordiæ abscindere reprobo populo. Sed notanda est loquendi forma qua utitur: commemorat quatuor pœnarum species, quibus solet ulcisci hominum scelera: sed distincte ponit illas species, *Si confregero baculum panis*, inquit, *quia terra à me defecerit, & immisero famem, Daniel, & Job, & Noë servabunt animas suas, sed aliis nihil proderit* eorum sanctimonia: deinde adjungit, *Quod si immisero gladium*, hoc est, si persequar bello impios, *etiam Daniel, & Job, & Noë animas suas eripient, sed aliis non erunt deprecatores.* Idem pronunciat de peste, & feris animalibus. Tandem ratiocinatur à minori ad majus: quum autem, inquit, simul persequutus fuero gentem aliquam fame, peste, gladio, & truculentis animalibus, quanto minus Daniel, & Joh, & Noë sua intercessione apud me proficient? Atqui Deus jam addixerat domum Israël omnibus pœnis, nempe acsi profunderet omnes suas maledictiones instar diluvii ad ipsos perdendos. Ergo concludit non esse cur foveant spem aliquam, quia incumbit ipsis interitus. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Jam veniamus ad primam speciem, *Si terra*, inquit, *impie egerit contra me*, vel scelerate se gesserit, חטא: si ergo scelerate se gesserit, *sed prævaricando prævaricatione.* His verbis crimen perfidiæ discernitur ab errore: quia sæpe homines labuntur, & à Deo procul discedunt, quia nesciunt quænam via tenenda sit. Verum hic Propheta perfidiæ damnat defectionem populi: quasi diceret, ipsos data opera & deliberata malitia à Deo fuisse alienatos, quia probe edocti erant qualiter colendus esset Deus. Quanquam Propheta in genere adhuc loquitur: sed voluit tamen exprimere non vulgarem iram Dei. Sæpe enim Deus vel peste, vel gladio, vel fame castigabit hominum peccata, neque tamen erit implacabilis. Verum hic loquitur de populo desperato, & qui jam æterno exitio sit addictus. Dicit ergo, *prævaricando prævaricatione*, hoc est, fallendo mihi fidem manifesta & crassa perfidia. Deinde, *& extendero manum meam super illam, & confregero baculum panis, & immisero in ipsam famem, & excidero ab ipsa hominem & jumentum.* Hic sicuti admonui, unam tantum pœnæ speciem

ciem

ciem attingit. Quatuor enim modis solet Deus ultionem suam proferre contra homines. Et Prophetæ, ut sæpius auditis, mutuari solent à Mose docendi formam. Istæ autem quatuor Dei maledictiones passim in Lege referuntur, bellum, fames, pestis, deinde impetus & truculentia bestiarum. Jam ergo incipit Propheta à fame. Sed modum famis designat, *si Deus confregerit baculum panis.* Aliquando enim quamvis non redigat homines ad penuriam, sufflat tamen in panem, ita ut nullum inde vigorem colligant qui putabant sibi suppetere alimentum. Sed hoc secundum proprie nunc intelligit Propheta, quemadmodum ante vidimus 4. & 5. capite. Est autem concinna metaphora in voce baculi. Sicuti enim claudi non incedunt nisi innitantur baculo: senes etiam, quia sunt tremuli, necesse habent tali fultura: ita paulatim vires hominum evanescunt, nisi recuperent novum vigorem ex cibo & potu. Panis ergo est instar baculi, quia vires nobis restituit, quæ inedia debilitatæ erant. Jam veniamus ad verbum *confringendi.* Quomodo confringit Deus baculum panis? nempe ubi retrahit quod indiderat alendi munus: quia vis illa quam percipimus ex pane, non est intrinseca. Hoc dico, panem naturaliter præditum non esse ea virtute, ut vegetet homines, ac vitam illis inspiret: quare? vita caret panis: quomodo igitur vitam inde quisquam percipere? Sed nota est doctrina Legis, Non solo pane vivere hominem, sed sermone qui procedit ex ore Dei. *Deut. 8. vers. 3.* Illic Moses significat, etiamsi Deus pani infundit virtutem alendi, hoc tamen non esse pani tribuendum, acsi virtus illa esset inclusa in pane. Quid igitur? nempe quatenus Deus pani inspirat arcanam virtutem, nos sustinet ac reficit, & nobis est alimentum. Ex adverso dicitur Deus confringere virtutem panis, ubi subducit illam arcanam gratiam: quia quemadmodum jam dixi, ubi panem gustamus, statim debent mentes nostræ consurgere ad Deum, quandoquidem homines si se millies ingurgitent, tamen non sentient in pane esse repositam sibi vitam. Ergo nisi Deus pani inspiret alendi virtutem, tunc panis est vacuus: poterit nos replere, sed sine ullo profectu. Nunc ergo tenemus quid sibi velit hæc loquutio, de qua tamen iterum aliquid dicendum erit.

Da omnipotens Deus, quando nobis tam clare affulges Euangelii tui doctrina, in qua Filius tuus se nobis familiariter proponit: ne claudamus oculos ad hanc lucem, vel prava curiositate huc & illuc divertamus, sed maneamus in simplici obedientia, donec tandem peracto hujus vitæ cursu, perveniamus ad plenitudinem lucis, quum scilicet nos transformabis in gloriam tuam per eundem unigenitum Filium tuum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA IN EZECHIELEM.

JAm aliqua ex parte exposuimus Prophetæ consilium, ubi dicit *si Deus immiserit famem in terram, & illic fuerint Job, & Noë, & Daniel*, illos quidem fore salvos, sed terram perituram, quoniam decreverit eam perdere. Porro modum famis descripsit quum diceret, *ubi confregero baculum panis:* quia etiam in maxima copia tritici homines quamvis non esuriant, non habebunt tamen quo se reficiant, quia panis duntaxat ipsos onerabit. In summa, significat Deus famem, etiamsi contingat ex causis naturalibus, prodire tamen ex suo judicio. Nam pluviis continuis putrescit semen in terra, ariditas etiam consumit quicquid est succi vel substantiæ. Deinde si grando vastet segetes, apparent manifestæ causæ famis, quæ deinde sequitur. Sed altius respicere convenit, quia sicuti Dei largitate alimur, ita nunquam laboramus penuria, nisi dum ipse manum suam retrahit. Jam veniamus ad proximum versum, *Si fuerint tres viri isti omnium justissimi in terra, tantum animas suas liberabunt.* Non exprimitur quidem exclusiva particula, sed ex contextu facile erit colligere esse Prophetæ sensum: quasi diceret fixum fore Dei decretum ubi statuerit, terram aliquam prorsus affligere. Quæritur tamen cur hic Noë, & Job, & Danielem potius nominet, quam vel Abraham, vel Jacob, vel Davidem, vel alios. Qui volunt esse arguti excogitant varia commenta, nempe quod Noë non eripuerit mundum è diluvio, sed filios suos & nurus servavit. Non igitur quadraret exemplum. Quantum ad alios spectat, dicunt Job non liberasse suos filios, quod omnes fuerint fulmine consumpti. Sed idem etiam aliis contigit. Deinde Abraham communis fuit pater populi: neque tamen potuit à Dei vindicta eripere suos posteros: imo apud Jeremiam
Jere. 31. vers. 15. describitur mortua Rachel, quod lugeat filios suos, neque admittat consolationem, quod nulli sint superstites. Videmus ergo illud esse frigidum. Alii dicunt tres istos viros quasi tres diversas vitas esse expertos, quod scilicet Noë vixerit ante diluvium, viderit horribilem vastitatem totius terræ, & tandem sequuta sit mundi renovatio. Dicunt etiam Job floruisse in prospera fortuna, deinde spoliatum fuisse bonis omnibus, fuisse orbatum liberis, fuisse tabe & sanie confectum, ita ut esset potius cadaver, quam vivus homo, & quasi postliminio restitutum fuisse. Deinde Danielem vixisse Hierosolymæ, fuisse tractum in captivitatem, & illic vixisse in exilio: tandem vidisse exordia restitutionis populi, quum illa inopinata mutatio contigit, & Babylonica Monarchia transiit ad Persas. Hæc primo intuitu videntur esse arguta: sed quicquid est affectatum semper est frigidum & jejunum. Simpliciter ergo hic tres viros nominat Ezechiel, quia primi occurrebant. Nam tenendus est locus ille Jeremiæ quem heri citavi, *Jere. 15. vers. 1.* ubi dicitur, Si steterint coram me Moses & Samuel, non exaudiam eos pro salute populi. Cur Jeremias Mosen & Samuelem potius nominet, quam alios, moveri posset quæstio. Quid illi arguti speculatores dicent? Videmus ergo non esse adeo scrupulose excutienda singula, quoniam sufficit tenere Spiritus sancti consilium. Tres ergo viri hic ponuntur qui sanctitate erant celebres. Vivebat tunc adhuc Daniel: alii multis ante seculis erant mortui: sed omnium integritas omnibus erat manifesta. Perinde igitur est acsi diceret, etiamsi veniant qui vel sunt, vel fuerunt perfectissimi inter homines, illi tamen nihil proficient si velint deprecari pro terra, quæ jam exitio destinata est. Sed videtur absurdum quod dicit Propheta, *salvos fore propter suam justitiam.* Nemo enim reperietur, cujus justitia consistat coram Dei tribunali. Nam si Deus ad rationem vocet homines, nemo est qui non teneatur convictus, quemadmodum etiam Scriptura sæpius docet: & experientia plus satis convincimur. Videtur ergo hic Propheta nimis extollere merita operum quum liberationis causam tribuit hominum justitiæ. Sed solutio facilis est, nempe justitiam hanc, cujus fit mentio, non separari à gratuita venia, quæ reconciliat Deo homines, ita ut peccata illis non imputentur.

tentur. Nam quod quidam dicunt justos fuisse fide, hoc non expedit quæstionem, & prorsus est coactum. In justitia sua liberabunt animas suas, id est, in fide sua, inquiunt. Atqui ubi Deus alloquitur
Genes. 7. vers. 1. ipsum Noë cap. 7. Geneseos, & dicit eum fuisse repertum justum illa ætate, non intelligit præditum fuisse fide, hoc esset nugatorium. Minime igitur dubium est, quin commendet sanctimoniam & integritatem in servo suo. Ita etiam hoc loco sub voce *justitiæ* intelligit timorem Dei, (in quo fundatæ sunt omnes virtutes) & castitatem, & temperantiam, & quicquid pertinet ad regulam sancte & juste vivendi. Sed interea hoc nihil derogat justitiæ fidei. Nam fideles justi censentur coram Deo, & justa etiam censentur eorum opera, non proprio merito, non quod afferant ejusmodi perfectionem coram Deo, quæ ipsis conciliet favorem, & in qua consistant: sed quia Deus indulgenter pro sua paterna clementia illis ignoscit: & ita probat eorum justitiam, quæ alioqui repudiari merito posset. Exempli gratia, Phinees reputatus est justus, quoniam ultus fuerat Sanctuarii
Num 25. vers. 7, 8. contumeliam. Quum ergo zelo accensus Phinees sustulit è medio scortatorem una cum scorto, hac de causa, ut dicitur in Psalmo, reputatus fuit justus. *Psal. 106. vers. 31.*
Atqui illud non sufficeret ad justitiam hominis: quia actus unus specialis non reddet hominem justum. Non potuit ergo Phinees censeri justus uno illo titulo, sed dum opus ejus gratum Deo fuit, hoc quoque nomine fuit justum. atqui severo examine damnatum quoque fuisset opus illud, utpote vitio aliquo infectum, & ita per se justum non fuisset. Verum quia Deus filiis suis indulget, quemadmodum diximus, ideo accepta habet eorum opera, sicut eos quoque pro justis agnoscit, neque tamen quod id vel sua dignitate vel proprio merito consequantur. Nam principium justitiæ de qua nunc agitur, est gratuita reconciliatio qua sepeliuntur omnia vitia fidelium: unde fit etiam, ut ipsorum integritas quamvis non sit perfecta, Deo tamen placeat. Videmus ergo hæc facile conciliari, quod liberentur homines in sua justitia, & tamen salus etiam temporalis non sit nisi à mera Dei misericordia. Nam ubi præcessit gratuitus Dei favor, hinc fit ut similiter agnoscat pro vera justitia quod tamen per se esset mutilum & quasi dimidium. Nunc sequitur,

15. Si bestiam malam transire fecero per terram, & orbaverit eam, & fuerit vastitas ut nemo transeat propter bestiam. (*id est, bestias: est enim enallage numeri*)

16. Tres viri isti in medio ejus, vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si filios & filias liberabunt: ipsi soli liberabuntur, & terra erit in vastitatem.

Nunc secundam speciem commemorat. Diximus enim hic referri quatuor Dei flagella, quæ magis familiariter propter frequentem usum nota sunt hominibus. Sunt autem fames, & feræ bestiæ, & bellum, & pestis. Loquutus est Propheta de fame: nunc descendit ad feras bestias. Hæc quidem species rarius in Scriptura ponitur. Nam sæpe duntaxat recenset Deus gladium, pestem, & famem: sed ubi distincte recenset sua flagella, addit etiam truculentas bestias. Nunc ergo dicit, *si immiserit feras bestias, quæ terram devastent, & fuerint Noë, Job, & Daniel in terra illa, fore quidem immunes à communi clade, sed justitiam ipsorum nihil profuturam aliis.* Exprimit autem paulo clarius quod obscure propter brevitatem dixerat quum de fame ageret: *Si bestiam malam*, inquit, *transire fecero, & orbaverit terram, ut sit in vastitatem, eo quod nemo transeat propter feras bestias, Vivo ego*, inquit, *si tres viri isti liberent filios ac filias suas.* Hic autem locus docet quod nuper attigi de fame, nempe bestias non irrumpere fortuito, ut grassentur ac sæviant contra homines, sed divinitus immitti. Ita Deus judicium suum exequitur non minus per leones, & ursos, & tigres, quam per pluvias, per siccitatem, per gladium, & pestem. Et certe hoc cognosci potest, si apud nos reputemus quanta sit rabies in ipsis bestiis: primum ubi fames ipsas exagitat, feruntur horribili impetu: atque ut nulla necessitas cogat, sunt tamen inimicæ humano generi: nec dubium est quin se projicerent ad laniandos obvios quosque, nisi arcano Dei instinctu retinerentur. Si ergo Deus compescit bestias, ita etiam emittit quoties ita visum est, ut truculentiam suam exerceant contra homines, ut hoc modo sint ejus flagella. Hic autem jusjurandum interponitur, ut Deus fidem faciat hujus sententiæ. Jurat ergo Deus per vitam suam. Sic enim resolvi debet hæc loqutio, *vivo ego*, hoc est, juro per vitam meam. Est quidem hoc improprie dictum, sed alibi vidimus Deum jurare per animam suam: id vero perinde est acsi juraret per seipsum, quia non habet majorem, ut dicit Apostolus, per quem juret: & quoties ju- *Hebr. 6.*
ramus per Dei nomen, deferimus illi summum im- *vers. 13.*
perium, & ita profitemur vitam nostram esse in manu ejus, ipsumque esse unicum judicem. Quum ergo per seipsum jurat, simul etiam admonet profanari suum nomen si juramus per alios: deinde ostendit quanta religio adhibenda sit in juramentis. Sequamur ergo Dei exemplum ubi sermo noster confirmatione indiget, ut scilicet advocetur testis & judex: deinde ne temere ac falso arripiamus ejus nomen, sed jusjurandum nostrum vere testimonium sit nostræ pietatis. Sed hic etiam exoritur quæstio, quomodo dicat Deus terram perituram quæ semel subjecta fuerit feris bestiis? Nam aliquando feræ bestiæ infestæ fuerunt multis regionibus, & statim Deus illas frenavit: sic earum crudelitas transiit instar procellæ. Deinde scimus non semper esse supervacuas preces sanctorum, ubi pro aliis supplicant. Videtur ergo Deus hic negare rem manifestam. Sed solutio facilis est. Quum enim non exerceat sua judicia modo æquabili, sed vario: & nunc pœnas acceleret, nunc suspendat, nunc animadvertat in peccata hominum, nunc dissimulet: non figit hic sibi certam legem, cui semper sit obstrictus: sed loquitur de terra quam destinavit exitio. Deus ergo percutiet regionem unam fame, alteram bello, tertiam peste, quartam feris bestiis, & tamen poterit mitigare suum rigorem: poterit ubi cœperit homines terrere, statim retrahere manum suam. Sed si simul decretum sit, terram aliquam perdere, frustra accurrent omnes sancti, quia nemo erit idoneus intercessor, nempe ad abolendum decretum illud inviolabile. Tenemus ergo nunc Prophetæ consilium. Neque enim generaliter loquitur de terris quibuslibet, sed eam terram designat, quæ addicta sit ultimæ perditioni. Sequitur,

17. Vel gladium transire fecero super terram illam, & dixero gladio, Transi per terram, ut excidatur ex ea homo & jumentum.

18. Et tres viri isti in medio ejus, vivo ego, dicit Dominator Jehovah, non liberabunt filios & filias, quia ipsi soli liberabuntur.

Descendit nunc Propheta ad tertium genus pœnarum. Dicit ergo Deus, *si gladium immittat super terram, non posse exorari, quin eam penitus consumat*, neque se admissurum ullam hominum intercessionem, quamvis sanctissimi illic habitent, nempe Job, & Noë, & Daniel. Sed notanda est loquutio qua utitur, *si dixero gladio, Transi ut extermines totam terram, ut deleatur*, vel excidatur *ex ea tam homo quam jumentum*: quia hinc colligitur quanta sit vis arcanæ Dei gubernationis. Putamus enim bella temere moveri: & quemadmodum homines tumultuantur, ita etiam imaginantur nihil in bellis esse nisi confusum & turbulentum. Atqui Deus pro inæstimabili sua sapientia etiam bella moderatur, & homines ipsos cum eorum gladiis: insaniunt homines: gladii dum volitant per eorum manus videntur versari temere in hanc & in illam partem cæco impetu. Atqui Deus hic pronunciat se mandare gladiis, ut transeant, quo excidantur tam homines quam jumenta. Si diceret, quemadmodum pluribus locis occurrit illa sententia, se homines armare, non esset adeo mirum. Nam passim apud Prophetas vocat Chaldæos & Assyrios exequutores sui judicii. Hinc sententia illa Jeremiæ, Maledictus qui fecerit opus Dei negligenter. (*Jere. 48. vers. 10.*) Atqui opus illud Dei erat clades Hierosolymæ. Sic etiam Nebuchadnezer vocatur servus Dei & minister, quum vastaret Ægyptum: & Deus promittit mercedem ejus labori. (*Eze. 29. vers. 20.*) Sed hic longius progreditur Ezechiel, non tantum dirigi manus hominum quo Deus vult, sed etiam ipsorum gladios exaudire arcanum ejus imperium, ita ut non transeant neque feriant ullum hominem, vel ullum animal, nisi quatenus Deo placet. Quod si ita Deus imperat gladiis, sciamus quoties homines contra nos insurgunt, hoc modo vel exerceri nostram patientiam, vel castigari nostra peccata: & impios esse Dei ministros: ac statuamus nos nihil proficere fremendo & obstrependo: quia unum remedium est, humiliare nos sub forti Dei manu. Sequitur nunc quartum genus:

19. Vel pestem immisero in terram illam, & effudero iracundiam meam super ipsam in sanguine, ad perdendum (*vel excidendum*) ex ea hominem & jumentum.

20. Et Noë, Daniel, & Job in medio ejus, vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si filium & filiam liberaverint: ipsi in justitia sua liberabunt animam suam.

Idem nunc de quarto genere pœnarum affirmat quod hactenus pronunciavit de reliquis. Dicit ergo, si pestem immiserit, & addixerit terram vastitati, salvos quidem fore Job, & Danielem, & Noah, si illic habitent: sed ne filiis quidem ac filiabus profuturam eorum justitiam. Imo videtur nunc restrictius loqui, quia singularem numerum substituit loco pluralis. Dixerat enim paulo ante, non liberabunt filios nec filias: nunc autem, *non liberabunt filium nec filiam*, hoc est, non tantum apud me valebunt, ut sua intercessione vel unicum filium à morte eripiant, vel unicam filiam. Jam tenendum memoria est quod dixi, hic non referri quid semper agere soleat Deus. Est enim multiplex & varia ratio penes ipsum in exercendis judiciis. Ergo fas non esset legem imponere, ne liberaret, & pro suo arbitrio vel exaudiret suorum preces, vel repudiaret. Sed hic tantum significat, ubi statuerit perdere terram aliquam, non fore locum veniæ, quia ne sanctissimi quidem impetrabunt, ut ab ira sua & vindicta desistat. Jam vero sequitur conclusio:

21. Quoniam sic dicit Dominator Jehovah, Quanto magis quum quatuor judicia mea mala, gladium, & famem, & bestiam malam, & pestem immisero contra Hierusalem, ad excidendum ex ea hominem & animal?

22. Et ecce evasio in ea residua, (*hoc est, manebit in ea aliquid residuum quod evadet*) evasio egredientium, (*inquit*) nempe filii & filiæ: ipsi egredientur ad vos: & videbitis vias ipsorum, & opera ipsorum: & consolationem sumetis super malo quod venire fecero super Hierusalem, super omni quod venire fecero super eam.

Nunc ratiocinatur, ut initio dictum fuit, à minori ad majus. Hactenus dixit, si telum unum duntaxat protulero ad sumendam de hominibus vindictam, nemo obsistet, quin exequar quod decrevi: deinde quatuor tela seorsum numeravit. Jam adjungit, Quid ergo, ubi simul coacervavero omnes pœnas, neque tantum immisero pestem, vel gladium, vel famem, sed quasi exercitus quatuor habuero paratos & instructos, & jussero circumquaque grassari in perniciem hominum: quomodo vel unus evaderet? Si Job, & Daniel, & Noë non possint eripere filios & filias tantum ab uno flagello, quomodo à quatuor simul eriperent? Videmus ergo Deum hic abscindere falsas spes & frustratorias, quibus pseudoprophetæ ludebant miseros exules quum pollicerentur reditum in patriam, & quotidie clamarent fieri non posse, ut sancta urbs, quæ erat domicilium terrestre Dei caperetur ab hostibus, & concideret religio quam Deus promiserat fore æternam. Quum ergo pseudoprophetæ ita deciperent miseros exules, hic ostendit Deus longe ipsos errare dum ullam spem adhuc fovent in animis suis: quia non tantum exeret unum genus flagelli contra Hierosolymam, sed una congerie ipsam aggredietur, ut perdat & excidat ex ea tam animalia quam homines. Hæc igitur summa est. Nunc dicit, *si immisero quatuor judicia mea mala*. Hic Deus *judicia sua* vocat mala quo sensu dicit apud Jesaiam se creare bonum & malum, (*Jesa. 45. vers. 7.*) quia illic continuo post mentem suam exprimit, vitam & mortem, inquit. Malum ergo hic vocatur quod nobis adversum est: & ita hoc epitheton debet referri ad sensus nostros. Nam sensus communis naturæ dictat bonum esse quicquid est expetibile, & quicquid nobis conducit: cibus est bonum, vita est bonum, deinde pax est bonum: denique quicquid vitæ nostræ utile est, & quicquid naturaliter optamus vocamus bonum. Sic etiam ex opposito mors est malum, fames est malum, nuditas est malum, inopia, ignominia: quare? quoniam horremus quæ nobis non conducunt: & quia refugimus, simul etiam occurrit ratio, quod illa sint mala. In summa, hic malum non opponitur justo, vel recto, sed tantum refertur, quemadmodum dixi, ad opinionem hominum & sensum naturæ. Jam confirmat quod ante diximus, nempe hæc esse judicia Dei, ubi sæviunt in nos hostes, grassatur pestis, laboramus annonæ penuria, feræ bestiæ in nos irrumpunt. Quum igitur hæc tristitia nos afficiant, discamus statim descendere in nos ipsos, & agnoscere causam cur Deus ita nobis sit infensus. Nam si conjicimus sensus nostros in gladium, in pestem, & famem, sumus similes canibus, qui lapidem in se projectum arrodunt & mordent, nec interea respiciunt manum ejus qui projecit, sed tantum suam rabiem conferunt in lapidem.

dem. Talis est etiam stupor noster, ubi conquerimur infestam esse nobis famem, molestas esse feras bestias, bellum esse horribile. Itaque semper nobis in mentem veniat hic locus, hæc esse *mala Dei judicia*, hoc est, esse flagella, quibus peccata nostra castigat, & ita ostendit se nobis esse adversum & infestum. Jam subjicit, *erit residua in ipsa evasio.* Hunc versum adversative exponunt, acsi Deus per modum correctionis subjiceret se tamen clementius acturum cum urbe illa, quam si tantum uno genere flagelli terram aliquam percuteret. Sic ergo exponunt, quamvis simul concurrant quatuor hæc flagella, tamen mitigabo rigorem vindictæ, quoniam aliqui salvi evadent, & pervenient usque ad vos. Hic sensus fere omnibus placet. Ego tamen dum propius expendo consilium Prophetæ, non possum subscribere: quia videtur potius Deus hic confirmare quod ante dixit, se justum esse vindicem scelerum, dum ita duriter agit contra Judæos. Quo res magis liqueat, videndum est qualis fuerit exulum conditio. Certe deterior, quam si semel defuncti essent una morte. Quotidie enim moriebantur: deinde quum ejecti essent è terra sancta, similes erant mortuis. Exilium ergo illud fuit tristius morte, quia præstabat sepeliri in terra sancta, quam inter homines profanos. Quum itaque permixti essent canibus, non fuit illud vivere, protrahere miseram vitam inter continuos languores: & si adempta fuisset spes restitutionis, (de qua nunc non agitur, & ad quam ne syllaba quidem una potest trahi) exilium per se erat instar mortis. Quum ergo hic dicit Propheta *residuos fore aliquos, qui evadant*, non intelligit fore incolumes. Itaque nihil hoc ad pœnæ mitigationem. Nam sicuti ante visum fuit, & præsertim apud Jere-
Jere. 22. vers. 10. miam, qui cito moriebantur erant minus deplorandi. Denique hic Propheta quum dicit venturos Babylonem aliquos, non promittit illis veniam, acsi Deus esset illis propitius, vel ipsos respexisset: nihil tale. Loquitur enim de reprobis, & qui gestabunt in fronte manifestum impietatis suæ signum, & tota vita ostendent se esse perditos, & dignissimos ultimo interitu. Nam dicit, *Veniet aliqua evasio egredientium, tam filii quam filiæ venient ad vos* inquit, *& videbitis vias ipsorum, & opera ipsorum*, hoc est, videbitis homines esse tam sceleratos, ut ipsa eorum improbitas cogat vos fateri urbem illam dignam fuisse, quæ periret, & ipsos etiam esse dignos interitu. Nam verbum *consolandi* quod continuo post addit Propheta, huc refertur, quod scilicet cognitio scelerum pacabit eorum animos, qui ante fremebant, & obmurmurabant Deo. Neque enim consolationem illam intelligit, de qua proverbium est vulgare, habere multos socios: sed duntaxat placidam agnitionem justæ Dei vindictæ, in qua acquiescant decem Tribus. Nam antequam viderent quales essent incolæ urbis Hierosolymæ, putabant Deum esse nimis rigidum: & hinc fremitus, & querimoniæ adversus Deum. Propheta igitur nunc dicit, conspectus scelerum afferet vobis consolationem. Videbitis enim non potuisse aliter fieri, & fuisse dignos tali vindicta. Ergo ubi agnoveritis quam perdita sit eorum improbitas, simul pacatis & tranquillis animis prædicabitis meam justitiam, & ita desinetis ac cessabitis inducere vestras querimonias, quæ animos vestros nunc huc & illuc exagitant. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando passim hodie exerces in mundo tua judicia, & multæ regiones peste, aliæ autem bello vexantur: ut quantisper nobis parcis proficiamus in malis & cladibus aliorum: deinde, etiamsi ad nos usque pertingant tua flagella, ne tamen simus obstinati, sed subjiciamus nos tuo judicio, & vere humiliati veniam petamus cum serio pietatis studio: ut ita reipsa vere agnoscamus, & sentiamus te nobis esse propitium patrem, donec tandem fruamur amore tuo in regno cælesti per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA PRIMA

IN

EZECHIELEM.

DIximus hesterna lectione, quum Dominus pronunciat aliquos se facturum residuos, perdendo Hierusalem, id non spectare ad ejus misericordiam, quasi ita moderatus fuerit rigorem suæ vindictæ. Nam exilium non fuit illis optabilius morte: & hoc colligitur ex contextu: quia Deus hic verba non facit de electis. Nulla est enim mentio resipiscentiæ, quin potius significat causam suæ vindictæ perspicuam fore in illorum sceleribus. *Videbitis ergo & sumetis consolationem*: quia non poterant subscribere Dei judicio exules, qui tunc agebant in Chaldæa. Sed ubi viderunt fratres suos tam perditis esse moribus, conspectus scelerum valuit ad consolationem, hoc est, ad pacandos ipsorum animos. Idem repetit ultimo versu capitis:

23. Et consolabuntur vos, quia videbitis vias ipsorum & opera ipsorum: & scietis quod non frustra fecerim quæcunque feci in ea, dicit Dominator Jehovah.

Verbum consolandi ponit nunc in tertia persona, sed eodem sensu, nempe quod Judæi postquam in exilium abducti fuerint, gestabunt certas & illustres notas justitiæ Dei in suis sceleribus. Hæc igitur est consolatio, quemadmodum heri exposui, dum agnoscunt exules non posse Deo adscribi sævitiam, quasi modum excesserit in pœnis exigendis. Sic enim flagitabat desperata populi improbitas. Hic autem locus continet utilem doctrinam: quia inde colligimus nos nunquam esse tranquillis animis, nisi ubi in judiciis Dei apparet & se oculis nostris repræsentat summa æquitas & justitia. Quamdiu ergo non agnoscimus Deum justis de causis severum esse, necesse est animos nostros turbari & torqueri. Ideo illis turbulentis cogitationibus opponitur consolationis nomen. Quod si nihil miserius est quam circumagi, & trahi huc & illuc, imo etiam anxie torqueri, sciamus eos optime profecisse qui acquiescunt in Dei judiciis, & quamvis non perspiciant eorum rationem, ea tamen modeste adorant. Sed ubi Deus ostendit cur tam severe vel nos, vel alios tractet, hoc est singulare beneficium, quia materia gaudii & tranquillitatis nobis offertur. Pergamus:

Cap. XV.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Fili hominis, quid erit (*vel quid est*) lignum vitis præ omni arbore rami, (*ramosa*) quæ est inter arbores sylvæ?

3. An sumetur ex eo (*nempe ligno*) lignum ad formandum, ut sit opus, vel an sument (*ad verbum, in sumendo, hoc est, si sumant*) ex eo paxillum, ut suspendatur in eo omne vas? (*id est, qualecunque vas.*)

4. Ecce in ignem traditur (*vel conjicitur*) ad consumptionem, duas extremitates ejus consumpsit ignis, & medium ejus exustum est, (*id est, postquam consumpserit ignis, &c*) an utile erit ad opus?

5. Ecce, quum esset integrum non factum fuit (*hoc est, non formatum fuit, vel aptatum*) ut esset opus: quanto magis postquam ignis consumpsit ipsum & exaruit, (*vel exustum fuit, ut prius*) formabitur adhuc ut sit opus?

Consilium Prophetæ est prosternere stultam confidentiam populi, qui perinde gloriabatur gratuitis Dei beneficiis acsi natura sua excelleret: hinc etiam tanta obstinatio contra minas. Nam quum acriter ipsos objurgarent Prophetæ, ex opposito jactabant eximias dotes quibus ornati fuerant divinitus. Quasi vero armati essent Dei beneficiis ad resistendum ejus potentiæ. Scimus tamen ita fuisse excæcatos. Quum ergo morbus ille grassatus fuerit in populo, non mirum est si Prophetæ multis locis refutent tantam stultitiam. Similitudine autem hic utitur Propheta, ut ostendat Judæos non excellere à seipsis, sed precario duntaxat, quoniam dignatus fuerit eos Deus præclaris beneficiis. Quum ita sit, facile refellitur eorum arrogantia, dum opponunt Deo suam præstantiam, quasi esset ipsorum propria, & non gratuitum Dei donum. Sed tenenda est similitudo, qua utitur Ezechiel, *quidnam est vitis præ arboribus sylvarum?* Certum est, vitem ferre optimum fructum, & ideo præferri aliis arboribus: imo flos vitis spirat suavissimum odorem: sed fructus qui inde nascitur, vitis excellentiam commendat. Cæterum, si lignum ipsum respicitur, nulla est elegantia. Est enim lignum vitis deforme, non assurgit in aliquam proceritatem: deinde tenue est, gibbosum, & tortuosum. Si quis ergo vitem aspiciat, vix dignabitur numerare inter arbusta. Si vero confertur vitis cum arboribus, certe nullam habet dignitatem: sed in arborum præstantia facile agnoscitur aliquid quod vites omnes obruat. Nam ubi oculos conjicimus in arborem frondosam, simul in admirationem rapimur: vitis autem jacet quasi ante pedes. Si ergo confertur arbor cum ligno vitis, laudabitur ob pulchritudinem: vitis autem spernetur tanquam lignum humile & abjectum. Hinc colligit Deus, Judæos non alia ratione aliis esse excellentiores, nisi quia ab ipso plantati
Jesa. 5. sunt, sicuti multis locis dicit apud Jesaiam, Vinea mea, ego te plantavi: deinde Psalmo 80., Vineam suam transtulit ex Ægypto, plantavit eam & propagavit usque ad mare. Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium, nempe quod Judæi excellant quidem dotibus, sed non natura, neque à seipsis, sed gratuito Dei beneficio. Quod si aliæ gentes veniant in comparationem, major erit illarum dignitas, quam Judaici populi. Et scimus alias gentes floruisse tam artibus, quam opulentia, multitudine hominum, bellica virtute, & aliis omnibus. Erant ergo profanæ gentes tanquam arbores excelsæ, quæ eminent, & omnium oculos ad se trahunt. Judæi autem erant instar vitis, qui plantati Dei manu plus merebantur laudis, quam arbores sylvarum, quæ sunt infructuosæ. Jam prosequitur longius Ezechiel hanc comparationem, *Si vitis evulsa fuerit*, inquit, *an lignum ejus poterit aptari ad aliquem usum?* non fient trabes, non fient tabulæ ex vitibus, non fient ulla vasa, denique non fiet unus paxillus vel clavus unde suspendant vel pileum, vel caligas, vel aliquid simile. Quum ergo inutile sit lignum vitis ubi è terra sua evulsum est, nec aliud supersit, nisi ut exuratur: hinc Judæi commonefiunt suæ conditionis, quod scilicet pendeat eorum præstantia & dignitas à mero Dei beneplacito: quia sicuti eos plantavit, potest eos momento uno evellere: ubi autem evulsi fuerint, prorsus erunt inutiles & conjicientur in ignem: aliquis autem erit usus arborum. Sed Propheta tertium gradum ponit, quod scilicet si fasciculus sarmenti in ignem conjectus fuerit, & duæ partes extremæ fuerint exustæ, media autem exaruerit, multo minus utilitatis erit in parte illa ustulata. Nam quoniam ignis penetravit in ipsas medullas, quasi in pulverem solo tactu redigitur tale lignum, quod est quasi semiputridum. Postea ad urbem Hierosolymam accommodat quicquid dixit de vite. Ergo veniamus ad reliquum contextum,

Jerem. 2. vers. 21. Psal. 80. v. 9, 10, 11, 12.

6. Propterea sic dicit Dominator Jehovah, Quemadmodum lignum vitis in ligno sylvæ, quod posui (*conjeci*) in ignem ad consumptionem, sic dedi habitatores Hierusalem.

Hic ostendit Propheta cives Hierosolymæ fuisse in ignem conjectos, ex quo variis cladibus fuerunt afflicti. Etsi enim non statim prorsus consumpti sunt, extremitates tamen fuerunt exustæ. Nam tota regio in circuitu vastata fuit, & regnum Israël prorsus excisum: restabat Hierosolyma tanquam media portio fasciculi. Sed tot rebus adversis attriti erant incolæ Hierosolymæ, ut essent quasi lignum ustulando arefactum. Quum igitur ita sit, hinc cognoscitur quantus fuerit eorum stupor dum perstabant contumaces, quamvis Deus ita ipsos humiliasset variis modis. Nunc ergo tenemus summam hujus capitis. Sed excutienda sunt Prophetæ verba, *quid erit*, vel quid est *lignum vitis præ omni ligno*, alii vertunt, & palmite, alii vertunt, & labrusca: sed utrumque alienum est à mente Prophetæ. Neque enim nomen labruscæ hic potest habere locum. Quantum attinet ad palmitem, quid est dicere, & palmite, qui est in medio sylvæ? Palmites enim non seruntur in sylvis inter excelsas arbores. Sed quum nomen זמורה significet ramos, ut palmites, optime convenit vocari omnem arborem rami pro ramosa. *Quid est* igitur *vitis præ omni arbore ramosa quæ est inter ligna sylvæ?* Hic Propheta in medium producit arbores infructuosas, sed tamen quæ sua pulchritudine attrahunt oculos hominum: & ita significat, si Judæi se conferre velint cum profanis gentibus, non esse præstantiores aliqua dignitate, vel elegantia quæ illis ex natura vel ex seipsis proveniat. Hoc diligenter notandum est: & quamvis Deus aliquando adoptet eos

qui

qui & ingenio, & doctrina, aut bellica virtute, aut divitiis, aut potentia excellunt: tamen ut plurimum Ecclesiam suam colligit ex hominibus contemptis & in quibus non refulget magnus splendor, ut sint admirabiles coram mundo. In quem finem hoc facit Deus? posset enim electos suos formare ut essent modis omnibus & numeris perfecti. Sed quoniam nimium proclives sumus ad superbiam, necesse est nobis semper ante oculos proponi nostram infirmitatem, quæ nos ad modestiam erudiat. Nam si nihil in nobis resiperet infirmitatem, ipsa dignitas nos excæcaret, vel perstringeret nobis oculos, vel inebriaret nos falsa gloria. Ergo Deus vult nos esse inferiores profanis hominibus, ut discamus semper acceptum ei referre quod in nos gratuito contulit, nec arrogare nobis quicquam ubi ita ante oculos nobis versatur humilitatis materia. Sed quantum ad Judæos spectat, sicuti diximus, erant tanquam vitis, quia non erat naturalis ipsorum præstantia, sed extrinseca. Deus ergo ipsos quasi ex nihilo formaverat: & quamvis essent multis præclaris dotibus ornati, nihil tamen poterant sibi arrogare. *An sumetur*, inquit, *ex eo lignum ad formandum, ut sit opus?* Hic ostendit Deus Judæos aliis merito præferri, quoniam eos plantavit sua manu. Nam si evulsi fuerint à terra, ostendit fore lignum inutile, quod non possit ad ullam rem aptari. Et hac etiam similitudine Christus utitur quum ostendit non esse nobis radicem à

Joan. 15. v. 1, 2, 3, 4, 5, 6.

natura, neque succum, neque humorem, neque vigorem: quia sumus vitis à cælesti Patre plantata. Quod si nos evellat, jam nihil restare nisi ut in ignem conjecti prorsus exuramur. Denique ostendit Deus Judæos fore gentibus viliores, si abstulerit quod semel illis dedit. Interea admonet statum ipsorum nihil habere firmitatis nisi ex suo beneplacito. Nam si tantum dixisset Propheta, Judæos quicquid habent Deo debere, & hoc nomine esse obstrictos ejus liberalitati: poterant tamen adhuc sese efferre. Sed secundo loco adjungitur, ipsos quasi in diem manere salvos, quatenus scilicet illis Deus parcit, imo ipsos fovet, sustinet, ac tuetur. Hoc ergo intelligit Propheta quum dicit, *an sumetur ad formandum ut sit opus ex eo; vel sument ad paxillum, ubi suspendant vasa quælibet? Ecce*, inquit, *datum fuit in consumptionem: & duæ ejus extremitates aruerunt.* Hic quemadmodum dixi, varias calamitates designat, quibus Judæi fuerant prope afflicti, sed non subacti. Obduruerant enim in sua contumacia: & quamvis essent lignum ustulatum & putre, quasi tamen essent integri gloriabantur adhuc de adoptione, de pacto quod Deus percusserat cum Abraham: jactabant se esse sanctum genus, & sacerdotium regale. Deus exprobrat tantam socordiam quum dicit esse similes ligno ustulato, ubi fasciculus sarmenti in ignem fuerit conjectus, & aliquid residuum sit, quod ipso fumo tamen fuerit corruptum, ita ut nihil in ipso maneat vigoris: *Ecce*, inquit, *quum esset integrum non potuit formari ut esset opus: quanto minus postquam ignis illud consumpsit?* Hic prosequitur eandem sententiam. Si enim quis sumat partem aliquam sarmenti, quæ igne fuerit siccata, an poterit aptare ad aliquod opus? Si sumeret integrum sarmentum, ne id quidem idoneum foret ad formam recipiendam: tantum abest ut possit formare ex ligno tortido vel paxillum, vel aliquid tale. Si ergo ne paxillus quidem (*une cheville*) possit reperiri in sarmento integro: ubi lignum erit quasi instar favillæ, propterea quod arefactum fuit igni, quomodo ad usum accommodabitur? Jam sequitur applicatio, *Sicuti dedi lignum vitis*, inquit, *inter ligna*, in ligno sylvæ, ad verbum. Hinc colligitur quod prius dixi de ramo, convenire ipsis arboribus, non autem illic poni vel labruscam vel palmitem. Simpliciter enim nunc dicit, *in omni ligno sylvæ*. Dicit autem *lignum vitis esse in ligno sylvæ*, non quod vites illic soleant plantari: sed hoc ad comparationem refertur, hoc est, inter ligna, vel etiam ex omnibus lignis sylvæ: quia ubi cæduntur arbores, vel destinantur ædificiis, vel inde conficiuntur vasa, & tota supellex lignea sumitur ex arboribus, sicuti etiam materia ædium. Dicit ergo *dari lignum vitis in ligno sylvæ*, hoc est, in lignis sylvarum, quia sarmentum exuritur, quum scilicet non possit accommodari ad usum hominum: *sic dedi*, inquit, *cives Hierusalem.* Nunc postquam tenemus Prophetæ consilium, discamus etiam Spiritum sanctum sic olim Judæis fuisse loquutum, ut hodie prodesse nobis debeat hic sermo. Tenendum itaque in primis est, nos superiores quidem esse toto mundo, nempe gratuita Dei misericordia: sed naturaliter nihil habere proprium quo gloriemur. Quod si nos efferimus prætextu donorum Dei, hæc arrogantia non caret sacrilegio. Eripimus enim Deo laudem suam, & quasi nos vestimus ejus spoliis. Et Paulus quum de Judæis loqui- Rom. 3.
tur, breviter sed scite utrumque definit, Excellimusne, inquit? (Nam illic facit se unum ex populo) Dicit, excellimusne supra gentes? nullo modo: nam Scriptura denunciat omnes obnoxios esse peccato, omnes esse maledictos. Quum ergo simus filii iræ, inquit, non est quod nobis quicquam arrogemus præ gentibus profanis. Postquam ita prostravit omnem altitudinem gentis suæ, iterum repetit, Quid? an non excellimus? imo excellimus per omnem modum. Nam adoptio, & cultus, & Lex Dei, & fœdus nobis conferunt præstantiam singularem, & cui nihil reperietur in toto mundo simile. Quomodo hæc conveniunt? Judæos præstare, & aliis esse præferendos? & tamen nulla in re præstare? nempe quando in seipsis non habent cur despiciant gentes, vel jactent se meliores esse, non excellunt in seipsis, sed excellunt in Deo. Et ideo Paulus illic non commemorat eorum virtutes, sed dicit excellere gratuita adoptione, quia Deus pepigerit fœdus suum cum Abraham, & oriundi sint ex gente sancta, quia instituit certam pietatis regulam apud ipsos, quia pollicitus est se fore illis in Patrem: imo voluit inde prodire Christum, qui est lux mundi & vita. Videmus quomodo Judæi olim præstiterint: eadem hodie est nostra ratio. Quoties ergo nobis occurrunt dona Dei, quibus ad eum propius accedimus, & superamus mundum, simul etiam in memoriam veniat quales fuerimus, unde sumpserit nos Deus. Origo igitur nostra prosternet omnem arrogantiam, & efficiet ne ingrati simus Deo. Verum illud nondum sufficit: sed veniendum est ad secundum membrum, quod scilicet non tantum Deus mera gratia nos extulerit in tantam altitudinem, sed sustineat etiam: unde fit, ut status noster non sit fundatus in nobis, sed pendeat tantum ab ejus arbitrio. Ergo non tantum originis nostræ memoria humiliare nos debet, sed sensus nostræ infirmitatis. Unde colligimus in nobis nihil esse perseverantiæ, nisi quatenus Deus nos quotidie, imo singulis momentis confirmat, & prosequitur in nobis suam gratiam: hoc est secundum. Jam quod ad tertium caput spectat, si Dominus nos afflixerit, vel castigaverit suis ferulis, sciamus jam quasi violenter excuti nobis stultam confidentiam, qua nos decipimus. Sed hic etiam diligenter expendere convenit quod dicitur, *lignum vitis esse inutile, ubi est evulsum*, & præsertim ubi arefactum est. Nam quamvis intereant profanæ gentes, tamen non mirum est, si Dei judicia magis prodigiosa sint erga reprobos, qui locum obtinuerant in ejus Ecclesia, & qui locupletati fuerant spiritualibus ejus donis. Ingratitudo enim hæc meretur, ut simus aliis exemplo, ita ut totus mundus obstupefiat, quum in nobis conspicit tam horrenda signa iræ Dei. Hinc factum est, ut Judæi fuerint in sibilum, in horrorem, in stuporem, & maledictum profanis gentibus. Quare? Nam gravius exacerbaverant Deum quum erga ipsos tam liberaliter egisset, & fuissent non tantum ingrati

& per-

& perfidi, sed quasi data opera ipsum provocassent. Sed etiam contingit aliis reprobis. Ita hoc membrum diligenter notandum est, ubi Propheta dicit *lignum vitis conjici in ignem*, quamvis arbores ubi excisæ sunt emineant adhuc vel in ædificio, vel in supellectile. Jam sequitur,

7. Et ponam faciem meam in ipsos: ex igni egredientur, & ignis vorabit (*vel consumet*) eos: & scietis quod ego Jehovah, quum posuero faciem meam in ipsis. (*vel contra ipsos*)

8. Et ponam terram in vastitatem, quia transgressi sunt transgressionẽ, (*vel prævaricati sunt prævaricatione, ut alii vertunt, hoc est, perfide egerunt, vel perfidiose fuerunt perfidi*) dicit Dominator Jehovah.

Confirmat quod proximo versu dictum fuit, & simul explicat: siquidem cives Hierosolymæ retinebant aliquam formam, quia non erant redacti in pulverem: sed ignis exarserat in toto circuitu perinde acsi flamma lamberet fasciculum sarmenti. Quoniam tamen adhuc manebat illic sedes regia, manebat nomen populi, hinc illis obstinatæ malitiæ occasio. Fuerunt igitur indomabiles, quoniam non prorsus erant consumpti. Jam accessit etiam alia dementia. Nam simulatque elapsi erant ex aliquo infortunio, putabant se esse perfunctos, O jam tandem quiescemus. si hostis ab urbe discesserat, vel si non submissæ essent novæ copiæ, vel si annona deficeret hostilem exercitum, statim colligebant animos, nec respirabant duntaxat, sed superbe & Deum & ejus Prophetas ridebant, quasi essent extra omne periculum. Hac ratione nunc dicit, *posui faciem meam contra eos.* Ponere faciem, vel si quis malit stabilire, est constanter insistere, ita ut non tantum velut in transcursu aliquid agamus, sed maneamus illic donec impleverimus quod erat in animo. Itaque non male exponunt Prophetæ mentem qui dicunt, Obfirmavi faciem meam: non vertunt quidem ad verbum, sed hoc Deus intelligit. Sæpe enim castigat gentem unam vel urbem: & tamen faciem suam non ponit, hoc est, non insistit illic, sed quasi transiret in aliam partem leviter castigat, & exiguo tantum tempore. Hic autem aliud significat, *se positurum faciem suam*, quia scilicet nunquam desistet, donec prorsus abolitum fuerit nomen populi, quantum ad urbem ipsam. Diximus enim Prophetas loqui de præsenti statu populi, ubi minantur talem interitum. *Ponam* igitur *faciem meam contra eos: ex igne egredientur, & ignis ipsos vorabit.* Hic Propheta excutit Judæis stultam opinionem, qua seipsos fallebant. Si enim evaserant ab uno periculo, putabant hunc esse ultimum finem: hinc securitas, inde etiam obstinatio. Sed Propheta hic dicit, postquam egressi fuerint ex uno igne, novum ignem esse accensum, qui eos consumat. Significat denique diversas esse rationes in manu Dei, quibus populum deleat & extinguat: quemadmodum prius dixit se armatum esse & peste, & gladio, & fame, & feris bestiis, ita nunc sub ignis nomine comprehendit varia flagella. Si ergo homines elapsi fuerint à gladio, excipiet eos novus occursus, quia Deus premet illos fame, vel urgebit pestilentia, vel aliis modis: *& tunc cognoscetis*, inquit, *quod ego Jehovah, quum posuero faciem meam in ea.* His verbis significat non posse aliter gloriam ejus manere salvam, quoniam scilicet impunitas excæcabat Judæos: imo obdurabat ut essent tanquam bruta animalia. Si ergo illis pepercisset Deus, quasi obruta fuisset ejus gloria: & in tam longa conniventia non agnitus fuisset amplius pro Deo. Hanc necessitatem colligit tanti rigoris: quia nunquam aliter patefaceret se esse Deum, nisi perderet impios qui ita stupidi erant in suis peccatis quamdiu eos tolerabat. Tandem adjungit, *ponam terram in vastitatem, quia prævaricati sunt prævaricatione.* Hic etiam exprimit Deus, quamvis horribile fuerit illud judicium, tamen justum esse, quia Judæi non leviter deliquerant, sed perfidiose desciverant ab ejus cultu, & à tota Legis doctrina: & obstinati fuerant in illa sua ingratitudine. Quum ergo ita essent perditi, hinc colligitur Deum non fuisse nimis severum, ubi extremam manum apposuit ad ipsos delendos.

Da omnipotens Deus, quando non tantum nos segregare dignatus es à communi hominum turba, sed etiam reformare imaginem tuam in nobis: & dum conspicuæ sunt in nobis tuæ gratiæ, simul nos hortaris ad glorificandum nomen tuum: ut memores nostræ vocationis studeamus nos totos tibi addicere, & ita teipsum propriis & veris, ac debitis laudibus extollere, ut tandem participes fiamus gloriæ, ad quam nos invitas, & quæ nobis acquisita fuit sanguine unigeniti Filii tui, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SECUNDA
IN
E Z E C H I E L E M.

Cap. XVI.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Fili hominis, indica (*vel patefac*) Hierosolymæ suas abominationes.

3. Sic dices, Sic dicit Dominator Jehovah Hierosolymæ, Habitationes tuæ, & natales tui è terra Chanaan: pater tuus Amorrhæus, mater tua Hitthæa. (*& quæ sequuntur.*)

HOc caput continet valde asperas objurgationes contra populum Judaicum, qui residuus erat Hierosolymæ. Quamvis enim Ezechiel præfectus fuisset Israelitis, & Judæis exulibus, tamen voluit Deus ejus operam aliis quoque prodesse. Extenditur ergo nunc munus quod injunxerat Deus Prophetæ suo usque ad cives Hierosolymæ, quibus jubetur patefacere suas abominationes. Modus postea exprimitur, quum scilicet ostendit Deus qualis esset illius gentis conditio antequam complexus fuerit illam suo favore. Postquam autem sua beneficia quibus populum ornaverat recensuit, exprobrat ingratitudinem, & multis verbis, atque etiam diversis figuris ostendit, quam detestabilis fuerit eorum perfidia, quod ita à Deo desciverint, qui tam liberaliter cum ipsis egerat.

Hæc

Hæc igitur nunc suo ordine tractanda erunt. Quod jubetur Ezechiel *patefacere Judæis suas abominationes*, hinc colligimus, homines ita sæpe cæcutire in suis vitiis, ut non agnoscant quæ plus satis omnibus manifesta sunt. Et scimus populum illum superbia fuisse quasi ebrium. Jam suis quoque blanditiis sponte se excæcabat. Non mirum est igitur, quod jubet Deus in medium produci eorum abominationes, ut tandem sentiant se peccasse. Et hic locus notatu dignus est, quia putamus supervacuas esse admonitiones dum nos Deus quasi in lucem protrahit, & ante oculos nobis statuit nostra peccata. Nemo quidem est, quem non pungat propria conscientia, quando insculpta est omnium cordibus Lex Dei: & ita naturaliter discernimus inter bonum & malum: sed si reputamus quantus sit stupor noster in tegendis nostris vitiis, non mirabimur Prophetam cum hoc mandato prodire, ut scilicet abominationes nostræ nobis patefiant. Est enim non tantum frigida illa cognitio quam dixi, sed etiam multis tenebris implicita, ut qui sibi male conscius est, sponte tamen obstupescat dum sibi indulget. Deinde notandum est, Judæos ex parte fuisse ita coarguendos, quia placebant sibi in suis superstitionibus. Propheta enim ostendit, in eo maxime fuisse sceleratos quod relicta Dei Lege, se prostituerant idolis, & ita erexerant adulterinos cultus tanquam lupanaria: in eo autem sibi placebant: quemadmodum videmus hodie in Papatu colore illo tegi fœdissimas idololatrias, quod existimant cultum se Deo præstare. Non mirum igitur est, si Deus hic oblique perstringat populi Judaici stuporem & socordiam, quum *jubet patefieri abominationes*, quæ tamen satis omnibus notæ erant. Postea ut incipiat Deus ostendere quam impie se gesserit populus, revocat ipsos ad primam originem vel ad fontem sui generis. Sed notandum est, Deum varie loqui de illius populi origine. Nam aliquando commemorat qualis fuerit Abrahæ conditio antequam porrecta manu ipsum quasi ex
Josua 24. vers. 2.3. inferis traxisset in vitam, sicut ultimo cap. Josuæ dicitur, Pater tuus Abraham idola colebat quum Deus ipsum adoptavit. Aliquando autem principium sumitur ab ipso Dei fœdere, quum scilicet Abraham una cum posteris sibi elegit. Sed hoc loco Deus sumit tempus quo exigua hominum manus mirabilibus incrementis emersit in gentem: quamvis misere oppressi tunc fuerint in Ægypto. Nativitas etiam populi aliquando vocatur redemptio, quæ deinde sequuta est. Verum hic Deus dicit Judæos tunc fuisse natos quum incredibili modo pullularunt, quamvis tyrannide Ægyptiaca oppressi vix locum haberent inter homines vivos. Quod autem dicit de Judæis, communiter ad omnes Abrahæ posteros spectat. Neque enim alia fuit decem Tribuum conditio, quam Tribus Jehudah. Sed quoniam Propheta alloquitur populum adhuc superstitem, subjicit quod dicendum erat, si jussus fuisset perferre hoc mandatum tam ad exules aut captivos, quam ad cives Hierosolymæ. Quicquid sit, Deus hic pronunciat, *Judæos originem duxisse ex terra Chanaan, & ex patribus Amorrhæis, & ex matribus Hitthæis.* Hic objicitur quæstio, quum Deus ducentis ante annis adoptasset sibi Abraham, cur fœdus illud non veniat in rationem? Videtur enim hic non magnifacere fidem suam & constantiam suæ promissionis, quum Judæos rejicit tanquam progenitos ex Chananæis, vel Amorrhæis. Sed tantum ostendit quales in seipsis fuerint. Quanquam enim ipse nunquam à proposito destitit, nec electio unquam fuit irrita: tenendum tamen est, quantum ad populum spectat, non alio loco fuisse censendum, quam profanas gentes. Scimus enim ut in Ægypto sese corruperint. Quum ergo ita essent degeneres, nec quicquam simile haberent cum suis patribus, non mirum est si Deus illos dicat *genitos fuisse ex Chananæis & Amorrhæis*. Nam per Hoseam dicit omnes fuisse ge- *Hosea 2.*
nitos ex scorto, & locum nativitatis ipsorum fuisse *vers. 4.5.*
lupanar. Hoc autem metaphorice debet intelligi: quia hic Deus non exprobrat mulieribus quod fidem fefellerint suis maritis, & ita sustulerint adulterinam sobolem: sed simpliciter significat, Judæos indignos esse qui vocentur aut reputentur Abrahæ semen. Quare? quamvis enim Deus maneret firmus in suo fœdere, si tamen consideramus quales fuerint Judæi, prorsus se abdicaverant sua incredulitate. Quum ergo nihil à profanis gentibus differrent, merito rejiciuntur opprobrii causa, & vocantur progenies Chanaan, sicut aliis locis. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, vel potius Spiritus sancti. Nam si tantum dixisset Deus se misertum fuisse illius gentis, quum in extremas usque miserias redacta esset, non poterat subjici tam gravis & aspera exprobratio, ut videbimus. Deus ergo non tantum commemorat suum beneficium, sed simul ostendit unde sumpserit Judæos quum illis auxiliatus est, vel qualis fuerit ipsorum conditio, ubi dignatus est ipsos è tantis miseriis extrahere. Porro quia excipere promptum erat, redemptionem fundatam esse in fœdere, & ideo fuisse eductos, quia Deus quatuor antea seculis pollicitus fuerat Abrahæ se fore liberatorem illius populi: ne obscurent gratiam eo quod Deus fidem suam obstrinxerat Abrahæ, Propheta occurrit, & pronunciat illos esse semen Chanaan, nec quicquam habere commune cum Abraham, quia ex parte illorum, ut vulgo loquuntur, promissio Dei erat extincta, adoptio erat sepulta & deleta. Quum ergo tam perfide egissent, non poterant jactare aut gloriari se esse Abrahæ filios. Ergo *habitationes tuæ*, inquit, hoc est, locus originis. Hieronymus vertit radicem: sed melius convenit *nativitas tua*, vel natale solum, vel nascendi conditio, *è terra Chanaan: & pater tuus Amorrhæus, mater tua Hitthæa*: erant aliæ quoque gentes Chanaan, sed species duæ vel tres hic ponuntur pro genere toto. Jam sequitur,

4. Et nativitates tuæ in die qua nata es tu, (*hoc est, sic habuit origo tua vel nativitas*) non præcisus fuit umbilicus tuus, aquis non fuisti lota, ad mollitiem, (*vel ad leniendam carnem: postea dicemus de hac re*) sale non fuisti salita, & non fuisti involuta fasciis. (*ad verbum, fasciata fasciis.*)

5. Non misertus est super te oculus ad faciendum tibi unum ex his ad considerandum super te: & projecta fuisti in superficie agri, in probrum animæ tuæ quo die nata es.

Hic metaphorice describit Propheta miserrimum illum statum, in quo Deus reperit Judæos. Nam scimus nullam fere gentem ita crudeliter ac contumeliose fuisse oppressam. Quum enim ad operas serviles adacti essent, & quidem gratuitas, tan-
Exod. 1. v. 16,22. dem edictum illud exiit, ut mascula soboles extingueretur: denique nullum fuit ignominiæ genus omissum: & vita illa deterior fuit centum mortibus. Hæc igitur ratio est cur Deus Judæos dicat ita fuisse *projectos in superficie agri* absque ullo humanitatis officio. Sumit autem figuras istas ex communi usu. Nam umbilicus præcidi solet pueris infantibus. Alimentum enim sugunt ex umbilico in utero matrum. Jam mater una cum filio periret, nisi illud intestinum scindatur. Adhæc nisi aptetur quod prodit ex umbilico, puer statim peribit. Nam totus sanguis per illam partem diffluerct, sicuti inde sumpsit puer alimentum: & hæc præcipua est cura obstetricibus,

simulac prodiit fœtus ex utero, ut scindant quod postea rejiciendum est in uterum matris: deinde alligent partem illam: & id fit quemadmodum dixi, summa cura, quia inde pendet vita infantis. Dicit autem Deus *non fuisse præcisum umbilicum Judæis*: quare? *Quia projecti sunt*, inquit, *in superficie agri*, hoc est, habiti sunt pro derelictis, vel fuerunt expositi, ut uno verbo dicamus. Jam adjungit *non fuisse aquis lotas*. Nam scimus quanto in fœtore demersi sint infantes in utero matrum. Permixti enim sunt menstruis: ita nisi abluantur, statim perirent ipso fœtore. Hac ratione dicit *non fuisse lotos aquis*. Addit *ad nitorem*, vel ad lævigandum, ut vulgo loquuntur, vel ad leniendum. Nam aqua lenit carnem, vel lævem reddit (dico lævem prima longa) alii autem clarius vertunt ad nitorem. Sed satis intelligitur Prophetæ sensus. Postea addit *non fuisse salitam sale*. Sale enim aspergitur corpus infantis, ut caro durescat: quia sicuti cavendum est, ne caro sit fere callosa, ita etiam opus habet mediocri duritie. Hoc igitur fit aspersione salis. Sed summa est, Judæos in sua nativitate fuisse contemptim ita projectos, ut destituerentur omnibus humanitatis officiis. Adjungit, *oculus non est misertus tui ad unum ex his præstandum, & ad misericordiam tibi exhibendam*: & hoc satis patet, nempe Israelitas fuisse exitio addictos, ut nemo misericordia tactus fuerit. Erant enim sepulti quodammodo in terra Ægypti. Scimus autem quam sæva fuerit illa totius terræ conspiratio adversus eos. Non mirum igitur si Deus hic commemorat fuisse projectos in superficie agri, ut oculus non respexerit eos ad præstandam misericordiam. Addit *projectos fuisse in probrum animæ*. Simpliciter intelligit ita fuisse despicabiles, ut nullum gradum obtinuerint inter homines. Probrum enim animæ tantundem valet ac rejectio. Nunc sequitur,

6. Et transivi juxta te, & vidi te fœdatam (*vel contaminatam: vertunt alii conculcatam, nescio qua ratione*) in sanguinibus tuis: & dixi tibi, In sanguinibus tuis vive: & dixi tibi, In sanguinibus tuis vive.

Jam exposui quodnam tempus designet Propheta, nempe quum cœpit Abrahæ semen tyrannice opprimi ab Ægyptiis. Deus autem hic suscipit personam viatoris quum dicit *se transiisse*. Dixerat enim, Judæos & omnes Israëlitas fuisse tanquam puellam projectam, & derelictam. Nunc ergo addit sibi tale spectaculum fuisse oblatum quum transiret: sicuti qui iter faciunt conjiciunt oculos huc & illuc, & si quid insolitum occurrit attendunt & considerant: interea tamen subindicat Deus sibi curam fuisse illius populi. Et certe res ipsa satis ostendit, quum visus est neglexisse miseros illos, mirabiliter tamen fuisse illis opitulatum. Poterant enim centies quotidie perire: & nisi fuissent ab eo respecti, nunquam protraxissent vitam usque ad exitum. Nota est etiam illa
Exod. 3. vers. 7, 9. Actor. 7. vers. 34. sententia & celebris, Vidi vidi afflictionem populi mei: quum Mosen accersit & partes mandat liberandi populi, ita præfatur, Vidi vidi. Ergo pridem viderat, quum visus esset clausis oculis ipsos contemnere. Nec dubium est quin anadiplosis illa significet Deum semper excubias egisse pro salute illius desperati populi, quamvis non statim opem tulisset. Idem ergo nunc significat quum dicit *se transiisse*. *Transivi* ergo *juxta te, & vidi te fœdatam in sanguine*. Spectaculum illud poterat avertere Dei oculos. Nam si quid alienum est à natura, horrorem inducit. Deus ergo hic ostendit quam fuerit misericors erga illum populum, quod non exhorruit pudendam illam fœditatem, ubi infantem videbat ita in sua putredine demersum absque ulla specie. Quod postea sequitur *dixi tibi*, non intelligit se palam fuisse loquutum, ut populus ipse vocem exaudierit: sed pronunciat quid statuerit de populo illo. Posset quidem per contemptum hoc accipi, *vive in sanguinibus*, quasi Deus gravatus fuerit manum admovere, eo quod tactus ipse poterat videri contagiosus. Neque enim libenter palpamus saniem aliquam putridam. Sic ergo possent exponi hæc verba *vive in sanguinibus*, quia Deus initio non fuerit dignatus curam populi suscipere. Sed ex contextu patet, Deum hic exprimere arcanam virtutem qua servatus fuit populus præter communem omnium sensum. Nam si expendimus quod ante dictum fuit, certe non vixisset ad diem unum populus, nisi vigorem sumpsisset ex hac Dei voce. Fœtus enim recens à matris utero si projectus fuerit, quomodo tolerabit nocturnum frigus? imo quomodo non ultro statim expirabit? Et jam dixi mortem esse paratam infantibus, nisi umbilicus illis aptetur. Quum ergo centum mortes populum circumdarent, non potuit vitam longius protrahere, nisi vox ista arcana Dei eum sustentasset. Itaque Deus jubendo illos vivere, jam tunc ostendit esse in suo arbitrio mirabiliter suos servare inter varias
mortes. Porro sicuti dicitur in Psalmo, penes ipsum *Psal. 68.*
esse exitus mortis, ita mors convertitur ab ipso in *vers. 21.*
vitam: quia utriusque est arbiter & dominus. Duplicatur autem hæc loquutio, quia populus non exiguo tempore sic afflictus fuit ab Ægyptiis. Certe si tyrannicus ille rigor tantum ad paucos annos durasset, poterant tamen consumi. Sed protracta fuit eorum servitus in multos annos: unde apparuit insigne miraculum, quod scilicet non sæpius interciderit memoria & nomen ipsorum. Videmus ergo non abs re hic Deum repetere vocem istam, in qua fuit inclusa salus populi, *vive in sanguinibus tuis, vive in sanguinibus tuis*. Et res ipsa etiam ostendit populum fuisse conservatum, quoniam ita Deo placebat. Historia ergo quam refert Moses, speculum est in quo *in Exodo.* perspicere licet vivam imaginem istius vitæ, cujus fit mentio, quæ scilicet vigorem suum traxit ab arcano Dei beneplacito. Nunc quæritur ratio cur Deus non statim populum suum aperte susceperit, & tractaverit liberaliter quemadmodum in adolescentia? Ratio satis manifesta est, quia si primo momento liberatus fuisset populus, beneficii memoria mox quoque evanuisset: imo virtus Dei fuisset obscurior. Scimus enim ut homines nisi probe convicti sint suæ miseriæ, nunquam agnoscant se salutem adeptos esse ex Dei misericordia. Oportuit igitur populum ita vivere, ut tamen semper mortem haberet ante oculos: imo quasi constrictus esset vinculis mortis. *Vixit ergo in sanguinibus*, hoc est, vixit in sepulchro, quemadmodum si cadaver maneat in sua putredine, & vita interim occulta lateat: sic accidit filiis Abrahæ. Nunc ergo tenemus consilium Dei cur non ab initio magnifice extulerit filios Abrahæ, sed passus fuerit ipsos ægre trahere miserrimam vitam acsi demersi essent in lethali fœtore. Jam sequitur,

7. Et magnam te feci quasi germen agri: (*alii vertunt decem millia: & רבבה id significat, sed tamen simplicior est alter sensus: posui ergo te copiosam tanquam germen agri*) & crevisti, & adolevisti, (*grandis facta es*) & venisti in ornamentum ornamentorum: (*vel potius in pulchritudinem pulchritudinum, hoc est, summum decorem*) ubera tua aptata sunt, (*alii vertunt tumuerunt, vel prominuerunt*) & pilus tuus germinavit: tu autem nuda & discooperta eras.

Hic

Hic clarius exprimitur quod nuper attigi, populum scilicet in illa dura servitute fuisse singulari Dei gratia salvum, neque id modo, sed adolevisse. Nam si fœtus postquam expositus fuerit, vitam recuperet, tamen erit quasi abortivus. Deus ergo hic gratiam suam hac circumstantia amplificat, quod scilicet populus illic adoleverit acsi probe & sedulo fuisset curatus: si denique nullum officium defuisset. Hæc summa est verborum quum dicit *ipsos fuisse multiplicatos*. Etsi autem respicit ad propagationem generis Abrahæ, tenenda est tamen similitudo. Nam hic populus puellæ confertur, quæ ab utero projecta fuerit in agro. Adolescentia ergo populi fuit quum Deus incredibili modo ipsos auxit, quemadmodum scimus. Et certe fidem excedit illa Dei benedictio, quod quum ingressæ essent Ægy-
Actor. 7. vers. 14. ptum 75 animæ, tot millia paulo post egressa fuerint. Nam intra ducentos & quinquaginta annos sic
Exod. 12. vers. 37. multiplicatum fuit genus Abrahæ, ut prodirent octingenta millia quum Deus illos liberavit. Sed quia metaphorice loquitur Propheta, ubi dicit *fuisse populum auctum*, sub persona teneræ puellæ, dicit *crevisse donec adolesceret in justam ætatem*. Interea ostendit non nisi admirabili Dei consilio & virtute id fuisse factum: *Posui te*, inquit. Vendicat ergo Deus sibi laudem hujus tantæ multiplicationis, & ita confirmat quod dixi, nempe salutem populi fuisse inclusam in illa voce, *Vive in sanguinibus*: tamen dicit *venisse in ornamentum ornamentorum*. Hic עדי non potest sumi pro adventitio aliquo ornatu, quia continuo post subjicitur, *Tu autem nuda & discooperta eras*. Sequitur ergo accipi potius pro decore. Significat in summa non tantum statura corporis adolevisse puellam, sed elegantia formæ. Decor ergo & venustas hac voce notatur quemadmodum ex contextu satis patet. *Venisti* ergo *in decorem exquisitum*, vel præcipuum. Scimus enim sic resolvi genitivum, quia significat excellentiam. Et simul addit, *Ubera tua fuerunt parata*. Nam כון significat parare, significat confirmare. Sed quia de uberibus loquitur, non dubito quin significet ubera sic intumuisse, ut essent in justo suo modo. *Ubera* ergo *tua fuerunt disposita*, hoc est, justæ magnitudinis, ut solent puellis nubilibus. *Pilus etiam tuus crevit*. Denique Propheta hic crasso modo exprimit pro ruditate populi quod brevius dici poterat. *Germinavit* ergo *pilus tuus, tu autem eras nuda & discooperta*, hoc est, adhuc tamen tibi deerat exterior ornatus, tu eras quasi nubilis puella, erat maxima formæ venustas, erat etiam justa totius corporis statura, omnes partes aptæ erant & concinnæ, sed erat cur te puderet nuditatis. Et talis fuit populi conditio, quia quamvis omnia moliti fuerint Ægyptii, & modis omnibus in ipsorum perniciem conspiraverint: videmus tamen ut Dominus manum suam opposuerit non tantum ad defensionem, sed ut populum suum eveheret contra tyrannidem Pharaonis & totius Ægypti. Tempus ergo designat redemptioni propinquum, quia populus interea creverat, & fuerat multiplicatus, quemadmodum si puella adolesceret usque ad annum vicesimum. Jam sequitur,

8. Et transivi juxta te, & vidi te: & ecce tempus tuum, tempus amorum: & extendi alam meam (*hoc est, oram vestis meæ*) super te, & texi nuditatem tuam, (*aut verecundiam tuam, pudenda tua*) & juravi tibi, & veni in fœdus tecum, dicit Dominator Jehovah: & fuisti mea.

Jam Deus beneficium suum exprobrat Judæis, quod illos vestierit, & quidem splendido ornatu, & tamen postea sese projecerint in fœdissimas libidines, ut videbimus. Sed tenendum est Prophetam nunc loqui de tempore liberationis. Dicit autem Deus *iterum se transiisse & vidisse* qualis esset status populi, non quod interea oblitus esset. Scimus enim, etiam quum dissimulat & videtur aut oculos claudere, aut avertere à nobis, aut dormire etiam: tamen semper de salute nostra esse sollicitum. Et jam diximus opus fuisse præsenti ejus virtute, ut populus vitam longius produceret: quia nisi inspirasset vitam, statim prævaluissent centum mortes. Sed satis vulgare est ac tritum, aspectu Dei notari apertam declarationem auxilii. Quum ergo Deus palam ita apparet nobis liberator, ut hoc deprehendatur nostro sensu, tunc dicitur nos respicere, dicitur etiam exurgere, dicitur & se convertere ad nos.
Exod. 3. vers. 9. *Transivit* ergo *juxta populum*, nempe quum Mosen vocavit è deserto, & illum constituit ministrum suæ gratiæ: ita vidit tunc populum suum, quia palam fecit ipso experimento se non abjecisse ejus curam. *Vidi* ergo, *& ecce tempus tuum, tempus amorum*. Hic Deus crasse loquitur, sed pro captu populi. Suscipit enim personam viri, qui pulchritudine puellæ illectus, eam sibi uxorem despondet. Deus autem non afficitur hominum more, ut satis notum est: deinde hoc non quadrat in ejus naturam, amare quemadmodum solent adolescentes. Sed tantus erat populi stupor, ut non potuerit doceri utiliter, nisi Propheta se accommodasset ad ejus crassitiem. Adde quod populus ex se minime fuisset amabilis, nisi Deus sua in illo beneficia amplexus foret: ut amor iste pendeat ex beneplacito. Itaque per *tempus amorum* debet intelligi maturum redemptionis tempus. Deus enim statuerat apud se quando vellet populum illum educere ex Ægypto: & id pollicitus fuerat Abrahæ, Post quadringentos annos *Genes. 15.*
ero vindex. Videmus ergo præfixos fuisse annos, *v. 13, 14.*
quibus Deus populum illum redimeret. Jam com- *Actor. 7.*
parat conjugio illam conjunctionem. Perinde igi- *vers. 6, 7.*
tur fuit acsi Deus populum suum sibi conjugio devinciret, ac vicissim se obstringeret fide conjugali. Sed non possem ulterius progredi: differam igitur in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando à prima nostra origine nihil attulimus præter maledictionem, ita ut coram facie tua simus omnes fœtidi & putridi, ut memores nostræ conditionis, agnoscamus quam inæstimabilis fuerit tua erga nos misericordia, quum nos dignatus es ab inferis extrahere, & adoptare in filios tuos: & ita studeamus totam vitam nostram in obsequium tuum addicere, ut tandem fruamur beata illa gloria, ad quam nos vocasti, & quam nobis præparasti in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA TERTIA IN

E Z E C H I E L E M.

COEpimus heri exponere alterum caput, quod hic tractatur à Propheta, nempe de liberatione populi. Tunc enim fuit maturum tempus, quo Deus populum sibi desponsavit. Jam addit *se expandisse alam vestis, ut tegeret probrum & fœditatem populi.* Expansio hæc comprehendit sub se omnes virtutes, quas exeruit Deus in liberando populo suo. Tunc enim ab omnibus contumeliis eum asseruit, quibus turpiter & pudendum in modum fuerat affectus in Ægypto. Quidam existimant fuisse ritum nuptialem, ut maritus vel sponsus puellam quam ducebat, tegeret veste sua. Sed est parum firma divinatio. Simpliciter igitur interpretor, *expansam fuisse oram vestis*, quum Deus populum suum vindicavit à probris, quibus deformatus fuerat. Postea subjicit, *& juravi tibi, & veni tecum in fœdus.* Non dubium est quin hoc ad Legis promulgationem debeat referri. Quanquam enim Deus pridem fœdus suum pepigerat cum Abraham, & in fœdere illo fundata erat adoptio populi: tamen quia ex parte populi gratia illa fere evanuerat, quemadmodum heri dictum fuit: hic Deus pronunciat se quasi de integro adoptasse populum illum. Perinde igitur est acsi fœdus fuisset renovatum, ubi Deus Lege data populum sibi devinxit, & præscripsit certam rationem, qua colendus esset. Fuerunt igitur illæ solennes nuptiæ. Sed merito pronunciat Deus *se venisse in fœdus*, quia tunc populum sibi copulavit: unde illa etiam elogia apud Mosen, Quæ gens est *Deut 4.*
tam inclyta sub cælo, quæ babeat deos tam familia- *vers. 7.*
res quemadmodum Deus tuus appropinquat ad te? Deinde, Vos eritis mihi in regnum sacerdotale: eri- *Exod. 19.*
tis mihi hæreditas. *vers. 6.* Et notandum est verbum *Jurandi*, quia emphaticum est. Deus enim amplificat suam indulgentiam quum dicit *se jurasse.* Si reputamus quænam sit Dei majestas, & quis fuerit populus, certe fuit hoc incredibile, quod Deus dignatus est eousque descendere, ut juraret quemadmodum solent inter se homines dare fidem, & pacta sua sancire jurejurando. Nunc ergo videmus hic exprimi singulare beneficium, quo Deus populum suum ornavit, quum Lege data sibi elegit in peculium, & constituit regnum sacerdotale. Jam sequitur,

9. Et lavi te aquis, & mundavi (*vel abstersi*) sanguines tuos abs te, (*desuper te*) & unxi te oleo.

Hic clarius explicat Deus quod ante attigit, nempe se tunc populum duxisse, quemadmodum si adolescens puellam sibi duceret. Sed hic exprimit se dotasse sponsam suam. Neque enim satis fuisset populum à Deo cooptari, nisi etiam ornatus fuisset eximiis donis: quia si relictus fuisset populus in misera illa servitute, qua oppressus fuerat, valde obscura fuisset gratia Dei. Nunc ergo significat Deus, ea lege se cum populo pepigisse novum fœdus, ut non reliquerit nudum & inanem, sed insignibus donis ipsum quasi vestiverit. Primo autem dicit, *lavi te aquis.* Etsi enim antehac dixit populum similem fuisse venustæ puellæ, & commendavit ejus pulchritudinem, manebant tamen adhuc sordes illæ de quibus loquutus est Propheta. Oportuit igitur ablui ab illis inquinamentis: *mundavi te aquis*, inquit, *& abstersi sanguines tuos*, nempe corruptum sanguinem, quem ex utero matris attulerat puella illa, quam figurat Ezechiel. Denique officia humanitatis quæ defuerant populo, dicit Ezechiel fuisse à Deo exhibita. Postea adjungit,

10. Et vestivi te Phrygionica veste, (*variegata*) & calceavi te taxo, (*vel tasso*) & cinxi te bysso, & operui te serico.

11. Et ornavi te ornatu, & posui armillas in manibus tuis, & torquem in collo tuo.

12. Et posui circulum super faciem tuam, (*super narem tuam, vel super nares tuas*) & inaures super aures tuas, & coronam decoris in capite tuo. (*hæc omnia simul contexenda sunt.*)

13. Et ornata fuisti auro & argento, & vestitus tuus byssus, & sericum, (*aut pannus sericus*) & variegatus: (*vel multicolor*) similam, & mel, & oleum comedisti: & pulchra fuisti in valde valde, (*hoc est, supra modum*) & prospere (*vel feliciter*) progressa es usque ad regnum.

Hic Propheta metaphorice commemorat alia Dei beneficia, quibus populum suum liberaliter ornavit. Scimus enim nihil prorsus fuisse omissum, quin Deus divitias suæ bonitatis erga populum illum profunderet. Quod allegorice quidam ludunt in ornatu isto muliebri, mihi non probatur: & futiliter etiam excogitant multas nænias, quæ inter se confligunt. Primum argutiæ facile possunt refelli ex Prophetæ verbis: deinde etiam si patiamur inflecti aut torqueri Prophetæ verba, tamen quod garriunt illi allegorici interpretes inter se, multis modis contrarium est. Contenti ergo simus genuino sensu, nempe Deum ita fuisse beneficum erga Israëlitas, ut omnes numeros beneficentiæ impleverit in ipsis locupletandis. Jam si quis roget, qualis tamen ille ornatus fuerit, respondeo fuisse duplicem, quia scilicet primo loco Deus complexus Israëlitas suo favore, simul pollicitus est se illis fore in Deum: & hoc fuit præcipuum illorum decus, quemadmodum dicit Moses nudatos fuisse, & discoopertam eorum *Exod. 32.*
ignominiam ubi erectum fuit idolum loco Dei. *vers. 25.* Jam accessit secunda species beneficentiæ, quum Deus curam illorum habuit in deserto: apparuit *Exod. 13.*
illis interdiu in nube, nocte vero in columna *v. 21, 22.*
ignis: quod aqua illis è rupe defluxit, quod quotidia- *Exod 17.*
nus cibus illis datus fuit è cælo, acsi Deus cibum *vers. 6.*
propriis manibus in ipsorum ora ingereret: deinde *Num. 20.*
quum sua virtute debellavit eorum hostes: quum in- *vers. 11.*
duxit in terram promissam, & profligatis gentibus *Exod. 16.*
v. 15, 16. constituit eos in tranquilla ejus possessione & dominio: deinde quum terram illam benedixit, ut ipsos large aleret, ac testatum reipsa fecit, quam non

fuisset

Exod. 3. vers. 17. fuisset vana illa promissio, daturum terram quæ flueret lacte & melle: hæc igitur omnia complectitur Ezechiel *sub monilibus*, *sub armillis*, *sub auro*, *argento*, *sub vestibus byssinis*, *& Phrygionicis*, & aliis. Quantum ad voces spectat, ego non insistam accuratius, nisi quod breviter attingam quæ possent gignere aliquam dubitationem. Quum dicit *se vestisse* רקמה, hoc sumptum est ex more Orientalium. Nam soliti sunt uti textura variegata, quemadmodum videmus Benjamin gestasse talem vestem quum puer esset: neque tamen erat regius splendor apud patrem, qui erat homo pecuarius. Sed fuit vulgaris illa ratio. Hodie quidem apud nos siquis haberet texturam illam dissimilem, non esset virile: imo mulieres ubi appetunt talem varietatem in coloribus, ostendunt se abjecisse verecundiam. Sed apud Orientales, ut dixi, fuit ille communis vestitus. Postea addit, *calceavi te taxo*. Nescio cur Hieronymus verterit Ianthinum colorem, alii autem hyacinthinum. Sed satis constat fuisse genus corii pretiosum. Repetitur hoc nomen sæpe à Mose, ubi agitur de tabernaculo. *Exod 35. vers. 23. & 36:19.* Operiebantur enim cortinæ hyacinthinæ, & totum tabernaculum illis pellibus. Taxus fuit animal nobis incognitum. Quum autem hic agatur de calceis, dubium non est, quin corium quod erat elegantius & majore in pretio Deus posuerit. Postea adjungit, *cinxi te bysso*. Scimus enim byssinas vestes fuisse in frequentiore usu apud gentem illam, quam in Græcia, vel in Italia, vel in his partibus. Nam byssi rarus fuit usus apud Romanos etiam in maxima luxuria. Sed in Oriente gestabant byssum, ut regio illa calida est. Scimus autem esse tenuissimum linum: & solebant texere telas pellucidas. Fuit etiam vestitus ille viris communis apud Orientales, sed minime virilis: imo in fœminis parum erat tolerabilis. Sed sacrifici postea traxerunt ad se eum morem, & vestiebantur etiam bysso in sacris peragendis. Sacrifici Papales, ut in omnibus fuerunt simiæ, ita æmulati sunt hunc morem. quanquam enim non gestant byssum, conficiunt tamen sibi vestes ex lino, quas vocant Superlicia. Jam addit, *& operui te serico*, aut vestibus sericis, vel panno serico. Addit, *se posuisse armillas super manus*: vocant barbari brachialia. Hæc luxuria ubique terrarum fere vagata est: sed quod Propheta subjicit fuit repudiatum ab aliis gentibus, nempe circulus. Ponit *torquem super guttur*: etiam torquea fuerunt in vulgari usu ut sunt hodie: imo & torquibus additæ sunt laxiores catenæ, & duplices, & triplices, & quadruplices. Hoc igitur vitium nimis vulgatum fuit. Sed quod postea addit de circulo, relictum fuit Orientalibus. Nam habebant pendulas gemmas è naribus suis: & miror cur interpretes posuerint inaurem, deinde pro inauribus posuerint circulum. Sed hic Propheta significat circulum, unde pendebat gemma è naribus. Hoc apud nos esset ridiculum, imo deforme. Sed tam viri quam mulieres in barbaris illis regionibus habent gemmas pendulas in naribus, & in auribus etiam. Addit, *coronam in capite*. Non significat diadema vel coronam, quæ esset regium insigne: sed erat etiam ille satis communis ornatus. Jam si quis hic quæstionem moveat de isto apparatu tam multiplici, an scilicet licuerit mulieribus undique sibi accersere tot ornamenta, responsio facilis est, Prophetam hic non probare quod commemorat, sed mutuari ex communi more similitudinem. Diximus enim non aliud fuisse ejus consilium, quam ut ostenderet non potuisse Deum liberalius agere cum populo illo: quia modis omnibus explicuerat incomparabiles thesauros suæ beneficentiæ in ornandis Israëlitis. Jam hoc describit metaphorice, & sub figuris ex vulgari more sumptis, qui passim receptus erat. Non sequitur propterea fuisse mulieribus permissum ita se ornare. Scimus enim superfluos ornatus totidem esse lenocinia: deinde scimus quanta sit mulierum vanitas & ambitio dum sese ostentant in mundo suo, ut loquuntur. Et videmus etiam acriter reprehendi curiosam illam mulierum cupiditatem, à Jesaia præsertim. *Jesa. 3.* Sed satis est elicere quod Deus sub his figuris docere voluit, nempe nullum genus liberalitatis fuisse ab ipso omissum. Unde sequitur, minus excusabilem fuisse populi ingratitudinem, quemadmodum paulo post subjiciet Ezechiel. Sed antequam ultra progrediar, aptanda est etiam hæc doctrina in usum nostrum. Quæ hactenus dicta sunt de populo Israëlitico non conveniunt nobis, fateor, per omnia: sed aliquid tamen est simile. si reputamus qualis sit nostra origo, omnes nascimur filii iræ, omnes sumus maledicti, *Ephes. 2. vers. 3.* sumus etiam Satanæ mancipia: & quanquam multi educati sunt satis laute, tamen quantum ad spiritualem statum pertinet, sumus tanquam pueri infantes, aut fœtus expositi: & sumus interea demersi in sordibus nostris & fœtore. Quid enim reperietur in homine antequam renovatus sit, præter Dei maledictionem? Ubi ergo ita sumus Satanæ mancipati, ubi Deus nos abominatur, quemadmodum dicitur Geneseos 6., Pœnitet me fecisse hominem: *Genes. 6. vers. 7.* ubi non agnoscit in nobis imaginem suam, quæ non tantum fœdata est per Originale peccatum, sed fere extincta: certe hæc est summa deformitas. Et quanquam non capimus sensu nostro quod dictum est: tamen satis est nos esse detestabiles coram Deo, & Angelis. Non est igitur cur nobis placeamus: imo si aperiamus oculos, satis perspicua nobis erit hæc fœditas de qua dixi. Interea Deus nobis ita auxiliatus est, ut vere compleverit quicquid hic recenset Ezechiel. Etsi enim non liberati sumus ab externa aliqua tyrannide, Deus tamen nos sibi desponsavit: deinde quum in Ecclesiam suam cooptavit, hic fuit summus decor, & hæc fuit plusquam regia dignitas. Videmus ergo hanc doctrinam hodie nobis quoque esse utilem, modo expendamus quid nobis simile sit cum veteri populo. Quanquam unum omiseram de alimentis. Deus ergo hic non tantum commemorat se ornasse multiplici vestitu, & monilibus, & gemmis, & auro, & argento populum suum: sed adjungit etiam, *comedisti similam*, vel similaginem, *& mel, & oleum, & fuisti pulchra valde, & prospere progressa es usque ad regnum*. Hic Deus rursus commendat & extollit suam beneficentiam, quod scilicet non tantum sumptuose vestierit sponsam de qua loquitur, sed etiam largiter ipsam aluerit optimis & suavissimis & delicatissimis cibis. Ponit tres duntaxat species: vini nulla fit mentio neque carnium: sed per similaginem intelligit populum illum nullis deliciis eguisse. Idem etiam per oleum & mel significat. Clausula demonstrat cumulum gratiæ, quum dicit *feliciter fuisse progressam usque ad regnum*: quia non poterant recenseri omnia Dei beneficia, dicit non tantum magnifice vestitam fuisse hanc sponsam, & delicate fuisse nutritam: sed *progressam fuisse usque ad regiam dignitatem*. In proximo versu adhuc commemorat sua beneficia.

14. Et egressum tibi fuit nomen in gentibus in pulchritudine tua, (*vel ob pulchritudinem tuam*) quia perfecta fuisti in decore quem posueram super te, dicit Dominator Jehovah.

Hic adhuc insistit Propheta in recitandis Dei beneficiis, quibus populum illum sibi obstrinxerat. Quod autem dicit *egressum fuisse nomen*, non potest restringi ad exiguum aliquod tempus: sed complectitur continuam seriem gratiæ Dei usque dum provexit populum illum ad summum gradum felicitatis.

citatis. Id autem contigit sub Davide. Non dubium igitur est quin Deus hic significet continua serie ita se fuisse liberalem erga populum ut celebris fuerit ejus fama. Longe enim lateque sparsum fuit nomen populi Israëlitici. Et merito Deus recenset hanc nobilitatem vel hanc celebritatem famæ inter sua beneficia: ideo adjungit, *propter pulchritudinem*, vel elegantiam, *quam posueram super te*, inquit: *quia perfecta eras ob ornatum quem posueram super te.* Hic ergo significat Deus populum non sibi peperisse famam propria virtute, nec fuisse ita nobilem propria excellentia & nativa, ut ita loquar: sed potius adventitio ornatu. *Tu* ergo *fuisti magni nominis inter gentes*, inquit. Sed unde illa nobilitas & præstantia? Certe à meis muneribus. Nihil enim profectum fuit abs te, quod faceret ad nomen & dignitatem plusquam regiam. *Propter ornatum* ergo *illum fuit fama tua dispersa per omnes gentes.* Hæc autem amplificatio notanda est, quod populus non tantum expertus sit Deum beneficum in angulo illo Judææ, sed quum deberet sua sorte esse contentus, etiam fuit in admiratione & pretio apud gentes exteras. Nunc sequitur exprobratio:

15. Et confisa es in pulchritudine tua, & fornicata es pro nomine tuo, (*vel secundum nomen tuum*) & effudisti fornicationes tuas ad omnem transeuntem, (*hoc est, ad quemlibet obvium*) illius fuit.

Hic incipit Deus expostulare cum populo suo: & in hunc finem tot sua beneficia recensuit, quæ per longum tempus præstiterat Israëlitis, præsertim Judæis. Nam eos Propheta nunc alloquitur. Nihil autem fuit indignius vel magis præposterum, quam Judæos superbire prætextu donorum Dei. Atqui hoc vitium semper grassatum fuit in mundo, ut nunc quoque nimium grassatur: & ejus imago cernitur in fœminis venustis. Nam quum forma sit donum Dei, vix reperitur decima quæque mulier formosa, quæ non superbiat, & quæ non alliciat ad se viros, imo sæpe conjungat libidinem cum elegantia formæ. Hoc est quidem nimis indignum, sed fuit usitatum omnibus seculis, ut hodie est. Idem etiam in viris agnoscimus. Quo enim quisque magis excellit, ut plurimum sibi arrogat plusquam fas est: deinde contra Deum exultat, contumeliosus est erga homines. Si quis abundet divitiis, statim profluit ad luxuriem & inanes pompas, deinde abutitur etiam in alios perversos usus vel potius corruptelas. Si quis ingenio præditus est, convertit quicquid habet acuminis ad astutias & fraudes: deinde agitat multa consilia, quasi vellet cælum terræ miscere. Sic fere omnes profanant Dei dona. Sed hic fomem Propheta ostendit quum dicit populum Judaicum *fuisse confisum sua pulchritudine.* Nam si vigeret in nobis modestia, certe sufficeret ad cohibendam omnem insolentiam. Sed ubi frenum illud semel excussum est, nullus modus tenetur neque erga Deum neque erga homines. Locus ergo hic dignus est observatu, ubi exprobrat Deus veteri populo *quod fuerit confisus sua pulchritudine:* quia figura significat captasse materiam superbiendi ex donis quæ tamen ipsum potius instituere debebant ad pietatem. Nam quotquot recepimus dona è manu Dei, totidem sunt invitamenta ad gratitudinem. Sed inflamur superbia & fastu: hinc fit ut profanemus dona Dei, in quibus splendere debuerat ejus gloria. Quod autem hactenus recitavit Deus sua beneficia, ut magis detestabilis esset populi ingratitudo, hoc etiam notatu dignum est. Nam Deus omnia omnibus largitur, nec quicquam expro-
Jacob. 1. vers. 5. brat, ut est apud Jacobum: nempe si agnoscimus nos omnia ei debere, & ita nos una cum donis, quibus nos locupletavit, addicimus & consecramus in ejus obsequium & gloriam. Verum ubi Deus videt nos impie sepelire dona sua vel etiam profanare, & illorum fiducia insolescere, non mirum est si præter suam naturam nobis exprobret. Ergo videmus Deum quodammodo sumere alienam personam, ubi nobiscum expostulat de nostra ingratitudine: quia libenter agnosceret sua dona in nobis, & perinde acciperet acsi nostra essent, quemadmodum etiam vocamus panem nostrum, quo ipse nos gratis alit: sed *Matth. 6. vers. 11.*
quodammodo mutare cogitur suam naturam quantum ad nos spectat. Manet enim semper idem apud *Luca 11. vers. 3.*
se: sed loquor de externa forma. Deus ergo quodammodo se transfigurat, ubi exprobrat sua beneficia quæ contulerat in eum finem, ut possemus in ipso jure gloriari. Dicit postea *populum scortatum fuisse secundum nomen suum.* Non dubito quin Propheta alludat ad scorta famosa, quæ excellunt venustate: & hoc non satis observant interpretes. Neque enim se expediunt quum dicunt, scortata es nomine tuo. Sed sicuti ad nobile aliquod scortum undique turmatim confluunt multi amatores: ita dicit Propheta Judæos fuisse quasi famosum scortum: & quoniam ubique omnibus noti erant, fuisse expositos ad promiscuam libidinem, atque hinc factum esse ut attraherent amatores. Porro duo genera scortationis hic damnat Propheta in Judæis, unum est in superstitionibus situm, quod undique sibi adsciverint idola: alterum vero in perversis & illicitis fœderibus. Scimus autem hoc esse deterrimum scortationis genus, ubi vitiatur cultus Dei. Hæc enim est spiritualis nostra castitas, si Deum pure colimus ex præscripto ejus doctrinæ, si non deflectimus in dextram vel sinistram partem ab ejus mandatis. Ita ex opposito simulac transilimus metas ab ipso præfixas, vagamur ut impura scorta: & omnes superstitiones totidem sunt fœdi concubitus. Incipit autem Propheta ab illo priore genere quum dicit *scortatos fuisse Judæos*, nempe cum suis idolis. Sed antequam eo veniat ostendit fuisse quasi insatiabilem ipsorum libidinem, quod tam cupide & ardenter accerserent sibi varia idola, quemadmodum scortum ubi fervet inexplebili sua libidine, rapitur huc & illuc, & vellet habere turmas virorum: ita Propheta hic dicit *scortatos fuisse Judæos* non cum uno aut altero duntaxat, sed cum obviis quibuslibet: & hoc refertur ad nomen illud de quo paulo ante diximus. Nunc sequitur,

16. Et sumpsisti è vestibus tuis, & fecisti tibi excelsa conspersa maculis, (*vel diversis coloribus tincta, ut alii vertunt*) & scortata es cum illis: non venientes, (*sed est in genere fœmineo: deinde*) & non erit.

Dicit Judæos erexisse sibi quasi lustra: & mixtus est sermo, quia partim simpliciter Propheta exprimit de qua scortatione loquatur: interea tamen admiscet aliquam figuram. Dicit ergo *sumpsisse vestes, & fecisse inde sibi altaria.* Non dubium est quin comparet excelsa tentoriis, quemadmodum si scortum aliquod vellet ad se attrahere multorum oculos, & appeteret concursum, statueret quasi vexillum in loco excelso. Ita etiam dicit Propheta Judæos quum se ad scortationem projicerent, *fecisse sibi excelsa.* Quum dicit *excelsa diversis coloribus*, quidam hoc referunt ad ornatum. Posset tamen accipi in malam partem, quod scilicet essent aspersa excelsa maculis, ut ita discernat excelsa illa ab ædibus castis &

pudicis:

pudicis: quasi diceret, Si fuisses mulier pudica latuisses domi, quemadmodum solent honestæ matronæ, & nihil fieret in te, quod attraheret hinc inde homines: sed tu excelsa tibi erexisti, quæ essent tanquam lupanar conspicuum, quemadmodum si qua mulier oblita pudoris & verecundiæ erigeret aliquod vexillum, ac ostenderet domum suam patere omnibus, non esse præsertim scortatoribus clausam. Hoc videtur mihi Propheta velle. Jam quum addit *scortatam fuisse cum ipsis*, intelligit hauddubie de amatoribus, vel de obviis quibusque. Neque enim hoc potest quadrare cum nominibus טלאות & במות. Jam in hunc versus ubi dicit *non venunt*, & *non erit*, exponunt quidam hanc partem quasi diceret Propheta nullum extitisse exemplum simile superioribus seculis, & nullum tale fore etiam in posterum. Hoc modo intelligunt damnari insanam illam libidinem populi tanquam prodigium, cui simile nunquam visum fuisset, neque etiam expectandum esset. Alii dicunt tantam fuisse multitudinem excelsorum, ut non fuerit usquam talis: quia etsi gentes ubique suis idolis fabricabant & templa, & altaria, tamen Propheta dicit populi vesaniam ac furorem superasse intemperiem omnium gentium: hoc etiam aliquid est. Interea quoad summam ipsam non est multum momenti: sicuti in superiore versu, ubi dicebat *erit illis*, subaudiunt quidam appetitum vel desiderium. Sed simplicius interpretor, cuilibet transeunti fuisse expositam, & fuisse in ejus arbitrio ea potiri. Ita nunc sensus mihi non videtur ambiguus, quod scilicet ita projecti fuerint Judæi, ut nulla apud ipsos esset residua libertas: quemadmodum ubi mulier se projecit, omnium serva est, & ignominiose postea quilibet ejus concubitu abutuntur, quoniam se mancipando sui juris esse desiit. Idem ergo nunc vitium exprobrat Ezechiel Judæis.

Da omnipotens Deus, ut diligenter apud nos expendamus quot modis tibi simus obstricti, & magnifaciamus tuam paternam erga nos indulgentiam pro merito: ut ita vicissim studeamus nos tibi addicere: deinde sicuti nos ornasti tua gloria, ut etiam conemur glorificare nomen tuum, donec tandem perveniamus ad fruitionem æternæ illius gloriæ, quam nobis præparasti in cælo per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA QUARTA IN

E Z E C H I E L E M.

17. Et sumpsisti vasa pulchritudinis tuæ ex auro meo & ex argento meo quæ dederam tibi: & fecisti tibi imagines masculi, (*hoc est, masculinas*) & scortata es cum illis.

EXprobrat Propheta, quod argentum & aurum conflaverint ut sibi facerent idola. Non damnat autem solam idololatriam, sed ingratitudinem, quod quæ Deus largitus fuerat in ejus ignominiam converterint. Primum turpis fuit donorum ejus profanatio: sed quod data opera liberalitate ejus tam proterve abusi fuerint in ejus contumeliam, id vero nullo modo fuit tolerabile. Simul perstringit cæcam eorum intemperiem, quod suis oblectamentis ultro se abdicaverint, ut in suas superstitiones profunderent. Neque enim simpliciter dicit sumpsisse aurum & argentum, sed *vasa decoris vel pulchritudinis ex auro & argento*. Unde apparet, excæcatos fuisse tanquam furiosa libidine, ut jam visum est. Similitudinem vero sumptam à scortatione adhuc prosequitur, quum deos conflatiles vocat *imagines masculorum*. Ac videtur oblique notare prodigiosam libidinem, quod scortati sint cum umbris: quo intelligit eos de nihilo abreptos fuisse post effrenem appetitum, perinde acsi mulier sola imagine scortatoris, libidinem suam accendat. Nunc sequitur,

18. Et tulisti (*vel sumpsisti*) vestes tuas discolores, (*aut variegatas*) & operuisti eos, (*nempe falsos deos, vel amatores*) & oleum meum, & suffitum meum dedisti coram ipsis. (*id est, obtulisti illis*)

19. Et panem meum quem dederam tibi, similam, & oleum, & mel quibus te cibaveram, (*vel alueram*) etiam dedisti coram ipsis in odorem quietis: & ita fuit, dicit Dominator Jehovah.

Hic conqueritur Deus quod rerum omnium copiam profuderint Judæi in perversos cultus. Nam quemadmodum maritus qui uxori indulget, largiter suppeditat omnia: si autem mulier impudica sit, quæ accepit à marito dilapidat & largitur suis adulteris: sic etiam Judæi prodigi fuerant in colendis idolis, & ita projecerant quicquid in ipsos bonorum Deus contulerat. Hanc igitur sententiam nunc prosequitur Ezechiel. Dicit *sumpsisse vestes illas variegatas*, de quibus heri dictum fuit, *& operuisse sua idola*, quemadmodum si adultera vestiat suos amatores propriis indumentis, quæ etiam acceperat ex mariti liberalitate: *operuisti eos*, inquit. Postea addit, *oleum meum & suffitum obtulisti illis*. Hic clarius loquitur tametsi non prorsus discedat à figura. Nam oleum solebat adhiberi in sacrificiis: suffitus autem fuit in usu apud omnes gentes, quum vellent diis suis litare. Nec dubium est quin imitati fuerint increduli sanctos patres, sed perperam, quia non tenebant tectum finem. Scimus patres in sacrificiis libasse oleum: scimus præscriptum fuisse suffitum Lege Dei: id etiam promiscue usitatum fuit apud omnes gentes, verum absque ratione & judicio. Ita nunc conqueritur Deus, ex thure suo factum fuisse suffitum idolis, & libamen etiam ex oleo, quod Judæis contulerat. Idem etiam adjungit de pane, & quidem *de simila, oleo, & melle*. Diximus heri his vocibus notari victum amplum & delicatum. Nam per synecdochen simila comprehendit tam optimum panem & suavissimum, quam alios cibos. Additur *oleum & mel*. Perinde igitur est acsi diceret Propheta affluxisse Judæos omnibus lautitiis, sed eas male consumpsisse. Fuit autem hoc nimis indignum ludibrium, quum Judæi ditati essent Dei beneficentia, sic temere omnia projicere, neque id solum, sed etiam ornare falsos deos in ipsius Dei contumeliam, quum tamen acceptum ferri deberet illi quicquid erogabant in idola. Hac ratione vocat *panem suum*: & exprimit quo sensu, nempe quia Judæi non poterant vel sibi adscribere bonorum

Levit. 2. vers. 1.2. & alibi sæpius.

affluentiam, vel jactare terræ suæ fœcunditatem: omnia illis fluebant ex mera Dei benedictione. Fuit ergo hæc nimis fœda ingratitudo, idolis largiri quod Deus longe in alium finem contulerat. *Ego*, inquit, *cibavi te*. Ostendit quisnam fuerit legitimus usus tam multiplicis copiæ. Quum ergo affluerent tritico, unde elicerent similaginem, quum etiam referti essent aliis deliciis, debuerant ita erigi ad Deum, & se exercere in officiis gratitudinis. Atqui abusi sunt illa copia ad ornandos falsos deos. *Dedisti ergo coram ipsis*, inquit, *in odorem quietis*. Quies haud dubie placationem significat hoc loco, ut frequenter apud Mosen: quoties occurrit vertunt alii, in odorem suavitatis. Sed non satis exprimunt quod voluit Moses. Intelligit enim, ubi placatur Deus pacem esse inter ipsum & homines. Non dubium igitur quin odor quietis significet justam expiationem, qua placatur Deus, ita ut recipiat homines in gratiam. Hoc passim de legitimis sacrificiis dicitur, quia non alia fuit ratio, qua se reconciliarent Deo homines, nisi quum offerrent sacrificia ex ejus mandato. Jam ironice Propheta hoc transfert ad impios cultus, quum dicit oblatas fuisse idolis omnes delicias, quibus alebat Deus populum suum. In quem finem? *In odorem quietis*, hoc est, ut scilicet vobis sint propitii. Atqui ridiculum fuit, velle placare lapideos & ligneos deos, vel etiam argenteos. Videmus ergo ut perstringat socordiam populi Ezechiel, quum dicit *obtulisse & similam, & alia omnia* suis idolis, ut illis se reconciliarent. Jam augetur crimen, quia Judæi non agnoverint quam singulare esset illud beneficium, Deo satisfacere, ita ut non imputer amplius peccata. Væ enim nobis si destituimur hoc remedio, quia subinde contrahimus varias culpas, & ita sumus obnoxii coram Dei judicio. Nisi ergo nos Deus recipiat in gratiam, videmus nihil esse nobis miserius. Atqui præscripsit certam rationem & facilem, qua velit placari, nempe sacrificia: loquor de patribus qui vixerunt sub Lege. Nam hodie scimus confugiendum nobis esse ad unicum sacrificium Christi, quod Legales ritus adumbrabant. Quum ergo Judæi possent redire cum Deo in gratiam, sepelire omnia sua peccata, & redimere se à maledictione: ultro se privare tam inæstimabili bono, quam prodigiosus fuit furor? Ergo Propheta hanc vesaniam nunc coarguit quum dicit eos litasse suis idolis, nempe ut ipsa placarent. Concludit tandem, *& fuit sic, inquit Dominator Jehovah*. Hic Deus tergiversandi materiam Judæis eripit, quum dicit *ita esse*. Scimus enim homines semper habere varios prætextus, quibus vel culpam alio derivent, vel extenuent, vel tegant aliquo fuco. Deus autem hic dicit non esse litigandum, quia res sit satis comperta. Videmus ergo emphatice positum fuisse hoc verbum, quum dicit Dominus ipse *sic fuisse*. Nam si Ezechiel hoc pronunciasset, minus fuisset auditus: sed Deus ipse prodit in medium, & excludit Judæos ab omni excusatione. Sequitur.

Levit. 1. vers. 9, 13. 17. & sæpe.

20. Et sumpsisti filios tuos & filias tuas quos genueras mihi, & jugulasti eos (*vel mactasti illos*) ad comedendum: (*vel ad consumendum potius*) an parum à scortationibus tuis?

Hic aliud crimen exagitat Deus, quod scilicet mactaverint proprios liberos idolis. Fuit hæc valde cæca superstitio, qua factum est ut parentes exuerint humanitatis sensum. Est enim hoc detestabile prodigium, ubi pater liberos suos abjicit, nec eorum curam habet, vel respectum. Et Philosophi στοργὰς illas quas vocant naturales, ponunt inter naturæ principia. Ubi ergo cessat affectus ille patris erga filios, qui tamen naturaliter inditus est omnium cordibus, est valde turpe monstrum. Atqui non tantum huc rapuit Judæos inconsideratus suus fervor, sed jugulando propriam sobolem putarunt se obsequium præstare Deo: quemadmodum hodie Papistæ contenti sunt nomine bonæ Intentionis, neque existimant posse repudiari quicquid obtruditur, modo fucatum sit illo titulo vel bonæ Intentionis, vel boni zeli. Talis ergo fuit confidentia apud Judæos: sed quemadmodum dixi, videmus abreptos fuisse diabolico furore, quum filios suos & filias mactarunt. Abraham paratus fuit filium Deo offerre: sed habebat certum mandatum. Deinde scimus obsequium ejus fundatum fuisse in fide, quia certo persuasus erat quemadmodum dicit Apostolus, posse sibi suscitari novum semen ex cineribus filii. Quum ergo extolleret Dei potentiam ut par erat, non dubitavit filium suum immolare. Sed quum miseri isti sine mandato filios suos mactabant, merito poterant damnari prodigiosi furoris. Hoc ergo crimen nunc profert in medium Propheta, *quod sumpserint filios suos & filias suas & mactaverint idolis*. Jam adjungit, *ad consumendum*, quia probabile est, ac colligitur ex quibusdam locis non semper filios suos mactasse: sed fuisse duas species oblationis. Aliquando filios suos vel jugulabant, vel conjiciebant vivos in ignem ac cremabant, ut essent victimæ. Aliquando circumferebant & trajiciebant per ignem, sic tamen ut reciperent ipsos incolumes. Deus autem hic ostendit se de oblatione illa barbara & truculenta sermonem habere, quum scilicet filiis suis non parcerent. Hoc sensu addit *mactasse filios ad comedendum*, vel ad consumendum. Sed inseritur etiam alia exaggeratio criminis, ubi Deus expostulat de injuria sibi facta: *tu*, inquit, *filios tuos & filias tuas mactasti*, sed mei quoque erant. Tu enim eos mihi genueras. Hic Deus se constituit loco patris, quia populum illum sibi adoptaverat. Corpus ergo populi erat quasi sponsa vel uxor. Quicunque autem inde oriebantur, erant filii: quia si fœdus Dei cum populo fuit conjugium, merito debebant censeri inter ejus liberos quicunque ducebant originem à populo illo. Deus ergo filios suos fuisse dicit qui ita mactati sunt, perinde acsi maritus uxori objiceret abreptos sibi fuisse liberos, qui communes erant. Non ergo sævitiam duntaxat, vel superstitionem insectatur Deus, sed simul adjungit se fuisse spoliatum suis liberis. Hoc autem atrocissimum est injuriæ genus, ut satis notum est. Quis enim non præferat sanguinem suum vel agris, vel mercibus, vel pecuniæ? Quo pretiosiores ergo sunt liberi omnibus bonis, eo gravius læditur pater si liberi tolluntur, quemadmodum hic Deus pronunciat fuisse factum: *genueras*, inquit, *eos mihi*. Ergo fuit adjunctum sacrilegium tuæ idololatriæ, quum mihi liberos abstulisti. Eodem sensu paulo post repetet fuisse suos. Hic quæritur quomodo Deus reputet inter filios qui tamen alienissimi erant. Dixit initio capitis, populum illum duxisse genus ab Amorrhæis & Hitthæis, quia desciverat à pietate Abrahæ & aliorum Patrum. Quum ergo jam abdicati essent Judæi quo tempore fuerunt in Ægypto, ex quo ita fuerunt rursus fœdifragi, ut Propheta hactenus ostendit, nonne erant alieni? Sed hic Deus respicit fœdus suum, quod erat inviolabile, nec poterat exinaniri hominum perfidia. Judæi ergo de quibus nunc Propheta loquitur non poterant Deo gignere liberos. Nam dixit corpus populi esse simile fœtido scorto, quod obambulat & discurrit, & quærit conditiones vagas, & promiscuas. Quum ita sit, liberi quos genuerunt tales idololatræ, erant spurii potius, quam digni tanto honore, ut Deus scilicet vocaret illos filios: verum est ipsorum respectu: sed quantum ad fœdus, vocantur hic filii Dei. Et hoc observatu

Genes. 22. v. 9. 10.

Hebr. 11. vers. 19.

vers. 3.

vatu dignum est, quia in Papatu talis grassata fuit multis seculis defectio, ut Deum prorsus abnegaverint. Papistis ergo nihil cum Deo, quia suis sacrilegiis corruperunt totum ejus cultum: & religio apud eos tot modis vitiata est, ut nihil differat à Gentium corruptelis. Et tamen certum est, adhuc illic manere residuum fœdus Dei ex parte: quia quamvis à Deo ipsi desciverint, & seipsos abdicaverint sua perfidia: Deus tamen fidelis manet. Paulus quum de [Rom. 3. vers. 3, 4.] Judæis loquitur, admonet fœdus Dei non esse abolitum, quanquam magna ex parte totus populus tunc palam à Deo desciverat. Idem & de Papistis dicendum est, quia non fuit in eorum arbitrio prorsus delere fœdus Dei, quamvis ipsorum respectu, ut jam dictum est, sint extranei: & ostendant etiam sua pervicacia se esse juratos Dei hostes. Et inde fit, ut Baptismus noster non indigeat renovatione: quia quanquam diabolus pridem regnavit in Papatu, non potuit tamen extinguere omni ex parte Dei gratiam: imo illic est Ecclesia. Nam alioqui falsum esset Pauli vaticinium, ubi dicit Antichristum sedere in [2 Thess. 2. vers. 4.] Dei templo. Si in Papatu esset duntaxat sterquilinium Satanæ vel lupanar, nec ulla esset Ecclesiæ residua species, hoc est, aliquod lineamentum, non sederet Antichristus in Dei templo. Sed hoc quemadmodum dixi, exaggerat eorum crimen: tantum abest ut inde possint cristas erigere sicuti faciunt. Nam quum plenis buccis detonant se esse Dei Ecclesiam, vel manere sedem Ecclesiæ apud ipsos, facilis solutio est: apud ipsos quidem Ecclesiam esse, hoc est, Deum illic habere suam Ecclesiam, sed occultam, & mirabiliter etiam servari: sed non sequi propterea dignos esse ullo honore: imo magis esse detestabiles eo quod debuerant gignere Deo filios & filias: gignant autem diabolo & idolis, quemadmodum hic locus docet. Sequitur,

21. Et mactasti filios meos, & posuisti eos ut transirent (*ad trajiciendum ipsos, ad verbum*) illis. (*nempe idolis.*)

Confirmat eandem sententiam, & clarius explicat, quod scilicet obtulerint filios suos & filias, crudeliter ipsos mactando, nempe quum trajicerent per ignem. Fuit hoc genus lustrationis, ut alibi visum fuit. Quum ergo liberos suos trajicerent per ignem, lustrabant: & erat ritus expiandi. sed duplici modo, ut nuper attigi, liberos suos igni admovebant. Hic autem proprie loquitur Propheta de sæva illa & belluina oblatione. Diximus quo sensu Deus sibi vendicet jus in filios populi illius, non quod fuerint membra Ecclesiæ, proprie loquendo, sed quoniam Deus ipsos adoptaverat. Et hic rursus [Rom. 9 v. 6, 7, 8.] tenendum est quod dicit Paulus, non omnes qui progeniti sunt ab Abraham esse legitimos filios: quia discrimen statuendum est inter filios carnis, & filios promissionis. Hoc adhuc aliqua ex parte esset obscurum: sed poterit breviter explicari. Notemus ergo fuisse duplicem Dei electionem, quia generaliter elegit sibi totum genus Abrahæ. Communis enim fuit omnibus Circumcisio, quæ tamen erat symbolum vel arrha adoptionis. Quum ergo Deus omnes filios Abrahæ à minimo usque ad maximum vellet circumcidi, simul etiam elegit sibi in filios: hæc fuit una adoptio vel electio. Altera autem fuit arcana, quia Deus ex illa multitudine sibi desumpsit quos voluit: & illi sunt filii promissionis, illæ sunt [Rom. 11. vers. 5.] reliquiæ gratuiti favoris, ut Paulus loquitur. Hæc igitur distinctio nunc tollit omnem ambiguitatem, quia Propheta loquitur de incredulis & perfidis, qui à Dei cultu desciverant. Fuit ergo illis sua incredulitas tanquam abdicatio. Erant ergo, quo ad ipsos, extranei, verum est: & ideo arcana Dei electio in ipsis non vigebat: sed tamen fuerunt ex Dei populo, quantum attinet ad externam professionem. Si quis objiciat fuisse illis inutile circumcidi, & ideo electionem hanc caruisse omni effectu; responsio in promptu est, Deum singulari beneficio dignatum esse miseros illos, quia patefactus erat illis aditus in spem vitæ & salutis per externa adoptionis testimonia. Quod autem fuerunt interea extranei accidit ipsorum culpa. Ergo breviter teneamus, Judæos naturaliter fuisse maledictos, quia erant semen Adæ: fuisse autem supernaturaliter & singulari privilegio exemptos & immunes à maledictione: quia Circumcisio testimonium erat adoptionis qua Deus ipsos sibi consecraverat. Sancti ergo erant. Jam quod fuerunt immundi, id non potuit, ut dictum est, abolere Dei fœdus. Idem hodie valere debet in Papatu. Nam omnes nascimur maledicti: & tamen supernaturaliter Deus agnoscit pro suis quicunque genus trahunt à fidelibus non tantum in primo gradu, vel secundo, sed usque ad mille generationes. Et ideo dicit Paulus sanctos esse liberos fide- [1 Cor. 7. vers. 14.] lium, quia scilicet Baptismus non caret sua efficacia, & adoptio Dei etiam rata manet: sed major pars tamen censetur extera, nempe ob suam incredulitatem. Deus interea reliquias sibi servavit omnibus seculis: & hodie ex promiscua multitudine deligit quos vult. Nunc pergamus. Omiseram in fine proximi versus quod dicit, *An parum à scortationibus tuis?* Hac interrogatione voluit Deus magis urgere Judæos, quod scilicet non tantum fidem conjugalem violaverint quum ita se prostituerint idolis, sed addiderint sævitiam illam de qua visum fuit, nempe quod jugulassent filios suos. Denique ostendit fuisse desperatam eorum impietatem.

22. Et in omnibus abominationibus tuis & scortationibus tuis non recordata es dierum adolescentiæ tuæ, quum tu esses nuda & discooperta, & fœdata in sanguinibus tuis esses.

Hic accommodat Deus, quæ hactenus retulit, ad suum finem, nempe nimis scelestam ac turpem fuisse ingratitudinem populi, quod ita se prostituerit idolis. Revocat ergo in memoriam qualis fuerit eorum conditio quum eos sibi desponsaverat. Nam si in mentem illis venisset misera illa servitus, à qua fuerant liberati, non ita excæcati fuissent perversa confidentia, neque exultassent in suis lasciviis. Sed quia obliti erant omnium beneficiorum Dei, hinc factum est ut lascivierint & se projecerint ad fœdas illas idololatrias, & provocaverint Deum modis omnibus. Hoc ergo nunc Propheta demonstrat, quum dicit *in illis abominationibus non fuisse recordatum populum suæ adolescentiæ.* Et unde fit ut mulieres impuræ & libidinosæ ita maritos suos contemnant, nisi quia nitore suo excæcantur? Et quantisper non agnoscunt sua probra, placent sibi in fœdis amoribus, quemadmodum dicitur apud Hoseam. Talis ergo fuit Ju- [Hosea 2. vers. 5.] dæorum confidentia, quia sibi placebant in illo præsenti ornatu. Fulgebat enim in ipsis Dei gloria & decor: sed interea non reputabant unde sibi illa dignitas: hinc etiam ingratitudo cum superbia. *Non recordata es*, inquit, *dierum adolescentiæ, quum esses nuda & discooperta, & quum esses fœdata in sanguinibus tuis.* Sequitur,

23. Et fuit post omnem malitiam tuam, Væ væ tibi, dicit Dominator Jehovah.

24. Et ædificasti tibi excelsum, & fecisti tibi excelsum in omni platea. (*in omnibus compitis.*)

25. Ad omne caput (*vel initium*) viæ ædificasti excelsum tuum: & abominabilem fecisti tuam pulchritudinem: & divaricasti (*effudisti, vel aperuisti: sed utamur proprio verbo: divaricasti ergo*) pedes tuos omni transeunti, & multiplicasti tuas scortationes.

Primus versus varie exponitur. Quidam seorsum legunt ויהי אחרי כל רעתך, *fuit post omnem malitiam tuam:* & existimant Deum hic minari Judæis,
Hos. 2. v. 9, 10. quemadmodum facit apud Hoseam. Nam postquam illic conquestus est Deus lanam suam, & linum suum fuisse abrepta, & inde munera oblata idolis, postea subjicit, Ego reposcam mea omnia, & tunc iterum tolletur abs te omnis decor, & nuditas tua patefiet, ut merito te pudeat. Sic ergo exponunt hæc verba, quod conditio Judæorum futura sit qualis ante fuerat: quasi uno verbo dictum esset, Ego me ita ulciscar, ut cogaris velis nolis sentire tuæ nuditatis probrum, quia iterum te discooperiam. Sed videtur sensus ille coactus. Ego itaque contexo reliquam partem versus, deinde quæ sequuntur. Sic ergo fluit oratio Prophetæ, *Et fuit post omnem tuam malitiam ædificasti tibi excelsum, fecisti tibi excelsum:* (sunt quidem duæ voces diversæ, sed pro re eadem sumuntur) *in omnibus compitis, in omnibus principiis viarum fecisti tua excelsa*, inquit, *& ita abominabilis fuit tua venustas.* Hoc autem per parenthesin inseritur, *Væ væ tibi.* Illa igitur exclamatio quasi ex abrupto interponitur. Sed interea non dubito quin cohæreant inter se hæc omnia, nempe quod Judæi addiderint scelera sceleribus, atque ita nullum fecerint peccandi finem. Dicit ergo, postquam ita fuerant Deo perfidi & ingrati, postquam sua omnia indigne & turpiter profuderant in cultus perversos, adhuc additum fuisse novum crimen, *quod sibi extruxerint excelsa in omnibus compitis, & in viis omnibus etiam.* Si quis objiciat non fuisse hoc crimen gravius, responsio facilis est, Deum hic non loqui de uno duntaxat excelso, vel de uno altari: sed comprehendere tot insignia idololatriæ, quibus terram infecerant. Fuit autem hic cumulus impudentiæ quum ita ubique erigerent vexilla suarum superstitionum. Quotquot enim erant excelsa & altaria, totidem erant testimonia defectionis ipsorum, acsi palam gloriarentur se non magnifacere Legalem cultum, & quicquid Deus præscripserat in arbitrio suo esse evertere. Deus ergo non abs re hanc indignitatem exagitat, *quod Judæi ubique sibi erexerint excelsa, & extruxerint altaria.* Nunc ergo tenemus consilium Spiritus sancti, quantum ad istas voces. *Accidit* ergo *post omnem tuam malitiam*, inquit, hoc est, ad cumulum tuæ malitiæ accessit etiam ista improbitas & impudentia, nempe *quod extruxeris tibi* non unum excelsum duntaxat, sed innumera, nempe *in omnibus compitis*, deinde, *in omnibus principiis viarum*, hoc est, in locis celeberrimis. Capita enim viarum dicuntur quæ magis conspicua sunt: & ideo si quid illic agitur, magis expositum est omnium oculis. Jam notanda est exclamatio quæ interponitur, *Væ væ tibi, inquit Dominator Jehovah.* Quoniam enim Judæi pro sua socordia non magnopere attenti erant ad objurgationes Propheticas, ideo ut ipsos expergefaciat Deus, pronunciat bis suam maledictionem. Certum quidem est non fuisse commotos: sed valuit tamen hæc vehementia ad ipsos gravius damnandos: quia etiamsi fuissent sopiti, imo demersi in profundissimo somno, poterant expergefieri hac voce tam formidolosa. Nec dubium est tamen quin sibi plausum dederint in suis superstitionibus. Sed eo magis expendere convenit quantum sit pondus in his verbis Dei. Nam hinc colligimus, ubi idololatræ sibi indulgent in suis figmentis, & existimant nihil illic reprehensione esse dignum, sufficere hanc Dei vocem, qua adversus eos fulminat quum dicit, *Væ væ tibi.* Ergo desinant homines judicium facere ex proprio sensu, quin potius attenti sint ad Dei sententiam, & agnoscant sibi maledictionem incumbere quum putant se rite perfungi pietatis officio in colendis idolis. Jam addit, *abominabilem fecisse ejus pulchritudinem.* Non dubito quin alludat Propheta ad spurcitiam, quæ inducitur ubi se mulieres prostituunt ad vagas libidines: & inde etiam Latini vocant obsoleta scorta, quæ fœtent quodammodo, propterea quod ita turpiter abjecto pudore sese projecerint ad omne flagitium. Propheta ergo dicit populum illum non fuisse duntaxat quasi libidinosam mulierem, quæ impuros amores sibi conciliat: sed fuisse fœtidum scortum: quia illa intemperies libidinis facit, ut etiam qui appetunt scortari, tamen quodammodo rejiciant præ fastidio mulieres ita fœdas in sua libidine, & ita omni pudore vacuas, ut non dubitent se huc & illuc projicere. Hoc ergo intelligit Propheta, nempe venisse ad summas usque abominationes populum, quemadmodum si mulier fœteat propter intemperiem suæ libidinis. Tandem adjungit *divaricasse pedes suos omni transeunti & multiplicasse suas scortationes.* Hoc sumptum est etiam à scortis vagis: & confirmat sententiam quam nunc exposuimus, quod scilicet Judæi non tantum uno in genere idololatriæ sese volutaverint, sed ita fuerint projecti ad omnes abominationes, ut essent similes meretricibus, quæ vias obsident, & advocant obvios quosque: neque id modo, sed quod fœdius est, *divaricant pedes suos*, hoc est, pudenda sua palam ostentant, ut alliciant ad se amatores.

Da omnipotens Deus, quum dignatus fueris nos recipere non modo in fidem & clientelam tuam, sed in gradum filiorum: ut te colamus sancto amore, ac tanquam Patrem revereamur tota vita nostra: & nos ita tibi subjiciamus, ut sentiamus firmum & sanctum tuum fœdus erga nos, & experiamur te nunquam frustra vocare ad te homines, modo tibi obsequantur, & respondeant tuis promissionibus: donec tandem fruamur illa beatitudine, quæ nobis in cælo reposita est per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA QUINTA IN EZECHIELEM.

26. Et scortata es cum filiis Ægypti vicinis tuis magnis carne: & multiplicasti scortationes tuas ad irritandum me.

Admo-

ADmonui initio capitis, Prophetam reprehendere in Judæis non unum & simplex scortationis genus, sed duo diversa. Hoc interpretes non observant, sed putant semper Prophetam nostrum differere de idolis & superstitionibus. Atqui si prudenter expendimus omnes circumstantias, quod jam dixi minime dubium erit, nempe damnari Judæos non tantum quod Dei cultum vitiassent suis perversis figmentis, sed quod confugerant nunc ad Ægyptios, nunc ad Assyrios: & implicuerant se illicitis fœderibus. Est autem hæc quoque trita ratio Prophetis, vocare scortationes, ejusmodi fœdera. Nam sicuti mulier debet latere sub umbra mariti sui, ita Deus volebat Judæos contentos esse suo præsidio. Atqui simulatque metuebant sibi ab aliquo periculo, trepide confugiebant nunc in Ægyptum, nunc in Assyriam, nunc in Chaldæam. Videmus ergo eos quodammodo renunciasse auxilio Dei, dum non poterant quiescere sub ejus custodia, sed vago impetu rapiebantur huc & illuc. Postquam ergo Propheta invectus est in superstitiones, nunc aggreditur aliud crimen, quod scilicet Judæi implicuerant se vetitis fœderibus. Incipit autem ab Ægypto. Deus autem simpliciter prohibuerat, ne quid electo populo negotii esset cum Ægyptiis. Quamvis nulla ratio manifesta esset, oportuit tamen parere Dei imperio. Sed jam rationem exposui cur Deus nollet Israelitas fœdus ullum contrahere cum Ægyptiis, quia volebat experiri ipsorum fidem & patientiam, si tanquam ad sacram anchoram, ut loquuntur, ad ejus opem confugerent quoties aliquid discriminis instabat. Fuit etiam altera ratio, quia ex quo Deus populum suum illinc extraxit, voluit separatum esse ab illa gente, quæ tam crudeliter in miseros hospites sævierat. Quantum attinet ad Chaldæos & Assyrios, tantum valuit prior illa ratio, quod scilicet fas illis non fuit diffidere auxilio Dei in suis periculis. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ quum dicit *Judæos fuisse scortatos cum filiis Ægypti.* Addit *fuisse magnos carne.* Designat rem fœdam & pudendam, quod scilicet essent accensi tanta libidine, ut inhiarent longis & crassis mentulis. Neque enim per carnem intelligitur corpus, sed pars pudenda. Utetur similitudine fœdiori postea. Neque enim potuit detestabilis populi illius perfidia satis damnari. Probrose ergo hic dicit Propheta *eos scortatos fuisse cum Ægyptiis*, quemadmodum si mulier libidinosa appetat virum robustum, vel bestiam aliquam, ut postea videbimus. Addit, *multiplicasti fornicationes tuas.* Alloquitur autem populum sub mulieris persona, quemadmodum ante vidimus: *ad irritandum me.* Hic tollit Propheta impio populo excusationem erroris. Dicit igitur, quum ita vagati sunt post suas impuras cupiditates, non fuisse lapsos inscitia, quia satis tenebant quid Deus mandasset sua Lege. Neque tamen dubium est quin animos suos offuscaverint, quemadmodum impii semper fodiunt sibi latebras, & habent speciosos prætextus, quibus non tantum malitiam suam occultent coram hominibus, sed seipsos etiam fallant. Probabile igitur est, non defuisse tales prætextus Judæis. Sed ex altera parte notandum est, satis superque edoctos fuisse Lege Dei quid liceret ac rectum esset. Quum ergo neglecta Lege ita flagrabant impiis cupiditatibus, merito Propheta dicit quasi data opera, vel consulto eos traxisse Deum in certamen. Jam si quis moveat quæstionem, an liceat cum impiis fœdus contrahere, responsio facilis est, cavendam omnem societatem, quæ quasi sub idem jugum nos copulat. Nam sponte satis jam propensi sumus ad omnia vitia. Ubi autem accersimus nobis novas occasiones, hoc est tentare Deum. Atqui ubi quispiam se nimis familiariter impiis conjungit, perinde est acsi accedendo ad flabellum, accenderet pravos affectus, qui jam plus satis in ejus animo ardent, ut dictum fuit. Cavendum igitur est quoad licebit, ne appetamus fœdera cum impiis. Cæterum, si necessitas cogat, simpliciter & per se res vitiosa non potest censeri: quemadmodum videmus Abraham fœderatum fuisse suis vicinis, *Genes. 21. v. 27, 32.* quum tamen diversa esset religio. Sed quia aliter non poterat redimere quietem, fuit illa species fœderum quasi vellet Abraham pacem sibi acquirere. Neque tamen dubitavit uti sociorum opera, quemadmodum ubi opitulatus est nepoti suo. *Genes. 14. v. 13, 14.* Sed si quærimus principium & causam, qua adductus fuit Abraham, ut fœdus percuteret cum suis vicinis, reperiemus non alio animo id fecisse, nisi ut pacatus domi suæ ageret: deinde ut tutus esset ab omni noxa. Erat solitarius, ut ipsum nominat Jesaias. *Jesa. 51. vers. 2.* Habebat quidem numerosam familiam, sed carebat sobole. Ergo non potuit effugere, quin fœdera admitteret cum suis vicinis. Sed quum Dominus ea lege populum suum collocaverit in terra Chanaan, ut illic eum tueretur, ut ab omni parte protegeret, ac se opponeret omnibus inimicis: videmus quasi inclusos fuisse sub ejus custodia, ut prohiberentur ab omni fœdere: quia non poterant pacisci vel cum Ægyptiis, vel cum Assyriis, quin tantundem detraherent auxilio Dei. Quantum ad nos spectat, dixi plus esse liberalitatis, modo ne titillet nos carnis cupiditas ad quærenda fœdera, quæ nos illaqueent aliis vitiis. Difficile enim est, retinere gratiam eorum quibuscum sumus fœderati, nisi illis assentiamur. Jam si sunt impii, trahent nos in Dei contemptum, in adulterinos ritus: sic fiet, ut malum ex malo nascatur. Nihil ergo melius est, quam vela contrahere, & respicere in unum Deum, & habere in ipso defixas mentes, nec admittere ullum societatis genus, nisi necessitas nos cogat. Deinde prudenter cavendum est, ne qua conditio admisceatur, quæ nos abstrahat à puro & sincero cultu Dei: quemadmodum diabolus astute semper insidiatur filiis Dei, & tendit illis laqueos occultos. Ubi ergo agitur de contrahendo fœdere, semper cavendum est, ne ulla in parte libertas nostra minuatur: deinde ne furtim & obliquis artibus abducamur à simplici Dei cultu. Jam sequitur,

27. Et ecce, extendi manum meam super te, & diminui demensum tuum, & tradidi te desiderio (*vel libidini*) earum quæ te oderant filiarum Philistim, quæ pudefactæ sunt à viis tuis sceleris. (*hoc est, quæ erant scelus, vel sceleratis.*)

Hic Deus exprobrat Judæis duritiem, quod ne admoniti quidem resipuerint. Dicitur vulgari proverbio, stultos saltem accepto malo sapere. Ubi autem talis est obstinatio, ut ferulæ nihil prosint, vitia sunt quasi desperata. Ergo Deus hic conqueritur, quum Judæos castigasset, id caruisse profectu: quia adeo fuerint præfracti, ut ne tunc quidem animum applicuerint ad reputanda sua peccata. Nam ferulæ Dei expergefacere nos debent, ut quæ prius latebant vitia veniant quasi in conspectum & lucem. Ubi autem arrodimus frenum, & non afficimur ipsis plagis, hinc apparet nos esse quasi perdito ingenio. Hunc ergo obstinationem nunc Propheta damnat in Judæis: *extendi*, inquit, *manum meam super te.* Jam duas castigationis species enumerat, primo quod Deus spoliaverit Judæos copia bonorum omnium, quibus locupletati fuerant: deinde quod eos subjecerit hostium libidini. Qui vertunt Justificationem, ut Hieronymus, prorsus discedunt à sensu Prophetæ: חק significat quidem statutum, & edictum: exponit ille de Lege. Sed quomodo hoc quadrabit, quum Propheta hic retineat similitudi-

nem, qua hactenus uſus eſt? comparat enim Deum marito. Jam pronunciat Deus, quia videbat ſe ludibrio haberi ab impura uxore, *abſtuliſſe demenſum*, vel quod tam in victum, quam in cultum ejus deſtinaverat. Mariti enim pendunt ſuis uxoribus in cultum, in veſtitum certam aliquam ſummam. Et antehac Deus inter alia recenſuit quæ tam largiter contulerat in Judæos fuiſſe profuſa in ſuperſtitiones. Ergo ſecundum hanc rationem nunc dicit, *abſtuli demenſum tuum*, hoc eſt, quod tibi aſſignaveram. Hæc ergo pars fuit una caſtigationis. Comparat autem uberem terræ proventum, & alia commoda demenſo, quod maritus uxori ſuæ aſſignat. Jam ſequitur altera caſtigatio, quod ab hoſtibus vexati fuerint, nec tantum ſenſerint Philiſtinos ſibi infeſtos, ſed traditi illis addictique in mancipia fuerint, quemadmodum dicit
Deut. 32. verſ. 30. Moſes, Quomodo unus viciſſit decem, & decem fugaſſent mille, niſi quia concluſi fuimus in manum ipſorum? Oſtendit ergo, hoſtes nunquam nobis eſſe ſuperiores, niſi quia nos quodammodo Deus illis mancipat. Qui ergo placide non ſubjiciunt ſe imperio Dei, ſed refractarii ſunt, traduntur in manum hoſtium, ut ſubigatur eorum contumacia dura tyrannide. Nunc tenemus quid velit Propheta hoc verſu: amplificat ſcelus populi, eo quod non fuerit converſus ad Deum, quamvis ſentiret clara experientia ſe eſſe maledictum. Debuerat ergo tunc vitam ſuam examinare, & gemere coram Deo, agnoſcere culpam, ut veniam impetraret: quia nullus ſenſus eum incitavit, Propheta colligit fuiſſe perditam illius obſtinationem. Notandus ergo nobis eſt hic locus, ut attenti ſimus ad Dei caſtigationes. Quoties ergo Deus vel digitum attollit, & nobis minatur, ſciamus illum eſſe ſollicitum de ſalute noſtra. Viciſſim ergo expergefiamus, & imploremus ejus miſericordiam: & præcipue nobis diſpliceamus in peccatis noſtris, quibus videmus iram ejus fuiſſe accenſam. Quod ſi manemus ſocordes, videmus nihil reſtare excuſationis: quia conqueritur etiam alibi Deus ſe luſiſſe operam quum filios ſuos *Jere. 2.*
frustra caſtigavit. Hic anima נפש accipitur pro libidine, vel deſiderio, quemadmodum expoſui. Sequitur, *verſ. 30.*

28. Et ſcortata es cum filiis Aſſur, (*Aſſyriæ*) quia à non eſſe ſatietatem tibi: (*ad verbum, hoc eſt, quia non erat tibi ſatietas*) ſcortata es, *inquam*, cum illis, & ne ſic quidem fuiſti ſatiata.

Hunc quoque verſum de fœdere interpretor, quo ſe illaquearunt Judæi, quum ultro ſe Aſſyriis junxerunt. Fuit enim hoc certum ſignum diffidentiæ, dum ita appeterent extera auxilia, quaſi nudati eſſent Dei præſidio. Et exponere hunc verſum de idololatriis abſurdum eſſet: quia non ſolent hoc modo loqui Prophetæ, populum fuiſſe ſcortatum cum Aſſyriis, eo quod imitati ſint eorum ſuperſtitiones, & perverſos cultus. Quemadmodum ergo ante vidimus ſcortatos fuiſſe Judæos cum idolis, eo quod ſeſe proſtituerant ad impias ceremonias, obliti Legis Dei: ita nunc eos accuſat Propheta diverſæ ſcortationis, quod ſcilicet cupide appetiverint hinc inde auxilia, quaſi in Deo non ſatis eſſet virtutis ad ipſos protegendos. Nam alioqui nulla religio obſtabat, quo minus pacem colerent cum Aſſyriis. Sed quum
2 Reg 16. v. 7, 8, 9. viderent ſe premi à rege Iſraël, & rege Syriæ, tunc venit illis in mentem accerſere Aſſyrios. Hoc autem erat quaſi Deum extrudere ſuo loco. Nam Deus volebat quaſi extentis alis terram illam tueri, volebat Judæos fovere quemadmodum aquila pullos ſuos, ſicuti loquitur Moſes. Jam quum putarent ſe expo- *Deut. 32. verſ. 11.*
ſitos eſſe ad quodlibet diſcrimen, perinde erat acſi Dei auxilium excuterent. Non mirum igitur ſi Propheta dicat *ipſos fuiſſe ſcortatos cum Aſſyriis. Quia non erat tibi ſatietas.* Proſequitur ſimilitudinem, de qua ſatis diſſeruimus. Nam Judæis exprobrat quod fuerit inexplebilis eorum libido: ſicuti ubi mulier non contenta uno adultero, turbam accumulat, & ſeſe obtrudit abſque ullo pudore & delectu, quin venatur etiam conditiones. Talis igitur fuit intemperies in Judæis, quum multas ſcortationes ſimul conjungerent. Jam deſciverant à vera fide, quum fœdus percuſſerant cum Ægyptiis. Atqui acceſſit alia cogitatio, nempe utile eſſe habere Aſſyrios ſibi fœderatos. Fuit igitur illa effrenis libido, quam nunc metaphorice Propheta exagitat. Sequitur,

29. Et multiplicaſti (*vel auxiſti*) ſcortationes tuas ſuper terram Chanaan in Chaldæa, & ne in hoc quidem fuiſti ſatiata.

Hic Propheta docet, Judæos nullum feciſſe ſcortandi modum, quemadmodum ſi mulier poſtquam ſe proſtituit duobus vel tribus adulteris, vulgo ſuum corpus exponat: deinde etiam ſe proterve offerat amatoribus. Talem intemperiem Propheta dicit fuiſſe in Judæis. Quod autem dicit *ſuper terram Chanaan in Chaldæa*, quidam ita accipiunt, quod accumulaverint ritus impuros gentium omnium, nec tantum ſe fœdaverint idololatriis veteribus gentium Chanaan: ſed imitati ſint etiam Chaldæos in ſua impietate. Sed videtur hoc longe quæſitum. Alii dicunt, In Chaldæa, quæ ſucceſſit terræ Chanaan: hoc etiam commentum nimis coactum eſt. Alii אל accipiunt comparative, quaſi diceret, præ terra Chanaan. Sed tantum particulam ſimilitudinis ſubaudio, *quod* ſcilicet *multiplicaverint ſuas ſcortationes in Chaldæa non ſecus atque in terra Chanaan.* Neque enim mirum fuit, ſic ſcortatos fuiſſe cum ſuis vicinis quemadmodum antehac loquutus eſt Propheta de Ægyptiis: ſed quum in remotam terræ plagam curſitarent, hoc certe fuit inſtar portenti. Videtur ergo hic eſſe genuinus ſenſus, & optime fluit, *quod auxerint ſcortationes ſuas in Chaldæa tanquam in terra Chanaan.* Nam ſi mulier occurreret alieno viro, quaſi occaſionem nacta poterit minori dedecore ſe exponere ad ejus libidinem. Verum ſi qua curſitet, & conficiat longa ſpatia, ut quærat ſibi amatores, hoc ſuperat omnem ardorem libidinis. Non dubito igitur quin hac comparatione Propheta exaggeret crimen populi, quia tandem uſque in Chaldæam penetraverit, ut ſe proſtitueret ad ſcortationem. Dicit, *ne in hoc quidem fuiſſe ſatiatos Judæos*, quemadmodum ſuper idem dixerat quum tractabat de Aſſyriis. Summa eſt, Judæos fuiſſe abreptos furioſo impetu, ita ut nihil eſſet in ipſorum ſceleribus mediocre. Neque enim à Deo ſemel duntaxat, vel una in parte defecerant, ſed quæcunque objiciebatur occaſio, eam ſolebant nimis cupide arripere, ut hoc modo oſtenderent, ne guttam quidem pietatis in ſuis animis manere. Diſcamus autem ex hoc loco mature injicere frenum noſtris cupiditatibus. Nam ubi ignis accenſus eſt, non facile extinguitur: & diabolus ſuggerit ſemper lignum, vel addit oleum camino, quemadmodum dicitur. Præveniamus ergo malum quod hic damnatur in Judæis: neque tantum nobis ſumamus licentiæ, ut diabolus nos abripiat quaſi veſano furore. Sequitur,

30. Quam

30. Quam molle (*vel dissolutum*) est cor tuum, dicit Dominator Jehovah, quum facis hoc totum opus mulieris meretricis robustæ! (*vel dominantis.*)

Videtur Propheta secum hic pugnare dum Judæos comparat robustæ mulieri, vel prævalidæ, & tamen dicit corde fuisse dissoluto. Nam qui vertunt, cor obstinatum, ratione carent. videtur ergo hic subesse aliqua species repugnantiæ, quod fuerint robusti & audaces: & tamen corde molli, ac debili, vel infirmo. Sed utrumque semper deprehenditur in contemptoribus Dei, nempe ut diffluant instar aquæ, & interea sint quasi rupes. Diffluunt ergo, quia nulla est in ipsis vel firmitas, vel constantia. Nam huc & illuc distrahuntur, quemadmodum etiam quidam exponunt, cor distractum. Sed veniendum semper est ad illam mollitiem. Quicunque ergo à Deo deficiunt, feruntur sua levitate: ita mentes impiorum sunt quasi fluxæ & evanidæ. Nam cor hic accipitur pro sede intelligentiæ, ut multis aliis locis. Accusat igitur socordiam Propheta in Judæis: sed sub nomine cordis dissoluti: Gallice etiam ita loquimur, *Un cœur lasche:* & optime exprimitur Prophetæ sensus Gallica illa voce. Sed satis est tenere Prophetæ consilium, quod scilicet fuerint instabiles Judæi, quod agitati fuerint & distracti huc & illuc: quia nihil erat in ipsis firmum vel solidum. Interea vero comparat eos meretrici robustæ, quia scimus quanta sit audacia ad peccandum in Dei contemptoribus. Sicuti ergo sunt dissoluti, quia nulla est in ipsis attentio, nihil denique in ipsorum animis stabile: ita sunt quasi rupes, & audacter sese projiciunt, nec dubitant cum Deo ipso confligere. Quanquam ergo duo isti affectus videntur in speciem contrarii, semper tamen in reprobis eos licet conspicere, sed diversis modis. Adhæc proprie non tantum *robustam mulierem* vel meretricem Judæos vocat, sed *meretricem dominantem*, sicuti Gallice optime reddere licebit, *Une maistresse putain ou paillarde.* Nam quod exponunt eam dominari, ut licentiam sumat suis cupiditatibus, coactum est. Non dubito igitur quin significet, ipsos similes fuisse meretrici lascivæ, deinde quæ omnis pudoris oblita hinc inde quærit adulteros, & sufficit ad omnium concubitus: hic est sensus Prophetæ. Nunc sequitur,

31. Quum extulisti sublime tuum in capite omnis viæ, & excelsum tuum fecisti in omni celebri loco: & non fuisti tanquam meretrix ad spernendum munus.

Hic Propheta iterum perstringit superstitiones, quibus se addixerant Judæi. sed tamen figurate adhuc loquitur, quia per excelsa intelligit non simpliciter altaria, sed tentoria, quibus allicere tentaverant Judæi suos vicinos: quemadmodum si mulier impura locum celebrem deligat, ubi habeat cubile extructum, & sit conspicua, quo possit attrahere adulteros. Quanquam ergo Propheta hic in superstitiones invehitur, non tamen simplex est sermo, sed adhuc retinet illam similitudinem, de qua diximus. Dicit ergo Judæos fuisse adeo projectos ad libidinem, ut sese ostentaverint, & procul quæsierint adulteros, quasi erigerent in locis sublimibus sua tentoria vel cubilia. Quoniam hoc alibi fuit expositum, nunc leviter prætereo. Cæterum notemus; rem quæ videtur per se levis momenti, hic severe damnari à Propheta. unde discendum est, non esse æstimandum Dei cultum proprio nostro sensu. Nam quis putaret tam grave esse scelus, in honorem Dei extruere aliquod altare in loco sublimi? videmus autem ut Propheta abominetur illam superstitionem. Quum ergo Deus nihil velit mutari in suo
1 Sam. 15. vers. 22. cultu, sed præcipua pars ejus colendi sit obedientia, quam præfert omnibus sacrificiis: discamus etiam quæ videntur posse tolerari, quia tam severe à Deo damnantur, detestanda quoque nobis esse. *Quum ergo erigeres in capite omnium viarum, & in omni compito*, vel platea, hoc est, in omni loco celebri, *faceres tibi excelsum.* Hic videmus quo ferventius satagunt idololatræ, eo magis provocare iram Dei. & tamen videtur hoc illis esse indignum: quemadmodum hodie Papistæ, dum ita seduli sunt ad colenda idola, sub titulo Devotionis existimant quicquid est vitiosum, posse tamen & debere excusari coram Deo. Atqui ex opposito Spiritus sanctus dicit eo gravius peccare idololatras, quo magis fervent post impuros suos ritus. dicit, *non fuisti sicut meretrix ad spernendum munus.* Quidam frigide exponunt, quod meretrices soleant in animo suo ridere eorum stultitiam qui mercede ipsas locant: illud commentum prorsus alienum est. Sed probabile est quod alii afferunt, nempe non fuisse Judæos similes meretrici, quæ spernit munus, quo scilicet duplicetur. Nam hac vafritie ut plurimum pollent meretrices: quod si quid illis offertur, contemptim aspiciunt, & vix dignantur attingere. Hoc autem faciunt, ut miser amator existimet se non fuisse satis liberalem, atque ita duplicet munus suum, & omnia sua prodigat. Potest igitur ita accipi locus Prophetæ, quod non fuerint similes meretrici, quæ munus spernit, quo scilicet miser amator quasi pudefactus, augeat pretium. Sed mihi videtur aliud Propheta velle: etsi superiorem illum sensum non repudio. Sic igitur interpretor verba, quod non fuerint similes meretrici, quia munus spreverunt, quod meretricibus est insolitum. Meretrices enim faciunt quæstum ex suo corpore: unde & nomen illis inditum à merendo. Quoniam ergo scorta non sese gratis projiciunt, sed venantur mercedem, dicit Propheta Judæos non fuisse similes. quare? quia scilicet munus contempserint, quia dum explendæ tantum libidini studebant, neque spectarent munus ullum, neque appeterent sibi mercedem. Postea sequitur,

32. Mulier adultera loco viri sui sumit extraneos.

Alii vertunt, mulier adultera sub viro suo: & תחת utrumque significat: atque ita exponunt, mulieres adulteras non facere divortium cum suis maritis, dum violant fidem conjugalem, sed semper manere domi, utcunque admittant extraneos: & hac comparatione existimant crimen populi exaggerari, quod scilicet non tantum scortatus fuerit, sed etiam palam desciverit à Deo, & reliquerit ejus domum. Multæ enim impuræ mulieres manent cum suis maritis, & sua flagitia quoad possunt, occultant. Sed si qua mulier deserat & maritum, & liberos, hinc apparet esse prorsus deploratam. Existimant ergo hic Prophetam comparatione exaggerare divortium vel defectionem populi à Deo. Sed melius videtur sensus fluere, si simpliciter comparet eos mulieri adulteræ, quæ pro viro, vel loco viri admittit extraneos: *tu es*, inquit, *adultera mulier, quæ loco viri*, vel pro viro *amatores extraneos sibi accersit.* Nam mulier quæ nupsit marito liberali, tractatur ab ipso etiam honeste. Jam si adulteros hinc inde quærat, nec inducitur avaritia, neque quæstu: sed tantum fertur sua libidine. In summa, quemadmodum nuper Propheta dixit eos spernere omne lucrum, quia excæcat eos sua libido: ita nunc dicit esse similes adul-

adulteræ, quæ maritum suum repudiat: neque id modo, sed se projicit adulteris, quum tamen conditio ejus ingenua sit & honesta domi.

Da omnipotens Deus, quando nos tanto honore dignatus es, ut in Filio tuo unigenito tibi quasi sacro conjugii spiritualis vinculo simus conjuncti, ut maneamus in ea fide, quam tibi sumus polliciti, sicuti vicissim te nobis fidelem experti sumus tot documentis, donec perfuncti præsentis vitæ cursu perveniamus ad fruitionem ejus beatitudinis, quæ sit fructus castitatis fidei nostræ, in Christo Jesu Domino nostro, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SEXTA IN EZECHIELEM.

33. Cunctis meretricibus dant munus: (*hoc est, dari solent munera*) tu autem dedisti munera tua cunctis amatoribus tuis: & conduxisti eos ut ingrederentur ad te undique (*à circuitu*) in scortationibus tuis.

Hic Propheta ostendit quantopere desipuerint Judæi, qui una cum pudore omnia sua profuderint. Nam meretrices quæstus impellit ad turpitudinem: se quidem prostituunt non sine dedecore, sed lucro ducuntur. Dicit autem Propheta, Judæos quum scortati sunt, fecisse id cum suo dispendio, quoniam ut ad se pellicerent amatores, nullis sumptibus pepercerint. Prosequitur vero similitudinem, de qua vidimus. Gentem enim illam comparat mulieri perfidæ, quæ relicto marito se offert adulteris. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Certum quidem est, Judæos non id fecisse data opera. Putabant enim sibi utile fore cum Ægyptiis & Assyriis fœdus: deinde nolebant gratis idola sua colere, sed amplissimam mercedem sperabant quum ita accerserent sibi adulterinos cultus. Verum Spiritus sanctus non quid illi vel optaverint, vel speraverint respicit, sed loquitur de re ipsa. Certum autem est, Judæos fuisse valde prodigos in suis superstitionibus. Et idem hodie cernitur in Papatu. Qui ægre assem unum erogant si subveniendum sit pauperibus, multos aureos projiciunt ubi redimere se volunt suis satisfactionibus. Nullus igitur est sumptuum finis in illa vesania. Idem etiam furor apud Judæos valuit: quod nunc illis exprobrat Ezechiel. Dicit ergo *dona obtulisse suis amatoribus*, nempe quoniam ut dixi, in falsorum deorum cultu fuerant admodum prodigi, deinde quum fœdus appeterent vel cum Ægyptiis, vel cum Assyriis, necesse erat venire oneratos larga copia: & testantur historiæ ut se prorsus exhauserint. Denique hic ostendit Propheta, Judæos fuisse plusquam excæcatos, ubi relicto Deo sese addixerunt idolis, quia nullum inde lucrum adepti sunt. Deinde ubi se implicuerunt perversis & nefandis fœderibus, ostendit etiam eos prorsus delirasse, quod ita se omnibus fortunis spoliarent: & tamen nihil referrent præter ignominiam una cum dispendio. *Dantur* ergo *dona meretricibus cunctis: tu autem dona tua*: pronomen Hieronymus accipit passive, nempe quæ Deus in populum illum contulerat.
Et respondet locus Hoseæ, ubi conqueritur Deus *Hosea 2.*
quæ dederat Judæis fuisse hoc modo profanata, acsi *vers. 5, 8.*
mulier quicquid accepit à marito adulteris suis largiatur: quod est valde fœdum. Nam maritus putavit hæc fore castitatis pignora quum uxorem suam ornaret vestibus pretiosis, vel aliis muneribus & ornamentis eam locupletaret. Ubi autem mulier omnis pudoris & verecundiæ oblita projicit adulteris quod accepit à marito, illud est portentosum. Ergo sensus ille mihi non displicet. Quanquam simplicius etiam accipere licebit, quod Judæi omnia sua bona dilapidaverint. Dicit *conduxisse suos amatores, ut ingrederentur undique ad scortandum*. Iterum repetit quod ante vidimus, nempe Judæos fuisse tanquam prostibula. Sunt enim impuræ mulieres, quæ tamen non ita feruntur post suam libidinem, quin contentæ sint uno adultero. Sed quemadmodum ante dixit Judæos divaricasse pedes, ita nunc repetit *conduxisse adulteros à circuitu*. Hoc autem est pudendum dictu quum mulier non aliter potest explere suam libidinem & salacitatem quam si accersat hinc inde adulteros, & sustineat multorum concubitus. Tamen Ezechiel exprobrat Judæis illam intemperiem. Rationem vidimus hesterna lectione. Sequitur,

34. Et fuit in te inversio à mulieribus, in scortationibus tuis, & post tua postrema (*hoc est, post te*) non erit scortatio: (*similis, subaudiendum est*) quia dedisti munus, & munus tibi non fuit datum: ita fuisti in contrarium. (*est eadem dictio: verbum* הפך *significat evertere, unde* הפך *significat inversionem, vel in contrarium.*)

Propheta autem tantum confirmat superiorem doctrinam, quod scilicet modo insolito Judæi correpti fuerint tanta libidine, ut cum damno & jactura satisfacerent suis cupiditatibus. Hæc autem comparatio exaggerat eorum crimen, quia deteriores fuerunt omnibus scortis. Nam quamvis scorta, ut diximus, turpiter sese vendant, tamen spes lucri est quidam excusationis prætextus: & potest fieri, ut mulier famelica obliviscatur verecundiæ, & ita sese prostituat. Sed detegitur fœdior & minus excusabilis intemperies in muliere quæ non tantum corpus suum divulgat, sed emit scortatores, tantum ut expleat suam libidinem. Nunc sequitur,

35. Propterea, meretrix, audi sermonem Jehovæ:

36. Sic dicit Dominator Jehovah, Quia effusum fuit infimum tuum, (*proprie æs tuum, sed metaphorice accipitur pro parte infima*) & detecta fuit turpitudo tua (*vel nuditas*) in scortationibus tuis erga amatores tuos, & erga omnia idola abominationum tuarum, & in sanguinibus filiorum tuorum quos dedisti illis:

37. Propterea ecce congregabo cunctos amatores tuos, quibus te oblectasti erga eos, & omnes quos dilexisti, & quos odisti: congregabo, inquam, eos contra te à circuitu, & retegam (*vel discooperiam*) pudenda tua (*vel turpitudinem tuam*) coram ipsis, & videbunt totam turpitudinem tuam.

Postquam

Postquam invectus est Deus in scelera populi, & totam gentem quasi ream peregit, nunc fert de illis sceleribus judicium. Repetit tamen breviter quæ dixerat acsi judex rationem sententiæ suæ exponeret, *Quoniam*, inquit, *profusa fuit pars infima corporis tui, & turpitudo tua retecta coram amatoribus tuis.* Hæc ratio est judicii: unde colligitur, Deum non modo justa, sed etiam necessaria causa adduci, ut tam severe cum populo suo agat. Jam sequitur: *Ideo congregabo*, inquit, *cunctos amatores tuos cum iis etiam quos odisti, congregabo eos, & retegam coram ipsis tuam turpitudinem.* Nunc videndum est quid minitetur Judæis, nempe probrosum interitum, ita ut sint omnibus ludibrio, & nemo illis succurrat. Metaphoricæ enim sunt loquutiones, ubi de amatoribus loquitur, & de partibus pudendis, vel nuditate. Sed amatores hic nominat tam Ægyptios, quam Assyrios, & Chaldæos. Unde etiam refellitur eorum opinio, qui putant Prophetam non nisi de superstitionibus disserere. Neque enim transferri quod nunc dicitur potest ad idola, quandoquidem scimus falsos deos non fuisse spectatores pœnæ, quam denunciat Propheta Judæis. Unde sequitur, hunc sermonem non competere nisi in homines ipsos, quorum præsidio usque eo confisi fuerant Judæi, ut Dei auxilium fere pro nihilo ducerent. Quum ergo translatio sit talis in ea parte, hinc etiam colligimus, ubi pudenda nominat, debere intelligi spoliationem, & cladem, imo interitum tam regni quam urbis, excidium etiam Templi. Tunc enim gens illa omnibus fuit ludibrio: imo etiam quodammodo foetida fuit, sicut solent scorta obsoleta. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Quod Hieronymus æs accipit pro pecunia, prorsus alienum est à Prophetæ mente. Minime igitur dubium est quin partem infimam intelligat: & sequitur continuo post *detectam fuisse turpitudinem*, eodem sensu. Sed simul exprimit Deus quomodo detecta fuerint pudenda gentis illius, nempe *ad scortandum*: quemadmodum si mulier impetu libidinis correpta nudaret corpus suum, & ostentaret partes pudendas. Sic etiam dicit *retectam fuisse turpitudinem in scortationibus erga*: על hic accipitur pro erga, vel contra: *erga amatores tuos*, inquit, *& erga idola abominationum tuarum.* Distinguit inter amatores & idola. Qui volunt Prophetam non nisi de superstitionibus concionari, putant superfluam esse copulam. Sed minime dubium est quin Propheta ab una parte Assyrios & Ægyptios, & Chaldæos designet: ab altera autem falsos deos. *Et in sanguinibus*, inquit. Hic attexit aliud crimen, nempe barbaræ sævitiæ, quia ne propriis quidem filiis parcebant, ut ante visum fuit: lustrabant multi suos liberos, sed quidam reperiebantur adeo rabiosi, ut in ignem conjicerent. Fuit autem illud prodigiosum facinus, quum ita in propria viscera sævire non dubitarent. Sed huc abrepti fuerunt insano zelo, ut liberos suos exurerent, quum alii duntaxat trajicerent per ignem. Nunc ergo Propheta eos iterum accusat crudelitatis, quod liberos suos obtulerint idolis, atque ita effuderint sanguinem innoxium. Jam sequitur pœna, *Ecce ego*, inquit, *congrego cunctos amatores tuos.* Diximus hoc non debere intelligi nisi de Ægyptiis, & Assyriis, & Chaldæis, qui spectarunt omnes cladem perversæ illius & perfidæ gentis: nemo autem opitulatus est. Deus ergo pronunciat interitum populi perinde fore acsi scortum à suis amatoribus contemptum vel fame & inedia, vel aliis miseriis periret. Nam hoc etiam ut plurimum accidit, ubi quis amore fervet, ut præferat propriæ vitæ meretricem. Nam & uxoris curam abjiciet, ac contumax erit erga patrem & matrem, & excutiet omnem verecundiam, ut potiatur meretrice, & ejus concubitu. Ubi autem meretrices senio mutatæ sunt, & capilli earum fiunt nives, quæ repræsentent ætatis hyemem: deinde ubi faciem rugæ deformant, tunc spernuntur, præsertim vero si sunt foetidæ & ulcerosæ. Sic etiam Propheta nunc dicit Judæos omnibus fore probrosos, ut amatores spectare cogantur illud exemplum: & interea vix dignentur aspectu scortum putidum, quod ante suaviter eos oblectaverat. Quanquam longius progreditur, nempe *ut inimici etiam spectent illam ignominiam.* Scimus autem undique circumdatos fuisse Judæos hostibus. Quotquot enim erant vicini, totidem erant infesti hostes. Jam dicit Propheta *expositum fore probram illius gentis tam amatoribus*, hoc est, Ægyptiis, & Assyriis, & Chaldæis, quam Philistinis, & Idumæis, & reliquis gentibus. Docet autem hic locus, quamvis non semper nobis appareat ratio manifesta in Dei judiciis: tamen nunquam nimis esse rigidum. Quod autem ad reddendam rationem descendit, hoc fit per modum indulgentiæ. Sed ubi tacitus sua judicia exercet, discamus acquiescere ejus justitiæ, neque obstrepamus acsi modum excederet: quia ubi semel exposuit se non nisi juste fuisse adeo severum, hinc colligenda est generalis regula, quoties videtur gravius & durius suos tractare: tamen habere justas causas. Discamus etiam justam mercedem repensam fuisse Judæis, ubi Deus ita maledixit omnibus eorum consiliis. Putabant se esse admodum providos & circumspectos quum foedus percuterent nunc cum Ægyptiis, nunc cum Assyriis. Atqui infeliciter illis cesserunt omnia ejusmodi consilia, nempe quia volebant sibi consulere quasi invito Deo. Discamus ergo si volumus bene prospicere nostræ saluti, & adipisci prosperum successum, nihil aggredi nisi Dei permissu, non agitare ullas deliberationes, nisi quas Deus ipse suo verbo & Spiritu dictaverit & suggesserit. Nam quasi in speculo hic nobis ostenditur qualis futurus sit eventus ubi homines volent plus sapere quam oportet, & quam illis à Deo permittitur. Jam sequitur,

38. Et judicabo te judiciis adulterarum, & fundentium sanguinem: & ponam te sanguinem excandescentiæ, (*vel æmulationis*) & zeli. (*vel zelotypiæ.*)

Tantum explicationis causa hic versus additur. Jam quamvis breviter, dilucide tamen exposuit Deus quisnam eventus maneret Judæos, nempe ut cum summo probro perirent, & destituerentur interea omni auxilio, quoniam Deo diffisi captaverant gratiam hominum, quemadmodum si mulier quærat adulteros. Sed confirmat eam doctrinam, quod scil. pœnas daturi sint duplices, sicuti non tantum adulteriis se polluerant, sed impiis cædibus, quod filios suos combusserant in honorem falsorum deorum. Potest quidem etiam exponi generaliter sententia illa, *judicabo te judiciis mulierum fundentium sanguinem*: quia scimus non modo idololatriam grassatam fuisse Hierosolymæ, sed rapinas, & omne crudelitatis genus. Quia enim à Deo & ejus cultu desciverant, violabant audacter totam Legem. Possemus ergo per secundam vocem intelligere omnia scelera, quibus provocaverant iram Dei ob suam crudelitatem. Sed quia nuper loquutus est de filiis, libenter retineo sensum illum, quod scilicet *plectentur tanquam mulier adultera, & mulier parricida, quæ liberos suos jugulaverit.* Putabant quidem se obsequium Deo præstare. atqui non repudiat tantum Deus stultas illas cogitationes, sed etiam abominatur. Nihil enim magis indignum quam sub obtentu pietatis filios suos ita jugulare, & exurere: hæc, inquam, minime tolerabilis fuit nominis Dei profanatio. Non mirum igitur est si denunciet duplicem vindictam, quia Judæi quum zelum obtenderent, Deo inurebant sceleris sui notam, quamvis putarent sibi esse obstrictum. Postea sequitur,

39. Et dabo te in manum eorum: & sublime tuum diruent, (*vel evertent*) & disrumpent (*vel conterent*) excelsa tua: & spoliabunt te vestibus tuis, & sument vasa gloriæ tuæ, (*vel decoris, hoc est, supellectilem pretiosam*) & dimittent te nudam, & discoopertam.

Hic amplificat Ezechiel Dei judicium, ubi docet non tantum expositos omnium probro fore Judæos, acsi producti essent in theatrum aliquod nobile & conspicuum: sed direptioni quoque & rapacitati eorum quibus prius fidebant. *Dabo te*, inquit, *in manus eorum:* loquitur de amatoribus & inimicis: certatim, inquit, omnes convenient tam fœderati tui & amici veteres quam inimici. Scimus enim spoliatos fuisse nunc ab Ægyptiis, nunc ab Assyriis, & Chaldæis. Nam quo tempore Hierosolyma capta & excisa fuit, redacti erant Assyrii sub Monarchiam Chaldaicam. Babylon enim oppresserat Ninevem, ut satis notum est: sed conjunctæ erant vires utriusque populi. Sic ergo spoliati sunt Judæi ab illis, quum tamen putassent sibi optime esse prospectum, ubi fœderati erant Assyriis contra reges Israël & Syriæ: deinde quum fœdus tandem ictum fuit cum Chaldæis, tunc vero putabant se esse extra omnem aleam periculi. Nunc autem deridet Propheta stultam illam confidentiam, ac dicit spoliatum iri ab omnibus illis amicis. Porro simul etiam dicit altaria destructum iri. Qui vertunt fornicem & lupanar, non satis considerant quod heri admonui, Prophetam scilicet ita uti figura, ut tamen simul designet aliqua ex parte rem ipsam simpliciter. Est igitur medius vel mixtus Prophetæ sermo, quia ex parte translatitie loquitur de excelsis & altaribus profanis: & simul prosequitur suam similitudinem. Non dubium igitur est quin per *locum sublimem*, & per *excelsa* intelligat ipsa altaria: etsi alludit simul ad fornices, quia dixit hesterna lectione stetisse Judæos quasi in capitibus viarum, ut obvios quosque etiam ignotos ad se allicerent. Sicuti autem Chaldæi Templo non pepercerunt: ita minime dubium est quin promiscue diruerint omnia altaria. Et tamen voluerant illis Judæi in extruenda eorum parte gratificari. Sed Deus ostendit quam stulte homines imaginentur felicem successum ubi velut data opera cum ipso pugnant. Et experientia docet idem subinde contingere omnibus incredulis. Nam quum quisque superstitiones suas amplexus despiciat quicquid apud alios sacrum vel sanctum censetur, hinc fit ut victores destruant templa & imagines, ut deforment regionem quam volunt esse vastatam & perditam. Sic etiam nunc dicitur, *destruent altaria tua & excelsa*. Jam addit, *& spoliabunt te vestibus tuis, & tollent vasa decoris tui.* Comprehendit bis vocibus Propheta quicquid beneficiorum Deus in Judæos contulerat. Nam scimus quam liberaliter ipsos suis donis ornaverit: deinde terram illam ejus benedictio incredibili modo reddidit fœcundam. Significat ergo in summa, Judæos ubi spoliati fuerint omnibus suis ornamentis, fore probrosos, quemadmodum sequitur, *& dimittent te nudam & discoopertam*, hoc est, abjicient, quemadmodum si amator satierate scorti captus, jubeat à se procul facessere. Sequitur,

40. Et ascendere facient contra te cœtum, (*vel exercitum*) & lapidabunt te lapidibus, (*sed nomen est supervacuum, quia* רגם *per se significat obruere lapidibus*) & perfodient te gladiis suis.

Quoniam incredibile erat quod hactenus protulit Ezechiel, ideo modum exprimit, quod scilicet tam Chaldæi, quam Assyrii adducent copiosum exercitum, *qui obruat lapidibus totam Judæam, & gladiis perfodiat.* His autem figuris simpliciter intelligit, tantam fore stragem, ut tota regio nudetur hominibus, perinde acsi lapidibus & gladiis hostes passim obvios quosque trucident. Quanquam existimant quidam ipsum alludere ad lapides, qui projiciebantur catapultis. Sed nescio an hoc venerit in mentem Prophetæ. Simplicius est quod attuli, nempe non esse cur Judæi existiment se tutos fore & incolumes à clade ultima, de qua Propheta loquutus est, quia *venient populosi & copiosi exercitus, qui ipsos lapidibus obruant, & gladiis perfodiant.* Sequitur,

41. Et exurent domos tuas igni, (*etiam nomen ignis redundat*) & facient in te (*vel exequentur*) judicia in oculis mulierum multarum: & cessare faciam te à scortando: atque etiam munus non offeres amplius.

Postquam de hominum strage loquutus est, adjungit ædium quoque incendia. Hoc jam triste fuit, exinaniri totam terram incolis, sed deformitas fuit tanquam cumulus extremæ cladis, quum scilicet domus fuerunt exustæ. Regio enim etiam in posterum quoque, & quidem diuturnum tempus vastata fuit. Nam ubi occisi sunt homines, possunt tamen alii succedere, si reperiant domos paratas, & agros non incultos. Verum ubi omnia consumpta sunt incendio, & aliis ruinis, spes in futurum quoque ablata est. Hoc nunc significat Propheta, quum dicit *domos exustum iri*. Adjungit, *exercebunt in te judicia in conspectu multarum mulierum*. Quia hactenus populo Judaico meretricis personam imposuit, sub nomine mulierum, ut membra inter se respondeant, intelligit vicinos populos. Confirmat autem quod ante vidimus, nempe pœnam quæ exigetur à Judæis, fore conjunctam cum maximo dedecore. Est autem hoc valde acerbum, ubi non modo nobis pereundum est, sed satianda hostium crudelitas, ubi multi nos spectant: & hauddubie fuit multo gravius Judæis, sustinere ludibria hostium suorum quam semel perire. Si statim fuissent occisi, mors non adeo ipsos cruciasset ut illæ subsannationes, quibus fuerunt vexati à suis hostibus. Diximus autem fuisse omnibus fere exosos: & in Psalmo etiam id ostenditur, quod *Psal. 137. vers. 7.*
Idumæi, & alii similes quasi per modum gratulationis dicerent, Euge euge, quum excidebatur Hierosolyma: Memento Domine filiorum Edom, qui dixerunt in die Hierusalem, Dirue, dirue usque ad fundamenta. Hoc ergo nunc Propheta denunciat, nempe pœnam cujus paulo ante meminit, fore in exemplum cunctis gentibus. Improprie quidem loquitur de Chaldæis, ubi dicit fore exequutores judicii Dei. Neque enim tale quicquam fuit illis propositum. Sed sæpe transfert Deus ad homines (qui instrumenta sunt suæ vindictæ) quod non nisi in ipsum proprie competit. Et hoc modo magis vulnerat Judæos, quum illis præficit Chaldæos judices. Deus ergo, proprie loquendo, solus fuit judex, qui ultus est scelera populi: sed interea substituit quodammodo in locum suum Chaldæos, ut pœna esset magis ignominiosa. Adjungit, *& cessare te faciam à scortatione, nec munera amplius offeres.* Non intelligit Deus Judæos meliores fore ubi in exilium tracti fuerint, sed simpliciter admonet materiam illis

defore

defore scortandi: quemadmodum meretrix etiamsi ab omnibus spreta pudefiat, non tamen meliore est ingenio, imo semper eadem in ejus animo impudicitia ebullit. Sic etiam Judæi semper fuerunt obstinati in suis sceleribus. Sed defuit illis peccandi materia. Sequitur,

42. Et quiescere faciam excandescentiam meam in te, & recedet æmulatio mea abs te: & quiescam, & non irascar amplius.

Quanquam videtur hic Deus promittere aliquam vindictæ mitigationem, minime tamen dubium est, quin exprimat quod ante vidimus, nempe talem fore interitum gentis, ut non opus sit iterum ad easdem redire pœnas. Quum ergo dicit, *quiescere faciam indignationem meam in te*, significat se fore vindicem omnium scelerum ita ut satietur: ac proinde quies indignationis Dei hic vocatur consumptio populi: quasi diceret, ubi te prorsus in nihilum redegero, tunc quiescet mea indignatio erga te. Eodem etiam modo postea adjungit, *& recedet indignatio mea abs te*. Verum non possem hodie absolvere.

Da omnipotens Deus, quando hactenus nos sustinuisti, quum tamen centies digni essemus extremo interitu, da inquam, ut sponte resipiscamus, & præveniamus horribile judicium, cujus specimen nobis proponis in veteri populo: & ita nos tibi totos addicamus vera fidei castitate, ut etiam cursum tuæ bonitatis experiamur usque dum fruamur æterna hæreditate, quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA SEPTIMA
IN
EZECHIELEM.

Substitimus heri in ea parte, ubi Deus pronunciat *æmulationem suam recessuram à Judæis*. Hoc quidam interpretantur de zelotypia: nec displicet sensus ille. Scimus enim Deum hactenus loquutum esse in persona mariti. Ubi autem maritus ulciscitur injuriam sibi illatam, totus ardet zelo. Itaque sibi non temperat in vindicta: sed ubi cœpit uxorem suam pro nihilo ducere, quemadmodum si fœdatam videat, & indignam de qua amplius cogitet: tunc sedatur ejus iracundia & indignatio. Sic ergo quidam intelligunt, recedet zelotypia mea abs te, hoc est, posthac non eris mihi loco uxoris, sed te contemnam acsi esses extranea prorsus, & mihi incognita. Potest tamen aliter accipi nomen *zeli* vel æmulationis, quemadmodum heri etiam dicebat, ponam te sanguinem indignationis & zeli, hoc est, nihilo mitius tecum agam ac solent qui toti flagrant iracundia, & spirant meras cædes: quemadmodum ubi quis inflammatus est contra hostes, quoscunque habet obvios trucidat. Sicuti ergo posuit Deus proxima lectione sanguinem zeli & iracundiæ, ita etiam hoc loco potest accipi simpliciter nomen æmulationis, קנאתי, *quod recedet Dei æmulatio* vel zelus, hoc est, ardor ille ulciscendi *à Judæis*, nempe ubi deerit materia, quemadmodum heri exposuimus. *Quietus ero*, inquit, *& non irascar amplius*. His verbis idem confirmat, nempe talem fore interitum urbis Hierosolymæ, ut Deus quasi satiatus desinat à vindicta. Neque tamen hic aliquam mitigationem promittit, sicuti quidam putarunt: sed exprimit quam formidabilis futura sit vindicta, quia consumet atque abolebit totum populum, ut Deus irasci desinat, quemadmodum ubi nihil ligni residuum est ignis sponte extinguitur. Hæc summa est. Sequitur,

43 Quia (*propterea quod*) non es recordata dierum adolescentiæ tuæ, & irritasti me in hoc toto, (*vel tumultuata es contra me*) etiam ego viam tuam in caput reddam, (*ponam*) dicit Dominator Jehovah: & non fecisti cogitationem super cunctis abominationibus tuis. (*alii vertunt, ut non impleas cogitationem in cunctis abominationibus tuis. Hieronymus legit in prima persona, ideo sic transfert, non implevi cogitationem secundum abominationes tuas, acsi Deus hic laudaret suam clementiam, quod sibi moderatus fuerit in vindicta: sed illud est prorsus alienum.*)

Primo exprobrat Judæis, quod non reputaverint secum quam liberaliter fuissent tractati. Fuit autem illa ingratitudo nimis turpis, quia Deus nullum beneficentiæ genus omiserat, quo non ipsos ornaret. Quod ergo non reputarunt se tam splendide fuisse à Deo ornatos, & illum fuisse tam beneficum, hinc colligi potest, indignos fuisse apud quos locaret tam ampla & præclara beneficia. In summa hic ostendit Deus, quantumvis severe puniat Judæos, tamen id esse promeritos sua ingratitudine, quod non expenderint quam fuisset erga ipsos liberalis. nam fracti fuissent eorum animi. Si mulier à marito discedat, vel cogitur perversis ejus moribus, vel prodit ingenium illiberale, si honeste fuerit tractata. Quum autem Judæi tantopere tot modis obstricti essent Deo, perfidia & defectio eorum eo magis fuit detestabilis. Deus enim non patitur sua beneficia à nobis vilipendi: quia finis semper notandus est cur nihil omittat, quo testetur paternum suum amorem erga nos, nempe ut celebretur à nobis ejus bonitas. Ubi autem convertimus ejus beneficia ad profanandum ejus nomen, illud est quasi cælum terræ miscere. Hic ergo locus notandus est contra ingratitudinem. Jam addit, *tumultuata es contra me*, vel commovisti me, aut irritasti. רגז significat aliquando expavescere: sed accipitur etiam pro rixari, & contendere, & tumultuari. Potest etiam hoc verbum, meo judicio, tam active quam passive accipi, hoc est, in neutro genere. Si accipimus in neutro genere, optime conveniet Judæos fuisse tumultuatos contra Deum, hoc est, quasi turbulento impetu fuisse correptos, ita ut eo neglecto & despecto sibi indulgerent in sceleribus. Si magis placeat activa significatio, sensus erit, irritasti me. Jam adjungit, *ego quoque in caput* (subaudiendum est pronomen, in caput tuum) *reddam viam tuam*: quibus verbis iterum confirmat Deus se non temere neque inconsiderato zelo ferri ad puniendos Judæos: quia si quis consideret eorum facinora, agnoscet justam mercedem illis rependi. In summa, hic os obstruitur Judæis, ne excipiant inclementer Deum agere, quia fructum duntaxat operum suorum colligunt. Postea addit, *&*

castitate desciverint: sed etiam fuerint quasi feroces bestiæ contra proprios filios. Perstringit autem crimen illud quod heri etiam exposuimus, quod scilicet Judæi filios suos exurerent. In summa significat Judæos referre gentem Chananæam, referre Israëlitas, & Sodomitas, quia tam perfidi sint quam crudeles. Damnantur itaque priore loco, quod omnem pudicitiam & fidem conjugalem abjecerint: secundo autem, quod obliti fuerint humanitatis. Nunc sequitur,

47. Et non in viis ipsarum ambulasti, & non secundum abominationes earum fecisti, quasi parum, (*pauxillum*) & exiguum: & corrupta es præ illis in cunctis viis tuis.

Jam Propheta non contentus ea similitudine quam posuit, dicit Judæos esse longe pejores tam matre sua, quam sororibus. Neque tamen secum pugnat: sed Deus voluit ita gradatim attrahere sceleratos in judicium. Si primo statim verbo dixisset esse nequiores Sodomitis, minus attenti fuissent ad hanc accusationem. Sed ubi rem incredibilem proposuit, nempe esse filiam gentium Chanaan, esse sororem Samariæ, & Sodomæ, & postea altius conscendit, ac pronunciat superare tam matrem quam sorores: hoc quemadmodum dixi, vehementius est ad expergefaciendos animos. Hæc igitur diversitas nihil repugnantiæ continet, sed potius ad amplificationem valere debet. *Tu*, inquit, *non ambulasti secundum vias earum*. Non eximit hic Judæos à societate scelerum quasi sint extra culpam, quia non imitati sint vel Chitæos, vel Sodomitas, vel Israëlitas: sed restringi debet verbum *ambulandi* ad æqualem modum, quasi diceret non estis pares. Est autem species correctionis quum Deus jam dicit Judæos non esse pares vel Chitæis, vel Sodomitis, quia scilicet eorum impietas fuerit magis detestabilis: deinde quod proruperint in omne genus scelerum majore licentia. Nunc tenemus Prophetæ consilium, ubi dicit Judæos *non ambulasse in viis* aut Sodomæ aut Samariæ, aut gentium Chanaan, quia scilicet præcesserint, ac fuerit in illis plus ardoris ad currendum. Nam si tantum imitati essent Judæi tres populos quorum fit hic mentio, *ambulassent in viis illorum*. Sed ubi ita abrepti fuerunt sua in emperie ut præcurrerent, jam non ambularunt in ipsorum viis, imo reliquerunt eos à tergo. Et hæc antithesis satis erit ad explicandum Prophetæ mentem, quod scilicet non sequuti sint Judæi vel Sodomitas, vel Israëlitas, vel Chananæos: sed sua festinatione, & præcipiti violentia reliquerint ipsos longe à tergo. Et dicit, *quasi modicum parum*, hoc est, acsi tibi parum esset repræsentare tam matrem, quam sorores tuas. *Sed corrupta fuisti*, inquit, *præ illis*. Jam seipsum exponit clarius, quomodo non ambulaverint in ipsorum viis, quia sese majore licentia præcipitaverint, ut jam diximus. Sequitur,

48. Vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si fecerit Sodoma soror tua ipsa & filiæ ejus quemadmodum fecisti tu & filiæ tuæ.

Quia difficile creditu erat quod nuper vidimus, ideo interponit Deus jusjurandum. Nec vero mirum est spretam ac procul rejectam fuisse à Judæis ignominiam, quam vidimus illis inuri. Scimus quanta fuerint superbia turgidi. Jactabant enim semper suam adoptionem, & gloriabantur Dei nomine. Cæterum, scimus si quis hodie gentem sceleratam accuset, tamen nomen Sodomæ esse in tanta detestatione, ut si utatur hoc sermone, omnes accendat contra se, & faciat ut cum indignatione respuatur ejus sermo. Quis enim patietur conferri Sodomæ vel urbem unam, vel gentem? Quod autem ad Judæos spectat, diximus id fuisse illis intolerabile, ut erant delicati & superbi. Erat etiam aliqua ratio, cur indigne ferrent se pronunciari deteriores Sodomitis: quia Deus non frustra ipsos elegerat in peculium, & insignie-
Exod. 19. vers. 6. & 4: 22. rat magnificis illis titulis, Vos eritis mihi regnum sacerdotale, eritis mihi hæreditas: deinde, Filius meus primogenitus Israël. Nunc videmus quam necessarium fuerit interposito jurejurando sancire quod dixerat Propheta. Deus ergo hic per seipsum jurat, quia ipsum advocamus tanquam testem & judicem ubi juramus. Sed jurat per se vel per vitam suam, quia ut Apostolus docet, non habet majorem per quem juret. *Hebr. 6. vers. 13.* Quicquid sit, hic prosternit omnem stultam gloriationem, qua inflati erant Judæi, quum jurat per seipsum, *illos esse deteriores Sodoma, & filiabus ejus*. Atque hic quoque *filias Hierosolymæ* nominat similiter minores urbes. Fuit hoc valde durum Judæis, quum diceret Propheta, & sæpius repeteret, *Soror tua Sodoma*. Sed hoc longe acerbius ad vulnerandos animos quum dicit *justam esse Sodomam præ Hierosolyma*: hoc fuit illis prorsus intolerabile. Et tamen videmus ut Spiritus sanctus hic minime ipsis indulgeat. Ergo non respiciendum est quid ferre queant reprobi: sed tractandi sunt pro suo ingenio: & quemadmodum ferociter insurgunt adversus Deum, ita etiam subigendi sunt: & quemadmodum vulgari proverbio dicitur, duro nodo reperiendus est durus cuneus. Jam sequitur,

49. Ecce hæc fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ, superbia, satietas panis, & securitas otii (*vel pax quieta, alii, abundantia otii*) fuit illi, & filiabus ejus: & manum egeni & inopis non apprehendit.

Hic incipit Deus rationem ostendere cur extenuaverit scelera Sodomæ præ sceleribus populi sui. Nam si in genere loquutus esset Propheta, neque explicuisset Dei consilium, fuisset incredibilis ejus sermo: & ideo caruisset profectu. Sed nunc ostendit Deus non temere se pronunciasse quod ante audivimus, nempe Judæos pejores esse Sodomitis. Quare? *hæc* enim *fuit iniquitas Sodomæ sororis tuæ*, inquit, primo *superbia*, deinde *satietas panis*, & deliciæ, quemadmodum solent sibi indulgere & demergere se in otium qui fruuntur longa pace: postea, *non apprehendit manum egeni*. Jam adjungit,

50. Et superbe se extulit, & fecit abominationem coram me, & abstuli ipsos quemadmodum vidi. (*hoc est, quemadmodum placuit mihi.*)

Hic locus diligenter excutiendus nobis est. Deus enim non hic extenuat scelera Sodomæ, sed quantumvis abominabilis fuerit ille populus, Judæos tamen dicit esse sceleratiores. Scimus cur Deus terribili modo vindictam suam exercuerit adversus Sodomitas, & eorum vicinos. Fuit illud horribile exemplum. Et Judas etiam dicit esse quasi speculum vindictæ Dei, quæ manet omnes impios. *Jud. 1. vers. 7.* Et ideo Scriptura sæpe nos revocat ad illud documentum judicii Dei. Sed videndum est quomodo Sodoma eousque licentiæ proruperit, ut nullum flagitium exhorreret. Dicit Deus exordium fecisse à superbia.

Et

Et certe mater est superbia tam contemptus Dei, quam omnis crudelitatis. Discamus ergo non posse nos aliter retineri sub Dei timore, quam si regnet in nobis modestia & humilitas. Scimus autem duo esse cornua superbiæ, ut ita loquar, nempe dum homines suæ conditionis obliti, sibi arrogant non modo plusquam fas est, sed quod Deus sibi uni vendicat. Hoc est igitur unum superbiæ cornu, ubi homines sua dignitate, præstantia, copiis, & opibus confisi, inebriantur falsis imaginationibus, ut putent se esse quasi pares Deo. Jam alterum cornu superbiæ est, ubi non agnoscunt sua vitia, & alios præ se despiciunt, imo perinde acsi immunes forent à reddenda ratione, sibi placent in flagitiis. Quum ergo superbia contineatur his duobus membris, nempe quod sibi nimium arrogant homines, deinde quod cæcutiunt ad sua vitia: utrumque hic hauddubie damnatur in Sodomitis, nempe quod primo *se extulerint temeraria confidentia*, deinde quod se Deo non subjecerint, acsi excusso jugo possent contra ipsum lascivire. Postea adjungit *satietatem panis*. Atqui videtur Propheta damnare in Sodomitis quod per se non est vitiosum. Si enim largiter nos Deus pascat, satietas non videtur habenda esse pro vitio. Sed saturitatem hic accipit pro immodica ingurgitatione. Qui enim abundant sæpe luxuriantur, imo nihil rarius quam homines sibi temperare ubi materia luxuriandi suppetit. Ergo *saturitas panis* hic accipitur pro intemperie, quod Sodomitæ scilicet crapulis fuerint dediti & ebrietati: quod sese ita ingurgitaverint, ut ingluviem suam replerent non secus ac feræ bestiæ: imo feræ bestiæ retinent aliquem modum. contentæ enim sunt suis alimentis. Sed hominum aviditas est prorsus insatiabilis. Notemus ergo per *satietatem panis* intelligi intemperiem, in qua sibi indulgent homines profani dum largiter illis Deus suppeditat unde vivant. Neque enim respiciunt in quem finem abundent & vino & tritico, & omni copia rerum: sed sese demergunt belluino quodam impetu & cæco. Porro superbiæ subjicitur talis saturitas, quæ inflavit spiritus Sodomitarum, ut sibi plus justo arrogarent. Postea addit, *& quies*, שלוה quidam vertunt abundantiam: sed ubique fere accipitur pro pace. Jam quod additur nomen שקט, significat proprie quietem esset igitur pax quietis, vel otii. Hoc etiam videtur non fuisse reprehensibile. cur enim non licebit nobis otio frui si nemo sit nobis molestus, aut facessat negotium? Imo hoc censetur inter Dei benedictiones, Dormies, & nemo exterrebit. Quum ergo *Levit. 26. vers. 6.*
Deus hoc velit censeri inter suas benedictiones, quod fideles secure dormiant absque ulla anxietate, aut molestia, cur damnatur Sodoma, quod ita pace & otio potita sit? sed hic etiam excessus notatur, non verus usus. Siquidem usus pacis est, tranquillis nos esse animis, ut gratias agamus Deo, & placide sub ejus imperio degamus. Quid autem faciunt reprobi? obbrutescunt, ut ita loquar, in sua pace. Ergo notatur socordia per pacem otii hoc loco: & intelligit Deus Sodomitas fuisse quodammodo inebriatos suis deliciis quum pace fruerentur. Reliqua differemus.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nos semel inserere in corpus unigeniti Filii tui, ut memores nostræ originis, nempe quod ab utero matrum perditi eramus & maledicti, deinde memores gratiæ illius qua nos dignatus es, te colamus ut patrem, & tibi fidem inviolabilem servemus: & ita simus tibi morigeri, ut magis ac magis in nobis instauretur imago tua in justitia & sanctitate, donec perfecte refulgeat gloria tua in cælesti tuo regno, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA OCTAVA

IN

E Z E C H I E L E M.

COEpimus ultima lectione tractare eum locum, ubi Deus pronunciat Judæos superasse omni genere scelerum tam Sodomitas, quam decem Tribus Israël. Quum vellet hoc probare dicebat hanc fuisse iniquitatem Sodomæ, *superbiam, saturitatem panis*, deinde *otium cum desidia*: addebat *crudelitatem*: postremo ponebat alterum genus superbiæ, quod scilicet populi illi inebriati essent confidentia, ut sibi concederent effrenem & belluinam licentiam, de qua paulo post loquitur. Dicit enim urbes illas fuisse eversas ac deletas, quoniam perpetraverant fœdas abominationes. Quantum ad saturitatem pertinet, diximus non simpliciter hic damnari liberalem victum si quis affluentia divinitus sibi concessa utatur: sed luxuriam una cum intemperie. Divites enim ut plurimum sese ostentant, nec tantum appetunt suas delicias, vel se ingurgitant, sed triumphos dissolutionis agunt luxuriando. Hoc ergo reprehendit Propheta in Sodomitis. Idem diximus de quiete & otio, notari scilicet socordiam, qua sese profani homines quasi dementant. Sed id clarius paulo post exprimitur per *elationem*. Jam addit Propheta, *non apprehendisse manum pauperis & egeni*. Hoc notandum est, quia superbia fere semper est crudelis. Et certe nemo, ex animo succurrit suis fratribus egenis, nisi qui afficitur eorum necessitate. Qui vero inebriati sunt confidentia, sibique omnia arrogant, despiciunt fratres suos: sic fit, ut sinant eos secure inopia & egestate prorsus opprimi. Et Propheta hic de Sodoma nihil pronunciat, nisi quod quotidianis experimentis nimium cernitur. Jam adjungit,

50. Et extulit se, (*& extulerunt se, nam comprehendit etiam filias Sodomæ, hoc est, vicinas urbes*) & fecerunt abominationem coram facie mea, & abstuli eas, quemadmodum volui. (*hoc est, quemadmodum mihi placuit, & visum est.*)

Hic Deus ostendit Sodomam non primo die prolapsam fuisse ad fœda illa & nefanda flagitia, quæ tandem causa fuerunt ultimi interitus. Quod etiam diligenter notandum est. Nam ubi Satan nos initio allicit, putamus nobis semper fore liberum retro cursum flectere simulac placuerit. Sed illaqueamur nunc uno modo, nunc alio. Ubi autem tenemur implicit Satanæ decipulis, jam non est in arbitrio nostro inde exire: imo sentimus nos quasi demersos esse in labyrintho. Quoniam ergo tales fiunt progressus ad provocandam iram Dei, locus hic observatu dignus est, ubi admonet Deus, Sodomitas non fuisse deditos primo die prodigiosæ libidini, sed cœpisse à levioribus peccatis, nempe quod luxuriati fuerint in sua copia, deinde obstupefacti fuerint in suo otio & quiete: interea spreverint pauperes & egenos, neque porrexerint illis manum. Nam *apprehendere manum* tantundem valet ac manum porrigere, ubi scilicet erigimus collapsos, vel fulcimus eos qui labascunt. Postquam ergo Deus ostendit Sodomitas ita fuisse corruptos deliciis, tandem addit *quod se extulerint*, hoc est, sponte & data opera se exemerint ab omni metu pœnæ. Nam hoc intelligitur per verbum efferendi. *Extulerunt* ergo *se*, quia sibi polli-

polliciti sunt impunitatem, & fallaci illa spe *ausi sunt patrare abominationem coram facie mea* Semper ergo timendum est, ne ubi Satan nos suis illecebris implicuerit, tandem prorsus nos fascinet, & obstupefaciat sensus nostros, ut nullum supersit discrimen boni & mali, quemadmodum Sodomitæ superarunt etiam bestias illa fœditate, quæ causa illis fuit exitii. Jam quum pronunciat Deus *se abstulisse illas urbes sicuti censuit*, vult terrorem incutere Judæis, ne putent quicquam se posse tergiversando proficere, quia velint nolint tandem trahet ipsos quoque ad suum tribunal. Deus ergo hic sibi vendicat summum judicium, ut sentiant Judæi coram ipso sibi reddendam esse rationem. Nunc si quis roget, an non hæc scelera quæ commemorat Ezechiel, graviora sint sceleribus populi Judaici, responsio in promptu est, nempe Sodomitas caruisse Lege, ideo non mirum esse si in tenebris vel erraverint, vel impegerint. Sed quum via recte vivendi monstrata fuisset Judæis, eos tanquam ex professo quæsiisse suum interitum, quum scilicet scientes & volentes abjicerent jugum Dei, & contumaciter spernerent omnes Prophetas, qui quotidie studebant ipsos revocare in viam. Quanquam aliæ etiam circumstantiæ notandæ sunt, quod scilicet Judæi non tantum abusi sint bonorum quæ Deus largiebatur copia, sed quemadmodum vidimus, eam profuderint in cultus adulterinos: deinde quod accersiverint hinc inde omne genus superstitionis, & inter se fuerint deteriores feris bestiis, quemadmodum alibi visum fuit. Quanquam scimus etiam flagitium illud Sodomiticum fuisse nimium vulgare in Judæa, quum Legis obliti variis corruptelis se inficerent. Si ergo ex opposito hæc singula expendantur, non poterit mirum videri, si Deus pronunciet Judæos gravius peccasse, quam Sodomitas. Nunc sequitur,

51. Et Samaria secundum dimidium scelerum tuorum non scelerate egit: & multiplicasti abominationes tuas præ illis, & justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus tuis quas patrasti.

Nunc idem pronunciat Deus de Samaria, quam prius vocavit sororem minorem natu. Per Samariam vero, ut diximus, intelligit Israëlitas, quia urbs illa erat caput regni Israël. Jam decem Tribus abductæ fuerant in exilium. Dicit ergo Israëlitas non dimidia ex parte fuisse sceleratos, si comparentur cum Judæis. Hoc primo intuitu posset videri absurdum. Scimus enim cultum Dei fuisse retentum Hierosolymæ, quum Israëlitæ Lege abjecta, turpiter & palam defecerunt ad idololatriam. Quum ergo adhuc vigeret aliqua integritas pietatis Hierosolymæ ex quo Israëlitæ impia defectione Legem Dei abjecerunt, quid hoc sibi vult, Judæos tamen censeri pejores? Nempe semper veniendum est ad fontem illum quem ostendi. Nam ingratitudo plurimum valet ad exaggeranda hominum scelera. Sed alia etiam ratio notanda est. Viderant Judæi quam severe ultus esset Deus superstitiones regni Israël: tantum abfuit ut resipiscerent, ut potius se tunc adjunxerint illis socios, quasi vellenr deintegro iram Dei accendere. Hæc igitur duo si reputamus, soluta erit quæstio quantum ad præsentem locum pertinet. Dicit Deus quod nobis incredibile est, Judæos pejores esse Israëlitis: sed ideo pronunciat, quoniam ingratitudo reddiderit ipsos minus excusabiles. Deus enim ipsos sibi retinuerat in peculium quum misera illa dissipatio contigit, & absorptæ fuerunt quodammodo decem Tribus. Semper lucerna Dei fulgebat Hierosolymæ, quemadmodum dicitur. [Exod. 27. vers. 20.] Quum ergo Deus exiguam illam manum, quasi florem populi, sibi integram ac incolumem servasset, fuit prodigiosa illius populi defectio magis quam decem Tribuum. Nam paulatim decem Tribus fuerunt abstractæ à vero & sincero Dei cultu, ut satis notum est. Jarobeam enim semper præ se tulit non aliud sibi esse in animo, quam colere Deum liberatorem populi. [1 Reg. 12.] Putabant igitur Israëlitæ se non prorsus esse apostatas, quamvis essent degeneres à patribus suis Sed Judæi sibi asciverunt crassas superstitiones, quarum puduisset ipsos Israëlitas initio Deinde admoniti fuerunt multis pœnarum exemplis, ne fratres suos imitarentur. Atqui ut antea visum est, Templum ipsum fœdatum fuit multis inquinamentis. Dixit enim Ezechiel se vidisse illic horrendas spurcitias. [cap. 8.] Quoniam ergo Judæi tam male profecerant quum Deus ante oculos illis proponeret suam vindictam, non mirum est si dicantur gravius peccasse. In summa adjungit, *tu multiplicasti præ illis abominationes tuas, & justificasti sorores tuas in omnibus abominationibus quas patrasti.* Hic Justificandi verbum accipitur primo comparative: deinde non significat extenuatam fuisse culpam aliorum, sceleribus populi Judaici: sed si velit populus excusationes obtendere, facile posse convinci, ita ut Sodoma præ illo justa sit, & simul regnum Israël Justificare ut plurimum accipitur pro absolvere: & hoc notandum est, quia ubi dè Justificatione agitur, Papistæ semper arripiunt qualitatem, acsi Justificari esset reipsa esse justum. Hinc fit, ut gustare nequeant doctrinam satis familiarem Scripturæ & tritam, nos scilicet fide Justificari. Excutiunt enim hominem, ut illic reperiant justitiam, neque altius conscendunt. Atqui Justificari fide nihil aliud significat quam absolvi, licet apud nos justi non simus. Itaque Justificatio fidei extra nos quærenda est: & hinc colligitur, non esse qualitatem. *Justificavit* ergo *Hierosolyma sorores suas*, quia reperta fuir deterior tam Sodoma quam Samaria. Sequitur,

52. Etiam tu porta probrum tuum quæ judicasti sororem tuam in sceleribus tuis, quibus impie egisti (*vel abominabilis fuisti*) præ illis: justificatæ sunt præ te. Atque etiam tu (*ideo tu*) pudefias, & porta probrum tuum, quod justificaveris sorores tuas.

Hic tandem pronunciat Deus se pœnam sumpturum de Judæis qualem fuerant promeriti. Hactenus recensuit eorum scelera, quemadmodum præfari solent judices quum damnant maleficos, quibus causis adducti fuerint ad ferendam sententiam: ita breviter ostendit Deus quam scelerati essent Judæi. Nunc autem adjungit se ultorem fore pro magnitudine scelerum. Nam vorassent facile omnes objurgationes, nisi injectus fuisset pœnæ metus. Hoc ergo secundum caput necessarium fuit, non impune scilicet illis cessurum, quod ita superaverant tam Sodomam quam Samariam. *Tu quoque* ergo *porta opprobrium tuum, quæ judicasti sororem tuam.* Hic videtur secum pugnare Ezechiel. dixit enim paulo ante, & statim repetet, Hierosolymam Justificasse sorores suas. Judicare vero contrarium est. Atqui dicit Samariam fuisse damnatam à Judæis. Sed facilis est dilutio hujus repugnantiæ. Justificarunt enim Judæi tam Israëlitas, quam Sodomitas, non quod elogio suo absolverint, sed quia digni præ illis essent duplici damnatione: quemadmodum Christus loquitur, In die ultimo mitius fore Sodomæ & Gomorrhæ, quam Judæis. [Mat. 11. vers. 24.] Cæterum quod hic dicitur de damnatione alio pertinet, nempe quod insultaverint Judæi fratribus suis, ubi viderunt regnum illud pessundatum, & abactos fuisse à terra sua Israëlitas. Quia ergo ita superbe

perbe loquuti sunt de clade decem Tribuum tanquam innoxii, Propheta illis exprobrat, quod ipsos judicaverint. Et hoc nimis commune est hypocritis, nempe duriter in alios omnes invehi & excandescere, quasi hoc modo tegerent sua scelera. Et Paulus tale vitium illis exprobrat, quod scilicet censo- (Rom. 2. v. 1, 2, 3.) res essent nimium superciliosi, & interea sibi omnia permitterent, Existimas, inquit, homo, quum alios damnaveris Deum non functurum esse judicis officio: quisnam es, mortalis homo? tu partes judicandi tibi arrogas: interea spoliabiturne Deus suo jure, ut non vocet in rationem tua peccata? Nunc ergo tenemus Prophetæ consilium. Nam exaggerat scelera populi Judaici, quod velut ex alto sententiam protulerat contra decem Tribus: sane merito Deus delevit hoc regnum. erant enim apostatæ, deinde desciverant à familia Davidis, & violaverant sacram unitatem, qua Deus totum Abrahæ genus inter se devinxerat. Habebant quidem justas ita loquendi causas in damnandis Israelitis: sed quum essent illis pejores, quantæ arrogantiæ fuit vexare fratres suos, & interea cæcutire in suis vitiis? imo prorsus obstupescere? *Tu ergo judicasti sororem tuam*, id est, tu sumpsisti tibi Dei munus, & interea tu eras deterior sorore tua. Quidam aliter exponunt, quod Judæi decem Tribus judicaverint quamdiu steterunt in mediocri aliquo cultu Dei. Sed non attendunt ad contextum. Non dubium igitur est quin hic Propheta fastum perstringat, quo turgebant Judæi, dum ita erant severi judices contra alios & sibi parcebant. *Justificatæ sunt præ te*, inquit: *tu igitur* (repetit quod dixerat) *erubesce, & porta probrum tuum.* Repetitio hæc minime supervacua est, quanquam in verbis superioribus nihil erat obscurum. Nam difficile persuasu fuit, Judæos quoque daturos pœnas, quoniam Deus tamdiu ipsos toleraverat. Dei igitur bonitas, quæ eos invitabat ad resipiscentiam, potius obduraverat ipsos, & tantum sibi induxerant torporis, ut putarent se elapsos esse ab omni periculo. Hæc igitur ratio est cur Propheta confirmet superiorem doctrinam de propinqua Dei vindicta adversus ipsos. Dicit, *quum justificasti ipsas*. Hic repetit simul causam, & id facit, ut compescat omnes tergiversationes, quibus poterant Judæi sese utcunque tegere. Nam uno verbo ostendit fieri non posse aliter, quam ut pereant, quia scilicet justificaverint eos qui tam rigide fuerant tractati. Minime autem consentaneum fuisset, Deum una in parte cessare ab officio judicis, quum tam severus fuisset contra Sodomitas, qui ob errorem erant aliquatenus excusabiles. Hæc igitur ratio est cur iterum confirmet Propheta, *Sodomam & Samariam justificatas fuisse à Judæis.* Sequitur,

53. Et convertam captivitatem earum, captivitatem Sodomæ, & filiarum ejus, & captivitatem Samariæ & filiarum ejus, & captivitatem captivitatum tuarum in medio ipsarum.

Hic confirmat iterum quod nuper vidimus, Judæos scilicet addictos jam esse & devotos ultimæ cladi: nec magis fieri posse ut eripiantur, quam ut Sodoma iterum resurgat, & Samaria restituatur in pristinam dignitatem. Judæi hunc locum stulte depravant, quia existimant promitti tam Israëlitis quam Sodomitis restitutionem. Cæterum per Sodomitas intelligunt Moabitas & Ammonitas, qui erant progenies Loth, qui habitaverat Sodomæ. Sed pueri vident quam hoc sit nugatorium. Minime ergo dubium est quin Propheta hic spem omnem salutis eripiat Judæis, dum ratiocinatur ab impossibili, acsi diceret, tu scilicet salva eris quum salvæ erunt tam Sodoma quam Samaria. Atqui utramque funditus delevi & perdidi. Minime igitur sperandum est, ut tu impune evadas. Nunc tenemus consilium Prophetæ. Porro quæritur quomodo pronunciet nullos ex populo Israël fore incolumes, quibus tamen toties promittitur reditus in patriam. Sed memoria tenendum est quod alibi vidimus, & sæpius convenit repetere, quia alioqui multi loci in Prophetis gignerent nobis scrupulos. Diximus itaque aliquoties, Prophetas duobus modis loqui de populo. Respiciunt enim interdum promiscuum vulgus, atque etiam totum corpus. Atqui jam alienati erant à Deo Israëlitæ: postea Judæi seipsos quoque abdicarunt. Quum ergo uterque populus, quantum ad corpus, vel massam, ut crasse loquar, extraneus esset, non mirum est si Prophetæ pronuncient quod nunc legimus, nempe nullam illis spem misericordiæ restare, quoniam seipsos excluserant à Dei misericordia. Sed postea ad reliquias sermonem convertunt. Deus enim semper occultum aliquod semen servat, ne penitus extinguatur Ecclesia. Oportet enim semper Ecclesiam esse in mundo. Sed interdum quasi in sepulchro mirabiliter servatur, quia nusquam apparet. Deus ergo quum ultimam vindictam denunciat Judæis, respicit corpus ipsum populi: ubi autem promittit reditum in patriam, sicuti in fine capitis videbimus, illic quasi seorsum compellat electos suos, & exiguum illud semen, quod volebat manere salvum. Ideo dicitur apud Jesaiam capite 8., Obsigna legem (Jesa 8. vers. 16.) meam, liga testimonium meum inter discipulos meos, hoc est, alloquere discipulos meos tanquam si in recondito angulo legeres scriptum aliquod, quod nolles vulgari. Tu igitur seorsum collige discipulos meos, ut illis tradas legem meam, & testimonium meum, quasi literas obsignatas. Jam autem Deus ad tribunal suum citat Judæos illos degeneres, quibus nihil amplius erat commune cum Abraham: quia irritum fecerant, & prorsus aboleverant ejus fœdus. Nunc ergo videmus quomodo perierint Judæi simul cum Sodoma & Samaria, neque unquam fuerint restituti, nempe quantum ad illam fæcem vel colluviem pertinet, quæ prorsus indigna erat honore quo gloriabatur. *Restituam* igitur *captivitates ipsarum, nempe captivitatem Sodomæ, & urbium ejus, & captivitatem Samariæ & urbium ejus, & captivitatem captivitatum tuarum*, hoc est, & captivitatem totius terræ tuæ: restituam, inquit, vos omnes simul: sed ironice loquitur: & quemadmodum jam dixi, ostendit fieri non posse, ut unquam populi Judaici misereatur Deus. Sequitur,

54. Ut portes probrum tuum, & pudefias ab omnibus quæ fecisti, consolando ipsas.

Hinc colligimus, proximo versu Deum nullam spem salutis dedisse Judæis, sed potius confirmasse, ita se illos perditurum, ut nulla in posterum speranda esset salus. Dicit enim *ut tu portes opprobrium tuum, & pudefias*, nempe quia gravius peccaverant, ut ante dictum fuit, neque resipuerant à sceleribus suis. addit, *consolando ipsas*. Loquitur ex vulgari hominum more, quod scilicet miseri aliquid levationis sentiant, ubi saltem vident se perire cum magna turba Hæc igitur consolatio est de qua nunc Propheta loquitur, non quod mitigata fuerit tristitia Sodomæ & Samariæ quum viderent Judæos sibi fuisse conjunctos: sed quemadmodum jam dixi, Deus sermonem mutuatur ex vulgari consuetudine hominum. Sequitur,

55. Et sorores tuæ Sodoma & filiæ ejus revertentur ad pristina sua, (*ad antiquum statum*) & Samaria & filiæ ejus revertentur ad antiquitatem suam, (*hoc est, ad pristinum statum*) & tu & filiæ tuæ revertemini ad pristinum statum.

Nunc sequitur clarior explicatio superioris doctrinæ, Judæos scilicet tunc sensuros Deum misericordem, quum misericordia ejus perveniet ad Samariam & Sodomam. Id autem nunquam fieri poterit. Ergo hic rediguntur Judæi ad desperationem. Nam quemadmodum jam dixi, argumentatur Propheta vel ab impossibili, aut saltem ab absurdo. Quale est illud Virgilii,

Virgil. Eclog. 1.

Ante leves ergo pascentur in aëre cervi,
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim:

quod fieri non potest: ita dicitur ad certam negationem ejus rei, quæ posset videri dubia. Proverbialis igitur est loquendi forma, quum dicit Ezechiel *Sodomitas & Israëlitas redituros ad antiquum statum*, vel ad pristinam dignitatem. Illud enim quemadmodum dixi, minime sperari poterat. Unde sequitur, Judæos non posse salvos esse, ubi Deus ad eandem pœnam ipsos trahet. Cæterum, perinde loquitur Propheta acsi jam urbs excisa foret, & Templum dirutum. nempe quoniam antehac sæpius minatus fuit Judæis, & ostendit quasi ante oculos præsentem Dei vindictam. Quamvis autem semper bene sperarent, tamen contempto illorum fastu, quo excæcati erant, hic sua vaticinia perinde in medium ptoponit acsi jam Deus exequutus esset quicquid minatus fuerat. Hac ratione dicit *captivitas captivitatum tuarum erit in medio ipsarum*. Atqui poterant excipere, se frui patria, se adhuc agros suos colere, vel saltem habere alimenta, quibus se sustentarent, quamvis obsiderentur ab hostibus. Sed id totum Propheta despexit, quia jam coram Deo urbs ipsa quasi capta erat, & omnes erant exules, quoniam Deus non frustra illis minatus fuerat. Hic me debilitas cogit subsistere.

Da omnipotens Deus, quando nos dignatus es inæstimabili tua misericordia separare ab omnibus profanis gentibus, & cooptare in familiam tuam, ut nos ita geramus ne censeas pro extraneis: sed dum filios tuos agnoscis, ut Spiritu tuo nos gubernes usque in finem, quo glorificetur nomen tuum in nobis: & tandem participes fiamus ejus gloriæ, quæ nobis acquisita est per Jesum Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUADRAGESIMA NONA

IN

EZECHIELEM.

56. Et non fuit Sodoma soror tua in sermonem in ore tuo in die superbiarum tuarum. (*vel altitudinum.*)

57. Priusquam detegeretur malitia tua secundum tempus probri filiarum Syriæ, & omnium quæ in circuitu ejus sunt filiarum Philistim, quæ spreverunt (*vel dirispuerunt*) te à circuitu. (*vel per circuitum.*)

Hic exprobrat Deus Judæis, quod non attenti fuerint ad insigne illud judicium, quod ediderat contra Sodomitas. Habebant enim semper ante oculos quod deberet ipsos retinere in timore Dei. Erat enim formidabile illud spectaculum, sicut hodie est. Sciebant regionem illam foisse quasi paradisum Dei. Sic enim vocatur à
Genes. 13. vers. 10. Mose. Quum igitur tanta esset fertilitas & amœnitas illius loci, videre illic lacum sulfureum & bituminosum, nisi prorsus fuissent socordes, erat satis materiæ ad ipsos erudiendos. Atqui Propheta dicit nullam fuisse mentionem Sodomæ quamdiu Judæi feliciter egerunt. Scimus autem hoc esse grave scelus, ubi non considerantur Dei judicia: sicuti etiam legitur apud Jesaiam. Inter alia enim dicit Judæos
Jesa 5. vers. 12. & Israëlitas fuisse ita corruptos, quia non respexerint ad opera Dei. Ergo sicuti est utile exercitium, reputare Dei judicia, imo hæc est præcipua fidelium prudentia: sic ex opposito qui oculos claudunt ad manifesta Dei judicia, sunt fere similes brutis animalibus. Et tamen hoc est vitium plusquam vulgare, præsertim addita circumstaotia, quæ hic exprimitur, nempe quod profani homines non attenti sunt ad opera Dei, ubi inebriati sunt rebus prosperis. Nam hoc loco possumus duobos modis exponere nomen גאוניך quo utitur Propheta, superbias tuas, vel altitudines tuas. Interdum enim גאון accipitur non in malam partem, sed pro sublimitate vel alto gradu honoris. Cæterum, sensus Prophetæ clarus est, dum res fluxerunt Judæis ex voto, non admodum fuisse sollicitos de reddenda coram Deo ratione: imo clausis ocnlis præteriisse memorabile illud exemplum, quod Deus in Sodoma & vicinis urbibus designaverat. Ergo discamus ex boc loco, ubi Deus nobis indulget, ac suaviter & delicate nos tractat, semper tamen revocanda esse in memoriam judicia ejus, ut cohibeamur ab omni lascivia, ne prosperitas nos ad nimiam licentiam incitet: & id plusquam necessarium est. Scimus enim nihil esse proclivius quam exultare ubi Deus nos quodammodo saginat, sicuti equis ferocibus accidit. Ergo remedium mature adhibendum est, nempe ut nos erudiant pœnarum exempla sive quæ in Scripturis leguntur, sive quæ recitantur ab aliis historicis, vel quorum etiam ipsi fuimus oculati testes. Adjungit, *Priusquam detegeretur malitia tua*. Hic Ezechiel detectam fuisse malitiam populi dicit ubi apparuit Deum infestum esse sceleribus: quia etiam tunc quum possent digito notari scelera, quæ plusquam vulgaria erant Hierosolymæ: tamen sibi adhuc populus in illis blandiebatur, quemadmodum si mulier impudica omnibus sit in fabulam, tamen quia habet suos amatores, qui eam colunt & fere adorant, salutatur honorifice ab omnibus: ideoque sese præfert omnibus castis matronis. Cæterum, si omnes illam abjiciant, si redigatur ad inopiam, si fœdata sit & quasi lacera ulceribus, tunc patefiunt ejus flagitia. Ergo hic de effectu Propbeta loquitur: *priusquam*, inquit, *detegerentur flagitia tua*: quomodo? Deus quidem assidue clamabat per suos Prophetas, & palam sponte apparebant scelera populi: sed tunc quoque manebant quasi sepulta. Nam superbe repudiabant omnes Propheticas objurgationes: imo proterviebant contra Deum ipsum. Tunc ergo adhuc Judæi latebant sub suis umbraculis. Sed ubi fuerunt omnibus in ludibrium, fuerunt spoliati à suis vicinis, & passi sunt extremas quasque contumelias, tunc reipsa apparuit ipsos rejectos esse à Deo. Pœnis ergo detecta fuerunt eorum scelera, quum nihil profecissent omnes objurgationes, & minæ. Cæterum, hoc interpretes

expo-

2 Reg. 16. exponunt de clade quam passi sunt Judæi tempore
Achaz. Tunc enim rex Syriæ vastavit pene totam re-
gionem, & duriter mulctati fuerunt cives Hieroso-
lymæ. Hac occasione etiam accepta, Philistini irru-
ptionem fecerunt. Putant igitur designari tempus
illud, quum rex Syriæ bellum intulit Israëlitis, &
grassata est ejus violentia per Judæam. Sed nescio an
Propheta respiciat futurum tempus, quemadmodum
heri dixi. Loquitur enim de pœna quæ instabat,
perinde acsi Deus jam complesset quod apud se desti-
naverat. Mihi certe placet conjungi principia cum
fine ultimo. Cœpit ergo Deus patefacere scelera
populi Judaici ex quo incendium quo consumpta
fuerat vicinia, ad ipsos usque pervasit. Clades enim
regni Israël intulit ipsis multa damna, quemadmo-
dum satis notum est. Sed videtur tamen Deus com-
prehendere ultimum interitum, qui adhuc instabat.
Dicit ergo fuisse & futuros esse opprobrio tam filia-
bus Syriæ & gentibus quæ erant in circuitu, quam
filiabus Philistim. Quia autem spoliati fuerunt à Phi-
listinis, qui ceperunt etiam quædam oppida, sicuti
sacra Historia refert, optime convenit, verbum 2 Chr. 28. vers. 18.
שאט ita exponere hoc loco. Sed quia significat
spernere, & loquutus est Propheta de opprobrio,
poterit idem repetere de Philistinis quod de Syris
paulo ante dixerat. Sequitur,

58. Pravas cogitationes tuas, (*vel flagitia tua*) & abominationes tuas, tu portasti ea, dicit Jehovah.

Hic repetit Deus quod ante vidimus, Judæos sci-
licet destitui omni excusatione. Scimus quam auda-
ces fuerint in suis expostulationibus, & semper fue-
rint obstreperi quum Deus severe cum illis ageret.
Quia ergo semper in ore volitabant querimoniæ su-
perbo populo, hic (quemadmodum antea) pronun-
ciat Deus promeritos esse quicquid patiuntur: *tu*,
inquit, *portas* non immodicum rigorem cujus tu me
insimulas falso, sed *tuas abominationes*, & flagitia.
זמה significat cogitationem simpliciter, significat
etiam abominationem: quia hic quadrat, verti fla-
gitia, hoc est, turpitudines. Nunc ergo tenemus
Prophetæ consilium, quod scilicet Judæi retulerint
justam mercedem suorum scelerum: & pœnæ, quæ
ipsos manebant non possint imputari Deo in nimium
rigorem, quia si expendantur scelera, gravius pec-
caverant, quam ut mitius cum ipsis ageretur. Cæte-
rum, hic quoque versus complectitur ultimum exi-
tium urbis & Templi: quanquam Deus simul con-
jungit pœnas, quibus voluerat ipsos revocare in
viam. Sequitur,

59. Quia sic dicit Dominator Jehovah, Et faciam tibi quemadmodum fecisti, quæ (*vel quia*) sprevisti jusjurandum ad dissipandum (*vel ut irritum faceres*) fœdus.

Hic etiam occurrit Deus falsæ objectioni, qua po-
terant Judæi cum ipso litigare. Qualescunque enim
essent, Deus tamen fœdus cum ipsis pepigerat. Po-
terant ergo semper confugere ad illud asylum, quod
Deus obstrinxerat illis fidem suam, quando adopta-
verat Abraham cum suo semine. Ergo quamvis iram
Dei millies provocassent, manebat tamen adhuc hæc
exceptio, quod Deus fidem suam præstare debebat,
nec respicere quid illi essent meriti sua ingratitudine,
sed potius constare sibi in promissis. Hanc ergo ca-
villationem nunc antevertit, ac dicit sibi esse libe-
rum discedere à fœdere, quum illi priores discesse-
rint. *Ego*, inquit, *faciam tibi sicut fecisti*. Videmus
itaque hic repelli calumniam qua Judæi poterant ob-
lique Deum infamare, ut solebant, acsi fœdus suum
irritum faceret. Dicit ergo hoc esse usitatum in fœ-
deribus, ut qui deceptus est, non debeat homini per-
fido, & fœdifrago amplius esse obstrictus. Requi-
ritur enim mutua fides in fœderibus. Judæi autem
violaverant fœdus, & in nihilum redegerant. Ergo
libertas acquisita fuit Deo eorum perfidia & sce-
lere, ut illos abjiceret, neque amplius censeret in suo
populo. Proinde sicuti proximo versu dixit se sol-
vere justam mercedem Judæis, ita nunc adjungit spe-
cialiter se non posse damnari malæ fidei, quod à fœ-
dere suo discesserit, quia negotium sit cum perfidis
hominibus & fœdifragis, qui fœdus ipsum aboleve-
rant. Nullum enim est fœdus, ubi altera pars ab eo
discessit. *Faciam* ergo *tibi quemadmodum fecisti*,
nempe *quia sprevisti jusjurandum, ut irritum faceres
fœdus*. Hic Deus amplificat crimen defectionis,
quod non tantum fœdus dissipaverint Judæi, sed
quod contempserint jusjurandum. אלה significat jus-
jurandum & execrationem: ideo quidam existimant
hic Prophetam respicere ad maledictiones, quibus Deut. 27.
Lex fuit sancita: quod ego libenter recipio. Sed no-
tandum est quod jam dixi, exaggerari criminis ma-
gnitudinem, quod Judæi non modo fidem datam
fefellerint, sed etiam pro nihilo duxerint illud so-
lenne jusjurandum, quo sese obstrinxerant. Sicuti
enim Deus pollicebatur se fore illis in Deum: ita Levit. 26.
Moses ejus nomine stipulabatur ut populus maneret
in ejus obsequio: & respondebant omnes, Amen:
pœna erat edicta, & quidem quæ terrefacere ipsos
debebat. Quod ergo Judæi neglexerint fœdus illud,
acsi esset aliquod ludicrum, fuit plusquam bruti stu-
poris. Quare videmus duplicari eorum crimen, ubi
accusat ipsos Propheta, quod non tantum fuerint
fœdifragi, sed etiam Deum proterve deriserint, &
suum illud solenne jusjurandum quo se obstrinxe-
rant, habuerint pro puerili aliqua actione. Sequi-
tur,

60. Et memor ero (*vel memor tamen ero, copula enim debet resolvi in adversativam*) fœderis mei tecum diebus adolescentiæ tuæ: & stabiliam tibi fœdus perpetuum.

Quia hic Deus promittit se fore propitium Ju-
dæis, quidam contexunt superiorem versum, acsi di-
ctum esset, an facerem tecum sicuti fecisti? vel, face-
rem tecum sicut fecisti, nisi quod memor ero. Sed
illud est nimis coactum, meo judicio. Non dubito
itaque quin Propheta nunc seipsum restringat, ut ita
loquar, & sermonem peculiariter dirigat ad electos,
de quibus heri dictum fuit. Hactenus respexit to-
tum corpus populi, quod erat perditum. Ergo nihil
præter desperationem proposuit. Nunc autem con-
vertit se ad reliquias gratiæ, sicut Paulus loquitur:
Rom. 11. vers. 5. & hac ratione promittit, Deum memorem fore fœ-
deris sui, non quod totum populum promiscue resti-
tuerit. Oportuit enim perire universum corpus: sed
exiguam duntaxat manum servavit. Sciamus ergo
hanc promissionem non esse communem omnibus
filiis Abrahæ, qui genus ab eo trahebant secundum
carnem: sed solis electis esse propriam. Deus ergo
pronunciat *se memorem fore fœderis, quod pepigerat cum
populo illo in adolescentia*: quibus verbis significat mi-
sericordiam suam non aliunde prodituram quam ex
fœdere. Semper enim revocat Deus fideles tanquam
ad fontem, ne quid sibi arrogent, vel imaginentur
has & illas causas cur Deus ipsis reconcilietur.
Ostendit ergo hanc misericordiam non alibi quam in
fœdere fundatam esse; atque hæc ratio est cur dicat
se me-

se memorem fore sui fœderis. Jam addit, *& stabiliam tibi fœdus perpetuum.* Non obscure hic Deus promittit fœdus aliquod melius & præstantius illo veteri, quod jam abolitum fuerat populi culpa. Hic ergo locus non potest intelligi nisi de novo fœdere quod Deus pepigit per manum Christi. Sed hæc duo membra ut inter se cohærent, ita debent sedolo expendi, nempe quod Deus hic spem faciat novi fœderis: interea tamen originem ejus doceat esse antiquum fœdus, quod abolitum fuerat culpa populi. Ita videmus novum Testamentum manare à fœdere illo quod Deus percussit cum Abraham, deinde per manum Mosis iterum sancivit. Novum ergo vocatur fœdus quod promulgatum est nobis in Euangelio, non quod initium nullum ante habuerit, sed quia renovatum fuit, deinde addita melior conditio. Nam scimus abrogatam fuisse Legem novo fœdere. Quicquid sit, excellentia novi Testamenti non obstat quo minus originem suam & causam habeat à veteri fœdere, atque in ipso sit fundatum. Sequitur,

61. Et recordaberis viarum tuarum, & pudefies quum tu assumes sorores tuas majores præ te, & cum minoribus præ te: & dabo ipsas tibi in filias: & non à fœdere tuo.

Quemadmodum ostendit Deus se ideo, nec alia de causa placabilem fore erga Judæos, nisi propter fœderis sui memoriam: ita nunc vicissim admonet quid ab ipsis requirat, nempe ut incipiant agnoscere quam turpiter abnegaverint fidem datam, quam indigne contempserint ejus Legem, quam impie obstinati fuerint contra omnes Prophetas, deriserint objurgationes, imo etiam stupidi fuerint in pœnis manifestis. Est autem hic locus notatu dignus, quia colligimus, nullos esse capaces misericordiæ Dei, nisi qui sibi displicent, & pudefacti ac confusi se conferunt ad ejus misericordiam. In summa videmus Dei gratiam non prodesse quicquam obstinatis. Offertur quidem omnibus communiter, sed non alii ipsam recipiunt, nisi qui seipsos damnant, & recordantur suorum scelerum, ut in oblivionem veniant coram Deo. Si itaque volumus sepulta esse coram Deo peccata nostra, veniant nobis in memoriam: si volumus deleri nostra opprobria coram Deo & Angelis, probrosi simus apud nos, hoc est, erubescamus, & pudeat nos turpitudinis nostræ quoties occurrunt peccata quibus iram ejus provocavimus. Videmus ergo hic breviter perstringi totam Euangelii summam. Nihil enim aliud continet Euangelium, quam pœnitentiam & fidem, ut satis notum est. De fide concionatus est Ezechiel, quod scilicet Deus memor fœderis sui reconciliabit se perditis: sed adjungit nunc exhortationem, ut ipsi agnoscant sua peccata. Scimus autem pudorem de quo Propheta loquitur, fructum esse vel partem pœnitentiæ, sicuti
2 Cor. 7. vers. 9. 10, 11. constat ex septimo capite secundæ ad Corinthios, ubi Paulus describit pœnitentiam. Sed de hac re adhuc dicendum erit. Ego enim nunc festino, quia non posset intelligi quod hactenus docui, nisi perventum fuerit ad finem usque versus. Dicit, *quum assumes sorores tuas tam majores quam minores.* Non loquitur hic jam de sola Sodoma & Samaria, sed de cunctis gentibus. Nam poterant merito sorores nominari cunctæ gentes, quia totus mundus corruptus erat. Quum ergo ita similes essent in vitiis, fuit illa conjunctio veluti consanguinitas. Hac ratione Judæis dicit, ubi redibunt in gratiam, tunc habituros secum magnam turbam, *quia accipient sorores suas*, id est, undique colligent immensam multitudinem, ut ita aggregentur omnes sub obsequium Dei, & participes etiam sint ejusdem fœderis. Si quis objiciat, hoc nunquam fuisse impletum, responsio in promptu est, Prophetas bifariam loqui de vocatione Gentium. Aliquando enim de ea sic concionantur, ut dicant Judæos & Israelitas aliis omnibus fore auctores, ut se
Zach. 8. vers. 23. conferant sub fidem & patrocinium Dei, In illa die apprehendent septem viri fimbriam Judæi unius, ac dicent, Adducite nos ad Deum vestrum: & ille fuit quasi legitimus ordo, ut Judæi qui erant primogeniti, alios sibi adjungerent in societatem, ut ita coalescerent in unum corpus & in unam Ecclesiam. Sed quia Judæi sua ingratitudine resecti fuerunt, ideo fit etiam mentio apud Prophetas vocationis alterius, quod scilicet Gentes succedent in locum ingrati po-
Rom. 11. v. 16. 17, 18, 19. puli, sicuti Paulus dicit ramos naturales fuisse exectos, & nos fuisse insitos, qui eramus ex arbore infructuosa. Hanc ergo priorem rationem nunc Propheta attingit, *quod Judæi assument sorores suas minores & majores*, ut scilicet colligatur ex cunctis gentibus Ecclesiam Deo: & id completum fuit in parte. Unde enim Euangelium, nisi ab illo fonte? sicuti prædictum fuerat, Lex exibit è Sion, & sermo Dei *Jesa. 2. vers. 3. Mich. 4. vers. 2.*
ex Hierusalem. Deinde Psal. 110., Sceptrum tuum exibit è Sion, hoc est, propagabitur regnum Christi *Psal. 110. vers. 2.*
per totum orbem. Quia igitur salus fluxit à Judæis, & Euangelium ab ipsis manavit, completum fuit aliqua ex parte quod hic promittitur, nempe quod à Judæis assumpti sunt alii populi. Jam adjungit, *dabo tibi illas in filias.* Nam Judæi nisi sua ingratitudine repudiassent honorem quo dignatus illos fuerat Deus, erant semper primogeniti in Ecclesia. Ergo Gentes fuissent quasi sub matre, quia populus ille ut erat tunc Ecclesia Dei primitiva, sicuti loquuntur: ita obtinuisset gradum matris apud omnes gentes. Merito igitur Deus hic pronunciat *se daturum in filias cunctas gentes*, quæ accedent ad Judæos, ut per fidem Euangelii inserantur in idem corpus Ecclesiæ. Sed addit, *non ex fœdere tuo.* Quidam referunt hoc ad ceremonias, quod Gentes ubi cooptabuntur, liberæ tamen manebunt à ceremoniis Legalibus. Sed illud est frigidum. Alii comparant hunc locum cum illo Jeremiæ, *Jer. 31. vers. 31, 32, 33.*
Percutiam vobiscum fœdus novum, non quale pepigi cum patribus vestris, quod irritum fecerunt: sed hoc est fœdus quod percutiam, &c. Quum ergo hic dicitur, *pactum fore non ex pacto populi*, quia scilicet erit novum Testamentum, vere hoc dicitur. Sed qui ita exponunt hunc locum neque nihil dicunt, neque totum. Subaudienda enim est antithesis inter fœdus populi, & fœdus Dei. Dixerat paulo ante, ego ero memor fœderis mei: jam dicit, *non ex fœdere tuo.* Conciliat igitur quæ videri poterant contraria, nempe memorem ipsum fore sui fœderis: & tamen fœdus illud esse dissipatum, fractum, & abolitum. Ostendit fœdus esse firmum ex parte sua, ut loquuntur: sed esse irritum ex parte populi. *Pacificar igitur, sed non ex fœdere tuo.* Nullum enim jam erat fœdus, sicuti dicitur apud Hoseam, Non popu- *Hosea 1. vers. 9.*
lus meus, non dilecta. Quicunque ergo progeniti erant ex Abraham, non erant populus Dei, non erant omnes filiæ dilectæ. Sed quamvis fœdus esset irritum, quo ad perfidiam populi: Deus tamen superavit eorum malitiam: & ita fœdus suum erga ipsos iterum erexit. Et quum dicit, *stabiliam fœdus*, possumus etiam exponere, rursus erigam, vel restituam in integrum. Diximus enim novum Testamentum sic distingui à veteri, ut tamen in ipso fundatum sit. Quid enim proponitur nobis in Christo, nisi quod Deus promiserat in Lege? & ideo vocatur Christus finis Legis: vocatur etiam alibi ejus anima. Nam si Lex separetur à Christo est instar literæ mortuæ: Christus solus eam vivificat. Quum ergo Deus hodie nihil exhibeat nobis in Filio suo unigenito, nisi quod olim sub Lege pollicitus est, sequitur fœdus ejus iterum erigi, & ita stabiliri in perpetuum, & tamen hoc non esse ex parte hominum. quare? Homines enim sic desciverant à fide, ut Deus esset liber: imo fœdus ipsum nullam vim haberet, & careret suo

effectu

effectu propter eorum perfidiam. Nunc facile est colligere quid simile sit inter novum & vetus Testamentum, & quale sit etiam utriusque discrimen. Simile hoc habent, quod Deus hodie uobis confirmat quod olim pollicitus est Abrahæ. Neque enim aliter Abraham vocari posset fidelium pater. Quum igitur Abraham hodie sit pater omnium fidelium, sequitur salutem nostram non alibi quærendam esse quam in fœdere illo, quod Deus cum Abraham pepigit. Sed postea idem fœdus sancitum fuit per manum Mosis. Jam diversitas breviter notanda est ex (Jere. 31. vers. 32.) loco Jeremiæ, nempe quia fœdus antiquum hominum culpa abolitum fuit, opus esse meliore remedio, quod duplex illic ostenditur, nempe ut Deus sepeliat peccata, & inscribat Legem cordibus hominum. Id (Genes. 15. vers. 6. Rom. 4. vers. 3. Ephes. 2. vers. 8.) etiam factum est Abrahæ tempore. Abraham credidit Deo: Fides semper fuit donum Spiritus sancti. Ergo fœdus suum inscripsit Deus cordi Abrahæ: Legem suam inscripsit cordi Mosis, & aliorum fidelium, verum est: sed primum obscurior fuit illa interior gratia sub Lege; deinde fuit quoddam adventitium beneficium. Non potuit igitur Legi adscribi, quod Deus regeunit tunc suos electos, quia Spiritus regenerationis à Christo erat, ideoque ab Euangelio, & novo fœdere. Sed tamen tenendum est quod dixi, fideles sub antiquo fœdere donatos fuisse & præditos Spiritu regenerationis. Quantum attinet ad remissionem peccatorum, erat etiam obscurior. Nam immolabantur pecudes, quæ non poterant acquirere salutem miseris hominibus, nec poterant delere peccata. Ergo si Lex in se respicitur, illic non reperietur quod promittitur in novo fœdere, Peccatorum (Jere. 31. vers. 34.) tuorum non recordabor. Et tamen hodie nobis ideo propitius est Deus, quia promisit Abrahæ benedictas fore omnes gentes in semine illius. Videmus (Genes. 12. vers. 3. & 18:18.) itaque esse verum illud discrimen quod designat Jeremias: & tamen novum fœdus ita à veteri manare, ut fere sit idem quoad substantiam, tametsi distinguenda sit forma.

Da omnipotens Deus, quando nobis apparuit unigenitus Filius tuus, qui omnes gratiæ tuæ numeros compleret, ne ingrati simus tam inæstimabile bonum spernendo: sed amplectamur vera & sincera fide quod nobis offers, nempe misericordiam, qua semper egemus: deinde Spiritum regenerationis, ut ita nos tibi addicamus tota vita in obsequium, quo tandem perveniamus ad gloriam illam, quæ hodie nobis tanquam in speculo relucet, donec fruitio in cælo appareat, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA IN EZECHIELEM.

62. Et stabiliam ego fœdus meum tecum, & cognosces quod ego Jehovah.

Confirmat hic Propheta superiorem doctrinam, nempe quamvis Judæi quantum in se erat irritum fecissent Dei fœdus, fore tamen firmum & stabile. Sed tenendum est quod admonui, sermonem hunc specialiter restringi ad electos, quia salus universi populi jam erat desperata. Ostendit ergo Deus fœdus quod pepigit cum Abraham, non posse aboleri hominum perfidia. At- (Rom. 3. vers. 4.) que id est quod dicit Paulus tertio ad Rom. capite, Etiamsi totus mundus sit mendax, Deum tamen semper manere veracem. Videmus autem fœdus de quo nunc agitur, ita fuisse novum, ut tamen originem duceret à veteri, quia per Christum sic reconciliati sumus Deo, ut oporteat nos inseri in corpus veteris Ecclesiæ, & fieri Abrahæ filios: quia non frustra vocatur Pater fidelium, ut ante vidimus. Dicit ergo Deus *fœdus suum fore stabile cum populo*, non illo populo qui jam rejectus erat propter suam perfidiam, sed cum veris & genuinis Abrahæ filiis, qui patrem scil. referebant fide, & pietate, sicuti in Psalmo dici- (Psal. 102. vers. 19.) tur, Populus creatus laudabit Deum. Nam illic etiam ostendit Propheta fœdus Dei non posse aliter constitui deintegro, nisi nova Ecclesia formetur, acsi Deus crearet novum mundum. Hoc enim sonant verba, quod populus creatus Deum laudabit. Oblique ergo perstringit Spiritus Israëlitas, acsi diceret laudes Dei apud ipsos esse abolitas: sed ubi emerget novus populus, tunc Deum glorificatum iri. Adjungit, *Et cognosces quod ego Jehovah*. Hæc loquutio sæpius repetita fuit, sed alio sensu. Nam quum Propheta minitaretur populo, semper addebat hanc particulam: & subaudienda tunc fuit antithesis inter stuporem populi & sensum. Nam prophetiæ omnes negligebantur à populo. Clamabant quidem servi Dei, & severe objurgabant impios & sceleratos homines, sed absque profectu. Quum ergo ita proterve illuderent objurgationibus & minis, sæpius illis dictum fuit, tunc quum desiero apud vos loqui, & vos erudiero meis flagellis, incipietis sentire me esse Deum. Sed nunc Propheta, ut videmus, concionatur de gratuita reconciliatione populi cum Deo. Ergo tunc senserunt ipsum esse Deum, quia stabat suis promissis, etiamsi culpa hominum collapsum esset ejus fœdus atque intercidisset. Propheta hic pronunciat sensuros Deum esse illis dissimilem, hoc est, non mutare consilium, neque pro levitate & inconstantia hominum variare: sicuti etiam apud Je- (Jesa. 55. vers. 8, 9.) saiam loquitur, Non sunt cogitationes meæ sicut cogitationes vestræ: quantum distant cæli à terra, tantum distant cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à viis vestris. Significat autem illic Deus perperam facere Judæos, quod æstiment ejus misericordiam ex proprio sensu. Dicit igitur se longissime ab ipsis differre, quia inæstimabilis sit ejus misericordia & incomprehensibilis veritas. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta hoc versu: priore membro pronunciat fœdus quod iterum Deus percutiet cum novo populo & electis suis, fore firmum: deinde adjungit, Judæos cognituros sibi negotium esse cum Deo, quia scilicet capere non poterant quod tunc Deus pollicebatur. Jam tenenda est ratio cur fœdus Dei perpetuum fuerit in Christo: quia (Jere. 31. vers. 33.) scilicet, ut legitur apud Jeremiam, inscripsit Legem suam cordibus piorum, deinde iniquitates remisit. Hæc igitur perpetuitatis est causa. Cæterum, quamvis secundo membro magnifaciat Propheta Dei gratiam, simul tamen revocat Judæos ab omni perversa cogitatione, quæ poterat illis fiduciam omnem excutere. Nam quum reputarent se esse quasi in abysso demersos, promptum erat colligere, nullum amplius esse remedium. Quod si volebat Deus illos servare, cur non tempestive illis opem tulerat? Quum ergo passus esset illos abduci in exilium, & quasi obrui in profundis inferis, nulla erat spes instaurationis. Hac de causa pronunciat Ezechiel fideles non debere insistere in suis cogitationibus, sed potius mente assurgere in cælum, ut expectent quod videtur prorsus absurdum: quia scilicet debeant ex natura Dei judicium facere, & metiri effectum promissionum immensa ejus potentia, non autem suo sensu. Sequitur,

63. Ut recorderis, & pudefias, & non sit tibi amplius apertio oris propter probrum tuum quum propitius fuero tibi in omnibus quæ fecisti, dicit Dominator Jehovah.

Iterum hortatur Ezechiel fideles ad pœnitentiam & continuam ejus meditationem. Diximus autem hæc membra non posse divelli, nempe testimonium gratiæ cum pœnitentiæ doctrina. Diximus quoque hanc esse Euangelii summam, ut quos Deus reconciliat gratuita venia, simul etiam velit respicere. Neque enim aliter placatur nobis Deus, quam dum efficit novas creaturas in Christo, & Spiritu suo nos regenerat, quemadmodum etiam dicitur apud Jesaiam, Propitius erit Deus populo, qui reversi fuerint ab iniquitate sua. *Jesa. 59. vers. 20.* Restringitur illa promissio ad eos qui sibi non indulgent nec blandiuntur in peccatis, sed se humiliant coram Deo, & statuunt se non aliter ab ipso posse absolvi, quam si sint ipsi severi judices ad se damnandos. Iterum ergo caput hoc prosequitur Ezechiel quum dicit, *ut recorderis, & pudefias.* Dixi hic non tantum commendari pœnitentiam, sed assiduum ejus studium. Et hoc notandum est, quia molestum nobis est peccata nostra sæpius excutere: & ideo refugimus quantum in nobis est, sensum illum. Nam cupimus nobis facere delicias: & nemo est qui non libenter rejiciat post tergum sua peccata. Certe si veniant nobis ante oculos, primum cogunt nos pudefieri: deinde vulneramur serio dolore: & conscientia nos citat ad Dei tribunal: illic agnoscimus formidabilem vindictam, quæ exanimet audacissimos quosque, nisi subleventur veniæ fiducia. Quoniam ergo agnitio scelerum & pudorem & mœrorem nobis affert, eam conamur modis omnibus procul à nobis rejicere. Atqui non aliter patet nobis aditus ad amplexandam Dei gratiam, quam si resipiscamus à peccatis. Hæc igitur ratio est cur Deus tantopere insistat in hac parte: quia non obsequimur statim: ideo non sufficeret nobis ostendi quid factu sit opus, nisi Deus nos acriter pungeret, imo quasi violenter attraheret. Notandus ergo est hic locus, ubi Propheta jubet fideles postquam adepti fuerint veniam, recordari suorum scelerum. Nam hic discernit hypocritas à veris Dei filiis. Hypocritæ plenis buccis jactant se recumbere in Dei misericordiam, prædicant magnifice gratiam Christi: sed interea volunt manere sepultam scelerum memoriam. Contra vero non aliter possumus vere humiliari coram Deo, nisi quum sumus nostri judices, quemadmodum dictum fuit. Si cupimus itaque peccata nostra deleri coram Deo, & demergi in profundum maris, quemadmodum dicitur apud alterum Prophetam: *Mich. 7. vers. 19.* necesse est ea sæpius, imo assidue in memoriam à nobis revocari. Nam dum versantur nobis ante oculos, serio tunc confugimus ad Dei misericordiam, & quidem bene præparati, nempe humilitate & metu. Adjungit etiam Propheta, *ut & pudefias.* Neque enim simpliciter recordari satis esset, nisi accederet pudor, de quo loquitur Propheta. Videmus enim ut multi commemorent sua delicta, & fateantur se peccasse: cæterum id faciunt defunctorie & leviter: imo sic agnoscunt sua peccata, ut velint tamen manere integri, & servare suam existimationem, ut loquuntur. Agnitio autem hic exigitur, quæ nos pudefaciat, quemadmodum etiam Paulus dum alloquitur fideles, & *Rom. 6. vers. 19, 20, 21.* proponit illis præteritum vitæ tempus, Quem fructum, inquit, colligere potuistis vita illa? Nempe erubescitis nunc dum tot flagitia sese vobis ingerunt: fuistis aliquando cæci, & erravistis in tenebris: nunc autem ubi illuxit vobis Deus per Euangelium, agnoscitis turpitudinem & fœditatem vestram, ex qua nascitur pudor. Jam adjungit, *neque sit vobis amplius apertio oris.* Non mirum est si pluribus verbis Propheta rem unam explicet, quæ tamen per se obscura non est. Sed jam ostendi quo consilio id fiat, nempe quia ægerrime adducimur ad hunc pudorem, cujus Propheta meminit. Damnamus quidem nos uno verbo, sed vix centesimus quisque reperietur, qui se ita dejiciat, ut libenter sustineat probrum quod meretur. Quia igitur summissio voluntaria non reperitur in hominibus, ideo necesse est nos durius & acrius impelli, quemadmodum hic facit Propheta. Ubi autem dicit *non fore apertionem oris*, significat non aliqua ex parte exigi à peccatoribus confessionem, qua testentur & agnoscant se Dei judicio esse obnoxios: sed confessionem plenam & solidam, ita ut teneantur omni ex parte convicti. Et hoc diligenter notandum est. Videmus enim ut mundus tergiversando semper conetur se eximere à judicio Dei: & quia id non potest in totum, excogitat subterfugia, ut tamen aliquam partem innocentiæ retineat. Hinc figmentum apud Papistas de partiali Justitia, hinc etiam Satisfactiones. Coguntur enim velint nolint fateri se dignos esse morte: sed postea exceptione utuntur, se tamen aliquid bonis operibus esse promeritos coram Deo, neque prorsus esse damnabiles: deinde ad compensationes descendunt, & volunt transigere cum Deo, acsi possent eum placare operibus Supererogationis, ut loquuntur. Quicquid sit, vix inter homines reperietur, qui sincere & ingenue agnoscat in se nihil esse præter materiam damnationis. Fatemur, ut dixi, nos coram Deo esse reos, sed in uno vel altero delicto duntaxat. Quid autem hic præscribit Spiritus sanctus? nempe, *ut nulla sit oris apertio*, quemadmodum etiam Paulus loquitur: & mutuatus est formam loquendi tam ex hoc loco, quam ex aliis similibus. Sæpe dicitur apud Prophetas, Sileat à facie Dei omnis caro. Sed *Zach. 2. vers. 13.* hic specialiter concionatur Propheta de pudore, quo ita confusi jacent filii Dei, ut prorsus obmutescant. Paulus autem, Ut obstruatur omne os, inquit, & humilietur omnis caro coram Deo. *Rom. 3. vers. 19.* Postquam ostendit tam Judæos quam Gentes involvi sub eadem damnatione, nec ullam esse spem salutis residuam nisi in una Dei misericordia, adjungit tunc vere justitiam Dei fulgere ubi os nobis obstruitur, hoc est, ubi non tergiversamur nec afferimus ullas exceptiones, quemadmodum hypocritæ dimidiant inter se & Deum: Ego quidem fateor me peccasse, sed cur non venient in rationem bona mea opera? cur damnabor ob unum vitium duntaxat? Quasi vero non excidant à justitia qui Legem violant. Videmus ergo tunc demum nos humiliari ut par est, quum obmutescimus, hoc est, ubi non obstrepimus Deo, ubi non litigamus, neque afferimus hoc vel illud ad culpam nostram vel extenuandam, vel levandam. Vult quidem Deus nobis os esse apertum, quemadmodum dicit Petrus nos ex tenebris vocatos esse in admirabilem lucem, ut enarremus virtutes ejus qui *1 Petr. 2. vers. 9.* nos liberavit. In hunc igitur finem Deus nobis fuit misericors, ut simus præcones ejus gratiæ. Et hoc sensu etiam dicit David, Domine labia mea aperies, *Psal. 51. vers. 17.* & os meum annunciabit laudem tuam: quid est aperire labia? nempe dare materiam cantici, quemadmodum etiam alibi dicit, Posuit in os meum canticum novum. *Psal. 40. vers. 4.* Deus ergo aperit ora vel labia fidelium quoties liberalis est erga ipsos vel beneficus. Sed hic agitur de exceptionibus eorum qui libenter cum Deo transigerent, acsi non essent in totum damnandi. In summa significat Ezechiel hunc verum esse fructum pœnitentiæ, ubi nulla est nobis defensio, sed silentio nostro fatemur nos esse convictos. Posset tamen objici locus Pauli, qui videtur pugnare cum hoc loco Prophetæ: defensionem recenset inter effectus vel fructus pœnitentiæ septimo secundæ ad Corinthios capite. *2 Cor. 7. vers. 11.* Sed defensio illic non accipitur eo sensu

sensu quo solemus. dicitur enim se defendere qui tuetur se recte fecisse, ideoque esse extra culpam. Atqui apologia apud Paulum nihil aliud est quam deprecatio, ubi peccator prodit in medium, & postquam confessus est culpam, petit ut Deus ignoscat, & quasi sese obtegit ejus misericordia, ut non appareat amplius damnatio. Videmus ergo quod Paulus dicit non pugnare cum hoc Prophetæ loco. Jam adjungit, *a probro tuo*, vel à facie (ad verbum) probri tui, *quum propitius fuero tibi*. Iterum videmus hæc optime inter se quadrare, quod scilicet Deus peccata nostra sepeliat, & nos ipsi revocemus ea in memoriam. Antevertimus enim ejus judicium quoties ultro nos & accusamus & damnamus. Nam ubi sopita est conscientia, alit ignem occultum, qui deinde emergit in flammam & accendit vindictam Dei. Si ergo cupimus extingui ignem vindictæ Dei, nullum aliud remedium est, quam ut excutiamus nostra peccata, & proponamus nobis probrum quod meremur, ante oculos. Et eo etiam nos adducit Dei misericordia. Hæc enim connexio notanda est, *quum propitius fuero tibi, tu obmutesces in probro tuo*. Et certe quo quisque magis gustavit Dei gratiam, eo propentior est ad se damnandum: & sicuti incredulitas superba est, ita quo quisque magis in fide gratiæ Dei profecit, etiam magis coram ipso humiliatur. Atque optime id exprimitur Prophetæ verbis, quum silentium docet effectum esse gratiæ, vel gratuitæ reconciliationis. *Quum* ergo, inquit, *propitius fuero tibi, tunc erubesces, ut obmutescas*, nempe *propter tuum probrum*. Et videmus ceremoniis Legalibus ita edoctum fuisse populum, ut apprehenderet misericordiam Dei, & simul tangeretur serio affectu pœnitentiæ. Neque enim sine victima placatus fuit Deus sub Lege. Et nunc quamvis non immolentur pecudes, dum tamen reputamus non aliud justum fuisse pretium quo satisfieret Deo, nisi unigenitus ejus Filius sanguinem suum in expiationem funderet: illic materia nobis proponitur amplexandæ Dei gratiæ, & simul tangimur vero pœnitentiæ affectu, ut dictum est. Cæterum, amplificat Deus gratiæ suæ magnitudinem, quum dicit לכל אשר עשית, *super omnibus quæ fecisti*. Oportuit enim populum non tantum sentire Deum misericordem, sed examinare sua peccata, & ita sentire quam multiplex & eximia fuisset misericordia Dei. Nam si uno tantum in genere obnoxius fuisset populus, minoris æstimasset Dei gratiam. Sed quum tot scelerum convictus esset, quemadmodum visum est, hinc melius apparuit gratiæ magnitudo. Nunc pergamus.

CAP. XVII.

ET fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

2 Fili hominis, ænigmatiza ænigma, & proverbia proverbium (*hoc est, profer insignem sententiam*) ad domum Israël.

Hoc capite ostendit Propheta Judæos ter & quater desipere dum putant se fore incolumes, quum tamen Deum habeant sibi adversarium. Sub finem capitis promittit quidem restitutionem Ecclesiæ, & concionatur de regno Christi: sed præcipua pars capitis in hac doctrina consumitur, quod scilicet Judæi nimium desipiant, ubi sibi promittunt urbem fore salvam una cum Templo & regno. Nam ut jam visum est, violaverant Dei fœdus, & ipsos repudiaverat. Destituti itaque Dei auxilio quid poterant? Et fuit hæc prodigiosa stultitia, sperare de prospero regni statu, quum tamen multum diminutæ essent eorum opes, & accisæ: imo etiam fere redacti essent in ultimas angustias. Sed quia aliter non potest intelligi Prophetæ concio, quam si teneamus histo-

2 Reg. 24. riam, hinc igitur faciam exordium. Quum Nabu-
vers. 15. chadnezer regem Zedechiam constituit, simul fecit
16. 17 sibi tributarium. Factus autem est Rex arbitrio,
2 Chr. 36. vel potius libidine regis Babylonii, quum Jechaniah
vers. 10. abductus esset captivus. Jechaniah non adeo gra-
Jere. 37. viter peccaverat: tamen quum videret se esse impa-
vers. 1. rem ad resistendum, ultro se dedidit cum matre, cum liberis: tractus fuit Babylonem, & illic satis humaniter tractatus, & tandem splendide, quamvis non tamen more regali. Nabuchadnezer quia videbat sibi fore multum negotii si præficeret aliquem ex Satrapis, Judææ, & quum timeret quotidianos tumultus, regem constituit * *Matthaniam*, cui imposuit nomen Zedechiæ. Fuit hic ultimus rex. Jam, ut dixi, multum imminuit ex dignitate regia. Fecit enim sibi tributarium: & regnabat Zedechias quasi precario. Pendebat enim status ejus à victoris arbitrio: & qui eum solio imposuerat, simul poterat detrahere quoties libitum esset. Paulo post quum videret Nabuchadnezer procul abesse, fœdus pepigit cum rege Ægypti: & putavit sibi satis fore auxilii, si iterum rediret Nabuchadnezer cum exercitu. Et Ægyptii quemadmodum alibi dictum fuit, satis cupidi erant hujus fœderis. Videbant enim magis ac magis crescere Monarchiam Babylonicam: & probabile erat, quum prorsus domiti essent Judæi, Nabuchadnezer non fore contentum illis finibus, quin irrumperet similiter in Ægyptum, & absorberet regnum illud, quemadmodum alia. Facilis igitur fuit ratio ineundi fœderis, quia putabat rex Ægypti Judæam fore oppositam, si descenderet Nabuchadnezer cum exercitu. Et certe necesse erat, Judæos excipere primum impetum. Quicquid sit, Zedechias contempto jurejurando, ut videbimus, defecit ad Ægyptios. Quum postea exigeret Nabuchadnezer tributum, negavit Zedechias, fretus scilicet fœdere illo quod pepigerat cum Ægyptiis. Nunc videmus quam stolidi fuerint Judæi, quum secure dormirent in misero illo statu, ad quem redacti erant. Nam rebus integris non potuerant sustinere vires regis Babylonii: Rex eorum tunc erat veluti mortua imago, aut umbra duntaxat: tamen acsi florerent opibus & potentia, acsi integra esset tota ditio, superbiebant non modo contra Nabuchadnezer, sed etiam contra Prophetas, & Deum ipsum. Hanc igitur arrogantiam nunc refellit ac retundit Ezechiel. Ostendit enim quam facile sit Babyloniis, ipsos iterum evertere, quum aggressi integros, statim eos compulissent ad deditionem. Sed venio nunc ad verba, *Fili hominis, propone ænigma*. Nomen & verbum inter se respondent: ideo si quis vellet reddi sibi Prophetæ verba, dicendum esset, ænigmatiza ænigma. Nam hic loquitur Propheta de allegorico sermone. חידה igitur significat tantundem atque allegoriam, ubi diversa sunt verba à sensu, hoc est, sensus implicitus est sub obscuris involucris. Scimus autem Deum aliquando loquutum fuisse ænigmatice, quia nolebat ab impiis & incredulis intelligi. Sed hoc loco obscuritas sententiæ alio spectavit, nempe ut Judæi melius expergefierent: & prophetia hæc penetraret in ipsorum animos. Scimus enim quanta fuerit eorum durities. Ergo si simpliciter, & sermone usitato loquutus esset Propheta, non ita fuissent attenti. Hæc igitur ratio est cur Deus jubeat ipsum loqui ænigmatice. Jam adjungit ומשל משל. Scimus משל esse insignem sententiam: & hunc titulum imposuit Solomo suis sententiis. משל ergo tantundem

* vel Matthaniam.

dem valet atque apophthegma. Sed accipitur aliquando pro similitudine: & hoc loco sic Deus allegorice denunciat Judæis suum interitum, ut tamen illustret similitudine suum sermonem, qui alioqui fuisset obscurus. Quicquid sit, ita præfatus est Deus, ut agnoscerent Judæi sibi adferri nuncium minime vulgarem, sed qui eos afficere serio deberet. Neque enim ratio illa nunc locum habet, Deum quia indigni essent Judæi salutis doctrina, loqui apud eos ænigmatice, quia paulo post edisserit Propheta quod sub figura vel sub allegorico sermone dixerat. Ve-
rum quidem est, Christum loquutum fuisse in para- *Mat.* 13.
bolis ad plebem, quia soli discipuli capaces erant *Marc.* 4.
familiaris & liquidæ doctrinæ. De incredulis etiam *Luc.* 8.
dicitur apud Jesaiam, Erit vobis prophetia quasi liber *Jesa.* 29.
clausus: loquar cum populo hoc lingua exotica & *v.* 11, 12.
barbara, & non poterit ultra rudimenta progredi. Sed quemadmodum jam dixi, obscuritas hujus doctrinæ fuit duntaxat præparatio, ut populus studium suum applicaret ad rem quæ nunc proponitur.

3. Et dic, Sic dicit Dominator Jehovah, Aquila magna, magna alis, longa penna, (*vel pennis, est mutatio numeri*) plena (*vel referta*) plumis, (*copiosa*) quæ illi variæ erant, (*est numerus singularis, sed pro plurali accipitur: hoc est, quæ erant discolores*) venit ad montem Libanum, & accepit summitatem cedri.

4. Caput (*vel summitatem*) surculorum ejus avellit, & transtulit in terram mercatoris, (*neque enim est hic proprium nomen Chanaan, sed appellative sumitur*) in urbe mercatorum posuit eam. (*vel illud caput.*).

Hic ratiocinatur Propheta à minori ad majus. Nam si nullo negotio potuit Nabuchadnezer urbem expugnare, & subigere totum regnum quum adhuc intacti fuissent Judæi, quanto facilius erit nunc iterum evertere miseros, qui fere pessundati erant? Quia nihil apud eos stabat quod non minitaretur ruinam. Huc igitur tendit consilium Prophetæ. Comparat autem regem Nabuchadnezer aquilæ, *quam dicit fuisse magnam*, deinde *alis amplis*, vel longe extensis. Minime dubium est quin per *alas*, & *pennas*, & *plumas* intelligat tam regiones quam populos, quibus præerat Nabuchadnezer. Nam scimus tunc potitos fuisse Chaldæos Monarchia Orientali. Quum igitur tot regiones & populi parerent imperio Nabuchadnezer, non mirum est, si Propheta dicat *fuisse aquilam magnam, & amplis alis, & copiosam etiam pennis*, vel plumis. Nam ubi nunc dicit מלא הנוצה, paulo post dicet רב נצה, quum loquetur de rege Ægyptio. Dicit *alas fuisse discolores*: idem est nomen quo proximo capite usus est Propheta, quum diceret populum fuisse indutum vestibus pretiosis: & sic vocant Hebræi texturam Phrygionicam. Comparat igitur alas regis Babylonii texturæ, quæ variis coloribus resplendet. Neque enim regnabat duntaxat uno in loco Nabuchadnezer, sed occupaverat hinc inde multas ditiones & subegerat. Hæc igitur ratio est hujus varietatis. Sed non possem nunc ulterius progredi.

Da omnipotens Deus, quando tam liberaliter erga nos egisti dum aperuisti immensos ac inæstimabiles thesauros gratiæ tuæ, ut memores nostræ conditionis semper ingemiscamus: meminerimus quales essemus quum nos dignatus es adoptare in filios, quam sæpe & variis modis te provocaverimus, & irritum fecerimus fœdus tuum, ut demus tibi gloriam in nostra ignominia, & in humilitate nostra perpetuo glorificemus nomen tuum, donec participes simus ejus gloriæ, quam nobis peperit unigenitus Filius tuus sanguine suo, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA PRIMA

IN

E Z E C H I E L E M.

COEpimus heri exponere locum Prophetæ, ubi dicit, *aquilam venisse ad montem Libanum, & illic decerpsisse summitatem cedri*, hoc est, ramum altissimum. Quantum ad nomen Libani, videntur mihi frustra laborare quidam interpretes. Existimant sic vocari Hierosolymam,
Zach. 11. & citant locum Zachariæ, ubi dicitur, Aperi Li-
vers. 1. bane portas tuas. Sed Zacharias illic non urbem, sed Templum alloquitur, quia extructum erat ex magna congerie cedrorum. At vero hoc loco Ezechiel designat terram: & Libanum potius nominat quam alia loca, non solum quia mons ille erat insigne decus regionis ob cedros proceras, & balsamum, & arbores aromaticas, sed quia non potuit aliter contexere suam allegoriam. Si dixisset aquilam venisse in urbem, fuisset res absurda. Ergo videmus simpliciter nomen Libani accipi pro parte Judææ, in qua nascebantur & crescebant pulcherrimæ arbores. Dicit autem *decerptum fuisse ramum ex cacumine cedri*, quia Nabuchadnezer, qui designatur per aquilam, abstulit, ut heri dictum fuit, regem Jechaniam. Confertur ergo rex Jechanias, *ramo altissimo cedri*, quia eo tempore omnes putassent regnum illud esse supra omnem aleam periculi. Gloriabantur enim Judæi se esse sub Dei custodia: & urbs etiam erat inexpugnabilis. Fuit igitur incredibile quod tunc accidit. Jam adjungit Propheta *aquilam illam decerpsisse caput*, vel summitatem ramorum: sic vocant teneros fœtus Hebræi. Sed hic nomen hoc accipitur pro ramis teneris. Significat autem ut postea videbimus, proceres, qui abstracti fuerunt in exilium *Abstulit eum capite in terram mercatoris*. Diximus hic esse nomen appellativum Chanaan, quia paulo post sequitur in plurali numero, בעיר רכלים שמו Dicit ergo *ramos illos fuisse positos in urbe mercatorum.* Sic autem vocatur Babylon non tantum quia celebre erat emporium, sed quia propter multitudinem etiam fuit firma & valida custodia, ut non facile esset abducere inde captivos. Nam ex solitudine poterit facile quispiam eripi nullo resistente: sed in magna hominum frequentia non ita promptum est quicquam moliri vel tentare. Non dubito igitur quin Propheta significet proceres regni una cum ipso Jechania fuisse clausos firmis custodiis, ne elaberentur. Sequitur,

5. Et sustulit (*accepit*) è semine terræ, & posuit illud in agro seminis, (*hoc est, in agro sativo, vel fertili*) sumpsit, super aquas multas tanquam salicem posuit illud.

6. Et germinavit, & fuit in vitem luxuriantem, humilem statura, ut respicerent palmites ejus ad ipsam, (*aquilam*) & radices ejus sub ea essent: & fuit in vitem, & produxit palmites, (*vel flagella*) & emisit ptopagines.

Postquam narravit Ezechiel abstractum fuisse Jechaniam cum suis consiliariis, & flore totius populi, & privatum sic fuisse patria, ut nulla spes esset reditus: nunc dicit *aquilam illam sumpsisse semen in Judæa, & locasse in agro fertili.* Vocat enim *agrum seminis* qui excolitur, & qui ferax est aut fructuosus. Dicit semen illud postquam reconditum fuit in terra, crevisse statim, ut esset quasi vitis luxurians. Dicit autem *fuisse radices ejus irrigatas, quemadmodum si salix plantetur ad ripam fluminis.* Postea seipsum exponet Propheta: ideo satis est breviter tenere quid velit. Semen ergo cujus hic fit mentio, est Zedechias rex ultimus. Dicitur *plantatus fuisse super aquas.* Tolerabilis enim erat ejus conditio, quia nomen regium una cum dignitate, & opibus relictum ei fuerat. Quamvis autem esset tributarius, tamen non erat pœnitendum illud beneficium, quo ipsum dignatus fuerat Nabuchadnezer, quum jure belli posset illum abducere captivum una cum nepote. Erat enim Zedechias, patruus Jechaniæ. Dixit autem ita *luxuriasse hanc vitem quæ emersit* ex semine vel ex grano, ut tamen esset humilis statura: significat his verbis Propheta, ut postea videbimus, Zedechiam fuisse ita regem, ut tamen injectum fuerit ei frenum, ne auderet amplius contra regem Babylonium tumultuari: & ideo subjicitur, *ut respicerent palmites ejus ad aquilam illam, & radices ejus essent sub ea.* Atqui in illa subjectione pronunciat Ezechiel *fuisse in vitem, quæ proferret palmites, & quæ emitteret propagines*: quod iterum repetit, quo magis appareat ingratitudo Zedechiæ, qui mediocritate illa non contentus, perfide defecit à rege Babylonio, fretus novo fœdere, quemadmodum heri attigimus. Sequitur nunc,

7. Et fuit aquila una (*hoc est, altera aquila*) magna, magnis alis, & copiosa plumis: & ecce vitis ista collegit radices suas ad eam, (*hoc est, applicuit*) & palmites suos emisit ad eam, ut irrigaret ipsam alveis (*vel areolis, vel lineis, aut fulcis:* ערגות *significat proprie fulcos*) plantationis suæ. (*vel in plantatione sua, ut sensus sit clarior.*)

Jam detegit, sub figura tamen, perfidiam Zedechiæ, quod scilicet paulo post sese applicuerit ad regem Ægypti, & radices suas ac palmites illuc contulerit, ut irrigarentur. Mihi non displicet eorum sententia qui existimant Prophetam alludere ad consuetudinem Ægypti. Scimus enim ductos fuisse fulcos, quibus aqua per totam regionem flueret: Deut. 11. vers. 10. indé agrorum fœcunditas: & ideo alibi Ægyptus confertur horto. Quicquid sit, significat Propheta Zedechiam deceptum fuisse stulta confidentia, dum putavit se tutum fore sub præsidio regis Ægyptii. Dixerat autem sic plantatum fuisse granum seminis, ut vitis non altius assurgeret, sed lateret sub alia aquilæ. Atqui Zedechias contempto rege Babylonio, putavit sibi meliorem fore statum, si fœdus percuteret cum rege Ægypti. Jam sequitur,

8. Super agrum bonum (*hoc est, in agro bono*) juxta aquas multas (*vel copiosas*) ipsa plantata erat, ut produceret folia, & proferret fructum, ut esset in vitem magnificam. (*ut vertunt: alii, in vitem decoram.* אדר *significat proprie roborare: ergo vertendum esset, in vitem robustam: sed potius nunc significat vitem pulchram, vel elegantem, vel eximiam*)

Exaggerat ingratitudinem Zedechiæ, quia ut jam dictum fuit, humaniter fuerat tractatus à rege Babylonio. Fuerat enim ad eum usque diem homo privatus: præter spem evectus fuit in solium regni, & dominabatur populo: habebat vindicem si quis eum sprevisset. Nam quum esset tributarius regis Babylonii, hauddubie fuisset ab ipso adjutus in rebus adversis. Ergo minus excusabilis fuit ejus defectio quum tam liberaliter fuisset exceptus præter omnium opinionem. Hac ratione dicitur *fuisse vitis plantata super agrum bonum, & super aquas multas, ut proferret frondes, & produceret fructum*, denique *ut esset in vitem eximiam.* Sequitur,

9. Dic, Sic dicit Dominator Jehovah, An feliciter aget? (*vel ut vulgo loquuntur, an prosperabitur?*) an non radices ejus evellet? & fructum ejus succidet? & siccabit omnes surculos germinis ipsius, ut arefiat? (*ut arescat*) & non in brachio magno, & populo multo ad tollendum (*est nomen, sed ponitur loco infinitivi, ad tollendum ipsam, vel ad ipsam tollendam*) è radicibus suis.

10. Et ecce plantata: an prosperabitur? (*hoc est, an prospere aget, vel feliciter, vel an habebit prosperum successum? nam prosperari non satis Latinum est verbum, nisi ducatur à verbo prosperare quod Horatius usurpat: & ita sit passivum*) an non quum attigerit (*vel percusserit, nam utrumque significat: quum ergo attigerit vel percusserit*) ipsam ventus Orientalis arescendo arescet, super areas (*vel fulcos*) plantationis suæ arescet?

Hic pronunciat Deus fieri non posse, ut vitis illa diutius floreat, & proferat fructum. Nam plantata fuerat ut delitesceret sub præsidio aquilæ: alio se contulit. Nihil igitur superest, nisi ut prior aquila ulciscatur injuriam sibi factam: hæc summa est verborum: ideo dicit, *an feliciter succedet? An non evellet radices ejus, & fructum ejus succidet?* nempe aquila. Sumit enim Ezechiel principium illud, *vitem illam non potuisse* aliter servari, quam virtute & auxilio aquilæ, quæ ipsam plantaverat. Nunc quum ab ea transierit ad alteram aquilam, dicit Propheta instare ingratæ viri interitum: *arefaciet*, inquit, *omnia folia germinis ejus, & ita arescet, idque non in brachio magno, neque in populo multo.* Certum quidem est, Nabuchadnezer instructum fuisse ingenti exercitu quum descendit in Judæam. Sed Propheta intelligit, etiamsi Nabuchadnezer adduceret exiguam manum duntaxat, non posse tamen regem Zedechiam consistere, quia manet illum interitus ob perfidiam & defectionem, ut postea dicetur. Per concessionem ergo loquitur Propheta, quasi diceret solo flatu posse arefieri Zedechiam cum toto populo: quia

non

non poterat manere salvus nisi humorem duceret à radice sua. Atqui transtulerat alio radicem. Hinc igitur pronunciat Ezechiel fieri non posse quin statim arescat. *Non igitur in populo multo, ut tollat eam à radicibus ipsius.* Sponte enim jam sibi praeciderat radices Zedechias quum sua levitate transferat ad regem Ægypti: *ecce*, inquit, *plantata fuerat, sed an feliciter succedat?* quasi diceret, frustra sperare Zedechiam salutem, ex quo sibi eam ademit sua perfidia. Et ideo subjicitur illa similitudo venti Orientalis. *Quum ergo percusserit ipsam ventus Orientalis, an non arescendo arescet etiam super sulcos germinis sui?* hoc est, quamvis habeat sulcos unde sperat perpetuum humorem? Artificio enim, ut dictum fuit, irrigua erat Ægyptus: & Propheta depingit nobis talem statum Zedechiæ acsi rex Ægypti vitem foveret aquæductu. *Super areas suas*, inquit, vel super sulcos suos *arescet ubi eum percusserit ventus Orientalis.* Scimus autem ventum Orientalem corrumpere in illa regione fruges: & ita fit sæpe ejus mentio in malam partem. Nunc sequitur,

11. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

12. Dic quæso (*dic nunc*) domui rebelli, (*vel amaræ*) An non cognoscitis quid hoc sit? dic, Ecce venit rex Babylonis Hierosolymam, & abstulit regem ejus, & proceres ejus, & abduxit eos ad se Babylonem.

13. Et sumpsit è semine regio, & percussit cum eo fœdus, & descendere fecit (*adduxit*) ad jusjurandum: & fortes terræ accepit,

14. Ut esset regnum humile, ac ne se efferret, ut servaret fœdus suum, ut staret in ipso.

15. Et rebellis fuit ei ad mittendum (*hoc est, mittendo*) nuncios suos in Ægyptum, ut darentur equites, & populus multus. An feliciter aget? an evadet qui hoc fecit? & qui irritum fecit fœdus an evadet? (*copula enim hic abundat, vel accipitur pro nota interrogationis*)

16. Vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si non in loco regis qui regnare fecit eum, cujus sprevit jusjurandum, & cujus irritum fecit fœdus cum ipso, in medio Babylonis moriatur.

Nunc subjicitur explicatio allegoriæ. Omissa igitur figura, ostendit Deus quid hactenus ænigmatice proposuerit. Diximus autem allegoriam spectasse in hunc finem, ut Judæi adjicerent animum paulo diligentius ad doctrinam Prophetæ. Nam si trito & vulgari sermone usus esset, scimus quam secure contemnere soliti fuerint omnes objurgationes & minas. Ænigma autem quum suspensas teneret eorum mentes, simul excitavit: & ita præparati fuerunt ad hanc doctrinam excipiendam, quæ nunc sequitur. Dicit ergo Deus *regem Babylonis venisse Hierosolymam.* Hæc ratio quosdam induxit, ut Libanum putarent metaphorice vocari Hierosolymam, sed falso, ut jam diximus. Solum quamdiu figurate loquutus est Propheta, oportuit partes ita inter se aptari, ut arbor & ejus rami haberent aliquam similitudinem cum aquila. *Venit ergo rex Babylonis Hierosolymam, & accepit inde regem, & proceres, eosque abduxit Babylonem.* Etsi autem debebant satis moveri Judæi simplici narratione: Deus tamen hic eos perstringit, quia videbat quantopere alioqui socordes essent. Vocat primum *domum rebellem*: deinde interrogat, *an non agnoscant quid hoc sibi velit.* Est autem hæc species exprobrationis, quasi Deus objiceret illis stuporem: quoniam ænigma illud non ita obscurum erat, quin posset illis venire in mentem quod acciderat, nisi destituti fuissent ratione & judicio. Verum acrius eos pungit Propheta quum vocat *domum rebellem*, tametsi oblique simul perstringit eorum stuporem, quod non statim concipiant quid velit ænigma propositum. Jam addit, *regem Babylonis sumpsisse è semine regio.* Diximus Zedechiam fuisse patruum Jechaniæ. Fuit autem impositus solio præter spem omnium: quia si filios genuisset Jechanias, quum adhuc esset integer, futuri erant successores. Ergo fuit illud quasi adventitium beneficium, quod sumptus fuit Zedechias qui regnaret. Dicit autem *ita creatum fuisse regem, ut rex Babylonis cum ipso fœdus percusserit, & adduxerit eum ad jusjurandum.* Hic ostendit Deus etiam humanitus fieri non posse, ut feliciter succedat Zedechiæ sua defectio. Illud enim semper fuit persuasum etiam profanis hominibus, si quis fidem fefellerat, non fore impunitam ejus perfidiam, præsertim in fœderibus, quæ habita fuerunt sacra omnium consensu. Quoniam igitur tanta erat fœderum sanctitas, ut non posset convelli, quin labefactaretur societas hominum: hinc illa persuasio, infeliciter cessuram suam defectionem omnibus fœdifragis. Nunc ergo Deus omissa sua causa, suscipit causam regis Nabuchadnezer, Ecce, inquit, tu gratuita ejus liberalitate factus es rex, conditiones tibi tulit tanquam victor: fuit tamen optabile quicquid imposuit. Saltem tu poteras & splendide, & cum mediocri dignitate dominari inter tuos populares. Jam quod spreto fœdere, rupto jurejurando ingratus fuisti regi Babylonio, qui te sibi devinxerat sua beneficentia: quomodo feliciter hæc perfidia tibi cederet? Nunc ergo videmus quorsum tendat Propheta, quum dicit *regem Babylonium fœdus percussisse cum rege Zedechia, & adduxisse in jusjurandum.* Hoc amplificandi causa additur. Tametsi enim nunquam fœdera percutiunt homines nisi adhibito jurejurando, videtur tamen Ezechiel duplicasse crimen Zedechiæ, quum exprimit *jusjurandum intercessisse.* Dicit *sumpsisse fortes terræ*: nempe tanquam obsides. Nec vero dubium est, quin Nabuchadnezer catervam illam secum duxerit, ut quietiores essent Judæi. Videbat enim gentem esse turbulento ingenio: & non sine sumptu alebat tam multos. Sed quemadmodum jam dixi, consilium ejus fuit, tenere hoc modo regionem pacatam. Atqui Zedechias exposuit in mortem suos consanguineos, & fratres. Potuit enim Nabuchadnezer justa iracundia percelli, ut eos omnes jugularet. Ergo defectio Zedechiæ fuit proditio fratrum. Hac ratione addit Propheta *abductos fuisse Babylonem fortes populi*, hoc est, qui præcipuum gradum tenebant, & qui erant quasi populi decus. Jam addit, *ut regnum ejus esset humile.* Non potuit ergo Zedechias prætexere errorem, nec tergiversari, acsi astutia & occultis consiliis regis Babylonii fuisset circumventus. Nam aperte cum ipso Nabuchadnezer egit. Præscripsit enim legem qua ipsum regnare vellet. Quum ergo rex Babylonis sincere & ingenue Zedechiæ ostenderit quid ab ipso præstari vellet, non potuit miser ille obtendere sibi fuisse impositum, & non satis animadvertisse astutiam regis Babylonii: nihil tale residuum illi fuit ad excusationem. Et ideo diserte Propheta exprimit Nabuchadnezer legem dedisse Zedechiæ, *ut regnum ejus humile esset nec sese efferret*, sed servaret fœdus. Hoc autem erat æquissimum. Poterat quidem quum regem creasset, illi etiam durissimas conditiones imponere. Atqui contentus fuit moderatione, quæ certe tolerabilis esset vel

inter optimos amicos. Nam fœdus cum eo percussit: deinde ad conservationem fœderis voluit regnum esse humile. Perinde ènim est acsi diceret Propheta, Nabuchadnezer nihil aliud spectasse, quam ut placide regnaret Zedechias: & quoniam videbat utile esse & regi & toti populo, contineri sub aliqua moderatione, rationem illam sequutum esse. Quum ergo Nabuchadnezer prospexerit hac ratione agendi bono publico, eo sceleratior fuit Zedechias, qui non passus est consuli suæ saluti: quia nihil erat melius neque optabilius, quam ipsum manere humilem, ne se efferret in suam perniciem, sicuti postea contigit. Nunc sequitur, *rebellem fuisse mittendo nuncios suos in Ægyptum, ut illinc darentur equi & populus multus.* Hæc inter se conferri debent, ut respondeant antitheta: Nabuchadnezer non aliud spectasse, nisi ut regio maneret pacata. Voluit igitur antevertere omnes metus & turbas. Quid autem Zedechias? *rebellis fuit*: qua ratione? nempe *mittendo nuncios in Ægyptum, ut inde accerseret magna auxilia, magnam copiam equorum, multos pedites*, qui succurrerent Judææ contra Nabuchadnezer. Atqui Nabuchadnezer confecto bello, nihil hostile admiserat. Nam fuerat hoc paternæ sollicitudinis, dare regem ex ipsa gente, & ita componere statum regionis, ut nulla esset occasio tumultuandi. Quorsum igitur oportuit petere auxilia ab Ægyptiis? Videmus itaque Prophetam modis omnibus exuere Zedechiam coloribus quos obtendere vellet ad suam defensionem. Jam addit, *an prospere succedet ei? an evadet qui hoc fecit?* Interrogat Propheta emphatice, quia ut jam dixi, hæc persuasio fuit insculpta omnium animis, fieri non posse, quin statim vindicta sequeretur omnes perfidos, præsertim qui jusjurandum violaverant in fœderibus. Propheta ergo non simpliciter pronunciat periturum Zedechiam, qui fœdus impie violavit, sed assurgit confidentius, & quærit quasi de re indubia, & comperta, *an feliciter aget? an evadet*, inquit, *qui tale facinus designavit?* Jam adjungit, *& qui irritum fecit fœdus an evadet?* Hæc anadiplosis non est supervacua. Prius dixerat, *an evadet qui hoc fecit?* Statim repetit, *an evadet qui violavit fœdus?* Nihil erat obscurum in priore membro. Verum hoc addidit Propheta non causa perspicuitatis, sed ut plus inesset ponderis sententiæ. Summa est, fieri non posse, quin Deus ultionem sumat de tali perfidia, quemadmodum cras fusius de hac re tractabimus. Jam sequitur, *Vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si non in loco regis qui eum regnare fecerat, moriatur.* Quanquam Propheta satis ostenderat Zedechiam non posse pœnam suæ defectionis effugere: hic tamen Deus rursus prodit in medium, & jurat per seipsum, vel per vitam suam se pœnam sumpturum de Zedechia. Hinc apparet quantus fuerit stupor populi. Neque enim Deus nomine suo abutitur, neque frustra illud jactat: sed ubi necessitas postulat, jurat per seipsum. Et suo exemplo etiam nobis præscribit, ut ne prosiliamus temere ad jurandum, sed sobrii simus in hac parte. Jurat autem Deus *moriturum Zedechiam in loco*, hoc est, *in sede regis qui regnare eum fecerat*, sicuti mortuus est Babylone: & tamen Babylonem non vidit, quia fuit excæcatus in Riblatha, quemadmodum alibi visum Jer. 39.
fuit. Sed Propheta simpliciter denunciat hanc pœ- vers. 5, 6.
nam, quod morietur in exilio, & quidem *in loco re-* & 52.
gis, qui eum regnare fecerat, & à cujus fœdere dis- v. 9, 10.
cesserat, & cujus spreverat jusjurandum.

Da omnipotens Deus, quando tibi ostendis curæ esse fidem mutuam inter homines, ut sic ultro & citro inter nos versemur, ne quis fratrem suum decipiat, sed sincero affectu alii alios juvemus: deinde ut etiam vero consensu præstemus tibi eam fidem quam à nobis exigis, & ad quam servandam sumus obstricti: quandoquidem dignatus es non tantum fœdus nobiscum percutere in manu Filii tui unigeniti, sed etiam sanguine ejus obsignare, donec tandem fruamur hæreditate illa, quæ nobis sacrificio mortis ejus parta est, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SECUNDA

IN

E Z E C H I E L E M.

17. **Et non in exercitu magno, & in multitudine multa faciet cum eo Pharao in prælio, fundendo aggerem, & extruendo turrem, (*vel turrim*) ad excidendum animas multas.**

Sicuti antehac pronunciavit Ezechiel non opus fore magnis copiis dum volet Deus pœnas exigere de Zedechia per manum regis Babylonii: sic nunc docet ex opposito, quantumvis magnum & validum exercitum armet Pharao, nihil tamen profecturum, quia superior erit Nabuchadnezer. Aliter hunc locum exponunt quidam interpretes, nempe Pharaonem minime præstiturum quod pollicitus fuerat. Solent enim reges jactare suas suppetias in paciscendis fœderibus: promittunt quinquaginta millia, postea vix decem adducunt. Putant igitur hic perstringi vanas illas pollicitationes, quibus deceptus fuit Zedechias, quum Pharao jactaret se venturum cum maximis copiis, ita ut facile repelleret exercitum Babylonicum. Sed sensus quem adduxi, longe melius convenit, nempe quicquid Pharao conetur, non fore quicquam in ipso auxilii. Quamvis ergo veniat bene instructus, & opponat Chaldæis ingentes copias, *nihil tamen efficiet in prælio cum eo.* Quanquam potest hoc tam de Zedechia quam de rege Babylonio accipi. Nihil enim fecit Pharao cum rege Nabuchadnezer, quia coactus est celeriter se recipere in suos fines, & vix potuit regnum suum tueri. Nihil ergo profecit cum Nabuchadnezer. Nihil etiam fecit cum Zedechia, quia non est opitulatus misero quemadmodum promiserat. Sed quantum ad summam rei pertinet, videmus Prophetam hoc tantum velle, nempe falli Zedechiam, atque utcunque fideliter præstet Pharao quod promisit, quia tamen Deo infesto suscipiet hanc expeditionem, exitum fore infaustum. Addit, *quum fundet aggerem & extruet turrim*, (quanquam est enallage numeri, *extruet turres*) sicuti fieri solebat in expugnatione urbium. Referri autem hoc debet ad Nabuchadnezer. Cœpit enim aggeres suos & turres extruere contra Hierosolymam quum Pharao exercitum eduxit. Nabuchadnezer quia non poterat simul par esse Ægyptiis & Judæis, solvit obsidionem, & progressus est obviam: devictus Pharao trepide se recepit in sua claustra. Postea Nabuchadnezer reversus est, & quum haberet omnia parata, non ante destitit quam urbem expugnasset: hoc nunc intelligit Ezechiel, frustra venturum Pharaonem auxilio, ubi Nabuchadnezer cœperit aggeres suos projicere, & turres extruere contra urbem. Sequitur,

18. **Sprevit jusjurandum ad abolendum fœdus, & ecce porrexit manum suam: & totum hoc fecit, non evadet. (*vel liberabitur.*)**

Iterum

Iterum reperit Ezechiel, etiam humanitus non posse feliciter succedere Ezechiæ, quoniam fœdus violavit. Diximus autem heri infixam semper hominum animis fuisse hanc persuasionem, sancta esse fœdera, neque impune violari. Quum ergo fœderum religio ita semper viguerit inter homines, hic Ezechiel pronunciat exitum fore infelicem, quia *sprevit Zedechias jusjurandum quum abolevit fœdus, & porrexit*, inquit, *manum*. Describit gestum, meo judicio, quia semper usitatum fuit inter homines, manum porrigere quum pactum testari vellent. Societas igitur inter Ægyptios & Judæos hic describitur in externo gestu, quod manum suam porrexerit Zedechias, atque ita polluerit: quia perfide à rege Nabuchadnezer defecit, cui fidem dederat: *totum hoc fecit*, inquit, *ergo non liberabitur*. Sequitur,

19. Propterea sic dicit Dominator Jehovah, Vivo ego, si non jusjurandum meum quod sprevit, & fœdus meum quod irritum fecit, rependam (*vel rejiciam*) in caput ejus.

Confirmatio est superioris sententiæ. Loquutus fuerat Propheta pro vulgari & recepto more quum diceret perfidiam Zedechiæ non fore inultam: sed nunc inducit Deum loquentem, quia nisi appareat vindex perfidiæ, vix unquam serio persuadebitur hominibus, pœnam perjuris & fœdifragis paratam esse. Quod enim dixi hanc opinionem fuisse defixam in omnium cordibus, ita intelligendum est, fuisse hanc sententiam receptam, ut homines habent hoc vel illud persuasum: sed evanescunt illæ quas vocant *κοιναὶ ἔννοιαι*: sunt communes conceptiones, quæ fere ingenitæ sunt nobis, & sequuntur naturam: sed non sunt firmæ, quia profani homines non statuunt quod præcipuum erat, Deum scilicet esse mundi judicem. Necesse igitur fuit adjungi hanc sententiam. Jurat nunc Deus pœnas daturum Zedechiam, *quod jusjurandum spreverit, & irritum fecerit fœdus*. Sed notanda sunt epitheta: Deus enim *jusjurandum nominat suum*, sicuti & *fœdus: sprevit*, inquit, non simpliciter *jusjurandum*, sed *meum*; *violavit fœdus*, sed *meum fœdus*. Ratio autem hujus loquutionis est, quia Deus vult fidem coli inter homines: & ideo detestatur omnia perjuria, & omnes fraudes. Jam quum nulla sit sanctior contrahendi ratio, quam ubi percutitur solenni ritu aliquod fœdus, illic etiam peculiari quodam modo ostendit Deus suum judicium. Denique possumus merito ipsum vocare præsidem fœderum. Et profanis etiam hominibus hoc fuit usitatum, quum fœdera percuterent, ut proponerent nomen summi Jovis, quia putabant illum fore vindicem, si quis à fide discederet. Sed hic Deus in medium prodit non tanquam imaginarius quispiam Juppiter, sed qui vult in humana societate vigere fidem: quia nisi sincere inter se agant homines, dissipatur omnis societas. Hæc igitur ratio est cur Ezechiel dicat fœdus percussum cum rege Nabuchadnezer esse divinum, quia scilicet Deus futurus erat ejus assertor. Interea notandum est, hoc fœdus fuisse legitimum, & Deo placuisse, quia sicuti vidimus Jeremiæ 28. & 29. cap. volebat Deus Judæos ad tempus hac ignominia afficere. Rex quidem Zedechias si vere functus fuisset officio, uti erat imago Christi, ita erat primogenitus inter reges terræ. Fuit igitur illud indignum, fieri tributarium regis profani, atque etiam crudelis tyranni. Sed quoniam Deus ita addixerat populum suum servituti, oportuit Zedechiam subire jugum illud, quemadmodum
Jer. 27. vers. 17. illic dicitur, Servite regi Nabuchadnezer, & vivite, hoc est, nulla alia ratio est obtinendæ salutis, nisi ut patiamini Chaldæos vobis dominari, & feratis eorum imperium placide, quia Nabuchadnezer est Dei flagellum. Hoc ergo fœdus quemadmodum dixi probatum erat Deo, alioqui non fuisset ejus vindex. Scimus esse tria genera fœderum. Nam si bellum fuerit inter duos reges, victor si volet parcere hosti suo, recipiet ipsum in fœdus, sed leges imponet suo arbitrio. Et scimus Romanos sequutos fuisse morem illum, quia nimis difficile illis fuisset, tenere omnes ditiones quas bello occupaverant, præsertim initio: ita cum multis regibus & populis percussum fuit fœdus. Altera species est quum litigant inter se vel reges, vel populi: sed antequam arma induant, transigunt inter se, & ita tollunt occasionem belli: illud est etiam unum genus. Paciscuntur denique & qui nunquam fuerunt hostes, ac tale fuit fœdus Zedechiæ cum rege Ægypti. Voluit enim sibi cavere, & antevertere periculum, quod timebat à Chaldæis: ita captavit fœdus illud sponte. Sic antea Israëlitæ conjuncti fuerant Syris, postea Assyriis. Sic vidimus Judæos scortatos fuisse quum nunc in Ægyptum, nunc in Assyriam, nunc in Chaldæam cursitarent. Sed hoc fœdus, cujus nunc fit mentio, fuit necessarium. Neque enim potuit effugere Zedechias, quin conditiones amplecteretur sibi impositas à Rege Nabuchadnezer. Hac ratione pronunciat Deus se fore ultorem perfidiæ. Nunc quæritur, an nunquam liceat fidem fallere, ubi quis violenter adactus fuerit, & promiserit quod alioqui iniquum erat. Responsio in promptu est, nomen Dei pretiosius esse omnibus humanis commodis. Si quis itaque objiciat, se fuisse deceptum, se gravatum fuisse iniquis legibus, non efficiet quin nomen Dei prævaleat. Ergo semper ponderemus quanti fieri debeat Dei nomen: & inde promptum erit colligere nunquam posse excusari eos, qui fidem datam violant hoc prætextu, quod violenter fuerint coacti, vel fraude inducti, vel quod non fuerit illis liberum disceptare, ut nihil promitterent nisi quod æquum esset. Hac
ratione etiam dicitur Psalmo 15. filios Dei jurare, *Psal. 15.*
& damnum pati: quia ubi interpositum fuit Dei no- *vers. 4.*
men, nulla utilitas tanti nobis esse debet, quin præponderet semper jusjurandum. Et ita non abs re pronunciat Deus se fore vindicem perfidiæ, quam admiserat rex Zedechias: quoniam scilicet non possumus à promissis discedere, quæ sancita fuerunt nomine Dei, & jurejurando, quin appareat nos vilipendere Deum ipsum. Interea certum est, aliam fuisse causam cur Deus pœnam sumpserit de populo Judaico: sed hic, quemadmodum antea admonui, commemorat Propheta quod magis erat hominibus familiare. Prima causa excidii tam urbis, quam totius regni fuit idololatria, quemadmodum ante vidimus: deinde accesserunt multa populi scelera. Nam ex quo vera religio corrupta fuit, etiam colluvies multorum vitiorum grassata est per urbem, & totam terram. Hinc igitur factum est, ut Deus populum illum destinaverit exitio: hinc etiam factum, ut rex Zedechias fuerit excæcatus. Voluit enim, quemad-
modum sacra Historia testatur, Deus perdere totum *2 Chr. 36.*
illum populum. Ergo hac ratione lapsus est Zede- *v. 16, 17.*
chias, & in se provocavit Chaldæos. Videmus ergo esse continuam seriem causarum in æterna Dei providentia, non qualem finxerunt Stoici. Nam Fatum suum conflarunt ex complexu retorto, vel causis implicitis: sed interea nulla erat Dei voluntas in illa confusione. Deus autem, quemadmodum dixi, habet diversas causas cur hoc vel illud agat. Sed aliæ causæ sunt remotæ, & nobis incomprehensibiles: quædam vero nobis sunt manifestæ: ita causa propinqua interitus populi fuit defectio Zedechiæ à rege Nabuchadnezer: sed alia fuit causa superior, nempe quia dignus erat ille populus, qui periret. Ergo excæcatus fuit Zedechias justo Dei judicio, ut perfide transiret ad regem Ægyptium, & ita in se armaret regem Nabuchadnezer. Sed tenendum est illud, hic tantum recenseri causam, quæ omnibus manifesta erat. Sequitur,

20. Et extendam (*vel expandam*) super ipsum rete meum, & capietur in plagis meis, (*alii vertunt sagenam, sed male: nam deductum est nomen à venando*) & venire faciam ipsum Babylonem, & judicabo (*disceptabo judicio*) cum eo illic de transgressione (*vel prævaricatione*) qua prævaricatus est contra me.

Hic modum designat ejus pœnæ, quam sumpturus erat de rege Zedechia. Dixerat generaliter redituram Zedechiæ perfidiam in ejus caput: sed nunc longius progreditur, nempe Zedechiam fore captivum. Poterat enim etiam aliis modis ipsum Deus castigare: sed vaticinium eo fuit certius, quum diserte minatus est Zedechiæ Propheta sicuti videmus. Loquitur autem in persona Dei, ut oratio plus habeat ponderis: *expandam*, inquit Deus, *rete meum, & capietur in plagis meis.* Metaphorica est loquutio, sed quæ optime explicat quod sæpe occurrit in Scriptura, nempe impios dum tumultuose hoc & illud suscipiunt, esse tamen ministros Dei, quia gubernat eos arcana sua virtute, & dirigit quocunque vult. Quamvis ergo homines confuse omnia suscipiant, quemadmodum videmus libidine sua sursum & deorsum rapi, turbare propemodum cælum & terram: tamen Deus illos impetus moderatur arcana sua providentia. Hoc colligimus ex verbis Prophetæ quum exercitum regis Babylonii, & consilia, & apparatus bellicos vocat *rete & plagas Dei.* Quamvis ergo Nabuchadnezer sua ambitione & avaritia fuerit impulsus, neque putaverit se divinitus regi, videmus tamen quid Spiritus pronunciet. Et nobis diligenter observanda est hæc doctrina, quia si recumbimus in paternam Dei sollicitudinem, quamvis nos undique circumdent exercitus: poterimus tamen secure confidere, & expectare quietis & tranquillis animis exitum: quia homines nihil sine Deo efficient. Sed ubi iram Dei in nos provocavimus, tenendum est, homines sic habere suas causas cur nobis molesti sint, ut tamen Deus eos gubernet, vel *sint ejus retia, vel plagæ*, quemadmodum hic Propheta loquitur. *Adducam*, inquit, *eum Babylonem, & disceptabo illic judicio cum eo secundum prævaricationem qua prævaricatus est.* Non tantum illic disceptavit Deus cum Zedechia, sed grave & formidabile judicium exercuit contra eum in Riblatha, ubi vidit primum jugulari suos filios, deinde oculi fuerunt eruti, & tandem catenis fuit constrictus. Sed quia fere contabuit in sua captivitate, & ignominiose tractatus fuit usque ad mortem, hac ratione dicit Deus se fore ejus judicem Babylone. Et tamen nihil erit absurdi si comprehendamus etiam Riblatha. Quamvis ergo Zedechias jam aliqua ex parte mulctatus fuerit antequam Babylonem ingressus est: tamen illic Deus exercuit suum judicium, hoc est, postquam abductus fuit è patria, & tractus in exilium. Fuit quidem sepultus non sine honore, ut vidimus apud Jeremiam. Nam luctum duxerunt in *Jer. 34. vers. 5.*
ejus sepultura, Heus frater mi, heus domine, sic Propheta loquitur. Tamen usque ad mortem fuit quasi vilissimum mancipium. Nam computruit in suis catenis, & sordide fuit habitus, quum rex laute & splendide tractaret Jechaniam. Captivitas ergo Zedechiæ fuit quasi obsignatio hujus vaticinii. Neque enim potuit Ezechiel de Zedechia proferre talem sententiam, nisi fuisset organum Spiritus sancti. Sequitur,

21. Et omnes profugi ejus in omnibus copiis ejus in gladio cadent: & qui residui erunt ad omnem ventum dispergentur: & cognoscetis quod ego Jehovah loquutus sim.

Nunc descendit Propheta ad totum populum, præsertim vero ad milites, quos putabat fore idoneos custodes urbis ipse Zedechias. Dicit ergo *sic dissipatum iri omnes ejus copias, ut in gladio cadant dispersi huc & illuc.* His verbis significat cladem exercitus: quia quamdiu consistunt in suo ordine milites sustinent hostilem impetum, & repellunt. Ubi autem sunt dissipati, quisque obnoxius est hosti suo: hinc promiscua trucidatio. Dicit ergo milites Zedechiæ *fore profugos in omnibus copiis*, hoc est, quamlibet copiosum habeat exercitum, tamen dissipabuntur omnes ejus copiæ, & dum quisque sibi privatim consulere volet, incidet in manus hostis: *ita omnes cadent in gladio:* deinde, *qui residui erunt dissipabuntur ad omnem ventum.* Vidimus idem antehac. ubi enim Propheta addixerat gladio fere totum populum, simul addidit, quicunque essent superstites, fore tamen profugos, quemadmodum si quis projiciat quisquilias, vel si quis pilos projiciat, qui rapiantur huc & illuc impetu venti. Idem ergo nunc repetit, nempe totum populum fore quasi lacerum corpus, quia si qui evadant à gladio, nusquam tamen reperient stationem. Ergo dum pauci fugient in Ægyptum, alii vero ad Moabitas, alii ad vicinas alias gentes, dissipabitur totum corpus populi. Addit, *& scietis quod ego Jehovah loquutus sim.* Diximus quid hoc sibi velit, & cur toties repetatur à Propheta, nempe quia indociles erant Judæi, & ridebant omnes Dei minas: Propheta docet, sensuros reipsa eum esse loquutum: & hæc est stultorum sapientia, quemadmodum vulgari proverbio dicitur. Quia enim nullis consiliis obtemperant, nec ullas admonitiones admittunt, nullam percipiunt doctrinam, ideo docentur ipso eventu. Sequitur,

22. Sic dicit Dominator Jehovah, Et assumam (*copula tamen abundat: assumam ergo*) è summitate cedri excelsæ, (*vel proceræ*) & ponam, è capite propaginum ejus, tenerum evellam, & plantabo ego super montem excelsum & elevatum.

Hic incipit Propheta de restitutione tam gentis quam regni disserere. Ita hæc prophetia haud dubie ad Christum spectat: quia tametsi aliqua ex parte misertus est populi sui Deus, quum libertas redeundi permissa fuit à Cyro & Dario: tamen quod hic legitur nunquam fuit plene exhibitum nisi in Christo. Verum quidem est, ut etiam alibi admonui, quum Prophetæ promittunt Ecclesiæ instaurationem, non restringere ipsos sermonem suum ad Christi personam, sed exordium facere à reditu populi. Nam fuit illud præludium plenæ & solidæ libertatis, quæ tandem in Christo patefacta fuit. Et in eo errant scriptores Christiani, quia dum præcise urgent, non posse aliter quam de Christi persona intelligi quicquid de restitutione Ecclesiæ dicitur, ita se faciunt ridiculos Judæis. Atqui ut jam dictum est, quoties Prophetæ spem libertatis faciunt electis & fidelibus, comprehendunt totum illud tempus à reditu populi, vel à fine exilii usque ad finem regni Christi. Quum ergo de regno Christi agitur, sumamus exordium in Templo illo, quod extructum fuit postquam populus completis septuaginta annis, rediit in patriam: deinde finem sumamus non in ascensu Christi, neque in uno aut altero seculo: sed in toto progressu regni ejus usque dum appareat ultimo die. Nunc veniamus ad Prophetæ verba, *Sic dicit Dominator Jehovah, Sumam è summitate cedri*, inquit, *excelsæ*, vel proceræ. Prosequitur Deus allegoriam quam vidimus. Sicuti enim dixit evulsam fuisse summitatem, vel summum ramum fuisse evulsum à cedro

dro

dro Libani! ita nunc dicit *se sumpturum è summitate cedri, & postquam evellerit*, vel decerpserit ramum, *ac plantaverit*, tale fore incrementum, ut agnoscant omnes arbores illud esse opus mirabile. Jam varie hic nobis describitur restitutio, quia Deus postquam loquutus est de ramo excelso, descendit ad ramum humilem & abjectum: deinde pronunciat ejusmodi fore exordia novi regni, ut aridam arborem germinare faciat, & humiliet arborem excelsam. Videntur quidem hæc primo intuitu inter se pugnare: sed optime conveniunt, quia Deus sumpsit ex cacumine cedri excelsæ quum plantavit novum regem. Christus enim, quantum attinet ad æternum Dei decretum, semper cælo & terra fuit excellentior. Interea Deus postea dicit ipsum fuisse humilem, ut certe fuit. Sed prosequamur verba: *Sumam*, inquit, *è summitate cedri excelsæ, & ponam è capite surculorum ejus, tenerum evellam & plantabo ego super montem excelsum & elevatum.* Hic quemadmodum dixi, ab una parte loquitur de cedro procera & excelsa: deinde loquitur de ramo sublimi: sed postea addit, *tenerum ejus decerpam*: unde significat nullam fore fortitudinem in surculo quem decerpet, & quem plantabit. Ergo hic ostenditur contemptibile exordium regni Christi, sicuti postea clarius Propheta seipsum explicat.

23. In monte excelso Israël plantabo illud, & tollet ramum, & faciet fructum, & erit in cedrum elegantem: (*vel magnificam, est idem nomen de quo heri diximus*) & habitabit sub eo (*ramo, vel sub ea cedro*) omnis avis, (*hoc est, aves omne genus, vel omne genus avium*) omne pennatum (*aut volatile*) in umbra surculorum ejus (*vel ramorum*) habitabit.

Quod pronunciat Deus, *surculum quem plantabit fore in cedrum excelsum*, his verbis ostendit incrementa regni Christi sic fore mirifica, ut superent communem rationem naturæ. quod tamen adumbratum fuit in persona Zerubabel, qui ex tristi & ignominiosa captivitate electus fuit ad populum reducendum. (Esdr 2. vers. 2. Agg. 1. vers. 14.) Hoc enim non contingit naturaliter, ut surculus crescat exiguo tempore in excelsam cedrum. Scimus enim quam sero assurgant cedri. Videmus ergo quorsum tendat consilium Spiritus, nempe arborem fore ex minimo surculo. Et respondet hoc vaticinium alteri Jesaiæ, ubi dicit cap. 11. (Jesa. 11. vers. 1.) Nascetur ex trunco Isai surculus. Nam excisa erat domus Isai: & domum privati hominis & obscuri nominat quasi amplius nulla foret Davidis memoria. Erat igitur tanquam arbor excisa domus Isai. Nascetur, inquit, ex radice illa surculus. Idem nunc significat Propheta, & eadem fere similitudine. Reliqua in proximam lectionem.

Da omnipotens Deus, quando dignatus es nobiscum fœdus perpetuum & inviolabile inire, quod sanxisti unigeniti Filii tui sanguine: da ut nos fideliter in eo perstemus, & ita tibi simus obedientes usque in finem, ut sentiamus te nobis propitium esse Patrem, donec tandem fruamur æterna illa hæreditate, quam nobis in cælo præparasti, per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA TERTIA IN EZECHIELEM.

COEpimus ultima lectione exponere Prophetæ locum, ubi promittit Deus se sumpturum ex ramis cedri excelsæ tenerum ramusculum, qui tamen brevi excrescet in arborem proceram. Diximus restitutionem populi fuisse hujus gratiæ præludium, quia jam tunc ostendit Deus sibi curæ esse populum illum, quem visus fuerat prorsus rejicere quum passus est trahi in exilium. Diximus etiam, quamvis Zerubabel captivus esset atque exul, fuisse tamen ramusculum decerptum ex arbore procera, quia erat ex sanguine regio, unde oportuit tandem Christum exoriri. Sed simul addidimus vaticinium hoc non fuisse completum, nisi sub regno Christi, cujus initium fuit quum patefactus est in carne, quotidianos autem adhuc facit progressus usque ad finem mundi. Sic ergo videmus desumptum fuisse ramusculum ex cedro, *& quidem procera*, vel excelsa: *& plantatum fuisse super montem*. Sed dicitur hic mons excelsus & sublimis, in quo ramus ille plantandus erat. Dubium non est, quin Deus montem Sion designet, qui tamen exiguus erat collis. Sed ratio nobis ostenditur à Jesaia cur vocetur excelsus, quia supereminet dignitate & excellentia omnem mundi altitudinem. Illic dicitur, (Jesa. 2. vers. 2, 3.) Faciam ut conspicuus sit mons Sion supra omnes montes excelsos. Eminentia quidem illa non fuit ocularis: sed Propheta simul declarat quid hoc sibi velit, quia Lex prodibit è Sion, & sermo Dei è Hierusalem. Videmus ergo montem Sion, quamvis esset humilis inter colles, fuisse tamen sublimem & superiorem altissimis montibus: quia in eo eminuit Dei gloria, quæ conspecta fuit usque ad ultimos terræ fines. Ideo Propheta secundo repetit, *In monte excelso Israël plantabo illum*, ramusculum scilicet, *& tollet vel feret ramum, & producet fructum: & erit in cedrum magnificum* vel elegantem, ut diximus, *& habitabunt sub ea omnis volucris*, hoc est, omnes aves, *omne pennatum* aut volatile *sub umbra ramorum* vel ramusculorum *ejus habitabunt*. Repetitio ostendit rarum hic aliquid notari, & quod communi sensu vix fuisset comprehensum, ubi Deus loquitur de monte excelso & elevato. Ita confirmat quod diximus, locum hunc debere intelligi de monte Sion, qui supra naturam fuit elevatus, ubi inde exivit sceptrum Christi, quo sub jugum suum redegit totum orbem. Jam addit *fore in cedrum magnificam, ut nidulentur in ea aves, & quiescant sub umbra ejus*. Hæc similitudo etiam legitur apud Danielem, ubi de imperio Nabuchadnezer disserit: (Dan. 4. v. 8, 9, 17, 18, 19.) & id commune est omnibus regnis, ut scilicet protegant sub umbra sua homines: quemadmodum aves domicilium non alibi reperiunt quam in arboribus, & ideo illuc confugiunt, & se colligunt. Sed interea breviter admonet Propheta, regnum de quo nunc agitur, fore in salutem & commune bonum totius populi. Nam ut plurimum Reges existimant humanum genus creatum esse sua causa: ideo privatis tantum suis rationibus addicti sunt, nec consulunt miseris hominibus, quibus ideo sunt divinitus præfecti, ut eos quasi sub alis foveant. Ostendit igitur Propheta regnum quod Deus erigere statuerat in electo populo, fore omnibus utile, quum dicit *sub umbra ejus tutam fore cunctis avibus quietem*. Jam sequitur,

24. Et

24. Et cognoſcent omnes arbores agri, quod ego Jehovah, qui humilio arborem excelſam, & extollo in ſublime arborem humilem: areſacio arborem viridem, & fructuoſam reddo arborem aridam: ego Jehovah loquutus ſum, & feci. (*vel faciam.*)

Hoc verſu ſignificat Propheta, memorabile fore hoc Dei opus. Nam quum dicit omnes arbores ſenſuras in manu & arbitrio Dei eſſe, erigere quod erat abjectum, & dejicere ac proſternere quod elatum erat, hauddubie aliquid non vulgare exprimit. Per arbores autem intelligit conctos reges terræ, & quicunque aliqua dignitate præſtant. Proſequitur enim ſuam metaphoram: ſicuti arborem vel cedrum, quæ excrevit è ramuſculo, vocavit regnum Chriſti, ita etiam nunc de regibus metaphorice loquitur, quum dicit *omnes agnituros. Cognoſcent* ergo *quod ego Jehovah, qui humilio arborem excelſam.* Poſſet quemadmodum jam attigi, hic videri ſecum pugnare Ezechiel, quia dixit Deum ſumpturum è cedro ſublimi ramuſculum, quem volebat plantare: nunc autem dicit Deum extollere quod humile & abjectum erat. Sed hanc abſurditatem diluimus, quia ab initio Chriſtus jam erat in gloria Patris: & ideo exordium

Mich. 5. verſ. 2. ejus Micheas dicit eſſe à diebus æternis. Hæc igitur Chriſti excellentia notatur, quia ex quo Deus ſolium Davidis erexit, ſimul dedit ſignum viſibile regni excellentioris, quod adhuc ſub ſpe latebat. Hac ratione Chriſtus ſumptus eſt è loco ſublimi: & tamen

Phil. 2: 7. quia non tantum ſpeciem ſervi induit, ſed exinanitus fuit uſque ad mortem, non mirum eſt ſi dicat Propheta fuiſſe *ſimilem arbori dejectæ.* Quanquam ut admonui, non reſtringitur hæc ſententia ad Chriſti perſonam, ſed aptari debet ad regnum ipſius, hoc eſt, ad modum & rationem gubernandi: quia ſcimus, & jam paulo ante dictum fuit, Euangelium eſſe inſtar ſcepteri, quo ſibi Chriſtus ſubjugat omnes populos, & eos moderatur. Nunc ſi reputamus qualis fuerit Euangelii prædicatio, videbimus quaſi in ſpeculo quod hic Propheta docet, nempe arborem humilem fuiſſe evectam in ſublime, quia nemo putaſſet ex tenuibus illis exordiis ejuſmodi fore incrementa, quæ Deus poſtea dedit. Sequitur ergo, altitudinem hanc fuiſſe admirabilem, quia non potuit comprehendi humano ſenſu. Interea adjungit, *ego ſum qui humilio arborem excelſam:* quod non tantum de Judæis intelligitur, ſed meo judicio, complectitur omnia mundi imperia & principatus. Deus ergo humiliat arbores excelſas, quia quicquid ſeſe opponit Chriſti regno, neceſſe eſt concidere: & hoc fuſius deſcribitur apud Danielem. Tametſi enim omnia *Dan. 4.* mundi imperia fundata ſunt in Chriſto, & ſuſtinentur ejus virtute: quia tamen inſurgunt terreni reges, & cuperent Chriſtum proſternere, facit eorum ſuperbia, ut cedat imperium Chriſti illis in ruinam. Notanda igitur eſt hæc antitheſis, nempe Deum erigere arbores humiles, vel attollere: & dejicere arbores excelſas: quia hinc docemur melius ſperandum eſſe de regno Chriſti, quam poſſimus æſtimare ex ſenſu noſtro: quia ſi oculos huc & illuc conjicimus, occurrent multa quæ ſpem noſtram extenuent ac debilitent. Qualis enim eſt ſpecies regni Chriſti? Imo potius occurrer nobis materia deſperationis ſi velimus facere judicium de regno Chriſti ex præſenti rerum ſtatu. Sed ubi videmus quaſi humi ſerpere Euangelium, veniat nobis in memoriam hic locus, Deum ſcilicet in ſublime attollere arborem abjectam & contemptibilem. Jam ſimul diſcamus converſiones quæ ſubinde in mundo accidunt ac cernuntur, imputandas eſſe eorum ſuperbiæ, qui excæcantur ſua gloria. Reges enim, ut diximus, obliviſcuntur ſe eſſe homines, ita proterviunt adverſus Deum. Hinc fieri neceſſe eſt, ut concidant. Jam ſi hoc non ſtatim completur, ſciamus patienter expectandum eſſe effectum hujus vaticinii. Quicquid ſit, unum Chriſti regnum ita Deus ſtabilivit, ut perpetuum ſit futurum cum ſole & luna: alia autem mundi imperia cum ſuo ſplendore evaneſcent, & concidet eorum altitudo, etiamſi hodie nubes ſuperent. *Ego*, inquit, *Jehovah loquutus ſum*, *& faciam.* Hic Deus revocat mentes fidelium ad ſuam potentiam, quia ex quo populus fuerat diſſipatus, (loquor de ultima urbis clade, & excidio Templi) nulla erat ſpes reſtitutionis. Quoniam ergo difficile erat perſuaſu quod nunc pronunciat Deus, hac ratione ſtatuit in medio ſuam virtutem, ut homines valere juſſo proprio carnis ſenſu, ſeſe ſupra mundum efferant, & expectent ex inæſtimabili Dei virtute quod ipſis non apparet. Nunc ſequitur,

CAP. XVIII.

ET fuit ſermo Jehovæ ad me, dicendo,

2. Quid vobis? vos proverbiantes proverbium (*hoc eſt, quod utimini hoc dicterio, vel apophthegmate*) ſuper terram Iſraël, dicendo, Patres comederunt omphacem, (*uvam acerbam: neſcio cur alii labruſcam vertant: neque enim convenit*) & dentes filiorum obſtupeſcunt.

3. Vivo ego, dicit Dominator Jehovah, ſi erit vobis amplius (*vel poſthac*) qui utatur hoc dicterio (*proverbiet hoc proverbium*) in Iſraële.

4. Ecce omnes animæ mihi: (*hoc eſt, meæ ſunt ipſæ*) ſicut anima patris ſic anima filii mihi. (*hoc eſt, meæ ſunt ipſæ*) Anima quæ peccaverit ipſa morietur.

Colligere licet ex hac reprehenſione, Judæos perverſos fuiſſe interpretes optimæ doctrinæ: imo data opera calumniatos fuiſſe ſermonem Propheticum, & traxiſſe in contrarium finem. Nam & incredulis hoc plus ſatis tritum eſt, ſemper captare tergiverſandi occaſionem, & torquere, atque diſcerpere, ac lacerare cæleſtem doctrinam. Et hodie videmus hanc impudentiam in mundo plus ſatis graſſari. Nam mundus refertus eſt ſcurris & aliis falſariis, qui improbe Deo illudunt, & materiam jocandi quærunt ex Lege & Euangelio. Sic igitur factum fuiſſe apparet ætate Prophetæ. Audiebant jam inſtare ſibi Dei vindictam, eo quod non ceſſaverant eam provocare, & id à multis annis. Neque enim ſimpliciter objiciebantur illis ſua ſcelera, ſed etiam patrum: hinc cavillandi occaſio, quum audirent, Jam tot ſeculis non ceſſatis cum Deo bellum gerere: ſuſtinuit vos patienter ad hunc uſque diem: putatiſne vobis impune ceſſuram hanc contumaciam? quia hactenus Deus voluit ſua tolerantia vos manſuefacere: ſed obſtinatio veſtra eſt indomabilis. Quum igitur jam ab uno ſeculo, & à duobus, imo à quatuor & quinque fuerit pertinacia veſtra luctata cum bonitate Dei, fieri non poteſt, ut diutius vobis ignoſcat. Quum ita Prophetæ colligerent patrum ſcelera, impii homines ſua dicteria ſpargebant, Ergo nos luemus pœnam patribus debitam: illi Deum provocarunt, nobis autem infligetur pœna, quam erant promeriti. Nunc Propheta hanc improbitatem coarguit, & oſtendit non eſſe cur alio culpam transferant, vel derivent, quia Deus juſte in eos exerceat ſuam vindictam. Scimus homines libenter ita tergi-

verſari,

versari, ut se eximant à noxa, & postea Deum insimulent injustæ crudelitatis. Verum quidem est, teneri sua conscientia sic constrictos, ut cogantur sentire velint nolint, se justas dare pœnas. sed postea ut sunt refractarii conscientiam quodammodo suffocant, & litigant proterve cum Deo: hinc illæ voces,

Horat. l.3. Carm.

Delicta majorum immeritus lues
Romane, donec templa refeceris.

Quum tot scelera manifesta essent Romæ, cur nugator ille dicit homines suæ ætatis luere pœnas majoribus debitas, & quidem immeritos? Sed quemadmodum dixi, hoc est testimonium corruptæ naturæ, quod studemus, quantum in nobis est, culpam longe à nobis rejicere. Hinc autem incipimus rixari cum Deo, & obstrepere ejus judiciis. Et ideo hæc doctrina eo nobis utilior est, dum proponitur quasi remedium illius morbi nimium vulgaris. Quicquid sit, venerat hæc sententia in communem usum instar proverbii, nempe *quod filiorum dentes obstupescebant, quia patres comederant uvam acerbam*: quibus verbis allegorice volebant se eximere à reatu, quasi Deus injuste persequeretur patrum scelera adversus ipsos. Nam comedere uvam acerbam, vel omphacem tantundem valet ac causam dare dentium stupori. Nam scimus dentes obstupefieri ex acore Si quis ergo omphacem comederit, dentes obstupescent ex acerbitate. Comedere ergo est dare causam stupori dentium: itaque peccare. Dicebant dentes sibi obstupefieri, non quod comedissent uvas acerbas, sed hoc à patribus ad se defluere. In summa volebant cum Deo litigare, quod innoxios affligeret, idque fallaci illo prætextu, quemadmodum attigi, quod Deus pronunciabat se ulcisci tot scelera, quæ jam superioribus seculis patrata fuerant. *Vos*, inquit, *utimini hoc proverbio: atqui vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si amplius erit qui utatur hoc proverbio.* Non significat his verbis, Judæos ubi resipuerint fore modestiores, quam ut audeant talem blasphemiam contra eum evomere. Neq; enim hic de resipiscentia eorum agitur, sed perinde est acsi diceret, ego excutiam vobis hanc jactantiam quia patefiet vestra iniquitas, ut totus mundus agnoscat vos justas dare pœnas, quas estis promeriti, & non posse rejici in patres, quemadmodum hactenus conati estis. Non cessarunt quidem Judæi Deo obstrepere: nec dubium est quin magis ac magis exacerbati fuerint, ut audacius cum Deo expostularent: sed quia reipsa apparuit, ipsos esse sceleratos, & Deum non frustra nec levibus de causis esse illis tam infestum: ac quantumvis severus esset judex, tamen illos venisse usque ad summum cumulum impietatis, ut nullæ pœnæ illis sufficerent, vel essent nimium atroces. Nunc tenemus consilium Prophetæ, vel Spiritus sancti potius, quod scil. Deus eripuit omnem colorem tergiversandi Judæis, ubi detexit eorum iniquitatem, ut palam fieret omnibus, justam ipsos mercedem recipere suorum scelerum. Deus autem per seipsum jurat: unde colligimus quantopere abominabilis fuerit illa blasphemia. Et certe non possunt homines seipsos absolvere, quin Deum condemnent.

Ezo. 16. vers. 63. Rom. 3. vers. 19.

Nam tunc illustratur Dei gloria quum omne os obstruitur, ut antea visum est. Simul ergo atque homines descendunt in illud certamen, ut velint suam innocentiam probare, perinde est acsi vellent in nihilum redigere Dei justitiam. Itaque mirum non est, si Deus tantopere excandescat quum spoliatur sua justitia. Neque enim potest absque illa esse Deus. Nunc videmus cur interposito jurejurando, pronunciet se facturum ne amplius ita obganniant Judæi: *Ecce*, inquit, *omnes animæ sunt meæ: sicuti anima filii sic anima patris, omnes meæ sunt. Anima ergo quæ peccaverit ipsa morietur.* Principium versus quidam ita exponunt, frustra & temere homines conqueri ubi Deus videtur nimis severe agere, quia lutum contra figulum non exurgit. Quoniam ergo Deus opifex est totius mundi, nos sumus ejus figmentum: quantæ insaniæ est contra ipsum tumultuari, ubi nobis non satisfacit? Et vidimus hanc similitudinem apud Jeremiam.

Jer. 18:

Sententia quidem per se vera est, nempe omnes animas esse sub Dei arbitrio jure creationis; ideoque ipsum pro imperio posse statuere de singulis quicquid visum est: & nihil eos proficere qui contra blaterant. Et hæc etiam doctrina utilis est cognitu. Verum aliter intelligi debet hic locus, nempe nihil esse indignius, quam Deum trahi in crimen quasi tyrannice dominaretur in homines, quum ipsos potius tueatur tanquam opus suum. Quum ergo Deus hic pronunciat *omnes animas esse suas*, non vendicat sibi imperium vel potestatem simpliciter: sed potius ostendit se paterno affectu esse erga totum humanum genus, quod creavit & formavit. Nam si opifex quia industriam suam agnoscit in opere suo, illud amat, certum est, quum Deus explicuerit suam potentiam, & bonitatem in hominibus formandis, fieri non posse quin ipsos amplexetur. Verum quidem est, quia corrupti sumus Originali peccato, Deo esse abominabiles, quemadmodum alibi dicitur: sed quatenus sumus homines, fieri non potest, quin Deo simus chari, & pretiosa etiam sit nostra salus.

Psal. 14. vers. 1,2.

Nunc videmus qualis sit hæc refutatio: *omnes*, inquit, *animæ sunt meæ*, omnes formavi, omnium sum creator: itaque paterno sum affectu erga omnes, & potius sentient à minimo usque ad maximum meam clementiam, quam experiantur nimium rigorem & tyrannicum. Tandem subjicit, *Anima quæ peccaverit ipsa morietur.* Nunc exprimit Ezechiel quomodo Deus compescet Judæos, ut non audeant amplius jactare se immerito affligi: quia nemo innoxius morietur. Nam sic debet resolvi sententia. Neque enim intelligit, quicunque peccaverint, omnes morituros. Præcluderet enim januam Dei misericordiæ, quando omnes peccavimus. Ita sequeretur nullam fore spem salutis, quin omnes ad unum pereant, nisi Deus à morte liberet eos, qui peccarunt. Sed minime ambiguus est Prophetæ sensus, ut dictum fuit, eos scilicet qui pereunt non esse extra noxam, nec posse suam innocentiam Deo objicere, vel conqueri de ejus crudelitate, quia aliena scelera persequatur. Quanquam hic posset objici quæstio, quia nemo hodie perit qui aliqua ex parte non sustineat alienam culpam, nempe Adæ, quia ejus lapsu & defectione factum est, ut totum humanum genus perierit. Quum ergo interitum nobis accersiverit Adam suo lapsu, sequitur, nos perire aliena culpa. Quoniam suo loco tractanda erit iterum hæc quæstio, nunc sufficiat tribus verbis attingere, quamvis pereamus aliena culpa, tamen culpam cujusque propriam simul conjunctam esse. Non ergo damnamur in Adam acsi essemus in nobis innoxii, sed contraximus labem ex ejus peccato, atque ita factum est, ut quisque pœnam propriæ culpæ sustineat: quia non simpliciter grassatur pœna, quam promeritus fuit ille, per totum genus humanum, sed infecti sumus ejus peccato, ut postea dicendum erit. Quicquid sit, non morimur innocentes, quia quisque convictus tenetur etiam conscientiæ suæ testimonio. Quod ad pueros infantes pertinet, videntur quidem aliena culpa non sua perire: sed solutio duplex est. Quamvis enim nondum in ipsis appareat peccatum, latet tamen, quia gestant corruptionem inclusam in anima, ut coram Deo sint damnabiles. Hoc non cadit sub sensus nostros: sed consideremus quanto acutius cernat Deus quam nos. Ergo si non penetramus in occultum illud judicium, tenendum tamen est, antequam nascamur, nos jam contagione peccati Originalis esse infectos, & ideo juste destinatos esse ultimo exitio. hoc unum est. Sed quantum ad Prophetæ sententiam spectat, hic frustra & intempestive disputatur de pueris infantibus: quia tantum voluit refellere Propheta illam impiam proterviam, ut dixi, ne amplius populus objiceret Deo crudelitatem: *Anima*, inquit, *quæ*

pecca-

peccaveris, hoc est, nemo vestrum poterit jactare innocentiam quum à me punietur: quemadmodum
2 Thess. 3. vers. 10. quum dicitur, Qui non laborat ne comedat, certe hoc non potest extendi usque ad infantes: alendi sunt, & natura id nobis dictat: & tamen labore non acquirunt sibi victum, verum est: sed hoc dicitur de adultis, qui jam per ætatem agnoscunt quorsum sint creati, & se idoneos esse ad ferendos labores. Sic etiam hoc loco non agitur de tenero fœtu, qui prodit ex utero matris: sed agitur de hominibus adultis, qui vellent Deum substituere suo loco reum, ut essent innoxii: & ita quum non possint se eximere à pœna, vellent tamen alio transferre culpam, nempe primum in alios, deinde in ipsum Deum.

Da omnipotens Deus, quando non tantum è nihilo nos creasti, sed quum dignatus es nos iterum creare in Filio tuo unigenito, sumpsisti ex ipsis inferis: & dignatus es nos evehere in spem cælestis tui regni: da, inquam, ut ne superbiamus, aut efferamur vana gloria: sed amplexemur hanc gratiam qua decet humilitate, & nos tibi modeste subjiciamus, donec tandem participes fiamus ejus gloriæ, quam nobis acquisivit idem unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA QUARTA IN EZECHIELEM.

5. Et vir si fuerit justus, & fecerit judicium & justitiam,

6. Super montes non comederit, & oculos suos non extulerit ad idola (*proprie ad spurcitias*) domus Israël, & uxorem socii sui (*vel proximi*) non polluerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit:

7. Et neminem afflixerit, (*vel oppresserit*) pignus suum reddiderit debitori, prædam non rapuerit, (*ad verbum, non rapuerit rapinam*) panem suum famelico dederit, & nudum texerit vestimentis:

8. Cum usura non dederit, & incrementum (*vel quæstum, lucrum*) non acceperit, ab iniquitate retraxerit manum suam, judicium fideliter fecerit inter virum & virum:

9. In statutis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit ad faciendum veritatem, (*hoc est, ut versetur fideliter*) justus est, vivendo vivet, dicit Dominator Jehovah.

Hic Propheta exemplis confirmat superiorem doctrinam. Primo enim dicit, si quis Legem fideliter custodierit, eum prospere acturum: quia Deus rependet mercedem justitiæ: postea adjungit, si genuerit justus ille filium sibi dissimilem, justitia patris nihil proderit filio degeneri: sed recipiet præmium suæ iniquitatis. Quod si ille secundus filium genuerit, qui patrem non imitetur, promittit Deus hunc tertium fore sibi gratum, quia justus est, & ideo prospere acturum ac feliciter. Videmus ergo hic poni avum, & nepotem, in medio vero statui filium primi, & patrem tertii. Sed huc tendit consilium Spiritus, paratam esse mercedem apud Deum singulis prout vixerint, ita ut non frustretur ipsos benedictione promissa, neque elabi sinat impios & contemptores Legis suæ. Jam veniamus ad verba: *si fuerit quispiam justus*, inquit, *justus erit, ideo vivet*. Generaliter primo loquitur, postea enumerat quasdam species, sub quibus tamen comprehendit summam totius Legis. Plena est sententia, si quis fuerit justus, quia justus est vivet. Sed designat Propheta quid sit esse justum: & illic eligit quasdam partes Legis: per synecdochen vero, ut dixi, significat si quis fideliter Legem observet, eum censeri justum coram Deo. Nunc excutiendæ sunt nobis illæ species: postea veniemus ad generalem doctrinam. Primo dicit *eum esse justum qui facit judicium & justitiam*. Nomine Judicii Scriptura significat rectitudinem. Sed ubi duæ istæ voces simul junguntur, videtur judicium plus exprimere quam justitia. Justitia enim nihil aliud est quam æquitas, fides, integritas, quum scilicet abstinemus ab omni fraude & violentia, & perinde versamur cum fratribus nostris ac volumus illos agere nobiscum. Quisquis ergo ita se gerit, dicitur facere justitiam. Judicium vero longius extenditur, nempe ubi non tantum studemus benefacere, sed defendimus quantum in nobis est miseros fratres, qui injuste premuntur: nos opponimus eorum libidini & violentiæ, qui libenter everterent omne jus & fas. Ergo facere justitiam & judicium, nihil aliud est quam abstinere ab omni noxa, colendo fidem & æquitatem cum proximis: deinde tueri omnes bonas causas, & quasi patrocinium suscipere, ubi videmus innoxios homines injuste lædi & opprimi. Hæc autem officia proprie spectant ad secundam Legis tabulam. Sed hinc patet etiam, nos Deum timere ubi juste vivimus cum fratribus nostris. Nam pietas est radix charitatis. Tametsi enim multi profani homines visi sunt irreprehensibiles in sua vita, & spectata in illis fuit rara integritas: nunquam tamen ex animo quispiam proximum diliget nisi qui Deum metuit ac reveretur. Quoniam ergo charitas manat à pietate & timore Dei, quoties secundæ Tabulæ officia videmus nobis poni in medium, sciamus ea esse testimonia cultus Dei, sicut hoc loco: sed deinde Propheta etiam adjungit quasdam partes primæ Tabulæ. Dicit ergo *super montes non comederit, & oculos suos non extulerit ad spurcitias domus Israël*. Hæc duo respiciunt cultum Dei. Nam per synecdochen comedere tantundem valet ac offerre. designat sacrificia, quibus annexæ erant epulæ tanquam appendices. Et sane Paulus ubi de idololatria loquitur, non dicit 1 Cor. 10. vers. 7.
si quis prosternat genua coram lapide vel ligno: sed Exod 32. vers. 6.
citat verba Mosis, quod populus surrexerit ad ludendum postquam comederat, hoc est, postquam epulatus fuerat. Ergo epulum illic pro sacrilega illa profanatione accipitur, quum populus sibi fabricaverat vitulum, & coram ipso voluerat Deum colere. Quum ergo nunc dicitur *si quis non comederit super montes*, per epulum, ut dixi, notatur sacrificium, quod offerebatur idolis. Jam scimus in excelsis fuisse passim erecta altaria, quod putarent se propinquos esse Deo quum ascenderent in locum editum. Quia ergo superstitiones tunc exercebantur in montibus, ideo Propheta quod usitatum erat nunc recenset, *si quis non comederit super montes*: deinde clarius seipsum exponit, *si quis non extulerit oculos ad idola domus Israël*. Tollere oculos hic per metonymiam sumitur pro cupide ferri ad superstitiones. Nam scimus oculos esse præcipuos indices affectuum. Quum ergo affectus erumpant in oculos, & illic sint veluti conspicui, non mirum est si omnes cupiditates hac loquendi forma notentur. Ita dicitur quispiam tollere

oculos

oculos ad domum proximi quum eam appetit, dicitur etiam tollere oculos ad uxorem & alia quælibet, quoties prava cupiditate rapitur. Summa igitur est, eos censeri justos coram Deo (quoad priorem tabulam Legis) qui idololatriis se non contaminant, quia contenti sunt simplici & legitimo Dei cultu, neque huc & illuc inclinant, quemadmodum superstitiosi habent oculos vagos & erraticos: ideoque comparantur meretricibus, quæ hinc inde appetunt scortatores. Summa igitur est (iterum repeto) veros esse cultores Dei qui sese continent in ejus doctrina, neque feruntur perverso appetitu huc & illuc, ut idola sibi fabricent. Porro Spiritus sanctus idola nominat גלולים spurcitias, ut omnis superstitio nobis sit detestabilis. Nam quia natura propensi sumus ad omne genus errorum, non possumus satis contineri in vero & puro Dei cultu. Jam ergo quum imaginentur increduli deos suos esse sacros, Spiritus sanctus ex opposito pronunciat esse inquinamenta, ut scilicet cultus ille profanus fœteat, & sit abominationi. Dicit autem *idola domus Israël*, ut omnis tergiversatio cesset: quia si tantum de idolis fuisset loquutus, poterant excipere se quidem detestari falsos & commentitios gentium deos: sed quia multæ ceremoniæ jam longo usu receptæ fuerant in populo electo, non debere damnari tanquam impios ritus gentium. Spiritus sanctus refellit hanc cavillationem, & dicit quamvis domus Israël approbaverit tales spurcitias, tamen non excusari eos, qui posthabita Dei Lege, ita se addicunt figmentis hominum. *Et uxorem socii sui non polluerit.* Jam Propheta ad secundam Tabulam iterum revertitur. Agit enim hic de adulterio. Sed loquutio notanda est, ubi dicit pollui vel contaminari alienam uxorem stupro: quia admonet quam sancta sit religio conjugii apud Deum. Hic ergo ostenditur atrocitas sceleris, quum aliena uxor stupratur: & hoc in detestationem adulterii. Polluit quidem seipsum qui corrumpit uxorem socii sui: sed propter verecundiam sexus magis apparet contaminatio in muliere quam in viro. Quicquid sit, tenendum est, inuri ignominiæ & dedecoris notas in corporibus humanis, quemadmodum Paulus docet, ubi viri & mulieres se prostituunt ad scortationes vel adulteria. Alia peccata, inquit Paulus, extra corpus sunt: sed qui scortatur, in corpus suum peccat, acsi seipsum sugillaret, & inureret notas turpitudinis & infamiæ. Hic autem quemadmodum dixi, de muliere adultera tantum loquitur Ezechiel, quia gravius violatur conjugium in muliere. Sequitur, *ad mulierem menstruatam non accesserit.* Scimus hoc Lege Dei fuisse prohibitum, quod etiam natura dictat. Est enim ea fœditas in fluxu menstruo, ut non opus sit Lege scripta, quia res ipsa satis ostendit nullum esse tunc vel honestum, vel licitum congressum viri cum muliere. Et Deus etiam tanquam prodigium detestatur si quis ita se commisceat cum muliere menstruata, non tantum quia inde nascetur soboles quæ contaminet urbes & gentem unam: sed quia alienum prorsus est ab humano sensu, rem habere cum muliere quæ menses suos patitur. Postea addit, *Si hominem oppresserit*, vel afflixerit. Hoc generale est, perinde acsi dixisset Propheta, si ab omni fraude, & vi, & noxa abstinuerit. Est autem hoc magnum, ita innoxie versari inter homines, ut nemo queratur injuriam sibi factam, vel damnum illatum. Sed non satis est tamen servare ejusmodi continentiam, nisi studeamus fratribus nostris prodesse, quia Deus vult communicari ultro & citro officia. Quanquam præcedere illud oportet, nempe ut caveamus ab omni injustitia. *Pignus*, inquit, *reddiderit debitori.* Hoc non debet generaliter accipi, sed pendet ex præcepto Legis. Diximus enim sæpius Prophetas fuisse Mosis interpretes: & ideo sæpe breviter attingunt quod clarius exprimitur apud Mosen. Sed si volumus utiliter versari in eorum

1 Cor. 6. vers. 18.

Levit. 18. vers. 19. & 20. vers. 28.

lectione, debemus nobis statuere Legem ipsam: deinde quod legimus in Prophetis accommodare ad doctrinam quæ illic continetur. Ita hoc loco *restituere pignus debitori*, restringitur ad pauperes & egenos, qui aut vestes suas, aut culcitras suas oppignerant, vel instrumenta quibus victum acquirunt. Deus enim vetat pignus accipere à vidua, & à paupere; deinde vetat molam accipere, hoc est, instrumentum, quo utitur opifex ad victum sibi parandum. Si quis ergo exinaniat officinam miseri hominis, perinde est acsi ipsum jugularet. Et ideo Moses dicit, Est enim vita ipsius in pignore, hoc est, si quis tibi instrumenta sua oppigneret, jam habet quasi abscissas manus, non potest exercere suum artificium absque instrumentis. Tu ergo illi eripis vitam. Deinde vetat etiam Deus accipere vel vestem stragulam, aut vestem qua quispiam induitur, aut culcitram. Nam miser homo si culcitram, aut stragulam vestem oppigneret, frigore tabescet. Contra si juventur ejusmodi homines, idque absque pignore, latera ipsorum benedicunt iis qui abstinent à nimio rigore. Postremo vetat Deus excutere domum pauperis, ne scilicet pudeat ipsum suæ tenuitatis: deinde quia hoc nimium crudele est, si quis penetret in domum alterius, & inquirat quid illic sit, imo quasi species est latrocinii. Videmus nunc quomodo intelligi debeat quod dicit Ezechiel, *si pignus debitori restituerit*, nempe vel debitori egeno, vel pignus necessarium, quemadmodum ut dixi, sunt instrumenta, sine quibus artificium exerceri nequit, & necessaria etiam supellex. *Non rapuerit rapinam*, hoc est, non fuerit prædatus proximos suos. Nam omne genus expilationis hic notatur per verbum גזל. *Et panem suum famelico dederit.* Hic docet Propheta quod paulo ante attigi, non sufficere scilicet continentiam ubi cavemus ab omni injuria, & proximis nostris parcimus, sed plus requiri, nempe ut quoad feret facultas, studeamus proximos nostros juvare. Nisi hoc fuisset additum, poterant excipere multi se neminem læsisse, non rapuisse quicquam alienum, neque fraudasse simplices. Sed quia Deus homines quodam societatis vinculo inter se conjunxit, ideo necesse est communicari inter ipsos officia. Hic ergo exigitur, ut qui dives est, pauperi succurrat, & porrigat panem suum famelico. Dicitur autem panis ipsius, ne (ut solemus esse nimium restricti) quispiam exciperet, Atqui nulla ratio me obstringit, ut quod meum est aliis largiar: hic panis meus est, atque ita jure possideo quod apud me est. Si quis egestate premitur, laudabile erit fateor, succurrere: sed ad hanc liberalitatem nemo cogitur. Ne quis ita suffugeret, *ecce*, inquit Spiritus sanctus, *quamvis panem suum jure nomines*, non tamen ita est tuus, quin debeas subvenire fratri tuo, ubi esuries ejus te ad misericordiam provocat. *Et nudum operuerit vestimento.* Eadem etiam est ratio vestimenti atque panis. Summa est non alios censeri justos coram Deo, nisi qui ad beneficentiam propensi sunt, ut fratrum necessitates sublevent, & succurrant eorum inopiæ. Sequitur, *Cum usura non dedit, & incrementum non accepit.* Hic inter alia peccata Ezechiel fœnus commemorat. Nomen usuræ proprie non convenit huic loco. נשך deductum est à mordendo: & sic Hebræi fœnus appellant, quia arrodit, & paulatim consumit miseros homines. Dicit ergo Ezechiel eos demum censeri Legis observatores, qui abstinent à fœnore. Sed quia homines hac in parte nimium sunt acuti & versuti, & excogitant subterfugia, quibus crudelitatem suam tegant: ideo addit, *& incrementum non acceperit.* Scimus enim quam varii sint lucrandi colores. Quisquis enim animum suum adjecit ad illicitos quæstus, reperiet monstra quædam, quæ nemo unquam putasset. Sic fit ergo ut fœnerator neget se fœnus exercere: & tamen spoliabit miseros homines, imo exuget sanguinem ipsorum. Sub nomine תרבית, Ezechiel

Deut. 24. vers. 6.

echiel comprehendit illa magis occulta genera fœnorum, quum scilicet multis integumentis utuntur avari, & ubi obtendunt tales fucos, existimant se carere omni culpa. Ideo Propheta dicit, etiamsi tollatur nomen fœnoris, nec veniat in rationem, sufficere tamen ad homines damnandos, si acceperint incrementum, hoc est, lucrum fecerint ex alieno damno. Jam hic quæritur, an fœnerari per se sit crimen, quia Deus permisit olim populo suo fœnerari extraneis: tantum vetuit fœnus exercere inter ipsos. Et optima fuit illius legis ratio. Nam alioqui non fuisset jus analogum, eversa justa proportione: quoniam gentes poterant exigere fœnus à Judæis: nisi fuisset mutuum illud jus & reciprocum, ut loquuntur, deterior fuisset conditio populi Dei quam gentium. Permisit ergo Deus suis exigere fœnus, sed non inter se, quemadmodum dixi: tantum hoc valuit quoad extraneos. Cæterum, lex ipsa fuit politica. Sed hoc loco videtur Propheta simpliciter damnare omne genus fœnoris: & exaggerat gravitatem sententiæ, quum addit *incrementum*, hoc est, quicquid lucri sibi avari homines conciliant ex mutuo. Sic &
Psal. 15. vers. 5. Psalmo decimo quinto, ubi describitur nobis regula juste vivendi, inter alia hoc commemorat David, Qui pecuniam non dedit ad fœnus. Videtur itaque ex his duobus locis posse colligi fœnus per se esse illicitum. Sed quia Lex Dei complectitur summam & perfectam justitiam, ideo tenendum est, fœnus nisi cum Lege Dei pugnet, non esse prorsus damnabile: alioqui ignominia, ut apparet, irrogatur Legi Dei, nisi præscribat nobis veram & integram juste vivendi regulam. Atqui in Lege ea est perfectio, ad quam nihil possit accedere. Si ergo volumus statuere an fœnus sit illicitum, necesse est venire ad normam Legis, quæ fallere non potest. Atqui non reperiemus quodlibet fœnus esse Legi contrarium. Hinc ergo sequitur, neque semper fœnus posse damnari. Hic autem meminerimus rem ipsam spectandam esse non verba. Nam ludunt homines suis cavillis: sed Deus non admittit tales versutias. Itaque res, ut dixi, expendi debet, quia ex verbis non potest judicium fieri, liceatne fœnerari interdum nec ne. Exempli gratia, nomen usuræ apud Latinos vitio caret & probro, est per se honestum: nomen fœnoris odiosum est. Qui factum est, ut probrum illud occultaretur? finxerunt se abhorrere à fœnoribus: interea nomen usuræ sub se continuit omnia fœnora, nec ullum fuit tam crudele, tam iniquum, tam barbarum, quod non obtegeretur colore illo. Jam quia nomen fœnoris Gallis fuit incognitum, nomen usuræ etiam detestabile fuit. Galli ergo excogitarunt novam astutiam, quasi possent Deum fallere. Nam quia nemo poterat ferre usuræ nomen, posuerunt Interesse: jam quid significat Interesse, vel id quod interest? nempe significat omne genus fœnoris. Nullum unquam fuit genus fœnoris apud veteres, quod hodie non comprehendatur sub voce illa. Ideo dixi non esse hic ludendum verborum cavillis, sed rem ipsam esse tenendam. Nunc quia diximus fœnus non posse in totum & absque exceptione damnari, videndum est quatenus probari queat, ne scilicet ponatur inter scelera. Primo in Republica bene constituta nemo fœnerator tolerabilis est: etiam hoc viderunt profani homines. Quisquis ergo ex professo fœneratur, ille omnino debet ab hominum consortio rejici. Nam si quædam artes illiberales invidia onerant eos qui ipsis utuntur, fœnerari certe est quæstus & illiberalis, & indignus homine tam pio, quam honesto. Ideo dicebat Cato perinde esse fœnerari atque hominem occidere. Nam quum rogatus de agricultura, sententiam dixisset, excepit ille, quid autem est fœnerari? quid hominem occidere, inquit? Et certe fœnerator semper erit latro, hoc est, qui quæstum faciet ex fœnore, ille prædo erit, & grassabitur ejus iniquitas perinde ac si nullæ essent leges, nulla æquitas, nullus denique mutuus amor inter homines: hoc est unum. Sed aliud est fœnerari quam fœnus accipere. Quum enim quispiam mensam erexit, jam utitur ea arte perinde atque agricola laborem suum ponit in agris suis colendis. Sed poterit quispiam fœnus accipere, qui tamen non fœnerabitur. Exempli gratia, erit quispiam nummarius, & si partem pecuniæ suæ det mutuo, poterit inde quæstum accipere. Id autem faciet semel, neque propterea dicendus erit fœnerator. Nunc videndum est quando, & à quibus accipere fœnus liceat. Hic autem valere debet sententia illa, Neque passim, neque semper, neque omnia, neque ab omnibus. Hoc quidem dictum fuit de muneribus: & lex illa imposita fuit Præsidibus provinciarum: sed optime quadrat huic causæ. Non omnia igitur accipere convenit, quia si modum excedat quæstus (quia id pugnat cum charitate) etiam repudiandus est. Diximus quoque morem & usum continuum vitio non carere. Jam neque passim, quia fœnerator, ut dixi, locum habere non debet, neque ferri in Ecclesia Dei. Deinde non ab omnibus, quia à paupere semper fœnus accipere nefas erit. Verum, si dives, qui est in ære suo, ut loquuntur, qui habet satis opimum proventum, vel satis amplum patrimonium, sumat pecuniam à suo vicino: an vicinus ille peccabit si recipiat aliquid lucri ex sua pecunia? Alter qui mutuatur, est ditior, & potest absque suo damno carere: sed vult emere fundum, unde fructum accipiet: cur fraudabitur creditor suo jure, si pecunia afferat lucrum alteri, & quidem ditiori? Videmus ergo interdum posse contingere, ut qui fœnus accipit non tamen ideo possit præcise damnari: quia quod agit non pugnat cum Dei Lege. Sed tenendum semper est, vix fieri posse, ut qui fœnus accipit, non gravet fratrem suum: & ideo optandum esset, nomen ipsum tam fœnoris quam usuræ sepultum esse & deletum ex hominum memoria. Sed quia aliter non possunt inter se negotiari homines, semper videndum est quid liceat, & quatenus. Scio rem posse multo prolixius tractari: sed breviter dixi quod ad summam sufficit. Sequitur, *Et ab iniquitate retraxerit manum suam.* Hic rursus Propheta commendat innocentiam ea parte ubi cavemus ne quid damni aut jacturæ nostra culpa accipiat proximus. Ergo abstinentia injuriæ hic iterum laudatur, sed nova loquendi forma, quia nisi admodum sollicite sibi caveant homines, facile erit extendere manus ad iniquitatem. quare? sese ingerunt multis ex partibus variæ lucrandi rationes: talibus illecebris facile capimur. Ergo Propheta non abs re hic præcipit *ut retrahant servi Dei manum suam* ab iniquitate, hoc est, ut non tantum abstineant à nocendo, sed ubi sollicitat eos lucri dulcedo, ubi etiam proponitur plausibilis aliqua ratio lucrandi, ut tamen seipsos refrenent: hoc est *manum retrahere* vel desistere *ab iniquitate.* Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando Lege tua sic nos instituisti ad juste vivendi regulam, ut nulla sit erroris vel ignorantiæ excusatio: da, inquam, ut attenti simus ad eam doctrinam, quam nobis præscribis: & ita sollicite nos in ea exerceamus, ut quisque cum fratribus suis innoxie vivat: deinde uno consensu etiam sic te colamus, & glorificemus nomen tuum, ut tandem perveniamus ad beatam illam hæreditatem, quam nobis pollicitus es in Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA QUINTA IN EZECHIELEM.

Heri exposuimus cur Propheta dicat neminem esse justum, nisi *qui manus suas retrahit ab iniquitate*, quia scilicet multæ nos occasiones ad nocendum sollicitant: nisi nos cohibeamus quasi in medio cursu, sæpe fiet ut lædamus proximos. Jam inter virtutes justi hominis ponit *judicare secundum veritatem: ad faciendum*, inquit, *judicium veritatis inter virum & virum*. Videtur hoc proprie competere in judices, & qui funguntur publico munere: tamen potest etiam quadrare privatis hominibus. Nam etsi nemo causam suam disceptat nisi coram eo qui præditus est potestate: videmus tamen ut studia hujus & illius sæpe æquitatem & rectitudinem in judiciis pervertant. Deinde multi deliguntur arbitri, etiamsi non sustineant munus aliquod publicum. Summa est, quod antehac docuit de æquitate Ezechiel, extendi ad alienas causas, ne scilicet in gratiam amici quisquam deflectat à jure & æquio. Postea sequitur, *In statutis meis ambulaverit, & judicia mea custodierit ad faciendum veritatem*. Iterum Propheta ad generalem doctrinam redit. Recensuit enim quasdam species, sicuti heri diximus, unde posset clarius perspici quid sit esse justum. Cæterum, quia Lex Dei plura in se continet quam hactenus Propheta numeravit: ideo necesse fuit adjungi hanc clausulam, *qui ambulaverit in decretis meis*, inquit: hoc ad ceremonias restringere frigidum est, quemadmodum fieri solet: ego edicta interpretor, vel decreta. Ambulandi metaphora quia passim occurrit in Scripturis non indiget longa expositione. Ergo *ambulare in Dei præceptis* nihil aliud est quam formare vitam suam, & mores ad normam, quæ à Deo præscribitur: aut quod idem est, instituere ita seipsum, ut nihil aggrediatur qui cupit justus censeri, nisi quod consentaneum est Dei præceptis. Sed quia difficilis est Legis observatio, primum quia non solum sumus flexibili ingenio, sed quia propensi sumus ad peccandum, ideo adjungitur servandi verbum, quo Propheta diligentiam commendat. Si quis ergo cupiat vitam suam dirigere ad Dei præcepta, attentus sit ad eorum custodiam: quia nihil proclivius est, quam labi vel errare. Nunc addit, *ad faciendum veritatem*. Nomine veritatis hic notatur integritas. Colligimus tamen ex hac voce uberem doctrinam, nempe eo spectare totam Legem Dei, ut absque dolo & fraude versemur inter nos, & studeamus alii alios juvare simpliciter, & sincere nos geramus in omni negotio. Si quis ergo interroget de fine Legis, Propheta hic nobis describit, *facere veritatem*. Atque id de secunda Tabula recte dicitur. Sed potest etiam aptari priori, quia nulla simulatio quemadmodum tota Scriptura docet, potest Deo probari. Et videmus etiam quid Paulus dicat, ubi breviter designat finem 1 Tim. 1, vers. 5. Legis: Charitas, inquit, quæ ex corde puro est & fide non simulata, finis Legis est. Sed nomen Veritatis meo judicio, hic proprie refertur ad eam sinceritatem, quæ colenda est nobis, ut nemo alterum decipiat, nemo fraudulenter vel astute se gerat: denique ut simus sinceri & simplices. Addit, *hic justus est, vivendo vivet inquit Dominator, Jehovah*. Tandem pronunciat sicuti vidimus, justum esse qui Legem Dei fideliter servavit. Deinde remunerationem paratam esse justis omnibus, qui ita sincere Deum coluerint. Nunc veniamus ad secundum exemplum.

10. Et genuerit filium prædonem, (*vel vastatorem: פרץ significat corrumpere, destruere: inde פרצים vocantur fures, quia parietes effodiunt. Sed videtur mihi etymologia illa esse coacta. Potius igitur פרץ interpretor hominem violentum, & qui perfringit omnem rectitudinem*) qui sanguinem effundit, & facit fratri (*sic enim interpretor: alii unum: sed postea videbimus melius quadrare nomen fratris: fratri ergo*) unum (*hoc est, unum aliquod*) ex his.

11. Et ipse hæc omnia non fecerit, quin potius (*omnia, scilicet præcepta Legis, quæ antehac retulit: quin potius*) in montibus comederit, & uxorem proximi sui corruperit. (*inquinaverit, ut heri dictum fuit.*)

12. Pauperem & egenum oppresserit, (*simpliciter dixerat, virum oppresserit: nunc autem quo scelus magis amplificet, loquitur de paupere & egeno. Crudelitas enim in illis opprimendis minus est ferenda. Qualiscunque sit quem afficimus injuria, tamen scelus nostrum per se satis est damnabile. Verum ubi affligimus miseros, quum eorum conditio debeat nos ad misericordiam flectere, illa inhumanitas, quemadmodum dixi, longe est atrocior. Ergo hac circumstantia exaggerat nunc Ezechiel quod ante simpliciter dixerat*) prædas rapuerit, (*hic in numero plurali ponit prædas*) pignus non reddiderit, (*omittit nomen debitoris, quia satis intelligitur*) & ad idola oculos suos extulerit, (*ponit jam idola non domus Israël, sed sine adjectione*) abominationem fecerit (*hoc videtur referri ad concubitum mulieris menstruatæ. Quanquam si quis latius patere existimet, non repugno. Sed quia paulo post ponet in plurali numero abominationes, libenter de una parte accipio quod hic commemorat.*)

13. Cum usura dederit, & incrementum acceperit: & vivet? (*hoc est, an vivet?*) non vivet: abominationes cunctas has patravit, moriendo morietur, sanguis ejus in eo erit. (*hoc est, residebit super ipsum.*)

Hoc secundum exemplum breviter perstringam, sicuti & paulo post tertium: quia Ezechiel prosequitur eandem sententiam, & eadem fere verba repetit, quibus usus fuerat. Hactenus docuit vitam repositam esse justis omnibus tanquam mercedem justitiæ: nunc autem proponit nobis filium degenerem, qui ex patre justo & probo genitus, sese ad omne scelerum genus præcipitet. Dicit ergo, *si vir* qui studuit Legem servare, filium genuerit, is autem fuerit perverso ingenio, ut rejecta patris disciplina, Legem totam Dei simul violet, *an vivendo victurus est? minime* inquit, *morietur, sanguis ejus super eum*, hoc est, fieri non potest ut effugiat judicium Dei, quia scelera ejus clamabunt, & exaudientur. Non manebit ergo impunitus qui deflexerit à recta via. Hoc simplex est consilium Prophetæ. Jam veniamus ad tertium membrum.

14. Et ecce genuerit filium, & viderit cuncta scelera patris sui quæ perpetravit, & timuerit, & non fecerit secundum ipsa,

15. Super montes non comederit, & oculos suos non extulerit ad idola (*vel spurcitias*) domus Israël, (*hic exprimitur sicuti primo ordine, domus Israël*) uxorem proximi sui non polluerit,

16. Et neminem oppresserit, pignus non pigneraverit, (*ad verbum: sed quia alio sensu accipitur apud Latinos pignerare & oppignerare: ideo ut clarior sit sensus, pignus non acceperit*) & rapinam (*nunc singularem numerum ponit, hoc est, prædam*) non rapuerit: panem suum famelico dederit, (*vel distribuerit*) & nudum operuerit vestimento:

17. Ab egeno retraxerit manum suam, fœnus & incrementum non acceperit, judicia mea fecerit, in decretis meis ambulaverit, ipse non morietur in iniquitate patris sui, vivendo vivet.

Hoc tertio exemplo pronunciat Ezechiel, si quis
ex scelerato patre sit progenitus, gratum nihilominus fore Deo, si patri suo sit dissimilis. Ita refellit
proverbium illod, quod nimis tritum erat in populo,
vers. 2. Patres comedisse uvas acerbas, & filiorum dentes
obstupescere. Nam si obstupescerent filii quia pater comederit omphaces, nunc luendæ essent pœnæ scelerum omnibus piis, qui originem ducunt ab improbis Dei contemptoribus. Ita puniendus fuisset Ezechias loco patris sui Achaz, Josias autem loco Menasse. Atqui hic testatur Propheta, mercedem justitiæ non minus fore certam & fidelem coram Deo bonis, utcunque geniti sint à malis patribus, quam si essent delapsi è cælo, aut si nullum unquam fuisset admissum scelus in eorum familia. Quum ergo Deus non exigat pœnam de sceleribus patrum, sequitur non modo futiliter, sed impie evomere Israëlitas dicterium illud, quod obstupescant eorum dentes, quia patres comederant uvas acerbas. Cæterum, quia nonnulla est diversitas in verbis, quæ notatu digna sunt breviter perstringam, *Si genuerit filium, & viderit cuncta scelera patris sui quæ patravit, & timuerit.* Hic docet Propheta opus esse maxima attentione, ut filius recedat ab exemplo mali patris. Nam cæcutiunt filii in vitiis patrum: & quamvis ubi præstandum est officium, alioqui eos secure despiciant, tamen fingunt hac in parte se teneri pia reverentia, ut non audeant patres suos damnare. Hinc fit ergo ut vitia patrum non agnoscant filii: deinde pater sceleratus corrumpet libenter filium. Accedit igitur mala disciplina. Ita non mirum est, si semper deterior est soboles suis majoribus Hac ratione Propheta dicit, *si viderit*, hoc est, si observaverit peccata patris sui probus filius, quia ut plurimum clausis oculis filii prætereunt omnia scelera parentum: imo vitia eorum amplexantur pro summis virtutibus. Deinde addit, *timuerit.* Neque enim satis esset notare, nisi accederet etiam Dei timor. Verum quidem est, multos fuisse patribus dissimiles, quod eos retinuerit pudor. Nam quum audirent parentum suorum opprobria, tacti sunt ingenuo pudore, ut à talibus flagitiis sibi caverent. Sed illi omnes sequuti sunt inanem umbram justitiæ. Hic autem agitur de seria observatione Legis, quæ non potest aliunde fluere,
Psal. 111. quam à timore Dei. Nam est initium sapientiæ, ut
vers. 10. dicit Scriptura. Posset igitur quispiam tota vita esse
Prov. 1. irreprehensibilis, & tamen non attingeret ullam
vers. 7. partem justitiæ, quia ex hoc principio, hoc est, ex
timore Dei manat quicquid est rectitudinis. Postea adjungit, *& non fecerit secundum ea.* Videmus ergo eos qui sese implicant alienis sceleribus, non alia ratione decipi, nisi quia sponte suffocant omne discrimen boni & mali. Nam si attenti essent, haud dubie tangerentur aliquo metu, & ita vitam suam instituerent ad Dei præcepta. Sed vix centesimus quisque hoc cogitat. Hinc fit ergo, ut quisque aliis se permisceat, & ita omnes simul pereant. Postea addit, *super montes non comederit: oculos suos non extulerit ad idola domus Israël:* hæc omnia exposita sunt: *& neminem oppresserit.* Jam *pignus non acceperit.* Diximus hoc non debere generaliter exponi de quolibet pignore. Licuit enim quum quis pecuniam daret mutuo pignus accipere: sed ab eo qui non destituebatur aut veste sua, aut necessariis instrumentis. Itaque hoc etiam prætereo. *Non rapuerit prædam, distribuerit panem suum famelico.* Addit quod ante non attigerat, *ab egeno retraxerit manum suam.* Videtur hoc pugnare cum sententia quam
habuimus capite decimo sexto. Inter peccata So- vers. 49.
domæ illic Propheta hoc etiam posuit, quod retraxerint manum ab egenis & pauperibus. Et certe quum porrigimus manum auxilii causa, hæc est vera probatio charitatis: si vero manum retrahimus, signum est crudelitatis, quia non dignamur nostro auxilio fratrem, qui tamen debuerat apud nos impetrare aliquam gratiam. Sed notandum est, bifariam porrigi manus vel extendi, & duobus etiam modis retrahi. Si porrigam manum egeno ut suppeditem quod deest, si porrigam manum debili, ut eum sublevem, hoc est charitatis officium. Si ex opposito retraham manum meam, injuste desero eum qui fidem meam implorat, & cujus miseria conciliare debuerat aliquid favoris. Sed extendimus etiam manus quum involamus in bona proximi, quum violenter aliena rapimus: quum denique jure suo spoliamus innoxios. Ex opposito qui manum suam retrahit, ille humanus est, quia parcit fratribus suis, nec in animum inducit cum illorum jactura ditescere, vel illis oppressis se efferre. Hoc modo nunc inter virtutes commemorat Propheta *retrahere manum ab egeno:* quia pauperes sunt obnoxii quibuslibet injuriis. Si ergo ubi videtur parata esse præda, non tamen quicquam licentiæ nobis permittimus, hæc est veræ charitatis approbatio. Sed iterum notandum est quod heri breviter attigi, nempe *retrahendas esse manus ab egenis*, quia nihil facilius est, quam ad lucrum ex pauperibus captandum allici: & simulatque se obtulit occasio & impunitas, cupiditas nos ita rapit, ut non discernamus neque expendamus quid rectum sit vel æquum. Quia igitur quisquis continentiam vult servare, ad domandos suos affectus summopere esse attentum oportet, nec sine certamine: ideo dicit Propheta *retrahendas esse manus.* Jam postremo concludit, *Ipse non morietur in iniquitate patris sui, vivendo vivet.* Non repetit hunc esse justum, subaudiendum tamen est: sed insistit in præsenti causa, nempe quod Dei benedictio maneat
omnes justos, quemadmodum dicitur apud Jesaiam, Jesa. 3.
Certe fructus est justo: & Propheta exclamat tan- vers. 10.
quam in re difficili credita. Quando enim videmus promiscue omnia in mundo volvi, statim imaginamur vel Deum otiari in cælo, vel fortunam hic dominari in terra. Sed luctandum est cum hac perversa cogitatione, & statuendum quemadmodum docet Jesaias, fructum esse justo: hoc nunc docet Propheta. Sed exoritur hoc loco quæstio difficilis. Dicit enim *justum esse qui Legem servavit:* & ideo Deum fore remuneratorem. Hæc enim duo simul sunt connexa. Ex priore membro nascitur illa quæstio quam dixi. Tota enim Scriptura docet, neminem

nem esse justum, & non posse quempiam justificari ex Lege. Hæc autem inter se pugnant, justum esse, & dignum mercede, qui Legem servavit: deinde nullum esse justum, omnes esse Legis transgressores, omnes destitui justitia: & ideo unicum remedium superesse, ut petamus salutem nostram à gratuita Dei misericordia. Sed quamvis primo intuitu hæc repugnantiæ species conturbet rudes & parum exercitatos, solutio tamen est facilis: quia proprie loquendo, justitia est observatio Legis. Si quis ergo quærat quid sit justitia, hæc est propria definitio, justitiam esse Legis observationem. Quare? Nam Lex, ut heri dictum fuit, tradit solidam justitiæ regulam. Si quis ergo eam servat justus censebitur. Ita justitia proprie dicta in operibus posita est. Sed ex opposito Scriptura pronunciat quod verissimum est, & simul experientia nimis compertum, neminem ut decebat satisfacere Legi, atque ob hunc defectum nos omnes destitui operum justitia. Quod dixi potest ex multis Scripturæ testimoniis melius
Rom. 2. vers. 13. liquescere, Non qui auditor est Legis, inquit Paulus secundo capite ad Romanos, sed Legis factor justificabitur: illic Paulus loquitur naturaliter, nempe eos esse justos, qui per omnia vitam suam ita formant, ut obediant Deo & ejus Legi. Similiter Joan-
1 Joan 3 vers. 7. nes in sua Canonica, Qui facit justitiam justus est. Jam si quis interroget, an ullus reperiatur Legis observator, an ullus reperiatur qui faciat justitiam omni ex parte: responsio est in promptu, natura nos omnes alienissimos esse ab omni justitia, & quotquot sunt sensus in nobis & affectus, totidem esse
Rom 8. vers. 7. hostes qui pugnant cum Lege Dei, sicuti Paulus docet, totum ingenium hominis perversum esse, non
2 Cor. 3. vers. 5. esse idoneos, ut quicquam à nobis cogitemus:
Rom. 6. omnem sufficientiam nostram esse à Deo: nos esse peccato mancipatos. Sed coacervare multa testimonia supervacuum esset. Sufficiat igitur nos natura prorsus esse Deo rebelles, ac ne minimam quidem guttam boni in nobis reperiri posse. Quantum ad fideles attinet, aspirant quidem ad justitiam, sed claudicando, & adhuc procul absunt à scopo: sæpe aberrant à via: multi etiam sunt lapsus: ita fit, ut Legi non satisfaciant ac indigeant misericordia Dei. Veniendum igitur est ad secundam justitiam quæ improprie sic vocatur, nempe quam mutuamur à Chri-
1 Joan. 3. vers. 7. sto: Qui facit justitiam justus est: nemo nostrum facit. Sed Christus qui Legem implevit, justus coram Deo censetur. Ergo necesse est, justitia ejus nos Deo probari, hoc est, imputari nobis vel acceptam ferri illius justitiam. Proinde justitia fidei quæ vocatur, improprie est justitia: sed ob defectum veræ justitiæ necesse est confugere illuc quasi ad sacram
Rom. 10. v. 5, 6. 7, 8. anchoram. & Paulus decimo ad Romanos capite hoc breviter, & tamen dilucide explicat, Justitia, inquit, Legis sic loquitur, Qui fecerit hæc vivet in ipsis. Justitia autem fidei, Quisquis crediderit justus erit. Ponit illic duplicem justitiam Apostolus, Justitiam Legis, & Justitiam fidei: dicit justitiam Legis in operibus sitam esse, quia nemo justus censetur, nisi qui Legem implevit. Quoniam autem inde procul omnes absunt, subjicitur vel substituitur alterum illud, nempe ut amplexemur justitiam Christi fide, & ita justi simus extra nos, & aliena justitia. Nunc si quis rursus excipiat, justitiam Legis supervacuam esse, respondeo, prodesse nobis duobus modis: primum, quia Lex propriæ injustitiæ convictos ad Christum adducit. Hic est ergo unus Legis fructus, quod renunciamus propriæ justitiæ, ubi iniquitas nostra se ita detegit, ut cogat obmutescere coram Deo, sicuti ante visum fuit. Sequitur uberior fructus, quia scilicet Deus quum regenerat suos electos, inscribit Legem in cordibus eorum, insculp-
Jer. 31. vers. 33. Eze. 36. v. 26, 27. pit in eorum visceribus, ut jam alibi visum fuit, & iterum videbitur capite trigesimo sexto. Sed nondum soluta est difficultas, quia fideles etiamsi regeniti Dei Spiritu, nitantur se formare ad Legis normam: tamen pro sua debilitate nunquam eo perveniunt: ita nulla est eorum justitia: respondeo, quamvis mutila sit justitia operum in filiis Dei, tamen ab ipso agnosci tanquam perfectam, quia non imputando peccata quod suum est probat. Hinc fit ergo ut fideles quamvis labantur, aberrent, cadant interdum, tamen dicantur esse Legis observatores, & incedere in mandatis Dei, & servare ejus justitiam. Sed hoc provenit à gratuita imputatione, hinc etiam merces. Mercede non carent fidelium opera, nempe quia Deo placent, & quod Deo placet non caret remuneratione. Videmus ergo quomodo hæc probe inter se conveniant, neminem scilicet Legem præstare, & ideo neminem dignum esse justitiæ fructu: & tamen Deum pro sua liberalitate agnoscere tanquam justos qui aspirant ad justitiam, & rependere illis mercedem, qua tamen sunt indigni. Quum autem dicimus justos censeri fideles etiam in suis operibus, hic non agitur de causa salutis: & diligenter notandum est, excludi salutis causam ab hac doctrina. Nam ubi de causa disputatur, non alia quærenda, quam misericordia Dei, & illic consistere nos oportet. Quamvis autem ad causam nihil afferant opera, tamen ubi gratis fide justificati sunt filii Dei, vel electi, simul etiam eadem gratuita liberalitate justificantur eorum opera. Ita verum illud manet, fidem sine operibus justificare. Quanquam prudentia & sana interpretatione id indiget. Nam hæc propositio, Fidem sine operibus justificare: est vera & est falsa, secundum diversos sensus: Fides sine operibus, deinde seorsum justificat, hæc propositio est falsa, quia fides sine operibus nulla est. Atqui si particula, Sine operibus, conjungatur cum verbo Justificandi, vera erit propositio: fides ergo non potest justificare quum est sine operibus, quia est mortua, vel merum figmentum. Qui natus est ex Deo, justus
est, sicuti Joannes dicit. Ita fides nihilo magis poterit avelli ab operibus, quam sol à calore suo: jam 1 Joan. 5. vers. 18.
tamen fides justificat sine operibus, quia opera non veniunt in rationem ubi justificamur: sed sola fides nos Deo reconciliat, & facit ut nos diligat, non in nobis, sed in Filio suo unigenito. Nunc itaque soluta est quæstio illa, ubi Propheta docet vitam repositam esse justis, etiamsi nati sint ex improbis & sceleratis patribus. Postremo notandum est nomen vitæ, & vivendi verbum non debere tantum intelligi de terrena vita, sed spectare ad æternam salutem: in quo hallucinati sunt quidam. Quia enim non poterant se expedire ab illis quæstionibus quas nuper explicui, sic interpretati sunt verba Mosis, Qui fecerit hæc vivet in ipsis, nempe civiliter. Atqui Moses loquitur de vita æterna. Ergo tenendum est, non modo promitti mercedem in hac vita justis & observatoribus Legis, sed promitti loco mercedis salutem æternam. Cæterum, quemadmodum dixi, quoniam destituimur omnes justitia, etiam nulla merces nobis speranda est: quin potius quicunque sunt sub
Lege, omnes sunt sub maledictione, ut inquit Paulus: Galat. 3.
neque alia est ratio liberationis, ut dicit idem Paulus, v. 10, 13.
nisi ut abjecta omni fiducia nostri confugiamus ad unicam Dei misericordiam, & ad satisfactionem, qua Christus nos Patri suo placavit. Hic finiam.

Da omnipotens Deus, quando nobis ostendisti quænam esset vera salutis via, deinde quia videbas nos omnes hac in parte deficere, & Legem quæ alioqui vivifica esse debebat nobis esse mortiferam, quia omnes sumus ejus transgressores, proposuisti nobis Filium tuum, in quo reconciliemur, & in quo obtineamus perfectam justitiam, quæ nobis deest: ut sic amplexemur gratiam, quæ nobis offertur per Euangelium, ut simul etiam studeamus proficere magis ac magis in pietatis studio, & tandem perveniamus ad beatam illam hæreditatem, quam nobis acquisivit idem unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SEXTA IN EZECHIELEM.

18. Pater ejus quia opprimendo oppressit, & rapuit prædam à fratre, & quod non est bonum fecit in medio populi sui: ecce is morietur in iniquitate sua.

19. Et dicitis, Quare non portabit filius iniquitatem patris? eo quod filius fecit judicium & justitiam, & custodivit omnia statuta mea fecitque ea: ideo vivendo vivet.

Pluribus verbis idem inculcat, non tam exornandæ rei causa, quam ut impium illud dicterium refellat, cui nimis pertinaciter assueverant Israëlitæ. Quum ergo difficile esset ex eorum animis revellere quod nimis profunde infixum erat: sæpius exclamat Propheta, neminem puniri, nisi pro scelerum merito. Quod proximo versu subjicit videtur supervacuum esse atque absurdum. Neque enim litem Deo movebant Israëlitæ, quod innoxiis parceret: hic autem eos ita loquentes inducit Ezechiel, quasi vellent filium innocentem promiscue cum scelerato patre ad pœnam trahi. Verum non significat eos de jure litigasse, sed tantum de facto, ut vulgo loquuntur. Quia enim errore illo imbuti erant, pœnas longius extendi quam ad scelerum auctores, ex opposito pronunciat, quamvis persuasi sint, justos non absolvi sua probitate, si ex patribus impiis geniti sint, pravo tamen eorum judicio obrui, quod alioqui manifestum erat, justitiam scilicet coram Deo vitæ mercede nunquam fraudari.

20. Anima quæ peccaverit ipsa morietur: filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filii: justitia justi super eum erit, & impietas impii super eum erit.

Prosequitur adhuc Ezechiel sententiam quam exposuimus, nempe Deum, ut est justus judex, rependere singulis prout juste vel scelerate se gesserunt, quemadmodum dicit Paulus, prout quisque in carne vixerit, mercedem repositam esse omnibus apud Deum. *(Rom. 8. vers. 13.)* Sed clarius refellit proverbium illud, nempe filios luere patrum suorum peccata. Dicit igitur quemque ubi ad tribunal Dei ventum fuerit, judicatum iri pro suis operibus. Quantum attinet ad generalem sententiam, convenit etiam cum sensu communi, nempe Deum pœnas exigere de sceleratis, & ideo ipsos referre justam mercedem suorum operum. Sed in proximo membro quæstio exoritur, quomodo hic pronunciet Spiritus, filium non luere pœnam patri debitam, quum toties clamet Deus se rejicere scelera patrum in filios usque ad tertiam & quartam ætatem. Sententia illa passim occurrit. Sed duo sunt loci præcipue insignes, quia annectitur secundo præcepto Legis: deinde in eximia illa visione quæ oblata fuit Mosi, pronunciat Deus idem quod in illo loco, nempe se rejicere iniquitatem patrum in filios. *(Exod. 20. vers. 5. Deut. 5. vers. 9. Exod. 34. vers. 7.)* Hæc videntur longe inter se pugnare. Sed facile erit diluere hanc repugnantiam, modo sumamus exordium à defectione Adæ, quia nisi reputamus totum genus humanum periisse in Adam, vix poterimus nos explicare à quæstione illa, quin semper nos aliquis scrupulus pungat. Sed principium illud, nempe omnes esse in Adam perditos, tollet omnem dubitationem. Nam quod attinet ad interitum totius humani generis, vere quidem dicitur, nos periisse aliena culpa: sed simul addendum est, unumquemque propria culpa perire. Si quæritur ergo causa maledictionis, quæ incumbit omnibus posteris Adæ, dicetur esse alienum peccatum, & cujusque proprium: alienum, quia ubi defecit Adam à Deo, in ejus persona totum humanum genus spoliatum fuit rectitudine, & intelligentia, denique corruptæ sunt omnes animæ partes. Ita ut quisque in seipso sit perditus, & si velit litigare cum Deo, semper cogatur agnoscere, residere in se fontem maledictionis. Nam antequam fœtus in lucem prodeat ex utero matris, jam corruptus est, quia intelligentia mentis obruta est cæcitate: deinde voluntas ipsa perversa est & rebellis Deo. Simul ergo atque gignuntur infantes contagionem trahunt à patre suo Adam, ut sint excæcati quoad rationem: deinde perversi, quoad omnes appetitus, imo sensus omnes sunt vitiati. Hoc non apparet in fœtu qui extrahitur ab utero, sed coram Deo qui acutius cernit quam nos, omnis illa naturæ corruptio jure censetur peccatum. Non est quidem qui nondum per ætatem discernit obnoxius judicio Dei ob propria opera: sed peccatum Originale sufficit ad omnium damnationem. Ubi adolescunt homines jam accersunt sibi novam maledictionem actualibus peccatis, ut loquuntur. Sed qui putus est secundum communem sensum, coram Deo maledictus est: ideo Scriptura pronunciat nos omnes esse naturaliter filios iræ: sunt hæc Pauli verba secundo capite ad Ephesios. *(Ephes. 2. vers. 3.)* Si sumus natura filii iræ, sequitur nos contrahere ab utero matris labem, quæ in nos provocat iram Dei, & reddit illum nobis infestum hostem. Et eo sensu David etiam Psalmo 51. fatetur se conceptum esse in peccato. *(Psal. 51. vers. 7.)* Neque enim illic vel patrem suum, vel matrem accusat, ut culpam sceleris sui extenuet: sed ubi exhorruit gravitatem sceleris, quo in se provocaverat Dei vindictam, adducitur usque ad matris uterum, & agnoscit se jam tunc fuisse reum coram Deo. Videmus ergo ut David admonitus uno peccato sentiat se fuisse peccatorem antequam nasceretur. Jam quum omnes simus maledicti, sequitur, nos esse dignos morte. Ita filius proprie loquendo, non morietur propter iniquitatem patris: sed tenetur reus coram Deo propria culpa. Nunc progrediamur longius: quum pronunciat Deus se rejicere iniquitatem patris in sinum filii, notandum est, quod Deus ita simul filium involvit cum patre in eodem interitu, id præcipue fieri, quia Spiritu suo destituit filium impii. unde fit ut maneat in morte, in qua jam natus est. Nam si non alias pœnas consideramus, quam quæ palam infliguntur, iterum occurret novus scrupulus, à quo non poterimus nos expedire, quia semper recurret hæc quæstio, quomodo pereat filius propria culpa, siquidem potest se recipere ad bonam frugem, & ita se reconciliare Deo. Sed prima pœna quam Deus minatur reprobis, ea est quam dixi, nempe quod eorum sobolem destituit, & privat spiritualibus donis, ut altius semper demergatur in suo interitu. Nam duplex est pœnæ genus, unum est externum, alterum vero intrinsecum, ut loquuntur. Deus punit transgressores Legis suæ vel gladio, vel fame, vel peste, ut passim denunciat: aliis etiam cladibus armatus est ad exercendam suam vindictam: illæ omnes pœnæ sunt externæ, quæ palam apparent. Sed una est species interior & occulta, quum scilicet Deus aufert Spiritum rectitudinis à reprobis,

quum

quum illos conjicit in sensum reprobum, quum subjicit fœdis cupiditatibus: quum denique spoliat eos omnibus suis donis. Ergo Deus dicitur rejicere iniquitatem patrum in filios non tantum ubi pœnas externas exigit de parvulis, sed quia addicit æterno exitio sobulem maledictam, ubi destituit omnibus
Psal. 36. vers. 9. donis Spiritus. Nam scimus Deum esse fontem vitæ. Unde sequitur, omnes esse mortuos, qui sunt ab eo separati. Jam ergo patet quomodo Deus rejiciat iniquitatem patrum in filios: quia scilicet ubi devovet filios cum patribus æterno exitio, ut id fiat, privat eos omnibus suis donis, præsertim excæcat eorum mentem, & omnes appetitus quodammodo mancipat diabolo. Quanquam possumus uno verbo totam rem complecti si dicamus Deum rejicere patrum peccata in filios, ubi relinquit eos in puris naturalibus, ut loquuntur: quia hoc modo demergit eos in mortem & interitum. Sed postea sequuntur etiam externæ pœnæ: ut quum Deus fulminavit con-
Gen. 19. vers. 24. tra Sodomam, multi illic erant parvuli: tamen absorpti sunt omnes cum patribus. Si quis roget quo jure perierint, nempe quoniam erant filii Adæ, erant maledicti: deinde quia voluit Deus punire Sodomitas etiam in sua sobole, idque merito facere potuit. De parvulis qui etiam puniti sunt cum patribus dici-
Psal 137. vers 9. tur, Beatus qui allidet parvulos tuos ad lapidem, vel pavimentum. Videtur quidem primo intuitu atrocitas illa minime ferenda, quod parvulus, qui per ætatem judicio nondum pollet, ita crudeliter
Ephes. 2. vers. 3. occidatur: sed ut jam dictum est, omnes naturaliter sunt filii iræ. Non mirum igitur, ubi Deus aufert gratiam suam à sobole reproborum, si etiam externa judicia illic exerceat. Sed quomodo nunc conveniet, *filium non portare iniquitatem patris?* nempe hic Ezechiel de adultis loquitur: deinde intelligit filium non portare iniquitatem patris, quin simul recipiat mercedem sibi debitam, & sustineat proprium reatum. Nemo igitur est, qui si litigare cum Deo velit, non statim refellatur uno verbo. Quis enim jactabit se innoxium? Quum ergo omnes usque ad ultimum jam rei sint propria culpa, sequitur, filium non portare iniquitatem patris, quin simul suam ipsius iniquitatem sustineat. Nunc soluta est illa quæstio. Jam addit, *justitiam justi fore super eum, & impietatem impii fore super eum.* Diximus hanc esse Legalem sententiam. Si ubique sic loqueretur Deus, nulla spes salutis residua nobis esset. Quis enim reperietur justus, si vitam suam exigat ad normam Legis? Sed jam dictum fuit, proprie loquendo, rependi mercedem Dei cultoribus dum Legem ejus observant: simul etiam pœnas de illis exigi propter transgressiones. Sed quia procul omnes distamus ab integra observatione Legis, ideo offertur nobis Christus, à quo mutuari nos oportet justitiam: & hoc modo justificamur fide. Interea secundum regulam Legis verum est, *justitiam justi esse super eum,* quia Deus neminem frustrabitur, sed reipsa præstabit quicquid pollicitus est. Promittit autem mercedem omnibus qui Legem observaverint. Si quis objiciat, hanc doctrinam inutilem & supervacuam esse, responsio in promptu est, multis modis esse utilem, quia primo agnoscimus Deum quamvis nihil nobis debeat, tamen ultro se obstringere dum nobiscum paciscitur, & in eo apparet mira ejus liberalitas. Deinde colligimus etiam, non posse nos quicquam tergiversando proficere vel consequi, ubi Deus mercedem offert omnibus qui Legem servaverint. Quid enim postulare æquius licet, quam ut Deus sit nobis voluntarius debitor? & mercedem nobis rependat, quamvis teneat nos sibi obstrictos, quia sumus jam illi mancipati cum omnibus nostris operibus? Et tenenda est illa sententia Christi, Quum *Luc. 17. vers. 10.*
fecceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite, Servi inutiles sumus. quare? Nihil enim præstitimus nisi quod jure à nobis Deus exegit. Colligimus ergo ex hac sententia non posse nos expostulare cum Deo, vel conqueri, ubi culpa nostræ damnationis in nobis residet, quia scilicet Legem non servamus. Tertio, agnoscimus aliam Dei misericordiam, quod scilicet nos vestit justitia Filii sui ubi videt nos esse inopes propriæ justitiæ, imo prorsus omni bono vacuos. Quarto, diximus justos censeri qui tamen Legi non satisfaciunt, quia Deus non imputat illis peccata. Justitia ergo Legis fructu non caret apud fideles, quia propter illam beatitudinem, quæ describitur in Psalmo, veniunt in rationem eorum *Psal. 32. vers. 2.*
opera, & ea Deus remuneratur. Ita *justitia justi est super eum*, sicuti *impietas impii est super eum, & in ejus caput recumbit.* Sequitur,

21. Et si impius reversus fuerit ab omni iniquitate sua quam fecit, & servaverit omnia edicta mea, & fecerit judicium & justitiam, vivendo vivet, non morietur.

22. Omnes transgressiones quas fecit non venient in memoriam ei, (*id est, contra eum*) sed in justitia sua quam fecit vivet.

Hac sententia Deus proposita spe veniæ, omnes Legis suæ transgressores ad pœnitentiam invitat & hortatur. Est autem hæc doctrina apprime notatu digna, quod scilicet Deus extentis brachiis quodammodo sponte occurrit paratus ad omnes excipiendos qui se ad bonam frugem recipient. Desperatio enim nos in rabiem præcipitat: deinde obdurat corda nostra perdita obstinatione. Ita necesse est nobis porrigi manum à Deo, ut animemur ad pœnitentiam. Huc ergo pertinet locus Prophetæ, nempe *simulac impius conversus fuerit ab impietate sua, Deum fore placabilem.* Nunc videmus nihil excusationis nobis restare, nisi nos excitet tam humana Dei invitatio, ubi testatur se fore nobis propitium, si cupimus ex animo cum ipso reconciliari. Sed exigit hic seriam pœnitentiam quum dicit *si impius conversus fuerit ab impietate sua, & servaverit statuta mea, & fecerit justitiam & judicium, vivet*, inquit. Dimidia enim conversio in multis cernitur, qui existimant se hoc modo apud Deum defungi: sed longe falluntur. Multi enim miscent virtutes cum vitiis, & imaginantur deleri suum reatum, modo aliquid in medium proferant dignum laude. Sed perinde est acsi quis vinum domino suo offerret fœtidum, quis non tantum cum fæce, sed etiam cum putredine miscuerit, ita sunt omnia eorum opera, qui non exuunt se pravis cupiditatibus, neque student se abdicare omnibus corruptelis carnis suæ. Notatu itaque dignum est quod hic docetur, nempe initium conversionis esse, ut quisque sibi renunciet, ac suis cupiditatibus. Sed necesse est alteram quoque partem accedere, ut quisque ubi valedixerit suis vitiis, simul etiam se Deo addicat in obsequium. Utrumque ergo hic conjungit Propheta, nec potest alterum ab altero separari. Breviter ergo hic definit Spiritus quænam sit vera ac legitima conversio. Dicit autem, ubi ita quis fuerit conversus, vitam apud Deum paratam esse, quia Deus obliviscetur omnium scelerum. Hæc confirmatio est doctrinæ. Neque enim exorari potest Deus quantisper nobis peccata imputat. Ergo ut statuamus nobis esse propitium, promittit simulac resipuerimus, peccata omnia sepulta fore, ut in memoriam non veniant. Hæc autem est incomparabilis Dei bonitas, quod dignatur oblivisci omnium scelerum simulac videt nos cupere ad ipsum redire, idque ex animo. In summa pronunciat Ezechiel momento transire à morte in vitam quicunque resipiscunt, quia Deus delet voluntaria oblivione omnes eorum transgressiones. Postea sequitur,

23. An cupio cupiendo mortem impii, dicit Dominator Jehovah? An non ut convertatur à viis suis, & vivat?

Confirmat eandem sententiam aliis verbis, Deum scilicet nihil magis cupere, quam ut quicunque peribant, & ruebant in mortem, redeant in viam salutis. Et hac etiam de causa non modo hodie Euangelium promulgatur in mundo, sed omnibus seculis voluit Deus testatum esse quam propensus ad sit misericordiam. Nam profani quamvis Lege & Prophetis carerent, tamen semper gustu aliquo hujus doctrinæ fuerunt prædit. Verum quidem est, suffocatam fuisse multis erroribus: sed reperiemus semper arcano impulsu fuisse adductos ad petendam veniam, quia hic sensus quodammodo ingenitus illis erat, Deum esse omnibus qui ipsum quærunt placabilem. Cæterum, clarius id Deus in Lege & Prophetis testatus est. In Euangelio autem scimus quam familiariter nos compellet ubi promittit nobis veniam. *Lucæ 1. vers. 78.* Et hæc est scientia salutis, amplecti misericordiam ejus, quæ nobis in Christo offertur. Sequitur ergo verissimum esse quod nunc dicit Propheta, Deum nolle mortem peccatoris, quia occurrit sponte, & non tantum paratus est excipere eos omnes qui ad ejus misericordiam confugiunt, sed alta voce ipsos ad se revocat quum videt quasi alienatos esse ab omni spe salutis. Atqui notandus est modus, quo Deus vult omnes salvos fieri, nempe *ubi se converterint à viis suis.* Deus ergo non ita vult omnes salvos fieri, ut discrimen omne tollat boni & mali: sed præcedit veniam pœnitentia: quemadmodum hic dicitur. Quomodo ergo vult Deus omnes salvos fieri? nempe quia Spiritus hodie per Euangelium sicut olim per Legem *Joan. 16. vers. 8.* & Prophetas, mundum condemnat de peccato, justitia & judicio. Deus ergo patefacit hominibus quam miseri sint, ut ita se ad ipsum recipiant: vulnerat ut sanet, occidit ut vivificet. Tenemus itaque nunc Deum nolle mortem peccatoris, quia omnes indifferenter ad pœnitentiam vocat, & promittit se paratum fore ad eos recipiendos, modo serio resipiscant. Nunc si quis objiciat, nullam igitur esse electionem Dei, qua certum numerum ad salutem prædestinaverit, responsio in promptu est, nempe hic Prophetam verba non facere de arcano Dei consilio, sed tantum revocare miseros homines à desperatione, ut spe veniæ concepta, amplectantur salutem sibi oblatam, & ita resipiscant. Si quis iterum excipiat, Deum hoc modo fieri duplicem, responsio in promptu est, Deum semper idem velle, sed diversis modis, & quidem nobis incognitis. Quanquam itaque simplex est Dei voluntas, varietas quidem est illic implicita, quantum attinet ad sensum nostrum. Proinde non mirum est immensa luce perstringi nobis oculos, ut non possimus certo dijudicare quomodo velit Deus omnes salvos fieri: & tamen addixerit æterno exitio omnes reprobos, & velit illos perire. Nunc ergo dum cernimus in speculo & in ænigmate, contenti simus intelligentiæ nostræ mensura. *1 Cor. 13. vers. 12.* Ubi similes Deo erimus, & videbimus eum facie ad faciem, tunc perspicuum fiet nobis quod hodie est obscurum. Sed quia protervi homines hunc locum & similes exagitant, breviter eos refellere expediet, quod nullo negotio potest fieri. Dicitur *Deus nolle mortem peccatoris*, quare? quia vult omnes converti. Nunc videndum est quomodo velit Deus omnes converti. Nam pœnitentia certe est singulare ejus donum: quemadmodum ejus est creare homines, ita ejus est ipsos renovare, & instaurare in ipsis suam imaginem. Hac ratione dicimur esse ποίημα ejus, hoc est, figmentum. *Ephes. 13. vers. 10.* Quum itaque pœnitentia sit quædam secunda hominis creatio, sequitur non esse in arbitrio hominis. Jam si penes Deum est convertere homines, sicuti creare, sequitur ideo non converti reprobos, quia Deus non vult ipsos converti. Si enim vellet, potestas in promptu est, hinc igitur apparet, eum nolle. Sed nunc rursus obganniunt, si Deus non vult converti omnes, ergo ipsum esse fallacem: deinde nihil certo statui posse de paterna ejus benevolentia. Atqui iterum facile solvitur nodus ille. Neque enim relinquit nos suspensos ubi dicit se velle omnes salvos facere: quare? si enim nemo resipiscit, quin simul ipsum exorabilem reperiat, ita impletur hæc sententia. Sed notandum est, Deum duplicem personam induere. Nam hic vult æstimari ex suo verbo. Quemadmodum jam dixi, Propheta hic non disputat subtiliter de consilio ejus incomprehensibili, sed vult tenere sensus nostros quasi alligatos verbo Dei. Nunc quid in se continet sermo Dei? hoc est, Lex, Prophetæ & Euangelium? Nempe omnes vocari ad pœnitentiam, & illis promitti spem salutis ubi resipuerint: hoc verum est, quia neminem ex peccatoribus qui resipiscunt, repudiat: quin potius sine exceptione omnibus ignoscit: sed interea non obstat hæc Dei voluntas, quam in verbo suo proponit, quin decreverit ante creatum mundum quid facturus esset de singulis hominibus: & quemadmodum jam dixi, Propheta hic tantum ostendit, ubi conversi fuerint homines, minime dubitandum esse, quin Deus statim illis occurrat & ostendat se illis propitium. Cras reliqua.

Da omnipotens Deus, quando omnes in nobis sumus perditi, ut studeamus vitam recuperare ubi nobis est reposita, & ubi eam nobis manifestas, nempe in Filio tuo: & ita amplectamur gratiam, quæ nobis exhibita fuit in sacrificio mortis ejus, ut simul etiam regeneremur ejus Spiritu, ac eo regeniti, nos totos tibi addicamus, & ita glorificemus nomen tuum in hoc mundo, ut tandem participes simus ejus gloriæ, quam nobis acquisivit idem Filius tuus unigenitus, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA SEPTIMA IN EZECHIELEM.

24. Et si aversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, secundum omnes abominationes quas facit impius fecerit, an vivet? omnes justitiæ ejus quas fecit non venient in recordationem: (*id est, in rationem*) in transgressione qua transgressus est, & in scelere, quo scelerate egit, in ipsis morietur.

Sicuti postrema lectione Propheta peccatoribus certam spem fecit veniæ modo ex animo resipiscant, & pollicitus est Deum illis fore propitium, simulatque quærent cum ipso reconciliari: ita nunc ex opposito pronunciat *si justus defecerit à justitia*, quicquid hactenus egerat non venturum in rationem coram Deo. Animabat peccatores ad resipiscentiam quum promitteret veniam illis esse paratam coram Deo: nunc autem terret eos qui ad tempus professi fuerant se puros & sinceros esse Dei culto-

cultores, si deficiant in medio cursu, quemadmodum [1 Cor. 10. vers. 12.] Paulus dicit, Qui stat videat ne cadat. Cæterum, colligimus ex hoc loco, quemadmodum Christus [Mat. 24 vers. 13.] docet, solos esse beatos qui perseveraverint: quia nihil proderit temporalis justitia apostatis, qui postea se à Deo avertunt. Videmus ergo quomodo hæc duo membra inter se cohæreant, nempe Deum quasi extentis brachiis vocare eos qui erant quasi perditi, & illis promittere salutem, modo ex animo ad ipsum redeant. Rursum ut in officio contineat eos qui fecerunt aliquos progressus, & correcta omni ignavia, eos ad sollicitudinem adducat, minari nisi usque ad extremum prosequantur cursum sanctæ & piæ vitæ, justitiam superiorem pro nihilo fore. Sed hic exoritur quæstio, an qui vere justus est à recta via deficiat? Nam qui genitus est ex Deo, ita liberatus est à tyrannide peccati, ut se totum justitiæ addicat. Deinde si qui deficiunt, reipsa probant se semper fuisse extraneos à Deo. Si ex nobis fuissent, [1 Joan. 2. vers. 19] inquit Joannes, nunquam egressi essent ex nobis. Et regeneratio semen est incorruptibile. Ita statuendum est, fideles qui vere sunt regeniti, nunquam excidere à justitia, sed retineri invicta Dei virtute. [Rom. 11. vers. 29.] Vocatio enim Dei in electis est sine pœnitentia. Continuat igitur cursum gratiæ suæ usque ad finem. Neque enim audiendi sunt, qui Scriptura reclamante fidem tradunt extingui in electis, ubi velut arefacta nullos fructus profert. Quomodo igitur Ezechiel intelligit justos excidere? Quæstio ista facile solvitur, quia non agitur hic de viva justitiæ radice, sed de externa specie, vel apparentia, ut vulgo loquuntur. [2 Tim 2. vers. 19.] Paulus admonet Deum novisse suos, sed adjungit manere hoc signaculum. Deus ergo sibi uni vendicat discrimen inter electos & reprobos: quia multi videntur esse Ecclesiæ membra, qui tamen [Augustin. in Joannem c. 10 v. 16.] sunt extranei. Et verum est illud Augustini, Multos esse lupos intus, & multas oves foris. Antequam enim Deus electionem suam demonstret, oves aberrant, & videntur prorsus alienæ à spe salutis. Interea multi hypocritæ obtendunt Dei nomen, & palam se jactant esse præcipuos in Ecclesia: sunt autem lupi intus. Sed quia sæpe contingit, ut quis ostendat summum studium pietatis & justitiæ, non abs re Propheta dicit tales si excidant, non posse jactare coram Deo superiorem justitiam, quia memoria ejus delebitur. In summa, videmus nomen Justitiæ referri ad sensus nostros, non autem ad occultum Dei judicium. Atque ita nihil hic docet Propheta quod non cernamus quotidie. Qui enim visi sunt excellere supra alios, deserunt suam vocationem, excutiunt omne jugum, abjiciunt timorem Dei: denique interdum prosiliunt ad diabolicum furorem. Si ergo id contingat, audimus quid pronunciet Spiritus per os Prophetæ, *Justitias omnes non venturas in rationem.* Sed pondus etiam subest his verbis, quum dicit, *si aversus fuerit à justitia, & fecerit secundum cunctas abominationes quas facit impius*, vel sceleratus, *an vivet?* Discernit enim Propheta eos qui relicto Deo, se ad omne scelus projiciunt, ab iis qui per infirmitatem, vel incogitantiam labuntur, vel etiam qui cadunt, & quidem præcipiti ruina, nisi Deus ipsis succurreret: sed interea non abjiciunt ejus timorem, pieque & recte vivendi studium. Exempli gratia, nemo est qui non subinde hallucinetur. Ergo innumeris modis offendimus Deum per errorem: & ideo exclamat David, Errores quis intelliget? [Psal. 19. vers. 13.] Jam labimur etiam sponte, quia sæpe vincimur tentationibus: & tamen conscientia nos coarguit: ita fit ut sancti nunc à recta via declinent per ignorantiam, nunc etiam infirmitate victi, ab officio discedant. Sed quod longe deterius est, continget interdum sanctos ruere præcipites, acsi prorsus essent desperati. Nam exemplum Davidis ostendit electos, quamvis regeniti sint Spiritu Dei, non tantum leviter delinquere, sed quemadmodum dixi, demergi usque in profundissimam abyssum. David perfidus deprehenditur homicida, [2 Sam. 12.] proditor exercitus Dei: denique magna est scelerum congeries in misero illo rege: sed una tantum in re deliquit: & apparet suffocatam fuisse Dei gratiam in ipso, non autem penitus extinctam. Simul enim atque Nathan illum objurgat, fatetur se peccasse, & paratum esse subire quam Deus inflixerit pœnam. Quoniam ergo ita interdum excidunt sancti, Propheta hic manum porrigit ne desperent: ac testatur Deum non repudiare nisi *qui à justitia sua sunt aversi, ac perpetrant cunctas abominationes quas solent impii.* His verbis, ut videmus, exprimit plenam defectionem, & ita mitigat asperitatem hujus sententiæ, ne animos despondeant qui una in parte lapsi fuerint. Nunc videmus quorsum spectent hæc verba, ubi dicit, *secundum cunctas abominationes quas facit sceleratus fecerit, an vivet?* inquit, *omnes justitiæ quas fecit non venient in memoriam, quia peribit*, &c. Hic ostendit Propheta nihil prodesse temporalem justitiam nisi ad extremum usque perseveremus in timore Dei. Hic autem observatu digna est antithesis, quia inde refellere promptum erit figmentum illud, quod personat in scholis Papalibus. Dicunt remitti culpam à Deo, sed pœnam retineri. Jam quid Propheta noster? *Si conversus fuerit impius*, inquit, *ab impietate sua, omnium iniquitatum ejus non recordabor amplius.* Hic Papistæ obtrudent nobis putidam illam distinctionem, quod non recordabitur Deus quoad culpam, sed recordabitur quoad pœnam. Verum, quid paulo post sequitur? *Si aversus fuerit justus à justitia sua, justitiæ ejus non venient in rationem.* Si non veniant in rationem quoad meritum, quoad mercedem vero veniant, quid sibi hoc volet? quomodo stabit Prophetæ doctrina? Atqui necesse est ita accipere quod Propheta dicit: quia si in una parte valet distinctio pœnæ & culpæ, in altera etiam valebit meriti & mercedis. Inde sequetur, Deum oblivisci omnes justitias quoad meritum, sed quoad mercedem venire in memoriam coram ipso justitias, quia non sunt abolitæ. Quum autem satis liqueat non venire justitiam ejus qui defecit in rationem, ut quicquam mercedis sperare debeat: sequitur ex opposito ejus peccata aboleri, non tantum quoad culpam, sed etiam quoad pœnam. Nunc sequitur,

25. Et dixistis, Non rectificata est via Domini: audite agedum domus Israël, Via mea non rectificabitur? (*hoc est, non est rectificata?*) An non viæ vestræ non sunt rectæ? (תכן *significat ponderare, sed significat etiam librare ad justum examen.*)

Hic ostendit Propheta longius prorupisse eos qui vulgura illud proverbium jactabant, obstupescere dentes filiis, quia patres comederant uvas acerbas. Nam adhuc aliquod manebat integumentum, ut non projicerent suas blasphemias quasi plenis buccis adversus Deum: sed nunc crescit insolentia & rabies, quum dicunt *non esse rectas vias Dei.* Et hoc fere in omnibus hypocritis cernitur: initio oblique Deum perstringunt, & tamen id dissimulant. Quamvis enim dum se absolvere conantur, eum insimulent injustitiæ, vel nimii rigoris: tamen non aperte prorumpunt ad crassam illam impietatem, ut audeant objicere Deo crimen injustitiæ. Sed postquam diu tergiversando nihil proficiunt, diabolus accendit in illis tantum audaciæ, ut non dubitent palam Deum ipsum damnare. Hoc nunc intelligit Propheta, quum dicit jactatum fuisse hunc tam indignum sermonem inter Israëlitas, *quod viæ Domini non essent rectæ.* Ergo ne & nobis forte contingat impingere adversus Deum, & quasi cum ipso confligere, discamus

cohi-

cohibere nostram temeritatem, & id tempestive antequam ferociat. Simul ergo atque nobis obrepunt cogitationes, quæ Deo aspergant aliquam notam ignominiæ, eas citissime compescamus: quia si admittimus, paulatim nos irretient, donec nos pertrahant ad extremam hanc vesaniam, ut nulla religio, vel pudor nos teneat, quin palam blateremus adversus Deum. Sed operæpretium est notare fontem hujus impietatis: primo si reputarent homines sibi negotium esse cum Deo, puderet ipsos contra suum opificem insurgere. Neque enim lutum figulo

Jesa. 45. vers. 9. Rom. 9. v. 20, 21.

suo obstrepit. Atqui nos centuplo minus sumus quam lutum, Dei respectu. Sed veniendum est etiam ad aliam considerationem. Scimus quanto majore perspicacia Angeli polleant, quam totum humanum genus, qui tamen Dei sapientiam suppliciter adorant. Quid ergo nobis agendum est? Deinde non tantum incomprehensibilis est Dei sapientia, sed justitia ejus regula est perfectissima omnis justitiæ. Nunc si volumus statuere de operibus Dei pro nostro sensu, & afferre illuc nostram trutinam, quid aliud est quam judicium nobis supra ipsum arrogare?

Jesa. 45. vers. 23.

Atqui tenendum erat illud Jesaiæ, Vivo ego, dicit Jehovah, coram me flectetur omne genu, & omnis lingua mihi jurabit. Hujus sententiæ fidelis est in-

Rom. 14. v. 10, 11.

terpres Paulus quum ideo judicium sibi arrogare cunctos mortales vetat, quia scriptum sit, Omnes sistemur ad tribunal Christi, &c. Si ergo necesse nobis erit tandem rationem reddere apud cæleste Christi tribunal: nunc acquiescendum erat Dei judiciis: quia ubi tandem licentia nostra profuderit omnes suos impetus, & nostræ petulantiæ quidvis permiserimus, Deus erit judex noster. Ergo videmus, dum homines tantum sibi concedunt juris, ut audeant pronunciare de operibus Dei pro suo sensu, primum subjicere sapientiam ejus suis figmentis: deinde nimis maligne adeoque contumeliose sentire de ejus justitia. Sed illud unum sufficere nobis debet, homines nimis esse obliviosos suæ sortis, dum audent contra suum opificem os aperire, non tantum ut obmurmurent, sed etiam ut palam ipsum damnent, acsi essent superiores. Teneamus itaque contrariam regulam, nempe ut sobrietate & modestia suspicere discamus opera Dei, quæ nobis incognita sunt, deferre ei laudem summæ & perfectæ sapientiæ, quamvis consilia ejus in speciem videantur absurda. Et hoc breviter exprimitur nobis apud Hoseam. Postquam enim Deus pollicitus est se misericordem fore populo, & ubi disseruit de cladibus quas inflixerat,

Hosea 14. vers. 10.

dicit se tandem fore medicum: adjungit, Quis sapiens, & intelliget hæc? quia scilicet multi putassent non esse consentaneum remitti tot scelera perdito populo: alii autem poterant objicere, quod audiverant esse prorsus incredibile & absurdum, quia passus erat Deus populum quasi funditus evelli, ita ut nulla spes restaret. Hac igitur ratione exclamat Propheta opus esse rara & singulari prudentia, ut quis apprehendat doctrinam illam & amplexetur. Quum dicit, Quis sapiens, significat exiguum fore numerum eorum qui patienter expectabunt dum impleat Deus reipsa quod promisit. Tandem subjicit, Quia rectæ viæ Domini, & justi in ipsis ambulabunt: impii autem impingent & corruent. Illic quum loquitur de viis Domini non intelligit duntaxat præcepta, ut sæpe hoc sensu Scriptura accipit vias Domini: sed intelligit totum gubernandi ordinem quem Deus tenet, ac omnia quæ exercet judicia. Dicit ergo rectas esse omnes vias Domini, & justos in illis ambulaturos, nempe quia justi placide, & qua oportet docilitate dabunt gloriam Deo: & si quando agitentur variis dubitationibus, ac etiam pro infirmitate sua tumultuentur dum eos percellunt multæ tentationes: tamen semper recumbent in Dei providentiam, & breviter statuent, ut præcidant ansam longis & perplexis ac spinosis quæstionibus, Deum esse justum. Sic ergo justi ambulant in viis Domini: quia subscribunt omnibus ejus operibus. Dicit autem impios impingere & ruere. Nam simulatque venit illis in mentem, Deum vel non recte, vel non prudenter agere, tumultuantur & feruntur cæco impetu: superbia demum ad amentiam usque illos præcipitat. Sic impingunt in viis Domini: quia ut hoc loco videmus, evomunt suas blasphemias contra Deum. Ideo tenenda nobis est illa ratio, nempe ut humiliter adoremus Dei consilium ubi nobis est incomprehensibile, & tribuamus justitiæ laudem cunctis ejus operibus, quamvis nostro judicio non respondeant vel non satisfaciant: hæc summa est. Quanquam autem Propheta loquitur de pœnis quas Deus reprobis infligit, & de mercede, quæ justis apud ipsum est reposita: longius tamen conscendere oportet, nempe etiamsi Deus videtur pervertere omnem justitiæ ordinem in suis operibus: ut tamen semper retineamur freno illo, ipsum esse justum, & quod ita opera ejus à nobis improbantur, id fieri errore & ignorantia. Exempli gratia, non tantum litigamus cum Deo, ubi videtur non rependere justam mercedem justis operibus, vel ubi videtur nimis erga nos severus esse: sed quum de æterna ejus electione agitur, quia non penetramus ad tantam altitudinem, statim fremimus. Jam pii non prorsus vacui sunt & immunes à perplexis dubitationibus, quæ ipsos conturbant: sed statim se compescunt, ut dixi. Alii autem protervi homines prorumpunt, Non assequor, non intelligo. Ergo Deus injustus est. Videmus ut multi blaterones hodie ita prodant suam desperatam impudentiam. quare hæc doctrina subinde nobis recurrat in mentem, *vias Domini esse rectas*. Quod si non concipimus quomodo rectæ sint, simul etiam hoc membrum accedat *vias nostras non esse rectas*, hoc est, sensus omnes nostros deficere, intelligentiam nostram esse cæcam: denique nos esse ita corruptos, ut perperam judicemus. Si ergo reputemus quod hic dicit Propheta *vias nostras non esse rectas*, manebit gloria suæ justitiæ Deo integra & illibata. Postea subjicit,

26. Si aversus fuerit justus à justitia sua, & fecerit iniquitatem, & mortuus fuerit in illis, (*est mutatio numeri, hoc est, in suis sceleribus, in scelere suo*) in iniquitate sua quam patravit morietur.

27. Et si conversus fuerit sceleratus à sceleribus suis quæ fecit, & fecerit judicium & justitiam, ipse animam suam vivificabit. (*hoc est, à morte eripiet, vel restituet in vitam.*)

28. Et viderit, & conversus fuerit ab omnibus sceleribus quæ patravit, vivendo vivet, non morietur.

Repetit Propheta quod ante vidimus, nempe statum causæ in eo verti, an causam obstrependi habeat populus, quum Deus absolvit eos, qui resipiscunt, & damnat justos, qui deserunt cursum piæ & sanctæ vitæ. Nam huc semper redeundum est tanquam ad cardinem, Deum scilicet ita rependere cuique pro suis operibus, quia misericordiam offert omnibus perditis, & nihil aliud postulat, nisi ut ad ipsum sincero animo redeant. Ubi ergo Deus tam clementer agit cum impiis, & ita propensus est ad dandam veniam, quid causæ est cur litigent cum ipso homines? Jam si justus cursum retroagat, & postquam ad tempus ostenderit aliqua signa timoris Dei, excutiat omnem obedientiam, quid potest objici, ubi Deus ipsum

ipsum punit, & deletur memoria superioris justitiæ? Deus ergo hic statuit in medio summam, vel caput totius causæ. Diximus autem quomodo intelligi debeat, *justos averti à sua justitia*, non quod electi unquam penitus deficiant, quemadmodum multi putarunt extingui fidem, & omnem radicem pietatis etiam in filiis Dei: illud nimis est absurdum: quia ut dixi, donum regenerationis habet semper annexam perseverantiam. Sed hic agitur de justitia quæ agnoscitur ab hominibus. Scimus autem frequenter accidere, ut qui visus est plusquam integer & perfectus, tandem deficiat. Jam pronunciat Deus se pœnam sumpturum de omnibus qui ipsum dereliquerint, & fore exorabilem ac propitium miseris peccatoribus, qui cupient cum ipso reconciliari. atque iterum repetit, *si viderit & conversus fuerit impius à sceleribus suis.* Notandum est hoc verbum. significat enim initium pœnitentiæ esse rectam cogitationem: quia utcunque reprobi scientes & volentes transgrediantur Legem Dei: certum tamen est, ipsos laborare cæcitate & amentia: quia Scriptura etiam non frustra ipsos vocat stultos aut vesanos. Neque tamen extenuat eorum culpam acsi inscitia delinquerent: sed intelligit diabolica amentia ita excæcatos esse, ut nihil cogitent. Nam certe horror statim invaderet eorum animos si tantum agnoscerent Deum sibi esse adversum, & se cum ipso bellum gerere. hac ratione igitur Propheta quum nobis describit conversionem impii, dicit *si viderit*, hoc est, si tandem redierit ad sanam mentem, & collegerit sensus suos, ita ut non ruat pro sua amentia, quemadmodum solitus est, sed respiciat in Deum, respiciat etiam in seipsum. Nunc sequitur,

29. Et dixerunt domus Israël, (*hoc est, dixerunt Israëlitæ*) Non rectificata est (*futuri est temporis, sed accipitur pro continuo actu*) via Domini: An viæ meæ non rectæ sunt, domus Israël? An non viæ vestræ non rectæ sunt?

Hic breviter ostendit Deus quantopere furiosi sint qui audeant adversus eum obstrepere, quum tamen manifesta sit justitia ejus. Quid enim rectius potest desiderari, quam ut Deus pœnam sumat de omnibus Legis suæ transgressoribus? & tamen si resipiscant peccatores, ut paratus sit ad ignoscendum? Quod si videtur illud durum, pœnas exigi de justis si defecerint, sensus tamen communis hoc dictat, nullam virtutem posse absque perseverantia probari. Quum igitur liquido pateat in hac tota agendi serie, Deum justum esse & irreprehensibilem, quantus furor est, adhuc contra ipsum blasphemias evomere, quasi viæ ejus rectæ non essent? Sed uno verbo ostendit Deus, quemadmodum attigi, Israëlitas destitui omni colore in tanta improbitate & impudentia. Et repetit quod ante dixerat, nempe homines semper fore temeritatis reos quum tam insolenter Deo maledixerint, quia reperientur eorum viæ obliquæ, & perversæ. Deus autem vias suas satis probabit. Sed addendum est etiam quod sequitur,

30. Propterea quemque (*virum, ad verbum*) secundum vias ejus judicabo in vobis (*vel inter vos*) domus Israël, dicit Dominator Jehovah. Convertimini & redire vos facite (*& reducite vos: alii, reducere facite proximos, sed nimis remotum est: potius ergo reducite vos*) ab omnibus sceleribus vestris, & non erit vobis in laqueum iniquitas.

Hic Deus præcise demonstrat se functurum officio judicis: & ita in ordinem cogit Israëlitas, & audaciam eorum refutat. Quantisper enim homines non sentiunt sibi instare Dei judicium, & non tenentur quasi illaqueati, lasciviunt in sua petulantia. Videmus ut reprobi ideo tam sint feroces, & protervi, quia non tanguntur metu pœnæ, nec reformidant Dei judicium. Ipse ergo ut tollat omnem tergiversandi ansam, dicit, *Ego tamen ero judex vester*: litigate nunc: sed uno verbo ego decidam omnes vestras lites, quia judicabitur quisque vestrum meo arbitrio. Certum quidem est, hic Deum asserere sibi laudem justitiæ & rectitudinis. Atqui simul auctoritatem suam in medio statuit, ut incutiat terrorem vesanis illis, qui ita audebant se opponere ejus imperio, & ipsum subjicere ad reddendam rationem. Nunc ergo tenemus quo consilio dicat *se judicaturum eos omnes secundum vias ipsorum*, hoc est, quamvis non fateamini vos esse dignos interitu, satis est quod ego qui sum legitimus judex ita pronuncio. *Judicabo* igitur *vos recte, quia secundum vias vestras*, sed pro summa potestate, ut cessent querimoniæ omnes vestræ, & fremitus. Postea hortatur eos ad resipiscentiam, atque ita significat nullum aliud esse remedium, quam ut sibi displiceant in suis sceleribus, ac deprecentur vindictam. Unde colligimus, homines ideo tam licentiose insurgere contra Deum, quoniam vagantur extra se, quia si descenderent in seipsos, & sincere examinarent totam suam vitam, statim humiliarentur coram Deo: deinde cogitatio illa eos stimularet ad resipiscentiam. Sed quia conscientia ipsorum stupida est, & sponte etiam obbrutescunt, hinc fit ut ita audacter Deum blasphement. Ex opposito nunc remedium profert Deus si resipiscant, & seipsos reducant à suis sceleribus. Verbum convertendi refertur ad renovationem animi & cordis. Nam hoc quoque initium est pœnitentiæ, ut mente intus renovemur, quemadmodum dicit Paulus, & ita simus novi homines. [*Ephes. 4. v. 22, 23.*] Et hoc notatu dignum est, quia multi quum agitur de resipiscentia, defixos habent oculos in fructus externos pœnitentiæ. Atqui à radice incipiendum erat. Hoc ergo nunc docet Propheta quum dicit, *convertimini*. Sed postea addit והשיבו, *& reducite*. Hoc secundum verbum ad testimonia pœnitentiæ referri debet. Nam quemadmodum ordine præcedit interior conversio, ut scilicet abdicemus nos propriis vitiis, renunciemus carni & sanguini; ita sequi oportet fructus pœnitentiæ, vel testimonia: quemadmodum etiam dicebat Joannes, Proferte fructus, qui testentur vestram pœnitentiam. [*Mat. 3: 8. Luc. 3: 8.*] Videmus ergo Prophetam hic incipere à puritate cordis, deinde etiam venire ad manus, quemadmodum & alibi Scriptura loquitur, hoc est, ad externa opera. Dicit *à cunctis iniquitatibus vestris*, vel sceleribus, ut ostendat dimidiam pœnitentiam non probari Deo. Verum quidem est, etiam qui summopere & toto affectu animi contendunt ad recte agendum, non tamen ita defungi suo officio, quin semper multa vitia residua maneant: sed hic non agitur de perfectione, at tantum de sincero affectu & serio conatu. Modo itaque serio studeamus redire in viam, & placidis ac sinceris animis nos humiliare, hæc est integritas quam nunc exigit Propheta.

Da omnipotens Deus, quando nihil nobis fragilius, atque etiam ubi semel manum nobis porrexisti, tanta infirmitate laboramus, ut subinde nos maneant innumeri lapsus nisi succurras; da, inquam, ut suffulti tua invicta virtute, pergamus in cursu sanctæ tuæ vocationis: & ita fortiter ac perseveranter militemus contra omnes tentationes, ut tandem potiamur in cælo fructu victoriæ nostræ, per Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA OCTAVA IN EZECHIELEM.

31. Projicite à vobis omnes iniquitates in quibus inique egistis: & facite vobis cor novum, & spiritum novum: & quare moriemini domus Israël?

ITerum hortatur Ezechiel populum, ut omissis querimoniis agnoscat nullum esse remedium suis malis, nisi ut se reconciliet Deo. Id autem fieri non poterat nisi resipisceret. Neque enim Deus frustra infestus erat, aut injuste more hominum odio innoxios prosequebatur, & nihil tale meritos. Necesse igitur fuit suppliciter petere à Deo veniam. Hoc jam attigerat Ezechiel, sed nunc pluribus verbis confirmat. Dicit igitur eos non modo operam ludere, sed magis accendere ignem vindictæ Dei, dum ita cum ipso litigant, & queruntur se indigne ab ipso tractari: *projicite*, inquit, *à vobis iniquitates vestras*. Ostendit residere in ipsis causam omnium malorum: ideo frustra eos tergiversari. Sed clarius deinde exprimit fuisse penitus imbutos contemptu Dei, impietate, & pravis cupiditatibus. Nam si tantum loquutus esset de externis sceleribus, objurgatio fuisset dimidia ideoque levior. Verum postquam jussit eos valedicere suis sceleribus, addit, *facite vobis cor novum & spiritum novum*. Exigit ergo ab ipsis solidam renovationem, ut non tantum vitam suam componant ad normam Legis, sed ut sincero corde timeant Deum: quia nemo bonos fructus nisi à viva radice proferet. Externa autem opera, ut alibi visum fuit, sunt fructus pœnitentiæ, quos necesse est produci à radice. Ea autem est interior cordis affectus. Quod tandem subjicit pertinet ad refutandam eorum improbitatem. Nam volebant Deo adscribi suum interitum. Hic autem Deus suscipit personam dolentis, *quare moriemini*, inquit, *domus Israël?* idque proximo versu clarius confirmat.

32, Quia non oblector morte morientis, (*hoc est, ejus qui perit*) dicit Dominator Jehovah: convertimini itaque, & vivite.

Videmus ergo ut Deus falsum illud probrum à se rejiciat, quo gravabant eum filii Israël quum dicerent se perire immodico ejus rigore, nec reperire causam cur ita severus in eos esset. Pronunciat ex opposito, causam mortis esse penes ipsos: deinde ostendit remedium, ut vitam in melius mutent, neque id tantum externa specie, sed ut sinceritas cordis respondeat: & simul testatur se fore illis exorabilem: imo sponte occurrit, ut se reconciliet, modo resipiscant ipsi ex animo & non ficte. Tenemus nunc Prophetæ consilium. Diximus, hoc modo nos moneri, si cupimus ad Deum redire, incipiendum esse à vero principio, nempe ut corde & spiritu re-
Jer. 5: 3. novemur: quia ut dicitur apud Jeremiam, respicit veritatem vel integritatem, neque moratur externas larvas. Sed videri posset absurdum quod Deus Israëlitas hortatur, *ut sibi forment cor novum*: & homines male exercitati in Scriptura cristas erigunt prætextu hujus loci acsi esset in libero hominis arbitrio seipsum convertere. Clamant igitur vel Deum fallaciter hic populum suum hortari: vel ubi ab ipso alienati sumus, nos posse proprio motu resipiscere, & redire in viam. Atqui tota Scriptura palam reclamat. Ne-
Psal. 51. vers. 12. & alibi sæpius. que enim frustra toties petunt sancti, ut Deus ipsos renovet. Esset autem ficta & mendax precatio, nisi cordis novitas esset ejus donum. Si quis à Deo postulet quod persuasus est jam se habere, & quidem virtute propria, nonne Deo illudit? Atqui nihil magis frequenter occurrit quam ejusmodi precandi forma. Quum ergo sancti petunt ut Deus ipsos renovet, hauddubie fatentur id singulare esse ejus donum, & nisi manum admoveat, nihil sibi esse residuum virtutis: ideoque non posse aliter fieri, quin perpetuo jaceant. Deinde plurimis locis Deus sibi hoc tanquam peculiare vendicat, nempe renovare corda. Vidi-
cap. 11. vers. 19. & 36. v. 26, 27. mus insignem locum cap. 11. idem repetet 36. cap. Ezechiel: scimus etiam quid dicat 31. cap. Jeremias. Sed Scriptura ejusmodi testimoniis passim referta est. Ideo coacervare multos locos esset supervacuum: imo si quis neget esse donum Spiritus sancti regenerationem, convellet omnia pietatis rudimenta, & principia. Diximus etiam regenerationem esse quasi alteram speciem creationis: imo si quis conferat regenerationem cum prima creatione, longe excellet. Est enim multo præstantius nos formari Dei filios, & reformari ejus imaginem in nobis, quam creari homines mortales. Nascimur enim filii iræ, nasci- *Ephes. 2. vers. 3.*
mur corrupti & degeneres: quia cum imagine Dei omnis integritas est in nobis deleta. Videmus ergo qualis sit nostra prima creatio. Jam ubi Deus nos refingit, non tantum nascimur filii Adæ, sed sumus fratres Angelorum & membra Christi: vita denique secunda continet in se rectitudinem, justitiam, lucem veræ intelligentiæ. Nunc videmus, si esset in libero hominis arbitrio seipsum convertere, plus multo ei adscribi, quam Deo: quia ut dictum fuit, multo præstantius est creari Dei filios, quam Adæ. Hoc igitur extra controversiam esse debet omnibus piis, homines non posse resurgere quum lapsi sunt, & converti ubi alienati sunt à Deo, sed esse peculiare Spiritus sancti donum. Et Sophistæ qui modis omnibus conantur obscurare Dei gratiam, fatentur dimidiam partem conversionis esse in potestate Spiritus sancti. Neque enim dicunt nos simpliciter & in totum converti proprio liberi arbitrii motu: sed fingunt concursum gratiæ cum libero arbitrio, & liberi arbitrii cum gratia. Ita garriunt nos Deo cooperari. Fatentur etiam Dei gratiam præire, & subsequi: & videntur ita sibi esse valde liberales erga Deum, ubi agnoscunt duplicem ejus gratiam in conversione hominum. Sed Deus non est contentus illa partitione, quia spoliatur dimidio suo jure. Non enim dicit se fore adjutorem, ut homines seipsos renovent, & resipiscant: sed totum id sibi tribuit, Dabo vobis *Eze. 36.*
cor novum, & spiritum novum. Si illius est dare, *vers. 26.*
sequitur non posse tantillum inde transferri ad homines, quin diminuatur aliquid de jure ipsius. Sed objiciunt non frustra hic præcipi, *ut homines faciant sibi cor novum*. Nempe quia inscite in eo falluntur, quod colligunt qualis sit hominis facultas ex Dei præceptis. Atqui insulsa est illatio, ut alibi dictum fuit. Deus enim quum docet quid rectum sit, non reputat quid nos ipsi possimus, sed tantum ostendit quid debeamus. Quum ergo æstimatur facultas liberi arbitrii ex Dei præceptis, id fit nimis perperam: quia etiamsi nos vis & facultas deficiat, Deus tamen merito à nobis exigit quod debemus. Neque enim ideo solvimur ab obligatione, quia non sumus solvendo. Sed Deus nos tenet sibi obstrictos, quamvis omnia nos deficiant. Excipiunt rursus, Deum ergo homi-

nibus

nibus illudere quum dicit, *facite vobis cor novum:* respondeo semper videndum esse in quem finem Deus ita loquatur, nempe ut homines iniquitatis suæ convicti desinant alio culpam rejicere, quemadmodum semper id facere conantur, nec quicquam magis proclive est quam transferre causam nostræ damnationis alio, ut videamur ipsi justi, Deus autem sit injustus. Quia ergo inter homines regnat illa pravitas, ideo Spiritus sanctus exigit à nobis quod nemo potest negare quin debeat. Jam si non præstamus, tenemur obstricti, & ita cessant omnes lites & querimoniæ. Deinde quantum ad electos, ubi Deus illis ostendit quid debeant, & agnoscunt vicissim se non esse præstando, simul confugiunt ad auxilium Spiritus sancti: ita fit ut exterior exhortatio sit quasi organon, quo utitur Deus ad conferendam Spiritus sui gratiam. Tametsi enim ipse gratuito nos prævenir, neque etiam indiget externis mediis: vult tamen exhortationes hac in parte esse utiles. Quoniam ergo hæc doctrina electos excitat, ut se tradant Spiritui sancto regendos, videmus uberem fructum inde ad nos redire. Unde sequitur, Deum non ludere, neque nos frustrari, ubi hortatur ut *quisque sibi formet cor novum, & spiritum novum.* In summa, voluit Ezechiel his verbis ostendere paratam fore veniam Israëlitis, si resipiscerent serio, idque ostenderent tota vita. Id verissimum fuit, quia electi non frustra amplexi sunt hanc doctrinam, ubi simul Deus in ipsis operatus est per Spiritum suum, & ita ipsos ad se convertit. Reprobi autem quamvis non desinerent obstrepere, fuerunt tamen pudefacti, quia erepta fuit omnis excusatio, quod scilicet perirent propria culpa, quia volentes manebant in suis sceleribus, & sibi indulgendo fovebant in se veterem hominem, hoc est, fontem omnis injustitiæ. Quoties itaque occurrunt tales loci, veniat nobis in mentem illud ce-
Epist. 24. lebre Augustini dictum, Da quod jubes, & jube quod velis. Nam alioqui, si vel minimum apicem injungat nobis Deus, non erimus ferendo. Cæterum, vires nostræ ad implendum quicquid postulat sufficient, modo ipse eas suppeditet, & non ita simus stolidi, ut putemus non aliud comprehendi præceptis, quam quod in nobis positum est: quia ut jam dixi, nihil magis perversum, quam metiri nostris viribus justitiam Legis, quæ prorsus est Angelica. Per *cor* non dubito quin sedem omnium affectuum designet, sicuti per *spiritum* partem intellectivam animæ. Cor sæpe sumitur pro ratione & intelligentia: sed ubi duæ istæ voces simul junguntur, spiritus respicit mentem, atque ita est facultas intellectiva animæ: cor autem accipitur pro voluntate vel sede omnium affectuum. Hinc videmus quantopere corrupti fuerint Israëlitæ, quod aliter non potuerint Deo reconciliari, nisi fierent novi homines tam mente quam corde. Sed hinc etiam colligere licet generalem doctrinam, nihil scilicet esse in nobis sanum vel integrum: ideoque ut placeamus Deo, opus esse integra renovatione. Quod autem subjicitur rursum parit multas quæstiones, *Quare moriemini domus Israël?* Hic enim homines imperiti existimant Deum speculari quid faciant homines, & ab ipsis pendere cujusque salutem vel interitum, acsi Deus nihil ante conditum mundum de nobis statuisset. Deum igitur exinaniunt quodammodo, quia fingunt ipsum teneri suspensum & dubium qualis futurus sit cujusque exitus, & illic ita sollicitum esse de salute nostra, ut velit omnes esse salvos: sed relinquat in arbitrio cujusque, perire an salvus esse malit. Atqui Deus hoc modo ut dixi, fieret spectrum. Sed nihil opus est longa disputatione, quia Scriptura ubique satis clare prædicat constitutum esse Deo quid de no-
Ephes. 1. vers. 4. bis futurum sit. Elegit enim suos ante mundi creationem, alios reprobavit. Nihil hac doctrina clarius. Denique si nulla esset Prædestinatio apud Deum, nulla esset ejus deitas, quia cogeretur in ordinem, acsi esset unusquispiam ex nobis: imo homines aliquatenus sunt providi, quoties scilicet vult Deus scintillas suæ imaginis in illis micare. Si ergo vel minima gutta providentiæ in hominibus deprehenditur, quid erit in ipso fonte? Nimis ergo insipidum est commentum, fingere Deum manere quasi dubium, & expectare quid singulis futurum sit prout ipsis libuerit aut salutem adipisci, aut perire. Sed aperta sunt Prophetæ verba. Deus enim dolenter hic testatur *se nolle mortem morientis.* Respondeo, quemadmodum ante dictum fuit, nihil esse absurdi, si Deus suscipiat duplicem personam, non quod ipse sit duplex, quemadmodum protervi isti canes contra nos blaterant: sed quia incomprehensibile nobis est ejus consilium. Hoc quidem fixum esse debet, ante conditum mundum nos esse prædestinatos vel ad vitam, vel ad mortem. Nunc quia non possumus conscendere ad illam altitudinem, necesse est ut Deus se ad ruditatem nostram conformet, & quodammodo ad nos descendat, quia ad ipsum non ascendimus. Quum toties Scriptura dicit Deum audiisse, Gen. 16. vers. 11. & sæpius.
Deum inquirere, nemo offenditur: secure omnes prætereunt illas loquendi formas, & fatentur esse sumptas ab hominibus. Quoties, inquam, Deus alias transfert in se quæ sunt hominibus propria, id omnium consensu facile admittitur, & absque controversia. Quin etiam durior illa loquutio, Venit ut Gen. 11. vers. 5.
videret Deus: quo pronunciat se venisse ut inquirat de rebus palam compertis, facile excusatur, quum tamen nihil sit minus consentaneum ejus naturæ: solutio namque in promptu est, Deum metaphorice loqui, & mutuari quod hominibus proprie convenit. Jam cur non idem in causa præsenti valebit? nempe Deum respectu Legis & totius Propheticæ doctrinæ pronunciare se velle omnes salvos? Et certe si consideramus quorsum tendat cælestis doctrina, reperiemus vocari omnes promiscue ad salutem. Lex enim fuit via vitæ, ut testis est Moses, Hæc est Deut. 30. v. 15.19.
via, ambulate in ea. Item, Quisquis fecerit ea vivet Jesa. 30. vers. 21.
in ipsis. Item, Hæc est vita vestra. Deinde ultro Levit. 18. vers. 5.
etiam Deus se obtulit veteri populo misericordem: Deut. 32. vers. 47.
denique cælestis doctrina omnibus debet esse vivifica. Quid autem Euangelium? Est potentia Dei ad Rom. 1. vers. 16.
salutem omni credenti, inquit Paulus. Ergo *Deus non oblectatur morte morientis*, nempe si respiciamus ejus doctrinam. Quod si volumus penetrare ad incomprehensibile ejus consilium, alia erit ratio. O, sed hoc modo Deus est duplex. Jam negavi, quamvis suscipiat duplicem personam, quia sic necesse est pro modulo captus nostri. Interea verissime hoc pronunciat Ezechiel, *Deum nolle mortem pereuntis*, quoad doctrinam. Sequitur enim paulo post expositio, *Convertimini & vivetis.* Quare Deus non oblectatur morte morientis? Quia omnes invitat ad pœnitentiam, neminem vero repudiat. Quum ita sit, sequitur ipsum non oblectari morte morientis. Ita in hac re nihil est ambiguum, vel spinosum: & interea teneamus nos procul abigi à speculationibus nimis profundis. Deus enim non vult nos inquirere in arcana sua consilia: Arcana sua sunt Deo nostro, inquit Moses: nobis autem & filiis no- Deut. 29. vers. 29.
stris hic liber. Moses illic distinguit inter occultum Dei consilium (quod si curiosius velimus investigare, ingrediemur profundam abyssum) & doctrinam nobis traditam. Ergo sinamus Deo sua arcana, & exerceamus nos in Lege, ubi nobis & filiis nostris manifestata est Dei voluntas, quatenus expedit. Nunc pergamus.

Cap. XIX.

ET tu tolle lamentum (*vel carmen lugubre*) super (*vel contra*) principes Israël,

2. Et dices, Quare mater vestra leæna inter leones accubuit? in medio leonum educavit catulos suos.

3. Et sustulit unum è catulis suis, leo factus est, & didicit prædari prædam, homines comedit. (*aut voravit.*)

4. Et audierunt de ipso Gentes, in fovea ipsarum captus est: & abduxerunt in catenis in terram Ægypti.

Hic Propheta breviter sub leonis similitudine admonet, quicquid malorum contigit Israëlitis, non posse aliis imputari. Tenendum igitur est hoc consilium. Nec mirum est tantopere insistere Spiritum Dei in re non valde obscura: quia nihil pertinacius est superbia hominum: præsertim ubi Deus ipsos castigat, quamvis simulent aliquid humilitatis & modestiæ, tamen turgent fastu, & amarulentia etiam pleni sunt: denique ægerrime possunt adduci ut fateantur Deum esse justum, & se merito percuti ejus manu. Hac igitur ratione confirmat Ezechiel quod ante vidimus, Judæos scilicet non affligi, nisi propria culpa. Sed ponit, ut dixi, illam similitudinem à leonibus sumptam. Vocat *gentem ipsam leænam*. Quum enim de matre populi agitur, scimus considerari ipsam stirpem. Dicit igitur populum ipsum fuisse plenum truculentia. Leonis comparatio aliquando accipitur in bonam partem, sicuti apud Mo-[Gen. 49. vers. 9.]sen Gen. 49. quum dicitur de Tribu Jehudah, Quasi leo vel catulus leonis cubabit, hoc ponitur in laude. Sed hic sævitiam designat Ezechiel, quasi diceret feras & truculentas esse bestias, omnes Judæos. Nam sub matris nomine, ut dixi, complectitur totam gentem. Initio jubet Prophetam suum *suscipere carmen lugubre.* Sic enim interpretor hoc loco קִינָה. sed subest meo judicio, obliqua antithesis inter hoc carmen, quod Deus ipsis dictavit per suum Prophetam, & inter vulgares querimonias, quæ assidue resonabant in ipsorum linguis. Nam quum res eorum essent nou modo attritæ, sed prorsus afflictæ, multi gemitus, multæ lamentationes audiebantur apud ipsos. Sed interea nemo erat qui longius cogitationem suam extenderet, quam ad sensum malorum. Clamabant omnes se esse miseros: cur autem essent, vel unde prodirent miseriæ illæ, nemo erat sollicitus: imo fugiebant hanc cogitationem. Propheta igitur oblique eos perstringit quum refert carmen lugubre sibi fuisse suggestum à Deo: sed longe aliud quam commune illud lamentationis genus, quum scilicet ululabant Judæi, & subsistebant duntaxat in cæco dolore, neque quærebant cur Deus esset illis tantopere infestus. *Tolle* ergo *lamentationem*, inquit, *ad principes*, vel contra principes *Israël.* Hoc modo non eximit Deus populum à culpa. Tantum significat nou vulgus modo esse perditum, sed ipsum quoque florem populi, & eos omnes qui præditi erant aliqua existimatione. Dicit ergo *matrem eorum accubuisse inter leones.* Alludit ad coitum: quasi diceret genitos esse ex leonibus, sicut ante vidimus fuisse sobolem Chanaan: imo Propheta vocabat Judæam sororem Sodomæ, & Samariæ. Nunc quum dicit *matrem accubuisse inter leones*, significat verecunde fuisse permixtos Gentium corruptelis, ita ut nihil ab ipsis differrent. Atqui Deus ipsos ea lege sibi elegerat in peculium, ut essent separati ab omnibus Gentium sordibus. Fuit ergo hæc quædam abolitio gratiæ Dei, *dum mater populi accubuit inter leones*, hoc est, dum ipsi omnes promiscue asciverunt omnes Gentium corruptelas, & perversos mores. Dicit *educasse catulos*, vel leunculos, quos scilicet ex leonibus susceperat: quia geniti erant ex impuro coitu, nou quod aliunde ducerent originem, quam à filiis Abrahæ, sed quia erant degeneres, ut ante dictum fuit. Postea addit, *quod catulus ille leonis*, vel leunculus, *creverit donec factus esset leo: tunc didicit prædam rapere*, inquit, *& homines vorare* Loquitur quidem de rege Joachas, Josiæ filio: sed ante admonuit totum populum esse leonino ingenio, & principes populi, [2 Reg. 23.] qui eximii erant, esse tanquam catulos. Quod ergo [vers. 30.] unus hic leo in medium profertur, id referri debet [31, 32.] ad violentiam, qua scelestus ille rex prodidit quali esset ingenio. Sed tameu si quæritur unde prodiisset leo ille, nempe ex turba fratrum: omnes autem erant leonum catuli, vel leunculi. Non poterant omnes vel singuli exercere tyrannidem: sed nemo erat qui fratrem suum non voraret: nemo erat qui non addictus esset prædis & rapinis. Tantum Rex quia solutus erat omni metu, potuit præ aliis impune grassari per rapinas, & prædas. Videmus ergo non solum regem hic damnari, sed proponi quasi imaginem totius gentis: quia quum nemo compesceret ejus libidinem, potuit majore licentia prædari, & vorare homines. Postea addit *Gentes audisse, & captum fuisse in earum fovea.* Hic non tantum docet Ezechiel projectum fuisse è regio solio Joachas, & mancipatum Ægyptiis, quia Deus sævitiam ejus perspexerat: sed quia erat etiam perspecta Gentibus, imo famosa inter omnes. Hoc autem modo significat intolerabilem fuisse sævitiam regis Joachas, de quo loquitur, quum vicinæ omnes gentes audita ejus fama, conspiraverint ad eum profligandum: atque ita *captus fuerit in earum fovea, & comprehensus catenis, & abductus in Ægyptum.* Designat ut dixi, Joachas, quem rex Pharao Necho [2 Reg. 23.] captivum abduxit. Nam quum putaret Ægyptios [2 Chr. 36.] alienis bellis distrahi, hac occasione collegit exercitum, & conatus est occupare vicinas quasdam urbes. Pharao autem postquam se explicuit ab aliis negotiis, ingressus est Judæam: & quum non esset Joachas par ad resistendum, captus fuit. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ, nempe quum hæc prima calamitas, imo clades Judæis accidit, tunc juste fuisse castigatos, quia leunculi erant, & ab ipsis exortus erat leo, ut jam tolerabilis non esset ejus crudelitas apud profanas Gentes: hæc est summa. Nunc si expendimus qualis fuerit pater Joachas, hoc erit magis detestabile. Scimus enim, si quis unquam Rex & pietate, & omni genere virtutum excelluit, in illo numero & ordine fuisse Josiam. Quod autem filius tam dissimilis fuit patri, hinc apparet quam perverso fuerit ingenio. neque enim dubium est, quin pater studuerit ipsum instituere in timore & cultu Dei, & formare ad munus regium exercendum. Verum si ad totum populum descendimus, prodigium adhuc erit magis detestabile. Nam scimus quanto fervore zeli Josias incubuerit ad mores populi formandos, ita ut esset quasi novus regni status. Mox populum ita deficere, ut Spiritus sanctus dicat *matrem ipsorum esse leænam, & accubuisse inter leones*, hinc videmus quam prava fuerit illius populi natura. Nunc sequitur,

5. Et vidit quod sperasset, perdita esset (*periisset*) spes ejus: & sumpsit unum ex catulis suis, leonem constituit eum. (*hoc est, educavit, vel extulit eousque dum esset leo. Non possem ulterius progredi.*)

Da omnipotens Deus, quando ita natura sumus omnes depravati, ut non tantum digni simus qui conjiciamur in turbam leonum, sed indigni qui censeamur inter tuas creaturas: ut nobis manum porrigas, & explices admirabilem tuam potentiam in nobis reformandis, & sic renovetur in nobis imago tua, ut quotidie magis ac magis proficiamus in vera pietate, & justitia: donec tandem abolitis omnibus carnis nostræ vitiis, participes simus æternæ ejus gloriæ, quam nobis acquisivit unigenitus Filius tuus, Amen.

PRÆLECTIO QUINQUAGESIMA NONA IN EZECHIELEM.

Heri retulimus sententiam Prophetæ ubi dicit Judæam produxisse alterum leonem postquam captus fuerat prior, & tractus in Ægyptum. Hoc vero referri debet ad regem Jojakim, qui creatus fuit arbitrio regis Nabuchadnezer quum vastasset partem Ægypti, & potitus esset tota Judæa, ac regem constituendo imposuit leges, ut fieri solet à victoribus. Sed quia ille quoque perfide se gessit, abductus est in exilium. Significat igitur Propheta non resipuisse gentem illam ex quo semel castigata fuerat, neque mutasse ingenium, quia mater semper fuit leæna: neque tantum peperit leunculos, sed ita instituit ad rapiendam prædam, ut fierent leones. Dicit igitur *vidisse quod sperasset, & perdita fuisset spes ejus*. Quanquam sunt qui nomen spei putent hic repeti à Propheta, Vidit quod spes ejus perdita esset, perdita spes inquam. Sed rectior est altera lectio, *vidit quod sperasset*, hoc est, vidit quod nihil profecisset sperando post aliquantum temporis, quia manebat sedes regia quasi deserta: *ideo sumpsit alterum ex catulis suis*, inquit, *& constituit illum leonem*. Iterum breviter docet Propheta totam sobolem regiam fuisse similem leunculis. Quanquam ergo solus rex vocatur leo, dicitur tamen sumptus esse ex turba catulorum. Unde sequitur, pravam & crudelem omnium naturam hic notari. Ita videmus oblique perstringi Judæos, quod non redierint ad sanam mentem, quum tamen duriter in eos animadvertisset Deus, quum scilicet captus fuit rex Joachas. Quia igitur ad correctionem nihil profuit pœna illa, sequitur fuisse perditis ingeniis: atque hoc significat Propheta quum dicit *sumpsisse unum ex catulis, & rursum fecisse leonem*. Sequitur,

6. Et incessit in medio leonum, leo fuit, & didicit prædari prædam, (*vel rapere rapinam: quanquam Latinius dicetur rapere prædam*) homines voravit.

Confirmat Ezechiel quod jam breviter attigi, hunc alterum leonem non minus atrocem & sævum fuisse, quam priorem, de quo loqutus erat. Quod dicit *ambulasse inter leones*, significat tyrannice fuisse dominatum, quia tunc fuit in illis regionibus fœda barbaries, ut reges nihil humanum præ se ferrent. Quum ergo ubique tunc reges similes essent leonibus, dicit Propheta Joachim non fuisse illis absimilem, sed fuisse quasi socium. *Ambulavit* ergo *in medio leonum*, inquit, quia imitatus est eorum truculentiam: quod clarius deinde exprimit, *leonem factum esse, didicisse prædari*, ita ut non tantum bruta animalia, sed homines quoque voraret: atque ita notatur extrema crudelitas. Postea adjungit,

7. Et contrivit (*vel afflixit*) palatia ejus, & urbes eorum destruxit, & redacta fuit in solitudinem terra, & plenitudo ejus à voce rugitus illius.

Iterum confirmat quod dixit de sævitia regis Joachim. sed mixtus est sermo, quia retinet partem similitudinis: & tamen simul loquitur sine figura de palatiis & urbibus. Quanquam interpretes in diversam sententiam magis inclinant, quod cognoverit viduas ejus: & si reliqua convenirent hæc expeditior esset lectio. Atqui non video quomodo contexi possint res tam diversæ, quod perdiderit urbes, & cognoverit viduas. Primum coguntur qui ita accipiunt procul accersere alienum commentum, quod scilicet rex Joachim interfecerit viros, quorum postea stupraverit uxores, quia illis non poterat libere potiri donec eas fecisset viduas. Nemo est qui non intelligat hoc nimis remotum esse. Atqui verbum affligendi non male convenit. Et certe Jesaiæ 53. ubi Christus dicitur attritus doloribus, non potest melius exponi. [Jesa. 53. vers. 3.] Sunt qui vertant eum expertum esse dolores, vel qui cognovit dolores, vel cognitum fuisse doloribus: quia passiva est significatio. Porro qui dicunt vidisse dolores, vel expertum fuisse, non considerant quomodo id conveniat. Jam qui dicunt cognitum fuisse doloribus, id est, propter suos dolores, etiam torquent Prophetæ verba. Non dubito igitur quin hoc etiam loco significet affligere. Quantum attinet ad nomen, non dubito quin ל sumatur pro ר: & Jesaiæ 13. ponitur etiam hoc nomen pro palatiis, [Jesa. 13. vers. 22.] Bestiæ sylvestres ululabunt, inquit Propheta, באלמנותיו, hoc est, in palatiis ejus. Hoc non potest trahi ad viduas; & consentiunt omnes sumi pro palatiis. Jam quum sequatur apud Prophetam *destruxisse urbes*, res ipsa certe eo nos adducit, ut priore membro dicamus afflicta fuisse palatia, deinde urbes fuisse destructas: hoc simpliciter pronunciat Propheta, nec loquitur hac in parte figurate, sed paulo post redit ad similitudinem, *quod redacta fuerit terra in vastitatem à voce rugitus*. Iterum leoni comparat regem Joachim: unde sequitur quod jam dixi, mixtum esse Prophetæ sermonem. Alibi etiam Prophetæ exagitant superbiam illius regis. [Jer. 36.] Nam quantumvis esset contemptibilis, tamen sese extulit supra alios reges: ideo ridetur, quod non contentus sit statu & mediocritate patrum suorum qui comederunt & biberunt, hoc est, vixerunt humaniter: [Jer. 22. vers. 15.] ille autem se eximere conetur è numero hominum. Hac de causa nunc Propheta dicit *urbes fuisse ab eo destructas, & palatia fuisse ab eo afflicta*. Est quidem enallage numeri in pronominibus, quia singularis numerus ponitur in palatiis, in urbibus autem pluralis. Sed scimus quam frequenter occurrat hæc mutatio in lingua Hebræa: ideo quoad rem ipsam nulla est ambiguitas; fuisse regem Joachim instar sævæ & trucis bestiæ, *quia urbes destruxit & diruit palatia*. Postea adjungit *terram à voce rugitus ejus fuisse vastam & solitariam*. Hic amplificat Propheta atrocitatem regis illius, quod solo rugitu terram in vastitatem redegerit. Non loquitur de unguibus aut dentibus, sed dicit ita fuisse omnes conterritos ad sonitum rugitus, ut terra

fuerit vastata & solitaria. Addit *plenitudinem terræ*, qua voce Scriptura notare solet quicquid pertinet ad terræ ornatum. Comprehendit igitur nomen plenitudinis tam arbores quam fruges, & simul animalia, adeoque incolas. Nam terra inanis est ac vacua sine illo vestitu, hoc est, si tollantur arbores & fruges, tollantur homines & animalia, facies terræ vasta est ac deformis, & status ipse ostendit inanitatem. Postea sequitur,

8. Et posuerunt (*vel ediderunt, alii passive, constitutæ sunt*) super eum gentes in circuitu, & regionibus: & expanderunt super ipsum rete suum: in fovea ipsarum captus est.

Quia verbum נתן sæpe accipitur pro edere vocem, quidam ita exponunt hoc loco, gentes magno clamore venisse contra regem Joachim: quemadmodum ubi concurritur adversus noxiam bestiam, mutuo sese incitant atque hortantur qui volunt eam aggredi. Sic ergo intelligunt, undique sublatum fuisse clamorem, ut uno consensu irruerent contra regem Joachim. Sed quia idem verbum significat ponere, posset etiam meo judicio, non male accipi de consilio, quod scilicet posuerint consilium, hoc est, ita statuerint inter se, ut eum deprehenderent captivum. Passivus sensus nullo modo convenit. Nunc ergo tenemus quid velit Propheta quum dicit *gentes statuisse contra eum*, hoc est, conspirasse ut illum caperent. Nec dubium est quin adjuti fuerint Chaldæi à vicinis omnibus. Primo scimus Judæos fuisse aliis gentibus exosos: deinde audacia & temeritas hujus regis provocavit multos, ut vel Babylonios accerserent, vel cupide illos juvarent: & quia per se vix audebant movere bellum, alienis auspiciis conspirarent contra regem Joachim. Hoc ergo quantum attinet ad gentes vicinas. De solis Chaldæis non potest hoc intelligi, quia tametsi habebant sub ditione sua alios populos, & Monarchia illa voraverat alteram, ut Assyrii pars essent Chaldaici exercitus: quia tamen de circuitu loquitur Propheta, & dicit undique fuisse conclusum regem Joachim, necesse est hoc adscribi vicinis gentibus, quæ non tantum favebant Babyloniis, sed suis auxiliis & opibus eos juvabant, quemadmodum ex aliis locis satis colligitur. Tandem dicit *expandisse rete suum*, qua metaphora vel consilia intelligit, vel studia & conatus. Nam antequam aperte bellum susciperent vicinæ gentes contra Judæos, minime dubium est, quin occulta consilia agitaverint quomodo possent in suas partes attrahere Chaldæos, & variis artibus se insinuaverint acsi laqueos tenderent. Quanquam per *rete* etiam possumus intelligere quicquid allatum ab ipsis fuit apparatus ad perdendum regem Joachim. In summa dicit fuisse *captum in fovea gentium*, hoc est, fuisse oppressum tam insidiis quam vi aperta. De fovea loquitur, quia facit regem similem leoni. Sed nihil absurdi est si extendamus nomen foveæ etiam ad hostilem violentiam, qua tandem oppressus fuit Joachim. Sequitur,

9. Et posuerunt eum in clausuram, (*vel posuerunt in clausura, aut custodia: vel in carcerem. Vetus interpres, in caveam*) & adduxerunt in catenis ad regem Babylonis, deduxerunt in munitiones, (*hoc est, in carcerem arctum & bene obseratum*) ut non audiatur vox ejus amplius in montibus Israël.

Prosequitur eandem sententiam: dicit regem Joachim posteaquam fuit captus, fuisse constrictum compedibus, vel catenis: postea adjungit fuisse deductum ad regem Babylonium: tertio fuisse conjectum in carcerem. Ostendit igitur quam severe Deus punierit obstinatam malitiam illius gentis. Nam quia castigatus fuerat rex Joachas debuit hoc valere ad correctionem. Quum ergo nihilo melior redditus esset populus, severitas duplicata fuit: & ideo exprimit Ezechiel *fuisse conjectum regem Joachim in munitiones*. Addit, *ne audiatur amplius vox*, hoc est, rugitus *ejus in montibus Israël*. Tametsi enim redactus fuerat in angustias, quia accisum fuerat magna ex parte ejus regnum, non tamen destiterat ferocire. Hanc igitur ejus insolentiam Prophera acriter deridet, quod non desineret clamare & rugire etiam in montibus Israël. Sequitur,

10. Mater tua tanquam vitis in sanguine tuo super aquas plantata fuit: fructifera & ramosa (*vel frondosa, ut alii vertunt*) fuit ob aquas multas.

11. Et fuerint illi virgæ roboris (*id est, robustæ, vel fortes*) ad sceptra dominantium: & elevata fuit statura ejus supra (*id est, superne*) inter ramos, (*hoc est, inter palmites*) & apparuit in altitudine sua, in multitudine ramorum suorum.

12. Et evulsa fuit in furore, (*aut excandescentia*) in terram projecta: & ventus Orientalis arefecit fructum ejus: discerpti sunt, (*vel confracti*) & arefacti: virga robusta, (*virgæ ejus fuerunt confractæ & arefactæ*) ignis voravit eas.

Hic Ezechiel duplicem statum ponit Judæis ante oculos, ut agnoscant se recidisse in extremas miserias, qui Deum ptovocaverint. Neque enim satis reputabant præsentem suum statum, nisi in memoriam reducta fuisset pristina dignitas & felicitas, qua fuerant ornati. Nam quodammodo occalluerant ad omnia mala: quamvis sola fere Hierosolyma restaret incolumis, non tamen remiserant animos: sed perinde lasciviebant atque rebus integris. Quia ergo nondum fuerant humiliati tot cladibus, ideo Propheta ab una parte demonstrat qualis fuerit prima eorum conditio: deinde admonet quorsum reciderint. Hæc igitur comparatio debuit acrius pungere ipsorum animos, ut tandem sentirent, Deum sibi esse infestum. Nunc tenemus consilium Prophetæ cur dicat *matrem populi initio fuisse quasi vitem frondosam & fructiferam*. Quod *vitem* dicit *fuisse plantatam juxta aquas*, non mirum est. Neque enim illic vites requirunt loca excelsa & arida, ut in frigidis regionibus: sed potius succum expetunt ab aquis, ut colligitur ex pluribus testimoniis Scripturæ. Dicit ergo Propheta populum initio fuisse instar vitis quæ in regione amœna & optabili plantata erat. Dicit *vitem illam fuisse frondosam*, vel ramosam, *& fructiferam*, nempe quia succum & humorem trahebat ab aquis. Quantum ad nomen sanguinis spectat, falluntur meo judicio, qui accipiunt pro vigore. Potius metaphorice sumitur pro partu. Dicit igitur *matrem populi in illius sanguine*, hoc est, dum illum peperit. Ita revocat Ezechiel Judæos ad primam suam originem: & antea vidimus nomen sanguinis hoc sensu accipi. Quum ergo *esses in sanguine tuo*, hoc est, quum primum ex utero matris tuæ prodires. Scimus enim fœtus ex utero prodire sanguine aspersos: &

illa

cap. 16. vers. 6. illa metaphora fuit exposita cap. 16. Vive iu sanguine tuo, dicebat Deus, quum scilicet adhuc foedati essent Judæi, quia nondum abstersi erant à sordibus. In summa, sanguis accipitur pro partu: quasi dictum esset, ubi primum editi fuerunt in lucem Judæi, plantatos fuisse ut radicem agerent, quia scilicet Deus ipsos adduxit in terram Chanaan. Hic autem dicit Judæos fuisse in lucem editos, quum Deus ipsos redemit. Omittit autem spatium illud intermedium temporis de quo alibi vidimus: quia ab exitu statim ad introitum descendit. In summa, significat Judæos primo quasi die suæ nativitatis fuisse locatos in terra Chanaan, quæ uberrima erat, ut illic fructus suos proferrent, hoc est, ut feliciter agerent ac fruerentur rerum omnium copia. Nunc etiam tenemus quid verba significent, quum dicit *matrem populi fuisse plantatam super aquas, fuisse frondosam, & fructiferam.* Addit *fuisse ei virgas*, hoc est, palmites, *ad sceptra dominantium*. Qui vertunt cum sceptris dominantium, vel supra sceptra dominantium, non videntur mihi assequuti Prophetæ mentem. Ego itaque non dubito, quin significet ex palmitibus vitis fuisse sceptra collecta, vel potius ipsos palmites fuisse formatos, ut essent quasi sceptra regia. Etsi autem videtur asperior hæc translatio, tamen quoad sensum nihil ambiguum est, quia intelligit Propheta sumptos fuisse reges ex populo illo, quemadmodum ubi decerpitur palmes ex vite: ita Deus reges elegit à Davide usque ad Zedechiam. Hoc sensu dicit *fuisse palmites ad sceptra dominantium.* Postea adjungit *conspicuam fuisse staturam ejus, ipsam fuisse conspectam in sua altitudine, in multitudine etiam palmitum.* Hoc extenditur ad totum corpus populi. Quum fit mentio regis non dubium quidem est, quin gratiam suam Deus commendet erga totum populum, cujus salus & felicitas in regno erat posita, ut alibi visum fuit. Sed clarius exprimit, populum illum sic crevisse, ut copia hominum excelleret, deinde opibus & divitiis. In summa, Propheta docet fuisse omni genere bonorum ornatos Judæos initio: quia illic fulgebant eximia Dei dona, quum scilicet conspicua esset eorum dignitas, deinde opulentia esset densa, quia ponit *multitudinem ramorum*, vel palmitum *cum altitudine*. Jam veniamus ad secundum membrum. Dicit *evulsam fuisse in excandescentia vitem illam, projectam in terra, & arefactam à vento Orientali, ramos ejus fuisse discerptos*, vel confractos, *& arefactos, denique consumptos fuisse igni.* Jam breviter exposui consilium Prophetæ. Quia enim obstupuerant Judæi iu suis malis, neque subacti fuerant, ut suppliciter confugerent ad Dei misericordiam, Propheta illum torporem corrigit, quum ostendit quale fuerit ipsorum principium. Nunc dicit redactos fuisse usque ad extremas miserias, idque quasi subito impetu. Nam mutatio quæ contigit intra exiguum tempus, debuit ipsos magis ad vivum afficere. Si paulatim fuissent imminuti, non fuisset mutatio tam notabilis. Sed ubi quasi fulmine fuit percussa hæc vitis, fuit evulsa, arefacta, combosta: illa momentanea clades, ut jam dixi, ostendit uou fuisse fortuito illud factum, sed manifesta Dei iracundia. Hac ratione dicit *violenter evulsam fuisse vitem, & projectam in terra.* Si paulatim siccata fuisset vitis, non fuisset adeo mirum: sed evulsio tam subita debuit ipsos commonefacere de maledictione Dei, ad quam obtorpuerant. Hæc ratio est cur Propheta plures similitudines simul accumulet. Poterat sufficere evulsio: sed addit *projectam fuisse in terra*, nempe ut prorsus exaresceret. Adjungit *ventum Orientalem*, qui corrumpit tam fruges quam arbores, ut satis patet ex pluribus locis: neque id solum, sed dicit *confractos fuisse ramos*, vel discerptos, *& arefactos:* postremo *consumptos fuisse igne.* In summa, apparuit quasi visibilis Dei manus iu illa horribili clade populi, quod simul & evulsus & discerptus fuerit, & arefactus & exustus. Sequitur,

13. Et nunc plantata est in deserto, in terra siccitatis & sitis. (*hoc est, arida & siticulosa.*)

Videtur Propheta secum pugnare, quia aperte inter se dissident hæc membra, vitem fuisse non modo arefactam, sed igne consumptam: deinde plantatam in loco deserto. Si enim exaruerat, non potuit iterum colligere radicem: sed incendium magis etiamnum spem omnem abstulerat. Si ergo sarmenta in cineres redacta erant, quis unquam vidit vitem oriri & crescere ex cineribus? Sed quum dixit Propheta vitem fuisse *arefactam & exustam*, respexit quid ex ruina qua semel pessundata urbs fuerat, homines sensu suo possent comprehendere. Nam fuit certe horribile illud spectaculum, ubi rege capto tributarius factus est populus, Templum expilatum, urbs direpta, & eorum incolumitas à libidine victoris penderet. Quum ergo neque ulla dignitas, neque regium nomen, neque libera & secura vitæ conditio maneret: præsertim vero, quia prope ad carnificinam adducti erant, nonne hæc ruina prorsus similis fuit incendio? Nunc ergo videmus cur Propheta dixerit vitem fuisse evulsam & combustam, nempe respectu gravissimæ illius cladis, quæ spem omnem restitutionis ad breve tempus abstulerat. Loquuts est itaque ex communi hominum sensu: deinde respexit formam illam horribilis ruinæ, vel potius deformitatem, quæ erat quasi consumptio, & ultimus interitus populi. Nunc autem quum dicit vitem rursus fuisse plantatam, commendat misericordiam Dei, quod adhuc superesse voluerit aliquod semen, quasi excerperet aliquas plantulas: sicut dicitur Je-
Jesa. 1:9. saiæ primo, Ne similes essent Sodomæ & Gomorrhæ mirabiliter servatum fuisse exiguum aliquod semen. Quanquam ergo exustus quodammodo erat populus post violentam evulsionem, ubi superbissimi victoris arbitrio subjecta fuit omnium vita: tamen Deus desumpsit aliquos surculos, vel palmites quos plantavit, ut deinde uovam gentem propagaret, quemadmodum factum est in reditu populi. Sed dicit *plantatos fuisse in deserto illos palmites, in terra arida & siticulosa*, nempe quia Deus reliquias populi quasi in morte servavit. Ideo comparat exilium ipsorum deserto & vastitati. Videri quidem posset absurdum primo intuitu, Chaldæam hic couferri deserto, quæ regio, ut scimus, nobilissima fuit & fertilitate, & aliis dotibus. Scimus etiam fuisse irriguam, atqui vocatur arida. Verum, Propheta hic uon considerat qualis natura fuerit terræ, sed qualis fuerit illic populi conditio. Quamvis ergo amœnissima fuerit Chaldæa, & referta omni frugum genere: tamen quia serviliter illic oppressus fuit populus, & contumeliose habitus: ideo terra illa vocatur deserta. Dicimus nullum esse pulchrum carcerem: ita etiam exilium illud non potuit filiis Israël uon esse deforme. Pudebat enim ipsos suæ vitæ, ita ut vix sursum oculos attollere auderent. Quum ergo ita essent demersi in profunda malorum abysso, terra illa fuit illis desertum: deinde nullus fuit splendor, nulla dignitas, nulla opulentia: & libertas, quæ est bonum in primis optabile, illis erepta erat. Nunc ergo tenemus sensum verborum. Sequitur tandem,

14. Et egressus est ignis à virga ramorum ejus, fructum ejus voravit, (*vel consumpsit*) & non fuit in ea virga fortitudinis, (*hoc est, fortis*) sceptrum ad dominandum. Lamentatio hæc, & erit in lamentationem.

Hic Propheta ad clausulam malorum descendit, quum scilicet Zedechias tractus fuit in exilium: & ita abolitus fuit status populi. Jam ante plantaverat Deus vitem illam, hoc est, aliquos palmites in loco deserto, quia primum quatuor Tribus, postea septem reliquæ fuerant abductæ: postremo magna pars Tribus Jehudah: sed quod exiguum restabat una cum Zedechia rege tandem periit. Dicit igitur *ignem fuisse egressum è palmitibus*: ita ostendit cladem ultimam non aliunde profectam esse quam ab ipso populo: ac ne proferrent in medium solitas querimonias. Propheta occurrit, ipsos fuisse consumptos igne intestino, hoc est, cladem ipsorum non posse adscribi Chaldæis victoribus, sed ipsis, quia sua perfidia rex Zedechias iterum accendit contra se regem Babylonium. Poterat enim quietus degere in suo regno: sed non temperavit sibi quin jugum abjiceret. Hac igitur de causa armavit contra se regem Babylonium, quod esset fœdifragus. Et ita Propheta non abs re dicit *egressum fuisse ignem è virgula una*, vel ab uno surculo ramorum ejus: & *hinc consumptum fuisse fructum totius vitis*, hoc est, quod adhuc restabat fuisse perditum culpa illius regis perfidi. Jam addit, *non fuisse sceptrum ad dominandum inter virgas*. Hinc apparet, expositionem quam attuli, optime quadrare, & esse prorsus genuinam. Dicebat illic virgas fuisse ad sceptrum dominantium: hic autem dicit non fuisse inter virgas illius sceptrum ad dominandum. Quod postremo sequitur cras expediemus.

Da omnipotens Deus, quando semel dignatus es nos inserere in corpus Filii tui, ita ut essemus palmites vitis, quam suscepisti colendam: ut virtute Spiritus tui sic irrigemur, ne unquam diffluat spiritualis ille vigor: & ita fructificemus in gloriam nominis tui, ut tandem perveniamus ad fructum fidei nostræ quum potiemur cælesti gloria, ad quam nos adoptasti in eodem Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA IN EZECHIELEM.

HEri tempus non permisit exponere verba quæ sunt in fine capitis decimi noni, *Lamentatio hæc, & erit in lamentationem.* Quidam existimant hoc dici de populo Judaico, imo de toto Israële, quod scilicet futuri sint lamentabiles, quia Deus non desinet in ipsos sua judicia exercere, donec penitus eos consumpserit. Sed malo referre ad prophetiam: & rectior est hic sensus, *Lamentatio hæc.* ita significat Propheta vaticinium hoc triste & luctuosum esse, quia continet ultimam cladem populi. Secundo adjungit, *fore in lamentationem*, quia suggeret materiam lugendi, ut solent insignes miseriæ magis celebrari. Si quid enim usitatum contingat, paulo post effluit ex hominum memoria. Sed si qua insignis clades & memoratu digna contigerit, vulgatur passim, imo in posterum quoque suppeditat materiam carminibus. Significat igitur Propheta non modo vaticinium hoc esse lugubre, sed fore ut vindicta Dei volitet in ore omnium, quia erit rarum exemplum & memorabile. Nunc venio ad vigesimum caput.

Cap. XX.

ET fuit anno septimo, quinto mense, decimo mensis venerunt viri è Senioribus Israël ad consulendum Jehovam: & sederunt coram facie mea. (*vel coram me.*)

Hic non refert visionem aliquam, sed narrat quod reipsa contigerat. Est igitur simplex narratio historiæ, quod ex Senioribus Israël quidam fuerint delecti ad ipsum interrogandum. Scimus enim id fuisse usu receptum: & quum Deus populum suum à profanis gentibus discernit, opponit Prophetas suos Ariolis, & Magis, & Aruspicibus, & Astrologis. Dicit enim gentes variis modis inquirere quid expediat, & ita interrogare suos deos: sed se unam rationem præscribere electo populo, ut contentus sit Prophetis, Suscitabo illis Prophetam è medio fratrum suo-
Deut. 18. rum, inquit Moses, hoc est, non opus erit vagari
vers. 18. quemadmodum miseræ gentes destitutæ consilio nunc feruntur ad suos Ariolos, nunc ad Magos, nunc ad Astrologos: nullus denique illis est finis: sed tibi occurram, inquit, per Prophetas meos, qui semper aliqui erunt in populo. Hoc sensu dicit Ezechiel *venisse Seniores Israël ad consulendum Deum.* Verbum דרש significat proprie quærere, sed hic accipitur pro consulere, vel sciscitari, quemadmodum pluribus aliis locis. Jam mirum non est quod Seniores etiam publico consensu venerint ad Prophetam. Israëlitæ enim jam longo tædio confecti erant, & putabant se fere contabuisse ob diuturnum exilium. Sed alia etiam fuit ratio, quoniam falsi Prophetæ, ut vidimus, titillabant aures simplicium: ita quotidie nova aliqua spes ipsis offerebatur. Quum ergo agitarentur inter spem & metum, & diabolus spargeret falsa vaticinia, quæ distraherent vulgi animos: ideo probabile est venisse Seniores Israël, & fuisse missos, ut inquirerent de prospero vel tristi eventu suæ captivitatis. Veniunt igitur ad Prophetam. Dicit hoc *fuisse factum anno septimo*, nempe post captum Joachim vel Jechoniam. Numerarunt enim annos ab illa mutatione: & merito. Nam debuit tam insignis Dei vindicta assidue in memoriam revocari. Quanquam altera etiam ratio fuit, quod Deus spem aliquam restitutionis dabat. Supputatio igitur annorum quam sumebant Israelitæ ab exilio regis Joachim, habuit duplicem usum & finem, primo ut judicium illud Dei maneret defixum in eorum animis: rursum ut bona spe nihilominus recrearent suos animos. Ergo quoties annum primum vel secundum numerabant, perinde erat acsi subjicerent ante suos oculos cladem illam, qua Deus testatus fuerat se graviter fuisse offensum. Sed ab altera parte erigere debebant animos in bonam spem: quia si prorsus deletum fuisset regnum, & nulla fuisset addita promissio, quæ levaret eorum tristitiam, supputatio erat supervacua, ut in rebus desperatis non numeramus annos: sed quum præfixi essent septuaginta anni, hoc modo alebant & fovebant spem suam, quia memoriam renovarent suæ
liberationis, quæ ipsis promissa fuerat per os Jere- Jere. 25.
miæ. Nunc ergo tenemus cur simpliciter vocet *an- v. 12. 13.
num septimum*. Diem quoque & mensem designat. & 29: 10.
Jam loquutio illa, quam notavi, continet utilem doctrinam, *quod scilicet venerint Seniores Israël ad Deum rogandum, & sederint coram Propheta.* Videmus ergo quantum ad externam formam spectat, sequutos esse
quod Deus præceperat Lege sua, Ne dicas, Quis Deut. 30.
ascendet supra nubes? quis descendet in abyssos? vers. 12.
quis trajiciet mare? Prope est sermo in ore tuo, & 13. 14.
in corde tuo. Quoniam ergo Deus quodammodo Rom. 10.
sistebat v. 6. 7, 8.

sistebat se in medio quoties Spiritu prophetico instruxit servos suos, ideo dum veniunt Seniores Israël ad Prophetam, dicuntur venire ad Deum ipsum, quia nolebat Deus proferre sua oracula è cælo, neque per Angelos: sed destinaverat servum suum qui loqueretur, & suggesserat etiam quid diceret. Hinc colligimus, fidem nostram non recte fundatam esse, nisi ubi ad solum Deum attenti sumus, quia solus meretur audientiam, & sibi vendicat. Cæterum simul notandum est, fidem conjunctam esse cum humilitate, & modestia. Ergo si quis nubes transcendere appetat quum vult sciscitari quid respondeat Deus, ille procul ab eo discedit: quanquam simulet se velle accedere. Hæc igitur mediocritas servanda est, ut fides nostra acquiescat in auctoritate unius Dei, neque feratur huc & illuc hominum arbitrio: & tamen non gravetur Deum per servos suos loquentem audire, sed placide se subjiciat Prophetis. Nunc sequitur,

2. Et fuit sermo Jehovæ ad me, dicendo,

3. Fili hominis, loquere ad Seniores Israël, & dic illis, Sic dicit Dominator Jehovah, An ad quærendum me (*hoc est, consulendum me*) venistis? Vivo ego si quærar à vobis, dicit Dominator Jehovah.

Hic Propheta jubetur increpare Seniores illos, quanquam simulabant taram pietatem quum ipsum interrogarent: dicit Deus illos non venisse recto animo. Multi aliter vertunt, nempe si inveniar, vel si exoter à vobis, vel si respondeam: ita verbum דרש accipiunt dupliciter, priore loco pro quærere vel interrogare: ubi autem additur, Vivo ego si דרש, non accipiunt hic pro quæri vel interrogari, sed pro respondere vel exotari. Sed videtur illud longe petitum: & cap. 14. locus fuit expositus non absimilis:
vers. 3.
& inde etiam colligere licet, Deum hic potius invehi in hypocrisin populi, quam illos repudiare, & negare se responsurum. Illic dicebat Propheta venisse Seniores ad ipsum consulendum acsi essent optimi discipuli: sed quia fallaci illo prætextu decipi poterat Ezechiel, occurrit Deus, & dicit, putasne illos venire ut interrogent? Atqui defixi sunt in suis idolis. Nam adjiciunt cor ad illa: deinde oculos tollunt ad suas abominationes. Vivo ego si quærant me, inquit, hoc est, facile est ipsos convincere malæ fidei dum veniunt supplices ad re interrogandum. Nam si vere & ex animo me quærerent, renunciarent suis idolis, nihil amplius esset illis commune cum suis abominationibus. Atqui non resipiscunt, sed manent obstinati in suis abominationibus. Certum est igitur ipsos nihil adferre sincerum: ideo non est cur ipsos moreris, vel te erga illos occupes, quia mera est simulatio quicquid agunt. Sic etiam hoc loco Deus per Prophetam suum pronunciat, *an venistis ad me quærendum?* hoc est, ad me consulendum? *Non quæror à vobis*, inquit: ratio est, quia ut visum fuit cap. 14. manebant semper iidem. Quum ergo alienissimi essent à Deo, quum manerent impliciti suis abominationibus, non fuit hoc Deum quærere, nisi per fallaciam. Summa est, Deum illos repudiare, quia utcunque obtendant sanctum zelum, sunt tamen animo perverso. Hinc fit ergo, ut Deus recuset erga ipsos defungi magistri officio, quia non veniunt ad discendum: hoc unum est. Dicit ergo, *si quærar à vobis*. Et quia hypocrisis eorum fucata erat variis coloribus, Deus jurat eos perverso esse animo, neque venire pio & sancto affectu, non esse dociles, nec morigeros: denique nullum esse in illis proficiendi studium: ideoque esse indignos, quibus se magistrum præbeat. Nunc pergamus.

4. An judicabis eos? an judicabis eos, fili hominis? abominationes patrum ipsorum indica (*vel expone*) illis.

Optime fluit contextus si sensum illum amplectimur, quod Deus juret non venisse Israëlitas, ut se subjicerent ejus Prophetæ, & modeste paterentur se doceri. Si ergo sensus ille placet, jam optime infertur, *an judicabis eos?* hoc est, an impendes illis tuam operam, ut eos coarguas? Significat enim potius abigendos esse quam docendos: quemadmodum
Matth. 7. vers. 6.
etiam Christus dicit, Ne projiciatis margaritas ante porcos. Et scimus quid pronunciet Deus, Non litigabit Spiritus meus cum homine, quia caro est:
Genes. 6. vers. 3.
significat jam non opus esse ulla disceptatione, quia nullus esset modus. Sic etiam hoc loco, quia negotium erat Prophetæ cum hominibus præfractis, & qui neque sanis consiliis morem gererent, neque ullis admonitionibus parerent, neque etiam ulla objurgatione frangerentur, ideo addit *an judicabis eos?* Quidam frigide imo insulse exponunt tolli judicandi partes, quia Deus potius velit ipsos vocari ad resipiscentiam quam damnari. Sed hic *judicare* comprehendit in se omnes objurgationes & minas. In summa, quoniam fallaciter agebant, & nihil minus erat illis propositum, quam Deo se subjicere, ideo hac amarulentia utitur, Quid? An sunt digni quos tu judices? hoc est, quibuscum litiges? Officium enim Prophetæ est coarguere eos qui peccarunt, minari, citare ad Dei tribunal. Deus ergo indignos esse pronunciat tali disceptatione, quia non tantum surdi sunt, sed etiam perdita obstinatione indurati. Nunc ergo tenemus sensum verborum, *judicabisne ipsos? judicabisne?* Repetitio emphatica est, ut magis exprimat Deus perviciaciam illius desperati populi. Postea addit, *Si ita fiat, ergo ostende illis abominationes patrum ipsorum*. Deus hic mitigat illam asperitatem, qua usus fuit, & per modum correctionis descendit ad rationem illam, nempe ut adhuc semel experiatur sintne sanabiles. Si ergo judicandi sint, hoc est, si placeat ingredi in aliquam disputationem, & ipsos coarguere, exordium, inquit, facere oportet non ab ipsis, sed ab ipsorum patribus. Vult ergo Deus ipsos judicari non tantum ob paucorum annorum scelera, sed quia antequam nati fuerint, jam patres ipsorum pertinaciter defixi fuerant in suis abominationibus. In summa, Deus ostendit ulcus profundum esse, & ideo non posse curari, nisi probe examinetur occultum virus, quod alioqui putredinem gigneret, ex qua tandem nasceretur inflammatio. Nam multi existimant se probe defunctos quum leviter pupugerint vulnera. Atqui interdum opus est usque ad intimas partes penetrare, sicuti hic populus non tantum leviter vel exiguo tempore provocaverat iram Dei, sed impietas grassata fuerat jam aliquot seculis, & scelera quodammodo hæreditaria illic erant. Quum ergo esset occultum virus, nec posset facile, aut levi remedio curari, ideo jubet Deus exordium fieri ab ipsorum patribus. *Abominationes* ergo *patrum ostende illis*. Sequitur,

5. Et dices illis, Sic dicit Dominator Jehovah, Die quo elegi Israëlem, & sustuli manum meam ad semen domus Jacob, & cognitus fui illis in terra Ægypti, & sustuli manum meam illis, dicendo, Ego Jehovah Deus vester:

 6. Die

6. Die illo sustuli manum meam ad ipsos, ut educerem eos è terra Ægypti in terram quam prospexi illis fluentem lacte & melle, desiderium (*hoc est, quæ est desiderium, vel quæ est desiderabilis*) præ omnibus terris.

7. Et dixi illis, Quisque spurcitias oculorum suorum projicite, & in idolis (*quanquam significat etiam fœditatem, vel inquinamenta*) Ægypti ne polluamini: ego Jehovah Deus vester.

8. Et rebelles fuerunt mihi, & noluerunt audire me, *& quæ sequuntur.*

Confirmat Deus quod nuper dixi, Judæos scilicet non esse objurgandos, quia nuper cœperint peccare. Neque enim satis fuisset, recentes offensas proferre in medium: sed jubet Deus incipere à patribus: quasi diceret ab initio gentem illam fuisse perditam,
Actor. 7. vers. 51. sicuti illis exprobrat Stephanus, Incircumcisi corde, vos adhuc resistitis Spiritui sancto, sicuti semper fecerunt patres vestri. Et Christus similiter prius dixe-
Mat. 23. vers. 32. rat, Implete mensuram patrum vestrorum. Scimus etiam quam frequenter occurrat apud Prophetas ejusmodi objurgatio. Dicit igitur Deus, ex quo elegit semen Israël, se expertum fuisse quanta esset tum improbitas, tum pervicacia illius populi. Nam dicit non errore vel inscitia fuisse abstractos, sed quia noluerint audire, quum scilicet illos satis superque admonuerit quid opus esset factu. Tria igitur hic notanda sunt, nempe populum illum obstrictum fuisse Deo, quod gratis esset adoptatus. Deus enim hic gratuitam suam electionem commendat una cum singularibus beneficiis, quibus dignatus fuerat populum illum, hoc unum est. Alterum vero, quod non tantum eos semel assumpserit, sed ostenderit quid rectum esset, ut errare non possent nisi scientes & volentes, hoc est secundum: inde tertium colligit, fuisse igitur data opera rebelles, quia noluerint audire. Nam si relicti fuissent quasi in bivio, erat excusabilis eorum error, si deflexissent ad sinistram relicta dextra. Verum ubi Deus Lege sua ita prælucet, ut ad scopum usque eos dirigere paratus sit, ipsi autem alio se convertant, hinc palam detegitur eorum pervicacia & rebellio. Hæc summa est. Nunc quantum ad verba spectat, dicit *se elegisse Israëlem*. Electio autem, ut jam breviter attigi, opponitur omnibus meritis. Nam si quid repertum fuisset in populo illo, cur præferendus esset reliquis, improprie hic Deus assereret se elegisse. Sed quum par
Deut. 32. v. 8, 9. esset omnium conditio, sicuti Moses in Cantico suo dicit, locus fuit Dei gratiæ, dum illos sponte ab aliis segregavit. Erant enim ex aliorum numero: nec ullum discrimen Deus in ipsis reperit. Videmus ergo sanctius fuisse Deo obstrictos, quando ita eos sibi gratis devinxerat. Jam adjungit *se levasse manum ad semen Jacob*. Levatio manus hic varie accipi videtur. Nam quum esset solennis jurandi ritus, aliquando Deus dicitur levare manum, ubi jurat. Est quidem illud durum, quia levatio manus in Deum non competit. Levamus enim manus sursum, acsi advocaremus Deum testem. Deus autem per seipsum jurat, nec potest etiam supra seipsum assurgere. Sed scimus eum mutuari loquendi formas ex communi hominum more: ideo nihil absurdi est in hac loquutione, *quod levaverit manum*, id est, juraverit. Ergo si ita exponere libeat, fuit hæc confirmatio fœderis, quum Deus interposito jurejurando pollicitus est se fore Deum Israelis. Sed quia paulo post adjungit *se fuisse cognitum*, quod refertur ad beneficia quæ contulit in populum illum, non male conveniet alter sensus. Et certe notatur experimentalis cognitio quum Deus reipsa probavit se veracem esse: deinde illustravit suam potentiam in servando populo. Ideo dixi levare manum varie accipi in hoc capite, quia si conjunctim legimus duo hæc membra, *levavi manum ad semen domus Jacob, & cognitus fui illis*, certe levatio manus tantundem valebit atque ostensio potentiæ. Id quoque per similitudinem dictum est. Sed paulo post levare manum aliter non potest accipi, quam pro jurare catachristicωs, ut dixi: sed ta- vers. 15.
men ut nulla sit absurditas. *Levavi* ergo *manum ad semen domus Jacob, dicendo, Ego Jehovah Deus vester.* Videmus ergo Deum levasse manum, ut sanciret apud populum fœdus quod pepigerat. Nam ubi pronunciat se esse ipsorum Deum astringit eos sibi, & vendicat sibi in populum peculiarem: ita pactum suum confirmat. Sed extulerat simul manum vel brachium tot miraculis, quæ edidit in liberando populo. Dicit, *Die illa extuli manum meam ipsis*, vel erga ipsos, *ut educerem*. Iterum levare manum refertur ad ipsam Dei potentiam, quod scilicet extento brachio ipsos eduxerit ab illa misera servitute. Quum ergo ita manum extulit, sibi eos acquisivit, ut non amplius essent liberi, sed essent quasi ejus peculium. Postea adjungit alia beneficia, quod non tantum ipsos eripuerit è tyrannide Pharaonis, *sed adduxerit in terram fluentem lacte & melle, quam prospexerat ipsis.* Videmus ut breviter amplificet Deus illud insigne beneficium, quo populum suum dignatus fuerat. Neque enim tantum fuit ejus redemptor, sed prospexit illi ubi habitaret, non tantum commode, sed ubi afflueret omnis copia. Nam loquutio hæc passim trita est apud Mosen. *In illo* igitur *eodem die quo eduxi eos ex Ægypto, simul adduxi in terram quæ est desiderium cunctis terris*, hoc est, quæ desiderabilis est, & excellit omnibus deliciis supra omnes terras. Verum quidem est, alias regiones fuisse non minus fœcundas: sed Deus ubi ita extollit terram Chanaan, considerat eam vestitam & ornatam suis dotibus. Atqui nulla erat sub cælo regio, quæ posset conferri terræ Chanaan una in re, quod scilicet Deus eam sibi elegerat quasi domicilium terrestre. Quum ergo terra Chanaan excelluerit supra omnes alias, hoc respectu, merito vocatur desiderium omnium terrarum, vel desiderabilis præ terris omnibus. Nunc sequitur alterum membrum, quod scilicet Deus instituerit Judæos ad pietatem, & retraxerit ab omnibus idololatriis quibus fuerant dediti. Præcessit igitur doctrina quæ rectam salutis viam ipsis ostenderet, & ipsos revocaret à superstitionibus. Summa est, Deum ubi populum illum acquisivit, simul etiam dedisse pie vivendi regulam, ne huc & illuc diverteret, sed haberet scopum, ad quem posset dirigere totum vitæ suæ cursum. *Dixi* igitur *illis, Quisque.* Videtur hoc esse magis emphaticum, quam si omnes promiscue & generaliter fuisset alloquutus: sed debuit familiaris hæc invitatio magis penetrare in eorum animos quum diceret *quisque*, ad verbum est Vir, sed perinde est acsi diceret, quisque vestrum abjiciat suas abominationes, *& ne amplius se polluat in idolis Ægypti.* Ubi ergo Deus ita sibi eos addixit, simul ostendit se non posse ab ipsis rite coli, nisi omnibus idololatriis valere jussis, quo vitam suam tantum formarent ad Legis regulam. Spurcitias aut idola oculorum vocat, quibus alliciebantur. Scimus autem Prophetas sæpe ita loqui, incredulos respicere ad sua idola. Perinde igitur est, acsi Deus ipsos revocaret ab omnibus Satanæ præstigiis, quibus antea illecti fuerant, & nimium addicti quasi haberent oculos illuc defixos. Nominatim loquitur de idolis Ægypti: unde facile patet, ipsos fuisse corruptos pravis cupiditatibus, ut magna ex parte colerent fictitios deos Ægypti. Sciebant tamen se electos fuisse à vero Deo, & gloriabantur Circumcisione acsi esset symbolum divortii à cunctis gentibus.

bus. Quum ergo vellent ab una parte censeri eximii, postea se prostituebant, ita ut nihil differrent ab Ægyptiis. Videmus ergo studium pietatis fuisse quasi suffocatum in eorum cordibus, quum ita se contaminassent in superstitionibus Ægypti. Quo autem eos melius retineat simul dicit *se esse illorum Deum*. Nam absque hoc principio semper homines rapientur huc & illuc. Scimus enim nos esse vaniores ipsa vanitate. Proinde diabolus reperiet semper nos obnoxios suis fallaciis, nisi Deus nos contineat in officio, dum nobis apparet, & ostendit se unicum esse Deum. Videmus ergo hoc remedium necessarium esse, ne homines diffluant in idololatrias, nempe ut sciant quisnam sit verus Deus. Postea sequetur tertium membrum, sed suo tempore explicabimus.

Da omnipotens Deus, quando nobis semel manum porrexisti per Filium tuum unigenitum, neque tantum jurejurando te nobis obstrinxisti, sed etiam obsignasti æternum tuum fœdus ejusdem Filii tui sanguine, ut vicissim simus tibi fideles, & perseveremus in puro nominis tui cultu, donec tandem potiamur fructu nostræ fidei in regno tuo cælesti per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA PRIMA

IN

E Z E C H I E L E M.

Postrema lectione cœpi exponere versum octavum, ubi conqueritur Deus se fuisse exacerbatum à filiis Israël, quum cœpisset illis manum porrigere ad eos liberandos. Dicit ergo gratiam suam tunc fuisse ab illis repudiatam. Simul autem videmus illis eripi omnem prætextum ignorantiæ, quia nisi Moses eos hortatus esset ad bene sperandum, obtendere promptum erat se fuisse jam duobus seculis ita derelictos, ut frustra quicquam auxilii à Deo sperarent. Sed quia Moses testis fuit redemptionis, inde magis convicta fuit eorum ingratitudo, quod noluerint amplecti nuncium illum quem tamen tantopere expetiverant. Neque enim frustra narrat Moses sæpius clamasse in suis malis. Quamvis autem turbulentus esset eorum clamor, minime tamen dubium est, quin illis in memoriam venerit quod audierant ex suis patribus, instare scilicet finem malorum quibus præfixum erat à Deo tempus. Sed plus hoc loco exprimitur, quam Moses narrat, qui simpliciter dicit, quia videbant secum asperius agi, fastidio fuisse quasi fractos: hinc illæ
Exod. 5. vers. 21. expostulationes, Fecistis coram Pharaone fœtere nomen nostrum, judicet Dominus inter nos & vos: facessite hinc à nobis. Non ergo diserte colligimus ex Mose, Deo fuisse rebelles, quod idola & superstitiones non abjecerint, sed probabilis conjectura est semper fuisse defixos in suis sordibus, ut quodammodo repellerent Dei manum, ne ipsis succurreret. Et certe si promptis animis amplexi essent quod Moses Dei nomine illis pollicebatur, promptior etiam fuisset & celerior exequutio. Sed colligere licet obstaculo fuisse eorum socordiam, ne protinus manum suam Deus exereret, & reipsa compleret quod pollicitus fuerat. Oportuit quidem Deum confligere cum Pharaone, ut illustrior esset ejus potentia: sed populus non ita tyrannice fuisset afflictus, nisi quod januam claudebat Dei misericordiæ. Erant enim, ut dictum fuit, in suis inquinamentis demersi, à quibus Deus volebat ipsos retrahere. Nunc accusat eorum ingratitudinem, *quod non abjecerint sua idola*, sed perstiterint obstinate in solitis & usitatis superstitionibus. Loquitur autem de tempore quo adhuc captivi erant in Ægypto. Et hic locus satis docet, quum permixti essent Ægyptiis, simul fuisse infectos & pollutos eorum superstitionibus. Mira enim est contagio idololatriæ. Nam quia omnes naturaliter ad eam sumus propensi, simulatque exemplum aliquod nobis objicitur, illuc rapimur tanquam violento impetu. Non mirum igitur est, si filii Israël labem contraxerint ex Ægypti superstitionibus, præsertim quum illic degerent tanquam mancipia, & cuperent Ægyptiis gratificari. Nam si liberaliter tractati fuissent, poterant libere suo more vivere. Sed quia non erant sui juris, imo serviliter premebantur, hinc factum est ut pro eorum arbitrio, à quibus se ita calcari videbant, simulaverint se deos Ægyptiacos colere: non quod tantùm simulando deliquerint, sed probabile est metu quoque fuisse adductos, quo jam eos impulerat sua libido. Nam mox liquebit sponte fuisse ad impietatem illam nimis propensos. In summa, hic testatur Ezechiel fuisse Deo rebelles, *quod Deum non audierint abjiciendo idola suorum oculorum*, hoc est, ad quorum cultum nimis erant attenti: *neque dereliquerint idola Ægypti*. Quum autem vocat *idola oculorum*, hinc colligimus quod attigi, non tantum metu & necessitate compulsos fuisse ad idololatriam, sed pravo etiam appetitu. Nisi enim cupide dediti fuissent superstitionibus Ægyptiacis, non vocaret Ezechiel idola oculorum. Ergo hac voce intelligit non tantum ut Ægyptiis obsequerentur fuisse superstitiosos, sed quia sponte etiam illuc tendebant. Cæterum, quum adjungit *idola Ægypti*, subindicat ideo fuisse corruptos, quia degebant sub tyrannide illa, ut multa cogerentur ferre quemadmodum servitus secum fere trahit simulationem. Nunc sequitur, *Et dixi ut effunderem*, hoc est, decrevi effundere. Hic Deus significat se fuisse iracundia accensum, nisi habita nominis sui ratione manum quodammodo retraxisset à vindicta, ad quam paratus & armatus erat. Scimus hoc in Deum proprie non competere, sed translatitiæ sunt loquutiones, quia primo Deus non tangitur iracundia, deinde non decernit quicquam apud se quod postea retractet. Sed quum hæc aliena sint à Deo, per similitudinem sibi accommodat. Quoties autem Spiritus sanctus his loquendi formis utitur, discamus eas potius ad rem referre, quam ad Dei personam. Deus decrevit iram suam effundere, hoc est, ita promeriti erant Israëlitæ suis sceleribus, ut necesse fuerit de illis pœnam exigi. Simpliciter ergo intelligit Propheta maturam fuisse populi iniquitatem, & ideo tempestivam fuisse vindictam Dei, nisi aliunde fuisset retentus. Obstaculum autem jam attigi, quia consuluit nomini suo, *ne profanaretur*. *Decrevi* igitur *effundere excandescentiam meam super eos, ad complendam iracundiam meam in ipsis in medio terræ Ægypti*. Alii vertunt, ad consumendam: sed improprie. verbum כלה significat utrumque tam consumere, quam complere vel perficere. Sed quamvis interdum dicat Deus se consumere omnia tela vel flagella sua in puniendis hominum sceleribus, hic tamen non adeo quadraret transferri ad ipsam iracundiam. Melius itaque conveniet alter sensus, nempe quod *Deus decreverit effundere excandescentiam suam* donec seipsum satiaret. Hic enim, ut dictum est, induit personam hominis irati, qui aliter pacare animum non potest, quam si satiatus fuerit exigendis pœnis. Est autem fere inexplebilis iracundia. Sed Deus in summa hic exprimit tantam fuisse atrocitatem illius sceleris, ut digni fuerint Israëlitæ, in quo-

tum

rum exitium effunderet suam excandescentiam, & impleret omnes iracundiæ suæ numeros, *idque in medio terræ Ægypti*, quia jam satis ostenderant se indignos esse quos redimeret: ideo satius erat illos perdere in medio terræ Ægypti. Sed postea attexit,

9. Et feci propter nomen meum, ne profanaretur in oculis gentium, in quibus ipsi in medio eorum, quibus cognitus fui ipsis in oculis eorum, ad educendum eos è terra Ægypti.

Hic significat Deus una tantum causa se fuisse retentum, ne tam ingratam & sceleratam gentem penitus deleret, nempe quia videbat sacrum suum nomen expositum fore gentium ludibriis. Docet ergo respectu gloriæ suæ potius, quam misericordia se fuisse adductum, ut illis parceret, vel rigorem suum suspenderet ad tempus. Ergo sub verbo *faciendi* hoc totum intelligi debet quod postea clarius explicabitur. Summa est, abstinuisse ab ultima vindicta propter nomen suum, ne profanaretur in gentibus. Quanquam hic pronunciat Deus se potius rationem habuisse sui quam illorum, tamen minime dubium est, quin illis pepercerit, quod videbat non posse aliter conservari quam si illis ignosceret, nempe in tanta duritie & contumacia. Et certe sunt res conjunctæ & fere inseparabiles, gloria Dei & salus Ecclesiæ. Quum de salute Ecclesiæ loquor, non comprehendo eos omnes qui profitentur se esse ejus membra: sed intelligo duntaxat electos. Quoniam vero Deus adoptaverat gentem illam, fieri non poterat quin reliquias incolumes servaret: alioqui excidisset ejus veritas: & ita multo gravius profanatum fuisset ejus nomen. Hinc colligere promptum est, quoties Deus nobis ignoscit, quanquam seipsum respiciat, & velit hoc modo exerere suam clementiam: tamen alteram simul causam veniæ esse, quod nostri misereatur. Sed quum hic dicit se retraxisse à vindicta manum suam, gloriæ suæ respectu, hoc modo magis prosternit superbiam illius gentis: quia quoties eorum misertus fuerat, putabant suæ dignitati & suis meritis aliquid esse concessum. Propheta igitur hic ostendit non alia ratione fuisse ereptos ab interitu quum adhuc manebant in terra Ægypti, nisi quia Dominus nomen suum exponere noluit gentium probris. Dicit autem *in oculis gentium in quibus ipsi erant in medio ipsarum*: ideo non solos Ægyptios respexit, sed alias etiam gentes. Quæritur tamen quo sensu mox subjiciat *se illis fuisse cognitum*. Neque enim adhuc specimen suæ virtutis dederat in aliis gentibus. Miraculis duobus apud ipsos testatus fuerat Mosen fore redemptionis ministrum: postea aggressus est Moses ipsum Pharaonem: illic Deus exeruit signa suæ potentiæ, quæ omnes Ægyptios merito terrerent: sed fama ad alias gentes nondum pervenerat. Verum non debet hæc notitia restringi ad præteritum tempus simpliciter: quod tantum significat Deus se jam cœpisse certis & illustribus documentis testari Mosen fuisse delectum, per cujus manum populum suum vellet redimere. Quoniam ergo Deus jam in medium prodierat cum illis insignibus notis, dicit *se cognitum fuisse illis gentibus*, non quod fama ad eas penetrasset, sed quia eousque progressus erat, ut non posset res esse obscura, quin omnes scirent fuisse edita miracula per manum Mosis, quibus satis patefecerat se velle populum Israëliticum asserere. Nunc ergo tenemus quo sensu dicat Ezechiel *Deum fuisse cognitum*. Quidam relativum hoc sic exponunt, Cognitus fui illis, nempe Israëlitis, in oculis eorum, nempe gentium. Sed sensus ille videtur mihi coactus. Itaque supervacua est vox una, meo judicio, in sermone Prophetæ. Simpliciter enim significat Deum fuisse manifestatum in omnium gentium oculis, *nempe ad eos educendos*. Hæc clausula ostendit qualis fuerit notitiæ species, nempe quia Deus virtutem suam protulerat insignibus miraculis ad populum liberandum. Sequitur, Exod. 4.

10. Et eduxi (*eduxi ergo*) eos è terra Ægypti, & adduxi in desertum.

Postquam docuit Ezechiel dignos fuisse Israëlitas, qui perirent in Ægypto, nisi Deus nomini suo potius quam ipsis pepercisset, jam addit hanc fuisse causam exitus, quod scilicet voluerit gloriæ suæ consulere. Hinc ergo colligimus, Israëlitas falso imaginatos fuisse ullam aliam causam suæ liberationis, quam respectum illum, de quo nunc Propheta loquitur. Hoc autem plus est quam si simpliciter dixisset, gratuita Dei misericordia fuisse ereptos ex tyrannide Ægypti: quia potuit Deus gratis manum ipsis porrigere: & tamen adduci aliquo humanitatis & clementiæ affectu, ut insontes inique afflictos eriperet ex suis miseriis: sed hic excludit etiam quoad ipsos spectat, clementiam Dei, quia indigni erant quos Deus respiceret. Dixi quidem res esse conjunctas, salutem Ecclesiæ, & Dei gloriam: sed simul admonui considerandum esse Prophetæ consilium, quod scilicet velit spoliare superbum illum populum omni confidentia, & ostendere, quantum in ipsis fuit, semper suis obstaculis repulisse Dei gratiam, nisi ipse pro infatigabili sua bonitate eorum malitiam superasset. Sequitur,

11. Et dedi illis decreta mea, (*statuta*) & judicia mea patefeci ipsis, quæ qui fecerit homo vivet in ipsis.

Hic Deus gratiam suam amplificat, quod Legem suam dederit Israëlitis acsi certam vivendi normam illis præscriberet. Si tantum educti fuissent ex Ægypto, illud quidem jam inæstimabile erat beneficium: sed Deus multo fuit largior quum familiariter illos dignatus est regere sua doctrina, ne huc & illuc errarent. Nam hoc modo testatus est se illis fore in Deum. Adjungit promissionem. Nam potuit Deus ex quo populum sibi acquisierat, præcise injungere quicquid vellet: sed sponte se per modum indulgentiæ eo demisit, ut vitam ipsis promitteret. Nunc ergo tenemus quorsum hic fiat promissionis mentio. Nam Deus pro imperio simpliciter potuit dicere, Hoc placet, quemadmodum regum mandata sunt monosyllaba, ut ille inquit. Quod ergo Deus non tantum exegit ab Israëlitis quod jure poterat, sed annexa promissione ipsos blande quodammodo illexit ad obediendi studium, hoc certe plusquam paternæ indulgentiæ fuit. Itaque nunc ingratitudinem populi hac circumstantia exaggerat, quod neque imperio, neque blanditiis adducere potuerit perversa illa & præfracta ingenia, ut jugum subirent. *Dedi* ergo *ipsis statuta mea, & leges meas*: postea, *quæ qui fecerit homo vivet in ipsis*. Ita breviter admonet, per se non stetisse quo minus modis omnibus felices essent Israëlitæ. Nam quum ab illis stipulatus est observationem Legis suæ, vicissim se obstrinxit, ne quid ipsis ad bene ac beate vivendum deesset. Nam vitæ nomine comprehenditur solida felicitas. Hic tamen quæritur quomodo testetur Propheta, *homines victuros in operibus Legis*, quum Lex sit nobis omnibus mortifera, teste Paulo. Sumpsit ex Mose hoc testi- Rom. 4. vers. 15. Deut. 30. vers. 15.

testimonium, & citatur etiam à Paulo in diversum sensum, ut statim dicetur. Moses igitur pronunciat in observatione Legis repositam esse vitam hominibus, hoc est, certo sperandam esse vitam, modo satisfaciamus Legi. Hoc quidam putarunt esse absurdum, ideoque restrinxerunt ad præsentem vitam quod dicitur, *vivet in ipsis*, politice, vel civiliter. Sed illud frigidum adeoque frivolum est commentum. Ratio autem quæ ipsos movit facile diluitur: objiciunt nos Deo omnia debere: nos enim & nostra esse ipsius quasi jure mancipii. Itaque etiamsi Legem centies servemus, non esse tamen dignos tali mercede. Atqui solutio in promptu est, nihil nos mereri, sed Deum se gratis obstringere in hac promissione, quemadmodum jam attigi. Et ex loco facile est elicere, opera non excellere coram Deo, neque æstimari intrinseco pretio, ut loquuntur, sed ex pacto duntaxat. Quoniam autem Deo placuit eousque descendere, ut vitam promitteret hominibus si Legem suam servarent, hoc acceptum ferre oportet ejus liberalitati. Nulla igitur in eo est absurditas, si homines vivant, hoc est, mereantur ex pacto vitam æternam. Sed si quis Legem servet, sequetur non opus habere Christi gratia. Quorsum enim nobis Christus nisi ut in ipso recuperemus vitam? Si autem id esset in nobis positum, non alibi remedium quærendum esset quam in nobis. Posset igitur quisque sibi esse servator, si vita est in observatione Legis. Atqui Paulus hunc nodum solvit quum statuit nobis *Rom. 10. v. 5, 6.* duplicem justitiam, Legis & fidei. Dicit ergo hanc esse justitiam Legis, ut servemus quæ Deus præcepit. Jam quia longe absumus à tali obedientia, imo facultas omnino nos deficit Legis præstandæ: hinc sequitur, confugiendum esse ad justitiam fidei. Definit autem justitiam fidei, si credimus Christum esse mortuum, & resurrexisse propter nostram justitiam. Videmus ergo, quamvis Deus promiserit veteri populo salutem, si modo Legem præstaret: tamen illam promissionem fuisse inutilem, quia nemo potuit Legi satisfacere, & præstare quod Deus jubebat. Hic exoritur alia quæstio. Nam si hæc promissio effectu caruit, frustra Deus imputat Israëlitis quasi beneficium quod videmus frustra illis oblatum fuisse: nulla inde utilitas ad eos pervenire potuit, vel fructus. Fuit igitur fallax quædam imaginatio, diceret quispiam, quum Deus vitam promisit, & nunc per suum Prophetam exprobrat Israëlitis contemptum fuisse tale beneficium. Sed responsio facilis est, quamvis homines non sint præditi virtute præstandæ Legis, tamen nihil decedere propterea Dei bonitati. Defectus enim hominum minime impedit quo minus suam æstimationem retineat tam liberalis ejus promissio: transigit Deus cum hominibus: poterat quemadmodum dictum fuit, imperiose jubere quicquid placeret, exigere etiam summo rigore: sed transigit ex compacto, & ita mutua quædam est obligatio inter ipsum & populum. Nemo certe negabit quin Deus specimen minime spernendum hic exhibeat suæ misericordiæ, quum ita dignatur familiariter pacisci cum hominibus. Ho, sed frustra id totum fit: evanescit Dei promissio, quia nemo est qui ad Legem servandam sit idoneus. fateor: sed defectus hominum, quemadmodum dixi, non potest abolere gloriam bonitatis Dei, quin semper fixum illud maneat, Deum plusquam liberaliter egisse quum ita pacisci voluit cum suo populo. Res igitur simpliciter & per se consideranda nobis est. Jam defectus hominum est aliquid accidentale. Ergo semper illud integrum manebit, quod scilicet Deus ediderit memorabile documentum suæ bonitatis, quum promisit vitam omnibus qui Legem servarent. Jam sequitur,

12. **Atque etiam Sabbatha mea dedi ipsis, ut essent in signum inter me & ipsos, ut cognoscerent quod ego sim (*vel ego sum*) Jehovah, qui ipsos sanctifico.**

Præter Legem hic Deus Sabbatha sua commendat: & tamen scimus fuisse duntaxat partem Legis: imo si quis conferat singula præcepta, reperiet primo intuitu plus ponderis in aliis, quam in quarto. *Exod. 20. v. 3, 4, 7.* Nam quid continet illud præceptum, Ne habeas deos alienos? Neque tibi fabrices idola? postea, *Deut. 5. v. 7, 8, 11.* Ne sumas nomen Dei tui in vanum? Respondeo, Prophetam sumere unum Legis præceptum, quo melius explicet quod jam ante attigimus, nempe Legem datam fuisse Israëlitis, ut magis ac magis suo liberatori obstringerentur. Noluit enim Deus ipsos abjicere postquam redemerat: sed Lege sua testatus est se illis fore totius vitæ ducem. Quanquam altius respexit Propheta, nempe Legem non tantum constare præceptis, sed simul comprehendere gratiam Dei, ex qua pendebat gentis illius adoptio. Nam si Deus simpliciter hoc vel illud juberet, non ita promptum esset, gustum bonitatis ejus percipere: quare? ubi enim nos ad officium præstandum vocat, nemo est qui non sentiat plus oneris sibi imponi quam ferre possit. Etiamsi dulcedine sua nos alliciat illa promissio, Qui fecerit ea vivet in ipsis, tandem deficimus ubi experti sumus nos destitui omni virtute. Sed in Sabbatho Propheta significat aliud fuisse reputandum, nempe ut agnoscerent Israëlitæ se à Deo fuisse segregatos ut illum experirentur patrem in omnibus. Ergo quamvis præcepta Legis alioqui possint esse insipida, præceptum tamen quartum quia promissionem gratuitam in se continet, habet alium saporem, quod scilicet populus illic agnoscit se electum fuisse à Deo in gentem peculiarem: & hoc Propheta satis exprimit *sanctificandi* verbo. Significat quidem populum illum segregatum fuisse à profanis gentibus, ut esset Dei peculium & hæreditas. Si quis ergo uno verbo reddere vellet, sanctificare erit segregare. Sed jam expendi debet segregandi ratio. Quomodo igitur segregavit Deus certum populum à toto orbe? Nempe quia Abrahæ pollicitus est, se fore in Deum ejus seminis: deinde quia non potest aliter esse Deus, *Gen. 17. vers. 7.* quin gratis electos suos diligat, quin regeneret eos suo Spiritu, quin illis sit propitius & exorabilis: denique non potest populus unus ab aliis segregari absque mediatore. Nam segregatio non potest stare nisi populus ille Deo conjunctus sit. Quod autem erit conjunctionis illius vinculum absque mediatore? Nunc ergo tenemus cur Propheta de Sabbatho loquatur, quum tamen commendaverit prius totam Legem, cujus pars erat Sabbathum, nempe quia illic fulgebat gratuita Dei adoptio: & simul cognoscere poterant Israëlitæ sibi patere ad Deum accessum, illum fore placabilem: deinde non frustra se fuisse adoptatos, sed petendum esse à Deo, ut eos renovaret suo Spiritu, & toto vitæ cursu eos regeret. Fuit igitur hæc summa ingratitudo, violare Sabbatha, quemadmodum paulo post dicetur. Hic autem locus docet Deum non fuisse oblectatum quiete vel otio populi quum jussit feriari septimo die: sed alium finem fuisse spectatum. Unde colligimus præceptum illud fuisse umbratile. Sunt enim quæ per se Deo placent, & præstanda sunt: alia vero tendunt in diversum finem. Nam Deum unum colere, abominari idola, reverenter etiam sumere Dei nomen, hæc per se ut dixi, & simpliciter sunt pietatis officia: sicuti honor quem filii exhibent parentibus, officium est Deo per se gratum: castitas, abstinentia, & alia ejusmodi. Sed Sabbathum non simpliciter nec per se Deo placuit. Debemus ergo in alium finem respicere, si volumus tenere veram rationem hujus præcepti. Et ideo dicit Paulus, Sab- *Coloss. 2. v. 16, 17.*

batha

batha fuisse inter umbras earum rerum, quarum corpus est in Christo. Hoc igitur unum est. Nec vero primus ita loquutus est Ezechiel, sed potius sumpsit ex Mose. Tametsi enim in decem verbis non exprimitur diserte, Sabbathum fuisse symbolum sanctificationis, Moses tamen postea ostendit *Exod. 31. v. 13.14.* Exodi 31. illum finem fuisse Sabbathi, & eo consilio Deum populo mandasse, ut septimo die quiescerent. Moses igitur ipse jam ostendit alium fuisse præcepti finem: Ezechiel accessit interpres. Sed res multo nobis clarius innotuit per Euangelium, quia exhibita nobis fuit in Christo hujus præcepti *Coloss. 2. vers. 17.* veritas, & substantia, quam Paulus vocat corpus. Quis autem fuerit ille finis jam satis demonstravi, nempe ut cognoscerent Israëlitæ Deum esse eum qui ipsos sanctificabat. Cæterum si cupimus rem totam melius tenere, primo statuere oportet, Sabbathum fuisse signum mortificationis. Nam Deus ideo nos sanctificat, quia ubi manemus in nostra conditione, illic permixti sumus aliis, nec habemus quicquam ab incredulis diversum. Hinc ergo incipere necesse est, ut nobis mundoque moriamur, & abnegemus nosipsos. Id autem pendet ex Dei gratia. Sed video non posse me hodie eam rem absolvere: differam igitur in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando non tantum regulam nobis recte vivendi tradere dignatus es, sed te in Christo patefacere ita nobis Patrem, ut Legem tuam paratus sis insculpere nostris visceribus: ne abjiciamus nostra ingratitudine vel socordia tam inæstimabile bonum, sed nos tibi offeramus in sacrificium: deinde ita nobis ignoscas, ne infirmitates nostræ impediant, quo minus te semper reperiamus propitium quoties ad tuam misericordiam confugiemus in Christo Filio tuo unigenito, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA SECUNDA

IN

E Z E C H I E L E M.

Diximus hesterna lectione separari Dei Ecclesiam à profanis gentibus, quia eam Spiritu suo regeneret: hujus gratiæ diximus Sabbathum fuisse testimonium: sed nunc addenda est confirmatio hujus doctrinæ. Facile autem est eam colligere ex ipsa institutione Sabbathi. *Genes. 2. vers. 2. Exod. 20 vers. 11. & 31: 17. Deut. 5. vers. 14.* Dicitur enim Deus requievisse ab operibus suis die septimo. Jam minime dubium est quin ad exempli sui imitationem adducere voluerit fideles. Sequitur ergo quietem mandatam fuisse veteri populo, ut quiescerent singuli ab operibus suis, atque ita se formarent ad Dei exemplum. Dicimur autem quiescere ab operibus nostris quum nobis mortui, sinimus nos gubernari Dei Spiritu: denique ubi vivimus in ipso, & ipse in nobis vicissim. Nunc ergo videmus promissam fuisse gratiam regenerationis veteri populo, ubi Deus septimum diem consecravit. Et hoc *Hebr. 4.* etiam Apostolus ostendit in Epistola ad Hebræos, ubi differit de vero & legitimo usu Sabbathi, & refellit crassum illud commentum, quo imbuti erant Judæi, nempe Deum externa quiete rite coli. Ostendit ergo duntaxat externum esse symbolum, & quod sub se mysterium spirituale complectitur. Jam sequitur, ut nuper attigi, Sabbathum fuisse Sacramentum, quia visibilis fuit gratiæ invisibilis figura. Et hoc etiam satis clare exprimitur verbis Prophetæ quum dicit *datum esse Sabbathum ut esset in signum.* Hac igitur voce ostendit promissam fuisse regenerationem veteri populo, idque verbo ut ita loquar, visibili, quia Deus non tantum loquutus est, sed voluit etiam symbolum aliquod & pignus vel tesseram extare suæ promissionis. Notanda etiam loquutio est, *inter me & inter vos:* ex qua colligimus mutuam esse conventionem in Sacramentis, quia Deus se nobis obstringit, & vicissim fidem damus. Et hinc etiam refellitur eorum delirium, qui putarunt Sacramenta esse tantum externæ discretionis notas. Nam si tantum ad professionem fidei spectarent Sacramenta, non consisteret quod Propheta docet, nempe signum esse mutuum & reciprocum, ut ita loquar, quia Deus fidem stipulatur à populo suo, & ipse vicissim promittit quod externo signo testatur ac figurat. Jam sequitur,

13. Et rebelles fuerunt in me (*vel me exacerbarunt*) domus Israël (*dictum est jam de hoc verbo, & sæpius*) in deserto: in decretis meis non ambularunt, & judicia mea spreverunt: quæ qui fecerit homo vivet in ipsis: & Sabbatha mea violarunt valde: & dixi (*id est, decrevi*) effundere excandescentiam meam super eos in deserto, ad consumendum eos.

14. Et feci propter nomen meum, ut non profanaretur in oculis gentium, sub quarum oculis eduxeram ipsos.

Hic pronunciat Deus filios fuisse similes patribus: vel populum postquam liberatus fuit ex Ægypto, tamen fuisse obstinatum in sua malitia, quia nihil profecerit. Jam ante conquestus fuerat de gratia sua rejecta. Perinde enim fuit acsi respuerent quod illis offerebat quum putrescerent in suis superstitionibus, nec removerent à se fœtorem illum, quo sciebant se Deo esse abominabiles. Sed postquam Lex promulgata fuit, poterant exuere perversos suos affectus. Et certe redemptio debuit illos formare in obsequium Dei: quum spectassent manum ejus quasi è cælo exertam, quomodo non valuit tale spectaculum ad ipsos subigendos, ut prorsus Deo se subjicerent? Sed accessit Legis doctrina, accessit etiam Dei promissio, qua testatum illis fecit, si ab ipso peterent Spiritum regenerationis, non abs re Sabbathum loco pignoris vel tesseræ illis fuisse datum; quod hæc omnia caruerint profectu, illud signum fuit prodigiosæ contumaciæ. Dicit ergo Deus nihilo magis se fuisse adeptum in deserto, quam prius quum adhuc populus degeret sub tyrannide Ægyptiaca: *tunc etiam*, inquit, *domus Israel me exasperarunt in deserto.* Circumstantia loci notanda est, quia mirabiliter erepti incredibili Dei potentia, pendebant singulis momentis ab ejus beneplacito. Illic enim carebant cibo & potu: Deus Man quotidie pluebat è *Exod. 16. vers. 14.* cælo, & è silice aquam illis eduxerat. Quum ergo *Num. 11. vers. 9.* in singula momenta necessitas ipsos cogeret in Deum respicere, nonne fuit plusquam brutus stupor, Deum *Deut. 8. v. 15, 16.* exasperare? Si quando lasciviant homines, id fit quia prosperitate ebrii, & obliti suæ sortis, non sentiunt quantopere indigeant Dei auxilio. Sed ubi mors nobis ante oculos versatur, ubi terror undique nos tenet constrictos, ubi Deus nos quasi manu armata urget,

eum despicere qualis est protervia? Videmus ergo cur diserte hic locum Propheta notet. Dicit autem *non ambulasse in præceptis Dei, & sprevisse judicia ejus.* Confirmat quod heri dictum fuit, non fuisse ignorantia deceptos, sed signum fuisse manifesti contemptus, quia satis superque tenebant quid Deo placeret. Quum ergo haberent certam regulam quæ fallere non poterat, videmus quasi deliberata malitia vagatos fuisse post suas superstitiones. Hæc ratio est igitur cur dicat Ezechiel *ipsos sprevisse judicia Dei.* Repetit promissionem quæ heri fuit exposita. Nam & hæc ratio ad exaggerandum crimen valuit, quod Deus blande ipsos allicere dignatus fuerat: non jusserat tantum præcise & pro imperio, sicuti poterat, sed transegerat cum ipsis, & testatus fuerat paratam fore illis mercedem, si Legem servarent. Quum ergo hanc promissionem neglexerint, videmus non tantum rebelles, sed etiam ingratos fuisse Deo. Addit *polluisse sua Sabbatha*, quod non refero duntaxat ad externum ritum, sed potius ad ipsam rei summam. Verum quidem est, hac etiam in parte plus satis fuisse cognitam eorum impietatem, sicuti apparet ex 17. capite Jeremiæ,
Jer. 17. v. 21,22. ubi dicit eos exportare sua onera Sabbatho, & operam dare profanis negotiis. Minime ergo dubium est quin violaverint Sabbatha, quum promiscue sua negotia tunc agerent. Sed quum additur *valde*, vel graviter *Sabbatha fuisse violata*, hinc colligere licet, profanationem notari in ipso mysterio, quod scilicet quasi excusso jugo
Jesa. 58. vers. 13. sese projecerint post suas cupiditates. Nam & Jesaias ostendit hoc modo præcipue violari Sabbathum, dum reperitur hominum voluntas. Nam hypocritæ putabant se defunctos, quum abstinuerant ab omni opere. Propheta autem respondet hoc esse merum ludibrium, quia jejunent Sabbatho ad lites & contentiones: deinde quod reperitur eorum voluntas, quæ opponitur abnegationi. Ergo Deus hic non tantum accusat veterem populum, quod feriatus non fuerit, sed quia neglexerit finem & legitimum usum Sabbathi. Jam repetit quod heri vidimus. *Decrevi ergo effundere super eos excandescentiam meam in deserto, ut consumerem ipsos.* Quæritur quando hoc factum fuerit. Sed satis est, sæpius accensam fuisse Dei vindictam populi sceleribus. Quanvis enim verbatim non referat Moses singula, tamen minime dubium est, quin sæpius minatus fuerit Deus interitum populo, quemadmodum paulo post videbimus de illius dispersione. Sequitur, *feci propter nomen meum, ne profanaretur in oculis gentium.* Iterum reperit Deus se fuisse placatum, non quod illis ignosceret, sed quia noluit sacrum suum nomen prostituere gentium ludibriis. Diximus autem hoc modo commendari duplicem Dei misericordiam: Deus jam gratis populum adoptaverat. Ergo non poterat adscribi illius redemptio nisi meræ & gratuitæ liberalitati, quia fluebat ex electione vel adoptione quam diximus. Atqui tametsi illa jam erat una species misericordiæ, sufficere tamen non potuit, quia populus indignum se reddidit gratia oblata. Hinc ergo factum est, ut nihil prodesset Abrahæ data promissio, nisi Deus gentis malitiam vinceret. Hoc ergo intelligit Propheta, quum dicit servatum fuisse populum quamlibet indignus esset, quia Deus nomen suum videbat hoc modo profanari inter gentes. Handdubie autem respicit ad fœdus, quia centies periissent Israëlitæ absque ulla nominis Dei jactura, nisi quod eos adoptaverat. Necesse igitur fuit, ut Deus illis parceret, quia conjunctum erat cum eorum salute sacrum ejus nomen, nempe respectu fœderis. Nunc sequitur,

15. Atque etiam ego manum meam sustuli ipsis in deserto, ne inducerem eos in terram quam dederam ipsis fluentem lacte & melle, quæ desiderium est cunctis terris. (*vel desiderabilis est.*)

Hic ostendit Deus effectu etiam caruisse suas minas, imo quum graves pœnas inflixisset, populum tamen ita fuisse præfractum, ut subactus non fuerit. Hoc autem est signum perversissimæ naturæ. Nam stulti saltem corriguntur ferulis. sed qui castigati potius in deterius ruunt quam resipiscant, hoc modo produnt desperatam malitiam. Deus ergo hic significat Israëlitas fuisse ingenio perdito, qui nullis modis reduci potuerint ad bonam frugem. Ante eos sua misericordia allexerat, deinde dederat Legem, & addiderat Sacramentum, de quo vidimus: hoc totum fuit inutile: quid restabat, nisi ut eos terreret partim minis, partim etiam pœnis? utrumque tentavit. Nam illis minatus est quum peccarent, absque profectu tamen: deinde reipsa ostendit non esse vanum illum terrorem, quia omnes mortui sunt in deserto qui recusaverant pergere quum eos vocaret in terram Chanaan. Quod ergo flexi non fuerunt signis illis iracundiæ Dei, hinc apparet fuisse tanta contumacia, ut merito debuerint centies perire: *ego etiam*, inquit, *sustuli manum meam:* hauddubie significat se jurasse quemadmodum colligitur ex Mose, atque etiam ex Psalmo, Juravi in ira mea Num. 32. vers. 10.
si perveniant in requiem meam. Dicit ergo *se ma-* Psal. 95.
num sustulisse. Diximus autem unde sumpta sit simi- vers. 11.
litudo. *Ne adducerem eos in terram quam dederam ipsis.* Hic emphatice ostendit Deus quam formidabilis fuerit pœna illa, quod privavit certa hæreditate, quam ipsis jam dederat. Erant enim etiam antequam nascerentur domini terræ Chanaan. Imo quadringentis ante annis Abrahæ promissa fuerat eorum nomine. Quum ergo sese hæreditate illa abdicant, hinc apparet plusquam esse socordes: *dederam*, inquit, *hæreditatem*, ipsi autem coëgerunt me jurare. *Juravi* itaque non perventuros illuc. Addit *terram fluentem lacte & melle, quæ erat desiderium cunctis gentibus.* Amplificat his verbis ingratitudinem populi, quod scilicet non mediocre beneficium spreverint, sed terram illam in qua feliciter agere poterant. Deus enim ita eam locupletaverat suis donis, ut essent illic futuri quasi in Paradiso. Quod ergo tanta dulcedo eos non attraxit ad obsequium Dei, hinc apparet, modis omnibus fuisse refractarios. Postea sequitur,

16. Propterea quod in judiciis meis spreverunt: (*hoc est, spreverunt judicia mea, & decreta mea*) in decretis meis non ambularunt, & Sabbatha mea polluerunt: (*violarunt, profanarunt, idem est verbum* חלל) quia post idola sua (*vel spurcitias, vel sordes, quemadmodum alibi diximus*) cor eorum ambulavit.

Num. 13. v. 33,34. & 14. v. 1,2,3. Ratio jurisjurandi, cujus facta fuit mentio, exprimitur a Mose, quod scilicet falso relatu territi voluerint redire in Ægyptum: hic autem causa adscribitur eorum superstitionibus. Sed utrumque non male convenit, quia si ex animo fuissent Deo addicti, nunquam recusassent castra movere, & intrepide pergere quo jubebat. Quod autem tale fastidium terræ ipsos capit, deinde quod terror occupat ipsorum animos & desperatio, ut abjiciant inæstimabile Dei beneficium, hinc certe apparet, nullam viguisse guttam pietatis in ipsorum cordibus. Quanquam ergo specialis illa fuit causa cur non fuerint ingressi terram

Chanaan, quod Deo vocanti obsequi renuerant: tamen simul conjungit Propheta eorum superstitiones. Nam impietas & contemptus Dei in causa fuit cur tam audacter ac superbe, imo furiose rejicerent Dei gratiam, & vellent etiam Mosen lapidare, & pœnitentia ducti, sese hortarentur ad reditum, ut iterum viverent sub tyrannide Ægyptiaca. Videmus ergo ut Propheta hic generales causas sumat, ex quibus fluxit illud impium terræ fastidium, & repulsa gratiæ Dei. Dicit ergo, *propterea quod spreverunt judicia mea, neque ambularunt in statutis meis.* Hic invertit ordinem. Prius dixerat non ambulasse in statutis suis, sprevisse judicia sua: nunc vero incipit à contemptu: *& Sabbatha mea polluerunt, quod ipsorum cor concessit post eorum idola.* Summa est, perfide semper egisse cum Deo: & quanquam tenebant quomodo rite colendus esset, tamen semper implicitos fuisse variis superstitionibus: sicuti etiam Stephanus illis Actor. 7. v. 40, 41, 42, 43.
exprobrat. Consentit enim prorsus cum Propheta nostro. Quod autem Sabbatha plurali numero ponit, non ita argute interpretor ut quidam, quod respexerit Propheta ad Sabbathum annorum, postremo ad Jubilæum. Nam tria fuerunt Sabbatha apud Judæos. Septimus enim quisque dies consecratus fuit Deo, & septimus quisque annus, & quinquagesimus. Quanquam autem verum est, annos fuisse Sabbatharios, ut dies, tamen non puto Prophetam ita subtiliter hic distinguere: sed simpliciter accipio Sabbatha pro septimo die. Nunc sequitur,

17. Et pepercit oculus meus super ipsos, (*ignovit ipsis oculus meus*) ne perderem ipsos, & ne facerem ipsos (*& non feci in ipsis*) consumptionem in deserto.

Hoc ideo additur, quia aliquoties populum illum gravibus pœnis Deus affecit: sed moderatus est sibi, ne nomen ipsum & corpus penitus extingueret. Dicit ergo *se illis pepercisse*, nempe respectu sui nominis, ut ante dictum fuit, *ne ipsos faceret consumptionem*, hoc est, ne penitus eorum memoriam deleret. Non ergo pepercit in totum, ut indulgentia sua foveret eorum pravitatem, sed ut postea videbimus, manum suam retraxit, ne ipsos consumeret, sicuti optimo jure poterat. Jam sequitur,

18. Et dixi ad filios ipsorum in deserto, In decretis (*vel statutis*) patrum vestrorum ne ambuletis, & judicia eorum ne servetis: & in idolis (*vel inquinamentis*) ipsorum ne polluamini.

19. Ego Jehovah Deus vester, in decretis meis ambulate, & judicia mea servate, & facite ea.

Postquam ostendit Deus tantam fuisse obstinationem malitiæ in populo, ut nihil proficeret neque rigore, neque clementia, nunc dicit filios fuisse prorsus similes patribus. Nam quum dicit se vertisse sermonem ad filios, oblique subindicat se fastidio fuisse quasi fractum, ut nollet amplius verba apud surdos facere. *Dixi* Igitur *ad filios eorum*: cur non ad ipsos? nempe quia obduruerant in sua impietate, nec spem ullam resipiscentiæ dabant. Quum ergo Deus toties expertus foret ipsos esse præfractos, ideo dicit *se ad filios ipsorum vertisse suum sermonem. Ne ambuletis in statutis patrum vestrorum, & judicia eorum ne servetis.* Hic non loquitur Deus de malis exemplis, aut sceleribus quæ palam apparent: sed usurpat voces in speciem honestas, *judicia & statuta.* Si simpliciter dixisset patres eorum fuisse homines sceleratos, ideoque cavendum esse filiis, ne eos imitarentur, fuisset illa communis doctrina: sed per concessionem hic usurpat voces honorificas, nempe *judicia & statuta.* Interea tamen vetat, ne posteri se forment ad statuta, & leges patrum, vel ad ceremonias & ritus. Ne quis tamen objiceret servanda esse statuta, quæ tendunt in rectum finem, tandem subjicit, *ne polluamini in ipsorum inquinamentis, & sordibus.* Illic tollitur superior concessio, & Deus quasi fucum abstergit, ut palam appareat, præcepta illa & statuta nihil differre à furtis, à latrociniis, & adulteriis: hoc est Prophetæ consilium. Cæterum, hic locus notatu dignus est, quia hinc discere promptum est, quam frivola sit eorum excusatio, qui patres obtendunt, & plenis buccis prædicant sibi esse ignoscendum si ad eorum imitationem se forment. Neque enim vetuit tantum Deus imitari crassa & aperta scelera parentum, sed leges, & statuta, & ritus, & quicquid in speciem est plausibile, & videtur communi hominum sensu esse laude dignum. Et ita detegitur stultitia Papistarum, qui existimant quasi sub clypeo Ajacis se tuto latere, quum prætexunt exempla patrum, & antiquitatem nobis jactant: videmus certe quam clare ipsos refellat Dei Spiritus ubi pronunciat cavendum esse à statutis & præceptis, ideoque non tantum à manifestis sceleribus, sed etiam à bonis Intentionibus, ut loquuntur, à Devotionibus, & Traditionibus patrum. Atqui cultus Dei in Papatu qualis hodie est nisi confusa quædam massa, quam conflarunt ex innumeris figmentis: quia si quis excutiat omnes eorum nugas, reperiet fabricatas esse hominum arbitrio: neque tamen ipsos pudet objicere patrum traditiones, & opponere verbo Dei. Jam ergo videmus prosterni totum Papatum, & præclaras illas traditiones patrum, quibus gloriantur, quum Propheta dicit, *ne ambuletis in statutis patrum.* Sed quia antiquitas meretur aliquid reverentiæ, ideo promiscue rejicere quælibet patrum exempla esset immane & barbarum. Ergo hic prudentia & delectu opus est: sed eam quoque nobis hic suggerit Dei Spiritus quum addit *inquinamenta*, vel idola. Ergo examinandæ sunt patrum traditiones, & illa discretionis nota prudenter observanda est, quid contineant, unde sint profectæ: si agnoscimus non alio tendere quam ut pure colatur Deus ex præscripto Legis suæ, eas amplectamur: si vero nos abducant à puro & simplici Dei cultu, si suis mixturis inficiunt veram & sinceram religionem, eas abominemur. Pergamus: *ego*, inquit, *sum Jehovah Deus vester, ambulate in statutis meis, & judicia mea servate.* Confirmat Deus superiorem sententiam, & simul remedium adhibet omnibus corruptelis quum dicit, *ambulate in præceptis meis, quia ego sum Deus vester.* His enim verbis sibi uni tanquam proprium vendicat quod homines sibi ex parte arrogant. Non audent quidem spoliare Deum suo imperio: sed ingerunt se quasi socios, & commentis suis inficiunt Legem ipsius, acsi non sufficeret ad plenam & solidam sapientiam. Hic ergo Deus pronunciat se unicum esse Legislatorem. *Si* ergo *sum Deus vester, ambulate in statutis meis.* Hinc sequitur, nos abnegare Deum oblique ubi vel tantillum deflectimus à Lege ipsius. Est locus insignis, modo recte expendamus Prophetæ verba. Nam hæc conjunctim legenda sunt, *quia Deus vester sum, ideo vel ambulate in præceptis meis*, atque ita ostendite vos esse populum meum. Quod si non contenti sint solis Dei præceptis, sed admisceant humana commenta, oblique docet se jam non agnosci pro Deo, quia parte juris sui eum privant. Si enim unus est Deus, est etiam unicus Legislator. Sequitur,

20. Et Sabbatha mea sanctificate, & erunt in signum inter me & vos, ad cognoscendum (*id est, ut cognoscatis, vel ut sciatis*) quod ego Jehovah Deus vester.

Quod in genere de præceptis dixit nunc ad Sabbatha iterum accommodat, nec sine causa. Sicuti enim heri dictum fuit, Deus quiete illa non tantum voluit exigere aliquid sibi debitum à populo, sed potius jubet in alium finem. ideo *jubet Sabbatha sua sanctificari*. Modus autem sanctificationis ante fuit expositus, quia leve fuit illud otium. Nec certe satisfactum fuit Deo quum populus feriabatur à suis negotiis: sed interior sanctificatio præcipuum gradum semper obtinuit. Et hac ratione etiam iterum repetit, *ut sint in signum inter me & vos, ad cognoscendum quod ego Jehovah Deus vester*. Testatur hoc loco Deus, modo rite Judæi Sabbatha observent, sensuros effectum ejus gratiæ, quam voluit illic repræsentari. Diximus enim Sabbathum fuisse Sacramentum regenerationis. Nunc ergo promittit efficaciam Spiritus sui, modo ne januam ipsi claudant sua impietate & contemptu. Hinc videmus Sacramenta nunquam destitui Spiritus virtute, nisi quatenus homines se indignos reddunt oblata sibi gratia. Papistæ quum de Sacramentis loquuntur, dicunt habere efficaciam, modo ne ponamus obicem peccati mortalis: illic nulla fidei mentio. Modo igitur ne quispiam sit fur, aut adulter, aut homicida, dicunt Sacramenta habere suum effectum: exempli gratia, si quis etiam qui ne guttam quidem fidei habeat, se ingerat ad mensam Christi, ille, inquiunt, recipiet non tantum corpus & sanguinem ejus, sed fructum mortis & resurrectionis: & tantum quia non ponit obicem peccati mortalis, hoc est, non potest convinci furti, aut homicidii. Videmus quo demersi fuerint cæcitatis, & hoc fuit justum Dei judicium. Tenendum igitur est, mutuam esse relationem inter fidem & Sacramenta, ideoque Sacramenta effectum suum oancisci ex fide: non quod indignitas hominum illis quicquam deroget. Sacramenta enim semper retinent suam naturam: Baptismus est lavacrum regenerationis, etiamsi totus mundus esset incredulus: Cœna Christi est communicatio corporis & sanguinis ejus, etiamsi nulla esset scintilla fidei in mundo: sed non percipimus gratiam quæ nobis offertur, & quamvis res spirituales semper maneant eædem, non consequimur tamen effectum, nec sentimus quid valeant, nisi caveamus, ne nostra infidelitas profanet quod Deus consecravit in salutem nostram. *Tit. 3: 5.* *1 Cor. 10. vers. 16.*

Da omnipotens Deus, quum quotidie personet doctrina Euangelii tui in auribus nostris, ubi nos tam humaniter pro immensa tua clementia ad te invitas, & manum porrigis per unigenitum Filium tuum, ut simus docili & flexibili ingenio, & nos tibi sincere subjiciamus: deinde quum Lex tua etiam tot exempla horribilis tuæ vindictæ contineat, fac ut illis permoveamur: & ita cum timore & sollicitudine incedamus in obedientia verbi tui, ut tandem fruamur illa hæreditate, quam nobis pollicitus es in regno tuo cælesti, per eundem Christum Dominum nostrum; Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA TERTIA

IN

E Z E C H I E L E M.

21. Et rebelles fuerunt, *vel irritarunt, vel exasperarunt* me filii: in decretis meis non ambulaverunt, & judicia mea non servarunt, ut ea facerent: quæ qui fecerit homo vivet in ipsis: Sabbatha mea profanarunt: & dixi (*hoc est, decrevi*) effundere iracundiam meam (*vel excandescentiam*) super eos, ad complendum iram meam in ipsis in deserto.

22. Et retraxi (*retraxi tamen*) manum: meam & feci propter nomen meum, ne profanaretur in oculis gentium, è quarum oculis eduxeram eos.

23. Etiam ego levavi manum meam ipsis in deserto, (*vel contra ipsos*) ad disjiciendos ipsos inter gentes, & spargendos per terras.

24. Eo quod judicia mea non fecerunt, & statuta mea repudiarunt, & Sabbatha mea violarunt, & post idola patrum suorum fuerunt eorum oculi.

HOs quatuor versus simul contexo, quia paulo ante fuerunt expositi; nec vos supervacua repetitione onerare placet. In summa, totam posteritatem accusat Deus, quod nihilo fuerit obsequentior, quam patres. Rebellionem iterum probat, quod neque imperio paruerint, neque adducti fuerint blandis promissionibus. Nam ab una parte exigebat cultum sibi debitum, & mercedem promittendo suaviter eos invitabat. Neutrum profuisse conqueritur. Addit quod etiam vidimus, sibi fuisse propositum eos per varias mundi plagas spargere, ac dissipare. Causam tamen assignat cur sibi moderatus fuerit, quia noluerit nomen suum profanari inter gentes. Ita pronunciat nunquam eos interquievisse, quin assidue effervesceret eorum impietas: ideo factum esse sua incredibili patientia, & indulgentia, ne centies & millies perirent. Reliqua petantur ex superiori contextu. Sequitur,

25. Ego quoque dedi illis decreta non bona, & judicia in quibus non vivent.

Hic pronunciat Deus se vindictam sumpsisse de populo tam duro & obstinato, quod scilicet permiserit subire aliud jugum, quia non sustinuerat regi Legis doctrina. Vidimus enim quum Deus apud Israëlitas Legem deposuit, fuisse plusquam felices, modo reputassent quam illud esset honorificum, habere commune pactum cum Deo, qui dignatus fuerat fidem suam mutuo illis obstringere. Hæc fuit singularis dignatio, & prærogativa, quia non tantum Deus ostenderat quid rectum esset, verum pollicitus simul fuerat mercedem, quamvis nihil deberet. Quid autem gens illa prorsus indocilis? Excussit Legis jugum. Ergo digna fuit quæ aliud imperium experiretur. *Deus ergo dedit leges non bonas*, quando passus est miseros illos trahi sub magnum congeriem errorum. Fuerunt enim illæ leges non bonæ. Qui-

dam violenter torserunt hunc locum, dum putant vocari Legem ipsam à Mose promulgatam non bonam, quod sit mortifera, teste Paulo. Sed corrumpunt Prophetæ sensum. Deus enim hic Legem suam comparat cum gentium superstitionibus. Alii exponunt de tributis, quæ populus coactus est pendere extraneis. Sed primum Deus hic non loquitur tantum de una ætate; imo quo tempore liberi adhuc fuerunt Judæi, hæc vindicta nihilominus grassata fuit. Deinde proximo versu confirmat Propheta quod jam breviter attigi, nempe *leges vocari non bonas*, omnia hominum figmenta, quibus se fatigant dum existimant hoc modo Deum rite coli. Scimus enim quantum laborent ac se torqueant miseri homines, quos fascinavit Satan suis præstigiis, dum sollicite sibi accersunt multos ritus, quia nullus est finis superstitionum. Sunt igitur illa statuta non bona. Nam ubi multum sumpserunt laboris idololatræ, non alia merces eos manet, quam ut tandem Deus vindex appareat, & ulciscatur profanationem legitimi sui cultus. Ipsi quidem longe aliud sentiunt, sed frustratur eos sua opinio. Nulla igitur merces speranda est, nisi quæ fundata est in pacto & promissione Dei. Omnes autem vitiosi & commentitii cultus, omnes ritus adventitii, quos hinc inde homines attrahunt, nullam habent promissionem à Deo. Ergo frustra in ipsis fiducia vitæ reponitur. Hoc autem jam cœpit Deus patefacere in deserto: sed aliis postea seculis non destitit eandem exercere vindictam. Videmus ut Moabitarum superstitionibus se addixerint: unde hoc? nisi quia Deus justo suo judicio eos excæcavit. Expertus fuerat ipsos quasi indomitos. Ergo quasi emancipavit: neque id solum, sed tradidit ipsos postea Satanæ: & ideo dicit *se dedisse leges non bonas*. Poterat quidem aliter loqui Propheta, ipsos contempta Lege Dei sibi sapuisse: stultos & temerarios sibi fuisse legislatores: id erat verum, sed voluit exprimere pœnam, de qua loquitur Paulus quum dicit tradi impios in reprobum sensum, ut obediant mendacio, quia non sunt amplexi veritatem, & quia non passi sunt se divinitus regi, ideo mancipari imperio Satanæ, ut serviant creaturis. Nunc ergo tenemus consilium Prophetæ: *etiam*, inquit, *dedi illis leges non bonas*: quasi diceret non aliunde factum esse, ut populus ita se projiceret ad varias idololatrias, nisi quoniam hoc modo ulcisci voluit Deus incredibilem pervicaciam. Si enim placide Judæi acquievissent sub Dei imperio, non dedisset illis leges malas, hoc est, non passus fuisset ita sub tyrannide Satanæ torqueri. Sed quum impliciti fuerunt illius laqueis, Deus palam ostendit indignos esse, quos ipse gubernaret, & quorum gereret curam, quia nimis erant refractarii. Sequitur,

Num. 25. v. 2,2,3.

Rom. 1. vers. 24. 25. 28.

26. Et contaminavi ipsos in suis muneribus, trajiciendo qoicquid aperit vulvam, ut perderem ipsos, (ut quod, *sed supervacuum est*) ut cognoscant quod ego Jehovah.

Non dubium est quin Deus continuet eandem doctrinam. Hinc ergo colligimus datas fuisse leges non bonas populo, ubi se addixit variis erroribus, & Dei loco idola sua quæ fabricaverat coluit: ideo subjicitur, *pollui ipsos in muneribus suis*. Hoc autem ideo additum fuit à Propheta, ne exciperent Judæi se tamen non prorsus abjecisse Dei cultum. Miscebant enim (ut ante vidimus, & paulo post repetet Propheta) ceremonias Legis cum figmentis gentium: hoc modo putabant se erga Deum belle defungi, quamvis adderent suas mixturas. Hic Propheta occurrit, & præcidit ansam tergiversationi ipsorum, quod scilicet polluti fuerint etiam in suis muneribus, quia nihil fuit sincerum vel purum, quum ita corrumperent præcepta Dei suis commentis. Utcunque ergo quotidie munera sua obtulerint, & professi fuerint se offerre vero Deo: nihil tamen hoc modo adepti sunt, quia ut dictum fuit, abominatur Deus ejusmodi mixturam, neque ferre potest ut colatur pro arbitrio hominum, sed vult filios suos simpliciter contentos esse suis mandatis. Nunc videmus quorsum tendat consilium Prophetæ: *Deus ipsos polluit in muneribus suis*, hoc est, reddidit ipsorum munera tanquam fœtida, utcunque putarent se officio suo satisfacere, quare? nempe, inquit, *quum trajicerent quicquid aperit vulvam*. Hic speciem unam duntaxat Propheta attingit, sed per synecdochen designat omnes superstitiones, quibus vitiabant Judæi purum Dei cultum. Fuit autem superstitio hæc plusquam detestabilis, trajicere filios suos & lustrare, ut eos idolis consecrarent. Sed tantum de primogenitis loquitur Deus hoc loco, ut crimen magis exaggeret. Lustratio quidem illa fuit generalis: sed quia Deus sibi addixerat primogenitos, & voluerat certo pretio redimi, & ea in re volebat celebrari memoriam redemptionis, quod scilicet incolumes evaserant primogeniti Israel, imo omnes fœtus primogeniti animalium quum è medio tolleret primogenitos Ægypti, eos ipsos qui specialiter devoti erant & sacri Deo, trajicere, & idolis offerre, nonne prodigiosum fuit? Videmus ergo Prophetam non frustra hic loqui de primogenitis. *Ut perderem ipsos*, inquit, *& cognoscant quod ego sim Jehovah*. Hic ostendit Deus se gradatim fuisse progressum ad ultimam vindictam, & hac ratione magis convictus fuit populi stupor, quod interea nunquam reputavit manifesta ejus judicia. Si Deus subito è cælo & uno impetu vindictam suam exereret, non mirum esset, homines reddi attonitos: sed ubi spatium illis concedit, & inducias, ut per otium secum expendant: & interea non uno tantum modo, sed pluribus ipsos admonet, ut resipiscant, si manent semper iidem, neque tanguntur ullo sensu, hac socordia ostendunt se prorsus esse desperatos: idque nunc intelligit Propheta. Sed quod addit, *ut cognoscant quod ego sim Jehovah*, significat quia non agnitus fuit Pater à Judæis, se fore ipsorum Judicem, ut cogantur velint nolint sentire formidabilem ejus potentiam quam spreverunt. Quoniam hac de re plura ante diximus, nunc levius prætereo. Notandum tamen est illud, Deum à reprobis cognosci, quia ubi paterna ejus bonitas diu ab ipsis contempta fuit, tandem apparet Judex, invitos trahit ad suum tribunal, & exequitur suam vindictam, ut effugere nequeant. Sequitur,

Exod 13. vers 2 & 22 29. & 34 v 10.20. Num. 3. vers 13. & 8. 17.

27. Propterea loquere ad domum Israël, fili hominis, & die illis, Sic dicit Dominator Jehovah, Adhuc in hoc contumeliosi in me fuerunt patres vestri prævaricando in me prævaricatione.

28. Nam introduxi (*copula enim sic resolvi debet*) in terram pro qua sustuleram manum meam ad dandum eam ipsis: & viderunt omnem collem excelsum, & omnem arborem frondosam: & sacrificarunt illic sacrificia sua, & obtulerunt illie irritationem oblationis suæ, & posuerunt illic odorem bonæ fragrantiæ suæ, & fuderunt illie sua libamina.

Nunc

Nunc descendit ad populi scelera, quibus provocatus fuit Deus, postquam terra Chanaan potiti sunt, utpote qui tam sedulo admoniti, Deum tamen contempserint. Conqueritur ergo hoc sibi fuisse nimis probrosum, quod postquam eos manuduxerat in possessionem hæreditatis promissæ, non tamen destiterint quasi data opera insultare contra ipsum. Fuerat jam hæc contumelia intolerabilis, quum in deserto apud eos nihil profecerat. Erat enim hæc obtestatio satis seria ad ipsos promovendos, In decretis patrum vestrorum ne ambuletis: ego Deus vester, Legem meam servate. Quum ergo Deus sub obsequium suum eos colligeret, cujus fuit superbiæ non attendere ad illam obtestationem, sed persequi suam vesaniam? Verum, crimen longe fuit atrocius, quum tandem ingressi sunt terram Chanaan, & tot victorias adepti, quod experimentis senserant non reputarunt, Deum suam potentiam declarasse, quo eos melius devinctos teneret. Quotquot enim beneficia in ipsos contulit Deus, totidem vincula fuerunt, quibus magis ac magis astringebantur. Non frustra igitur cum ipsis nunc expostulat, quod contumelia affectus fuerit, *dum*, inquit, *mentiti sunt mihi*, vel transgressi sunt in me. Hoc non fuit simplex crimen, neque perfidia duntaxat, sed quasi seipsos oblectarent proterve insultando. Nam גדף significat exprobrare, contumelia afficere, convitiari. Deus ergo hoc verbo exprimere voluit quasi deliberatam populi insolentiam, dum ita improbe in eum surrexerunt, acsi conspuerent in ejus faciem. Summa est, non fuisse duntaxat fœdifragos & rebelles, quum terram Chanaan contaminarent suis superstitionibus: sed quasi ad petulantiam projectos, ut Deum ex professo contumelia afficerent. *Postquam* igitur *introduxeram ipsos in terram*, *pro qua*, vel de qua *manum meam levaveram*, *ut darem eam ipsis: viderunt*, inquit, *omnem collem excelsum*, *& omnem arborem frondosam*, vel ramosam, *& illic sacrificarunt*. Deus altare unum volebat sibi extrui, & uno in loco offerri sacrificia: imo quum populus non-
[Exod. 20. vers. 25. Deut. 27. v. 5, 6.] dum haberet certam & fixam stationem, noluit Deus ullum altare sibi construi ex lapidibus politis, ne quod vestigium maneret, sed fieri tumulum duntaxat rudem ex cespitibus, vel ex lapidibus asperis. Jam dicit, quotquot illis objecti fuerunt colles, & arbores frondosæ, totidem fuisse illecebras ad superstitionem Hæc igitur contumelia est quam Deus illatam sibi esse nunc conqueritur. Docet autem hic locus ut alii similes, non tantum corrumpi Dei cultum ubi transfertur ejus honor ad idola, sed ubi homines sua figmenta ingerunt, & quasi fermento contaminant quod Deus præceperat. Tenendum igitur est, duas esse idololatriæ species, quarum una crassior est, nempe ubi palam coluntur idola, & supponitur Moloch, vel quispiam ex Baalim Deo vivo: illa est superstitio quasi palpabilis, quia Deus quodammodo è suo gradu dejicitur. Sed altera quoque idololatria quamvis sit occultior, Deo tamen est abominabilis, nempe ubi sub prætextu nominis ipsius audacter homines comminiscuntur quicquid ipsis venit in mentem, & ita varios cultus instituunt: quemadmodum hodie in Papatu videmus statuas adorari, videmus invocari mortuos: denique innumeris modis spoliari Deum suo honore. Ergo quicquid Papistæ garriant, tenentur tamen convicti: & mirum est, ipsos non prorsus obmutescere, quum adeo crassæ sint eorum superstitiones, ut pueri quoque ipsi animadvertant. Sed aliæ sunt superstitiones magis speciosæ & fucatæ. Nam ubi multa excogitarunt in Dei honorem, illic neque Barbara, neque Christophorus in medium prodibunt, sed Dei nomen obtegit illas omnes abominationes. Atqui videmus frivolam esse excusationem, dum homines obtendunt sibi nihil aliud esse in animo quam Deum colere. Neque enim duntaxat Deus asserit sibi uni solidum cultum, sed vult etiam coli suo non hominum arbitrio: vult Legem suam unicam esse regulam veri cultus: ac proinde repudiat omnes cultus fictitios. Accusat igitur merito Propheta noster Israëlitas, *quod converterint oculos ad omnem collem excelsum*, *& ad omnem arborem frondosam*, *& illic obtulerint irritationem oblationis suæ*. Vocat *irritationem oblationis* quod non tantum stulte profunderent multam pecuniam in vitiosos illos cultus, sed quod Deum quoque ad iram provocarent. Videmus ergo homines non modo ludere operam ubi declinant à Dei mandatis, & temere sudare in suis superstitionibus: sed Deum ad certamen provocare, quia scilicet eripiunt illi jus Legislatoris. Nam penes ipsum est decernere quomodo sit colendus. Ubi hoc homines sibi arrogant, perinde est acsi conscenderent Dei ipsius tribunal. Si autem sequantur aliorum figmenta, eos igitur sibi præficiunt legislatores: interea Deus è suo gradu dejicitur. Itaque mirum non est, si provocatur ira Dei omnibus sacrificiis, quæ fiunt præter Legis præscriptum. Et hoc clarius exprimitur apud Jesaiam, ubi Deus pronunciat se facturum quod omnes exterreat, & quod sit
insoliti prodigii loco, Excæcabo oculos sapientum, [Jesa. 29. vers. 14.]
inquit, & auferam à senibus prudentiam. quare? coluerunt enim me præceptis hominum. Sequitur, *Et obtulerunt suavem odorem*, vel bonæ fragrantiæ. Videntur hæc duo pugnare, quod oblationes Dei vindictam accenderint, & tamen suavis fuerit earum redolentia. Sed ironice loquitur Propheta, quum dicit *suffitus eorum fuisse boni odoris*. Per concessionem igitur ipsos deridet, quia falso putaverint hoc modo placari Deum. Quanquam simul eos perstringit, quod suffitum qui debuerat esse bonæ fragrantiæ reddiderint fœtidum suis corruptelis. Nam repetitur subinde apud Mosen hæc sententia, Odor ille perveniet ad nares Dei, & placabitur. Quum ergo suffitus Legales essent bonæ fragrantiæ, Deus hic non sine acerbitate Judæos perstringit, quod fœtore suo infecerint bonum illum odorem: ita esset antiphrasis. Denique, inquit, *fuderunt illic sua libamina*. Hic recenset Deus varias oblationum species, de quibus diserte in Lege præceperat: sed in omnibus ostendit Judæos fuisse immorigeros: & interea melius detegit quam effrenis fuerit ipsorum petulantia, quod non una tantum in parte violaverint Legem, sed nullam partem intactam reliquerint à suis superstitionibus. Deus mandaverat sacrificia, in sacrificiis polluti sunt Judæi. Jam addiderat varias oblationes, nulla fuit oblatio quam non conspurcaverint. Instituerat suffitus, illos etiam corruperunt: libamina volebat sibi offerri, hoc est, vinum fundi: neque hæc pars pura fuit à superstitionibus. Modis itaque omnibus ostendit, populum hunc quasi data opera bellum gessisse cum Deo, quum tamen fallaciter obtenderet, sibi nihil magis esse propositum, quam ipsum colere. Sequitur,

29. Et dixi illis, Ut quid (*quorsum*, *vel quodnam est*) excelsum quod vos ingredimini? (*vel quia vos illuc ingredimini*) & vocatum fuit nomen ejus Excelsum usque ad hunc diem.

Quamvis nulla sit ambiguitas in verbis Prophetæ, videtur tamen frigere hæc sententia: & interpretes, meo judicio, non assequuti sunt quidnam Propheta vellet. Frigidum per se posset videri quod Deus interrogat, *quod nam excelsum?* Sed significat non fuisse ignorantia deceptos, quia subinde ipsos admonuerit, ne ita profanarent verum & genuinum cultum. Conatus enim est subinde ipsos ad se retrahere quum vide-

videbat eos vagari post suas superstitiones. Quum ergo sæpius imo propemodum assidue objurgati fuerint à Prophetis, hinc melius deprehensa fuit eorum contumacia, quod nihilominus sequuti sint suos illos perversos cultus. Quia ergo inutiles fuerunt omnes illæ objurgationes, hic Deus amplificat eorum crimen, quod surdi fuerint. *Deus* igitur, nempe per Prophetas. Scimus enim quam sedulo Prophetæ incubuerint in hanc partem, ut in unum solum altare respicerent. Et hac ratione crevit eorum scelus, quod quum Deus diceret, Quid hoc? & quomodo tantopere expetitis vestra excelsa quum mihi displiceant, & sciatis quid vobis præceperim? aures fuerunt surdæ vel malitia obstructæ. In summa, rogat quorsum eos rapiat vesania, quum ingrediuntur excelsa: quando locum designavit, ubi esset quærendus & invocandus. Atrium, inquit, meum negligitur: interea curritis ad excelsa: & tamen *Excelsum vocatum est ejus nomen.* Nullum mysterium subest in ipsa voce: sed significat Deus nullis Prophetarum objurgationibus vel minis fieri potuisse, quin populus celebraret sua excelsa. Dicit igitur *vocatum fuisse nomen*, quoniam eadem dignitas & religio viguerit in illis excelsis. Debuerat aboleri prorsus memoria. Si tantum semel pronunciasset Deus excelsa illa sibi non probari, omnes debuerant statim resipiscere: clamavit diu & vehementer per suos Prophetas: interea nomen excelsorum volitavit per omnium ora. Fuit celebre, quasi illic quærendus esset Deus. Nunc ergo videmus damnari Judæos nimiæ superbiæ, quod non solum sua excelsa non reliquerint quum fuissent diligenter admoniti, sed quod pertinaciter voluerint Dei sanctuario opponere loca illa, quæ tamen totidem erant pollutiones. Hinc colligimus damnari obstinatam populi malitiam, quod patres filiis nomen illud tradiderint, ita ut continua serie excelsa opposuerint unico Dei sanctuario. Sequitur,

30. Propterea dic ad domum Israël, Sic dicit Dominator Jehovah, An in via patrum vestrorum vos polluti estis? & post idola ipsorum (*vel spurcitias*) vos scortamini?

Nunc tandem Propheta eos à quibus consultus fuerat, recta aggreditur. Postquam ostendit progenitos esse ex impiis patribus, & id plus satis fuisse manifestum, quod ab initio usque ad finem non destiterint singulis ætatibus Deum provocare: jam convertit ad ipsos suum sermonem, & rogat *an polluti sint in superstitionibus patrum.* Vetus interpres transtulit, certe: sed ה interrogationis nota id non patitur. Miror tamen quid aliis interpretibus venerit in mentem, ut dicerent, an non polluimini, quasi esset scriptum הלוא. Atqui si recte judico, evertunt Prophetæ sensum. Videtur autem mihi Propheta quasi de re absurda sciscitari, *quid? An polluimini in via patrum vestrorum, & scortamini post eorum idola?* Nam quum in exilium essent ejecti, illa exhæredatio debuerat tandem ipsos subigere quamvis essent plusquam ferrea superbia præditi: deinde simulabant aliquid pietatis quum venirent ad Prophetam, & cuperent aliquid solatii ab eo recipere. Quum ergo præ se ferrent aliquid modestiæ, hic Deus ipsos interrogat, *quomodo fieri possit ut se polluant in via patrum suorum:* quid hoc sibi vult? Sunt res, inquit, nimium contrariæ, quod ad servum meum acceditis, acsi animus vobis esset, mentes vestras & sensus subjicere verbo meo. Quum ergo ita fingitis vos esse attentos ad mea responsa, *quomodo fieri potest ut interea polluamini in via patrum vestrorum?* Hoc videtur mihi esse consilium Spiritus. *Dices* igitur, *An polluti estis in via patrum vestrorum?* Hoc est, an adhuc estis adeo pervicaces, ut non reflectatis cursum? ut non tandem resipiscatis? Videtis enim quam severe ultus fuerit Deus vestram obstinationem. Deinde nunc in speciem me quæritis, acsi unicum vobis hoc refugium maneret: *quomodo* igitur *polluimini in via patrum vestrorum?* deinde *quomodo scortamini post ipsorum idola?* Jam sequitur,

31. Et offerendo dona vestra, (*tollendo oblationes vestras*) & trajiciendo filios vestros per ignem vos polluimini in omnibus idolis vestris usque hodie: & ego inquirar à vobis, domus Israël? Vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si inquirar à vobis.

Prosequitur eandem sententiam, nempe quod sit illud prodigiosum, adhuc ipsos pertinaciter manere defixos in perversa imitatione patrum suorum. Nam multis Dei flagellis retracti fuerant ab illis sordibus: deinde obtendebant se posthac fore promptos ad obsequium. Deus ergo hic dicit, *quomodo offerendo munera vestra filiosq; vestros trajicitis per ignem, & polluimini in omnibus idolis vestris usque ad hunc diem?* Est igitur hæc interrogatio quasi de re incredibili, & admirationem in se continet: quia minime consentaneum erat, ut Israëlitæ exilio mulctati, manerent tamen pertinaces in suis sceleribus. Sed Propheta hic rursum excutit illis inanem prætextum, quo se poterant obtegere: quia offerebant sua munera: verum quidem id esse concedit, sed simul excipit, *trajicere filios suos per ignem, & pollui in omnibus suis idolis.* Tandem addit, *& ego inquirar à vobis?* Jam exposuimus alibi hanc sententiam, quæ tertio nunc repetitur. Alio trahunt multi, quod scilicet Deus respondere ipsis amplius non dignetur. Sed meo judicio, simpliciter perstringit eorum perfidiam, quod scilicet vellent quasi illinere ejus oculos quum ad Prophetam accederent. *An*, inquit, *ego inquirar à vobis?* Nam דרש significat utrumque, significat quærere, significat etiam assequi, & quum respondet ille quem rogamus, & quum se offert ille quem quærimus. Sed hic simpliciter ostendit Deus, eos non venire recto animo, & nihil minus illis esse propositum, quam ut ipsum quærant. Quia autem illud erat quasi incredibile, ideo jurat, in ipsis nihil esse præter meram fallaciam, quia utcunque obtendant veram pietatem dum suppliciter rogant Prophetam ut placide respondeat Dei nomine, tamen proterve irrident, ac impie & scelerate obtendunt ejus nomen, & hoc modo profanant.

Da omnipotens Deus, quando non desinis quotidie nos hortari ad resipiscentiam, & dum nobis indulges, ac nos toleras, simul tamen corripis & verbo & ferulis tuis, ne maneamus obstinati, sed tandem discamus nos tibi subjicere: neque ficta pœnitentia nos tibi offerre tanquam discipulos, sed sincere & ex animo ita simus tibi addicti, ut nihil aliud studeamus, quam proficere magis ac magis in cognitione cælestis tuæ doctrinæ, donec tandem fruamur plena illa luce, quam speramus per Dominum nostrum Jesum Christum, Amen.

PRÆLECTIO SEXAGESIMA QUARTA IN EZECHIELEM.

32. Et ascendit (*subaudiendum tamen est relativum, quod ascendit*) super spiritum vestrum non erit, quia vos dixistis, (*dicitis, est participium*) Erimus sicut gentes, sicut familiæ terrarum, ut serviamus ligno & lapidi.

33. Vivo ego, dicit Dominator Jehovah, si non in manu robusta, & brachio extento, & excandescentia effusa dominabor super vos.

JAm deregit Deus quid habuerint in animo tam senes illi, qui prætextu sciscitandi venerant ad Prophetam, quam omnes captivi: nempe ita desponderant animos, ut nihil sibi putarent esse utilius, quam prorsus deficere à Deo, & sese formare ad mores & ritus gentium. videbant enim se ideo præcipue exosos profanis gentibus, quod colerent peculiarem Deum. Quoniam itaque Lex separabat illos à toto orbe reliquo, ut effugerent odium illud & invidiam, agitabant perversum consilium, nempe ut relicto Deo, & ejus cultu, transirent ad gentes. Ita enim futurum sperabant, ut propitios se ostenderent qui prius fuerant infesti. Nunc non solum pronunciat Deus id se non passurum, sed jurejurando asserit: *non fiet*, inquit, *quod cogitatis, quia retrabam vos in manu robusta, & brachio extento, & effusa excandescentia*. Summa est, quamvis miseri illi exules cuperent excutere Dei jugum, & se miscere profanis gentibus, ut essent aliis similes: tamen Deum habiturum rationem sui fœderis, ut eos non patiatur sibi cripi: quemadmodum si quis dominus retrahat servum fugitivum: vel si quis Princeps, ubi posset delere perfidos & rebelles, sic tamen eos castigat, ut gemant sub dura servitute: hæc summa est. Locus autem hic dignus est observatu, quia multos hodie sollicitat eadem cogitatio. Vident enim odiosum esse nomen sinceræ pietatis. Itaque ut otio suo consulant, jactant multo sibi & aliis fore satius, si se reliquis conjungant, neque ob religionis discrimen concipent in se multorum odia. Alii quia sentiunt Deum sibi infestum, cuperent se quovis modo emancipare. Videtur enim illis Ecclesiæ conditio multo deterior, quam totius mundi. Et certe sicuti Deus specialem ejus curam gerit, ita castigat etiam severius delicta. Videmus ut parcat incredulis & extraneis, acsi conniveret ad eorum scelera: interim semper manus ejus extenta est ad castigandos omnes qui profitentur se esse ex numero piorum. Illi ergo cuperent Deo valedicere si ipsis daretur optio. Ideo dixi hunc locum notandum esse. Israëlitæ putabant nihil magis præstare, quam ut gentibus conjuncti, nihil ab ipsis differrent: quia imaginabantur hoc modo sibi plus fore relaxationis, quod Deus rigidior erga ipsos fuerat, quam erga exteros: deinde quia videbant se obnoxios esse multis periculis, & molestiis: videbant se undique impeti, & audiebant quotidianas minas. Hinc igitur perversa deliberatio quæ hic coarguitur, *Quod ascendis*, inquit, *super spiritum vestrum nullo modo fiet, quia vos dicitis, Erimus sicut gentes, & sicut familiæ terrarum*. Sed finis quoque spectandus est, quia tanta erat populi illius stultitia, ut putaret se fore immunem à Dei flagellis, si religionem prorsus abjiceret. Deus ergo negat id se passurum. Nunc sequitur clarior explicatio, *Vivo ego*, inquit, *si non in manu robusta & brachio extento dominabor super vos*: quasi diceret, ubi omnia effugia captaverint, tamen se fore vindicem juris sui & imperii, ut invitos cogat ad se redire, quemadmodum si violenter retraheret fugitivos, ut dictum fuit. Nunc videmus quanta fuerit populi stupiditas, dum putavit hoc unicum esse remedium suis ærumnis, si deficeret prorsus à vera pietate. Ergo cavendum est, ne ubi Deus nos castigat, sic obdurescamus, ut cupiamus nos subducere ab ejus manu & subjectione. Interea ostendit Deus se dominaturum, sed alio modo: quia scimus quam humaniter populum illum sustinuerit, quanta patientia usus fuerit quum toties iram ejus provocarent. Nunc pronunciat *se fore Dominum, sed in manu valida, & brachio extento*, nempe quia superioris clementiæ oblitus, subiget tanquam perversa mancipia, quemadmodum ubi videt dominus non posse extorqueri voluntarium obsequium à servis, damnat ipsos vel ad pistrinum, vel ad alias immanes operas, perinde acsi essent semimortui. Denunciat itaque Deus tale fore dominationis genus quo utetur: quia clementer ignoscendo nihil profecerit. Sequitur,

34. Et educam vos è populis, & colligam vos è terris per quas fuistis dispersi, in manu valida, (*vel robusta*) & brachio extento, & excandescentia effusa.

Confirmat eandem sententiam, & simul designat modum illius dominationis. Nam quum dispersi essent Judæi in exilio, erant quasi alieni à Dei jurisdictione. Erant enim permixti gentibus. Illa igitur conditio videri poterat quædam exemptio, vel immunitas. Nunc significat Deus quum volet jus suum recuperare, sibi in promptu esse rationem, *quia educet ipsos è gentibus, & colliget ex terris per quas dispersi erant*. Scimus enim, & jam aliquoties dictum fuit, speciem fuisse abdicationis quum Deus expulit à terra Chanaan decem Tribus, & partem etiam Tribus Jehudah. Quum ergo exhæredati essent, putabant vicissim se esse liberos, nec jam amplius spectare ad Dei imperium, quia desierant esse peculium ejus & hæreditas, ex quo privati erant terra promissa. Deus ergo hic admonet, quamvis ad tempus eos emancipaverit, tamen sibi esse rationem sub manu, qua ipsos iterum colligat, & ita subigat, ne ejus imperium effugiant: *Retrabam*, inquit, *vos & colligam brachio extento, & manu robusta*. Sed quod addit de fervore iracundiæ videtur non esse consentaneum. Nam fuit signum favoris, ipsos iterum colligere, & quamvis maneret ipsos dura servitus & tristis: tamen poterant gustum aliquem divinæ bonitatis percipere quum ipsos ab exilio colligeret. Scimus enim quam acerba illis fuerit sua captivitas, præsertim sub Chaldæis, à quibus devicti fuerant. Ac nomen quidem *iracundiæ* posset referri tam ad gentes, quam ad ipsos Israëlitas: ego tamen libentius de Israëlitis expono, quod tametsi Deus reipsa ostender se non prorsus eos negligere, tamen jus suum asseret tanquam dominus graviter offensus. Utcunque is qui servum perdiderat postea recipiat in ædes suas, tamen domus illa instar sepulchri est, quia vel demergitur in profundum ergastulum, vel duplo & triplo plus exigitur, quam sit ferendo. Sic

ergo Deus pronunciat, quamvis Israëlitas iterum colligat sub manum suam, tamen sensuros non ideo esse illis placatum, quia de illorum impietate pœnam nihilominus exiget: quod ex contextu melius colligitur.

35. Et introducam vos in desertum gentium, & judicabor vobiscum illic (*hoc est, disceptabo jure*) facie ad faciem.

36. Quemadmodum judicatus sum (*hoc est, disceptavi*) cum patribus vestris in deserto terræ Ægypti, sic disceptabo vobiscum, dicit Dominator Jehovah.

Hic rationem illam quasi digito notat, quæ scilicet media erit inter rejectionem & reconciliationem gratiæ: quod Deus Israëlitas eduxit ex Chaldæa, potuit videri favoris signum acsi rursus esset eorum liberator. Sed hic definit quomodo educere ipsos statuerit, nempe *ut disceptet cum ipsis in deserto sicuti cum patribus ipsorum*. Scimus ex quo egressus fuit populus ex Ægypto, non ideo potitum fuisse hæreditate promissa, quia sua ingratitudine januam sibi clausit. quod si nulla spes fuisset residua, præstabat populum sub tyrannide Ægyptiaca degere, quam tabescere in deserto. Fuit enim illa minime humana vitæ ratio, in solitudine vagari, nihil aspicere jucundum vel amœnum: pro cultis agris meram solitudinem, pro florum amœnitate, pro arboribus, pro delectabili terræ forma non nisi squalorem videre: deinde non alio vesci pane quam Manna, vinum nullum gustare, sed bibere tantum ex rupe: & interea agere sub dio, perferre frigus & calorem. Erat igitur liberatio minime optabilis, nisi sperassent se tandem fore compotes terræ Chanaan. Atqui tota illa ætas privata fuit illo beneficio ob suam ingratitudinem. Deus ergo hic apposite ipsos comparat patribus, qui egressi fuerant usque in desertum: ac dicit, *transire vos faciam in desertum gentium*. Hic comparat desertum Ægypti cum deserto gentium. Etsi autem transitus à terra Chanaan ad Chaldæos aliqua ex parte continet aridum & sterile desertum: tamen non dubito quin Deus hic metaphorice designet statum, in quo populus deget postquam reversus fuerit ab exilio. Summa est, quemadmodum circumduxit patres ipsorum tota vita in deserto, sic postquam educti fuerint è Chaldæa fore tamen eorum vitam quasi solitariam, acsi essent relegati in angulum aliquem obscurum, & in terram squalidam ac desertam. Hic ergo non notatur aliqua regio, sed status in quo populus fuit etiam quum incoleret terram Chanaan. Quanquam non tantum de exigua illa manu loquitur quæ in patriam rediit: sed quum omnibus promiscue data esset libertas. *Desertum gentium* vocat statum, cui omnes subjecti fuerunt sive manerent in longinquis regionibus, sive domum redirent. Tenendum igitur est, Deum sic fore liberatorem populi, ut beneficium ejus non perveniat nisi ad paucos: quia ubi multitudo in deserto erraverit, tandem illic putrescet, neque potietur promissa hæreditate. Nunc videmus quomodo sibi Deus asseruerit imperium in Israëlitas, quum passus non est perpetuo teneri captivos, & tamen non reduxerit ipsos ut se ostenderet placatum, quia non destitit propterea rigidus esse judex. *Adducam* igitur *in desertum gentium*: hic est fervor iracundiæ, de quo loquutus fuerat: *& judicabor vobiscum*, vel disceptabo jure *facie ad faciem*. Significat his verbis, quamvis reditus illis pateat in Judæam, non ideo tamen se illis fore propitium, quia occurret illis tanquam adversarius. *Illic*, inquit, *facie ad faciem congrediar vobiscum*: sicuti ubi efferbuit contentio, inter se confligunt adversarii, & quasi consertis manibus pugnant: ita Deus extremum rigorem hic designat quum dicit se prodituram *ut facie ad faciem cum ipsis disceptet*. Quod autem dicit *se fuisse judicatum in deserto Ægypti*, & idem in futurum tempus extendit, non ita debet intelligi quasi Deus ad causam agendam descenderit, ut se sisteret ad alienum tribunal: sed hoc genus disceptationis fuit, quum populus coactus est sentire primo quam non esset excusabilis sua impietas, & contumacia: deinde quum experientia simul didicit, Deum minime esse placatum, quia rursus accensa fuerat ejus ira. Apud Jesaiam paulo aliter loquitur, Venite judicemur inquit, disceptabo vobiscum. Nam paratus illic est causam suam agere quasi ex æquo. Sed tandem summa huc redit, litem definiri, ubi constat populum non immerito, sed ob sua scelera à Deo castigari. Sic ergo disceptavit cum patribus in deserto Ægypti, nempe quia omnes privavit terræ ingressu. Deinde quia sæpius pœnas sumpsit de murmuribus, de concupiscentia perversa, de libidine ipsorum, de idololatria, & aliis sceleribus. Hinc discamus, quoties apparent aliqua signa iræ Dei, ipsum disceptare nobiscum. Non possumus autem contumaciter resistendo, quicquam proficere. Ergo unicum istud restat, ut culpam deprecemur. Sequitur,

37. Et transire faciam vos sub virga, & adducam vos in vinculo fœderis.

Prosequitur eandem doctrinam, quod scilicet populum non sinet diffluere, quia eum acquisierat: quasi diceret fore semper suos velint nolint. Et tamen videtur hic promittere quod ipsis optabile erat, nempe ut tanquam gregem suum recenseat. Id enim est *trajicere sub virga*. Nam שבט, hic non significat sceptrum, neque baculum quo percutitur qui deliquit, sed accipitur pro pedo pastoris. Est igitur sumpta similitudo à pastore, qui gregem suum numerat ac recenset: & hæc loquutio sæpius occurrit. Summa est, quia Deus semel acquisivit populum illum, non posse jure suo fraudari. Imaginati quidem fuerant exules se fore liberos, si delerent ex animis suis, & memoria nomen veri Dei, & se pollucrent inquinamentis Gentium. Deus autem ex opposito pronunciat, sicuti pastor oves suas agnoscit, & numerum supputat, & sub pedo suo transire facit, acsi quis rex exercitum suum lustraret: ita se eos numeraturum, nec passurum quenquam sibi eripi, quin omnes absque exceptione afferat sub sua ditione. Nunc ergo tenemus sensum verborum: unde rursum colligimus, nihil aliud consequi omnes præfractos homines sua duritie, quam ut Deus reipsa ostendat dominium quod semel sumpsit, sibi non posse ullo modo eripi. Ita hic locus docet qualis merces omnes apostatas maneat, qui se putant emancipari, ubi belluino more ad impietatem se projiciunt: quia *Deus tandem sub virga ipsos transire faciet*, hoc est, vocabit, & coget ad reddendam rationem, acsi professio fidei ipsorum cordibus esset quodammodo instar cauterii inusta. Dicit *in vinculis fœderis*, sed alio sensu quam
Hoseas nominat vinculum dilectionis. Illic enim de Hos. 11.
reconciliatione agitur: sed hoc loco nondum pro- vers. 4.
mittit Deus se fore exorabilem Israëlitis. Ergo *vinculum fœderis* nominat constantiam sui fœderis, quantum ad ipsum pertinet. Est autem apta similitudo, quia Deus populum suum devinxerat sibi ea lege, ut undique circumdarentur vinculis. Ergo quum petulanter errabant sicuti bestiæ indomitæ: Deus tamen habuit occulta fœderis sui vincula, hoc est, habuit perseverantiam fœderis sui, qua factum est ut tandem omnes illos ad se colligeret, non ut illis domina-

minaretur tanquam pater, sed ut gravius animadverteret in ipsorum defectionem. Subest enim hic tacita comparatio inter Gentes & Israëlitas. Gentes enim quia nunquam propius ad Deum accesserant, vagatæ sunt in sua licentia absque modo. Sed alia fuit ratio populi electi. Fœdus ergo in eum finem valuit, ut Deus ipsos constrictos teneret etiamsi totus orbis evaderet. Sequitur,

38. Et purgabo (*vel eligam*) è vobis rebelles & perfidos in me: è terra habitationum suarum educam impios, & ad terram Israël non ingredientur: & cognoscetis quod ego Jehovah.

Prosequitur adhuc quod cœpit dicere, nempe Deum non passurum, ut impune ita se subtrahant exules, ex quo eos sibi adoptaverat. Deinde quia obstricti erant beneficio redemptionis, quamvis putarent se quasi procul remotos esse à Dei conspectu, postquam ejecti fuerant in exilium, dicit se fore præsentem, ut *ipsos colligat è terra habitationum ipsorum*, hoc est, ubicunque erunt dispersi, ut tamen ipsos educat. Alii intelligunt hic inclusam esse promissionem gratiæ, quia dicitur, purgabo ex vobis. Sed istud eligere (sic enim potius verto) vel discernere non alio spectat, quam ut Deus protrahat in lucem qui putabant se adeptos esse latebras, quibus ejus oculos fugerent. Quamvis ergo secure sibi promitterent exemptionem ab imperio Dei, ex opposito pronunciat ipsos falli, quia poterit ad unum usque omnes colligere, deinde *ex terris habitationum*, hoc est, etiamsi dispersi sint in diversa loca. Quod autem simpliciter minetur Deus satis patet ex secunda parte versus, *non venient*, inquit, *in terram Israël*, *& cognoscetis quod ego sim Jehovah*. Confirmat enim quod ante vidimus, ubi permissa illis fuerit libertas, non ideo tamen fore Dei Ecclesiam, quia alia ratione dominabitur, ut scilicet tanquam sceleratos severe castiget. *Non venient* ergo *in terram Israël*, hoc est, manebunt, & putrescent in deserto, quemadmodum scimus fuisse illam gravissimam pœnam, quum Deus juravit exceptis duobus, nempe Caleb & Josue, ne- *Num. 14. v. 23, 24.*
minem venturum in terram Chanaan. Sic etiam hoc loco, liberabo vos, hoc est, ubi patebit vobis in patriam reditus, videbitur quædam lux nova affulsisse: sed cogitate quid patribus vestris acciderit. Nam redempti perierunt tamen in deserto, neque potiti sunt terra Chanaan. Idem & vobis continget, quia reditus nihil aliud erit, quam præludium quoddam gratiæ meæ: sed nunquam pervenietis in terram Israël. Hoc autem extenditur etiam ad eos qui reversi sunt illuc, & habitarunt in patria. Sed diximus Judæam fuisse illis exilium, quia abruptus fuit cursus gratiæ Dei: & Deus cœpit de integro cum illis disceptare, etiam quum ipsos eduxisset ab exilio Babylonico. *Et cognoscetis quod ego sim Jehovah*: sicuti heri dictum fuit, Deum cognosci à reprobis, dum coguntur agnoscere judicem, cujus paternam clementiam contempserant. Sequitur,

39. Et vos domus Israël, sic dicit Dominator Jehovah, Quisque idolis suis ite servite, postquam non auditis me, & nomen sanctitatis meæ (*ad verbum, hoc est, nomen meum sanctum*) ne profanetis amplius in muneribus vestris, & idolis vestris.

Jam iterum præcise testatur Deus se rejicere Israëlitas, quod suis mixturis inficerent purum Legis cultum. Diximus enim fuisse deceptos vana illa imaginatione, quum putarent Deo placere suum obsequium, quamvis tantum dimidia ex parte eum colerent. Ubi ergo sua figmenta ingerebant, putabant hanc sedulitatem gratam fore Deo, quia profitebantur se agnoscere pro redemptore verum Deum. Hic autem rursus pronunciat se repudiare dimidium cultum, quia velit in solidum coli nec socium admittat: *nunc*, inquit, *domus Israël, sic dicit Jehovah, Quisque ite*, inquit, *& servite vestris idolis*: perinde acsi ipsos rejiceret è sua familia. Et tamen videmus semper fuisse sub ejus dominio: atque ita hic emergit quædam repugnantiæ species, quod scilicet Deus abdicet ipsos à suo imperio, & interim retineat tanquam sui juris. Sed licentia quæ nunc conceditur, non alio spectat, quam ut sciant frustra Deum coli dimidia ex parte. Et locus hic apprime notabilis est, quia hodie quoque falluntur plerique dum sua commenta ingerunt, & existimant se erga Deum optime defungi, quum aliqua tantum ex parte præstant quod mandavit: deinde congerunt magnum acervum superstitionum, sive quas à patribus sumpserunt, sive quas fabricaverunt ipsi. Denique vix reperietur centesimus quisque qui non putet satius esse, Deum aliqua ex parte colere, quam prorsus se addicere idolis: & hoc quidem verum est, quo ad homines. Nam fœdior est & magis detestabilis impietas, ubi Deum palam rejiciunt homines, & divortio facto, se idolis addicunt, quam si partim Deum colerent, partim vero idola. Sed interim videmus quid Deus pronunciet, nempe hanc profanationem à se non posse ferri. Et quæ subnectitur ratio diligenter notanda est. Nam ubi grassatur impietas crassa, & quasi palpabilis, non ita profanatur Dei nomen, sicuti dum conciliant astuti homines sincerum Dei cultum cum superstitionibus. Et hac ratione illud prodigiosum INTERIM, fuit coram Deo Papatu deterius; quare? Nam quamvis Papistæ profanent Dei nomen, hodie tamen sic detecta est ipsorum amentia, ut palam appareat, ipsos esse idololatras. Atqui illud commentum miscebat tenebras luci, & inficiebat fermento puram doctrinam. Deus autem hic exclamat, sibi illud esse intolerabile, quum homines profitentur se ipsum colere: interea autem sese contaminant superstitionibus, quia ad impietatem accedit etiam profanatio, quam secum semper trahit hypocrisis. Reliqua in crastinum.

Da omnipotens Deus, quando nos semel redemisti morte unigeniti Filii tui, ut non abrumpamus cursum gratiæ tuæ nostra ingratitudine, & contumacia: sed ita pergamus sub obedientia Euangelii tui, ut tandem adducamur ad perfectionem ejus gratiæ, quæ in nobis inchoata est, & magis ac magis in dies proficiamus in vera pietate, donec tandem colligamur in cæleste illud tuum regnum, & fruamur hæreditate nobis promissa & parta per eundem Christum Dominum nostrum, Amen.

PRÆ-

PRÆLECTIO SEXAGESIMA QUINTA IN EZECHIELEM.

Vidimus heri rationem cur Deus malit homines penitus addictos esse suis superstitionibus, quam simul dimidiam partem veræ pietatis miscere, quia scilicet hoc modo profanatur sacrum ejus nomen. Vult autem discerni ab omnibus idolis. Ergo non mirum est si frena laxet Israëlitis, ut se in totum projiciant ad idololatrias. Et iterum repetit quod dixerat, *profanari nomen suum in muneribus & idolis*, nempe ubi simulant increduli sibi in animo esse eum colere: & interea transferunt ejus gloriam ad idola. Non patitur itaque hoc modo sibi illudi. Ita quoties occurrunt oblationes & idola, sciamus damnari mixturas omnes, quibus corrumpitur pura simplicitas cultus Legalis. Nunc sequitur,

40. Quia in monte sanctitatis meæ, in monte excelso Israël, dicit Dominator Jehovah, illic colent me tota domus Israël, tota inquam, in terra: illic propitius ero illis, (*vel complectar ipsos meo favore*) & illic requiram oblationes vestras & primitias donorum vestrorum in omnibus sanctificationibus vestris.

Nunc convertit Deus sermonem ad electos, vel ad reliquias, in quibus volebat superstitem esse Ecclesiam. Hactenus loquutus est de universo corpore populi: dicit, quamvis eos liberet è manu gentium, tamen redemptionem hanc fore mutilam, quia tabescent in deserto, neque unquam potientur terra promissa. In summa, ostendit non minus fore extraneos, quibus liber daretur reditus in patriam, quam fuissent tempore exilii, & semper manere exhæredes: quia scilicet eos non patiebatur restitui sua impietas. Jam Deus alloquitur veros Israëlitas, qui non tantum genus ducebant secundum carnem à patribus, sed qui genuini erant & legitimi: quemad-
Rom. 9. v. 6,7,8. modum Paulus distinguit inter filios Abrahæ, qui geniti sunt secundum carnem, & qui sunt ex pro-
Psal 73. vers. 1. missione. Hac ratione etiam dicitur Psalmo 73., Et certe bonus est Israëli Deus iis qui recto sunt corde. Nam Propheta illic asserit Deum esse humanum erga Israëlitas. Sed quia multi hypocritæ tunc gloriabantur se esse Ecclesiæ membra: ideo per modum correctionis restringit sententiam illam, & non alios censet veros Israëlitas, nisi qui recto sunt corde:
Psal. 15. vers. 1. & 24: 3. sicuti & Psalmo 15. & 24. idem repetitur, Quis ascendet in montem Domini? Atqui promiscue una cum sinceris Dei cultoribus se ingerebant perfidi & scelerati homines. Sed illic excludit eos Propheta à catalogo fidelium, quia non alios dicit fixam stationem habituros in sanctuario Dei, nisi qui sunt integri corde, & puri manibus. Eodem quoque sensu
cap. 13: 9. ante Propheta docuit, quamvis hypocritæ superbe jactarent se esse ex Dei populo, nomina tamen illorum non esse scripta in arcano catalogo populi Dei. Nunc ergo videmus quomodo optime conveniant quæ videntur inter se pugnare, nempe nihil profuturum Israëlitis, quod tandem redimet ipsos Dominus è tyrannide gentium: & tamen venturos in montem Israël, ut sincere illum colant. Nam hic duplex Israël nobis ponitur ante oculos. Multi enim titulo tenus erant tunc Israëlitæ. Sed nunc differit Pro-
Rom. 11. vers. 5. pheta de electis, quos Paulus vocat reliquias gratiæ. *In monte*, inquit, *sanctitatis meæ, in monte excelso Israël.* Montem excelsum vocat non quod altitudine superaret alios montes. Scimus enim montes in terra Israël fuisse excelsos. Erat autem Sion collis duntaxat, & quidem exiguus. Sed alibi vidimus præferri montibus præcipuis, eo quod excelleret dignitate. Non respexit igitur Propheta noster ad cacumen montis Sion, sed ad singularem gloriam, qua ornatus erat: quasi diceret, Deum illic refulgere, ut ejus gloria emineat supra omnem mundi altitudinem. Interea non dubito oblique opponi hoc epitheton excelsis, quæ passim sacrata fuerant, ut ante vidimus. Quum ergo populus erigeret sine delectu altaria in omnibus locis editis, hic Deus unum montem excelsum opponit tot illis montibus, quorum altitudo deceperat miseros homines, ut illic putarent se propiores esse cælo. Hæc igitur ratio est cur nominet montem excelsum. Dicit, *illic colent me tota domus Israël, tota inquam, in terra.* Non mirum est sine exceptione hic poni totam domum Israël, quia ut dictum fuit, non comprehendit Propheta eos omnes, qui superbiebant tali elogio: sed tantum designat puros Dei cultores, qui filii erant spirituales Abrahæ. Hic autem Deus consensum fidei describit in cunctis fidelibus: acsi diceret fore novum populum, qui non sequetur varias speculationes, ut ante singuli erraverant in suis superstitionibus: sed fore unam regulam omnibus communem. Ita docemur hoc loco non aliter placere Deo nostrum cultum, nisi intenti ad simplicem fidei consensum quasi uno ore celebremus ejus nomen. Impii quoque sæpe alii aliis subscribunt: sed non respiciunt in Deum. Hic autem principium illud tenendum est, non posse Deum coli, nisi ubi viget Legis ejus doctrina. *Tota, inquam, domus Israël in terra illic.* Significat his verbis terram Israël, quæ diu contaminata fuerat multis sordibus, fore sacram, ut integer & purus Dei cultus illic tantum spectetur. *In terra* igitur, nempe ut purgetur ab omnibus inquinamentis, quibus ante fuit polluta. Addit promissionem, *illic propitius ero ipsis.* Ante vidimus repudiari omnia populi sacrificia, idque una ratione, quod miscebant illa suis figmentis. Nunc pronunciat Deus se propitium illis fore, nempe quia rite coletur, nec amplius vitiabitur cultus ejus perversis hominum commentis. Videmus ergo hic beneplacitum Dei vel favorem opponi detestationi omnium superstitionum, cujus sæpe antehac facta fuit mentio. Sicuti ergo Deus abominatur quicquid additur ad simplicem Legis doctrinam: ita propitium se fore affirmat, ubi pure ex Lege sua coletur. Addit, *Et illic requiram oblationes vestras:* mutatur persona, sed sensus tamen non male fluit: dicit, *requiram oblationes vestras.* Ponit speciem unam oblationis, sed per synecdochen omnes complectitur, sicuti videbitur in fine versus. Quanquam fateor quamvis inter se differant diversæ species תרומה & תנופה: tamen sæpe accipi pro sacra qualibet oblatione ubi seorsum leguntur: sed per synecdochen, ut jam dixi. Dicit igitur sibi gratas fore oblationes. Id enim intelligit verbo requirendi, quia vidimus repudiata fuisse dona populi, quæ corrupta erant extraneis superstitionibus. Deus autem dicitur exigere dona quæ probat. *Et primitias*, inquit, *donorum vestrorum*, vel florem, vel quod excellit in vestris donis, *in cunctis vestris sanctificationibus*, hoc est, in toto meo cultu. Significat in summa, ubi Israëlitæ se ad unicam Legis doctrinam referent, sic gratum fore obsequium illorum Deo, ut dona illi placeant, & oblationes veniant in rationem: totus denique ipsorum cultus acceptus sit. Nunc sequitur,

41. In

41. In odore bonæ fragrantiæ propitius ero vobis, quum eduxero vos è populis, & collegero vos ex terris per quas dispersi eritis, & sanctificabor in vobis in oculis gentium.

Continuat eandem sententiam, nempe gratum sibi fore cultum populi, ubi valedixerint qui prius decepti fuerant, suis superstitionibus, ut Legem unam sequantur. Loquitur autem de odore secundum usitatam Legis formam, non quod suffitus ille Deum oblectaverit: sed quia non frustra se exercuit populus in externis illis ceremoniis, ubi retinebatur veritas. Nam certe odor per se nullius fuit momenti: sed Deus voluit crasso modo testari se non rejicere sacrificia quæ mandaverat. His ergo loquendi formis significat Spiritus sanctus placari vere Deum, ubi homines sincera fide & pœnitentia ad eum accedunt & cupiunt reconciliari, ingenua confessione suppliciter deprecantur veniam: respiciunt denique in Christum: hic est odor quem Moses passim docet fuisse Deo suavem. Sicuti autem suaviter olebat suffitus Legalis: ita etiam fœtidi erant alii omnes suffitus, quemadmodum ante visum fuit. Nihil ergo hic novum addit Propheta, sed confirmat superiorem doctrinam, quod scilicet Deus oblectabitur puro & sincero fidelium cultu, ubi nihil tentabunt nisi ex ipsius Lege. *Postquam*, inquit, *eduxero vos è populis, & collegero vos ex terris per quas dispersi fueritis.* Eadem nunc verba repetit quæ ante vidimus, sed in alium sensum & finem: quia dum similiter redemit tam hypocritas, quam suos electos, hypocritis nihil profuit data libertas: quia ubicunque degerent, fuit illis sua statio quasi desertum, ut in medio sinu terræ Chanaan essent nihilominus exules, vitaque eorum esset erratica, quoniam non potiebantur promissa sibi hæreditate: in longinquis etiam regionibus erant quasi vagi in deserto. Nam utcuncunque habitarent in hominum frequentia, tamen conditio ipsorum talis erat, ut merito Deus ante minatus fuerit illos fore in deserto gentium usque ad mortem. Nunc autem quum de electis & fidelibus loquitur, discrimen ponit inter eos & hypocritas. Nam poterat alioqui moveri quæstio, quum in speciem omnes essent pares, quorsum tenderet ista promissio, alios fore exules, alios autem venturos in suam hæreditatem? Nam Daniel nunquam reversus est in patriam: nec dubium est alios quoque pios Dei cultores simul fuisse retentos. Scimus autem quanta colluvies in Judæam redierit quum edicto Cyri id fuit permissum. Nam singuli postea attenti fuerunt ad privata negotia: Templum fuit neglectum: frau- *Agg. 1.*
datus fuit Deus primitiis & oblationibus: duxerunt alienas uxores: deinde polygamia grassata fuit etiam inter ipsos sacrificos. Jam vidimus quam acriter & severe in ipsos tres ultimi Prophetæ invehantur. Quia ergo multi reversi sunt in terram Chanaan, qui tamen non mutarunt ingenium, & quibus satius fuisset manere in Chaldæa: hac ratione Propheta sermonem dirigit ad electos, & dicit non tantum fore reduces, sed ubi fuerint quasi postliminio restituti, cultum ipsorum fore gratum Deo in terra. Quum ergo *eduxero vos*, inquit, *tunc sanctificabor in vobis in oculis gentium.* Sanctificatus etiam quodammodo fuit Deus in reprobis, quia specimen illud fuit illustre potentiæ ejus, quum victis Chaldæis, rursus erectum fuit Templum. Sed hic Propheta, quemadmodum dixi, electos discernit à reprobis, quia peculiari modo sanctificatus fuit Deus in illis, quum scilicet iterum emersit nova Ecclesia, in qua florebat pietas, vera religio, & integritas vitæ. Quum ergo tale spectaculum oblatum fuit gentium oculis, gloriam suam tunc asseruit Deus in suis fidelibus. Denique hæc conjunctim legenda sunt, *quod propitius erit illis, & gratas habebit eorum primitias & oblationes, & quod sanctificabitur in oculis gentium:* sicuti etiam dicitur in Psalmo, Quum egressus est Israel ex *Psal. 114.*
Ægypto, Israël fuit potestas Dei, & Juda sanctifi- *vers. 1. 2.*
catio ejus, vel sanctitas. Sequitur,

42. Et cognoscetis quod ego Jehovah, quum vos iotroduxero in terram Israël, in terram (*posuerat* אדמה *ante, nunc* ארץ, *in terram*) pro qua levavi manum meam, ut darem ipsam patribus vestris.

Terrendi causa minatus fuerat se fore conspicuum reprobis, *cognoscetis quod ego sim Jehovah*, nempe quia futurus erat ipsorum judex. Ergo in documentis iræ aut vindictæ cognitus fuit apud reprobos. Sed nunc alia notatur ejus cognitio, nempe quæ suavem gustum præbeat paterni amoris: *cognoscetis*, inquit, *quod ego sim Jehovah Deus vester quum vos introduxero.* Hic ostendit plenum & solidum suum beneficium erga fideles, quod ante vidimus abruptum fuisse inter exordia quoad reprobos. Nam utrique reducti sunt, quia sine exceptione omnibus permissum fuit redire in patriam. Tunc igitur fractum fuit jugum tyrannici imperii, quum exempti sunt à dominatione Chaldaica, & rex Medorum illis permisit Templum extruere, & habitare in terra Chanaan. Fuerunt igitur omnes liberati, sed ut jam dictum fuit, statim gratia illa evanuit, quoad reprobos. Nam perierunt omnes in deserto gentium. Electi autem perducti sunt Dei manu usque ad terram Israël, & illic vere potiti sunt promissa hæreditate: quia illic habitarunt tanquam filii & legitimi hæredes. Nam simul, ut dictum fuit, reversi sunt hypocritæ: sed terra illa tanquam propria hæreditate nunquam sunt potiti. Erarunt enim illic non secus atque in deserto, & quamquam domi residebant, semper fuerunt vagi & exules. Videmus itaque notari singulare privilegium ubi dicitur, *cognoscar à vobis quum vos reduxero è gentibus, & terris per quas dispersi eritis, in terram pro qua juravi me illam daturum patribus vestris.* Hic adscribitur nota, ut sciant fideles sibi aliquid promitti non vulgare. Habitatio enim terræ Chanaan per se non tanti fieri debuit: sed hic exprimitur qualitas, quod scilicet venient in terram illam, ut sint Dei hæredes & succedant sanctis patribus, quibus promissa fuerat illa hæreditas. Quod autem *juravit Deus se daturum* Abrahæ, Isaac, & Jacob terram illam, non debet restringi ad eorum personas, ut satis notum est, & tamen fuerunt veri hæredes, & domini, idque testati sunt sua sepultura. Passi sunt quidem se vexari, ut subinde mutarent sedes, quia nusquam illis tranquilla erat statio. Fuerunt igitur inquilini quum viverent: sed sepulchrum fuit testimonium veri & legitimi dominii. Atqui hoc modo transmiserunt spem hæreditatis promissæ ad suos posteros. Nunc ergo videmus quo consilio Propheta hic dicat promissam fuisse terram patribus, nempe ut qualitas terræ attollat mentes fidelium ad reputandam beneficii magnitudinem. Sequitur,

43. Et recordabimini illic viarum vestrarum, & omoium operum vestrorum, in quibus polluti estis: & eritis excisi (*vel abominabiles*) in faciebus vestris, in cunctis sceleribus vestris quæ perpetrastis.

Hic Deus ostendit se tunc demum fore propitium suis electis, ubi resipuerint. Ita significat non alium esse modum reconciliationis quam ubi intervenit pœnitentia. Et hoc diligenter notandum est, sicuti

ante

ante admonui. Scimus enim quam ſecure ſibi vulgo indulgeant omnes: nec vero pii ipſi tanguntur ſatis ſerio dolore, ubi Deus ad ſpem ſalutis eos invitat, & ſimul veniam offert. Ampleƈtuntur quidem avide quod audiunt, ſed interea ſepeliunt ſua peccata. Atqui Deus vult ita guſtari à nobis ſuam bonitatem, ut interea amara ſit nobis ſcelerum recordatio: ac denique ſibi quiſque ſit judex, ut veniam coram ipſo obtineat. Nunc ergo tenemus conſilium Prophetæ. Similem locum vidimus apud Jeremiam: imo paſſim occurrit hæc doctrina apud Prophetas: *illic*, inquit, *recordabimini*. Circumſtantia loci notanda eſt, quia intelligit Propheta poſtquam redierint electi cum Deo in gratiam, & illos cenſebit tanquam Eccleſiæ ſuæ domeſticos, tunc memores eſſe oportere vitæ ſuperioris, ut ſibi in peccatis diſpliceant. Si diceret, quamdiu Deus vos affliget, & manebitis ſub tyrannide gentium in exilio, coget vos ſenſus malorum gemere; ita ſubibit recordatio ſcelerum veſtrorum, quia pœnæ, velitis nolitis, ſemper erunt vobis ante oculos: quia trita & communis erat ſententia, facilis quoque ad perſuadendum fuiſſet. Verum oſtendit non tantum memores eſſe filios Dei ſuorum ſcelerum, ubi ſentiunt ſe ab ipſo percuti, & experientia docet eum eſſe infeſtum: ſed ubi recepti ſunt in gratiam, & potiuntur ſua hæreditate, vivunt ſub umbra alarum Dei, & illos fovet quaſi teneros fœtus: ubi ergo fideles tam humaniter tractantur à Deo, tamen Propheta docet, in hac conditione debere eſſe memores ſuorum ſcelerum: *& omnium operum veſtrorum in quibus polluti fuiſtis*, inquit. Nunc oſtendit in quem finem erunt memores. Reprobi enim coguntur etiam ſentire ſua peccata, quandoquidem Deus quaſi obtorto collo, ipſos trahit ad ea reputanda dum maxime cupiunt ſepelire. Sed hic dicitur, *eritis confuſi in faciebus veſtris*. Quoniam Hebraicum verbum קוט ſignificat excidere, ideo multi interpretes accipiunt, eritis excidi, hoc eſt, judicabitis vos eſſe dignos interitu, & quos Deus excidat ac deleat è terra. Sed videtur illud coactum. Quia idem verbum ſignificat interdum litigare, ſignificat & abominari, libenter deſcendo in hanc ſententiam, *quod erunt abominabiles*, aut contempti *coram facie ſua*, hoc eſt, ita erunt pudefacti, ut libenter & ultro agnoſcant ſe coopertos eſſe ignominia. Significat igitur Ezechiel fideles ſuſcepturos voluntarium dedecus, ut Deum glorificent in pura illa & ingenua confeſſione ſui dedecoris. Si quis malit exponere, eritis damnati, vel convicti, etiam ſenſus ille non male quadraret. Sed jam attuli quod viſum fuit ſimplicius. Dixi autem hunc eſſe fructum pœnitentiæ, quum jacemus confuſi coram Deo, & viles ac deſpecti ſumus in oculis noſtris, hoc eſt, ubi non tantum patimur ab aliis nos damnari, ſed intus, intus reputamus noſtram ignominiam: & ita dejicimus nos ſponte coram Deo. Hic igitur fructus eſt pœnitentiæ, & hæc eſt vera humilitas, quæ manat à tali pudore. Tandem ſequitur,

44. Et cognoſcetis quod ego Jehovah, quum fecero vobiſcum propter nomen meum, non ſecundum vias veſtras malas, & ſecundum opera veſtra corrupta, domus Iſraël, dicit Dominator Jehovah.

Hic tandem pronunciat Deus gloriam ſuam in eo maxime conſpicuam fore, quod gratis, & quidem ſolo nominis ſui reſpectu miſertus fuerit eorum, qui deſperati erant ac perditi. Et ideo Paulus tantopere
Ephes. 1. gratiam Dei celebrat primo ad Epheſios capite, ut
vers. 6. illam miſericordiam, qua dignatur ſuos electos vo-
12. 14. cet Dei gloriam κατ' ἐξοχὴν. nam gloria Dei longius
Psal. 48. extenditur quam ad miſericordiam, Sicut nomen
vers. 11. tuum ſic laus tua per omnes fines terræ. Deus itaque non minus gloriæ meretur quum perdit reprobos, quam dum miſeretur populi ſui. Sed per excellentiam vocatur à Paulo gloria, gratuitus ille favor, quo Deus electos ſuos complexus eſt, ubi eos adoptavit. Sic etiam hoc loco dicitur, *tunc cognoſcetis quod ego ſim Jehovah, quia agam vobiſcum propter nomen meum, & non ſecundum ſcelera veſtra*. Quum autem Deus maxime in gratuita miſericordia velit gloriam ſuam fulgere, hinc colligimus nimis craſſos & apertos hoſtes eſſe gloriæ ejus, qui obſcurant ejus miſericordiam, vel extenuant, vel quantum in ſe eſt, in nihilum redigere conantur. Atqui ſcimus non alio tendere Papatus doctrinam, quam ut gratuita Dei bonitas vel obruta jaceat, vel implicita ſit obſcura caligine, vel in totum evaneſcat. Nam excogitarunt merita in genere, quæ opponerent gratuito Dei favori. Jam merita diſtinguunt in præparationes, in bona opera, quibus acquirunt Dei favorem, in ſatisfactiones, quibus redimunt pœnas, quibus alioqui erant obſtricti. Poſtea addita ſunt ſuffragia, ut loquuntur, Sanctorum. Nam fabricarunt ſibi innumeros patronos: deinde aliæ etiam innumeræ rationes confictæ ſunt non in alium finem, niſi ut gloria Dei vel amplius conſpici non poſſet ab hominibus, vel ſaltem tantum obſcure projiceret aliquas ſcintillas. Quum itaque totus Papatus eo tendat, videmus ex profeſſo opponi Dei gloriæ: & quicunque illas abominationes defendunt, eſſe pluſquam juratos hoſtes gloriæ Dei. Quantum ad nos, diſcamus non poſſe aliter vere Deum cognoſci in ſalutem, niſi dum illi acceptum ferimus quicquid ad ſalutem noſtram pertinet. Nam ſi volumus venire in rationem dati & accepti, & vel minimum quicquam ei impenſum ferre, hoc modo extenuamus ejus gloriam, & ita quantum in nobis eſt ſpoliamus nos hoc ineſtimabili privilegio, quod nunc Propheta commendat. Ergo ſtudeamus uno hoc modo Deum cognoſcere, quod ſcilicet pro immenſa ſua clementia & miſericordia nobiſcum egit, idque nominis ſui reſpectu, non autem ſecundum ſcelera noſtra. Quod ſi illud dictum fuit populo veteri, quia reverſus fuerat in terram Chanaan: hodie ubi apertum eſt regnum cæleſte, quanto magis extolli meretur Dei gratuita bonitas? ubi ſcilicet palam nos in cælum ad ſe vocat, ad ſpem illius beatæ immortalitatis, quæ nobis parta fuit per Chriſtum.

Da omnipotens Deus, quando jam ſpe ingreſſi ſumus in atrium æternæ noſtræ hæreditatis, & ſcimus certam nobis eſſe ſedem in cælo, poſtquam eo receptus eſt Chriſtus, qui eſt caput noſtrum, & primitiæ noſtræ ſalutis: da, inquam, ut magis ac magis proficiamus in curſu ſanctæ tuæ vocationis, donec tandem ad metam pertingamus: & ita fruamur æterna illa gloria, cujus jam nobis guſtum præbes in hoc mundo, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.

AD LECTOREM.

Hac ultima prælectione abſoluta, quum antea quoque jam ægrotaret clariſſimus vir D. JOANNES CALVINUS, *tam vero cœpit multo gravius habere, ut coactus in lecto decubuerit, nec ulterius potuerit in Ezechielis explicatione progredi: hæc ratio eſt cur ſub finem* 20. *capitis ſubſtiterit, & opus feliciter inchoatum non perfecerit. Supereſt optime lector, ut æqui bonique conſulas quicquid tua gratia nunc in lucem emittitur.*

INDEX

INDEX

Verborum & loquutionum atque rerum, quæ in hisce in

EZECHIELEM

PRÆLECTIONIBUS EXPONUNTUR.

Prior numerus caput, posterior paginam indicabit.

Doctrinæ

Judæo-

INDEX

Thamar

F I N I S.

INDEX

Locorum Scripturæ, quos in his COMMENTARIIS Author ipse, vel in sua, vel adversariorum atque etiam aliorum Scriptorum persona non modo citat, sed magna etiam ex parte interpretatur, & apposite ad sensum suum accommodat.

Primus numerus caput, secundus capitis versum, tertius vero paginam notat.

I N D E X.

INDEX

Indicantur præterea aliquot loci Auguſtini, & quorundam profanorum Authorum, idque paginarum numero.

F I N I S.